Digitized by Google

18 fr.

Digitized by Google

A Bernus
dec. [illegible]

Digitized by Google

I. 15. 2008

A. Bernus

Cf. sur cet ouvrage:

Brunet. Manuel du libraire. 5e éd. t. IV p. 1271. (25 fr. 50. – 32 fr. – 29 fr.)

Petzholdt. Bibliotheca Bibliographica. p. 163 sq. (20 à 30 fr.)

Th. Ittigii Schediasma de autoribus qui de scriptoribus ecclesiasticis egerunt. Lips. 1711. p. 45 sq.

Michault. Mélanges historiques et philologiques. Paris, 1754. t. II p. 249 sq.

de Backer. Bibliothèque des Écrivains de la Comp. de Jésus.

Carayon.

Digitized by Google

Sta Cruz de Coimbra

BIBLIOTHECA SCRIPTORVM SOCIETATIS IESV.

OPVS INCHOATVM

A R. P. PETRO RIBADENEIRA
Eiuſdem Societatis Theologo, anno ſalutis 1602.

CONTINVATVM

A R. P. PHILIPPO ALEGAMBE
Ex eadem Societate, vſque ad annum 1642.

Recognitum, & productum ad annum Iubilæi
M. DC. LXXV.

A NATHANAELE SOTVELLO
Eiuſdem Societatis Presbytero.

Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi Stellæ in perpetuas æternitates.

Dan. 12. ver. 3.

ROMÆ, Ex Typographia Iacobi Antonij de Lazzaris Vareſij.
M. DC. LXXVI.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

EMINENTISS. AC REVERENDISS. D.

D. IOANNI EVERARDO

S. R. E. TIT. S. BARTHOLOMAEI

IN INSVLA PRESBYTERO CARD. NIDARDO.

Sereniſſimi Hiſpaniarum Regis Catholici Conſiliario intimo, & ad Sanctiſsimum D. N. CLEMENTEM X. Oratori Ordinario, necnon Sereniſſimæ Hiſpaniarum Reginæ Mariæ Annæ Auſtriacæ Confeſſario.

EDITIO noua Scriptorum Societatis noſtræ, dum quærit Patronum ſub cuius auſpicijs exeat in lucem, multis nominibus EMINENTISSIME PRINCEPS tuum expetit patrocinium. Quid enim ſperare non poterit à Te, qui hanc ipſam Bibliothecam tuis doctiſsimis Voluminibus ornas, & Sacra inſuper Purpura illuſtras? Decoraſti olim Scholas noſtras dum Philoſophiam, & Sacros Canones in Academia Græcenſi eruditiſsimè explicares, Theologicis Theſibus præſideres, & præclaris inſuper virtutum exemplis ad horum imitationem alios accenderes. Quanti porrò facias, & quantopere ames noſtram minimam Societatem, luculenter oſtendiſti, quando anno reparatæ ſalutis 1665. Regem Catholicum Philippum IV. glor. me. deſignantem Te ad Vaticanam Purpuram nominare, tuis ſupplicibus precibus inflexiſti, vt nominationem illam

Digitized by Google

transferret in alium. Dignitatem deinde Inquiſitoris Generalis in Hiſpania, & India nonniſi adactus imperio in virtute ſanctæ obedientiæ ab Alexandro Septimo Summo Pontifice (cui refragari fas non fuit) ſuſcepiſti; & poſtea adlectus in Senatum Eminentiſsimorum Cardinalium S. Romanæ Eccleſiæ, ſimulque ſuſtinens munus Oratoris Regiæ Catholicæ Maieſtatis apud S.Sedem Apoſtolicam, priſtinum tamen animum, affectum, atque ſtudium erga puſillum gregem noſtrum, ſine vlla prorſus diminutione retines. Hoc nimirum eſt, quod in magnis Eccleſię Pręſulibus magnopere laudat Diuus Bernardus: *In alto poſitum, non altum ſapere. Quod quanquam difficile ſit*, (vt idem ſubdit) *& omninò inuſitatum, tamen quanto inuſitatius, tanto glorioſius*, His igitur de cauſis permagna mihi naſcitur fiducia fore vt non ingrata accidat Eminentiæ Veſtræ, hæc mea patrocinij veſtri ſupplex petitio.

S. Ber. Ep. 42.

Exponent alij Nobilitatem generis Eminentiæ Veſtrę, & præclara Natalium veſtrorum promerita, in conſeruanda Religione Catholica varijs in Prouincijs Germaniæ, præſertim quando claræ memoriæ Genitor Eminentiæ Veſtræ à Principibus Auſtriacis Commiſſarius Generalis conſtitutus ad expellendos ex hæreditarijs ipſorum Prouincijs Hæreticos, id ille ingente animi fortitudine, ac zelo præſtitit, quantumuis non ſine diſcrimine vitæ ſuæ, & ia-

Digitized by Google

ctura fortunatum non exigua. Verùm cùm Tu Eminentiſs. Princeps, claritudini cuicunque ſtemmatis tui nuntium iam pridem remiſeris, probe ſciens quod (vt verbis vtar Sancti Hieronymi.) *Summa apud Deum Nobilitas eſt clarum eſſe Virtutibus*, ideoque volueris Chriſti humilitatem in ſua Societate ſectari, ego quoque in præſentiarum hæc miſſa facio. Attamen præterire ſilentio penitus non debeo quantum & Romanum Imperium, & Hiſpanię Monarchia, & Eccleſia Catholica Vniuerſa debeant Eminentię V. ob imbutam pietate Principe Supremo digna, necnon bonis literis adoleſcentiam Auguſtiſsimi Cęſaris Leopoldi Primi, qui nunc habenas feliciſsimè moderatur Romani Imperij, cuique tunc à Sacris Confeſsionibus ac literarum ſtudijs fuit Eminentia V. vnà cum Sereniſsima illius Sorore Maria Anna Auſtriaca, quam deinde voluit Auguſtiſsimus illorum Genitor Ferdinandus III. Imperator gl. me. vt Eminentia V. comitaretur in munere Confeſſarij in Hiſpaniam ad nuptias cum Rege Catholico Philippo IV. fel. recor. maximo Monarchię illius bono celebrandas. Ob hęc ſcilicet & alia de Repub. Chriſtiana, promerita pręclara, non deſtiterunt ijdem Rex Catholicus, & Regina ab ornanda varijs honorum pręrogatiuis Eminentia V. quantumuis pro ſuo humilitatis ſtudio, quoad licuit, renitente, donec tandem euocato ad meliorem vitam, atque ęternam

S. Hier. Epi. ad Celanſiam.

Coro-

Coronam (vt fas eſt ſperare) Rege, & gubernante Regnum Sereniſsima Regina, ad Romanam Purpuram, qua nunc fulges, vel inuitus eueherèris. Conſtituta igitur in hoc quaſi culmine Dignitatum Eminentia V. dignetur ſuo fauore, ac patrocinio hanc Scriptorum noſtrorum Bibliothecam, nouo veluti amictu indutam, per acceſsionem multorum, qui poſt vltimam illius editionem anno 1643. nouis lucubrationum monumentis rempublicam literariam auxerunt, & in qua ſimul cum Toleto, Bellarmino, Pazmanno, De Lugo, Pallauicino, Patribus Purpuratis doctiſsimis, & maximis Societatis noſtrę luminibus, Tu quoque emicas, Eminentiſs. Princeps, & ſupplicabimus omnes Deo Opt. Max. vt copioſiſsime cumulet Emin. V. ſumma in vtroque ſeculo felicitate. Romę ex Domo Profeſſorum Societatis Ieſu. Die 15. Iunij 1676.

Eminentię V. Reuerendiſs.

Humillimus, Deuotiſsimus, & Obligatiſs. Seruus

Nathanaël Sotuellus Soc. Ieſu.

PRÆ-

PRAEFATIO
P. PETRI RIBADENEIRA
AD LECTOREM.

QVOD M. Tullius Cicero non eſt dedignatus facere in Bruto, Oratorum Linguæ Latinæ texens catalogum; quod Suetonius Tranquillus de illuſtribus Grammaticis ſcribens; quod Diuus Hieronymus, Caſſiodorus, Gennadius, Honorius, Sigebertus, Trithemius, & alij de Scriptoribus fecere Eccleſiaſticis; id ego de Scriptoribus Societatis noſtræ facere conſtitui. Paruum quidem atque exiguum opus, fateor; ſed vtile, atque ad Dei Gloriam, vti ſpero, futurum. Nam quo ex fonte tam multi, tamque clari Doctrinarum emanarunt riuuli; qua ex radice tot tantique nati ſunt ſapientiæ fructus; quo Auctore tanta intra paucos annos exiſtere potuit Scriptorum ſeges, ac copia, niſi ab illo, qui ſapientiæ fons & principium bonorum omnium atque origo eſt? ad quem tamquam ad finem etiam referenda ſunt quæcumque bona ſunt: *Omne enim Datum optimum & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum: Qui Alpha & Omega eſt ac rerum omnium principium & finis.* Ia 17. Apoc 1.8.
Cedet ergo, vt mea fert opinio, in Dei gloriam ea commemorare quæ ipſemet Deus ad ſui gloriam in noſtra SOCIETATE perfecit. SOCIETATI vero ipſi illuſtre erit ac decorum, tot ex ſe tamque præclaros genuiſſe filios, qui ingenij ſui monumentis, omnique bonarum literarum genere, CHRISTI Eccleſiam locupletarunt. Neque ijs qui ſcientiarum ſtudijs ducuntur & ſapientiæ amore flagrant, minus erit, vt puto, iucundum ſcire quid ſcripſerint, & de quibus ſcripſerint, & fontes noſſe vnde haurire poſſint quæ vel ad ſcientias alendas, augendaſque, vel ad pectus pietate inflammandum magno vſui ſunt futura. Mihi quidem certè permirum videtur, in tam exiguo Noſtrorum numero tam multos Scriptores extitiſſe, qui breuiſſimo tempore lucubrationes ſuas litteris mandarunt, & omne pene Scriptorum genus magna cum laude ſunt perſecuti. Etenim vt ex multis pauca attingam, quod genus ingenuarum artium eſt, quod argumentum, quæ tractatio in qua Noſtri non ſint peregregiè verſati? quam ſcriptis ſuis non explicarint, auxerint, ornarint? Nam ſi ab ipſis quaſi incunabulis ac primis Grammatices rudimentis, ducas exordium & per ſeueriores Diſciplinas, ceu per gradus quoſdam ad culmen ſacræ aſcendas Theologiæ, nihil certè reperies à noſtris prætermiſſum, quod ad ſcientias

tias

Digitized by Google

tias omnes illuſtrandas pertinere videatur. Itaque ex illis nonnulli Introductiones ſcripſerunt ad Grammaticam Latinam, Græcam, atque Hebraicam; ad artes item Rhetoricam, Dialecticamque diſcendas vtiliſſimas. Alij Commentarijs Philoſophiam, ſiue de Natura, ſiue de Moribus, eruditiſſimis exornarunt. Alij quæſtiones D. Thomæ Aquinatis, alij Diuinas litteras luculenter interpretati ſunt; alij in arenam deſcendere & cum Hæreticis noſtri temporis manum conſerere, non dubitarunt; & quidem ea Doctrinæ magnitudine, ea argumentorum vi atque copia, vt de importunis, atque infeſtiſſimis Eccleſiæ Catholicæ hoſtibus non dubiam ſemper victoriam reportarint. Taceo de Mathematicis diſciplinis; nihil dico de Hiſtoria ſiue Latina, ſiue Vulgari lingua; ſcripta non loquor de verſionibus Sanctorum Patrum atque præſtantiſſimorum Auctorum è Græco in Latinum, vel ex Latino in maternum idioma à Noſtris factis. Prætermitto, quæ ad excitandam in animis hominum pietatem, ad virtutes procreandas, deteſtanda vitia, ad bene denique ſanctèque viuendum, ſpectant. Quo in genere tam multa à noſtris Scriptoribus prodierunt in lucem, vt ea, quoniam recenſere paucis non poſſum, ſatius exiſtimem ſilentio præterire, quæ tamen hoc noſtro in Catalogo Lector inueniet. Et quoniam libri ipſi loquuntur, nihil ego de Noſtrorum vel ingenio, vel Doctrina, vel ſcribendi diſpoſitione, atque comprehenſione dicam. Atque hunc quidem Catalogum ego potiſſimum ſcribendum ſuſcepi propterea quod bonam illorum Auctorum, qui in eo referuntur partem familiariter noui, & cum antiquiſſimis omnibus pene atque grauiſſimis Societatis Patribus amicitiæ fui vinculis coniunctiſſimus. Dabo itaque operam, vt ipſorum memoriam amanter ac piè colam, vindicemque ab obliuione hominum eorum nomina, qui optimè de ipſa Societate, atque adeo de vniuerſa Republica meriti ſunt, & CHRISTI Domini Noſtri Nomen ſuis laboribus amplificarunt. Quod ſi è viuis, quis iam exceſſit, aliquid fortaſſe de illius virtutibus dicam, ſed modeſtè tamen ac parcè, ne noſtra nimium laudare videamur. De viuentibus adhuc tacebo: *Ne laudaueris*, inquit Sapiens, *hominem in vita ſua*. Ad illos porrò Scriptores, qui cogitationes ſuas litteris mandarunt, atque euulgarunt nonnullos adieci, ingenio atque eruditione præſtantes viros, quorum labores nondum lucem aſpexerunt, non omnes tamen, quos iure potuiſſem (ſunt enim permulti) ſed ex magno numero paucos excerpſi, atque in Catalogum conieci, qui propter eximia Doctrinæ & præclara ingenij monumenta, quæ nobis reliquerunt, perpetua commendatione digni ſunt. Nam illorum ſcripta tametſi edita adhuc non ſint, aliquando tamen fortaſſe exibunt, vt & ipſis Auctoribus induſtriæ laus, & alijs legendi fructus conſtet. Et quoniam SOCIETAS noſtra latiſſimè patet & vniuerſum pene orbem Terrarum complexa eſt, fieri facilè poterit, vt aliquis me Scriptor ex noſtris fugiat,

Eccl. 11.2. & 30.

giat, & non ſolùm libri, ſed & Librorum Auctores mihi ignoti ſint, præſertim tenues atque exiles, quique monita quædam tantummodo ſcripſerunt. Nam tametſi nonnullos ego quidem recenſeo, qui perpauca aut etiam in ſpeciem exigua vuulgarunt, id tamen facio tum nequemquam ſuæ induſtriæ ac laboris laude fraudem, tum verò ac maximè propter Scriptoris dignitatem; & quoniam quæ minima prima fronte videntur, vtilitate ſi bene introſpiciantur ſunt maxima. Neque enim res tam numero & magnitudine, quàm pretio & pondere æſtimandæ ſunt. Hoc eſt amice Lector meum de Scriptoribus SOCIETATIS ſcribendi conſilium, hæc cauſa, hæc ratio quam tu pro tua benignitate bonam in partem accipias. Vale noſque ama & noſtrorum laboribus fruere. Madriti 1605. Cal. Nouembris.

PRAEFATIO
P. PHILIPPI ALEGAMBE.

PRIMVS Auctor Catalogi Scriptorum Societatis IESV fuit P. Petrus Ribadeneira qui eum anno 1602. pauculis folijs complexus poſtea locupletatum à ſe & in libri formam redactum anno 1608. typis Plantinianis vulgauit; qui cum Noſtris hominibus apprime gratus accidiſſet non ſolum propterea quod lucubrationes noſtrorum Scriptorum recenſeret, vnde conſtaret de Societatis Doctrina, verum etiam quod illorum vitæ ac virtutum breuiarium adferret, vnde de ſanctimonia conſtaret. Recuſus primum eſt Lugduni anno 1609. additis correctiſque nonnullis, quæ de Scriptoribus Gallicanis Petro Ribadeneiræ minus fuerant explorata.

Mox paucos poſt annos, cum P. Iulius Nigronius obſeruaſſet alia pluſcula, quæ ſecundas curas exigerent, præſertim quæ ſpectabant ad Scriptores Italos, operâ P. Andreæ Schotti Catalogus Antuerpiæ cum inſigni auctario typis rurſum Plantinianis anno 1613. vulgatus eſt.

Cum autem vidiſſem & numero & excellentia plurimum creuiſſe Scriptores noſtros, expetique à plurimis nouum Catalogum, qui repræſentaret omnes, nouos ſimul atque antiquos, operæ pretium me facturum exiſtimaui ſi in eum laborem ſubſeciuis horis incumberem, & Societati noſtræ offerrem anno ſuo ſeculari hunc fructum ſuum; in quo opere dirigendo conatus ſum P. Petri Ribadeneiræ veſtigijs, quam proximè poſſem inhærere, & quæ ipſe plenè executus eſt religioſe ſeruare; additis duntaxat ijs, quæ vel ipſum prætererierant, vel quæ ideo non

potuit exequi quia viuentium debuit modeſtiæ parcere. Quæ igitur ego præſtiti hæc fere ſunt.

Addidi pleriſque locum, annum, formam impreſſionis.

Auctorum qui poſt priores illos Catalogos obierunt, elogia adieci & priorum nonnunquam locupletaui.

Ingentem nouorum Scriptorum numerum adduxi.

Viuos vel admodum parce, vel omnino non laudaui; & ſi quid alicui commendationis aſperſi, id non niſi aliorum verbis iam typis in vulgus editis præſtiti.

Multos recenſui qui pauca quædam ediderunt in lucem, vnam V.G. duas, treſue orationes, vel quid ſimile. Sed id à me factum eſt tum Ribadeneiræ exemplo, tum auctoritate Scriptorum externorum, qui ſuis in Catalogis eos referunt, tum ne quid huic Catalogo deeſſet, quoad ego quidem aſſequi poſſem, quod ab vllo poſſet deſiderari, & conſtaret omnibus Societatem nullum iuuandi mortales modum aſpernari, cum per minutiſſima quædam opuſcula id etiam moliatur, nec ſine grandi perſæpe emolumento. Et cur ego reijcerem à Catalogo Societatis eos qui Societatis ipſius nomen in ſuarum fronte lucubratiuncularum præferebant? Sed præterea multos horum adduxi, & nonnullos etiam eorum quorum opera nondum exierunt in lucem, quia præclara ipſorum virtus, vel vnius obtentu ſcriptiunculæ locum ſibi merito depoſcebat.

In aliquorum rebus geſtis narrandis liberalius excurri, ſed nec ſine Ribadeneiræ exemplo. Et permouit me deſiderium noſtrorum cognoſcendi viros Illuſtres Societatis, quorum notitia in Hiſtoria, vel Annalibus ad noſtram aliàs ætatem haudquaquam pertinebit. Nec ea qualis qualis demum prolixitas turbabit Lectorem in ſcriptis noſtrorum cognoſcendis, quam in rebus geſtis curioſiorem, cum diſtinctio characteris hæc ſeorſim ab illis repræſentet, vt facile præteriri queant ſi quis ea noluerit.

Nonnullos recenſui qui poſtquam in Societate ſuas lucubrationes emiſerunt, non tenuerunt in illa conſtantiam. Haud dubie debent Societati accepta referri, quæ ab illis prodierunt, præferuntque nomen Societatis, nam quæ vulgarunt poſtquam à nobis abierunt, quamquam & illa ſint apud nos nata, alijs recenſenda prætermiſi.

Denique Indices appoſui accommodos, Nominum, Cognominum, Nationum, Materiarum, vt quæ quiſque voluerit reperire facile poſſit. Atque hæc de Scriptoribus.

Attexui ſubinde alterum Catalogum, ſecutus Ribadeneiram, eorum qui violenta morte pro fide, Chriſtianaue pietate occubuerunt.

Addidit Petrus Ribadeneira Catalogo ſuo nonnullos Scriptores, qui lucubrationes ſuas nequaquam vulgarũt; vel quia Argumenti quod tractarant nouitas atq; excellentia, vel quia ipſorummet auctoritas & do-

ctrinæ præſtantia aut vitæ integritas merebatur commendationem, ij fuere omnino, quod notarim vndeuiginti. Ego exemplum ſecutus eaſdem ob cauſas ad viginti alios adieci, & totidem fere alios, qui ſcripta ſua, vel ſub prælo iam, vel prælo proxima habent, & aliqui fortaſſe ante abſolutum hunc Catalogum in lucem ediderint. Illos qui noluerit in cenſum Scriptorum noſtrorum venire, poterit arbitratu ſuo quadragenos de toto numero detrahere, ne ineditis eum exaggerari putet.

ADMONITIO APPOSITA AB EODEM P. ALEGAMBE.

CVM Sacra Rituum Congregatio humiliter rogata renuiſſet facultatem concedere huius Catalogi edendi ob reuerentiam Decreti à S.D.N. Vrbano VIII. in Sacra Congregatione S. R. & Vniuerſalis Inquiſitionis editi, Illuſtriſſimus & Reuerendiſſimus D. Cincius eiuſdem Sacræ Congregationis Rituum Secretarius repulſam hanc eiuſque iuſtiſſimam cauſam retulit ad S.D.N. vt quid placeret Indulgentiæ fieri S. Sanctitas dignaretur explicare. Iuſſit autem Sanctiſſimus Catalogum eundem diligenter ab eodem D. Cincio & ab Illuſtriſſimis ac Reuerendiſſimis Dominis, D. Franciſco Albizio S. Inquiſitionis Aſſeſſore & D. Iulio Roſpiglioſio S.D.N. Secretario Breuium examinari & congregatione ſuper eo habita ſententiam eius ad ſe referri.

Examinatus igitur ab illis eſt Catalogus perdiligenter totis octo menſibus & die tandem 24. Auguſti 1640. in Monte Quirinali in ædibus Reuerendiſſimi & Illuſtriſſimi D. Roſpiglioſij horis antemeridianis inſtituta Congregatio. Viſum autem eſt Illuſtriſſimis & Reuerendiſſimis Dominis poſſe Catalogi impreſſionem permitti, dum tamen eius principio præfigatur proteſtatio ex formula ab ſe concepta, quod Auctor ſuo Chirographo confirmatam & à Notario S. Congregationis Rituum legitime agnitam deponat ſeruandam in Archiuio eiuſdem S. Congregationis ad futuram rei actæ memoriam.

Hanc Congregationis ſententiam cum Illuſtriſſimus Dominus Cincius die 26. Auguſti Anni eiuſdem ad S.D.N. retuliſſet ita eam probauit Sanctiſſimus, vt adderet placere ſibi Catalogi impreſſionem permitti, verum alteram proteſtationem in initio, alteram in fine totius operis poni ex forma præſcribenda, quæ ſummatim ſententiam Decreti Sanctæ Inquiſitionis eiuſque Declarationis contineat.

Hoc accepto S.D.N. benigniſſimo reſponſo, præſcriptam ab iiſdem Illuſtriſſimis & Reuerendiſſimis DD. Cincio, Albizio & Roſpiglioſio vtriuſque proteſtationis formulam mea manu coram Valentino S. Congregationis Rituum Notario ſignaui atque Illuſtriſſimo D. Cincio inferendam in Archiuium eiuſdem S. Congregationis reliqui. Earum alteram, vt S.D.N. mandato obtemperarem hic præmitto alteram in fine Operis ſubiungo.

Digitized by Google

PROTESTATIO P. ALEGAMBE.

CVM S.D.N. Vrbanus Papa VIII. die 13. Martij anno 1625. Decretum ediderit idemque confirmarit die 5. Iulij Anno 1634. quo *inhibuit imprimi Libros hominum qui ſanctitatis ſeu Martyrij fama celebres è vita migrauerint, geſta, miracula, vel reuelationes ſeu quæcumque beneficia tamquam eorum interceſſionibus à Deo accepta continentes, ſine recognitione atque approbatione Ordinarij, & quæ hactenus ſine ea impreſſa ſunt nullo modo vult cenſeri approbata.* Idem autem Sanctiſſimus die 5. Iunij anno 1631. ita explicuerit, vt nimirum *non admittantur elogia Sancti vel Beati abſolute, & quæ cadunt ſuper perſonam, bene tamen ea, quæ cadunt ſuper mores, & opinionem cum proteſtatione in principio, quod ijs nulla adſit auctoritas ab Eccleſia Romana, ſed fides tantùm ſit penes Auctorem.* Huic Decreto eiuſque confirmationi & declarationi, obſeruantia, ac reuerentia qua par eſt inſiſtendo, profiteor me haud alio ſenſu quidquid in hoc Catalogo refero accipere & accipi ab vllo velle, quam quo ea ſolent, quæ humana dumtaxat auctoritate, non autem Diuina Catholicæ Romanæ Eccleſiæ aut Sanctæ Sedis Apoſtolicæ nituntur, ijs tantummodo exceptis, quos eadem S. Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adſcripſit.

OBSERVATIO CIRCA ADMONITIONEM PRÆDICTAM.

ADVERTE Lector, inter eos qui iuſſu Vrbani VIII. Pont. Max. Bibliothecam hanc examinarunt, & ſuis calculis approbarunt, vnum fuiſſe Illuſtriſſimum D. Iulium Roſpigliosium, poſtea S.R.E. Cardinalem, & demum Pontificem Maximum, CLEMENTEM IX. Alterum extitiſſe Illuſtriſſimum D. Franciſcum Albizium, S. Inquiſitionis tunc Aſſeſſorem, nunc ob inſignia merita in Eccleſiam Dei, S.R.E. Cardinalem, & ob eminentem Doctrinam, ſapientiam, experientiam, & zelum in extirpandis præſertim hæreſibus Ianſenij, ipſum quoque maioribus adhuc honoribus dignum; vt videas quales & quàm eximios habuerit tunc hæc Bibliotheca examinatores, & approbatores.

PRÆ-

PRÆFATIO AVCTORIS TERTIÆ EDITIONIS.

HABES hic Benigne Lector opus plurium manibus & diuerſis temporibus contextum: & quoniam duo Primi illius Auctores P. Petrus Ribadeneira, & P. Philippus Alegambe præfati ſunt in ipſo limine, exponendo conſilium ſuæ ſcriptionis. Conuenit, vt ego quoque (qui illorum veſtigijs inſiſtere debeo) paucis ſignificem, quod in hac tertia editione Operis, præſtiterim.

Et primo quidem, conſcius ſatis tenuitatis mearum virium, non cogitaueram ſpartam hanc in me ſuſcipere; ſed placuit Superioribus (quos Dei loco habeo) hanc mihi prouinciam imponere, nec licuit defugere. Quare humeros obedienter ſuppoſui, fretus Deo, qui infirmos accingit robore.

Permulta collegerat P. Philippus Alegambe per nouennium quo vixit poſt editionem ſuæ Bibliothecæ, vel addenda vel corrigenda in noua impreſſione quam meditabatur; nam dies diei eructat verbum; & multa tempore deteguntur, quæ principiò Scriptores quamuis accuratiſſimos latuerunt; Verùm morte præuentus reliquit ea in aduerſarijs, quæ inde collecta ſuis locis interſcripſi. Prætérea tempus ingreſſus ſingulorum in Societatem, vel etiam obitus, vbi ille omiſit, quoad licuit, conatus ſum apponere; vt appareat quamdiu quiſque in Religione portauerit iugum Domini.

Nouos Scriptores quos adiunxi ſignaui in margine aſteriſco; & quoniam ex illorum acceſſione, neceſſe erit augeri multum operis huius ſpiſſitudinem, ad hanc aliquo modo diminuendam actum deliberatumque eſt de omittendis in hac editione ijs, qui licet à P. Alegambio recenſiti ſint, tamen aut nihil Typis morte præoccupati vulgarunt, aut non niſi quid modicum, V. G. vnam vel alteram orationem, Concionem, Poëma breue; aut quia libellum aliquem ex vna lingua in aliam tranſtulerunt, vel quid his conſimile prælo commiſiſſent. Et quidem in illorum omiſſionem propendebat, R. P. N. Generalis cum PP. Aſſiſtentibus. Verùm cum animaduerſum eſſet, Scriptores recentiores exteros, qui poſt P. Alegambium ſuas lucubrationes typis ſubieciſſent de Viris Illuſtribus ſuæ Nationis, vel horum temporum, paſſim mentionem facere de Noſtris etiam qui modica ſcripſerunt & circa eos, Lectorem remittere ad Alegambium, viſum eſt iam poſitos ab illo, relinquere ſuo in loco, ſed in poſterum ſimiles non eſſe adijciendos, ne nimium excreſcat moles operis, adeòque à multis modò, qui exilia tantummodo typis euulgarunt, deliberatè mihi abſtinendum fuit. Simili ex cauſa ſtudendum quoque mihi breuitati fuit, in Elogijs; prætermiſſis multis quæ ad commendationem, Vitæ Religioſæ Scriptorum, enarrari potuiſſent, niſi forte aut Dignitas munerum,

nerum, quibus functi ſunt, aut præcellentia rerum geſtarum, aliud ſubinde exigere videantur.

Nonnullos Libros à P. Alegambio iam inſertos Bibliothecæ, quia offendiculo aliquibus fuerunt, pacis ac Caritatis cum omnibus conſeruandæ ſtudio, in hac editione prætermiſi, ne ſcilicet reuiuiſcant controuerſiæ illorum cauſa, aliàs inter Catholicos exortæ.

Addubitatum etiam fuit an retinendi vel addendi eſſent pauculi Societatis Libri, in hoc Volumine, cenſoria virga notati, à S. Congregatione Indicis, vel à S. Inquiſitione, ne Societas ſuo illos calculo, quouis modo nunc approbare videatur. Verùm cùm S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, recenſeat complures damnatos Auctores etiam ob hæreſim, vt Tertullianum, Origenem, Tatianum, Nouatianum & alios; & hunc ſecuti Sixtus Senenſis in Bibliotheca ſancta, Antonius Senenſis in Bibliotheca PP. Prædicatorum; Lucas Vvadingus de Scriptoribus Ordinis Minorum, & Cardinalis Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſticis, varios enumerent Auctores Doctos, cæteroquin, atque etiam Epiſcopos Catholicos, quorum tamen Opera aliqua in Indice Concilij Tridentini, vel in Romanis Indicibus ſunt proſcripta, horum veſtigijs, nos quoque cenſuimus inſiſtendum, apponendo eiuſcemodi Libros & Hiſtoricè enarrando quid geſtum ſit, nullo autem modo eos approbando; nam ad fidem narrationis Hiſtoricæ (qualis eſt hoc opus) pertinere videtur, non ſolum bona ſed & mala, ad idem argumentum ſpectantia, fideliter referre.

In Indicibus conficiendis ſecutus ſum ſeriem & varietatem à Ribadeneira, & Alegambio inſtitutas, & vnum adieci de exemplis illuſtrioribus virtutum in hoc opere recenſitis; Verùm Catalogum interemptorum in odium fidei, ab Hæreticis vel Infidelibus, non attexui, quia poſt editionem poſtremam Bibliothecæ illorum Geſta, & mortes illuſtres, ab eodem Alegambio & Noſtro Ioanne Nadaſi, accuratè deſcripta prodierunt, magno volumine, vt propterea ſuperuacaneum videatur hìc ea repetere per Epitomen.

Denique Proteſtationem à P. Philippo Alegambio ſuperiùs poſitam, ex mandato S. D. N. Vrbani VIII. etiam quo ad omnia, quæ in hac editione, à me adiecta ſunt intelligi volo, ita vt profitear non alio ſenſu ea accipi debere, quàm quæ humana duntaxat auctoritate nituntur, ideoque eam hic quoque verbatim (quoad opus eſt) me repetere declaro. Et ſimilem quoque in fine totius Operis apponam.

IOAN-

IOANNES PAVLVS OLIVA PRAEPOSITVS GENERALIS SOCIETATIS IESV.

CVM Bibliothecam Scriptorum Societatis Ieſu compoſitam multis abhinc annis à Patribus Petro Ribadeneira, & Philippo Alegambe, & nuper recognitam à P. Nathanaële Sotuello Societatis eiuſdem, & multorum Scriptorum acceſſione auctam, aliquot eiuſdem Societatis noſtræ Theologi reuiderint, & in lucem edi poſſe probauerint, poteſtatem facimus, vt typis mandetur, ſi ijs ad quos pertinet, ita videbitur. Dat. Romæ 15. Iunij 1676.

Ioannes Paulus Oliua.

Iterum Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſs. Pat. Magiſt. Sac. Pal. Apoſtol.

Iterum Imprimatur,

Fr. Raymundus Capiſuccus Ordinis Prædic. Sac. Pal. Apoſtol. Magiſt.

LÆVI-

LAEVINI TORRENTII
EPISCOPI ANTVERPIENSIS
O D A
AD SOCIETATEM IESV.

O Grata cęlo Sancta Sodalitas
Rex Regum IESVS nomine quam ſuo
Illuſtrat exornatque toto
Vt celebri memoreris orbe.
Non orbe dico quem veteres Aui
Norunt minorem dimidio male
Truncatum & anguſtis coactum
Limitibus, nec adhuc retectum.
Quod vſtus illic ſolibus, hic niue
Negaret aptas hoſpitibus Domos
Nec torridam fas eſſet vlli
(Sic perhibent) ſuperare Zonam.
Sed orbe toto prorſus & integro
Quem belluoſo dum volitant mari
Vtroque porrectum ſub aſce-
Magnanimi reperere Iberi.
Quorum ſecuti turgida lintea,
Pura ſed omni mente cupidine,
Pulchro nec argento nec auro
Nec nitidis inhiante gemmis.
Armis vt illi ſceptra potentium
Fregere Regum, fluminaque, & lacus
Portuſque vicinaſque gentes
Indomito ſubiere ferro.
Sic vos inermes, impauidi tamen
Caſta inferentes indigenis ſacra,
Hac impios cultus & omnem
Barbariem pepuliſtis arte.
Qui namque vera luce carentibus,
Fas eſſe notum vel potuit nefas?
Turpi volutabantur antro
Cimmerijs medij tenebris.
Clauſis retenta ceu Caueis feræ,
Edenda ſi quæ ad munera publica
Seruantur, vt damnata fulua
Corpora dilacerent arena.
Quo deprehenſos tam miſero in ſtatu
Vt mente bruta non minus impia
Committerent, quàm ſæuus olim
Antiphates, genus aut Cyclopum,
Sanaſtis: at non cantibus Orphei
Linique, nec qui mœnia condidit
Thebana facundique voce
Mercurij, fidibuſque Phœbi:
Fida ſed alma vi ſapientiæ,
Quæ miſſa ab alto vicit vt hactenus
Sic vincet æternoque tandem
Omnia ſubijciet Parenti.
Qui vos miniſtros quod ſibi legerit,
Res geſta clamat, clamat & exitus
Spe maior, adductis opimo
Tam cito tot populis triumpho.
Quos ante necdum nomine cognitos,
Portare Chriſti nunc dociles Iugum
Miramur, ingenti remixta
Lætitia ſimul & ſtupore.
Sed quid volenti non facile eſt Deo,
Deique verbo, Virgineo ſatum
Quod ventre prognatumque noſtri
Credimus ad generis ſalutem?
Hic ille IESVS progenies Patri
Æquaua, cælo quod fuerat manens,
Humana ſed de matre ſumpſit
Membra, viam reſerans Olympo.
Hic ille cuius nomen amabile
Vt veſtra complet pectora, ſic ſacro
Prorumpit exundans ab ore
Aſſidua coliturque laude.
Nec parua laudi gratia; nam pijs
Aſpirat Orſis Omnipotens Deus,
Firmatque quas res cumque Nati
Auſpicio geritis ſecundo.
Nec de receptis gloria Barbaris
Eſt maior illa quam domiti dabunt
Caluique Luterique & omnis
Colluuies ſimul impiorum.
Fremant ſuperbi, nec teneant minas,
Bellumque, cædeſque, & rabiem parent,
Cauſamque quam ius damnat æquum,
Vi vetitis tueantur armis.
Vos iſta prudens ſimplicitas, bene
Morata, ſeſe nec leuis efferens,
Defendet inſontes, at ipſe
Se rabidus male perdet hoſtis.
Qui quo cruentus ſæuierit magis
Plus inde damni comperiet, videns
Viciſſe, quos victos putarat
Et cineri ſupereſſe vires.

Decem

Decem primorum Societatis Patrum Nomina, Cognomina, Nationes, Diœceſes, Ordo Vocationis, Dies Menſis, Annus, Locus, & Ætas, qua quiſque obijt.

VOCATIONIS ORDO	NOMEN	COGNOMEN	NATIO	DIOECESIS	ORDO OBITVS	LOCVS	DIES MENSIS	ANNVS	ÆTAS	
I.	S. P. Ignatius	Loyola	Cantaber	Pampilon.	5.	Romæ	31. Iulij	1556.	65.	
II.	P. Petrus	Faber	Allobrox	Gebennen.	2.	Romæ	1. Auguſti	1546.	40.	*
III.	S.P. Franciſcus	Xauier	Nauarræus	Pampilon.	4.	In Sanciano: Inſ.	2. Decemb.	1552.	55.	*
IV.	P. Iacobus	Lainez	Hiſpanus	Seguntin.	7.	Romæ	19. Ianuarij	1565.	53.	*
V.	P. Alphonſus	Salmeron	Hiſpanus	Toletan.	9.	Neapoli	13. Februarij	1585.	69.	
VI.	P. Simon	Rodericus	Luſitanus	Viſenſis	8.	Olyſſipone	15. Iulij	1579.		
VII.	P. Nicolaus	Bobadilla	Hiſpanus	Palentin.	10.	Laureti	23. Septemb.	1590.	79.	
VIII.	P. Claudius	Iaius	Allobrox	Gebennen.	3.	Viennæ Auſt.	6. Auguſti	1552.		
IX.	P. Ioannes	Codurius	Gallus	Ebredun.	1.	Romæ	29. Auguſti	1541.	33.	
X.	P. Paſchaſius	Broëtius	Gallus	Ambianen.	6.	Lutetiæ	14. Septemb.	1562.	55.	

Iniere primùm Societatem Pariſijs anno 1534. ſeptem priores, ad quos acceſſerunt tres poſteriores anno 1535. Ribadeneira lib. 2. cap. 4. & Ioannes Petrus Maffæus lib. 1. cap. 21. Vitæ S. P. Ignatij.

INDEX NOMINVM, ET COGNOMINVM SCRIPTORVM SOCIETATIS.

Aſteriſco notati in hac editione ſunt adiecti.

SANCTVS P. IGNATIVS DE LOYOLA SOCIETATIS IESV PARENS.

A

Achilles Gagliardus.
Adalbertus Tilkouski. *
Adamus Aigenler. *
Adamus Burghaber. *
Adamus Contzen.
Adamus Leurin. *
Adamus Schirmbeck. *
Adamus Tannerus.
Adamus Vvidel. *
Adrianus Adriani.
Adrianus de Boulogne.
Adrianus Brunus.
Adrianus Cools.
Adrianus Cromurius.
Adrianus Crucius.
Adrianus Iordanus. *
Adrianus Iungius.
Adrianus Van Lyere.
Adrianus Mangotius.
Adrianus Roirtres.
Adrianus Radziminski.
Adrianus Van Vvitte.

Aegidius
- Bauarius.
- Bucherius.
- Carlier. *
- de Coninck.
- Eſtrix. *
- Franciſcus de Cottignies. *
- Gerardi. *
- Gonzales de Auila.
- la Carry. *
- du Monin.
- à S. Aldegunde.
- Schondonchus.
- de Smidt.

Aemilius de Cardenas. *
Alanus de la Bouchere.
Alardus le Roy.
Albertus de Albertis.

Albertus
- Chanouski. *
- Croiſſant.
- Curtius.
- Ines. *

Albertus
- Kuuiatkovvski. *
- Moronus.
- Mura.
- Pigliovvski.
- Rozeſzeuski.
- Theobolcius.
- Vviuk Koialovvicz. *

Alexander
- de Angelis.
- Briantus.
- Caprara.
- Comulens.
- Donatus.
- Faya.
- Fichetus.
- Georgius.
- Gherardinus.
- Gottifredus.
- Lorenzovvic. *
- Macchus.
- Pellegrinus.
- Regourdus.
- Rhodes. *
- Simoneta. *
- Valignanus.
- Vrſinus Cardinalis.
- Vvilhelmius. *

Aloyſius
- Albritius.
- Carnolius. *
- Dulcebenius.
- Gomez.
- B. Gonzaga.
- Iuglares.
- Lanuzza. *
- Odiſcalcus.
- Richardus. *
- Siderius.
- Spinula.
- Tana. *

Alphonſus
- Agazzarius.
- de Andrada.

Alphonſus
- Antonius de Saraſa. *
- de Aragona.
- Auila.
- Barzena.
- del Caño. *
- de Caſtro.

Ci-

Alphonſus
- Cignardus. *
- Deza.
- Ezquerra.
- de Flores.
- Gaëtanus.
- Garzia.
- Gaianottus.
- Lopez. *
- Mendez.
- Montoya.
- de Oualle. *
- de Pennafiel.
- Piſanus.
- Rodriguez.
- Rodriguez alter.
- Salmeron.
- Sancius.
- Sandoual.
- Vagnonius.

Aluarus
- Arias de Armento.
- Lupus.
- Semedus.

Amabilis Bonnefons. *

Amator Rebellus. *

Ambroſius
- Corbæus. *
- Pennaloſa.
- de Somonte. *
- Vvelcherus.

Andochius Morel. *

Andreas
- Aegidianus.
- Arzet.
- Arienza.
- Baiole. *
- Blanche.
- de Boye.
- Brunner.
- Caſtillon. *
- Cobauius, vide Kobauius.
- Denys.
- Eudæmon Ioannes.
- Fruſius.
- Gerard. *
- Gerunda. *
- Gomez. *
- Gualdanius.
- Kanon. *
- Kobauius.
- Lucas de Arcones.
- Luyſius.
- Mendo. *
- Metſch.
- Mlodzianovvski. *
- Modeſtinus.
- Moraguez.
- Ouiedus.
- Perez de Ribas.
- Perziuales. *
- Peuernage.
- Pintus Ramirez.
- Rentius.
- Roſenvvald.
- Rudomina. *
- Scottus.
- Semery. *
- Stibigk. *
- Tacquet. *
- Triquetius.
- de Valentia. *
- Valladerius.
- Vermadius.
- Vitus.
- Vvagner.
- Zergoll.
- Zienevvicz. *

Anellus Oliua.

Angelinus Gazæus.

Angelus Gallucius.

Annibal
- Adami. *
- Canalis.
- Codretus.
- Firmanus.
- Gelliot.

Antonius
- Almeida.
- Aluarez Ferreira. *
- Andrada.
- de Arana.
- de Arauio. *
- D'Aueroult.
- de Ayala.
- de Balinghem.
- Barnabòs.
- Baſſolius.
- Beatillus.
- Bernardus de Quiros. *
- Blanchettus. *
- Bouchier.
- Braëm. *
- Caruallius.
- Caſilius.
- Cauaignac.
- la Cauchiè.
- Chanut.
- Ciuorè. *
- Colazus.
- Cordeſes.
- de la Croix.
- Damiani. *
- Deslions.
- de Eſcobar, & Mendoza.
- Fernandez.
- Fernandez de Corduba. **
- Fernandius.
- Folcarius.
- Fons.
- Franciſcus Cardim. *
- le Gaudier.
- Girard. *
- de Gouuea. *
- de Herrera.
- Hoskinus.
- Ignatius Deſcamps. *
- Iordinus.
- Iulius Brignole. *
- la Louuera. *

Antonius
- L'Amour.
- Laubegeois.
- Lauedan. *
- Leite. *
- de Macedo. *
- Maria Parentucellus.
- Marſilius.
- Meerhouts. *
- Michaelis. *
- Millieus.
- Montgaillardus.
- de Monreal.
- de Moraes.
- Nunnius à Miranda. *
- Oſorius. *
- Pacotus.
- de Padela.
- Parent. *
- Perez. *
- Poſſeuinus.
- Preuoſtel.
- de Quintana dueñas.
- de Rincon.
- Rubius.
- Ruiz de Montoya.
- de Saldagna. *
- Saluador.
- Sanctarellus.
- Sirmondus. *
- de Souſa.
- Stratius.
- Sucquet.
- da Sylua. *
- Tarlatinus. *
- Terillus. *
- Torres.
- Valentinus.
- Vandenſtock. *
- Van Torre. *
- Vaſconcellos.
- Vatier. *
- Velleſius.
- Verius. *
- Vieyra. *
- Viguier.
- Viuianus.

Antuerpienſis Domus Profeſſa.

Aquiſgranenſe Collegium.

Archangelus Belbonus.

Arias
- Brandanus.
- Sanchez.

Arnaldus Boyræus.

Arnoldus
- Angelus. *
- Boecop.
- Cathius.
- Saphorius.

Athanaſius Kircherus.

Auguſtanum Collegium.

Auguſtinus
- Bernal.
- Canus.
- de Caſtro.
- de Herrera. *
- de Herrera alter. *
- Iuſtinianus.
- Mazzinus.
- Oldoinus. *
- de Quiros.
- Spinous. *
- Van Teyligern.
- Vaſquez. *
- Viualdus.

B

Badenſis Reſidentia.

Balduinus
- Cabiliauus.
- Vvillot.

Balthaſar
- Aluarez.
- Aluarez alter.
- de Bus. *
- Chauaſſius.
- Conradus.
- Cordeſius.
- da Coſta.
- Enzelius.
- Gagus.
- Gratianus.
- Hagelius.
- Hagerus.
- Kitznerus.
- Lopez. *
- Nimitſch.
- Oſthouinus.
- Tellez.

Bandinus Guelfreducius.

Baptiſta Fragoſus.

Barnabas
- de Cobo.
- Kearnæus.

Bartholomæus
- Amicus.
- Brauus.
- Caſſius.
- Chriſtelius. *
- de Eſcobar.
- Fiſen.
- Guerrerus.
- Iaquinotius.
- Mocantus.
- Paprocki.
- Pereyra.
- Petraccius.
- Riccius.
- Rogatus.
- Vimont.

Baſilius Fidus.

Benedictus
- Boñefoy. *
- Fernandius.
- de Goes. *
- Herbeſtus
- Iuſtinianus.
- Palmius.
- Paulus Boym. *

Pe-

Benedictus
- Freyra.
- Freyra alter.
- Siqueira. *
- Soto. *

Benignus Kiler. *

Bernardinus
- Caſtorius.
- Ginnarus.
- de Llanos. *
- Mazziotta. *
- Moncreul.
- Realinus.
- Roſignolius.
- Salinus.
- Semperuiuus.
- Stephonius.
- Vgolinus. *
- de Villegas.
- Zanonius.

Bernardus
- de Alderete. *
- Bauhuſius.
- Cæſius.
- Colnagus. *
- Dangles. *
- Galtier.
- Lopez. *
- Meynier. *
- Neuhauſer. *

Bituicenſe Collegium. *

Blaſius
- Plozzinius.
- Vayilo.
- Viegas.

Bohuslaus Bolbinus. *
Bonifacius Conſtantinus. *
Braidenſis Academia.
Bransbergenſe Collegium.
Brugenſe Collegium.
Bruxellenſe Collegium.

C

CAeſar Aluccius.
Cæſaraugnſtanum Collegium.

Cæſar
- Franciſcus de Harancourt
- Iſnardus.
- Laurentius.
- Macrinus. *

Camillus
- Conſtantius.
- Rodengus. *

Candidus Miari.

Carolus
- Antonius Theſaurus.
- Bouius. *
- Le Breton. *
- Caſalicchius. *
- de la Croix.
- Franciſcus de Luca.
- Goſuinus.
- de Grobendoncque. *
- Guyet.
- Van, Houecque.
- à Kreitz. *
- Lallemant. *
- Libertinus. *
- Malapertius.
- Moneta.
- Muſart.
- Paiot. *
- Papinus.
- Paulinus. *
- Regius.
- de la Rue. *
- Sagerius.
- Saluiatus.
- Scribanus.
- Torniellus.
- Vverpæius.
- Zambertus.

Caſimirus Vvyuck Koialovvicz. *
Caſparus, vide in Gaſpar.

Chriſtianus
- Bauman.
- Haluerius.
- Mayer.
- de Placker. *

Chriſtophorus
- de Acuna.
- Borrus.
- Brouerus.
- de Cabrera.
- Caſtrus.
- Clauius.
- de Contreras.
- Ferreira.
- Garzia Yanez.
- Gillius.
- Griembergerus.
- Haunoldus. *
- Hotzleitnerus.
- le Iuge. *
- Kiſſempfenning. *
- Madridius.
- Mayer.
- Merigot.
- Mihr. *
- de Ortega. *
- Ott. *
- Pflaumer.
- de Roſembuſch.
- à Sacroboſco.
- Scheiner.
- Schorrer. *
- Steborius. *
- Stepheſius.
- Todtfeller. *
- de Vega. *
- Vratislauus. *
- Ximenes.

Claromontanum Collegium.

Claudius
- d'Allard.
- Aquauiua.
- Bilancettus.
- Bourcier.
- la Broue. *
- de Buſſey. *
- Clemens.
- Dauſqueius.

De-

Claudius:
- Decret. *
- Franciſcus de Chales. *
- Franciſcus Meneſtrier. *
- Iaius.
- de Lidel. *
- de Lingendes. *
- Maillard. *
- Maltretus. *
- Perrius. *
- Philippus Taonus.
- Richardus.
- Suffrenus.
- Texier. *
- Typhanus.
- Valdory.

Colonienſe Collegium.
Conimbricenſe Collegium.

Conradus:
- Confalonerius. *
- Vetter.

Conſaluus Rodericius, vide Gonſaluus.
Conſtantinus Syrvvid.
Conſtantius Pulcherellus.

Cornelius:
- Cornelij à Lapide.
- Crocus.
- Hazart. *
- Perduccius.

Coſmas:
- Magallianus.
- Salhauſer.

Coſmus:
- Alemannus.
- Turrianus.

Cracouienſe Collegium.
Crumlouienſe Collegium.
Cyprianus Suarez.

D

Daniel Bartolus. *
Daniel Papebrochius. *
Daniel Paulovvski. *
Darius Tamburellus.

Didacus:
- de Alarcon.
- Aloyſius Sanuitores. *
- Aluarez.
- Autunez.
- de Areda. *
- de Areda alter. *
- de Auellaneda.
- de Auendaño.
- de Baeza.
- de Beroa.
- de Celada.
- Daza.
- Faiardus.
- Filippazzius. *
- de la Fuente Hurtado.
- Garcias Rengifo.
- Gonzales Holguinus.
- Lopez de Meſſa.
- Lopez. *
- Martinus.
- Monterus.
- de Pantoia.
- Ramirez.
- Ribeiro.
- Roſa. *
- Ruiz de Montoya.
- Salazarius Maranc. *
- de Samaniego.
- de Torres Bollus.
- de Torres Rubius.

Dilinganum Collegium.

Dionyſius:
- Auger. *
- Guillen.
- Petauius.
- Vaſquez.

Dominicus:
- Arganantius.
- Bouhours. *
- Gambertus. *
- Lopez.
- Menginus.

Domitius Platus.
Dorotheus Louffius. *
Duacenſe Collegium.
Duſſeldorpienſe Collegium.

E

Eborenſis Academia.

Edmundus:
- Augerius.
- Campianus.
- Haius.
- Neuillus. *

Eduardus:
- Burtonus.
- Coffinus.
- Courtnæus. *
- Dauſonus.
- Haruæus. *
- Knottus.
- Sandius.
- de Sylua.
- Vvorslæus. *

Egolphus Altheer. *

Elias:
- Dovvnarouicz.
- Graff.

Elzearius d'Oraiſon.

Emanuel:
- Acoſta.
- Almeida.
- Aluarez.
- Barretus.
- Corderus.
- Diaz.
- Diaz alter.
- Diaz alius. *
- de Goez. *
- Lobo. *
- Martins. *
- Maſcarenhas. *
- Monteyrus. *
- de Naxera. *
- Ortigas.
- Pardus.

Pimen-

Emanuel { Pimenta. / Pinerus. / Sà. / Theſaurus. / de Vargas. / de Vega. / de Vega alter. / de Vega alius.
Emericus Kis. *
Emerius de Bonis.
Emeranus Vuelſer.
Engelbertus { d'Hoſlanderus. / Euuich.
Eraſmus Marotta.
Ernricus Pirhing. *
Ermannus Folgsdorf.
Eucharius Sartorius. *
Euerardus { Hockius. / Mercurianus.
Euſebius Truchſes. *
Eyſtettenſe Collegium.

F

Fabianus Quadrantinus.
Fabius Ambroſius Spinula.
Fabritius { Britius. * / Pallauicinus. / Pignatellus. *
Famianus Strada.
Felicianus de Figueroa.
Felix { Felicius. * / Girardus. * / Kaldlinski. *
Ferdinandus { Aquilera. / Albertus. / Baſtida. / de Capua. / Caſtrillus. / de Caſtropalao. / Grandelius. / Guerreiro. / Guyon. / Herberſtein. * / Iaen. / Meltius. / de Mendoza. / de Mendoza alter. / de Montegnana. / Quirinus de Salazar.
Fernandus Rebelius.
Fidelis Daniel.
Flandro Belgica Prouincia.
Flexienſe Collegium.
Florentius Bouchorſtius. *
Florentius Vaillant.
Franciſcus { Acerbus. * / Adornus. / Aguadus.

Franciſcus { Aguilonius. / Albertinus. / Alliant. / Alphonſus. / Amaralius. / Amicus. / Annatus. / Antonius. / Ant. de Angelis / Aranha. * / Arias. / Ayres. * / Bardus. * / Barretus. * / Baſellus. * / Bençius. / Benignus. / Bonaldus. / Bonauentura. / S. Borgia. / Boutonus. / Briuius. / Cachupin. * / Capralis. / Carrera. * / de Caſtro. / de Cepeda. / Colla. / Combes. * / Conturla. / Coſterus. / Creſpus. / Creuxius. * / de la Croix. / de Cuniga. / Deran. * / Dolbeilh. * / Duarte. / Dunellus. * / de Enzinas. / Eſchinardus. * / Eſcriba. / Eugenius. / Fauardus. / Fernandius. / de Figueroa. / de Figueroa alter. * / de Florentia. * / Folianus. / Freyre. / Furtadus. / Grandillon. / Garaſſus. / Garzia de valle / Garzia alter. * / Gautran. * / Gometius. / Gonzalez. / Guerrerius. / Guillore. * / Guttierez. / Guzman.

De

Digitized by Google

Franciſcus
- de Hamal.
- ab Hees.
- Henricus.
- L'Hermitte. *
- Icart.
- Intorcetta. *
- Ioſephus Breſſanus. *
- Ioſeph Mercerius.
- Irat.
- Kaminko. *
- Kernatoux. *
- Labata.
- Lahier.
- Lana. *
- Linus. *
- L'oriot.
- de Lugo.
- de Macedo.
- Machado. *
- Maldonado. *
- Mangot. *
- Marazzanus. *
- Maria de Amatis.
- Maria Grimaldus. *
- Marqueſtaldus.
- Martinez.
- de Mendoza.
- Mercatus.
- Mileman. *
- Milianus. *
- Monerius.
- Montanus.
- Montmorencius.
- Ouiedus.
- Pacconus.
- Paſius.
- Pauonus.
- Pellizarius. *
- de Peralta.
- Perandreu. *
- Perez de Caſtilla.
- Perez de Naxera.
- Piccolomineus.
- Pinheirus. *
- Pinthereau. *
- Plantedius.
- Poiræus.
- Pomey. *
- Ponga. *
- Portocarrerus.
- Raiatus.
- Rainaldus. *
- Ramirez.
- Remondus.
- Ribera.
- Richard. *
- Rinconus. *
- Rodriguez.
- Rodriguez alter. *
- Rodriguez alius.
- Romanus.
- Roſiers. *
- Rougemont. *
- le Roy. *
- Roz.
- Sacchinus.
- da Salazar. *
- de Salinas. *
- Sambiaſius.
- Scortia.
- Scorſus.
- Scuderius.
- Simoneſcus. *
- de Smidt.
- Soarez. *
- Solerius.
- de Soto.
- Sparacinus.
- Stadiera.
- Stanislaus Phænicius.
- Suarez.
- Tacon. *
- Toletus Card.
- Turrianus.
- Vaez.
- Valente. *
- Vanderuecken. *
- Vauaſſeur
- Verciullus. *
- Vererius.
- Veron.
- Vigerius.
- Vvalſignamus.
- Vveſpin. *
- S. Xauerius.
- Xauerius Aynſcom. *
- Yongus.
- Zidron de Azebedo. *
- Zuccaronus. *

Fridericus
- Bartſcius.
- Bridelius. *
- Spe.
- Szembeck.

Fronto Ducæus.

Fuluius
- Androtius.
- Cardulus.

G

GAbriel Aluarez.

Gabriel
- Beatus. *
- de Caſtilla.
- Coſſartius. *
- de Henao. *
- de Matos.
- Vaſquez.
- de Vega.

Garcias Garzes.

Gaſpar
- Aſtetius.
- Barzæus

Bra-

- Gaſpar
  - Brandis.
  - Cardoſus.
  - Coëlhus.
  - Drusbicki.
  - Ferdinandus.
  - Fernandez.
  - Ferreira. *
  - De la Figuera. *
  - Gonzalez.
  - Hickmannus.
  - Hurtadus.
  - Lechnerus.
  - Loartes.
  - Luiſius.
  - Paez.
  - Petkovvski.
  - Quartemont.
  - de Ribadeneira. *
  - Ruiz.
  - Rutardus.
  - Sanchez.
  - Sanchez alter.
  - Sanctius.
  - Savvicki.
  - Schottus. *
  - Seguiran.
  - Seuenſtern. *
  - Spitillius.
  - Tauſch. *
  - De Villela.
  - Vvenck.
  - De Zamora.
- Gaulnus Carta. *
- Gebhardus Razenriedt.
- Georgius
  - Amende.
  - Behm. *
  - Biegeiſen. *
  - Buſtronius.
  - Conſtantius. *
  - Da Coſta. *
  - Crugerius. *
  - Dirigenauerus.
  - Eberhardus.
  - Elger.
  - Erneſtus.
  - Fauterel. *
  - Federus.
  - Ferus.
  - Forro.
  - Fournier.
  - Franciſcus Plachy. *
  - Gobat. *
  - Hemelman.
  - Heſerus. *
  - Holtzhaius.
  - Iuſtinianus. *
  - Kaldi.
  - Mayr.
  - Mentzius. *
  - Poth. *
  - Puttner. *
- Georgius
  - Ravv. *
  - Reeb.
  - De Rhodes. *
  - Salbius.
  - Scherer.
  - Schomberger.
  - Schretelius.
  - Seiſer.
  - Stengelius.
  - Stephanus Rouſſellet.
  - Stoz.
  - Sturmius.
  - Tumebulus.
  - Tyskeuicius.
  - Viald. *
  - Voglerus.
  - Vvitvveiler.
- Gerardus
  - Burgheſius.
  - Gonthi.
  - Grumſel. *
  - Hanſen.
  - Montanus.
  - Othonis. *
  - Pelletier. *
  - Zoes.
- Germanicum Collegium.
- Gilbertus
  - Ioninus.
  - Preuoſt. *
  - Rouſseau. *
- Gisbertus
  - Scheuicanus.
  - Vvinchelius.
- Godefridus
  - Franckenius.
  - Henſchenius.
  - Vvandelman. *
  - Vveyer. *
- Gonſaluus
  - de Peralta.
  - Rodericius.
- Goſvvinus Nickel. *
- Gothardus Belhomus. *
- Granatenſe Collegium.
- Gracienſe, ſeu Græcenſe Collegium.
- Gregorius
  - Cnapius.
  - Faber.
  - Ferrarius.
  - Lopez.
  - Maſtrillus.
  - Montalis.
  - Ramart. *
  - Roſeffius.
  - Rumer.
  - à Sancto Vincentio.
  - de Valentia.
  - Vaſarheli.
- Gualterus Paullus.
- Guido Hollandus.
- Guilielmus
  - Aloyſius Leslæus. *
  - Aſchendorff.
  - Aylevvorthus. *
  - Bailius.
  - Balduinus.
  - Bathæus.

✠✠✠✠ Beca-

Guilielmus
- Becanus.
- Brochæus.
- Buccius.
- Campianus. *
- Chabron. *
- Dondinus.
- Federle.
- Good.
- Grumſel. *
- Gumppenberg. *
- Hardignius.
- Heſius.
- Ionſtonus.
- Lacæus. *
- Laimormaini.
- deLandsheer.
- Malonius.
- Marci.
- A Metternich.
- Montanus.
- Montetius. *
- Pfeffer.
- De Pretere.
- De los Rios.
- Salingerus. *
- Schiehel.
- Stanihurſtius. *
- Thierſault. *
- de Vvael. *
- de Vaha. *
- Vvarfordus.
- Vvrightus.

H

H Alenſe Collegium.

Henricus
- Albi.
- Balde. *
- Blyſſenius.
- Eluerich.
- Engelgraue.
- Fitzſimon.
- Garnetus.
- Harcortus. *
- Haukins.
- Henriquez.
- Henriquez alter.
- Kircher. *
- Korn. *
- Lamormaini.
- Lamparter.
- Marcellius.
- Mayer. *
- Morus.
- Nemius.
- Philippi.
- Putzius.
- Reſſay.
- Samerius.
- Selm.

Henricus
- Sommalius.
- Thenen. *
- Thunderus. *
- Vvalpolus.
- Vvangnereck.

Herbipolenſe Collegium.
Hercules Matthiolius. *
Heribertus Roſvveidus.

Hermannus
- Boſendorff.
- Buſenbaum. *
- Crumbach. *
- Hugo.
- Thyræus.

Hermes Clerus.
Hieremias Drexelius.

Hieronymus
- de Angelis.
- Brunellus.
- Cataneus. *
- Dandinus.
- Domeneccus.
- Faſolus.
- Ferrantinus. *
- Florauantius. *
- Florentia.
- Garzia.
- Germanus.
- Geſſius.
- Grauina. *
- de Gueuara.
- Lallemant. *
- Lopez.
- Lopez alter.
- Maiorica.
- Mroczeck. *
- Mulman. *
- Natalis.
- Nappius. *
- Pecorarus.
- de Perea. *
- Perez.
- Petruccius.
- Platus.
- Prado.
- Ripalda.
- Roman de Higuera.
- Sauignanus.
- Seguim.
- Stephanouski.
- Torres.
- Xauerius.

Hippolytus
- Graſſettus. *
- Maria Pergamus. *
- Panzirolus.
- Sangeorgius. *

Honoratus
- Fabri. *
- Nicquettus.
- Rio.

Horatius
- Carochi. *
- Ferrarius.
- Graſſius.
- Paſſardus.

Horatius { Quaranta. / Smeraldus. * / Turſellinus.
Hortenſius { Pallauicinus. * / Scammacca.
Hubertus { Lintz. / Mugnier. * / Vviltheim. *
Hugo { Roth. / Sempilius.
Humfredus { Leccius. / Vvoodvvardus.
Hyacinthus { Hurandus. / de Magiſtris. * / Manara. * / Pereira.

I

I Acobus Albertus.

Iacobus { Aluarez de Paz. / Antonius Martha. / Balde. / Beaufez. * / Bernard. / Betzcouius. / Bidermannus. / de Billy. * / Boireau. * / Bonfrerius. / Bordier. * / Boutonus. / Boyman. * / Brocquart. / Caniſius. / Caterus. * / Celleſius. * / Channeuelle. * / Charibdius. / de Codt. / Colens. / Coret. * / Crucius. / Cruickelius. / Cruſius. / Damianus. / Desbans. * / Deshayes. * / Dheliot. / Dinetus. / Dyck. / Ferran. / de la Fuente. / Franciſcus. / Franciſcus Via. * / Fuligattus. / Gualterius. / Georgius. / Gippenbuſch. / Gordonus Huntleus.

Iacobus { GordonusLeſmoræus. / Goutoulas. * / Granadus. / Grandamicus. * / Graſſettus. * / Gretſerus. / Hack. / Hautinus. / de la Haye. * / Himiuben. / Honoratus Durandus. / Du Iardin. / Irſyng. * / Iſnardus. / Kellerus. / Laynez. / Lambertus. * / Lambertus alter. * / Lampugnanus. / Ledeſma. / Leyſſene. / Libenus. / Lobbetius. / de Machault. * / Malebrancque. / Maſenius. * / Maſo. * / Micalia. * / Mirauet. / Miro. / Munfordus. * / Nauarchus. / Nouet. * / Olzevvski. / Paſinettus. * / Perard. / Pinto. / Platelius. * / Pontanus. / Puche. / Ranſonier. / Rem. / Reiſs. * / Rhò. / Rinaldus. * / Saleſius. / Salianus. / Scharpe. * / Simonis. / Sirmondus. / Stratius. / Suſius. / Suuertius. * / Szafarnius. / Tiran. * / Tirinus. / Tyrius. / Vignier. * / de Villegas. / Vvallius. * / Vviecus.

Ignatius
- Angeluccius. *
- de Arbieto. *
- Arcamonius. *
- Armandus.
- Balſamus.
- Bomplanus. *
- Brunus. *
- Derkennis.
- Franciſcus Peinado. *
- Gaſto Pardiés. *
- Godvvinus. *
- Martinez. *
- Quintanaduenas. *
- Staffordus.
- de Zuleta. *

Ingolſtadienſe Collegium.

Inicus de Lodoſa. *

Inſulenſe Collegium.

Ioannes
- Adamus. *
- Adamus Sciall.
- Aguero.
- Alandus.
- de Alloza. *
- AloyſiusConfalonerius
- Andreas Albertus.
- Antonius Caprinus. *
- Antonius Mazarellus.
- Antonius Valerinus.
- Antonius Velaſquez.
- Antonius Vſon.
- Antonius Xarque.
- Aquapontanus.
- Argenteus.
- de Armenta.
- Arnbruſterus.
- Arnoux.
- d'Arras.
- Artal.
- de Atienza.
- Auguſt. Confalonerius.
- Azor.
- Bagotius. *
- Baiolius.

Io: Bapt.
- Andreanus. *
- Athanaſius.
- de Auila.
- Bargioccus. *
- de la Barre. *
- Beau. *
- Bonellus.
- Bordoy.
- Cancellottus. *
- Caſilius. *
- Ceccottus.
- Cyſatus.
- Engelgraue. *
- Eſcardus.
- Ferrarius.
- Ganducius. *
- Giattinus.
- Graſſettus. *
- Gueſnay. *
- Labbe.
- Lanzauecchia.
- de Machault.
- Mannius. *
- Martignac.
- Martinengus.
- Maſculus.
- Montius.
- Nocetus. *
- Peruſcus.
- Plengus. *
- Paſarel.
- Ragon. *
- Ricciolius.
- Romanus Elianus.
- Roſſi.
- Saniure.
- Schelleberch.
- Scortia.
- Tiberius.
- Trotta.
- Velatus.
- Verax.
- Villapandus.
- Vrſus.
- Vvens.
- Zola.

Ioannes
- Barba.
- Bartolottus.
- Bermudes.
- Bernardinus Fidatus.
- Bertholdus. *
- Beſſonus. *
- Biegeiſen.
- Bilſtein. *
- Biſſelius.
- Blanckenfort. *
- Billandus.
- Bolthè. *
- Bonifacius.
- Bonnetus. *
- Bordeſius.
- Bourgheſius.
- Brantus.
- de Brebeuf.
- de Briſacier. *
- Briſſelius.
- Broſſardus.
- de Breueil. *
- Bucellenus.
- de Burgos. *
- Buſæus.
- de Buſſieres. *
- Buzelinus.
- Cachetus.
- Caillet.
- Camachius. *
- Camerota.
- Canæus.
- Caniſius.

de

Ioannes

- de Cardenas. *
- Carolus de la Faille.
- Carolus Hervvardus. *
- Cheualier.
- Cheualier alter. *
- Ciermans.
- Clometovvski.
- Columbi. *
- Conauius.
- Contri.
- Cordier. *
- Corduba Meſſia.
- Corduba. *
- Coſtanus.
- Couillonius.
- Courboules. *
- Craſſet. *
- Cromberius.
- Cruſius.
- Cuellar.
- Cvviekalski. *
- Czimmerman. *
- Darde.
- Dauid.
- Dauxiron.
- Deckerius.
- Derienes.
- Deshayes.
- de Dicaſtillo.
- Dominicus Candela.
- Dominicus Gabiani. *
- Dominicus Ottonellus.
- Doriſy. *
- Drachouius. *
- Duræus.
- Elias Madao. *
- Engelbertus Oliuerius.
- Erardus Fullonius.
- Erhardus Zieglerus.
- Eſtiottus.
- Euerardus Nidardus, Card. *
- Euſebius Nierimbergius.
- Fabricius. *
- Falcorus.
- Falco.
- Fayon.
- Ferdinandus *.
- Fernandez.
- Ferrandus. *
- Feruer.
- Ferrier. *
- Floydus.
- Folleus.
- Franciſcus. *
- Franciſcus Araldus.
- Franciſcus Carettonius
- Franciſcus Freyre.
- Fridericus Rorich.
- Fridericus Xeldre.
- Froës. *
- Gabriel Biſciola.

Ioannes

- Gallois. *
- Gamans.
- Gans.
- Garnerius. *
- Gaudin. *
- Georgius Voglerus.
- Gerardi.
- Gibbonus.
- Girardus.
- Gondinus.
- Gonterius.
- Gonzales de Loſada.
- Gouda.
- Grauius.
- Grillotius.
- Griſel. *
- Grothaus. *
- Gruzevvski.
- Guilielmus Calaueronus.
- Guilielmus Steghius.
- Guillemenot. *
- Haſſenecher.
- Haius.
- Haius alter.
- Hammerus. *
- Harlemius.
- Harſcher. *
- Haſius.
- Hauletus.
- Heim. *
- Henning. *
- Henricus Auberius.
- Herbetius.
- Heringſdorff.
- Hermannius. *
- Hertingius.
- Heuin. *
- Heumont.
- Hieronymus Bayolius.
- Hieronymus Kinich.
- Hieronymus Sopranis.
- Hoferus.
- Holonius.
- Horrion.
- Huberus.
- Hugo Audoneus. *
- Iachnouuicz.
- Iacobus Curtzius.
- Iacobus Rocher.
- Iaquinotius. *
- Iahoda. *
- du Iardin.
- de Ionghe. *
- Isfording.
- Keyneſius. *
- Kreihing. *
- Kvviatkiavvicz. *
- VanderLaen. *
- Lans.
- Lantz.
- Laual. *

Ioannes
- Laurentius Lucheſinus. *
- de Ledeſma.
- Leonius.
- Leurechon.
- Leurenius. *
- Lippay. *
- Lorinus.
- Lucena.
- Ludouicus de la Cerda.
- de Lugo Cardinalis.
- de Machault. *
- Magirus.
- Maior.
- Malaualette.
- Maldonatus.
- Mans.
- Maria Campori.
- Maria Freylin.
- Maria Vicecomes. *
- Mariana.
- Martinez.
- Martinez de Ripalda.
- Martini.
- Martinonus. *
- de Mattos.
- Mautaſius.
- Mendez.
- Meerbeeck. *
- Mocquetius.
- de Moncada.
- de Monceaux.
- de Montaluo.
- Monteiro. *
- de Montemaior.
- Moravvoski. *
- Moſquera.
- Motet.
- Mulhuſinus.
- Mulman. *
- Muñoz de Galua.
- Murbachius.
- Nadaſi.
- Nieſs.
- Ogilbæus.
- Ohneberger. *
- Oliua.
- Oranus.
- Oſorius.
- de Parys. *
- Paulinus. *
- Paulus Chirandaus. *
- Paulus Farneſius.
- Paulus Fons.
- Paulus Grimaldus.
- Paulus Oliua. *
- de Payua. *
- de Pedroza. *
- Pelecius.
- Perlinus.
- Perpezatius.

Ioannes
- Perſeus.
- Les Peſſier.
- Petrus Maſſæius.
- Petrus Paſchalis. *
- Petrus Tanius.
- Phelipæus.
- Philippus de Marinis. *
- de Piña.
- Pineda.
- Plaza.
- Polancus.
- Præpoſitus.
- Pricius. *
- Ramirez.
- Raphael Cobenzel.
- Rebellus.
- Renaudianus.
- Rhetius.
- Rhò.
- Ribera.
- Riſerius.
- Riuulinus.
- Roberti.
- à Roccia.
- Rodericus Giron.
- Roſenthal. *
- Rouſſellet.
- Roxas.
- Rubeus.
- Ryvvocki.
- de Salas.
- Salisburius.
- Salletus.
- de S. Albino. *
- à S. Michaele. *
- De Saniago.
- Schucking. *
- Sebaſtianus.
- Sebaſtianus Paritius.
- Simcockius. *
- Simon. *
- Soërius.
- Spenſerus. *
- Stephanus.
- Stephanus Ferrarius. *
- Stephanus Menochius.
- Streinius.
- Suffren.
- Surius.
- Suuetnamus.
- Suuetus.
- de Sylua.
- Tanner. *
- Tellerius.
- Terrentius.
- Theodorici Maclerentinus.
- Thurianus. *
- Tollenarius.
- de Torres.
- Tſandeck.

Tul-

Ioannes
- Tullenſis.
- de Valon. *
- de Vaſconcellos. *
- le Veneur.
- Vienotus.
- Victor. *
- Vignier. *
- Villalobos.
- Villanoua.
- Vincartius.
- Virreau.
- Vnchalius.
- Voëllus.
- Volkius.
- Vremannus.
- Vaëls.
- Vvalterius Viringus.
- Vvaltonus. *
- Vvarnerus. *
- Vvazin.
- Vveyer. *
- Vvielevvicki.
- Vvillelmus Vviltheim
- Vvintershouem.
- Vvittfeldt. *

Iodocus
- Andries.
- Coccius.
- Deſmarets.
- Kedd.

Iordanus Caſcini.

Ioſephus
- Acoſta.
- Agnellus. *
- Alderetus.
- Alemannus.
- Anchieta.
- Andres. *
- Anturinus. *
- Auguſtinus.
- Beſſanus. *
- Blancanus.
- Blondus.
- Copponus.
- Creſvvellus.
- Fernandez. *
- Filere.
- Fotius. *
- Gibalinus. *
- Guarnizus. *
- A Iuſtitia. *
- Landolina. *
- Malaualette.
- Maria Requeſens. *
- Martius. *
- Melchior.
- Du Montiel.
- Moret. *
- Olzina.
- Ormaza. *
- Oudeau. *
- Perdicarus. *

Ioſephus
- Polizzius. *
- Raguſa.
- Scammacca.
- Simonis. *
- Spucces.
- Surinus. *
- De Tamayo. *
- Tiſſanier. *
- Zaragoza. *

Iſaacus Vander *Mye*. *

Iulianus
- *Baldinotus*.
- Bouclerus.
- Hayneufue.
- Maunoir. *
- Perrault.

Iulius
- Alenius. *
- Bellinus.
- Cæſar Bulingerus. *
- Cæſar de la Coulture.
- Cæſar Deſtitus.
- Cæſar Recupitus.
- Fatius.
- Fides.
- Fuligattus.
- Mancinellus.
- Mazarinus.
- Nigronius.
- Pallauicinus. *
- Priſcianenſis.
- Sinius.
- Solimannus.
- Vaſcus. *
- Iulius Vrſinus.

Iuſtus Rabus.

L

LÆlius
- Biſciola.
- Tolomæi.

Læuinus Sanderus.

Lambertus
- Auer.
- Molæus.

Lancellotus Marin.

Laurentius
- Andertonus.
- Arturus Fauntæus.
- Bartilius.
- Boierus.
- le Brun. *
- de Cellieres. *
- Chifiletius.
- Chryſogonus. *
- Finichiarus. *
- Forerus.
- Giſlenus.
- Iapon ſeu Luſcus.
- Martinius. *
- Maſellus.

Ma-

Laurentius
- Maſonius.
- Nicolai, Noruegus.
- delle Pozze.
- Sengſenſchmidt.
- Suslyga.
- Vvvens.
- Vvorthingtonus.

Lazarus Cataneus. *
Leo Sanctius.
Leodegarius Hertenſteim.

Leonardus
- Alemay.
- de Anna. *
- Baehm.
- Bagnus.
- Berton. *
- Champeils. *
- Cinnamus. *
- Creder.
- de Fraeye.
- Frizon. *
- Garzonius.
- Lerchenfeldt. *
- Leſſius.
- Patorneus.
- Pennafiel.
- Perinus.

Leopoldus Mancinus. *
Lidanus Colonellus.
Liuinus de Clerc ſiue Clericus.
Lopius de Caſtilla. *
Lubertus Middendorff. *

Lucas
- Paprocki. *
- Pinelli.
- Velloſus.
- Zaluski. *

Ludouicus
- ab Alcaſar,
- Almeida.
- Aluarez. *
- de Azeuedo.
- Balleſter.
- Bertonius.
- Brouart.
- Buſtus.
- Cardeira.
- Cellotius.
- Cerqueira.
- Conart. *
- Coulon.
- Craſius. *
- Creſſolius.
- Crucius.
- Fernandius.
- Ferrarius.
- Figueira. *
- Florius.
- Froës.
- Guerrero.
- Guzman.
- Henriquez,
- Iacobi.

Ludouicus
- Ianninus.
- Iobert. *
- Mæratius.
- Magnetius.
- Maimbourg. *
- Makeblidius.
- Manſonius.
- Molina.
- de la Palma.
- Finerus.
- de Ponte.
- de Ribas.
- Riccius. *
- Richeomus.
- Rogerius.
- de Schildere. *
- de Tero.
- de Teruel.
- de Valdiuia.
- Vvapy.

Luiſius Turrianus.

M

Madridienſe Collegium.
Maginus Pagetius.
Marcellinus Bompar.

Marcellus
- Auguſtini.
- Franciſcus Maſtrillus.
- Laurus.

Marcus
- Antonius Capicius.
- de Foyx. *
- Mombellus. *
- Oliua.
- Palumbus de Aſcanio.
- de Bonnieres.
- Garzonius.
- Georgius.
- Gilbertus de Varennes.
- Gonzalez.
- Lima. *
- Lopez. *
- Paulus Leo.
- Vanden Tympel.

Marianus Celi.

Marius
- Bertinus.
- Clemens Baratta. *
- Pacius.

Martinus
- Antonius del Rio,
- Becanus.
- Breſſerus.
- Chriſtophorus.
- Clacrè. *
- à Coenuelt. *
- Couureur.
- Du Cygne. *
- de Eſparza. *
- Fornarius.

de

Martinus
- de Funez.
- Grinus. *
- L'Hermitè.
- Hincza.
- Laſcius.
- Laterna.
- Martinus Martinius. *
- de Naia. *
- Olauius.
- Olzevvski. *
- Peregrinus. *
- Perez de Vñanoa.
- de Roa.
- Sibenius.
- Smigletius.
- Stephanus.
- Vauthier.

Matthæus
- Bembus.
- de Couros.
- de la Cruz. *
- Galindo. *
- Maurach.
- de Moya. *
- Raderus.
- Riccius.
- Ruffy. *
- Schrick.
- Taberna.
- Varſauienſis. *

Matthias
- de Bocanegra. *
- Borrul. *
- Caſimirus Sarbieuius.
- Faber.
- Hainal.
- Mayrhoffer.
- Nennichen. *
- Putzius.
- Ram. *
- de Sà.
- de Souſa. *
- Tanner. *
- Tluczynski. *

Mauritius Neoportus. *

Maximilianus
- le Dent. *
- Habbequius.
- Haberſach. *
- Richemberger. *
- Sandæus.
- Schmidt.

Mechlinienſe Collegium.

Melchior
- de Caſtro.
- de la Cerda.
- Cornæus. *
- Figueredus.
- Guttvvirt. *
- Hanel. *
- Inchoffer.
- Knab.
- Nunnius Barretus.
- Treuinnius.

Melchior Villanueua.

Metellus Caracciolus.

Michael
- Alfordus.
- de Almeida. *
- de Auendano. *
- Cardanæus.
- Coyſſardus.
- Cuuellier. *
- Eiſelinus.
- de Elizalde. *
- de Eſpinoſa.
- Fernandez.
- Ginkievvicz. *
- Gomez.
- Griſius.
- Hieronymus.
- Iulianus.
- Kraſuski. *
- Loſcher.
- Marcus. *
- Mazovvecki. *
- Nyon. *
- de Pace.
- Pexenfelder. *
- Rabardeau. *
- Radau. *
- Rogerius.
- de Salin.
- de San Roman.
- Seneſcallus. *
- Speer.
- Staudacher. *
- Van Trieſt. *
- Turbaul.
- Vaſquez de Padilla.
- Vvalpolus.

Moguntinum Collegium.

Molshemenſis Academia.

Monachienſe Collegium.

Moyſes du Bourg. *

Mutius
- de Angelis.
- Vitelleſchus.

N

Neapolitanum Collegium.

Neoburgenſe Collegium.

Nicolaus
- Abramus.
- Alberti.
- Amaya.
- Auancinus. *
- Bailly. *
- Baldellus.
- Berzettus.
- Bobadilla.
- Boonartius.

Bur-

Nicolaus
- Burenus.
- Cabeus.
- Cauſſinus.
- Cichouius. *
- de Condè. *
- Cuſanus.
- du Souult. *
- Elſen. *
- Foreſt.
- Godignus.
- Henartus.
- Iauellus.
- Kmicic.
- Lancitius.
- Lombardus. *
- Longobardus.
- Maria Pallauicinus. *
- Maſtrillus.
- Oborski.
- Orlandinus.
- Pimenta.
- Racouius.
- Rogerius. *
- Romæus.
- Salius.
- Sartorius.
- Schaten. *
- Serarius.
- Suſius.
- Talon.
- del Techo. *
- Trigaultius.
- Vvyſing. *
- Zucchius.

Nonius da Cunha. *

O

Octauianus de Tufo.

Octauius
- Caietanus.
- Lanzauecchia.
- Tedeſchius. *

Oddo de Comitibus.

Odo
- de Giſſey.
- Malcottus.

Oliuarius Bienuille. *

Oliuerius Bonartius.

Olomucenſe Collegium.

Organtinus Soldus Gneccus.

Oſualdus
- Coſcanus.
- Kruger.

Otho
- Zylius.
- Ladeſon.

P

Pancratius Kreutle.

Paſſauienſe Collegium.

Patritius Andertonus.

Paulus
- Albinianus Raias.
- de Barry.
- Bellius. *
- Vanden Berghe. *
- Bombinus.
- Caſatus. *
- Comitolus.
- Dueſius.
- Friſcia. *
- Guldin.
- Hoffæus.
- le Ieune.
- Ioſephus de Arriaga.
- Kuhn.
- Laymannus.
- Miki. *
- Princeps.
- Ragueneau. *
- Robertus.
- Rodriguez.
- Roſmer. *
- Segnerus. *
- Scherlogus.
- Tafferner. *
- Vallius.
- Zehentner. *

Petrus
- de Abarca.
- Aegidius ſeu Gil.
- Alagona.
- Aloys.
- de Anaſco.
- Anellus Perſicus.
- Antonius Spinellus.
- de Arrubal.
- de Auiles.
- Barnaudus.
- Benedit de Rada.
- Biardus.
- Biuerus.
- Bobynet. *
- Bonuoyſin.
- Bouillius.
- Bourdin. *
- Brun.
- del Brun. *
- Brunellius. *
- de Bugis. *
- Burgundus.
- Buſæus.
- Caniſius.
- Cazræus. *
- des Champs neufs.

Char-

Petrus
- Charlot.
- Chaſtellain. *
- Chirinus.
- de Colindres. *
- Cortonus.
- Courcier. *
- Dagonellus.
- Des Nourices. *
- Diaz.
- Eulard.
- Fabricius.
- Felix de Molina.
- de Flores. *
- Fonſeca.
- Franciſcus Chifflerius.
- Franciſcus Pioltellus.
- Franciſcus Treſileus. *
- Gambacurta.
- Gaultruche. *
- Gomez.
- Gonzalez de Mendoza. *
- Gorſius. *
- Goueus de Victoria.
- Gueuara.
- Guzmanus.
- Halloix.
- Hameau.
- Hamerius.
- Hernandez de Oualle.
- Hieronym. Continente. *
- da Hortigoſa. *
- Hortiz.
- Hugo.
- Hurtadus de Mendoza.
- Iarricus.
- Ioannes Perpinianus.
- Ioſeph d'Orleans. *
- Ioſſet. *
- Iuſtinellus.
- Iuſtus Sautel. *
- Klincart.
- Labbe.
- Lamart.
- Lanſelius.
- Leſcalopierius. *
- Loyerus.
- Ludouicus.
- Maillard.
- Mambrun. *
- Marie.
- Martinez.
- Maſcareñas.
- Matthias.
- Maturus.
- Maucorps.
- Mercado. *
- Merchan.
- Metoſcita.
- Michael Brilmaker.
- Mirallier.
- Monodus.

Petrus
- Morales.
- Moreion.
- Morin.
- le Moyn.
- Muſſonius.
- Oiea. *
- de Oieda.
- de Ognate. *
- Oliuier. *
- d'Outreman.
- Paez.
- Paulus Fiordeliſius.
- Paulus Nauarrus.
- Paulus Rothus. *
- Paz nan Card.
- Pelleprat. *
- Pennequin.
- de la Porta.
- Poſſinus.
- Pyrard. *
- Reboul.
- Redanus. *
- Ribadeneira.
- Robillart.
- Roeſtius.
- Rouerius.
- de Salas.
- Salernus. *
- à S. Ioanne.
- Sanctius.
- Scarga.
- de Seſmaiſons. *
- Siluius.
- Spiga.
- Sterglerus.
- Taſſin.
- Talbottus. *
- Thyræus.
- Varga.
- Vrteaga.
- Vvadingus.
- Vvitfeldt. *
- Vvoeſtvvinckel. *
- Ximenes.

Philibertus Monetus.

Philippus
- Alegambe. *
- Bebius
- de Berlaymont.
- Bouchi.
- Briet. *
- Chaheu. *
- Fehrne.
- Franciſcus Taiſne. *
- Hannotel.
- Kiſelius. *
- Labbe. *
- Maſſaria. *
- Milles. *
- Moncæus.
- Nutius. *
- d'Oultreman.

Philippus
- Reindelius. *
- Scouuille. *
- Sueuezelius.
- de Trieu.

Placidus
- Samperus.
- Spatafora. *

Pompeius Sauazzinus. *
Poſnanienſe Collegium.
Pragenſe Collegium.

Proſper
- Intorcetta. *
- Malauolta.

R

Raphael de Bonafè. *

Raphael
- Caſtellus. *
- Oller.
- Riera.

Ratisbonenſe Collegium.
Raymundus à S. Martino.

Renatus
- Ceriſerius.
- Cheſneau.
- Rapin. *

Rhedonenſe Collegium.
Rhemenſe Collegium.

Richardus
- Arckdekin. *
- Ashbeus. *
- Eſius.
- Gibbonus.
- Haller.
- Lincæus. *
- Mercier. *
- Richardi.
- Strangius. *
- Vanderſterren.
- Vvalpolus.

Robertus
- Bellarminus Card.
- Guyart.
- Ieniſonus.
- Mirabellus. *
- Nobilius. *
- Perſonius.
- Suthvvellus.

Rodericus
- de Arriaga.
- de Cabredo.
- de Figueyredo. *

Rolandus Ouuerſtratius.
Romanum Collegium.
Rudolfus Matman.

S

Sabbatinus de Vrſis.
Sabinus Chambers.
Salmanticenſe Collegium.
Saluator de Leon.
Saluator Varo.
Sampſon Durieu. *
Samuel Laberhittel. *
Scipio Paulutius. *
Scipio Sgambatus.

de

Digitized by Google

- Sebaſtianus
  - de Abreu. *
  - Barradius.
  - Barrettus.
  - Berettarius.
  - de Comitibus. *
  - Coutus.
  - Gonzalez.
  - Heiſſius.
  - Izquierdo. *
  - Marienzus.
  - Morales.
  - Nouaës. *
  - Salelles.
  - Scipio.
  - de Vieira.
- Seruatius Sacrè.
- Seuerinus Karuat.
- Sfortia Pallauicinus Card.
- Sidronius Hoſchius.
- Sigiſmundus
  - Ernhoffer.
  - Lauxmin. *
- Siluester
  - Maurus. *
  - Noritius.
  - Petraſancta.
- Simon
  - Berent.
  - le Boſſu. *
  - Felix.
  - Gurskius.
  - Nicouius.
  - de Vaſconcellos. *
  - Vgnievvski. *
  - Vvagnereckius. *
  - Vvyſocki.
- Societas Ieſu in Prouincijs S. C. M.
- Spirenſe Collegium.
- Stanislaus
  - Grodicius.
  - Kizynokolski.
  - Koſuiski. *
  - Kuklinski. *
  - Sol ki. *
  - Varſauitius.
- Stephanus
  - Aguilarius. *
  - Arator.
  - Audebertus.
  - de Auila.
  - Bauny.
- Stephanus
  - Binetus.
  - Bubalus de Cancellarijs.
  - de Caſtro.
  - Crucius. *
  - Deſchamps. *
  - Fagundez.
  - le Grand. *
  - Guerry.
  - Guyonius.
  - Luzvia.
  - Moquotus.
  - Natalis. *
  - de Palma.
  - Pariſot.
- Stephanus
  - de Paternina.
  - Petiot.
  - Ruidius.
  - Stapels.
  - Tuccius.

T

- Tancredus Cottho.
- Tarquinius Gallucius.
- Terentius Alciatus.
- Thadæus Vvaringa. *
- Theobaldus Stozius.
- Theodoricus
  - Beck.
  - Krallius.
- Theodorus
  - Dulman. *
  - Kieuit.
  - Moretus.
  - Peltanus.
  - Rhay. *
  - Roſmer.
- Theophilus
  - Bernardinus.
  - Chriſtecus.
  - Raynaudus.
- Thomas
  - Auriemma. *
  - BaconusSouthvvellus
  - Barros.
  - Biſdomini.
  - le Blanc.
  - Caruellus. *
  - Clagius.
  - Comptonus. *
  - De Leon. *
  - Euerardus.
  - Fitzherbertus.
  - Gonzalez. *
  - Ituren.
  - Kern.
  - Maſcambrunus.
  - Maſſutius.
  - Mlodzianovvski. *
  - Morus.
  - Odoenus.
  - Politius.
  - Porzecki.
  - Priſius.
  - Reina.
  - Saillius.
  - Sanchez.
  - Stephanus de Buſſen.
  - Stephanſonus.
  - Strozza. *
  - Talbottus.
  - Tamburinus.
  - Villacaſtin.
  - Vvhisfeldius.
  - Vvorthingtonus.
- Tobias
  - Arnoldus.
  - Lohner. *
- Toloſanum Collegium.
- Torquatus de Cuppis.
- Touſſanus
  - Bridoul.
  - Rouſſellius.
- Turnonenſe Collegium.
- Turrianus le Febure.
- Tyrnauienſe Collegium.

V

- Valentinus Biatovvicz. *
- Valentinus
  - Biſchop.
  - Caruallius.
  - Fabritius.
  - Gerardus.
  - de Herice.
  - Mangionius.
  - Stanſel. *
- Valerius
  - Piquer.
  - Reginaldus.
- Vaſcus Piroz. *
- Vbaldinus Bartolini.
- Vdalricus Groſchan. *
- Victorianus Premolus.
- Viennenſis Vniuerſitas, ſeu Collegium.
- Vincentius
  - Aranea.
  - Baleſtrerius. *
  - Biſſe.
  - Brunus.
  - Carafa.
  - Cuſtagnola.
  - Faſſarus.
  - Filliucius.
  - Guiniſius.
  - Huby.
  - Leotaudus.
  - Maſtareus.
  - Nauarro.
  - Regius.
  - Tancredus. *
- Virgilius Ceparius.
- Vitalis Theronus.
- Vitus Eberman. *
- Vratislauienſe Collegium. *
- Vvenceslaus
  - Eicker. *
  - Pantaleo Kirvitzer.
  - Schvverfer. *
  - Sturmius.
- Vviebertus Dietrich. *
- Vvilelmus Nakatenus. *
- Vvolfgangus
  - Hein. *
  - Herman. *
  - Schenslederus.
  - Speth. *

Z

- Zacharias Ignatius Trinckelius. *
- Zacharias Rotz.
- Zdilaus BercKa. *

BIBLIOTHECA SCRIPTORVM SOCIETATIS IESV.

SANCTVS P. IGNATIVS de Loyola, Parens atque Inſtitutor Ordinis Clericorum Regularium Societatis Ieſu, ideòque primo loco extra ordinem Alphabeti meritò collocandus, natione Hiſpanus, patria Cantaber (cuius vitam admirandam plures ſcripſere) fauſtiſſimo initio, poſt eam *Inſtituti formulam*, quam Paulus III. Pont. Max. ſibi oblatam confirmauit, ſuæque Bullæ datæ 5. Kalendas Octobris anno 1540. inſeruit; primus Sociorum in lucem edidit, anno ſal. 1548. Romæ, typis Antonij Bladi compoſitum ab ſe Hiſpanicè, ab Andrea Fruſio latinum factum, libellum cui titulus:

Exercitia ſpiritualia

magnitudine exiguum, fructu verò maximum, qui aduerſus graues multorum oppugnationes inuictus ſemper ſtetit, ſemper ſtabit, auctoritate Sacroſanctæ Sedis Apoſtolicæ, atque approbatione, munitus. Refert autem Ludouicus de Ponte vir omni exceptione maior, in vita P. Baltazaris Aluarez cap. 43. fida traditione, inde vſque à P. Iacobo Lainio, altero Societatis Ieſu Præpoſito Generali, acceptum haberi: *Deum hæc exercitia Sancto P. Noſtro reuelaſſe, imò per Gabrielem Archangelum, non nemini fuiſſe à Deipara ſignificatum, ſe Patronam eorum, fundatricem, atque adiutricem fuiſſe, docuiſſeque Ignatium, vt ea ſic conciperet; quo nomine ſe huic operi dediſſe initium.* Vt mirum proindè nulli videri debeat, tantum ex ijs commodum in Eccleſia Dei exiſtere; nec apicem in ijs vnquam fuiſſe variatum, tametſi fuerint animo cenſorio, non ſemel expenſa. Mirum magis eſſe debeat nouitium Scriptorem poſt integrum ferè ſæculum, auſum fuiſſe vulgare, illa non à Sancto Ignatio compoſita, ſed accepta aliundè, tamquam ipſius fuiſſe publicata, magna cum iniuria Sancti Patriarchæ, qui plagij arguitur; cum iniuria S. Franciſci Borgiæ, qui ea tamquam opus S. Ignatij repræſentauit Paulo III. Pont. Max. approbanda; cum iniuria Societatis vniuerſæ, quæ vel tam cæca fuerit, vt partum alienum, non agnouerit, vel tam improba, vt diſſimularit; cum iniuria S. Congregationis Rituum, quæ in Relatione pro S. Ignatij canonizatione facta coram Gregorio XV. Pont. Max. à Franciſco Maria Cardinali à Monte, diſertè ait, ab illo compoſita, atque in librum relata; cum iniuria denique S. Sedis Apoſtolicæ, ac Pauli III. Pontificis, qui in Bulla confirmationis eorundem, illa tamquam ab Ignatio compoſita, atque in ordinem redacta, laudat & approbat. Scriptoris illius libellum de ea re improbauit poſtea Venerabilis Ordo S. Benedicti, ſeu Congregatio Caſſinenſis in Comitijs generalibus habitis Rauennæ anno Domini 1644. ſpeciali ſuo decreto 23. Aprilis condito; Verum vt fuerit hæc res aliquando in diſceptationem deducta, nunc extra omnem controuerſiam Catholicis certa eſſe debet, poſtquam in Breuiarium Romanum eſt relata, atque in Lectionibus toti Eccleſiæ propoſitis, auctoritate Innocentij X. Pont. Max. in feſto S. Ignatij diſertè tradita his verbis: *Quo tempore homo litterarum planè rudis admirabilem illum compoſuit Exercitiorum librum S. Apoſtolicæ Sedis Iudicio, & omnium vtilitate comprobatum.* Idem confirmauit poſtea Alex. VII. illius Succeſſor, conceſſa Indulgentia peccatorum plenaria, omnibus Chriſti fidelibus: *Exercitia Spiritualia à S. Ignatio inſtituta, peragentibus octidui ſpatio in Domibus Societatis*, prout latius cernere eſt in litteris Apoſtolicis datis in forma Breuis die 12. Octobris Anno 1657.

Scripſit etiam S. P. Hiſpanicè, & tranſtulit latinè Ioannes Polancus eiuſdem Secretarius.

Librum Conſtitutionum Societatis IESV, decem in partes diſtributum, vnà cum Examine & Declarationibus, quas etiam ipſe Sanctus Pater compoſuit. Nam quamuis non defuerint nonnulli, atque inter eos noſter Theophilus Raynaudus (vir ceteroquin eruditiſſimus) tomo 18. tractatu contra Clementem Scotum, qui opinati ſunt, *Conſtitutiones* quidem germanum fuiſſe fœtum, ſolius S. Ignatij; at *Declarationum* Auctorem fuiſſe exiſtimarunt Iacobum Laynez; tamen certiſſimum eſt *Declarationes* etiam ab ipſo S. Ignatio fuiſſe compoſitas. Conſtare de eo aſſeuerauit R. P. Claudius Aquauiua Præpoſitus Generalis, literis de eo argumento datis die prima Ianuarij anno 1588. tum ex perpetua & conſtanti traditione Societatis à temporibus S. Ignatij ad eum vſque diem, per vniuerſum Ordinem recepta, tum ex teſtimonio multorum primariorum Patrum, qui tunc adhuc viuebant, & Sanctum Ignatium Declarationi-

bus ijs tamquam à ſe compoſitis vſum fuiſſe, & vt tales, toti Societati communicaſſe norant; tum denique ex ipſo Codice Conſtitutionum & Declarationum, quem pro Autographo quatuor Congregationes Generales Societatis agnouerunt, & qui vſque in hodiernum diem, in tabulario generali Societatis Romæ inter Chirographa Sancti Patris reuerenter aſſeruatur.

Librum hunc impreſſit typis Societas primùm in ædibus ſuis Romæ anno Salutis 1558. in octauo; poſtea coniunctis ſimul textibus Hiſpanico & Latino in vno volumine, Romæ M. DC. VI. in folio. In eo S. Pater leges dat Societati, & abſolutiſſimam gubernationis formam præſcribit, tanto ſpiritu, tanta ſententiarum grauitate, verborum pondere, ordine, comprehenſione, vt non humana Doctrina, ſed diuinitùs illi infuſa videatur. Eum certe cùm Paulus IV. Pont. Max. cui iam diu non omnino probari videbatur, recognoſcendum iudicandùmque dediſſet duobus Cardinalibus Tranenſi & Reumano, adiunctis deinde etiam Alexandrino & Montiliano, qui omnes viri fuerunt ſapientiſſimi, diuerſorum Ordinum e Dominicanis, Franciſcanis, & Clericis Regularibus, & quod caput eſt, præoccupati calumnijs eorum, qui intime nota habere omnia exiſtimandi erant, prorſus tamen illibatus eſt redditus. Enimuerò admiratione dignum eſt, ea S. Patriarcham concepiſſe, atque in his Conſtitutionibus Ordini ſuo præſcripſiſſe, quæ quòd ab aliorum Ordinum norma recederent, parùm firma & ſinceræ Theologiæ conſentanea, non nullis viris grauiſſimis ſunt viſa, atque eo nomine diù multùmque oppugnata; ſed Apoſtolica tandem ſententia rata firmatàque ſunt, & aduerſantia placita cenſuræ ſubiecta. Vt non temere ſcripſerit è recentioribus quiſpiam S. Ignatium inter Doctores eximios meritò propter hos Libros numerandum, vtpote qui Theodidactus, illos conſcripſerit tam profunda probataque Doctrina refertos, vt omnia & ſingula in eo contenta, ſint Apoſtolico Iudicio, ceu pia ſanctàque declarata.

Certè tres Pontifices ſummi nempè Gregorius XIII. Gregorius XIV. & Paulus V. poſt iteratum toties Conſtitutionum examen, eas omnes, ac ſi ad verbum ſingulæ, Bullis ſuis inſertæ fuiſſent, confirmarunt & approbarunt.

Præter hos duos libros ſcripſit etiam S. Pater.

Epiſtolam de Religioſa Obedientia ad Luſitaniæ Socios ac filios tam perfectam & omnibus expletam numeris, vt omnium præceptorum inſtar ſit, quæ de obedientia traduntur. Datam Romæ VII. Kalend. Aprilis 1553. De hac meritò ſcripſit S. Franciſcus Borgia in epiſtola ſua de medijs conſeruandi Spiritum Societatis: *Eſſe omni dignam admiratione, quippe cui nec quidquam addi poſſit nec detrahi*. Hinc inducta quoque iam meritò eſt in Bibliothecam SS. Patrum.

Alteram item.

Epiſtolam de Religioſa perfectione, ad Hiſpaniæ Socios datam 4. Nonas Martias 1547. Latinè editam cum Epiſtolis Præpoſitorum Generalium, quam ex alia verſione inſcriptam de feruore Spiritus ritè in nobis excitando, ac diſcretè exercendo impreſſit Cracouiæ 1607. Collector libelli cui titulus: *Theſaurus ſpiritualium rerum ad Societatem Ieſu pertinentium*.

Aliam quoque S. Patris.

Epiſtolam ad Claudium Aethiopiæ Regem datam 8. Kalendas Martias ann. MDLV. exhibet Nicolaus Orlandinus Hiſt. Societ. Tom. 1. Lib. 15. num. 105. Ioannes Pet. Maffæus Hiſt. Ind. lib. 16. & Petrus Iarricus Tom. 2. Theſauri rerum Indicarum lib. 1. cap. 15.

Scripſit quoque inſignem *de Sanctiſſima Trinitate tractatum* in ipſo primo melioris vitæ tyrocinio, rudis litterarum, quem quis nobis inuiderit, aut cuius vitio interciderit non habeo dicere. Extant præter hæc aduerſaria M. SS. Romæ, in quibus arcana ſua ſenſa referebat S. Ignatius, omni commendatione digniſſima, ad quorum guſtum faciendum vnius aut alterius ſpecimen propoſuit idem Orlandinus lib. 10. n. 59.

Obijt vir Sanctiſſimus Romæ, pridie Kalendas Auguſti, Anno ſalutis 1556. ætatis 65. Confirmati à Sede Apoſtolica Ordinis XVI. *Beati* nomine inſignitus eſt à Paulo V. Pont. Max. die 27. Iulij anni 1605. Catalogo *Sanctorum* adſcriptus à Gregorio XV. Pont. Max. die 12. Martij anni 1622. cuius Bullam Canonizationis publicauit Vrbanus VIII. Pont. Max. 8. Idus Auguſti 1623. Eiuſdemque memoriam Romano inſeruit Martyrologio cum nobili Encomio, *Viri ſanctitate & miraculis clari, & Catholicæ Religionis vbique dilatandæ ſtudioſiſſimi*. Eundem Officio Eccleſiaſtico vbique terrarum coli iuſſit Innocentius X. P. M. ſub ritu ſemiduplice die 29. Octobris anno 1644. Auxit cultum Clemens IX. P. Max. & ad ritum duplicem euexit die 11. Octobris 1667. & amplius quinquaginta templa in varijs Orbis Regionibus modò numerantur in illius honorem dedicata.

Quod verò ad miracula attinet quibus placuit Deo ſerui ſui Ignatij ſanctitatem declarare, ea tot ac tam Illuſtria, tum in vita, tum poſt obitum extitere, vt integer de ijs poterit contexi liber. Nam præter enarrata in illius vita & in Bulla Canonizationis, refert centum ex Authenticis deſumpta documentis Noſter Daniel Bartolus De vita S. Ignatij lib. 5. & permulta recenſet noſter Alphonſus de Andrada, opere de miraculis patratis Munebregæ in Aragonia, vbi piè colitur Imago admirabilis Sancti Ignatij; & denique his conſimilia narrantur contigiſſe in Sicilia, Regalbuti Diœc. Catanenſis, vbi Imago papyracea S. Igna-

tij anno Dom. 1666. è digito fudit prodigioſe ſanguinem & hæc omnia examinata accuratè, atque ab Epiſcopo loci Illuſtriſsimo D. Fr. Michaele Angelo Bonadies, olim Generali Seraph. Ordinis S. Franciſci de Obſeruantia, approbata & mandata typis Panormi 1668.

Libet autem hic admonere, admirabilis Dei vel in minimis rebus prouidentiæ, qui primis ab Societate libris editis videatur voluiſſe ſuggerere quibus maximè artibus, ea ſalutem animarum eſſet ad Dei maiorem gloriam quæſitura. Nam ſicut Primum voluit eſſe librum Exercitiorum, quo Societas ipſa coaluit; ita Sexennio poſt, anno nimirum 1554. prodijt pueris rudibuſque inſtituendis Catechiſmus Petri Caniſij, atque eodem ipſo Anno Ioannis Polanci Directorium Confeſſariorum, & mox interiecto biennio Criſtophori Madridij libellus de frequenti vſu Euchariſtiæ.

ACHILLES GAGLIARDVS natione Italus, Patria Patauinus, vnà cum Leonetto & Ludouico germanis fratribus, ipſe natu maximus ad Vexillum Chriſti conuolauit, noſtramque Societatem ingreſſus eſt, anno ſalutis 1559. cùm ætate, nobilitate, opibus, humanarum litterarum cognitione, floreret, & in Academia Patauina magnam ſui expectationem vnà cum duobus fratribus excitaſſet: quos Simon Rodericius vnus è primis Societatis Decemuiris eo loco habebat, vt haud dubiè pronunciaret, ſi poteſtas ſibi e cuncta Italia, tres pro arbitratu ſuo; legendi adoleſcentes fieret, pluribus quàm germanos hoſce tres naturæ dotibus ornatos, haud vſquam confidere ſe inuenturum. Achilles deinceps grauiores diſciplinas Philoſophicas nimirum, & Diuinas excoluit, atque etiam explicauit noſtro in Collegio Romano acute, & pereruditè; exorſuſ à Philoſophia de moribus ex Ariſtotele, quam primus ibi vix anuos natus 25. profeſſus eſt, inſigniſque Philoſophus, & Theologus eſt habitus. Tum Roma Superiorum iuſſu primùm Patauium deinde Mediolanum commigrauit; vtrobique Sacram Theologiam interpretatus eſt. Inde ad agendi regendique munus euocatus, Taurini multos annos Collegio præfuit; poſt Mediolani, & Venetijs, in vtraque Profeſſorum Domo; ad extremum Brixiæ Rector; quibus in muneribus ea edidit exempla Caritatis, & humanitatis in Socios, zeli & ſollicitudinis in èxteros, ſtudij in Societatem quà ſpiritualibus, quà litterarijs exercitationibus amplificandam, vt nihil illi ad optimum Superiorum noſtrorum exemplar defuerit. Singularis fuit in illo animi morumque Candor, quo ſubditis ſummam erga ſe fiduciam faciebat. Sex annis quibus Brixiæ præfuit, ſolemne habuit Scholaſticos omnes noſtros ad ſe in cubiculum feſtis diebus conuocare, & cum illis de rebus ad ſpiritualem profectum facientibus, collationes habere: quà quidem induſtria eos ad perfectionem, *ita incitabat, vt non minus illis colloquijs, quàm* biennali tyrocinio proficerent. *Interim indefeſſam quoque operam proximis præſtabat*: & accidit non *ſemel, vt ipſe vel ſexagenario* maior mane *concionaretur, poſt* meridiem ſacram alibi lectionem, haberet; ſub veſperam ad Nobiles viros in Oratorium congregatos verba faceret; & de eodem quidem argumento quod diurnum Euangelium ſuppeditabat; ſed tantà rerum varietate, vt nouitas faceret admirationem fœcunditatis hauſtæ ex Sanctorum Patrum tractatione, quos omnes non ſemel ab initio ad calcem, vſque attentiſſimè peruoluerat. Spiritualibus Exercitijs plurimos omnis conditionis, ætatis, ſexus, ſemper inſtituit. Plures virorum cœtus, mercatorum, Opificum, Clericorum, Sacerdotum, ſuis quoque per ſeptimanam diebus excolebat. Cœnobia Monialium, & alia pia loca frequens obibat; omnes verbo, & exemplo ad optima quæque prouocabat; ad extremum Mutinam delatus morbum diuturnum totos duodeuiginti menſes æquo animo ſuſtinuit. In eo memoriæ, viſus, & motricis virtutis vſu deſtitutus ſenſim, multus fuit in Dei laude, & gratiarum actione; multus in ſeipſo, ſuiſque facultatibus, cum eximio pietatis ſenſu Numini dedicandis; quarto dein ante obitum menſe, ictus Apoplexia totam corporis partem dexteram ita habuit otioſam, vt demum etiam computreſceret. Tandem vi mali oppreſſus, animam exhalauit pridie nonas Iulias anno Domini 1607. ætatis 70. ex quibus 48. vixerat in Societate; ante annos 32. ſolemnia 4. vota profeſſus. Multa tot inter occupationes ſcripſit, quæ ſingularem præferunt ſenſum pietatis, inter quæ edita typis ſunt.

Catechiſmus Italicè compoſitus, hortatu S. Card. Caroli Borromæi Archiepiſcopi Mediolanenſis; Mediolani excuſus 1584. in 4. typis Michaelis Tini. Multum opera P. Achillis vſus eſt S. Carolus, poſtremis vitæ ſuæ annis, cumque in viſitatione Diœceſis ſuæ, comitem ſibi adſciuit; prout in S. Caroli vita refert Ioannes Petrus Giuſſanus.

Compendium Chriſtianæ perfectionis continens praxim vniendi animam cum Deo. Opuſculum verè aureum, excuſum Brixiæ typis Franciſci Marchetti anno 1611. recuſum Neapoli anno 1614. tandem latinitate donatum prodijt Viennæ Auſtriæ 1633. typis Michaelis Rictij, & iterum ibidem 1648. Scripſit etiam latinè. ſed non edidit.

De interiori Doctrina, ſeu diſciplina hominis interioris, opus eruditiſſimum in folio, quod manu exaratum aſſeruatur in Archiuio generali Societatis Romæ. In eo iuſtificationem hominis à peccato, & tentationes, atque mili-

militiam Iuſtorum, & progreſſum in gratia, & habituum malorum extirpationem, & mortificationem vitioſorum affectuum, diligenter perſequitur; quæ omnia ad viam pertinent Purgatiuam. Præterea omnium virtutum tractationem complectitur, quæ ad viam ſpectant illuminatiuam. Denique illa etiam exactè explicat, quæ Viæ, vt dicitur vnitiuæ, ſeu myſticæ propria ſunt. Reliquit etiam.

Commentaria in Exercitia Spiritualia S. Ignatij.

Explicationem inſtituti Societatis Ieſu.

Meditationes pro omnibus hominum ſtatibus.

Meditationes de Nouiſſimis, de peccatis, &c.

Varias rationes meditandi dum recitatur Roſarium B.V. Quæ omnia extant Romæ inter manuſcripta in eodem tabulario.

* ADALBERTVS, ſeu ALBERTVS TYLKOVVSKI natione Polonus Patria Maſouita, Societatem amplexus anno ſalutis 1646. ætatis ſuæ 22. vota quatuor profeſſus eſt. Docuit in ea Poeſim, Rethoricam, Matheſim, Linguam ſacram, Philoſophiam, Theologiam moralem; & quadriennio Pœnitentiarij munere functus eſt in Baſilica Vaticana. Poſtea reuerſus in Prouinciam ſuam, nunc dum hæc ſcribo anno 1674. Vilnæ regit Seminarium Pontificium. Edidit hactenus latinè.

Philoſophiam curioſam, ſeu Quæſtiones & concluſiones curioſas, ex vniuerſa Ariſtotelis Philoſophia. Cracouiæ apud Stanislaum Piotrkouczyk 1669. in 4.

Meteologiam curioſam Ibidem, eiſdem typis, & anno in 8.

Panegyricum inſcriptum Aeternitas armorum Kierlo, ſub nomine Alexandri Paproki. Vilnæ typis Academicis 1652. in fol.

Elogia Epiſcoporum Varmienſium, inſcripta Ara gratitudinis. Bransbergæ apud Henricum Schultz 1653. in fol.

Sacra Anagrammata de feſtis Chriſti ac B.V. Varſauiæ typis Elertianis 1666. in 12.

Sacra Exercitia Studioſi. Cracouiæ 1668. in 28.

Iugum graue ſuper omnes filios Adæ. Cracouiæ 1668. in 12.

Arithmeticam curioſam. Ibidem & eodem anno. Polonicè ſcripſit.

Rythmos inſcriptos Dies Equitis Poloni. tacito ſuo nomine Varſauiæ 1652. in 4.

Negotium defunctorum, ſeu de animabus defunctorum iuuandis ſub nomine *fidelis Parochi* Vratislauiæ 1661. in 8.

Pietatem Chriſtianam, ſeu Compendium Chriſtianæ Perfectionis. Cracouiæ 1669. in 12.

Prophetiſſam fidelem, ſeu veritatem illius Prophetiæ Marianæ Beatam me dicent omnes generationes. Ibidem in 12.

Circulum æternitatis ex Latino noſtri Ioannis Baptiſtæ Manni, Polonicè reddidit. Varſauiæ 1668. in 16.

Diſquiſitionem Phyſicam Oſtenti duorum puerorum, quorum vnus cum dente aureo, alter cum capite Gyganteo Vilnæ anno Dom. 1673. ſpectabantur. Gedani typis Monaſterij Oliuenſis 1674. in 12.

De Arte Sanctitatis. Gedani typis eiuſdem Monaſterij 1674. in 12.

Stimulos Diuini Amoris, ex Italico noſtri Caroli Caſalicchij Polonicè redditos. Ibidem iiſdem typis & anno in 8.

Vitam B. Stanislai Koſtkæ. ex Italico noſtri Dan. Bartoli Polonicè traductam Vilnæ typis Academicis 1674. in 4.

Opuſculum Deuotionale de S. Anna. Iiſdem typis, & anno in 12.

De Cauſis effectis, & remedijs mali. Gedani typis Monaſterij Oliuenſis 1674. in 12.

Multa alia præ manibus habet; ſi Deus vitam dederit.

* ADAMVS AIGENLER, natione Germanus, patria Tirolenſis, natus anno Seculi voluentis 33. Vicennis Societati nomen dedit 1653. & vota IV. nuncupauit. Poſt traditas in ea diſciplinas humaniores, Matheſim Ingolſtadij, & linguam Sanctam profeſſus eſt; & incenſus deſiderio lucrandi Deo animas in Indijs, Miſſionem obtinuit ad Sinas. Sed inter nauigandum dum magna caritate prolixè ſe impendit alijs laborantibus lue contagioſa, ea ipſe quoque correptus, in mari applicuit ad portum æternæ (vti ſperare fas eſt) ſalutis die 26. Auguſti 1673. Ante abitum ex Germania ediderat.

Fundamenta Linguæ Sanctæ. Dilingæ formis Academicis apud Ioannem Federle 1670. in 4.

* ADAMVS BVRGHABER natione Germanus, patria Veldenſis in Bauaria, natus anno ſalutis 1608. Societati ſe addixit 1626. die 14. Septembris, & quatuor in ea vota nuncupauit. Poſt traditas litteras amœniores, prælegit philoſophiam ſexennio; Theologiam moralem biennio; Polemicam de controuerſijs fidei, ſeptennio; Scholaſticam annis 16. Conciones ſubinde ad Populum habuit, & modò in Collegio Germanico Romæ, eſt Pater ſpiritualis, ſimulque in Collegio Romano explicat Alumnis, controuerſas de fide quæſtiones. Scripſit latinè, ediditque.

Centurias Selectorum caſuum Conſcientiæ tres; Friburgi Brigoiæ 1665. in 8.

Diſcuſſionem Theologicam Adiaphoriæ, ſeu Controuerſiæ, an quilibet in ſua fide ſaluari poſſit? Monachij 1655. in 4.

Diſputationes fuſiores varias. Lucernæ typis Dauidis Hautt *de Prædeſtinatione* 1651. De Angelis 1650. *De Immaculata Conceptione B. Virginis* 1652. in 12.

Item complures alios ſimiles Libellos Friburgi Briſgoiæ, *De Legibus*, *De Iuſtificatione* 1659. *De Iuſtitia*, *De Summo Pontifice* 1660. *De Verbo Incarnato* 1661. *De Fide* 1662. *De Sacramentis in communi*, *De Pænitentia* 1663. *De Sanctiſſ. Euchariſtia*, *De Actibus humanis* 1664.

1604. *De Triplice Baptiſmo* 1660. *Apologiam Irenici Catholici, Thomæ Henrici Epiſcopi Chryſopolitani contra Irenicum Catholico-Euangelicum* Germanicè, Friburgi Briſgoiæ 1673. in 4.

ADAMVS CONTZEN natione Germanus, an Belga? domo Iuliacenſis octodecim annos natus venit ad Societatem 1595. atque in ea emiſſis votis quatuor, cùm cæteras propè omnes facultates, tum verò complures annos in vetuſtiſſima Academia Moguntina Sacras litteras profeſſus eſt, cum magna omnigenæ eruditionis, atque in primis linguarum Græcæ, Hebraicæ, Syriacæ, & Chaldaicæ laude: vbi cum haberet vicinos, hinc Caluinianos Heidelbergæ, inde Zuinglianos Marpurgi Doctores, qui verbum Dei ad ſuas inſanias deprauabant, multiſque modis Rempublicam Chriſtianam vexabant; ſtatuit illis ſe opponere, atque inter duas acies pro orthodoxa veritate, & publica incolumitate depugnare, acri vir ingenio, & calamo promptus, quem Robertus Cardinalis Bellarminus, Deo & Eccleſiæ gratulari ſolebat idoneum, qui contra hæreticos poſſet præliari prælia Domini. Varia rexit Collegia per annos 15. Egit annis aliquot Confeſſarium Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Principis Godefridi Bambergenſis, & Herbipolenſis Epiſcopi; inde ad eandem operam Sereniſſimo Bauariæ Duci Maximiliano Electori præſtandam euocatus, id muneris ab anno 1624. cum eximia prudentiæ, & integritatis laude, geſſit vſque ad annum 1635. quo ſexagenario maior die 19. Iunij Monachij viuis ereptus eſt. Vir fuit animo pacatiſſimo, interque grauiſſimas Imperij, Principumque perturbationes inconcuſſo. Emicuit præterea virginali Verecundia, à nullo ſe contingi, aſpicique ferens, patientiæ verò tantæ extitit, vt quamuis compluribus annis prægrandibus duobus calculis poſt mortem exſectis acutiſſimè torqueretur ne gemitu quidem immanes illos dolores vnquam dignaretur, ſed eos Chriſto, pro ſe, nobiſque acerbiores paſſo, cum eiuſdem ſacratiſſima paſſione, ac morte, quanto poterat amore offerret. Denique vir maximus ſingulari animi demiſſione ſe ſemper minimi fecit. Scripſit.

Defenſionem Cardinalis Bellarmini De gratia primi hominis Moguntiæ apud Ioannem Albinum 1613. in 8.

Defenſionem librorum eiuſdem Cardinalis de peccato contra Danielem Pareum, hoc titulo: *Crudelitas, & Idolum Caluiniſtarum* Moguntiæ 1614. in 8.

De Hæreſeon incremento, & vtrum annus 1711. ſit mundi vltimus.

Conſultationem de Vnione, & Synodo generali Euangelicorum. Moguntiæ typis Ioannis Volmari 1615. in 8.

De pace Germaniæ libros duos. Moguntiæ 1616. in 8.

Diſceptationem de ſecretis Societatis Ieſu. ibidem 1617. in 8.

— *Iubilum Iubilorum, Iubilaum Euangelicorum, & pias lacrymas Catholicorum*; quo libro oſtendit, quàm immeritò Euangelici ſuæ ſectæ Iubilæum celebrarint. Moguntiæ typis Ioannis Albini 1618. in 8.

Eundem librum reddidit Germanicè. ibidem, eodem anno in 8.

Chronologiam Iubilæi Euangelici. Moguntiæ 1618.

Coronidem omnium Iubilorum anno ſeculari Euangelico ſcriptorum. Moguntiæ 1618.

Semen Hæreticorum. Germanicè 1619. Moguntiæ.

Politicorum libros decem. In quibus de perfecta Reipublicæ forma, virtutibus, & vitijs, Inſtitutione Ciuium, Legibus, Magiſtratu Eccleſiaſtico, & Ciuili, &c. tractatur. Moguntiæ, typis Balthaſaris Lyppij 1620. in folio.

Methodum Doctrinæ Ciuilis, ſeu Abiſſini Regis Hiſtoriam. Coloniæ apud Ioannem Kinckium 1628. in 8.

Danielem, ſiue de ſtatu, vita, & virtutibus Aulicorum, & Magnatum. Coloniæ apud eundem 1630.

Reſponſionem Theologicam ad problemata Saxonica pro fida pace Germaniæ. 1631.

Palmam Secularem Lutherano-Euangelicam.

Aſinum palmatum, ſeu Pædagogum Halenſem, Sigiſmundum Euenium furentem in Tyrannide Pontificia Seculari. Moguntiæ.

Commentaria in quatuor Ieſu Chriſti Euangelia. in quibus ſenſus verus litteralis aduerſus omnes infideles pro Catholica fide vindicatur, Tomis duobus. Coloniæ apud Ioannem Kinckium. 1626. in fol.

Commentaria in Epiſtolam Pauli ad Romanos. ibidem apud eundem 1629. in fol.

Commentaria in Epiſtolas Pauli ad Corinthios, & ad Galatas. ibidem 1631. in fol.

Cùm in promulgatione ſolemni Molshemienſis Academiæ, primos ibidem ſacræ Theologiæ Doctores crearet, fusè perorauit.

De noua Academia tuenda, & augenda, quæ oratio edita eſt in Panegyrico eiuſdem Academiæ.

Scripſit præterea quoſdam alios tractatus, ſed typis non edidit, inter quos ſunt.

De cauſis Bellorum præſentis temporis.

Proba cenſura ſuper Epiſtolam ſeditioſam, de conuentu Cæſaris Ferdinandi II. & Electorum Imperij Ratisbonæ celebrato anno 1630.

Inſtructio de Iubilo Iubilorum ad Neubenſtanos.

* ADAMVS LEVRIN, natione Gallus, patria Ambianus, Deo ſe in Societate mancipauit, anno ſalutis 1620. ætatis ſuæ 18. Et tria vota ſolemnia profeſſus eſt. Vir felice ingenio, ſingularique pietate, quam toto vitæ tempore, ſed potiſſimum in extremo morbo, eoque acutiſſimo declarauit, cùm dolores diuturnos, ac graues, inuicto tamen animo patientiſſimè ſuſtinuit; demum Sacramentis omnibus ritè

præ-

præmunitus, ſpiritum Deo reddidit. Ambiani 5. Decembris 1652. ſcripſit Gallicè librum cui titulus eſt: *Vita perfecta*, Ambiani 1643. in 4. Tranſtulit Gallicè libros.

S. Ambroſij de bono Viduitatis, & de Virginibus. Pariſijs 1645. in 12.

* ADAMVS SCHIRMBECK, natione Germanus, patria Pfaffenhouenſis, Boius, Diœceſis Auguſtanæ, natus anno D. 1613. Societati nomen dedit anno 1628. atque in ea Rhetoricam octennio profeſſus eſt, Præfecturam Gymnaſij geſſit annis 25. Concionatorem etiam aliquamdiu egit, agitque Monachij ſuperſtes. ſcripſit latino ſermone.

Plauſum Genethliacum in natali Sereniſſimi Principis Ferdinandi Mariæ vtriuſque Bauariæ Ducis. Monachij 1636. in 4.

Herculem Atlanti ſuffectum. Quando Sereniſſimus Princeps Ferdinandus Maria Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo Principi Alberto Sigiſmundo in Præfectura Mariana ſucceſſit. Monachij 1651. in 4.

Gratulationem nuptialem Sereniſſimis Coniugibus Maximiliano Philippo Hieronymo Bauariæ Duci, &c. & Mauritiæ Februniæ Duciſſæ Bulloniæ. Monachij 1668. in fol.

Meſſem Paraquarienſem, ſiue Annales Paraquariæ ab anno 1638. vſque ad annum 1643. Monachij formis Lucæ Straubij anno 1649. in 12.

Tranſtulit è lingua Gallica in Latinam. *Modum rectè ſe diſponendi ad mortem Auctore Franciſco Poirao noſtro*. Monachij 1648. in 8.

Maria, certiſſimum ſuorum Clientum in morte præſidium. Eiuſdem Monachij 1649. in 18.

Paradiſum Hagiophilo apertum. auctore noſtro Paulo de Barry Monachij 1649. in 32.

Alimenta pietatis erga S. Ioſephum. auctore eodem Monachij 1650. in 12.

Blanditias ſanctas erga Chriſtum. auctore eodem.

Pædagogiam cæleſtem, ſiue de beneficijs, & cultu SS. Angelorum. Auctore eodem Monachij 1650. in 12.

Sanctorum fœdus, ſiue de cultu Sanctorum. Eiuſdem Auctoris Monachij 1651. in 12.

Annum Marianum. Eiuſdem Auctoris. Monachij 1659. in 8.

Vitam S. Bernardi Mentonij Canonici Regularis. Auctore Rollando Vioto, Can. Reg. Monachij 1652. in 12. typis Lucæ Sraubij.

Paleſtram Religioſam, ſiue inſtitutionem Nouitiorum Canonicorum Regularium. Auctore Carolo Faure eiuſdem Ordinis. Monachij 1660. in 12.

ADAMVS TANNERVS, natione Germanus, patria Tyrolenſis Oeniponranus, iuuenis ad Societatem acceſſit, anno ſalutis 1590. natus annos octodecim, cùm Logicam iam, & Phyſicam audiuiſſet. Euoluto Tyrocinij biennio, & Philoſophici ſtudij anno poſtremo, perpetuò Theologiam, aut diſcendo, aut docendo, aut ſcribendo tractauit. Ingolſtadij primum tradidit publicè ſac. Linguæ præcepta; deinde Monachij docuit biennio fidei controuerſias, Theologiam de moribus triennio; quo tempore, publicæ diſputationi interfuit inter Sereniſſimos Duces Bauarum, & Neoburgicum Ratisbonæ inſtitutæ; vbi quanto Catholicorum plauſu, hæreticorum luctu, rem geſſerit, acta typis vulgata teſtantur. Ex eo prælio redux, Doctorali Theologiæ laurea decoratus; Ingolſtadij totos 15. annos Scholaſticam eximia cum approbatione tractauit. Societati per vota 4. ſolemnia ſe dicauit 29. Auguſti 1617. Illum fama Doctrinæ celebrem, Mathias Imperator Viennam accerſijt, vt pro Martino Becano Theologiam explicaret. Ferdinandus vero II. Cæſar Auguſtus, Pragenſis Academiæ iuſſit eſſe Cancellarium, quando eam Societati commiſit. Sed anno vix exacto, coactus eſt aduerſante valetudine, ad familiarem auram remigrare. Demum Guſtauo Adolpho Suecorum Rege, Boiariam incurſante digreſſus in Tyrolim in ipſo itinere fractis viribus extinctus eſt, in pago ignobili Vncken dicto; cùm iam ante hydrope, & lethargo laboraſſet, die 25. Maij anni 1632. ibique iuxta altare conditus eſt. Exegerat iam annos viuendo ſexaginta, & in prælegenda Theologia Scholaſtica, ac Morali 22. Vir fuit ingenio acri, ſerio, ſedulo, paucorum verborum, magnarum cogitationum; Latinè, Græcè, Hæbraicè, egregiè doctus; hiſtoriæ Eccleſiaſticæ peritiſſimus; Sanctorum PP. & venerandæ antiquitatis diligens, & indefeſſus peruestigator. Magna illi erat apud omnes auctoritas, tam à moribus, quàm ab eruditione; cenſebaturque etiam ab æmulis Societatis eſſe de numero eorum, qui Societatem facerent mundo venerandam, quam ſcriptis ſuis toties defendit, & illuſtrauit. Illud verò notatu digniſſimum, in tanta doctrinæ copia, fuiſſe humilitate inſigni, & ſimplicium fere fratrum colloquio delectatum. Multa tum Latinè, tum Germanicè ſcripſit his titulis.

De verbo Dei ſcripto, & non ſcripto, & de Iudice controuerſiarum fidei. Monachij typis Nicolai Henrici 1699. in 4.

De bonorum operum neceſſitate, vtilitate, & meritis.

Relatio compendiaria de initio proceſſu, & fine colloquij Ratisbonen. habiti 1601. inter Catholicos, Theologos, & Miniſtros Hæreticos. oppoſita vanis rumoribus, qui de hac ipſa re, opera, & ſtudio hæreticorum paſſim in vulgus ſunt ſparſi.

Eadem Germanicè ſemel iterumque, cum prolixiori præfatione. Monachij apud Nicolaum Henricum 1602. in 4.

Examen narrationis, quam Hiſtoricæ relationis nomine inſignitam de colloquio Ratisbonenſi edidit Aegidius Hunnius Prædicans. Monachij apud Nicolaum Henricum 1602. in 4.

Apologeticus pro compendiaria relatione

de

de colloquio Ratisbonenſi 1601. *aduerſus Anti-Tannerum cum appendice de morte Aegidij Hunnij*. Monachij, typis Ioannis Albani 1603. in 4.

De Iuſtificatione contra Hailbrunerum.

Defenſio Eccleſiaſticæ libertatis duobus libris comprehenſa. Ingolſtadij, ex Typographia Ederiana 1607. in 4.

Labyrinthus Critico-Hunnianus. Monachij 1612. in 4.

Lutherus, ſeu Anatomia confeſſionis Auguſtanæ, tribus partibus abſoluta. Ingolſtadij typis Angermaarij 1613. in 4.

Antichriſtus decem præſcriptionibus proſcriptus. Ingolſtadij 1630. in 8.

Antichriſtus cum ſono Euangelij in Aethiopia, & Sinarum Regno propagatus.

Apologia contra Monita priuata Societatis. Pars prima.

Apologia pro Societate Ieſu ex Bohemia & Morauia proſcripta anno 1618. & 1619. Hanc ſuppreſſo ſuo nomine editam, rurſus *Auctam aduerſus Bohemorum nouas accuſationes*, tacito quoque ſuo nomine recudit. Ingolſtadij ex officina Ederiana 1619. in 4.

Amuletum Caſtrenſe, ſiue Antidotum aduerſus perniciosos calumniarum afflatus, triſteſque bellorum motus ex Bohemico tumultu enatos. Ingolſtadij ex typographio Ederiano 1620. in 4.

Oratio funebris in laudem Doctoris Alberti Hungeri trigeſima exequiarum eius die dicta Ingolſtadij in æde B.V. 19. Martij 1604. Extat, Orationibus eiuſdem Hungeri publicatis à Chriſtophoro Geuuoldo præmiſſa. Ingolſtadij ex typographio Ederiano 1615.

Inauguratio Doctoralis Theologica S. Bennoni Sacra.

Aſtrologia ſacra, hoc eſt, Orationes, & quæſtiones quinque quibus explicatur, qua ratione fas ſit homini Chriſtiano, de rebus occultis, ex aſtris iudicium ferre. Ingolſtadij ex typographio Ederiano 1615.

Diſputationes Theologicæ in omnes Summæ S. Thomæ partes libris 4. Ingolſtadij typis Guilhelmi Ederi 1618. in 8.

Supplementum Diſputationum Theologicarum. ibidem 1620. in 8.

Diſſertatio Peripatetico-Theologica de cælis in qua de cælorum ortu, interitu, ſubſtantia, accidentibus, nouis Phænomenis, ac numero diſſeritur. Ingolſtadij apud Gregor. Henlinum 1621. in 4.

Theologia Scholaſtica, ſpeculatiua, practica, tomis quatuor. Ingolſtadij typis Ederianis 1626. & 1627. in fol.

Apologeticæ orationes pro Ioanne Trithemio Abbate Spanheimenſi. Ingolſtadij typis eiſdem 1630.

Atque hæc quidem Latinè, ſcripſit autem Germanicè ſequentia.

Hæreticum Lutheraniſmum contra Hailbrunerum. Ingolſtadij 1600.

Dioptram Fidei de Miſſa, & Communione ſub vtraque ſpecie. Ingolſtadij 1617. in 4.

Anti-Mylium, quo demonſtrat, Lutherum nunquam ſenſiſſe, aut vixiſſe ſecundum Apoſtolicam doctrinam. Ingolſtadij.

Inſtructionem de Indulgentijs, & Iubilæo.

Manuductionem, ſeu decem demonſtrationes pro veritate Eccleſiæ Catholicæ Romanæ. Ingolſtadij.

* ADAMVS VVIDEL natione Germanus, gente Boius, domo Monacenſis, natus anno ſalutis 1639. Deo ſe in Societate dicauit 1656. Nunc Rhetoricam profitetur Ingolſtadij. Edidit hoc anno 1674.

Lyricorum libros tres; Epodon librum vnum. Ingolſtadij Formis Ioan. Philippi Zinck: in 12.

ADRIANVS ADRIANI, ſiue AB ADRIANO, natione Belga Patria Antuerpienſis, vir valde Religioſus ac pius, mentis puritate, candore ingenij, prudenti ſimplicitate, & nullo prorſus in tot dotibus ſupercilio, ſpectabilis: Ad Societatem ſe adiunxit Louanij anno 1544. vbi Noſtrorum curam deinceps per multos annos, prius etiam quàm Collegium ibi haberet Societas adminiſtrauit; calumnias non ſemel, quin & carceres perpeſſus, tanta animi conſtantia ſimul & moderatione, vt & æmulos ſuppuduerit, detecta falſitate criminationis, & ipſe nihilominus tamquam offendiſſet veniam facti demiſsè petierit. Anno 1551. ſolemnem votorum quatuor profeſſionem nuncupauit, Ruardo Tappero clariſſimo viro ea excipiente. Tantam verò Adriano vim, facultatemque impertruerat Deus, vt ſiue concionaretur, ſecundiſſimis animis audiretur; ſiue priuatim ageret, omnem confitentium celebritatem, atque frequentiam ad ſe raperet; omnino nemo ferè accederet conſilij cauſa, quin nouo gaudio cumulatus, animóque tranquilliore diſcederet. Puerum trimum aliquando ab infeſtis Dæmonum ſpectris, itemque mox fratrem illius natu grandiorem, ſacris operando, liberauit. Illud etiam memorabile de eo refertur in Hiſtoria Societatis tom. 4. quod cùm cingulum, quo ſuſtentabantur inteſtina, propter herniam quâ laborabat, abieciſſet, quia audiendis confeſſionibus impedimento erat, diceretque ſibi ægrotandi otium non eſſe, ſtatim eo morbo expeditus fuerit. Defuncto S. Ignatio noſtro Patriarcha venit Romam ad indicta ſubrogando Præpoſito Comitia, in quibus eſt à nonnullis in factionem abductus abuſis eius innocentia, & ignoratione inſtituti; ſed vbi animaduertit, quantum excitaretur incendium, ſubduxit ſe illicò, & quieuit, atque in Belgium regreſſus poſt multa præclarè facta ſanctè vitam finiuit ipſo S. Lucæ feſto. anni 1580. totius Academiæ Louanienſis humeris elatus. Scripſit idiomate Belgio opuſcula varia ſpiritualium exercitationum, ſæpius recuſa, his titulis.

De inſpiratione, ſeu interna locutione Dei. Loua-

Louanij . typis Hieronymi Vvellæi 1570. in 8. & 4.

Mons Pietatis . 2. Editio anno 1548. in 8. & 4.

In orationem Dominicam 2. & 3. editio . Ibidem. eodem anno & form.

Tres nitidi tractatus , quorum *I. de Vita Actiua . II. De bonis temporalibus, & ipſo corpore mortali hominis . III. De operibus miſericordiæ.* Ibidem 1668. in 8.& 4.

De Origine, & progreſſu Vitæ Cænobiticæ . ibid.1570.in 8. & 4.

De obedientia , & quomodo ſubditus ſe gerere debeat erga Prælatum, & Prælatus erga ſubditum. Ibidem 1571. in 8. & 4.

De Paupertate Euangelica . Ibidem 1570. in 8. & 4.

De confeſſione . Ibidem editio 3. 1573. in 4.

De ſemel in anno, ſæpiùs, & quotidie communicando,& de meritoria abſtinentia à ſac.Communione. Ibidem .

De Inſpiratione, ſeu interna locutione Dei : Latinè reddidit G. Bruneſius , & Coloniæ typis Brickmanni edidit anno 1601. quod opus in ſua Cenſura Cunerus Petri, Epiſcopus Leuardienſis ait eſſe , *Verè pium, ſanctum, & eruditum , ac proinde dignum , quod impreſſum ab omnibus legatur* .

Libellum , qui inſcribitur *Traiectus in Cælum* (poſt mortem Auctoris Adriani de Vvitte) in gratiam piorum vulgauit .

ADRIANVS DE BOVLOGNE, natione Belga, patria Tornacenſis duodeuicennis nomen Societati dedit anno ſalutis 1608. die 22. Nouembris, & ſpiritualibus Coadiutoribus adſcriptus eſt . Docuit in ea litteras amæniores ſexennio , & Præfecturam ſcholarum geſſit octennio . Bethunienſe Collegium rexit ſecundùm , & Comiti Philippo à Mansfeldt Cæſarei exercitus Ductori à ſacris Confeſſionibus per triennium fuit . Hæreticos non paucos ex Germanis , quà diſceptationibus priuatis, quà concionibus ad caſtra Eccleſiæ Catholicæ traduxit. Emicuerunt in eo maximè cura , & pius in proximos quoſque affectus, in egenos , perindè ac in diuites , & ſtudium iuuandi vtroſque. Migrauit ex hac vita Tornaci ex ſtranguria, & peripneumonia, annis octo ſexagenario maior die 10. Octobris 1655. edidit ab acuta breuitate commendatos .

Epigrammaton libros tres . Tornaci . typis Adriani Quinque anno 1642. in 16.

ADRIANVS BRVNVS, natione Gallus,patria Corbeienſis in Diœceſi Ambianenſi, Societati ſe tradidit anno Dom. 1575.ætatis 23. Pariſijs , & ibidem litteras humaniores ſexennio profeſſus eſt . Concionatorem egit varijs in Vrbibus, & religioſè quieuit Inſulis in Belgio die 2. Iulij 1599. ſcripſit.

Hymnos varios,& Odas in honorem Sanctorum. Item :

Relaxationem ſpiritus . Rythmis Gallicis , in gratiam Caſtæ poëſeos ſtudioſorum , & Iuuentutis Catechiſmo informandæ.

ADRIANVS COOLS . natione Belga, patria Gaudanus in Hollandia natus anno ſalutis 1596. cùm ſtudijs humanioribus Antuerpiæ operam daret, & Deo inſpirante , ad inſtitutum Societatis animum iam adieciſſet , memorabile cum propria matre, quæ vehementer conſilio eiuſcemodi aduerſabatur , certamen ſubijt . Hæc ſiquidem rem ſubodorata, primò filium litteris domum reuocauit, ad quas cùm ille preces blandas repoſuiſſet , rogando vt potiùs ipſa Antuerpiam ſe conferre minimè grauaretur , eſſe quippe negotium permagni momenti , quod ibi cum ipſa communicandum haberet ; Illa Antuerpiam quidem, ſtatim aduolauit, ſed mox filio nihil tali ſuſpicanti, manus violentas inijci curauit , & impoſitum in carrucam ad id paratam, ſecum Gaudam reuexit . Verùm ille nihil propterea de propoſito , ſuâque in Deum pietate remittens , & animatus lectione , de fuga S. Alexij , nec non Beati Stanislai Koſtkæ, adiutus inſuper à comite , eiuſdem conſilij de ineunda Societate conſorte, clam matre, ſe domo , atque vrbe proripuit; & ne nouam à Genitrice remoram pateretur illicò ſe in tyrocinium Societatis Mechliniæ contulit 16. Iulij 1612. Ibi ſolida adeò religioſæ perfectionis fundamenta iecit ſub Patre Antonio Sucquetio tyronum magiſtro , vt hic poſt aliquot annos, dum Prouinciam regeret , accepta de more ratione conſcientiæ ab Adriano , affirmàrit , nihil ipſum de feruore primi tirocinij tum remiſiſſe . Exhortationes ad diſcipulos ſuos, cùm doceret, tanto ſpiritus ardore habebat , vt plurimos ad ſæculi fugam, & Religionis complexum permouerit . Quin & matrem, etſi poſt fugam filij amaro diu animo fuerit , tamen ita pijs poſtea colloquijs emolliuit , vt ipſa etiam in ſacrum Parthenonem Virginis Annunciatæ ſe receperit . Sacerdotio initiatus , Zelum animarum quo flagrabat , & inſignem dicendi latinè facultatem quà pollebat, in celebri Iuris ſtudioſorum ſodalitio, Louanij annos aliquot præclarè exercuit ; & quatuor vota ſolemnia profeſſus , inter primarios Prouinciæ Patres tam doctrinæ , quàm virtutis æſtimatione ſemper eſt habitus . Tyronibus in Societatis nouitiatu , & Patribus in tertia probatione inſtruendis , compluribus annis præfuit . Rectorem egit cum exacta regularum cura , Brugis , Mechliniæ , Bruxellis , Louanij ; Superiorem Miſſionis in Hollandia, & Præpoſitum Domus profeſſorum Antuerpiæ . His in muneribus non tam verbis, quàm vitæ exemplo ſuis ſubditis præluxit . In comitijs Prouinciæ electus eſt, vt Romam ad Congregationem Procuratorum proficiſceretur, & inde redux denuò Patribus tertij anni director datus eſt . Mox ipſe à Deo probari cœpit ; & primò apoſtemate in maxilla , deinde alio diuturno , ac permoleſto morbo , qui , inuictâ eius patientiâ probè exercitâ , vltimam

totius

totius vitæ meritis coronam impoſuit. Ad mortem quam præuidebat melius obeundam, ſingulari ſe diligentia diſpoſuit, nec domeſticos promiſcue admittebat ne colloquijs minùs vtilibus boni temporis adhuc reſtantis particulam vllam amitteret. Quotidie hora ſtata quædam ſibi prælegi curabat ex libro, qui tunc prodierat, De pretioſa occupatione morientium, & ſub finem ex alio de ſeptem verbis Chriſti morientis, & finita lectione ſolitudini ſe reddebat, vt cum Deo liberiùs ageret. Sumptis vltimis Sacramentis tenerè cum ſenſu pietatis, & ſæpiùs ingeminando: S. P. Ignati. Ora pro me, deficiente paulatim natura ſuauiſſimè animam exhalauit. Bruxellis die 17. Nouembris 1662. Edidit à ſe dictam in Sodalitate B. M. V.

Apprecationem funebrē Ioanni Maldero Epiſcopo Antuerpienſi, quæ præfixa eſt operi illius poſthumo in primam partem D. Thomæ.

ADRIANVS CROMMIVS natione Belga, domo Orſchotanus in territorio Siluæducenſi natus anno ſæculi euoluti 91. Societatem inijt voluentis 9. & in eadem, vota quatuor ſolemniter noncupauit anno 1626. Vir Græce, atque Hebraicè doctus, Philoſophiam explicuit triennio; Sacram Scripturam interpretatus eſt annis 11. Theologiam Scholaſticam biennio tradidit; ſtudijs altioribus Louanij, necnon collationibus de caſibus quindecim annis præfuit; Religioſa ſemper amænitate omnibus carus, & virtute pariter, atque omnigena eruditione cunctis venerabilis. Has inter occupationes ſtrenuum inſuper ſe exhibuit Societatis operarium in excipiendis confeſſionibus externorum, etiam pauperum, atque ægrorum, ad quos perſæpè vocabatur. Horarum Canonicarum penſum, maioris attentionis ergò, nunquam niſi in cubiculo, & plerumque de genibus perſoluere ſolitus. Erga moderatores mirè reuerens, & ad omnem nutum indifferens. In conſilijs dandis ſingulari enituit prudentia; ideoque à primarijs viris, tum Ordinis noſtri, tum aliarum Religionum crebrò conſulebatur. Ex illius iudicio variæ difficultates complanatæ, & contentiones ſopitæ. Exortis Louanij controuerſijs de doctrina Ianſenij, quæ poſtea damnata eſt à S. Sede Apoſtolica, non eſt facile dictu quantum laboris ſuſtinuerit, ad ſanam Eccleſiæ doctrinam tutandam. In linguarum Græcæ, Hebraicæ, & Arabicæ peritia, non habuit Prouincia ei parem ſicut nec in explicandis promptè difficillimis Scripturæ locis. Hunc talem tantumque virum inexpectata apoplexia perculit, & coaceruatum, qui in eo latebat ſcientiarum Theſaurum, vna cum vita abſtulit, Bruxellis die 11. Maij 1651. Edidit in lucem.

CL. *Pſalmos Dauidicos compendioſa paraphraſi ad litteræ ſeriem expoſitos, & ſenſu myſtico illuminatos*. Louanij ex officina Henrici Haſtenij 1628. in 4. recuſos Antuerpiæ 1652. in 8.

Varias item Theſes Theologicas in formam libellorum redactas, quibus magnam ſacrarum litterarum partem, breuibus & accuratis illuſtrationibus expleuit, videlicet.

In Geneſim. Louanij apud Bernardinum Maſium 1629. in 4.

In Exodum, Leuiticum, Numeros, Deuteronomium, ſiue de Republica Iudaica. Louanij apud viduam Henrici Haſthenij 1630. in 4.

In Ioſue, Iudices, Ruth. libros 4. Regum, & 2. Paralipomenon. Louanij apud Bernardinum Maſium 1631. in 4.

In Iobi Hiſtoriam, & libros tres Tobiæ, Iudith, Eſter, Eſdræ, & Nehemiæ. Louanij apud viduam Haſtenij 1632. in 4.

Sanctiſſima 4. Euangelia Hiſtorico ordine, concordiæ in modum digeſta. Louanij apud Maſium 1633. in 4.

Edidit lingua vernacula ſub nomine Anagramatico *Caſimiri Douemin*.

Controuerſiā de S. Petri Primatu, ſiue prærogatiua Sedis Apoſtol. aduerſus calūnias Iacobi Triglandij verbi Caluiniani apud Amſtelodamenſes Miniſtri, qui libellum De Cathedra S. Petri & ſucceſſione Sanctiſſimorum Romæ Pontificum euulgauerat. Prodijt priùs Antuerpiæ Typis Ioannis Cnobboari in 12. Recuſus mox Amſtelodami in 8.

ADRIANVS CRVCIVS Belga, Gandaui natus anno 1578. in Societatem Ieſu ingreſſus Tornaci 1596. cùm vitam traduxiſſet in imbuendis, tum Græca, tum Latina litteratura noſtrorum, & externorum animis, tria vota ſolemnia profeſſus, in nobiliſſimo caritatis opere, ſeruiens in magna lue, curandæ ſaluti peſte affectorum, Antuerpiæ vitam concluſit Octobris die 23. 1629. Vertit latinè imprimente Hieronymo Verduſſen 1625.

Litteras annuas rerum in Regno Sinarum anno 1620. à Societate Ieſu geſtarum &

Rerum memorabilium ab eadem Societate anno 1619. 20. 21. & 22. in Iaponia Regno geſtarum.

* ADRIANVS IORDANVS, natione Gallus, gente Normannus, Conſtantienſis Diœceſis, ad Societatem duodeuicennis ſe aggregauit anno ſalutis 1635. & profeſſionem votorum quatuor emiſit. Rhetoricam 11. annis explicuit cum laude; Euocatus è Gallia à Sereniſſima Regina Poloniæ Aloyſia Gonzaga, eidem quoad vixit, à Sacris confeſſionibus fuit; Redux in Galliam adminiſtrauit Collegium Rothomagenſe, & modo dum hæc ſcribimus anno 1674. ſereniſſimæ Duciſſæ Aurelianenſis, quam etiam Eccleſiæ Catholicæ reconciliauit, conſcientiam moderatur. Edidit latinè:

Suſannam Tragediam, actam coram Chriſtianiſſimo Rege. Pariſijs ex officina Cramoſiana 1654. in 12.

Panegyricum inaugurato Regi Ludouico XIV. dictum. Pariſijs ex eadem officina 1654. in 4.

Orationem de ratione comprimendæ Doctrinarum Nouitatis. Ibidem & eiſdem typis 1656. in 4.

Expoſtulationem de morte Franciſci Fuquetij carmine Elegiaco inter carmina quæ eodem de Argumento edidit Collegium Pariſienſe 1660.

ADRIANVS IVNGIVS natione Polonus, in Oppido Maſouiæ Prouinciæ cui Blonsko nomen eſt, natus, florente adhuc ætate anno 1573. mundo nuntium remiſit, & noſtræ Societati ſe addixit die 24. Februarij, in qua cum pietate, ſuique victoria, egregiam eruditionem coniunxit; linguarum peritia, & doctrina politioris litteraturæ, ac controuerſiarum fidei abundè inſtructus, & in Eccleſiaſticis Annalibus, ac Sanctorum Patrum monumentis bene verſatus. Triginta quatuor annos Religioſæ vitæ laboribus, quà concionando, quà docendo, ſcribendoque conſecrauit, & ex his 22. concionibus impendit, de ſua Prouincia; atque adeò de re Chriſtiana præclare meritus. Nihil ſe aiebat habere carius in vita Epulo auguſtiſſimo Corporis, & Sanguinis Domini, & Sacrorum Codicum lectione: Diuini penſum officij, etiam deuexa ætate, & laboribus fracta, prouolutus in genua maxima cum attentione perſoluebat. Tertio ante mortem die tamquam præſagio, Confeſſarium rogauit, vt ſuam ſibi operam ad vniuerſæ vitæ expiationem commodaret. Obijt Poſnaniæ, peſte inter docendum ab aliquo diſcipulorum concepta, die 26. Auguſti anno 1607. ætatis 57. multa moliebatur ſcribere ſi vita ſuperfuiſſet. Scripſit autem.

Artes & Impoſturas noui Euangelij Magiſtrorum. Poſnaniæ typis Ioannis Vvoldrabij 1589. in 4.

Confutationem Epiſtolæ Ioannis Capij Pſeudo-miniſtri. Primum Lutherani, deinde Picarditæ, ſeu Caluiniani, ac demum Anabaptiſtæ Samoſeteniani, in qua potiſſimum *De Tranſubſtantiatione panis, & vini in Euchariſtia Sacramento, & adoratione*, Catholica doctrina propugnatur, & vſus huius Sacramenti ſub vna ſpecie defenditur.

Refutationem libelli aduerſus Miniſtro-Machiam Stanislai Reſcij à quodam Guilhelmo Oxomenſi ſcripti.

Synopſim noui Euangelij, ſeu Doctrinam de moribus, fructibus, characteribus, & horrendis, atque implacabilibus diſſidijs Sectariorum huius temporis lib. 3. oppoſitam Vindicijs Miniſtri Radeouienſis Caluiniani. Poſnaniæ typis viduæ Ioannis Vvolrabi 1595. in 4.

Polonicè vero ſcripſit: *Quinquaginta duarum quæſtionum à Pſeudo-Euangelicis Miniſtris in Polonia Ieſuitis propoſitarum Analyſim, ſeu reſolutionem in duas Partes ſeu libros diſtinctam* cui operi acceſſit.

Refutatio cuiuſdam libelli Caluiniani aduerſus ſacras imagines Poſnaniæ 1593. in 4.

Conciones eruditas de Incarnatione D. & Sanctiſſima Euchariſtia.

Poſſeuinus recenſet eius etiam

Reſponſionem ad quingentas quæſtiones Catholicis à Caluinianis propoſitas. Sed eaſdem eſſe exiſtimo cum Analyſi iam memorata.

ADRIANVS VAN LYERE, natione Belga, patria Antuerpienſis natus anno 1588. in Societatem admiſſus 1608. inter varia quæ geſſit, in Societate munera, Rectorem Caſleti in Flandria, & pluribus annis Mechliniæ atque Bruxellis, alijſque locis ſtrenuum Concionatorem egit. Bruxellis in vno B. M. Virginis templo, quod Sabulonenſe appellant, ad 30. annos dixit; & quidem diu ſolus Dominicis feſtiſque diebus, & integris quadrageſimis. Confraternitatem Sancti Ioſephi ibi collapſam reſtituit, & aliam in honorem Sacratiſſimi nominis B.M. Virginis obtento Diplomate Pontificio cum Indulgentijs, pro ſua erga Deiparam pietate erexit, idque eo ſucceſſu, vt Aulam, Vrbemque totam in huius Sanctiſſimi nominis venerationem inflammarit. Vir fuit conſcientia tenera, amans ſolitudinis, & caritatis, Regularumque omnium accuratiſſimè obſeruans, multæ in pietatis materia lectionis, vt quidquid præſcriptis ab obedientia functionibus ſuperfuerit temporis, totum lectioni ſcriptionique impenderit. Demum in laboribus Sanctis Iubilæum annum in Societate prætergreſſus, & concionibus habendis adhuc inſiſtens, contracto in genu apoſtemate, & lenta febricula exhauſtus, laborandi ſimul & viuendi inter mortales finem fecit, ſpiritualis iam pridem Adiutor, Bruxellis die 5. Septembris 1661. edidit primum ſub alterius nomine tractatum paruum.

De præſtantia & cultu Sanctiſſimi nominis MARIAE. Flandricè Bruxellis typis Mommartij 1638. in 12. Hunc libellum.

Gallicè reddidit Pugetus de la Serre hiſtoricus Reginæ matris.

Hiſpanicè R. P. Andreas de S. Ioanne Carmel. Excalceatus 1640.

Teutonicè Petrus Vauters & impreſſum Coloniæ 1649. Sereniſſimo Archiduci Leopoldo Belgij Gubernatori dedicauit. Edidit etiam.

Triſagion Marianum, ſiue Trium Mundi Ordinum, Cæleſtium, Terreſtrium, & Infernorum, cultus pietas, & adoratio; erga Sanctum nomen MARIAE. Antuerpiæ typis eiſdem 1655. in folio.

De Imitatione Ieſu Patientis. Antuerpiæ typis eiſdem 1655. in fol.

Apophthegmata Sacra Sancti Ignatij de Loyola. Opus poſt humum Antuerpiæ eiſdem typis 1662. in folio.

Viam Cæli per Roſaria. Belgicè: Bruxellis 1645.

ADRIANVS MANGOTIVS, natione Belga, Goudæ, quod eſt Hollandiæ Oppidum, natus anno 1554. Louanij annis 9. Philo-

Philoſophiæ ac Theologiæ operam dedit in Collegio Clariſſimi Præſidis Viglij Zuchemi ibique primum gradum in Theologia adeptus, aliquot annis Paſtorali officio functus eſt. Sed ſæculum, vt penitus fugeret, Societatem Ieſu ingreditur Kal. Octobris anno 1585. Louanij, & Antuerpiæ ad D. Virginis Sodales, & ad populum frequenter dixit, habuitque Iuſtum Lypſium aſſiduum Auditoré,ac laudatoré.Totá vitá poſuit in colligendis;& in locos communes digerendis Sanctorum Patrum ſententijs, quibus omnes opportunè inflammare ſatagebat. Tandem plenus annorum & meritorum, Antuerpiæ in Domo Profeſſa Societatis, piè ac placidè, vti vixit, mortuus eſt anno 1629. die 15. Nouembris. Edidit.

Monita ſacra libris ſeu Partibus tribus, è ſacris litteris & Sanctis Patribus potiſſimum collecta in celebri Academia Louanienſi Sodalibus dicta varijſque locis Prouinciæ Flandro-Belgicæ primarijs, ad populum, & Clerum è ſuggeſtu ſacro pronunciata. Prodierunt Antuerpiæ, ex officina Hieronymi Verduſſen 1613. & iterum ibidem 1615. in 8. Item.

Monita Mariana & Paſſionem Domini, ex ſermonibus S. Leonis, & deinde ex varijs Doctoribus collectam. Ibidem & eodem Impreſſore 1614. & iterum 1618. aucta & recognita.

ADRIANVS POIRTRES, natione Belga, patria Ooſteruicanus. Societatem ingreſſus eſt anno 1625. natus annos vndeviginti: litteras humaniores docuit ſexennio, & quatuor Vota profeſſus eſt 1641. Toto tempore Sacerdotij Concionatorem egit, annis amplius 30. & naturæ conceſſit Mechliniæ die 4. Iulij 1674. Belgicum carmen pangebat inſigni facilitate, & elegantia. Edidit, ſed ſine nomine ſuo, Carmen.

De Victoria Sereniſſimi Principis Cardinalis Ferdinandi, & Batauorum clade ad Calloam 1638. 21. Iunij, quod maximo plauſu exceptum eſt, & ſæpius recuſum. Item.

De Victoria Sereniſſimi Principis Thomæ Sabaudi & Comitis Piccolominei in Morinis eodem anno 1638. Flandricè edidit.

Typum Mundi, Antuerpiæ apud Cnobbarum 1644. in 8.

Larnam Mundi. Ibidem apud eundem 1648. in 8. ſuppreſſo ſuo nomine emiſit.

Cor Deo Sacrum. Antuerpiæ apud Cornelium Vvoons 1660. in 8.

Columbam in Cauerna Maceriæ, apud eundem 1648. in 8.

Vitam S. Roſaliæ apud eundem 1658. in 8. Vertit in linguam Flandricam.

Miracula B. M. Virginis Hallenſis. Bruxellis apud Velpium 1657. in 8.

Quatuor Nouiſſima P. Stanishurſtij. Antuerpiæ apud Vvoons 1644. in 8.

Suffragia Sanctorum. Antuerpiæ apud Cnobbarum 1659. in 16.

Edidit etiam; Nomen IESV ſtreuam datam Iuuenibus; Coniugatis, Viduis, Eccleſiaſticis. Antuerpiæ apud Cnobbarum 1657.

Vitam Sancti Franciſci de Borgia. Antuerpiæ typis Cnobbari 1671. in 8.

Quæ verò extant Carmina in Imagine Primi ſæculi Societatis IESV, Belgico idiomate vulgata, pleraque ipſe compoſuit, vel ab alijs fuſa recognouit.

ADRIANVS RADZIMINSKI gente Polonus in Pago Maſouiæ Radzimino, Parentibus ex ordine Senatorio, natus, Societatem die 3. Aprilis anni 1574 ætatis 19. ingreſſus eſt. Philoſophiæ curſum Vilnæ; Theologiæ Romæ permenſus, redux in patriam, multis annis Cracouiæ, Lublini, Poſnaniæ, Leopoli concionatus eſt. Gubernauit etiam Leopolienſe, & Sendomirienſe Collegia. Obijt Sendomiriæ die 12. *Aprilis 1615. Vota* quatuor profeſſus ab anno *1595. Funebrem* defuncto Panegyrim dixit R. D. Gaſpar Cichocius Canonicus, & Parochus Sendomirienſis, vir optimè de Societate meritus, quam ſuis ſcriptis à maleuolorum calumnijs non ſemel defendit. Edidit Adrianus Polonicè.

Diſputationem quam cum Arianis habuit Leuartouiæ, & in alijs locis Palatinatus Lublinenſis, qua tantas in anguſtias Prædicantem coniecit vt ſe victum palàm fateretur.

ADRIANVS DE VVITTE, id eſt *Candidus*, Belga, Antuerpienſis, vir non minus re quam nomine Candidus, & cùm alijs omnibus virtutibus ornatus, tum maximè morum ſuauitate amabilis. Is cum ſe in Belgio primis ſocijs adiunxiſſet, Louanio Romam profectus eſt anno 1551. Vnà cum Euerardo Mercuriano, Eleutherio Pontano, tribuſque alijs; Vndè anno inſequente Mutinam à Sancto Ignatio Patriarcha noſtro miſſus, in illo nouo Collegio fecit initium docendi. Regreſſus deinde in Belgium ex hac vita diſceſſit Louanij, & ſepultus eſt ad Sanctam Claram anno 1558. Idibus Ianuarijs cum Societas nondum haberet Collegium, aut certam Sedem in illa Academia. Scripſit libellum qui inſcribitur.

Traiectus in Cœlum, ſeu ſpirituale iucundum Monaſteriolum, quem Adrianus Adriani poſt mortem Auctoris, cùm paſſim incorrectè deſcriptus circumferretur, duodecimo poſtquam primum ſcriptus fuerat anno, recognouit & vulgauit Louanij typis Hieronymi Vvellæi 1668. in 8. 4.

AEGIDIVS BAVARIVS, Belga Inſulis Flandrorum natus 1550. puer in Virgilio terendo, & memoriæ mandando perdiligens, admiranda deinde in effæto ſene reminiſcentia puerilium muſarum, cum duobus annis quinquagenarium Iubilæi Religioſi annum in Societate IESV, multis officijs præclarè perfunctus ſuperaret, Edidit typis Nutianis.

Muſam Maronis Catholicam, ſeu Catechiſ-

Digitized by Google

mum Maroniano Carmine velut in centone expreſſum. Antuerpiæ typis Nutij 1622. in 12.

Paſſionem Domini Noſtri IESV Chriſti verſibus Heroicis potiſſimùm ex Marone concinnatis. Ibidem.

Mortuus eſt Gandaui die 26. Martij 1627. cum in Societate, (ad quam vicennis venerat) annos 57. poſuiſſet. Vota quatuor ſolemnia iam ab annis 37. in ea profeſſus. Vir fuit eximia in Deum fiducia, qua inter proſpera, & aduerſa ſibi ſemper ſimilis eſſet. Deumque in deploratis ſæpè rebus experiretur adeſſe. Sic nimirum inter prima Gandenſis exordia Collegij, quæ per annos 13. feliciter gubernauit, cum ſibi ſocijſque alendis aſſes dumtaxat quinque haberet, mox ab omnibus affatim fuit inſtructus. Aliàs cùm vrgerent hominem Creditores, vehementiùs, omni ſpe ſubſidij, vt videbatur, excluſa, tantum ex inopinato ſubminiſtratum eſt æris, quantum expungendis nominibus ſat erat. Fuit admirabili in alios manſuetudine, in ſe ipſum ſeueritate; Sub extremum querebatur vetitum ſibi vſum veſtis cilicinæ, quam conſuerat iam olim ternos dies, quaternoſque continenter corpori admouere. A morte reperta ſunt flagella gemina ferreis præacuta ſtimulis, quæ horrendum in modum cruentarat.

AEGIDIVS BVCHERIVS Belga, Atrebas, natus anno 1576. in Societatem ingreſſus 1598. Theologus, Hiſtoricus, & Concionator celebris; Bethunicenſis Collegij per decennium, Leodienſis per ſexennium Rector fuit. Vir multæ lectionis in annorum temporumque calculis ſubducendis verſatiſſimus. Ingenij dotibus parem vitæ innocentiam coniunxit; Vitæ Religioſæ tenax in paucis, & otij perpetuus Oſor. Communis vitæ etiam in deuexa ætate adeo ſtudioſus, vt in victu, cultuque corporis nihil ſibi ſingulare deferri pateretur. Præcipuo in Chriſtum patientem amore incenſus, in ſacris eius vulneribus potiſſimum acquieſcebat. Ab his & viuens, & moriens, ſalutis ſuæ præſidium petebat ſæpiùs illud ingeminans: *Quærens me ſediſti laſſus, Redemiſti crucem paſſus, Tantus labor non ſit caſſus*. Virtutis & doctrinæ fama inſignem, & quatuor votis ſolemnibus obligatum ab anno 1616. mors demeſſuit, Tornaci die 8. Martij 1665. Edidit.

Diſputationem Hiſtoricam de primis Tungrorum ſeu Leodenſium Epiſcopis cum Chronologia poſteriorum. Leodij typis Chriſtiani Ouvverx 1612. in 4.

Chronographiam Hiſtoriæ Leodienſis, poſteriorum Epiſcoporum, additis Romanorum Pontificum, Imperatorum, & Regum Franciæ tabulis. Leodij cum ſcriptoribus Leodienſibus à Chapeauuille editis.

Gregorium Turonenſem ampliſſimis notis illuſtratum.

Commentarium in Victorij Aquitani Canonem Paſchalem, quo Cycli Paſchales veterum exponuntur; verus Paſſionis Chriſti dies eruitur, & Doctrina temporum traditur. Antuerpiæ typis Plantinianis Baltazaris Moreti 1633. in fol.

Belgium Romanum Eccleſiaſticum & Ciuile in quo Hiſtoria Occidentalis vniuerſa continetur à fine Commentariorum Cæſaris ad annum Chriſti vulgarem. 511. Leodij typis Nouiorum 1655. in fol.

* AEGIDIVS CARLIER, Natione Belga, patria Dunckercanus, natus anno ſæculi labentis xiij. Vicennis Societatem amplexus eſt, eique votorum quatuor nuncupatione ſolemni ſe adſtrinxit. Poſt traditas annis aliquot humaniores litteras, Miſſiones obiuit. Diſciplinæ Domeſticæ & æconomiæ curam geſſit; rexit Domum probationis tertiæ Lyranam; nunc dum hæc ſcribo 1674. in Gandenſi Collegio ſalutem promouet animarum; Mandauit typis lingua Belgica.

Regulam fundamentalem Perfectionis ſiue de agnoſcendis, & emendandis peccatis venialibus. Antuerpiæ apud Arnoldum BraKel 1656. in 8.

AEGIDIVS DE CONINCK, ſiue *Regius*, Belga, Bellioli in Flandria natus 16. Decembris 1571. ad Societatem ſe adiunxit 15. Octobris 1592. & vota 4. ſolemni ritu concepit 1609. Vir omni politiori litteratura inſigniter ornatus, Magni Leſſij non impar diſcipulus, cuius etiam Scholaſticæ Theologiæ Cathedram obtinuit, & totos duodeuiginti annos cum inſigni laude moderatus eſt Louanij, vbi Sociorum ſubinde ſtudijs annos 10. præfuit. Interea magno Chriſtiani Orbis vſu, ac fructu publica luce donauit, has ſuas Theologicas lucubrationes quas in pretio eſſe, ac diligenter teri teſtantur Auctores, qui poſt illum prodierunt, & creberrimè ſententias, & doctrinam eius citant, ac laudant. Edidit vero.

Commentarium ac diſputationes in vniuerſam Doctrinam S. Thomæ de Sacramentis, & Cenſuris, Tomis duobus Antuerpiæ typis Nutianis primum anno 1616. iterum cum augmento & recognitione anno 1619. in fol.

De Moralitate, natura, & effectibus, Actuum ſupernaturalium in genere; & Fide, Spe ac Charitate ſpeciatim. libris 4. Antuerpiæ eiſdem typis 1621. in fol.

Opuſculum de Abſolutione moribundi ſenſibus deſtituti. & cum hanc doctrinam impugnaſſet vir quidam doctus, edidit *Reſponſionem ad diſſertationem, impugnantium Abſolutionem moribundi ſenſibus deſtituti addita explicatione duorum dubiorum circa miniſtrum Sacramenti matrimonij, & diſſolutionem eiuſdem per conuerſionem alterius Coniugis ad fidem*. Antuerpiæ apud Martinum Nutium 1626.

Paratum reliquit moriens, iamque approbatum tomum.

De Deo Trino, & Incarnato, qui lucem poſthumus aſpexit, Antuerpiæ apud Meurſios 1645. in fol.

Obijt

Obiit Religioſiſſimus Pater Louanij die 31. Maij 1633. ſtomachi debilitate confectus.

* AEGIDIVS ESTRIX Belga, Mechliniæ natus anno ſæculi voluentis 24. Societati nomen dedit 1641. exeunte Septembri, & vota quatuor ſolemnia nuncupauit 1659. Vir omnibus ſcientijs egregie inſtructus. Philoſophiæ in Belgio, Theologiæ operam nauauit Romæ, litteras humaniores docuit ſexennium: Philoſophiam quadriennium Theologiam Scholaſticam ſeptennium Louanij, vbi modò Præfecturam gerit ſtudiorum. Edidit pro aſſerenda ſufficientia attritionis cum Sacramento Pœnitentiæ.

Diſſertationem Hiſtorico-Theologiam pro mente Concilij Tridentini de vi attritionis &c. Mechliniæ typis Gisberti Lintzij 1669. in 4. Item.

Mentem Concilij Tridentini dilucidatam ex hiſtoria eiuſdem Concilij, per modum Appendicis ad Theſes Theologicas. Louanij 1669.

Confutationem ſuppoſitæ Veritatis, & Charitatis, ſiue Hiſtoriam Concilij Tridentini, Patreſque ac Theologos Tridentinos defenſos aduerſus Auctorem diſputationum Apologeticarum. Mechliniæ typis Gisberti Lintzij 1670. in 4.

Minimè Paradoxum, Paradoxo nupero de Attritione diſſipando. Louanij typis Petri Saſſeni 1671. in 4.

Summulam ſummarum de controuerſia Attritionis ſubductam fideliter. Louanij typis eiſdem 1671. in 4.

Diatribam Theologicam, ſiue manuductionem ad fidem diuinam perueſtigandam. Antuerpiæ typis Cnobbari 1672. in 4. Sed hæc Diatriba prohibita nuper fuit à Sac. Inquiſitione Romana.

Apologiam pro ſummis Pontificibus, Concilijs Generalibus contra inſtructionem ad Tyronem Theologum. Antuerpiæ typis Michaelis Cnobbaert 1672. in 4. Etiam prohibitam à Congreg. Indicis donec corrigatur.

Dilucidationem communis Doctrinæ, de fide imperfecta quorundam hominum rudium. Antuerpiæ typis iiſdem 1673. in 4. Hæc quoque eodem Decreto prohibita fuit à Sac. Inquiſitione.

* ÆGIDIVS FRANCISCVS DE GOTTIGNIES Belga, natus Bruxellis anno ſalutis 1630. Societatem amplexus eſt 1653. die 9. Nouembris, & votorum 4. profeſſionem emiſit. Scientijs Mathematicis inſigniter excultus, ijs tradendis publicè in Collegio Romano, poſt decurſa ibidem Theologiæ ſtudia eſt adhibitus, iamque in annum duodecimum multa cum laude eas explicat. Edidit hactenus *Elementa Geometriæ planæ*. Romæ Typis Angeli Bernabò 1669. in 18. Item.

Logiſticam, ſiue ſcientiam circa quamlibet quantitatem, diſcurrentem, cui Mathematicum nullum problema inſolubile, nullum theorema indemonſtrabile, Romæ apud Vareſium 1674. in 4.

Figuras Cometarum qui apparuerunt annis 1664. 1665. 1668. cum breuiſſimis animaduerſionibus & tabulis inciſis æri Romæ. Præterea.

Obſeruationes circa maculas Planetarum Iouis & Martis, & eorum perpetuam viciſſitudinem quas ſpeciali opere fuſiùs cogitat proſequi.

* AEGIDIVS GERARDI Belga, natus Antuerpiæ anno Domini 1596. Patrem habuit ſupremum Vigiliarum Præfectum, Patruos duos, quorum vnus ſemel, alter decies Conſul fuit, & peculiari ſtudio ſemper Societatem fouit. Abſolutis humanioris litteraturæ ſtudijs, Societati ſe adſcripſit anno 1613. & in ea poſt traditas amæniores litteras quadriennio, præfuit ſcholis annis 12. Egit Miſſionarium, Concionatorem, Directorem Sodalitatis B.V. annis compluribus; & varijs in locis per Prouinciam; in quibus ita ſuam exercuit induſtriam, & zelum, vt ſuo exemplo docuerit, nuſquam virtuti non eſſe locum. Demum diuturno hydrope, quem Medici tympanitem appellant, afflictus, & ſacro Euchariſtiæ epulo refectus, piam animam egit Antuerpiæ 17. Ianuarij 1655. in gradu ſpiritualium Coadiutorum pridem antea conſtitutus. Scripſit Belgicè.

Speculum Philotheæ. Antuerpiæ 1646. in 12.

ÆGIDIVS GONZALEZ DE AVILA natione Hiſpanus, patria Toletanus, Oppido Buroion, natus eſt anno ſalutis 1532. eius mater cum Aegidium geſtaret, viſa ſibi videre eſt ex vtero ſuo, radios lucis circumquaque diffundere, quod cum marito retuliſſet, ille non vana coniectura, filium quem paritura eſſet, multorum filiorum Patrem fore prædixit, idque rei probauit euentus. Adoleſcens enim adhuc imberbis, & decem atque octo annorum, cum litteris nauaret operam Compluti, Societati ſe noſtræ dedicauit anno ſalutis 1551. in qua vixit laudabiliter vſque ad annum 1596. ineuntem, quo vix dum ſexageſimum quartum ætatis annum ingreſſus, noſtræ mortalitatis exuuium Matriti reliquit 15. Ianuarij, non ſine magno Noſtrorum, atque alienorum dolore. Fuit vir in quo neſcias quid primum admirere; Ingenium ne, an morum ſuauitatem; eruditionem, an vitæ ſanctimoniam; prudentiam in gubernando, an modeſtiam atque affabilitatem; aſperitatem in ſe pœnitentiæ, an conſuetudinis cum alijs iucunditatem. Sed cum ingenuis artibus omnibus excultus eſſet Ægidius, tum verò excellenti Antiquitatis obſeruatione, ac memoria pollebat. Religionum omnium ſacrarum Regulas, Statuta, Conſtitutiones perlegerat, & habebat in promptu. Concilia multa memoria tenebat; Sacra Summorum Pontificum Decreta ad vnguem nouerat; exquiſitas ac minimè vulgares Patrum ſententias cum paucis callebat, eorumque volumina, diurna, nocturnaque

naque manu verſabat, ſi quando à grauioribus occupationibus eſſet otioſus, quod raro ei contigit. Nam vix à carceribus ad ſtudiorum metam peruenerat, cùm Obedientiæ iuſſu coactus eſt ſtudia intermittere, ac gubernandi in ſe onus ſuſcipere. In Prouincijs Caſtellæ, Toleti, Bœticæ, & Aragoniæ, tum Prouincialis, tum Viſitatoris munere functus eſt. Aſſiſtens etiam apud P. Euerardum Mercurianum Præpoſitum Generalem; ad quod genus officij abſens electus eſt ab vniuerſa Congregatione Generali, cùm captus Ægidius ab Hæreticis in Gallia teneretur, in quorum manus ac furorem, Romam ad Congregationem Generalem proficiſcens inciderat, ac tam grauiter fuerat vulneratus, vt parum abeſſet ab extremo periculo. Atque vt paucis multa complectar, plurimum Ægidij religio, induſtria, prudentia, ac doctrina ad conſeruationem atque propagationem contulit vniuerſæ Societatis. Scripſit, ſed non edidit.

In librum Exercitiorũ ſpiritualium S. P. N. Ignatij præclaras annotationes, Explicationes noſtrarum Regularum valdè eruditas, ac Religioſas.

Inſtituti Societatis, tum declarationem, tum confirmationem. Concilia generalia. Omnia exactè in locos communes redegit.

* ÆGIDIVS LA CARRY, natione Gallus, patria Occitanus Diœceſis Caſtrenſis natus anno ſæculi labentis 5. Societati ſe adiunxit 24. & votorum quatuor Sacramento ſe obſtrinxit. Docuit Rhetoricam & amœniores litteras ſexennio; Philoſophiam biennio; Theologiam moralem biennio, & ſacram Scripturam interpretatus eſt etiam biennio. Rexit Collegium Cadurcenſe, & Miſſionarium multis annis magno fructu egit. Adhuc ſuperſtes Claromonti. Edidit hactenus.

Elogium Nati Delphini Ludouici XIV. Toloſæ 1637. in 4.

Notas in librum Cornelij Taciti de Germania. Montalbani 1649. in 4.

Mathematica cum tabulis Logarithmicis, & Lunæ Solaribus ad inueſtigandas Eclipſes Lunares & Solares. Tacito ſuo nomine Pariſijs duabus partibus ſeu libellis 1652. in 12.

Numiſmata antiqua quæ ad Chronologiam, & hiſtoriam pertinent. Claromonti in Aruernia, ſcripſit etiam.

Hiſtoriam Codicis Iuſtiniani in folio recognitam, & approbatam, & mox edendam Lugduni.

ÆGIDIVS DV MONIN, ſiue *Moneus*, natione Belga patria Belloramus in Ducatu Luxemburgenſi, natus anno ſalutis 1565. abdicato Canonicatu Eccleſiæ Cathedralis Namurci, quem annis vndecim tenuerat, Societati ſe aggregauit anno 1603. & vota quatuor ſolemnia profeſſus eſt. Rexit Collegia Namurci, & Leodij, & demum ſpiritualium rerum Præfectus Inſulis pie obijt 17. Septembris 1624. edidit.

Sacrarium Comitatus Namurcenſis, quo recenſet Sanctorum Reliquias, & Religioſa loca, quæ in illo ſunt. Leodij 1619.

* AEGIDIVS A SANCTA ALDEGVNDE, natione Belga, patria Duacenſis, Comitis à S. Aldegunde filius primogenitus, ſpretis honorum titulis, & ampliſſima hæreditate, Societatem Vndeuicennis ingreſſus eſt anno 1614. & ſolemnium quatuor votorum nexu ſe obligauit 1630. Amabilem indolis modeſtiam, quam ad tyrocinium detulerat, eandem perpetuò retinuit, ab omni faſtu vſque adeo abhorrens, vt illuſtrium natalium memoria planè deleta ex animo videretur. Magno, & domeſticis exemplo, & externis incitamento, ad omnem virtutem fuit; quorum confeſſionibus excipiendis conſtanter incubuit donec febris optimum Patrem adorta medijs in laboribus paulatim attriuit, atque demum Duaci Cœlo (vt confidere par eſt) transmiſit die quarta Octobris 1657. Vertit, auxit, editque è Flandrico.

Vitas earum Virginum quæ in ſæculari ſtatu ſanctitate claruerunt. Tornaci typis Adriani Quinque 1640. in 12. Item.

Viam Cœli per Roſaria. E Flandrico noſtri Adriani Lyræi. Montibus Hannoniæ typis Vvandretianis.

ÆGIDIVS SCHONDONCHVS natione Belga, patria Brugenſis ex voto parentum priuſquam conciperetur, Deo ſacer. Cum enim ingraueſcente ætate, pluribus iam annis liberos habere deſijſſent, ardentibus à Deo precibus flagitarunt prolem maſculam, quam familiæ ſuæ poſtremam Diuino cultui in Eccleſia manciparent, à Parente ſuo Ægidio nomen tracturam, Nec irritæ fuere preces; nam pridie Kalendas Septembris, natus, & poſtridie, qui Sancto Ægidio ſacer eſt, Ægidius ex voto eſt appellatus anno 1556. Is annos 20. natus, & humanioribus litteris egregiè imbutus, Societati ſe noſtræ tradidit; in qua poſt totidem annos ſpiritualis Coadiutoris gradum adeptus, totidem rurſum vitæ adiecit, donec ſexagenario quinque menſibus maior, Audomaropoli ſuauiter inter Adoleſcentium Anglorum preces, quos in illius gentis Seminario totos iam annos 17. ad omnem virtutem præclarè inſtituebat, in Domino conquieuit. Parentatum illi eſt magno ſuorum quos regebat luctu, qui deſiderij ſui magnitudinem non ferentes, trigeſimo quàm obierat die ſolemnes illi exequias, atrato templo procurarunt, oratione, emblematis, multoque carmine atrata in aula luxerunt. Varia in Societate munia cum laude geſſit. In Adademia Duacenſi Humanitatem, & Rhetoricam ſeptennio publicè profeſſus eſt; Antuerpiæ Scholarum Præfectum egit, Concionatorem alibi; Rectorem Cortraci ſexennio; reliqua ætate Collegium Anglorum Audomari gubernauit, Vir erat ſolerti ingenio, prudentia

dentia ſingulari, ſermonis gratia, & morum comitate, atque dicendi pondere tanto, vt omnibus eſſet amori, ac venerationi; atque apud ſummos etiam Proceres auctoritate polleret. In officijs diuinis Eccleſiaſticis accuratiſſimus cæremoniarum, ac rituum Eccleſiaſticorum exactiſſimus obſeruator: quos ipſe nonnunquam manantibus vbertim lacrymis ex intimo ſenſu pietatis, magna cum reuerentia, ac pietate obibat. Cœlites omnes, ſed in primis B. V. Deiparam ſingulari affectu venerabatur. Illius memoriam, & cultum modis omnibus promouere, & iuuenum animis imprimere ſatagebat, aptis ad idem inuentis ſolerter excogitatis. Horæ ſigno audito, ſemper eam ſalutatione Angelica venerabatur, abrupto quocumque colloquio, vel negotio, quo fortè deſtineretur. Incredibili felicitate eſt vſus ad Iuuentutis informationem, ſiue in litteris, ſiue in alijs bonis artibus promouendam, vt ad hoc natus factuſque à natura videretur, & hoc nomine eximiam laudem, vel ab ipſis fidei noſtræ hoſtibus in Anglia retulerit. In biennali morbo cui tandem ſuccubuit, illuſtria dedit patientiæ documenta, & ad extremum vſque diem omnia Collegij ſui negotia, vel ipſe tractauit, vel ne non rectè fierent coram ſe tractari voluit: Admonitus, vt ſe per ſacramenta compararet ad exitum imminentem; Enim verò (inquit) hoc dudum in votis habeo, & colloco in beneficio maximo; At tu Domine IESV Suſcipe hunc humilem, & indigniſſimum ſeruum tuum, qui quidem laborem tui cauſa non recuſabam, at præhabeo quod diuinæ maieſtati tuæ placet. Inter huiuſmodi colloquia, & veniæ erratorum ſuorum ab aſtantibus poſtulationem, votorum ſuorum repetitionem, piaſque ad omnem ſanctimoniam adhortationes, obdormiuit die 29. Ianuarij 1617. Plura de Viri huius nunquam ſatis laudati pietate, & raris dotibus, in educanda ad omnem virtutem, & doctrinam iuuentute, qui cupit, videre poterit apud noſtrum Henricum Morum in Hiſtoria Prouinciæ Anglicanæ lib. 5. & 9. Vertit Ægidius in Latinum è Belgico.

Apologiam Franciſci Coſteri, aduerſus Calumnias Lugdunenſium Batauorum in Societatem Ieſu. Quòd percuſſorem immiſiſſet in Comitem Mauritium Naſſouium. Eam ſic inſcripſit.

Sica Tragica Comiti Mauritio à Ieſuitis, vt aiunt Caluiniſtæ, Leydæ intentata. Antuerpiæ typis Trognetianis 1590. in 8.

Edidit etiam prout refert R. P. Hippolytus Marracius, è Ven. Congreg. Clericorum Regul. Matris Dei, Accuratiſſimus inveſtigator Sriptorum de B. V. in Bibliotheca ſua Mariana.

Paraphraſticam explicationem in hymnum Salue Regina, & hymnum, Aue Maris Stella. Antuerpiæ ex Officina Plantiniana 1609. Multa inchoata reliquit morte præuentus, Inter alia.

Admiranda huius ſæculi.

AEGIDIVS DE SMIDT, natione Belga, patria Antuerpienſis, natus anno ſalutis 1584. 23. Aprilis Societatem ingreſſus eſt anno 1601. & in ea poſt traditas litteras humaniores Concionatorem egit annis ſeptemdecim, Confeſſarium aſſiduum in templo, & Operarium infatigabilem vſque ad obitum ſpiritualium Coadiutorum gradui adſcriptus. Fuit enim verò magni zeli, & proximorum ſalutis ſitiens atque ita octogenario ſex annis maior plenus dierum ac meritorum exceſſit ex hac vita, Antuerpiæ die 5. Maij 1670. Euulgauit lingua vernacula Plurimos libellos minutos, quaſi ſingulis annis in ſtrenam dandos ſub varijs titulis, vt *De quatuor Nouiſſimis De anima patiente, De tragico exitu Amani*, & ſimilibus.. Antuerpiæ typis Michaelis Cnobbaert in 12. diuerſis annis.

Vertit ex Italico in ſermonem Belgicum.

Meditationes de Paſſione Domini noſtri Lucæ Pinelli. Antuerpiæ 1644. in 8. ex Latino tranſtulit.

Epiſtolas R. P. N. Claudij Aquauiua, de Renouatione ſpiritus, & De fraterna Caritate: Antuerpiæ typis Meurſij 1646.

Hiſtoriam Martyrum Iaponenſium pro fide Chriſti occiſorum anno 1624.

Miraculum celebre à B. V. factum Cæſar-Auguſtæ in Hiſpania.

Regulas Societatis Ieſu, & Bullas Pontificum. Antuerpiæ apud Meurſeum 1647.

De Vita Beatæ Virginis Mariæ. Antuerpiæ apud Vvoons.

De Myſterijs Roſarij. Ibidem.

De SS. Euchariſtiæ Sacramento & præparatione ad S. Communionem. Ibidem.

* ÆMILIVS DE CARDENAS, Natione Italus patria Neapolitanus ex patritia Domo Marchionum Gayny, & Comitum Acerrarum, Deo ſe in Societate Filij mancipauit anno ſalutis 1619. ætatis ſuæ 20. & votorum quatuor ſacramentum dixit, anno 1635. Docuit litteras humaniores; fuit teneræ in Deum pietatis; candore animi, animarum zelo, & mira in ijs iuuandis induſtria apprimè commendandus. Rexit Collegium Maſſenſe, tum ſancti Ignatij Neapoli, deinde maximum Prouinciæ quod etiam eſt Neapoli. Hoc dum vigilanti cura moderaretur, & peſtis per vrbem graſſaretur, afflatus contagioſa lue, piè vti vixerat, deceſſit die 20. Iulij 2656. ſcripſit lingua vernacula.

Peccatorem contritum ſiue Conſiderationes centum ſupra verſum Pſalmi 50. *Tibi ſoli peccaui*, Neapoli typis Franciſci Sacaij 1652. in 12.

ALANVS DE LA BAVSCHERE natione Gallus, patria Pariſienſis, Iuuenis annorum 17. ad ſocietatem venit anno 1605. & poſt obita laudabiliter munera Societatis in Lotharingia, ad Indos, vti votis omnibus diu expe-

Digitized by Google

expetierat, nauigauit anno 1622. ſuſcepto gradu ſpiritualis Coadiutoris, & aſſumpto nomine Alani de Angelis, atque Mathematicis ſcientijs inſigniter inſtructus miſſus eſt in Regnum Tibeti ad excolendum illud nouale anno 1626. vbi poſt multos labores magno Zelo, & ſolatio ſuo in Cultura illius vineæ impenſos, migrauit ad ſudorum præmia circa annum 1634. Tranſtulit ex latino in Gallicum dum ad huc in Europa eſſet.

Conſiderationes De Æternitate Hieremiæ Drexelij. editas Muſſiponti apud Sebaſtianum Cramoyſy 1622.

ALARDVS LE ROY, Natione Belga, patria Inſulenſis, natus anno 1588. in Societatem admiſſus 1607. ex in Coadiutorem ſpiritualem formatus; Rhetoricam & humaniores litteras docuit ſeptennio; ſcholarum Præfecturam geſſit quinquennio. Concionator dein, & Confeſſarius aſſiduus in templo, ſedulus, ac diligens in cunctis quibus functus eſt muneribus; præclaræ æquabilitatis animi in omni vita, etiam in aduerſis, vt idem fuerit illi ſemper vultus atque eadem frons. Cibi fuit admodum parcus, & in potu, ex amore puritatis abſtemius. Cubiculi cuſtos perpetuus, niſi quando ſuperiorum nutus, aut ratio caritatis ad iuuandos proximos, aut ad habendas exhortationes, (quod frequentiſſime factum) euocabat. Religioſæ diſciplinæ, & Regularum etiam minimarum perquàm obſeruans, & dolorum acutorum in diuturno morbo inſignite patiens, tandem annis & meritis multis cumulatus, deſijt inter mortales viuere. Leodij 14. Decembris 1653. Edidit tacito ſuo nomine.

Iter certum Cœli & modum efficacem ad ſalutem. Tornaci apud Hadrianum Quinque 1621. in 12.

Beatam V. Cauſam omnium bonorum, & notam ſalutis. Ibidem. Apud eundem 1622. in 12.

Compendium Vitæ B. Franciſci Borgiæ. Inſulis apud Petrũ de Rache 1624. in 8. Gallicè ex latino Ioannis Roberti noſtri vertit.

Legiam Catholicam & vitam S. Lamberti. Edidit etiam.

Documenta Virtutis ex conſideratione Auiũ. Leodij apud Balduinum Bronckart 1653. in 8.

Sanctitatem vitæ ex conſideratione florum. Ibidem eiuſdem typis 1641. in 8.

Pœnitentiam dilatam. Apud eundem 1641. in 8.

Patrem familias. Apud eundem 1642. in 8.

Inſtitutionem ad dies Dominicos feſtoſque piè tranſigendos. Apud eundem 1653. *in* 12.

Diuam cui à Gratia à felice Itu, Redituq; nomen eſt. Apud eundem 1651. *in* 12.

ALBERTVS DE ALBERTIS, natione Germanus patria Tridentinus, nobili loco natus anno ſalutis 1593. Societati nomen dedit 1615. & vota 4. nuncupauit 1630. Docuit in ea Rhetoricam, Matheſim, & ſacras litteras interpretatus eſt Mediolani annis 14. Concionatorem etiam aliquandiu egit, & infectis peſte Cremonæ Sacramenta miniſtrauit. Nunc Romæ à multis annis in Profeſſorum domo, Patrem ſpiritualem agit, Confeſſarium in templo, & ab exteris conſulitur frequenter in rebus ſpectantibus ad conſcientię forum. Edidit.

Generales vindicias aduerſus famoſos Gaſparis Scioppij libellos. Monachij formis Lucæ Straubij 1649. in 12.

Lydium lapidum ingenij, ſpiritus, ac morum Gaſparis Scioppij. Monachi iiſdem formis, & anno.

Paradoxa Moralia de ornatu Mulierum. Mediolani 1650. formis Ludouici Montij in 4.

Actionem in eloquentię cùm prophanę, tum ſacræ Corruptores. Mediolani formis Ioannis Petri Euſtorgij Ramellati 1651. in 12.

Alia complura parata habet prælo; ſed proximè opus magnæ expectationis ſub hac epigraphe.

Lucubratio Theologica, Scholaſtica, Moralis, & Canonica. De recta operandi regula cunctis tùm Fidelibus, quàm Infidelibus Iudæis, Hæreticis & cæteris ad euitandam culpã omnino neceſſaria.

Habet etiam in promptu *Dentiſcalpium, & Strigilem, & Nouaculam* aduerſus Scioppium diſtinctis libris, & inſuper alia.

* ALBERTVS CHANOVVSKI natione Bohemus, patria Suiradicenſis prænobili ſtirpe natus anno ſalutis 1581. Vicennis Societati ſe applicuit 1601. exeunte Iulio, & profeſſionem votorum 4. emiſit anno 1620. Docuit in ea humaniores litteras, Matheſim, linguam Hebraicam (cuius fuit egregiè callens) & ſacram ſcripturam interpretatus eſt. Rexit Collegium Crumlouienſe, & Conuictum Pragenſem. Sed longè maximam ætatis partem conſumpſit in laboribus Apoſtolicis per agros, ſyluas, montes aſperos, quęrendo rudes animas, quas Chriſtianæ vitæ præceptis inſtrueret, & Cœlo lucrifaceret. Cum his ſollum de rebus ad fidem, & cœleſtia attinentibus agebat nihil terreſtrium ſe intelligere profeſſus. In alios placidus, ac ſuauis; ſe ipſum inedia, ſiti, frigore, veſtium neglectu, humi cubationibus, & alijs aſperitatibus acerrime torquebat. In tot miſſionibus per annos ampliùs duodeuiginti, nulli vnquam fęminæ, ne quidem conſanguineis, familiaris extitit, vt ipſis etiam Catholicis propterea admirationi fuerit. Hinc apud Paganos, & Oppidanos populos P. Sanctus, non manducans, neque bibens, neque loquens niſi de Diuinis, deniq; Apoſtolus vulgò audiebat. Demum fractus laboribus & annis in Clattouienſi Collegio, cuius ipſe præcipuus Auctor fuerat, ſanctè, vt vixerat, conquieuit, die 16. Aprilis 1645. Abſoluit, & edidit inchoatas priùs à P. Iacobo Beſcouio, idiomate Bohemico.

Vitas Christi, B. V. & Sanctorum in menſes 12. digeſtorum Pragæ. Apud Paulum Soſſium 1625.

Veſtigium Boemię Pię, Notis illuſtratum à noſtro Ioanne Tannero Pragæ 1659. in 12.

Qui plura de hoc Apoſtolico viro noſſe deſiderat, conſulat eius vitam ab eodem Tannero deſcriptam.

ALBERTVS CROISSANT natione Belga patria Leodienſis, natus anno 1598. Societatem inijt 1615. & vota 4. profeſſus eſt. Iuuentuti erudiendæ, & diſciplinis humanioribus tradendis totum ſe impendit per annos quatuor & viginti, atque ex his ſexdecim docuit Rhetoricam, fere ſemper Leodij, inſigni fructu; cultor eximius B. Virginis; atque eius honoris promouendi perquam ſtudioſus, quamuis ægra ferè ſemper valetudine. Demum tactus Apoplexia, ibidem viuere inter mortales deſijt die 12. Iulij 1651. Edidit Satyram cui titulum fecit.

Litterarum ſtudioſus minimè ſtudioſus. Leodij typis Leonardi Streel 1637. Item alteram inſcriptam.

Puer malè moratus à ſene vapulans. Leodij typis Ioannis Tournay 1638. Item

Sales ſatyricos in Dæmonologos, ſiue impios dirarum Imprecatores. Leodij. Apud Balduinum Bronckart 1648. in 4.

ALBERTVS CVRTZIVS natione Germanus, patria Monacenſis quæ vrbs eſt Bauariæ, ſedes Electoris; Iuuenis ſocietatem ingreſſus eſt natus annos 16. ſalutis humanæ 1616. Ingenio ad omnes ſcientias peridoneo. Profeſſus eſt Matheſim, & Philoſophiam moralem, & cum laude egit annis multis Concionatorem. Rexit Collegia Eyſtadienſe, Lucernenſe, & iteratò Neoburgenſe, votorum quatuor profeſſione emiſſa ab anno 1635. vir multis ſcientijs præcellens, parum æſtimationis ſuæ præ ſe tulit; ſed in male affecto corpore, à patientia magnam meruit commendationem. Migrauit ex hac vita ad meliorem (vt ſperamus) Monachij 19. Decembris 1671. Publicauit propoſitum ab ſe Dilingæ ad diſputationem

Nouum Coeli ſyſtema anno 1627.

Plauſum ſymbolicum Maximiliano Bauariæ Duci ad Septemviratum euecto nomine Ingolſtadienſis Collegij.

Thalamum funebrem, ſeu funebria, Henrico Comiti in Helfenſtain. Nomine Collegij Dilingani. Dilingæ 1627. in 12.

Coniurationem Alberti Fridlandię Ducis, auctoritate Cæſarea Germanicè vulgatam, latinitate donauit, Cæſare volente, tacito ſuo nomine. Viennæ Auſtriæ 1635.

Problema Auſtriacum. In folio Monachij 1655.

Edidit etiam collectam, & concinnatam ſuo ſtudio, & Leopoldo Cęſari dedicatam Hiſtoriam Cæleſtem ex commentarijs, manu ſcriptis ob ſeruationum vicennalium Tichonis Brahæ. Auguſtæ apud Simonem Vtzchneiderum 1666. in folio.

Amuſſim Ferdinandæam, ſiue problema Architecturæ militaris Monachij 1651. *in fol.*

Citharam Dauidis, ſiue Pſalterium totum, verſu Germanico Auguſtæ typis Simonis Voſchmeider 1655. in 12.

* ALBERTVS INES, natione Polonus, ex ea parte Poloniæ, quæ minor appellatur, natus anno ſalutis 1620. Societati ſe adiunxit 1657. & votorum quatuor Sacramentum dixit. Docuit annis aliquot litteras humaniores, egitque Concionatorem. Excelluit Poëtica in facultate; ſed citò euocatus à Deo eſt ex hac vita Cracouiæ 5. Iulij 1658. Edidit in lucem.

Acroamatum Epigrammaticorum Centurias ſeptem. Cracouiæ typis Lucæ Kupitz 1655. in 12.

Lechiadem, ſiue Ducum, Principum, ac Regum Poloniæ ab vſque Lecho deductorum, Elegia Hiſtorico-Politica. Cracouiæ ex officina hæredum Franciſci Cæſarij 1655. in 4.

* ALBERTVS KVVIATKOVVSKI, natione Polonus ex ea Poloniæ parte, quæ maior dicitur natus anno ſæculi labentis 34. Societati ſe adſcripſit 1649. litteras humaniores in ea tradidit, & iam ab aliquot annis fungitur munere Procuratoris Prouinciæ. Edidit latinè.

Tyrocinium Marianum, ſeu pia exercitia ad vſum ſodalium B. Virginis, appoſitis Præfationi primis ſui nominis litteris Cracouiæ typis Schedulianis 1669. in 16.

De nouo cultu S. Barbaræ. Cracouiæ eiſdem typis, anno 1672. in 12.

ALBERTVS MORONVS, natione Italus, patria Cremonenſis, Societatem ingreſſus eſt Romæ anno 1620. ætatis 18. & votorum 4. profeſſionem emiſit. Quinquennio docuit amæniores litteras, infirmæ diu valetudinis, diem clauſit extremum. Romæ 1646. die 13. Octobris. Habuit coram Sanctiſs. D. Vrbano VIII. Pont. Max. anno 1639. in die Sanctæ Paraſceues in Sacello Pontificio.

Orationem de Paſſione Domini, quæ cum alijs eiuſdem argumenti edita eſt Romæ 1641. Typis Vitalis Maſcardi in 12. & prius ibidem edita fuerat 1639. in 4.

ALBERTVS MVRA, gente Italus; domo Taurinenſis, in Subalpinis, ſeu Pedemontio, admiſſus in Societatem anno ſalutis 1595. ætatis 17. Vota quatuor profeſſus eſt. Docuit Rhetoricam, Theologiam moralem aliquandiu, ſed Concionatorem maxima ex parte egit. Obijt peſte ſublatus in Monte Regio Subalpinorum, anno 1633. ætatis 55. & 38. poſtquam ad Societatem acceſſerat. Reliquit parata prælo.

Nauem inſtitoris, Opus ingens de B. Virgine.

Hiſtoriam luis Pedemontanæ, præſertim quæ Montem Regalem anno 1630. afflixit.

ALBERTVS PIGLIOVVSKI natione Polonus Societatem amplexus anno 1639. ætatis 16. prælegit in ea humaniores litteras, egitque Concionatorem. Edidit dum inter nos eſſet:

Elogia Regum, Præſulum, Heroum, Heroinarumque qui Societatem IESV per Prouinciam Poloniæ fundarunt. Cracouiæ apud Valerianum Piatkouski 1640. in 8.

ALBERTVS ROZCISZEVVSKI Polonus in Borkouo natus, qui Pagus in Maſouia, in Palatinatu Plocenſi eſt, ad Societatem tricenario maior acceſſit anno 1586. in eaque tam diligentem Theologiæ dedit operam, vt poſt traditas publicè humaniores diſciplinas, explicatamque Philoſophiam, magna cum laude Diuinam illam ſcientiam docuerit. Lublinenſe Collegium gubernauit aliquandiù, ſed ob eximias ad concionandum dotes, quibus fuit præditus, totum ſe ad illud munus conuertit, geſſitque, dum vires, & valetudo ſiuere, decennio, Poſnaniæ, Lublini, Cracouiæ. Cùm hæreticis feliciter tum verbo coràm non ſemel, tum ſcripto pugnauit. Obijt ſexagenario maior Sendomiriæ die 7. Ianuarij 1619. Profeſſus 4. votorum ab anno 1608. Edidit partim alieno, partim ſuppreſſo ſuo nomine opuſcula nonnulla fidei Catholicæ & Societati, aduerſus vtriuſque hoſtes propugnandæ vtilia.

Contra venenatum libellum Miniſtri cuiuſdam Caluiniani, qui contendebat Pontificem Maximum à Dæmone miſſum, tam efficaciter ſcripſit, vt os illi Miniſtro Complicibuſque perpetuò occluſerit.

Diſputationem de Eccleſia haud inutilem eſſe. Contra Fauſtum Sarinum Arianum, fortiter *pro Eccleſia* ſub nomine Andreæ Mezibozij *dimicauit.*

Reſponſionem ad Calumnias cuiuſdam, qui Patrocinium Torunenſium contra Ieſuitas ſuſceperat.

Orationem ad Senatum, Equiteſque, Polonos, in qua refelluntur ea quæ in Conuentu, tum Proſzeuienſi, tum Schedenſi Torunenſes Ieſuitis obiecerant.

Orationem alteram contra Andream Volenum Sacramentarium, qui Clementi VIII. inſcripſerat Orationem, qua per ſummam impudentiam ei perſuadere nitebatur vt ſe Pontificatu abdicaret. Edidit ſub nomine Ioannis Bobolæ.

Defenſionem Calendarij Gregoriani contra Latoſium Mathematicum, quam inſcripſit Polonicè *Latoſia ciele*, hoc eſt *Latoſij vitulus* ob ineptias hominis, quem confutabat.

ALBERTVS THEOBOLCIVS Polonus ex ea Regni Prouincia, quæ Sileſiæ confinis, Minor Polonia nominatur, vbi in Oppido Vviadz natus eſt. Viennæ Auſtriæ Societatem amplexus eſt die 4. Aprilis anni 1561. ibique B. Stanislaum Koſtkam ſeſqui annum in diſciplina habuit, cui Adoleſcenti, tantum in extremo præſertim morbo confidebat, vt non mediocrem bene moriendi ſpem in eo ſe collocare prædicaret. Ex Auſtria, præclaris inibi virtutum documentis relictis, cum Patribus, qui primi Prouinciam Poloniam colendam ſuſceperant, venit, atque vt erat magno animo, & præclaris munito virtutibus, breui effecit, vt laboris eum ſui non pœniteret. Nam cum eſſet humanioribus litteris apprimè excultus, eas annis 20. propè continuis ita docuit, vt vulgò Ciceronis ore loqui à grauibus viris diceretur. Deinde verò & Græcas, & Hebraicas quas 7. annis publicè profeſſus eſt, non minùs calluit; de capitibus fidei controuerſis diſciplinam eo maximè tempore aggreſſus eſt, quo multiceps hæreſis ex Germania in Poloniam ſe penetrauit. Docuit etiam Theologiam de quæſtionibus Conſcientiæ, & Concionatoris partes quadriennio ſuſtinuit. Reliqua ei ætas in Miſſionibus, præſertim ad excolenda Religioſorum monaſteria ſuſceptis, expenſa eſt; qui quantum ſe illi crederent debere, eo teſtati ſunt quod publicis exequijs defunctum indictiſque precibus, ac ſacrificijs proſecuti ſint. Quantum autem ægrorum ac pauperum luctum in tanti viri obitu putamus? quibus alendis ſexies mille ſexcentos ſexaginta aureos mendicando corrogarat, & apud ciues oppigneratis eorum bonis collocarat, vt annui quadringenti Noſocomio in poſterum redirent. Cùm Poſnania peſtilente cœlo multis annis continenter exerceretur non diſceſſit ille ab Vrbe, ſed plateas obibat, & peſte afflatos tintinnabulo cogebat, ritèque expiatos, piè Deo commendabat. Narrare ſolitus eſt Patri cuidam; cùm ante 40. circiter annos, ex ſcriptis caſibus Toleti didiciſſet, nullas preces aut Deo gratiores, aut nobis ſalubriores ijs, quæ fierent pro defunctis, firmiter eam conſuetudinem tota ſe vita retinuiſſe. His confectus laboribus, & ſtudijs in cœlum quò dudum aſpirabat, vocatus eſt, cum vixiſſet in terra annos 76. in Societate 51. vſque ad annum à Chriſto nato 1611. ſepultus poſtridie tanta Populi concurrentis frequentia, ob eius ſanctimoniæ opinionem, quantam templi anguſtiæ non capiebant. Edidit.

Diſputationem celebrem contra Arianos, quam cum refutare illi fuiſſent aggreſſi, egregiè rurſum eorum machinationes reiecit.

ALBERTVS VVIVK KOIALOVVICZ, natione Lithuanus, patria Launenſis, Societati nomen dedit anno ſalutis 1627. ætatis ſuæ 18. & votorum 4. profeſſione ſe obſtrinxit. Docuit in ea litteras manſuetiores, Philoſophiam, & nouennio Scholaſticam Theologiam. Rexit Vilnenſe Collegium, & Academiam Procancellarius, atque ibidem domum Profeſſorum. A Comitijs Prouinciæ miſſus eſt Romam ad Congregationem Procuratorum. Vir inſignite doctus, ſcripſit latinè.

Elo-

Elogia Imperatorum ex Auſtriaca familia. Vilnæ typis Academicis 1639. in fol.

Primum Societatis IESV annum ſæcularem Vilnæ ſolemnibus ferijs celebratum. Vilnæ 1640. in 4.

Compendium Ethicæ Ariſtotelicæ. Vilnæ 1645. in 4.

De Vita & moribus P. Laurentij Bartilij Societatis Ieſu. Vilnæ typis Academicis 1647. in 8.

Oculum ratione correctum, ſeu Refutationem demonſtrationis ocularis de vacuo. Vilnæ 1648. in 8.

Hiſtoriæ Lituanæ, partem primam ante ſuſceptam Religionem Chriſtianam, & coniunctionem cum Regno Poloniæ. Dantiſci ſumptibus Georgij Forſteri 1650. in 4.

Hiſtoriæ Lituanæ Partem alteram à coniunctione Magni Ducatus cum Regno Poloniæ. Antuerpiæ apud Iacobum Meurſium 1669. in 4.

Miſcellanea rerum ad ſtatum Eccleſiaſticum in Magno Ducatu Lituaniæ pertinentium. Vilnę typis Academiæ 1650. in 4.

Inſtructionem breuem circa caſus reſeruatos ad vſum Cleri Diœceſis Vilnenſis, iuſſu Illuſtriſſimi Epiſcopi Vilnenſis vulgatam. Vilnæ typis Academicis 1651. in 4.

De rebus geſtis anno 1648. & ſequenti contra Coſaccos Zaporouios Rebelles. Vilnæ typis eiſdem 1651. in 4.

Faſtos Radiuilianos, compendio continentes geſta Ducum Radziuuil. Vilnæ eiſdem typis 1653. in 4. Polonicè vulgauit.

Decem modos colendi B. Virginem in eius imagine Lauretana. Vilnæ 1648. in 12.

Colloquia Theologi cum Politico de electione prudenti vnius veræ Chriſtianæ Religionis ſub nomine diſcipuli ſui. Vilnæ 1640. in 4.

Concionem habitam in funere Petri Vvolouvicz, inſcriptam Mors ſine tormento Mortis. Vilnæ typis Academiæ 1652.

Colloquia Theologi cum Miniſtro De diſſidijs in rebus fidei inter Catholicos, & Caluiniſtas. Vilnæ typis eiſdem 1653. in 4.

Compendium Vitæ Alphonſi Rodriquez Societatis Ieſu ex Hiſpanico. Vilnę 1666.

Colloquia Thologi cum diſſidente in Religione de ſincero, & non adulterato vſu ſanctæ ſcripturæ ad probandos articulos fidei. Caliſsij typis Collegij ibidem 1667. in 4.

Multa alia præ manibus habet vtroque idiomate edenda.

ALEXANDER DE ANGELIS natione Italus, patria Spoletinus, Adoleſcens in Societatem ingreſſus eſt Romæ anno 1581. & votorum 4. profeſſionem emiſit 1599. Philoſophiam prælegit annis ſex. Theologiam cum laude pluribus, ſtudiorum deinde in Collegio Romano Præfectus fuit; Poſtea Ferrariam accitus à Cardinali Serra Legato, ibi mortuus eſt anno 1620. cùm egiſſet ipſe vniuerſim annos 58. ſcripſit.

In Aſtrologos coniectores, libros quinque, qui ſecunda editione correctiores, & notis exemplis illuſtrati prodierunt. Romæ typis Bartholomæi Zannetti 1615. in 4. Parabat Commentationes in Philoſophiam ac Theologiam vniuerſam, eas in illius operis, quod edidit, præfatione pollicitus; ſed mors interceſſit.

ALEXANDER BRIANTVS natione Anglus, patria Somerſetenſis, in Rhemenſi Anglorum Seminario ad omnem virtutem, & doctrinam inſtitutus, atque initiatus Sacerdotio, vt Catholicos aduerſus Sectariorum improbitatem tueretur, in patriam regreſſus eſt. Biennio in ea procuratione conſumpto, non ſine pretio laboris, in manus hoſtium incidit à quibus in Turrim Londinenſem compactus, inedia primum vexatus eſt, deinde adactis illi carnem inter & vngues pedum, manuumque aciculis, diriſſimè cruciatus, inter illa tormenta vultu ad hilaritatem compoſito pro ſuis tortoribus Deum orabat. Sub hæc in equuleo miſerandum in modum cruciatus eſt, vt ſolutis compagibus, penè membra diffluerent. Poſt repetitum immanius illud tormentum tertia vice, qua dolor ſolet eſſe grauiſſimus emiſſo Societatem ingrediendi voto, nullum illius ſenſum habuit. Tandem mirabili conſtantia animi & oris ſuauitate in ipſo iuuentutis flore 28. annum nondum egreſſus, vna cum Edmundo Campiano, eodem die ac loco eademque de cauſa, per idem mortis genus, palmam eſt adeptus, cùm ante mortem admiſſus fuiſſet in Societatem. Accidit id Londini in Anglia 1. Decembris 1581. Plura de glorioſa illius morte pro Chriſto habent Alegambe inter mortes Illuſtres eorum, qui de Societate in odium fidei necati ſunt ad annum 1581. Henricus Morus in Hiſtoria Miſſionis Anglicanæ lib. 3. num. 33. Daniel Bartoli in Hiſtoria de Anglia lib. 3. cap. 7. & alij. Extat impreſſa in Commentario de Perſecutione Anglicana, & in Concertatione Eccleſiæ Catholicæ in Anglia, Alexandri Brianti

Epiſtola ad Patres Societatis Ieſu in Anglia degentes, qua poſtulat in Societatem admitti, ſcripta in carcere, plena ſpiritu Diuino.

ALEXANDER CAPRARA, Italus, Bononiæ nobili genere ortus, à primis annis, ita ſe ad virtutem & bonas litteras applicuit, vt omnibus, atque in primis Cardinali Palæotto, propter pietatem, morumque grauitatem cum ſuauitate coniunctam, mirificè gratus eſſet. Magiſtro vſus eſt Carolo Sigonio, qui eum ſuarum lucubrationum ſcripſit hæredem, ratus à nemine alio vltimam illis manum aptiùs impoſitum iri. In Societatem, poſthabitis omnibus, venit 15. Septembris anno 1580. ætatis ſuæ 23. in qua ſtatim ita ad legum obſeruationem, obedientiam, orationis ſtudium, omnemque virtutem incubuit, vt magnam de ſe iam tum fecerit expectationem. Philoſophiæ,

Digitized by Google

phiæ, ac Theologiæ ſtudia eximia cum laude confecit. Græcas litteras ita calluit, vt eas publicè ſit profeſſus, vti & de Conſcientia quæſtiones, in quarum tractatione excelluit. Sæpiùs rexit in Societate Collegia, & ab ſua Prouincia iuſſus eſt Congregationi ſeptimæ Generali intereſſe. Franciſcus Gonzaga Epiſcopus Mantuæ, ad ſacræ Inquiſitionis tractationes, atque ad omnia ſua conſilia illo vtebatur; Vota quatuor ſolemnia ritè nuncupauit anno 1601. Omnis, virtutis laude floruit ad vſque extremum diem. Multus in orando, multus in ſe deuexando; nimirum coercere oportuit eius ardorem ne cilicijs & flagellatione in ſe ſæuiret præter modum. Aeſtatem tolerabat in habitatione æſtuoſa; hyemem verò procul ab igne. Nihil ſibi quod ad rem veſtiariam cæteramque ſupellectilem attinet depoſcebat; ſed vtebatur inuentis, ingeſtiſuè; Somnum abrumpere ſolitus, ad precationem horæ omnibus ſocijs communi, alteram ipſe ante diurna negotia adiungebat: veſpere quoque in templo longas orando moras agebat, ita in diuina, mente abreptus, vt hunc tenerum pietatis ſenſum nequiret, vti reliquas ferè virtutes faciebat, abſcondere: & quoties ſe dabat occaſio partem in alios deriuabat, eò potentiùs, quod ſermone ſimplice minimèque fucato ſemper vteretur. Vir humilis & planè manſuetus, aliena ſemper commendare, nulli obloqui, pauperum ſe libentiùs auxilio quàm potentiorum impendere, & admirabili planè conſtantia, per omnem temporum incommoditatem, Catecheticas à prandio Scholas feſtis diebus adire. Ad omnes Præſidum nutus ſemper in promptu. Et id virtutis ætatiſque vir fœminarum colloquia, qua poterat, auerſari; Si non poſſet, obtutu in terram defixo; quàm breuiſſima faciebat. Demum maturus cœlo à nobis abijt: Mantuæ die 6. Octobris anni 1625. cum 67 ipſe numeraret ætatis. Deceſſit cum tanta ſanctimoniæ opinione, vt cadauer ſeorſim à cæteris, ligneo incluſum conditorio, reponi voluerint Moderatores; certatimque multi reliquias eius depoſcerent, effigiem quoque ad venerationem exprimi curarint. Noſtri certè cum ſacra pro illo de more facerent, mirabiles ſe motus animorum profitentur expertos. Solemnes illi exequias cum elogio, multoque emblemate inſtaurarunt. Catecheſeos Adminiſtri, atque iterum, iterumque Sodalitates Clericorum atque opificum. Multis cum laudibus celebrat Gaſpar Bombacius in libro de Bononienſibus ſanctitate illuſtribus, Par. 2. Edidit in lucem iuuenis priuſquam in Societate eſſet, volente Cardinali Palæotto eleganti ſtylo.

Tractatū de benedictione Epiſcopali. Item.

Vitā Sancti Petri. At in Societate exiſtens

Caroli Sigonij libro de Regno Italiæ, appoſuit extremam manum, Indicem; Epiſtolam dedicatoriam quinque poſtremis libris correſpondentem. Francofurti apud Vvechelianos 1591. & Venetijs eodem anno impreſſam apud Franciſcum Senenſem.

ALEXANDER COMVLEVS gente, Illyricus, patria Spalatenſis Societati ſe adiunxit ætate prouecta, & iam Sacerdos Romæ Calendis Aprilis 1599. ſcripſit pro ſuæ nationis hominibus, & edidit Romæ typis Zannetti 1606. in 12.

Speculum confeſſionis lingua Illyrica, in quam etiam tranſtulit.

Doctrinam Chriſtianam Roberti Bellarmini.

Obijt Raguſæ die 11. Iulij 1608.

ALEXANDER DONATVS, Italus, Senenſis, Societati adſcriptus anno ſæculari 1600. ætatis 16. votorum quatuor profeſſionem edidit. Humaniori litteratura inſigniter inſtructus, Romæ Rhetoricam annis 12. cum laude profeſſus, diu amæniorum diſciplinarum Profeſſoribus ibidem præfuit. Vir inſigni modeſtia conſpicuus religioſe obijt Romę die 23. Aprilis anno 1640. ætatis ſuæ 56. Edidit.

Carminum volumen primum tribus libris Romæ apud Iacobum Maſcardum 1625. in 16. Recuſum Francofurti 1654. in 4.

Sueniam Tragediam. Romæ apud Franciſcum Corbellettum 1619. in 16. & rurſum vnà cum alijs aliorum de Societate Tragedijs duobus voluminibus comprehenſis. Antuerpię apud Ioannem Cnobbarum 1634.

Artem Poeticam libris tribus. Romæ apud Guilhelmum Facciottum 1631. in 16.

Romam Veterem & recentem vtriuſque ędificijs ad eruditam cognitionem expoſitis. Romæ typis Manelphi Manelphij 1633. in 4.

Vitam Pauli V. Pont. Max. compendio deſcripſit, quæ operi Ciacconiano de vitis Pontificum cum aliorum auctarijs, Romæ typis Vaticanis anno 1630. impreſſo inſerta, ſecundis curis eſt, ſuppreſſo nomine Auctoris. Poſt obitum prodierunt.

Conſtantinus Romæ liberator, Poëmate heroico. Romæ typis Manelphii 1640. in 8. Recuſus Francofurti in Parnaſſo 1654. in 4.

Oratio de Paſſione Domini, quam habuit coram Gregorio XV. in die Paraſceues. Romæ cum alijs eiuſdem argumenti 1641. in 12.

Extat etiā eiuſdē *Oratio quam habuit in funere MariæCeſiæ ab Altāemps*. Romæ 1610. in 4.

ALEXANDER FAYA natione Italus, patria Sauonenſis admiſſus in Societatem anno ſalutis 1591. in Prouincia Bœtica inde in Peruuanam adhuc tyro traiecit; vbi poſt multorum annorum labores, diem ſuum obijt Limæ 9. Nouembris 1640. ætatis ſuæ 78. Coadiutor ſpiritualis formatus anno 1612. Vir fuit verè humilis: & ſui deſpicientiſſimus; compoſitiſſimæ modeſtiæ, verborum perparcus: ſecreti receſſus amantiſſimus: ſui cuſtos admirabilis; obedientiæ ſtudioſiſſimus, & viliſſimorum Domi obſequiorum appetentiſſimus; tam exactæ ad Religioſam paupertatem contentio-

tentionis, vt idem thorax ad vicennium, colobium etiam ad tricennium ſuffecerit, & ſupellex quam poſt ſe reliquit nullius alterius vſui fuerit idonea; victu ad extremam vſque ætatem communi ſit vſus: Edidit Hiſpanicè.

Exempla virtutum & vitiorum. Tomis tribus Hiſpali 1632. in 4.

ALEXANDER FICHETVS, natione Sabaudus, Diœceſis Gibennenſis, ingreſſus in Societatem anno 1607. ætatis 19. vota 4. profeſſus eſt. Litteras politiores docuit ſeptennio. Philoſophiam & Matheſim quadriennio. Concionator eximius, triginta annis in celebrioribus Galliæ vrbibus dixit ad populum, tanto cum plauſu & frequentia, vt alicubi neceſſe fuerit, quamuis templum eſſet capaciſſimum, extruere theatra, & podia in gratiam Auditorum. Rexit Collegium Nemauſenſe, & à Congregatione Prouinciali Lugdunenſi electus eſt, vt Romæ Congregationi Generali octauæ intereſſet cum iure ſuffragij: Demùm ſeptuagenario maior migrauit ex hac vita Camberij die 30. Martij 1659. Cum diſcipulos in Scholis erudiret non minùs de illorum in pietate profectu, quàm in litteris ſatagebat, adeò vt ex illis centum, & triginta capita ſelecta Deo in varijs ordinibus Religionis dicata viderit; Quo tempore Rhetoricam Lugduni docebat, emaculauit, & edidit tacito ſuo nomine.

Chorum Poëtarum luſtratum & illuſtratum cum Muſæo Rhetorico, & Poëtico in omnes Poëtas. Lugduni 1616. apud Ludouicum Muguet duobus tomis in 4. Item ſuppreſſo ſuo nomine.

Fauum mellis ex varijs SS. Patribus collectum. Lugduni apud Ioannem Charuet 1617. in 24. Gallicè ſcripſit ſuppreſſo etiam nomine.

Vitam B. Bernardi Baronis de Manton. Diœceſis Geneuenſis, qui floruit ante 700. annos, æmulator fugæ S. Alexij.

Vitam Ioannis Franciſcæ Fremiot, fundatricis Religioſarum Viſitationis B. M. V. Latinè vulgauit.

Arcanam ſtudiorum omnium Methodum, & Bibliothecam ſcientiarum. Lugduni apud Guilhelmum Barbier 1649. in 8.

Victoriam ab Eccleſia aduerſus hæreticos in congreſſu Aſprenſi reportatam. Gallicè. Lugduni apud Franciſcum Labotiere 1638. in 4.

ALEXANDER GEORGIVS, natione Gallus, ex oppido Rimenſi Diœceſis Remenſis, vir fuit multa pietate, religione, ac prudentia, qui Rhetoricam, & Philoſophiam publicè docuit, & ad populum diu concionatus eſt. Aduerſis rebus conſtantiam ſuam mirè probauit. Nam cùm ſummis illis temporibus, bellorum, obſidionis, famis, quibus Lutetia Pariſiorum ſub finem ſuperioris ſæculi conflictata eſt, Pariſienſi Collegio Rector datus eſſet, Regiæ necis intentatæ reus cum alijs ſocijs poſtulatus, in vincula coniectus eſt, & in ergaſtulum tenebris fœdum, quo Sceleſtiſſimus quiſq; retrudi ſolet, compactus, virtutis ſuæ radios latiùs extulit. Animus tum illi præ quàm aliàs etiam tranquillior, pietatis ſenſus vberior; per ſuauiſſimas lacrymas foras erumpens. In Iudicum Tribunal tamquam Reus Maieſtatis adductus, tam immoto vultu, tam coſtanti mente apparuit, vt oppugnatores ſuos fecerit ſuæ ſalutis acerrimos vindices, ac defenſores. Hac procella defunctus, Prouincialis Aquitaniæ conſtitutus eſt, & poſt reſtitutam in Gallias Societatem, Pariſienſis Profeſſorum Domus habenas tenuit. Societatem dilexit, obſeruauitque tenerrimè? eius propagandæ, boniq; eius nominis tuendi ſtudium impensè habuit. Obedientiam à Subditis acuratam exigebat; ſuis moderatoribus omni tempore promptior, vel etiam grandæuus obtemperabat nullo vnquam periculo deterritus, quò minus illorum imperia exhauriret. Acutiſſimos calculi dolores, mira patientia tulit, quibus tandem confectus inter pia colloquia expirauit, Pariſijs die 4. Iunij 1621. ætatis 74 ab inita Societate 53. in qua ante annos 30. 4. vota ſolemnia profeſſus fuerat. Scripſit.

Tractatum de ſigno Crucis, quæ anno 1593. paſſim in Gallia in Linteis, & ſacris & communibus extraordinariè apparuit.

* ALEXANDER GHERARDINVS Natione Italus, Patria Mediolanenſis admiſſus in Societatem anno 1578. ætatis 19. votorum 4. profeſſionem emiſit. Vir non vulgari ingenio, prælegit Rhetoricam, & litteras humaniores? concionando magnam vitæ partem conſumpſit, fuit Rector Comi, & Alexandriæ, ſocius curarum ac laborum ſui Prouincialis, & Operarius multis annis in Domo Profeſſorum Mediolanenſi. Dixit Vercellis in templo Prædicatorum Italicè, Ediditque.

Orationem in laudem. S. Hyacinthi. Item

Diſcurſus varios de filio Prodigo, etiam Italicè Mediolani apud Benedictum Somaſchum 1620. in 4.

Obijt Septuagenario maior diem ſuum, Mediolani pie, vti vixerat, 27. Septembris 1630. Vir apprimè Religioſus, & Diſciplinę amans.

* ALEXANDER GOTTIFREDVS. Italus, Romanus, illuſtri ac veteri proſapia ortus die 3. Maij 1595. à teneris annis Clericali diſciplinæ adſcriptus fuit, & morum maturitatem ad huc puer induit. Deiparæ cultui ſingulariter addictus quotidiano illam penſo officij Mariani, nec non tertia parte Roſarij, quam vnà cum Genitrice recitare ſolebat, impensè venerabatur. Adultior, dum litteris humanioribus nauaret operam, ſenſit impulſum Numinis incitantis ipſum ad ſublimius ſtudium perfectionis, in aliquo Religioſo Ordine, & cùm diu deliberaſſet, cuinam ſe adſcriberet, tandem Deo ſe totum in

Socie-

Societate filij dedicare decreuit. Id vbi ſuſpicati ſunt Parentes, qui ex optima Alexandri Indole magnas honorum ſperauerant familiæ ſuæ acceſſiones, nullum non mouerunt lapidem, vt ipſum ab eiuſcemodi propoſito auerterent; ideóq; abſtractum à Scholis Societatis, vetitóq; omni cum Noſtris commercio, curarunt domi ſuæ litteris erudiri. Quare circum ſeptas ſibi omnes cernens vias, ne ſequi poſſet vocantem Deum, oblato libello ſupplice Pontifici ſummo Paulo V. (qui è ſacro fonte illum ſuſceperat) enixè petijt licentiam ingrediendi Religionem Societatis, etiam inuitis Parentibus, ſi aſſentiri nollent; & conceſſit eam tandem perbenigne Sanctiſſimus. Ea re mire lætus Alexander, captata occaſione, & inſcijs omnibus domeſticis anno 1610. die 26. Februarij, confugit ad Domum probationis Quirinalem atque in ea Tironibus adiunxit ſe. Ægerrimè tulerunt id Parentes, ſupplicaruntq; etiam ipſi ſummo Pontifici, & demum impetrarunt vt extractus ex Tyrocinio, deponeretur ſequeſtrò in ædibus Cardinalis Perbenedicti, vulgò de Camerino nuncupati (cuius opera ad grauiſſima quæque negotia tunc vtebatur Pontifex) ad explorandam exquiſitiùs vocationis Iuuenilis, an à Deo eſſet, veritatem. Ea in cuſtodia incredibile eſt quantas exſorbere debuerit moleſtias, quot ſuſtinere oppugnationes, minis, precibus, lacrymis, à Parentibus, à fratribus, à varijs viris Religioſis ad labefactandam illius conſtantiam ſubmiſſis. Verùm ille victor, ad omnia perſtitit immobilis, & tandem explorato ad huc penitiùs illius animo per Epiſcopum Vicegerentem iuſſu Pontificis, collaudataq; conſtantia Tyrocinio eſt reſtitutus. Ipſe Cardinalis Perbenedictus, in cuius ædibus tam diù probatus fuerat perſpecta præclara Alexandri Indole, ac conſtantia, abeunti quaſi diuinans dixit. *Vade, age, feliciter, ad Societatem Ieſu; cuius tu futurus aliquando es Præpoſitus Generalis.*

In Societate porrò decurſis cum laude ingenij, & Religioſæ obſeruantiæ ſtudiorum ſpatijs, Poeta inſignis, Orator præſtans euaſit litteras amæniores triennio docuit; Philoſophiæ curricula duo in Collegio Romano emenſus eſt; & ſolemnem votorum quatuor profeſſionem emiſit anno 1628. A ſcholis ad exordia Collegij Hibernorum, quod Ludouiſius in Vrbe fundauerat, congruis inſtitutis temperanda translatus, pauló poſt Seminarij etiam Romani habenas ſuſcepit. Inde ad ſcholas reuocatus Theologiæ ſcholaſticæ docendæ admotus eſt; verùm paulo poſt hinc etiam à Præpoſito Generali Mutio Vitelleſco ad munus Secretarij Societatis eſt auocatus, & illo vitę functo à Succeſſore Vincentio Caraffa, primo viſitator Neapolitanæ Prouinciæ; poſtea trium Prouinciarum in Belgio eſt conſtitutus. Demum in Italiam redux à P. Franciſco Picolomineo Generali Prouinciæ Romanæ gubernacula capeſſere iuſſus eſt & eo è viuis ſublato, in ipſius locum ſubrogatus eſt à Congregatione Generali X. anno ſalutis 1651. Die 21. Ianuarij. Attamen diu Societati frui non licuit eius in eo munere prudentia, & vigilantia. Durantibus eiſdem Comitijs Generalibus, à quibus fuerat electus, correptus febri, & Sacramentis ritè procuratus migrauit ad Congregationem Sanctorum (vt credere fas eſt) in Cœlo die 12. Martij ſubſequentis, nondum euoluto bimeſtri ſpatio ab impoſita ſuprema Præfectura. Vir fuit perſpicacis admodum ingenij, & magno in arduis, ſiue ſuſcipiendis, ſiue perficiendis pro Dei gloria animo; nec facilè intercurrentibus difficultatibus ſuccumbebat. Religioſæ diſciplinæ in ſe perquàm obſeruans: ab alijs exactor non remiſſus; laboris prope indefeſſi, & commodorum corporis contemptor inſignis. Paupertatis Religioſæ cultor eximius, & fugiens omnium quæ ſplendoris alicuius erant, ſiue in ſupellectile cubiculari, ſiue in veſtitu. Hinc attritis perſæpe vtebatur indumentis, & galero ſubinde euanidi coloris. Fracta aliquando qua cingebatur zona, dum Romanæ præeſſet Prouinciæ, cùm cingulum aliud (quali vtebantur pleriq; ex ſocijs) afferretur, iuſſit ſibi dari vile præſegmen panni, dicens, ſe, alio genere cinguli vſum non eſſe ex quo in Societate fuiſſet. Somnum adeo parcè carpebat noctu, vt ſæpe obſeruatus fuerit à Socio, lecto omnino non incubuiſſe. Caritatis erga omnes expeditę fuit; ſed præcipuè erga ægrotos, quos frequenter inuiſebat etiam noctę intempeſta, ſuiſq; manibus miniſtrabat neceſſaria, etiam in morbis periculoſis, & nauſeam mouentibus. Cùm Prouinciam Romanam adminiſtraret, obiretq; illam ex officio, commodiorem ſeu equum, ſeu lectum in hoſpitijs aſſignabat Socio Sacerdoti, quæſito ad id prætextu aliquo ſpetioſo; nec quidquam in Collegijs, quæ viſitabat, vltra triduum, aut præter morem patiebatur ſibi apponi, ſiue in menſa, ſiue in cubiculo. Orationi adeo deditus fuit, vt binas horas illi ordinariè quotidie impenderit, & Neapoli dum Viſitator eſſet, inter ciuiles Vrbis tumultus animaduerſus eſt ad 5. horas continenter coram Sanctiſſimo Sacramento preces produxiſſe. Erga cultum Deiparæ Virginis Speciali ſtudio per omnem ætatem ſuam ferebatur, & in honorem Immaculatæ Conceptionis integrum (quod vocant) ſtellarium, hoc eſt duodecies duodecim ſalutationes Angelicas, quotidie recitabat. Nec ſegnis ad lucra animarum in proximis fuit. Nam dum Profeſſorem Philoſophiæ, vel Theologiæ ageret, ac poſtea, etiam cùm toti Prouinciæ præſideret, confiteri volentibus prompte aures dabat, & quoties Communio generalis Romæ per Vrbē inſtituebatur ipſe ad confeſſiones excipiendas inter primos erat in acceſſu, & in receſſu inter vltimos. Societatem eiuſq; Inſtitutum ama-

ama-

amauit tenerrimè, & ne quid illa incommodi pateretur ex nimia frequentia Congregationum Generalium. (quoniam intra ſeptennium proximè exactum tres fuerant celebratæ magnis itinerum periculis) ſæpe auditus eſt rogare Deum, vt ſi ipſe intra breue tempus euocandus eſſet ex hac vita, potiùs euocaretur ſedente adhuc Congregatione quæ ipſum elegerat quàm illa diſſoluta. Exauditus itaq; eſt à Domino, & ſub finem Congregationis recrudeſcente morbo, quo ad ſexaginta dies præcedente æſtate, cum inſignibus patientiæ ſpeciminibus laborauerat, deſijt inter Mortales viuere anno ætatis ſuę 58. Suffecto mox in illius locum R. P. Goſuuino Nickel ab eadem Congregatione. Dixit atque edidit P. Alexander dum Theologiæ nauaret operam.

Orationem in funere Virginij Cæſarini ad S. P. Q. R. dum ei in æde Deiparæ V. Capitolinæ publico ſumptu parentaret Senatus. Romæ apud Alexandrum Zannettum 1624. in 4. Item edidit.

Eſſata Peripati Chriſtiani partibus tribus. Defenſa à Carolo Roberto (poſtea Cardinali) Academiæ Parthenìæ in Collegio Romano tunc Principe, pro Philoſophica laurea ſuſcipienda in eodem Collegio. Romæ apud Corbellettum 1632. in folio. Similia propugnata quoq; ſunt ab Alfonſo Marchione Pallauicino. ibidem, & eodem anno in fol.

Prodijt etiā cum alijs de eodē argumento.

Oratio de Paſſione Domini, quam habuit in Pontificio Sacello in die Paraſceues anno 1629. *coram Vrbano VIII. Pont. Max.* Romæ typis Vitalis Maſcardi 1641. in 12.

* ALEXANDER LORENCOVVIC natione Roxolanus, ſub ſceptro Polonico, natus anno ſæculi voluentis 9. Societati ſe aggregauit XXVI. & votis 4. ſe obſtrinxit. Docuit in ea Rhetoricam, Matheſim, & per annos 16. magna cum laude, & fructu in præcipuis Regni Cathedris ad populum dixit. Gubernauit Collegia Iaroslauiæ, Leopolis, & totam denique Prouinciam Electus in Procuratorem Prouinciæ, interfuit Congregationi Procuratorum Romæ. Poſtea Collegio Leopolienſi ſecundum præfuit, migrauitque ad Dominum die 15. Aprilis 1675. Edidit ſub alieno nomine librum cui titulus.

Centuriæ merita virtutis militum è minimo Societatis Ieſu Ordine, Leopoli. 1640. in fol. Item ſub nomine Societatis Ieſu.

Vaticinium Regale ſub auſpicatiſſima primordia Sereniſſimi Michaelis Koribut Regis Poloniæ. Heroica poeſi celebratum Cracouiæ 1659. in folio.

Conciones funebres varias patrio idiomate varijs in funeribus habitas Caliſſij 1670. in folio.

Habet paratas prælo Conciones alias in Dominicas totius anni.

ALEXANDER MACCHVS Natione Italus; patria Cremonenſis in Societatem cooptatus anno 1608. ætatis 21. vota 4. in ea profeſſus eſt. Docuit Rhetoricam, linguas Græcam, & Hebraicam, & 4. annis Theologiam Moralem. Multis annis Eccleſiaſtem egit; Rexit Collegium Papienſe, & Sexagenario maior piè vti vixit, obijt, Mediolani die 15. Martij. 1650. Edidit Italicè.

Diſcurſum dictum in templo S. Fidelis Domus Profeſſæ Mediolanenſis pro electione in Regem Romanorum Ferdinandi 3. Auſtriaci. Mediolani per hæredem Pacifici Pontij, & Pigagliæ 1637.

ALEXANDER PELLEGRINVS natione Italus patria Picenus, Matelicanus. confectis Philoſophiæ ſpatijs in Seminario Romano, admiſſus eſt in Societatem, Romæ, anno Salutis 1621. ætatis ſuæ 21. & vota 4. nuncupauit. Prȩlegit humaniores litteras; Præfuit Collegijs Recinetenſi, Firmano, Peruſino, & Lauretano: Multa valuit prudentia, & cùm Noſtros Laureti regeret excepit hoſpitio aduenientem eò Sereniſſimum Ioannem Caſimirum tunc Regis Poloniæ Fratrem, poſtea eiuſdem in Regno Succeſſorem, comitatuſq; eſt Romam, vt ibi tyrocinium Societatis iniret; eidemquè aliquamdiu pro magiſtro vitæ Religioſæ, & Confeſſario fuit. Mortalitatem exuit Romæ in Domo Profeſſorum die 28. Auguſti 1647. Edidit.

Euangelium Secundum Matthæum Paradoxis illuſtratum tom. 1. Romæ typis Franciſci Corbelletti 1638. in fol.

In idem Euangelium tom. 2. Laureti per Auguſtinum Guiſeum 1645. in fol.

Orationem de Paſſione Domini, habitam in die S. Paraſceues coram S. D. N. Vrbano VIII. P. M. quæ cum alijs eiuſdem argumenti prodijt Romæ typis Vitalis Maſcardi 1641. in 12.

ALEXANDER REGOVRDVS Natione Gallus, patria Caſtronouarienſis Diæc. Sancti Papuli, natus anno 1585. & Iuuenis in Societatem ingreſſus cùm annum ætatis ageret 17. Vir fuit ſingulari eruditione, ac pietate, Dei Gloriæ ſalutiſq; hominum amantiſſimus. Philoſophiam, & Theologiam publicè docuit. Sacras multis in locis, magno hominum concurſu, ac fructu conciones habuit. Collegium Cadurcenſe rexit; vota 4. profeſſus eſt anno 1619. In diſputando cum hæreticis Prædicantibus nobilem non ſemel victoriam reportauit, perductis ad caſtra Chriſti à Caluini ſignis non paucis, nec mediocris conditionis hominibus. Operarius die ac nocte infatigabiliter ſtrenuus, vt eodem die conciones plures habuerit, ac præterea confeſſiones per horas denas exceperit. Cibo non niſi ſemel fere in die cùm valebat, & ſub veſperam, ſe reficiebat, flagellis aſperrimè ac fere ſupra vires in ſe deſæuiebat, dictitans malle ſe vicennio citiùs mori, quàm remiſſa ac tepida vita conſeneſcere. Atq; ita eueniſſe complures autumant. Obijt Toloſæ 26. Aprilis

Digitized by Google

lis 1635. Scripſit lingua Gallica.

Demonſtrationes Catholicas, ſeu Artem reducendi hæreticos ad fidem Ortodoxam. Pariſijs apud Carolum Rouillard 1630

Opera Theologica ex recenti Controuerſia, in tres tomos digeſta, & eiuſcemodi Tractatus alios nimirum

Anti-Caluinum.

Apocartereſim Chamerij.

Miniſtrum Infidelem.

* ALEXANDER DE RHODES. Natione Gallus, patria Auenionenſis, natus anno ſalutis 1591. die 15. Martij, Societatem Romæ amplexus eſt, 1612. die 14. Aprilis, eo conſilio vt conuertendis ad Chriſtum Infidelibus ſe totum daret. Hinc cum ſæpiùs, & ardenter à ſuperioribus Miſſionem ad Indos efflagitaſſet, tandem abſolutis Romæ Theologiæ ſtudijs, eam anno ſæculi labentis 18. impetrauit. Delatus in Indiam, & Prouinciæ Iaponicæ adſcriptus, Macaum ſe contulit, vbi vt faciliùs Infideles ad Chriſti caulas aggregaret, totum in ſtudium linguæ Annamiticæ, quæ varijs Regnis, vti Tunchini, Cocincinæ, & alijs per eas oras communis eſt, duorum annorum ſpatio labore improbo, ſed fructu magno incubuit: nam anno deinde 1627. vnà cum P. Petro Marcheſio in Regnum Tunchini miſſus eſt, ad primam Euangelij ſementem illic iaciendam. Et quamuis Marcheſius Superior eſſet, tamen cùm linguam gentis principiò non calleret, factum, vt fere totus labor allocutionum, inſtructionum, concionum, & confeſſionum in vnum fermè Rodium reciderit, adeo, vt ille miſſionis iſtius fundator pręcipuus habeatur. Bis quotidie dicebat ad Ethnicorum multitudinem, & bis in hebdomada eorum Baptiſmum celebrabat. Tanta porro fuit in illo nouali vbertas meſſis, vt ſpatio trium circiter annorom, quo ibi morari permiſſus eſt, ſupra quinque hominum millia Chriſto pepererit, atque in ijs Mandarinos complures, & primæ Nobilitatis viros. Quin ipſum Regem in exordio adeò ſibi conciliauerat, vt ſæpiùs Rhodium ad ſe accerſiuerit, longoſq; cum eo ſermones comiter miſcuerit, & interdum etiam menſæ ſuæ adhibuerit. Verùm poſtea abalienatus, iuſſit ambos Noſtros ſuo Regno exeſſe, & impoſitos naui cum præſidio militari, deportari ad confinia ſuæ ditionis. Eo in itinere mirificè eluxit miſericordia Dei in ipſos milites, nam ex ijs 24. adhortationibus Rhodij permoti vnà cum Præfecto nauis, pertinacis ingenij, & idolis addictiſſimo, Chriſto dederunt manus, & Baptiſmum poſtularunt. Quin, & abſens dici poteſt bene nouellam illam Eccleſiam gubernaſſe, quia abiturus ita prouidè inſtruxit Cathechiſtas indigenas per varias Regni partes diſtributos, vt intra triennium proximè ſubſequens, creuerit numerus Chriſtianorum vltra 30. millia, prout conſtitit ex codicibus in quos ſumma fide relata ſunt nomina ſacro fonte ablutorum; cùm tamen ante illorum PP. eò aduentum, ne vmbra quidem Chriſtianæ fuerit Religionis. Redux Macaum Rhodius, & profeſſione votorum 4. arctiùs Deo, & Societati adſtrictus, Theologiam ibi Noſtris explicuit per decennium, tum miſſus in Cocincinam dum ibi quoq; quàm plurimos, Chriſto adiungit, coorta tempeſtate perſecutionis, datur in carcerem, ſiſtitur tribunalibus, & demum iuſſu Regis illo quoq; Regno pellitur, dum interea loci vnus ex Cathechiſtis ab illo inſtitutis Andreas nomine primus ex Cocinenſibus admirabili conſtantia fudit pro Chriſto ſanguinem. Poſt hæc mittitur à ſuperioribus Rhodius negotiorum cauſa in Europam, & itinere terreſtri, per Aſiam minorem perueniens, interfuit Romæ Congregationibus Generalibus 9. & 10. ſub id temporis coactis. Ibi nondum ſatur laborum pro Chriſto, obtulit ſe Præpoſito Generali, ad nouam miſſionem in Perſia inchoandam, eaq; de cauſa contulit ſe Pariſios, vbi ſocij, & neceſſaria apparabantur pro illa miſſione. Quacunque perrexit præclara virtutum poſt ſe exempla reliquit; & diſcedens Pariſijs, in Perſidem profectus eſt, vbi conſumptis in cultura illius vineæ, annis aliquot, plenus dierum, ac meritorum, ad laborum præmia euolauit die 5. Nouembris 1660. Elatus eſt ad tumulum cum lacrymis Neophytorum, quorum plurimos conuerterat ad Chriſti fidem, ſcripſit Vir de Eccleſia Dei bene meritus.

Dictionarium Annamiticum. Romæ typis, & ſumptibus S. Congregationis de Propaganda Fide 1651. in 3.

Catechiſmum Latino-Tunchinenſem. Romæ eiſdem typis 1652. in 4.

Relationem de Felicibus Succeſſibus S. Fidei in Regno Tunchinenſi Italicè. Romæ apud Ioſephum Lunam 1650. in 4. Gallice eam reddidit noſter Henricus Albij Lugduni 1651. in 4. Latinam fecit, & vulgauit Lugduni 1656. in 4.

Relationem de glorioſa morte Andreæ Cocincinenſis capite pro Chriſto plexi. Italicè, prodijt Romæ typis Corbelletti 1652. in 8. Gallice Pariſijs 1653. in 8.

Relationem de felice morte P. Antonij Rubini, & ſociorum in Iaponia. Italice typis Corbelletti 1652. in 8. Gallicè Pariſijs 1653. in 8.

Relationem eorum quæ geſta ſunt in Regno Cocincinæ Gallicè. Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoyſi 1632. in 8.

Compendium itinerum ſuorum ab anno 1618. vſque ad annum 1653. Gallicè, Pariſijs apud Florentium Lambert 1653. in 8.

Hiſtoriam fuſiorem eorumdem itinerum Gallice Ibidem in 4.

Relationem eorum quæ P.P. Societatis Ieſu egerunt in Iaponia anno 1649. Pariſijs eiſdem typis 1655. in 8.

Rela-

Relationem nouæ Miſſionis in Perſide. Gallicè. Pariſijs apud Ioannem Henault 1659. in 8.

* ALEXANDER SIMONETA natione Italus, patria Mediolanenſis, editus in lucem anno ſæculari 1600. Societati nomen dedit 1616. & votorum 4. ſacramentum dixit 1635. Rhetoricam 5. annis profeſſus eſt, Philoſophiam deinde, Ethicam, Theologiam, & ſacras litteras multis annis explicuit Bononiæ, vbi ſtudiorum quoque Præfecturam diù geſſit. Vir perquam addictus orationi, cui vltra horam matutinam omnibus communem, alteram fermè impendebat. Quotidie poſt horas Canonicas, Officium B. Virginis, S. Spiritus, S. Crucis, totumque adeo Pſalterium recitabat. Cùm maximo in pretio apud omnes eſſet, ob doctrinę præſtantiam, ſibi vni viliſſimus erat, & ingenij ſui opes quibus omnes ſcientias complexus fuerat, ſtudioſiſſimè texit, Totum ſe animarum ſaluti applicabat; ſed in audiendis cõfeſſionibus nemini ſe commodiorem, quàm plebi infimæ præbebat. Noſocomia frequens inuiſebat; paupertatem ſanctam adeò ſtudioſè coluit, vt nec papyro integra vteretur, ſed in ſegmentis, aut chartulis reiectaneis diſcipulorum in ſcholis, lucubrationes ſuas eruditas ſcriberet. In menſa etiam fruſtulis panis relicti ab alijs communiter veſcebatur, tametſi integri panes, & mollioris medullæ, quales edentulis (vt ipſe erat) tribui ſolent, apponerentur. Demum fiſtula afflictus, poſt quinque menſes acerborum dolorum inuicta patientia toleratos, Sacramentis omnibus ritè munitus placidiſſimè efflauit animam Bononiæ die 6. Octobris 1671. Edidit librum Italicè inſcriptum.

Nidum Phœnicis, in quo cœleſtibus flammis incenſus Chriſtianus moriens, cœlo renaſcitur, quinque partibus conſtantem. Bononiæ apud Ioannem Baptiſtam Ferronum 1655. in 8.

ALEXANDER VALIGNANVS, natione Italus, patria Theatinus, nobili genere ortus, inſigni corporis proceritate, ætate florens, Iuriſprudentiæ ſcientia inſtructus, Cardinalis Altempſij Auditor, Societatem noſtram expetiuit Romæ anno ſalutis 1566. in eamque à S. Franciſco Borgia Præpoſito Generali magnis precibus ſe admitti poſtulauit. Admiſſus eſt, probatus, & ad noſtrum inſtitutum conformatus, ac Theologicis litteris excultus anno 1573. à P. Euerardo Mercuriano (qui in Generalatu S. Franciſco Borgiæ ſucceſſerat) in Orientis Solis Indiam miſſus eſt, vt Viſitatoris munus in remotiſſimis illis Prouincijs obiret, Vbi vſque ad extremum vitæ diem perſeuerauit, magna Noſtrorum vtilitate, populorum admiratione, ac fructu, & Chriſtianæ fidei propagatione. Perluſtrauit namque Iaponenſes Inſulas non ſemel & ex illis celebrem illam à tribus Regulis legationem, ad Apoſtolicæ Sedis venerationem eduxit. Chinam attigit, in eiuſq; ſalutem procurandam omnes conatus intendit, & totum illum longiſſimæ nauigationis tractum, qui inter Goam, & Malacam, atque inde vſque in Iaponiam interiacet, & Viſitator, & Prępoſitus Prouincialis ſæpè numero peragrauit. Præter cæteras autem excellentes virtutes, quibus erat ornatus, fuit in eo tam ſingularis Barbarorum conuertendorum ardor, vt nihil aliud cogitatione verſaret, quàm quomodo fidem quàm longiſſime proferret. Nunquam eum longinquitas regionum, itinerum difficultas, periculorum multitudo fregere: dixiſſes hominem recreari laboribus, incommoda appetere, & quidquid inceperat incredibili conſtantia proſequebatur. Macaum è Iaponia reuerſus erat, vt noſtros in Sinis viſitaret, iamque ad idem facultatem à præcipuis Magiſtratibus acceperat, cùm in lethalem morbum incidit, qui vitam viri immortalitate digniſſimi, & ſpes maximas breuiſſimo tempore incidit. Die igitur 20. Ianuarij anno ſupra ſecularem ſexto, cum 69. ſanctiſſimè decurriſſet, ad laborum ſuorum præmia in Cœlum, vt ſperamus, euolauit. Vir quem verè Apoſtolum Orientis, non dubitat appellare Theotonius Brigantini Ducis filius, Archiepiſcopus Eborenſis, in præfatione litterarum Iaponicarum à PP. Societatis IESV ſcriptarum, quas Luſitanicè curauit imprimi. Quanti autem Societas fecerit labores illius ad Dei gloriam dilatandam exantlatos, vel inde liquet, quod pro illo defuncto præter ſuffragia precum pro ſingulis iuxta Regulam Societatis indici ſolita, curauerit Præpoſitus Generalis Claudius Aquauiua per totam Societatem celebrari vnum ſacrum, & vnam coronam B. V. recitari, tamquam pro optimè merito de toto Ordine. Scripſit præclaros.

Commentarios ad Iaponios, & ad cæteras Indiæ nationes Chriſtianæ fidei myſterijs imbuendas, duobus libris comprehenſos, quos Antonius Poſſeuinus ad calcem tom. 1. ſuæ Bibliothecæ adiecit, ſuntque illius operis X. & XI. libri. Item.

Apologiam pro Societate Ieſu.

Litteras de ſtatu Iaponiæ, & Chinæ ab anno 1580. *vſque ad* 1599. quæ extant, tum alibi, tum latinè in volumine eiuſdem Archiepiſcopi Eborenſis iuſſu, edito. Item.

Martyrium Rodulphi Aquauiuæ, & quatuor Sociorum eius ex Societate Ieſu. Italicè impreſſum Romæ; latinè Pragæ 1585.

De Chinenſium admirandis extare ſcriptum, quod huic auctori nonnulli tribuant, refert Petrus Iarricus to. 2. Theſauri rerum Indicarum lib. 2. cap. 17.

ALEXANDER VRSINVS S. R. E. Cardinalis è nobiliſſima Romanos inter Principes familia, Ducē Bracciani Parentem habuit, natus paterno in Oppido, ibidemque denatus. Primam pueritiam Florentię tranſegit cum Hetruriæ, & Lotharingiæ Ducibus educatus. Senis ac Piſis, Iuri Canonico dedit

operam; Romæ Philoſophos audiuit, & Mathematicos. Adamauit eo tempore expetiuitque Societatem; ſed iuſtas ob cauſas repulſam paſſus, animum nihilominus ad omnem virtutem intendit. Annos natus 22. in Cardinalium numerum à Paulo V. die altera Decembris 1615. adlectus eſt; in quo dignitatis faſtigio mirum quantis bonarum artium ornamentis decoratus effulſerit; Erat corpore ſanguineus; ſucculentus, toroſus, elegans, moribus affabilis, ſed maturus, & grauis: Eloquens atque eruditus, ſed integer ſimul, ac conſtans, & candidiſſimi moris, ac pectoris, ſine vllo oris, cordiſue diſſidio: viuum deinde exemplar, & ſpeculum innocentiæ, caſtitatis, modeſtiæ, humilitatis, pudicitiæ, caritatis, patientiæ. mortificationis, pœnitentiæ, contemptus ſui & mundi, integritatis, magnanimitatis, beneficentiæ, zeli. Succurrebat afflictis, viduis, orphanis; Aegris in Noſocomio ſua ſæpè manu cibos porrigebat, pedes abluebat; quo facto nonnullos ſectarios, virtutis ſplendore perſtrictos Eccleſiæ lucrifecit; Bracciani Sodalitium è ciuibus, aulicisque inſtituit in quo ipſe Præfectum, ipſe Concionatorem, ipſe verberationis hebdomadariæ & omnis Chriſtiani officij anteſignanum agebat. Chriſti Domini paſſionem tenerrima ſemper veneratione recoluit; æneam ipſius Crucis effigiem extantibus clauorum cuſpidibus exaſperatam ad nudum pectus geſtabat, quam manu ſæpiùs admota non ſine vulnere, & ſanguine apprimebat. Preces horarias de paſſione Domini compoſuerat, quas quotidie recitabat. Sacroſanctam Euchariſtiam officioſiſſimè coluit. Sacrum faciebat quotidie præmiſſa peccatorum exhomologeſi, ſæpe Confeſſario ſacrificanti miniſtrabat. Venerabile Sacramentum ſi quando occurriſſet, vel ad viliſſima infirmorum tuguria, quamuis ardente Sole, aperto capite, longa via proſequebatur. Deiparam quoque impensè amauit, paratus ſi res ferret, eius cauſa, vel ſanguinem profundere; id ipſe voluntaria flagellatione in omnibus eius peruigilijs faciebat. Tantus ſui corporis per cilicia, verbera, inediam caſtigator, vt fræno indiguerit. Manſuetiſſimus fuit inter iniurias, & earum magnanimus condonator. Fuit non nemo qui nulla læſus iniuria, paratis inſidijs Cardinali necem moliretur, quod cùm non ſucceſsiſſet ex ſententia, contumelioſa Epiſtola ipſius gloriam multiplici conuicio lacerauit. Redditæ Cardinali ſunt litteræ, ſacris iam iam operaturo; eas legit ijs oculis, quibus leguntur officioſæ: tum cælum ſuſpiciens: *Tandem aliquando oblata eſt* (inquit) *optatiſſima occaſio iniuriæ condonandæ, propter te, tuoque exemplo, Deus.* Sic elocutus, epiſtolam, & cum illa inimicitiam reſcidit, & ne quod reſtaret iniuriæ veſtigium, quod perſequi poſſent olim conſanguinei, mox in ardentem cereum exuſſit. Pecuniæ contemptor fuit in paucis. Legationem Aemiliæ bene quęſtuoſam, ſibi à Gregorio XV. commiſſam, cum redditnum ſuorum diſpendio adminiſtrauit. Nimirum annonam per tempus caritatis viliori diſtrahebat pretio in populum, quam de ſuo comparaſſet. Retardatas ſeu cauſas reorum in carcere, ſeu ruſticanorum hominum in aula ad ſe aditus, ne quid vtrique vel impendij diuturnitate, vel quæſtus iactura detrimenti caperent, erogata de ſuo pecunia compenſabat. Societatem Ieſu, quam iuuenis ambiuerat, tenerrimè ſemper complexus eſt; eius incrementis æquè, ac ſuis, & ſtuduit, & gratulatus eſt. Regulas illius ſemper habuit ad manum, vt ex earum norma ſe formaret. Eius ſe Exercitijs quotannis excoluit; denique mutuis cum Societate certauit officijs, particeps ipſe effectus promeritorum eius, & viuens, mortuuſque Sociorum ſuffragijs recreatus, quos ipſe defunctos ſuis viciſſim ſuffragijs tamquam vnus ex illis proſecutus eſt. Tandem cùm anno 1621. de obitu Card. Bellarmini Rauennæ intellexiſſet, quem vt Patrem & Ducem vitæ obſeruabat, & quaſi rarum ſapientiæ, virtutiſque exemplar intuebatur ſancto quodam æſtro incitatus, dedit ad A.R.P. Mutium Vitelleſcum Præpoſitum Generalem Societatis litteras, quibus ſe penitus, quoad dignitatis ratio patiebatur, cùm veritus eſſet eam dimittere, Societati dicauit, votis eadem temperatione nuncupatis: vixitque deinceps in Romanam Prouinciam adſcriptus, & has ob cauſas etiam, inter Scriptores Societatis in hoc uolumine eſt relatus. Ita nimirum perrexit ille vſque ad obitum, hoc eſt, vſque ad 22. Auguſti 1626. qua poſt octiduanam febrim Sacramentis ritè procuratus Bracciani cum tenerrimo pietatis ſenſu, & æternitatis vehementi cupiditate defunctus eſt annos circiter 33. natus. Cor Romam delatum ex eius voluntate in Bellarmini ſepulchro tumulatum eſt. Scripſit tacito ſuo nomine indices amorum ſuorum tractatus duos, alterum.

De Chriſti Cruce, & Paſſione. Alterum.

De Sponſo Deiparæ Ioſepho. Adornabat præterea geminum opus, vnum.

De Regum Vnctione. Alterum Iuſti voluminis.

De Regno. Omni eruditione refertum Iuris Diuini & Humani; cuius veſtigium per ſingulas partes & capita diſtributum reliquit; ex ſacra primorum 4. Regum hiſtoria, ſingulis capitibus diſſerendi argumentum pręfigens, explicaturus videlicet Regnorum initia in Saule, in Dauide progreſſus, in Salomone conſiſtentiam, declinationem in Roboamo.

* ALEXANDER VVILTHEMIVS natione Belga patria Luxemburgenſis, natus anno ſæculi fluentis quarto, Societati ſe addixit 1626. Rhetoricam ſexennio profeſſus eſt, & altero ſexennio ſcholis præfuit; Concionatorem egit aliquot annis, & Collegium Luxemburgen-

burgenſe gubernauit, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, & venerandæ antiquitatis in paucis peritus, ſuperſtes etiam num in Collegio Luxemburgenſi. Edidit hactenus.

Agelarchum, Eclogam ad Henricum Suinem Abbatem Munſterienſem. Luxemburgi 1638. eidem etiam obtulit compoſitam à ſe hiſtoriam ſuî Monaſterij, ſed nondum editam.

Propempticon ad Agricium Reckingen Abbatem S.Maximini. Namurci 1652.

Gubernatores Luxemburgenſes ad Philippum Arembergicum Principem Chimacenſem Luxemburgi Gubernatorem. Treuiris 1653.

Acta D.Dagoberti Martyris cum annotationibus. Treuiris 1653.

Diſſertationem de Phiala S. Agathæ. Treuiris 1656.

Diptychon Leodienſe, & Appendicem ad id Diptychon. Leodij apud Ioannem Matthiam Nouium 1659. in fol.

Libellum precum ad Diuam Virginem Conſolatricem cum quinque Miraculis. Treuiris 1661.

Catalogum Abbatum Cœnobij Munſterienſis. Treuiris 1664.

Somnium Andralexij ad Abbatem Epternacenſem. Treuiris 1668.

Satyram in Bucconem Dormitatorem. Treuiris 1670.

Icones Conſtantini Magni, & D. Helenæ Auguſtæ Matris eius. Treuiris 1671. in fol.

Habet compoſitos *Annales cœnobij Sancti Maximini ab anno 1286.* libris 8. inchoatos à ſuo germano fratre P. Ioanne Vvilhelmo Vvilthelm.

Item parata habet *Teſtimonia Veterum De clauo Chriſti Treuiren.* cum notationibus, & componit alia.

ALOYSIVS, SEV LVDOVICVS ALBRITIVS, natione Italus, patria Placentinus adoleſcens annorum 15. Societati ſe adiunxit anno ſalutis 1594. & votis 4. ſe adſtrinxit. Rhetoricam in ea profeſſus eſt, rexitque Collegium Bononienſe, & in deuexa ætate Germanicum in Vrbe. Verùm maximam vitæ partem exegit concionando, duobus ſupra quadraginta annis, per celeberrimas Italię Ciuitates, tanta nominis celebritate, & fructu, vt primas inter præcones Verbi Diuini in Italia ſuo tempore obtinuiſſe exiſtimetur. Confluebant ſiquidem in eo variæ eximiæque dotes, quarum ſingulæ ab alijs ſeiunctæ celebrem poterant reddere. Vox plena, & maſcula, ſtylus neruoſus, & in probationibus efficax; Eloquentia Ciceroniana, ſed Chriſtiana; præſentia denique venerabilis, his gratiam non exiguam conciliabat. Hinc ab Vrbano VIII. Pont. Max. ad Conciones coram ſe in Palatio Apoſtolico aſſumptus eſt, atque ab Innocentio X. eodem in munere confirmatus. Et quamuis ætate fatiſcens, & laboribus penè fractus, ſupplicauerit ſæpius Innocentio X. vt eo onere leuaretur, ægrè tamen, ſed tandem id impetrauit. Fuit vir inſignitè prudens, comis, gratuſque omnibus: diſciplinæ Religioſæ in primis obſeruans, & à Comitijs Prouinciæ Romanæ electus, vt ſuo nomine intereſſet Congregationi 10. Generali. Illud verò etiam admiratione dignum, quod inter tot plauſus Magnatum, qui cum eo ſæpè, & familiariter agebant, nunquam Religioſæ modeſtiæ limites tranſilire viſus fuerit. Alienus erat à ſtrepitu curiæ, nec colloquia cum viris Principibus facilè miſcebat, niſi aut neceſſitas, aut obedientia, aut leges gratitudinis id exigerent. Ad vltimum vſque vitæ terminum amantiſſimus fuit cellæ, & ſtudiorum. Demum in ſenectute bona, Sabbatho Sancto in domo probationis Romana (in quam diù antea ſeſe receperat) tactus apoplexia ſpiritum Deo reddidit die 27. Martij 1655. Edidit Italico ſermone.

Concionum tomum primum; qui curſum vnius Quadrageſimæ complectitur. Romæ typis Manelphi Manelphij 1645. in 4.

Conciones habitas coram Summo Pontifice in Palatio Apoſtolico. Romæ apud Vitalem Maſcardum 1652. in 4.

Panegyricos ſacros. Romę typis Ignatij de Lazaris 1655. in 8.

Extant præterea Orationes eiuſdem ſcorſim excuſæ tres.

Prima. Ad Genuenſes in Coronatione Ioannis Iacobi Doriæ in Ducem Reipublicæ. Genuæ 1635. in 4.

Secunda de Laudibus Margaritæ Auſtriacæ Hiſpaniarum Reginæ, Parmæ apud Ioannem Vietum 1612. in 4.

Tertia in funere Sereniſſimæ Iſabellæ Sabaudæ Ducis Mutinenſis. 1626.

* ALOYSIVS CARNOLIVS, Natione Italus patria Bononienſis natus anno Sæculi fluentis 18. admiſſus in Societatem anno 1630. votorum 4. profeſſionem emiſit. Sexennium docuit humaniores litteras, octennium Philoſophiam; Rexit Collegium Ferrarienſe, & aliquot annis egit Eccleſiaſten. Superſtes adhuc edidit ſub nomine Iulij Loranici.

Vitam venerabilis Hieronymi Taurelli Nobilis Foroliuienſis ex S. Capucinorum Familia. Foroliuij typis Cimatti 1652. in 4.

Orationem habitam Mantuæ in erectione Academiæ Accenſorum S. Ignatio nuncupatæ. Tacito ſuo nomine, Bononiæ typis Victorij Bonatij 1655. in fol.

Hypotypoſin Philoſophiæ ſeu ſummam eiuſdem. Tacito ſuo nomine Bononiæ eiſdem typis 1657. in folio. Recuſa eſt Venetijs emendatior, & auctior 1660 typis Ioannis Petri Brigonci in 8.

Ideam S.Ignatij cùm practica methodo imitandi eiuſdem virtutes. Bononiæ typis eiſdem 1658. recuſam Venetijs cùm auctario; & latinitate donatam, Græcij typis Vvidmanſtadij 1668. in 12.

Digitized by Google

ALOYSIVS ſeu LVDOVICVS DVLCEBENIVS, Natione Italus, Patria Firmanus. Vir cognomine ſuo ob morum ſuauitatem dignus, ex lectione fortuita Annuarum Indiæ incenſus deſiderio ſeruiendi Deo in Societate, aliquot annis hunc ignem ſinu fouit, quòd propter impedimenta varia, exequi id nequiret. Demum adſcripſit ſe illi anno ſalutis 1613. ætatis ſuæ 18. Sexennio docuit humaniores litteras; ſed maximam vitæ partem exegit in Domo Profeſſa Romana, Operarius gnauus, & Archiuij Generalis aliquamdiu cuſtos. Sexagenario maior ibidem naturæ conceſſit die 27. Martij. 1659. Reddidit Italicè tacito ſuo nomine.

Litteras annuas Sinenſes, & Æthiopicas annorum 1622. & 1632. Romæ apud Corbellettum in 8.

Compendium Meditationum Patris Ludouici de Ponte, ex latino P. Petri Ximenez. Romæ apud Iacobum Faciottum 1638. in 8.

ALOYSIVS GOMEZ, Natione Hiſpanus, Domo Toletanus, Vir Theologię ſcholaſticæ, & Moralis peritiſſimus, Ius etiam Canonicum aliquando profeſſus. Admiſſus in Societatem anno Domini 1588. nauigauit in Philippinas Inſulas, ærumnarum, & ſalutis hominum ſitiens, quam totos 30. annos omni opera, indefeſſa caritate procurauit. Oſor otij maximus, legum noſtrarum obſeruatione, ſui deſpicientia, corporis afflictatione, aduerſorum tolerantia illuſtris, parùm ſollicitus cuiuſnam tandem criminis ageretur, modò culpa vacaret. Duas Indigenarum linguas breui tempore omnino perdidicit, quibus deinde ad multorum ſalutem ſtrenuè eſt vſus; Sodalitatem D. V. Mariæ Manilæ primus, & Seminarium S. Ioſephi inſtituit, & cum laude rexit. Gubernauit etiam Collegia Zebuenſe, Antipolanum, & Reſidentiam Silangenſem, vota quatuor ſolemnia profeſſus ab anno 1604. Tandem hydrope fatigatus, cum ſacrificare non poſſet Dominicis feſtiſque diebus ad templum communicaturus reptabat, donec iam lecto ſe mouere nequiſſet. Ad extremum Sacramentis ritè inſtructus obijt in Manilano Collegio Kal. Martij 1627. ætatis ſuæ 59. à quo inierat Societatem 40. & 30. à quo in eas Inſulas traiecerat. Scripſit ad Inſulanorum ſalutem promouendam.

Opuſcula plura de rebus Diuinis, lingua Tagallica, cuius in aliquot Philippinarum Inſulis eſt vſus.

B. ALOYSIVS GONZAGA, ex Sereniſſima Mantuæ Ducum proſapia, Marchionis Caſtilionenſis S. R. Imperij Principis Filius primogenitus, Caſtilione oppido Paterno inter Mantuanum agrum, & Brixienſem ſito, natus eſt die 9. Martij 1568. Anno ætatis 7. deliberata mente in Deum conuerſus, ab ipſa ſtatim pueritia virtutis perfectionem adeptus perpetuis eam incrementis adauxit. Vbi animum à rebus caducis ad Religioſæ vitæ amorem inflexit, Deiparæ monitu, Societatem Ieſu cæteras inter familias delegit, à Parente qui toto triennio reniſus eſt, inuicta conſtantia, vt ad eam ſibi liceret accedere, nutum expreſſit. Ingreſſus eſt Romæ die 25. Nouembris anno 1585. Vixit in Societate Ieſu ſex annis, tyrocinio Philoſophiæ, & Teologiæ ſtudijs intentus; quibus nondum ad finem adductis, ſed abſolutiſſimæ ſanctitatis merito, maturus æternitati, die atque hora mortis prænunciata, (quæ fuit veſpertina circiter 3. poſt ſolis occaſum 21. Iunij 1591.) Roma euolauit in Cœlum, iure puritatis Euangelicæ, nomen Angelici conſecutus. Eum multis Illuſtrem miraculis anno 1606. Paulus V. P. M. Beatum appellauit; & die 31. Martij 1618. publico ad aras cultu inſignem fecit; primum è ſcholaſticis, & omnino è Societate ſecundum, cui honoris ea prærogatiua obuenit: Gregorius XV diplomate dato 2. Octobris anni 1621. firmauit, & datam à Paulo V. facultatem latiùs extendit. Carolus I. Dux Mantuæ argentum, Aloyſij ſignauit imagine cum hac epigraphe. *B. Aloyſij Gonzaga Protector Mantuæ.* Nimirum cui cæteros inter Cœlites tutelares, eius vrbis patrocinium ab anno iam tum 1628. publica auctoritate delatum eſt. Honores hos auxit Alexander VII. Pont. Max. quando Clero, & Populo Vallis Tellinæ id expetentibus conceſſit diplomate dato 21. Iunij 1662. vt expoſita publico cultui imagine B. Aloyſij, ſuper altari in Eccleſia Parochiali Saſſenſi, Miſſam de eo celebrare poſſent; & in eadem valle ad oppidum Pontis Viſitur templum perelegans pietate incolarum eidem Beato dedicatum. Denique S. D. N. Clemens X. iuſſit Beatum Aloyſium Martyrologio inſeri cum elogio; *Principatus contemptu, & innocentia vitæ Clariſſimi.* Plura de illo non addimus, cum ſit in manibus Hiſtoria de vita, & moribus illius à noſtro Virgilio Cepario conſcripta. Scripſit Aloyſius ex voluntate Vincentij Bruni, quem animæ tum ſuæ inſtitutorem habebat.

Meditationem de Angelis bipartitam ſanè vberem, & pietatis pleniſſimam quam idem Brunus nonam inſeruit parti ſecundæ ſuarum meditationum, de Miſterijs vitæ Chriſti, & poſtea Ceparius ſubtexuit Vitæ Aloyſij, extatque cum opuſculis S. Franciſci Borgiæ excuſa Turnonij per Guilhelmum Linoccirum 1611. in 24. Item alteram.

Meditationem de Humilitate, eum ſcripſiſſe, Auctor eſt Antonius Poſſeuinus in Apparatu ſacro, quam ait ſub ipſius nomine non prodijſſe. Demum adiecit Ceparius vitæ ipſius recenſitæ, & Italicè recuſæ 1629.

Concionem, quam Italicè dixit ad Socios in Collegij Romani triclinio cùm Theologiæ operam daret, quæ ex autographo B. Auctoris deſcripta typis mandata eſt Parmæ anno 1630. in 4. ad Calcem Vitæ. In ea B. hic Eccleſiaſtes

cleſiaſtes docet modum ædificandæ cœleſtis Hieruſalem in nobis ſuper fundamentum altiſſimæ Paupertatis.

Aloyſius Iuglares, Natione Italus, patria Nicienſis anno 1622. Societatem ingreſſus ætatis xv. Votorum 4. profeſſionem emiſit 1640. Rethoricam in ea docuit decennium tanta eloquentiæ laude, vt inter ſummos huius ſæculi Oratores annumerandus videatur. Mathematicas etiam diſciplinas aliquamdiu profeſſus eſt. Mirà fuit in eo comitas morum, modeſtia, affabilitas; obedientia verò tanta erga moderatores vt paratus ſemper ad omnia, vel ad ipſa Adiutorum domeſticorum munera ſi res ferret, vir tanti nominis deſcendere non grauaretur. A Sereniſſima Chriſtiana Ducíſſa Sabaudiæ Filij ſui Caroli Emmanuelis magiſterio adhibitus, ſpecioſum munus ita quinquennio geſſit, vt nihil illi de Aulæ moribus, vel fuco adhæreſceret, ſed religioſam animi demiſſionem atque candorem ſemper præ ſe tulit. Multos annos inſigni cum fructu concionatus per celebriores Italiæ Ciuitates, Meſſanæ in ipſo ætatis flore portum æternitatis attigit die xv. Nouembris 1653. Edidit Italicè.

Orationes aliquod Funebres. *Prima Victorij Amedei Ducis Sabaudiæ*. Taurini 1638. in fol.

Secunda Marchioniſſæ S. Germani.

Tertia Principiſſæ Maſſerani.

Orationem de Ven. Sacramento Taurinenſi. Latinè edidit.

Elogium Mareſcialli Toras.

Librum cui titulus. Chriſtus Ieſus, hoc eſt Dei Hominis elogia centum. Genuæ typis Ioannis Mariæ Farraoni 1641. in 4. & iterum Lugduni 1642.

Inſulatas virtutes Archiepiſcopi Taurinenſis in ingreſſu in ſuam Eccleſiam. Vitam, & virtutes Ludouici XIII. Iuſti Regis Chriſtianiſſimi elogijs centum explicatas. Lugduni apud Guilhelmum Barbier 1644. in 9.

Inſcriptiones, epitaphia, & elogia vno volumine. Lugduni 1644. in 4.

Partem ſecundam Elogiorum humana complectentem. Genuæ 1653. in 4.

Iudicium Agaſſini Solarij ex Comitibus Moretæ. Taurini. 1645.

Ariadnem Rhetorum, ab ipſo exceptam mandauit typis Antonius Britius Taurini 1651 Iterum Mediolani 1663. in 24.

Regiæ Celſitudinis Caroli Emmanuelis Secundi Sabaudiæ Ducis, & inclyti generis Notitiam. Monachij 1650.

Panegyricos Sacros Chriſti. Italicè Venetijs apud Turrinum 1648. in 12.

Scholam veritatis apertam Principibus. Italicè Taurini apud Ferroſinum 1650. in 4.

Poſthuma prodierunt opera.

Conciones Quadrageſimales. Mediolani typis Monzæ 1665. in 4.

Conciones de Aduentu, & aliæ inſigniores. Mediolani typis eiſdem 1668. in 4.

* ALOYSIVS LANVZZA ex Aragonia Oriundus, Leocatæ in Sicilia natus anno ſalutis 1591. quem adhuc puerum, è militari ſtudio (ad quod, & Pater Præfectus Hiſpanicæ cohortis, & Regia ſtipendia eum impellebant) in Religioſam militiam Societatis Ieſu Diuinæ gratiæ blandimenta ſuauius abſtraxerunt; Tanta quippe dulcedine cœleſti animus affluebat, vt nec lacrymis temperare, nec ab aſſiduis ante aram maximam precibus deſiſtere potuerit; adeout Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Angelus vulgò apud Scholaſticos audiret. Dum humanioribus litteris operam daret, ſibi inhumanus, ieiunia, cilicia crebrò vſurpare, lapillos in tibialia immittere ſolitus erat. Quin, & verbera ſæpius à Præceptore præſertim ſextis Ferijs petere, abnuentemque tam diu exorare conſuenit donec ſaltem obtineret, medio è gymnaſio de genibus prælectiones excipere. Hæc, & conſimilia inter virtutum progymnaſmata, vocatur ad Societatem, & Tirocinium exorſus eſt Meſſanæ 16 Ianuarij 1608. Hic ſapientem Sanctorum fatuitatem affectans; vſque adeo latere calluit, vt minùs peritis quibuſdam prope ſtolidus videretur. Poſtea inter Condiſcipulos Philoſophiæ, & Scholarum Magiſtros mirificè effulſit. Cùm Rhetorum Noſtrorum Iuniorumque curam Panormi gereret, ſemper fere ab his cubiculum eius identidem adeuntibus, ante effigem Chriſti è Cruce pendentis genibus flexis repertus eſt. Studijs abſolutis, & vota 4. ſolemnia profeſſus, totum ſe Diuini verbi prædicationi dedit, vſque ad vltimam vitæ metam, tanto populorum emolumento ac plauſu, vt quocùmque vellet Auditorum animos inflecteret, & peruicaces etiam ſpiritus lacrymis emolliret. Hinc inclytum Nomen Apoſtoli ſibi comparauit, Domino cooperante, & Sermonem confirmante conſequentibus ſignis. Illa certè plurima, ſi referre vellem extra inſtituti mei cancellos prouehi neceſſe eſſet. Tandem diuturnis Miſſionum laboribus confectus, & pleuritico morbo ex iiſdem contracto, mortali hac vita (prout prædixerat anno Superiori) defunctus eſt, Panormi die 21 Octobris 1656. De morte ſibi imminente admonitus, ſempiternum cogitatione gaudium quaſi præcipiens, è pſalmo ſubdidit, quod olim vſurparat B. Aloyſius: *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in Domum Domini ibimus*. Funus incredibili hominum concurſu celebratum omnibus cateruatim tota ex Vrbe irruentibus. Et quamuis marmorea inter ſepta cadauer conſtitutum fuerit, capilli tamen, & veſtimenta direpta; infirmis etiàm valetudo pleriſque quam deſiderabant reddita. Edidit ſuppreſſo nomine.

Antidotum pretioſum contra peſtilentiam peccati lethalis. Hiſpanicè pro Hiſpanis militibus, dum eos luſtraret ſuis miſſionibus Panormi apud Nicolaum Buam 1640. in 12. Idem poſtea Italicè redditum, & addito nomine

Digitized by Google

mine Auctoris excudit D. Carolus Latius Panormi 1662.

ALOYSIVS ODESCALCVS, Natione Italus patria Comenſis, à prima adoleſcentia Societatem complexus tyrocinium poſuit Romæ anno ſalutis 1562. die 24. Auguſti ætatis XV. Mirè profecit tum in reliquis diſciplinis tum maximè in Philoſophia, & Mathematica, quas Romæ multos annos magna cum laude profeſſus eſt. Inde miſſus primò in Poloniam, vbi conciones latinas habuit Cracouiæ, poſtea anno Domini 1575. in Tranſiluaniam, Sigiſmundum Battoreum Principis filium, Stephani Poloniæ Regis patrui illius rogatu, diligenter erudijt; ſed ab inclementia Cœli morbum contraxit, quo brachiorum, & pedum vſu fere amiſſo, reportatus eſt in Italiam, Patauijque ſubſtitit, vbi & votorum 4. profeſſionem ſolemnem emiſit die 24. Aprilis 1583. & ſingularem, in morbis patientiam Noſtris, & eximiam in magno ingenio doctrinaque modeſtiam patefecit. Studioſæ Patauinæ iuuentuti, in morbi, dolorumque intermiſſionibus Scholas habuit extraordinarias, de ſingularibus Mathematicorum difficultatibus, in gymnaſij Cathedram Sociorum brachijs delatus, mirantibus Auditoribus, qui frequentes accurrebant, & ingenij vim, & cupiditatem de omnibus bene merendi. Profectus denique Puteolos hortatu Medicorum, paulò poſt Neapoli vitam cum morte commutauit. Reliquit præclarum opus (quod à peritis magno in pretio habetur) ac ſummo ſtudio ex omnibus Græcis Philoſophis, atque Ariſtotelis interpretibus collegit, atque ex illis Doctrinam Peripateticam eruit, auxit, illuſtrauit. Quod tamen morte impeditus Aloyſius expolire non potuit.

* ALOYSIVS RICHARDVS, Natione Germanus patria Znoymenſis in Morauia, ſub Sceptro Bohemico, admiſſus in Societatem anno ſalutis 1631, ætatis 17. vota 4. in ea nuncupauit. Rhetoricam, & litteras humaniores docuit nouennio, Philoſophiam ſexennio; præfuit ſcholis; Concionatorem egit, & Regentem Seminarij annis pluribus. Superſtes etiamnum in Collegio Znoymenſi, edidit idiomate Germanico.

Contra errores Chemniſij Doctoris Hæretici, confutationem per modum epiſtolæ in 4.

Victoriæ ſcriptum, contra eundem Doctorem mutum, cuius trecenta exemplaria cum ciuis quidam Vratiſlauienſium coëmpta concremaſſet recuſum eſt in 4.

Reſponſum ad diſcurſum quendam duorum Lutheranorum contra ſcriptum cuiuſdam Doctoris Catholici.

ALOYSIVS SIDEREVS. Italus, Neapolitanus, Complures ſub hoc nomine emiſſi ſunt in lucem libri, admodum pij, Italico ſermone. Sed quia verus illorum Auctor eſt R. P. Vincentius Caraffa poſtea Præpoſitus Generalis Societatis ideo ſub illius nomine recenſebuntur inferius omnes.

ALOYSIVS SPINOLA, è nobiliſſima inter Genuenſes familia, adoleſcens Romæ ad Societatem venit anno ſalutis 1614. ætatis 17. in qua Octauij nomen quod gerebat in Aloyſij mutauit, reuerentia, & affectu in B. Aloyſium Gonzagam, cuius imitandi ſtudio ducebatur. Docuit in ea amæniores litteras triennio, Philoſophiam ſexennio, Sacras litteras in Collegio Romano interpretatus eſt ſeptennio, & per octennium Conciones habuit in celebrioribus vrbibus Italiæ, vota quatuor ſolemnia profeſſus ab anno 1632. Rexit Seminarium Romanum, & poſtea Collegium Germanicum, & Hungaricum in Vrbe, annos 16. magna cum laude prudentiæ, moderatus eſt. Fuit à Sacris Confeſſionibus Clementi IX. Pont. Maximo etiam ante Pontificatum, & toto tempore quo Eccleſiæ Dei præfuit, vſque ad obitum. Fuit etiam Conſultor Sacræ Congregationis Rituum, Indulgentiarum, & Viſitationis Apoſtolicæ, & in ſenectute bona migrauit ad Dominum Romæ die 16. Octobris 1673. Edidit ſuppreſſo nomine.

Itinerarium Pietatis ac doloris, per eos gradus quos Rex dolorum ſuis paſſionibus, & ſanguine conſecrauit. Romæ typis Zannetti. 1625. in 12.

* ALOYSIVS TANA, Natione Italus, patria Cherienſis claro apud Subalpinos genere natus anno Domini 1593., ad Societatem acceſſit 1612. & 4. votorum nuncupatione ſe obſtrinxit. Docuit manſuetiores litteras, Concionatorem, & Operarium multis annis egit, & aliquamdiu Superiorem. Cultor eximius fuit B. V. M. & eius à Labe primigenia illibatæ Conceptionis. B. Aloyſium Gonzagam ſanguinis propinquitate ſibi coniunctum, toto vitæ tempore tenerrimo pietatis ſenſu proſecutus eſt. Tandem ſeptuagenarius ex ac vita in Cœlum (vt ſperamus) migrauit Taurini anno 1663. Edidit Italicè.

Frænum linguæ pungentis, &c. Diſcurſibus nouem. Taurini apud hæredes Ferroſini 1650. in 4.

ALPHONSVS AGAZZARIVS, Natione Italus, patria Senenſis, is cum Brixiæ celebrem inijſſet Sacerdotum Congregationem, fama Societatis permotus, nomen illi cum omnibus ſui Cætus ſodalibus dedit anno 1567. ætatis ſuæ 18. & profeſſionem votorum 4. emiſit 1589. Primus Collegium Anglorum Romæ rexit, & ſumma cum prudentia illius incrementa prouexit. Poſtea etiam Germanicum in Vrbe, Senenſe, Neapolitanum, & demum Domum Profeſſam Romæ gubernauit, magna vbique commendatione à virtutum exemplis. Ad extremum in Collegio Romano diem obijt. 30. Martij 1602. Scripſit.

Vitam Eduardi Trogmortoni Adoleſcentis Angli, ſub ipſius cura, Conuictoris in eodem Collegio Anglicano, quam ſuis deinde Commenta-

mentarijs de perſecutione Anglicana præfixo Alphonſi nomine, inſeruit Didacus de Yepez Epiſcopus Tyraſonenſis in Aragonia lib. 6. cap.10. quamuis Sacchinus noſter in Hiſtoria Soc. afferat illam mandatam fuiſſe litteris à noſtro Roberto Sotuello, mortem pro fide poſtea glorioſè paſſo.

ALPHONSVS DE ANDRADA natione Hiſpanus, patria Toletanus iam publicè docuerat Philoſophiam Toleti, quando Societati nomen dedit anno ſalutis 1612. ætatis 22.& votorum 4. ſolemnium profeſſionem poſtea emiſit. In Societate Theologiam Moralem aliquot annis explicuit, & Collegium Placentinum gubernauit. Reſiduum vitæ, Vir Dei caritate, & animarum zelo feruens, in Concionibus, & Miſſionibus obeundis conſumpſit per 50.annos. In his, quod ſuperfuit ei temporis, in piorum librorum, vt pluribus prodeſſet, ſcriptione expendit. Horum tamen lucubrationi (quod in Scriptore eſt rarum) ita ſe commodauit, non tradidit, vt quoties prodeundum ad Miſſiones eſſet, eas nunquam intermiſerit. Diſciplinæ Religioſæ fuit apprimè obſeruans, & ſupremi Senatus ſanctæ Inquiſitionis in Hiſpania Qualificator. Demum octogenario maior ad laborum præmia vir indefeſſus in pietatis palæſtra, emigrauit, Madriti die 20.Iunij 1672. Edidit Hiſpanicè oppidò multa. Videlicet.

Sermonem de Sancto Raymundo Nonnato Confeſſore, & Cardinali Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum. Murciæ 1628. in 4.

Sermonem de SS. Martyribus Iaponiæ, ex Ordine Sancti Franciſci, & Societatis IESV. Oriolæ apud Ioannem Franciſcum Francum 1628 in 4.

Diſcurſum de Baptiſmo Beatæ Mariæ Virginis. Matriti apud Ioannē Sanchez 1629. in 4.

De Duce ad virtutem, & Imitatione Beatæ Mariæ Virginis, tribus Tomis in 4. quorum primus editus eſt Matriti per Franciſcum Maroſum 1642. ſecundus iiſdem typis 1644. tertius per Didacum Diaz 1646.

Itinerarium Hiſtoricum, 2.tom.in 4.Madriti apud Paulum de Val 1657.in 4.

Monita Spiritualia S.Tereſiæ cum Commentario. 2.tom.in 4.Madriti apud Gregorium Rodriguez & Carolum Sanchez 1647.

Militiam Spiritualem.Madriti per Didacum Diaz 1662. in 4.

Patrocinium vniuerſale B. Virginis. Madriti apud Ioſephum Fernandez de la Buendia 1664. in 4.

Meditationes in ſingulas annis dies. 4.tom. in 16. Madriti apud Andream Garciam 1660.

Vitam P.Bernardini Realini.Matriti 1658. in 4.

Vitam P.Vincentij Caraſæ. Matr.1658.in 4.

Vitam S. Gertrudis Manfeldenſis. Madriti 1663. in 4.

Vitam P.Franciſci Aguado, & P. Ioannis Euſebij Nieremberg ex Societate. Madriti per Ioſephum Fernandez 1658. in 8.

Vitam P.Petri Claner ex Societate ſub alieno nomine. Madriti per Mariam de Quiñones 1657. in 8.

Ideam Perfecti Prælati in vita Cardinalis Archiepiſcopi Toletani D.Baltazaris de Moſcoſo, & Sandoual. Madriti 1658. in 4.

Vitas Virorum Illuſtrium de Societate Ieſu. tomis 2.in fol.Madriti apud Ioſephum Fernandez de Buendia 1666.& 1667.

Vitas SS.Ioannis de Matta, & Felicis de Vallois Fundatorum Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum.Madriti per Melchiorem Alegre 1668. in 4.

De Veneratione Sacrarum Imaginum, & origine mirabilis Imaginis S. Ignatij Munebrega in Aragonia. Madriti apud Ioſephum Fernandez de Buendia 1669. in 4.

Viam Vitæ. Madriti per Matthæum Fernandez 1660. in 8.

Lectionē de bene moriendo.Madr.1663.in 8.

Libros aſceticos quinque Cardinalis Bellarmini traductos Hiſpanicè cum auctario. Madriti per Alphonſum de Paredes 1650. in 8:

Scholaſticum perfectum eiuſque obligationes. ibid.1643. in 8.

Bonum militem Catholicum eiuſque obligationes. ibid.1642. in 8.

Vitam Doctoris Martini Ramirez ſub alieno nomine. Ibidem 1658. in 8. Latinè ſcripſit.

Operarium Euangelicum. Madriti per Alphonſum de Paredes 1648. in 8.

* ALPHONSVS ANTONIVS DE SARASA natione Belga, Hiſpanis parentibus natus Neoporti in Flandria, cooptatus in Societatem anno Domini 1633. ætatis 15. votorum 4. ſacramento ſe obligauit.Septennio docuit litteras politiores, & Mathematicis diſciplinis non leuiter eſt imbutus. Conciones habuit Gandaui, Bruxellis, Antuerpiæ, concurſu ſemper maximo, & plauſu, quia mirabantur in eo omnes coniunctam, cum ſumma claritate ſoliditatem doctrinæ, itaut ſublimiſſima quæque Fidei myſteria ad vulgi captum rationibus perſpicuis expoſuerit; hinc non ſine luctu vniuerſæ fere Ciuitatis in medio laborum curſu, tam egregius Eccleſiaſtes extinctus eſt Antuerpiæ, ex pleuritide, extremis antea Sacramentis ritè communitus die 5. Iulij 1667. Emiſit in publicum.

Solutionem problematis de Quadratura circuli in qua genuinum ſenſum operis Mathematici P. Gregorij de S. Vincentio Magiſtri ſui declarat. Antuerpiæ apud Meurſios.

Artem ſemper gaudendi, demonſtratam ex ſola conſideratione Diuinæ Prouidentiæ per Conciones demonſtratam Aduentuales: Latinè. Antuerpiæ apud Iacobum Meurſium 1664. in 4. Partem 1.

De lætitiæ perfectæ artificio in conſcientia recta inuento. Partem 2. Antuerpiæ eiſdem typis 1667. in 4.

AL-

Digitized by Google

ALPHONSVS DE ARAGONA natione Italus, domo Neapolitanus, pijs natus parentibus anno 1585. Societatem ingreſſus eſt anno 1602. & tyrocinium ſtudiaque omnia Neapoli confecit, tanta iam tùm virtutis commendatione, vt B. Aloyſio Gonzagæ, cuius erat ex recenti memoria celebris claritudo, quàm proxime conferretur. Anno 1616 nauigauit in Paraquariam à P. Ioanne de Viana, qui Procurator inde venerat in Vrbem, inuitatus, ad meſſem animarum. Biennio in vrbe Aſſumptionis pueros ad rudimenta latinitatis inſtituit, cum inſigni modeſtiæ, humilitatis, caritatis, cæterarumque virtutum documento. Verùm cùm anno 1619. vaſtam Vruaij Prouinciam Deus Euangelio aperiret, deſignatus Alphonſus eſt, qui pro menſura votorum ſuorum, comes iret ad eam gentem P.Rocho Gonzalez, & particeps fieret amabilium ærũnarum. Vnam ibi reductionem (ſic vocant cœtus Indorum, quos à vaga viuendi conſuetudine collectos reducunt in communis vitæ ſocietatem) ſub Conceptionis nomine adminiſtrauit, excitato ſibi congeſtis è paleis tugurio, & ſacello ad ſacrificandum. Vaſta circùm ſolitudo, & rerum vitæ neceſſariarum egeſtas ingens; radicibus ferè & leguminibus, quando nec illa deficiebant, vitam tolerabant. In ea vaſtitate, cùm vitæ integerrimæ documento, mirabili patientia, atque operoſiſſima caritate opus Dei promoueret, ſolemnia 4. vota profeſſus eſt anno 1621. Quid ibi laborum ſuſtinuerit, quid adierit periculorum, quoties vt commiſſum ſibi gregem tueretur, & augeret, per ſaltus, & teſqua diſcurrerit, vulnera acceperit, ſanguine humum imbuerit, extrema omnia Apoſtolico animi ardore tentarit, haud facile explicatu eſt. Ex ea contentione morbum contraxit, ad cuius curationem ad Collegium Aſſumptionis deportatus eſt, ſed vi, pertinaciaque mali omnia remedia ſuperante, ibidem piè mortuus eſt, Sacramentis prius omnibus procuratus ad diem 10. Iunij 1629. Poſtridie ſolemni ritu parentauit illi Pro-Epiſcopus in celeberrimo Conuentu Cleri vtriuſque, Regij Gubernatoris, & Populi vniuerſi, quos opinio ſanctimoniæ eius ad funus cohoneſtandum excitauerat. Fuit enim tam luculentis ornatus virtutibus, quàm virum Apoſtolicum in medio Nationis prauæ oportebat. Conuerſatio eius ſemper in cœlis, vnde luminis, voluptatiſque Diuinæ copiam trahebat. In Cœli Reginã, & in eius filiũ Ieſum Aſſertorem noſtrum, incredibilis obſeruantia, amor tenerrimus. In egenos de ſua paupertate pauperrima, erat impensè munificus; in mortalium ſalute procuranda diligens atque impiger, & periculorum quorumcumque contemptor. Societatis noſtræ, & Inſtitutorum eius admirator & amator præcipuus; tamque accuratus obſeruator, vt nullam eius regulam ſit viſus violaſſe. Quàm diues animi, tam erat pauper corporis bonis; Veſtitus illi plurimùm lacer, & victus pertenuis; Supellex tota, pauculæ è papyro imagines fouendæ pietati. Puritatem in ſe ſemper expreſſit Angelicam, & conſtans eſt opinio, Virginitatis illi decus ſtetiſſe illibatum. Obedientia denique, ſui contemptu, ſtudio mortificationis, corporis afflictationis, omnique alia virtute tàm fuit cumulatus, quàm decebat eum quem Deus elegerat in Doctorem Gentium Barbararum: quarum etiam commodo ſcripſit idiomate Guarano, cuius eſt in Paraquaria vſus.

Vocabularium ingens duabus partibus comprehenſum.

De linguæ Guaranæ Particulis quibus nimirum omnis eius ornatus definitur.

Præcepta Syntaxeos.

Sermones ad Populum.

Dialogos de Sacramentis, & alijs fidei myſterijs.

Cantiones perelegantes de iiſdem.

ALPHONSVS AVILA natione Hiſpanus, patria Bellomontanus poſt quadriennium ſtudio Iuriſprudentiæ impenſum Societatem amplexus eſt anno ſalutis 1566. ætatis 20. & quatuor in ea vota nuncupauit Valliſoleti. Fuit diſertiſſimus Concionator, & Euangelicum hoc munus obiuit plus annis 30. Rexit Collegia Segouienſe, & Palentinum, Obijt non Malacæ, (vt per errorem in priori editione dictum eſt) ſed Valliſoleti die 12. Ianuarij 1613. Malacæ ſiquidem defunctus eſt alter Alphonſus Auila patria Malacitanus, & Societati adſcriptus anno 1580. prout conſtat ex Catalogis Caſtellanis, & Bæticis in tabulario Romano. Edidit porrò Alphonſus memoratus latinè, ...

Concionum tomos duos, partem nimirum hyemalem, & partem æſtiualem Antuerpiæ typis Andreæ Bacx, 1610. in 4.

ALPHONSVS BARZENA, Natione Hiſpanus. è Bœtica Prouincia, patria Cordubenſis, Magiſtri Ioannis de Auila Concionatoris ea tempeſtate Apoſtolici diſcipulus, cùm ad Ethnicorum conuerſionem ſemper auidè inhiaſſet, eàmque ob rem 15. ipſos annos perſeueraſſet ingreſſum in Societatem opperiens, à qua domeſticorum ſuorum difficultatibus prohibebatur; tandem anno 1565. receptus, cùm aliquamdiu iam Bœticam Prouinciam concionando percurriſſet, in Peruanum Americæ meridionalis Regnum anno 1569. cum aliquot Socijs miſſu S. Franciſci Borgiæ Præpoſiti Generalis, profectus, magnam ætatis partem in Tucumania, & Paraquaria mediterraneis Prouincijs tranſegit, & plurimos mortales Apoſtolica prædicatione Chriſto lucrifecit, non Indigenis minùs, quàm Hiſpanis procurandis intentus. Vndecim omnino gentium illarum linguas percalluit, quarum beneficio diuerſis nationibus per 23 annos, omnibus periculis, & ſudoribus poſthabitis Euangelium prędicauit donec exeunte anno 1595. graui paralyſi repente oppreſ-

ſus

lis omnes corporis ſenſus prorſus amiſit, ita vt ad ſex horas iaceret exanimato ſimilis. Poſtea ſenſim ad ſe rediit balbutiente lingua, vt quæ diceret exprimere non poſſet. Cuſcum delatus, ærumnoſam ibi vitam, & Apoſtolicis laboribus diu exercitam, laudatiſſimus ſenex tranquillo fine concluſit, Calendis Ianuarijs anni 1598. cum annos 70. viuendo ſuperaſſet, primus ſociorum qui Regiam illam Ingarum Vrbem ſuo occubitu decorauit, cùm idem ipſe poſtremum Ingam, ad quem ius Regni priſcum pertinebat, ſacro ab ſe ablutum Baptiſmo, Carolum appellatum ad pie Chriſtianeque moriendum inſtruxiſſet. Vir fuit Barzena, quem & Peruuij vulgò Apoſtolum ſuum nominant, & Noſtri qui in Miſſionibus illis difficillimis verſantur, tamquam verum Apoſtolici ſpiritus exemplar bonumque eius muneris Magiſtrum, ſibi proponunt imitandum. Sæpe cùm aliter non poſſet, impoſitus in Sedem aut feretrum potius, quaſi efferretur mortuus, ſuccollantibus alijs multa loca circumijt, egregius venator animarum. Sæpe diuinitùs ad longa ſpatia breuiſſimo tempore transferebatur, vt opem adferret mortalibus. Conſtat eum horis vndecim aliquando decurriſſe iter octidui. Ceterùm pedes ſemper inſtituebat expeditiones ſuas, omni aëris inclementia contempta. Crebrò præſentiſſimis periculis eſt à Deo ereptus; crebròque binos ſenoſue dies ſine cibo extraxit, ſola paſtus Euchariſtia. Singulis noctibus ad orandum ſurgebat quod illi ſtudium Diabolus multa vexatione totis duodecim annis conatus eſt excutere, ſed nihil niſi ad augendam homini coronam perfecit; qui toties ab aduerſario relata victoria, contemptim increpitum, ſcipione iam à ſe per ludibrium abigebat. Quamquam, & contrarijs eum armis etiam infeſtabat; nimirum cùm ſe illi aliquando cogitanti attentiùs, qua poſſet arte efferatos quoſdam populos Chriſto adiungere, ſuperbus ille ſpiritus horribili forma obieciſſet, Pater nihil exterritus obuiam illi proceſſit, & Sede, inquit, in hac ſede mea, quia me dignior es; quam ſubmiſſionem ille non ferens, cum horrendo vlulatu ſe inde proripuit. Viſus haud vna vice eſt Prophetica luce illuſtrari; ſæpe cogitationes aliorum occultas, ſæpe quæ poſt erant futura prænunciabat. Erat Limæ vir è Religioſa familia doctrinæ, & virtutis opinione apud vulgus laudatiſſimus Franciſcus de Cruce. Hunc cùm in publico doctorum hominum conſeſſu vidiſſet contentioſius quædam aſſerere, coràm admonuit, ni vitam, & doctrinæ quædam capita corrigeret, fore vt olim flammis à ſacræ fidei Magiſtratu viuus traderetur. Neglexit ille, & detectus poſtmodum erroribus, cùm ijs pertinaciter adhæreſceret, velut obſtinatus hæreſiarcha, qui ſe humani generis Seruatorem præ Chriſto venditabat, incendio abolitus eſt. Deo, ac Deiparæ fuit perfamiliaris, atque ab ijs multa beneficia exorabat. Infantis Ieſuli memoriam grata veneratione recolebat, habebatque ſemper ſignum ipſius, arte ſculptoria formatum, quod per noctem ſibi ad lecti caput admouebat. Id cùm in extrema ægrotatione fuiſſet nocte quadam oblitus, & infirmorum curatorem inclamaret, vt ſuum ſibi dilectum porrigeret, ipſe ſe ſtitit Infans, coram Sancto dicens. Ne fatigere, en hic, ego tecum ſum. Scripſit hic Tucumanenſium Apoſtolus (quomodo eum paſſim appellant) in multarum gentium vtilitatem.

Lexica.

Præcepta grammatica.

Doctrinam Chriſtianam.

Catechiſmum.

Librum de confeſſionis ratione, multis additis precationibus ſermonibuſque quinque Indorum linguis, quarum longè latèque per Americæ Auſtralis mediterranea vſus eſt, Puquinica, Tenocotica, Catamareana, Guaranica, Natixana, quam etiam Mogaznanam vocant ad quas plurimæ aliæ reducuntur.

* ALPHONSVS DEL CANO, *natione* Hiſpanus patria Anduxarenſis in Bætica natus anno ſalutis 1580. Societati iam Sacerdos, & Doctor in Theologia, & in flore ſpei ad ſumma quæque, ſe adſcripſit anno 1606. & votorum quatuor profeſſione ſe obligauit 1614. Philoſophiam Segobiæ, Theologiam Compoſtellæ, Valliſoleti, Salmanticæ, magna ingenij nec minore virtutum laude perdocuit. Rexit Collegia Burgenſe, Salmaticenſe, & Domum probationis Villagarſiæ. Bis Prouinciam Caſtellanam adminiſtrauit, & ſemel Toletanam Viſitator luſtrauit. Romam à Comitijs Prouinciæ Caſtellanæ electus Procurator adiuit. Salmanticenſe Collegium cùm iteratò gubernaret, paralyſis repentina, & apoplexia inter colloquendum cum PP. in Religioſa conuerſatione repentè proſtrauit, & intra 30. horas extinxit die 10. Maij 1643. cùm eodem die quotidiana exomologeſi (vt ſolebat) expiatus, & ſacris fuiſſet operatus, & omnes Patres, ac Fratres matutinæ orationis tempore viſitaſſet, vt ſuo munere accuratiùs fungeretur. Funus magna ſummorum virorum Academiæ, Eccleſiaſticorum, ac Religioſorum celebritate peractum. Virtutes in eo ſolidæ patientia, demiſſio ſui, perpetua cum Deo per orationem coniunctio, denique Sanctimonia excellens, & non peregrina, ſed ex medulla noſtri inſtituti deprompta. Scripſit Hiſpanicè, & impreſſit eruditum tractatum.

De ætate requiſita ex vi Conſtitutionum Societatis Ieſu, Vt quis ad eam admittatur. Vbi etiam agitur de poteſtate Prouincialis circa eos qui 15. annum ætatis non attigerunt Valliſoleti 1626. in 4.

ALPHONSVS DE CASTRO, Hiſpanus natus Toleti Societati adiunxit ſe anno 1570. & vota 4. nuncupauit Theologiam Scholaſticam Ocaniæ cum Gabriele Vaſquez

profeſſus eſt, & Moralem multis annis explicuit. Domui Profeſſæ Hiſpalenſi primum, deinde Mexicanæ Prouinciæ præfuit. Inde redux cùm Bœticæ Prouincialis eſſet deſignatus, Hiſpali ad Epiſcopum Pacis Iuliæ ob res grauiſſimas iter aggreſſus, in via morbum contraxit, ex quo plenus dierum, ac bonorum operum in Collegio Fregelanenſi fato conceſſit anno 1610. ætatis ſuæ 69. Inter varias morales materias inchoatas reliquit opus è laboratum.

In Conſtitutionem Clementis VIII. de largitione munerum vtriuſque ſexus Regularibus interdicta. Quod tamen hactenus excuſum non eſt.

* ALPHONSVS CIGNARDVS, natione Italus, patria Mediolanenſis, Societati adſcriptus anno à partu Virginis 1605. ætatis ſuæ 16. vota quatuor ſolemnia in ea nuncupauit 1623. Docuit multis annis Humaniores litteras, Philoſophiam, linguam Sanctam, & Sacræ Scripturæ oracula eſt interpretatus. Dum inter nos ageret, & curam gereret Congregationis Beatæ Virginis Nobilium Mediolani in Domo Profeſſorum, concinnauit Italicè, & edidit tacito ſuo nomine, quod tamen exprimitur in Proœmio

Congregationis de Feliciſſimo tranſitu Beatiſſimæ Virginis Mariæ Regulas, ſtatuta, exercitia ſpiritualia, & Indulgentias ad illam pertinentes. Mediolani typis Philippi Ghiſolfi 1639. in 4.

ALPHONSVS DEZA, natione Hiſpanus patria Complutenſis Theologorum Scholaſticorum noſtro ſæculo lumen, cùm ſumma apud omnes eſſet expectatione, multàque excellentis ingenij in Academia Complutenſi dediſſet argumenta, ſpes omnes ſæculi abrupit, & *hærentis* (vt Diui Hieronymi verbis vtar) *in Salo nauiculæ funem magis præcidit, quàm ſoluit*, ſeque totum in Religionis portum intulit, noſterque factus eſt anno ſalutis 1558. Porrò, eadem in Complutenſi Academia viginti, & ampliùs annos ſacram Theologiam profeſſus eſt, ac Diuum Thomam Aquinatem explanauit tanto ingenio, iudicio, perſpicuitate, argumentorum pondere, vt omnium Sapientium ſententia nulli Theologorum ſecundus videretur. Erat enim D. Thomæ ſententiæ curioſus indagator, illuſtris interpres, acerrimus propugnator. Sed in Alphonſo Deza tam excellens eminebat religio, tanta ſe efferebat, atque in omnes partes effundebat virtus; vt in illo cum ſummo ingenio perfecta humilitas; cum perſpicaciſſimo intellectu incenſus certaret affectus; cum ſingulari doctrina admirabilis obedientia, & cum exquiſita prudentia coniuncta eſſet ſancta columbæ ſimplicitas. Denique cùm illum omnes ſuſpicerent, laudarent, in oculis ferrent; ipſe ſolus ſe deſpiciebat, pro nihilo reputabat, omnium ſe pedibus ſubijciebat. Quocirca viuus tanquam doctrinę ac vitæ Magiſter ab omnibus etiam Magiſtris, & Præceptoribus, habitus atque cultus eſt; & mortuus ceu parens quidam defletus ab vniuerſa Academia Complutenſi anno ſalutis 1589. quo vitam cum morte commutauit. Obijt 23. Ianuarij Toleti, cùm profeſſæ Domus noſtræ gubernationem Præpoſitus ſuſtineret, ac prudenter adminiſtraret, annum ſexageſimum nondum ingreſſus. Extant ex Dezæ latina interpretatione.

Franciſci Borgiæ Gandiæ Ducis pia Opuſcula, impreſſa primum Salmanticæ per Matthiam Garziam 1579. Deinde Moguntiæ, Antuerpiæ, & alibi. Ipſius verò extat aureus vulgari idiomate libellus.

De Oratione Mentali. Olim Limæ in Peruuio impreſſus.

Plura de hoc ſapientiſſimo Theologo, Eiuſque virtutibus refert Noſter Ioannes Euſebius Nierembergius in illius vita tomo 4. de viris claris Societatis Ieſu.

ALPHONSVS EZQVERRA, natione Hiſpanus, ex Ciuitate Alfaro, Diæceſis Tiraſonenſis, prope quinquagenarius ad Societatem Compluti venit anno ſalutis 1607. Conchenſis Collegij Rector extitit, & quatuor vota ſolemnia profeſſus eſt 1614. Octogenario maior Sanctè Obijt Compluti die 17. Iulij 1633. Edidit Hiſpanico Idiomate librum inſcriptum.

Greſſus Sanctiſſimæ Virginis cum Doctrina morali pro omnibus vitæ ſtatibus. Compluti apud Ioannem Villodas Orduna 1629. in 4.

Huic libro componendo totos 14. annos impendit Auctor, tanta cum interiori Spiritus dulcedine, vt non niſi poſitis humi genibus, præ reuerentia erga Dei matrem, totum ſcripſerit. Alias admirabiles huius viri virtutes, & piam carnificinam in Senile corpus ſuum, qui noſſe cupit; videre poterit apud noſtrum Ioannem Euſebium Nieremberg de viris claris Societatis tom. 3.

ALPHONSVS ſeu ILDEPHONSVS DE FLORES, Hiſpanus ex Oppido Nobleras Diæceſis Toletanæ, à prima ætate in Societatem ingreſſus eſt anno 1613. & vota quatuor ſolemni ritu concepit. Poſt traditas in ea humaniores litteras, Sacram Scripturam Cordubæ, & Hiſpali decennio eſt interpretatus. Rexit Collegia Vbetenſe, Marchenenſe, & Concionatorem egit in pluribus Bœticæ Collegijs, vbique cum Religionis, Doctrinæ, & integritatis laude. Vixit aliquot annis Neapoli; vt ibi in miniſterijs ſpiritualibus deſeruiret Hiſpanis. Reuerſus in Bœticam dum Noſtris præeſſet Marchenæ ſeptuagenario maior piè defunctus eſt die 11. Decembris 1660. Edidit latinè tomum.

De Inclyto agone Martyrij, & de Martyrio Deiparæ. Neapoli typis Octauij Beltrani 1648. in folio.

Diſcurſus prædicabiles in Salutationem Angelicam. Hiſpanicè. Hiſpali apud Ioannem de

de Oſſuna 1659. in fol.

In caput 24. Eccleſiaſtici, Commentarium, litteralem, Panegyricum, & moralem. Antuerpię 1661.

Parabat prælo tractatum hac inſcriptione *Hiſpania candidata Chriſtianæ fidei lampade, purpurata ſuorum martyrum cruore, celebratur ſingularibus Sacræ Scripturæ Teſtimonijs, & figuris.* Pro recenti Campi Sancti Cordubenſis, Vrgalienſis, & Biacenſis gloria, & Crucum illis in locis erectione, ob generoſos Chriſti Athletas ibi occiſos, & miraculorum ſplendore decoratos. Verùm morte præuentus non abſoluit.

ALPHONSVS GAETANVS, natione Siculus patria Siracuſanus, Octauij germanus frater, Societati addictus eſt anno 1593. ætatis ſuæ 15. in qua eodem tenore ſemper religioſi moris ſeruantiſſimus vixit. Aſper in ſe ipſum, neceſſario contentus victu atque vulgari, ſuauioris, atque extraordinarij abſtinens, ſed in eos quorum animis moderabatur pro ingenio cuiuſque mitis. Paupertatis in cubiculo, grauitatis in conuictu quotidiano ſpecimen fuit; quibuſcum vel vtilia, vel diuina colloquia miſcebat alienus à iocis. Viuebat, & colloquebatur cum Deo coniunctiſſimè; cum ſanctis etiam familiaritatem exercebat. Condixerat ipſe ſecum dies quibus, ſingulis per hebdomadam diſpertitis vicibus cum Auguſtiſſima Triade, cum Chriſto, cum Deipara, cæteriſque Patronis cœleſtibus ageret, & quibus id faceret precibus, ac meditationibus, libellum ſibi ipſe conſcripſerat. Tironibus formandis Meſſanæ aliquamdiu præfuit; Sodalitatem Nobilium Panormi aliquot annis direxit; Noſtram etiam Iuuentutem in Collegio Panormitano ad Sanctimoniæ perfectionem ſolertiſſimè inſtituit. Demum Panormi vti vixerat piè obijt die 7. Ianuarij 1647. Votorum ſolemnium Profeſſis pridem adſcriptus. Edidit Italicè.

Vitam Franciſci Gaetani è Societate Ieſu. Panormi per Decium Cyrillum 1637. in 12. Quæ aucta ab Auctore poſthumis typis prodijt Panormi, & Bononiæ 1649.

ALPHONSVS GARZIA, natione Hiſpanus patria Cordubenſis, à primis annis Societati adſcriptus anno ſalutis 1587. 4. in ea vota ſolemnia profeſſus eſt. Canarienſes ſeu Fortunatas Inſulas Euangelica prædicatione luſtrauit: inde redux Oſſunenſi Collegio Rector datus, breui deſijt inter viuos eſſe anno 1618. ætatis circiter 50. Scripſit vernaculo ſuo Idiomate.

Moralem, & naturalem Inſularum Canarienſium Hiſtoriam. Hiſtoriam Vrbis Cordubenſis duobus tomis comprehenſam. Sed neutra ex his Hiſtorijs hactenus typis eſt excuſa.

ALPHONSVS GIANOTTVS, natione Italus, patria Corrigienſis Diæceſis Regienſis in Gallia Ciſalpina, in Societatem annos natus vndeuiginti ingreſſus anno ſalutis 1615. Vota quatuor ſolemnia profeſſus eſt. Rhetoricam in ea docuit quinquennio; Philoſophiam triennio; Præfuit Domui Probationis Nouellariæ, Collegijs Buxetano, Regienſi, & Bononienſi ſecundùm. Fuit Deo per Orationem coniunctiſſimus, Zelo animarum ardens, pauperum, & mendicorum planè Pater. Dum Rectoris munere fungeretur, è penu, & culina ciborum reliquias colligebat, & manu ſua pauperibus conuocatis diſtribuebat. Tanta porrò fuit demiſſione animi, vt per præcepta obedientiæ adigi debuerit ad regendum Collegium Bononienſe. Cultui Deiparę impenſiſſimè addictus eundem in alijs per lectiones de illius excellentia, per induſtrias de illa colenda conſcriptas, per mille amandi, & venerandi artes, ſtuduit propagare. Miſſionum amantiſſimus, ad extremam vſque laſſitudinem, & ægrotationem aſſiduitate vires ſuperante. In poſtremo morbo virtutibus ægrorum proprijs inſigniter eluxit, & demum ſanctè obijt Bononiæ die 29. Septembris 1649. Defunctum Ciuitas tota complorauit. Edidit vernaculè ſub nomine Alphonſi Antonij.

Myſticum Heliotropium, ſeu Induſtrias animæ amantis, ad ſe vniendum Deo. Bononię per Bonacium 1641. in 24. recuſam poſtea ſub nomine Auctoris 1646.

Modum bene communicandi. Bononiæ 1644. in 24.

Bellum Chriſtianum. Ibidem 1646. in 24.

Praxes morales virtutum ex Doctrina, & exemplis Societatis Ieſu. Qui liber multo piorum vſu, & fructu teritur. Bononiæ apud Hæredes Bonauij 1648. in 12.

Spirituales modos ſe habendi cum Infante Ieſu, & coram Sancto Sacramento. Bononiæ typis eiſdem. in 16.

Diarium Religioſum. Bononiæ in 16.

* ALPHONSVS LOPEZ natione Hiſpanus, Diœceſis Conchenſis Societati quinquagenarius ſe adiunxit Mexici anno 1585. vt in ea in humili gradu Adiutoris temporalis ſeruiret Deo. Cùm verò ante ingreſſum dediſſet operam Medicinæ, & Chirurgiæ, ex caritate ijſdem artibus etiam in Religione (eò quod rari ibi eſſent Medici) multorum conſuluit ſaluti. Vt autem pluribus prodeſſet, compoſuit lingua Hiſpanica librum de curatione morborum; & eorum præſertim qui ijs in Regionibus frequentiùs graſſantur, adhibitis medicamentis præcipuè herbarum ſimplicium ſalubrium, quibus abundat noua Hiſpania. Hinc magni fit hic liber potiſſimùm à Noſtris Miſſionarijs, qui ex illius lectione atque vſu corporibus perſæpe infirmorum medentur, & mentibus. Fuit porrò Alphonſus diſciplinæ Regularis imprimis obſeruans, ijſque præditus virtutibus, quas in gradu Coadiutorum temporalium requirit Societas, & demùm ſexagenario maior piè obijt Mexici, menſe Martio 1597. Edidit librum

Digitized by Google

De curatione morborum. Mexici in folio.

ALPHONSVS MENDEZ, natione Luſitanus, ex Interprete Sacrarum litterarum, in Eborenſi Academia à Greg. XV. Pont. Max. Aethiopiæ Patriarcha conſtitutus, eò è Luſitania nauigauit anno 1623. Exceptus ab eius Imperij Monarcha Sultano Cequedo cum ſumma honoris, & beneuolentiæ ſignificatione; multa ibi præclarè in rem Chriſtianam per annos octo geſſit; donec Ceguedo defuncto, is qui in Regno ſucceſſit, vnionem Abbaſſinæ Eccleſiæ cum Romana peroſus, ad antiquum Schiſma reuertit; Patriarcham cum Socijs eiecit: aliquos etiam interemit. Ea in expulſione difficile dictu eſt, quot, & quanta perpeſſus fuerit, in itinere longo, tum ab Abbaſſinis illi infenſis, tum à Turcis, per quos tranſire neceſſe habuit. Nam ab his captiuus per annum detentus eſt, in Ciuitate Suaquem, & menſis ſpatio innexum collo geſtans ferreum circulum, & pedibus ligneo cippo conſtrictis cruciatus, donec vi magna pecuniæ à Luſitanis redemptus, tandem Goam renauigauit anno 1634. Ibi reliquum vitæ ſanctiſſimè exegit; ſed ita, vt curam paſtoralem fidelium quos in Æthiopia reliquerat nunquam depoſuerit; verùm tum per Epiſtolas, tum per miniſtros ſubinde eò ſubmiſſos, conſolari eoſdem, & ad conſtantiam in pietate hortari conatus fuerit. Demum annis grauis, & laboribus confectus, ſuſceptis rite Eccleſiæ Sacramentis ex ærumnoſa hac vita ad beatorum (vt iuſtum eſt ſperare) conſortia commigrauit Goæ anno 1656. Natus fuerat Alphonſus ex antiqua, & nobili Mendeziorum familia in pago cui à S. Alexio nomen eſt Diæceſis Eborenſis anno Domini 1579. & vix expleto 13. ætatis anno Deo ſe in Societate mancipauit. In ea Rhetoricam, & amœniores litteras ſeptennio docuit; Sacram Scripturam decennio explicuit; Votorum quatuor Profeſſionem emiſit, nec niſi coactus præcepto in virtute ſanctæ Obedientiæ impoſito à Summo Pontifice onus Patriarchatus Æthiopiæ ſuſcepit. Vir fuit moribus integerrimis, & ab omni prorſus ambitione alienus, corporalium rerum contemptor, ſpiritualium æſtimator, Societatis noſtræ amantiſſimus, & Præpoſitorum Generalium eiuſdem ſemper obſeruantiſſimus. Virginitatem perpetuò illibatam creditur conſeruaſſe. Denique in Oriente tam illuſtria dedit virtutum ſuarum documenta, vt eum Sereniſſimus Rex Luſitanię Ioannes IV. ad Archiepiſcopatus Goani tiaram iam deſignauerat. Plura de eo lectu digna narrant, Noſter Balthaſſar Tellez in Hiſtoria Æthiopica, & Alphonſus de Andrada to. 6. de viris Illuſtribus Societatis. Scripſit Patriarcha ſapientiſſimus.

Epiſtolam ad Admodum R. P. Mutium Vitelleſcum Præpoſitum Generalem Societatis Ieſu datam ex Aethiopia die 5. Iunij 1626. de ſuo in eam ingreſſu rebuſque ibi geſtis. Extat impreſſa vnà cum annuis Aethiopicis eius anni. Romæ apud Hæredem Zannetti 1628. in 4. Extat etiam

Oratio qua Philippum Tertium Regem Catholicum, cum veniret in Luſitaniam conſalutauit Academiæ Eborenſis nomine: Impreſſa ad calcem Anacephaleoſeon Antonij Vaſconcelli. Edidit Luſitano idiomate.

Relationem de Martyrio D. Apollinaris de Almeyda Epiſcopi Niceni, & ſociorum. Hiſpanicè redditam, & impreſſam Manilæ 1641.

Catechiſmum Æthiopicum in quo agitur de erroribus Æthiopum, qui confutantur, ſimùlque declarantur myſteria fidei Catholicæ, & ritus Eccleſiæ Romanæ. Idem opus deinde conuertit in linguam Latinam, & inſcripſit.

Brambaymenet, id eſt, Lux fidei in Epithalamium Æthiopiſſæ, ſiue in nuptijs Verbi, & Eccleſiæ libri 12. Catechetici miſſi ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide duobus tomis in fol. ſcripſit etiam.

Expeditionis Æthiopicæ ſuæ, libros tres cum Auctario Quarti miſitque ad R. P. Franciſcum Piccolomineum Præpoſitum Generalem 1651. duobus tomis in folio, qui aſſeruantur in tabulario Romano Societatis, & expectant Typographum.

Reliquit etiam manuſcripta alia typis digniſſima, vt.

Tomum Concionum quas ferè quotidie habebat ad populum in Æthiopia.

Librum Synodalem corrigentem errores quibus libri Alexandrini ſcatent.

Tractatus aliquot pro Societate Ieſu contra Maledicos.

Librum de Magia.

Expoſitiones ſuper Sacram Scripturam, quas olim, Conimbricæ & Eboræ dictauerat, & Goæ locupletauit.

ALPHONSVS MONTOYA, natione Hiſpanus, patria Ocanienſis Diæceſis Toletanæ annos natus 20. Compluti Societatem noſtram expetiuit, & admiſſus eſt 14. Maij anno 1556. qui poſtquam ad noſtri Inſtituti normam, fuit eruditus, & omnibus diſciplinis Theologo dignis expolitus, Burgis Logicam, Philoſophiamque profeſſus eſt. Vir fuit per omnia moderatus, atque excellenter doctus, ſed in ea potiſſimum Theologiæ parte, quæ in conſultatione de moribus, & conſcientiæ quæſtionibus explicandis verſatur, quam, & Murciæ, & Matriti cum laude docuit. Qui poſtquam Collegiorum Placentini, & Complutenſis Rectoris munus obierat, Præpoſitus Prouinciæ Caſtellæ factus, Vice-Prouincialis in Collegio Salmanticenſi ſanctè animam Deo reddidit die 29. Nouembris 1590. ætatis verò 54. Reliquit

De votis Societatis inſignem tractatum, in quo, & Religioſorum votorum naturam enucleatè aperit, & contraria argumenta acute refellit. Extat M.S. In Tablino Societatis Romæ in 4.

* ALPHONSVS DE OVALLE, Natione Chilenſis, ſed origine Hiſpanus, natus in Vrbe Metropoli Regni Chilenſis nobilibus, & locupletibus parentibus, patrimonium amplum cuius hæres erat, tamquam primogenitus, obnitentibus licet vehementer parentibus, cruci Chriſti poſtponens, Deo ſe in Societate conſecrauit, anno 1618. ætatis ſuæ 17. Philoſophiam in ea publicè profeſſus eſt cum laude, & annis aliquot rexit Seminarium Conuictorum in Ciuitate Sancti Iacobi. Anno 1640. miſſus eſt Romam à vice-Prouincia Chilenſi primus illius Procurator, interfuitque, Congregationi Generali octauæ, magna virtutis ſuæ apud omnes commendatione. Fuit enim apprimè religioſus, ſeruantiſſimus diſciplinæ noſtræ, erga alios ſuauis, comis, & effuſæ caritatis; erga ſe ipſum auſterus, incommodorum appetens, nec in lecto niſi veſtitus dormiens. Hinc in itinere cùm rediret in ſuam Vice-Prouinciam cum lecta Sociorum manu, quos ſibi ex varijs Europæ Prouincijs adſciuerat, cùm ſibi non parceret, nec adminicula attritis ſuis viribus neceſſaria admitteret, in morbum incidit nec procul à meta ſuæ longiſſimæ peregrinationis, Limæ in Peruuio tranſiuit (vt fas eſt credere) ad Cœleſtem Patriam die 11. Martij 1651. Scripſit ediditque Matriti dum ibi verſaretur, prolixam

Epiſtolam ad Præpoſitum Generalem Societatis IESV, qua ſtatum Societatis in ea Prouincia exponit. Matriti per Franciſcum Meraſum anno 1652. in folio. Item.

Relationem Hiſtoricam de Regno Chilenſi, & Miſſionibus in eo Societatis IESV, Hiſpanicè. Romæ apud Franciſcum Caballum 1646. in folio.

Relationem eandem redditam Italicè. Eiſdem typis, anno, & formà.

ALPHONSVS SEV ILDEPHONSVS DE PENNAFIEL, natione Peruanus patria Riobambenſis, ſed origine Hiſpanus, ingreſſus in Societatem anno ſalutis 1610. natus annos 16. votorum quatuor Profeſſionem in ea edidit. Poſt traditas litteras humaniores, Philoſophiam, & Theologiam primò Cuſchi, tum Limæ complures annos magno plauſu explicuit: eximiæ vir eruditionis, & eloquentiæ. Fuit etiam operarius Indorum diu, ſicut, & Hiſpanorum, & ſexagenario maior mortalitatem exuit. Guancauelicæ in Peruuio die 18. Nouembris 1657. Edidit in lucem.

Curſum Philoſophicum quatuor tomis in folio, quorum Primus excuſus eſt Lugduni ſumptibus Philippi Borde 1653. in fol.

Secundus Ibidem 1654.

Tertius Ibidem 1655.

Quartus De Metaphyſica ibidem 1670. Item Hiſpanicè. *De obligationibus, & excellentijs trium Ordinum Militarium Sancti Iacobi Calatraua, & Alcantaræ*. Matriti 1643. in 4. apud Diaz de la Carrera.

Theologiam duobus tomis in folio Lugduni 1666.

ALPHONSVS PISANVS SEV DE PISA, natione Hiſpanus, patria Toletanus Philoſophicis diſciplinis excultus, ac Medicinæ ſciens, in illa facultate Magiſter, in hac Licentiatus Toleti renunciatus, Noſtram complexus eſt Societatem anno 1552. ætatis 24. ſtatimque Romam miſſus, vbi Ariſtotelem præclarè eſt interpretatus; ibidem Theologiæ Doctor creatus in Germaniam profectus eſt anno 1559. & in Ingolſtadienſi, ac Dilingenſi Academijs ſacram Theologiam, aliquot annis tāta eruditionis laude docuit, vt omnes raperet in ſui admirationem. Poſt annum 1568. ad initia Collegij Poſnanienſis in Poloniā miſſus vſque ad annum 1584. in eo commoratus eſt, & ſtrenuā operā Catholicæ nauauit Eccleſiæ aduerſus nouatores hæreticos illam labefactare conātes. Demum Caliſſium, cum ibi Collegium inſtitueret Illuſtriſſimus Gneſnenſis Archiepiſcopus Stanislaus Karnkovvſki, *Primas Regni* ſe contulit, vbi reliquam in *Sanctis laboribus* exegit ætatem, donec legendo ſcribendóque confectus, in grauem morbum ac diuturnum incidit, quo totum pene quadriennium exercitus, tandem in ſenectute bona translatus eſt ad meliorem vitam Caliſſij die 9. Decembris 1598. Vixit annis 70. in Societate 46. Eum Cardinalis Baronius in Appendice tom. 6. Annalium, non dubitat appellare *Doctiſſimum virum*. Guilhelmus Eiſengreinius verò in Catalogo teſtium verit. cap. 15. 65. *virum, & moribus, & Doctrina inſignem, omni litteratura, ætate ſua nobiliſſimum, Philoſophum, & Oratorem Celebrem*. Ioannes Engerdus tom. 1. Aca. Ingolſt. parte 7. *Mediocris* (inquit) *eſt corporis Staturę, ſed Ingenų maximi, & nobiliſſimi. Vocem habet exilem, ſed vocalem, & ſuauem, adeo vt in conuerſationibus ſemper gratus exiſtat. Singularem ſuam eruditionem in docendo, & quantus ſit Philoſophus, quàm profundus, & acutus Theologus diſputando aliquot annis, ad ſtuporem Auditorum Noſtra probauit Academia* Inter ceteras virtutes, quas habuit egregias eluxit in eo rerum humanarum contemptus inſignis. Scripſit.

Nicænum Concilium Primum Generalé in 4. libros diſtinctum, Quorum primus continet, quæ Concilium præceſſerunt. Secundus acta in Concilio. Tertius decreta Concilij, ſcilicet 80. Canones ex Arabico Codice, & *diatypoſes* ex Græco deſumptas. Quartus ea, quæ Canonum conſtitutionem ſubſecuta ſunt. Appoſuit SS. Patrum teſtimonia ad eorumdem Canonum commendationem, & interpretationem pertinentia. Prodierunt Dilingæ primum anno 1572. deinde verò aucta Coloniæ apud hæredes Arnoldi Birkmanni 1581. in 8.

De Abſtinentia, & Continentia, ſeu de Ieiunio, & ciborum delectu, ac de Apoſtolico Cælibatu. Coloniæ 1579. typis BricKmāni in 8.

Tra-

Tractatum de Quæſtionibus fidei controuerſis, *quas* ex ſuis lectionibus collegit, & tamquam Theſes quaſdam Auditoribus diſputandas propoſuit.

Catholicam reſponſionem, *ad Epiſtolam D. Iacobi Niemorenski de Eccleſia*, *& Pontifice*. Poſnaniæ apud Ioannem VVolrab. 1585. in 4.

Confutationem breuem 13. errorum apud Sectarios noſtri Sæculi circa ſeptem Eccleſiæ Sacramenta. Poſnaniæ typis eiſdem 1587. in 4.

ALPHONSVS RODRIGVEZ, natione Hiſpanus patria Pincianus, ſeu Valliſoletanus in Societatem venit Salmanticæ, concionibus P. Ioannis Ramirez permotus, cùm iam laurea Philoſophica eſſet inſignitus anno ſalutis 1557 ætatis ſuæ 19. Exercuit aliquamdiu munus Magiſtri Tironum in Collegio Salmantino annis 1564. & ſubſequenti; atque in ijs rudimentis diſcipulum habuit eximium poſtea Doctorem P. Franciſcum Suarez, qui de tam inſigni Vitæ ſpiritualis Magiſtro, ſolitus eſt poſtea ſibi ipſi gratulari. Rexit deinde aliquot annis Collegium Montis Regalis, ibiq; totos 12. annos Moralem Theologiam docuit, tanta cum exacti iudicij fama, vt certatim eius dictata expeterentur ab omnibus. Interim & ciues, & in ſuburbano paganos, Concionibus, Catecheſi, alijſque Societatis functionibus excolebat. Valliſoletum inde translatus quæſtionibus de Conſcientia explicandis priuatim in Domo profeſſa præfuit, donec in Bœticam Prouinciam vocatus, Montellæ Tironibus inſtituendis deſtinatus eſt, idque munus plus annis 30. ſumma cum laude præſtitit. Ad Congregationem quintam Generalem ab ea prouincia miſſus, ſanctitatis atque prudentiæ ſuæ, & peritiæ, quam de rebus Societatis habebat, ſpecimen clarum dedit. Regreſſus ab Vrbe, Spiritualium rerum adminiſtrationem Cordubæ ipſos 12. annos habuit, quo tempore præclara illa quæ extant volumina elucubrauit. Anno 1606. cùm Hiſpalim ad Prouincialem conuentum veniſſet, iuſſus eſt ibi Nouitijs præeſſe, & ad lucubrationes ſuas excudendas animum applicare; & in ea Vrbe reliquam deinceps ætatem egit. Extremis duobus annis valetudine tam fuit afflicta, vt ad ſacrificandum nunquam illi ſatis virium eſſet; ne tamen idcircò diuino epulo fraudaretur, quotidie illud ex alterius manu ſumebat. Demum Sacramentis de more Eccleſiæ procuratus plenus dierum, ac meritorum quieuit in ſenectute bona annos natus 90. ab ingreſſu in Societatem 70. in qua ante 46. ſolemnia 4. vota nuncupauerat. Obijt die 21. Februarij anno 1616. funus à frequenti populo celebratum fuit; nitentibus certatim omnibus manus illi diſſuauiari, roſarijs contingere, reliquias expoſtulare. Vir ſanè fuit Heroicis virtutibus inſignis, quique in ſe ipſo expreſſit, quidquid ſanctitatis impreſſit in libris. Multa illi imò aſſidua cum Deo conſuetudo, quam vt liberiorem haberet, niſi caritas coëgiſſet, aut Obedientia, aliaue grauior neceſſitas, non prodibat è cubiculo. Quidquid ſenſibus aliquam poſſent afferre voluptatem, id ſibi prorſus omne interdixerat. Nullæ illi collocutiones gratæ, nulli horti, nullæ recreationes acceptæ, ſola in conclaui voluptas, & in Diuina familiaritate. Externorum ſe conſpectui, congreſſibùſque ſtudioſiùs etiam ſubducebat. Poſtremis annis, quibus à publicarum rerum adminiſtratione miſſionem habuit, quaternis quotidie horis vacabat impenſiùs orationi. Obedientiæ atque regularum exactæ obſeruationi apprimè ſtuduit; ad domeſtica miniſteria, quæ communia ſunt omnibus primus accurrebat. Paupertatis ſtudio nihil habuit apud ſe curioſum, nihil pretioſum, libros dumtaxat neceſſarios. Lipſanothecam vilem è cannabino fune pendentem, veſtes vulgares, & citra neceſſitatem; eorum quæ illi proponebantur vtenda nihil præ alio eligebat, neceſſaria ſi defuiſſent non petebat. In familiari ſermone erat valdè circumſpectus. Nihil admiſit in victu peculiare; quod ſi guſtui ſuauius appoſitum fuiſſet id ita diluebat, vt ſaporem perderet; fructibus ad aliquot annos omnino abſtinuit; ſingulis ſe diebus confeſſione purgabat. Confiteri volentibus ſtrenuam operam dabat, promptiùs autem libentiùſque tenuioribus. Vſque in extrema ſenectute, cùm vix ſe poſſet ab humo excitare, die quoque Veneris, ſociorum aliquot pedes in triclinio oſculabatur. Dicenti ſibi librario, feliciter libros ipſius diſtrahi; reſpondit, minimum id intereſſe, plurimum verò quomodo illis quiſque vtatur; nimirum in illis cudendis, non ſe, ſed vnam Dei gloriam ſpectauerat. Scripſit Hiſpanicè, ſed in omnes poſt linguas transfuſum, & ſæpiùs recuſum.

Exercitium de Perfectione, *& Virtutibus Chriſtianis*, cùm omnibus, qui in virtute perficere cupiunt, tùm verò Religioſis hominibus potiſſimùm accommodatum, Partibus tribus; quarum prima eſt de varijs medijs acquirendæ virtutis, & perfectionis continetque tractatus octo.

I. *De æſtimatione*, *& deſiderio profectus ſpiritualis*. II. *De perfectione actionum ordinariarum*. III. *De rectitudine Intentionis*. IV. *De vnione & Caritate fraterna*. V. *De Oratione*. VI. *De præſentia Dei*. VII. *De Examine Conſcientiæ*. VIII. *De conformitate voluntatis noſtræ cum Diuina*.

Secunda Pars eſt de exercitio virtutum ad omnes pertinentium continetque etiam tractatus octo.

I. *De Mortificatione*. II. *De Modeſtia*, *& ſilentio*. III. *De Virtute Humilitatis*. IV. *De Tentationibus*. V. *De inordinata ergà cõſanguineos affectione*. VI. *De Triſtitia*, *& Hilaritate*. VII. *De bonis quæ per Chriſtum habemus*, *& Paſſione Domini*. VIII. *De Sacra*

Com-

Communione, & ſacrificio Miſſæ.

Tertia Pars eſt de Exercitio virtutum ad ſtatum Religioſum pertinentium, & continet ſimiliter octo tractatus.

I. *De fine, instituto, & medijs Societatis Ieſu*. II. *De Votis Religioſis eſſentialibus*. III. *De voto Paupertatis*. IV. *De virtute Caſtitatis*. V. *De Obedientiæ Virtute*. VI. *De Cuſtodia Regularum*. VII. *De Candore in aperienda Superiori Conſcientia*. VIII. *De correctione fraterna*.

Prodierunt hi libri Hiſpanicè, Hiſpali apud Matthiam Clauyo 1614. in 4. Barcinone 1618. in 4. Cæſar-Auguſtæ 1625. in 4. Latinè eos vertit Matthias Martinus de Vaucquier. Duaci 1625. in 8. Italicè Tiberius Puguanus, Romæ typis Zannetti 1617. in 8. Gallicè noſter Paulus Duizius. Pariſijs 1621. in 8.

Germanicè D. Philippus Kiſſing Parochus Diœceſis Moguntinæ 1622. & noſter Leonardus Creder.

Belgicè Heribertus Roſvveidus Partem I. Marcus Vãder Tympel II. Iacobus Stratius III.

Anglicè varios Tractatus varij tranſtulerunt.

Bohemicè Georgius Conſtantius noſter, Pragæ 1663.

ALPHONSVS RODRIGVEZ alter, Hiſpanus, Segouienſis, cùm in matrimonio plures annos duxiſſet, eo iugo demum, obitu Coniugis liber, Societatem ambiuit, inquam Valentiæ 1571. admiſſus eſt annũ tunc agens ætatis 41. & eodem ipſo anno Maioricam miſſus eſt; vbi reliquam deinceps ætatem in domeſticis laboribus exercitam, atque in primis in Ianitoris munere, quod totos 30. annos ſuſtinuit, ſancto tandem fine concluſit die 31. Octobris 1617. vitæ ſuæ 87. Florebat ille priùs iam tum quàm in Societatem veniret eximia morum integritate, ſed eam in Societate cumulauit abſolutiſſima perfectione, cuius ab ipſo ingreſſus ſui exordio fundamenta poſuit, in plena ſuæ voluntatis ad omnem obedientiæ nutum compoſitione. Iuſſus aliquando explorandæ obedientiæ cauſa, in Indiam proficiſci, è veſtigio, ne pallio quidem aſſumpto, rectà ad ianuam contendit, mox ab eodem Præſide per internuntium reuocatus, eadem facilitate ab eadem cogitatione receſſit: interrogatus poſtea quid tandem in ea tam ardua expeditione conſilij ſibi capiendum putaſſet, ſine commeatu, ſine nauigio, ſine litteris: diſertè reſpondit: ſibi præcepto ſanctæ obedientiæ freto, nec Viaticum, nec Nauigium in tam honeſta cauſa defuturum; quod ſi defuiſſet nihil ſe formidaturum fuiſſe, Deo fretum, Vndis ſe credere. Cùm aliquando audienti concionem Rector interueniret, aſſurgentique ex ſolita vrbanitate dixiſſet ne ſe loco moueret, ſedit ille immotus in loco donec à prandio, cùm nullibi de more compareret, quæſitus, ibi ex imperio perſtare deprehenſus eſt, iuſſuſque ad prandium confeſtim ire, palliatus, & aperto capite vti erat, in triclinium deſcendit. Corpus inedia, cilicio, verberibus, omnique pœnarum genere, impensè afflictauit, & extremo in morbo, qui annum totum tenuit quamdiù per vires potuit, ter ſe quot hebdomadis flagellabat; eòque multa mortificatione adductus tandem eſt, vt quidquid corpori leuaminis aliquid afferret, id ſibi iam moleſtiam parere affirmaret. Paupertatem coluit ex animo; vili amictu lætabatur, nec vllius rei elegantioris vſu viſus eſt vnquam delectari: rem ipſe nullam ne florem quidem legere, aut dare ſine Moderatorum facultate audebat; ſui deſpicientia ſe ipſum ſuperabat; hominum omnium deſpicatiſſimum, mortuoque cane contemptibiliorem seriò reputabat; mirarique ſatis non poterat, eſſe qui ſecum homine abiectiſſimo agere ſuſtineret. Diuinitùs acceperat expeditum ſibi fore, & ab omni purgante flamma liberum tranſitum ad Cœlum, & ſua tamen peccata quotidie deflebat. Rara tolerantia iniurias, ærumnaſque quæ totis 47. annis plurimæ obuenerant pertulit; nec vllum vnquàm minùs pacati animi ſignum viſus eſt dediſſe; nimirum dicebat nihil ſibi poſſe contingere, quod infra erratorum ſuorum meritum non eſſet. Tam attente ſenſus cuſtodiuit, vt quamdiu ad ianuam fuit vultum ſeminæ non conſpexerit; & diù multumque ingemuit aliquando, cum prætereunte carpento oculos ſuſtuliſſet, in quo matronæ videbantur. Silentium tenuit religioſiſſimè, nec ſermones niſi de rebus Diuinis, aut ad ſalutem alijs vtiles inſtituit, ſolitus ad alios obdormiſcere. Plures horas quotidie procul ab arbitris orationi dabat, totos alioqui dies, medias inter diſtractiones, ſemper in Deum intentus tranquilliſſima mente. Multa diuinitùs cognouiſſe creditur de ſtatu Cœlitum, & Angelorum, quibuſcum etiam perfamiliariter agebat. Ex ijs 24. per totidem diei noctiſque horas ſuo ordine peculiari cultu ſalutabat, ad horas ſingulas tantiſper dum huic officio ſatisfaceret, ſomno ſolutus. Accidiſſe aiunt aliquando, vt mente ab his infimis abductus, omnium Cœlitum cætum tam diſtinctè, perſpiceret, vt ſingulorum nomina, & quæ cuique erant ſingularia cognoſceret, ac ſi diuturna illi neceſſitudo cum ipſis interceſſiſſet. Cum Chriſto ac B. V. tanta illi erat familiaritas, vt eius ſe aſpectui ſubijcere, iucundiſſimos conferre ſermones, euntem comitari, manantem facie ſudorem abſtergere frequentiſſimè dignaretur. IESVM, MARIAM, indulgentiſſimo vocabulo ſuos amores nominabat; adeoque illos impensè diligebat nulla, vt de re iucundiùs verba faceret, quàm de illis peculiari ſtudio colendis. Recreabatur aliquando Virginis Matris memoria ſibi longe gratiſſima, & amoris impetu abreptus. *O Domina mea* (inquit) *O mater mea, carior mihi es tu, quàm ipſe mihi ſim, imò carior, quam ipſe tibi*: cum ecce mox

aa

adfuit indulgens Mater, ſubridenſque repoſuit. *Næ tu vehementer erras, plus ego te amo Alphonſe, quàm tu me.* Ardentiſſima quoque ſalutis hominum ſiti conficiebatur: Hanc à Deo contentiſſimis precibus flagitabat, pro hac æternorum cruciatuum onus ſe libentiſſimè ſuſcepturum, Deo ipſi inter orandum ſæpe profeſſus eſt. Eius certe ſuaſu, ad Religioſa caſtra multos confugiſſe, multos ad bonam frugem, in comperto eſt; quam ad rem mira eius comitas, atque humanitas multum commodauit. Anno vitæ extremo ſemper decubuit, treſque vltimos menſes ab vno ſe latere verſare prorſus nó potuit, multis doloribus calculi præſertim cruciatus; ſed ille animo ſemper excelſo, maiores ſemper à Deo poſcebat. Vna eius querimonia erat quod nimium ſe haberent beneuolè, quem vt eanem mortuum par eſſet omnes auerſari; nimirum didicerat interno Doctore nihil eſſe ad æternitatem quæſtuoſius, & Superum etiam inuidiæ, (ſi poſſent ea tangi) obnoxium magis, quam ærumnarum perpeſſionem; quam tamen ille videbatur obruere, ſuauiſſima diuinæ contemplationis dulcedine, & iucundiſſima cum ſuis amoribus conſortione. Recreauit magnopere ægrotantem, frequens venerabilis Euchariſtiæ vſurpatio, quá ter, tam valens, quàm infirmus quot hebdomadis paſcebatur. Sacro inunctus Oleo, alienatus à ſenſibus, in profundiſſimo quodam exceſſu perſtitit fere per triduum: quo exacto cùm ſacerdos Crucifixi imaginem iam morienti applicaret; ille quaſi ſomno excitus, ſuſtulit oculos, & quæ prius ſemper palluerat, faciem ſpecioſo nunc rubore ſuffuſam, & Chriſti pedes religiosè exoſculatus, inuocatoque IESV placidiſſimè expirauit. Vulgato eius obitu, tota ſe Ciuitas in Collegium infudit; Prorex etiam ac Regij Senatores, Canonici, Nobiles ad manuum, pedùmque oſcula procubuere. Populus omnis ſua Roſaria, linteaque corpori admouere; quibus cùm ſex Noſtri non ſatisfacerent, duo Dominicani acceſſere. Clerus vterque ſecularis, & Regularis, inſtructis Ordinibus ad Reſponſoria facienda venerunt. Tertio die volentibus ita Primatibus, exequiæ inſtitutæ ſunt, & laudes viri Dei ab vno è Noſtris dictæ. Ad ſepulchrum frequentes accedunt venerabundi, quem viuentem iam dudum Hiſpania, Luſitania, vtraque India, & ſuſpexerat, & in Epiſtolis, imaginibus, veſtium fragmentis, capillis, atque alijs reliquijs fuerat venerata. Principes certè Viros, Cardinales, alioſque Præſules ſæpiùs per Epiſtolas illius preces poſtulaſſe, conſilium in grauiſſimis rebus exploraſſe ſat conſtat. Tot ſtatim à morte prodigijs cœpit inclareſcere, vt minimè vanam fuiſſe prædictionem appareat, qua illuſtriſſimam fore eius memoriam præſertim apud Baleares, iam tum viuenti fuerat prænunciatum. Scripſit imperio B. V. (vt opinio fuit) eas preces, quibus conſueuerat eam quotidie ſalutare quæ poſtea typis excuſæ circumferuntur. Hę ſunt:

Corona Cariſſimæ; & Amantiſſimæ Dominæ Matris Dei.

Litaniæ eiuſdem.

Sanctiſſimum officiũ puriſſimæ & Immaculatæ Conceptionis eiuſdem Deiparæ.

12. *Pater Noſter*, & 12. *Aue Maria*, quæ numerum 24. complebant accommodata 24. horis diei ac noctis, in honorem puriſsimæ Conceptionis; vt illa quauis hora dignetur precari filium ſuum, vt eum à peccato liberaret, & præſeruaret. Scripſit præterea cœleſti eruditus ſapientia plures tractatus, qui licet excuſi non ſint, viſum eſt tamen eos referre, ne intercidat eorum memoria. Sunt autem Hiſpanicè conſcripti his titulis.

De Oratione, & monitis ad bene viuendum moriendùmque. De propria cognitione, & profectu. De humilitate alijſque virtutibus.

De Humilitate, Patientia, & Obedientia. De æſtimatione Societatis Ieſu. De diſpoſitione ad Euchariſtiam, & gratijs agendis.

De Dei Amore: De pietate in Mariam: De Contemplatione, Mortificatione, Humilitate, & alijs Virtutibus.

Liber variorum tractatuum in cuius initio petitiones Orationis Dominicæ declarantur.

De Dei præſentia: De duplici reſignatione in Deum: Quomodo anima ſe relinquit. De oratione, & mortificatione.

De modo quo anima in virtute, & ſanctitate creſcat. De ſignis propriæ Prædeſtinationis: De mortificatione, & alijs virtutibus. Item ad Sacerdotes pro celebratione Miſſæ, & ad Scholaſticos.

De Theſauro laborum: De triplici Religionis voto: De anima, & virtutis pulchritudine. De peccati fœditate.

Liber inſcriptus: Non ego Regulæ futurus Iudex, ſed Obſeruator. Item de Dei præſentia, De Conſcientiæ examine.

De Dei amore. De virtute Obedientiæ, & alijs.

Monita ad Chriſtũ imitandũ tibi Alphonſe.

De Caritate: De vnione: & transformatione animæ in Deum: De oratione & ſui vera agnitione.

Documenta ad tentationes: Vbi de Dei præſentia: De ſui agnitione, & humilitate. Scripſit etiam.

Vitæ ſuæ progreſſus, dum Conſcientiæ rationem Superioribus ſuis de ſcripto redderet.

ALPHONSVS SALMERON natione Hiſpanus, patria Toletanus, à puero ad extremam ſenectutem, omnem in litteris conſumpſit ætatem. In Complutenſi Academia paruulus Latinam Græcamque linguam exactè didicit: Indè in Academiam Pariſienſem profectus, Philoſophicas, ac Theologicas diſciplinas diligenter excoluit: omnium ſociorum natu minimus ſeſe ad B. P. N. Ignatium, ſocium adiunxit. Poſteà verò ætate iam confirmatus,

matus, ac rerum cognitione auctus vitæ ſuæ curſum feliciſſimè tenuit. Maximas, ac celeberrimas totius Italiæ Ciuitates, Concionibus ac ſacris lectionibus illuſtrauit: plurimas ac laborioſas peregrinationes Dei cauſa ſuſcepit. In ſuperiorem & inferiorem Germaniam, in Poloniam item & Galliam à Summis Pontificibus miſſus eſt. In Hibernia etiam Nuntij Apoſtolici munere functus. Synodo Tridentinę ſub Paulo III. ſub Iulio item III. ac ſub Pio IV. Sedis Apoſtolicę nomine interfuit; In qua & *Orationem habuit de S. Ioanne Euangeliſta* pereruditam, & vt illorum Pontificum Theologus maxima cum eruditionis opinione, & audientium admiratione ſententias dixit. Hęreticorum perpetuus hoſtis, quos diſputationibus, lectionibus, ac ſcriptis ſemper exagitauit, ac fregit, Catholicę fidei vbique propugnator acerrimus. Poſtremò cùm viribus exhauſtus voce non poſſet, ſtylo Dei Eccleſiæ prodeſſe non deſtitit, ſeque totum ad ſcribendum contulit; Collegiumque Neapolitanum ad eam rem elegit, quod ipſe fundauerat, auxerat, ornauerat, & Nobiliſſimam Ciuitatem Neapolitanam ſcintillis errorum ſenſim hęreticorum fraude excitatis, eiuſque opera oppreſſis, atque extinctis, imminentis peſtis calamitate, ac periculo liberauerat, illamque Societatis Prouinciam Primus Prępoſitus Prouincialis adminiſtrauerat. Obijt Neapoli Sapientiſſimus Pater magno totius Ciuitatis mœrore, Idibus Februarij, anno à Chriſto nato 1585. vixit annos 69. menſes 5. dies 5. vt in eius vita refert Ribadeneira. Scripſit in Euangelia tomos Vndecim, & in reliquam S. Scripturam quinque quorum diuiſio eſt.

1. *Prologomenon in vniuerſam Scripturam.*
2. *De Incarnatione Verbi.*
3. *De Infantia, & pueritia Chriſti.*
4. *De Hiſtoria Euangelica.*
5. *De Sermone Domini in Monte.*
6. *De Chriſti miraculis.*
7. *De Parabolis.*
8. *De Diſputationibus Domini.*
9. *De Sacroſancta Eucharistia, & ſermone Domini in Cœna.*
10. *De Paſſione, & morte Domini.*
11. *De Reſurrectione, & Aſcenſione Domini.* Deinde.
12. *In Acta Apoſtolorum.*
13. *Prologomenon in Epiſtolas Pauli, & Cōmentarium in Epiſt. ad Romanos.*
14. *In vtramque Epiſtolam ad Corinthios.*
15. *In Epiſtolas ad Galatas, Epheſios, Philippen. Coloſſenſes. Vtramque ad Teſſalonicen. vtramque ad Timotheum, ad Titum, ad Philem. ad Hebræos.*
16. *In ſeptem Epiſtolas Canonicas. Præludia in Apocalypſim.* Aliquot Auctoris Epiſtolas ad diuerſos.

Hæc omnia in 16. tomos ſic diuiſa typis mandata, ſunt Madriti, ſeu Mantuæ Carpetanorum à Ludouico Sanchez ab anno 1597. finis impoſitus anno 1602. Brixiæ verò anno 1601. Sumptibus Matthiæ Coloſini, & Barerij Baretij. Demum Coloniæ ab Antonio Hierato, & Ioanne Gymnico octo priores tomi anno 1602. reliqui verò 1604. in folio.

Latinam Orationem habuit Salmeron anno 1546. ad PP. Concilij Tridentini, elegantis illius Conuentus auribus dignam, & quæ tot Præſulum Iudicio mox edita ad noſtram vſque ſeruatur ætatem. Extant quoque eius.

Sermones in Parabolas Euangelicas totius anni: Coloniæ impreſſi ſeorſim. Et Antuerpiæ typis Belleri 1600. in 4.

Præter hæc ſcripſit Alphonſus Salmeron, *In Decem priora capita libri Geneſeos*; & multa alia controuerſa in Hęreticos, *ſed præcipuè de Indulgentijs, & Purgatorio*, quæ tamen in lucem nondum prodierunt.

ALPHONSVS SANCIVS natione Hiſpanus, patria Mondeiarenſis, Diœceſis Toletanæ Societati ſe adiunxit Compluti anno ſalutis 1563. ætatis 18. fuit aliquandiu ſuperior Noſtrorum Naualcarneri, poſtea nauigauit in Regnum Mexicanum anno 1579. & indè inter quatuor primos de Societate, quos Reuerendiſſimus D. Dominicus de Salazar Sacri Ordinis Prædicatorum, & primus Philippinarum Inſularum Epiſcopus, eò ſecum duxit anno 1580. Ex Philippinis bis traiecit in Sinas, & primò quidem anno 1582. vt Macaenſes Luſitanos adduceret ad præſtandum Philippo II. Hiſpaniarum Regi Catholico obedientiam, in quem Henrico Cardinale Rege demortuo, ſceptrum Luſitaniæ tranſierat; iterum poſtea vt profugam cum magnis opibus nauem, quæ Manila deſtinabatur in Nouam Hiſpaniam, reciperet. Vtraque re feliciter ex ſententia, confecta, ſuperatiſque quibus multum iactatus eſt tempeſtatibus, & periculis, ad extremum ab Epiſcopo, & Regijs Præfectis, totaque ea gente ad Catholicum Regem, & Summum Pontificem Sixtum V. Legatus, renauigauit in Europam acturus de inſtituenda ratione qua pateſieret aditus ad Regem Sinarum, vt ſemen fidei in vaſtiſſimo illo Regno ſpargere liceret. Et quamuis non habuerit tam eximia legatio effectum, quem ipſe alijque exoptabant, tamen mirificè probauit ille prudentiam, induſtriam, zelum, ac pietatem ſuam, & in Hiſpania Philippo II. eiuſque Proceribus, & Romæ Summo Pontifici, atque etiam ſuo Pręposito Generali Claudio Aquauiuę, qui propterea poſt emiſſam Romæ Profeſſionem 4. votorum anno 1589. reuerſo in Hiſpaniam, cogitabat illi habenas committere Prouinciæ Toletanæ; Sed placuit Deo ex longa peregrinatione in hac vita eum ad brauium antea euocare. Nam cum ab Toletana Prouincia in qua tum verſabatur, electus eſſet, vt cum Prouinciali iret ad Congregationem Generalem quintam, prænuntiato mortis ſuæ tempore, & extremis Sacramentis ſumma cum pietate ſuſceptis, piè ſedateque efflauit animam Compluti die 27.

Maij 1593. Vir eximiæ virtutis, & qui ſummum contemplationis ſtudium, cum ſumma vitæ aſperitate, ac zelo maximo boni publici, rara confœderatione feliciter copulauit. Fuit enim illi lectus ſtorea humi abiecta, ſomnus breuiſſimus, cibus nunquam niſi ſemel in die, contemplatio rerum cœleſtium, ac meditatio horarum plurimarum, ac propè iugis, itaut qui illum intimè norunt cum admiratione venerarentur. Is cùm Romæ eſſet.

Multa de Sinis, pleniùs, & integriùs (quare veriùs) quàm qui ante ipſum, voce ſcriptiſque reliquit, ex quibus Poſſeuinus ſua locupletauit, vt ipſe teſtatur in Bibliotheca ſelect. lib. 9. cap. 8. ſeu iuxta editionem Colonienſem cap. 25. Edidit etiam vt ipſe Poſſeuinus refert in Apparatu ſacro.

Conciones Latinas per totum annum, primò in Hiſpanijs. Poſtea Coloniæ impreſſas. Reliquit etiam

Tractatum de iuſtitia Tituli Regum Hiſpaniæ, ad Inſulas Philippinas. Hiſpanicè qui nondum vidit lucem.

ALPHONSVS, ſeu ILDEPHONSVS DE SANDOVAL natione Hiſpanus Hiſpali natus, ſed Limæ in Peruuio, vbi parens illius fuit Quæſtor Regius à puero educatus, & in Societatem ibidem admiſſus anno 1595. ætatis 19. Decurſis Philoſophiæ, ac Theologiæ ſpatijs, partim Limæ, partim Cuſchi, magno zelo ſe applicuit ſpirituali inſtructioni pauperum Indorum; & cùm ſpiritualis cultura noui Regni pertineret id temporis ad Prouinciam Peruanam, miſſus eſt Alphonſus Carthaginem eius Regni anno 1605. & curam mancipiorum Æthiopum, quæ eò venalia ex Africa ingenti numero tranſuehuntur, ferè vſque ad mortem geſſit. Miris modis ſe accommodabat illis, vltrò adibat, & comitate ſua trahebat ad Chriſtum, itaut ſeptem annorum ſpatio (prout conſtat ex Codice nominum) ſupra triginta millia ſacro fonte ſint abluti. Fuit Alphonſus terrenarum rerum contemptor egregius, & cœleſtium dumtaxat amator, Paupertatis ſanctæ cuſtos adeò exactus, vt ſemper detritis, ac vilibus pannis tegeretur, & quamuis illius Collegij Rector, Miniſter & Procurator annis ampliùs quadraginta fuerit, nullum tamen admittebat ornamentum in Cubiculum ſuum, nec quidquam aliud niſi ligneam Crucem, Breuiarium, librum ſpiritualem, præter eos quos ipſe elucubrauit libros. Diuitiæ, ac deliciæ omnes illius erant, eſſe cum Aethiopibus, & ſeruitijs, gente ſeminuda, & egentiſſima, quos in varias Claſſes diſtributos, vel inſtruebat ad baptiſmum, vel iam lotos ſacro lauacro Chriſtianæ vitæ præceptis imbuebat. Hinc de mira vbertate huius ſpiritualis meſſis edoctus Præpoſitus Generalis Mutius Vitelleſcus, mandauit vt adiungeretur Alphonſo laborum ſocius, qui modum quem is tenebat in lucrandis Deo tot animabus addiſceret, & ſuo tempore in miniſterio tam vtili ad Dei gloriam ſuccederet. Datus eſt itaque ei in ſocium admirabilis ille vir P. Petrus Clauer, magno Magiſtro digniſſimus diſcipulus. In extrema ætate, fractus laboribus, varias in corpore fiſtulas ſuſtinuit, & vlcera quæ graueolentem eijciebant ſaniem, & pus; ille tamen inuicta patientia diſſimulabat omnia, & premebat ſilentio donec coactus aperire illa ſuperiori, & Chirurgis admirati ſint hi quomodo inter tam ingentes cruciatus potuerit ipſe viuere. Denique maturus Cœlo, & ſeptuagenario maior, ſuſceptis magna teneritudine pietatis Eccleſiæ Sacramentis, Carthagine naſci cœlo (vti confidimus) meruit ipſa die quo Chriſtus natus eſt in terris 25. Decembris 1652. Scripſit Pijſſimus Pater Hiſpanicè.

Vitam Sancti Franciſci Xauerij, & geſta à Patribus Societatis in India ex Luſitanico P. Ioannis Lucenæ. Hiſpali 1619. Item Hiſpanicè.

De natura, politica, ſacra, & profana, & moribus, ritibus, diſciplina, & Catechiſmo Euangelico omnium Aethiopum. Hiſpali apud Franciſcum de Lira 1627. in 4. quem auctum à ſe edidit ſub titulo.

De inſtauranda Aethiopum ſalute. Madridi 1647. in folio, opus multorum iudicio egregium.

ALPHONSVS VAGNONIVS, natione Italus, è Subalpinis ſeu (vt hodie vocant) Pedemontio, natus in Caſtro Truſarelli Diæceſis Taurinen. nobili ex familia, anno ſalutis 1566. Societati nomen dedit 1584. atque in ea Rhetoricam, & Humaniores litteras quinquennio, Philoſophiam Mediolani triennio profeſſus eſt, vbi cùm ſæpiùs & ardenter flagitaſſet mitti ad Indos; tandem miſſus eò eſt, anno 1603. cum multis ſocijs, quorum ille in nauigatione tam longa, & periculoſa Superior fuit. Applicatus deinde miſſioni Sinenſi à P. Alexandro Valignano Viſitatore Societatis toto Oriente, penetrauit in Sinas anno 1605. & in Vrbe regia Nanchinenſi anno vertente ſolemnem votorũ quatuor profeſſionem emiſit. Initium laborum illi fuit improbum ſtudium in perdiſcendo Idiomate, & characteribus Sinenſibus, quæ adeò perfectè calluit, vt pauci ex Europæis eo vnquam peritiores in ijs fuerint. Hinc frequentes & numeroſiſſimæ animarum ad fidem Chriſti conuerſiones, tum ex populo, tum ex Optimatibus, atque inter hos vnius maximæ auctoritatis Mandarini. In Prouincia culturæ illius ſpirituali commiſſa cùm nullum prorſus in ingreſſu ſuo repériſſet coetum Chriſtianorum, moriens centum, & duos in diuerſis Ciuitatibus, & oppidis piè, & egregiè ſtabilitos reliquit, & in Ciuitate Chianenſi cùm ſolùm 25. Chriſtianos inueniſſet decedens auxerat ad octo millia, & in ijs ampliùs ducentos gradu donatos in ſcientijs, vel Præfecturis Mandarinorum inſignes Chriſto adiunxerat. Eccleſias porrò à ſe inchoatas non facile

vilè committebat alijs excolendas; ſed ipſe nulli parcens labori, per montes, valles inuias, & ſemitas non tritas, pedeſtri ſemper itinere vbi nauigio vti non poterat, quærebat ſuas ouiculas, inuiſebat, & ſolabatur omnes ad vltimum vſque vitæ ſuæ terminum, & ætatis annum 74. Sed nec inter Apoſtolicos eiuſmodi labores, defuit illi quod Apoſtolicorum virorum proprium eſt, pro nomine IESV contumeliam pati. Nam anno 1617. ignominiosè raptatus eſt in carcerem publicum, & iuſſu Iudicis Chriſtiano nomini infenſiſſimi, crudeliter cæſus baculis à lictoribus, & demum incluſus arcta cauea portatili, ſicut, & altera P. Aluarus Semedus, ambo extra fines Regni deportati ſunt, præeuntibus lictoribus & cauſam expulſionis litteris capitalibus inſcriptam tabulæ, populo oſtentantibus; quod ſcilicet docerent nouam legem ac ſectam. Hac itaque cum contumelia (ipſis glorioſiſſima) deducti ſunt Nanquino Macaū vſque; & primis quidem triginta diebus itineris, tam arcta & immiſericordi ſatellitum cuſtodia, vt rarò permiſſi ſint extra caueas illas dormire aut ſua crura extendere. His tamen minimè fractus Alphonſi animus, demortuo primario illo perſecutionis contra ipſum Auctore, inſinuauit ſe denuò in penetralia Regni, & alijs multis Ciuitatibus ac locis à Regia remotioribus annuntiauit Regnum Dei, tanto cum ſucceſſu, ac Neophytorum Chriſto acquiſitorum numero, vt Apoſtolici viri nomen apud omnes ſibi meritò compararit. His in locis dum ille ingentem numerum Chriſtianorum 16. annorum ſpatio non minus exemplo virtutum, quam verbo doctrinæ paſceret, placuit Deo, longo ac moleſto morbo prius exercitum ad meritorum incrementa, & Eccleſiæ Sacramentis rite munitum, inter Diuina colloquia, & Neophytorum ſuorum lacrymas ad laborum præmia euocare die 19. Aprilis 1640. Eius funus tanta dein cum celebritate ab amplius bis mille Neophytis, (inter quos erant Mandarini complures, & Regulus vnus) curatum eſt per dies octo vt omnem prope fidem ſuperare videatur. Plura de hoc Apoſtolico viro, refert Noſter Daniel Bartolus in Hiſtoria Sinenſi. Scripſit Alphonſus tot inter labores, & typis edidit idiomate Sinenſi complures præſtantes libros, quibus etiamnum poſt mortem concionatur, & docet. Videlicet.

Prolixiorem Catechiſmum de Incarnatione, & Paſſione Chriſti, vita, & Miraculis B.V. volumina duo.

De Sanctorum vitis, & primò de Apoſtolis, ſecundo de Pontificibus ſanctis, tertiò de Martyribus, quartò de Confeſſoribus, quintò de Eremitis, ſextò de Virginibus, ſeptimò de Viduis: volum. 7.

De quatuor Nouiſſimis. Volum: 1.

De filiorum Educatione. Volum: 1.

De Amore veræ virtutis. Volum 1.

De Imitatione Sanctorum. Volum: 1.

De Conſolationibus decem adhibendis ad decem miſerias. Volum: 1.

De Principio, & fine mundi. Vol. vnum.

De optima Regni adminiſtratione, quam accommodauit quinque generibus Officiorum inter Sinenſes 1. Regis erga ſubditos 2. Mariti erga vxorem 3. Patris in filios 4. Amici erga Amicum. 5. Senum erga Iuuenes. Hic liber ab omnibus paſſim in pretio habetur.

De Philoſophia morali quæ ciuilem, & œconomicam comprehendit eximijs ſimilitudinibus, & apophthegmatis illuſtrata. *Volum:* 1.

De Philoſophia naturali in mixtis imperfectis. Volum: 1.

De Sphæra mundi, methodo inſigni, tradita. Volum: vnum.

Dialogum de varijs materijs Phyſicis, & Moralibus amæna exemplorum narratione illuſtratum. Volum: vnum.

De memoria Artificiali. Volum: vnum. Denique.

Annuas litteras, è Sinis anni 1618. Italicè ad Præpoſitum Generalem. impreſſas cum alijs Neapoli 1621. in 9.

Extant illius duo volumina Sinenſibus caracteribus excuſa de Doctrinæ Chriſtianæ explicatione. Romæ in tabulario Generali Societatis in folio.

ALVARVS ARIAS DE ARMENTA, natione Hiſpanus, patria Hiſpalenſis à puero in Societatem cooptatus anno ſalutis 1593. Vota quatuor in ea nuncupauit. Rexit Domum probationis Montellanam, & Hiſpalenſem annis 16. Poſtea Cordubenſe Collegium, & Hiſpalenſe; & Demum totam Prouinciam Bœticam ſingulari prudentiæ, & virtutum laude adminiſtrauit. A Supremo ſenatu S. Inquiſitionis in Hiſpania ad munus Cenſoris, ſeu Qualificatoris eſt adlectus. Dum Prouinciam regeret euocatus eſt Romam ad Officium Aſſiſtentis apud Præpoſitum Generalem pro Hiſpania, & India Occidentali, quo dum magna ſolertia, integritate, prudentia, & caritate fungitur correptus morbo migrauit ad cœtum (vti ſperare iuſtum eſt) Sanctorum, in *Domo Profeſſa Romana*, die penultimo Ianuarij 1643. ætatis ſuæ anno. 66. Vir fuit magnis à natura dotibus inſtructus, ſed maioribus à gratia. Suauiſſimæ Indolis, quæ Angelum potius, quàm hominem referret. Feliciter in ſe copulauit prudentiam, cum ſimplicitate, modeſtiam cum affabilitate, ſilentium cum loquendi gratia, ingenij præſtantiam cum religioſa demiſſione; ex quo factum eſt vt omnibus fuerit venerationi, & amori. Scripſit Hiſpanicè.

Contractum ſpiritualem hominis cum Deo. Baezæ 1639.

Concionem in ſolemni promulgatione Catalogi noui Expurgatorij à S. Inquiſitione euulgati. Hiſpali 1632. in 4. Latinè verò ſed ſuppreſſo ſuo nomine.

Encomia ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, & Beatiſſimæ Virginis Mariæ ex ſacra Scriptura deprompta; opus mole exiguum ſed prorſus egregium, excuſum Hiſpali apud Gabrielem Ramos 1621. in 12. recuſum Viennę 1632. in 8.

Meditationes ad S. Ignatij Exercitia, Scripſit in vſum Tironum ſed non edidit. Harum volumina duo m.SS. in 8. extant in Collegio Granatenſi, & alibi per Prouinciarum Noſtrorum manibus teruntur.

Edidit etiam libellum ſub titulo:

Pactionis ſanctiſſimæ cum B. V. ineundæ. Baezæ. 1639. in 8. ex quo pluſcula citat Noſter Ioannes Nadaſi in Annalibus Marianis numero 1136.

ALVARVS LVPVS SEV LOBO, natione Luſitanus, patria ex oppido Villareal Diœceſis Bracharenſis Societati adſcriptus anno ſalutis 1566. ætatis 15. euaſitque in ea Orator eximius, Poëta excellens; & qui multos annos erudiendæ Iuuentuti, & ad humanitatem informandæ impendit, quique Artium quem vocant curſum confecit in Academia Eborenſi. Reddidit Luſitanicè.

Martyrologium Romanum. Conimbricæ 1591. Scripſit etiam.

Hiſtoriam Prouinciæ Luſitaniæ Societatis IESV. Quam pertexuit, & ad finem perduxit, & Conimbricæ relicto mortalitatis ergaſtulo ad feliciorem vitam tranſiuit anno ſalutis 1608. Abſoluerat annos vitæ 57. Societatis 42. in qua vota 4. nuncupauerat. Rectorem in Portuenſi Collegio egerat, corpore fuit ſemper infirmo; ſed animi viribus pollebat. Inſignia etiam habuit virtutum ornamenta ex quibus animi tranquillitas, manſuetudo, lenitas, maximè commendabantur.

ALVARVS SEMEDVS, natione Luſitanus, ex oppido Niſæ Diœceſis Portalegrenſis, Societati ſe tradidit anno Domini 1602. ætatis 17. Cum Philoſophię operam daret, Miſſionem Indicam cum lacrymis efflagitauit, & voti compos Goam nauigauit. Ibi decurſis Philoſophię ac Theologiæ ſpatijs, animarum flagrans Zelo, ad Sinas ſe contulit, & votorum 4. Profeſſionem emiſit. In Sinis dum ſtrenuè animabus Deo lucrandis ſe impendit Nankini, vnus fuit ex ijs, qui ſæuiente in Chriſtianos horrida perſecutione glorioſam pro Chriſto ignominiam ſuſtinuerunt, circa annum 1617. Et primò quantumuis grauiſſima laborans febri, terrum detruſus in carcerem, poſtea incluſus ferrea cauda grandi, vt ſuperius diximus de Alphonſo Vagnonio, vnà cum illo deportatus eſt, à militibus ſtipantibus Nankino Cantonem vſque & inde Macaum relegatus. His tamen non obſtantibus captata commoda occaſione, & mutato nomine, rurſus ſe inſinuauit in Regnum, & à Vice Prouincia illa delectus demum eſt in Procuratorem ad vrbem, ad quam incolumis acceſſit fauente Deo anno 1642. & collecta ſubſidiariorum noua manu, cum ijs ex Europa ad Sinas renauigauit. Ibi poſt multos Chriſti cauſa labores exantlatos, & grauiſſima incommoda pro ſalute animarum tolerata tandem ex Vrbe Cantonienſi, ad cœleſtem patriam euolauit, anno Domini 1658. ætatis ſuæ 73. & Miſſionis Sinenſis 46. Fuit obſeruantię Religioſę illuſtre exemplar; Orationi in primis deditus; paupertatis ſanctæ perſtudioſus; venerationi etiam ipſis Hæreticis, cum quibus neceſſe aliquando habuit in eadem naui nauigare. Miſſionem illam annis aliquot Vice Præpoſiti Prouincialis cum laude adminiſtrauit. Edidit.

Annuas litteras è Sinis annorum 1622. & 1623.

Relationem de propagatione Eccleſiæ in Regno Sinarum. Et alijs Regni Rebus. Matriti 1641.

Relationem de Magna Monarchia Sinarum. Italicè Romæ ſumptibus Hermanni Scheus 1643. in 4. quam Gallicè reddidit Noſter Ludouicus Coulon Pariſijs 1645. Habebat ſub manibus.

Duplex Dictionarium longè exactiſſimum; alterum Sinicoluſitanicum, alterum Luſitano-ſinicum, Sed mors anteuertit.

* AMABILIS BONNEFONS, natione Gallus, patria Ricomagenſis Diœceſis Claromontanæ, Societatem amplexus anno Domini 1618. ætatis 18. Litteras amæniores quadriennio in ea profeſſus, maximam longè vitæ ſuæ partem inſtituendis rectè ad omnem pietatem pueris, pauperibus, & ſeruitijs domeſticis conſecrauit. Hinc 20. annorum ſpatio Catechiſtam egit in Domo Profeſſa Pariſienſi, ita vt omnibus ideò eſſet admirationi. Pauperum neceſſitatibus ſumma alacritate quoad poterat ſubueniebat; huic veſtem, alteri induſium, alteri victum ſubminiſtrando, vt communis Pater pauperum Pariſijs haberetur. Hinc illorum ingens luctus in ipſius obitu, qui contigit Pariſijs, eo ipſo die quo ſæpius exoptauerat, videlicet dedicato memoriæ S. Ioſephi 19. Martij 1653. Edidit Gallicè opuſcula varia, quæ cum fructu leguntur, videlicet.

Hiſtoriam Sacram Verbi Incarnati. Pariſijs apud Petrum de Breſche 1637. in 8.

Neophytum ſeu Catechiſmum. Pariſijs 1640. in 8.

Officium Chriſtiani. Apud Sebaſtianum Picquet Pariſijs 1643. in 13.

Pium Paræcum. Ibidem eiſdem typis, & anno in 24.

Compendium Vitæ Domini N. IESV. Et Batiſsimæ Virginis Mariæ. Pariſijs apud Ioannem, & Matthæum Henault 1645. in 12.

Pium Chriſtianum Charitate præditum, viſitantem Hoſpitalia, carceres, &c. Pariſijs annis 1646. 51. & 55. Lugduni 1666. & Italicè Venetijs 1671. in 12.

Scientiam Chriſtiani. Pariſijs, typis Henault

nauit 1647. in 8.

Tria animæ deuotæ itinera, ad Præſepe, ad Crucem, ad Altare Domini Pariſijs apud Petrum de Breſche 1647. in 12.

Varias praxes pro Confeſſione, & S. Communione. Ibidem 1645.

De 12. cœli Ianuis cum totidem clauibus ad ingreſſum. Pariſijs, typis Henaultianis 1646 in 8.

Annum Sanctum ſeu Elogia Sanctorum in ſingulos anni dies Pariſijs, apud Sebaſtianum Picquet. 1651. Latinitate dein donatus hic liber excuſus eſt Pariſijs 1659.

Occupationem interiorem. Pariſijs, typis Henaultianis 1651. in 24.

Doctrinam Chriſtianam. Pariſijs apud Franc. Loyſon 1650. in 12.

Epiſtolas, & Euangelia cum meditationibus. Pariſijs apud Florentium Lambert in 8.

Templum veritatis, Pariſijs apud eundem ſæpiùs in 12.

Caluariam myſticam. Apud eundem, & ſæpiùs in 12.

Maximas ſeu Axiomata Chriſti, & Sanctorum. Ibidem, & ſæpiùs.

Puerum Catechiſmo inſtructum; eiſdem typis in 16.

Inſtructionem pro ſacra Communione. Ibidem in 16.

Librum vitæ. Tum Gallicè, tum latinè apud eundem, & ſæpiùs.

* AMATOR REBELLVS, natione Luſitanus patria Barqueirenſis Diæceſis Portuenſis, adſcitus in Societatem vicennis anno ſalutis 1552. Docuit litteras humaniores, & in ijs etiam Regis Sebaſtiani Magiſter fuit, eique percarus. Theologiam Moralem aliquamdiu explicuit, & Collegium Sancti Antonij Vlyſſipone gubernauit. Excelluit talento reconciliandi Deo facinoroſiſſimos quoſque per Sacramentum Pœnitentiæ, Demum in ſenectute bona nonagenarius ad religioſæ vitæ præmia emigrauit Vlyſſipone die 7. Maij 1622. Notitiam de libris ab eo ſcriptis debeo Clariſſimo Viro D. Nicolao Antonio Negotiorum Regis Catholici in Romana Curia Procuratori Generali, qui ſuæ accuratiſsimæ Bibliothecæ Hiſpanę hunc ſcriptorem inſeruit, ob edita ab illo.

Capitula extracta ex litteris Indicis, Chinenſibus, Iaponicis, & Angolanis anni 1588. Vlyſſipone eodem anno in 8. &c.

Vitam Regis Sebaſtiani, Quam laudat Franciſcus Suarez Toſcano in Paralellis ſuis cap. 60. & Georgius Cardoſus in ſuo Agiologio tom. 3. ad diem 7. Maij. Cum vitæ encomio.

* AMBROSIVS CORBÆVS ſeu CORBINTONVS, natione Anglus, patria Eboracenſis, Societati nomen dedit anno ſalutis 1627. ætatis ſuę 23. & quatuor in ea vota nuncupauit. Politiores litteras in Seminario Anglorum Audomari, magna cum laude aliquot annis docuit. Vir Latina Græcaquè litteratura apprimè excultus. Emicuit in eo inſignis modeſtia, demiſſio ſui, patientia, charitas in alios, & pietas erga Deum. Parentes habuit quorum vterque Deo ſe cum ſuis omnibus liberis in diuerſis Ordinibus religioſis couſecrauit. Et Genitor quidem in Societate humilem gradum Coadiutorum temporalium ſubire voluit, atque in eadem habuit tres filios Sacerdotes, inter quos fuit hic Ambroſius, & alter Rodulphus nomine, ſanguine pro Chriſto effuſo clarus. Euocatus porrò è Belgio Romam Ambroſius, vt in Collegio Anglorum ſpiritualem Patrem ageret, dum religioſè ac prudenter eo munere fungeretur ad Superos (vt fas eſt ſperare) abijt. Romæ die 11. Aprilis 1649. Edidit latinè tacito ſuo nominę.

Certamen Triplex, ſeu narrationem de Glorioſa morte P. P. Thomæ Hollandi, Henrici Morſæi, & Rodulphi Corbæi, fratris ſui germani, de Societate IESV, ob fidem Catholicam Londini obita. Antuerpiæ apud Meurſium 1645. in 16.

AMBROSIVS DE PENNALOSA, natione Hiſpanus patria Mondeiarenſis Sac. Theologiæ Doctor, eiuſque in Hiſpania primùm, deinde in Auſtria Profeſſor in Academia Viennenſi; Philippi IV. Hiſpaniarum Regis Catholici, eiuſdemque Sororis Mariæ Hungarorum, & Bohemorum Reginæ, & poſtea Imperatricis, Concionator. Societatem complexus fuerat anno ſalutis 1605. ætatis ſuæ 16. in eaque litteras humaniores, & Philoſophiam docuit, & votis 4. ſolemnibus ſe obſtrinxit; Ex Auſtria porrò in Hiſpaniam redux, præfuit Collegio Conchenſi; tum Domui Profeſſæ Toletanę, & in Comitijs Prouinciæ electus eſt, vt Romæ Congregationi Generali Decimæ intereſſet. Vir fuit ob doctrinam, & egregias dotes, multis Optimatibus apprimè charus; ſalutis animarum perquàm ſtudioſus; nec ab excipiendis confeſſionibus, etiam pauperum, ſiue in templo, ſiue in priuatis ſuis ædibus, quacumque hora diei vel noctis, pluuio Cœlo, vel ardente ſole retardabatur. In Deiparæ cultum, & ſe, & proximos accendere impensè nitebatur. Ter quotidie illius roſarium reuerenter percurrebat. Paupertatis Religioſæ cuſtos egregius, nihil admittebat eorum quæ à varijs Principibus, quibus peracceptus exſtitit, vltrò ei offerebantur. Tandem annis grauis, & maturus Cœlo, per acerbiſſimos ſtranguriæ, & hydropiſis dolores inſigni patientia toleratos ſuſceptis rite Eccleſiæ præſidijs, ad requiem tranſiuit (vti confidimus) Beatorum. Matriti die 6. Martij 1656. Edidit dum in Auſtria degeret Opus egregium.

De Chriſti, & Spiritus Sancti Diuinitate, nec non Sanctiſsimæ Trinitatis Myſterio. Contra Iudæos, Photinum, Socinum, Eniedinum alioſq; veteres, & nouos Arianos, Viennæ, Auſtriæ apud

apud Matthæum Formicam 1635. in fol. Item *Vindicias Deiparæ Virginis de peccato Originali, & debito illud contrahendi*. Antuerpiæ apud Hieronymum Verduſſium 1650. in 4.

* AMBROSIVS DE SOMONTE natione Hiſpanus patria Methymnenſis natus anno ſæculi proxime euoluti 90. ad Societatem acceſſit voluentis 12. & vota 4. profeſſus eſt. Ante ingreſſum fuerat Baccalaureus in vtroque iure. Prælegit in Societate litteras humaniores, & Theologiam de moribus. Rexit Collegium Lucronienſe. Operarius nauus miſſiones varias obiuit, & in ſenectute bona tranſiuit ad Dominum Methymnæ. Anno Domini 1665. Edidit vulgari Idiomate, non vulgari pœnitentium fructu.

Præparationem conſcientiæ ad Confeſſionem generalem cum fructu inſtituendam. Opus breue ſed ſæpius diuerſis in locis, & formis recuſum. Parauerat tribus voluminibus, *Commentaria in Euangelium Sancti Marci*, Sed non edidit morte præuentus.

AMBROSIVS VVELTHERVS, SEV IOANNES AMBROSIVS VVELTHERVS natione Germanus, patria Iſennacenſis in Turingia, Societati adſcriptus anno ſalutis 1568. ætatis 21. in Liuoniam è Germania ſuperiore circa annum 1581. acceſſitus, eo Religionis Orthodoxæ, vel tuendæ, vel propagandæ ſtudio, ad illam partem quæ Eſthonia dicitur, eoque animorum fructu verſatus eſt, vt æterna virtutis ſuæ veſtigia apud illam gentem impreſſerit. Cùm enim ſummo labore Regionis linguam alioquin perdifficilem comprehendiſſet, nihil prius, aut potius habuit, quàm populis illis barbarie incultis, & maximâ rerum Diuinarum ignorantia laborantibus, quà publicè quà priuatim Cœleſtem Doctrinam inſtillare. Quibus in laboribus cùm duodeuiginti annos indefeſſus poſuiſſet, hoc à Deo præmium accepit vt *Chriſti Confeſſor* in Hæreticorum manus delatus, euaderet. Nam die 5. Ianuarij anno poſt Chriſtum natum 1601, Carolus Sudermaniæ Dux, patruus Sigiſmundi Regis Poloniæ, cùm Regnum Sueciæ per ſummam iniuriam inuaſiſſet, arma quoque in Liuoniam intulit, & Derpatum Vrbem proditione occupauit. Septem tum ibi verſabantur de Societate, & in ijs Ambroſius Noſter. Hos Carolus ad ſe vocatos, probris, & conuicijs primùm excepit, Deinde in Catholica dogmata, & Chriſti Vicarium ſtomachabundè inuectus, diſtractaq; omni eorum ſupellectili, ſacra, & prophana, vni ex ſuis, Chriſtophoro Sommerio, viro in Noſtros atrociſſimo contradidit. Is poſt alias vexationes, in anguſtum conclaue, Omnes compegit, exutos libris, veſtibus, lectis, cibi etiam, & potus expertes, niſi per hominem Moſcum Sommerij famulum, Deus ſubueniſſet; ſannis deinde ac ludibrijs malè habitos, omnibus propoſuit deridendos. Sex fere menſibus acerbè tractati Riualiam abducti ſunt, plauſtris vecti trahentibus bobus, manus reuincti, atque inde inepta naui in Finlandiam, demum Stocholmiam Vrbem Sueciæ Regiam tranſmiſſi, ſunt. In arctam cuſtodiam dati, ſexcentis afflicti incommodis, pædore demum carceris, peſte vulgata quatuor abſumpti ſunt. Tres reliqui, & in eis Ambroſius induſtria vtendum cenſuerunt, tum ad vitæ neceſſaria quærenda, tum ad placandos conciliandoſque animos Præfectorum. Igitur alius coquum agere, alius magiſtrum, docereque litteras Suecicas, Præfecti liberos inſtituit; totóque biennio perrexit. Ambroſius in ſumma illa rerum omnium inopia, & egeſtate detritas, & laceras ſociorum veſtes reficere, calceamenta conſuere, eorum nuditatem omni ope tegere, ſolatióque afflictis eſſe ſtuduit. Ille barbaros Hæreticorum mores, & inhumanitatem ſuauitate ingenij emollire, auerſos animos, cùm alijs officiorum generibus, tum præcipuè horologiorum ſciotericorum fabricatione, ſibi ſocijſque conciliare. Interim de commutatione Captiuorum agi cœptum eſt, & noſtri Calmariam Sueciæ Ciuitatem, vincti quidem, ſed ſpe libertatis euocati. Sed ea tractatione in irritum lapſa, Elkeſtonum retracti ſunt, & Patres diu ac noctu coronâ ferreâ ſexdecim pondo geminis cornibus è ferro bene altis, inſtructâ geſtare coacti ſunt, totum ſemeſtre. Tandè alijs atq; alijs calamitatibus exerciti inediam, frigora, niues, pluuias, cœteraſque cæli, ac maris iniurias toto quinquennio perpeſſi, per Septembrem anno 1605. facta permutatione in libertatem vindicati ſunt. Ambroſius Brunſbergam, Pruſsiæ Vrbem à ſuis Moderatoribus miſſus, licet miſerijs, & ærumnis confectus, feſſaque iam ætate eſſet, maiorem tamen diei partem animarum ſaluti per Confeſsionis, & Catecheſeos exercitium impendebat; quod ſupererat otij in cœleſtium rerum contemplatione, proprijque animi cultu conſumebat. Et quoniam nimis anguſtus hic virtuti ſuæ campus videbatur, precibus apud Præſides egit, vt liceret ſibi reliquias gentis Eſthonicæ decennali bello afflictæ repetere, & priſtina caritatis officia cum illis exercere. Sed nimirum Deo aliud placuit, militemque ſuum in optima illa cogitatione verſantem ad ſtipendium capiendum euocauit Brunsbergæ anno ſalutis 1619. & à ſuſcepto gradu ſpiritualis Coadiutoris 19. Is, ne viuens tantùm, ſed & fato functus, quà liceret genti Eſthonicæ proſpiceret, ſocijſque laborem in eo nouali colendo minueret,

Pios aliquot libellos quæ Concionatoribus, & Confeſſarijs vſui eſſent in *Eſthonicâ linguam* (quę propter orationis genus minutum, & fractum ex difficillimis earum regionum eſt). *tranſtulit* cuius in Liuonia vſus eſt.

* ANDOCHIVS MOREL, natione Gallus, patria Diuionenſis, natus anno ſæculi elapſi penultimo, Societati nomen dedit

Laben-

libentis 16. & votorum 4. Sacramentum dixit. Docuit in ea politiores litteras Philoſophiam, & quadriennio Scholaſticam Theologiam. Concionatorem egit aliquot annos; rexit Collegium Aquenſe, & Lugdunenſem Domum Sancti Ioſephi, & finem viuendi inter mortales fecit Gratianopoli die 7. Aprilis, hoc anno dum hæc ſcribo 1674. Edidit Gallicè.

Imaginem Nobilitatis Chriſtianæ propoſitam in funere Vice-Comitis Alexandri de Paſquier. Gratianopoli apud Petrum Verdier 1638. in 4.

Epiſtolam Viri Eccleſiaſtici Auenionenſis, de anno ſeculari Societatis Ieſu. Auenione apud Ioannem Riot 1640. in 4.

Orationem habitam in funere Ven. Matris de Chantel. Auenione apud Claudium Berchier 1642. in 8.

Reſponſionem generalem ad litteras in vulgus ſparſas aduerſus Doctrinam Ieſuitarum. Lugduni apud Guilhelmum Barbier 1656. in 4.

Tractatum Hiſtoricum de falsò impoſita Sanctis PP. ratione docendi fideles, tàm in fide, quàm in moribus alieno nomine Gratianopoli apud Philippum Charcais 1661. in 8.

Canonizationem Sancti Franciſci de Sales 16. Diſcurſibus expoſitam. Gretianopoli apud Robertum Philippum 1665. in 8.

Piè geſta Baſilica S. Petri Auenione ad coërcendam licentiam Bacchanalium. Auenione apud Bramareau.

ANDREAS ÆGIDIANVS, natione Belga patria Gandenſis, admiſſus in Societatẽ anno 1605. ætatis 18. Rhetoricam Gandaui cum laude docuit; poſtea in Indiam Occidentalem Religionis propagandæ ſtudio profectus, ſanctis laboribus fractus, ibidem in Domino obdormiuit in Peruuio anno 1620. Scripſit.

Panegiricum Heroico carmine, Carolo Maſio V. Gandenſium Epiſcopo. Typis Manilij vulgatum.

ANDREAS ARZET, natione Germanus, patria Conſtantienſis natus anno ſalutis 1604. Societati ſe adiunxit 1620. & quatuor vota profeſſus eſt. Prælegit Rhetoricam, & Matheſim, cuius peritia pollebat non vulgari. Quæſtiones de Conſcientia ſexennio explicuit. In miſſionibus varijs ad Dei gloriam vtiliter laborauit, & ſeptuagennario maior ad cœleſtis vitæ præmia (vti ſperare licet) è Collegio Conſtantienſi euocatus eſt die 24. Febr. 1675. Edidit Opuſculum hac inſcriptione.

Clauis Mathematica, quà ad recondita totius Matheſeos penetralia primus aperitur aditus, per viitatiores demonſtrationes, quas *ex Euclidis ſex prioribus Elementorum libris* ſelegit, & faciliorem ad captum accommodauit. Oeniponti apud Danielem Agricolam 1634.

ANDREAS ATIENZA, natione Hiſpanus, ex oppido Zehehin Diœceſis Carthaginenſis, Compluti Iuuenis abſoluto Philoſophiæ curſu Societati adſcriptus eſt anno Domini 1573. ætatis 16. In ea litteras humaniores annos 16. magna virtutis commendatione profeſſus eſt, deinde concionatus alijſque inſtituti noſtri muneribus perfunctus ſubſeciuis horis elucubrauit.

Commentarii in Epiſtolam Pauli ad Galatas. Verùm non edidit, ſicut nec alia quædam, tùm ſoluta tùm ligata oratione, quæ conſcripſerat, morte nimirum præoccupatus, quę bonum ſenem tranſmiſit (vt fas eſt ſperare) ad Regionem ſemper viuentium Hiſpali die 20. Maij anno ſalutis 1638. ætatis ſuæ octogeſimo, religioſę vitæ 65. & profeſſionis 4. votorum quadrageſimo quinto.

* ANDREAS BAIOLE natione Gallus, patria Condomenſis, Deo ſe in Societate dicauit anno ſæculi voluentis 8. ætatis 18. & votis quatuor ſe obſtrinxit. Quinquennio amæniores litteras, & Philoſophiam annis totidem explicuit; Tum Theologiam vtramque moralem, & ſpeculatiuam annis compluribus magna fama eruditionis. Concionatorem etiam decennio egit. Rexit Collegia Palenſe, & Burdigalenſe; vir magnarum virtutum, & nominatim orationis dono præcellens. Religioſiſſimè migrauit ex hac vita Santonis die 11. Martij 1660. Edidit Gallicè tractatum ſpiritualem,

De Vita interiori. Lutetiæ apud Viduam Nicolai Buon 1649. in 4.

ANDREAS BLANCVS natione Italus patria Genuenſis, vir ſpectatæ virtutis, & religioſæ vitæ amantiſſimus. Societatem amplexus eſt 1602. ætatis ſuæ 15. atque in ea Rhetoricam, & Philoſophiam profeſſus eſt, & vota quatuor ſolemnia nuncupauit. Complures annos Concionatoris munere functus eſt, magno zelo, & eximio fructu. Verni ieiunij temporę, Auditorum aliò confluentium frequentia aliquando deſtitutus, auditus eſt hilari vultu non ſemel illud vſurpare. Suſceptus mihi eſt concionandi labor, vt Deo per Moderatores id iubenti morem gererem; Cùm imperata præſtiterim, non habeo ampliùs quod requiram; adeo procul à captanda inde ſibi laude aberat. Pauperes incredibili quodam amore proſequebatur, quibus qnocumque poterat modo, & induſtria ſua ſtudiosè ſubueniebat. Demum multis cumulatus meritis deceſſit. Genuæ 29. Martij 1657. Edidit Latine.

Epigrammaton Libros 6. Mediolani typis Philippi Ghiſulphij 1635. in 8. auctos & recuſos Genuæ 1639. in 8.

De ſingulari Sapientia S. Caroli Borromæi orationem habitam. Mediolani apud Impreſſores Archiepiſcopales 1610. in 4.

De opinionum praxi ſub nomine Candidi Philalethi. Genuæ 1642. in 8. Matriti 1645. in 8. iterum Cremonæ 1646. in 8.

De Cambio tractatum breuem, ſub eodem nomi-

nomine Candidi &c. Genuæ typis Benedicti Guaſchi 1652. in 8.

Pios mores & ſanctos amores Epigrammatis expreſſos, ſub eodem nomine. Genuæ ijſdem typis 1653. in 8.

Piſtomachiam ſiue pugnam fidei. Genuæ apud Colenzanum 1645. in 8.

Animæ ſuſpiria, Ibidem & eiſdem typis 1645. in 8. Italicè edidit.

Conciones de feſtis Chriſti, & SS. & Sanctiſſimo Sacramento Partem primam. Genuæ typis Ioan. Colezani 1648. in 4.

De Paſſione Chriſti ſermones 12. Genuæ typis Ioan. Parroni 1651. in 12.

Paſſionem Chriſti figuratam, & hiſtoricam ſermonibus 30. Genuæ typis eiſdem 1652. in 4.

Paraphraſim in Pſalmum Miſerere. Genuæ apud Dominicum Perum 1647. in 12.

Quæſtiones Philoſophicas, & Academicas. Genuæ typis Benedicti Guaſchi 1653. in 4.

ANDREAS DE BOEYE, natione Belga patria Furnenſis, natus anno Domini 1571. Societati ſe addixit 1593. atque in ea litteras humaniores ſeptennio tradidit, & Scholis aliquamdiu præfuit. Bergis S. Vvinoci bis Rector, Collegium annis octo gubernauit, Dunkercanam reſidentiam ſeſquianno, Mechlinienſe Collegium pro Rectore vno anno. Vir fuit ſolidè conſtantèrque pius, in audiendis pœnitentibus aſſiduus, operarius ſtrenuus etiam in decliui ætate, & quamuis ferè octogenarius ordinaria tamen ſurgendi tempora obſeruabat, & confeſſiones Noſtrorum matutinus excipiebat. Nec moroſum faciebat ſenectus, ſed virtus ſemper ſui ſimilem conſeruabat: tandem anno 1650. die 22. Ianuarij, Antuerpiæ cum paucis antea horis peccata expiaſſet apoplexia tactus, & ſacro oleo perunctus, poſtridie viuere inter mortales deſijt, ſpiritualibus Coadiutoribus pridem antea adſcriptus. Tanta fuerat ſanitate corporis, vt nunquam illi per omnem ætatem 80. ferè annorum ſecta fuerit vena. Vtilem valdè proximis præſtitit operam, libris pijs partim à ſe compoſitis, partim ex alio Idiomate in Belgicum conuerſis: Edidit in lucem lingua vernacula.

Vitas Sanctorum Coniugatorum, qui in matrimonio virtutibus illuſtres vixerunt. Antuerpiæ typis Ioannis Cnobbarij 1631. Item

Gloriam Magnorum Patriarcharum Ioachimi, & Annæ. Antuerpiæ typis Gerardi Vvolſchatij 1636.

Vitas Sanctorum, & aliorum Illuſtrium hominum veteris Teſtamenti ab Adamo, & Eua vſque ad Ioachimum. & Annam.

Deuotum Patrem familias. Antuerpiæ 1645. in 8.

Tranſtulit ex Latina lingua in Belgicam.

Exercitia S.P.N. Ignatij. Antuerpiæ typis Henrici Artſenij.

Iter P. Marcelli Maſtrilli in Indiam.

Ex Hiſpanica vero ſequentia opuſcula P. Ioanni Euſebij Nierembergij.

Vitam Diuinam. Typis Artſenij 1640. iterum recuſam.

De Mariæ Amore.

De Amore Ieſu. Ibidem 1641.

Normam bonorum famulorum, & famularum, ſcripſit Flandrice.

ANDREAS BRVNNER, natione Germanus, gente Tyrolenſis, patria Halenſis, humiles ortus magno doctrinæ, & virtutum ornatu illuſtrauit. Pene puer vix expleto anno 16. venit ad Societatem anno ſalutis 1605. in qua poſt traditas Humaniores litteras, atque Ethicam 4. vota profeſſus eſt anno 1623. Antiquitatis, & Politiorum litterarum ſcientiſſimus, verbo calamóque magnus; Eccleſiaſtæ munus multis annis magno fructu, & auctoritate expleuit. Hinc traxit etiam ex Montibus confertum Auditorem, tum maxime cùm pro animabus iuuandis Indulgentia Communionis Generalis, perorauit; aut cùm per Quadrageſimam pijs dramatibus pœnitentiæ, aut motiua, aut exempla vernaculo idiomate propoſuit, vix capiente turbam templo tametſi magno. Cathedram non niſi acri verberatione ſui ipſius præuia, conſcendit, ab ea ad Sedem Confeſſionalem reuerſus fere poſtremus eam deſeruit. Mores ei ſemper graues, ea tamen humanitate conditi, vt non offenderent; abhorrebat à ludricis, aſſentari neſcius, ſed nec laudari patiens. Otij capitaliſſimus, hoſtis; nec laboribus, nec ſtudijs ſaturabatur. Extra recreationis tempora, ſtrictum ſibi ſilentium indixit, in muſæo velut centro ſe continens; ſuperiorum erat obſeruantiſſimus in aduerſis ferendis generoſus. In captiuitate Suecica quando Guſtauus Adolphus Suecorum Rex Bauariam inuaſit, inter alios obſides abductus Auguſtam, triennio annonæ difficultates ingentes non modo ſuſtinuit erectus, ſed & alios ad fortiter ferenda omnia animauit. Præter has aduentitias ærumnas, ipſe ſibi durus nihil remiſſionum indulgebat; poſt ſumptum cibum, nec meridiari ſolitus, nec poſtridie concionum plus ſomni ſibi concedere; quin cùm ordo contingeret, recta à concione, menſæ cathedram conſcendit, vt anagnoſten ageret; nec patiebatur vt alius ſibi lector ſubrogaretur. In ſui ſubmiſſione perquàm excellens, pro ſumma gratia impetrauit, vt ab omni regimine in Societate liber, in ſancta humilitate obediret. Magnæ erat inter Noſtros, magnæ apud Optimates externos æſtimationis, & plebi venerandus. A. S. P. N. Ignatio ſemel, & iterum à B. Aloyſio auxilium in afflicta valetudine non obſcurè expertus eſt. Si quid impetratum à Deo vellet, plerumque animarum in purgatorijs flammis detentarum ſuffragijs rem peragebat. Romam à Prouincia Procurator primò deſtinatus, deinde ad eligendum Generalem, cum Prouinciali miſſus, etſi fatale ſibi

ſibi illud iter ominaretur, tamen alacriter ſubiit parendi ſtudio, Romæque apud P.P. Congregatos magno in pretio fuit. Semel in itinere cum equo per abrupta præceps, & ite. rum Romæ rhedarum prouentium rotis obruendus, Angeli ſui tutelaris beneficio (vt ipſe exiſtimauit) ſeruatus eſt. Sic cùm integerrimus rediiſſe videretur Oenipontum, Sabbato Sancto pleuritis eum inuaſit, qua quinto poſt morbum die ſanctè obijt 20. Aprilis 1650. Scripſit Edîditque latine

Annales virtutis, & fortunæ Boiorum, partibus tribus quarum prima complectitur Hiſtoriam gentis Boiorum ab anno ante Chriſtum 600. vſque ad annum à Chriſto 888. Impreſſa Monachij formis Cornelij Leyſerij 1626. in 8.

Altera proſequitur vſque ad annum 1070. impreſſa eiſdem typis 1629. in 8.

Tertia vſque ad annum 1314. Ibidem 1635. in 8.

Edidit ſupreſſo nomine inſigne opus, & multis modis vtile latinè, & Germanice hoc titulo.

Faſti Mariani cum illuſtrium Diuorum imaginibus, & elogijs in ſingulos anni menſes dieſque Sanctorum natales diſtributi. Monachij apud Cornelium Leyſſerum 1630. & Antuerpiæ ſine imaginibus apud Ioannem Cnobbarum 1633. in 16. Item ſub nomine Collegij Monachien.

Nabuchodonoſor in Theatrum productum in nuptijs Sereniſſimi Maximiliani Bauariæ Septemviri, & Sereniſſimæ Mariæ Annæ Auſtriacæ Ferdinandi Secundi Imperatoris Filiæ 1635.

Excubias tutelares Sereniſſimi Principis Ferdinandi Mariæ, Franciſci Ignatij Wolfgangi Bauariæ Ducis cunis appoſitas Monachij typis Corn. Leyſſerij 1637. Huic operi ipſe ſuum nomen adſcribit continet autem Breuiarium vitæ 16. Ducum Boiariæ. Germanicè edidit.

Demonſtrationem diuinæ Miſericordiæ in conuerſione peccatorum factam. Octo dramatibus Oeniponti in 8.

* ANDREAS CASTILLON, natione Gallus, patria Cadomenſis; poſt nobile certamen deS ocietate ineunda cum ſuis Parentibus, quorum tandem aſſenſum extorſit, quòd à Deo vocatum ad illam crederent, ingreſſus eſt eam die 20. Martij anno 1614. ætatis 15.& votorum quatuor profeſſionem emiſit. In ipſo Tirocinio egregia virtutum ſpecimina edidit. Rhetoricam, & amæniores litteras diu docuit; & à ſcholis ad Cathedras Concionatorum translatus, ea valuit dicendi vi, vt Auditores in quamcumque vellet partem in flecteret, & paucos omnino in ea facultate, tota Gallia habuerit ſibi pares. Nullus enim in docendo accuratior, aut in permouendo potentior. Sed cùm munus illud valetudo corporis afflicta diutiùs ferre non poſſet, regendis Noſtris admotus Rhedonenſe, Atrebatenſe, & Pariſienſe Collegia, magna prudentiæ laude adminiſtrauit. Mox à comitijs Prouinciæ electus vt Congregationi generali XI. intereſſet, Romam petijt, atque inde reuerſus totius Prouinciæ Franciæ habenas tenuit; poſtea etiam Domui Profeſſæ Pariſienſi præfuit, atque in his muneribus ea pietatis, manſuetudinis, humilitatis, obedientiæ, cæterarùmque virtutum exempla præbuit, vt & externis chariſſimus exſtiterit, & Noſtri veluti Parentem optimum coluerint. Paucis ante obitum menſibus, cùm doloribus calculi acerbiſſimis conflictaretur, & eruendum ferro lapidem medici cenſuiſſent, mirum quanta patientia, quanta fortitudine animi carnificinam illam ſuſtinuerit. Eo morbo vtcumque liberatus, cùm incidiſſet in alium, & poſtremam ſibi horam propiùs abeſſe perſentiret, ad eam per exomologeſim, & reliqua Sacramenta pientiſſimè ſe diſpoſuit, & demum in Domo Profeſſorum Pariſijs die 25. Martij 1671. Spiritum Deo reddidit. Edidit in lucem Gallicè

Conſilia Chriſti Domini in inſtitutione Sanctiſſimi Sacramenti expoſita concionibus octo habitis Lutetiæ in Eccleſia Sancti Maderici. Pariſijs apud Franciſcum Muguet 1669. in 8.

Orationem funebrem habitam in exequijs Cardinalis Rupiſocaldij. Pariſijs typis Gaſpari de Maduras in 4.

Poſt obitum prodierunt typis poſthumis, duobus voluminibus. *Conciones de Aduentu*. Pariſijs apud Franciſcum Muguet 1672 in 8.

ANDREAS COBAVIVS. Vide inferiùs. *Andreas Kobauius*, ita enim ipſe typis impreſſit nomen ſuum.

ANDREAS DENIIS, natione Belga. patria Atrebas, natus anno 1591. ex Parente Præſide Arteſiæ, Societati adſcriptus 1608. in ea humaniores litteras ſexennio profeſſus eſt, & Scholis inferioribus diu præfuit. Religioſæ Diſciplinæ apprimè obſeruans, & culturæ animarum in templo aſſiduè vacans, ad ſummam ſenectutem vitam produxit ſpiritualis Coadiutor pridem formatus, & in patrio ſolo octogenarius denatus eſt Atrebati penultimo die Iulij 1670. Edidit verſu Gallico.

Poëſim ſacram, ſeu illecebras Diuini Amoris ex Chriſti patientis, vt vocant, *ſtationibus*. Atrebati typis Gerardi de Raiſmes 1639. in 4. Item.

Sapientiæ muſæum. Carmine Elegiaco. Rhedonibus 1650. in 16.

ANDREAS EVDÆMON IOANNES, natione Græcus, patria Cydonius è Creta Inſula maris Ægæi, ducto ex Palæologorum Imperatoria familia ſanguine, à prima ætate in Italia, ac Romæ præſertim educatus, ibique non humanioribus modò, ſed diuinis etiam inſtitutus litteris Societatem in flore ætatis amplexus eſt anno ſalutis 1581. die 8. Septembris in qua Romæ primùm Philoſophiam, deinde Patauij Theologiam publicè cum laude profeſſus eſt. Linguæ vtriuſque

Digitized by Google

iuxtà peritus ac Theologus egregius, ſumma & ingenij acrimonia, & iudicij preſtantia præditus, multiplici diuinarum humanarùmque rerum eruditione inſtructus, S.D.N. Vrbano VIII. carus fuit in paucis, à quo Græcorum in Vrbe Collegio cùm id Societati reſtitutum eſſet præpoſitus Rector fuit. Ab eodem in S. Tribunali Sanctæ Inquiſitionis Cenſor ſeu Qualificator inſtitutus eſt; ab eodem miſſus in Galliam eſt cùm Eminentiſſimo nepote ſuo Franciſco Cardinali Barberino, legato ad Regem Chriſtianiſſimum, vt illi pro Theologo adeſſet, quo in itinere multa incommoda perpeſſus, quæ grauiorem eius ætatem, & vires alioquin attritas penitus confecerunt. Vnde vix redux ad Vrbem, piè demortuus eſt die 24. Decembris anni Iubilæi 1625. poſtquam in Societatem venit 46. In fidei controuerſijs eximiè doctus ſtrinxit calamum in varios Hæreticos, Ediditque

Caſtigationem Lamberti Danæi Caluiniani Miniſtri pro Card. Bellarmini Controuerſijs: Ingolſtadij apud Andream Agermairium 1605.

De Antichriſto Lib. 3. Aduerſus Robertum Abbatum Anglum Oxonienſem. Ingolſtadij typis Adami Sartorij 1609. in 4.

Epiſtolam monitoriam ad Ioannem Barclaium, quæ tum alibi extat, tum etiam in tomo VIII. Operum Card. Bellarmini editionis Colonienſis, anni 1617. pag. 998. Separatim Coloniæ excuſa eſt apud Kinckium 1613. in 8.

Apologiam pro R.P. Henrico Garneto Anglo, Sacerdote Societatis IESV ad Actionem proditoriam Edouardi Coqui. Coloniæ apud Ioannem Kinckium 1610. in 8.

Confutationem Anticotoni, qua reſpondetur calumnijs, ex occaſione cædis Regis Chriſtianiſſimi, & ſententia Marianæ ab anonymo quodam in Petrum Cotonum, & Socios eius congeſtis. Moguntiæ excudebat Reinhardus Eltz 1611. in 8.

Caſtigationem Apocalypſis Apocalypſeos Thomæ Brichtmanni Angli. Coloniæ apud Ioannem Kinckium 1611.

Parallelum Torti, & Tortoris eius L. Ciceſtrenſis, ſiue Reſponſionem ad Torturam Torti pro Illuſtriſſimo Card. Bellarmino. Coloniæ apud Ioannem KincKium 1610. in 8.

Reſponſionem ad Epiſtolam Iſaaci Cauſaboni. Coloniæ eiſdem typis 1612.

Reſponſionem ad caput IV. primæ Exercitationis Iſaaci Cauſaboni, & ad Antilogiam Roberti Abbati aduerſus Apologiam P. Garneti Coloniæ apud Ioannem Kinckium 1615.

Refutationem Exercitationum Iſaaci Cauſaboni libris 11. Coloniæ 1617. in 4. apud Ioannem Kinckium.

Epiſtolam ad amicum Gallum, ſuper diſſertatione Politica Leidgreſſeri. Ibidem 1613. in 8.

Admonitionem ad lectores librorum Marci Antonij de Dominis. Coloniæ 1619. ſumptibus Bernardi Gualtheri in 8.

Extat etiam, *Narratio de pio obitu Roberti Cardinalis Bellarmini* excerpta ex litteris Eudæmon Ioannis Dilingæ apud Vldaricum Rem 1621.

ANDREAS FRVSIVS, natione Gallus patria Carnutenſis, cùm matura iam eſſet ætate, atque Encyclopædiam ſiue omnium diſciplinarum orbem abſoluiſſet, Romæ anno ſalutis 1541. Societatem noſtram amplexus eſt. Inde Patauium recolendæ Theologiæ gratia miſſus, eius perſoluto curriculo Romã reuerſus, S. Ignatio præſtitit operam aliquantùm ab Epiſtolis, aliàque Societatis munia tùm ibi, tùm Florentiæ, vbi Epiſtolam Primam S. Petri publicè explanauit, deinde in Monte Politiano, demum in Sicilia, Meſſanæ, & Pactis cùm laude exercuit. Venetijs præclarum Eccleſiæ Societatis operarium Ioannem Baptiſtam Elianum, Chriſti Confeſſorem egregium addidit; Meſſanæ Græcas litteras primus docuit: Romæ S. litteras interpretatus eſt. Demùm cùm Collegio Germanico Rector præeſſet, non multò poſt S. Ignatium, Romæ anno ſalutis 1556. ad 7. Kal. Nouembris longa tabe confectus è carnis mortalis ergaſtulo ad patriam cœleſtem commigrauit. Pridie eius diei cùm Sacrum ſpectaret, & ea verba ex Euangelio recitarentur. *Omne debitum dimiſi tibi*, ſenſu quodam intimo ſuauiſſimæ fiduciæ, tamquam ea ſibi mox migraturo dixiſſet Dominus, perfuſus eſt. Vir fuit non minùs vitæ probitate, quàm doctrinæ laude ſpectatiſſimus, adeò vt illum S. Ignatius atque alij noti, Angelo ſimillimum iudicarent. Trium linguarũ principum, Latinæ, Græcæ, & Hebraicæ, fuit peritiſſimus; Medicinæ, Iuriſprudentiæ, Theologiæ cognitione inſignis; Mathematicis ſcientijs inſtructus, præſtans Muſicus, præclarus orator, Poëta ſummus, & in ſcribendo carmine tùm iudicij acerrimi, tùm miræ facundiæ; omnino ad elagantem, caſtam, ſuauem, vrbanamquè poëſim natus. Fundebat verſus ex tempore elegantes, doctos, peracutos de quocumque propoſito argumento, quos cùm voluiſſet ſic numeris temperabat, vt longo ſpatio falleret colloquentes, nec verſus eſſe, niſi qui accuratiùs animum intendiſſet animaduerteret. Eloquentia illi non tam erat ſublimis, & fucata quàm terſa, & facilis, copioſa, & minimè quæſita.

Exercitia ſpiritualia S. P. N. Ignatij ex Hiſpanico latinè interpretatus eſt; iſque primus, Societatis liber ex ea verſione typis impreſſus eſt, vt Auctor eſt Nicolaus Orlandinus Hiſt. Soc. lib. 8. num. 2. Idem ibidem lib. 16. num: 90. refert edidiſſe illum, non diu antequam obiret, ſed tacito nomine.

Opuſcula duo, alterum, *de verborum, & rerum copia*, alterum, *Summam latinæ Syntaxeos* in vſum adoleſcentum, vtrùmque laborioſum

rioſum magis, quam ſpecioſum, dulucido, & breui carmine. Romæ 1556. & Viennæ, Auſtriæ 1561. Antuerpiæ 1574. Edidit inſuper.

Theſes collectas ex interpretatione Geneſeos, quam Romæ expoſuit in Collegio Societatis IESV. Item.

Aſſertiones Theologicas, tum ad primam partem D. Thomæ Aquinatis ſpectantes, tùm vero ad omnes libros veteris ac noui Teſtamenti; Romæ apud Antonium Bladum 1554. in 8.

Martialem, & alios nonnullos Poëtas Ethnicos laſciuos repurgauit, vt legi ab Adoleſcentibus ſine noxa poſſint, nomen tamen ſuum reticuit. Excuſus eſt Martialis Romæ in ædibus Societatis Ieſu 1558. in 8. Lugduni apud Abraham Cloquemin 1598. in 16.

Multa ſucciſiuis horis velut aliud agens oratione adſtrictâ numeris compoſuit, in quibus maximum elucet ingenium, & mira eruditio. In iis eſt bene prolixa, & ſupra mille verſuum,

Echo de Eccleſiæ calamitatibus admiranda.

De Agno Dei, carmen elegiacum.

Epigrammata in Hæreticos arguta, & docta. Quæ prodierunt in lucem, typis excuſa Coloniæ, apud Godefridum Campenſem 1582. & apud Ioachimum Trognæſium, Antuerpiæ. Lugduni quoque apud Ioannem Pilehotte, & Turnonii apud Claudium Michaelem vbi adiunctus eſt perelegans eiuſdem

Tractatus de ſimplicitate ad P. Paſchaſium Broëtum ſimplicitatis Chriſtianæ amantiſſimum

* ANDREAS GERARD, natione Gallus, patria Vapincenſis in Delphinatu, natus anno ſæculi fluentis VIII. Societati nomen dedit 1626. & vota quatuor in ea nuncupauit. Rhetoricam, & politiores litteras docuit ſeptennio; tùm Philoſophiam; linguam Hebraicam ac ſacras litteras quadriennio explicuit, Dolę in Burgundia. Conciones habuit per aduentum, & Quadrageſimam annis 22. Rexit Collegia Arelatenſe, & Ebredunenſe, poſtea ab Eminentiſſimo Card. Antonio Barberino adlectus in Conſcientiæ arbitrum, cum primo ad Archiepiſcopatum ſuum Rhemenſem comitatus eſt, poſtea Romam; vbi ſublato è viuis Cardinali, nauat nunc operam Præpoſito Generali, eiq; eidem à ſecretis in ſcribendis Epiſtolis ad Prouincias Galliæ. Edidit latinè.

Medullam Epiſtolarum Sancti Pauli, & Epiſtolarum Canonicarum aliorum Sanctorum. Lugduni apud Antonium Iullieron 1672. in 4. Item Gallicè.

De rebus fidei controuerſis tractatum. In quo id agit vt Caluiniſtas ex ipſorum principiis conuincat erroris. Gratianopoli, apud Philippum Charays 1661. in 12.

* ANDREAS GERVNDA, natione Italus, patria Barienſis in Apulia, Societati ſe addixit anno ſalutis 1608. ætatis ſuæ 17. & profeſſionem votorum quatuor emiſit; Multis annis in ea docuit Philoſophiam, & Theologiam, tam ſcholaſticam, quàm moralem, & in Firmano Collegio ſtudiis præfuit. Neapoli in Domo Profeſſorum, geſſit præfecturam Eccleſiæ; & ibidem naturæ conceſſit die 28. Iulij 1652. Edidit

De Epiſcopo libros 4. ſiue de Epiſcopatus ratione, neceſſitate, ſtatu, cauſa, &c. Neapoli apud Franciſcum Sauium 1649. in folio tom. 1. Item de eodem.

Tomum 2. Neapoli per Iacobum Goffarium 1653. in fol.

* ANDREAS GOMEZ, natione Luſitanus, patria Conimbricenſis Societati ſe tradidit anno ſalutis 1589. ætatis 15., & vota 4. profeſſus eſt. Rhetoricam, & humaniores litteras docuit. Philoſophiam, & Sacram Scripturam in Collegio Conimbricenſi explicuit. Sed cùm talento præcellenti concionandi polleret, huic muneri totum ſe conſecrauit maximo cùm fructu Auditorum, atque in eo maiorem vitæ ſuæ partem conſumpſit. Demum in Domo Profeſſorum Vlyſſipone, vbi, & diutiſſimè vixerat, & ſtrenue laborauerat, ad laborum præmia emigrauit die 14. Octobris 1649. Edidit librum.

De feſtis ſingulis in Collegiis Prouinciæ Luſitaniæ in Canonizatione Sanctorum P.P.N.N. Ignatii, & Xauerii celebratis Vliſſipone 1633. in 4. Item.

Sermonem quem habuit in Theatro Inquiſitorum contra Iudaicam prauitatem.

ANDREAS GVALDANIVS, ortu Caſtellanus, Conimbricæ anno 1555. in Societatem ingreſſus, fuit Andreæ Ouiedi Æthiopiæ Patriarchæ itinerum, & laborum dum vixit, ſocius, & conſors; & cùm illo ex India in Æthiopiam nauigauit. Vir fuit antiquæ ſimplicitatis, & ſpectatæ virtutis, vt de illo paſſim vſurparetur illud Seruatoris de Nathanaële. *Ecce verè Iſraëlita in quo dolus non eſt*. Cùm ſummo iuuandi Abbaſſinos deſiderio æſtuaret ſimul atque ea loca attigit, ingenti conatu ad perdiſcendum gentis idioma applicuit animum, illùdque ſine Doctore, ſemeſtri adeò calluit, vt aptè loqueretur, ſcriberètque. Qualis eius vita fuerit, quantis ærumnis exercita, & quod conſectarium eſt, quantis nobilitata virtutibus, ex Andreæ Patriarchæ actis, cui dum vixit, ahæſit indiuiduus, cognoſci poteſt. Vel ipſos Schiſmaticos earum ſplendor fateri coëgit, ad inſignem quendam ſanctitatis gradum eum euectum fuiſſe, tamquè plenam eum rectè factis, & viro dignam Apoſtolico vitam duxiſſe, vt eam admirari quidem poſſent, ſatis explicare non poſſent; Nec amplius de eius vita compertum eſt. De tempore Mortis addubitatum aliquamdiu fuit, variantibus de eo ſcriptoribus, Sed præ cæteris habenda videtur fides hiſto-

hiſtoriæ manu ſcriptæ de rebus Aethiopicis, & compoſitæ à P.Petro Paës, qui diù vixit in Aethiopia, & obijt ibidem, quemque ſequitur Noſter Balthazar Tellez in ſua Hiſtoria de Aethiopia lib.2.cap.33. ex quorum narratione mors ita contigit. Neceſsè habuit Patriarcha Ouiedus rebus Catholicorum turbatis in Aethiopia, mittere in Indiam virum aliquem exploratæ fidei, ac prudentiæ; ad edocendum de omnibus Proregem, & cùm nullus aptior Gualdanio occurreret, delectus ille eſt ad id itineris. Suſcepit id ille magno animo, quantumuis periculis, & ærumnis grauiſſimis vndique obſeptum; Quare dum Mazuam petit, quæ eſt vrbs in Erythræo littore, Inſulæ cognominis, & Turcicæ ditionis, incidit in manus Turcarum, quibus à Mauro quodam duce itineris per ſummam perfidiam eſt proditus, & agnitus, quod Chriſtianus ſacerdos eſſet, ab his vnà cùm ſocio Luſitano, horrendum in modum crudeliſſimè eſt trucidatus menſe Auguſti 1562. Dum in Aethiopia eſſet iam gnarus linguæ

Multa ad fidei inſtitutionem, & Controuerſias cum Schiſmaticis Abaſſinis decidendas ſpectantia, tranſtulit in Aethiopicum ſermonem, quæ & Catholicis ibi ad conſeruandam fidem, ſectandamque pietatem, & Hæreticis ad errores pellendos vſui fuere.

* ANDREAS KANON natione Roxolanus Polonicæ ditionis, in Societatem admiſſus anno à partu Virginis 1631. ætatis ſuæ 18. votorum 4. Sacramento ſe adſtrinxit. Rhetoricam in ea Noſtros docuit annis 11. & decennio Scholis præfuit. Rexit Seminarium Clericorum Sendomiriæ, & Collegium ibidem Societatis. Concionatorem multis annis egit; vacatque ſuperſtes adhuc culturæ animarum. Edidit hactenus vno volumine.

Lyricorum libros 4. Epodon vnum. Alterum Poëmatū, De Lechicis admirandis &c. Cracouiæ, typis Chriſtophori Schedelij 1643. in 12. Item

Expeditionem Legatorum in Gallias ad deſponſandam Ludouicam Mariam Gonzagam Cliniam &c. Sereniſs. Vladiſlao IV. Regi Poloniæ &c. Cracouiæ 1646. in folio.

Roſam hibernam in D. Martyre Stanislao carmine celebratam. Cracouiæ, typis hæredum Franciſci Cæſarij 1661. in 4. Edidit etiam

Panegyricos Complures, ſoluta & vincta oratione varijs locis, & diuerſis annis, quæ ſi ſimul compingerentur volumen magnum conficerent.

ANDREAS KOBAVIVS, gente Carniolus domo Kirckamenſis annos natus 19. Societatem ingreſſus eſt anno Domini 1612. atque in ea Rhetoricam docuit, & Matheſim Grecij Styrorum, in vtraque facultate præſtans in primis. 4. vota profeſſus eſt 24. Auguſti 1629. Rexit Collegium Iudenburgenſe, & Sopronienſe Confeſſarius in templo multis annis, religiosè vitam hanc abſoluit Tergeſti die 12. Februarij 1644. Edidit.

Vindicias Aſtronomicas Theticas, pro Dionyſio Exiguo contra eximios Chronographos de Æra vulgari Dionyſiana. Viennæ, typis Gregorij Gelbhaar 1643. in 8. vertit Latinè ex Italico

Vitam B. Ioannis Dei, Fundatoris fratrum Miſericordiæ. Quæ tacito illius nomine prodijt.

ANDREAS LVCAS DE ARCONES natione Hiſpanus, patria Granatenſis, Societatem inijt anno ſalutis 1610. ætatis ſuæ 18. & vota quatuor profeſſus eſt. Eccleſiaſtes egregius ſacras litteras in Collegio S. Pauli Granatę, annis circiter 30. eſt interpretatus; vbi etiam corporis ſolutus vinculis, ad Superos, vt ſperamus, abijt die 26. Auguſti 1658. Edidit Hiſpanicè

Vitam S.P.N. Ignatij locupletatam. Granatæ per Ant. Bene de Laſcano 1633. in 4. latinè vulgauit

Iſaiæ Prophetæ elucidationem litteralem, Myſticam, & Moralem Tomis duobus, Primùm Lugduni, Sumptibus Laurentij Durandi &c. 1642. in folio. Secundùm 1652. Sumptibus Philippi Borde &c. in folio.

ANDREAS LVYSIVS natione Luſitanus, patria Eborenſis anno 1590. ætatis 25. Societati adſcriptus, votorum quatuor profeſſionem emiſit. Rhetoricam & humaniores litteras, in quibus excelluit, octennio explicuit; quinquennio præfuit ſtudijs: Theologiam moralem aliquandiù docuit, vbique cum laude vigilantiæ in ſuis muneribus, & amoris diſciplinæ Religioſæ. In cœleſtem patriam, vt confidimus euolauit Eboræ die 28. Decembris 1639. Parauerat prælo duos Tomos, multiplici eruditione refertos, quorum argumentum eſt.

Moyſes, Aulicus, Paſtor, Orator; ſed morte præuentus non emiſit.

* ANDREAS MENDO natione Hiſpanus patria Lucronienſis, natus anno ſæculi prçterlabentis 8. Deo ſe in Societate mancipauit 1625. die 23. Ianuarij, & votorum 4. Sacramentum dixit 1642. Philoſophiam, Theologiam Scholaſticam, & Moralem, necnon ſacras litteras annis 12. explicuit Salmanticæ, magna nominis celebritate. Hinc in Concionatorem Regium eſt adſcitus, & in Cenſorem, ſeu Qualificatorem à Sacro Senatu Supremæ Inquiſitionis in Hiſpania, & in Examinatorem Synodalem Diœceſis Ouetenſis, & Salmantinæ. Gubernauit Collegia Ouetenſe, & Hibernorum Salmanticæ, & Socius fuit curarum & laborum Præpoſiti Prouincialis Caſtellæ. Poſtea ab Excellentiſſimo Duce Oſſunenſi in arbitrum ſuæ conſcientiæ adlectus, illum comitatus eſt primò in Gotholauniam, vbi Proregis munere functus eſt; deinde Mediolanum vbi ditionis illius quoque habenas eſt moderatus. Inter occupationes tot, & tam varias, elucubrauit Andreas, ad omnia Societatis

tatis munia apprimè factus, edidítque Latine

Elucidationem Bullæ Cruciatæ. Matriti apud Mariam de Quiñones 1651. in folio; recuſam Lugduni cum auctario 1668. in folio.

De Iure Academico. Salmanticæ 1655. in folio, & iterum cum additionibus, Lugduni, ſumptibus Horatij Boiſſat &c. 1668.

De Ordinibus Militaribus diſquiſitiones Catholicas, Theologico-Morales & Hiſtoricas. Salmanticæ apud Sebaſtianum Perez 1656. in folio auctum, & recuſum Lugduni ab eiſdem.

Stateram opinionum benignarum in Controverſis Moralibus. Lugduni, ſumptibus Horatij Boiſſat &c. 1666. in fol.

Cryſim de Societatis Ieſu, pietate, doctrina, & fructu multiplice. Lugduni ad calcem Steræ & præterea in 12. Hiſpanico Idiomate edidit

De Principe Perfecto, & Miniſtris Documenta politica, & Moralia cum emblematibus. Lugduni ſumptibus Horatij Boiſſat &c. 1662. in 4. ſed prius Salmanticæ apud Didacum Caſſium 1657.

Memoriale exactum fundamentorum irrefragabilium pro Immaculata Conceptione Deiparæ Virginis. Valliſoleti 1640. in folio.

Quadrageſimale ſiue Conciones pro ferijs maioribus, & Dominicis Quadrageſimæ. Matriti apud Paulum la Val 1662. in 4.

Quadrageſimalis Partem ſecundam, pro diebus Lunæ, Martis, Iouis, & Sabbathi &c. Matriti apud Melchiorem Alegre 1668. in 4.

Aſſumpta prædicabilia. Matriti apud Mariam de Quiñones 1664.

Sermones varios. Ibidem apud Melchiorem Alegre 1668.

Epitomen Opinionum Moralium ordine Alphabetico. Lugduni apud Lauren. Arnaud, & ſocios 1674. in 8.

ANDREAS METSCH, natione Germanus patria Niſſenſis in Sileſia, vel vt alij Sueuus, contra nitentibus licet acerrimè etiam per verbera, domeſticis, & auunculo ſuo Vratislauienſi Antiſtite; Societatem amplexus eſt in Prouincia Auſtriæ, anno ſalutis 1603. ætatis ſuæ 17. & vota 4. profeſſus eſt. Poſt traditas humaniores litteras Eccleſiaſten egit annis 36. tanto zelo, facundia, & ſucceſſu, vt ſupra decem hominum millia Catholicæ dicatur Eccleſiæ aſſeruiſſe, & in his corrupti Euangelij ſatores nouem; Apoſtatas centum, & nonem. Rexit Collegium Glogouienſe; Religioſè deceſſit vir Apoſtolicus ſuſceptis ritè Sacramentis Glacij die 23. Februarij 1651. Edidit in lucem Germanicè

Concionem funebrem, quam Niſſæ Sileſiorum habuit anno 1625. *In exequijs Sereniſſimi Archiducis Auſtriæ Caroli Epiſcopi* Vratislauienſis fratris Ferdinandi II. Imperatoris vnà cum narratione mortis ipſius, Matriti in Hiſpania anno 1624. obitæ, Impreſſam Niſſæ 1626.

* ANDREAS MLODZIANOVVSKI natione Lithuanus Societati adſcriptus anno ſæculi præterfluentis 42. ætatis 16. vota 4. in ea nuncupauit. Rhetoricam & Manſuetiores litteras docuit annis 12. Theologiam Moralem biennio; præfecturam ſcholarum multis annis geſſit; & Conciones ad populum iam ampliùs decennio habuit. Edidit librum Elogiorum, quem inſcripſit,

Suppetias militares ex Diuis Polonæ, Lithuanæque Gentis tutelaribus. 1671. in 4. Item

Domeſtica Ducatus Samogitiæ ornamenta. Micauiæ, typis Michaëlis Karnall. 1668. in folio.

ANDREAS MODESTINVS natione Bohemus, patria Hradecenſis, Societatem amplexus anno Domini 1579. ætatis 21. fuit in Moſcouia cum P. Poſſeuino. Concionatorem egit multis annis cum fructu, Olmucij & Pragæ, vbi mortalitatem exuit die 14. Decembris 1601. Vertit è Polonica lingua in Bohemicam atque edidit.

Poſtillam Euangelicam. Iacobi Viecij.

ANDREAS MORAGVEZ, natione Hiſpanus, patria Maioricenſis vir eximij candoris Societati ſe adiunxit anno ſalutis 1598. ætatis 38. & Doctorali laurea in Theologia iam inſignitus. Docuit in Societate Rhetoricam, & humaniores litteras, & vota 4. profeſſus eſt. Concionatorem, & Operarium multis annis egit in Inſula Baleari, vbi ſeptuagenario maior migrauit ad Dominum Maioricæ die 3. Ianuarij 1631. edidit culto ſtylo.

Elegiaca poëmata, & reliquit poſt ſe.

Proſodiam luce dignam quæ Maioricæ ſeruatur.

ANDREAS OVIEDVS, natione Hiſpanus, patria Caſtellanus, ex Oppido Illeſcha, quod Toleto Madridióque totidem milliaribus diſtat. Is anno 1543. inſigni iam tum pietate vir, & Toletanæ Eccleſiæ Clericus, Pariſios ſtudiorum cauſa à S. Ignatio miſſus paulò poſt inde gliſcentibus armis coactus faceſſere, Louanium conceſſit. Anno inſequente dum Coloniam excurrit, vt litteras ab Vrbe perlatas Petro Fabro reddat, in via malè à latronibus habitus, viatico & veſtibus exutus, conuicijs, & quinque luculentis vulneribus exceptus, ægrè ſe traxit in Vrbem latus quod Obedientiæ cauſa plagas accepiſſet. Non ita multo pòſt in Luſitaniam profectus Conimbricam 13. Kal. Maij 1545. peruenit, vbi virtutum ſuarum ſplendore, magna pars fuit eius inducendæ ad mortificandi ſui ſtudium contentionis, quæ tantoperè diu viguit in illo Collegio, donec à S. Ignatio certis legibus temperata eſt. Eo ipſo anno Gandienſis Collegij, quod S. Franciſcus Borgia eius Oppidi Dux inſtituebat, primus ab Ignatio

tio Rector eſt conſtitutus, & anno 1549. Cal. Martijs nouæ ibi fundatæ Academiæ renunciatus eſt Rector, & paulo pòſt Sacro Annunciationis Angelicæ die, quatuor ſolemnia vota profeſſus eſt. Anno inſequente Romam cùm Duce Franciſco contendit, atque inde anno 1551. ducta Sociorum colonia Neapolitani Collegij habenas primus accepit. Incredibile dictu, quanta tùm ibi tùm Gandiæ ſanctimonia ſuis præluxerit, quantos illis ſtimulos ad omnem virtutem addiderit mirus, & corporis domitor, & gloriæ humanæ contemptor. Per ea tempora Ioannes 3. Luſitaniæ Rex à Pontifice Iulio III. poſtulauit, vt Patres aliquot in Æthiopiam de Societate legaret, quo ex numero vnus aliquis deſignaretur regionis Epiſcopus, & Patriarcha. Tres ab Ignato viri ſanctitate, doctrinàque præditi, nominati ſunt. Ioannes Nonius Barrettus cui mandaretur is honor, Andreas Ouiedus, Melchiorque Carnerius, qui ei eſſent adiutores, & ſi quando eiuſmodi tempus incideret, ſucceſſores. Omnes quidem, ſed Ouiedus in primis ad eum nuntium ita expauit, vt non induxerit in animum acquieſcere, donec pro imperio Pontifex cogeret. Euocatus ergo Neapoli, æſtate anni 1554. Tibure exacta, in Luſitaniam ſe contulit, vbi 3. nonas Maij anni 1555. Epiſcopus Hierapolitanus conſecratus eſt. Ab ea conſecratione ſtetit tamen in ordine, nec à muneribus prædicandi, confitentibus aſſidendi, aut vllis etiam domeſticis vel abiectiſſimis diſceſſit. In triclinio cibos accumbentibus apponebat, vt reliqui; Coquinæ officia obibat; ſternebat ægrotis lectum; verrebat domum; peregrè aduenientium pedes, idque ſingulari affectu, exemplo Chriſti, abluebat. Dum nauigationem Indicam operitur, rogatus ab Henrico Cardinali Archiepiſcopo Eborenſi, (qui ſceptrum poſteriùs tenuit) eam Diæceſim, priſco more pedes, ipſe ſibi Miniſter, & famulus inſpexit. Qua in viſitatione, eximia, ſi quando aliàs, dedit omnis ſanctitatis exempla. Tandem anno 1556. tertio Kal. Aprilis Oliſſipone conſcendit, & breuiſſima nauigatione vſus, ineunte Septembri Goam tenuit. Hic inſtituto grauiſſimorum virorum concilio; decretum eſt, vt Patriarcha Goæ ſubſiſteret tantiſper, dum Ouiedus in Æthiopiam profectus animum Claudij Imperatoris exploret, quantùm propendeat ad vnionem cùm Eccleſia Romana, quod præ ſe tulerat, ineundam. Idibus Februarij anni 1557. Goa ſoluit, & proſpero curſu Arquichum Erythræi littoris portum delatus, inde terreſtri itinere Baroam Vrbem Imperij Abaſſini à mari primam octauo Kal. Apriles peruenit. A Rege Claudio, quem primo quoque tempore adijt honorificè exceptus, habituſquè benignè eſt, donec quod maximè agebat vrgere cœpit. Tum verò indignari, fremere, Epiſcopum à ſe arcere. Impetrauit tamen, vt cùm Abaſſinis Doctorib. iuberet ſe de controuerſis fidei capitibus diſputare; quo in certamine cùm ipſi plane victi tenerentur, ſtrepitu clamoribùſque Concilium dirimebant. Demum Claudius vehementer indignatus aliquos ſuæ gentis ab Andrea reconciliatos Eccleſiæ, vetuit morte propoſita, ne quem ampliùs à paternis inſtitutis auerteret. Ille minas contemnere mortemque in tam luculenta cauſa optare, Deo magis obtemperaturum ſe quàm homini dictitare. Quibus in rabiem actus Rex, ignominioſis à ſe verbis Andream repellit; ſed breui pœnas perfidiæ Deo dedit, à Mahometanis in prælio anno 1559. cæſus. Succeſſit in Regnum Adamas Seguedus frater Claudij, qui liberis carebat, homo ingenio ferox, moribus peſſimus, Catholicæ fidei deſertor, & oppugnator acerrimus. Hic Andream in ſuo mortales iuuandi, atque imbuendi recta fide inſtituto perſiſtentem, ſemel iterùmque exilio mulctauit; vbi plurimas ærumnas perpeſſus eſt; ſemel iterùmque necem, ſua ipſe manu intentauit, niſi à Regina, obiectu corporis prohibitus fuiſſet. Verùm Adamas quoque vltricem Dei manum expertus eſt anno 1561. acie victus à Turcis, & in fuga Regni titulum ægre ſuſtinens. Eodem anno iam inclinato diem ſuum Goæ Nonnius Patriarcha obijt, ex quo tempore Ouiedus eum titulum iure ſuo occupauit; perſtititquè in Æthiopia (quamuis à Pio V. facultatem accepiſſet ad Eccleſiam Iaponiæ tranſeundi) vſque ad obitum. Quem licet annales Noſtri, & ſcriptores aliqui vitæ eiuſdem, incidiſſe tradant in annum Domini 1577. menſe Septembri, tamen vt ex certioribus monumentis poſtea conſtitit, & præſertim, ex commentarijs P. Petri Paez, qui multis annis in Æthiopia fructuoſiſſimè laborauit, & ibidem pijſſimè defunctus eſt, vixit Patriarcha vſque ad annum 1580. & die ſacro memoriæ Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, 29. Iunij, oppreſſus calculi doloribus migrauit ad Dominum, tantæ cùm opinione apud Abaſſinos ſanctitatis, vt idem P. Paez teſtetur ſe longo vſu obſeruaſſe, coli ſolitum fuiſſe à Catholicis Æthiopibus, quantum fas eſt pietate priuata, anniuerſarium tranſitus boni Patriarchæ diem. Fuſiùs hæc narrantur in Hiſtoria Societatis Parte v. lib. x. & qui plura cupit de incredibili animi conſtantia, illuſtriſſimaque ſanctitate, qua puſillum illius Eccleſiæ Gregem, Andreas adminiſtrauit conſulat Nicolaum Godignum Noſtrum de rebus Abaſſinorum, qui toto libro tertio vitam S. Patriarchæ deſcribit, aſſeritque domum, quam viuens Patriarcha incoluit Fremonæ oppido Regni Tigrani; poſt mortem in ſacrarium ab Incolis fuiſſe conuerſam. Scripſit vir Sanctiſſimus librum.

De Romanæ Eccleſiæ Primatu; deque erroribus Abaſſinorum. Idiomate Aethiopico, vt coniectura eſt, tranſlatum.

Multa item ex alijs linguis in Aethiopicam

ſon-

ſeu Abaſſinam tranſtulit, apta firmandis Catholicis, & Schiſmaticis reducendis ſcripſit. Item

Duas Epiſtolas annis 1566. & 1568. quas refert Ferdinandus Guerrerius.

ANDREAS PEREZ DE RIBAS natione Hiſpanus, patria Cordubenſis ſub annum ſalutis 1576. natus, Societati ſe adiunxit iam tum Sacerdos anno 1602. & nondum abſoluto tyrocinio in Mexicanam Prouinciam ad lucra animarum nauigauit. Ibi poſt impenſos nauiter annos 16. in excolendis ad fidem barbaris, geſtamque Mexicani Collegij, Domus Profeſſæ, & demum totius illius Prouinciæ Præfecturam, magna cum ſubditorum approbatione, tamquam Procurator illius venit Romam, & Congregationi Generali octauæ interfuit cum iure ſuffragij. Redux Mexicum, Domui Profeſſæ ſecundùm præeſſe iuſſus eſt, & poſt multos labores ibi exantlatos prope octogenarius quieuit in Domino die 26. Martij 1655. Edidit Hiſpanicè

Hiſtoriam de Triumphis Sanctæ Fidei inter gentes barbaras Mexicani Vrbis per Miſſiones PP. Societatis Ieſu. Matriti apud Alphonſum de Paredes 1645. in folio. Item

Epiſtolam de Morte, & Virtutibus P. Ioannis de Ledeſma, qui Mexici obijt 1636. Mexici eodem anno in 4.

* ANDREAS PERZIVALES natione Græcus, patria Cretenſis ad Societatem acceſſit in Sicilia anno ſæculi voluentis 29. ætatis ſuæ 30. Philoſophiæ, & Theologiæ laurea iam donatus. Græcè latineque doctiſſimus fuit, & poſt abſolutum in Societate tyrocinium, Noſtros Iuniores vtramque eloquentiam docere aggreſſus, & tria vota ſolemnia profeſſus, quadraginta propè annorum ſpatio, idem munus magna laude conſtantiæ perſecutus eſt. Candidiſſimus fuit moribus, vitæque innocentiſſimæ, Deo, ſibi, ſacriſque muſis viuens, omnibus gratus, & ſumma in Sacroſanctam Euchariſtiam, Virginemque Deiparam veneratione. Exceſſit ex hac vita ad meliorem (vt ſperamus) Panormi die 5. Ianuarij 1659. Diſcipulorum ſuorum impulſus precibus ſcripſit, & edidit.

Compendium Grammaticæ Græcæ breuiter, dilucidè, ordinèque digeſtum. Editio ſecunda. Panormi, Typis Auguſtini Boſſij 1658. in 12.

ANDREAS PEVERNAGE natione Belga, domo Antuerpienſis, ſed Cortraci natus anno ſalutis 1578. Societati ſe adſcripſit 1590 & votis 4. Profeſſorum ſe illigauit. Concionatorem egit annis duodeuiginti, & Gandaui Rector fuit, ibique die 26. Octobris anno 1626. e vita deceſſit. Edidit

Epiſtolam controuerſam contra quendam hæreſeos Miniſtrum

Item *Libellum de Immaculata Conceptione Beatæ Virginis*, quam ad celebrandam magis, ac frequentandam ſacrarum B. Virginis ſtationum, ac proceſſionum à ſe per Vrbis Gandenſis plateas inſtitutarum pietatem, diſtribuere ſolebat.

ANDREAS PINTVS RAMIREZ natione *Luſitanus*, patria *Vlyſſiponenſis*, ſed Salmanticæ admiſſus in Societatem anno Domini 1617. ætatis 22. iam laurea Philoſophica donatus, votorum quatuor profeſſionem edidit. Vir fuit non eruditione tantùm, ſed morum etiam candore, virtutumque Religioſarum commendatione conſpicuus. Rigidus in eo emicuit obſeruantiæ regularis tenor, & ardens zelus eiuſdem in Domibus Noſtris conſeruandæ, nec non aſſiduum ſtudium ſanctæ meditationis, ſingulariſque amor paupertatis. Puritatem tàm corporis, quàm animi maximè coluit, adeò vt ſexennis præcoce rationis vſu afflatus, votum caſtitatis emiſerit, Beatiſſimęque Virgini dicarit. Eam vt pientiſſimam Matrem, nouis in dies religioſis obſequijs demereri ſibi per reliquum vitę ſuæ curſum non deſtitit. Hanc magna ex parte impendit Noſtris humaniore litteratura imbuendis Villagarſiæ. Poſtea Concionum laude claruit. Biblia ſacra ingenti cum Auditorum plauſu aliquot annos Salmanticę eſt interpretatus. Inde in Collegium Montfortenſe ſeceſſit, & commodum locum nactus vacandi Deo, ac ſibi, totum ſe orationi, piorumque librorum lectioni in tuguriolo ex ramis arborum conſtructo, propè flumen quod præterfluit hortum domeſticum, quoad licuit per alias occupationes ab obedientia impoſitas, tradidit & ibidem ferè ſexagenarius ſanctè obijt die 23 Maij 1654. Edidit ſequentes tomos.

In Canticum Canticorum, dramatico tenore; litterali allegoria, & tropologicis notis explicatum. Lugduni ſumptibus Hæredum Gab. Boiſſet, & Laur. Aniſſon 1642. in fol.

De Deipara ab originis peccato præſeruata. Ibidem; & eodem anno in fol.

Vtriuſque Principatus Politices Parallela iuſtæ, & iniquæ ad cap. 14. Iſaiæ. Lugduni ſumptibus Hæredum Proſt. &c. 1648. in folio.

Sacræ Scripturæ ſelecta, ſiue ſpecilegium ſacrum. Ibidem eodem anno.

Commentarium in Epiſtolas Chriſti ad 7. Epiſcopos Aſiæ in Apocalypſi Lugduni 1652.

Philallela. Lugduni ſumptibus Petri Proſt. 1647. Reliquit in ſcrinijs

Scholia in Papinium Statium Eruditionis plena, ſed non omnino perfecta.

ANDREAS RENTIVS, natione Græcus ex inſula Chio. in Societatem ſuſceptus Romæ anno ſalutis 1601. ætatis ſuæ 16. confecto ibidem ſtudiorum curriculo, inde miſſus in Chium, illi præfuit Reſidentię, poſtea primus pro lingua Græca Pœnitentiarius ad Baſilicam Sancti Petri Romæ fuit. Iterum remiſſus in Græciam poſt multos labores per Inſulas Ægæi Maris, & littora continentis exant-

Digitized by

exantlatos, Panormum conceſſit, vbi fermè octogenarius religiosè quieuit, die 16. Nouembris 1673. Edidit translatum à ſe in Græcum ſermonem vernaculum,

Ducem peccatorum Ludouici Granatenſis. Romæ typis Sacræ Congregationis de Propagand. Fid. 1628. in 12.

ANDREAS ROSENVVALD, natione Prutenus, patria Brunsbergenſis ingreſſus in Societatem anno 1620. ætatis 19. quatuor in ea vota nuncupauit. Docuit in ea Rhetoricam, & Manſuetiores litteras octennio, Philoſophiam quadriennio; Theologiam Moralem quinquennio, Scholaſticam decennio, & Sacras litteras decennio etiam eſt interpretatus. Vir magnæ virtutis, & in nitore Conſcientiæ conſeruando perquàm accuratus. Singulari affectu pietatis ferebatur erga Paſſionem Chriſti Domini, adeòque prout præoptauit ſanctè obijt feria 6. Paſſioni ſacra, Resſelij 18. Martij 1667. Edidit ſub nomine Ioannis Zienouuiz.

Laureas Academicas Sereniſs. Regi Vladislao IV. carmine lyrico Vilnæ typis Academicis 1633. in fol. & recuſas Romæ typis Corbelletti inter varias orationes 1639. in 4.

* ANDREAS RVDOMINA, natione Lithuanus, illuſtri proſapiâ, cùm humaniori litteratura, ac Philoſophia inſtructus, agenſque annum ætatis 24. ſuaſu domeſticorum ad nuptias animum adiecisſet, iàmque magno ſtipatus comitatu, in via ad Sponſam natalibus, ac dote conſpicuam eſſet, repentè mutato diuina inſpiratione conſilio, deflectens ex itinere, rectà ſe ad tyrocinium Societatis Vilnenſe contulit, & dimiſſis comitibus, atque famulis mirabili arte mundum deludens, Deo ſe ibi, & Societati mancipauit, donatis etiam Religioni, ſupellectili omni, & pecunijs, quas aſportabat, & præterea bonis hæreditarijs peramplis, paupertatem Chriſti in Societate amplexus eſt 31. Maij, anno ſalutis 1618. In tyrocinio ad infima quæque etiam culinæ miniſteria cupidiſſimè ſe abijciebat, & cùm contigiſſet, vt coquus ibidem, fuiſſet in ſæculo Andreæ famulus, & exemplum ſecutus Heri ipſe quoque Societatem ingreſſus fuiſſet, atque in culina ex reuerentia erga ſuum nuper Dominum, indulgentius ſe erga illum gereret; & vaſa culinaria priùs bene mundaret, quàm abluenda Andreæ iam ſubdito ſuo traderet, animaduertens id Andreas, grauiter admonuit, vt ritè fungeretur ſuo iam munere, nec aliquid decerperet ex officio, quod ipſe tunc gerebat. *Obliuiſci* (inquit) *oportet fratrem, quinam tu & ego fuerimus in ſæculo; & nunc exequamur, quod religioſa à nobis exigit diſciplina; veſtrûm eſt nunc iubere, meum autem iniuncta exequi. Quod ſemel Chriſti cauſa ſuſcepi, hoc vſque ad mortem conſtanter per Dei gratiam agere volo*. Hunc in modum multis auctus virtutibus, emenſo nouitiatu Theologiam audiuit partim Vilnæ, tam raro modeſtiç exemplo, vt Angelus paſſim ab illis Academicis appellaretur; partim Romæ, vbi mirabiliter à Deo per quietem quaſi inuitatus ad ferendam opem animabus in India, Miſſionem illam ardenter petijt à Superioribus, atque impetrauit. In itinere Indico, ad maiorem cumulum meritorum multis eſt conflictatus morbis; erga alios tamen ita ſe geſſit, præſertim in infimis miniſterijs erga ægrotos, vt paſſim non alio nomine niſi Sancti, ab omnibus nuncuparetur. Ad Sinas demum delatus, poſt improbum linguæ illius ſtudium, totum ſe culturæ Chriſtianorum in Prouincia Fokien conſecrauit. Verùm iam, vel in viridi ætate, maturum cœlo, placuit Deo præpropero funere illum ad meritorum præmia euocare; atque ita non ſine varijs, qui beatum illum tranſitum, & eius ſepulturam comitata ſunt prodigijs, quę diſtinctè narrat noſter Bartolus in hiſt. ſua Chinenſi lib. 4. animam reddidit Creatori die 5. Septembris 1632. Parentatum illi eſt à Chriſtianis in Fochieu exquiſitis doloris, & æſtimationis de illius Sanctitate ſignificationibus, & appoſita tumulo ab eiſdem perhonorifica epigraphe. Scripſit dum ad huc in Lithuania eſſet, e Ioannis Chokien Aphoriſmis librum Polonicè –

De Regum Regnorumque mutationibus, ac interitu. Qui poſtea ſub nomine P. Andreæ editus eſt, Vilnæ typis Academicis anno Domini 1652. in 4.

ANDREAS SCHOTTVS natione Belga, domo Antuerpia, natus anno ſalutis 1552. pridie Idus Septembris. Puer Louanij Philoſophiæ Peripateticæ in Caſtrenſi Collegio operam dedit, & Rhetoricas præceptiones in eodem tradidit. Anno 1576. direpta, ac fœdata ferro flammiſque Antuerpia, Duacum venit, & in familia vixit Philippi Lannoij Turquoini Toparchæ. Duaco Lutetiam conceſſit, & in doctorum hominum, atque ingeniorum celebritate vixit, in familiam adſcitus Augerij Busbequij, Ferdinandi, & Maximiliani II. Cęſarum apud Solimanum Turcarum Imperatorem quondam legati; cui fuit à ſtudijs noſter Schottus: biennio lapſo in Hiſpanias à Parente miſſus, hæſit primum Matriti, & Compluti; Vndè Toletum poſt octo menſes progreſſus eſt anno 1580. & ſuperatis competitoribus, Græcarum litterarum Cathedram in Academia obtinuit, vocatus in familiam à Gaſpare Quiroga eius Vrbis Archiepiſcopo, & Cardinale cui triennium adhæſit. Cùm enim anno 1584. Petrus Cerbina Epiſcopus Turiaſonenſis Cæſar-Auguſtanam Academiam inſtaurandam ſumpſiſſet, inter cæteros doctrina claros, Schottum etiam Toleto euocauit, qui eloquentiam ibi, linguam Græcam, Hiſtoriam Romanam docuit. Præerat tunc Eccleſiæ Tarraconenſi Archiepiſcopus Antonius Auguſtinus, vir eruditiſſimus, à quo inuitatus Schottus, honorificè habitus eſt duos ipſos annos, communicatis cum

ipſo

ipſo ſtudijs. Hic cùm accepiſſet Antuerpiam à Parmenſi Duce Alexandro Farneſio, Regiarum in Belgio copiarum Imperatore, arctâ obſidione premi, voti religione ſe adſtrinxit, Societatem Ieſu ingreſſurum ſi cariſſimam patriam cum Deo, ac Rege ſuo, cùmque Eccleſia Catholica in gratiam redire contingeret. Mox dedita Antuerpia, reum ſe voti faſſus, poſtridie nonas Aprilis 1586. ipſo Paſchatis feſto, ex ædibus Archiepiſcopi in Societatem commigrauit natus annos 34. Artium iam tum Magiſter, & Sacris Cæſarauguſtæ initiatus, in quâ ipſe Vrbe religioſæ vitæ tirocinium poſuit. Valentiæ Edetanorum deinde ſacra ſtudia tractauit; docuitque ſocios Gandiæ primùm, tùm etiam Moderatorum imperio vocatus in Italiam, Romæ, artem Oratoriam poſt Franciſcum Bencium triennio. Quo exacto, in patriam poſtliminio redijt. Vir fuit ob candorem animi & bonitatem, ac manſuetudinem naturæ, quam religioſa modeſtia ac comitate exornauerat, ipſis etiam fidei hoſtibus, carus, & in pretio ac veneratione, quorum laudes Schotto dictæ, ſcriptæque, paſſim in ore & manibus ſunt. Heroës etiam, non ſæcularis duntaxat dignitatis viri, ſed & Eccleſiæ Principes, Schottum vnicè coluerunt. Ipſe etiam Vrbanus VIII. Pontifex Opt. Max. Schottum extremis vitæ diebus per Cardinalem Nepotem Franciſcum Barberinum, litteris datis, magna beneuolentiæ, & amoris teſtificatione, peramanter ſalutari à ſe voluit. Senex deuexa ætate, multis anteactæ vitæ laboribus fractus, tamen adeo indefeſſo ardore, tàm aſſidua, & infracta conſtantia, legendo, ſcribendoque, ac libris euoluendis incumbebat, vt vix integer, & noua ſcientiæ ſiti æſtuans iuuenis, decrepiti ſenis veſtigia aſſequi potuiſſet. Imò generoſus ille litterariæ Paleſtræ Athleta, in eo ſtadio, quod puer percurrerat, ſenex mori voluit. Poſtremis enim vitæ menſibus, prouinciam docendi Noſtros iuuenes, Græcas litteras in Collegio, auidè ambiuit, & obtentam à ſancta obedientia præclarè magnis animis geſſit, incredibili omnium, ob rarum exemplum, plauſu; donec dyſuria prius, ac deinde iſchuria oppreſſus, à docendi laboribus ad patientiæ ſcholam in valetudinarium Domus Profeſſæ reductus animam placidiſſimè, vt vixerat, Deo reddidit, decimo morbi die, qui fuit 23. Ianuarij anni 1629. fatalis Societati Flandro Belgicæ ſublatis è ſola Domo Profeſſa Antuerpienſi quatuor eximijs Scriptoribus Andrea Schotto, Adriano Mangotio, Carolo Scribani, & Heriberto Roſvveido. Scripſit Andreas.

Commentarium in Auctorem de Viris Illuſtribus Vrbis Romæ. Editum Duaci anno 1582. in 4.

Notas in Sexti Aurelij Victoris Hiſtoriam Auguſtam à ſe erutam eiuſque à Cæſare Auguſto, ad Theodoſium Imperatorem Epitomen, cum ſcholijs. Antuerpiæ typis Plantinianis an 1579. in 8.

Pomponium Melam de ſitu Orbis, poſt Hermolaum, & Pintianum, *ſpicilegio auxit, & Parallelis* eorum quæ *Mela ex Herodoto* deſcripſit eiſdem typis 1582. in 4.

Laudationem funebrem V.C.L. Antonij Auguſtini Archiepiſcopi Tarraconenſis. Apud Raphelengium 1586.

Vitam S. Franciſci Borgiæ Societatis Ieſu Præpoſiti Generalis III. ex Hiſpanico P Ribadeneiræ latinè fecit, quæ primò Romæ in lucem prodijt è prælo Aloyſij Zannetti anno 1596. deinde Coloniæ typis Arnoldi Milij 1603. & prius Antuerpiæ, typis Ioachimi Trognæſij 1598. additis varijs *B. Franciſci Borgiæ opuſculis & libello de ratione concionandi, ſeu prædicatione Euangelica* à ſe interpretato. Vulgauit etiam

Compendium Vitæ eiuſdem Franciſci Borgiæ à Virgilio Cepario Italicè ſcriptum à ſe latinè redditum. Coloniæ apud Birckmannum 1625.

Vitam Alphonſi Salmeronis vnius ex decem primis S. Ignatij Loyolæ Socijs. A P. Ribadeneira Hiſpanicè, à ſe latinè conſcriptam, præfixit eiuſdem Salmeronis operibus, cum ea primum in Hiſpania vulgaret anno 1597. quæ poſtea prodijt Coloniæ typis Milij 1604. & Francofurti typis Claudij Marnij 1608. inſerta Bibliothecæ Hiſpanicæ.

Vitam Iacobi Laynis Præpoſiti Generalis 2. Societatis Ieſu, ex Hiſpanica item Ribadeneiræ latinam fecit. Coloniæ typis Arnoldi Milij 1604. adiecta rurſum vita Salmeronis.

Africani, & Origenis Epiſtolas Amœbæas de Hiſtoria Suſannæ à Schotto prodijſſe Auguſtæ Vindelicorum 1602. refert Poſſeuinus in Appar. Sacr. vbi de Africano egit.

Notas vberiores in Senecæ Rhetoris ſuaſorias, & Controuerſias expletis Græcis Lacunis, apud Commelianos 1604. & Pariſijs 1606. in folio.

Vitas comparatas Ariſtotelis, & Demoſthenis, Olympiadibus, ac Præturis Athenienſium digeſtas. Auguſtæ Vindelicorum apud Chriſtophorum Mangium 1603 in 4.

Photij Conſtantinopolitani Bibliothecam latinè reddidit, ac ſcholijs illuſtrauit. Prodijt Pariſijs 1606. & Lugduni 1611. in fol. Auguſtæ Vindelicorum tomis 2. altero Græco, altero Latino, deinde Geneuæ vno tomo Græco-Latinè, columnatim edita.

Theſaurum exemplorum, ac ſententiarum, ex Auctoribus optimis collectum, in centurias 4. diuiſum. Edidit Antuerpiæ apud Nutium anno 1607.

Bibliothecam Hiſpaniæ, ſeu de Academijs ac Bibliothecis, cum elogijs, & Nomenclatore Clarorum Hiſpaniæ Scriptorum, tomis tribus diſtinctam. Francofurti apud Claudium Marnium 1605. in 4. nomen ille quidem ſuum in fronte libri ſubticuit, ſed poſt Epiſtolam, quam præſcribit, ſubnectit initialibus characteribus in hunc modum A.S. Peregrinus.

Digitized by Google

Cenſuram Gaſparis Barrerij Luſitani de Pſeudo-beroſo, Manethone Aegyptio, Marco Porcio Catone, & Fabio Pictore, à Ioanne Annio Viterbienſi editis, è Luſitanica lingua Latinam reddidit. Extat Tom. II. Bibliothecæ Hiſpaniæ: in cuius Tom. III. extant à Schotto ſcriptæ.

Vita Fredenandi Nonnij Pintiani.

Petri Cia connij.

Petri Ioannis Nunneſij,& aliorum. Refert etiam tom. 2. p. 353. edidiſſe ſe Coloniæ typis Arnoldi Milij,

Itinerarium Antonini Auguſti cum Notis Hieronymi Surita. Edidit item

Notas in Cornelij Nepotis fragmenta, & Aemilium Probum de vita Imperatorum Græcorum. Francofurti typis Marnij anno 1609.

Tullianarum Quæſtionum, ſeu de inſtauranda Ciceronis imitatione Lib. IV. Antuerpiæ typis Plantinianis Moreti 1610. in 8. quibus poſtea acceſſit Liber V.

Cicero à calumnijs vindicatus. Antuerpiæ apud Nutium 1613.

B. Ennodij Ticinenſis Epiſcopi Opera è M. SS. partim primùm edidit, partim emendauit *Notiſque illuſtrauit.* Tornaci apud Nicolaum Laurentium 1611.

Adagia Græcorum ex Zenobio, Diogeniano, Suida, è Græco verſu, & ſcholijs parallelis illuſtrata. Antuerpiæ typis Plantinianis anno 1612. in 4.

Procli Chreſtomathiam de Poëtica è Græco Latinam fecit, & ſcholijs illuſtrauit. Antuerpiæ 1616. in 4. Sed multis prius annis neceſſe eſt fuiſſe editam, cùm à P. Ribadeneira referatur in ſuo Catalogo iam tum ab anno 1608.

Nodos Ciceronis variorumque, Libris IV. enodatos.

Fauonij Eulogij Rhetoris Carthaginenſis in Ciceronis ſomnium Scipionis diſputationem. Antuerpiæ, typis Henrici Aertſij 1612. cui acceſſit,

Latini Latinij numerorum, Ciclorumque conſideratio,

Obſeruationum humanarum lib. 5. qui Antuerpiæ prodierunt apud Gaſparem Bellerum 1615. in 4.

Litteras Iaponicas annorum 1609. 10. 11. 12, *Italicè ſcriptas, Latinè reddidit.* Antuerpiæ apud Petrum, & Ioannem Belleros 1615. in 8. ſimiliter tranſtulit.

Litteras è Regno Chinarum, ſeu, Sinarum datas à P. Nicolao Trigautio annis 1610. & 1611. Antuerpiæ apud eoſdem, eodem anno, & *P. Ribadeneiræ tractatum de Principe Chriſtiano.*

Annalium Romanorum Stephani Vvinandi Pighij tom. 2. & 3. poſthumos, recenſitos, auctos, & illuſtratos, edidit Antuerpiæ typis Plantinianis 1615. in fol.

Sancti Baſilij Magni opera recenſita, Epiſtolis, & Notis aucta. Antuerpiæ apud Henricum Aertſium anno 1616.

Sancti Cyrilli Alexandrini Glaphyra, ſeu, *Commentaria in Pentateuchum Moyſis*, Græcè & Latinè *parallelis*, euulgata Antuerpiæ 1618. in fol. typis Nutianis. Habebat autem eiuſdem *Cyrilli Eortaſticos, ſiue Paſchales ſermones* à ſe latinitate donatos, iam prælo promptos, ſed ſuum partum ſuppreſſit, vt Antonio Salmatiæ, qui eoſdem tranſtulerat, locum daret.

Sancti Gregorij Thaumaturgi Cæſarienſis Epiſcopi Metaphraſim & Eccleſiaſten Salomonis cum Notationibus, ibidem.

Tabulas Rei Nummariæ Romanorum, & Græcorum ad Belgicam, Gallicam, Hiſpanicam, & Italicam monetam reuocatas. Antuerpiæ apud Belleros 1616. His adiecit.

Tabulas Menſium Romanorum, & Atticorum. Item

Tabulas Anomalorum verborum Græcorum Item

Geometrica, & Gromatica Vetuſti Scriptoris ex antiquiſſimis membranis eruta.

Indicem Auctorum qui à C. Plinio in Naturali Hiſtoria citantur. Antuerpiæ apud Gerardum Vvolſcatium 1616.

Antonij Auguſtini Dialogi 11. *Antiquitatum in nummis Veterum*, Latio donati, auctique per Schottum Dialogo 12. *De Priſca Religione, ac Dijs gentium.* Prodierunt Antuerpię typis Aertij 1617.

De Sacris, & Catholicis Sacrę Scripturæ Interpretibus, ordine Bibliorum. Colonię apud Kinckium 1618.

Citationes Patrum addidit operibus Ludouici Granatenſis, in poſtrema editione Colonienſi.

In Bibliotheca quoque magna Patrum edita Coloniæ, typis Bernardi Gualteri anno 1618. extant multæ Patrum lucubrationes à Schotto recenſitæ, illuſtratæ, & auctæ, quales ſunt:

	S. Paulini Opuſcula.
Tom. 1.	*Euſebij Gallicani homiliæ recognitæ.*
	Eucherij Lugdunenſis opuſcula recenſita.
Tom. 5.	*Claudiani Mamercij de ſtatu Animæ Libri 3. & aduerſus vanos Poetas recenſiti, & notis illuſtrati.*
	Vigilij Tridentini opuſcula recenſita.
Tom. 9.	*Paſchaſij Radberti in Threnos, & liber de Corpore, & Sanguine Domini.*
Tom. 11.	*Michaelis Pſelli Paraphraſis in Cantica; translata.*
	Michaelis Glicæ Diſputationes II.
Tom. 12.	*Honorij Auguſtodunenſis opera recenſita.*
	Arnoldi Carnotenſis Tractatus de 7. verbis à Chriſto in Cruce prolatis, recognitus
	Lucæ Tudenſis de altera vita, & fidei Controuerſijs lib. 3. notis illuſtrati.

Tom.14. *Andronici Conſtantinopolitani Dialogus contra Iudæos.*

Tractatum Petri Magni, Hippolyti Colenſis, Frederici Ceriolani de Conſilio, & Conſiliarij officio à ſe illuſtratum euulgauit. Coloniæ apud Gualterum 1618. Scripſit item

De bono ſilentij Religioſorum, & Secularium libros 2. Antuerpiæ apud Belleros 1619. in 12. qui deinde patrio etiam Idiomate prodierunt.

Romanarum Antiquitatum Electa, De Priſcis Rom.Gentib.ac familijs: De Tribubus Rom. 35. *Ruſticis, atque Vrbanis: De ludis feſtiſque Rom. ex Calendario vetere* adiecit ad 10. capita Ioannis Roſini. Coloniæ apud Bernardum Gualterum 1619.

Philothei Rogerij Angli libellum planè aureum *de Mundi contemptu*; addito etiam *Gerardo Moringo, De Paupertate Eccleſiaſtica*. Edidit Coloniæ iiſdem typis, & anno in 12. Item

Commentaria Selecta in Ciceronis Orationes, ſuppreſſo nomine Coloniæ 1621.

Notas in Valerij Flacci Argonautica.

Huberti Golzij Siciliam, Magnam Græciam, & Inſulas notis illuſtratas.

Faſtos Siculos ad Capitolinos emendatos.

Hiſpaniam illuſtratam, ſiue, rerum Hiſpanicarum Scriptores varios, Tom. III. in quo opere

Iſidorum Hiſpalenſem de Eccleſiaſticis Scriptoribus, ac viris Illuſtribus, alioſque Notis ſuis illuſtrauit. Francofurti typis Marnij in folio.

Sancti Iſidori Peluſiotæ Epiſtolas propè 600. *è Vaticana Bibliotheca erutas publicauit*. Antuerpiæ typis Nutianis 1623. cum Notis ſuis: quæ deindè latinè ab illo redditæ prodierunt. Romæ, typis Franciſci Corbelletti. 1629.

Itinerarij Italiæ, Rerumque Romanarum à V CL. Franciſco Schotto fratre ſuo vulgati *Editionem* 4. *recenſuit*. Antuerpiæ ex officina Plantiniana 1625.

Adagialia ſacra Noui Teſtamenti Græco-Latina publicauit Antuerpiæ per Baltazarem Moretum 1629.

Epiſtolarum Pauli Manutij lib. 14. *Notis*, & argumentis illuſtrauit, Coloniæ.

Poſt hæc omnia, necdum feſſus ſcribendo, aut ſatur legendo, ſemper noui aliquid deſignabat: donec in ætate extrema Diuinas obſeruationes, & Allegoricas Bibliorum locutiones, atque alia molientem, mors, à ſtatione libraria abire iuſſit lucubrantem,& propè libris adhuc incumbentem.

* ANDREAS SEMERY natione Gallus, patriâ Remus, natus anno ſæculi fluentis 31. Societatem Romæ amplexus eſt 1652. & vota quatuor ſolemnia nuncupauit. Humaniores litteras quadriennio tradidit, Philoſophiam triennio Firmi in Piceno, & ſexennio in Collegio Romano. Edidit in lucem.

Triennium Philoſophicum tribus voluminibus in 12. Romæ typis Tinaſſij. 1674.

* ANDREAS STIBIGK natione Pruthenus, patria Brunsburgenſis, vicennis ad Societatem ſe aggregauit anno ſalutis 1638. & in ea Profeſſionem votorum quatuor emiſit. Docuit litteras humaniores, & Scholarum aliquandiu præfecturam geſſit, ſed longe maximam ætatis partem in Miſſionibus Curlandicis, Liuonicis, Pruthenicis cum ingenti animarum quæſtu tranſegit. Tanta porrò fuit comitate morum vt vel ipſi hoſtes Religionis Catholicæ conſuetudinem illius vltrò appeterent. Pro Concione ita dictionem temperabat, vt facilè auditorem ad pœnitentiam, & lacrymas permoueret. Et quamuis magna vitæ ſuæ parte grauiſſimis conſcientiæ anxietatibus exercitus à Deo fuerit, omnes tamen eas moleſtias placidiſſima morte concluſit die Reſurgenti Chriſto ſacra Brunsbergæ 21. Aprilis 1669. Scripſit Germanicè

Fundamentalem inſtructionem de Catholico cultu Beatæ Mariæ. Brunsbergæ 1660. in 12.

Colloquium Catholici cum Lutherano de vſu Euchariſtiæ ſub vna ſpecie. Brunsbergæ 1669.

* ANDREAS TACQVET natione Belga, patria Antuerpienſis, Societati adſcriptus anno ſalutis 1629. ætatis 18. vota quatuor nuncupauit. Poſt traditas humaniores litteras Matheſim magna cum laude profeſſus eſt annis 15. in qua quantum excelluerit, teſtantur abundè & libri ab eo editi, & alij quos prælo parabat, & Auditores ex varijs Nationibus Nobiles, vt magna planè ab eo expectare potuiſſemus doctrinæ, & virtutis monumenta, ſi parem ingenio nactus fuiſſet corporis valetudinem. Sed phthyſi diuturna exhauſtus, piiſſime, & placidiſſimè obdormiuit in Domino. Antuerpiæ die 23.Decembris 1660. Edidit.

Cylindricorum, & Annularium libros 4. *vnà cum diſſertatione Phiſico-Mathematica de Circularium volutatione per planum*. Antuerpiæ typis Iacobi Meurſij 1651. in 4. Recuſi 1669. ibidem in fol. cum auctario.

Elementa Geometriæ planæ ac ſolidæ, quibus accedunt ſelecta ex Archimede Theoremata. Typis iiſdem 1654. & Recuſa ibidem 1655. in 8.

Arithmeticæ Theoriam & praxim accuratè demonſtratam. Louanij typis Cœneſtani 1655. in 8. Recuſam Antuerpiæ apud Meurſium 1656. in 8.

Cylindricorum & Annularium librum 5. Antuerpiæ typis Meurſij 1659. in 4.

Poſt obitum Auctoris prodierunt vno volumine.

Aſtronomiæ libri octo; Geometriæ practicæ Li-

Libri tres : Optica libri tres . Catoptricæ libri tres . Architecturæ Militaris liber vnus , *&* *alia* . Antuerpiæ typis Meurſij 1668. in folio .

ANDREAS TRIQVETIVS natione Belga , patria Malbodienſis annos natus 26. & iam Sacerdos Societatem amplexus eſt anno 1618. Vir placidiſſimi ingenij , conſtantiſque virtutis , & ſpiritualibus adiutoribus adſcriptus . Totum fermè vitę tempus,quod in Societate tranſegit, hoc eſt, annos 55. tradendis publicæ Chriſtianæ fidei rudimentis, & Confeſſionibus excipiendis impendit , mira ſolertia , zelo , ac ſpirituali fructu . Mirificè affectus extitit erga cultum ſuorum Patronorum , qui illi ſortitione menſtrua obtigiſſent , vt illorum litanias confecerit , & quotidie inuocauerit . Demum in ſenectute bona octogenarius , ſicut vixerat , pie obijt . Tornaci die 18.Septembris 1668. ſcripſit Gallicè .

Vitam S. Aldegundis Virginis Maldobienſium Patronæ , quæ ſæpiùs impreſſa eſt cum auctario . Septima editio facta eſt Tornaci , typis Viduæ Adriani Quinquè 1666. in 4.

* ANDREAS DE VALENTIA natione Mexicanus , Diœceſis Mechoacanenſis , Hiſpanis parentibus genere claris ortus , Societati ſe adiunxit anno ſalutis 1597. ætatis ſuæ 19.& votorum quatuor profeſſionem emiſit . Philoſophiam , & Theologiam magna nominis fama prælegit Angelopoli , & Mexici , vt non in exiguo pretio fuerint eius reſolutiones , & Conſilia in Moralibus , tacito eius nomine ab alijs publicata . Diſciplinæ etiam Religioſæ fuit apprimè obſeruans , & piè deceſſit Angelopoli die 12. Ianuarij 1645. Edidit Hiſpanicè

Vitam P. Ioannis à Ledeſma ex Societate Ieſu. Mexici.

Vitam P. Ildephonſi Guerrero etiam ex Societate. Mexici.

ANDREAS VALLADERIVS natione Gallus , patria Foreſienſis in Diœceſi Lugdunenſi, admiſſus in Societatem anno Domini 1586. ætatis 21. Rhetoricam , & humaniores litteras ſeptennio in ea docuit , & aliquot annis Concionatorem egit . Reddidit latinè dum inter nos viueret ex Gallico.

Expoſtulationem Apologeticam Ludouici Richeomi ad Henricum IV. Galliæ Regem . Pro Societate contra famoſos libellos inſcriptos : *Ingenua Oratio* , *&* *Cathechiſmus Ieſuitarum*.

Labyrinthum Regium Herculis Gallicani Triumphantis Henricum IV. lingua Gallica Auenione 1600. in folio.

ANDREAS VERMADIVS, natione Belga , patria Arnhemius è Geldria Societati adſcriptus anno ſalutis 1569. ætatis ſuæ 21 Profeſſus votorum quatuor , inſigni morum ſuauitate emicuit , & perfectionis Religoſæ ſtudio. Docuit humaniores litteras, linguam Græcam , Philoſophiam , & multis vtiliter laboribus perfunctus Coloniæ , Spiræ , & alibi ; demum anno 1603. die 25. Auguſti , Spiræ deceſſit . Scripſit

Epiſtolam ad Iuſtum Caluinum, qua nouem ipſius Quæſtionibus de fide reſpondet . Extat inter epiſtolas Catholicas eiuſdem Iuſti Caluini impreſſas Moguntiæ à Ioanne Albino 1601.

ANDREAS VITVS , natione Anglus , patria Londinenſis , natus ſub annum 1580. ingreſſus in Societatem calendis Februarij 1607. votorum IV. Sacramento in ea ſe obligauit, docuitquè linguam Hebræam , ſacras litteras, Theologiam Scholaſticam , & ſuperioribus ſtudijs aliquot annos præfuit , non exigua laude ingenij , & eruditionis . Poſt hæc primus Chriſti fidem intulit in Marilandiam Americæ ſeptentrionalis Prouinciam , inter Virginiam , & Nouam Franciam . Decennium in illa vinea fructu non pęnitendo laborauit , & præcipuum illius Regionis Dynaſtam ad ouile Chriſti perductum Sacro Baptiſmate tinxit , ſed intermittere munus Apoſtolicum coactus eſt , captus ab Hæreticis in illa vicinia graſſantibus , & in Angliam vna cum duobus Socijs de Societate abductus , ibique in carcerem Londini detruſus atque incommoda non leuia in captiuitate perpeſſus . Verùm inde eiectus in exilium , nondum ſatur laborum atque ærumnarum pro Chriſto , iterum occultè in Marilandiam ad ſuos Neophytos reuerti conatus eſt . Sed cùm illud nulla ratione conſequi potuerit, decennium aliud in ipſa Anglia, in cultura Catholicorum exegit , donec ſenio , ac laboribus confectus , & prope octogenarius ad requiem (vti ſperamus) Beatorum migrauit die 27. Septembris 1655. Vir fuit non minus ſanctitate vitæ , quàm doctrina conſpicuus , magna eluxit abſtinentia , ſolo pane , & aquâ ſæpe victitans , nec his niſi ſub veſperam ſe reficiebat . Tam profunda humilitate fuit , vt abijciendi ſeſe occaſiones vltro quæreret . Incommodorum corporis adeo patiens, vt quamuis longa ac permoleſta laboraret infirmitate , nunquam tamen auditus ſit queri , ſed quoad licebat , pro ſano ſe gerebat, hac vna in re diſſimulator egregius . Denique quæcumque agebat ſanctimoniam quandam ſpirare videbantur , vt non defuerint viri graues,qui aſſeruerint , ſi quemquam vidiſſent in hac vita ſanctum , cum procul dubio fuiſſe P. Vitum . Scripſit , & magno labore digeſſit vir Apoſtolicus :

Grammaticam , *Dictionarium* , *&* *Catechiſmum lingua Marilandica* . Præterea .

Expeditionem , *&* *Hiſtoriam illius Gentis* .

ANDREAS VVAGNER , natione Germanus , patria Sueuus , Pfaffenhouenſis venit in Societatem Iuuenis annos natus 17. anno Domini 1605. Humaniora ſtudia, & concionandi munus multis annis cùm laude tractauit . Profeſſus Ingolſtadij quatuor ſolemnia vota Societatis , die 31. Iulij 1624. Vir latinâ vernaculaque facundia præſtans nec minus re-

ligioſè viuendi laude excellens, mortuus eſt immaturo nobis funere Neoburgi Cal. Maij. 1638. Scripſit Germanicè.

Colloquium Catholici, cùm Lutherano, cui titulus eſt. *Quando vis fieri Catholicus?* Auguſtę 1630. in 8.

Colloquium Alterius, hoc titulo. *Nondum te accomodabis?* Ibidem 1630.

Refutationem Epiſtolæ Conſolatoriæ Ioannis Conradi Gabelij Prædicantis ad Acatholicos Auguſtanos. Ibidem 1631. in 8.

Xenia Germanica, pro Congregatione Ciuica Ingolſtadiana.

ANDREAS ZERGOLL, natione Italus, ex extrema Italiæ Regione, quæ ad Carnos ſpectat, ex Oppido S. Cruce. In Societatem venit Iuuenis anno 1614. & in ea docuit litteras humaniores, Philoſophiam Græcij, & Sacram Scripturam explicuit; Matheſim, & Theologiam moralem, tùm Græcij, tùm Viennæ tradidit, quatuor votorum Profeſſus. Vir fuit ingenio Scientiarum plurium, & religioſæ vitæ laude cumulato, & dum Milleſtadij Noſtris præeſſet, diem clauſit extremum 23. Ianuarij 1645. Propoſuerat diſputationi:

Theoremata Chronologica de anno Ortus & Mortis Domini Noſtri IESV Chriſti quibus ſtatuit natum anno 40. Iuliano *D. Lælio & C. Antiſtio Conſſ.* mortuum autem 74. Iuliano, 29. Dionyſiano; *C. Rubellio, & C. Fuſio Geminis Coſſ.* ita vt inciderit Paſſio, & Mors Chriſti in diem 25. Martij, quo fuerat etiam conceptus de Spiritu Sancto poſt annos vitę 33. completos additis tribus menſibus. Viennæ Auſtriæ typis Mathię Formicæ anno 1625.

* ANDREAS ZIENIEVVICZ, natione Lithuanus ex Palatinatu Nouogrodenſi Societati ſe applicuit anno ſalutis 1629. ætatis ſuę 20. & votis 4. ſe Deo obſtrinxit. Docuit in ea Rhetoricam, Philoſophiam, Theologiam moralem, & Scholaſticam annis pluribus; præfuit Reſidentiæ Caunenſi, & Minſcenſi; Concionatorem egit, & Miſſionarium aliquamdiu; ſuperſtes etiamnum in Collegio Nieſuiſienſi. Edidit Panegiricos complures tacito ſuo nomine typis Academicis, & annis varijs,

Plauſum Appollinis, & Muſarum Poëſi Heroica. Vilnæ 1638. in 4.

Phænomena; ſeu Aſpectum feliciſſimi ſideris. Vilnæ 1641. in folio.

Decora lilieti Patiani. Vilnæ 1641. in folio.

Parentalem ſplendorem Catharinæ Potociæ. Vilnæ 1642. in folio.

Tranſtulit in linguam Polonicam ex Latina. Exercitia Spiritualia à P. Iuliano Hayneuſue compoſita.

ANELLVS OLIVA, natione Italus patria Neapolitanus, admiſſus in Societatem Neapoli anno Domini 1593. ætatis 19. ad lucra animarum nondum Sacerdos nauigauit in Peruuium anno 1597. ibique Profeſſionem votorum quatuor emiſit. Multis annis Indos excoluit; rexit Collegia Orurenſe, & Callaenſe, & demum fermè ſeptuagenarius ad laborum prçmia euocatus obijt Limæ 5. Februarij 1642. Scripſit Hiſpanicè.

Catalogum aliquorum Virorum Sanctitate Illuſtrium Prouinciæ Peruanæ Societatis IESV Hiſpali apud Franciſcum de Lyra Barrettum 1632. Item.

Vitas virorum Illuſtrium Societatis IESV in Prouincia Peruana libris 4. comprehenſos in folio. Quæ etſi aſportatæ fuerint in Hiſpaniam, nondum tamen typis ſunt excuſæ. Scripſit præterea.

Hiſtoriam Regni Peruani, & fundationem Societatis in illo; quæ pariter nondum ſunt edita.

ANELLVS DE RVGERIO, natione Italus, patria Salernitanus in Regno Neapolitano, Societati adſcriptus anno ſalutis 1611. ætatis ſuæ 17. in ea litteras humaniores, & Philoſophiam profeſſus eſt, & concionatorem egit; ſed immaturo funere ereptus diem ſuum obijt Neapoli die 3. Decembris 1626. Edidit.

Orationem à ſe dictam in inſtauratione ſtudiorum, inſcriptam: *Neapolitanæ litteraturæ Theatrum*. Neapoli. 1617.

ANGELINVS GAZÆVS, natione Belga, domo Atrebas, natus anno 1568, Societatem ingreſſus 1586. vota 4. in ea profeſſus eſt. Docuit quinquennio eloquentiam, & Græcas litteras; pręfuit nouennio Scholis inferioribus, rexit Collegia Atrebatenſe, Valencenenſe, & Cameracenſe; fuit ab epiſtolis Prępoſito Generali Claudio Aquauiuæ ad Prouincias in Aſſiſtentia Germanię per triennium; vbique ſerenus, & religioſe hilaris, ac pius; id quod etiam indicant eius Opera. Tandem octogenario maior pio fine vitam hanc concluſit, Valencenis Kal. Martij 1653. Edidit acuto, & eleganti ſtylo.

Pia Hilaria metro Iambico, & ſcazontico, queis addidit,

Elegias aliquot. Duaci typis Baltazaris Belleri 1619. ſępius recuſa.

Piorum Hilariorum tom. 2. Inſulis apud Petrum de Rache 1638. in 8.

ANGELVS GALLVCIVS, natione Italus, patria Maceratenſis, Orator diſertiſſimus, Poëta facundus, natus anno ſęculi euoluti 93. cooptatus in Societatem anno voluente 6. vota 4. nuncupauit eiuſdem 25. Oratoriam facultatem in Collegio Romano annos 24. magna laude profeſſus eſt, & ſtudijs humanioribus diu pręfuit. Octogenario maior ibidem naturę conceſſit, anno 1674. 28. Februarij. Edidit.

Orationem in funere Scipionis Cobellutij S. R. E. Card. titulo S. Suſannæ quam habuit in templo Domus Profeſſę Societatis IESV Romę typis Franciſci Corbelletti 1626. Item ſup-

preſſo

preſſo ſuo nomine.

Orationem de S. Roſalia habitam ab I.M.R. diſcipulo ipſius in Aula Collegij Romani Societatis IESV Romę 1629.

Orationem de Paſſione Domini dictam coram S. D. N. Vrbano VIII. P.M. anno 1630. quę prodijt cùm alijs eiuſdem argumenti Romę typis Vitalis Maſcardi 1641. in 12.

De Bello Belgico ab anno Domini 1593. vſque ad inducias pactas anno 1609. Tomis duobus Romæ typis hæredum Corbelletti 1671. in folio.

* ANNIBAL ADAMI, natione Italus, patria Firmanus, natus anno ſęculi fluentis 26. Societati nomen dedit 41. & votorum 4. Profeſſionem emiſit. Docuit per plures annos amęniores litteras, & Rhetoricam in Collegio Romano, vbi linguę quoque Græcę Profeſſor fuit. Conciones habuit Romæ & alibi multis annis, degitque modò in Domo Profeſſa Romana, & hactenus edidit.

Palladem Purpuratam Seminarij Romani, ſiue Eminentiſſimos Cardinales qui è Seminario prodierunt imaginibus, epigrammatis illuſtratos. Romæ typis Hęredum Corbelletti 1659 in folio.

Solem in ſtella, de Adoratione Magorum carmine Heroico. Romę typis eiſdem 1658. in folio.

Cœli deſideria in exortu Sereniſſimi Principis Hiſpaniarum Philippi Proſperi. Carmine heroico typis eiſdem, & eodem anno in folio.

Elogium de Corona aurea Crucifixo Lucenſi impoſita. Lucæ 1658. in folio.

Orationem in funere Illuſtriſſimi Præſulis Iulij de Odis habitam Peruſiæ 1663. in folio. Volumen grande inſcriptum,

Epiſcopus. Opus tripartitum Ethico-politico-ſacrum ab Alexandro Sperello Epiſcopo Eugubino Italicè compoſitum, latino idiomate donauit. Romæ typis Nicolai Angeli Tinaſſij. 1670. in fol. Edidit etiam.

Orationem habitam in funere Sereniſſimi *Principis Franciſci Borbonij Ducis de Beaufort,* cùm ex Mandato Clementis IX. perſoluta ſunt illi iuſta, pręſentibus Cardinalibus, totaque Romana Curia. Romæ typis Tinaſſij 1669. in folio.

Panegyricum de S. Franciſco Borgia, virtutes varias quatuor S. Franciſcorum in ſe vno complectente. Italicè Romæ apud Vareſium 1972. in folio.

ANNIBAL CANALIS, natione Italus, patria Vico, in Apulia, in Societatem ingreſſus anno 1595. ætatis 16. Votorum 4. Profeſſus. Docuit in ea humaniores litteras, & Theologiam Moralem; rexit Collegia Maronitarum Romę, Setinum, Aquilanum, & Molfettanum, vir antiquæ probitatis, & diſciplinæ religioſę etiam in minimis ad extremum vſque ſenium retinentiſſimus. Tandem plenus dierum, ac meritorum ferè octogenarius ad vitam tranſijt immortalem Molfettę die 17. Septembris 1657. Edidit Italicè.

Tomum 1. de Vitis Patriarcharum, ſeu Inſtitutorum Ordinum Religioſorum. Complectitur vnam decadem illorum, ducto principio à Seruatore Noſtro IESV Chriſto. Romæ apud Stephanum Paulinum, & Guil. Facciottum 1623. in folio.

Reliquas decem decades de Vitis Sanctorum reliquit M. S. in Collegio Molfetano, vbi aſſeruantur. Parauerat etiam.

Xauerium. Poëma Heroicum Italicè. Item.

Tractatum de Quæſtionibus Conſcientiæ copioſum, ſed typis non vulgauit.

ANNIBAL CODRETTVS, gente Allobrox, ſeu Sabaudus, domo Gebennenſis. anno 1546. Spiritualibus exercitijs ab Hieronymo Dominecco excultus, dum arti Medicæ Patauij operam daret, Societati ſe noſtrę addixit. Biennio pòſt Meſſanam in Siciliam ad eius Collegij exordia cùm alijs miſſus, docuit ibi Grammaticam, & cœteras humaniores litteras, (quarum cognitione excelluit) multis in Collegijs noſtris poſtea laudabiliter tractauit. Subinde cùm Layno Præpoſito Generali anno 1561 in Gallias profectus, Turnonio Collegio atque Academiæ diu Rector pręfuit. Lugdunenſis quoque Collegij primus Rector fuit, anno 1565. cùm anno prius ſolemnia quatuor vota nuncupaſſet. Prouincialis prætetea Aquitanicæ Prouinciæ factus, multum laboris atque operę poſuit in tuenda conſeruandâque Catholica Religione, quo in munere Congregationi quartæ Generali anno 1681. interfuit. Ætate demum in ſenectutem præcipitata, cùm in moleſtiſſima ſtranguria illuſtris patientiæ dediſſet argumenta, piè in Domino obijt Auenione die 19. Septembris 1599. cùm vixiſſet 74. in Societate 54. Vir fuit in omni politioris litteraturæ genere, tribuſque linguis, Latina, Græca, & Hebraica, atque in morum cum primis facilitate pariter, & grauitate admirandus. Scripſit.

Grammaticas Inſtitutiones, ſeu Breuia quadam Grammaticæ rudimenta.

ANNIBAL FIRMANVS natione Italus, patria Fanenſis, vir iam maturus & Viduus Inſtitutum noſtrum ſecutus eſt anno ſalutis 1559. ætatis 27. iam tum Doctor V. I. & Magiſter in Artibus. Et quamuis aduerſa ſemper valetudine fuerit conflictatus, tamen Magiſter Nouitiorum. & aliquorum Collegiorum Rector fuit. Vir morum ſuauitate, & ingenij facilitate valdè amabilis, in ſancta pace mitem animam Laureti velut in ſinum Matris Deiparæ expirauit die 26. Martij 1595. Scripſit Italicè opus elegans ſæpius editum

De Iucunditate Animæ. Recuſum tertia vice, Venetijs per Laurent. Pergulum 1574. Item latinè.

De vera animi magnitudine, ad Vrbinatem Ducem cum oratione.

De vera cordis humilitate. Piſauri apud Hie-

Hieronymum Concordiam 1581. in 4.

ANNIBAL GELLIOT natione Gallus, patria Gratianopolitanus natus anno ſalutis 1594. Societatem iniȷt 1611. & vota quatuor Profeſſus eſt. Docuit in ea Rhetoricam & Philoſophiam; Gubernauit Collegium Cabilonenſe: Scripſit Librum, cui nomen fecit.

Galaxia ſeu via lactea, qua Heroes ad immortalilatem contendiſſe creduntur: eò aditum adornauit Regi Chriſtianiſſimo Ludouico XIII. cum poſt domitam in Occitania rebellem Hæreſim, Auenionem primùm venit. Obiȷt religioſe Pinaroli die 28. Septembris 1639.

ANTONIVS ALMEIDA natione Luſitanus è villa cui Trancoſo nomen; Ab ipſo tirocinio magnum virtutis ardorem & exemplum præ ſe tulit; vt iam tum magna eſſet vulgò apud omnes ſanctimoniç opinione, & valeret gratia quocumque eum Superiores amandarent. E Luſitania magna ambitione, & pio æſtuantis animi feruore Miſſionem in Indiam impetrauit, eo fine vt vota ſua, vel agendi, vel patiendi, quibus ardebat, expleret. Nauigauit illuc anno 1585. & Goam ſimul appulit, Moderatoribus ſuis aperuit, quanto rei Chriſtianæ in ardua aliqua expeditione procurandæ deſiderio teneretur. Arbitrabatur enim ſe lautiùs haberi in Collegiȷs, quàm pro voto ſuo, & religioſam frugalitatem delitias appellabat. Nec eum ſua fefellit ſpes: cùm enim ad hos ignes pareſquoque animi dotes iȷ à quibus regebatur animaduertiſſent, Orientis Viſitator Alexander Valignanus, eum in ſpes magnas, Sinenſem videlicet expeditionem euocauit, comitemque addidit P. Eduardo Sande, *qui eo tempore* Collegium Macaenſe moderabatur. Hac electione ſupra ſpem ita recreatus eſt, vt verbis ab alio nullo quàm ab ipſomet, qui de ea re nobilem ad Socios ſcripſit Epiſtolam exprimi aptè poſſe videatur. Sileri tamen non debet, eius hac de re celebre dictum. Cum enim in Macaenſi Collegio, quò ipſe peruenit, exeunte Iulio eiuſdem anni 1585. inter Socios ageretur, qua ratione in Regni Sinenſis interiora immittendus eſſet (nam iȷs temporibus anguſtior erat, rerum adhuc ignaris, introitus) ipſe modum ſuggeſſit, quem ardor ipſi ne parergus videretur, effecerat: poſtulabat enim vt ſe Magiſtratui cuipiam in ſeruum darent: id quod ſanè feciſſet, ſi per ſuperiores ei licuiſſet. Sed reddidit ingreſſum Diuina bonitas ſpe faciliorem. Nam cum P. Michael Ruggerius, qui iam verſabatur in Regno deſtinaretur à Moderatoribus in Cequianam Prouinciam, vt nouam ibi ſedem Societati poneret, excurrit in Metropolim Cantonienſem, vt ibi neceſſaria itineri compararet. Eodem cum Mercatoribus Luſitanis ad Nundinas venerat Almeida, qui proinde Ruggerio comes acceſſit, mirifice præ lætitia geſtiens. Excurrit cum illo in Cequianam Prouinciam, ex euius Vrbe cognomine litteras dedit ad Macaenſem Superiorem datas 10. Februariȷ 1586. quarum non pigebit hic partem deſcribere: *Factus iam Sina* (inquit) *ob amorem eius qui pro me factus eſt homo, cùm eſſet Deus, multas illi gratias ago, quòd tam breui tempore mihi conceſſit, quod aliȷ longo non potuerunt obtinere; Scilicet quietem cordis mei, ita vt iam in hoc mundo nihil mihi ſuperſit optandum, præter conuerſionem meam, & Sinarum, & in hac expeditione mortem oppetere. Confiteor R. V. quod cùm has litteras ſcribere aggrederer, lacrymas cohibere non poteram, cùm imaginarer me in medio Sinarum verſari: imaginarer, inquam, nam vix mihi perſuadeo id verum eſſe, & videor mihi ſomniare: à quo ſomno velim, vt me R. V. citò expergefaciat: certumque faciat quod ſim in eo magno Orbe, ad quem tàm impensè ſuſpirabat, Pater Franciſcus Xauerius, & in quo pro ſalute animarum poſſim tolerare ærumnas, & mortem pati, id quod eſſet votorum meorum complementum. Concluſit vero longam Epiſtolam his verbis: Eſt tanti conuerſio magni huius Regni, vt vna vita quam habeo videatur nihil, & decies mille ſi haberem profunderem pro illa.* Plus quadrimeſtri tenuit ea excurſio: quç cum optatum finem conſecuta non eſſet, & Patres. Vnde venerant, oporteret reuerti, vix adduci potuit Almeida, vt ſibi redeundum eſſe perſuaderet. Itaque obnixe petiȷt, vt ſolus in ea Prouincia permanere ſineretur; inuenturum ſe rationem, qua ſecurus latitaret nec omninò abſcedere voluit, niſi vrgentis obedientiæ auctoritate permotus. Ceterùm cùm non ita multo poſt Ruggerius, in Europam miſſus eſſet, Almeida Sciauquinum, Vrbem aliam mediterraneam regreſſus eſt, comes futurus Matthæo Riccio, cùm quo porrò Xauceum perrexit menſe Auguſto anni 1589. vbi cùm ſemel iterùmque grauiter tentata eſſet eius valetudo, Macaum remiſſus eſt, ſi quod forte in Medicis, pharmacis, ac cibis noſtratibus leuamentum inueniret. Vix à morbo reſpirarat, cùm euicit importunè, reditum ad ſuam ſtationem tantus erat eius ardor, & deſiderium, vt videri poſſet, ſi compos fieret, valetudinem ex gaudio, ac vires breuiùs collecturus. Ceterùm Octobri in ægritudinem recidit, ita ſubitam ac grauem, vt eius in Collegium Macaënſe remittendi eripuerit facultatem. Itaque intra octiduum ad diem 17. eius menſis, diem clauſit extremum Xaucei anno ſalutis 1591. ætatis eius 35. cuius maximam partem in Ordine noſtro collocarat. Cadauer de more loculo incluſum, Sinico bitumine illitum, domi aſſeruatum eſt, donec anno 1594. Macaum delatum eſt, vt in commune noſtrorum ſepulchrum inferretur. Id cùm ad littus Macaenſe applicuiſſet, ingens vniuerſæ Ciuitatis concurſus factus eſt, qui funus ad tumulum comitarentur. Eius memoriam panegyrica oratione celebrauit P. Edoardus Sande Collegiȷ Rector, & habuit argumentum

mentum

mentum laudationis ſanè copioſum: fuit enim Antonius plane conſpicuus luculentiſſima virtute. Orationem, & in ſe ipſo caſtigando ſeueritatem ita ſectabatur, vt Superiori ſemper inuigilandum eſſet, ne prudentię limites egrederetur. Supra Sacerdotale penſum, quidquid fere precum eſt in Breuiario præter alia quotidianę pietatis argumenta, in dies ſingulos prope omnia recitabat. Cùmque vetitus eſſet præter horas Canonicas, aliud quidquam voce orare, ne ſtudijs otium neceſſarium deeſſet: euicit tamen ſanctâ pertinaciâ, ne quotidianum Deiparæ penſum, quod inde vſque ab infantia conſueuerat, prohiberetur perſoluere. Eius omnia colloquia de Deo, deque pijs rebus erant; tamque efficacia, vt non ipſe minùs, quam cæteri commouerentur. Auguſtiſſimi Sacramenti maximus ſemper cultor fuit. Antequam ſacris initiaretur, quoties à Moderatoribus permittebatur, diuino pane veſcebatur. In Collegijs auelli ægrè poterat ab arà, in qua ſacrum illud ferculum aſſeruabatur. Pro delicijs illi erat miniſtrare ſacrificanti, & diuino ſacrificio quàm creberrimè intereſſe. Quoties præter ordinem grauius corpuſculo afficiebatur, ſub ipſa Miſſæ Sacra Domino ſuo tenerrimè valedicebat, ac ſi non eſſet iterum ſacrificaturus. In infirmitate poſtrema non potuit idem præſtare, malo nimis repente occupatus, Sollicitus igitur de itineris tanti viatico, id ea nocte qua extinctus eſt, deſiderauit ardentiſſimè. Deo tamen viſum eſt hoc eum ſolatio deſtituere; cùm enim in eo Regno nondum Domi noſtrę ſacrum pignus aſſeruaretur, nec poſſet ante matutinas horas à noſtro Sacerdote celebrari, priùs morbo confectus eſt quàm refici poſſet ſacramento. Id cùm ipſe probè aduerteret euenturum, omnino voluit humi collocari, vbi ſuauiſſimè cùm Ieſu crucifixo colloquens è vità exceſſit. Reperti poſtmodum in eius ſcriniolo commentarioli aliquot, in quos quid deſignaret bonarum actionum per diem quid ſe mali in animum inſinuaſſet, referebat, apertum teſtatùmque fecerunt, quàm indefeſſo conatu ad vitę perfectionis apicem niteretur. Eius obitum Noſtri omnes, talis ſocij, tam ſtrenui operarij deſiderio diù deplorarunt. Scripſit Almeida

Annuas litteras è Sinis anni 1586. Item.

Alteras litteras è Iaponia eiuſdem anni, cum ſcripſiſſe refert Antonius de Leon

* ANTONIVS ALVAREZ FERREIRA natione Luſitanus, ex oppido Chaues Diœceſis Bracharenſis, admiſſus in Societatem Salmanticæ anno ſalutis 1612. ætatis 19. votorum quatuor profeſſionem emiſit, præſtititque ſe operarium vtiliſſimum in Prouincia Caſtellana cùm Theologiam Moralem prælegendo, tùm verbum Dei vtiliter prædicando. Erga Deiparam eximia ferebatur veneratione, deque eius laudibus, ſcripta reliquit non pauca. In eiuſdem Natiuitatis peruigilio, prout æger optauerat efflauit animam. Inciderat in ægritudinem peractis immediatè ante ſpiritualibus Exercitijs per octiduum, & poſtquam publice in triclinio ſuorum defectuum veniam à Deo, & Socijs, flagellationi admixtis lacrymis poſtulaſſet. Contigit migratio in Collegio Methymnæ Campi die 7. Septembris 1662. eius ſcripta vulgauit nobilis quidam, ac fidus eiuſdem diſcipulus ſubſtituto paterno cognomine Ferreiræ in locum Aluarez, quo communiter apud Nos vtebatur, ediditque Hiſpanico Idiomate

Conciones Quadrageſimales. Matriti apud Mariam de Quiñones 1657. in folio.

ANTONIVS ANDRADA, natione Luſitanus, patria ex oppido Oleyros Prioratus Cratenſis, Societati adſcriptus anno 1596. ætatis 16. Votorum quatuor Profeſſus, Tibetani Regni primus explorator fuit. Hic cum anno 1624. in Mogorenſi Regno Noſtris qui ibi ſunt præeſſet, & ſe daret opportunitas Cataium, toties quæſitam, tot votis expetitam Prouinciam inueſtigandi, cenſuit eam non eſſe è manibus dimittendam. Ergo cura Miſſionis alteri commendata, inſtructus præſidijs ad longum, & ignotum iter neceſſarijs, habitu Morgorenſi ſe dat in viam. Incredibiles ſe paſſim difficultates obiecerunt, & humano modo maiores, quas tamen ille inuicta conſtantià, & infracto animi robore ſuperauit; penetrauitque in Regni Tibeti Vrbem regiam, Caparanguem, vbi perbenignè à Rege, & Optimatibus habitus, data reditus ſui, ſi Præſides probaſſent, fide in Mogorem reuertit, & in annum inſequentem alteram expeditionem adornauit, idoneis ſecum ſocijs acceptis. Aliquanto poſt tempore cùm Rege vrgente, remeaſſet in Indiam vt plures in eam vineam operarios mitteret, communibus Sociorum ſuffragijs Indiæ ſeu Goanæ Prouincię Præpoſitus renunciatus eſt, nouo penes nos, ſed neceſſitati dato exemplo. In eo munere, dum verſatur, adhibitus eſt à S. Inquiſitionis Antiſtitibus, ad commonefaciendos officij ſui reos, cùm publicè ad Iudicium producerentur eoque in actu clàm veneno infectus eſt. Hinc acerbiſſimis doloribus excruciatus, ad eos leniendos opem B. V. quàm impensè colebat, cùm imploraſſet, eam præſentem dicitur habuiſſe, quæ illum in hæc verba ſolata eſt. *Iam fili nihil tibi dolebit ampliùs*, & è veſtigio dolor ille omnis in reliquam vitam abſterſus eſt. Demum Goæ relicto ſui deſiderio, & magna ſanctitatis opinione 19. Martij 1633. diem extremum obijt; & ſeorſim à ceteris humatus, calce quoque vndique ſtipatus eſt, & marmor impoſitum tumulo, in quo aiunt, raro prodigio, Patris ad viuum expreſſam effigiem extitiſſe. Id quod cùm veneno exhalanti quidam adſcriberent, vbi conſtitit nullis inſtrumentis eradi poſſe, & cadauer multa calce glebaque oppreſſum eſſe, opus humano maius eſſe intellectum eſt.

Acceſ-

Acceſſerunt ad fidem faciendam alia prodigia. Nam P. Albertus Minczinki Polonus è Noſtra Societate, nuper aduectus ex Europa, Patre Antonio inuocato febrem propè ſemeſtrem momento diſcuſſit. Mulier tranſuerſam in vtero prolem, Patris beneficio enixa mox eſt; alius quiſpiam tumorem in genu compreſſit, ſimul atque ipſius ſepulchro aduolutus eſt. Plura illius decora dies in lucem proferet. Scripſit Antonius,

Nouam detectionem Magni Cataij, ſeu Regnorum Tibeti, hoc eſt, expeditionem ſuam in Tibetum, ſuſceptam anno 1624. Impreſſam Hiſpanicè Matriti per Ludouicum Sanchez; Italicè Romæ per Franciſcum Corbellettum 1627. in 8. & Neapoli per Aegidium Longum 1627. Item

Alteras litteras de ſuo in Tibetum reditu, datas Caparanguæ 15. Auguſti 1624. Italicè Romæ per Corbellettum 1628.

ANTONIVS DE ARANA natione Hiſpanus, patria Methymnenſis de Riuo ſicco, in Societatem adſcitus eſt anno 1605. ætatis 17. & vota quatuor ſolemnia profeſſus eſt. Docuit litteras humaniores. Rexit Collegia Bilbaenſe, Montis regalis, Monfortenſe, Villæ Francæ, & ſexagenario maior migrauit ad Dominum Villæfrancæ die 10. Septemb. 1650. Edidit Hiſpanicè

Vitam P. Andreæ Ouiedi Patriarchæ Aethiopiæ Societatis Ieſu.

* ANTONIVS DE ARAVIO natus in Inſula Tertiaria D. Michaelis Diœceſeos Angrenſis anno ſalutis 1566. Societati ſe applicuit Bahyæ in Braſilia, & vota quatuor nuncupauit. Docuit litteras humaniores. Concionatorem egit multis annis, & Superior noſtrorum in pagis Braſiliæ (cuius linguam egregiè callebat) nouennio fuit. Bis in Mediterraneas, & remotas Braſiliæ partes penetrauit, ad aggregandos illarum indigenas Eccleſiæ Dei, & demum ad laborum præmia ex hac vita migrauit anno Domini 1632.

Catechiſmum linguâ Braſilica ab alijs inchoatum, varijs auxit additamentis, edidítque Vlyſſipone appoſito ſuo nomine, vt nihil in genere Catechiſtico perfectius vſpiam exſtare cenſeatur. Tranſlatus deinde eſt in alias linguas Americæ quarum ingens eſt numerus.

ANTONIVS D' AVEROVLT, ſiue vt recentiùs ſcribunt *d'Aureultius* natione Belga, patria Arteſius ex agro Atrebatenſi grandis natu, & annorum 47. ſacris iam initiatus, decurſiſque ſtudiorum ſpatijs Societati aggregatus eſt anno ſeculari 1600. In ea vixit annos 14. vſque ad annum vertentem 1614. quo ſexagenarius Tornaci die 21. Septembris migrauit è vita. Tempus omne ſuum quàm vtiliſſimis tranſegit operis. Totis 9. annis bis quot hebdomadis monachorum cœnobium adire fuit ſolitus, excipiendis ipſorum Confeſſionibus, & magnis incrementis diſciplinam Monaſticam apud eos pietatemque promouit. Sanctorum ſtatuas ea regione, quammultis in locis Hæreticorum ſcelere, aut deturbatas, aut comminutas, vt publica auctoritate impenſaque reſtituerentur, effecit ſuadendo, magna proborum voluptate, & diuini cultus propagatione non mediocri. Dum Catechiſmi ſui tertium volumen prælo ſubijceret, graui membrorum ſopore occupatus eſt; & imbecillitate memoriæ tanta, vt repentè omnium obliuiſceretur; quibus malis ſpatio trium hebdomadarum diſcuſſis, ſenecta morboquè victus religioſè animam exhalauit. Scripſit Gallicè primùm

Cathechiſmum Hiſtoricum, ſeu flores exemplorũ ex SS. Patribus, & Eccleſiaſtica Hiſtoria, Tomis II. Duaci editos typis Bogardi 1603. & Pariſijs 1608. in 8. latinè redactos in Compendium edidit Coloniæ Ioannes KincKius 1614. in 8. qui poſtmodum idem opus ab Auctore auctum, latinèque digeſtum tomis, ſeu partibus 4. edidit 1616. in 4. Collegit præterea varias litanias & preces, quas inſcribit.

Pij gemitus Catholicorum; quibus etiam adiunxit.

Remedia ſpiritualia contra peſtem. Latinè, & Gallicè

ANTONIVS DE AYALA, natione Hiſpanus, patria Hiſpalenſis, in Societatem admiſſus Limæ in Peruuio, anno ſalutis ſæculari 1600. die 13. Decembris ætatis 25. & vota quatuor ſolemnia profeſſus eſt. Indorum ſaluti procurandæ multis annis nauiter ſe impendit; & Concionibus etiam ſuis profuit Hiſpanis. Dum ex Perunio Mexicum nauigaret naufragium paſſus in Oceano, migrauit (vti ſperare fas eſt) in cœlum circa annum 1626. Parauerat edendum, ſed non edidit

Roſam Iericho; de B. Virgine opus, Parauerat etiam

Conciones, ſed mors interceſſit.

ANTONIVS DE BALINGHEM natione Belga, Domo Audomaropolitanus natus anno 1571. atque in Societatem ingreſſus 1588. eique votis quatuor ſolemnibus adſtrictus 1608. demum in ea deceſſit, Inſulis 24. Ianu. 1630. Philoſophiam aliquando profeſſus, totum ſe poſtea concionandi muneri tradidit, in quo etiam excelluit, magna cum laude Chriſtianæ eloquentiæ, & pari fructu animarum. Chriſti patientis quoad vixit, cultor, & imitator egregius fuit, eiuſque dolores ſtatis per hebdomadam diebus voluntaria maceratione recolebat. Tenero etiam ferebatur in Deiparam animi ſenſu, cuius ope non ſemel ſanitati redditum eſſe teſtantur quatuor libri quos in honorem Sanctiſſimæ Matris velut grati animi monumenta conſcripſit. Edidit porrò partim ſuo Marte, partim ex alia in aliam linguam traducendo permulta, quæ magnum habent vſum ad pietatem. Igitur tranſtulit in Gallicum ex Italico

Iaponenſes & Chinenſes Epiſtolas.

Vitam B. Aloiſij Gonzagæ. Duaci 1608. & correctiùs Lugduni 1600.

Stimulum ad Confitendum, & Communicandum.

Ex Hiſpanico autem.

Principem Chriſtianum P. Ribadeneiræ.

Meditationum Ludouici de Ponte, Tomos duos.

Ex Italico in Latinum.

Vitam Alexandri Luzaghi Nobilis Brixienſis. Duaci 1625. in 8.

Actiones interiores virtutum Blaſij de Palma. Pariſijs 1641. in 24. Scripſit Gallicè

Triumphum Caſtitatis Tomis duobus.

Solatium afflictorum ab vnica Numinis prouidentia petitum, qui liber latinè prodijt Coloniæ apud Ioannem KincKium 1626. in 12.

Theſaurum orationum Iaculatoriarum.

De orationibus Iaculatorijs, Libros 4. aſceticos 1608.

Inuentarium Reliquiarum B. Virginis.

Congreſſus pomeridianos, & Congreſſus ſympoſiacos, contra cibi potuſque intemperantiam; qui à Iacobo Malbranq in Latinum translati prodierunt Coloniæ typis Ioannis KincKij 1620.

Omnipotentem Bellatricem Deiparam.

Patronum Pauperum, cum aliquot ipſos adiuuandi medijs.

Propoſitiones 12. quibus iucundè, honeſtèque Bacchanaliorum dies tranſigantur, quas & latinas fecit

Punctum honoris. Vbi inter cætera agit de duellis non offerendis, nec acceptandis.

Septem Exercitia ſeu meditationes de ſeptem doloribus Deiparæ. Duaci 1624.

Motiua duodecim ad ſæpiùs iterandum, Aue Maria.

De Beata Maria Eſquermenſi iuxta Inſulas.

De Agno Dei. Seu quod Chriſtus ſit Agnus Dei.

De Cultu Imaginis Beatæ Virginis Foyenſis.

Modum Sanctum Victorem Martyrem honorandi.

Summarium Vitæ Sancti Franciſci Xauerij.

Seriem Canonizationis S. Ignatij.

Speculum Peccatoris, & hominis iuſti.

Manuale Orationum.

Hortulum Cæleſtium deliciarum.

De Sanguine Chriſti vario, noſtræ redemptionis pretio.

De Theatro Miſericordiæ Dei in Peccatores.

Tractatus quatuor ſpirituales, ſcilicet.

De Chriſti Domini Natali.

De Gaudijs Spiritus, gaudijs dierum Anticineralium præferendis.

De Ieiunio Quadrageſimali, & eius effectib.

Meditationes in hymnum Veni Creator Spiritus.

Qualiter Reliquiæ Sanctorum Martyrum honorandæ.

Latinè autem edidit.

Sacram Scripturam in locos communes morum digeſtam tom. 2. Duaci apud Balthazarem Bellerum 1631. in folio, cui adiunctus eſt.

Theſaurus Orationum Iaculatoriarum ex ſacris litteris vtriuſque Teſtamenti.

Zoopædiam, ſeu morum à Brutis petitam inſtructionem. Antuerpiæ typis Nutianis 1621. in 8.

Parnaſſum Marianum, ſeu hymnos de Beata Virgine à varijs editos Duaci 1624. cui acceſſit

Parnaſſus Ieſu, & Paraphraſis in Salue Regina Duaci typis Balthazaris Belleri 1624.

Piam mentis in Deum librationem, per breues orationes, & ardentes ad Deum aſpirationes. Antuerpiæ apud Nutium 1624. in 8.

Ephemeridem, ſeu Calendarium SS. Virginis Genetricis Dei Mariæ in quo ſinguli dies aliquid exhibent ad eam ſpectans &c. Duaci typis Belleri 1629. in 8.

ANTONIVS BARNABOS natione Italus, patria Genuenſis, in Societatem cooptatus anno 1573. ætatis 20. votorum quatuor Profeſſionem edidit; Rhetoricam, & humaniores litteras docuit; Concionatorem multis annis cum approbatione egit. Rexit Collegia Taurinenſe, & Genuenſe, & Domum Profeſſam Vice Præpoſiti. Dixit Italicè ad Senatum Genuenſem

Orationem de Concordia Ciuium habitam anno 1605. & editam ab alijs, quibus placuerat, Florentiæ typis Marci Sermartelli 1606. in 4. Obijt ipſe ferè octogenarius Genuæ die 25. Aprilis 1634.

ANTONIVS BASSOLIVS natione Lotharingus, domo Marmotonius è Diœceſi Tullenſi Societatem ingreſſus eſt anno labentis ſæculi 9. ætatis 19. in ea humaniores litteras, & Rhetoricam aliquot annis docuit. Adoleſcens acerrimo ingenio, animi candore ſpectabilis; qui cùm non mediocrem de ſe concitaſſet expectationem, ad cœlum eſt euocatus anno 1622. ætatis ſuæ 30. ſcripſit

Notas in Dionyſij Alexandrini Periegieſim. Editas Muſſiponti apud Melchiorem Bernardum.

ANTONIVS BEATILLVS natione Italus, patria Barienſis natus eſt anno 1570. die 22. Nouembris: Iuuenis in Societatem venit Calendis Decembris anni 1588. in ea Noſtros externoſque docuit humaniores litteras, linguam Hebraicam, & Sacram Scripturam & verſis ad hominum ſalutem procurandam ſtudijs, concionandi munus complures annos ſuſtinuit, continuatis octodecim ipſos annos ſacris lectionibus, in Templo Domus Noſtræ Profeſſæ Neapolitanæ præter quotidianas per

Qua-

Quadrageſimam annis 16. Conciones, tum hic tum alibi inſtitutas. Rexit olim Collegium Tropienſe, & Barolitanum; conuixit familiaritater P.Bernardino Realino, cuius eximia caritate, animi demiſſione, ſilentij laboriſque ſtudio, animarum zelo, tenerrimo in Societatem amore non minimum ad eaſdem virtutes ipſe profecit. Deſijt inter mortales viuere optimus atque actuoſus Pater, & pridem ante in ſpiritualem Adiutorem formatus, Neapoli die 7.Ianuarij 1642. Eius lucubrationes Ioannes Tomcus Marnauitius in Præfatione Regiæ Sanctitatis Illyricanæ, non ſolùm laudat ab eximia diligentia, & eruditiſſima pietate, ſed ipſum etiam appellat diſertiſſimum & eruditiſſimum Scriptorem, & illuſtratorem, Barienſium decus, nunquam ſatis ſuperque laudatum, qui ſumma maturitate, & diligentia Societatis Ieſu alumno digna, compiura elucubrauit. His affinia habet quoque Ferdinandus Vghellus, qui pluries plurimùmque commendat illum à diſerta ſolertia, & præcipuè in Indice Præſulum Barienſium. Edidit Italicè

Hiſtoriam Vitæ, mortis, miraculorum, & tranſlationis S. Irenes Virginis, & Martyris Theſſalonicenſis. Patronæ Vrbis Lætienſis in Salentinis, additis notationibus Neapoli apud Tarquinium Longum 1609. in 4.

Hiſtoriam Vitæ, Miraculorum, Tranſlationis, & gloriæ Sancti Nicolai Archiepiſcopi Myrenſis Patroni Barij. Neapoli ijſdem typis 1620. quam altera editione fecit contractiorem. Neapoli 1633.

Hiſtoriam vitæ, mortis, miraculorum, & Tranſlationis S.Sabini Epiſcopi Canuſini, protectoris Ciuitatis Barij, cum adiuncto Catalogo Archiepiſcoporum Eccleſiæ Barienſis, & Canuſinæ. Neapoli apud Aegidium Longum 1629. in 8.

Hiſtoriam Ciuitatis Barij. Neapoli apud Franciſcum Sauium 1637. in 4.

Vitam P. Bernardini Realini, P. Ioannis Baptiſtæ Piſcatoris, P. Petri Antonij Spinelli, P. Alphonſi Aragona, & P.Iacobi Antonij Giannonij ex Societate Ieſu. Item

Exempla virtutum ac ſtudioſarum actionum multorum hominum Societatis Ieſu in Prouincia Neapolitana. Denique habebat præ manibus:

Commentaria concionatoria in Sacram Dominicæ Paſſionis hiſtoriam, ab horto orationis, vſque ad hortum ſepulturæ. Sed morte interueniente non emiſit.

* ANTONIVS BERNARDVS DE QVIROS natione Hiſpanus, patria Fordelagunenſis, Diœceſis Toletanæ, Deo ſe in Societate mancipauit Valliſoleti anno ſalutis 1627. ætatis ſuæ 15. & votorum quatuor Sacramento ſe adſtrinxit. Poſt traditas in ea humaniores litteras, Philoſophiam & Theologiam profeſſus eſt, annis vndeuiginti, & ſtudiorum præfecturam geſſit 11. Demùm cùm Valliſoleti Collegij S.Ambroſij gubernacula ſuſcepiſſet, primo adminiſtrationis ſuæ anno ad Beatorum (vt ſperamus) cœtum in Cælum abijt, die 10. Iunij 1668. Vir ingenij admodum ſublimis, & intentiſſimæ ad ſtudia Theologiæ tam Moralis, quam Scholaſticæ applicationis. Hinc eius conſulta & reſponſa ad quæſtiones de Conſcientia, maximi ab omnibus fiebant, etiam in Tribunali ſacræ Inquiſitionis, in quo Cenſor quoque, ſeu Qualificator fuit. Concionatoris inſuper Regij munus à Philippo IV. vltrò ei delatum eſt; Cætera inſignibus præcelluit virturibus, præſertim tenerrimo pietatis ſenſu erga Dei parentem Virginem, in cuius cultum ſingulis Sabbatis ieiunabat. Edidit in primam partem S. Thomæ

De Deo & Angelis Tomos duos, quorum prior excuſus eſt Lugduni. Sumptibus Phil. Borde, & ſociorum 1654. in folio. Poſterior ibidem 1658. in folio. Item

Curſum Philoſophicum integrum ibidem, & ijſdem typis 1656. in folio. Et niſi hominem maturum cœlo, mors nobis immaturè eripuiſſet, plura ingenij ſui monumenta cedro digna poſt ſe reliquiſſet.

* ANTONIVS BLANCHETTVS natione Italus, patria Bozzolenſis, vicennis Societatem amplexus eſt, anno ſalutis 1622. & vota quatuor in ea nuncupauit. Rhetoricam ſexennio profeſſus eſt; Philoſophiam triennio & annis 14. Eccleſiaſten egit; modò in Domo Profeſſorum Mediolani operam nauat culturæ animarum. Edidit hactenus Italicè

Conciones Quadrageſimales, in 44 Diſcurſus diſtributas, Mediolani apud Ludouicum Monzam 1669. in 4. Item

Concionum Quadrageſimalium curſum ſecundum in 53. Diſcurſus diſtinctum. Mediolani apud hæredes Philippi Ghiſolphi 1670. duobus tomis in 4.

ANTONIVS BOVCLIER natione Gallus, patria Ruthenenſis, ingreſſus eſt in Societatem anno 1607. cum ageret ætatis annum vndeuigeſimum; in ea docuit Philoſophiam quinquennio; Theologiam moralem biennio, Scholaſticam ſexennio, linguam ſanctam ſeptennio, & totidem annis ſtudiorum moderatorem egit emiſſa profeſſione votorum quatuor 1624. Claruit religioſis virtutibus, & ſingulari peritia in formandis ad omnem virtutem noſtris Iunioribus, & quod in ſuo libro edidit, hoc opere ſtudioſè complevit. Piè, vt vixit, obijt Toloſæ die 6.Iulij 1631. ſcripſit

Enchiridion. Pietatis, quo proprium cuilibet anno menſis, diei que penſum deſcribitur, ita vt nullum tempus ſine ſpirituali operæ pretio elabi ſinatur.

* ANTONIVS BRAEM, natione Belga, patria Inſulenſis, duodeuicennis Societati ſe addixit, anno Sæculi voluentis 36. atque in ea vitam admodum piam, ac religioſam

I 2 pari

pari exitu concluſit, Valentianis die 16. Octobris 1650. Annos vndecim erudiendæ in ſcholis iuuentuti litteris humanioribus impendit, non minùs de diſcipulorum profectu in virtute, quàm in doctrina ſollicitus. Spectabilis in eo valdè fuit obedientia, & generoſa in proximum caritas. Inſtituti noſtri fuit amantiſſimus, & ſpiritualium adiutorum vota emiſit, atque vt erat in Deiparam ſingulari amore, ita eaſdem pietatis flammas, vt in Sodalibus Marianis, quos regebat, faciliùs accenderet, ſcripſit oppidò vtilem, ideoque ſępiùs recuſum,

Theſaurum variarum exercitationum Spiritualium in gratiam ſodalium B.M. Virginis. Tornaci typis Viduæ Adriani Quinque 1653.

ANTONIVS CARVALIVS, natione Luſitanus, patria Oliſſiponenſis politioribus litteris apprimè excultus, atque eloquentiæ arte ornatus, quam auditoribus explicuit, & Philoſophicas diſciplinas; & denique Conimbricæ, Eboræquè, Sacram Theologiam totos 20. annos tradidit, & primam Cathedram docendo tenuit. De ſuperiore etiam loco verba ad populum fecit, & inter egregios Concionatores numeratus eſt, & cùm laude, & fructu auditùs. Obijt religioſus atque eruditus P. Conimbricæ eodem ipſo die, quo ante 44. annos in Societatem fuerat cooptatus, cùm haberet annos ætatis 60. labentis ſæculi anno primo. Propria, & præcipua laus eius fuit pietas animìque deuotio non ſine lacrymis, quæ virtus cùm ſemper in eo appareret, tùm verò rei diuinæ tempore, præſertim elucebat. Nunquam voluit de vota paupertate quidquam ſibi laxari. Vbi de ſua ſalute actum eſſe cognouit, ingentes Deo gratias agere non deſtitit, quod in Societate, & eo quidem die quo in eam eſſet ingreſſus, moreretur. Scripſit præclaros.

Commentarios in Primam Secundæ S. Thomæ, habebatque quando obijt in manibus.

Commentarios in eiuſdem Secundam Secundæ. Qui M. SS. aſſeruantur in Collegio Conimbricenſi.

ANTONIVS CASILLIVS, Italus, Neapolitanus, natus anno ſalutis 1589. Societati ſe adiunxit 1604. & votorum quatuor profeſſionem edidit. Docuit in ea Rhetoricam aliquamdiu; Philoſophiam nouennio; Theologiam moralem quadriennio; Scholaſticam octennio in Collegio Romano, vbi, & præfuit aliquot annos ſtudijs. Rexit dein Collegium Germanicum in Vrbe, Seminarium Romanum; & Collegium Pęnitentiariæ Vaticanæ. & demum octogenario maior vir apprimè religioſus, & conſuetis Eccleſiæ pręſidijs ritè munitus ad vitam tranſijt immortalem Romæ die 6. Septembris 1670. Edidit dum Philoſophiam profiteretur.

Introductionem in Ariſtotelis logicam, & reliquas diſciplinas Romæ, ex Typographia Franciſci Corbelletti, 1619. in 8. quam recognitam, & locupletatam recudit ibidem 1635.

ANTONIVS CAVAIGNAC, natione Gallus patria Ruthenenſis ingreſſus Societatem anno 1601. ætatis 21. vota 4. nuncupauit. Poſt traditas in ea amæniores litteras, docuit Philoſophiam ac Theologiam moralem, Vir felicis ingenij, & multæ litteraturæ, eius pręſertim, quæ ad rerum Eccleſiaſticarum notitiam pertinet. Religioſe obijt Toloſæ die 4. Octobris 1630. Scripſit Gallicè.

Hiſtoriam B. V. à Gaudio, de lieſſe, nuncupatam. Item.

Hiſtoriam B. V. Cignacenſis apud Ruthenos.

ANTONIVS LA CAVCHIE, natione Belga, patria Montenſis, Hanno, ingreſſus in Societatem anno 1605. ætatis ſuæ 22. in ea Duaci obijt peſte contactis inſeruiens die 27. Septembris 1625. ſpiritualis Coadiutor formatus. Edidit Gallice.

Piam Alaudam, ſeu piarum Cantilenarum, Tomos duos.

ANTONIVS CHANVT, natione Gallus, patria Aureliacenſis, natus anno ſalutis 1592. Societatem 1609. ingreſſus Rhetoricam ſeptennio profeſſus eſt, & vota 4. nuncupauit. Rexit Collegium Carcaſſonenſe. Inſignis extitit obedientia, & zelo animarum, atque in audiendis Confeſſionibus aſſiduus fuit. Septuagenarius deceſſit Toloſæ 5. Auguſti 1662. ſcripſit.

Vaticinium de Regis Chriſtianiſſimi Ludouici XIII. Victorijs additum Panegyrico de capta Rupella, & alios panegyricos. Item.

Mariam Virginem, ſiue paraphraſim capitum 8. Prouerbiorum, & 24. Eccleſiaſtici de Auguſtiſſima Virgine Maria. Carmine Heroico Toloſæ apud Amoldum Colomerium 1642. in 4. Item.

Carmina Regia de præcipuis Auguſtiſſimæ Virginis Myſterijs. Toloſæ eiſdem typis, & forma.

Perpinianum captum. Ibidem 1642. in 4.

Præcipua ſeptem myſteria Auguſtiſſimæ Virginis Mariæ. Verſibus explicata, & in tres partes ſeu Tomos diſtributa, in quibus mira Poëtæ fecunditas elucet. Illarum

Pars prima excuſa eſt Toloſæ apud Petrum Boſc. 1650. in 8.

Pars ſecunda Toloſę apud Raymundum Boſc. 1655. in 8.

Pars tertia. Ibidem apud Arnoldum Colomerium 1657. in 8.

Recuſa hæc ſeptem myſteria in Parnaſſo Societatis Francofurti 1654. in 4.

* ANTONIVS CIVORE, natione Belga, Inſulis Flandrorum natus, anno ſæculi voluentis VIII. Societati ſe aggregauit 26. & votorum 4. nexu ei ſe adſtrinxit. Docuit aliquamdiu litteras amæniores, & Magiſtri Nouitiorum ſocium multis annis egit. Vir excellenti

cellenti ingenio, & omnium Scientiarum capaci, quod cùm rerum ſpiritualium ſtudio totum addixiſſet, tantam earum aſſecutus eſt notitiam, & in formandis conſcientijs dexteritatem, vt multos ad amorem virtutis, & ſcientiam Sanctorum feliciſſime deduxerit. Ardenti fuit in Deum caritate; & animarum accenſus zelo, illarum ſaluti penitùs ſe impendit; in corpore infirmo ſupra vires animoſus. Nunquam iraſci aut vehementiùs commoueri viſus eſt, & quamuis valetudine afflicta eſſet, nunquam tamen adduci potuit, vt in cibo potuue eximium quidpiam admitteret. Denique ea paſſim floruit opinione virtutis, vt pro viro numeris omnibus abſoluto, & ſancto ſit habitus. Inſulis demum Patrio ſolo peſte ſublatus eſt die 8. Maij 1668. Præclara ad ſanctitatem documenta, quæ longo vſu didicerat, Gallicè vulgauit libro cui titulus:

Arcana ſcientiæ ſanctorum. Inſulis typis Ignatij, & Nicolai de Rache 1651.

Paratum reliquit prælo opus aſceticum inſcriptum.

Pax, & Bellum Filiorum Dei, cùm praxi diſcretionis ſpirituum.

ANTONIVS COLAZVS; natione Luſitanus, Vidigueiræ in Eborenſi Diæceſi natus anno 1568. Societatem inijt 1586. & vota 4. emiſit. Eboræ inſeruiuit afflatis peſte, & multis annis verſatus eſt in aula Regis Catholici, Procurator Societatis pro Luſitania, & India. Vir antiquæ probitatis, & in ſuo munere accuratus, diem clauſit extremum Matriti 29. Octobris 1647. Edidit.

Annuas litteras rerum geſtarum à PP. Societatis IESV in India, & Iaponia annis 1600. *&* 1601. Quas è Luſitanico Ferdinandi Guerreri traduxit Hiſpanice 1604.

Annuas item ex India Prouincijs annorum 1607. *&* 1608. Edidit Luſitanicè 1611. &c.

Additionem ad Hiſtoriam Aethiopicam Fr. Ludouici de Vrreta 1611. in 4. Alienò verò nomine edidit,

Vitam P. Gonzali Silueriæ Societatis IESV.

Et tacito nomine,

Succinctam narrationem vitæ, & mortis trium SS. Martyrum Pauli, Ioannis, & Didaci, Iaponum è Societate IESV.

ANTONIVS CORDESES, natione Hiſpanus, patria Catalaunus, ex oppido Olet Diæceſis Gerunden. Anno ſalutis 1545. ætatis vero 26. Barcinone, ab Antonio Araozio ad Societatem admiſſus eſt, in qua Philoſophicas diſciplinas, & Theologicas didicit, & profeſſus eſt. Anno 1558. Procurator ab Aragonia Prouincia Romam delegatus eſt, vt primæ intereſſet Congregationi Generali, ac biennio poſt eiuſdem Prouinciæ Præpoſitus ab Lainio Generali conſtitutus eſt, votis 4. ſolemnibus anno 1559. nuncupatis; in quo munere cùm multa præclarè geſſit è re Chriſtiana, tum illud in primis commendationem obtinuit, quòd Barcinone teneram ætatem inſtituere fidei rudimentis ipſe cœperit; quàm ad rem cùm puerorum agmina ingentia confluerent, natu ſimul grandium, ac nobilium haud parua conueniebat manus, vt Prouincialem inter pueros Chriſti cauſa repueraſcentem ſpectaret. Interim domi quoque Socios inſtituebat optimè, & qua flagrabat caritate, non nemini peſte contacto myſteria vltima, ſua ipſe manu adhibuit. Quadraginta ferè annis Superioris partes egit, fuitquè Gandienſis, & Conimbricenſis Collegij, ac Pœnitentiariæ Romanæ Rector; Toletanæ quoque Prouinciæ Præpoſitus Prouincialis ab anno 1573. toto ſexennio. Secundæ, ac Tertiæ Congregationi Generali interfuit pro Aragonia, cuius agebat Prouincialem. Quartæ demum iuſſus eſt adeſſe à Toletana Prouincia. Denique Hiſpalenſis Domus Profeſſæ Præpoſitus fuit, in qua dierum ac bonorum operum plenus ſanctiſſimè vita functus eſt 16. Martij 1601. ætatis 82. Exceſſit magna opinione ſanctitatis, peſtilentia correptus, quæ dum ſe neglecto, aliorum ſaluti conſuluit contagione hominem abſumpſit. Eius tamen mali metus prohibere non potuit, quin partem aliquam corporis aut veſtium tàm ſummi, quàm imi carperent ad venerationem. Nimirum vir fuit ſingulari in Deum pietate, & in proximos benignitate. Orationis dono ſi quis alius, præſtans; mitis, ſuauis, lenis, tranquillæ mentis, & eodem ſemper tenore ac vultu: doctrina ac prudentia præditus ſupra modum vulgarem. Sed miræ ſimul ſimplicitatis, & candoris, expertus admodum diſcretor ſpirituum, & hominum ponderator. Singulari cultù proſecutus eſt Beatiſſimam Virginem Dei Matrem, à qua viciſſim magnis beneficijs auctus eſt. Conſtans opinio fuit eum baptiſmi gratiam nunquam perdidiſſe. Sanctimoniam quam in ſe factis exprimebat, omni ope conabatur in alijs promouere; quam in rem multa commentatus eſt, quibus alij poſt eum Scriptores, ſuas lucubrationes inſigniter exornarunt. Extat ab eo conſcriptus.

Catechiſmus. Valentiæ excuſus. Item Italicè.

Itinerarium perfectionis Chriſtianæ, Florentiæ primùm tacito Auctore; mox nomine P. D.L.P. Cler. Reg. inſignitum. Demùm Meſſanæ anno 1626. expreſſo verò Auctoris nomine publicatum; cui id duo Religioſorum Ordinum Generales ſua teſtificatione vindicarunt, Fr. Iacobus Bagnacauallus Fratrum Minorum, & P. Ioſephus Galeſanus Congregationis Paulinæ Scholarum piarum: id tamen ipſe Hiſpanicè conſcripſit.

Catechiſmum Emondi Augerij à Laurentio Calmireno Hiſpanicè tranſlatum recenſuit, & auxit. Calari apud Vincentium Sembeninum 1469. in 12.

Reliquit etiam poſt ſe quamuis nondum venerit in lucem.

Tra-

Tractatum de triplice via purgatiua, Illuminatiua, & vnitiua. Item alios Tractatus; De Mortificatione, De Oratione, De 7. Sacramentis. De Decalogi præceptis. Itemque alterum qui inſcribitur.

Lux animæ.

ANTONIVS DE LA CROIX, ſeu CRVCIVS, natione Gallus, patria Molinenſis, ad Societatem acceſſit anno Domini 1614. ętatis 18. in qua litteras humaniores docuit, & gradu ſpiritualis Adiutoris donatus eſt. Viuere deſijt Pariſijs, Calendis Ianuarij 1641. Reddidit Gallicè.

Relationem nouæ Miſſionis P. P. Societatis IESV in Regno Cocincinæ, ſcriptam Italice à Chriſtophoro Borro Rhedonibus apud Ioannem Hardij 1631. in 8.

* ANTONIVS DAMIANI, natione Italus, Neapoli anno ſeculi fluentis 23. natus, Hetruſcis maioribus e Piſarum Vrbe, Deo ſe in Societate dicauit anno 1638. & votorum 4. ſacramentum dixit. Quinquennio Rhetoricam, & amęniores litteras profeſſus eſt; Exinde annos amplius 20. Eccleſiaſtem egit in pręcipuis Italię Ciuitatibus. Edidit Italicè.

Hiſtoriam Panegyricam, & Moralem de S. Conrado Confeſſore, ex Ducibus Bauariæ. Neapoli per Lucam Antonium fuſcum 1670. in 12.

Apologeticam orationem, & Panegyricam de eodem S. Conrado, cùm alijs Sanctis eiuſdem Nominis. Typis iiſdem 1669.

Vitam Iſabellæ Feltriæ à Robore, Biſianenſium Principis, fundatricis Templi, & Domus Profeſſæ Neapolitanæ, &c.

Ibidem iiſdem typis 1670.

Concionem habitam Lucæ in Palatio Reip. De vera, & fucatæ libertatis diſcrimine. Lucę apud Hyacinthum Pacium 1665.

Apologeticum libellum pro anno 1666. quem non nulli tamquam ominoſum perperàm augurabantur. Sub nomine Tonantij Mædiani Neapoli typis Hieronymi Faſuli 1666. in 12.

Habet prælo parata complura alia, ſuo tempore, Deo benefauente, proditura.

ANTONIVS DES LIONS, natione Belga, Domo Bethunienſis, cuius Vrbis Collegium aliquando rexit, admiſſus in Societatem anno ſalutis 1608. ætatis ſuæ 19. poſt traditas humaniores litteras, concionandi munus varijs in locis cùm approbatione exercuit annis 25. & triennio in Aula Principis Cardinalis Bruxellis. Præter alia virtutum decora eluxit in eo tenerrimus amor in Chriſtum patientem, cuius memoriam, cultumquè vt facilius propagaret, ſtationes (vt vocant) redemptionis noſtræ myſterijs inſignes, in multis Vrbibus primus inuexit, & inuectas in alijs voce, & calamo celebres fecit. E vita hac ſublatus eſt, Montibus Hannoniæ die 11. Iulij 1648. tria vota ſolemnia pridem profeſſus. Edidit.

Elegiarum de cultu B. V. Mariæ libros tres; & in fine,

De Angeli Tutelaris cultu. Duaci primùm, poſtea cùm Auctario Antuerpiæ typis Plantinianis Moreti 1640. in 8.

Elegias de Amore IESV. Anturpiæ. Scripſit Gallicè.

Hiſtoriam Inſtitutionis celeberrimæ Confraternitatis Sancti Eligij apud Bethunienſes. Tornaci typis Adriani. Quinque 1643.

De ſtationibus Chriſti Patientis.

Reliquit Opus prælo digniſſimum,

Poëma de Auſtriaca in ſacram Euchariſtiam pietate.

ANTONIVS DE ESCOBAR, & MENDOZA, natione Hiſpanus, patria Valliſoletanus, Societatem complexus anno ſalutis 1604. ætatis ſuæ 15. vota 4. in ea nuncupauit. Concionator egregius, & raro admodum exemplo, vt qui quinquaginta annis per Quadrageſimam dixerit ad populum, & ſæpe bis in die; nunquam relaxato in ſe rigore Eccleſiaſtici Ieiunij, niſi poſtremo vitæ ſuæ anno propter infirmitatem, & iam tùm octogenarius. Direxit Congregationes duas Sacerdotum, & ſæcularium, & vtroſque aſſiduis cohortationibus ad pietatem accendebat, tùm eorum ſacras exomologeſes promptè excipiebat, & quorumuis præterea aliorum, nec ſe ob occupationes ſubtrahebat. Quin, & carceres, & Noſocomia frequenter adibat, & quaſi vbiquè proximis adiuuandis aderat. Quod ſupererat temporis ſcriptioni impendebat, ita tamen vt non aſceticam diſciplinam, & præſertim horas orationi præſtitutas, exactiſſimè obſeruaret. Et quamuis tot tomos conſcripſerit, nunquam tamen amanuenſis alicuius opera vſus eſt, ſed ſua manu omnia exarabat. Cultui B. V. addictus impensè fuit, atque in eius honorem, & prolixas quotidie preces de genibus fundebat, & ſabbathis ſingulis, ac peruigilijs feſtiuitatum eiuſdem ieiunabat. Tandem ætate grauis, & laboribus exhauſtus in ægritudinem acutam incidens, quæ 21. diebus eius patientiam mirificè exercuit, vltimo triduo complectens arctè effigiem Crucifixi, inter pia colloquia, & iterata ſæpiùs dulciſſima IESV, & MARIÆ nomina, efflauit animam, Valliſoleti die 4. Iulij anno 1669. ætatis 81. Societatis initæ 65. Edidit laborioſiſſimus P. Latinè.

In caput 6. Ioannis de Auguſtiſſimo ineffabilis Euchariſtiæ arcano, moralibus myſticiſque annotationibus reſerato. Valliſoleti apud Viduam Franciſci Fernandez à Cordoua 1624. in folio.

Commentarios in Euangelia Sanctorum, & temporis, Panegyricis Moralibus illuſtratos, Tomis 6. quorum,

1. *De Chriſti Vita.* Lugduni, ſumptibus Petri Proſt. 1642. in fol.

2. *Lignum Vitale, Chriſti Solemnia*, Ibidem eodem anno in folio.

3. Ma-

3. *Maria vera Sunamitis*, ibidem eiſdem typis 1648. in folio.

4. *Lignum vitale, Apoſtoli*, ibidem eodem anno, & forma.

5. *Lignum vitale, Religionum fundatores*, ibidem eodem anno, & forma.

6. *Lignum vitale, Angeli, Martyres, Confeſſores, Diuæ fœminæ &c.* ibidem, eodem anno, & forma.

Vetus & nouum Teſtamentum litteralibus, & moralibus Commentarijs illuſtratum, duobus Tomis, quorum Prior *continet Geneſim, Exodum, Numeros, & Deuteronomium*; Poſterior *Ioſue, Iudicum, & Ruth, & 4 libros Regum*. Lugduni apud Philippum Borde, & ſoc. 1652. in folio.

Vniuerſæ Theologiæ Moralis receptiores ſententias, volum. ſeu Tomis 7. in folio. Quorum

1. *Tractat Generalia principia*. Lugduni Sumptibus Philippi Borde, & ſociorum 1652.

2. *De Sacramentis, Baptiſmo, Confirmatione, Eucharistia, Pœnitentia*. Ibidem eiſdem typis.

3. Parte I. *De Iubilæis, Eucharistia, Miſſa, Extrema Vnctione, Ordine*. Parte II. *De matrimonio*. Ibidem 1663.

4. *In Præcepta Decalogi*. Ibidem eodem anno.

5. *De Iuſtitia, & Iure*. Parte I. *Et de præceptis Eccleſiæ*. Parte II. Ibidem eodem anno, & forma.

6. *De Virtutibus Theologicis*. Ibidem eodem anno, & forma.

7. *De triplici ſtatu Eccleſiaſtico, Religioſo, & ſeculari*. Ibidem eodem anno 1663. in folio.

Librum Theologiæ Moralis 24. Societatis Ieſu Doctoribus reſeratum, & in examen Confeſſariorum digeſtum. Poſt trigeſimam, & ſeptimam Hiſpanicam editionem, & vnam Lugdunenſem, ob eius vtilitatem, recuſum Venetijs apud Balconium 1650. in 8. Hiſpanicè ſcripſit

Summulam Caſuum Conſcientiæ. Pompeiapoli apud Ioannem de Oteyza 1626. in 16. Item

Hiſtoriam de Virgine Deipara à puriſſima Conceptione vſque ad Aſſumptionem. Poëmate heroico, Valliſoleti apud Hieronymum Marillum 1618. in 8. quam poſtea recudit ſub titulo:

Noua Hieruſalem Mariæ. Ibidem 1625. in 16. Item

De S. Ignatio Loyola. Poëmate Heroico. Valliſoleti apud Franciſcum Fernandez de Corduba 1614. in 8.

Examen & praxim Confeſſariorum & Pœnitentium Hiſpanicè trigeſies nouies recuſum 1647. in 12.

ANTONIVS FERNANDEZ natione Luſitanus, patria Vlyſſiponenſis, cùm annos ætatis haberet 27. Societatem expetijt, & obtinuit anno ſalutis 1591. In ipſo tirocinio præluxit virtute alijs, ideoque permiſſus poſt biennium tirones inter permanere, vt ſuo illis præiret exemplo. Poſtea Magiſtro Nouitiorum ſocius datus, munus illud egregiè impleuit, donec labores Indicos ſuſpirans miſſus eſt Goam anno 1602. Inde ad meſſem Aethiopicam deſtinatus, anni ſpatio nauigationem in portu Cambaiæ præſtolatus eſt, & aſſumpto habitu Armenio, demùm eò feliciter penetrauit anno 1604. vnà cum Franciſco Antonio de Angelis, quem Dambeæ in Aethiopia Apoſtolum, Patriarcha Alphonſus Mendez non dubitauit poſtea appellare. Ea in vinea excolenda, ampliùs 30. annos ingentes inter ærumnas Antonius Fernandez laborioſiſſime impendit. Profeſſionem votorum quatuor ibidem emiſit, & noſtris omnibus ea in expeditione aliquandiù præfuit. Patriarcham Alphonſum eò poſtea aduentantem, in viſitando ſuo grege inſigniter iuuit, ab eoque in Patrem ſpiritualem, & Conſcientiæ arbitrum eſt adlectus. Eundem Patriarcham, eiectum deinde in exilium ab Imperatore Schiſmatico, comitatus eſt inter ærumnas quàm plurimas, Goam vſque, vbi poſt alios annorum aliquot labores, ſuſceptis ritè atque ore renidenti Eccleſiæ Sacramentis, ad Beatorum requiem (vt ſperatur) euolauit die 12. Nouemb. 1642. Eius res geſtas & virtutes inſignes fuſiùs narrat idem Patriarcha, in ſua Hiſtoria M.S. de Expeditione Aethiopica, atque inter alia mira de eo refert; Conſpectum ſemel inter orandum in cubiculo ſuo, ſublimè à terra ad duos cubitos eleuatum; ſemel etiam cùm iter agendo pedibus, perueniſſet ad flumen, quod non niſi natando pertranſire poterat, ipſe autem natandi imperitus eſſet, implorata diuina ope, repentè, vt erat veſtitus, & calceatus, ſe ad vlteriorem fluminis ripam tranſuectum reperit. Scripſit vir Apoſtolicus

Flagellum mendaciorum ſiue tractatum de erroribus Aethiopiæ ſermone Chaldæo, Typis Aethiopicis ab Vrbano VIII. ad Patriarcham Alphonſum ſubmiſſis, impreſſum Goæ 1642. in 4.

Item lingua Amaranica, ſeu Aethiopica, poſtulatu Imperatoris,

Opus ſex dierum.

De Immunitate Eccleſiaſtica.

Inſtructionem Sacerdotum pro Confeſſionibus audiendis.

Vitam B. V. Mariæ.

De Ieiunio in quo oſtendit ritum Aethiopum multa errare.

Tranſtulit etiam in linguam Aethiopicam.

Rituale Romanum anno 1626. cui addidit.

Ordinarium Canonem, Ceremoniale, Miſſas Feſtorum.

Calendarium Feſtorum mobilium, iuxta compu-

computum anni Aethiopici, vt cum Romano conueniat.

Librum Synodorum.

Emendauit ex parte librum, cui titulus eſt.

Fides Patrum, erroribus expurgatis.

ANTONIVS FERNANDEZ DE CORDVBA, natione Hiſpanus, patria Cordubenſis, in Societatem ſuſceptus anno Domini 1583. ætatis 24. iam tum Iuris Canonici Baccalaureus, vota quatuor in Societate emiſit. Vir pius, & Theologia de moribus, atque vtriuſque iuris peritia bene inſtructus, ſed opera ſua, peſte contactis impenſa, maximè commendabilis. Obijt demum Granatæ virtutum, & dierum plenus die 23. Martij 1634. In lucem edidit

Inſtructionem Confeſſariorum tribus partibus Granatæ in officina Martini Fernandez Zambrano 1621. in 12.

ANTONIVS FERNANDIVS alter natione Luſitanus, patria Conimbricenſis, vbi Societatem ingreſſus anno ſalutis 1572. ætatis ſuæ 14. votorum quatuor profeſſionem edidit, Sacroſanctæ Theologiæ Doctor, & in Eborenſi Academia Sacræ Scripturæ profeſſor ad Indos zelo Conuerſionis illarum gentium nauigauit, & Goæ Domum Profeſſorum gubernauit. Inde redux conſedit Vlyſipone, & egregium concionandi talentum, quo excelluit diù cùm grauitate, & auctoritate exercuit. Demùm annis grauis quieuit in Domino Conimbricæ die 14. Maij 1628. Edidit multorum annorum ſtudio elaboratos.

Commentarios in viſiones veteris Teſtamenti; cum paraphraſibus capitum ex quibus eruuntur. Lugduni anno 1617. & iterum anno 1622. ſumptibus Iacobi Cardon, & Petri Cauellat in folio. Reliquit etiam

Commentarios manuſcriptos in Iſaiam Prophetam.

ANTONIVS FOLCARIVS, natione Italus patria ex Oppido S. Stephani in Comitatu Niceenſi, vicennis Societatem amplexus eſt anno 1564. & votis 4. ſe obſtrinxit. Vir non mediocri eruditione, Theologiam moralem nouennio docuit, & cùm alijs virtutibus inſignis, tùm religioſa ſimplicitate, & Chriſtiana humilitate præclarus. Multum eius opera vſi ſunt tùm alij cuiuſque generis homines, tùm Eccleſiæ etiam Principes varijs in locis, & vbique perſpecta hominis probitas fuit. Sereniſſimæ Eleonoræ Auſtriacæ Mantuæ Duci, totis 9. annis fuit à Confeſſionibus, & duos Mantuæ Principes Franciſcum, & Ferdinandum educauit, atque inſtituit. Eo in opere febri correptus cùm rem diutiùm facere aggrederetur, poſtremum hoc ſibi ſacrum fore, non vana vaticinatione prædixit. Obijt Mantuæ 2. Octobris 1601. Scripſit Italicè.

Vitam Sereniſſimæ Eleonoræ Archiducis Auſtriæ, Ducis Mantuæ, & Monferrati. Mantuæ per Franciſcum Oſannam 1598. in 4.

ANTONIVS FONS, natione Hiſpanus, patria Vrgellenſis in Gotholaunia, admiſſus in Societatem anno Domini 1624. ætatis ſuæ 15, Quadriennium in ea humaniores litteras, ſeptennium Theologiam explicuit, 4. votorum Profeſſus. Rexit Collegium Vrgellenſe; concionibus, & Confeſſionibus excipiendis multos annos vtiliter impendit, adhuc ſuperſtes in Collegio Barcinonenſi. Dum pueros ſtudijs humanioribus informaret in eorum commodum edidit Dictionarium latino-Gotholaunicum inſcriptum.

Fons verborum, & Phraſium. Barcinone typis Sebaſtiani Matthæi 1637.

* ANTONIVS FRANCISCVS CARDIM. natione Luſitanus, patria Vianenſis Diœceſis Eborenſis, Societati nomen dedit anno ſalutis 1611. ætatis ſuæ 16. & votorum 4. ſacramentum dixit. Ab ipſo tirocinio flagrauit deſiderio proficiſcendi ad Indias & vt preſſius ſectaretur veſtigia Sancti Franciſci Xauerij, prænomen ſibi Franciſci aſſumpſit, cùm prius Antonius Cardim appellaretur. Dum ſtuderet Philoſophię, Miſſionem Indicam tandem ſuis precibus, & lacrymis extorſit potius, quam obtinuit; erat quippè valetudinis non robuſtæ, & ad laborioſam nauigationem minùs idoneæ. Cæterùm, quæ Dei benignitas fuit, in itinere dum ſocij alij corpore robuſtiores ægrotarent, ipſe infirmorum omnium curam geſſit. Emenſis in India Philoſophię, ac Theologiæ ſpatijs, miſſus eſt ad expeditiones varias Iaponenſem, Cantonienſem in Sinis, Siamenſem, Cocincinenſem, Tunquinenſem, & alias; rexit etiam Macaenſe Collegium, & Nouitijs ibidem informandis magiſter ſecundùm præfuit. Anno 1638. electus eſt à Congregatione Prouinciali Procurator ad Vrbem, & Congregationi octauæ generali interfuit. Redux poſtea in Prouinciam ſuam cùm manipulo ſociorum, naufragium in itinere paſſus eſt, ex quo tamen ſalui omnes euaſerunt. Demum plurimis Chriſti cauſa defunctus laboribus, & ærumnis ad vitam tranſijt immortalem Macai die vltimo Aprilis 1659. Edidit Luſitanicè.

Relationem glorioſæ mortis 4. Oratorum Luſitanorum, à Ciuitate Macaenſi miſſorum in Iaponiam cùm 57. ſocijs Nangaſachi, pro fide Chriſti capite plexorum. Vlyſſipone 1643. in 4.

Relationem de Prouincia Iaponiæ Societatis IESV. Oblatam Innocentio X. Romæ typis Andreæ Fei 1645. in 8. & Gallicè Pariſijs 1645. Latinè edidit tres ſequentes.

Faſciculum è Iaponicis Floribus ſuo adhuc ſanguine madentibus compoſitum, cùm elogijs, & imaginibus interfectorum in odium fidei. Romæ typis hæredum Corbelletti 1646. in 4. Item.

Catalogum omnium in Iaponia pro Chriſto interemptorum. Ibidem.

Mor-

Mortem 4. legatorum de quibus ſuprà. Ibidem.

ANTONIVS LE GAVDIER, natione Gallus, patria Caſtro-Theodoricianus in Diœceſi Sueſſionenſi. Is venit in Societatem anno Domini 1589. ætatis 18. quando inteſtinis belli flammis Gallia cœpit vniuerſa exardeſcere: ſed ob valetudinis infirmitatem, è tirocinio domum remiſſus, denuò in Belgio Societati adſcriptus eſt, vbi multis annis Sacram Scripturam interpretatus eſt, & Lodienſi Collegio Rector præfuit. Sub annum 1614. venit in Lotharingiam, ibique in Muſſipontano Collegio Moralem Theologiam publicè profeſſus eſt: & quòd eſſet non magis optimis diſciplinis inſtructus, quàm rerum ſpiritualium peritiſſimus iiſdem domi præfectus eſt. Multæ vir orationis, & mortificationis; in diſcernendis ſpiritibus acutus, in diiudicandis animi motibus ſagax, in detegendis Dæmonis fraudibus ſolers, & perſpicax, in omnibus denique ſtrenuus, ac diligens, diſciplinæ tenax, regularum amans, inſtituti conſtans exactor, obſeruator, & propugnator. Eadem Flexiæ munera quæ Muſſiponti, exercuit; ac demùm Pariſiis tironum magiſterio tàm eorum, qui primo biennio explorantur, quàm qui tertio probantur anno, tanta cum laude, tres annos functus eſt, vt ſit etiam num aliqua apud noſtros gloria, ſub tali Magiſtro, rudimenta virtutis poſuiſſe. Eo in munere verſantem morbus, & mors occupauit. Peracutos dolores quibus conflictabatur aſſidua Chriſti Seruatoris recordatione, & tenerrimo in Sanctiſſimam humanitatem affectu leniebat. *Extremum diem* & *horam* perſentire viſus eſt, cùm gratulari ſibi cœpit, quòd iam ſibi videretur polliceri poſſe mortem in Societate, quamuis vel tùm iudicia] Dei timenda diceret. Pridie quàm obijt, ſocijs circumfuſis verba fecit pietatis pleniſſima, quibus & ſeſe vitæ negligenter actæ accuſabat, & ipſos ad dignas homine religioſo virtutes maximè vero ad obedientiam hortabatur. Sacramentis munitus, piè obdormiuit, Pariſijs die 14. Aprilis anno 1622. ætatis 50. ab inita Societate 33. cum pridem in ea eſſet vota quatuor ſolemnia profeſſus. Qui plura de hoc ſapientiſſimo vitæ ſpiritualis magiſtro noſſe cupit conſulat elogium, eius operi poſthumo De natura & ſtatibus perfectionis præfixum. Scripſit *Aſceticos tractatus* his titulis

De Sanctiſſimo Chriſti Ieſu Dei, & hominis amore. Pariſijs apud Sebaſtianum Chapelet 1619. & Coloniæ 1620.

De vera Chriſti Ieſu Dei, & Hominis imitatione. Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoyſy 1620. in 12. & Coloniæ eodem anno.

De Dei præſentia. Pariſijs apud Sebaſtianũ Cramoyſy 1620.

Praxis meditandi à S.P.N.Ignatio Societatis Ieſu fundatore traditæ explicatio. Pariſijs apud eundem 1620. & Dilingæ 1627.

De Natura & Statibus Perfectionis. Opus poſthumum, in quo ſunt aliqua ex prædictis opuſculis. Pariſijs typis Sebaſtiani Cramoyſy 1643. in fol.

* ANTONIVS GIRARD natione Gallus, natus in Diœceſi Auguſtodunenſi Societatem complexus anno Domini 1621. ætatis 18. vota quatuor in ea nuncupauit. Scriptor celebris, multa piè elucubrauit ſuo marte, alia tranſtulit in linguam Gallicam; Superſtes in Collegio Flexienſi. Edidit hactenus lingua vernacula

Picturam Innocentiæ fundatæ in fuga peccati. Pariſijs apud Ioannem Henault 1645. in 24.

Picturam Innocentiæ fundatæ in cuſtodia gratiæ. Ibidem eiſdem typis 1646. in 24.

Memorabiles pugnas, & victorias Sanctorum cum varijs Imaginibus. Pariſijs iiſdem typis 1647. in 4.

Summam vitæ & Paſſionis Chriſti cum figuris. Pariſijs apud Viduam Franciſci Ioron 1650. in folio.

Picturam vitæ & morum Sereniſſimæ Imperatricis Eleonoræ Mantuæ. Pariſijs apud Florentium Lambert 1657. in 8.

Picturas Sacras in vniuerſam ſcripturam, cùm imaginibus iam ter & vltimò apud Antonium de Somauille 1659. in folio.

Summam Epiſtolarum, & Euangeliorum totius anni cum explicationibus SS. Patrum, & Interpretum. Pariſijs, Ex typographia Regia 1661. in 4.

Ideam piæ, & Chriſtianæ mortis in Hiſtoria obitus Chriſtianiſſimi Regis Ludouici XIII. contextam, ex ſchedis R.P. Iacobi Dinet, qui à confeſſionibus erat Regi, & morienti adfuit. Pariſijs, ex typographia Regia anno 1656. in folio.

Vertit in linguam Gallicam.

Rogum damnatorum P. Hieremiæ Drexelij. Pariſijs apud Ioannem Camuſat 1638. & iterum apud Ioannem Henault 1656. in 12.

Picturam miſericordiæ ſeu de gaudijs Paradiſi eiuſdem Drexelij. Pariſijs apud Viduam Ioannis Camuſat 1639. in 12.

Heliotropium eiuſdem. Typis iiſdem 1640. & 1659.

De Imitatione Chriſti Thomæ à Kempis. Pariſijs apud Petrum le Petit 1641. & apud Ioannem Henault ſæpiùs.

Hiſtoriam Ioſaphati Regis Indiæ, ex Sancto Ioanne Damaſceno. Pariſijs apud Viduam Ioannis Camuſat 1643. in 12.

De bono ſtatus Religioſi P. Hieronymi Plati. Pariſijs apud Gaſpardum Maturas 1644. in 4.

De vocatione gentium S. Proſperi. Pariſijs apud Ioannem Henault 1649. in 8.

Manuale Sodalitatis B. Virginis. Pariſijs apud Simonem Bernard 1651. in 12.

De imitatione B.V. Patris Franciſci Arias. Pariſijs apud Gaſpardum Maturas 1652. in 24.

Inſtitutionem Spiritualem Bloſij: Pariſijs apud Ioannem Henault 1658.

Vitas Sanctorum conſcriptas à P. Ribadeneira. Pariſijs ſæpè; nouiſſimè apud Ioannem Henault duobus Tomis in folio.

Artem bene gubernandi ad Imitationem Chriſti, & S. Ignatij. Auctore P. Huberto Vviltheim typis iiſdem 1661. in 12.

Speculum Vitæ deuotæ. Pariſijs apud Franciſcum Muquet 1662. in 12.

Vitæ S. Franciſci Xauerij Compendium, & Noua eius miracula. Pariſijs apud eundem 1662. in 8.

Duo fundamenta ſalutis extracta ex operibus P. Leonardi Leſsij. Pariſijs apud Sebaſtianũ Cramoyſy 1663. in 12.

Viam Cæli ab Eminentiſſimo Cardinale de Bona Latinè compoſitam. Pariſijs apud Ioannem Henault 1664. in 24.

Regulas Societatis Ieſu. Pariſijs apud Guilhelmum Saſſier 1666. in 24.

* ANTONIVS GOLETI natione Gallus, gente Sebuſianus, natus anno ſæculi prœterlabentis 7. ad Societatem ſe adiunxit 1626. & votorum quatuor nexu ſe adſtrinxit. Rhetoricam, & amæniores litteras ſeptennio profeſſus eſt; Philoſophiam quinquennio; Theologiam moralem etiam quinquennio; Sacras litteras ſeptennio interpretatus eſt, & præfecturam ſtudiorum geſſit decennio. Vir omni genere doctrinæ excultus modo degens in Collegio Lugdunenſi edidit libellum carminum cui titulus eſt:

Muſæ Attiniacenſes, ſiue Carminum libri ſex, quibus Epigrammata, Idyllia, & Poëmata varia continentur. Lugduni apud Antonium Molin. 1657. in 12.

* ANTONIVS DE GOVVEA natione Luſitanus patria Caſalenſis in Diœceſi Viſenſi, adſcitus in Societatem anno ſæculi labentis 11. ætatis ſuæ 19. & emenſis in Luſitania ſtudiorum curriculis, ad animarum quæſtum nauigauit in Solis Orientis Indiam, & Miſſioni Sinenſi applicatus, amplius annos 36. vineam illam gnauiter coluit, profeſſionem votorum quatuor ibidem emiſit. Superior in Reſidentijs diù fuit, & demùm totius Vice Prouinciæ Præſes. Exorta porrò in Chriſtianos perſecutione graui, ipſe cum alijs Euangelij Præconibus abductus primò eſt ad Regiam Pekinenſem, deinde in exilium relegatus in Vrbem Cantonienſem ſimul cum alijs 24. Sacerdotibus Miſſionarijs, ideſt 19. ex Societate, quatuor ex Ven. Ordine Sancti Dominici, & vno ex Ven. Ordine Sancti Franciſci, ibique in cuſtodiam anno 1665. omnes compacti. Hic dum per ſexennium captiui detinentur in honeſto carcere, excubante ad portam domus militari manu, ne quis egredi poſſet, oblati ſunt libelli ſupplices varij Regi, & Tribunalibus Regijs, à quatuor Patribus Societatis, qui Pekini remanere permiſſi ſunt ac tandem fauente Deo, & ſuam cauſam varijs prodigijs protegente declarata eſt iuridicè à Tribunali Supremo Innocentia Religionis Chriſtianæ, iuſſique præcones illius omnes eximi ex cuſtodia, & vocatis eorum nonnullis Aſtronomiæ peritis ad Curiam PeKinenſem; reliqui ad ſuas quiſque Eccleſias in diplomate Regio particulatim nominatas, reduci debebant honorificè & publicis ſumptibus ad trecentas circiter vel quadringentas leucas. Facta inſuper tandem quoque poteſtas eſt indigenis amplectendi fidem Chriſti, ex ſpeciali benignitate Imperatoris prout ex recentioribus inde litteris conſtat. De horum pleriſque narrationem accuratam contexi curauit P. Antonius Vice Prouincialis, & Characteribus Sinicis, ac latinis in lucem edi hoc titulo.

Innocentia Victrix, ſiue ſententia Comitiorum Sinici Imperij pro innocentia Chriſtianæ Religionis, lata iuridicè per annum 1669. & Sinico-Latinè expoſita. In quàm-cheù Metropoli Prouinciæ quàm-tùm, in Regno Sinarum anno ſalutis humanæ 1671. in folio. Huius libri exempla duo perlata ſunt Romam anno 1674.

Scripſit præterea idem P. Gouuea dum in Prouincia FocKien rem Chriſtianam promoueret,

Hiſtoriam Sinicam Societatis Ieſu, idiomate Luſitanico, quæ in Luſitaniam delata ibi manuſcripta aſſeruatur.

ANTONIVS DE HERRERA natione Hiſpanus, patria Oropeſanus in Societatem cooptatus anno ſalutis 1611. ætatis 15. vota quatuor profeſſus, docuit humaniores litteras, & Theologiam moralem, & duode triginta annis Eccleſiaſten egit. Proregi Siciliæ Almirantio Caſtellæ fuit à ſacris confeſſionibus, & Sacræ Inquiſitioni à Cenſuris, & Regi Catholico Philippo IV. à Concionibus. Gubernauit Domum Profeſſam Madritenſem, & demum annis grauis migrauit ex hac vita ad immortalem, Matriti die 29. Decembr. 1672. Dixit Hiſpanicè atque edidit inſignem

Orationem de Immaculata Conceptione Deiparæ. Panormi apud Alphonſum Iſola 1642. Item

Orationem funebrem in exequijs Reginæ Catholicæ Iſabellæ habitam Neapoli 1645.

ANTONIVS HOSKINVS, natione Anglus, patria Herefordienſis, eximiæ pietatis, & prudentiæ vir Societatem in Hiſpania ingreſſus eſt anno 1593. ætatis ſuæ 25. indè miſſus in Angliam per aliquot annos inſigniter laborauit, & votorum quatuor Profeſſionem Londini emiſit 1609. Vice-præfectus deinde conſtitutus eſt Miſſionis Anglicanæ in Belgio, & demum Vice-præfectus eiuſdem Miſſionis in Hiſpania, vbi magno ſui deſiderio Noſtris relicto mortuus eſt Valliſoleti in Collegio Anglicano die 10. Septembris 1615. Scripſit Anglicè præfixis litteris H. I.

Contra iuramentum fidelitatis, Catholicis Angliæ à Rege proponendũ. Audomari 1611. in 8.

Tran-

Tranſtulit ex latino in Anglicum præſcriptis litteris F. B.

Thomam de Kempis, impreſſum Audomari ſæpius. Item

Epitomen Chriſtianæ perfectionis. Audomari 1612. Item ex Gallico in Anglicum conuertit,

Apologias Henrici IV. & Ludouici XIII. Regum Galliæ pro Societate Ieſu factas Pariſijs. impreſſas Audomari 1611. in 4.

* ANTONIVS IGNATIVS DESCAMPS, ſeu DE CAMPIS natione Hiſpanus, patria Perpinianenſis in Comitatu Ruſcinonenſi, natus ſæculi fluentis anno 14. Societati ſe applicuit 1630. & votis quatuor ſolemnibus ſe obligauit. Docuit Rhetoricam, & Philoſophiam, & annis 12. Theologiam, Conſultor & Cenſor in Tribunali S.Inquiſitionis. Rexit Collegia Manreſanum, & Perpinianenſe, & multis annis egit Eccleſiaſten; agitquè modò Perpiniani. Edidit Hiſpanicè

De Congregatione B.Virginis Auxiliatricis, ſiue del Soccorſo, denuò fundata, & ab Alexandro VII.Pont.Max. approbata. Perpiniani 1666. in 4. Item

Vitam Ven. Patris, atque eximij Doctoris Franciſci Suarez duobus Tomis Perpiniani, apud Ioannem Figuerolam 1671. & 1672. in 4.

ANTONIVS IORDINVS natione Gallus, patria Aruernus à S. Floro natus eſt anno 1562. Societatem ingreſſus 1580. in ea Philoſophiam ſexennio, Theologiam totis 14. annis profeſſus eſt. Romę egit Præpoſiti Generalis Theologum, & librorum à Societate edendorum Cenſorem (quem appellamus Reuiſorem) pro Gallia. Vir multiplici & exaggerata eruditione clarus, ſed quem depreſſit religioſa animi demiſſio, cuius ſtudioſiſſimus fuit. Sapiebat præ alijs, ſed ſine pompa; Spartanam breuitatem affectans, ſententijs quàm verbis affluentior fuit; ſtatura puſillus; ſed ſui æſtimatione minor; & aliorum magnus. Plenus dierum ac meritorum, ad Beatorum cœtum (vt fas eſt credere) emigrauit Annonæi prope Turnonem die 28. Aug. 1636. Edidit

Radices linguæ Hebraicæ, ſeu Primigenias Hebraiſmi voces, centenis verſuum decadibus comprehenſas, cum eorum latina explicatione. His acceſſit: *Decas animaduerſionum ad eaſdem*. Lugduni ſumptibus Claudij Landrij 1624. in 8.

Scripſit etiam ſed non impreſſit

Dictionarium Triglotton, & De Poëſi Hebræorum.

* ANTONIVS IVLIVS BRIGNOLE, natione Italus, patria Genuenſis Patritij Ordinis, & cuius Parens Dux fuit Sereniſsimę Reipublicę, ipſe quoque Senatoribus adſcriptus, legatum Reipub. ad Regem Hiſpaniarum egit; & cùm ad annos 47. vixerit in ſæculo, coniugatus; ſuſceperat liberos, & Marchio Gropolis in Hetruria fuit. Eo in ſtatu inſigni pietate, alijſquè virtutibus eluxit; in pauperes verò tam luculenta beneficientia, vt quotannis ad ſex, vel octo millia aureorum in ipſos erogarit, & paulò ante quam ſæculo nuncium remiſit, ad 40. mill. vno die, atque vna ſyngrapha in vſus pauperum effuderit. Interim gliſcente intùs flamma ſpiritus Sancti, & perfectionis maioris accenſus deſiderio, Clericali militiæ ſe adſcripſit, & Sacerdotio initiatus, totum ſe, & proximorum ſaluti, & ſui ipſius contemptui, cùm omnium admiratione dedit. Obſtupuit ſiquidem Ciuitas opulenta, videndo ex Senatore concionatorem; ex prædiuite pauperem; & vili lacerna tectum quem priùs ſuſpexerat inter Optimates auro, & opibus fulgentem. Hoc ille velut rudimento virtutis per triennium poſito, incrementa perfectionis quærens, demum Societati noſtræ (cui inter ſacrificandum voto ſe obſtrinxerat) nomen dedit, anno ſalutis 1651. die 16. Februarij. Hic inter tirones quaſi minimus, mirum quanta animi demiſſione emicuerit, quanta minimæ cuiuſque conſuetudinis obſeruantia, vt iam tùm in religione veteranus videretur. Vocationis ſuæ religioſæ æſtimatio tanta in eo fuit, vt nunquam fecerit finem eam celebrandi apud filios, propinquos alioſque amicitia ſibi coniunctos, & cohortandi eos quà publicè in concionibus, quà priuatim ad eandem, adeò vt promiſerit vim non leuem pecuniæ, Curatori filij ſui minoris natu, ſi hunc ad Societatem ineundam induxiſſet. In Religione porrò concionandi muneri à ſuperioribus applicatus, per decennium fermè, illud planè Apoſtolicè obiuit, tanto ſpiritus ardore, vt in Auditoribus (quos frequentiſſimos habebat) ſæpe lacrymas non ſteriles, ſed veræ pęnitentiæ virtutumque fæcundas excitarit. Nec ſolum è ſuggeſtu, ſed vndecumque, & vbicumque ſe daret occaſio, arripere eam ſolitus, opportunè, importunè, in congreſſibus, in itineribus, comites, veredarios, caupones, baiulos, nobiles, ignobiles, omnes ad virtutem accendere ſatagebat. In diſciplina domeſtica ſeruandà etiam in minimis accuratiſſimus fuit; & ad omnem nutum ſuperiorum paratiſſimus, cilicijs, flagellis, Ieiunijs, & cæteris corporis afflictationibus adeò deditus, vt fræno indiguerit. Orationi tempora præſtituta, ſumma cura implebat, & ne vllam boni illius diei particulam ſibi deperire ſineret, arenariam clepſydram ad ea fideliter dimetienda, in ſinu geſtare conſueuit; neque enim horologia affabrè facta ſeu rotata, quantumuis oblata ad id, admiſit. Inter orandum ſæpe abſtrahebatur à ſenſibus, vt nec aduerteret ſi quis aperto cubiculo oranti ſuperueniret, aut alta voce loqueretur, ipſumque quæreret. Longior iuſto eſſem, ſi omnia virtutum decora, quæ in illo reſplenduerunt perſequerer. Collegit ea iuſto volumine

mine noſter Ioannes Maria Vicecomes, quem lector ſi lubet, conſulat. Poſt decem circiter annorum in Societate labores, dum per ieiunium quadrageſimale iterum Genuæ conciones ingenti ſpiritus ardore haberet, fractus ſuccubuit; & in ipſo morbo quatuor vota ſolemnia profeſſus, editiſque plurimis pietatis aliarùmque virtutum exemplis ad Cœlites (vti ſperamus) abijt die 20. Martij 1662. ætatis 57. De eo mentionem perhonorificam faciunt Scriptores Liguriæ Michaël Iuſtinianus, & Raphael Soprani, & in Bibliotheca Mariana Hippolitus Marracius in Appendice. Edidit ille complura, vt erat fœcundi ingenij; ſed quæ ſæcularis adhuc vulgauit, pleraque, vt liberioribus reſperſa iocis, ipſemet poſtea, & priuatim, & publice, damnauit, rogauitque omnes, quos potuit, vt ea ſupprimerent. Quæ verò aut ſeria, aut ſacra in ſæculo, vel in Religione elucubrauit, hæc ferè ſunt.

Oratio habita in coronatione Sereniſſimi Ioannis Stephani Doria Ducis Reipub. Genuenſe. Genuæ apud Ioſephum Pauonum 1634. in 12.

Lacrymæ ob mortem D. Emiliæ Adorni Raggi, Placentię per Hieronymum Bonaccum. 1634. in 4.

Columna pro animabus Purgatorij. Genuę per Petrum Ioannem Calenzanum 1634. in 4. Recuſa Bononiæ Neapoli 1640. &c.

Tacitus cribratus, ſeu diſcurſus Politici, & Morales. Venetijs apud Combum 1636. in 12. Recuſus Genuæ 1643. & 1644.

Maria Magdalena peccatrix, & conuerſa. Venetijs apud Petrum Turinum 1640. in 12. Recuſa, & emendata. Ibidem 1647.

Celimanrus ſiue Hiſtoria Hiſpanica. Genuę apud Hæredes Ioſephi Pauoni 1641. in 12. Aucta, & recuſa Venetijs, Romę ſæpiùs.

Sanctiſſimum Roſarium Meditationibus illuſtratum. Genuæ apud Ioannem Calenzanum 1647. in 12.

Vita Sancti Alexij deſcripta, & varijs epiſodijs locupletata. Genuæ per Ioann. Domin. Peri 1648. in 8.

Satyricus innocens, ſeu epigrammata ex græco traducta. Genuæ per Ioannem Calenzanum 1648. in 4.

Inſtabilitates Ingenij diuiſæ in octo dietas. Editio vltima, & correctior Venetijs apud Iuntas 1652. in 12.

Panegyrici Sacri de B. Gaëtano Tieneo, & P. Andrea Auellino. Genuæ per Benedictum Guaſcum 1652. in 8. Recuſi Ibidem.

Duo Annuli. Lucæ per Hiacynthum Paci 1664. in 12.

Diſcrimen inter æternum, & Temporale. Translatum ex Hiſpanico P. Ioann. Euſ. Nierembergij in Idioma Italicum tacito nomine. Venetijs per Babam 1662. in 12.

Inter ludicra, ſolebat omnium maximè deteſtari etiam lacrymis, *Bacchanalia ſeu Antecineralia* olim ante ingreſſum in Societatem à ſe edita.

* ANTONIVS LA LOVERA, natione Gallus, patria Occitanus Diœceſis Riuenſis natus anno Sæculari 1600. Societatem vicennis inijt, & vota quatuor nuncupauit 1637. Rhetoricam, & Politiores litteras ſeptennio profeſſus eſt; Matheſim, & Hebræam linguam ſexennio; Philoſophiam quadriennio; Theologiam moralem octennio; ſcholaſticam decennio; vbique magna laude, & cùm admiratione Auditorum; in omnibus peræque eruditus. Nullum diſciplinæ genus aggreſſus eſt, in quo non excelluit, in id iugi ſtudio incumbens, donec illius culmen attingeret, & in Mathematicis ſcientijs paucos ſua ętate ſibi habuit pares. Excellenti doctrinę, morũ ſanctimoniã non minorem adiunxit, intra Regularis obſeruantiæ limites, ſe continuit ſemper, ne frigidę quidem hauſtum ſibi indulgens abſque Superioris permiſſu, ita vt ſanctionibus noſtris, ſi quæ interdum ſippientibus oculis videantur humiles, abiectæque, ſuo exemplo magnitudinem afferret. Maturus cœlo deſijt inter mortales viuere, Toloſæ die 2. Septembris 1664. Scripſit vir doctiſſimus.

De quadratura circuli, & Hyperbolis ſegmentorum lib. 5. Toloſę apud Petrum Boſc. 1651. in 8.

De Cycloide libros 7. Toloſæ apud Arnoldum Colomerium 1660. in 4.

Reſponſionem ad Theſes Apologeticas contra P. Annatum de mente Concilij Tridentini circa Gratiam efficacem, & Scientiam mediam. Toloſæ 1645. in 4. reliquit parata prelo.

Opuſculum de materia probabili, & multa alia typis mandanda.

ANTONIVS L'AMOVR, natione Belga, patria Cameracenſis, ingreſſus in Societatem anno 1604. ętatis 20. vixit ferè ſemper in Prouincia Toloſana poſtquam hęc diuiſa eſt ab Aquitana: litteras humaniores in ea docuit, & multis annis dixit ad populum, eximius concionator, & ſecundis ſemper auditorum auribus exceptus; abundans floſculis, non ad inanem pompam quęſitis, ſed ad populi frugem ex ſacrorum Doctorum hortulis ſcitè depromptis. Vota quatuor Profeſſus, religioſè vitam hanc terminauit in eadem Prouincia die 24. Auguſti 1629. Edidit Gallice:

Duas orationes funebres.

ANTONIVS LAVBEGEOIS, natione Belga patria Duacenſis quatuor vota in Societate, iam tùm ab anno 1608. profeſſus, Gręcę, & Hębraicę linguę, quas olim Conimbricę docuit, ſcientiſſimus. Ardentiſſimè optauit atque inſtitit etiam per litteras ad Prępoſitum Generalem, vt mitteretur in Indias, ad ſalutem hominum procurandam, cuius impensè flagrabat deſiderio, ſed ex Moderatorum voluntate remiſſus in Belgium, vbi litteras Græcas, latinas, & Rhetoricam Iunior docuerat per nouennium, poſt exhibita diu inſignis obe-

Obedientię, modeſtię, integritatis animi, caritatis minimè promiſcuę clara exempla. Obiit Inſulis Flandrorum die 21. Auguſti 1626. ætatis 55. ab inita Societate 38. Edidit

Græcæ Linguæ Breuiarium. Duaci 1626. in 8.

* ANTONIVS LAVEDAN, natione Gallus, patria Narbonenſis, cooptatus in Societatem anno ſalutis 1610. ætatis ſuæ 16. votorum quatuor profeſſionem emiſit. Rhetoricam, & amæniores litteras ſeptennio docuit; tùm Philoſophiam, Theologiam moralem, & Sacram Scripturam explicauit; Rexit Collegium Cadurcenſe, & ibidem plenus dierum, & bonorum operum ex hac vita migrauit die 7. Februarij 1670. Edidit latinè.

Diſſertationem Tripartitam de anno Sancto, ſiue Iubilæo Chriſtianorum. Toloſæ apud Petrum Boſc. 1650. in 8.

* ANTONIVS LEITE, natione Luſitanus, Domo Vlyſſiponenſis, in Societatem ſuſceptus anno Domini 1596. ætatis 15. votis quatuor ſe obligauit. Rhetoricam, & humaniores litteras docuit ſexennio; Philoſophiam quadriennio; Theologiã triennio: rexit Collegium in Inſula S. Michaelis; reliquum vitæ tempus in miniſterijs erga proximum, confeſſiones excipiendo, & habendo ad populum Conciones, (in quibus valde eminuit) vtiliter inſumpſit. Mirum fuit in eo ſtudium litterarum, ita vt ſingulis noctibus duas, vel tres horas ſomno ſubtraheret; quas lectioni vel ſcriptioni impenderet. Demum octogenario maior iuit in domum æternitatis ſuæ Vliſſipone die 16. Septembris 1662. Edidit Luſitanice.

De Apparitione, & Miraculis B. Virginis à Lapa. Conimbricæ 1639. in 8.

* ANTONIVS DE MACEDO, natione Luſitanus, patria Conimbricenſis, penè puer annorum 14. Societati nomen dedit, anno à partu Virginis 1626, & votorum quatuor ſacramento ſe Deo obſtrinxit. Docuit litteras humaniores, & Theologiam de moribus; Conciones habuit ad populum; Miſſiones obiuit in Africa, & in excolendis militibus Arcis Magazanicæ in Mauritania Tingitana biennium impendit. Mox iuſſu Regis Sereniſſimi Ioannis IV. comitatus Legatum in Sueciam ad Sereniſſimam Reginam Chriſtinam ab hac humaniſſimè exceptus, poſt arcana colloquia de rebus religionis, cùm reuerti deberet cum legato ſui regis, deſtinatus eſt Romam à Sereniſſima Regina cum litteris ad Præpoſitum Generalem Societatis, quibus poſtulabat Sereniſſima mitti ad ſe duos Patres Italos, viros doctos, ſed diſſimulato habitu, & conditione, quibuſcum de religione, prout liberet, conferre poſſet. Miſſi ſunt itaque confeſtim duo, ſcilicet Franciſcus Malines, qui tunc Theologiam prælegebat Taurini, & Paulus Caſatus, qui Matheſim profitebatur Romæ, ſed remanſit Antonius Romæ in Officio Pœnitentiarij Apoſtolici pro Luſitania ad Baſilicam Vaticanam anno 1651. & per annos 20. eo munere functus eſt. Reuerſus in Luſitaniam, modò eſt Vlyſſipone Rector Domus probationis, & Magiſter Tironum. Edidit latinè.

Luſitaniam Infulatam, & Purpuratam, ſeu Pontificibus, & Cardinalibus Illuſtratam. Pariſijs apud Sebaſtianũ Cramoyſy 1673. in 4. item.

Vitam P. Ioannis de Almeida Societatis Presbyteri in Braſilia Patauij 1669. Auctam, & recuſam Romæ typis Franciſci Fiſoni 1671. in 12. Ediderat antea.

Theſes Rhetoricas varia eruditione refertas, in Vrbe Funchalenſi Inſulæ Materiæ 1637. Item.

Elogia nonnulla, & deſcriptionem Coronationis Sereniſſimæ Chriſtinæ Reginæ Sueciæ, ligata, & ſoluta oratione Stocholmij 1650.

ANTONIVS MARIA PARENTVCELLVS, natione Italus, patria Sarzanenſis, adoleſcens Chriſtum noſtra in Societate Romæ ſecutus eſt anno ſalutis 1572. & poſtquam bonarum artium cognitione pectus compleuit, ter curriculum Philoſophicum docendo Romæ confecit, magna nominis celebritate. Fuit enim vir magna doctrina, ſed non impari religione, & prudentia. Miſſus in Siciliam vt Meſſanenſem probationis Domum Rector adminiſtraret, ibi vota quatuor ſolemnia profeſſus eſt, ſed cùm aduerſa valetudine conflictaretur, ibidem morti ſuccubuit die 28. Ianuarij anni 1589. ętatis ſuæ ſupra 40. Eius vitam Noſtrorum erga illum amor, mortem celebrem fecit dolor etiam externorum. Reliquit

Commentaria in Ariſtotelem quæ ab eruditis valde probantur.

ANTONIVS MARSILIVS, natione Italus, patria Neapolitanus natus anno Domini 1567. Societati ſe Noſtræ addixit anno 1584. & votorum quatuor profeſſionem in ea edidit. Vir egregiè doctus, & qui poſt traditas humaniores litteras, Philoſophiam Romæ ſexennio, Theologiam Scholaſticam ibidem quadriennio; & moralem triennio cùm laude profeſſus eſt. Rexit Collegium Sancti Franciſci Xauerij Neapoli, & ibidem religioſè obijt die 26. Ianuarij 1633. Habuit coram, Clemente VIII. Pontifice Maximo anno 1600.

Orationem de Paſſione Domini quę cùm alijs eiuſdem argumenti edita eſt Romæ 1641. in 8.

* ANTONIVS MEERHOVTS, natione Belga, patria Culemburgenſis in Geldria, Societatem amplexus eſt anno ſalutis 1627. ætatis 20. & vota quatuor ſolemnia concepit. Prælegit in ea humaniores litteras quinquennio; Philoſophiam ſeptennio; Theologiam moralem aliquandiu, & ſacras litteras triennio eſt interpretatus. Rexit Collegium Ruręmundanum, Ipreſe, & Domum Profeſſam

An-

Antuerpienſem, & nunc in eadem operarium aſſiduum in templo agit, varijs Optimatibus ob inſignem prudentiam,& in dirigendis concientijs peritiam, perquàm acceptus. Edidit varios libros in linguam Belgicam à ſe translatos videlicet

Internam conuenientiam cum Ieſu Chriſto, ex Gallico, Antuerpiæ typis Michaelis Cnobbaert 1665. in 12. Recuſam ibidem 1669.

Diſcrimen inter temporale, & æternum. ex Latino. Ibidem & eiſdem typis 1666. in 12.

Sanctam hebdomadam virtutum S. Franciſci Xauerij. ex Latino. Antuerpiæ typis Cornelij Vvoens 1666. in 12.

* ANTONIVS MICHAELIS, natione Gallus, patria Auenionenſis natus anno ſæculi proximè euoluti 95. Deo ſe in Societate dicauit anno voluentis 13. & vota quatuor in ea nuncupauit. Rhetoricam, & Philoſophiam cum laude profeſſus, conciones ad populum annis triginta & tribus, in varijs vrbibus magno cum plauſu, & fructu habuit. Orator diſertus, & ſalutis proximorum ſitiens. In ſupremo morbo præclara patientiæ non vulgaris exempla dedit, & conſuetis Eccleſiæ munitus præſidijs ad Beatorum conſortium (vt ſperare fas eſt) euolauit Auenione die 24. Iulij 1671. Edidit Gallicè

Conciones per aduentum. Auenione apud Petrum Offrai 1663. in 4.

Conciones in ſingulos dies Quadrageſimæ. Lugduni apud Antonium Cellier 1669. in 4.

Conciones per octauam Sanctiſſimi Sacramenti, cui titulus, *Myſterium Iuſtitiæ*. Auenione apud M. Chaſtel &c. 1664. in 4.

Per octauam Defunctorum. Auenione apud Antonium du Perrier 1671. in 4.

Panegyricorum de Deo, B. Virgine, & Sanctis Tomos duos. Lugduni apud Antonium Cellier 1666. in 4.

ANTONIVS MILLIEVS natione Gallus, patria Lugdunenſis, ingreſſus in Societatem anno 1591. ætatis 17. votorum quatuor in ea profeſſionem emiſit. Poeta egregius, nec minor Philoſophus, & Theologus. Rhetoricam, & humaniores litteras nouennio, Philoſophiam biennio; Theologiam quinquennio cum laude profeſſus. Rexit Collegia Viennæ, & Lugduni, atque hic peſtilentia graſſante magno exemplo religioſæ fortitudinis, Noſtris iuxta & externis adfuit. Poſtea totius Prouinciæ Lugdunenſis habenas tenuit; quo in munere dum Romæ Congregationi Generali octauæ intereſſet, ab eaque iam in Secretarium electus fuiſſet, à Deo ad Concilium iuſtorum (vt ſperamus) & Congregationem Sanctorum in cœlis (ſuſceptis prius ſumma pietatis ſignificatione Sacramentis) eſt euocatur die 14. Februarij 1646. Vir fuit multis magniſque virtutibus ornatus, ſed maximè humilitate, & ſui deſpicientia inſignis. Nam cùm præſtantioribus ſui æui Poetis impar non eſſet, tanto tamen contemptu res ſuas proſequebatur, vt in morbo quodam, quem ſibi ſupremum autumabat fore, omnia quæ ſcripſiſſet carmina, propè ad 20000. igni tradiderit, ſolus flammas effugit, felice caſu, Moyſes Viator, quem à Superioribus iuſſus recognoſcere, iiſdem imperantibus poſtea vulgauit. Præterea laboris patiens,ac ſtudij adeò amans ſemper fuerat, vt integras ſæpè noctes, ſine vllo tamen valetudinis detrimento, laborando conſumpſerit. Edidit Maiorum iuſſu carmine Heroico.

Moyſen Viatorem ſeu Imaginem Militantis Eccleſiæ Moſaicis peregrinantis Synagogæ typis adumbratam Libris 13. Lugduni per Gabrielem Boyſat 1636. in 8.

Eiuſdem partem itineris poſteriorem Libris 15. Lugduni per Iacobum, & Petrum Proſt. 1639. in 8.

ANTONIVS MONGAILLARDVS, natione Gallus, patria Vaſco quatuor votorum Profeſſus, obijt Toloſæ 1626. ætatis 60. initæ Societatis 42. vixerat paupertatis, ac ſilentij ſtudioſus obſeruator: Obedientiæ quàm ſanctum illi nomen, vel vno hoc exemplo cognoſcas: cum phreneſi correptus, hac illac per conclaue curſaret, nec vllis monentibus, vt ſe lecto componeret, obtemperaret, vbi vox obedientiæ inſonuit, deferbuit æſtus ille, & illicò paruit. Reliquit poſt ſe diligentiæ ſuæ monumenta, nimirum

Sanctos Epiſcopos Vaſconiæ recenſuit, & multa alia quæ ad Vaſconiæ commendationem ſunt. Deinde

Multa Concilia ex antiquis Tabularijs eruta vulgauit; atque vnum in primis Toloſæ à Calixto II. habitum anno 1120. contra Petrum Bruis, & Gregorium Antipapam, antea penitus ignotum, ab interitu vindicauit.

Hiſtoriam Vaſconicam latinè ſcripſit, quæ tamen nondum in lucem venit.

ANTONIVS DE MONREAL natione Hiſpanus, patria Belmontanus Societatem ingreſſus in Prouincia Boetica, anno Domini 1584. ætatis 17. docuit in ea litteras humaniores, & confectis in Societate Philoſophiæ, ac Theologiæ ſtudijs, linguarumque cognitione probe inſtructus, Artium vt vocant curſum Hiſpali docuit. Vir fuit candidi ingenij, laboris indefeſſi, antiquitatis omnis ſedulus perueſtigator, Sed abſtulit illum intempeſtiua mors in florenti ætate, dum iter ageret, in oppido quod Villa-noua Infantum appellatur anno Chriſti 1602. Scripſit

Commentarios in Sacram Scripturam, omnigena eruditione refertos, tribus voluminibus diſtinctos, ſed morte præuentus non expoliuit: teruntur tamen Doctorum manibus nõ ſine emolumento.

ANTONIVS DE MORAES Luſitanus Certamenſis, ingreſſus in Societatem anno 1586. ætatis 16. Philoſophiam, & ſacras litteras

ras profeſſus eſt. Rector fuit Collegij Olyſſiponenſis; primus Rector Domus probationis ibidem, tum Domus Profeſſæ Olyſſiponenſis Præpoſitus, ac demum Rector Collegij Eborenſis, quo in munere religiosè obijt exeunte Nouembri 1639. Vir fuit integerrimæ vitæ, prudens, virtutum omnium cultor ac magiſter, vt propterea multis annis Nouitiorum, quos optimè inſtituebat, curam egerit. Reliquit paratos prælo Tomos quatuor

De Paſſione Chriſti Domini.

De Ornatu Summi Pontificis.

De Concionibus Domeſticis.

De Publicis Concionibus, Aduentus, Quadrageſima, & de Sanctis.

* ANTONIVS NVNNIVS A MIRANDA, natione Mexicanus, patria Zacatecanus Societati adſcriptus anno ſæculi preterlabentis 37. ætatis ſuæ 17. vota quatuor ſolemnia nuncupauit. Virtute ac litteris inſignis poſt traditas humaniores litteras docuit Philoſophiam, & Theologiam Scholaſticam multis annis in Collegio Mexicano, & ibidem modò ſtudiorum Moderator eſt, atque in Tribunali S. Inquiſitionis Cenſor fidei, ſeu Qualificator. Præter opuſcula aliqua amœnioris litteraturæ typis mandata Mexici, conſcripſit pios aliquos libellos pro directione ſodalium Puriſſimæ Conceptionis, quibus præeſt, ſub titulo.

Dies Rectus: quo quidquid bonus ſodalis quotidie agere debeat, continetur. Mexici typis Viduę Bernardi de Caldera.

De Inſtituto, & Regulis Congregationis Puriſſimæ Conceptionis. Ibidem eiſdem typis, & anno.

* ANTONIVS OSORIVS, natione Hiſpanus, patria Aſturicenſis natus anno ſæculi labentis 22. Societati nomen dedit 1640. abdicatis ſæculi honoribus, quos ſperare poterat, cùm ſit filius Marchionis de Aſtorga, & profeſſione votorum quatuor ſe Deo mancipauit, 1657. Docuit in Collegio Methymnenſi humaniores litteras, raro exemplo, annis duodeuiginti, magno Iuuentutis ſibi commiſſæ bono. Degit modò in Collegio Salmanticenſi, & edidit ſermone latino, & culto.

Ferdinandi Toletani Albæ Ducis vitam, & res geſtas libris 8. & duobus Tomis diſtinctas Salmanticæ apud Melchiorem Eſtemez 1669. Meditatur, & expolit.

Annales Hiſpaniæ ab obitu Ferdinandi Regis Catholici ad hæc noſtra tempora.

ANTONIVS PACOTVS, natione Gallus, patria Vaſonenſis, in ditione Aueniomenſi, ſuſceptus in Societatem anno ſalutis 1582. ætatis 17. vota quatuor ſolemnia nuncupauit. Magnam vitæ partem tranſegit Romæ Penitentiarius in Baſilica Vaticana annis 25. vbi etiam religioſe obijt die 26. Februarij 1629. Interpretatus eſt Gallicè.

Declarationes ſymboli editas Italicè à Roberto Cardinale Bellarmino Romæ, & Lugduni apud Abr. Cloquemin 1608.

ANTONIVS DE PADILLA, Hiſpanus illuſtriſſimo ſanguine natus Ioannis Padillij, & Mariæ Acuñæ Comitum Buendienſium filius vnicus, cùm fluxa rerum humanarum conditione impulſus, ſæculo decreuiſſet nuntium remittere, applicuit animum ad Societatem. Ab eo conſilio cùm eum dehortaretur Petrus Manriquius Patruus ipſius, Eccleſiæ Toletanæ Canonicus, tanto argumentorum pondere, vocationis ſuæ rationem illi dedit, vt ijs permotus ipſe non ſolùm ceſſerit, ſed ſe quoque ipſum Societati tradiderit cùm nepote. Antonius cunctanti Prouinciali ſe admittere, apprehenſa Domus Profeſſæ columna, negauit ſe inde receſſurum priùs quam voti compos efficeretur. Annuente demum S. Franciſco Borgia Generali, qui aderat in Hiſpania, Valliſoleti admiſſus eſt annos natus 18. poſt Chriſtum 1572. cùm liber ab opibus, ſpretóq; Principatu dixiſſet genu flexus coram ſuis: Gratias tibi Domine ago, quod expeditior iam ſum ad famulatum tuum. Tirocinium poſuit Methymnæ Campi ſub P. Balthazare Aluarez à quo ſtrenuè exercitus fuit ad perfectam ſui abnegationem. Iam illi cibos, quibus cupidè veſcebatur, ſubducebat; iam quos auerſabatur, ingerebat; iam inter mendicabula pro foribus iubebat eum comedere. Viliſſima indutum lacerna mittebat cùm obſonatore ad forum, vt carnes in humeris, & exta referret in manibus. Sic excultus, ad faſtigium Humilitatis euaſit, quam illis ipſis ſui vincendi artibus, in reliquam deinceps vitam perrexit exercere. Ingenio fuit acuto, & multis annis ſacram Theologiam Valliſoleti cùm laude prælegit. Concionatoris quoque excellentis numeros omnes expleuit. Rexit Collegium Sancti Ambroſij Valliſoletanum, & Salmanticenſe, magna ſemper integritatis opinione, faſſuſquè coram omnibus eſt, cùm viaticum ad mortem ſuſcepiſſet, Deo in teſtem appellato, nihil ſe vnquam dum rexerat, fecisse niſi quod ad Dei gloriam maiorem pertinere crediderat. Mori nihilominus formidabat ob rationem quam ſe Deo debere ſciebat. Sciſcitanti autem cuidam, is ne timor inde oriretur, quòd lethalis alicuius criminis conſcientia teneretur; admiſſi 40. his annis, quibus vixerat in Societate; IESV bonè reſpondit, quod hoc Monſtri ais? Religioſus, & lethale crimen qui poſſunt vna conſiſtere? ſed demum accepto viatico, omnem illi metum atque animi angorem Deus excuſſit, & vel medicis contrà ſentientibus pronunciauit ea ſe die moriturum. Veſperi ſacro oleo inunctus, venia ſuorum erratorum ab ſocijs omnibus poſtulata, cùm ſe hortaretur his verbis: *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in Domum Domini ibimus*, animam placidiſſimè exhalauit, Valliſoleti die 28. Nouembris 1611. Defuncto honores mortuales tamquam Magnati Hiſpaniæ, à ſeculari nobilitate, & religioſis familijs

Digitized by Google

milijs per nouem dies ſunt celebrati. Edidit

Orationem quam habuit Salmanticæ in Beatificatione S.P.N. Ignatij die 8. Hiſpanicè. Extat in libro à Salmanticenſi Collegio edito de feſtis ibi celebratis. Scripſit etiam eruditum opus.

De efficatia gratiæ, Conciliorum, & SS. Patrum auctoritatibus firmatum quod Valliſoleti in Collegio S. Ambroſij aſſeruatur.

* ANTONIVS PARENT, ſiue PARRAN, natione Gallus, patria Nemauſenſis, admiſſus Nanceij in Societatem anno ſalutis 1607. ętatis 20. docuit in ea humaniores litteras, operarius aſſiduus in templo, & ſpiritualis Auditor naturæ conceſſit Biturigibus die 24. Octobris 1650. Scripſit Gallicè librum.

De Muſica ſpeculatiua, & Practica. Pariſijs apud Robertum Ballard 1639. in 4.

* ANTONIVS PEREZ, natione Hiſpanus, patria Pontireginenſis, in Diœceſi Pampilonenſi, natus anno ſæculi proximè elapſi penultimo, Societati ſe adiunxit labentis XIII. die 19. Martij, & votis quatuor ſe obligauit 1632. Philoſophiam tribus, Theologiam annis omnino ſedecim magna nominis celebritate profeſſus eſt, partim Salmanticæ, partim in Collegio Romano. Reuertentem dein in Hiſpaniam morbus, & mors intercepit in itinere, in Oppido Corral de Almaguer, non procul Ocania, & cùm nullum illic eſſet Collegium Societatis, is qui ægrotanti, & morienti adfuit Sacerdos ex venerabili Ordine S. Franciſci, & confitentem vltimò pro morte audiuit, poſt illius obitum non dubitauit aſſerere, Antonium è vità hac migraſſe, cùm prima gratiæ ſtola, quàm in Baptiſmo acceperat. Tanta erat Conſcientiæ illius puritas, tanta per omnem vitam ab omni labe lethali immunitas. Ingraueſcente morbo, conſuetis Eccleſiæ Sacramentis, tempeſtiuè munitus, & per crebros amoris actus totus in Deum abreptus, abſoluit dies peregrinationis ſuæ poſtridie Calendas Martij 1649. Vir fuit ſummo, & acutiſſimo ingenio, & cui paucos hoc ſæculum acuminis ſubtilitate vidit pares. Ampliſſimum de eo teſtimonium tulit P. Sfortia Pallauicinus diu eius Collega, in exedra Romana, poſtea S.R.E. Cardinalis, qui in libro de Vindicationibus Societatis capite 36. non dubitauit de eo in hunc modum ſcribere: *Antonius Perez in Theologico Magiſterio mihi Collega, vir ingenio mortalium, quos ego viuentes vbique nouerim, aut vnquam in Societate noſtra floruiſſe ſciam, pro mea æſtimatione, nulli ſecundus, ſimulque religione ac pietate inclytus*, &c. ſublimitati ingenij, ac doctrinæ reſpondit virtus exaggerata, non ſolùm in fuga, vel minimæ labis, adeo vt quotidiana fermè exomologeſi animum expiaret, ſed in feruentibus ac frequentibus actibus amoris Dei, quos ex alto corde ſæpiùs auditus eſt vibraſſe, cùm ſtupore id obſeruantium. Hinc cum opinione ſanctimoniæ deceſſit; apud plurimos, qui ipſum norant, paſſimque Sancti nomine eſt appellatus. Plura de tanto viro, qui cupit, conſulat illius vitam præfixam poſtremo tomo Operum eiuſdem Lugduni edito. Moriens reliquit maturas typis, & iam approbatas materias pleraſque Theologicas ex quibus prodierunt poſthumi

In primam partem D. Thomæ Tractatus quinque. Romæ typis Angeli Bernabo del Verme 1656. in folio.

De Iuſtitia, & Iure, & Reſtitutione, & Pœnitentia. Tomus poſterior Romæ typis Vareſij 1658. in folio.

De ſex Tractatibus in 2. *&* 3. *Partem D. Thomæ*. Lugduni ſumptibus Laurentij Arnauld, & Petri Borde 1669. in folio.

Ediderat antea adhuc viuens.

Concluſiones Theologicas de Deo Trino, & Vno. Romæ typis hæredum Corbelletti 1648. in folio.

ANTONIVS POSSEVINVS natione Italus, patria Mantuanus, vir cui à prima ætate tantus ſciendi ardor inhæſerat, vt cùm ad quietem ſe noctu componeret, tibiam ad columnellam alligaret, vt vbi primùm ſe ab ſopore primo commiſiſſet, eo velut monitore excitatus, ad ſtudia ſurgeret. Ex qua puerili ſolertia, vtilis, quam ad vltimum vſque tenuit conſuetudo coorta eſt, vt interrupta noctu quiete horas aliquot curis grauiſſimis daret. Ergo addita naturæ, ingenijque præſtantiæ cultura, Græcè perdoctus, idemque Humanitatis, Philoſophiæ, aliarumque doctrinarum bene peritus, innocentia quoque morum, modeſtiaque ſpectatus, ac ſuaui eloquentia quam grata oris decorabat maieſtas, notis omnibus carus, & apud virorum Principum multos, à quibus certatim expetebatur, gratioſus, ab Hercule Cardinali Gonzaga S. Antonij apud Foſſanum Præceptoria donatus, Leonetti Gagliardi veteris amici exemplo ſtimulatus, poſt diuturnam ac difficilem luctam ad Societatem noſtram animum adiecit, cuius ineundę cùm votum conciperet coram auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, ſimul atque nepotibus ſuis, vnde ſtudia litterarum proſequerentur, prouidiſſet, repente interiori voce quaſi Dei reprehendentis audita; Ergone tuis nepotibus me credis proſpicere non poſſe ſine te? voto ſe libero obſtrinxit, adijciens ne gradum quidem honoris vllum, quoad viueret, nec ſacerdotiorum emolumenta recepturum. Admiſſus per litteras à Iacobo Lainio Prępoſito, Pataulo Romam cum tribus Gagliardis fratribus, ineunte Septembri anni 1559. iter intendit, & menſe exeunte tirocinium exorſus eſt, cùm annos ipſe natus eſſet omnino 26. Initio Nouembris ad Collegium Romanum ſtudia proſecuturus tranſiuit, quod tamen haud diu permiſſus eſt facere; nam anni ſequentis initio coactus eſt in Subalpinam Prouinciam proficiſci, vt priuatas res ſuas componeret. Sed vrgebatur

batur ea cauſa Deus, ad hominem multis nobilitandum victorijs de hoſtibus fidei, quorum impetus, non in ea ſolùm Emanuelis Sabaudiæ Ducis ditione, ſed in Gallia quoquè, ac Lugduni inprimis, concionando, diſputando, ſcribendo, adeo ſuſtinuit, ac repreſſit, vt non vna vice capitis adierit diſcrimen. Actum ſeriò tunc eſt à viris Principibus de ſcribendo ad Pontificem, vt tam idoneum Eccleſiæ regendæ hominem Eccleſiaſticis honoribus augeret. Inter hæc anno 1561. creatus eſt ſacerdos, & decennium totum in Gallia, bellorum, errorùmque procellis iactata atque diſtracta verſatus, Pariſijs, Auenione, Baionæ, Rothomagi, Dieppæ, atque alibi magna nominis celebritate, nec fructu minore, concionatus eſt. Petrum Viretum S. Franciſci, & Chriſti ſimul deſertorem, Catholici nominis quemlibet inſolenter prouocantem, publica diſputatione compeſcuit, & elinguem fecit. Anno 1573. Romæ interfuit Congregationi Generali tertiæ, iam tùm quatuor vota Profeſſus, in eaquè Euerardo Mercuriano renuntiato Generali, atque ipſi Societati, à Secretis eſſe iuſſus eſt; quod munus quinquennio tenuit, donec à Gregorio XIII. Pontifice Maximo grauiſſimis legationibus adhibitus, bis in Sueciam ad Ioannem III. Regem; bis ad Ioannem Baſilij Magnum Moſcorum Ducem, atque ad Stephanum Poloniæ Regem; quos inter, difficillimam pacem feliciſſimè compoſuit; bis ad Rodulphum II. Romanorum Imperatorem profectus eſt. Ipſius vnius opera atque induſtria ſedem obtinuit ſtabilem Societas Cracouiæ: ille Seminaria iuuentuti in litteris rectaque fide inſtituendæ, fundari curauit Græcij, Olomutij, Pragæ, Vilnæ, Brunsbergæ, Claudiopoli. Decennio in his expeditionibus impenſo, grauis iam annis, & ſuſceptis in Chriſti cauſa laboribus penè fractus, ne quam vitę partem duceret vacuam vtilitate mortalium, ad ſcribendum ſe totum conuertit; & luſtratis compluribus Academijs, & Bibliothecis, ſuppeditante etiam Summo Pontifice ad parandam librorum ſupellectilem, expenſas, ea elucubrauit volumina, quæ hominis virtutem, animarum zelum, doctrinæ magnitudinem, & inexhauſtum legendi ſtudium, cùm acerrimo coniunctum iudicio, luculenter oſtendunt. Tandem viuendo feſſus, Ferrariæ diem clauſit extremum 26. Februarij anno 1611. ætatis 78. Scripſit atque edidit priuſquam in Societatem ingrederetur Italicè.

Epiſtolam de Honore, ad Claudium Maloperam. Item

Librum de rebus ad Honorem pertinentibus, & de modò reuocandarum ad concordiam rixarum.

In Societate verò ſcripſit, & vulgauit Italicè.

De Sanctiſſimo Sacrificio Miſſæ, à tempore Apoſtolorum celebrato, & ad conſummationem ſæculi celebrando. Lugduni apud Michaelem Iouium 1563. & alibi poſtea qui liber Anglicè verſus prodijt in Belgio 1564.

Reſponſionem Petro Vireto, & tribus alijs Hæreticis, qui varios libros ſcripſerant aduerſus prædictum tractatum de Miſſa. Auenione apud Petrum Rubeum 1564.

Militem Chriſtianum. Romæ 1569. Cuſus, & diſtributus eſt, hic liber militibus, quos Pius V. in Galliam mittebat aduerſus Hęreticos. Recuſus eſt Maceratæ anno 1576., & Venetijs cùm auctario apud Dominicum Imberti 1604.

Vitam, & Mortem Sereniſſimæ Eleonorę, Archiducis Auſtriæ Ducis Mantuæ, recitatam in ipſius exequijs Mantuæ per Franciſcum Oſſannam 1594. Romæ recuſam, & Brixiæ.

Vitam, & Mortem, Ludouici Gonzagæ Niuernenſium Ducis recitatam, & impreſſam Mantuæ. Latine verò

Cauſas, & remedia peſtilentiæ; Mantuæ, & Florentiæ apud Iuntas 1577.

Epiſtolam de rebus Suecicis, Liuonicis, Moſcouiticis, Polonicis, Tranſiluanicis. Mantuæ apud Oſſannam 1580. Brixiæ, & alibi.

Epiſtolam ad Stephanum Bathoreum Poloniæ Regem, aduerſus Andream Volanum Lithuanum Hæreticum. Ingolſtadij typis Vvolfangi Ederi 1583. Deinde Coloniæ, & Mantuæ.

Reſponſionem Regi Septemtrionali, qui in fide Catholica voluit inſtrui. Ingolſtadij 1583. typis eiuſdem Ederi.

Scriptum Magno Duci Moſcouiæ traditum aduerſus Anglos Mercatores, qui docebant Papam eſſe Antichriſtum. Ingolſtadij 1583. typis Vvolfangi Ederi.

Moſcouiam, in qua de rebus Moſcouiticis ad Religionem ſpectantibus: de Pace inter Moſcos & Polonos conſtituta agitur; Referuntur etiam capita quibus Rutheni, & Græci à Latinis diſſentiunt. Vilnæ 1586. Coloniæ 1587. ex Officina Birchmannica per Arnoldum Mylium, qui plura ſimul opuſcula in vnum volumen redegit nempe.

Notas Diuini Verbi, & Apoſtolicę Eccleſię fidem ac faciem, aduerſus Reſponſionem Dauidis Chitræi, hæ primum prodiere Poſnaniæ typis Ioannis Vvolrabij 1586.

Retectionem Impoſturarum Dauidis Chitræi de ſtatu Eccleſiarum hodie in Græcia, Aſia, Africa, Hungaria, Bohemia, editam prius Ingolſtadij à Vvolfgango Edero 1583.

De Atheiſmis Hęreticorum huius Sęculi.

Theologiam Catecheticam, ſeu de Neceſſitate, vtilitate, modo tradendi pueris, & Rudibus Catechiſmi; editam prius Ingolſtadij à Vvolfgango Edero 1583.

Iudicium de quatuor Scriptoribus. Philippo la Nua, Ioanne Bodino, Philippo Mornęo, & Nicolao Macchiauello, mandato Innocentij IX. Editum, Romæ apud Dominicum Baſam 1592. Lugduni apud Ioannem Baptiſtam Buyſſon 1593. vbi editum eſt eiuſdem

Iudicium de Confeſſione Auguſtana: de Deſiderio Eraſmo. De ſecta Piccarditica, *& num admittendi ſint Hæretici ad colloquium publicum de fide*.

Sermonem habitum in Prouinciali Synodo Aquileienſi prima, celebrata Vtini. Mantuæ apud Franciſcum Oſſannam 1597.

Explicationem Breuem Euangeliorum totius anni. ſub nomine Nicolai Gallerij, Coloniæ Latinè, & Brixiæ Italicè.

Epiſtolam ad Geneuenſes de Actis Apoſtolorum ſub nomine Philippi Toſæ.

Monita ſalutis ſub nomine Ioannis Fontanæ Epiſcopi Ferrarienſis.

Bibliothecam ſelectam de ratione ſtudiorum ad omnes diſciplinas. & ad ſalutem cunctarum gentium procurandam, 17. libris comprehenſam Romæ ex Typographia Apoſtolica Vaticana 1593. quæ deinde auctior eſt recuſa Coloniæ, tomis 2. apud Ioannem Gymnicum 1607.

Ex hac Bibliotheca tractatus aliqui ſeorſim ſunt editi nimirum.

De Cultura Ingeniorum.

Methodus ad Iuris prudentiam.

Apparatus ad Philoſophiam.

Tractatio de Medicina.

Apparatus ad Humanam Hiſtoriam.

Poëtica.

Cicero collatus cum Ethnicis, *& ſacris Oratoribus*. Scripſit Denique.

Apparatum ſacrum. In quo de ſcriptoribus, Interpretibus, ac verſionibus veteris, & noui Teſtamenti, de Synodis item ac Patribus Græcis, ac Latinis agit: & multiplicem variàmque eruditionem Eccleſiaſticam perſequitur. Continetur autem tomis 3. quos edidit Venetijs Societas Veneta. Tomum quidem 1. anno 1603. reliquos 1607. ſed recudit eos Coloniæ Ioannes Gymnicus auctos, & tomis 2. comprehenſos anno 1608,

ANTONIVS PREVOSTET, natione Gallus, patria Burgundo-Sequanus ex Diæceſi Biſuntina, natus anno 1584. Societatem ingreſſus eſt 1602. Octob. 5. & ab ea inita 18. quatuor vota ſolemnia profeſſus. Multam ætatem concionibus impendit. Præfuit Reſidentiæ Lingonenſi, Rector Collegium Barroducæum adminiſtrauit, & vice Prouincialis gubernauit Collegia in Comitatu Burgundiæ. Demum in ſenectute bona ſeptuagenario maior quieuit in Domino Dolæ. Die 5. Ianuarij 1655. Tranſtulit è Gallico Latinè librum P. Ioannis Gonterij cuius inſcriptio eſt.

Vera narratio diſputationis in cauſa fidei, oblatæ ab vno Concionatore Societatis IESV; Lutheranis Concionatoribus, ea honoraria conditione, vt ſolius Scripturæ etiam vt ab ijs verſa, & detruncata eſt, tamquam Iudicis auctoritate ſtaretur, ac nihilominus detrectata. Muſſiponti apud Melchiorem Bernardum 1613. in 8.

ANTONIVS DE QVINTANADVENNAS, natione Hiſpanus, patria Alcantarenſis, quod Oppidum eſt Extremaduræ, Hiſpali Societatem amplexus eſt anno ſalutis 1615. ætatis ſuæ 16. & votorum quatuor profeſſione ſe ei adſtrinxit. Docuit humaniores litteras, poſtea Operarius actuoſus, & inconfuſibilis in ſalute animarum omnibus modis procuranda. Miſſiones in Oppidis circumiectis frequens obibat; noſocomia, & ergaſtula crebrò inuiſebat; damnatos ad patibulum, vt Chriſtiana patientia perferrent ſupplicium, hortando adiuuabat; ægrotis promptè aderat vſque ad extremum agonem; ita vt plures noctes in eo caritatis opere eum ducere oportuerit. Captiuorum in carcere Hiſpalenſi curam annis 14. inſigni caritate geſſit, ita vt omnes in eo habuerint, & animarum ſuarum aduocatum apud Deum, & cauſarum curatorem ſtrenuum apud Iudices. Quin etiam graſſante per Boeticam peſtilentia ad ægros quoſuis alacriter aduolabat; confitentibus aures ſine diſcrimine præbebat, ita vt peſtem ipſe quòque contraxerit, & à morte ex ea parùm abfuerit. Conualeſcens tamen ad officium impiger regreſſus eſt. Verùm inter tot labores, & miniſteria, ita deditus ſtudijs fuit, vt nullum diem ſine linea, ſeu ſcriptione ad vtilitatem proximi conducente, effluere ſineret, adeo vt ſingulis ferè annis lucubrationem aliquam in lucem emiſerit. Demum ab Eminentiſſimo Cardinali Archiepiſcopo Toletano accitus Toletum, vt faſtos Diæceſis Toletanæ conſcriberet, eo opere abſoluto typiſquè mandato, redux Hiſpalim laboribus ſimul atque vitæ finem impoſuit, menſe auguſto 1651. ætatis ſuæ 51. Edidit vir nauiſſimus Latinè.

Singularia Theologiæ Moralis ad ſeptem Eccleſiæ Sacramenta duobus Tomis, quorum prior prodijt Hiſpali apud Franciſcum de Lyra 1645. in folio.

Poſterior Poſthumus, *ad Quinque præcepta Eccleſiæ*, *& Cenſuras* Matriti apud Paulum de Val 1652. in folio. Scripſit Hiſpanicè.

De Vitis Sanctorum Eccleſiæ Hiſpalenſis. Hiſpali apud Franciſcum de Lyra 1637. in 4.

De Vitis SS. Eccleſiæ Toletanæ. Matriti apud Paulum de Val 1651. in fol.

De Vita Ven. S. Alphonſæ Infantis Caſtellæ, & Monialis Ordinis militaris S. Iacobi. Matriti 1631, in 4.

Doctrinale ad Moniales. Ibidem-eodem anno.

De Sanctis Martyribus Vrſaonenſibus. Hiſpali apud Franciſcum de Lyra 1634. in 4.

De Sacroſancto Nomine Mariæ eiuſque excellentijs. Hiſpali apud eundem 1643. in 8.

De caſibus occurrentibus in Iubileo duarum hebdomadarum Hiſpali apud Simonem Faxardo 1641. in 16.

Inſtructionem de Ordinandis. Hiſpali 1640. in 12. Matriti, Cæſar-Auguſtæ, & alibi ſæpius recuſam.

Explicationem Bullæ Vrbani VIII. prohibentis in templis vſum Herbæ Indicæ, Vulgò Tabacco.

bacco, Hiſpali apud Simonem Faxardo 1641. in 4.

ANTONIVS DEL RINCON, natione Hiſpanus, ſed Angelopoli in Mexico natus, vbi annos 18. natus Societatem eſt complexus anno 1573. & profeſſionem votorum quatuor emiſit. Concionator linguâ Mexicanâ eloquentiſſimus, Indorum ſaluti præclarè ſe impendit vſque ad mortem, quæ contigit in Nouembri prope Angelopolim 1601. Edidit

Grammaticam Linguę Mexicanę 1595. in 8. quę multos ſalutis Indorum in noua Hiſpania fecit adminiſtros.

ANTONIVS RVBIVS, ſeu RVVIO, natione Hiſpanus, patria Rodenſis, adoleſcens 21. annos natus in Complutenſi Academia, ex turbulentis huius ſæculi fluctibus, in noſtræ Societatis portum appulſus eſt, anno ſalutis 1569. Magnum hic acuti ingenij ſpecimen in ſtudijs præbuit atque eximios in litteris Philoſophicis, ac Theologicis progreſſus fecit. Ex quo in Indiam Occidentis ſolis profectus in Mexicana Ciuitate (quæ totius Prouinciæ nouæ Hiſpaniæ Metropolis eſt, & caput) Philoſophicas diſciplinas docuit primùm triennio, deinde Sacram Diui Thomæ Theologiam annis 12. eſt interpreratus, tanta commendatione doctrinę, vt de rebus grauiſſimis, tamquam oraculum ſapientiæ, à Proregibus, à ſenatu Regio, ab Inquiſitoribus fidei conſuleretur. Deinde cùm operam ſuam ſtudijs promouendis in Academia Mexicana totis 25. annis nauiter impendiſſet, doctrinali Sacroſanctæ Theologiæ Laurea decoratus, reuertit in Hiſpaniam, & Compluti conſedit. Vbi poſt annos vitæ 67. die octaua Martij anno Domini 1615. curſum mortalitatis expleuit. Funus eius frequens Academia, vniuerſa Nobilitas, Religioſæ familiæ ſuâ celebritate cohoneſtarunt. Fuit ipſe in tanta Doctrinæ laude humillimus, orationis in qua multum ponebat temporis, & mortificationis ſtudioſiſſimus, vt ſupra quàm ætas, ac vires ferrent, quotidie ſe diuerberaret. Edidit iuſtæ molis.

Commentarios in vniuerſam Ariſtotelis Logicam. Partibus 11. Colonia ſumptibus Arnoldi Milij Birchmanni 1605. quibus titulum fecit.

Logica Mexicana. Recudit

Eoſdem Commentarios in Compendium quaſi contractos, in gratiam Academiæ Complutenſis, quæ publico decreto ſuis Profeſſoribus eos explicandos Iuuentuti preſcripſit, curauitquè decretum hoc ſuum auctoritate Regia firmari, & ita multis annis id durauit. Prodierunt (niſi fallor) primùm Valentiæ 1607. poſtea Coloniæ apud Ioannem Kinckium 1609. & rurſum 1615.

Commentarios item in alios libros Ariſtotelis De Phyſico Auditu [illegible] editos Matriti apud Ludouicum Sanchez 1605. tùm in breuiorem ſummam redactos, rurſus vulgauit Valentiæ (ni fallor) ac ſubinde Colonię apud Crithium 1610 & rurſum 1616. Prodierunt etiam poſthumi.

Commentarij in libros Ariſtotelis De cælo, & mundo. Coloniæ typis Crithij 1617. Ante hos autem viuo Auctore.

Commentarij in libros De ortu, & Interitu, ſeu de generatione, & corruptione rerum naturalium. Iiſdem recuſi typis Crithij 1619. Denique

Commentarij in libros De Anima, ab eodem recuſi 1613. & 1621. Recuſi hi omnes, quinque tomis in 8. Lugduni 1625.

ANTONIVS RVIZ DE MONTOYA, natione Peruanus, patria Limenſis natus anno ſalutis 1583. Societati ſe addixit 1606. & adhuc tiro vocari ſe ſentiens à Deo ad conuerſionem Gentilium in Paraquaria (vbi meſſis tùm animarum ingens, ſed meſſores pauci) enixè inſtitit apud ſuperiores, vt eam in Prouinciam mitteretur, & voto potitus eſt. Ibi abſoluto tirocinio, & emenſis ſtudijs, ſeu potiùs contractis, ex deſiderio quo ardebat impendendi ſe ſtatim in ſalutem Infidelium, plenus zelo, & laborum pro Chriſto ſitiens, deſtinatus eſt in Regionem Guayranam ad iuuandos ibi Socios duos, qui quotidie centenos aliquot Barbaros ritè inſtructos baptizabant; ſed in rerum omnium maxima penuria præterquam conſolationum cœleſtium, quibus affluebant. Illis in Miſſionibus Vir Apoſtolicus, ampliùs viginti annos traduxit; & ſupra centum milia Ethnicorum Chriſto aggregauit. Vltra duodecim millia leucarum per Montes, syluas, ſaltus, loca inuia, & plerùmque pedes confecit, inueſtigando, & quaſi venando Sylueſtres homines, quibus iter in cœlum monſtraret. Nec alio in ijs itineribus vtebatur cibo, quàm herbis, & radicibus agri, & pro delicijs farina ex mandioca; nec alio potu quàm aqua fluuiali. Lectus illi plerùmque humus, pro ſtragulis pallium quo interdiu tegebatur, nec vnquam tulit ſecum annonam viatoriam, aut edulia portabilia, etiamſi per vaſtas ſolitudines, in quibus nec hoſpitium, nec tugurium erat, & longè ad ducentas leucas progredi oporteret. Fundauit tredecim pagos, quos *Reductiones* appellant, in quibus vagantes *incertis ſedibus* Gentiles ad vitam ſocialem perduxit, & Chriſtianis ritibus, atque legibus inſtituit. Multis in locis primus Chriſtum prædicauit, vbi nihil vnquam antea de eo auditum fuerat. Cum Deo porrò fuit coniunctiſſimus per orationem, & altiſſimam contemplationem; ſępe extaſes mentis patiens, & nonnunquam etiam inter orandum conſpectus ſublimè à terrà eleuatus. Corpus ſuum immitiſſimè vexabat perpetuis cilicijs, catenis ferreis, flagellationibus quotidie tam atrocibus, vt audientes ſubinde Indi exhorreſcerent. Tota vita eius fuit quaſi continuum Ieiunium, adeo parcè ſe cibabat; ſed profecturus ad conuerſionem Regionis

Digitized by Google

Iayoabæ, per quadraginta dies ſolo pane, & aqua victitauit. Immo paulò ante obitum cùm ad ſpiritualia Exercitia magno ſpiritus ardore ſeceſſiſſet, octidui ſpatio nullum alium guſtauit cibum præter ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum. Bis iuſſus eſt præeſſe Noſtris in Collegio Aſſumptionis, & præterea in remotis Reſidentijs; tria vota ſolemnia profeſſus ab anno 1619. Poſtea à Moderatoribus miſſus eſt in Hiſpaniam ad procurandam protectionem Regis, & priuilegia conſeruationi Neophytorum Indorum neceſſaria. Matritum peruenit anno 1638. & præclara ibi quoque Apoſtolici ſpiritus veſtigia reliquit; & quamuis ab Optimatibus vehementer rogatus fuerit, vt ibi remaneret ad conſcientias ipſorum dirigendas, abnuit conſtanter, & impetratis à Rege quę poſtulauerat, ad Indos ſuos remeare properauit. In reditu Limam petijt, vt Regia Diplomata Proregi traderet, atque ibi dum in Paraquariam regredi parat, correptus morbo (prout prædixerat) inter feruentiſſima cum Deo colloquia, Spiritum Creatori reddidit, die 11. Aprilis 1652. Funus eius cohoneſtarunt, & Archiepiſcopus cum Canonicis, & Prorex cum Senatoribus, qui etiam ſuis humeris cadauer illius propter magnam de ſanctitate viri opinionem, ad ſepulchrum detulerunt. Prædictiones mirabiles, cœleſtes illuſtrationes, miracula, morbóſquę applicatione reliquiarum ipſius depulſos, fusè enarrat Doctor Franciſcus Xarque Decanus Eccleſiæ Cathedralis Albarracinenſis in Aragonia, qui multis annis familiariter, cum ipſo egit, & iuſto volumine vitam eius edidit Cæſar-auguſtæ 1652. ſicut, & noſter Alphonſus Andrada tom. 5. virorum Illuſtrium ex quibus hæc pauca delibauimus. Scripſit Hiſpanicè, atque edidit vir Apoſtolicus dum Matriti moraretur.

Hiſtoriam de miſſa ſub Iugum Chriſti Paraquaria. Matriti 1639. in 4.

Theſaurum, Grammaticam, vocabularium, Catechiſmum Lingua Guaranica, cuius eſt vſus in Paraquaria Matriti 1640. in 8.

* ANTONIVS DE SALDAGNA Africanus, natus in Arce Luſitanorum Mazagani in Africa, patre Luſitano, matre Itala ſedecim annorum adoleſcens miſſus à Parentibus eſt in Indiam vt militiam ſequeretur; ſed Goam appulſus, & ſpiritualis militiæ amore captus, Societatem ibi expetijt, & impetrauit anno ſæculi præterfluentis 15. Peracto tirocinio dum litteris operam daret, obtuſa eſt illi oculorum acies, adeò vt ſtudijs finem imponere coactus ſit, & ſacris initiatus, miſſus eſt in Peninſulam Salſetanam culturus illam vineam Domini. Ibi linguam Concanicam adeò perfecte addidicit, vt eloquentiſſimè illa loqueretur, & concionaretur. Annos circiter 40. in culturà illorum Chriſtianorum exegit; ſpiritualibus Adiutoribus adſcriptus, & complures verbo, & exemplo ab idolorum cultu ad Chriſti fidem conuertit. Demum non tam ætate, quàm laboribus confectus, migrauit ad Remuneratorem bonorum omnium Racholi die altera Decembris 1663. Edidit Concanico Idiomate.

Miracula S. Antonij de Padua. Racholi. Item.

Exemplorum librum de Chriſto crucifixo. Ibidem.

Parauerat pręlo, ſed morte interueniente edere non potuit,

Vocabularium copioſiſſimum linguæ Concanicæ.

Inſignia beneficia Angelorum Tutelarium,

Baculum Paſtoralem pro Sacramentis adminiſtrandis, & Parochialibus muneribus obeundis.

ANTONIVS SALVADOR, natione Hiſpanus, patria Tarraconenſis, cùm Ilerdę inter ſacrorum Canonum, & legum Auditores floreret, in Societatem ingreſſus eſt anno ſalutis 1593. ætatis 19. Concionatoris noſtri voce perculſus; In ea Eccleſiaſtem egit multis annis, & Collegiorum Ilerdenſis, & Gerundenſis Rectorem, vota quatuor profeſſus, vir animi candore, integritate vitæ ac ſuauitate morum inſignis. Obijt Tarraconæ die 21. Iulij 1624. & Domum tirocinij ſuis facultatibus amplificauit. Edidit quam ad populum habuit Barcinone.

Orationem de S. Tereſia.

Plura reliquit affecta, quæ morte præuentus non potuit vulgare.

ANTONIVS SANCTARELLVS, natione Italus patria Adrienſis in Samnio, vir moribus apprimè religioſis, & modeſtiſſima manſuetudine. Societatem amplexus eſt Romæ anno ſalutis 1586. ætatis ſuæ 17. & votorum quatuor profeſſionem emiſit. Humaniores litteras docuit annis aliquot, Theologiam moralem octennio. Magnam ætatis ſuæ partem exegit Romæ in Domo Profeſſorum, aſſiduus in excipiendis confeſſionibus, & ad omnia caritatis opera expeditus, multiſquè externis ac Principibus viris, quorum conſcientias dirigebat, percarus. Annis aliquot ante obitum orbatus viſu, ſumma animi æquitate, inſtar Tobiæ ſenioris, tulit ſuam cœcitatem, & interogatus ſæpiùs; an ſi à Deo daretur optio, mallet nè eſſe ſurdus quàm cœcus? conſtanter reſpondit; malle ſe eſſe (vt erat) cœcus, quia ſi ſurditate laboraret, non poſſet audire confeſſiones pœnitentium prout cœcus faciebat, eſſetque penitus iuuandis animabus inutilis. Octogenario maior migrauit ad viſionem beatificam (vt ſperamus) in cœlo Romę die 5. Decembris 1649. Edidit Italicè.

Tractatum de Iubilæo Anni Sancti, alijſquè Iubilæis. Romæ apud Maſcardum 1624. & apud Ludouicum Grignanum 1625. in 12. qui latinè translatus prodijt Moguntiæ 1626. typis Antonij Stroheſcer.

Vitam IESV Chriſti, & Beatiſsimæ Ma-

ria-

ris *Virginis*. Romæ apud Grignanum 1625. in 8. latinè vero edidit:

Tractatum moralem de Hæreſi, ſchiſmate, Apoſtaſia, ſollicitatione in Sacramento Pœnitentia, Blaſphemia, Maledictione, & de Poteſtate Romani Pontificis in his delictis puniendis. Romæ apud Hæredem Bartholomæi Zannetti 1625. in 4.

Variarum reſolutionum Partem 1. Romæ apud Grignanum 1625. in 3.

Scripſit etiam Italicè ſed non edidit.

Vitam B. Aloyſij Gonzagæ
Vitam Bernardini Realini } Soc. IESV.
Vitam Alphonſi Rodriqgez.

* ANTONIVS SIRMONDVS, natione Gallus patria Ricomagenſis in Aruernia, noſtri Iacobi Sirmondi Nepos, in Societatem cooptatus anno ſæculi voluentis 8. ætatis ſuæ 17. Profeſſis votorum quatuor adſcriptus eſt: Poſt traditam Rhetoricam, & amœniores litteras, Philoſophiam quinquennio explicuit, & multis annis concionatus eſt. Vir pietate inſignis, orationi apprime deditus ad immortalem vitam tranſiuit Pariſijs die 12. Ianuarij 1643. Edidit latinè.

De Immortalitate animæ demonſtrationem Phyſicam, & Ariſtotelicam, aduerſus Pomponatium, & Aſſeclas. Pariſijs apud Georgium Ioſſe 1625. in 8. Scripſit Gallicè.

Auditorem Verbi Dei. Pariſijs apud Ioannem Camuſat 1638. in 8.

Concionatorem. Ibidem 1638. in 8.

Defenſionem virtutis. Ibidem 1641. in 8.

ANTONIVS DE SOVSA, natione Luſitanus, patria ex Oppido Amarenſe Societati nomen dedit anno Domini 1606. ætatis 15. vir præcellenti ingenio, & ſcientia politioris litteraturæ, quam multis annis profeſſus eſt, inſigniter excultus. Cùm eloquentiam Olyſſiponenſi in Collegio doceret ſcripſit atque exhibuit magnificentiſſimè coram Philippo III. Hiſpaniarum Rege, cùm in anno 1619. in eam Vrbem veniſſet.

Tragico-Comædiam de Emmanuelis I. Luſitaniæ Regis expeditione in Orientem; quàm ſuæ relationi Hiſpanicæ penè integram inſeruit, Ioannes Sardina Mimoſus. Olyſſipone apud Georgium Rodriguez 1620. in 4.

Obijt Antonius in Oceano, anno 1625. cùm parta victoria, & pulſis è Braſilia Batauis, in claſſe Regia è Braſilia in Luſitaniam remearet.

ANTONIVS STRATIVS, natione Belga, patria Audomarenſis, in Societatem anno 1619. ætatis ſuæ 27. ingreſſus, docuit Logicam, Matheſim, Ethicam. Vir acri iudicio, ſed valetudine infirma. Obijt Monaſterij Vveſtphaliæ die 17. Nouembris anno 1636. Reliquit poſthumos, qui ſubinde prodierunt

Epigrammatum libros tres. Monaſterij Vveſtphaliæ typis Raeſsfldij 1637. Reliquit etiam prælo paratum:

Luſum Anagrammaticum in nomen Guilhelmi Lamormaini, ducentis vicibus variatum.

ANTONIVS SVCQVET natione Belga, patria Mechlinienſis, patre ſanctioris Conſilij Senatore natus die 15. Octobris 1574. poſtquàm Louanij multos annos Iuriſprudentiæ operam nauaſſet, ingreſſus eſt in Societatem Ieſu die 27. Aprilis anno 1597. Tornaci, vbi modeſtiam, pietatem, Dei, ac proximi amorem, quem iam indè à ſæculari vita ſpirabat, egregijs prouexit incrementis ad ſanctitatem. Sacerdotio initiatus eſt anno 1607. die 31. Martij. Quatuor deinde vota publicè profeſſus die 16. Decembris anno 1612. Tirocinium, & Collegium Mechlinienſe adminiſtrauit annis 10. Bruxellenſe 11. Vndè in Præpoſitum Prouinciç Flandro-Belgicç anno 1619. aſſumptus eſt, & eam quadriennio gubernauit. Demum cùm in Procuratorem Prouinciç electus eſſet, vltimum vitæ actum in Theatro Vrbis Romanæ egit, & viam vitæ æternæ, cùm Romanam propè confeciſſet in reditu Pariſijs magna ſanctitatis opinione, iniuit die 15. Februarij anno 1626. Elogium illi dedit vir magnus hac formula ſcriptum:

Vnum illi gaudium de Deo cogitare; de Deo loqui; extra quem gaudium illi nullum; Velles placere? Velles amari? loquendum de Deo erat. Velles diſplicere? miſcenda ludicra & ſecularia erant. Vir omninò magnus & coniunctione cum Deo ſuo maximus, quem vnum pectore, ore, calamo ſuo circumferebat: ignorabat alia. Diceres ebrium quoties diuinarum rerum mentio incidebat, & in illis ſolis eloquentem. Hæc ille. Cæterùm de viro laudatiſſimo erit alibi plura diſtinctiùs memorandi locus. Euulgauit noua inuentione, additis imaginibus moralibus æri inciſis,

Viam Vitæ æternæ, tribus libris comprehenſam, itaut primus viam doceat incipientium, alter viam proficientium, tertius viam perfectorum. Antuerpiæ typis Martini Nutij 1620. in 8. Eam deinde quartùm à ſe recognitam, & auctam emiſit in lucem. Extat typis Henrici Aertſens 1625. in 8. Prodijt eadem linguis Belgica, Hiſpanica, & Anglica; eam ipſe ſimul atque in lucem edidit, quo erat in Beatam *Virginem ſtudio*, vt pluribus viam vitæ oſtenderet, locis omnibus, ac templis cultui B. Virginis Mariæ peculiariter dicatis, ſingula donauit exemplaria, quæ in Sacriſtia aſſeruarentur ad excitandam pietatem peregrinorum, qui illic ſacra audituri vel peracturi erant. Editum ab eodem eſt

Teſtamentum Chriſtiani hominis, & præparatio ad conſequendam æternam ſalutem. Antuerpiæ apud Ioannem Knobbarum 1625. in 32. & recuſum Luxemburgi apud Reulans 1631. Prodijt idem verſum Belgicè, & Gallicè, Italicè autem Romæ apud hæredem Bartholomęi Zannetti 1627. ſcripſit etiam

De

Digitized by Google

De Purgatorio libellum tàm viuis quàm vita functis vtilem. Ab eodem eſt.

Paruum Pſalterium Beatiſſimæ Mariæ Virginis, & valdè multæ piæ ac practicæ Tabellę, quas paſſim vir pientiſſimus, & animarum zelo ardentiſſimus ſine nomine euulgabat.

* ANTONIVS DA SYLVA natione Luſitanus, patria Aueirenſis, Societati adſcriptus anno ſalutis 1622. ætatis ſuæ 17. votorum quatuor profeſſione ſe ei adſtrinxit. Septennio docuit Rhetoricam, & amæniores litteras & altero ſeptennio Theologiam magiſtram morum; multis annis Eccleſiaſten egit, & ſexagenario maior ſanctè deceſſit Scalabi die 18. Aprilis anno 1666. Edidit Luſitanicè

Compendium Vitæ S. Franciſci Xauerij actæ in Indijs. Vlyſſipone in 8.

* ANTONIVS TARLATINVS natione Italus, patria Tifernas in Vmbria, Deo ſe in Societate mancipauit anno ſæculi labentis 13. ætatis ſuæ 19. & votorum quatuor ſacramentum dixit. Poſt traditas humaniores litteras, multis annis vixit in Domo Profeſſa Romana, Operarius aſſiduus in templo, & in procuranda proximorum ſalute actuoſus. Nobile ſodalitium Sacerdotum, & Clericorum eadem in Domo diù direxit, & ſua ſedulitate oppidò frequens reddidit. In promouenda pia admodum exercitatione, quæ à Bona morte nomenclaturam habet, & ſingulis ferijs ſextis per annum, in templo Domus Profeſſæ Romanæ magno concurſu celebratur, ſingulari zelo conſtanter laborauit. Demum laborum mercede donandus piè obijt. Romæ die 9. Ianuarij 1665. Edidit Italicè

Pietatem ſolatio deſtitutam, pro exercitio Bonæ mortis tacito nomine. Romæ per hæredes Corbelletti 1650. in 12. Item appoſito nomine

Oeconomiam cęleſtem, ad actiones quotidianas meliùs obeundas. Romę 1652. Per Ignatium Lazarum in 12.

Ducem animæ ad Orationem mentalem, opus poſthumum. Romæ per Michaelem Herculem 1668. in 12.

Infantem IESVM. Margaritum Animæ. Sub nomine Alexandri Maffæi. Romæ per Franciſcum Caballum 1642. in 24.

De Amore IESV. Partem alteram 1643. in 24.

Horologium Hominis Chriſtiani ad cruciatus Chriſti patientis. Romæ 1642. in 24.

* ANTONIVS TERILLVS natione Anglus, patria Dorceſtrienſis, natus anno ſæculi voluentis 23. Romæ emenſis in Collegio Anglicano Philoſophiæ, ac Theologiæ ſtudijs, iamque Sacerdotio initiatus, rudimentum vitæ religioſæ poſuit in Domo probationis Quirinali Societatis anno 1647. die 20. Iunij, & votorum quatuor nuncupatione ſe adſtrinxit. Pœnitentiarium Apoſtolicum aliquot annis egit Laureti: Tum Philoſophiam profeſſus eſt primò Florentiæ, poſtea Parmæ, vbi etiã Theologiã ſcholaſticã quadriennio explicauit. Inde poſtulatu Prouinciæ Anglicanæ, Leodium miſſus quinquennio Theologiam profecutus eſt; Matheſim etiam aliquamdiù docuit & ſtudiorum Præfecturam geſſit, rexitque cum laude Collegium illud Anglorum in quo iterum ſtudia moderatur. Edidit in lucem hactenus

Problema Mathematico-Philoſophicum tripartitum, De termino magnitudinis, ac virium in animalibus. Parmæ apud Vignam 1660. in 12.

Concluſiones Philoſophicas rationibus illuſtratas. Parmæ typis eiſdem 1657. in 12.

Fundamentum totius Theologiæ moralis, ſeu Tractatum de Conſcientia probabili. Opus à multis laudatum, Leodij typis Ioannis Matthiæ Nouij 1668. in 4.

ANTONIVS TORRES, ſeu TORRENSIS, ſiue etiam *Turrianus*, natione Hiſpanus, patria ex oppido Gumiel Diœceſis Burgenſis, annum agens 22. eſt admiſſus in Societatem anno ſalutis 1556. atque in ea Philoſophicas, & Theologicas ſcientias didicit & humanas feliciter docuit, atque omnia propè Societatis noſtræ munia ei contigit obire. Linguæ latinæ magiſter fuit. Magiſter Nouitiorum; Rector, & Prædicator, ſincero animi candore, & flagranti ſtudio, curâque de hominum ſalute, primis illis noſtris Patribus ſimillimus, quarum virtutum, & in Transmarinis Occidentalibus Oris, & in Hiſpania, veſtigia multa reliquit impreſſa. Ad excolendos pijs exercitationibus homines mira virtute; multóſque, pręſertim Eccleſiaſticos ijs exercuit. Miſſionum egregius amator fuit, quarum ei à Patre N. Præpoſito Generali libera facultas erat, in ijſque ſtrenuam nauabat operam. Confeſſionum Generalium mirus ſuaſor, quas nolebat opera tumultuaria, ſed ſumpto ad cogitandum ſpatio fieri. Ad Conciones ſolemne illi fuit acri priùs corporis verberatione ſe comparare deinde cilicio indutum in ſuggeſtum aſcendere. Ipſas porrò Conciones meditationum potiùs, quàm multæ lectionis ſtudio adornabat: nec earum tempore quidquam in tractatione corporis delicatiùs admittebat. Pedes iter vel iam ſenex conficiebat: & cùm egreſſus Vrbe binas eodem die conciones habuiſſet, terna paſſuum millia eundo, redeundóque conficiebat; ardore animi robuſtum in ſenili corpore vigorem ſuſtentante. Incidit aliquando cùm ab eo obeundo munere rediret, vt inuentum in itinere mendicum ægrotantem, Rector tum ipſe ſuſtolleret in humeros, vt in Noſocomium deportaret. Caritati tantæ non impar fuit eius vitę aſperitas, & præterea humi ſuper aſſerem diu decubuit. Tandem bonis operibus plenus deceſſit Palentiæ anno ſalutis 1596. ætatis vero 62. ab inita Societate 40. ſcripſit Hiſpanicè

Manuale de inſtitutione Chriſtiani hominis, Tractatum admodum pium in quinque libros diſtributum. Cæſaraugustæ 1613. in 16. & Pinciæ 1614. in 12.

ANTONIVS VALENTINVS natione Italus, patria Patauinus. Vir magni ſpiritus & probitatis, & S. Carolo Borromæo olim perfamiliaris. Societatem ingreſſus eſt anno Domini 1556. ætatis 15. & profeſſionem votorum quatuor emiſit. Rector fuit varijs in locis & magiſter Nouitiorum 26. annis. Edidit tacito ſuo nomine, operâ R. M. Leonis Bertolini Italicè:

Meditationes deuotiſſimas de Paſſione Chriſti Domini, in ſingulos Quadrageſimæ dies diſtributas. Brixiæ 1600. Obijt Nouellariæ die 24. Nouembris anno 1611.

* ANTONIVS VANDEN STOCK, natione Belga, patria Bruxellenſis, annos natus duodeuiginti, Societati ſe adſcripſit anno ſalutis 1639. & vota quatuor in ea nuncupauit. Septennio docuit amęniores litteras; rexit Collegia Belliolanum, & Aldenardenſe: ſuperſtes, edidit hactenus latinè

Pia monita ad ſalutem. Litteris Chronicis anni 1656. expreſſa. Antuerpiæ typis Michaelis Cnobbaert eodem anno in 8. Item

Dogmata Salutaria, ac pia, ſimili ſtructura Chronica anni 1657. compoſita. Rurę mondę typis Gaſpari Du prez in 8.

De Spirituali Imitatione Chriſti. Litteris pariter Chronicis anni 1658. Rurę mondæ eiſdem typis & anno in 8.

De Interna locutione Chriſti ad Animam. Tractatum Ludouici Bloſij Flandricè conuerſum. Brugis typis Nicolai Breggel 1659. in 16.

De Communione ſpirituali idiomatè Belgico. Antuerpiæ typis Michaelis Cnobbaert 1665. in 12.

* ANTONIVS VAN TORRE natione Belga, patria Aloſtanus natus anno ſæculi fluentis 15. Societati nomen dedit 1632. & votorum quatuor profeſſionem emiſit. Docuit liberales diſciplinas annos 13. Magiſter fuit Noſtrorum more Societatis ſtudia repetentium annis 11. Præfectus Scholarum 15. Concionator 9. adhuc ſuperſtes dedit in lucem latinè, Gallice, Flandrice *Dialogos familiares litterarum Tironibus, in pietatis, ſcholæ, ludorum exercitationibus, vtiles, & neceſſarios*. Antuerpiæ apud Hęredes Ioannes Cnobbari 1659. in 8. Auctos & recuſos ibidem 1666.

ANTONIVS VASCONCELLIVS, natione Luſitanus, patria Olyſſiponenſis. Vir ob inſignem doctrinam, religionem, & generis claritatem, in Luſitania notiſſimus. Societati adiunctus anno ſalutis 1570. ætatis 15. votis quatuor ſe obligauit. Humaniores litteras docuit quinquennio; Philoſophiam quadriennio; præfuit ſtudijs Eboræ, & Conimbricæ quadriennio; rexit Collegia Portuenſe, Pharenſe, Porta-legrenſe, Eborenſe, & Viſitator fuit Collegiorum in Inſulis. Dum Academiam & Collegium Eboræ adminiſtraret multis ac pretioſis ornamentis ſacrarium auxit, conquiſitis vndique Sanctorum reliquijs, quas in Lipſanothecis affabrè factis, ſuppeditante ſumptus pijſſima ſua matre ad publicum cultum exponi curauit. Ingraueſcente ætate lecto affixus, & vltra decennium ex podagra decumbere coactus, horis ſuccißiuis remittente ſe vi morbi, libros aliquos compoſuit, vt qui ex ſuggeſtu amplius (quod multis annis fructuosè fecerat) populum docere non poterat, id ſaltem ſuis ſcriptis aſſequeretur. Obijt religiosè Eborę die 12. Iulij 1622. Edidit eleganti ſtylo

Anacephalaoſes, ideſt, *ſumma capita Actorum Regum Luſitaniæ*, quibus adiecit Epigrammata in ſingulos Reges, ab inſigni Poeta Emmanuele Pimenta: & illorum effigies ad viuum in ære expreſſas. Subnectit dein

Deſcriptionem Regni Luſitanici, cum Compendio rerum illuſtrium, quæ in eo viſuntur, tam ad humanum cultum ſpectantium, quam ad Diuinum. Demum

Philippi III. Regis Catholici expeditionem Luſitanicam; & *Orationem qua ipſum Eborenſis Academia, per P. Alphonſum Mendez Sacrarum litterarum Interpretem, poſtea Aethiopiæ Patriarcham, conſalutauit*. Antuerpiæ apud Petrum, & Ioannem Belleros 1621. in 4. Edidit item Luſitanicè

Tractatum de Angelo Cuſtode. Eboræ apud Franciſcum Simonis 1621. in 4.

Relationem Perſecutionis Iaponicæ annis 1588. & 1589. impreſſam Hiſpanice anno 1591. in 8. tribuit Antonio Vaſconcellio Antonius de Leon in ſua epitome Bibliothecæ Orientalis Hiſpanica.

* ANTONIVS VATIER, natione Gallus, patria Normannus, Diœceſis Sagienſis, Societati aggregatus anno ſalutis 1613. ætatis 18. vota quatuor ſolemnia concepit. Docuit in ea humaniores diſciplinas triennio, Mathematicas octennio, Philoſophicas nouennio; Theologicas quadriennio. Multis inſignis virtutibus, migrauit ad Dominum Pariſijs in Domo probationis die 10. Octobr. 1659. ſcripſit Gallice

Occupationem interiorem ante, & poſt communionem. Pariſijs apud Gaſpardum Maturas 1650. in 12.

Manuductionem ad Exercitia ſpiritualia S. P. Ignatij. Ibidem & iiſdem typis in 4. & 12. Quæ Italice traducta, Bononiæ excuſa eſt typis Ioſephi Longi 1674. in 12.

Clauem Cæli, ſiue artem bene moriendi. Ibidem & iiſdem typis 1653. in 12. Latine edidit

Sancti Auguſtini de Correptione, & Gratia ad Valentinum cum Notis. Pariſijs eiſdem typis 1652. in 8.

ANTONIVS VELLESIVS natione Luſitanus, patria Porta-legrenſis ad Societatem

Digitized by Google

tem acceſſit, anno ſalutis 1569. ætatis 22. & vota tria ſolemnia profeſſus eſt. Septennio prælegit humaniores litteras, triennio Theologiam Moralem, & ſeptennio alio, ſtudiorum Præfectus fuit Eboræ, vbi euulgauit eruditum atque exemplis è probis auctoribus illuſtratum

Commentarium in Emmanuelis Aluari Grammaticam latinam Eborę 1599. in 4. Multis annis Concionatorem, & Confeſſarium egit, & demum Eboræ obijt die 20. Martij 1609.

* ANTONIVS VERIVS, natione Gallus, patria Pariſinus, Societatem amplexus eſt anno ſalutis 1651. ætatis ſuę 20. & vota quatuor ſolemnia nuncupauit. Diſciplinas humaniores annis aliquot profeſſus eſt. Edidit Idiomate Gallico.

Vitam D. Noblez Miſſionary celebris, in inferiori Armorica, Pariſijs apud Franciſcum Muguet 1666. in 8.

Vitam S. Franciſci Borgiæ. Pariſijs apud Dionyſium Thierry 1672. in 4. Tranſtulit Gallicè.

Concionem habitam in die natali Reginæ Portugalliæ à P. Antonio Vieyra. Pariſijs apud Sebaſtianum Mambre Cramoyſy 1669. in 4.

* ANTONIVS VIEYRA, natione Luſitanus, patria Vlyſſiponenſis, natus anno ſæculi labentis 9. Societati nomem dedit Bahyæ in Braſilia 1625. vbi, & Philoſophię, & Theologię ſtudijs nauauit operam, & Rhetoricam triennio profeſſus eſt. Poſtea admonitus vt Theologiam ibidem prælegeret, poſtulante Prorege, miſſus à Superioribus eſt in Luſitaniam, vbi ob pręſtantiam talenti in Concionando adlectus eſt à Rege Ioanne 4. in Concionatorem Regium anno 1643. & ibidem votorum quatuor profeſſionem emiſit. Inde tamen poſt annos aliquot, licentiam impetrauit ab eodem Sereniſsimo Rege redeundi in Braſiliam, ad conuerſionem Infidelium, & Noſtris ad flumen magnum Amazonum, Braſilorum ſaluti ſeſe impendentibus ad nouennium præfuit. Nunc dum hæc ſcribuntur anno 1674. Romæ commoratur, vbi varijs in locis auditus eſt cum plauſu, etiam Italicè, pro concione dicere. Editæ ſunt typis variæ illius Conciones, non ab ipſo, ſed alijs, qui eas deſcripſerunt, vel in alias linguas tranſtulerunt; & primæ quidem excuſæ ſunt Ceſarauguſtæ, Idiomate Hiſpanico, ſed admodum vitioſè, poſtea prodierunt.

Conciones variæ P. Antonij Vieyra. Hiſpanicè Matriti per Ioſephum Fernandez de Buendia 1664. in 4. Item.

Conciones variæ eiuſdem. Pars ſecunda. Matriti per Paulum de Val 1654. in 4. Harum aliquæ Italicè redditę a Bartolomeo Sanctinello impreſſæ ſunt Romæ per Michaëlem Herculem 1663. in 8.

Conciones ſex lingua Luſitanica vulgatæ ſunt Vlyſſipone typis Dominici Lopez 1645. in 4. Item.

Concio hiſtorica, & Panegyrica habita in die natali Sereniſsimæ Reginæ. Vlyſſipone 1668. quam Gallicè tranſtulit Noſt. Ant. Verius.

Concio gratulatoria ob felicem partum Reginæ. Eboræ typis Academicis 1669.

De Stigmatibus Sancti Franciſci, ſermo habitus Romæ in Oratorio Archiconfraternitatis Stigmatum. Ibidem apud Vareſium 1672. in 4.

De B. Stanislao Koſtka Soc. IESV; Sermo habitus in Æde Quirinali eiuſdem Societatis Romæ typis Lazari Vareſij 1675. in 8.

ANTONIVS VIGVIER, natione Gallus, patria Figeacenſis, Diæceſis Cadurcenſis, venit in Societatem die 29. Auguſti anno 1600. natus annos 18. In ea Grammaticam, Humanitatem, Rhetoricam, Philoſophiam, & Theologiam moralem, ac denique vota quatuor ſolemnia profeſſus eſt; vir apprimè pius, & ſui contemptor, ſalutis animarum auidus, laboris patientiſſimus. Obijt in Domino Pictauij die 27. Ianuarij 1622. Edidit.

Panegyricum Ludouici XIII. Regis Chriſtianiſſimi.

ANTONIVS VIVIANVS, natione Gallus, domo Petracoras, ad Societatem acceſſit anno ſalutis 1586. in qua iuſto tempore, ſpiritualis Coadiutor formatus eſt. Vir moribus ſupra modum commodis, ac tranquillis, quibus erat omnibus peracceptus. Nihil iracundi, aut acerbi præ ſe tulit vnquam. Morbum mortemquè ita placidè excepit, vt non tàm mori, quàm quieſcere viſus ſit. Obijt Toloſæ in ipſo anni 1603. limine, vbi plus annis 20. ſedulam confeſſionibus operam dederat. Vixerat in Societate annos 37. vniuerſim autem 57. Edidit verſum à ſe Gallicè.

Thomæ à Kempis libellum de Imitatione Chriſti, & Epiſtolas Generalium Societatis IESV. Scripſit item Gallicè.

Librum de Virginitate.

De Angelo Cuſtode

De Oratione 40. horarum

De Pietate erga Deiparam.

ANTVERPIENSIS DOMVS PROFESSA, in Belgio ad amnem Scaldim ſita, prima Domorum Profeſſarum Societatis per Germaniam, & Belgium, initium habuit anno ſalutis 1607. quando translatis ſcholis in commodiorem locum, & prouentibus annuis Collegij, quod eò loci priùs fuerat, ſolum ædificium relictum eſt vſibus Profeſſorum. Et quamuis nullum habuerit certum Fundatorem, tamen Diuina prouidentia, & liberali Senatus, Populiquè pietate paulatim effectum eſt, vt ſiue ſpeciem ſpectes auguſtam Templi, ſiue fabricam Domus, ſiue amplitudinem in ea Bibliothecæ, ſiue numerum perſonarum, quę in ea ſuſtentantur, ſiue multitudinem Mini-

ſteriorum

ſteriorum erga proximos, quæ exercentur, non multas inuenies Domos in tota Societate illi pares. Degunt ſiquidem in ea ſexaginta Socij, ad omne ſanorum, atque ægrorum ſolatium atque auxilium, noctu, diuque prompti, nec vnquam ab operibus caritatis, atque Inſtituti noſtri functionibus, vacui. Sodales B. V. in diuerſas Congregationes diſtributi ad tria fermè millia, ſuas in ea exercitationes pietatis, quot hebdomadis obeunt; ad Templum verò, & ſacra pœnitentiæ Tribunalia, tantus populi fit concurſus vt Sacerdotes per 27. ſeues Confeſſionales diſpoſiti ægrè ſæpè ſufficiant. Benefactores huius Domus inſignes fuerunt complures, ſed inter eos eminuerunt Virgines quædam, & Matronæ, ſcilicet 4. Sorores Hout appellatæ, & earum cognata Anna Sgreuens, tùm Maria van Breuſeghen Vidua Antonij *Loſſon*, Anna van Eſten, Maria Anna Mecchelmans, quarum ſingulæ ſuis de facultatibus tantum huic Domui alendæ, & ſtabilendæ erogarunt, vt proptereà gratitudinis causâ pro illarum ſingulis indicta ſint per totam Societatem ſuffragia pro Fundatoribus dici conſueta. Aluit olim hæc Domus atque etiamnum alit multos omni eruditione, & libris editis claros quorum nomina ſuis locis in hoc opere inſeruntur. Edidit Domus ſuo nomine.

Plauſum exhibitum, Magno Patri Ioſepho, Dei Matris ſponſo, Dei filij nutritio, cùm ei in valle S. Mariæ Facontina Antuerpiæ illuſtre ſacellum ſtatueretur, die 19. Martij anno 1637. Ibidem in 4. Item ſuo, & Collegij Antuerpienſis nomine.

Honorem S. Ignatio de Loyola, & S. Franciſco Xauerio per Gregorium XV. inter Diuos relatis habitum. Antuerpiæ ex officina Plantiniana 1622. in 8.

AQVISGRANENSE COLLEGIVM, quod eſt in Prouincia Rheni Inferioris inter Rhenum, & Moſam ad fines Belgij, inchoatum anno ſæculari 1600. ſub nomine Reſidentiæ, tertio poſt anno in numerum Collegiorum tranſiuit ex beneficentia partim Reuerendiſſimi Capituli, partim ampliſſimi illius Senatus, & denique Sereniſſ. Electoris Colonienſis Erneſti Bauari, qui prouentus quoſdam Eccleſiaſticos auctoritate Apoſtolica Noſtrorum ibi vſibus applicuit. Edidit hoc Collegium, & Sereniſſ. Archiduci Auſtriæ Alberto potentiſſimo Belgij Dynaſtæ, qui ab oppreſſione Hæreticorum Ciuitatem vindicarat, dedicauit

Syntagma Dauidicum, hoc eſt, ordinatam collectionem è Pſalmis Dauid, ſecundum varios mores, & motus horum temporum. Coloniæ ſumptibus Bernardi Gualteri 1615. Item

Aquiſgranum à Matthia Imperatore reſtitutum, Carmine deſcriptum

ARCHANGELVS BELBONVS natione Italus, patria Campanenſis, quod Oppidum non procul Salerno eſt, Grandis natu & quinquagenario maior ad Societatem vocatus eſt anno ſalutis 1615. Id beneficij à Deo haud dubiè conſecutus eſt merito hoſpitalitatis, quâ noſtros homines domo ſua tranſeuntes excipere ſolitus fuerat. Fuit mirè induſtrius in hominibus ad Confeſſionis Sacramentum adducendis. Obijt Salerni 11. Februarij 1627. Edidit Italicè ſub nomine alieno F. A. G.

Compendium Miraculorum B. V. Mariæ

ARIAS BRANDANVS ſiue BRANDONIVS, vel etiam, vt alij appellant BLANDONIVS, natione Luſitanus vnus è primis Societatis in India Orientali operarijs, & dignus qui Gaſpari Barzæo ſuccederet in Armuziana Vinea, in qua magnitudinem caritatis ſuæ luculenter explicuit. Admiſſus eſt in Societatem Goæ, anno Dom. 1552. ætatis 23. Venator inſignis animarum, Armuziæ Mahumetanos quinquaginta ad Ouile Chriſti traduxit anno 1570. & in his Regij ſtemmatis feminam; Damani verò 80. pariter Mahometis erroribus imbutos, anno ſubſequenti fonte ſalutis abluit. Scripſit

Epiſtolam de rebus geſtis in India ab hominibus Societatis. Goa 9. cal. Ianuarij 1554. Luſitanicè, quam à ſe Latinè conuerſam refert Ioannes Pet. Maffæus lib. 1. Epiſtolarum de rebus Iaponicis. Item aliam

Epiſtolam anno 1555. quæ extat Latinè impreſſa Venetijs cum alijs 1565.

ARIAS SANCHEZ, ſeu SANCTIVS natione Luſitanus, patria Vlyſſiponenſis cùm mercaturæ ſtudio in Iaponiam nauigaſſet, viſis ibi de Societate mercatoribus animarum, ad lucra ſpiritualia animum adiecit, & vt in Sociorum numerum adlegeretur impetrauit anno ſalutis 1561. ætatis 34. Ibi multos ad Chriſtianæ fidei complexum, & in his Bonzios, ac non paucos è Nobilitate perduxit. Demum copioſa meſſe in Chriſti horreum illata multiſque defunctus laboribus, & ærumnis per annos duodeuiginti in Iaponia tranſactos, ad æterna præmia euolauit, Omuræ 1590. menſe Iunij ætatis 62. Scripſit è Iaponia:

Epiſtolas duas de rebus Iaponicis anno 1562. vti refert Antonius de Leon in Epitome Bibl. Orient. & Ioannes Pet. Maffæus in lib. 3. epiſt de Rebus Iaponicis.

ARNALDVS BOHYRÆVS natione Gallus patria Aquitanus Veſunenſis, vel (vt alij referunt) Petracoras, in Societate, quam anno 1592. ætatis 20. ingreſſus eſt, Rhetoricam, & Philoſophiam profeſſus eſt; Rector fuit Collegiorum Billomenſis, Anicienſis, Toloſani, Præpoſitus Domus Profeſſæ ibidem, Prouincialis Aquitaniæ, & Vice-Prouincialis Toloſanæ. Vir apprimè doctus omne genus ſcientiarum excoluit. Pacificus admodum tum erga ſe, tum erga alios. Poſt edita religioſarum omnium documenta virtutum, in tironum noſtrorum domicilio, emeritus ſenex, & innocentia pene infans, mortalitatem exuit. Toloſæ die 11. Aprilis 1656. Edidit.

Elegiarum libros quinque, quorum primus continet Elegias de Chriſto, & B. Virgine. Secundus de Diuis Martyribus. Tertius Lacrymas Ieremiæ. Quartus Diras in Apoſtatas. Quintus Mixta. Toloſæ typis Viduæ Iacobi Colomerij 1618. in 4.

Theatrum Perſei, ſeu Perſeum Francum. Gallicè in 8.

* ARNOLDVS ANGELVS natione Belga patria Traiectenſis, Societatem amplexus in Bohemia, anno labentis ſæculi 40. ætatis ſuæ 20. Rhetoricam octennio in ea profeſſus eſt, quinquennio ſcholis præfuit. Multis annis Miſſiones obiuit magno zelo, ac fructu. Edidit hactenus.

Conſignatos de omni ſtatu homines etiam Principes, hoc ſæculo ad fidem Romanam conuerſos in 4.

Indaginem Monocerotis ab natura humana Deitatis ſagaciſſima Venatrice, per quinque ſenſuum deſideria, amanter adornatæ. Carmine Pragæ typis Vniuerſitatis 1658. in 4.

Plenilunium Marianum, ſiue Orationem de B. Virgine. Pragæ iiſdem typis 1657.

*Elegantiarum libros duos; Continent Leſſum, & Epitaphium S. Franciſci Xaueri*j diuerſo carmine. Item

Orationem de eodem Sancto. Pragæ eiſdem typis, & anno.

Orationem funebrem poſt obitum Auguſtiſſimi Imperatoris Ferdinandi III. Pragæ eiſdem typis 1657. in 4.

Virtutis, & Honoris Aedem, in Heroibus, & Poëmatis xxv. Græcolatinis illuſtratam. Pragæ. typis Ignatij Arnolſi M.DC.LXXI.

ARNOLDVS BOECOP natione Belga, domo Gelder Zutphanienſis, nobilis, locuples, & vnicus viduæ filius, acceſſit ad Societatem Treuiris anno ſalutis 1610. annos natus 24. integra ſeruata religione, ac virginitate in Batauica Academia, vbi Iuris prudentiæ operam nauauerat. E patria Moguntiam reuertens, per fraudem ab hæreticis captus eſt, & veneno, vti medicus exiſtimauit, hauſto in carcere, Coloniæ ſubſtitit; vbi poſt quinquemeſtrem infirmitatem ſumma patientia toleratam extremum diem clauſit 19. Februarij 1622. Vir verè humilis, manſuetus, & contemptor ſui, in flore ætatis, ac tum recens Sacerdotio initiatus. Scripſit

Epiſtolarem quæſtionem de nomine Hubertus, & alijs eiuſdem terminationis, apud Ioannem Roberti adiectam vitæ S. Huberti à Robertio editæ. Luxemburgi 1621. Item

Apologiam de Iuſto Lipſio cui inſcriptio eſt: *Iuſtus Lipſius Catholicus*, ſiue *de vera Iuſti Lipſij religione Catholica Dialogus*. Extat in fama poſthuma *Iuſti Lipſij* impreſſa Antuerpiæ typis Plantinianis, non addito Societatis Ieſu titulo, & ex Epiſtola præfixa apparet illum nondum fuiſſe de Societate cùm eam ſcriberet

ARNOLDVS CATHIVS natione Belga Domo Leouardienſis, quæ occidentalis Friſiæ vrbs eſt, Harlemij diſciplinis humanioribus, Lugduni Batauorum Medicinæ operam dedit; cui magis excolendæ Patauium conceſſit, ibique lauream eius facultatis accepit. In Palæſtinam, & reliquum orientem cùm meditaretur, in Societatem adſcitus, Romæ tirocinium poſuit anno ſaluti 1600. Philoſophiam recoluit, Theologiam audiuit; ſed tertium vix annum emenſus, aduerſa valetudine victus, cùm ſacris à Cardinale Bellarmino initiatus fuiſſet, remiſſus in Belgium eſt, vt Louanij ſtudijs extremam induceret operam. Inde in Friſiam deſtinatus, vndecim totos annos Leouardiæ, Suuolliis, Snecæ, vltimum etiam Leydæ verſatus eſt. Redux Louanij Præfecturam obtinuit ſpiritus, & ſacras litteras explicuit. Antuerpiæ controuerſa fidei ſexennio docuit; Ruremondanum poſtremò Collegium prope triennio rexit, vbi etiam morte ſublatus eſt, cùm Sacramentis omnibus ritè procuratus, filios ſuos paterna benedictione ſolutus eſſet die 13. Decembris anno 1630. ætatis 54. ab inita religioſa vita 30. profeſſus iam ab annis 13. vota 4. ſolemnia. Opinio fuit eum à Germano fratre natu maiore fuiſſe accitum ad Superos; qui cum pepigerat, vt qui prior deceſſiſſet, ſuperſtiti à Deo, ſi modo conduceret, ipſi ad ſalutem, exoraret breuem migrationem: obierat autem ille non toto prius bimeſtri. Optarat quidem P. Arnoldus iam pridem in acie mori, ceu Chriſti miles, & ſi negaretur decus Martyrij, inter concionandum certè defungi: & parte votorum aliqua potitus eſt. Vix à morbo quo fuerat afflictatus, ſe paululùm recrearat, cùm inſtituta ad populum concione pomeridianis diei S. Franciſco Xauerio ſacræ horis, tanta contentione dixit, vt impares ſpiritui, qui loquebatur vires ſuccumberent. Excepit eam febris & neruorum tremor, atque conuulſio, cui cum nec ipſe, quamuis animo magno conaretur, nec medici poſſet induſtria obluctari, ceſſit egregius vir, & paucis iis diebus quibus decubuit, miram exhibuit in tolerando patientiam, multam omnis mollitudinis, & deliciarum auerſionem: perennem in diuina mentis intenſionem, rerum temporalium cura in alios reiecta: ſuauiſſimam cum Criſto Crucifixo, & B. V. Maria per crebra colloquia familiaritatem. Nimirum vir ille fuit in quo cum præclaris naturæ dotibus ſolidæ virtutes certabant. Erat illi ingenium fœcundum, memoria firma, vt non verſus ſolùm, quos aliquando legerat, bene promeret, ſed magnam quoque ſacræ Scripturæ partem complexus, quouis aſſignato capite quid in eo contineretur extemplò referret. Humaniorum litterarum notitia iam tum cùm ad Societatem venit, inter eruditos ſibi nomen compararat, ſacram profanamque Hiſtoriam diligenter euoluerat, & temporum rationem accuratè tenebat, redactis ſibi ab orbe condito ad hanc vſque diem annis in

ſeriem

ſerent. Erat ad hæc prudentia inſigni, & ſuauitate conuerſationis omnium ſibi animos, eorum etiam, qui alioqui minùs Societati fauebant, deuinciebat. Conſulebatur de grauibus cuiuſuis generis negotijs à Prælatis, à Viris Principibus, ab alijs Religioſis, ab Vrbano Magiſtratu. Amabili morum comitate, & ſincero affectu auctoritatem ſibi, & amorem apud ſubditos pariebat. Procul erat ab fuco, fictàque ac politicà, quam vocant, agendi ratione, quam peſtem appellabat Societatis humanæ: moneri ſe ab omnibus patiebatur, ſi quid in eius moribus, aut gubernatione notaſſent caſtigandum. Quo agendi inſtituto, cùm placeret omnibus, vni ſibi non ſatisfaciebat. Monitus cum eſſet in Friſia, per litteras, de quatuor votorum gradu, ſibi delato; ita nuntio perculſus eſt, vt qui non credidiſſet ſuis promeritis eum honorem iri conceſſum. Ad Moderatorum imperia promptiſſimè ſe accommodabat. Salutem hominum impenſiſſimè ſitiebat; ideò multus erat in audiendis Confeſſionibus, ægris die noctèque adeundis; luſtrandis Xenodochijs; militibus, ciuibuſque tametſi contagionis cum periculo, adiuuandis, & quò ſuorum laboribus parceret, plures ſæpe per hebdomadam noctes, apud infirmos excubabat: fuit etiam, cùm defuncti militis corpus humeris ipſe ſuis ſubiret, illaturus in ſepulchrum, niſi accurrentium nonnullorum, quos tantæ caritatis ſpectaculum perculerat, opera intercepiſſet. His officijs in multa vitæ diſcrimina fuit adductus, & venenum à peſtifero afflatum ſemel hauſit, quod in vlcus tabo fædum erupit. In Friſia quoque peſtem contraxit, dum eà afflictis ſatagebat inſeruire, ad quorum obſequia crebrò ſe Superioribus obtulit, tum etiam cùm Rector eſſet. Dicebat ad populum magna contentione, bis ſæpe vna die; pueros etiam, præſertim tenuioris fortunæ, catecheſi imbuebat. Inter hæc adeò non erat immemor ſui, vt perpetuò adhæreret Deo, & iaculatorijs aſpirationibus omnia negotia condiret; eius amorem in omni ſermone ſonabat, in eum omnes prouocabat; eum in ſe, tractatione librorum, qui de contemplatione agunt diligentiùs, & deuotiſſima diuini Officij, & S. Sacrificij adminiſtratione, inflammabat. Ad horas ſingulas propoſito ſibi certo paſſionis myſterio, conceptis precibus Chriſtum Dominum laudabat. Beatiſſimam Matrem per cor, atque amorem ipſius, in auxilium vocabat. Tricena ſibi capita rerum propoſuerat ad quæ animum inter ſacrificandum aduerteret, varios virtutum actus eliciturus. In horto domeſtico conceperat loca certa, quibus Seruatorem patientem varijs modis cogitaret, eaſque ſtationes tacitus pietatis ergò recolebat. Aiebat ſe vix vnquam copioſiùs è cælo beari, quàm cum ſacrificanti miniſtraret, quod ideo quotidie ſi opportunitas tuliſſet lætus faciebat. Magno affectu in magnam Matrem Virginem fuit, eratque in eius laudes apprime diſertus: ad eius cultum paſſim omnes hortari, quotidie Roſarium orando pertexere; illud noctu è brachio ſuſpendere, vt expergefactus mox Matri decurreret ſalutandæ. *Officium Immaculatæ Conceptionis eius, iam Belgicè reddiderat olim,* & nunc *Vernaculè commentabatur in Canticum Magnificat*, quando eum mors interrupit: omnino modos omnes quærebat, quibus gloriæ tantæ Reginæ impenſiùs ſtuderet. Secundùm eam è Cœlitibus S. Antonium Patauinum, & imprimis religioſiùs S. Ignatium, atque alios de Societate viros ſanctimonia claros venerabatur; tantà de Societate ipſa concepta opinione, vt crederet Angelum; ſi inter mortales viueret hoc vitæ genus amplexurum. Hinc fiebat vt nomini eius dignitatique tuendæ, cuiuſuis auctoritatem atque commodum poſthaberet. Sæuiebat in ſe quotidie bis, flagellis catenatis, nodo, aculeo, radio frequenter contextis, quibus ſe ſanguine haud indecoro ſordidabat, & ad acriorem doloris ſenſum faciendum, totum ſubinde corpus, alijs atque alijs ſuccedentibus membris diuerberabat; vt modus carnificinæ ſtatui debuerit ne ſe conficeret. Frequens accedebat in hebdomada ieiunium: frequens capitis, colicæ, calculi, herniæ dolor, quos æquiſſimo animo tolerabat. Paupertatem tanto habebat in pretio, vt nihil haberet in cubiculo pretioſum; veſtitus illi ſemper eſſet quàm cæteris attritior; ægrè admitteret nouum. At in ſuos vti lenis, ac placidus, ita erat intra religioſæ modeſtiæ fines profusè liberalis, vndè fiebat, vt Deo cui fidebat impensè, ſubminiſtrante, commodè Collegium ſuſtineret, diceretque ſe minimum temporalis rei ſollicitudine angi, cùm ſciret ſibi neminem à Deo per Moderatores mitti, cui non etiam neceſſaria ſubmitteret; id quod difficillimis temporibus ipſe non ſemel expertus eſt. Tractandorum animorum tam erat peritus, vt è ſubditis pluſculi nollent alio vti adminiſtro ad ſuas confeſſiones. *Multa vernacule, tum ligata, tum ſoluta oratione, ſine nomine ſuo in lucem dedit*, ad hæreticorum conuerſionem opportuna. Multa moliebatur, quæ ad Sacræ Scripturæ facerent interpretationem, quæ ad fouendam pietatem, quæ per neceſſarias curas alias non potuit expedire. Scripſit

Paraphraſim continuam in Canticum Canticorum Salomonis. Adm. R. P. N. Mutio Vitelleſco Præpoſito Generali valdè probatam, quam editam ex officina Moreti anno 1625. cùm doctiſſimo Antuerpienſium Antiſtiti Ioanni Maldero inſcripſiſſet, dedicaſſet, obtuliſſet, eundem Antiſtitem excitauit, vt ſimile opus in idem Canticum meditaretur, quod paulò poſt ex eadem officina Plantiniana in lucem prodijt. Reliquit etiam poſt ſe paratas iam propè ad editionem

Notas Vberes in Dauidicos Pſalmos.

ARNOLDVS SAPHORIVS natione Gallus, patria Bearnenſis admiſſus in Societatem,

Digitized by Google

tem Pariſijs à P. Oliuerio Manaræo tunc Prouinciali Franciæ, anno ſalutis 1569. ætatis ſuæ 26. ibidem poſtea Philoſophiam annos ſex, & totidem Theologiam cum laude profeſſus eſt. Vir fuit inſigniter doctus, & tam integro puroque ſenſu pietatis, vt illi à natura indita, non exercitatione parta videretur ipſa pietas. Scripſit opus accuratum

De locis noui Teſtamenti, ab hæreticis noſtri temporis corruptis, ſed quod morte præuentus euulgare non potuit. Scripſit etiam modum, ſeu viam conuincendi Hæreticos, ex ratione formali fidei, cui titulum fecit

Combinationes aduerſus Hæreticos

Obijt doctiſſimus vir Toloſæ anno 1595. cum 25. iam annos in Societate exegiſſet quatuor vota anno 1583. profeſſus. Interfuit Congregationi V. Generali ab Aquitaniæ Prouincia miſſus

ATHANASIVS KIRCHERVS natione Germanus; patria Fuldenſis natus anno ſæculi voluentis primo, poſtridie Cal. Maij Chriſto in Societate ſua dicauit ſe anno 1618. die 11. Octobris, & vota quatuor ſolemnia nuncupauit. Philoſophiam moralem, Matheſim, linguas Hebream, & Syriacam in Academia Herbipolenſi profeſſus eſt. Inde per tempeſtatem à Guſtauo Adolpho Suecorum Rege in Germania concitatam eiectus, in Galliam conceſſit, & Auenione eaſdem facultates explicuit. Poſtea Romam euocatus Matheſim in Collegio Romano ſexennium docuit, linguam Hebraicam aliquandiù explanauit; & quod nemo hactenus aſſecutus fuerat, arcanam Aegyptiorum ſapientiam Hieroglyphicis ſignis inuolutam, & obeliſcis qui per Vrbem viſuntur inſculptam, mira felicitate primus eruit, & dilucidauit. Hinc à Principibus, & doctis viris permagni habitus; multa elucubrauit, quæ propter variam, & reconditam in ijs eruditionem, ipſi Heterodoxi ſuis typis cupidè vulgarunt. Septuagenario maior nondum quieſcere ſinit, vir ſtudioſiſſimus, calamum, ſed adhuc in Collegio Romano elaborat in dies, quæ proſint publico. Edita ſunt hactenus ab eo iuxta Elenchum Amſtelodami excuſum, & Romæ typis Angeli Bernabò. 1675.

1. *Magneſia, ſiue concluſiones experimentales, De effectibus Magnetis*. Herbipoli 1630. in 4.

2. *Gnomonica Catoptrica, ſiue Horologiographia reflexa*. Auenione 1635. typis I. Piſt. in 4.

3. *Specula Melitenſis Encyclica, ſiue ſyntagma nouum inſtrumentorum Phyſico-Mathematicorum*. Meſſanæ 1638. in 8.

4. *Prodomus Coptus, De lingua Copta, ſiue Aegyptiaca quondam Pharaonica origine &c. & Hieroglyphicæ litteraturæ inſtauratione*. Romæ typis Sacræ Congregationis de Propag. Fide 1636. in 4.

5. *Ars Magnetica, De natura Magnetis eiuſque in omnibus vſu*. Romæ in 4. dein Coloniæ. Iterum Romæ auctior 1654. in folio.

6. *Lingua Aegyptiaca reſtituta, quæ Idiomatis primaui Aegyptiorum Pharaonici inſtauratio continetur*. Romæ typis Ludouici Grignani 1643.

7. *Ars magna lucis, & vmbræ in duos tomos diuiſa*. Romæ 1646. in folio. Recuſa Amſtelodami à Ioanne Ianſonio 1671.

8. *Muſurgia, ſiue Ars magna conſoni, & diſſoni, qua Muſica, Theorica, & Practicæ ſcientia traditur*

9. Opus in duos tomos diuiſum. Romæ typis Hæredum Corbelletti 1650. in folio.

10. *Obeliſcus Pamphilius in foro Agonali erectus*. Romæ typis Ludou. Grignani 1650. in folio.

Oedipus Aegyptiacus in quatuor tomos diuiſus quorum

11. *Primus dicitur Templum Iſiacum, de origine & duratione Aegyptiacæ ſapientiæ*. Romæ typis Vitalis Maſcardi 1652. in folio.

12. *Secundus Gymnaſium Aegyptiacum, quo veterum Hebræorum & Orientalium ſapientia inſtauratur*. Romæ ijſdem typis 1653. in folio.

13. *Tertius, variarum Artium veteribus Aegyptijs vſitatarum claſſes continet*. Romę eiſdem typis anno & forma.

14. *Quartus Theatrum Hieroglyphicum, quod eſt Obeliſcorum cæterorumque Hieroglyphicorum monumentorum Romæ, in Aegypto, & alibi interpretatio*. Romæ ijſdem typis 1654. in folio.

15. *Iter Extaticum cæleſte, ſiue Mundi Opificium, quo Cœli ſiderumque natura, vires & ſtructura exponuntur*. Romæ typis Maſc. 1656. in 4. auctum & illuſtratum à P. Gaſpare Schotto, Norimbergæ, & Herbipoli 1660. in 4.

16. *Iter Extaticum Terreſtre, ſiue Geocoſmi Opificium quo Terreſtris globi ſtructura exponitur*. Romæ typis Maſcardi 1657. in 4.

17. *Scrutinium Phyſico-Medicum, ſiue de Peſte, eiuſque origine, & effectibus*. Romæ typis Maſcardi 1658. in 4.

18. *Diatribe de Crucibus Neapolitanis, quæ ibidem ſupra veſtes hominum comparuerunt*. Romæ apud Blaſium Deuerſin 1661. in 8.

19. *Polygraphia ſeu artificium linguarum, quo cum omnibus totius mundi populis poterit quis correſpondere*. Romæ typis Vareſij 1663. in folio.

20. *Mundus ſubterraneus in quo vniuerſæ*

21. *Naturæ Maieſtas & diuitiæ duobus tomis demonſtrantur*, Amſtelodami typis Ioannis Ianſonij 1664. in folio.

22. *Hiſtoria Euſtachio-Mariana, qua Vita, Genealogia, & locus conuerſionis S. Euſtachij deſcribuntur*. Romæ typis Vareſij 1665. in folio.

23. *Arithmologia, ſiue de occultis numerorum*

rorum

rorum myſterÿs. Romæ 1665. in 4.

24. *China monumentis quà ſacris, quà prophanis, necnon varÿs naturæ & artis ſpectaculis illuſtrata*. Amſtelodami apud Ioannem Ianſonium 1667. in folio, & Gallicè reddita ibidem & typis iiſdem

25. *Obeliſci Aegyptiaci intra rudera Templi Mineruæ effoſſi interpretatio hyeroglyphica*. Romæ typis Vareſij 1666. in folio.

26. *Magneticum Naturæ Regnum, ſiue de triplice Magnete*. Romæ typis Ignatij de Lazzaris 1667. in 4.

27. *Ars magna ſciendi, ſiue combinatoria in libris 12. duobus tomis*, Amſtelodami apud Ioannem Ianſonium 1669. in folio.

28. *Latium Priſcum, quo eius origo, ſitus, natura, vrbes &c. deſcribuntur*. Amſtelodami typis iiſdem 1671. in folio.

29. *Splendor Domus Ioanniæ vnius ex Antiquiſſimis Hiſpaniæ familÿs*. Amſtelodami apud eundem 1669. in folio.

30. *Arca Noë cuius architectura exponitur libris tribus*. Amſtelodami apud eundem Ianſonium 1673. in folio.

31. *Tomus I. Turris Babel*, opus in libros quatuor digeſtum quo ſtructura Turris, & alia monumenta exponuntur Amſtelodami 1673. in folio.

32. *Phonurgia Noua De prodigioſis ſonorum effectibus, & ſermocinatione per machinas, Sono animatas*. Campidonæ 1673. in folio.

33. *Phyſiologia Kircheriana multiplici experimentorum varietate comprobata, in vnum Tomum contracta* per Io: Stephanum Keſtlerum Alſatam 1674.

34. *Organum Mathematicum ad diſciplinas Mathematicas facili modo addiſcendas*, Norimbergæ apud Enteros 1670.

35. *Pantometrum Kircherianum ad vſum Principum à P. Gaſpare Schotto noſtro, tomo integro explicatum.*

36. *Sphynx Myſtagoga, ſiue Diatribe de Mumia Hieroglyphicata ex Aegypto in Galliam tranſlata*. Amſtelodami apud Ianſonium 1674.

Præter hæc, edita quoque iam ſunt hoc anno 1675. quo hæc imprimimus, aut breui luceui ſunt aſpectura iiſdem typis

37. *Turris Babel Tomus II. & III.* Atlas polygloſſus intitulatus.

38. *Muſæi Collegÿ Romani à P. Kirchero inſtituti deſcriptio.* Ibidem.

39. *Ars Analogica, de quouis themate expeditè ſcribendi per Analogiſmos rerum naturalium*. Amſtelodami in folio.

40. *Iter Hetruſcum quo Hetruriæ tum priſcæ, tum poſteræ, origo, ſitus natura deſcribuntur.* Ibidem in folio.

41. *Geometria practica combinata in vſum Principum elaborata.* Ibidem.

42. *Ars veterum Aegyptiorum hyeroglyphica*. Ibidem.

43. *Abbennali ſiue Auicennæ Tomus II. De medicamentis Simplicium, Mineralium, Plantarum &c.* ex Hebraica, & Arabica lingua in Latinam translatus. Ibidem.

AVGVSTANVM COLLEGIVM quod eſt in Germaniæ Superioris Prouincia in Vrbe celeberrima ad amnem Lycum in Vindelicis, expeti primo cæpit in publicis Imperij Comitijs ſub Ferdinando I. Cæſare anno ſalutis 1559. in ea celebratis, cum P. Caniſius, Nicolaus Lanoyus, & Petrus Victoria, illic præclara ſuæ virtutis, & eruditionis præbuiſſent ſpecimina. Verùm diu res ſtetit intra vota, & Societas quaſi hoſpes in anguſta ſtatione manſit. Nam quamuis Duces Bauariæ, Antiſtites Auguſtani, Cardinales multi, Maximilianus Cæſar, Romani quoque Pontifices Pius V. & Gregorius XIII. ad idem efficiendum, & litteras miſerint, & internuntios; tamen obnitentibus acerrimè Hæreticis quorum pars potior in Ciuitate *præpollebat*, nihil obtinuerunt. Reſeruauit nimirum Deus hoc decus, & de patria promeritum, nobiliſſimæ, & opulentiſſimę familiæ Fuggerorum, ex qua Antonius Fuggerus Baronum, & Comitum Imperij numero adſcriptus, & ſalutis ciuium ſuorum perquàm ſtudioſus, primus de Collegio, & ſcholis Auguſtæ, ſuo ære fundandis, cogitationem ſuſcepit, & Romam de eo litteras ad Moderatores Societatis dedit. Verùm eo mox è viuis immature ſublato, & mortuo pariter Chriſtophoro Fuggero viro ditiſſimo; tres illius fratres hæredes, ex ampliſſima hæreditate ad 30. mil. florenorum in pios vſus ſecreuerant, & cùm non ſatis concorditer inter eos conueniret de opere cui applicanda eſſent, compromiſſo facto in arbitrium Senatus, non ſine ſpecie aliqua prodigij, impendenda iudicauit Senatus in fundationem Collegij Societatis, in quam duo ex tribus fratribus iam antea conſpirarant. Adiecit deinde ad hæc eiuſdem familiæ nunquam ſatis prædicanda munificentia, & Domum ſuam, peramplam pro ædificio Collegij, & alia fundationis incrementa; vt non ſolùm Collegium cum magnifico gymnaſio, & templo ſit ædificatum, ſed etiam ad triginta ordinarie ex noſtris in eo ſuſtententur, qui ſe in proximorum ſalutem impendunt, & in ſcholis eruditur numeroſa Iuuentus, per ſex claſſes litterarum politiorum, & præterea docetur Philoſophia à tribus Profeſſoribus nec non Theologia Moralis fructu minimè pœnitendo. Edidit Collegium ſuo nomine.

Vitam S. Ignatÿ Loyolæ imaginibus expreſſam cum textu latino, & Germanico 1622. in 12. Item

Senecam Chriſtianum cuius Auctor fuit noſter Ioan. Bap. Schellenberch de quo infrà. Auguſtæ. Lucernæ 1645. Romæ typis Dragondelli 1658. in 24.

AVGVSTINVS BERNAL, natione Hiſpanus, patria Magollonenſis in Aragonia, Societatem complexus anno ſalutis 1603. ætatis

tis ſuæ 16. votorum quatuor profeſſionem in ea edidit. Rhetoricam, & Humaniores litteras per quadriennium magno cum plauſu tradidit, linguæ Grecæ ſcientiſſimus. Philoſophiam dein, & Theologiam, (cuius etiam Doctor creatus eſt) annos plurimos explicuit. Hæc tanta doctrinæ decora ornarunt virtutes inſignes plurimæ. Pudicitia in primis Angelicæ æmula; magnus animi candor ac ſui demiſſio; in Deum ac proximum ardens caritas; regularis obſeruantiæ ſtudium ſingulare; tenerrimus religioſæ paupertatis amor; obedientia atque obſeruantia in Superiores maxima; orationis amor tantus, vt incertum ſit, vtri plus temporis, meditationi, an ſtudio impenderit. Mortificationis etiam cura tanta, quoad infirma valetudo patiebatur, vt nulli ceſſerit Tironum. Hiſce atque alijs cumulatus meritis piè obijt Cæſarauguſtæ die 13. Septembris 1642. multorum iudicio inter primos huius ſæculi Theologos numerandus. Edidit doctiſſimus Pater

Diſputationes de Diuini Verbi Incarnatione. Cæſar-auguſtæ typis Noſocomij Regij 1639. in folio.

Diſputationes de Sacramentis in genere, Euchariſtia, & Ordine, opus poſthumum. Lugduni ſumptibus Philippi Borde, & Soc. in folio.

Prodierunt alienâ operâ, & nomine.

De Philoſophia vniuerſa lucubrationes.

AVGVSTINVS CANVS natione Mexicanus, in ipſa Vrbe Mexico, ſplendidiſſima familia natus, quinto decimo ætatis anno ſe ad Societatem noſtram adiunxit anno Domini 1576. in eaque mox ſe ad omnem virtutis formam tenore æquabili accommodauit, vt conſuetis domeſticæ diſciplinæ officijs quêdam iam tum ſplendorem, & lucem ſua actione adderet. Eius modeſtia vultus, oculorum, inceſſus, motuum omnium, verborum parcimonia, & conſideratio omnibus erat ad exemplum: Nunquam triſtis aut tetricus, ſed alacris ſuauiſque, & amabili ore intuentibus, ſui, & pudicitiæ quendam quaſi afflabat amorem. Exacto tirocinio ad litterarum compendium tam diligenter incubuit, vt magnam ab ingenio, acumine, eloquentia laudem retulerit. Rhetoricam, & humaniores diſciplinas Mexici tùm externos tùm Noſtros docuit; in quibus ipſe ita eminebat, vt omnes longo poſt ſe interuallo haberet. Sacras deinde litteras interpretatus eſt, ad magnorum inuidiam ingeniorum. S. Auguſtinum coluit impensè, habuitquè eius opera in delicijs, & aſſidua tractatione. Orationi multum nocturni temporis, diurni quantum poterat, procumbens in templo tribuebat. Sæpe interuiſebat Venerabilem Euchariſtiam, binis, terniſue Sacerdotibus ſacra facientibus aderat. Deum perpetua tamquam contemplatione vbique præſentem habebat. Beatiſsimam Virginem Mariam, quam pro matre habebat in omni ſermone, ſeu publicus foret ſeu priuatus, tanto ardore celebrabat, vt eadem pietate cœteros accenderet. De ſe ſuiſquè rebus demiſsè adeo ſentiebat, vt ab omnibus ſibi peteret exempla virtutis; doctrinæ quoque adiumenta conquirere ſolitus ex ijs adoleſcentibus noſtris, quos ad experimentum ſui in triclinio dicentes audiebat. Ab omni faſtu, & imperioſa agendi ratione vehementer abhorruit; lenitatem tamen ita grauitate temperabat, nihil vt illa de auctoritate, nihil hæc de ſuauitate detereret. Corpus atterebat cilicio, & verberatione, ijsque præſidijs tam illibatam perpetuò ſeruauit caſtimoniam, vt nulla aduerſus eam cogitatione fuiſſe eum vnquam tentatum, affirment ij, quibus id erat exploratiſſimum. In extremo morbo, inſolitis animi delicijs viſus eſt affluere. Illato in cubiculum Sacro Viatico, exultauit animo ad Domini ſui conſpectum, & repetita bis confeſſione, veniam erratorum à præſentibus poſtulauit. Ad preces conſuetas eo tempore adhiberi, præſente animo reſpondit. Crucifixum intuitus, allocutùſque non ſemel eſt his verbis: *Rex tremendæ maieſtatis, Qui ſaluandos ſaluas gratis, ſalua me fons pietatis*. Plagas eius, & Deiparæ Iconem diſſuauiatus, Tutelarium ſanctorum, quos in libello diſcripſerat, curauit ſibi nomina prælegi, & eorum patrocinia inuocari. Interogatus, Velletnè Deum ſequi ſe hinc euocantem: Dominus eſt, inquit, quod bonum eſt in oculis ſuis, hoc faciat. Denique ſacro delibutus oleo placidiſſimè expirauit in Valliſoletano Americæ Collegio, quod ipſe tunc Rector adminiſtrabat, die 23. Septembris anno 1622. Hæſit mortuo velut riſus in ore, & venuſtiſſima ſpecies viuido colore diſtincta. Omnium concurſus ingens ad viri vt aiebant ſancti exequias factus eſt, & ſacrarum familiarum Rectores funus extulere, atque vltimum defuncto officium peregerunt. Scripſit

Commentaria in Epiſtolas Pauli, &

In Cantica veteris, & noui Teſtamenti quæ apta prælo poſt ſe reliquit, mirificè laudata à facundia, eruditione, lepore, ſtyli maieſtate, diuinorumque ſenſuum dilucida enodatione, & grata rerum varietate

AVGVSTINVS DE CASTRO, natione Hiſpanus, patria Abulenſis natus anno 1589. in Societatem Compoſtellæ adſcriptus eſt anno 1605. Philoſophiam Methymnæ Campi triennio docuit, docturus & Theologiam niſi in concionandi arte tantum valuiſſet. Itaque à Cathedra translatus ad pulpitum præcipuas Caſtellæ Ciuitates obiuit. Demum Philippi 4. Regis Catholici accerſitu, Matritum venit, vt in luce illa celeberrimi Gymnaſij, quod ad omnium tractationem ſcientiarum, Rex idem inſtituebat, Politicam explicaret. Nec tamen ab concionibus propterea abſtinuit, ſed vtrique muneri ſatis abunde fecit. Deceſſit tandem Matriti die 8. Aprilis 1671. ætatis 83. votorum quatuor profeſſus,

poſt-

poſtquam per 45. annos ſumma cum laude Eccleſiaſtem egiſſet, ita, vt Concionatorum ſui temporis in Hiſpania multorum æſtimatione, facile Princeps fuerit. Dicendi talentum ornauit inſigni exemplo religioſæ vitæ, ſemper à negotijs ſæcularibus alienus, quamuis non exigua apud Proceres, atque ipſum Regem gratia floreret. Edidit orationes aliquot, nempe

Gratulatoriam pro recuperata à Philippo IV. Rege Catholico valetudine

Funebrem in obitu Caroli Infantis Hiſpaniæ, fratris Philippi IV. Regis

De fidei integritate, cùm ſacra Inquiſitio Hiſpaniæ anno 1632. librorum expurgatorium Indicem promulgaret

De Chriſto Crucifixo, ad ſupremos fidei Inquiſitores habitam, cùm octiduana celebritate honorem Chriſto, quem Iudæi quidam per ſummam impietatem violarant, repararent, poſtquam Nefarios illos igne aboleuerant, ob conciſam flagris Chriſti Saluatoris effigiem, ex qua miro prodigio ſanguis effluxit, & vox formata, quæ ſciſcitabatur impios: Cur ſe ita conciderent. Parata quoque reliquit ad prælum

Politica. Hiſpanico ſermone, quæ publicè explicuit ad quæſtiones methodo ſcholaſtica, ſed facili, & eleganti, redacta.

* AVGVSTINVS DE HERRERA, natione Hiſpanus, patria Hiſpalenſis, adoleſcens 15. annorum Societatem inijt anno 1613. atque in ea litteris humanioribus apprimè excultus, eaſdem in ſcholis 14. annos magna cum laude profeſſus eſt. Ex diſcipulis ſuis multos ab amore ſæculi abſtractos, ad Chriſti caſtra, varijs in Religioſis ordinibus tranſmiſit. Poſtea pijs applicatum miniſterijs erga proximos, mors deprehendit Hiſpali, vbi ex lue peſtifera religioſè obijt anno 1649. Spiritualis Coadiutor pridem antea formatus. Scripſit Hiſpanicè doctum atque eruditum opus

De Origine, & progreſſu in Eccleſia Catholica rituum, & ceremoniarum quæ in Sacroſancto Miſſæ Sacrificio adhibentur. Hiſpali apud Franciſcum de Lyra 1642. in 4. Item

De Origine, & progreſſu Officij diuini, eiuſque Obſeruationum Catholicarum. Ibidem, & iiſdem typis 1644. in 4.

Commentarios breues in Syntaxim Antonij Nebriſſenſis ſub nomine alieno. Hiſpali eiſdem typis 1635.

Reliquit paratum prælo volumen aliud *De Origine Religionum*. Sed nondum prodijt.

* AVGVSTINVS DE HERRERA alter, natione Hiſpanus, ex oppido S. Stephani de Gormaz Diœceſis Oxomenſis, cooptatus in Societatem anno à partu Virginis 1638. ætatis ſuæ 15. votorum in ea quatuor nuncupatione ſe adſtrinxit. Concionatorem egit annis aliquot, Philoſophiam triennio profeſſus eſt, Theologiam annis 14. iam explicuit, pergitque etiamnum in Complutenſi Academia primariæ Cathedræ magiſter. Edidit hactenus.

De Prædeſtinatione; Compluti apud Franciſcum Garziam 1671. in f.

De Scientia Dei. Ibidem 1672. in 4.

De voluntate Dei. Ibidem 1675. in 4.

De Sanctiſſima Trinitate. Ibidem iiſdem typis 1674. in 4.

AVGVSTINVS IVSTINIANVS, natione Italus, patria Genuenſis, Paulo Iuſtiniano Reip. Duce natus anno ſalutis 1551. adoleſcens ſe Romæ dicauit Societati anno 1568. die 29. Septembris. Philoſophiam annos natus tantùm 22. Mediolani profeſſus eſt, ineunte anno 1573. vbi non laudem modò ſed etiam admirationem habuit. Inde Patauium profeſſus, Theologiam tradidit aliquot annos; eodem quo Philoſophiam euentu. Idem poſtea præſtitit in Collegio Romano, maxima omnium approbatione. Verùm cum labore docendi vires frangerentur, ex Doctore Rector eiuſdem Collegij factus eſt. Sed poſt annum deſiderantibus omnibus eius iam ſpectatam prudentiam, & morum ſuauitatem, tabe confectus eſt Neapoli, quo ad remedia Puteolana exploranda conceſſerat anno 1590. die 2. Martij, ætatis 39. Fuit in illo tanta memoriæ vis, vt memoriter perpetuò docuerit, etiam tùm cum binas quotidie lectiones haberet. Iudicium memoriæ par; ingenij perſpicuitas rerum ſubtilitati reſpondebat. Probitas, humanitas religioſa, Regularum obſeruantia doctrinæ magnitudinem exæquabat. D. Auguſtinum, quem totum accuratiſſimè legerat, & ad locos communes redegerat, ad Sancti Thomæ videlicet articulos, memoria comprehendiſſe videbatur, tanta felicitate verba eius omnia, quando res ferebat, recitabat atque expendebat. In diſputationibus erat acer iuxta ac modeſtus, ſine vlla eorum quibus cum diſputabat offenſione. Sententiarum S. Thomæ tenaciſſimus erat ſectator, & defenſor ſtrenuus. Nihil ille quidem edidit, ſed reliquit in aduerſarijs

Doctrinam ſuam Theologicam ordine quæſtionum, & articulorum D. Thomæ digeſtam, valdè illuſtre ingenij ſui monumentum, typographia dignum, quod in Collegio Romano conſeruatur, & in tabulario generali Societatis in Domo Profeſſa.

AVGVSTINVS MAZZINVS, natione Italus, patria Brixienſis, poſt exercitam artem medicinæ, in qua Doctor creatus fuerat, maturus ætate, & annos natus 36. acceſſit ad Societatem Romæ anno ſalutis 1567. & connouitios habuit Claudium Aquauiuam, Stanislaum Koſtkam, & alios magni poſtea nominis ac Sanctitatis Viros. Profeſſionem votorum 3. emiſit, rexitque Collegium Tiburtinum, & poſt aliquot annos in ſpiritualibus miniſterijs Brixiæ ſuæ patriæ impenſos, ibidem

dem ſdenatus eſt die vltimo Octobris 1598. Scripſit Italicè

De ſuperfluo cultu virorum, & feminarum. Brixiæ 1601.

Confeſſiones S. Auguſt. à ſe in Italicũ trãslatas.

* AVGVSTINVS CLECINVS, natione Italus patria Spedienſis in Liguria, Societati nomen dedit Neapoli anno ſalutis 1617. ætatis ſuæ 16. & vota 4. profeſſus eſt. Scripſit.

Additiones ad Vitas Pontificum Romanorum, & S.R.E. Cardinalium. Sub prælo ſunt tom. 4. Romæ apud Philippum de Rubeis.

Necrologium Pontificum, & Pſeudo-Pontificum Romanorum cum notis. Romæ typis Ignatij de Lazzaris 1671.

Difficultates præcipuas Grammaticales. Italicè, & tacito nomine Anconæ apud Marcum Saluionum 1637. in 8.

AVGVSTINVS DE QVIROS natione Hiſpanus, patria Illiturgitanus, quæ Ciuitas hodie Andujar dicitur, nobili genere natus, pene puer in Societatem venit anno ætatis 15. ſalutis humanæ 1583. In ea diſciplinis omnibus egregie ſe inſtruxit; eximie doctus Græcè, & Hebraicè. Summis contendit precibus, vt omnem ſibi liceret ætatem in Grammatica pueris tradenda conterere. Præſtitit verò cum voluptate quadriennio. Poſtea noſtros adoleſcentes domi humaniora docuit, eximia cum laude; nec minore commendatione ſacras litteras totos 11. annos eſt interpretatus. Multis deinceps annis, noſtris hominibus præfuit. Baëzani Collegij ſemel, Granatenſis bis Rector; tertiæ noſtrorum probationis Præfectus. Demum Boeticæ Prouincialis. Cenſor etiam fidei, ſeu vt vocant Qualificator in Hiſpalenſi, Cordubenſi, Granatenſi Tribunalibus religionis fuit. Miſſus trans Oceanum, vt Mexicanam Prouinciam Viſitator inſpiceret, vix inchoata viſitatione è viuis ſublatus eſt, Mexici die 13. Decembris 1622. ætatis ſuæ 56. ab ingreſſu in Societatem 40. funus à frequenti nobilitate, à Religioſorum familijs, ab omnium ordinum concurſu procuratum eſt; multis ſacras hoſtias offerentibus, multis ſacram Eucharistiam recipientibus. Nimirum Viri multa virtus iam erat perſpecta, itaut cùm primum in vulgus innotuit eius vitæ periculum, incredibili mœrore ciuitas vniuerſa conſternaretur. Prorex ad illum accurrit cum Proceribus, & virum Dei genuflexus veneratus eſt; impensè illi ſe, ſuæque fidei orbem illum commiſſum commendauit, oblata quoque liberaliter opera ſua, ſi quem haberet è ſuis cui commodatum vellet; manus interim eius oſculari, vbertim lacrymari, poſcere ſupplex benedictionem. At Pater manus oculoſque in cælum tollebat, cuius vnius amore ac cupiditate ſe teneri ſignificans, nihil hic ſibi ſuiſque cupere, gratias pro beneuolentia agere, memoriam apud Deum polliceri. Vbi Prorex abſceſſit, & mors imminere viſa eſt, tum verò mentem ille in Deum intendere vehementiùs; ſuſpiria gemituſque ex ardentiſſimo amoris penu ducere, ac tandem inter illa animam exhalauit. Vir fuit, qui cùm virtutibus cæteris, tum verò diſciplinæ religioſæ procuratione, cum ſingulari comitate, benignitateque coniuncta optimi Gubernatoris laudem obtinuit. Prudentia ad res gerendas, conſiliumque explicandum fuit feliciſſima; Deo ſemper ante omnia conſulto, rectaque rationis lance ad examen adhibita. Parùm, & cautè credulus erat aliena commiſſa deferentibus; donec illos quoque, qui arguebantur audiſſet. Omnium querimonijs aurem benignè commodabat; vbi audierat, mœrorem adhibito ſolatio detergebat. In priuatis ſermonibus magna vi dicẽdi pollebat, & inflammabat facilè ad virtutem eos quibuſcum egiſſet; nimirum exprimebat in ſe opere, quod verbis commendabat, legebaturque in eo imago quædam pietatis; eminens in toto oris, ac corporis habitu comitas grauis, ſapiens bonitas, & erudita modeſtia. Erudiendæ Iuuentutis negotium plurimi faciebat, Magiſtriſque commendabat, vt meminerint totius Reipublicæ ſeminarium ſibi eſſe concreditum; bonis artibus vnà cum litteris informandum, quod vt maioribus animis ritè procurarent, Rectoribus mandabat, vt omni eos onere aliò quoad fieri poſſet leuarent: ſaluti eorum conſulerent, opportunas recreationes indulgenter exhiberent. Orationis ſtudium tam erat illi primarium, vt præterquam quod mentem haberet ſemper in Deo fixam, certum quotidie tempus, curis Prouinciæ ſubduceret, quod illi tribueret. In itinere Socios eminùs ſequebatur; vt poſſet quietiùs diutiuſque meditari. In morbis nullum ab hominum conſuetudine ſolamen expectabat, cum Deo per maius otium, tum conuerſans. Paupertatem ſuas delicias nuncupabat; paupere & attritá veſte vtebatur: nullum habuit pallium ſuo vſui peculiariter aſſignatum, dum Prouincialis fuit; ſed paſſim obuium aſſumebat. Nauigaturus in nouum Orbem non admiſit pallium, quod nouum illi dabatur. Communi menſa, cibo tenuiſſimo, parabilique vel in morbis, & itineribus vtebatur, nec in his aliud patiebatur ſibi apponi, quàm quæ domi vſurpabantur. Nihil ſibi vnquam ſeponebat; nihil prius alijs largiebatur, quàm à Superioribus facultatem obtinuiſſet. Lipſanothecas, icones, tabellas, & alia pia inſtrumenta, cùm morti proximus eſſet, haud aliter in ſubditos diſtribuit, quàm ſi ratum id haberent Moderatores; ad hortos & villas nunquam exibat; atque adeò nec Hiſpalenſem Regiam opere, & amœnitate viſendam vnquàm ſpectauit. In itinere mulionem aſſeclam, quoties videbatur defeſſus, iumento ſuo imponebat, ipſe ſui calefaciendi ſpecie pedes ibat. Soluturus in Indias, nec ſuis valedictum iuit, nec illos ad ſe admiſit. Totis annis 14. vix frigidam hauſit per æſtiuos calores Granatæ, in promptu poſitam.

Quan-

Quando infirmabatur nec duas patiebatur culcitras ſibi ſubſterni, nec vnam illam qua vtebatur ad mollitiem ſæpiùs verſari, Chriſto vt aiebat, duriora paſſo. Quoties Collegium aliquod adibat Prouincialis, mox in triclinio, & culina operam ſuam illis miniſterijs addicebat; coram Socijs pronunciata ſua culpa ſe accuſabat: victum ab accumbentibus emendicabat. Itabat frequens ad cuſtodias, vt vinctos ſolaretur, & confitentes audiret. Obedientiæ ſtudio reliquit ſub typo inchoatum opus ſuum, ſimul ac decretam ſibi nauigationem in Indias à Præpoſito Generali cognouit, nihil ſollicitus, quid de eo tandem ſuturum eſſet. Scripſit vno Tomo

Commentarios Exegeticos litterales in poſtremum Canticum Moyſis, & Iſaiæ caput 38. & Canticum Ezechiæ.

In Prophetas Nahum, & Malachiam.

In Epiſtolas S. Pauli ad Epheſios, & ad Coloſſenſes.

In Epiſtolas Catholicas Iacobi, & Iudæ. Lugduni per Ludouicum Proſt 1633. in 4.

Breuem diſcurſum contra affectatores antiquarum, & obſoletarum vocum Hiſpanicè in 4. tacito nomine.

* AVGVSTINVS SPINOVS natione Siculus, patria Alcamenſis, natus anno ſæculi præterlabentis 21. Societati noſtræ vicennis ſe adiunxit, & votorum quatuor Sacramento ſe obligauit. Rhetoricam & humaniores litteras quinquennio explicuit cum laude ingenij, & morum commendatione. Multa de ſe promittentem, in flore ætatis mors demeſſuit Panormi die 4. Octobris 1662. Edidit

Quæſtiones Philoſophicas ad Logicam ſpectantes. Panormi apud Stephanum Biſagnum 1661. in folio.

AVGVSTINVS VAN TEYLINGEM, natione Belga, patria Harlemienſis natus anno ſalutis 1587. ad Societatem noſtram ſe adiunxit 1606. atque in ea Rhetoricam, & Græcas litteras quinquennio profeſſus eſt, poſtea 50. ferme annorum ſpatio, ſtrenuum Vineæ Chriſti in Hollandia egit operarium. Ad laborum mercedem migrauit vir indefeſſus, octogenario maior, ſpiritualis Coadiutor pridem formatus, Amſtelodami die 4. Auguſti 1665. Edidit vernaculâ linguâ, & ſuppreſſo nomine, *Multa opuſcula pro fide conſeruanda contra Hæreticos.* Item

Paradiſum Voluptatis. Antuerpiæ apud Io: Cnobbarum 1630. poſtea bis recuſum ibid.

Extractum Catholicum ſub nomine Peregrini Amſtelij Antuerpiæ 1640. in 8.

De Controuerſijs Fidei. Antuerpiæ apud Viduam Cnobbari 1640. recuſum ibidem 1661. in 8. Item

Pharum Fidei ſub nomine Peregrini Amſtelij. Antuerpiæ apud Michaelem Cnobbarum 1660.

Ortum tumultuum Belgicorum. Coloniæ 1645. in 12.

* AVGVSTINVS VASQVEZ natione Hiſpanus patria Gaditanus, Deo ſe in Societate dicauit anno ſæculi labentis 30. & votorum 4. profeſſione ſe adſtrinxit. Docuit litteras Humaniores, Concionatorem egit multis annis. Rexit Collegium Xerenſe, & modò in Gaditano Collegio Operarium agit. Scripſit Hiſpanicè ſub nomine Ludouici de Saluatierra Licentiati ſui olim diſcipuli.

Declarationem manifeſtam iuris Collegij Gaditani Societatis Ieſu ad non ſoluendas Decimas cuiuſdam hæreditatis. Gadibus 19. Iunij 1670. in fol. Item

Antilogiam Iuridicam, & Redargutionem ad hominem demonſtratiuam contra Impugnatorem prædictæ Declarationis iuſto volumine in fol. Gadibus die 10. Decembris 1670. edita eſt etiam illius

Concio de Immaculata Conceptione B. Virginis habita Gadibus in Templo S. Franciſci anno 1672.

AVGVSTINVS VIVALDVS natione Italus, patria Genuenſis, Patritiæ ſtirpis, natus anno ſalutis 1565. ex Seminario Romano (vbi ſtudijs operam nauauerat) Societati ſe addixit 1581. & vota 4. in ea nuncupauit. Poſt Philoſophiæ, & Humaniorum litterarum profeſſionem, poſt Collegiorum Florentini, & Parmenſis gubernationem: poſt luſtratam ſuis concionibus per annos 12. Italiam, Prouincialis creatus eſt, primò Lithuaniæ, tum Romæ, deinde Siciliæ, magno vbique virtutum exemplo, & prudentiæ laude. Demum oculorum lumine penè captus, vir moribus antiquis, ideſt candidiſſimis, & religioſiſſimis ad æternæ vitæ præmia euolauit. Genuæ die 19. Auguſti 1641. Scripſit Italicè

Meditationes centum, & quinquaginta, quæ totidem P. Hieronymi Natalis imaginibus reſpondent, & cum illis ſunt typis excuſæ. Romæ 1599. in folio.

B

BADENSIS RESIDENTIA in Prouincia Rhenana ſuperiori, modò in Collegium erecta ab anno 1642. fundatum eximia pietate, & munificentia Sereniſſimi Principis S. R. Imp. Guilhelmi Marchionis Badenſis, quem ſua præcellens ſapientia, & virtus eò extulerunt, vt dignus fuerit iudicatus à Ferdinando Tertio Imperatore, qui Spirenſi Cameræ, ſummoque Imperij dicaſterio ſupremus Iudex præſideret. Docet Collegium copioſam Iuuentutem, eò ex vicinis regionibus confluentem, & in quinque claſſes diſtributam, omnes humaniores litteras. Edidit dum adhuc Reſidentia eſſet,

Triumphum Genethliacum Principi Primogenito Marchionis Badenſis:

BALDVINVS CABILLIAVVS, natione Belga, patria Iprenſis, natus anno 1568. Societati ſe adiunxit 1592. & vota quatuor nuncupauit. Scholas humaniorum litterarum quinquennio in ea docuit, & 15 deinde annis, tamquam Præfectus moderatus eſt. Sed inter eas aliaſque occupationes, per quadraginta quinque annos Miſſionarij munus Apoſtolicè obiuit, excurrendo ad pagos Casleto circumiectos, ſæpe ad duodecim, vel etiam quindecim milliaria Italica, idque ſingulis ferè diebus Dominicis, feſtiſque, non raro in duobus, vel tribus locis eodem die ad populum dicebat; ſubinde pluuio cœlo, & per aquoſas vias iter pedibus agere; imò & genuum tenus vada tranſire minime dubitauit, & vel ſic madens ſuggeſtum conſcendere. Sed nec hic ſtetit huius operarij inconfuſibilis virtus. Sæpè redux domum è Miſſione, aut legebat ad menſam, ſi vices ipſius id ferebant, aut in culina lances detergebat, nec ab illiuſmodi humilitatis officijs, etiam in ætate deuexa, atque octogenarius paſſus eſt ſe immunem eſſe. Hinc magna ex parte ſudoribus eius debetur fundatio Collegij Casletani, quod Rector aliquandiu adminiſtrauit. Nullum ſcientiarum genus intactum reliquit. Hiſtoriarum & materiarum omnigenarum amator, & collector admirabilis. In Poëſi præcipuè excelluit, habuitque nomen Poëtæ elegantis, facilis, & fæcundi. Sub extremos vitæ annos, varijs morbis, podagræ, chiragræ, iſchiadis, & variolorum conflictatus, & ferè in cœcitatem delapſus, inſignia præ ſe tulit patientiæ ſpecimina. Tandem die 13. Nouembris omnibus Eccleſiæ præſidijs ritè communitus deſijt viuere inter mortales, Antuerpiæ 1652. E vena poëtica produxit

Lemmata nouo-antiqua, pancarpia, ex natura, hiſtoria, moribus, illigata Tetraſtichis. Ipris apud Bellerum 1614. in 12.

Epigrammata ſelecta de multis. Antuerpiæ apud Moretum 1621. in 12.

Magdalenam Elegiaco carmine. Antuerpiæ ex officina Plantiniana 1625. in 12. Cui acceſſit

Magdalea Sylua carmine vario ibidem.

Epiſtolas Heroum, & Heroidum carmine elegiaco libris Antuerpię apud Henricum *Aertſen*, 1636. in 8.

Phoſphorum ſiue Ioannem Baptiſtam; eiuſque natiuitatem vitam, mortem, Lyricis, Symbolicis, Epigrammatis, elegijs. Louanij typis Cornelij Coeneſtenij 1642. in 12.

Sacram venationem, ſeu puerum amiſſum Elegijs 80. Louanij typis eiſdem 1642. in 8.

Agarem ſecundò exulem. Louanij 1642. in 8.

BALDVINVS VVILLOT, natione Belga, patria Binchienſis adſcriptus in Societatem anno 1606. ætatis, 22. docuit in ea græcas litteras ſeptennio. Miſſionarius, & Confeſſarius per annos circiter quinquaginta; ſpiritualis Coadiutor formatus, vir placidiſſimis moribus, & religioſa ſimplicitate commendatus naturæ conceſſit Inſulis 17. Martij 1663. vertit ex latino in Gallicum ediditque

Tractatum de Interiori Mortificatione. Auctore P. Iacobo Aluarez de Paz noſtro, anno 1620. Item

Compendium Vitæ Chriſti, & Beatiſsimæ Virginis Mariæ ex P. Ribaldeneira anno 1639.

Martyrologium Romanum Gregorij XIII. iuſſu editum, & Vrbani VIII. auctoritate recognitum, cum additionibus Sanctorum Belgij. Montibus, typis Ioann. Hauart 1641. in 8. quod auctius, & correctius iterum excuſum.

Alia varia opuſcula edidit varijs annis

BALTHASAR ALVAREZ, natione Hiſpanus ex Oppido Ceruera Diœceſis Calaguritanæ, nobilibus parentibus natus anno 1533. ingreſſus eſt in Societatem Compluti die 3. Maij, eius ſæculi 55. in qua quantus qualiſquè fuerit, fusè deſcribit in eius Vitâ Ludouicus de Ponte, quæ obuia, & in manibus eſt. Hoc ex illo dixiſſe ſufficiat, S. Tereſiam cognouiſſe diuinitùs, prout refertur in memorata vita Balthaſaris cap. 11. §. 2. Nullum in terris exſtitiſſe eo tempore in tam excelſo quàm ipſum perfectionis faſtigio; cùm tamen viuerent tùm etiam eximiæ Sanctitatis non pauci, & complures qui faſtis Sanctorum, & Beatorum ſunt ab Eccleſia poſtmodum adſcripti. Edidit quatuor votorum profeſſionem Methymnæ Campi Calendis Maii anno 1567. cùm Rector eius eſſet Collegij, & Nouitiorum magiſter, & ex eodem munere Procurator triennalis Romam à Prouincia miſſus eſt anno 1571. Prouinciam totam adminiſtrauit pro Ægidio Gonzalez de Auila profecto ad Comitia Generalia: & ſubinde Collegij Salmaticenſis Rector fuit; Mox Villagarciæ Tironum rurſus Inſtructor, & Rector conſtitutus anno 1576. inde Viſitator Aragoniæ factus; ea luſtratione peracta Peruanæ Prouincialis, & mox pro ea Toletanæ deſignatus, in eius muneris ingreſſu ſanctiſſimè diem obijt, Belmontij octauo cal. Auguſti 1580. ætatis ſuæ 47. initæ Societatis 25. Scripſit vir Sanctiſſimus

Relationem de Modo orationis ad Præpoſitum Generalem Societatis IESV; & Tractatum, quo diluit difficultates ſibi contra eum propoſitas. Item

Tractatum de modo, & ratione loquendi de rebus Spiritualibus. Contra deprauatas phraſes Illuminatorum, qui anno 1575. in Bœtica Hiſpaniæ Prouincia, multas eius generis perniciosè, atque hæreticè vſurpabant. Inſeruit hæc Ludouicus de Ponte vitæ ipſius.

BALTHASAR ALVAREZ, diuerſus à præcedente, natione Luſitanus, patria Cauenſis, vir inſigniter doctus, Societati nomen dedit anno ſalutis 1578. ætatis ſuæ 17. & vota

quatuor profeſſus eſt. Philoſophiam octennio, Theologiam duodenis annis, in Academia Eborenſi cum laude tradidit, ibidemque cum Cancellarij munere ſtudia moderatus. Emicuit in eo rara humilitas; Rectorque creatus Vlyſſiponenſis Coll. tantum precibus egit apud Præpoſitum Generalem, vt alius demum ei ſuffectus fuerit. Obijt Conimbricæ die 12. Februarij 1630. Concinnauit

Indicem expurgatorium librorum, ab exorto Luthero vſquè ad hæc tempora, qui auctoritate Illuſtriſſimi Ferdinandi Martini Maſcarenhas Algarbiorum Epiſcopi, & ſupremi per Luſitaniæ Regnum in Fidei cauſis arbitri, ſeu Inquiſitoris, vulgatus eſt anno 1624. Compoſuit etiam.

Tractatum de Anima ſeparata, qui in curſu Conimbricenſi vltimus eſt

Tomos poſthumos P. Franciſci Suarez Granateñ, recognouit, aptauit, & prælo dedit

BALTASAR BOHEMVS, idem cum BALTHASARE OSTOVINO, de quo infrà.

* BALTHAZAR DE BVS, natione Gallus, patria Cabellionenſis, ditionis Pontificiæ, in Comitatu Venaiſſino, vicennis ad Societatem acceſſit anno ſalutis 1607. & vota quatuor emiſit. Docuit Rhetoricam, & Philoſophiam, & plures annos Eccleſiaſten egit. Vitæ huius periodum abſoluit Carpentoracti die 21. Decembris 1657. Edidit Gallicè

Præparationem ad mortẽ, ad exemplũ Chriſti mortui. Lugduni apud Antonium du Four 1648. Recuſam Gratianopoli 1660. in 12.

Incitamenta ad mentem Contritione purgandam. Lugduni apud Petrum Muguet 1650. in 24.

Occupationem interiorem ad duas Paſſionis Dominicæ hebdomadas tranſigendas. Ibidem 1652. in 24.

Motiua ad excitandam deuotionem erga B. Virginem. Ibidem 1649 12.

Exercitium preſentiæ Dei. Cabilone apud Philippum Tan. 1669.

BALTHASAR CHAVASSIVS, natione Sabaudus, patria Scalentinus ingreſſus eſt Iuuenis in Societatem anno ſalutis 1580. annos natus 19. profeſſus eſt ſolemnia quatuor vota anno 1603. Philoſophiam docuit annis ſex, Matheſim duobus, Theologiam moralem tredecim, in Scholaſtica etiam benè verſatus, atque in ea Doctor renunciatus. Conciones magna cum laude habuit totis 40. & amplius annis. Obijt Bruntruſi die 20. Septembris anno 1634. initæ Societatis 54. Vir moribus candidiſſimis, quique Pietatem cum doctrina in excellenti gradu coniunxit, cupidiſſimus Martyrij. Populus illi ſolemnes exequias in templo Parochiali toto triduo exhibuit. Scripſit

De notis certiſſimis veræ religionis lib. IV. quibus accedit. *Codicillus monitorius ad Reſipiſcentes*. Ingolſtadij typis Adami Sartorij 1611. in 4.

Profeſſionem veræ, & Orthodoxæ fidei, hoc eſt, *Explicationem formulæ, quæ ex Concilij Tridentini præſcripto, fidei profeſſio fit*. Ingolſtadij typis Andreæ Angermarij 1613. in 4.

De vera perfectàque prudentia, ſeu de perfecto virtutum vſu lib. IV. Ingolſtadij, & Lugduni in 8.

Apologiam pro Societate.

Antidotum confeſſionis Caluiniſtarum.

BALTHASAR CONRADVS, natione Germanus, patria Niſſenſis admiſſus in Societatem anno ſalutis 1615. ætatis ſuæ 16. votorum quatuor profeſſionem edidit. Docuit in Olomucenſi vniuerſitate humaniores litteras, Philoſophiam, & annis quindecim Matheſim. Fuit multarum linguarum peritiſſimus, Italicæ, Gallicæ, Polonicæ, præter Latinam, & vernaculam; Græcæ vero fuit adeò ſciens, vt dum Philoſophiæ operam daret, dictata a ſuo Magiſtro, quæ Latinè alij excipiebant ipſe exercitij cauſa Græcè ſuis chartis expeditè tranſcriberet. Excelluit mirificè in omni virtutum genere, atque in coniunctione cum Deo per frequentem actuum exercitationem fuit planè admirandus, adeò vt Inſtructor illius in probatione tertia vir grauiſſimus affirmauerit, ipſum eſſe virum Religioſum, in quo extinctus videbatur omnis amor proprius. Aſſeuerauerunt alij, qui ægrotanti vltimum adfuerunt, obſeruaruntque illius in ſummis doloribus ſummam patientiam, nihil in Patre Barthaſare fuiſſe mediocre. Pijſsimè tranſijt ex hac vita Glacij die 17. Maij 1660. Dedit in lucem

Propoſitiones Phyſico-Mathematicas, de flamma viridi, atque de ortu, & interitu flammæ, in quibus multa ſunt curioſè obſeruata. Olomutij apud Nicolaum Hradeczki 1639. in 4. Item

Nouam tabularum Chronographicarum rationem; editam ad ſpecimen Tabulæ vtriuſque Hemiſphery in cono recto rectangulo, cuius baſis eſt æquator Terræ, vertex vero Polus. Pragæ 1630.

Ante obitum anno altero, moliebatur opus Mathematicum & pro ſtudio ſuæ humilitatis per epiſtolas expetijt a Mathematicis celebrioribus per Europam, operas auxiliares; titulus autem erat *Telediopticæ*. Sed morte præuentus, non abſoluit paucis capitibus deſideratis. Edidit ſuppreſſo ſuo nomine

Documenta practica ad profundiſſimam humilitatem acquirendam. Cracouiæ, primùm; deinde Germanicè tranſlata & latinè cum auctario recuſa. Scripſit etiam

Controuerſiarum librum Apologeticum cui titulus eſt

Antiſrimalius typis Vratislauienſibus excuſus

BALTHASAR CORDERIVS natione Belga, patria Antuerpienſis natus ſuperioris

ris ſæculi anno 92. Societati ſe tradidit penultimo Ianuarij 1612. & vota quatuor ſolemnia concepit. Docuit in ea Græcas litteras triennio; Theologiam Moralem octennio; Sacræ Theologiæ Doctor creatus eſt in Academia Viennenſi Auſtriæ, & Sacras litteras publicè profeſſus eſt. Ob ſingularem linguæ Grçcæ peritiam, in reddendis latinè Græcanicis Scriptoribus promptus æque ac felix fuit. Ea de cauſa præcipuas Europæ Bibliothecas luſtrauit, in Germania, Gallia, Hiſpania, Italia, collegitque ſtudiosè, quæ poſtea prçlo dedit. Vir compoſitis admodum ac religioſis moribus, quem plura impigrè ſcribentem, notantem, vertentem, etiam ſecundò reuerſum Romam, & hoc ſedulo hic agentem, mors manum de tabula tollere iuſſit, & æternùm in Domino quieſcere die 24. Iunij 1650. Edidit.

Catenam 65. Græcorum PP. in S. Lucam, quę 4. ſimul Euangeliſtarum inducit explicationem; ex alijs Patribus tàm Græcis, quàm Latinis ſuppletam, & annotationibus illuſtratam. Antuerpiæ typis Plantinianis Balthaſaris Moreti 1628. in folio.

Catenam Græcorum Patrum in Ioannem, ex antiquiſſimo Codice Græco additis notis, & illuſtrationibus. Ibidem atque iiſdẽ typis 1630. in folio.

Ioannis Philoponi in cap. 1. Geneſeos, De Mundi Creatione lib. 4. vna cum diſputatione de Paſchate. Grçco-latinè. Viennæ Auſtriæ typis Gregorij Gelbhaar 1630. in 4.

Opera S. Dionyſij Areopagitæ cum Scholijs S. Maximi, & Paraphraſi Pachymeræ, latinè interpretata, & notis Theologicis illuſtrata. Antuerpiæ typis Moreti 1634. in folio to. 2. Edidit à ſe recenſitos.

Apologos Morales S. Cyrilli. Viennæ typis Gelbhaar 1630. in fol.

Expoſitionem Græcorum PP. in Pſalmos digeſtam in Catenam & latinitate donatam, atque illuſtratam annotationibus, cuius

Tomus primus continet primam quinquagenam Pſalmorum. Antuerpiæ ex officina Plantiniana Moreti 1643. in folio

Secundus Tomus continet ſecundam quinquagenam. Ibidem 1645. in folio.

Tertius tertiam Quinquagenam cum Canticis Sacræ Scripturæ. Antuerpiæ eiſdem typis 1646. in folio. Vulgauit etiam

Symbolas Græcorum Patrum in Euangelium Matthæi collata operâ cum noſtro Petro Poſſino, quarum tomus Prior prodijt Toloſæ typis Ioannis Boude 1646. in folio

Tomus ſecundus. Ibidem eiſdem typis 1646 in fol. Item

Iobum elucidatum. Antuerpiæ typis Moreti 1646. in folio.

S. Dorothei Inſtitutiones aſceticas noua interpretatione & notis illuſtratas. Antuerpiæ typis Viduæ Cnobbari 1646. in folio.

Sancti Cyrilli Alexandrini in Ieremiam Prophetam Homilias 19. hactenus ineditas, & ex Regia Scorialenſi Bibliotheca deſcriptas, atque latinitate donatas, vna cum Catalogo præcipuorum, atque Auctorum ineditorum Græcè M. SS. qui in eadem Bibliotheca Scorialenſi Madriti aſſeruantur, confecto opera P. Alexandri Barnoetij Belgę ex noſtra Societate, Antuerpiæ typis Moreti 1648. in 8.

Ioannis Calecæ Patriarchæ Conſtantinopolitani & Ioannis Ceranei Homilias in 4. Euangelia &c. vna cum opuſculo *Ioannis Geometræ de B. Virgine*. Hæc reliquit Pariſijs edenda prælo.

Librum Sapientiæ elucidatum ſub Cenſoribus reliquit

BALTHASAR DA COSTA Luſitanus, admiſſus in Societatem Goæ anno ſalutis 1555. ætatis ſuæ 17. & decurſis ibidem Philoſophiæ, ac Theologiæ ſtudijs, miſſus eſt in Iaponiam ſub annum 1564. Vineam illam nauiter excoluit vſque ad annum 1665. Scripſit Luſitanicè

Annuas litteras à Iaponia anno 1565.

BALTHASAR ETZELIUS natione Germanus patria Bremenſis, Bucho, Societati adſcriptus eſt die 23. Iulij 1591. ætatis 25. Docuit in ea litteras Humaniores, Græcas, Hebraicas, multis annis; linguarum Hebręæ, Syriacæ, Chaldaicæ, & Arabicæ tantam ſtudio ſedulo peritiam conſecutus fuerat, vt paucos ſibi in earum ſcientia, ſua ætate habuerit pares. Colegerat indefeſſo multorum annorum labore Lexicon, & copioſum linguarum Orientalium theſaurum, manuque ſua, luculento, & eleganti charactere deſcripſerat, gratiſſimum litteratis opus futurum, niſi inter rapinas belli Suecici, furtim nobis ſubductum fuiſſet, magno Auctoris, atque aliorum ſenſu. Vehementi multis annis tenebatur deſiderio, iuuandi tenuioris fortunæ adoleſcentes ſtudioſos, corrogatis vndique in eorum ſuſtentationem ſubſidijs. In templo aſſiduus, totos dies feſtos pro ſacro Tribunali ſedens, excipiebat exomologeſes & quocumque pergebat ſiue noctu, ſiue diu, Pſalmis Dauidicis ſine intermiſſione recitandis intentus erat. Demum ſenio confectus, & octogenario maior, conſuetis Eccleſiæ præſidijs munitus ad laborum pręmia exceſſit, Moguntiæ poſtridie Calendas Maias anno 1648. pridem ante ſpiritualibus Coadiutoribus adſcriptus. Dũ in Archiepiſcopali Moguntino Collegio linguę ſanctę Profeſſor eſſet edidit,

Florilegia ſeu Eclogas & excerpta Homiliarum 33. ex homilijs partim editis, & ex Commentarijs Sancti Ioannis Chryſoſtomi Archiepiſcopi Conſtantinopolitani, Grçca, & Latina interpretatione adiecta. Sermones ſunt, ſententiæq; ſelectæ, concionibus ſanè perutiles, quãdo Sanctorum PP. antiquorum dicta recentiorum operibus longè antecellunt. Vertit quoque è Syriaco in Latinum recitatas à Nicolao Serrario in ſuis commentarijs

Epiſtolam 2. S. Petri; duas poſteriores Sancti

Eti Ioannis ; Epiſtolam S. Iudæ, & Apocalypſim, vt refert Antonius Poſſeuinus

BALTHASAR GAGVS gente Luſitanus admiſſus in Societatẽ anno ſalutis 1546. ætatis ſuæ 31. fuit è primis illis Societatis columinibus, qui Indiam vniuerſumque Orientem Euangelica prędicatione illuſtrarunt. Miſſus eſt ex Europa anno ſalutis 1548. iam tum Sacerdos, conſcenſa Olyſſipone naui die 17. Martij: In eo curſu, verbo, & inculpatæ vitæ exemplo multos ad pœnitentiam ſuorum criminum adduxit; ęgros qui plurimi erant, ſua opera fouit, viatico aluit, quoad potuit. Primum ſui experimentum Cocini fecit, idque tam inſigne, vt ab Sancto Franciſco Xauerio, adlectus ſit in expeditionem Iaponicam. Appulit illuc 19. Cal. Septembris 1552. & Funaij (quę Regni Bungenſis Metropolis eſt) perhumaniter à Rege exceptus eſt; cui viciſſim detulit ipſe munera ab Indię Prorege, & primo ſtatim alloquio per interpretem diuina ingeſſit, obtinuitque poteſtatem promulgandę per ipſius ditionem Legis Chriſti. Id cùm initio ſequentis anni facere eſſet exorſus, tam habuit felicem prouentum, vt bis mille breui Chriſtianos numeraret, & inter illos etiam Bonzios aliquos, qui vexandi animo ad eius famam confluxerant: reliqui verò ſolitis cum artibus adorti, quando veritatis impetum non ſuſtinebant, calumnias, blaſphemias, maledicta regerebant, ſpurcitias illi in ędes conijciebant, populum in illius concitabant opprobria. Neque ibi ſtetiſſent, niſi Regis, qui Balthaſari fauebat impenſe, fuiſſent auctoritatem reueriti. Quò tamen Euangelij progreſſum impedirent, ſparſerunt in vulgus nihil à Chriſtianorum diſciplina diſtare Iaponum ſectam. Sed ne populo fucus fieret, librum Balthaſar edidit, quo, quantum inter vtramque interſit, demonſtrabat; qui adeò Regi probatus eſt; vt coram Conſiliarijs ſuis recitatũ, deſcriptumque, ſuo Chirographo, ad pondus auctoritatis apud populum, augendum, communierit. His inſtructus præſidijs Balthaſar Eccleſię ſuę excolendæ nouo ſe animo impendit, illamque eò feruoris adduxit, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis, vt ęmulari Apoſtolicę perfectionem ętatis videretur. Adiecit animum deinde templo extruendo, noſocomio item, & orphanotrophio; quę cùm magno mox ſtudio eſſent perfecta, iuſſæ ſunt infantes ſuos, quos tędio educationis ſolebant conficere matres, illuc edicto Regio deferre. Compoſitis firmatiſque Funaij Eccleſię progreſſibus, Rege in omnibus ſecundante, placuit Firandum excurrere, & Facaram. Hic templo excitato in area quam Rex Bungenſis attribuerat, compluribuſque ad fidem conuertis, anno vertente excitata eſt in Regem popularis ſeditio: Vrbs Facata cœſo Gubernatore occupata; Balthaſar in Iaponicam nauim receptus, vt ſe tutum ibi crederet, ab nauarcho ipſo ſpoliatur; à quo & cæſus fuiſſet, niſi ſpes prædæ lautioris Barbarum continuiſſet. Quatriduo victitauit in hoſtium poteſtate, ea ſcilicet lautitia, quam hoſtilis miſeratio ſuppeditabat. In vrbem poſtea adductum exuunt vſque ad induſium; mox iterum vili lacernula quam obuius illi quiſpiam iniecerat expoliant, & nudum ignominioſe, vix ſcruto anterius velatum, dimittunt. Sed nec ibi ſtetit inſania. Plebs nudum furibunda excepit, & alij pugionem gutturi, aut enſem admouere pectori: pars vinctum manus, trahere atque retrahere, partim etiam ad mortem depoſcere inconditis vocibus hominem; qui Deos patrios violaſſet. Demum in obſcurum carcerem, certo necis argumento, compactus, ab inſano milite, ſtricto ferro poſtulatur argentum, cui ille vultu, animoque pacato; Ecquodnam illud, inquit, mihomo, argentum petis, qui ne ſcrutum quidem, quo me ad verecundiam contegam, habeo? Hic dum in horas mortem operitur, inopinatò per potentem Neophytum illorum manibus exemptus eſt. Inde poſt laborum Iliadem trimeſtri deuoratam, ſuadentibus Chriſtianis, vt ſe in alia tempora ſeruaret, habitu mutato ſe ex Vrbe eiecit. Bungi à Rege, atque ab omnibus ordinibus incredibili gaudio exceptus eſt. His atque alijs perfunctus malis tandem anno 1560. iuſſus eſt à Coſmo Turriano in Indiam reuerti, vnde plures operarios accerſeret. In eo curſu tam fęda iactatus eſt tempeſtate, vt mors illi certa ob oculos verſaretur. Ipſe tamen ſpiritu prorſus Apoſtolico, velut immemor ſui, vectorum ſalutem procurabat. Acenorum etiam Luſitanici nominis hoſtium acerbiſſimorum impreſſionem bis ſuſtinuit, ac demum tot defunctus periculis poſt ſeſquiannum, Goã die 24. anni 1562. inuectus eſt. Ibi reliquam exegit ętatem, varijs Societatis exercitam miniſterijs; in quorum procuratione non ſemel ab Ethnicis, à latronibus, capitis diſcrimen adijt. Ad extremum crebris morborum tentationibus exercitus, Goæ deceſſit die 9. Ianuarij anno 1583. ętatis ſuę 75. ex quibus Societati 35. impendit. Scripſit Iaponico Idiomate, atque edidit, illum de quo iam dixi.

Librum in quo quantum inter Iaponum Sectam, & Chriſtianorum diſciplinam, interiectum eſſet internallum, perſpicuis rationibus demonſtrauit, quem Rex Bungi ſibi oblatum vehementer probauit, ac ſuo ſigno obſignauit. Scripſit pręterea

Epiſtolas 3. è Iaponia, atque vnam ex India relatas à Collectoribus Indiarum, & Iaponicarum epiſtolarum.

BALTHASAR GRATIANVS; natione Hiſpanus, patria Bellomontanus in Aragonia, aggregatus ad Societatem anno ſalutis 1619. ętatis 16. vota quatuor profeſſus eſt. Docuit Humaniores litteras, Philoſophiam, & Theologiam de moribus; Concionatorem egit, & Confeſſarium multis annis. Religioſè defunctus eſt Turiaſonę die 6. Decembris

bris 1658. ſcripſit Hiſpanicè.

Artem Ingenij.

BALTHASAR HAGELIVS natione Germanus, gente Bauarus, Murnauienſis, ſuſceptus in Societatem anno Domini 1572. ętatis 21. Vir omnium, quę in Ordine noſtro profiteri æquum eſt, ſciens. Docuit publicè litteras latinas ſexennio; Gręcas biennio, Hebraicas decennio; Philoſophiam triennio; Theologiam ſcholaſticam quadriennio: Moralem quinquennio; Scripturam ſacram triennio. In morali Theologia adeò excelluit, vt dictata eius paſſim quęrerentur; ac difficillimi ad eum nodi deferrentur. Brixinę in Miſſione verſatus prolapſos cleri mores reſtituit. Synodo iuſſu Epiſcopi coactę interfuit, eiuſque decreta primus concinnauit; Rerum ſpiritualium inter Noſtros curam geſſit; Vir communis diſciplinę tenaciſſimus, ſuique corporis per quotidianam verberationem domandi perſtudioſus. Obijt Ingolſtadij anno 1616. ętatis 65. religioſę vitę 44 poſt ed tam quatuor votorum profeſſionem 16. Scripſit ſub nomine Danielis Paradini lingua Germanica

Medicamen ſeu Antidotum ſpirituale contra Hæreſeos venenum & huius temporis pernicioſos afflatus.

Reformationem Brixinenſium. Item Germanice

Formas reformatas conficiendi litteras Cenſuales.

BALTHASAR HAGERVS, natione Germanus, domo Vberlinganus in Sueuia, natus anno ſalutis 1572. Societati 1593. die 14. Auguſti ſe ſacrauit. Poſtquam Artes politiores in Academia Moguntina, & Philoſophiam in Herbipolenſi docuiſſet, Heiligenſtadianum Collegium, Moguntinum, ac demum Herbipolenſe Doctor Theologiæ gubernauit: animi candore; prudentia, & in regendo ſuauitate, tùm Noſtris, tùm exter. nis mirificè probatus. Vir fuit tanta vitæ innocentia, vt paratus eſſet in dies mori, vel inexpiatus: tanta paupertate, vt vix neceſſarios ſcriptioni, concionique parandæ libros admitteret: tanta ſui deſpicientia, vt quid de ſe ſentirent alij ſuſdèque haberet. Orationi, & cultui Deiparæ V. ac Sacroſanctæ Euchariſtiæ apprimè deditus, atque huius propenſius frequentationi referebat acceptum ſuæ ad Societatem vocationis beneficium. Exceſſit è viuis Herbipoli die 9. Martij anno 1627. magno ſui relicto deſiderio. Funus eius luctu omnium Ordinum, præſentia etiam Principum Herbipolenſis, & Bambergenſis celebratum eſt. Scripſit linguâ Germanicâ

Vindicias cultus Sacrarum Imaginum contra Abrahamum Scultetum. Moguntiæ

Ducem Vitæ ad religionem Catholicam

Concionem de Catholico Iubilæo Sæculari

Sacrilegium Caluiniſticum contra Theophilum Moſanum.

Collationem Confeſſionis Auguſtanæ; & Concilij Tridentini ad verbum Dei.

BALTHASAR KITZNERVS, natione Germanus, patria Brunchenarenſis Societatem adoleſcens ingreſſus anno ſalutis 1609. ætatis 16. Philoſophiam Herbipoli docuit; diu cum laude, & fructu concionatus eſt, votorum quatuor profeſſionem emiſit. Magno animarum zelo in egentium opem ſe impendit ſemper, donec Aſchaffenburgi piè mortuus eſt die 3. Iunij anno 1640. ætatis 47. Societatis aditæ 31. Edidit Sodalibus Marianis:

Roſam Marianam. Bambergæ.

Concionem funebrem in exequijs Sereniſſimæ Iſabellæ claræ Eugeniæ Gubernatricis Belgij, à ſe Colonia dictam.

* BALTHASAR LOPEZ, natione Mexicanus, in villa S. Michaelis natus, origine Hiſpana; Sapientia, & religione inter primos illius Prouinciæ viros numerandus, Societatem amplexus eſt anno ſalutis 1620. ætatis ſuæ vndeuigeſimo, & vota quatuor ſolemniter concepit. Pluribus annis amæniores litteras, Philoſophiam, & Theologiam docuit, miſſiones quoque lucrandarum Deo animarum cauſa in remotiſſimis partibus Cinaloæ obiuit. Demum miſſus à ſua Prouincia Romam, vt Procuratoris munere fungeretur laborum terminum reperit in Occeano die 17. Auguſti, 1650. Edidit

De Iure Societatis quo immunis eſt à Decimis ſoluendis opus multa eruditione refertum, Hiſpali primùm, mox Cæſarauguſtæ recuſum 1648. in folio

De poteſtate Iudicis Conſeruatoris Societatis. Mexici 1647,

Orationem latinam habitam à ſe in initio ſtudiorum. Mexici

BALTHASAR NIMITSCH, natione Germanus, patria Sileſius, nobili atque adeò equeſtri loco natus, ad Societatem acceſſit anno à partu Virginis 1586. ætatis ſuæ 22. & Profeſſus in ea fuit votorum trium. Concionator magni ſpiritus, & fructus, cui bona pars Procerum Styriæ ſuam debet ſalutem, & cum Eccleſia Catholica reconciliationem. Fuit à Concionibus Aulicis Sereniſſimo Ferdinando Archiduci, qui ſceptrum Romani Imperij ſecundus eius nominis poſtea tenuit; illi atque omnibus quibuſcum agebat, acceptiſſimus, ob candidiſſimam morum ſimplicitatem cum religioſa prudentia, & ſincero ſalutis omnium ſtudio coniunctam. Verè Iſraëlita, in quo dolus nonerat: nec tamen ſegnis ſui caſtigator, quamuis eſſet benignus in alios, vtpote qui vel effæta ætate, quot hebdomadis ſe cilicio flagellòque vexabat. Obijt plenus dierum Viennæ Auſtriæ die 29. Iulij anno 1625. Edidit

Orationem quam habuit Germanicè *in funere Illuſtriſſimæ Sidoniæ Mariæ de Eggemberg*: Græcij ſtyrorum, anno 1615.

BALTHASAR OSTHOVINVS, vel HO-

HOSTOVINVS, natione Bohemus, patria Hoſtouienſis, Societati adſcriptus Romæ anno ſalutis 1555. ætatis ſuæ 21. Vir magni conſilij, animique, rerum Bohemicarum callentiſſimus, ſalutis patriæ cupidiſſimus, laborum patientiſſimus. Eum Ioannes Franciſcus Commendonus Sedis Apoſtolicæ Nuntius ad Sigiſmundum Regem Poloniæ, legationis ſuæ comitem circumduxit anno 1564. eiuſque opera cùm ad multa ſui muneris, tùm potiſſimum ad fundationem Collegiorum Societatis in Poloniæ Regno vſus eſt. Exordijs Collegiorum Bransbergæ, Pultouiæ, Vilnæ, præfuit. Poſtea à Prouincia Auſtriæ electus in Procuratorem, Romam ad Congregationem miſſus eſt. Demum laboribus, & ætate confectus, atque antiquiſſimus Profeſſorum Prouinciæ Auſtriacæ, iam inde ab anno 1569. obijt Commotouij die 7. Iunij 1600. Vertit ſuâ Linguâ

Vincentij Lirinenſis, aureum libellum contra profanas nouitates

Dialogos S. Gregorij Magni

Notas Eccleſiæ Catholicæ, ab Antonio Poſſeuino editas,

Thomæ de Kempis de Imitatione Chriſti ſeu de contemptu mundi lib. 4.

Epiſtolas Indicas noſtrorum Patrum. Scripſit etiam

Librum de Inſtitutione Chriſtiana ſiue exhortatione ad virtutem ſed, qui lucem hactenus non aſpexit. Tranſtulit Bohemicè

Reſponſionem Antonij Poſſeuini ad Regem Septentrionalem, qui in fide Catholica voluit inſtrui. Pragæ editam, vti refert idem Poſſeuinus in *Apparatu* ſacro ad calcem Catalogi ſuorum operum, vbi eum nomine Balthaſaris Bohemi appellat.

BALTHASAR TELLEZ, natione Luſitanus, patria Vlyſſiponenſis natus anno ſalutis 1595. Societati ſe addixit 1610. & vota quatuor nuncupauit. Rhetoricam, & amæniores litteras in primarijs Prouinciæ cathedris profeſſus eſt nouennio; Philoſophiam quadriennio; Theologiam Scholaſticam, & moralem octennio. Rexit Vlyſſipone Seminarium Hibernorum, & Collegium D. Antonij; Prouinciæ Luſitanæ habenas tenuit; Defunctus eo munere, adminiſtrauit Domum Profeſſam Vlyſſipone, & in eadem octogenarius, ſuſceptis priùs magno pietatis ſenſu extremis Eccleſiæ præſidijs obdormiuit in Domino, die 19. Aprilis hoc anno reputatæ ſalutis 1675. Edidit

Summam vniuerſæ Philoſophiæ Vlyſſipone typis Laurentij Anueres 1642. in folio. Recuſa eſt poſtea Pariſijs 1644. duobus tomis in 4. & iterum Vlyſſipone nouis curis ab Auctore recognita 1652. tomis 4. in 8.

Meditabatur quoque ſummam vniuerſæ Theologię, & iam tomum vnum parauerat in Primam Partem S. Thomæ, quando iuſſu Superiorum ad componendam Hiſtoriam Societatis Luſitanæ conuertit calamum, iamquè edidit de ea duos tomos lingua Luſitanica ſub titulo:

Chronicorum Societatis IESV in Prouincia Luſitaniæ. Pars prima Vlyſſipone typis Pauli Craesbeck. 1644. in folio

Chronicorum Societatis IESV, &c. Pars Secunda eidem typis 1647. in folio. Edidit etiam Luſitanicè

Hiſtoriam Generalem Æthiopiæ altæ, & de rebus in ea geſtis à PP. Societatis IESV. Conimbricæ, typis Manuelis Diaz anno 1660. in folio. Præ manibus habebat alia, ſed mors eripuit.

BANDINVS GVALFREDVCCIVS, natione Italus, patria Piſtorienſis natus anno Domini 1565. Societati ſe aggregauit 1584. & votorum quatuor ſacramentum dixit. Rhetoricam ſexennio in ea profeſſus eſt, & multis annis Præpoſito generali ab Epiſtolis latinis fuit. Poſtea Operarius nauus Domus profeſſæ Romanæ vſque ad obitum. Vir admodum obſeruans religioſæ diſciplinæ, & humilitatis laude in primis præcellens; ex eadem migrauit grandis natu ad vitam immortalem, die 5. Martij 1627. Edidit

Hieromeniæ ſeu ſacrorum Menſium partes duas. Quibus vario Carminum genere, celebrat Sanctos, quos totius anni lapſu veneratur Eccleſia. Romæ typis Zannetti 1622. in 12. & typis Maſcardi 1625. in 12.

Variorum Carminum libros 6. quibus addidit

Sophoclis Oedipum Tyrannum, à ſe in latinum carmen translatum. Romæ typis Zannetti 1622. in 12.

Sigericum, Tragediam. Romæ typis Iacobi Maſcardi 1627. Prodijt demum cum alijs eiuſdem argumenti eius

Oratio de Paſſione Domini habita ad Paulum V. Pont. Max. anno 1606. typis Iacobi Maſcardi 1641. in 12.

BAPTISTA FRAGOSVS, natione Luſitanus, patria Syluenſis in Regno Algarbiorum, ingreſſus Societatem anno ſalutis 1577. die 9. Ianuarij ætatis ſuæ 18. votis quatuor ſe adſtrinxit. Humaniores litteras ſexennium profeſſus eſt, Theologiam Moralem Vlyſſipone, & Eboræ annis multis, vir apprimè doctus, & Iuris tam diuini quàm humani valde conſultus, & Sancti Officij Inquiſitionis Qualificator; vir vitæ integerrimæ, ſui, & rerum terrenarum contemptor, octogenario maior religioſè deceſſit Bracharæ die 3. Octobris 1639. Scripſit Theologiæ moralis tomos 3. qui in pretio à viris doctis habentur. Primus ſic inſcribitur.

Regimen Reip. Chriſtianæ ad vtrùmque forum tùm internum tùm externum pertinens. Lugduni ſumptibus Gab. Boiſſat, & Laur. Aniſſon 1641. Pars 1. in folio.

Regiminis Reip. Chriſtianæ tomus ſecundus, qui Principum, ac Paſtorum Eccleſiaſticorum obli-

obligationes, ac Iuriſdictiones complectitur Lugduni ſumptibus Laur. Aniſſon 1648. in folio

Tertius tomus Oeconomicam continet, Patrum in filios, & Domeſticos obligationes, & è contra. Lugduni ſumptibus Philippi Borde, & Soc. 1652. in folio.

BARNABAS DE COBO, natione Hiſpanus, patria ex Oppido Lopera agri Giennenſis, admiſſus in Societatem in Prouincia Peruana anno Domini 1601. ætatis ſuæ 19. & profeſſionem votorum quatuor edidit. Docuit litteras Humaniores; Conciones habuit tùm ad Indos, tùm ad Hiſpanos multis annis vixit etiam Mexici aliquamdiu, demum ſeptuagenario maior defunctus eſt Limæ 9. Septembris 1657. Scripſit Hiſpanicè

Hiſtoriam Indicam. Sed morte pręuentus non edidit typis

BARNABAS KEARNÆVS, natione Hibernus, patria Caſſellenſis, in Societatem cooptatus Duaci anno ſalutis 1589. ætatis 24. vota quatuor nuncupauit. Rhetoricam, & Græcas litteras docuit Antuerpiæ, & Inſulis, poſtea miſſus in Hiberniam, 37. annis Vineam illam ſenticetis plenam, nauiter excoluit. Fuit enimuero vir zeli eximij; & multos à patria Hæreſi reduxit ad caulam Chriſti. Circumeundo diuerſas Regni Prouincias, vſq; adeo ſuis concionibus, catechiſmis, priuatis colloquijs permouit ad pietatem Auditores, & à peccatis abſterruit, vt ipſi Iudices Heterodoxi, qui quotannis obeunt prouincias cum poteſtate cognoſcendi de cauſis criminalibus, & morte plectendi reos, palam faſſi fuerint (loquendo de ipſo, & altero de Societate Gualtero Vvaleo) Duos Ieſuitas plura latrocinia paucis annis è regno Hiberniæ ſuſtuliſſe, quàm vlla tribunalia legum ſeueritate potuerint arcere. Nec tamen propterea, vt erant hoſtes infenſiſſimi Religionis Catholicę, ab iiſdem ad necem conquirendis deſtiterunt. Tandem annis grauis, & laboribus confectus ex patrio ſolo ad cœleſtem patriam (vt ſperamus) euolauit. Caſſelij die 20. Auguſti 1640. Dedit in Lucem latinè

Heliotropion, ſiue Conciones de Dominicis, & feſtis totius anni. Lugduni ſumptibus Antonij Pilehotte 1622. in 8.

Heliotropion alterum ſiue Conciones de myſterijs Redemptionis humanæ, & Paſſione Dominica. Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoiſij 1633. in 8.

Extat in Tabulario generali Societatis Romæ eiuſdem opus M. S. Latinè

Diſcurſuum triginta in obitum Comitis Ormoniæ in Hibernia.

BARTHOLOMÆVS AMICVS, natione Italus, ex Antio Lucanię, iam inde ab anno 1581. & ętatis ſuę 19. in Societatem ingreſſus, votorum quatuor profeſſionem emiſit. In ea Ethicam, Meteora, & Philoſophiam decennio, Theologiam Scholaſticam octennio profeſſus eſt in Collegio Neapolitano, vbi, & ſtudiorum Pręfectus diu fuit. Vir Iuris peritię conſultiſſimus, atque in arduis Conſcientię decernendis, litibuſque inter Optimates dirimendis, frequentiſſimè arbiter adhibitus. Prudentia, pietate, candore animi, omnibus carus. Denique plenus dierum, quos ad 84. annum produxerat, nec non meritorum, ad vitam migrauit immortalem. Neapoli die 7. Septembris 1649. Operum eius inſcriptio hęc eſt.

In Vniuerſam Ariſtotelis Philoſophiam, notæ, & diſputationes, quibus illuſtrium Scholarum. Auerrois, D. Thomæ, Scoti, & Nominalium ſententiæ expenduntur earùmque tuendarum probabiles modi afferuntur tomis 8. quorum 1. duabus partibus Logicam abſoluit, impreſſis Neapoli apud Lazarum Scorrigium; priore, anno 1623. poſteriore, 1624. in folio.

Tomi 3. & 4. complectuntur in Ariſtotelis libros de Phyſico auditu dilucidam textus explicationem, & Diſputationes. Neapoli apud Secundinum Roncalionum 1626. & 1629. in folio

Tomus 5. in Ariſtotelis libros de Cœlo, & Mundo. Neapoli apud eundem Secundinum 1626. in folio.

Tomi 6. & 7. In Ariſtotelis libros de Generatione, & Coruptione. Neapoli apud Antonium Fuſcum 1648. in folio. Edidit prętereà

Opuſculorum tomum 1. De aliquibus principijs communibus Philoſophis, & Theologis, libris tribus diſtinctum, quorum duo priores excuſi ſunt in Collegio Societatis Neapoli 1638. Tertius, Neapoli apud Iacobum Caſſarum 1644. in folio

Tractationem de varijs Formalitatum, & diſtinctionum generibus ex primo tomo Opuſculorum, Neapoli typis Franciſci Sauij 1638. in 8. Italicè edidit

Meditationes de Plagis, & vulneribus IESV, & MARIAE. Neapoli typis Dominici Montanari 1635. in 8.

Regulas Conſcientiæ meticuloſæ, ex SS. Patrum Doctrina ſelectas. Neapoli apud Lucam Antonium Fuſcum 1648. in 8.

Parauerat etiam prelo Opuſculorum tom. 2. & 3. de pręcipius Theologię tam Scholaſticæ quàm moralis difficultatibus. Sed mors interuenit.

BARTHOLOMÆVS BRAVVS, natione Hiſpanus ex Oppido Martin Munnoz Diœceſis Abulenſis, duodeuiginti annos natus in noſtrum ordinem adſcriptus Salmanticę anno ſalutis 1572. in eo totum ſe iuuentuti erudiendę bonis litteris impendit, & 27. annorum ſpatio eas ſcholas tenuit, Noſtróſque potiſſimum Iuuenes in Seminario Prouincię Caſtellanę ijs percoluit, tria vota ſolemnia profeſſus. Deſijt viuere inter mortales Methymnę Campi die 20. Nouembris 1607. Edidit

Theſaurum verborum ac phraſium ad orationem

tionem ex Hiſpana latinam efficiendam. Matriti apud Ioan. de la Cueſta 1611. in 8. qui pluſquam vicies varijs in locis recuſus eſt.

Compendium Nizolii cum Dictionario plurimarum vocum, quæ in Ciceronis ſcriptis deſiderantur. Pinciæ 1627. in 4. Scripſit etiam

De conſcribendis Epiſtolis. Burgis 1606. in 8.

De Arte Rhetorica. De Syntaxi. De Proſodia. Progymnaſmata. Varia Poëmata. De octo partium orationis conſtructione. Pinciæ 1640.

BARTOLOMÆVS CASSIVS natione Dalmata, patria Curictenſis, Societatem vicennis amplexus Romæ anno ſalutis 1595. vota in ea 4. profeſſus eſt. Miſſionarium in Turcarum ditione multis annis egit, & præfuit Noſtris Raguſæ. Subinde Pœnitentiarij Apoſtolici munere perfunctus eſt, tum Laureti, tum Romæ ad ſancti Petri in Vaticano, vbi vitam mortalem cum immortali commutauit die 28. Septembris 1650. Scripſit bono ſuæ Patriæ

Inſtitutiones Linguæ Illyricæ lib. II. Romæ typis Zannetti 1604. in 8. & Lingua Illyrica

Hiſtoriam Lauretanam ex Turſellino, & alijs lib. II. Romæ typis Bartholomæi Zannetti 1617. in 8.

Relationem Vitæ, Miraculorum, & Canonizationis S.P. Ignatij. Romæ typis eiſdem 1623. in 8.

Vitas 25. Sanctarum Virginum. Romæ typis ijſdem 1625. in 8

Speculum Confeſſionis, & de Communione ex varijs auctoribus. Ibidem & ijſdem typis 1631. in 8.

Compendium Doctrinæ Chriſtianæ Card. Bellarmini. Romæ 1633. in 12.

Cantica ſpiritualia Illyricè ſcripta. Ibidem 1624. in 12.

Vitas D.N. Ieſu Chriſti, ac B. V. Mariæ. Romæ typis Sac. Congregationis de prop. fide 1638. in 8.

Vitam S. Franciſci Xauerij. Romæ typis Bernard. Tani 1638. in 8.

Rituale Romanum Vrbani VIII. Pont. Max. iuſſu editum lingua Illyrica. Romæ ex Typographia Sac. Congregationis de propag. fide 1640. in 4. nomine ſuo præfatione addito.

Euangelia; & Epiſtolas Miſſalis Romani lingua Illyrica. Romæ typis Bernardini Tani 1641. in folio.

* BARTHOLOMÆVS CHRISTELIVS natione Germanus, patria Mughcenſis in Morauia, natus anno ſæculi voluentis 24. Societati ſe addixit 42. & vota 4. profeſſus eſt. Quinquennio docuit amœniores litteras; Philoſophiam triennio; Controuerſias de fide biennio; Conciones habuit aliquot annis; rexit Collegium Vratislauienſe, & modò inſtruit noſtros PP. tertiæ probationis in aſcetica ſchola ſpiritus. Dum Philoſophiam Pragæ profiteretur inter ſuos Auditores habuit toto triennio Illuſtriſſimum tunc Principem Vinouicenſem, poſtea Sereniſſimum Poloniæ Regem Michaëlem Korybut. Edidit idiomate Teutonico

Synaxiphilam, ſeu de Sac. Communione. Olmutij typis Viti Ettelij 1663. in 12.

Almoniam Menſtruam, ſeu Menſtruas deuotiones. Vratislauiæ 1666. in 12.

Viam Spino-roſeam, ſeu de ſeptem Doloribus, & totidem gaudijs Beatiſſimæ Matris Dei. Pragæ typis Academicis 1668. in 12.

BARTHOLOMÆVS DE ESCOBAR natione Hiſpanus, patria Hiſpalenſis nobili genere natus. in India Occidentali ætatis anno 17. & ſalutis humanæ 1580. ſe Societati adiunxit, magnis à natura dotibus inſtructus. Ex lauta hæreditate, quam adijt, nihil in ſuum vſum, nihil in ſuorum commodum, ſed in pia opera conuertit vniuerſam. Virtutibus magnis in Societate excelluit. Caritate inprimis in omnes promptiſſima, afflictos conſolando, infirmos officijs omnibus recreando, noctes etiam inſomnes apud ipſos ſæpe ducendo. Nemini quidquam quod præſtare poſſet negabat. Salutem verò mortalium ſempiternam auidiùs etiam ſitiebat, ſollicitéque procurabat docendo, concionando, confeſſiones excipiendo, miſſiones ad Indorum, & Hiſpanorum colonias inſtituendo. Doctè ſimul, & appoſitè ad fructum concionabatur; promptus ad omnem Superiorum nutum, quouis loco, ac tempore aliorum vices obire, factus certum Superiorum perfugium, qui nullam concionem expoſceret, nullam defugeret. De omnibus ſemper honorificè, de ſe ſolo demiſsè ſentiebat, & loquebatur. In omni congreſſu, iam erat hoc ratum, ipſum ſibi vindicaturum poſtrema. Subiectis ſuis quando domi præerat, ipſe ſeruire videbatur. Veſtem ſemper vilem geſtabat, attritamque; nihil in cubiculo ſupellectilis præter paucos libros, & binas è papyro imagines admittebat. Orationi multum vacabat, ex ea magnam de Chriſto Ieſu exiſtimationem, magnum rerum caducarum contemptum concipiebat. Spirituali Noſtrorum inſtitutioni crebro præfuit, & in ea multùm valebat. In victu valde parcus, & moderatus fuit; nihil vllo prætextu eximium appetere: ſi quid illi fuiſſet propter affectam valetudinem ingeſtum, tanta ſuæ indignitatis obteſtatione gratias agebat, vt vel hoc nomine negarent illi quidquam dari debere, ne in hoc genere nimius eſſet. Dum valuit, corpus ſuum cilicijs, & flagellis multum exercuit. Caſtimoniam in difficili articulo non ſemel animosè tutatus eſt, ope, vt ipſe rebatur, Deiparæ, in quam amore cultuque ſingulari ferebatur, & ſuæ Societatis reuerentia, cuius inſtituta, & penitus pernoſcebat, & accuratè obſeruabat. Inuictæ patientiæ tum aliàs ſæpe, tum verò maximè extremo vitæ triennio dedit exemplum, toleratis incredibili æquitate cruciatibus, quos illi viroſus

culex, cui Vta nomen, impoſita in vultu punctione conciliauit. Eo malo ſenſim gliſcente, atque ad aures proſerpente ita deformatus eſt, vt leproſo perſimilis appareret, & ſæpe cauterio, aliàs carnis præſectione, aut mordacibus aquis occurrendum, non ſine ingenti ſenſu fuit; ipſe ad hæc omnia lætus, & alacer nullum edere doloris ſignum; nullum querimoniæ veſtigium. Ad mortis nuntium nihil expauit, ſed Dei ſe diſpoſitioni promptus permiſit. Generalem confeſſionem inſtituit, & reliquis Sacramentis inſtructus eſt; fidem deinde ſuam profeſſus, & ſcripta omnia ſua ſanctæ Eccleſiæ cenſuræ ſubijciens, ſui ad extremum vſque compos, placidè obdormiuit Limæ die 3. Aprilis anno ſalutis 1624. ætatis 63. initæ Societatis 45. iam diu vota 4. profeſſus. Edidit in lucem

Conciones Quadrageſimales, & de Aduentu, quibus acceſſerunt

Conciones de Chriſti Teſtamento, & Codicillo, &

Conciones pro 40. horis in quinquageſima. Lugduni apud Horatium Cardon 1617. in 4. Item

Conciones de feſtis Domini. Muſſiponti typis Sebaſt. Cramoyſy 1625. in 4.

Conciones ſuper omnes B. Virginis Feſtiuitates. Pariſijs 1624. in 4.

Sermones de Hiſtorijs Sacræ Scripturæ tom. 1. Hiſpanicè verò edidit.

Sermones de Conceptione B.Virginis tom. 1. Vlyſſippone 1622. in 4.

BARTHOLOMÆVS FISEN, natione Belga, patria Leodienſis natus anno 1591. Societatem ingreſſus 1610. diſciplinas humaniores, & Rhetoricam ſexennio profeſſus, & vota 4 ſolemnia nuncupauit. Rexit Collegia Heſdinij, Dionanti, Inſulis, & Patribus in tertia probatione Inſtructor præfuit. Vir fuit ſui contemptor, orationi in primis addictus, promptus ad Superiorum nutum, accuratus regularum etiam minimarum obſeruator; auſterus in ſe, benignus in alios, parcus temporis ac ſermonis, qui tamen ſæpe de Deo, & inflammabat alios. Vitæ tenor æqualis ſemper; in vultu, totoque homine rara modeſtia. In gubernando ſuauem ſimul ac fortem ſe præbuit. Mortem ſibi præſagire viſus eſt, & vno fere ante obitum menſe ſæpe de illa mentionem ingerebat. Tandem rupto apoſtemate in capite ex pure in pectus defluente, ſuffocatus, & Sacramentis maturè præmunitus occubuit, Inſulis die 26. Iunij 1649. Edidit

De Origine prima feſti corporis Chriſti, ex Viſo ſanctæ Virgini Iulianæ diuinitùs oblato. Leodij apud Ioannem Ovverx 1629. in 8.

Paradoxum Chriſtianum, lædi neminem niſi à ſe ipſo. Leodij apud Ioannem Ovverx 1640. in 8.

Legiam Sanctam Eccleſiæ Romanæ filiam, ſiue Hiſtoriam Eccleſiæ Leodienſis. Leodij typis Ioan. Tournay 1642. in folio,

Flores Eccleſiæ Leodienſis, ſeu Vitas Sanctorum, & aliorum qui illuſtri virtute illam Eccleſiam exornarunt. Inſulis, typis Nicolai de Rache 1647. in folio. Paratam reliquit prælo.

Vitam S.Trudonis Hasbaniæ Apoſtoli.

BARTHOLOMÆVS GVERRERVS natione Luſitanus patria Almodauarienſis Diœceſeos Eborenſis, admiſſus in Societatem anno ſalutis 1578. ætatis ſuæ 18. votorum 4. profeſſionem emiſit. Prælegit litteras humaniores, & præfuit aliquandiu ſcholis. Miſſiones per Regnum obiuit annis 17. Concionator eximius, & permagni habitus à Sereniſs. Ducibus Brigantinis. Octogenario maior piè deceſſit Vlyſſipone in Domo Profeſſa die 24. Aprilis 1642. ſcripſit Luſitano Idiomate in quo multum excelluit

Expeditionem à Luſitanis inſtitutam ad recuperandam ab Hollandis Bahyam Braſiliæ. Vlyſſipone apud Matthæum Pinheirum 1625. in 4.

Concionem de S.Thoma 1623.

Concionem funebrem in exequijs Sereniſſimi Principis D.Theodoſij Ducis Brigantiæ. Vlyſſipone apud Matthiam Rodriguez 1632. in 4.

Glorioſam Coronam magnanimorum religioſorum Societatis Ieſu pro fide Chriſti occiſorum, in Regionibus ad Luſitanum imperium pertinentibus. Vlyſſipone apud Antonium Aluarez 1642. in folio.

BARTHOLOMÆVS IACQVINOTIVS natione Gallus, patria Diuionenſis Societatem ingreſſus eſt anno 1587. ætatis 18. Vir ſingulari prudentia, & eruditione, magnis in Societate perfunctus laboribus, & muneribus. Rexit Collegia Lugdunenſe, & Diuionenſe præfuit Domui Profeſſæ Pariſienſi, & Toloſanæ; & quod vix vlli contigit, adminiſtrauit 5. Prouincias Galliæ, ſcilicet, Lugdunenſem, Toloſanam, Franciæ, Aquitaniæ, & Campaniæ. Poſt hæc dum Collegium Diuionenſe gubernaret electus eſt à Congregatione Prouinciali Campaniæ, vt Comitijs Generalibus Romæ intereſſet ad eligendum nouum Præpoſitum Generalem, atque in ijs cùm eximia ſuæ prudentiæ, peritiæque inſtituti ſpecimina edidiſſet, magno omnium Patrum Conſcriptorum conſenſu, primo ſcrutinio Galliarum Aſſiſtens eſt renunciatus. Eo in munere cùm ampliùs ſeſquiannum omnes officij ſui numeros compleuiſſet, & præclara in omni virtutum genere exempla præbuiſſet in morbum incidit, qui illi ſupremus fuit, & ſuſceptis ritè Eccleſiæ Sacramentis, inter amplexus optimi Parentis Vincentij Caraffæ Generalis, qui ægrotanti ferè ſemper aſtiterat, placidiſſimè expirauit. Romæ calend. Auguſti 1647. ætatis ſuæ 78. ſcripſit Gallicè

Artem Vitæ ex Dei nutu in ſæculo inſtituendæ. Pariſijs 1614. in 18. tum Lugduni apud Reginaldum Claudiers 1621. in 8. & iterum Pariſijs apud Sebaſt. Cramoyſy 1625.

apud

apud quem prodijt etiam latinè 1636. vti & Lugduni per Horatium Cardon ex interpretatione Petri Monodi. Facto illi titulo: *Hermetis Chriſtiani* 1629. ſcripſit etiam

Meditationes in ſingulos anni Dies. Item

Chriſtianum ad Aras, ſiue de modeſtia in templis ſeruanda Pariſijs apud Ioan. Camuſat 1640. in 8. & Lugduni apud Laur. Aniſſon 1646. in 8.

BARTHOLOMÆVS MOCANTVS natione Italus, patria Romanus, ingreſſus in Societatem die 25. Auguſti anno 1565. quo ipſo die ante annos 17. natus fuerat. Mediolani 4. vota ſuſcepit 9. Aprilis 1587. Genuæ obijt 12. Aprilis 1629. cum magna ſanctitatis opinione, vt debuerint, quæ fuerunt in vſu viuenti, in multos viros nobiles, ad viri venerationem aſſeruanda, diſtribui, ne pio ipſorum deſiderio deeſſemus. Vir nimirum ſimplex erat & rectus, pius ac timens Deum, cuius cultum, & gloriam ſtrenuè ſemper promouit. Suam perfectionem per exercitia ſpiritus, aliorum ſalutem, per conciones, quas per 50. fere annos habuit, aſſiduè procurauit: aſſecutus cum ſingulari mentis innocentia, & eximia cum Deo coniunctione, magnam diuinarum rerum peritiam; vt meritò vbicumque fuit, Dux alijs ad pietatem adhiberetur. Inter cetera autem pietatis præſidia voto ſe obligarat, nullos legendi libros niſi pios.

Multa præclarè commentatus eſt, quæ multis voluminibus ab ipſo deſcripta, ſeruantur in Bibliotheca noſtra Genuenſi.

BARTHOLOMÆVS PAPROCKI natione Polonus ex ea Prouincia, quæ maior Polonia nuncupatur, iuuenis vndeuiginti annorum in Societatem adſcitus eſt anno Domini 1606. in qua poſt impenſam humanioribus ſeuerioribuſque diſciplinis operam, politiores litteras annos ipſos 12. docuit. Poſtea Concionibus, Miſſionibuſque obeundis impenſus, annos prope 20. expleuit, ſpiritualium Coadiutorum in gradum adſcriptus. Demum ſexagenario maior ad laborum præmia emigrauit Bidgoſtiæ die 10. Iunij 1650. Edidit in lucem vincta, mixtim, ac ſoluta oratione Librum quo Vladiſlao IV. Regi Poloniæ ſceptrum eius Regni gratulatur hac Epigraphe:

Pharus Sarmatica, Europæo Trioni Auguſtis ignibus radians, Sereniſſimum, & Potentiſſimum Vladislaum IV. Suecorum, Gothorum, Vandalorumque hereditarium Regem, Moſcorum Imperatorem Electum, Iagellonici, Auſtriaci, Gothicique Sanguinis, & virtutis hæredem, filium, nepotem, auſpicatò faſces Regni Poloniæ, & Diadema prehendentem, ſuram orbiſque delicium, educta manu Palladia Societatis Ieſu, Maieſtati Sereniſſimæ, ſeſe deuouens proponit anno 1633.

Augurium Themidis Chriſtianæ Illuſtriſſimo Epiſcopo Culmenſi Iacobo Zadzi nunc Epiſcopo Cracouienſi ſuam Cathedram primùm inuiſenti.

Lunam roridam in funere Illuſtriſſimi Alexandri Sieniavvſchi

Pritanæum immortalis gloriæ, Illuſtriſſimo Nicolao Danielonicio Theſaurario Regni vita functo.

BARTHOLOMÆVS PEREYRA natione Luſitanus, patria Monçonenſis Societatem ingreſſus anno 1603. ætatis 15. votis 4. ſe adſtrinxit. Rhetoricam, & Philoſophiam docuit Conimbricæ, & Sacras litteras, octennio eſt interpretatus. Concionator etiam fuit inter primos, rexitque Collegium Bracharenſe. religioſè obijt Conimbricæ die 18. Nouembris 1650. Edidit

Paciecidos libros 12. *Poëma Heroicum* de glorioſa morte P. Franciſci Pacieci Societatis Ieſu Prouincialis in Iaponia. Conimbricæ per Emmanuelem de Carualho 1640. in 12.

Parauerat, &, iam mercatori dederat imprimendum

Commentarium in Tobiam. Sed mercatoris incuria deperijt.

BARTHOLOMÆVS PETRACCIVS, natione Siculus, patria Mamertinus, Societati adiunctus anno ſalutis 1577. ætatis 16. vota 4. profeſſus, Concionator egregius, fæcundo ingenio, & in ſacris profaniſque litteris bene verſatus: omnibus iucunda morum ſuauitate, & faceta hilaritate gratus; quibus artibus plumos ad Deum adduxit. Vitia pro concione libertate prorſus Apoſtolica caſtigabat. Habuit in more, vt qua in Vrbe per Quadrageſimam concionaretur, eius tutelarem ſanctum diebus ſabbati quibus à labore dicendi ſolent alij reſpirare, laudibus exornaret, quo populum in eius venerationem excitaret: id quod cùm Lupijs quoque præſtaret anno 1605. in S. Irenes laudatione, magna ab Aduerſario generis humani tempeſtas excitata eſt, ſed quæ maiorem peperit honori S. Martyris accesſionem. Obijt vir egregius, cuſtoditæ virginitatis ad vltimum vſque ſpiritum gloria nobilis (vt rata fuit opinio) Neapoli, cùm illac ex Vrbe in Siciliam rediret, die 22. Maij anno 1622. ætatis 62. Religionis 45. Scripſit Italicè culto ſtylo, ediditque ſub Vallæ nomine.

Vitam B. Franciſci Xauerij, è diuerſis Auctoribus collectam. Meſſanæ typis Petri Brea per Laurentium Vallam 1605. in 4. Item

Carmen in D. Agatham V. M. Catanenſem; Meſſanæ 1605. in 4.

Carmen in Sacratiſſimam D. Luciæ V. & M. Syracuſanæ coſtulam, quam ipſe, colendorum in reliquijs Sanctorum ſemper ſtudioſiſſimus, in patriam detulit. Atque hæc ſunt forte illa, quorum Agatheus volum. 2. Hiſtoriæ Catanenſis, mentionem facit, ab illo edita eſſe *Poëmata Latina*. Reliquit etiam poſt ſe

Vitam S. Ignatij Loyolæ pluribus ſermonibus explicatam

BARTOLOMÆVS RICCIVS natione Italus, patria Caſtroficardenſis in Piceno,

cooptatus in Societatem Romæ anno ſalutis 1566. ætatis ſuæ 24. votis 4. ſe obſtrinxit. Vir apprimè ſpiritualis. Rector fuit & magiſter Tironum Nolæ, ac Romæ, annis circiter 20. tum Siciliæ Præpoſitus Prouincialis. Plenus dierum, ac meritorum obijt Romæ in Domo Profeſſorum die 12. Ianuarij anno 1613. Scripſit Italico Idiomate:

Instructiones (ſic enim vocat) *tres in partes diſtributas*. Romæ apud Carolum Valliolettum 1602. in 8.

De Vita Domini N. Ieſu Chriſti ex Euangeliorum contextu. Imaginibus opus inſignitum ad meditandum aptiſſimum. Hæc ſeorſim edita, poſtea coniunxit, & meliorem in formam redacta prælo reddidit cum hac inſcriptione.

Vita D. N. Ieſu Chriſti ex verbis Euangeliorum concinnata cum conſiderationibus Italicis, & inſtructione ad meditandum. Romæ apud Bartholomæum Zannettum 1609. in 4. Edidit etiam

Triumphum Ieſu Chriſti Crucifixi cum Iconibus Martyrum omnium, qui poſt Chriſtum acti ſunt in crucem, æri ab Adriano Collaert Antuerpiæ inſculptis, addita narratione breui hiſtorica qua Triumphus illuſtratur. Typis Plantinianis Moreti 1608. in 4. latinè

Monoteſſaron Euangelicum Scholijs, & figuris propheticis illuſtratum. Opus poſthumum latinè Auguſtoriti Pictonum apud Antonium Meluier 1621. in 4.

BARTHOLOMÆVS ROGATVS, ſeu DE ROGATIS natione Italus patria Stabienſis, Societatem inijt anno Domini 1613. ætatis 17. & votis 4. ſe obligauit. Politiores litteras quadriennio; noſtros Iuniores Rhetoricam ſeptennio docuit, Philoſophiam dein, & Theologiam, tùm Scholaſticam, tùm Moralem profeſſus eſt, & Concionatorem quoque aliquot annis egit. Vir admodum religioſus, dum Stabienſe Collegium gubernaret, & graſſante peſtilentia infectis miniſtraret, ad Caritatis tantæ, & laborum præmia euolauit Cal. Auguſti 1656. Edidit Latine

Sacrarum Elegiarum lib. 5. Romæ apud Corbellettum 1643. in 12.

Orationem in funere Cardinalis Boncompagni Archiepiſcopi Neapolitani. Neapoli typis Franciſci Sauij 1642.

Italicè vulgauit.

De Regno Gothorum attrito, & reparato in Hiſpania partem primam, & 2. Neapoli typis Franciſci Sauij 1648. in 4.

Hiſtoria de eodem Regno Gothorum Partem 3. Neapoli eiſdem typis 1653. 12

Hiſtoriæ eiuſdem Partem 4. Ibidem per Lucium Ant. Fuſcum 1653. in 12.

Hiſtoria eiuſdem Partem 5. opus poſthumum Venetijs apud Guerilium 1662.

BARTHOLOMÆVS VIMONT, natione Gallus, Diœceſis Lexouienſis in Normandia in Societatem anno 1613. vicennis ingreſſus, vota quatuor profeſſus eſt. Rexit Collegium Venetenſe, & ad lucra animarum non ſine diuino inſtinctu in Canadenſem Miſſionem profectus, ſex annis ibidem Noſtris præfuit, & abſoluti operarij Apoſtolici partes omnes expleuit. Verùm deficiente illo in cœlo valetudine, coactus eſt repetere veterem Franciam, vbi omnibus acceptus vixit, & maximè Noſtris in Collegijs, quæ per aliud ſexennium gubernauit. Inter alias illius virtutes emicuit ſingularis erga omnes homines caritas, & maxime erga afflictos morbis. Vti vixit, ita ſanctè obijt Veneti die 13. Iulij 1667. Scripſit Gallicè

Relationes 4. *Rerum geſtarum in noua Francia annis* 1640. *& quinque ſequentibus*. Pariſijs apud Sebaſt. Carmoyſij 1641. & ſequentibus in 8.

BASILIVS FIDVS, natione Italus, patria Firmanus, in Societatem admiſſus anno 1559. ætatis 19. profeſſionem emiſit votorum trium anno 1570. vir Græcè, atque Hebraicè bene peritus; fuit aliquamdiu Magiſter Nouitiorum; Concionator annis 20. Obijt Salerni die 15. Maij anno Dominicæ Incarnationis 1593. Scripſit Italicè, ſed nomine non ſuo vulgauit.

Rythmos Spirituales

* BENEDICTVS BONNEFOY, natione Gallus, patria Aruernus natus anno ſæculi proximè euoluti 99. Societati nomen dedit voluentis 15. & votorum quatuor ſacramento ſe adſtrinxit. Diſciplinas humaniores docuit annis 18. & diu præfuit ſtudijs. Viuit etiamnum in Prouincia Toloſana ſeptuagenario maior, ſcripſit Latinè:

Hiſtoriam ortæ, & oppugnatæ Hæreſis in Gallia ſub poſtremis Valleſiæ, & primis Borboniæ ſtirpis Regibus. Tomis 2. in 4. ab anno Chriſti 1534. vſque ad annum 1664. Toloſæ apud Ioann. & Franciſcum Boude 1662. & 1664.

Elogium Principis Contij verſu Latino-Heroico, & *Leſſum de Rege Chriſtianiſſimo Ludouico XIII.* è viuis ſublato.

Seriem ſeu Hiſtoriam Epiſcoporum Magalonenſium, alieno nomine Toloſæ 1652. Auctam, & recuſam ibidem apud Fratres Boude 1665. in folio. Item

Epitomen rerum in inferiore Occitania pro religione geſtarum ab exceſſu Henrici IV. Regis Chriſtianiſſimi ſiue ab anno 1610. *ad annum* 1657. Monſpelij. Per Danielem Peſch 1657. in 8.

BENEDICTVS FERNANDIVS, natione Luſitanus, patria Borbenſis Diœceſeos Eborenſis, germanus frater alterius Benedicti Fernandij iunioris, qui glorioſam pro Chriſto in Iaponia mortem oppetijt, & quem Parentes, vt lenirent deſiderium Senioris, Societatem tunc ingreſſi, eodem nomine in Baptiſmo appellarunt. Dedit autem Benedictus hic Senior Societati nomen anno ſalutis 1578. ætatis

tis ſuæ 15. & vota quatuor nuncupauit. Multos annos Humaniores diſciplinas, & Philoſophiam publicè profeſſus, in iuuandorum proximorum negotio deinceps totus occupatus eſt, ſtrenuùmque ſe exhibuit, & inconfuſibilem operarium. Cùm concionandi munere diſtineretur, ita ſe tamen in alijs miniſterijs exercuit, vt vnumquodque illorum dumtaxat agere videretur: nam, & Confeſſionibus audiendis, & Xenodochijs carceribuſque ad ægrorum vinctorùmque ſolatium adeundis, & Iudæis, Mauriſque ad Baptiſmum inſtruendis, rudibuſquè ter quater in hebdomada per compita frequentiſſimæ Vrbis, Catecheſi imbuendis, annos complures intendit. Atque inter tot tamque graues occupationes, haud ſegnis in ſcribendo; quippe qui ſeſquianno primum lucubrationum ſuarum volumen abſoluerit. Sed ea forte laus debeatur Beatiſsimæ Virginis cultui, cuius quàm fuerit ſtudioſus, ſatis ſuperque loquuntur eius ſcripta, quæ non ſolum omnia illi vnidicauit, ſed nullam omnino lectionem prætermiſit, quam non eius encomijs exornarit. Certè cùm in alterum tomum impenderet ſtudium grauiſſimis pene ad mortem vſque doloribus afflictatus, Beatiſsimæ Virginis Patronæ ſuæ opem cum lacrymis implorauit, ſalutèmque è veſtigio priſtinam impetrauit. Obijt demum Olyſſipone die 8. Decembris quæ immaculatæ Conceptioni Deiparæ Sacra eſt, anno 1630. ætatis ſuæ 67. Edidit

Commentationum, & obſeruationum Moralium in Geneſim tomos 3. cuſos atque recuſos Lugduni typis Cardonianis ab anno 1618. vſque ad *1629.* De his quæ ſit Doctorum hominum exiſtimatio, quis ſenſus abunde cognoſces ex Epiſtola Ioannis Pinedæ tom 3. præfixa. Reliquit etiam Benedictus

Commentarios in Lucam, qui à Luſitanis Noſtris ſeruantur.

* BENEDICTVS DE GOES, Luſitanus. Hunc cùm Scriptoribus in ſua Bibliotheca Hiſpana adnumeret Clariſſimus D. Nicolaus Antonius, congruum videtur, vt pauca de illo indicemus. Natus eſt in Inſula S. Michaelis vna ex Tertiarijs, & iuuenis tranſmiſit in Indiam, vbi ex militari, & diſſoluta vita ad meliorem frugem exſtimulatus eſt mirabili prodigio, quo cùm coram imagine Chriſti in ſinu Deiparæ peccatorum ſuorum veniam dolenter efflagitaret, viſus eſt Chriſtus fundere lacrymas lacti perſimiles, quibus ſtrophiola ſua tinxerunt alij adſtantes. Hinc meliori militiæ in Societate ſe addixit Goæ, anno ſalutis 1588. ætatis ſuæ 26. & licet in gradum Adiutorum temporalium fuerit adſcriptus, tamen cùm præſtanti polleret ingenio, & ad litteras idoneo, oblatum illi à Moderatoribus eſt, vt ſtudijs ſi vellet operam daret, & ad Sacerdotium ſe diſponeret. Verùm ille Marthæ ſorte contentus, ex humilitatis ſtudio elegit potius eo in gradu perſeuerare. Miſſus poſtea cum P. Hieronymo Xauier in Mogorenſe Regnum, Linguam Perſicam adeò exquiſitè perdidicit, vt cùm iuſſu Proregis Indiæ quæreretur quiſpiam mittendus ad explorandum ſitum magni Cataij, an idem cum Regno Sinenſi eſſet, aptiſſimus omnium viſus ſit, cui ea exploratio demandaretur. Inſtructus itaque à Prorege omnibus ad iter illud longum, & periculoſum neceſſarijs, triennium fere in eo conſumpſit, ac tandem detexit certo Sinarum regnum illud ipſum eſſe, quod alio nomine Saraceni Cataium appellabant; verùm in ipſo aditu Regni, finem ſuæ peregrinationis atque etiam vitæ attigit, in Vrbe ſcilicet Soceu, die 11. Aprilis 1607. non ſine ſuſpicione veneni ipſi in itinere à Saracenis propinati. Eius iter, & obitum fuſiùs enarrat noſter Nicolaus Trigautius, lib.5. de Expeditione apud Sinas, & alij; Quanta porro vixerit ſanctimonia in Societate, vel illud argumento eſt, quòd cùm toto itineris triennio peccata ſua confeſſione ſacramentali expiare non potuerit, defectu Sacerdotis, moribundus comiti itineris Chriſtiano dixerit; En morior ſine Confeſſionis ſolatio, tamen quæ Dei eſt benignitas in me, nihil me conſcientia arguit, quòd grauioris alicuius momenti eſſe videatur. Scripſit Benedictus, vt Auctor eſt Nicolaus Godignus

Relationem ſui itineris Goa ad detegendum Catayum. M.S.

BENEDICTVS HERBESTVS natione Roxolanus, (quæ Prouincia ſceptri Polonici eſt) patria Nouomiaſtrenſis, priuſquàm in Societatem veniret, Magiſterij laureâ in Academia Cracouienſi donatus, in eadem non modico tempore docuit. Canonicus deinde, & Concionator Poſtnaniæ factus, tantùm auctoritate ſua, & vitæ exemplo valuit ad coercendam Hæreticorum audaciam, vt magnus ille Cardin: Staniſlaus Hoſius peculiari, quæ extat Epiſtola, illum hortetur, ne Ciuitatem illam deſerat, quoniam in ipſum vnum recumbebat ſalus illius. Ille tamen quando opportunum eſt ratus, ætate maturus, nimirùm annum agens 40. ſpretis quæ ipſum manebant dignitatibus, noſter Romæ factus eſt pridie calendas Aprilis anno 1571. Vir fuit adeò vitæ integritate ſuſpiciendus, vt ſuo exemplo Principem fœminam Palatinam Elizabetham Radziuilam priùs Caluinianam, deinde Arianam, ad extremum Iudæam, peritia ſacræ Scripturæ, quam memoriter tenebat comprehenſam, vanè Doctoribus catholicis illudentem, ab ea inſania ad Fidem Catholicam conuerterit, & oculos in ſe omnium animoſque pellexerit. In Miſſionibus magnam vitæ partem, verbum Dei diſſeminando, Confeſſiones peccatorum audiendo, per Ruſſiam, Podoliam, Pocutiam, Volhiniam, & reliqua regni confinia maximo cum fructu conſumpſit. Cum Ioanne Demetrio Solikouſcki Archiepiſcopo Leopolienſi, & cum Bernardo Micieiouſki Epi

Epi

Digitized by Google

Epiſcopo Luccorienſi, qui & Cracouienſis Antiſtes, & S.R.E. Cardinalis fuit, Diœceſes obiuit, & dici non poteſt, quàm multorum ijs bonorum auctor fuerit. Sæpe cum Hæreticis congreſſus eſt, nunquam ſine victoria quam vis argumentorum cum ſummâ moderatione coniuncta Aduerſarijs, vel maximè inſolentibus extorquebat. Hinc paſſim iam vir potens opere, & ſermone, iam Ruſſiæ, Podoliæ, vicinarum terrarum Apoſtolus appellabatur. Humilitatis, obedientiæ, paupertatis, omnibus facem præferebat. Tranquilliſſima mentis cum Deo coniunctione tot inter diſtractiones fruebatur, nam duabus ante Solem horis ad eam producendam conſurgebat. Poſtquam 12. annos in Societate tàm vtiliter impendiſſet, nè in morbo extremo, quo ſublatus demum eſt, otio indulgeret, Moderatores ſuos exorauit, vt fratres Noſtros tam Scholaſticos, quam ad munera noſtra Coadiutores ſibi committerent ſpirituali inſtitutione formandos, quibus etiam quotidianæ meditationis capita explicaret; vbi vero ſubrepentem ſibi mortem ex virium imbecillitate perſenſit, conſuetis Eccleſiæ Sacramentis ſe communiuit, numquam decumbens, ac demùm iuſſo abſcedere infirmario vt pauliſper oraret, nec ante horam elapſam ad ſe ingrederetur, inuentus ab illo eſt medio in conclaui flexis genibus, in terram inclinatus, libro ex quo orauerat penès ipſum iacente. Id accidit Iaroslauiæ die 4. Martij 1593. ſcripſit ante & poſt initam Societatem aliqua opuſcula tum pia, tum de controuerſis cum Hæreticis tum alterius argumenti. Nimirum

Inſtitutiones Scholæ Cracouienſis apud B. Virginem Cracouiæ.

Explicationes orationis M. Tullij ad Quirites poſt reditum.

Explicationem ſelectarum Ciceronis Epiſtolarum.

Vitam Ciceronis ex eiuſdem ſcriptis collectam.

Periodicam diſputationem, natam ex ſophiſmate a Magiſtro quodam Academiæ Cracouienſis propoſitam, an Grammatici periodos, membra & inciſa, ſententia, & ſyntaxi diſtinguant; Oratores autem multitudine pedum ac numero? Item libellum inſcriptum

Aequus Iudex, de eadem quæſtione Dialogi forma.

Periodicas reſponſiones. Lib. 5.

Computum Eccleſiaſticum lib. II. ante emẽdationem Kal. Gregoriani editum

Arithmeticam Linearem, & figuratam, cum quibuſdam ex computo neceſſarijs. Cracouiæ apud Matthæum Siebeneycher 1577. in 8.

Precationes Latino-Polonicas.

Orationem Synodicam habitam in Synodo Diœceſana Poſnanienſi.

Explicationem Eclogæ Gregorij Samboritani.

Epiſtolas aliquot, quibus ſuum quendam amicum in Eccleſiam Romanam iniquum, eidem Eccleſiæ reſtituit.

De Iubilæo Epiſtolam Latinam.

Librum de Doctrina Chriſtiana per Dialogum.

Confutationem Confeſſionis fratrum Hæreticorum, qui Valdenſes, ſeu Picarditæ dicuntur.

Cæremoniarum Baptiſmi, & Roſarij B. V. Mariæ expoſitionem.

Prodromum aduerſus ſcriptum Iacobi Niemoreici Sacramentarij Picarditæ, quod edidit contra confutationem Confeſſionis Picarditicæ. Polonicè. Cracouiæ typis Nicolai Scanfenbergi 1671. in 8.

Horarum Canonicarum Rationarium.

Græci Schiſmatis Demonſtrationem Chronologicam. Polonicè

Epitomen Computus Eccleſiaſtici cum quibuſdam Grammaticæ Rudimentis.

BENEDICTVS IVSTINIANVS natione Italus patria Genuenſis. Adoleſcens Romæ in Societatem adſcriptus eſt anno 1567. ætatis 17. & votorum quatuor ſacramento ſe obligauit. Doctrinis omnibus maxima felicitate diſcendi decurſis, eloquentiam Romæ profeſſus eſt: Deinde Theologiam Toloſæ in Gallia, Meſſanæ in Sicilia, & Romæ in Italia, multos annos magna cum ingenij, & ſapientiæ opinione tradidit; Tum præcipuas Italiæ ciuitates concionibus illuſtrauit. Romani Collegij & bis Pœnitentiariæ ad Vaticanum Rector fuit, & Pontificis Summi Theologus, atque Eccleſiaſtes. Cum Card. Caetano à Clemente VIII. in Poloniam, ipſo poſtulante Pontifice anno 1596. profectus eſt, vt apud ipſum Theologi munus ſuſtineret. Obijt demum Romæ plenus dierum ac meritorum in Collegio Pœnitentiariæ (quod annis amplius 20. magna trium ſummorum Pontificum approbatione gubernarat) die 19. Decembris 1622. Illud ſingulare de eo proditum memoriæ, quòd cùm adoleſcens in quodam dramate, dum conuictor eſſet in Collegio Germanico Romæ partes Sanctæ Catharinæ ageret, tanta repente ipſo in theatro cupiditate incenſus eſt imitandi virtutes Sanctę, cuius perſonam ſuſtinebat, vt illicò decreuerit mundo nuntium remittere, & Deo ſe totum in Societate conſecrare. Edidit in lucem

Explanationes in omnes Epiſtolas S. Pauli Tomis 2. Lugduni per Horatium Cardon 1612. & 1613. in folio. Item

Explanationes in omnes Epiſtolas Catholicas Tomo 1. Lugduni per Iacobum Cardon, & Petrum Cauillar 1621. in folio. Edita etiam eſt eius

Oratio de Paſſione Domini habita ad Sixtum V. Pont. Max. anno 1589. cum alijs eiuſdem argumenti. Romæ 1641. in 12. Item

Oratio habita ad Collegium Cardinalium ipſorum rogatu in funere Innocentij IX. Pont. Max. 6 Idus Ianuarij 1592. Romæ apud Ioannem Martinellum 1592. & alibi. Item ſub nomi-

nomine Aſcanij Torri edidit.

Apologiam pro libertate Eccleſiaſtica ad Gallo-Francos. Romæ typis Bartholomæi Zanetti 1607. in 4.

Alia parabat quæ mors intercepit.

Inſigne elogium de P.Benedicto contexuit Illuſtriſs.D. Abbas Michael Iuſtinianus in ſuo opere de Scriptoribus Liguribus, & inter alias eius lucubrationes ineditas recenſet volumen M.S. quod extare aſſerit in Bibliotheca Eminentiſs.Card.Barberini ſub titulo.

De legitima Romani Pontificis electione libri ſex, ad auream Conſtitutionem S. D. N. Gregorij XV. quâ Canonica in poſterum Summos Pontifices eligendi forma præſcribitur. M.S.

BENEDICTVS PALMIVS, natione Italus, patria Parmenſis, illuſtribus parentibus natus eſt menſe Iulio anni 1525. Poſt quàm adoleſcentiam eſt ingreſſus, Bononiam ſe contulit, vbi cùm bonarum litterarum ſtudijs operam daret à P. Hieronymo Domenecco exercitationibus ſpiritualibus expolitus, & ad noſtram Societatem adductus eſt, tantâ ſpiritus flamma concepta, vt ſua ſponte tria religioſorum conſueta vota conciperet. Bononia Romam profectus receptùſque à S.Ignatio domi anno 1546. tanto ſub magiſtro dignum præſtanti indole tirocinium poſuit. Biennio pòſt in Siciliam miſſus cum alijs Socijs, Mamertini Collegij fundamenta poſuit. Ibi tùm litteras humaniores docuit, tùm de ſuperiori loco verba ad populum fecit, nondum ſacris initiatus tanta efficacitate dicendi, atque animorum commotione, vt publicè dicenti fuerit aliquando acclamatum *Beatus venter qui te portauit*. Reuerſus Romam anno eius ſæculi 1553. Sacerdotium ſuſcepit, & Præconis Euangelici munere, pari ardore, ac fructu præclarè functus eſt. Erat enim feliciſſima memoria, quantam ea ætas in concione non vidit, laterum firmitate, contentione, magnitudine vocis, actionis dignitate, verborum copia, ſententiarum grauitate, Orator excellens. Dictionis verò energia, zelo, ardore, animi, atque pietate tanta, vt admirabilitatem quandam Auditoribus faceret, eoſque quocùmque vellet impelleret. Primus hic fuit in Societate Italus, qui concionandi modum, quem à primis Societatis PP. Iacobo Lainio, Socijſque didicerat, è ſacris ſcripturis, è SS. Patrum ſolidâ doctrina, ad extirpanda vitia, virtutes inſerendas, emendationem morum, opera miſericordiæ vbiquè conſtituenda comparatum, per Italiam cum omnium approbatione circumtulit, cuius nobiliſſimas Ciuitates concionibus illuſtrauit, & in ijs potiſſimum Romam, Mediolanum, Venetias, Genuam. Solemnia vota die aſſumptæ in Cœlum Virgini ſacro Patauij in manibus Epiſcopi Teruiſini anno 1559. nuncupauit, & mox renunciatus Longobardiæ Præpoſitus Prouincialis. Duorum Præpoſitorum Generalium, Sancti Franciſci Borgiæ, atque Euerardi Mercuriani ſibi ſuccedentium Aſſiſtens; Principibus Viris atque Eccleſiæ Proceribus cariſſimus fuit, quos tamen ille ſic coluit, vt non palparet, non adularetur, nihil ſibi, aut ſuis ab alijs peteret, nihil acciperet. Ipſe à S. Carolo Borromæo in honore habitus, & Mediolanum anno 1563. ad fundamenta Collegij iacienda miſſus, aſſiduis concionibus circiter quadriennium ſylueſcentem illam Eccleſiam excoluit. Ipſe à Pio V. Pont. Max. vt in Sacro Palatio Vaticano concionaretur primus ex Societate delectus eſt. Ipſe Reip. Venetæ perſuaſit, vt Parthenone inſtituto puellarum periclitanti pudicitiæ conſuleret: quod contubernium cum optimis ille legibus temperaſſet, adeò tulit ætatem, vt hodièque numero floreat, & diſciplina. Ipſum Gregorius XIII. Papa cum Hieronymo Morono Cardinali Genuam miſit, vt ad componendas Genuenſium diſcordias vocem, conſiliumque conferret. Denique cùm per ætatem concionari iam non poſſet, & Gubernationem deſugeret, ne omnino eſſet otioſus ad ſcribendum ſe conuertit. Itaque contexuit vtiliſſimum Concionatoribus *Opus in quo SS. Patrum Teſtimonia*, quibus populos fuiſſe commotos experientia didicerat, *in communes locos redegit*. Quod opus in Collegio Ferrarienſi ſeruatur, vbi ipſe die 14 Nouembris anno ſalutis 1598. ætatis ſuæ 72. appoſitus eſt ad Patres ſuos; acri lateris dolore, & diarrhææ morſibus confectus: à quibus cùm in extremum res ſuas adductas diſcrimen intelligeret, ceteris poſthabitis, eo intendit animum, vt ſe ad nouum iter accingeret; fugientem animam Chriſti corpore, fractas vires ſacro delibuto oleo, ad extremam cum hoſtibus dimicationem confirmauit. Sub vitæ exitum interruptas ſuſpirijs voces, in Cœlum cum magno pietatis ſenſu iactabat; poſtremò ſumma in pace, veluti iam delibaret illam, ad quam feſtinabat felicitatem, placidiſſimè animam efflauit. Inter eximias virtutes, quibus inclaruit, præluxit in eo ſemper incredibilis animorum zelus, qui ex feruentiſſimo Dei amore dimanabat. Nihil habebat magis in delicijs, quàm eſſe cum Deo, & Cœlum mente penetrare. Quid ille boni è beatiſſimis cum Deo congreſſibus conſequeretur, lacrymarum riuuli, qui ſenſim ex oculis venerandam irrigantes canitiem, profluebant, vociferabantur. Diebus paulò celebrioribus, cùm exalbeſcente cœlo ſacris operaretur, bonus ſenex, tanta vi lacrymarum, & ſuauitate perfundebatur, vt quamquam comprimeret, illis tamen victus, habenas laxare, & ſe Deo permittere cogeretur, vt nil mirum ſit, ſitientiſſimum fuiſſe auguſtiſſimæ Liturgiæ, nec inter vehementiſſimos podagræ cruciatus, aliud lamentari ſolitum, quam eripi ſibi litandi Deo facultatem.

* BENEDICTVS PAVLVS BOYM, natione Roxolanus, patria Leopolienſis in Societatem cooptatus anno à partu Virgi-

nis 1646. ætatis 17. vota quatuor ſolemni ritu concepit. Ante ingreſſum in eam, cuidam amico confidenter dixit, ſe admonitum per quietem à Beatiſſima Virgine (cuius cultui à teneris addictus fuerat) vt Societati I E S V nomen daret; ſubdendo, ne cui alteri, niſi poſt eius obitum, id aperiret. Et ne ingreſſum impediret frater germanus, qui id conſilij improbabat, numeratis ei de patrimonio ſuo, decem millibus florenorum, ne obſiſteret, obtinuit; & paupertatem religioſam eo veluti pretio ſibi emit. In Societate porrò ardenti ſemper animarum zelo viſus eſt flagrare, id quod denotabant erumpentes identidem è pectore voces, quibus ſignificabat ſe beatum fore ſi miſſionem in Indias, aut Barbaras gentes poſſet impetrare. Sacerdotio initiatus, & pœnitentibus aures perlibenter dabat, & rudiores Chriſtiana diſciplina imbuebat, & excurrebat ad infirmos, abrupto ſomno, & pro concione ad populum dicebat. Schiſmaticorum ſalutem ſtudioſiſſimè quæſiuit, atque ad eos in gremium Catholicę Eccleſiæ reducendos illorum errores, edito libro doctè confutauit. Plures ſua cura aggregauit Chriſto, atque inter hos nonnullos doctrina conſpicuos, & Conſulares. Propriæ voluntatis quaſi ex pers ſemper vixit, vnius Diuinæ ſtudioſus, ad quam veluti ad vnicam Cynoſuram vitæ ſuæ rationes dirigebat. S. P. N. Ignatium, & S. Xauerium ſingulari colebat ſtudio, & tenerrimo erga Deiparam venerationis ſenſu ferebatur. Correptus morbo, inuſitato ardore, ſacrum popoſcit viaticum, & ſuſcepit. Moribundo non vanis indicijs tutelares Sancti videntur illi apparuiſſe, & in ſocietatem ſuam ſuſcepiſſe, atque ita ipſos inuocans expirauit, Vilnæ in Domo Profeſſorum die poſtremo Februarij 1670. Edidit polonicè Librum inſcriptum.

Antiqua Fides; in quo veterum Græcorum orthodoxos articulos proponit, & nouorum errores eruditè confutat. Vilnæ typis Academiæ anno 1668. in 4.

Elementa Fidei Catholicæ cum breui declaratione de quatuor Nouiſſimis, opuſculum rudioribus mirificè vtile. Ibidem. Paratam habebat

Theologiam Chriſtianam, ex Gallico verſam, & illuſtratam pluribus ſac. Scripturæ locis, ſed mors intercepit.

BENEDICTVS PEREYRA, ſeu PERERIVS, natione Hiſpanus, patria Valentinus, vix adoleſcentiam ingreſſus, animum applicuit ad Societatem, & Valentiæ ad numerum Noſtrorum aggregatus eſt, anno ſalutis 1552. Inde in Siciliam, mox Romam miſſus, in omni ſcientiarum genere ſe exercuit, eximiàmque eruditionem conſecutus eſt. Dicendi artem publicè Romæ docuit. Philoſophiam Ariſtotelis enarrauit, & quatuor penè artium curricula docendo confecit, magna Auditorum frequentia, atque applauſu. Ab humanis deinde ac Philoſophicis diſciplinis, ad Diuinas, & Theologicas gradum fecit; D. Thomam per multos annos interpretatus eſt. Sacras litteras explanauit, vbique doctus, vbiquè diſertus, & ſui ſimillimus. Commutauit vir maximè religioſus, atque eruditus, caducam hanc vitam cum æterna Romæ vbi perpetuò vixit, die 6. Martij anno ſalutis 1610. ætatis 75. Societatis 58. Eius eruditionem nullus pene ſcriptorum, qui eius meminit illaudatam præterit. Scripſit:

Phyſicorum ſeu de Principijs rerum naturalium libros 15. Romæ 1572. deinde Pariſijs, Lugduni, Coloniæ, & alibi.

*Commentariorum in Danielem Prophetam lib.*16. Romæ 1586. Lugduni apud Iuntas 1588. Antuerpiæ 1594. Horum liber 4. ſeorſim excuſus eſt Treuiris à Iaonne Schleuter 1618. in 12. titulo

Theatrum rerum creatarum continet autem.

Explicationem Cantici trium puerorum.

Commentariorum, & diſputationum in Geneſim tom. 4. excuſos Romæ ab anno 1589. vſque ad annum 1598. qui cùm paulò poſt recuſi eſſent Lugduni à Iuntis, demùm Coloniæ prodierunt in fol. ex officina Antonij Hierati 1618. At

Liber de Benedictionibus 12. Patriarcharum, qui tomo 2. primùm fuerat adiunctus, ſuo loco repoſitus eſt tomo 4. ad caput 49. Edidit ad hæc

Aduerſus fallaces, & ſuperſtitioſas artes, id eſt, De Magia, & obſeruatione ſomniorum, & de Diuinatione Aſtrologica lib. 3. Ingolſtadij ex officina Dauidis Sartorij 1591. in 8.

Selectarum diſputationum in Sacram Scripturam tomos 5. horum tom. 1. continet 137. *Diſputationes ſuper Exodum*. Ingolſtadij apud Adam Sartorium 1601. in 4.

Tom. 2. 188. *Diſputationes ſuper Epiſtolam Pauli ad Romanos*. Ibidem 1603.

Tom. 3. 183. *Diſputationes ſuper Apocalipſim*. *Ad calcem autem acceſſit liber aduerſus eos qui putarunt Mahometam eſſe Antichriſtum* Lugduni apud Horatium Cardon 1606.

Tom. 4. 214. *Diſputationes ſuper priora 9. Capita, Euangelij Sancti Ioannis*. Lugduni typis Cardon 1608.

Tom. 5. 144. *Diſputationes ſuper quinque ſequentia Capita eiuſdem Euangelij*. Ibidem 1610. quæ omnia vnà cum commentarijs in Danielem vno tomo complexus eſt. Coloniæ Antonius Hieratus 1620. in folio.

In huius autem viri ſcriptis tantum apparet ingenium, tanta doctrina atque eloquentia, tanta rerum omnium comprehenſio, vt ſuperuacaneum ſit lucernam ſolis lumini inferre

Præter hæc, Eiuſdem manu ſcripta aſſeruari in Bibliotheca Ambroſiana auctor eſt D. Nicolaus Antonius in ſua laudatiſſima Bibliotheca videlicet.

Lucu-

Lucubrationes in Euangelia. De Auaritia. In Decalogum. Propoſitiones ex 1. & 2. Phyſicorum. In libros Metaphyſicorum. Rationem breuem ſtudendi. In libros de Anima. De Trinitate. De Creatione. De Angelis. De Incarnatione. In primam partem D. Thomæ, quod idem videtur cum ſuperiori Commentario. *Logicam inſtitutionem & alia.*

BENEDICTVS PEREYRA alter natione Luſitanus, Borbæ natus ex ſorore doctiſſimi Benedicti Fernandij de quo ſuprà, & alterius Benedicti Fernandij pro fide Chriſti in Iaponia interempti, cùm litteris humanioribus daret operam Societati adſcriptus eſt Vlyſſipone anno ſalutis 1620. ætatis ſuæ 15. Deinde poſt auditam Conimbricæ Philoſophiam, Eboræ per ſexennium humaniora ſtudia, & Rhetoricam magna cum laude docuit, ac per id tempus nondũ ſacris initiatus quinq; volumina ſcripſit iuſtę magnitudinis, de quibus infrà agetur. Ibidem Philoſophiam profeſſus eſt quadriennio, Theologiã partim Eboræ partim Vlyſſipone annis circiter 20. votorum 4. profeſſione obligatus ab anno 1642. Sacræ Inquiſitionis in Luſitania eſt Qualificator, & Romæ aliquandiu, quoad per valetudinem licuit, egit Theologum Præpoſiti Generalis; & Cenſorem librorum Societatis. Inde redux in Luſitaniam, Vlyſſipone nunc regit Seminarium Hibernorum. Edidit

Proſodiam in vocabularium trilingue, Latinum, Luſitanicum, & Caſtellanum digeſtam. Impreſſam iam quartò. Eboræ 1633. Vlyſſipone 1643. 1661. & 1669. in folio.

Theſaurum linguæ Luſitanæ. Vlyſſipone 1643. recuſum ibidem 1661. & 69.

Florilegium in 3. partes diuiſum. Prima continet modos loquendi Luſitanicos, quibus correſpondent latini. Secunda, Adagia Luſitanica, & Latina. Tertia ſelectas deſcriptiones. *Vlyſſipone tertiò, & iiſdem annis, quibus* Theſaurus.

Palladem togatam, & armatam. Documentis Politicis in Problemata humaniora digeſtis. Eboræ 1636.

Academiam ſeu Remp. litterariam ſuppeditantem materiam Quæſtionibus Theologicè, & Iuridicè diſputandis. Vlyſſipone 1662.

Artem Grammaticæ pro lingua Luſitana addiſcenda. Lugduni apud Laurentium Aniſſon 1671. in 8.

Promptuarium Iuridicum complectens omnes reſolutiones ſecundum Ius commune, & Luſitanicum. Vlyſſipone 1664. in folio.

Regulas generales, & breues de orthographia in lingua Luſitana, & Latina, Vlyſſipone 1666.

Elucidarium Theologiæ moralis, & vtriuſque Iuris, exponens proprietatem ſermonis Theologici, Canonici, & Ciuilis. Vlyſſipone 1668.

Promptuarium ſeu ſummam vniuerſæ Theologiæ Moralis duobus voluminibus quinquaginta tractatus continentibus. Primum iam prodijt Vlyſſipone apud Ioannem à Coſta 1671. Secundum eſt impreſſioni proximum.

Commentarium in Horatium tomis 2. iam pridem miſit ad Typographum.

* BENEDICTVS DE SIQVEIRA natione Luſitanus, patria Aronchenſis, Diœceſeos Portalegrenſis, in Societatem adſcitus anno ſalutis 1602. ætatis ſuæ 16. votorum 4. profeſſionem emiſit. Docuit diſciplinas humaniores, Concionibus permultos annos ſe impendit, ad quas inſigni pollebat talento. Rexit Collegia Portalegrenſe, Funchalenſe, Vlyſſiponenſe, Conimbricenſe, & totam Prouinciam Tranſtaganam. A Comitijs Prouinciæ ad id electus, interfuit Congregationi Generali 8. Romæ, vir integritate morum, & prudentiæ laude commendabilis, lenitate, & affabilitate præditus, externis gratus, ſubditis carus, obſeruantiæ Regularis amantiſſimus, conſcientiæ propriæ diligens inſpector, & rigidus cenſor, demùm in ſenectute bona quieuit in Domino Eboræ die 20. Iunij 1664. Edidit ſingillatim

Conciones complures ſeu ſermones varijs locis & annis habitas. Eboræ, Conimbricæ 1639. 1650. 1652. &c.

* BENEDICTVS DE SOXO natione Hiſpanus patria Granatenſis, annos 15. natus Societati ſe adiunxit, anno ſalutis 1602. & vota quatuor ſolemni ritu concepit. Eloquentiam triennio, Philoſophiam quadriennio profeſſus eſt. Cum Theologiam explicaret, peteretque ardentibus precibus mitti in Iaponiam, vbi tunc feruebat perſecutio euocatus eſt à Præpoſito Generali Mutio Vitelleſco, vt Theologiam prælegeret Vilnæ in Lithuania. Paruit illicò obſequentiſſimus Pater, atque eò ſe contulit anno 1624. vbi Sacræ Theologiæ Doctor renunciatus, octennio illam profeſſus eſt magno cum plauſu, & Procancellarium deinde egit illius Academiæ annis circiter viginti. Eruditioni eximiæ raram pietatem coniunxit. Diſciplinæ religioſæ cultor ipſe perdiligens, eandem inter alios conſtantia infracta promouebat; præſertim cùm Rector Collegio ſimul atque Vniuerſitati præeſſet. A Comitijs Prouinciæ, ad id electus, Romæ interfuit Congregationi 8. Generali. Inde redux Vilnam, tentari cœpit paralyſi, alijſque incommodis ſenectutis, & cum Moſcus, ac Succus ferro, & igni Lithuaniam vaſtarent, optimus ſenex cum aliquot è Noſtris profugit in Belgium, atque ibi plenus dierum ac honorũ operum appulit ad portum æternæ (vti ſperamus) felicitatis, Antuerpiæ die 18. Decembris 1658. Scripſit librum perutilem ſtudioſis Iuris continentem generales illius inſtitutiones, cui titulum fecit;

Clauis Iuris, Academicis Vilnenſibus porrecta. Vilnæ typis Academicis 1648. in 12.

* BENIGNVS KIBLER natione Germanus patria Eluacenſis, Diœceſis Auguſtanæ natus anno ſeculi fluentis 12. Societati ſe ad-

ſcripſit 29. & votorum quatuor nuncupatione ſe obſtrinxit. Poſt traditas diſciplinas humaniores, per annos amplius 16. Eccleſiaſten egit, non exiguo fructu; ſuperſtes etiamnum. edidit Germanicè

Palmam Ioſephinam. De S. Ioſepho ſponſo Beatiſſimæ Virginis Auguſtæ 1617. in 12.

* BERNARDINVS CASTORIVS, natione Italus, patria Senenſis. Vir magnis in Societate muneribus, & periculis perfunctus. Admiſſus in eam Romæ anno ſalutis 1559. ætatis ſuæ 16. Rhetoricam octennio profeſſus eſt; rexit in Gallia Collegium Bituricenſe primus, tùm Domum profeſſam Pariſienſem; poſtea annis vndecim Collegium Lugdunenſe, & dum Prouinciæ Lugdunenſi Præpoſitus præeſſet anno 1594. immanis ille turbo, in Societatem deſæuijt, qui eam pleriſque Galliæ Collegijs exturbauit; quo tempore robuſti pectoris egregium dedit ſpecimen, ſimul, & prudentiæ ſingularis. Præerat idem Domui profeſſæ Venetijs anno 1606. quando digreſſa inde Societas eſt, & in ea cauſa conſtantem ſe virum præſtitit, & animi infracti. Subinde 30. annis Germanicum in Vrbe Collegium gubernauit, ſumma auctoritate apud omnium Ordinum homines, adeòque, vt ipſi etiam Eccleſiæ Principes Purpurati, eum obſeruarent: Sic, & diſciplinam domi integram inuiolatamque, & foris Collegij fortunas tutatus eſt. Vir fuit verè religioſus, ſcientia, prudentia, experientia, & in primis temperantiæ virtute eximius, verè Germaniæ parens, eius indefeſſo labori, & induſtriæ debet illa præſtantiſſimos quos à 30. annis accepit operarios in Vineam Domini. Plenus tandem dierum ac meritorum Romæ vita functus eſt die 15. Martij anno 1634. ætatis 90. totis 50. poſt annis quàm 4. in Societate votorum edidiſſet profeſſionem. Scripſit Italicè

Inſtructionem Ciuilem, & Chriſtianam. Romæ apud Zannettum 1622. in 4.

BERNARDINVS GINNARVS, natione Italus, patria Neapolitanus annos natus 16. Societatem ingreſſus eſt, anno ſalutis 1593. & per omnes bonas artes in ea proceſſit. Docuit Theologiam moralem quinquennio. Rexit Collegia Bouinenſe, Adrienſe, & Theatinum, vota quatuor profeſſus ab anno 1617. Vir morum grauitate, & varia eruditione ſpectabilis. Religioſè vitæ huius curriculum abſoluit Neapoli in Profeſſorum Domo die 16. Decembris 1644. Edidit Italicè

Xauerium Orientalem, id eſt res præclarè pro fide Catholica inde vſque ab illius Gentis Apoſtolo ad hæc tempora in India geſtas Libris 16. Neapoli apud Franciſcum Sauium 1641. in 4. Item tacito ſuo nomine

Hiſtoricam narrationem Incendij Veſuuiani anni 1631. Neapoli typis Lazari Scorigij 1632. & iterum cum auctario Ibidem in 8. Ipſius etiam eſt

Tabula perpetua in expanſa charta *ad horam ortus, & occaſus ſolis, meridiei quoque articulum, & diei longitudinem quotidie toto anno cognoſcendam, tam iuxta Italicum, quàm iuxta Aſtronomicum horologium*. Neapoli 1626. Item aliæ

Tabulæ perpetuæ morales, quibus deſignantur horæ Italicæ, Sacro, Matutino, aliſque præceptis Eccleſiaſticis attributæ. Neapoli, & Romæ ſepiùs excuſæ.

Parabat 2. Tomum Rerum Orientalium ſed mors interceſſit.

* BERNARDINVS DE LLANOS natione Hiſpanus patria Ocanienſis, Diœceſis Toletanæ, poſt quadriennium Iuris Canonici ſtudio impenſum, Societati ſe addixit anno ſalutis 1580. ætatis ſuæ 21. & nondum ſacris initiatus nauigauit in Prouinciam Mexicanam, vbi annos ampliùs quinquaginta quà docendo, quà Confeſſiones in templo excipiendo, magna virtutis commendatione vtiliſſimè tranſegit. Quadraginta ex his annis, noſtrorum Adoleſcentium inſtitutioni in litteris humanioribus conſtanter inſumpſit, vnde ſcripſit aliqua, quæ Mexicanis ad linguam Latinam condiſcendam magno adiumento ſunt. Octogenario maior, & tria vota ſolemnia Profeſſus ab anno 1595. ad laborum præmia emigrauit, Mexici anno 1639. Edidit Hiſpanicè,

Aduertentias pro Grammatica addiſcenda. Mexici in 8. Item

Chriſtianam Poëſim. Mexici in 8.

* BERNARDINVS MAZZIOTTA, natione Italus, patria Capuanus, natus anno ſæculi proximè euoluti 87. Societatem complexus eſt voluentis 6. & votorum quatuor nexu ſe adſtrinxit. Vir litteris omnibus apprimè excultus. Philoſophiam octennio profeſſus eſt; Theologiam ſcholaſticam decennio; Moralem aliquamdiu, & multis annis ſtudiorum altiorum Præfecturam geſſit, & eodem tempore Sodalitium nobile Sacerdotum in Collegio Neapolitano egregiè adminiſtranit. Electus à Prouincia Romam adijt ad Congregationem Procuratorum. Doctrinæ laudem cum inſigni pietate, aliſquè dotibus ita coniunxit, vt meritò inter primaria illius Prouinciæ lumina ſit recenſendus. Demum Neapoli in Profeſſorum Domo, quam tunc Præpoſitus moderabatur, peſte quæ per Vrbem graſſabatur tactus, caducam hanc vitam cum æterna commutauit die 14. Iunij 1656. Edidit

Quæſtiones ſelectas Philoſophicas ad mentem Doctoris Angelici. Neapoli per Lucam Ant. Fuſcum 1651. in folio. Item

Quæſtiones ſelectas Theologicas. Neapoli apud eundem Fuſcum 1658. in folio, Opus poſthumum

BERNARDINVS DE MONTEREVL, natione Gallus, patria Pariſienſis, Societati aggregatus anno ſalutis 1624. ætatis ſuæ 28. votorum quatuor profeſſionem emiſit. Philoſophiam annis 4. profeſſus eſt, & totidem Theo-

Theologiam moralem : Gnauus operarius diem clauſit extremum Lutetiæ in Domo Profeſſorum die 15. Ianuarij 1646. Edidit Idiomate Gallico

Vitam Saluatoris Mundi IESV Chriſti duobus tomis. Pariſijs apud Ioannem Camuſat 1637. in 4. Ibidem recuſum tomis 4. 1639. in 12. Item

Hiſtoriam Naſcentis Eccleſiæ, complectentem Acta Apoſtolorum. Ibidem iiſdem typis 1640. in 12. Item

Vltima Eccleſiæ certamina in Apocalypſis explicatione Pariſijs 1645. in 4. & in 12.

Quæ omnia iterum prodierunt 6. voluminibus in 12. Iiſdem typis 1650. Præterea

Meditationes P. Ludouici de Ponte iam ab alio Gallicè editas recenſuit, & 6. voluminibus in 12. edi curauit. Pariſijs apud Sebaſtianum Lare 1645. in 12.

BERNARDINVS REALINVS, natione Italus, patria Carpenſis, natus cal. Decembris anno 1530. antiquæ nobilitatis parentibus, ab iis ad omnem pietatem, & bonas artes educatus eſt. Iuuenis operam nauauit humanioribus diſciplinis, Philoſophiæ, ac Iuri ciuili, Beatiſſimæ Deiparæ V. cultui iam tùm atque in omnem deinceps vitam impensè deditus. Multa iuuenis moliebatur, quæ poſteris ad ingenij ſui memoriam relinqueret, inter quæ duo lucem viderunt, elucubrata ante annum ætatis ſuæ 21.

Commentarius in Epithalamium Pelei, & Thetidos Catullianum, & Annotationum in varios Auctores Sylua, quam Ianus Gruterus ſuo Theſauro Critico inſeruit, ne intercideret; nam ipſe quoque ætate maturior, abolere ſtuduit, quæ iuuenis luſerat. Nimirum cùm ſtudijs Ciuilium legum Bononiæ, Ferrariæque confectis, Doctoralem adeptus lauream, aliquot etiam Magiſtratibus ab Hiſpaniarum Rege Catholico delatis perfunctus, varijs à Deo modis ad vitæ perfectæ rationem incitaretur, conſpecta Neapoli duorum de Societate per Vrbem inambulantium modeſtia, auditaque Ioannis Baptiſtæ Carminatæ celeberrimi ea ætate Concionatoris, ad populum oratione inflammatus, Deiparæ denique Virginis, ac filij eius monitione compulſus, rebus ſuis omnibus in egenos diſtractis in Societ. die 13. Octobris anni 1564. admiſſus eſt. Tunc conquiſitis omnibus impendijs, quotquot reperit opuſculorum ſuorum exemplaria in ignem dedit, vt ea de medio tolleret. Sed quod nimium iam eſſent vulgata, fruſtra fuit. In Societate per omnes abſolutiſſimæ virtutis tramites ad tantum conſcendit ſanctimoniæ faſtigium, vt de cæleſtibus illi decernendis honoribus, apud Sedem Apoſtolicam ſtudiosè actitetur. Poſt alterum Tirocinij annum ſacris Ordinibus initiatus eſt, & ob emicantem iam tum virtutum omnium ſplendorem, Collegij Neapolitani Confeſſarius, & ſpiritualium rerum Præfectus, eſt conſtitutus. Cùm in tertio Theologiæ anno verſaretur, iuſſus eſt à S. P. Franciſco Borgia Præpoſito Generali propter excellentem de conſtantia virtutis ipſius famam, quatuor ſolemnia Societatis vota profiteri, quæ calendis Maij anni 1571. raro exemplo vna cum ſuo in Theologicis Doctore nuncupauit, & prælegentem perrexit inter cæteros condiſcipulos conſtanter vſque ad finem audire. Peractis ſtudijs, in hominum ſalutem procurandam incubuit, concionando, exhortando, doctrinam Chriſtianam pueris, rudibuſque explicando, Turcica Mancipia ad Baptiſmum formando. Anno 1574. Lupios ad Collegij primordia iuſſus ire, eo ab illis honore exceptus eſt, quem ſolis Prouinciæ Prætoribus deferre conſueuerunt. Vnus ibi omnia Societatis munia ſtrenuus obiuit, donec rebus firmatis Socij plures acciti ſunt. Cæterùm hoc illi domicilium fixum, perpetuumque Deus eſſe voluit: quoties enim vel Maiorum imperio, vel alia quaque de cauſa, vrbe ipſi fuit excedendum, toties, vel improuiſa ægrotatione, vel repentina aëris inclementia, detentus fuit; aut ſi clam moliebatur abſceſſum, perſonantibus ſuopte nutu campanis, exciti ſunt Ciues, vt occuparent. Præfuit aliquando illi Collegio, vel ſuo, vel abſentis Rectoris nomine, quo tempore mirificè omnes in eo virtutes, tamquam in illuſtri loco poſitæ fulſere: Eximia in omnes, & liberalis caritas, vel cum incommodo ſuo; ſollicita ægrotantium cura: proximos iuuandi per ſuos PP. ſtudium incredibile; in egenos profuſa benignitas, commendata miraculo multiplicatæ rei familiaris, quæ ab illo diſſipari nonnullis videbatur: prudentia in ſuis ad omnem ſanctitatem promouendis; in puniendis erratis dexteritas, conſtans ac firma in abiectis obeundis officijs promptitudo, cæteràque id genus, quæ longum eſſet ſingillatim per exempla enarrare. Deducta per omnes artes bonas ætate, vſque ad annum ſalutis 1616. & multis illuſtrata prodigijs, tandem occupatus morbo lethali, Sacramentis ad agonem procurari poſtulauit. Id vbi manauit in vulgus, prohiberi non potuit frequentiſſimus hominum concurſus, quin ad eius cubiculum admitterentur, Patrem ſuum, vt aiebant, vltimum veneraturi. Coram lecto procidebant in genua, Roſarijs, rebuſque alijs eum contrectabant, manus deoſculabantur, abituri poplitem ad terram vſque dimittebant. Syndicus Ciuitatis cum alijs Primoribus admiſſus conceptis verbis, ſuam illi Vrbem in perpetuum commendarunt, cuius illam patrocinio, iam tum ſuffragio publico committebant. Tandem die 2. Iulij 1616. actam ſanctiſſimè per 86. annos vitam, & Societatis legibus totos 52. excultam ex quo Lupios venerat anno 42. placidiſſima morte concluſit. Signo per domeſticam campanam dato, tota ſimul ciuitate lugubri ſono compulſatum eſt: nec animos omnium ea res aliter conſternauit, quam ſi de

Digitized by Google

ſumma rerum eſſet deſperatum! . Cuſtodiæ militares ex Senatuſconſulto Collegij foribus appoſitæ ſunt, ne vim à concurſante populo paterentur. Eædem quoque admotæ ſunt quo die ſolemniter illi publico Ciuitatis ære,ac nomine parentatum eſt. Sed hominum frequentiæ nulla par eſſe vis potuit, aut prohibere ne veſtes eius, & quidquid aliud poterat, diuelleretur ad venerationem. Loculo gemina claue obſerato cadauer impoſitum, terræ tantiſper mandatum eſt, dum opere magnifico tumulus extrueretur, in quem ſuo poſt tempore illatum eſt. Virtutes eius omnes enarrare, iuſti voluminis opus eſſet. Eas accuratè explicuerunt iam in ipſius Vita, noſtri Iacobus Fuligattus, Ludouicus Ianninus, & recentiùs copioſiùſque Leonardus de Anna. A prodigijs, à viſis cæleſtibus, à vaticinationibus, quęque ſunt huiuſmodi alia referendis, breuitatis ſtudio, conſultò abſtineo. De eis videri poterunt Scriptores iam laudati. Librorum ab ipſo Bernardino compoſitorum elenchum, antequam Societati nomen daret ſic recenſet idem noſter Leonardus de Anna in vita Bernardini libro 1.cap.32.

Commentary duo, alter *in Catullianas nuptias Pelei,ac Tetidos, Cardinali Tridentino nuncupatus*: alter *in Elegias Cornely Galli*. *Nonnullæ item in varios Scriptores notæ*,& ipſe typis excuſæ, Bononiæ in 4.

Opuſcula longe plurima quà ſoluta, quà vincta numeris oratione, Italicè, Græcè, in Latinum ſermonem conuerſa, & in his carmen de coniunctione ſapientiæ cum patientia. Sub ſigno armatæ Palladis ad Ferrariæ Ducem.

Commentarius in Criſpum Saluſtium de coniuratione Catilinæ.

Carminum lib. 2. & alius Emblematum ex Hebræis, Græcis, Latinis, Hetruſcis Scriptoribus, deſumptis argumentis.

Cantiunculæ Italicæ aliquot. Dialogus vnus de vocibus.

Commentarij in Petri Bembi, & Franciſci Petrarchæ Hetruſcos numeros.

Ariſtophanis Plutus in Latinum conuerſa, & notis illuſtrata.

Notæ in omnia opera Platonis. De Honore, Dialogi aliquot.

De Legibus. Opuſcula plura. De ſomno, vigilia, & inſomnio ex Ariſtotele.

Hæc omnia ante initam Societatem. Poſt ingreſſum ne quid ſanctiſſimi Viri per incuriam excidat, extat eius

Epiſtola Italica in libro de Miraculis B. V. Rhegienſis.

Epiſtola altera Italica de Vita B. Aloyſij Gonzagæ ad Virgilium Cœparium ab eodem adiecta ad calcem vitæ eiuſdem B. Italicè recuſæ anno 1629.

Epigrammata aliquot aliorum lucubrationibus adiecta, de quibus videri poſſunt Antonius Beatillus in Vita S. Irenes. Annuæ Soc. Ieſu 1605. Prou. Neap. Coll. Lupien. Petrus Antonius Spinelius de B. Virgine. Edidit etiam

Elegiam, ſeu Hymnum in laudem S. Bernardini. Extant etiam

Epiſtolarum illius tomi 2. M. SS.

BERNARDINVS ROSIGNOLIVS natione Italus patria Vlmetanus, Diœceſis Albenſis in ſubalpinis Italiæ, ſiue Liguribus montanis, à teneris annis virtutem amauit, ſeque anno ſalutis 1563. ætatis 16. in Societatem dedit, in qua animum omnibus religioſæ diſciplinæ exercitationibus excoluit, & ſcientiarum naturalium, ac diuinarum cognitione ornauit, quas Mediolani 11. circiter annos cum laude profeſſus eſt. Poſtea ob ſingularem modeſtiam, maturioriſque ſignificationem prudentiæ varijs Collegijs, atque inter illa Romano eſt præfectus; ac demum Prouincijs Romanæ, Venetæ, & Mediolanenſis Præpoſitus Prouincialis fuit; quod munus grauiter religioſèque obiuit. Quintæ Congregationi Generali, ac ſextæ interfuit, inde vſque ab anno 1579. ſolemnia 4. vota profeſſus. Vir fuit eximiæ probitatis, & caritatis, & in tractandis hominum animis dexteritatis admirabilis. Vbicumque fuit, omnes in ſui amorem, & admirationem rapuit; potens verbo, & tamquam à natura factus ad gubernandum. Obijt Taurini, cùm Rector eſſet eius Collegij die 5. Iulij anno 1613. cumque in ipſo mortis articulo P. Ioſephus Alemannus, vir conſpicuæ virtutis, abſentem exceſſiſſe cognouit, tali viſo à ſomno quo tenebatur, repentè experrectus, vidit velut igneum globum ad ſe introeuntem, quem ipſe animo nihil turbatus, imò potius recreatus arctè complexus eſt, inclamans: Pater mi, currus Iſraël, & Auriga eius; cumque poſt paulò accederet, qui Patris mortem nunciaret, nihil ſibi noui reſpondit afferri, qui iam id ante reſciſſet. Quinquennio à morte cadauer eius inuentum eſt integrum, illibatumque, & tam recens, vt conſentiret ad tactum caro, omnibus qui aderant obſtupeſcentibus. Scripſit Roſignolius.

De Diſciplina Chriſtianæ perfectionis pro triplice Hominum ſtatu Incipientium, Proficientium, & Perfectorum, ex ſanctis Scripturis, & PP. lib. 4. valde eruditos, & ad inſtituendos potiſſimùm viros religioſos perutiles. Ingolſtadij apud Adamum Sartorium 1600. in 4. & Antuerpiæ apud Martinum Nutium 1603. in 8. & Alibi

De Actionibus virtutis ex SS. Scripturis, & PP. lib. 2. Ingolſtadij, & Moguntiæ apud Balthaſarum Lyppium 1604.

Epiſtola quoque eius, ſeu Epitaphium de Virtutibus Alexandri Luzaghi, ab alijs edita eſt Brixiæ 1602. in 4.

Edidit præterea ſub nomine Guilielmi Baldeſani

Stimulum Virtutum. Romæ 1592. in 8. &

Hiſtoriam Thebæam, Taurini 1604. in 4.

BER-

BERNARDINVS SALINVS natione Italus Diœc. Vercellenſis adoleſcens anno ſalutis 1571. ætatis ſuæ 19. in Societatem admiſſus eſt. Docuit aliquot annos Mathematicam, terque Philoſophiam vniuerſam Mediolanenſibus emenſus eſt. In Miſſionibus magno zelo cum Hæreticis, qui fauces Italiæ obſident, in vallibus ſub alpinis ſæpe, nec abſque fructu diſputauit. Obijt vir miræ ſimplicitatis, ac ſui contemptor die 15. Februarij anno 1608. Reliquit expolita, ac typis idonea

Volumina 4. De rebus Mathematicis, quæ ab illius ſcientiæ peritis magni fiunt, & aſſeruantur in Collegio Genuenſi. In ijs continentur

Praxes Geometricæ de Horologijs variæ lib. 1.

De Lineis curuis regularibus Definitiones, & propoſitiones lib. 1.

Demonſtrationes circa quadraturam circuli.

De Dimenſione circuli lib. 9.

Tractatus de linea quadratrice

De Circuli dimenſione tam quoad ſpatium, quam quoad circumferentiam lib. 5.

Varia fragmenta Mathematica, & ſacræ Scripturæ.

In eodem Collegio aſſeruantur illius

Concluſionum Theologicarum ex S. Scriptura, & Concilijs probatarum tom. 7.

BERNARDINVS SEMPERVIVVS natione Italus, domo Veronenſis, Societati ſe applicuit anno ſalutis 1603. ætatis 16. atque in ea Rhetoricam quadriennio profeſſus eſt. Poëta egregius iuxta, ac ſui ſuorumque ſcriptorum deſpicientiſſimus, vt planè non pauca ante obitum ſuum Vulcano maluerit, quàm prælo dari. Obijt Parmæ 7. Idus Maias anno 1617. ætatis 30. dum Miſſionem præſtolabatur ad Sinas, quam toto biennio expetierat. Scripſit.

De Poetica Libros III.

Syagrium Tragœdiam.

Martinum ad Chriſtum à Iuliano tranſeuntem Tragicomœdiam & quædam alia.

Poſt obitum excuſus eſt liber poſthumus Carminum illius Italicè inſcriptus:

Luſus Poetici Academici Semperuiui. Parmæ apud Viottas 1668. in 12.

BERNARDINVS STEPHONIVS natione Italus patria Sabinus, vicennis ſe Deo in Societate noſtra dicauit, anno ſalutis 1580. In ea humanitatem quinquennio docuit; Eloquentiam ſeptennio Romæ, & Neapoli profeſſus eſt, & vota quatuor ſolemnia nuncupauit. Cùm iam grandis ætate inter laudatiſſimos huius ſeculi Poetas, & Oratores celebris eſſet, & Magiſtrorum excellentium Magiſter, poſt multos exantlatos labores, poſt famam apud omnes doctos longè, latèque diffuſam, cùm ſibi iuſtam à militia litteraria miſſionem, comparaſſe videri poſſet, duodeſexaginta natus annos, tanta fuit virtute & parendi promptitudine, vt ad nutum Moderatorum ex Romano Collegio vbi eruditiorum erat oraculum, Mutinam ſe transferret, vt Seren. Cęſaris Mutinenſis Ducis filio vniuerſam ſuam operam dicendi arte tradenda dicaret. Sic autem ad puerilem inſtitutionem animum applicuit ſuum, vt aliàs quiuis ad grauiſſimum Societatis noſtræ miniſterium. Maximi ea in Aula fiebat ab omnibus; ipſe verò maximè abhorrebat ab aula; nec in illa apparebat vnquam, niſi cùm ex ſuſcepto munere ab ea illi abeſſe non licebat. Domi vero demiſsionis, & humilitatis religioſę tàm erat memor, vt Tironum aliquis videretur. Nihil admiſit priuilegij, nihil in ſuum commodum diſpenſationis. Haud facile dictu eſt quanto cum rubore, ſuique depreſsione in extremo morbo admiſerit vel aſsiduas illorum Principum viſitationes, vel neceſſaria domeſticorum obſequia. Exaggerabat perpetuò ſuam indignitatem, & charitatem alienam. In hac virtutum exercitatione, extremis ſacramentis ſuſceptis, qua vixerat pietate animam ſuo reddidit Conditori die 8. Decembris anno 1620. qua die & ipſe prędoptauerat, & ſępius in ipſa ęgrotatione moriturum ſe eſſe prędixerat, poſt biennium quàm Mutinam peruenerat. Contendit extrema voce à P. Rectore, vt ſuo nomine etiam atque etiam R. P. N. Generalem precaretur, vt ſcripta ſua omnia, quippe nullius pretij, iuberet igne aboleri, vt omnis eius recordatio, hominis prorſus nihili, ex hominum mentibus tolleretur. Laudauit hominem luculenta oratione Ioannes Baptiſta Ferrarius noſter, quæ in manibus omnium eſt trigeſima tertia voluminis orationum ipſius, & Vincentius Guiniſius noſter etiam, ea quæ inter Allocutiones ipſius decima eſt. Scripſit Stephonius quę quidem prodierunt

Criſpum. Tragædiam, quæ ſæpius exhibita, ſemper placuit. Muſſiponti apud Melchiorem Bernardum 1602. recuſam Antuerpiæ 1630. in 16.

Flauiam Tragædiam. Romæ typis Zannetti 1621. in 16. vtramque recudit Antuerpiæ Ioan. Cnobbarus vnà cum alijs aliorum de Societate Tragædijs in duobus tomis 1634. in 16.

Orationes 3. Vnam in Laudem B. Agnetis Politianæ Virginis Ordinis Prædicatorum, in quorum templo Romæ eam habuit.

Alteram quam in funere Flaminij Delphini Ferrarienſium Equitum Magiſtri, rogatu S.P.Q.R. dixit.

Tertiam De Spiritus Sancti aduentu habitam in Baſilica S. Petri ad S. D. N. Paulum V. Pont. Max. extant ſimul impreſſæ Romæ typis Zannetti 1620. & Coloniæ typis Ioannis Chrithij 1621. in 16.

Prodijt etiam cum alijs eiuſdem argumenti

Oratio de Paſſione Domini quam habuit ad Clementem VIII. Pont. Max. anno 1599. Romæ 1641. in 12. Multa ſuperfuerunt M. SS.

M. SS. ex quibus poſtea edita ſunt,

Poſthuma Carmina, quæ ex quàm plurimis non perierunt. Romæ typis Ignatij de Lazzaris 1655. in 12.

S. Symphoroſa, Tragædia. Romæ eiſdem typis anno, & forma,

Poſthumę Proſæ. Romæ typis R. C. Apoſtolicæ 1658. in 12.

* BERNARDINVS VGOLINVS, natione Italus, patria Romanus, vicennis Societatem amplexus anno ſæculi fluentis 5. Docuit in ea ſexennium Humaniores diſciplinas, & Pœnitentiarium Apoſtolicum Laureti aliquot annis egit. Vbi etiam ſexagenario maior Spiritum Deo reddidit die 26. Septembris 1648. Spiritualis Coadiutor pridem antea formatus. Edidit Italicè

Exercitia Spiritualia pro Auxilio Agonizantium. Laureti apud Seraphinum Paradiſum 1643. in 8.

BERNARDINVS DE VILLEGAS, natione Hiſpanus, patria Oropeſanus in Societatem adlectus anno ſalutis 1607. ætatis 15. vota quatuor profeſſus. Prælegit in ea humaniores litteras, Philoſophiam, & annis 12. Theologiam. Miſſiones varias per Prouinciam magno fructu, atque zelo obiuit; eaque doctrinæ, prudentiæ, fortitudinis ac pietatis commendatione, præſertim apud Vrbem Pacis Iuliæ (vulgò Badaiox) vt, & fundationem Collegij ibi procurauerit, & fundationis aduerſarios, à quibus multa perpeſſus aſpera initio fuerat, fautores ſibi, & Societati beneuolentiſſimos reddiderit. Rexit Collegium Murcianum, & deſignatus fuit Præpoſitus Domus Profeſſorum Toleti, totamquè Prouinciam aliquamdiu Vicario munere adminiſtrauit. Fuit etiam Sacro Tribunali Inquiſitionis à Cenſuris, & Eminentiſſimo Cardinali Archiepiſcopo Toletano à Confeſſionibus, cuius iuſſu ſcripſit, atque edidit longum eruditùmque tractatum de inuentione corporum Sanctorum Martyrum Arconenſium, cùm idem Cardinalis Eccleſiæ Giennenſi præſideret. Deceſſit ex hac mortali vità, Matriti in Collegio Imperiali die 30. Decembris 1653. Præter plurima quæ parabat prælo. Edidit Hiſpanicè

Sponſam Chriſti inſtitutam, ex vita S. Lutgardis, ſeu vitam S. Lutgardis cum digreſſionibus exhortatorijs ad Moniales. Matriti typis Regiis per Tereſam Iunti 1625. in 4. Italicè redditam Venetijs 1661.

Exercitia Sancta diei, ſeu exercitium ſpirituale quotidianum quod Italicè verſum prodijt Romæ apud Corbellettum 1632. in 16.

Fauores Beatiſsimæ Virginis erga ſuos deuotos, Valentiæ typis Chriſoſtomi Garriz 1635. in 12. Italicè traductos Mediolani 1642. in 16. Neapoli 1645. in 16.

Soliloquia Diuina. Matriti 1637. quæ Ludouicus Florius noſter reddidit Italicè. Romæ 1640. in 16.

Pharetram Diuini Amoris. Murciæ apud Ioannem Fernandez de Fuente 1642. Latinè edidit.

Cenſuram de Apparitioibnus Sanctorum Martyrum Arconenſium, & de eorum Reliquijs. Baezæ per Ioann. de la Cueſta 1639. in folio. Parauerat typis, ſed non edidit.

Commentarios in ſecundam Partem ſummæ S. Thomę de Incarnatione, & Sacramentis.

BERNARDINVS ZANONIVS, natione Italus, è Rhegio Lepidi admiſſus in Societatem anno 1563. ætatis 30. gradum in ea ſortitus Coadiutoris ſpiritualis totos 40. annos Noſtris Genuæ fuit à Confeſſionibus, diſciplinæ religioſæ ad exemplum vſque ſemper obſeruantiſſimus. Meminerat ille ſe primo ſtatim in rationis limine, ad Deum animo fuiſſe conuerſum. Sacerdos è Noſtris, qui familiariter cum illo ad 20. annos exegerat, affirmabat, nullum ſe ex illo verbum otioſum, ne dum iracundum, aut amarulentum audiuiſſe. In colloquio familiari, ſi qui de rebus humanis illati fuiſſent ſermones, illicò obdormiſcebat; ſi pij repetiti, rurſus expergiſcebatur. Humilitatem, facilitatem, ſimplicitatem eximiam præferebat; Omnes præter ſe vnum commendabat, omnem verborum altercationem deuitabat. Victu veſtituquè vili contentus, nihil ſibi vnquam poſcebat eximium. Corpus flagello, cinctùque ferreo diuexabat, Aſſiduus in templo ſedebat ad confeſſiones; ſi quid ab ijs otij fuiſſet, miſſas genuflexus audiebat. Multus erat in Diuinis rebus, & Dominica in primis Paſſione meditanda, magna in Diuinam Euchariſtiam deuotione, cui communicabat; quando per ætatis incommodum ſacrificare non poterat. Otij odium, & animarum zelus primas in eo tenuerunt. Semper in cubiculo, legere, ſcribere, orare: foris per exhomologeſim homines expiare, Chriſtianæ doctrinæ rudimenta proponere, ad ſanctimoniales verba facere. Obſeruatum eos præ cæteris eminere pietate quos ipſe confitentes ſolebat audire. Aliquot Virginum Cœnobia ad optimam diſciplinam per exercitia ſpiritualia reuocauit. Terque quaterque vna die verba faciebat; ternas etiam aut quaternas diebus feſtis Catecheticas ſcholas luſtrabat, nulla vnquam temporis inclementia ab eo officio totis 40. annis deterritus. Ipſius induſtria eſt inſtitutum anno 1604. pijſsimarum Virginum Monaſterium; quæ à veſtis colore Turchinæ, ideſt Cæruleæ ſunt dictæ, quibus etiam conſtitutiones conſcripſit ab Horatio Spinula Archiepiſcopo primùm, pòſt verò à Paulo quoque V. Pont. Max. probatas. Tanta erat opinio Sanctitatis eius, vt priùs etiam quàm vita fungeretur, viri è primoribus, feminæque complures, de rebus eius aliquid depoſcerent ad reliquias. Fuit qui adhuc viuentem penicillo clàm exprimi curauerit; Ad funus fuit incredibile hominum ſtudium manus exoſculantium, roſaria corpori admouentium

tium, barbam crinemque vellentium, In capſa demum lapidea conditus eſt. Obijt vbi vixerat, Genuæ die 29. Martij, anno 1620. ætatis ſuæ 87. religionis 57. Scripſit Italicè

De Vita B.Virginis & eius Heroicis Virtutibus, ac titulis. Genuæ apud Ioſephum Pauonum 1613. in 12.

Stimulum Peccatoris ex conſideratione Diuinorum beneficiorum. Genuæ apud Ioſephum Pauonium 1614.in 4.

Roſarium B.V. cum Meditationibus.

Tractatum de Eucharistia.

De Sacra Communione.

De ſtationibus 40.*Horarum*. Par.II.Genuę 1612.in 12.

Vitam Chriſti & B. Virginis Rhythmis expreſſam.

Cantilenas Catecheticas.

Conſtitutiones pro Monialibus Virginis Annunciatę, quæ Turchinæ dicuntur Genuæ

Inſtructiones & modos proficiendi in ſpiritu & procedendi ad perfectionem, iiſdem Monialibus ſat magno volumine ſcriptas; vnum apud ipſas Autographum eſt. Exemplar vnum in Bibliotheca Domus Profeſſæ Genuenſis Societatis Ieſu aſſeruatur.

Aliqua ex his opuſculis edita ſunt, ſub nomine Hieronymi Semini Collectoris, & filij ſpiritualis P.Zanonij.

* BERNARDVS DE ALDERETE natione Hiſpanus patria Zamorenſis, natus anno ſæculi proximè euoluti 94. diſciplinis Philoſophicis iam imbutus, Societati ſe adiunxit anno voluentis 13. & votorum quatuor ſacramentum dixit. Mira fuit felicitate ingenij; Philoſophiam Compoſtellæ, & Valliſoleti tradidit; Theologiam Salmanticæ viginti, & quatuor annis, magno cum plauſu explicuit; & primus ex Societate laurea doctorali Theologiæ ibidem eſt inſignitus. Gubernauit aliquandiu Collegium noſtrum Salmanticæ, neque tamen tuncà docendo ceſſauit. D.Auguſtini, & D.Thomæ opera ſtudio tam attento verſauerat, vt quoties inter diſputandum de ipſorum auctoritate (vt ſæpè vſu venit) dubium incidiſſet, ſtatim quo loco, qua etiam pagina, SS.Doctores de ea re agerent, clarè nec vnquam fallente memoria depromeret. Doctrinæ tantæ par fuit, aut etiam maior virtus; innocentiam infantis cum eximia ſapientia raro fœdere coniungens. Orationi in primis addictus, dubium fecit an in orando, vel ſtudendo aſſiduus magis extiterit; indignum Theologo dictitans, ſemper inter diuina verſari, & mentem meditationibus diuinis ieiunam gerere. Nunquam noxam lethalem creditur admiſiſſe, & regularum, vel in minimis fuit obſeruantiſſimus. Mortis nuncium ſereno, lætoque animo excepit, & ſexagenario maior ad cœlites (vt ſperamus) abijt Salmanticæ die 15.Septembris 1657. Dolorem ſuum de iactura tanti viri teſtata eſt Academia Salmanticenſis, quæ & exequijs eius intereſſe voluit, in templo noſtro, & in proprio ſacello prætera, oratione funebri eidem parentauit. Edidit doctiſſimus Pater adhuc viuus in tertiam partem S.Thomæ.

De Incarnatione Tomos duos. Lugduni, Sumptibus Philippi Borde, & ſociorum 1652. in folio. Reliquit moriens duos tomos in Metaphyſicam, quinque in Theologiam, omnes manu ſua exaratos, nunquam enim vſus eſt opera amanuenſis. Ex his prodierunt poſthumi in primam partem D.Thomæ

De Viſione. & Scientia Dei; tomus prior Lugduni ſumptibus Horatij Boiſſat & ſociorum 1662. in folio.

De voluntate Dei, Prædeſtinatione & Reprobatione, tomus poſterior Lugduni, ſumptibus eorumdem. eodem anno & forma.

Expectantur adhuc tertius in primam partem, & duo alij in primam ſecundæ.

BERNARDVS BAVHVSIVS natione Belga, patria Antuerpienſis, adoleſcens 16. natus annos Societatem ingreſſus eſt anno ſalutis 1593. Eius eximias dotes in formanda, & ad omnem ſimul pietatē inſtituenda iuuentute Brugenſes experti ſunt; Eloquentiſſimas Conciones miratum eſt Louanium, quibus Auditores quoquò libuiſſet, trahebat. Moribus fuit ſuauiſſimis quibus ſibi omnium animos facilè conciliabat. Studio mortificationis tanto, vt perorandi prouinciam, ſibi laborioſiſſimam frequentiſſimè cilicio tectus obiret. Sui deprimendi gratia depoſcebat ſibi in Collegijs, ad quæ itabat concionatum, domeſticarum foricarum purgandarum curam. Longa dyſenteria exhauſtus, inſigni pietate ad vltimum agonem ſe comparauit, præmiſſa totius vitæ exhomologeſi. Sacramentis munitus erratorum ſuorum veniam, ab adſtantibus deprecatus, optauit tanquam putidum cadauer, in ſterquilinium abijci, & ab omnibus infamia potiùs notari, quàm cum laude commemorari. Obijt vbi natus fuerat Antuerpiæ die 17. Nouembris anno 1619. ætatis ſuæ 44. à Societate ſuſcepta 28.in qua ſeptennio priùs 4. ſe votis ſolemnibus obligarat. Edidit

Epigrammaton Libros 9. Antuerpiæ typis Plantinianis 1615. atque iterum 1619. & auctiores 1620. Ingolſtadij quoque & alibi recuſos.

Eſt in his *Proteus Chriſtianus*, ſeù *Parthenius*, nimirùm admirabilis hic vnius libri verſus, vnius verſus liber, Matri Mariæ dicatus, qui ſenſu integro, & ſalua Heroici carminis lege, Protei inſtar, toties verti poteſt quot in cœlo ſtellas Mathematici numerant, nempè 1022.

Tot tibi ſunt Dotes, Virgo, quot ſydera cœlo.

In hunc *Thaumata* ſcripſit Erycius Puteanus, verſum in omnes ſuas formas explicatè vertens typis Plantinianis 1617. in 4. Scripſit præterea Bauhuſius.

Pergulam ſpiritualis melodiæ, ſeu librum pia-

Digitized by Google

ſiarum Cantionum pro cathechiſmis vernaculè habendis. Antuerpiæ 1617.

BERNARDVS CAESIVS natione Italus patria Mutinenſis Illuſtriſſimo ſanguine clarus, ſed moribus compoſitiſſimis clarior, in Societatem cooptatus anno ſalutis 1599. ætatis 18. Philoſophiam annis 15. Theologiam Scholaſticam 4. Moralem duobus docuit Parmæ, & Mutinæ, & hic quidem Sereniſsimum Ducem Franciſcum, atque ipſius fratrem in Philoſophicis inſtituit, profeſſus quatuor votorum adſcriptus ab anno 1613. Obijt Mutinæ peſte contactus die 14. Septembris anno poſt Chriſtum 1630. ætatis 49. Societatis 32. Eluxit in eo, cum religioſa modeſtia, ſingularis abiectio ſui, quibus virtutibus perfecit, vt cùm 8. circiter annos in aula Mutinenſi verſatus ſit, nulla tamen eius nomini labes aulica, etiam in externorum exiſtimatione, adhæſerit. Fuit helluo librorum, & in Bibliotheca Collegij Mutinenſis, extant manu illius ſcripti 30. circiter Tomi in 4. & in 12. De Rhetorica, Philoſophia, Theologia, Caſibus, Gloſſa in Cornelium Tacitum, & alia. Editum eſt poſthumum eius opus inſcriptum

Mineralogia, ſeu naturalis Philoſophiæ Theſauri, in quibus Metallicæ concretionis, Medicamentorumque foſſilium Mineralia continentur. Lugduni per Iacobum, & Petrum Proſt. 1636. in folio.

* BERNARDVS COLNAGVS natione Siculus, patria Catanenſis, parentibus clara virtute natus; ita ad abſolutam virtutem viſus eſt à puero niti, vt futuræ ſpem ſanctimoniæ in intuentium animis iam tum fundauerit. In Deum, Dei parentem, Cœlites alios tàm propensè pius, vt congeſto ſibi è lapidibus pulpito, nonnunquam æquales ſuos, ac domeſticos puer, inflammata dictione accenderet. Nihil in eo puerile, nihil non maturum, ac ſerium. Prompta maiorum obedientia, caſta morum compoſitio; decens oris oculorumque verecundia, quæ caſtigaret alienos, & ad pudicitiam incitaret, dura corpuſculi tractatio per verberationes, cilicia, ieiunia tàm religioſa, vt ad libellam exigeret cænulam veſpertinam. Tanta denique vel in puero ad Sapientiam indoles fuit, vt ſcholis tempeſtiuè admotus, per facilitatem ingenij, contentionemque laboris, Philoſophicas publicè lectiones habuerit, ac librum neſcio quem adoleſcens vulgauerit. Doctrinam vero ità fouebat plurima cum Deo congreſsione, vt ad ſeptenas horas ſæpè orationem produxerit. Vix annum exceſſerat 15. quando ea Seruatoris noſtri ſententia in ſacro fortè audita perculſus: *Quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* ad Societatem noſtram adiecit animum, & obnitentibus licet omni ope parentibus, tanta conſtantia perſtitit, vt diceret ſe animam Deo, cui deberet eam, velle reddere; corpus verò cùm non poſſet Genitoribus, à quibus id acceperat, ſed corporis indumenta dumtaxat, continuò cœperit ea exuere, certus Chriſtum quò vocaret, vel nudus ſequi. Tantò facinore ſuorum, ſui, atque omnium victor, Meſſanæ anno 1560. ad tirocinium acceſſit, ipſumque Marci Antonij, quod habuerat nomen, ne qua præteritorum recordatio ſupereſſet, cum Bernardo commutauit. Innocentiam labis grauioris expertem, quam in Societatem attulit, in ea magnis virtutibus cumulauit, ſeruauitque à Baptiſmo ad tumulum, vſquequaque intaminatam, vt vel ab Angelo Cuſtode ſuo fieret certior ad cautelam, ſicubi diſcrimen occurreret, quamuis leuiter exerrandi. Puritatis exſtitit in eo vigor quidam admirabilis, qui in alios ità ſe diffunderet, vt non ſolùm ipſius aſpectu, ſed etiam amplexu detergeret, quidquid eorum animos adureret. Ipſe vero ſe corporis perpetuis cruciamentis ſenſuumque moderatione tuebatur. Paupertatis ſtudium; attritis veſtibus, obſoleto ſemper pileo, ſupellectili tàm tenui, vt propè nulla, chartæ fragmentis, quibus conciones inſcribebat, tracturas efficacitatem à latere Chriſti, in quod eas immergebat, atque omni demum rerum humanarum vſu luculenter teſtatus eſt. Moderatoribus fuit pro ſacra anchora; quidquid cogitatò, quidquid agendum eſſet improuisò, arduum iuxtà, aut abiectum foret, quiſquis ſuo defuiſſet officio, Bernardus nunquam aut alieno deerat officio, aut ſuo. Auſus eſt Quadrageſimalium concionum penſum Panormi, ſola fretus obedientia imparatus admittere, neque vnquam vehementius dixit, aut quęſtuoſius. Philoſophiam publicè profeſſus eſt ſeptennio, Theologiam Scholaſticam octennio, moralem triennio. Romam accitus ad Cenſuram lucubrationum à Societatis hominibus euulgandarum, accidit, vt Ludouico Maſello fatiſcenti ad Lateranenſes conciones, inopinatò ſubrogatus fuerit; vbi ita ſtatim permiſcuit omnia, vt conſuetis dicendi metis fuerit abſolutus, & vel in extremam illam Vrbis partem, plurimos è populo, & ex Purpuratis Patribus non paucos, conciuerit. Ex illo cæptus eſt celebrari, & eſſe paſſim in pretio. Certè Cardinalis Pamphilius patruus Innocentij X. eum impensè coluit. Cardinalis S. Georgij, Clementis VIII. ex Sorore nepos, etiam ſacrificanti miniſtrauit. Ipſe Clemens illum, & Magiſtrum, & S. Patrem appellare non dubitauit. Ipſe contra ſectari humilia, & vbique obſcuritatem quærere, peccatorem ſe, & pecudem vocare, & prorſus ex animo cenſere. Iumentorum ſtabula domi expurgabat; cibaria gregi gallinaceo diſpenſabat, Sociorum peregrè aduenientium pedes abluebat, diſſuauiabatur, quo officio fregit aliquando iuuenis obſtinationem, firmauitquè ad conſtantiam, deliberatæ iam defectionis ab Ordine reum. Inter hæc malorum, ac dolorum corporis patientià tanta fuit, vt fidem propè excedat. Lateris ac cordis dolor

penè

ferè continuus, paralyſis, cruris confractio, perpetuum ferè nec vnum vulnus à catenis, cilicijs, flagellis, ad hæc peruigilationes nocturnæ, longa inedia, cineres aſperſi cibarijs, veprium, tribulorumquè contrectatio, materiam ſuppeditabant. Nec minùs mirabilis fuit in illo zelus ſalutis animarum. Ea quæſita ab illo eſt, crebris, & permoleſtis expeditionibus, procurata lacrymis, ac precibus, docendo in exedris, dicendo ex pulpito, hortando in compitis, in parthenonibus, aditis noſocomijs, cuſtodijs, opitulatione fontium in ſupplicijs, ægrorum in mortis agone, defunctorum in piacularibus flammis; ſcriptæ eam in rem frequentes epiſtolæ, innumeræ confeſſiones exceptæ, ſublatæ ſimultates; exacti corporibus Dæmones, nullum genus auxilij ſalutaris omiſſum. Hinc tanta vi, ac facundia declamabat contra vitia, vt cùm vbique plurimos mortalium, tùm verò vicenas ternas proſtitutas, vna aliquando concione ad pudicitiæ cultum, & flagitiorum caſtigationem impulerit. Qui plura de hoc Apoſtolico homine, cupit, & præſertim de prodigijs ab illo patratis, tactu ſaliuæ, ſcipione, crucis ſigno, erectis claudis, reddito viſu cœcis, auditu ſurdis, ſalute febrientibus, vita demortuis, expedito partu parientibus; de excitis ad concionem piſcibus, impoſito ſilentio hirundinibus, fortunata piſcatione, conſtrato mari, compoſitis ventis, diſcuſſis fulminibus, abactis nimbis, expreſſa nubibus pluuia, aucta annona, feruefacta aqua, ſolidatis vitri fragmentis, quæ diſilierant, denique de prædictionibus, reuelationibus, viſis, gratijs impetratis à B. Virgine, ab Angelo tutelari, à Sancta Agatha, à Sancto Antonio Patauino, & alijs id genus, legat res illius geſtas diligenter conſcriptas à noſtro Laurentio Finichiaro, & alijs. Vitam adeò præclarè actam excepit mors conſimilis; ſcilicet, concionantem, & boni paſtoris animam ſuam pro ouibus ponentis partes ediſſerentem, repentina apoplexia inualit, elinguem ſenſuſque omnis expertem reddidit, & ſexto die ſacris myſterijs inſtructum ſuſtulit, Catanæ patrio in ſolo die 22. Aprilis 1611. ætatis 66. ab emiſſa profeſſione quatuor votorum 31. Corpus eius, rogatu Magiſtratus Catanenſis ſeorſum ab alijs in arca lignea oppilata conditum, & de ſignis, ac miraculis à Bernardo editis, ab Epiſcopo loci inſtituti ſunt proceſſus. Extant nonnullæ lucubrationes Bernardi apud Petrum Carreram Agatheam volum. 2. Hiſtoricarum memoriarū vrbis Catanenſis, videlicet

Breuis expoſitio rationum, quibus oſtenditur B. Agatham V. M. & ortam, & paſſam Catanæ fuiſſe.

Reſponſio ad eos, qui B. Agatham Panormi ortam eſſe contendunt.

Reſponſio Catanenſium ad teſtimonia allata ex Græcis ſcripturis.

Teſtimonia quibus nititur cauſa contraria

Plura ſunt, quorum alia tacito, alia expreſſo nomine Colnagi edita feruntur, vt eſt:

Liber Carminum in obitu Ducis Cliuenſis.

Reliquit etiam tractatum recognitum, & approbatum

De Viſitanda Diœceſi.

* BERNARDVS DANGLES, natione Gallus, patria Mimatenſis, ante ingreſſum in Societatem S. Theologiæ Baccalaureus Sorbonicus, & Canonicus Mimatenſis, ordini Noſtro ſe adiunxit anno à partu Virginis 1610. ætatis ſuæ 25. & votorum quatuor nexu ſe ei adſtrinxit. Docuit in ea Philoſophiam quadriennio, Theologiam moralem biennio, Polemicam anno vno. Fuit Rector, & Magiſter tironum Nancæi; primus Præpoſitus Domus Profeſſæ Gratianopolitanæ, Rector Collegiorum Caluomontani, Rhemenſis, & Nancæiani. Bis miſſus Romam ad Congregationem Procuratorum, ſemel ad Congregationem Generalem. Vir maximis quibuſque muneribus par, ob eximias dotes, quibus præcelluit. Demum ſeptuagennario maior mortalitatem exuit, Diuione die 10. Octobris anno 1658. Edidit ſermone vernaculo

Certam ad Perfectionem viam; Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoiſy 1638. in 8. Item

Manuductionem Iuuentutis ad ſalutem. Typis iiſdem 1639. 12.

Securam directionem Coniugatorum. Ibidem 1641 in 12.

BERNARDVS GALTIER, natione Gallus, ex Ciuitate S. Africæ in Prouincia Ruthenenſi, admiſſus in Societatem anno ſalutis 1584. ætatis 20. vota quatuor in ea nuncupauit. Docuit Rhetoricam Ruthenæ, & Aginni. Rector fuit Collegiorum Aginnenſis, & Burdegalenſis, & in præcipuis Galliæ Ciuitatibus plus 30. annis concionatus eſt. Vir fuit intellectu perſpicax, iudicio præditus ſingulari. Mortuus eſt Pictauij die 6. Aprilis anno 1629. ætatis 65. Societatis 45. poſt illuſtria diuturnæ patientiæ, & aliarum virtutum exempla, quibus materiam dedit multorum menſium grauiſſimus morbus. Edidit ſermone Gallico:

Apocalypſim Reformationis, ſeu Pſeudo-Religionis, diſcurſibus XII. in qua detegit Caluiniſtarum dogmata ad hoc tendere, vt homines abiecta pietate, & cœleſtium rerum curâ, ſecundum carnem viuant. Pictauij apud Antonium Meſnier 1620. in 8.

* BERNARDVS LOPER, natione Germanus, Paderbornæ in lucem editus anno labentis Sæculi 9. Societati ſe addixit vicennis eiuſdem 29. reus voti, quod conceperat Poëtices ſtudioſus, quando beneficio Deiparæ ab incurabili hernia, quaſi momento fuerat perſanatus. Tirocinium, & quindecim inde conſequentes annos duxit inter continuos animi angores, & ariditates ſpirituales, ſed eo robore animi, ac conſtantia, vt nunquam toto

Digitized by Google

illo tempore præſcripta à regulis ſpiritus exercitia prætermiſerit. Diſciplinas manſuetiores nouennio in ea docuit; tùm Philoſophiam, Theologiam moralem, & polemicam de controuerſijs, linguam Hæbræorum, ſacram denique Scripturam explanauit, vir Hebraicè, Græcè, & inſignitè doctus, & vota quatuor profeſſus. Magnam ætatis partem, in miſſionibus inter Acatholicos exegit, quorum errores, & comminùs argumentis, & eminùs libellis typo datis egregie confutauit. Contra Dæmones humana corpora inſidentes mirum exercuit imperium, Recklinghuſij, Dattelenæ, Mellæ, Meppenæ, Paderbornæ, viciniſque in locis, adeo, vt plures 70. inhoſpitales ſpiritus præſcriptis à Romana Eccleſia exorciſmis, & ſanctorum ſacris lipſanis adhibitis partim eiecerit, partim ita coërcuerit, vt ferociam, qua corpus inſeſſum diris noctu diuque infeſtabant modis, poſuiſſe viderentur. Inter hos ſimileſquè pro Deo labores doloribus colicis grauiſſimè diu cruciatus, viuum patientiæ exemplum extitit, ac tandem lenta tabe confectus, ſacramentiſque omnibus ritè munitus, inter continuata ſuſpiria, ſpiritum Deo reddidit Paderbornæ die 29. Maij 1670. Edidit vernaculè

Informationem ſolidam, & fundamentalem de poteſtate, ac Iuriſdictione Sacerdotij Prædicantium Lutheranorum. Paderbornæ apud Ioann. Hubern 1653. in 8.

Principale ſpeculum, in quo clarè videntur, Sacramentum Euchariſtiæ ſub vna ſpecie. Purgatorium, & alia. Ibidem 1654. in 8.

Dialecticam Catholicam contra Iacobum Durfeldum. Ibidem 1654. in 4.

* BERNARDVS MEYNIER, natione Gallus, patria Claremontenſis in Occitania, natus anno ſæculi præterlabentis quarto, vicennis Societatem amplexus eſt 1625, & votorum quatuor ſacramento ſe obſtrinxit. Poſt traditas humaniores litteras ſeptennio, Philoſophiam profeſſus eſt, exinde multis annis Concionatorem, ac Miſſionarium egit, agitquè in hodiernum diem, magno lucro animarum, oppugnator acerrimus, & malleus Hæreſum. Edidit Gallicè libellum inſcriptum:

Sanctā Libertas Filiorum Dei, & Fratrum in Chriſto ad Dominos religionis (quam vocant) Reformatæ, ſuppreſſo ſuo nomine, vicies recuſus eſt. Editio vltima facta Nemauſi 1660. Eo Auctor oſtendit Caluiniſtas nihil certi habere quod credant, & multis occaſio reſipiſcendi fuit. Edidit expreſſo ſuo nominè.

Verum Auguſtinum in 4. lib. de Symbolo ad Catechumenos aduerſus Pſeudo-Auguſtinum Miniſtri Vcelienſis; Toloſæ apud Ioannem Boude 1655. in 4.

Portus Regij cum Geneua conſpirationem, contra Sanctiſſimum Sacramentum Altaris, præſertim in æquiuocationibus articuli XV. Epiſtolæ Secundæ D. Arnoldi. Pictauij 1656. & venundatur Pariſijs apud Antonium Ias, cum approbatione Doctorum.

Religionem ſex punctorum. *Nemauſi*. Apud Ioann. Plaſſes 1659.

Sanctam Euchariſtiam Catholicorum approbatam, & cœnam Caluiniſticam condemnatam à Synodis Nationalibus, & præcipuis Doctoribus Religionis, quam vocant Reformatæ. Nemauſi 1660.

Deuotiones publicas Caluiniſtarum. Nemauſi 1660.

Religionem ſine Biblijs. Nemauſi eodem anno.

Biblia Hugonottica condemnata ab Hugonottis. Pezenatij 1661.

Montalbanum Iuſtificatum. Quo demonſtratur præcipuos Caluiniſtarum Scriptores docere: Poſſe acquiri ſalutem in Eccleſia Romana ſuppreſſo nomine.

Papam agnitum à Lutheranis, & Caluiniſtis. Auguſtoriti Pictonum 1665.

De executione Edicti Nannetenſis. Pezenatij 1663.

De executione Edicti Nannetenſis in Delphinatu. Valentiæ 1664.

De executione Edicti Nannetenſis in Prouincijs Aquitaniæ, Pictauiæ, Engoliſmenſi, Xantonenſi, Aunisienſi, Inſulæ, Retiæ, Britanniæ, Normandiæ, Campaniæ, & Birenſis. Auguſtoriti Pictonum 1665.

De Executione Edicti Nannetenſis iuxta mentem Henrici Magni è monumentis in Bibliotheca Regia repertis, vnà cum articulis ſecretis edicti die 17. Septembris 1577. vulgati. Pariſijs apud Antonium Vitre Cleri Gallicani Typographum, & iuſſu Comitiorum Cleri 1670. in 8.

* BERNARDVS NEVHAVSER, natione Germanus patria Monacenſis natus anno fluentis ſæculi 14. Deo ſe in ſua Societate conſecrauit 1630. & votorum 4. profeſſionem emiſit. Poſt explicatas in ſcholis diſciplinas humaniores, Philoſophiam ſex annis profeſſus eſt, exinde verbi Diuini præconem egit, annis amplius 24 fructu non exiguo, & laborum mercedem percepturus obijt Oenoponti die 3. Aprilis 1673. Edidit Germanicè

De Purgatorio, oſtendens ex Sac. Scriptura dari. Monachij 1662. in 4. Item

De communione ſub vtraque ſpecie contra Prædicantem Ratisbonenſem, ſub titulo. *Statera Celeſtis Panis* Ingolſtadij typis Ioannis Oſtermayr 164. in 8.

* BITVRICENSE COLLEGIVM in Prouincia Franciæ iam inde ab anno 1575. à Ioanne Niquetio S. Gildaſij Abbate, & Regio Conſiliario inchoatum, paulò poſt ab Henrico III. Rege firmatum, interiecto dein temporis interuallo à Sereniſſimo Henrico Borbonio Regiæ ſtirpis Principe Condæo, Theologicis prælectionibus auctum anno 1625. ac ſubinde Theologicæ facultati Almæ vniuerſitatis illius Vrbis vnitum 1636. Nam prius quoad Artes coniunctum fuerat. Docet nunc ſcien-

ſcientias omnes à Societate tradi ſolitas, magno concurſu iuuentutis ad mille circiter Auditores, & ordinariè numerat Socios ad triginta, & ſex. Edidit ſuo nomine.

Publicam gratulationem Academiæ Bituricenſis ob felicem ſtudiorum apolyſim Illuſtriſſimi Principis, Ludouici Borbonij Enguinenſium Ducis, duobus Panegyricis, & Dialogo morali, cui titulus; Salomon ſapiens, cumulatam. Pariſijs apud Claudium Sannium 1635. in 12.

Mineruam Bituricenſem Ludouico Borbonio Duci Anguiano ſuo, victoriam ad Rupem Regiam elegiaco carmine gratulantem. Pariſijs apud Cramoiſij in 4.

Antiquam Galliam ex Commentarijs C. Iulij Cæſaris reuiuiſcentem, & eidem Principi Ludouico Borbonio ſuas Victorias gratulantem. Procurante Philippo Labbe noſtro, Biturico 1643.

BLASIVS PLOZZINIVS, natione Polonus, Louicij in Maſouia natus, vir non doctrina magis quàm ſanctimonia conſpicuus. Adoleſcens annorum 19. Societati ſe addixit anno ſalutis 1608. atque in ea ſtudijs confectis Philoſophiam, & Scholaſticam Theologiam cum laude annos aliquot profeſſus eſt. Quo tempore, quæ fuit eius animi demiſſio, carceres, & noſodochia frequens inuiſebat; domi Coadiutorum temporalium miniſteria obibat, & quæ alia humilitatis officia ſuggerebat occaſio, minimè negligebat; nihil in conſuetis ſociorum congreſſibus, niſi de rebus Diuinis ſermone vſurpabat, pia colloquia dexter inferre. Omnino nihil in eo fuit, quod non gratiſſimum ſanctitatis, & innocentiæ ſpiraba odorem. Nec nulla ipſi contigère, quæ vim naturæ communem viderentur excedere; nam ad huc pene puer, iuſſus ab hero, cui erat in obſequijs, pluuiam exorare, quam agri ſitiebant, vix ſeceſſit ad orandum ſudo cœlo, cùm quod poſtulabat obtinuit. In Societate verò Deum ſæpe rogauit, vt ſibi per cruciatus obire, quo eſſet Chriſto Seruatori conformior, ſed mortem haud multò productam ne ſocijs eſſet grauis, concederet; & viſus eſt vtrumque impetraſſe, vti ipſe quoque non nemini ex Patribus ſignificauit, die etiam deſignata, qua eſſet moriturus. Illo moriente, duo Sacerdotes noſtri auſi ſunt à Deo per eius interceſſionem, verum de ſuis commiſſis dolorem poſcere; & precum ea vis fuit, vt inuſitata lacrymarum copia, cum magno animi ſenſu perfunderentur. Obijt in Collegio Caliſienſi die 22. Octobris anno ſalutis 1634. ætatis 46. ab ſuſcepta religioſæ vitæ ratione 27. Qua flagrauerit in Beatiſſimam Dei Matrem pietate, luculenter oſtendit nuncupatio libelli, quem edidit his verbis concepta:

Mariæ Magnæ Magni Dei Matri, ac Virgini, Auguſtiſſimæ Cœlorum, Terræ, Maris Reginæ; Pientiſſimæ Eccleſiæ orthodoxæ Protectrici, ſingulari ſuarum Sodalitatum Matri, Dominæ, & Patronæ; Munificentiſſimæ Diuinarum Opum Theſaurariæ; Eminentiſſimæ poſt Deum Maieſtati; Orbis miraculo, & miraculorum compendio; Hæc omnium ſuorum Clientum cum ipſis Clientibus æternum mancipata officia. Libellus autem ipſe eſt

Aureum Monile ſeu Manuale Marianum modum continens piè colendi Beatiſsimam Virginem Mariam per quotidiana precum, piarumquè actionum officia, in gratiam Parthenicarum Sodalitatum eiuſdem Magnæ Dei Matris Virginis, omniumquè Deiparæ cultorum concinnatum.

Parauerat aliud eiuſdem argumenti opuſculum, quod accepta iam vulgandi poteſtate, mors intercepit. Item

Vitas piorum Coadiutorum Societatis IESV collegit, interiecitquè pia pro Coadiutoribus documenta.

BLASIVS VAYLLO, vel BAYLLO, natione Hiſpanus, patria Exeenſis in Aragonia, ſuſceptus in Societatem anno ſalutis 1593. ætatis ſuæ 19. vota quatuor profeſſus. Philoſophiam Maioricæ bis, Theologiam Ceſarauguſtæ explicuit, vbi etiam diem extremum obijt die 17. Aprilis anno 1627. illuſtribus patientiæ documentis inter grauiſſimos morborum cruciatus exhibitis. Cùm anno 1609. è Balearibus repeteret Hiſpaniam cum 9. ſocijs, deprehenſus à nobili Pyrata, & Algerium in ſeruitutem abductus, auctoritate, prudentia, paterna ſollicitudine, ſocios tenerioris pleroſque ætatis, ad inſignes de Turcis referendos triumphos pro caſtitate, religioneque certantes animauit. Lytro repræſentato, dimiſſis reliquis, ipſe recedere noluit, donec Tironem vnum, quem neſcio qua de cauſa, Barbari retrahebant, aſſereret in libertatem, & æmula S. Paulini caritate, ſemetipſum quodammodo pro fratre vendidit. Reliquit inſignem

Commentarium in Bullam Cruciatæ, valdè profuturum ſaluti animarum, ſi in lucem (vti optamus) edatur

BLASIVS VIEGAS natione Luſitanus; patria Eborenſis in Societatem noſtram pene puer 15. annorum admiſſus eſt Eboræ menſe Martio anno ſalutis 1569. qui cum omnibus ingenij artibus expolitus, tùm Latinè, Græcequè potiſſimùm eruditus, Humaniores litteras multos annos profeſſus eſt. Deinde poſtquam in Academia Conimbricenſi, & Eborenſi magna cum excellentis ingenij, acris iudicij, atque exquiſitæ doctrinæ opinione ſacras litteras explicaſſet, ſcripſit:

Commentarios exegeticos in Apocalypſim Ioannis Apoſtoli: viris eruditis, & nominatim magno Franciſco Suario, valdè probatos, qui Concionatorum manibus aſſiduè teruntur, impreſſi poſt Auctoris obitum primum in Hiſpania, deinde Coloniæ, Lugduni, Venetijs, atque alibi. Reliquit lucubrationes etiam ſuas

In Prophetas minores,

Q 2 Eze-

In Ezechielem,

In Epiſtolam ad Hebræos, &

Tractatum de Victoria Meſſiæ.

Vertit præterea in linguam Luſitanicam.

Meditationes P.Vincentij Bruni.

Obijt P.Blaſius extremum diem in Collegio Eborenſi 22. Auguſti anno ſalutis 1599. magno ſui relicto deſiderio, erat enim vir non ingenij tantum magni, facilis, prompti, & ad omnia parati, ſed etiam placidi, affabilis, & benigni. Egregius Orator, Poeta non vulgaris, Concionator optimus, ſacrarum interpres litterarum, famæ ſecundiſſimæ, Doctor Sacræ Theologiæ meritiſſimus. Virtute verò & morum ſuauitate non minùs quàm doctrinæ præſtantia admirabilis, vt omninò mors eius magnum Prouinciæ, boniſque litteris attulerit detrimentum.

* BOHVSLAVS BALBINVS natione Bohemus patria Reginohradecenſis natus anno ſæculi labentis 11. Deo ſe in Societate deuouit 1636. & votorum quatuor ſacramentum dixit. Rhetoricam nouennio publicè docuit, & priuàtim Noſtros Iuniores quinquennio; Præfectus Scholarum, & Congregationum B.V. annis plurimis: Miſſiones etiam annis aliquot obiuit, magno zelo; Superſtes adhuc. edidit

Diuam Vuartenſem, ſeu origines, & miracula B.V.Mariæ, quæ Vvartæ in limitibus Sileſiæ colitur. Pragæ typis Academicis 1655. in 4.

Diuam Turzanenſem, ſeu origines, & miracula B.V.Mariæ, quæ Turzanæ in Morauia ad Vrbem Brunæ colitur. Olomutij typis Viti Ettolij 1658. in 8.

Diuam Montis Sancti ſiue origines, & miracula magna Dei Hominumque Matris Mariæ, quæ in Monte Sancto Regni Bohemiæ colitur. Pragæ typis Vniuerſitatis 1665. in 4.

Vitam Ven. Arneſti, vulgò Erneſti Primi Archiepiſcopi Pragenſis. Pragæ in Archiepiſcopali typographia 1664. in 4.

Origines Illuſtriſſimorum Comitum de Gulleſtein vbi refertur Vita B.Hiznatæ Martyris Ordinis Præmonſtraten. Pragæ typis Vniuerſitatis 1665. in folio.

Examen Meliſſæum ſeu Epigrammatum libros quinque, quibus ſextus ex Græcis fontibus additur. Pragæ typis Archiepiſcopalibus 1663. in 12.

Veriſimilia Humaniorum diſciplinarum. Pragæ 1666. in 8.

Epitomen rerum Bohemicarum, cui adiecta eſt Diua Boleslauienſis ſeu origines, & miracula B.V. quæ Boleslauiæ propè Pragam colitur. Edidit tacito ſuo nomine

Legationem Apollinis Cæleſtis ad Vniuerſitatem Pragenſem, in qua veteres Poetas Auctor carmine eſt imitatus. Pragæ typis Academicis 1646. in 12.

Sodalem Marianum. Olomucij typis Viduæ Hradeczki 1653. in 8.

Orationem de Sancta Maria Magdalena. Ibidem in 4.

Paratam prælo habet Hiſtoriam Collegiorum Societatis Ieſu, in Prouincia Bohemica, & alia ab eodem expectantur.

* BONIFACIVS CONSTANTINVS natione Gallo-Sabaudus, natus Magnij, maternæ hæreditatis Caſtro ad Geneuam, anno ſæculi proximè euoluti 90. Societati ſe addixit voluentis 9. & vota quatuor nuncupauit. Vir magnæ pietatis, caritatis, & obedientiæ, Rhetoricam, & humaniores litteras cum laude docuit octennio; Philoſophiam Lugduni, & Viennæ Allobrogum quadriennio. Concionibus ſub hæc habendis adiecit animum, dixitque ad populum non infrequentem annis pluribus. Ætate in ſenectutem vergente applicuit ſe ſcribendis libris ſpiritualibus. Tandem die omnibus Sanctis ſacro, poſt Concionum cùm corpus è dicendi labore calidum, ſudoreque fluens magnus ſui contemptor, curare neglexiſſet, in pleuritidem incidit, ex qua magno cum pietatis ſenſu, migrauit ad vitam immortalem. Viennæ Allobrogum die 8. Nouembris 1651. Edidit ſermone Gallico

De Vita Claudij de Granier Epiſcopi Gineuenſis libros 4. Lugduni apud Viduam Claudij Rigaud 1640. in 4.

Triplicem Sanctiſſimi Sacramenti coronam Lugduni 1642. in 4.

Experimenta piorum in S. Euchariſtiam affectum.

Ideam piæ mortis & præparationem ad felicem è vita exitum. Viennæ apud Iacobum Bertaud 1645. & iterum Lugduni in 12.

Latinè ſcripſit

Hiſtorias SS.Angelorum, quas typis poſthumis vulgauit, Lugduni Philippus Borde 1652. in 8.

Affectos reliquit ſermone vulgari libros varios, atque inter eos grande, & ſpiſſum volumen, in quo Mundus nouus in vetere corporeo aperitur, ſcilicet Chriſtus, B. Virgo, Anima hominis Sancti, diuinitas cuius programmata in vetere corporeo Deus duxit.

BRAIDENSIS ACADEMIA in Collegio Mediolanenſi Societatis Ieſu conſtituta, nomen habet ab loco, qui olim Monachorum Humiliatorum fuerat à Sede Apoſtolica extinctorum, & quem Braidam vetuſtiores tabulæ, Breram vulgus appellat, poſtea à Sancto Carolo Borromæo, Societati noſtræ eſt attributus, anno Domini 1572. cum prouentibus congruis ad Academiam ibidem erigendam, in qua diſciplinæ omnes, quas Societas tractare ſolet publicè traderentur. Ex eo tempore floruit inſigniter; Hæc vniuerſitas, tum præſtantium copia Profeſſorum, qui ſuis dein lucubrationibus rempublicam litterariam egregiè illuſtrarunt, tum multitudine Auditorum, quos ordinariè numerat ſupra bina millia. Edidit

Theoremata mille de Vniuerſa Philoſophia. Medio-

Mediolani typis Ioannis Baptiſtæ Riccalci 1610. in 4. quorum propugnationi præſedit Thomas Biſdomini eorum Auctor: vulgauit etiam

Orationem in Paraſceue habitam in templo Collegij Braydenſis. Mediolani typis Ludouici Montij 1652. in 4.

* BRANSBERGENSE COLLEGIVM Prouinciæ Lithuanæ in Pruſſia Varmienſi, primum omnium Collegiorum Societatis in Regno Poloniæ, à magno illo Cardinali Hoſio Epiſcopo Varmienſi, poſtquam redierat à Concilio Tridentino, vbi Societatem penitius cognouerat, fundari cœptum, anno ſalutis 1564. & mox ſequenti, quinque claſſibus inſtructum, ad erudiendam confluentem vndique numeroſam iuuenturem, ſcilicet, vt haberet ibi veluti in præſidio vigilantiſſimus Paſtor, quos oblatrantibus vndique tunc temporis Hæreticis, & gregi ſuo inſidiantibus, opponeret. Aluit aliàs hoc Collegium ſocios ſupra 40. nunc acciſis bellorum iniuriâ fortunis numerat ſupra 30. atque in his Prælectores variarum ſcientiarum x. qui bonis artibus ac pietate ſuos Auditores imbuant. Edidit in lucem

Gratulationes Petro Tylicki Epiſcopo Varmienſi. Bransbergæ apud Georgium Sconfel 1601. in 4.

Gratulationes Simoni Rudnicki Epiſcopo Varmienſi. Bransbergæ eiſdem typis 1605. in 4.

Logium Epiſcopale in funere Simonis Rudnichi. Ibidem 1631. 4.

Theſauros virtutum Matthiæ Montani Canonici Varmienſis. Ibidem 1650 in 4.

Sagittam Rudnicianam ſeu vitam ac virtutes Alberti Rudnichi. Ibidem 1651. in 4.

Gratulationem Ioannis Tarnorrski Archiepiſcopi Gneſnenſis

Planctum Sepulchralem Palatino Mariæ Burgenſi

Manipulum quadruplicem Sereniſsimo Principi Poloniæ Ioanni Alberto Epiſcopo Varmienſi

BRVGENSE COLLEGIVM in Flandro-Belgica primordia ſua debet Epiſcopo Petro Cartio, qui captus admiratione concionum noſtri Roberti Claiſſonij ſub annum Domini 1560. permultùm eius opera dum vixit, vſus eſt; Fundationem ſtabilem accepit ab eiuſdem ſucceſſore Remigio Druitio, & piorum Ciuium liberalitate anno 1570. Adiectum poſtea munificentiâ vtriuſque Senatus Gymnaſium ſplendidum 40. millibus Florenorum extructum, acceſſitquè demum templum elegans, magnificum, & inclytæ Ciuitatis plane dignum pietate. Degunt in hoc Collegio Socij ordinarie circiter 36. & in quinque claſſibus frequens Iuuentus Græcis latiniſque litteris eruditur. Edidit

Iudicium Panegyricum Quadrimembris Flandriæ, ſeu diſſertationem quo laudum genere potiſſimum præſtet Flandria, militia, opibus, politia, religione. Brugis apud Petrum Sœtardum 1605. Item

Drama de D. Seruatio Tungrenſium Epiſcopo. Brugis typis Nicolai Breyghelij 1630. in 4.

BRVXELLENSE COLLEGIVM eiuſdem Prouinciæ Flandro-Belgicæ, in Vrbe principe, ſede Gubernatorum Belgij, inchoatum, adminiſtrante Belgium Sereniſſimo Alexandro Farneſio, Parmæ, ac Placentiæ Duce Societatis noſtræ fautore eximio, circa annum ſalutis 1586. diu concionibus, Catecheſi, alijſquè miniſterijs ſalutem populi procurauit, ſed abſque ſcholis, ob defectum dotis ad ſuſtentationem magiſtrorum neceſſariæ. Tandem has etiam aperuit, anno 1604. hortatu Sereniſſimorum Principum Alberti, & Iſabellæ, Deoque cœptis fauente, poſt biennium iacta ſunt fundamenta templi, ipſis Principibus primum lapidem pro ſua pietate ponentibus. Fundationem porrò compleuerunt, 3. Virgines Sorores ex Illuſtriſſima Grobbendonchiana familia, quæ poſthabitis Chriſto terrenis nuptijs, facultates ſuas cœleſti ſuo ſponſo in conſtabiliendo hoc Collegio (quod ordinariè alit ad ſexaginta ſocios) conſecrarunt. Ex tribus autem ſororibus, ſuperuiuens duabus Illuſtriſſima Maria Margarita fundationem ſumma fide, & liberalitate compleuit anno ſalutis 1640. Edidit hoc Collegium.

Lacrymas in obitum Sereniſsimæ Hiſpaniarum Reginæ Margaritæ cum oratione funebri. Bruxellæ apud Velpium 1611.

Chronographicam Gratulationem in aduentum Sereniſſimi Ferdinandi Cardinalis Infantis Hiſpaniarum. Antuerpiæ typis Moreti 1634. in 4. cuius ingenioſæ non minùs quàm laborioſæ lucubrationis auctor eſt noſter Ioannes Mortier

Salutationem gratulatoriam D. Franciſco de Mello Gubernatori Belgij Bruxellæ typis Mommartianis 1642. in 4.

Vota Sereniſſimo Leopoldo Archiduci, Gubernatori Belgij. Bruxellæ apud Guilhelmum Scheybels. 1648. in 4.

CÆSAR ALVCCIVS, natione Italus, patria Theatinus in Regno Neapolitano, natus anno ſalutis 1568. Societati ſe addixit 1584. Romæ, & votorum quatuor profeſſionem emiſit. Theologiam moralem poſt traditas litteras humaniores, aliquot annis explicuit, tum Conciones è Superiori loco per totam Italiam diu habuit; Operarium etiam in Domo Profeſſa Romana in diuexa ætate egit;

egit; & Ibidem rebus humanis exemptus ad vitam tranſijt immortalem die 15. Nouembris 1634. Edidit Italicè ſub nomine Georgij Poſtij Collectoris

Speculum ſeu Compendium Antiquitatum, tùm ſacrarum, tùm profanarum Vrbis Romę Partibus II. Romæ apud Hæredem Bartholomæi Zannetti 1625. in 12. Item adſcripto ſuo nomine.

Lignum Vitæ, ſeu de fructibus Tribulationis, & Mortificationis lib. 3. Romæ iiſdem typis. Eodemquè anno in 4. deinde Brixiæ apud Ludouicum Britannicum 1626. in 8.

Filium prodigum ſeu Inſtitutionem Iuuentutis. Romæ apud Zannettum 1627. in 12. Latinè vero

Summarium earum rerum, quas oportet ſcire, vt poſſimus adipiſci Iubilæum Anni Sancti in 2. partes diuiſum, Romæ apud Zannettum 1625. in 12. Prodijt verò etiam Italicè typis, & anno iiſdem

Pſychagogia ſeu de bono Mortis vbi agitur de cauſis quibus Iuſtorum animæ recreantur in morte. Romæ apud Maſcardum 1627. in 12.

CÆSAR AVGVSTANVM COLLEGIVM, quod eſt in Prouincia Aragoniæ ad Iberum amnem ſitum, riuente adhuc S.P.N. Ignatio initia habuit, ſed tenuia, anno ſalutis 1547. paulòque poſt admodum turbulenta; coactis inde diſcedere cum ignominiâ Socijs; ſed mox glorioſiùs reuocatis. Ex eo tempore velut ſeges poſt hyemem, multis auctum acceſſionibus efflоruit, & ad miniſteria omnia populo ſalutaria ſe extendit. Præter ſcholas humaniorum litterarum, Theologiam, tùm Scholaſticam, tùm moralem per varios Profeſſores explicat, ſacràmque Scripturam interpretatur. Complectitur ordinariè ſupra 40. Socios. Edidit in lucem volente Senatu Cæſar-Auguſtano

Exequias quas ab eodem Senatu perſolutas Philippo III. Hiſpaniarum Regi omni Poëmatum genere inſtruxit.

CÆSAR FRANCISCVS DE HARANCOVRT DE CHAMBLAY, natione Lotharingus illuſtri genere natus in Caſtro de Chamblay Diœceſeos Metenſis anno ſalutis 1598. in Societatem 1619. ingreſſus, docuit in Lotharingia litteras humaniores, & bis Philoſophiam; Concionator eximius, in Theologiâ, Mathematica, linguis Græcâ, Hebraica, Arabica, bene doctus. Obijt Pariſijs 26. Februarij 1640. Scripſit

De Vſu Horologiorum

Scripſit etiam Gallicè

Tractatum moralem, & Theologicum de Sanctis Eccleſiæ Sacramentis. Burdigalæ apud Guilhelmum Millanger 1635. in 8.

CÆSAR ISNARDVS, natione Italus, patria Nicienſis, Societati adſcriptus anno ſalutis 1590. ætatis ſuæ 22. cùm poſt doctrinarum ſtudia, ſe Rhetoricæ tradendæ Noſtriſque ad Humanitatem atque Eloquentiam erudiendis dicaſſet in ipſo curſus initio peracerba præreptus eſt morte anno 1604. Dixit Mediolani Latinam

Laudationem in funere Alexandri Luziaghi Patritij Brixienſis, qui cum opinione Sanctitatis obijt; quam qui interfuit Federicus Cardinalis Borromæus, typis mandari curauit Brixiæ 1602.

CÆSAR LAVRENTIVS, natione Italus, patria Romanus, admiſſus in Societatem anno Domini 1602. ætatis 19. politiores litteras multis annis in ea docuit, cum verò linguam Græcam Romæ profiteretur die 23. Iunij anno 1621. magno omnium dolore, quem ſuauitas morum ipſius excitauit, morte conſumptus eſt, deploratus à Vincentio Guiniſio elegia IV. inter ſuas. Is primus fuit, quòd ſciam, qui latina carmina legitimis numeris illigata Rhythmo concluſerit. Habebat præ manibus Metamorphoſim ſacram, qua Heroico carmine pangebat ſacras Hiſtorias, quæ transformationis aliquid continerent. Edita eſt

Oratio de Laudibus Gregorij XIII. Pon. Max. quam habuit in Aula Collegij Romani anno 1620. Vrbeuetere typis Zannetti.

Editus eſt in ſpecimen ab eo

Libellus Carminum Rhythmicorum

* CÆSAR MACRINVS, natione Italus, patria è Caſtro vetere, quod apud vlteriores Samnites municipium eſt, Societati nomen dedit anno ſæculari 1600. ætatis ſuæ 15. & votorum quatuor Sacramentum dixit. Diſciplinas humaniores triennio profeſſus eſt, Philoſophicas decennio, Theologicas ſeptennio, multiplice eruditione conſpicuus. Eminuit in eo mirè magna animi demiſſio cum ingenij apice fæderata; paupertatis religioſæ fuit amator in paucis; & in morbis tolerantiâ eluxit ſingulari. Deſijt inter mortales viuere in Collegio Neapolitano die 4. Iulij 1651. Scripſit quod poſthumis typis editum eſt.

De ſubſtantijs immaterialibus ſelecta: vbi plurima noua, nec paſſim agitata ſubtiliſſimè diſputantur. Neapoli apud Lucam Antonium Fuſcum 1660. in 4.

CAMILLVS CONSTANTIVS, natione Italus, natus perhoneſtâ familia in Caſtello quodam Calabriæ, Societatem Neapoli complexus, cùm viginti eſſet annorum; vnde poſt annos 10. migrauit in Indiam anno Chriſti 1602. & porrò Macaum Sinicæ miſſionis deſiderio; ſed Deo melius illi aliquid prouidente, deſtinatus anno 1605. in Iaponiam eſt; vbi annos 9. vberrimo fructu excoluit Chriſti vineam. Fuit enim vir perquàm religioſus, & legum ſui Ordinis apprimè obſeruans; moribus comis, & ſincerus, animo placido, & manſueto; gloriæ Dei, & ſalutis proximorum ſitientiſſimus; pectore forti, & magno, atque in negotijs difficilibus, & arduis prorſus con-

conſtanti. Anno 1614. cùm cæteris de Societate ſacerdotibus à Daifuzama Iaponiæ Rege proſcriptus, Macaum ſe recepit, ibi quatuor ſolemnibus votis ſe denuo Societati adſtrinxit. Ad cæteros Societatis hominibus conſuetos labores, totum ſeptennium, quo Macai moratus eſt, librorum Sinenſium & Iaponicarum ſtudium adiunxit, vt eorum errores è proprijs voluminibus promptiùs conuinceret, quos Bonzij ſexcentis mendaciorum inuolucris tegunt. Poſtea cùm deliberatum haberet Iaponiam non deſerere, & falſa Bonziorum commenta, cominùs conuellere, ad idem benè armatus, & inſtructus tot annorum ſtudio anno 1621. rediit habitum militarem indutus. Verùm pietas, modeſtia, & religioſi mores facilè ſe prodebant in vultu, & ſuſpicionem hominis quod erat, excitabant. Itaque qui eum vexerat Nauarchus, veritus fortunarum, capitiſque diſcrimen, ſi à ſe vectum conſtaret, decreuerat hominem deferre ad Gubernatorem Nangaſachienſem, licet ipſe Chriſtianus eſſet, niſi multorum precibus victus, miſſum eum tandem cum ſocijs feciſſet. Nullum hic dedit otio, aut inertiæ locum. Ille oppida, vicoſque circumcurſare, firmare Chriſtianos Sacramentis, & verbo prædicationis ex gentilibus alios atque alios ad fidem adducere, omnibus omnia factus, nec noctu quieſcere, nec diu. Vnũ erat ingens ſolatium, copioſam animarum meſſem inter aſſidua vitæ pericula facere. Tandem in Inſula Vqui ab ſubmiſſis Firando militibus deprehenſus, Firandum adducitur, & in Inquinoximanum carcerem traditur, vbi perpetuo veluti ieiunio maceratus eſt, incredibili tamen perfuſus gaudio, quod quam votis tot optauerat, ſortem pro Chriſto patiendi nactus eſſet, poſt aliquot menſium moram, productus in publicum eſt, & ex aduerſo Vrbis Firandi in loco Tabira, fune lentis ex arundinibus contexto, alligatus ad palum, igne circumſtructo, vt cremaretur. Cauſa mortis alia nulla prodita eſt, niſi quod contra Imperatorum edicta Chriſti legem vulgaret. Id ipſe quoque palam profeſſus eſt, lætus, & ſuauiſſime Pſalmum: *Laudate Deum omnes gentes*, decantans, omneſque tam Europæos, quam indigenas Latine & Iaponice ad ſalutis ſuæ curam ſuſcipiendam adhortans, tandem quinquies Sanctus, Sanctus inclamans, Sanctus Chriſti pugil palmatam in cœlos animam tranſmiſit die 15. Septembris anno 1622. Supergreſſus annum ætatis 50. Certamen illius nobile pro Chriſto fuse refert Paulus Gualterus in libro De Martyribus Calabriæ cap. 84. Scripſit Camillus

Annuas litteras ex Iaponia anni 1618.

Annuas item è Sinis eiuſdem anni 1618.

Apologiam fidei Chriſtianæ contra calumnias Gentilium. Iaponice, quæ tamen an lucem viderit neſcimus.

* CAMILLVS RODENGVS natione Italus, patria Brixienſis, vndeuiginti annos natus, Deo ſe dicauit in Societate anno ſalutis 1631. & vota quatuor nuncupauit. Rhetoricam quinquennio profeſſus eſt, Philoſophiam triennio, Theologiam decennio Bononiæ, vbi multis annis ſtudia moderatus eſt. Concionatorem præterea aliquamdiu egit, & ſacras lectiones in templo noſtro Bononienſi per annos 14. habuit. Callet egregiè linguas Hebræam, Græcam, & alias peregrinas. Venetijs rexit Domum Profeſſam; modò Bononiæ præeſt ſtudijs, & in templo aſſiduus, multorum dirigit conſcientias. Edidit hactenus orationes complures.

In funere Excellentiſs. Comitis D. Franciſci Altieri germani fratris S.D.N. Clementis X. qui hodie præeſt toti Eccleſiæ, Bononiæ 1644. in 4.

Orationem in Exequijs D. Caroli Bouij Epiſcopi Sarſinatenſis, Bononiæ 1646. in 4.

Orationem in ſolemni pompa, qua Eminentiſſimus Cardinalis Alphonſus Litta Cardinalitio pileo eſt inſignitus, Bononiæ 1666. in 4.

CANDIDVS MIARI, ſeu MILLIARIVS natione Italus, patria Bellunenſis in foro Iulio, Societatem ingreſſus anno ſalutis 1579. ætatis 18. Theologiam moralem quinquennio docuit, Profeſſionem votorum quatuor emiſit, & Collegia Placentinum, Caſtilionenſe, Mirandulanum, Domum probationis Nouellarienſem rexit. Demum ſeptuagenario maior periodum huius vitæ abſoluit, Placentiæ die 29. Nouembris 1633. Edidit Italice

Tractatum de Sacra Miſſa. Placentiæ 1632.

CAROLVS ANTONIVS THESAVRVS natione Italus, patria Taurinenſis, ingreſſus in Societatem anno 1617. ætatis 30. vtriuſque Iuris Doctorali iam tum laurea donatus, & vtrumque publicè profeſſus. Nimirùm in Piſana Vniuerſitate Ciuile, in Taurinenſi primò Ciuile, poſtea Canonicum multis annis explicuerat. In Societate Theologiam moralem aliquot annis docuit; profeſſionem votorum 4. emiſit, & Romæ in Vaticano, Pœnitentiarium Pontificium annos ampliùs 20. egit; Vir apprimè religioſus, & in omnibus ſpectantibus ſacrum Pœnitentiæ Tribunal, exercitatiſſimus; eo in munere migrauit ad Dominum die 3 Ianuarij 1655. Edidit

De pœnis Eccleſiaſticis ſeu Cenſuris latæ ſententiæ Praxim bipartitam. Romæ typis Ludouici Grignani 1640. in 4. & iterum cum auctario in folio Romæ.

* CAROLVS BOVIVS natione Italus Haſtæ in regione Pedemontana natus anno ſæculi labentis 14. Societati nomen dedit eiuſdem 31. & vota 4. ſolemnia nuncupauit. Humanitatem in ea ſeptennio docuit Rhetoricam verò in Collegio Romano annis 12. atque in eo nunc miniſterijs Societatis vacat. Edidit hactenus.

Ignatium, Inſignium, Epigrammatum, & Elogiorum Centurijs expreſſum. Romæ typis Ignatij de Lazaris 1655. in 8.

De

De Pacis reſtitutæ felicitate, Carmen Heroicum quatuor libris comprehenſum. Romæ typis Angeli Bernabo à Verme 1660. in 4.

Balthaſaris Aluarez vitam ex Hiſpanico Ludouici de Ponte Latinè redditam. Romæ typis Tinaſſij 1670. in 4.

Sacra, & profana Romæ obſequia Clementi IX. Pont. Max: repreſentata in Collegio Romano, inter quæ multa ſunt à Carolo Bonio. Romæ typis Angeli Bernabo 1669. 4.

In funere Cardinalis Antonij Barberini, deſcriptionem Honorarij tumuli, & orationem. Romæ typis Tinaſſij 1661. in folio.

Funebris Pompæ deſcriptionem, & inſcriptiones in funere Ducis Franciſci Bellefontij. Romæ 1669. in folio

Orationes varias funebres. & *alias*, item *Elegias gratulatorias, ſeorſim editas*, Romæ annis diuerſis. Italicè edidit,

Exempla, & Miracula de B. Virgine in Domus Profeſſæ Romanæ templo, à ſe enarrata. Romæ typis Tinaſſij 1672. in 8. Plura alia habet præ manibus, & ſub prælo.

* CAROLVS LE BRETON, natione Gallus, patria Rhedonenſis in Aremorica Societati adſcriptus anno ſalutis 1618. ætatis ſuæ 15. votorum quatuor nexu ſe adſtrinxit. Poſt traditas humaniores litteras magnam vitæ partem tranſegit in Concionibus Sacris ad populum habendis. Nunc degit in Domo Profeſſa Pariſienſi Operarius gnauus. Edidit

Pſalterium Dauidis integrum, ſeu Paraphraſim in Pſalmos verſibus Gallicis. Pariſijs apud Franciſcum Muguet 1660. in 8.

De morte ſeu de miſerijs huius vitæ Poëma gallicum. Pariſijs typis eiuſdem 1660. in 8. Tranſtulit Gallicè

De Miſericordia Defunctorum animabus impendenda ex latino Noſtri Iacobi Mumfordi Pariſijs apud Georgium Ioſſe 1653 in 12.

Praxes virtutum Chriſtianarum ex Hiſpanico Noſtri Nierembergij Pariſijs apud eundem 1661. in 12.

Vitam Venerabilis Matris Mariæ Victoriæ Fornari Fundatricis Annunciatarum Genuenſium, ex Italico Noſtri Fabij Ambroſij Spinolæ. Pariſijs apud eundem 1662. in 4.

* CAROLVS CASALICCHIVS, natione Italus, patria è S. Angelo Diœceſis Ciuitatis Companiæ, Sacerdotio initiatus acceſſit ad Societatem anno ſæculi voluentis 51. ætatis ſuæ 25. & vota quatuor profeſſus eſt. Graſſante lue peſtifera Neapoli, deuouit ſe vltrò infectorum miniſterio in publico S. Ianuarij noſocomio, & funeribus Sociorum, quos Domus Profeſſa eidem caritatis ſacrificio, velut victimas, addixerat, vnus ipſe ſuperſtes, Vniuerſæ dein Ciuitati in noſocomium propemodum redactæ, præſens adfuit. Deferueſcente poſtea peſtilentia in eadem Domo Profeſſorum, operarius impiger remanſit remanetq; in hodiernum diem, eandem Italicè Iconibus affabre ingeſtis [illegible] inſcriptum.

Stimuli ad Sanctum Dei Timorem, ex ſelectis Hiſtorijs [illegible] ira excerpti. Neapoli per Hiacynthum Paſſarum 1669. in 8. Item

Vtile cum dulci mixtum; Neapoli iiſdem typis 1671. in 8. Item

Amor erga Sanctiſſimum Sacramentum. Ibidem ex typis eiſdem 1673. in 12.

CAROLVS DE LA CROIX ſiue *à Cruce*, natione Gallus, Domo Nemauſenſis ingreſſus in Societatem anno 1604. ætatis 16. vota quatuor ſolemnia emiſit. Poſt Philoſophiam in Gallia traditam, & poſt nauatam egregie operam Melitæ Militibus Hieroſolymitanis ſuæ gentis; redux in Galliam, Gratianopoli ſe, caputque ſuum deuouit obſequijs peſte afflatorum, & in eo caritatis exercitio robuſtus Atheleta vitam poſuit die 22. Auguſti anno ſalutis 1630. ætatis 42. Edidit in lucem

Pios aliquot libellos

CAROLVS FRANCISCVS DE LVCA, natione Italus, patria Romanus, natus anno ſæculi fluentis nono, Deo ſe in Societate mancipauit anno eiuſdem 27. & votorum quatuor ſacramento ſe adſtrinxit. Humaniores litteras docuit Senis, & Florentiæ; Rhetoricam in Romano Collegio toto decennio profeſſus cum laude eſt. Scholis ibidem aliquamdiu præfuit, & noſtros Rhetores priuatim inſtruxit. Conciones Sacras per Aduentum, & Quadrageſimam in celebrioribus Eccleſijs Romæ, & per Prouinciam habuit, & vice Rector Domum Probationis Quirinalem aliquamdiu gubernauit. Nunc à multis annis Operarium ſedulum agit in Domo Profeſſorum Romæ, aſſiduus in ſede Confeſſionali, frequens in ſuggeſtu, & ſingulis hebdomadis in exercitio (quod vocamus Bonæ mortis) coram Sanctiſſimo Sacramento Venerationi publicæ expoſito, verba facit ad populum. Edidit hactenus

Iter Lauretanæ Domus libris vndetriginta, Carmine Epico. Romæ typis Vareſij 1661. in 8.

Elogium de Immaculatæ Virginis Immaculata Conceptione. Typis excuſum Viennæ Auſtriæ iuſſu Ferdinandi III. Imperatoris 1648. in 4.

Gymnaſium virtutum, Orationem habitam in funere Cardinalis Gymnaſij, Sacri Collegij Cardinalium Decani. Romæ typis Grignani 1649.

Orationem in die Paraſceues ad Innocentium X. Romæ typis Manelphi 1644.

Orationes alias complures de varijs argumentis Senis, & Romæ ſingillatim impreſſas, annis diuerſis ab anno 1642. & ſequentibus.

CAROLVS GOSVVYNVS ſiue GOSINVS, natione Belga, patria Brugenſis natus anno ſalutis 1568. Societati ſe addixit 1591 & vota quatuor nuncupauit. Vir humanis diuiniſque litteris egregiè cultus. Iudicium illi ſolidum, & facundia elegans. Rector

fuit

fuit Collegij Gandenſis. Viuere deſijt Mechliniæ die 20. Septembris anno 1624: Auctores ſunt Antonius Sanderus, & Franciſcus Suuertius eum ſcripſiſſe

Notas doctiſſimas in Tertullianum

Meminit eius Clarus Bonarſcius in amphitheatro Honoris.

* CAROLVS DE GROBENDONCQVE, natione Belga, patria Mechlinienſis natus anno ſæculari 1600. Societatem complexus eſt 1617. in Belgio, inde poſt annos aliquot miſſus ſubſidiarius in Bohemiæ Prouinciam tunc naſcentem, in ea profeſſus eſt Rhetoricam, Ethicam, Philoſophiam, Theologiam Scholaſticam, Moralem, Polemicam, Sacram Scripturam partim Olomucij, partim Pragæ, vbi etiam Præfecturam generalem ſtudiorum multis annis geſſit, emiſſa profeſſione votorum quatuor anno 1634. Vir ob eximiam eruditionem, ſapientiam, & religioſarum ſplendorem virtutum, magno apud Optimates in pretio, & ſæpiſſime ab ijs conſultus. Demum ſeptuagenario maior ad Societatem Ciuium ſupernorum (vti ſperamus) eſt euocatus Pragæ die 16. Decembris 1672. Edidit in lucem

De Ortu & progreſſu Spiritus Politici Decadem primam, deducens ortum, & progreſſum Politiciſmi ab orbe condito vſque ad raptum Eliæ, contra Politicos. Pragæ typis Academicis 1666. in folio

Vulgauit Teutonicè tacito ſuo nomine.

Methodum pie tranſigendi tempus ſacri Aduentus. Pragæ ijdem typis 1660. 4.

Modum tranſigendi tempus intra Aduentum, & Quadrageſimam Ibidem 1661. in 12

Modum tranſigendi tempus S. Quadrageſimæ, Ibidem, & eodem anno

Modum tranſigendi tempus à Paſcha vſque ad Corpus Chriſti. Ibidem 1662. in 12.

Modum tranſigendi præcipuas feſtiuitates Beatiſſimæ Virginis Mariæ. Ibidem 1669. in 12.

CAROLVS GVYET, natione Gallus, patria Turonenſis, natus anno ſæculi prætcrlabentis primo, vicennis Societati ſe tradidit 21. & vota quatuor profeſſus eſt. Quinquennio diſciplinas amœniores tradidit, Theologiam moralem biennio, Conciones ſacras pluribus annis habuit: Vir Eccleſiaſticorum Rituum, ac ceremoniarum cognitione nulli ſecundus. Naturæ conceſſit Turonibus die penultimo Martij 1664. Scripſit latinè

Ordinem generalem, & perpetuum Diuini Officij recitandi. Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoyſy 1632. in 8. Item

Heortologiam, ſiue de feſtis proprijs locorum. Pariſijs, ſumptibus Sebaſtiani Cramoyſy 1657. in folio.

CAROLVS VAN HOVCKE, natione Belga, patria Iprenſis, natus anno ſæculi proximè exacti 93. Societatem iniuit vertentis 12. & in ea ſeptennio docuit politiores litteras, octennio præfuit ſcholis; multis annis Miſſiones per pagos obiuit, ſpiritualis Coadiutor formatus. Viuere deſijt inter mortales Ipris die 15. Octobris 1650. Tranſtulit in linguam Belgicam.

Tractatum de Tribulatione à Petro Ribadeneira Hiſpanicè ſcriptum. Antuerpiæ apud Henricum Aertſens 1635. in 8. Parauerat prælo

Lytrum ſpirituale pro animabus in Purgatorio, ex Gallico Belgicè translatum. Item

Tractatum de Fundatoribus Ordinum, ex Gallico P. Stephani Binet, ſed mors interrupit.

* CAROLVS A KREITZ, natione Germanus, in Miſnia Illuſtribus, ſed Hæreticis parentibus natus anno ſæculi labentis ſeptimo, eiurata Hæreſi, & auditâ Philoſophiâ Societati vicennis ſe addixit, Vilnæ anno 1627. & votis quatuor ſe obſtrinxit. Toto vitæ religioſæ curriculo eruditionis præſtantia, & virtutis perfectione omnibus ſe amabilem, ac venerabilem exhibuit, & infatigabilis operarij in Vinea Domini exemplar ſingulare reliquit. Annis ſex ſupra viginti, cum inſigni animarum prouentu Concionatorem egit; ipſis fidei Aduerſarijs plauſum ei dantibus, plurimiſque eorum ad Eccleſiæ Catholicæ gremium accedentibus. Dantiſci (vbi per nouem annos eſt commoratus) enituit ſemper illius zelus, ſed maximè cùm Vrbem lues peſtilens, & fames depopularentur, nulla enim vitæ ſuæ ratione habita, infectas ædes, adibat, infirmoſquè neceſſarijs animæ ac corporis auxilijs muniebat. Famoſa Sectariorum ſcripta, quibus Eccleſiæ, Societatis, & ipſius Patris auctoritas falsò proſcindebantur, ita retudit, vt Hæreticorum malleus audiret. Diſciplinæ religioſæ obſeruantiſſimus, paupertatis ſanctæ ſtudioſiſſimus; otij, ac ſingularium commodorum oſor eximius fuit; dum in pago quodam Collegij Lomzenſis volumen ſuum ad lucem iam paratum reuolueret, paralyſi tactus ad laborum præmia emigrauit, die 30. Septembris 1660. Edidit Germanicè eleganti ſtylo polemica plura

De Cœna Caluiniana imaginaria & Catholico Sanctæ Euchariſtiæ Sacramento; tacito ſuo nomine. Bransbergæ typis Gaſparis Vveingartner 1646. in 8.

De Fonte venenato doctrinæ Lutheranæ, & ſalubri fonte Catholicorum. Vilnæ 1648. in 8.

Colloquium Caritatiuum cum Dantiſcanis Prædicantibus, Bransbergæ 1662.

Defenſionem Catholicam oppoſitam Catechiſmo Lutherano recenter impreſſo. Bransbergæ typis Gaſparis Vveingartner 1649. in 12.

Catholicum Cauete, contra Euangelicum *Cauete* Miniſtri Gadanen. 1646. in 8.

Gloſſam ſuper defenſionem honoris Ioannis Crameri Miniſtri Gedanen. 1650. in 4.

Indefenſum Lutherum, per Ioannem Millorum Prædicantem Hamburgenſem defenſo oppoſitum. Bransbergæ 1655.

Quatuor interrogationes utiles, excerptæ ex funebri concione D.Botſach 1650. in 4.

De Indulgentijs, & Iubilæo. Bransbergæ iiſdem typis 1650. in 12.

Catholicum fidei ſcutum contra ſcutum cuiuſdam Liuonis Hæretici. Bransbergæ typis Vveingartner 1650. in 12.

Reliquit opus iuſtum latinè & Germanicè conſcriptum ſub titulo

Vbi ſcriptum eſt? cui recognoſcendo immortuus eſt,

* CAROLVS LALLEMANT natione Gallus, natus Pariſijs anno ſæculi proximè euoluti 87. Societatem noſtram vicennis complexus eſt anno voluentis 7. quem duo poſtea germani fratres Hieronymus, & Petrus imitati ſunt, quamuis poſterior, natu maior. Poſt traditas humaniores litteras! & Philoſophiam, & emiſſa quatuor ſolemnia vota, miſſionem Canadenſem in America expetijt, obtinuit, rexitque triennio. Verùm coactus Galliam repetere, gubernauit in ea Collegia, Rothomagenſe, Flexienſe, Pariſienſe, necnon Domum Profeſſam ibidem, & aliquamdiù Vicario munere totam illam Prouinciam. Electus quoque à Comitijs Prouinciæ adiuit Romam ad Congregationem Procuratorum. Demùm ictus paralyſi, decem menſium ſpatio perquam accuratè ſe ad mortem diſpoſuit; & multis relictis poſt ſe patientiæ exemplis.octogenario ſeptem annis maior migrauit ad Dominnm, Pariſijs in Domo Profeſſorum die 18. Nouembris anno 1674. Vir fuit eximiæ pietatis, Religioſæ diſciplinæ inſigniter obſeruans, ſalutis animarum apprimè ſitiens, quarum cauſa nauigauit in Americam, & primus ibi Noſtrorum Miſſionem Canadenſem gubernauit. Laborum pro Chriſto oppidò patiens, quater vaſtum illud mare Galliam inter & Americam traiecit, bis naufragium fecit, ſemel captus ab Hæreticis, & abductus in Angliam; non pauca in odium Religionis incommoda fortiter ſuſtinuit: Scripſit Gallicè:

Diſcurſus diuerſos de Vita abſcondita Chriſti Ieſu in Sacra Euchariſtia. Pariſijs 1657. in 12.

Exercitia ſpiritualia iuxta methodum S. P. N. Ignatij. Flexiæ 1661.in 12.

* CAROLVS LIBERTINVS, natione Bohemus, patria Mulluſienſis, natus anno ſæculi fluentis 38. Deo ſe in Societate noſtra deuouit, eiuſdem 54. & votorum 4. ſacramentum dixit. Rhetoricam & amæniores diſciplinas quinquennio in Scholis tradidit,& Noſtros inſuper biennio litteras Græcas priuatim docuit.Concionatorem egit annos aliquot, agitque. Edidit librum elogiorum de S.Franciſco Xauerio inſcriptum:

Diuus Franciſcus Xauerius Indiarum Apoſtolus elogijs illuſtratus. Vetero-Pragæ typis Cornelij Czernoch 1673. in 8.

CAROLVS MALAPERTIVS natione Belga, domo Montenſis,natus anno 1581. Societatem ingreſſus eſt 1600. Vir incredibilis modeſtiæ, eruditionis non vulgaris, & Poëta bonus. Philoſophiam docuit in Lotharingia, Matheſim in Polonia, & Duaci in Collegio Noſtro. Deinde Seminario Scotorum in eadem Ciuitate præfuit, ac poſtremò rexit Collegium Atrebatenſe, vndè euocatus Madridium, vt in ea, quam Rex Catholicus nouam excitabat, Academia Matheſim profiteretur, in itinere mortuus Victoriæ Vrbe Hiſpaniæ, anno 1630. menſe Nouembris. Edidit pœmatum faſciculum in quibus, & ingenij acumen & ſtyli nitorem laudes nempe

Sedeciam Tragediam

De Ventis libros II.

Chriſtum Patientem Elegijs XX.

Miſcellanea omnia ſimul excuſa Caliſtij typis Alberti Gedelij 1615. in 4. & Antuerpiæ typis Plantinianis Moreti 1616. in 16. Dilingæ apud Vdalricum Rem 1622. & alibi recuſa. Item

Breuem inſtitutionem Arithmeticæ practicæ. Duaci apud Balthaſarum Bellerum 1620. in 8.

* *Faciliorum Geometriæ Elementorum libros II.* Duaci 1624. in 12. typis Viduæ Petri Telu

Paraphraſim in omnes Ariſtotelis libros Dialecticos.

Auſtriaca Sidera Heliocyclia Aſtronomicis Hypotheſibus illigata. Duaci apud Balthaſarem Bellerum 1633.

Breuem Commentarium in 6. priores libros Euclidis. Duaci apud Balthaſarem Bellerum 1620. in 8. Iterum apud Viduam Petri Telu in 12. Item

Orationem habitam dum Lectionem Mathematicam auſpicaretur. Duaci apud Balthaſarem Bellerum 1620. in 8.

CAROLVS MONETA natione Italus, patria Mediolanenſis, in Societatem cooptatus anno ſalutis 1619. ætatis ſuæ 20. votorum 4. profeſſionem edidit.Rethoricam, & politiores litteras profeſſus eſt ſeptennio, Philoſophiam quadriennio eſt interpretatus, Vir fuit excellentis ingenij, & innocentiæ ſingularis. A Marchione Serra Generali Tribuno in Ditione Mediolanenſi, vt ſibi à Confeſſionibus eſſet euocatus in Caſtra, quamuis imbecilla valetudine eſſet, quia tamen id gratum futurum ſuis Superioribus intelligebat, vel cum vitæ ſuæ diſcrimine obtemperauit. Nec ità multò poſt graui morbo ea in expeditione correptus, deceſſit Alexandriæ die 30. Octobris 1640. Edidit

Orationum à ſe dictam Mediolani in æde PP. S. Franciſci de Obſeruantia. *De quinque Martyribus.*

CAROLVS MVSART natione Belga, domo Arienſis, Societatem 1602. vndeuicennis ingreſſus, in ea Sacroſanctæ Theologiæ Doctor renunciatus, ſed prius partim in Belgio, Duaci, partim in antiquiſſima Vniuerſitate

rate Cæſarea Viennenſi, Rhetoricam, Philoſophiam, ac ſacras Litteras profeſſus 12. annis; at Theologiam Moralem, & Controuerſias de Fide annis vndeuiginti explicuit. Vir tractandis iuuenum animis, & ad omnem virtutem informandis ſingularis induſtriæ, atque efficacitatis. Operarius indefeſſus, & ſalutis hominum ſitientiſſimus, quique ſe ad omnis conditionis homines, præſertim verò ad calamitoſos, & moribundos auidiſſimè effundebat. Hinc à Nobilioribus quoque magis æſtimatus, & in conſcientiæ ſuæ arbitrum ab illis lectus. Sed quàm in pretio alijs fuit, tam ſibi ipſe viluit, & religioſæ demiſſionis cineribus magnam tegebat ſanctitatem. Hanc tamen latere omnino non ſinebant, & zelus honoris Dei, & cultus Patientis Chriſti, ac Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, & pietatis erga magnam Dei Matrem promouendæ ſtudium, & denique quæſitæ occaſiones noctu diuque benefaciendi miſeris. Vota 4. profeſſus fuerat ab anno 1619. Tandem plenus dierum, ac meritorum religiosè obijt, Viennæ die 17. Ianuarij 1653. Edidit plura opuſcula excitandæ pietati idonea. His titulis prænotata

Claua Trinodis Herculis Chriſtiani, ſiue Memoriale æternitatis.

Speculum Mortalitatis humanæ.

Anima euigilans à ſomno peccati. Viennæ Auſtriæ 1631.

Tres claues aureæ, ſiue

Meditatio quotidiana Paſſionis Dominicæ.

Cultus ſingularis B. Virginis.

Actus Amoris Dei, & Contritionis. Viennæ 1632.

Lilium Marianum, ſeu de Sodalium Marianorum caſtitate. Duaci 1600. & ex eo decerptum.

Liliolum Marianum, de eodem argumento Viennæ 1634.

Adoleſcens Academicus ſub inſtitutione Salomonis, pulchris iconibus ornatus.

Sunamitis Chriſtiana ſiue Affectus pij, quibus exemplo Sunamitis Eliſæum hoſpitio excipientis, *anima diſponitur ad ritè, & magno cum affectu recipiendum Chriſtum in Vener. Euchariſtia.* Viennæ typis Mariæ Rictiæ viduæ 1637.

Filius Prodigus. Ibidem in 8.

Cor deuotum Ieſu pacifici Salomonis. Thronus Regius è Gallico P. Stephani Luzuic latinitate donatus cui acceſſit *Appendix noua.*

Liber Vitæ, ideſt, breuis Methodus memorandæ Paſſionis Chriſti. Ex Italico Blaſij Palma latinè verſus Duaci 1638.

Actus virtutum interiores. Ex Italico eiuſdem Blaſij, latinè propoſiti, addiditque de ſuo,

Praxes, ſeu actus virtutum exteriores. Duaci 1628.

Peregrinatio ad Montem Caluariæ.

Manuale Parochorum Viennæ.

Vita B. Stanislai Koſtkæ Societatis Ieſu.

Chriſtus Paſſus, ſiue Lilium inter Spinas. Viennæ 1640. in 12.

Noua Viennenſium peregrinatio. Viennæ 1642. in 12.

* CAROLVS PAIOT natione Gallus, Pariſijs natus anno ſæculi præterlabentis 9. Societati ſe applicuit 1628. & votorum 4. nexu ſe ei adſtrinxit. Poſt annos quindecim in explicandis diſciplinis humanioribus magna ſedulitate collocatos, binos in Mathematicis, & xv. alios in Philoſophicis, pergit etiamnum eodem in puluere deſudare, docendo Noſtros priuatim Philoſophiam in Collegio Flexienſi. Hæc tamen inter munera, non omiſit quà concionando, quà ſcribendo, quà Sodalitia B. Virginis dirigendo, Scholaſticis, plebi, & omnibus prodeſſe. Lucubrationes ſuas auſpicari ei placuit à laudibus Beatiſſimæ Virginis, (à qua permulta teſtatur ſe accepiſſe beneficia) in perenne obſequij ſui erga ipſam monumentum. Edidit

B. V. Mariæ Perfectiones 30. Symbolis repræſentatas. Gallicè, Flexiæ apud Georgium Giuean 1635. in 8.

Syntaxim Latinam. Flexiæ ijſdem typis 1640. & alibi in 8.

Syntaxim Græcam. Ibidem 1643. & alibi ſæpe in 8.

Dictionarium nouum Latino-Gallicum. Ibidem 1636. in 8. recognitum auctum, & recuſum ſæpè, nouiſſimè 1671. in 4.

Syntaxim alteram Latinam cum particulis. Ibidem in 8.

Rudimenta Linguæ Latinæ cum Tabulis. Ibidem 1643. in 8.

Viam breuiorem ad interpretationem linguæ Græcæ, cum ſynopſi Rhetoricæ. Ibidem 1646. in 8.

Dictionarium nouum Latino-Gallico-Græcum. Ibidem 1646. & alibi in 4.

Artem Poëticam. Ibidem 1646. Recuſam Auenione. Recognitam, & auctam iterum Flexiæ 1666. in 4.

Tirocinium eloquentiæ. Bleſis apud Franciſcum de la Saugere 1646. recuſum Lugduni, Francofordiæ, Venetijs, Bononiæ, & alibi in 12.

Deſpauterium nouum, complectentem antiquiora rerum monumenta, Coſmographiam, Chronologiam, Geographiam, & Hiſtoriam ab Orbe condito. Flexiæ typis Georgij Giueau 1648. in 8.

Apparatum in Ciceronem, Dictionario nouo additum. Pariſijs 1654. in 4.

Compendium Logicæ vniuerſæ. Ambiani apud Ioan. Meuſnier 1664. in 8.

Speculationes, & praxes Vniuerſæ Arithmeticæ. Flexiæ apud Viduam Geor. Giueau 1666. in 12.

CAROLVS PAPINVS natione Italus patria Romanus, adſcitus in Societate anno ſalutis 1605. ætatis ſuæ 19. quadriennio docuit humaniores litteras. Vir compoſitis valde moribus, diſciplinæ religioſæ amans, & illius in alijs cuſtodiendæ ex officio diu curam gerens; egenis ſubleuandis quaqua poterat, op-

pidò addictus; ſpiritualis Coadiutor formatus religioſè obijt Romæ in domo Probationis die 18. Iulij 1648. Edidit Italicè ſub nomine Academici Irreſoluti Collectore Ioanne Franciſco Polello.

Flores ſacræ Poëſeos. Romæ 1625. in 12. Italicè ex latino vertit.

Famiani Stradæ de Bello Belgico Decadem I. Romæ apud Hermannum Scheus 1636. in 4. Item

Hieremiæ Drexelij Conſiderationes de Aeternitate. Romæ 1639.

Pietatem Victricem, & Impietatem domitam à Carolo Magno. Ibidem 1647. in 12. ex Gallico noſtri Nicolai Cauſſini.

* CAROLVS PAVLINVS natione Gallus, patria Aurelianenſis natus anno ſæculi proxime decurſi 93. Societati ſe adiunxit currentis 10. & in ea vota 4. ſolemniter concepit. Quadriennio explicuit diſciplinas alias humaniores, Rhetoricam verò annis vndecim. Rexit Collegium Bleſenſe, & Domum Profeſſam Pariſienſem, vir ſuauitate morum conſpicuus; ea humanitate, vt omnes ad ſe alliceret; ea prudentia in regendis hominum mentibus, vt contentos à ſe dimitteret. Hæc & alia virtutum decora fecere, vt in rebus maioris momenti adhiberetur à Superioribus, & demum a Ludouico XIV. Rege Chriſtianiſſimo in Confeſſarium aſciſceretur. Eo in munere ita ſe geſſit, vt Regi, Reginæ, Auliciſque eſſet acceptiſſimus; id quod abundè Rex pro ſe teſtatus eſt, quando ægrotantem, & affixum lecto, à ſuis medicis curari voluit. Sed cùm vis morbi inualeſceret, omnibus Eccleſiæ Sacramentis ritè procuratus animam reddidit Creatori. Pariſijs die 12. Aprilis 1653. Edi curauit

S. Optati Mileuitani Opera cum obſeruationibus Franciſci Balduini, & Notis Gabrielis Albaſpinæi Epiſcopi Aurelianenſis, quibus ipſe Epiſtolam præliminarem, & Elogium Epiſcopi præfixit Pariſijs 1631. in folio. Edidit etiam

Orationem de Rupella capta. Extat inter alias in libro inſcripto.

Triumphus de Rupella capta.

CAROLVS REGIVS natione Siculus, patria Panormitanus, cooptatus in Societatem anno ſalutis 1556. ſexdecim annos natus. Vir multis in Societate muneribus obitis, & præſertim concionandi excellentia clarus, qui ad effætam vſque ætatem amplius annis 40. id præſtitit cum dignitate. Rexit Collegium Panormitanum, & Meſſanenſe; Neapolitanam Prouinciam gubernauit, & Romanam. Inerat illi ſingularis innocentia, permodeſta libertas, vita omnis ad exempli formam exacta, ſedatum ingenium, acre iudicium, popularis & grauis oratio, grandis vox neque ingrata, quantælibet coronæ ſufficiens, os quoque probum, & bona latera, & iuſta corporis amplitudo. Obijt Romæ die 8. Octobris 1612. Edidit volumen libris decem diſtinctum inſcriptum

Orator Chriſtianus, in quo è ſacrarum litterarum doctrina, Sanctorumque PP. auctoritate oſtendit, quæ Concionatoris ſint partes, vt ritè munus illud Apoſtolicum ſuſtineat. Romæ apud Bartholomæum Zannettum 1612. in 4.

* CAROLVS DE LA RVE natione Gallus, Pariſijs natus anno ſæculi voluentis 43. in Societatem adſcriptus 1659. Rhetoricam, & politiores litteras in ea octennio cum laude profeſſus eſt; Nondum ſacris ordinibus initiatus, edidit poëmata varia in vnum volumen collecta ſub hoc titulo:

Idyllia Caroli de la Rue. Rothomagi typis Riccardi Lallemant 1669. in 12. recuſa cum auctario Pariſijs 1672. Item

De Victorijs Regis Chriſtianiſſimi Ludouici XIV. Poëma à Clariſſimo viro Petro Corneille Gallorum Poëtarum principe verſibus Gallicè redditum Pariſijs apud Sebaſt. Mambre Cramoyſy 1667. in 8. Item

Panegyricum dictum Ludouico XIV. Regi Pacifico. Rothomagi iiſdem typis Richardi Lallemant 1669. in 4.

Epinicion Ludouico Magno poſt expeditionem Batauicam. Pariſijs apud Guilhelmum de Luynes 1673. in folio quod pariter carminibus gallicis eſt redditum à Petro Corneille.

CAROLVS SAGERIVS, natione Gallus, patria Beluacenſis in Picardia, admiſſus in Societatem anno ſalutis 1556. ætatis 17. Primus Rector fuit noſtri Burdegalenſis Collegij; Billomi Philoſophiam anno 1563. & Græcas litteras docendas ſuſcepit, promptiſſima parendi voluntate, poſtquam ibi Philoſophiam explicuerat, quam pòſt etiam Pariſijs, & Turnone Theologiam profeſſus eſt. Tres ſecum fratres in Societate vidit, & parentem, rebus compoſitis. Vir fuit cùm multa probitate, & virtute, tùm ſingulari doctrina inter Galliæ Patres magni nominis, vt ob eam maximè ijs in locis ea de Noſtris hominibus doctrinæ fama percrebeſceret, non eſſe quemquam ex Hæreticorum Miniſtris, nec eos quidem, qui eſſent eorum Coryphæi, nobiſcum comparandos. Ea ſimul erat morum ſuauitate, cum ſincero animarum zelo coniunctà, vt vel ipſos Hæreticos, à quibus timebatur, ſibi beneuolentia obſtringeret. Quadraginta annos exegerat in Societate, eo vitæ genere, atque ijs virtutibus, quæ ætatem illam cum laude actam teſtarentur. Obijt Turnone (quamuis ſuſcipio non abſit ipſum Hæreticorum manu propinato Chalanconi veneno interijſſe) IX. Calendas Iunias anno 1596. ab emiſſa votorum quatuor profeſſione 24. Scripſit doctos atque elegantes

Commentarios in Epiſtolam Iudæ

In Epiſtolas D. Pauli ad Romanos, & Epheſios

De inſtitutione Sodalitatis, ſiue, vt vocant, Confraternitatis Sanctiſſimi, & vener. Sacramenti.

Lo-

Locos communes ex ſacris D D. aduerſus Hæreticos, quos inſcripſit

Topica Theologica, ſed morte interceptus euulgare non potuit

CAROLVS SALVIATVS, natione Italus, patria Lupienſis in Societatem cooptatus anno ſalutis 1629. ætatis 15. vota quatuor nuncupauit. Humaniores litteras Neapoli profeſſus eſt; ſed cum inſigni talento polleret ad conciones, his habendis à Superioribus maturè eſt applicatus; dixitque in præcipuis vrbibus Italiæ ad populum per Quadrageſimam cum laude, & fructu. Et remenſurus iam erat idem ſtadium, quando graſſante Lue, mors intempeſtiua nobis illum eripuit in Collegio Stabienſi die 5. Nouembris 1656. Dum Neapoli Magiſter ſcholarum inferiorum eſſet, nondum Sacerdotio initiatus, edidit:

Orationem quam habuit in Funere Marci Alcaratij Ordinis Carmelitarum inſcriptam *Vrna cinerum, & lacrymarum* Neapoli 1639. typis Iacobi Gaffari in 4.

CAROLVS SCRIBANIVS, natione Belga, natus Bruxellæ anno 1561. Patre Placentino viro nobili, & qui Alexandro Farneſio, Parmæ, & Placentiæ Principi, Belgicæ Proregi, carus erat, matre Gandenſi. Belli Belgici tumultibus eiectus in Colonienſem Academiam dum ibi Philoſophiam humanæ ſapientiæ audiret, animum ad Societatis noſtræ diuinam ſapientiam appulit. Tirocinium vitæ religioſæ Treuiris poſuit anno 1582. Inde à P. Franciſco Coſtero Rhenanæ tunc Prouinciæ Præpoſito, reductus in patriam, cùm *Rhetoricam* multis annis docuiſſet, ac deinde Duaci Philoſophiæ curſum docendo emenſus eſſet, viuax ingenium, totà deinceps vità tum ad gubernandum, tum ad ſcribendum ſimul contulit, ea felicitate, vt, qui videt monumenta gubernationis, miretur ſcribere potuiſſe; qui monumenta ſcriptionis, miretur, potuiſſe gubernare. Vernaculis linguis, Hiſpanicà, Germanicà, Italicà, Gallicà, Belgicà, ita promptè loquebatur, vt nemo crederet eum alio in loco natum eſſe, quàm cuius lingua vtebatur. Antuerpiæ Præfecturam Scholarum per annos 7. magno litterarum humaniorum bono præclare ſuſtinuit. Inde ad gubernationem Noſtrorum aſſumptus, Rectoratum Antuerpiæ, Præpoſituram Prouinciæ Flandro-Belgicæ, Rectoratum Bruxellæ, annis omnino 28. non interpolatè geſſit. Domus Profeſſæ apud Antuerpienſes erigendæ auctor, curatórque fuit. Prima etiam iecit fundamenta Tirocinij, ac Collegij Mechlinenſis, & Domus tertiæ probationis Liranæ. Ob res geſtas, ſcriptaſque, ſummis infimiſque in pretio fuit. D. Erycius Puteanus vir magni iudicij, Scribanium aſſerebat cuiuis ſcriptioni & functioni parem. D. Aubertus Miræus aiebat vix ſingula ſæcula ſingulos ferre Scribanios. A Valerio Andrea vocatur Hæreticorum Antagoniſta, Caluiniſtarum terror. Franciſcus Suuertius mitra, & pedo digniſſimum profitetur. Henricus Fitzſimon celebrat velut vnum e millious glorioſum pugilem in Eccleſia Dei. Maximi eum fecit *Vrbanus VIII.* Pont. Max. quod, & litteris ad eum datis, & ſacris donarijs miſſis ſæpe teſtatus eſt. Ferdinandus II. Imperator Auguſtus litteris beneuolentia pleniſſimis eium honorauit, cui etiam fuerat ad Confeſſiones propoſitus, niſi fractæ annis vires impediuiſſent. Rex Hiſpaniarum Philippus IV. per Comitem Oliuarium indicari iuſſit duo ſibi, cum cætera placerent omnia, in Scribanio diſplicere: vnum, quod eius ſapientia in tanto locorum interuallo aſſiduè frui non poſſet; alterum, quòd liber Politico-Chriſtianus ſibi dedicatus, quem optaſſet ſeruare velut priuatum ſibi conſiliarium, publicè legeretur orbe vniuerſo. Henricus IV. Galliarum Rex ob Nominis famam, & vota pro ſe concepta in Amphitheatro Honoris, cùm calumniatores librum illum flammis expiandum vrgerent, diplomate Regio ad eum miſſo laudauit, & Ciuem illum Gallicum cum ſolitis priuilegijs inſcripſit. Omitto commemorare Principes alios, Albertum Belgarum, Maximilianum Boiorum, Vvolfgangam Guilhelmum Neoburgicum: Omitto Eminentiſſimos S. R. E. Cardinales, inprimis Borromæum, Borgiam, Cobellutium, Barberinum, Bentiuolum, Sanſeuerinum, Cueuam, alios: Denique prætereo Ducem ac Comitem Oliuarum, Marchionem Spinolam, & ſexcentos alios, quorum fuit in eum, ſummę exiſtimationi par beneuolentia, omni genere officiorum explicata. Per quadraginta & quod excurrit annos, quidquid controuerſiarum fuit in Contractibus, in Cambijs, in difficultatibus alijs mercatorijs Antuerpiæ, ſemper concurrentibus ſponte ad eius arbitrium partibus, bono exitu deciſum eſt, & deinceps Scribanij ſententia apud omnes pro irrefragabili norma fuit. Cum quibuſcumque ageret, cor rapiebat, & ita deinde poſſidebat, vt volentes ac libentes duceret flecteretque, quocumque voluiſſet. Bruxellæ Rector noctes dieſque obruebatur aduentantibus auxilij, conſilijque cauſa, Principibus viris, ac fœminis; Sed ille ad extremum, aulicorum morum, & irrequieti ſtrepitus pertęſus, honeſtam & piam miſſionem petijt, & impetrauit. Ergo Antuerpiam regreſſus per annos 4. varijs grauibus, & aſſiduis morbis oppreſſus ad bonam, & religioſam mortem, Chriſtum patientem meditatus, ſe compoſuit. Compendium Elogiorum in Epitaphio continetur, quod illi in lamina ex ære inaurata additis marmoris albi ornamentis poſitum eſt, vbi hæc leguntur

D. O. M.

D. O. M.

AETERNAE MEMORIAE
INCOMPARABILIS VIRI.

R. P. CAROLI SCRIBANI S. I.

QVEM BRVXELLA MVNDO, ANTVERPIA COELO DEDIT:
POSTQVAM
PONTIFICI MAX.
CAESARI, REGIBVS, PRINCIPIBVS PLVRIMIS,
DOMI FORISQVE CARVS,
HAERETICIS STYLO TERRIBILIS
BONIS OMNIBVS AMABILIS,
ANIMI MAGNITVDINE, CONSTANTIA, IVDICIO,
CONSILIO, LINGVARVM PERITIA, RERVM VSV
NVLLI SECVNDVS,
EVROPAM TOTAM
FAMA SVI NOMINIS LVCVLENTER IMPLESSET:
DISSIDIA NOBILIVM FAMILIARVM, MILLE CONTROVERSIARVM ARBITER,
PRIVATAE PACIS VINDEX, PVBLICAE STVDIOSVS
FELICITER COMPOSVISSET:
SOCIETATEM IN BELGIO PER ANNOS XXVIII.
QVA PROVINCIALIS, QVA RECTOR
MIRE PROMOVISSET,
PRVDENTIA, MORVM GRAVITATE, VITAE INTEGRITATE,
RELIGIONE IN DEVM, PIETATE IN PATRIAM
CONSPICVVS
LAVDABILITER VIXIT ANNOS LXIX.
EX MERITO AMORIS, QVOD LICVIT
OPTIMO PATRI SPIRITVALI
LACRYMABILE MORTIS ET RESVRRECTIONIS MONVMENTVM
DOMVS ET FAMILIA HOVTAPPELIORVM
PRAETER VOTVM POSVIT
ANNO REPARATAE SALVTIS, M.DC.XXIX. IVNII DIE XXIV.
BENE PRECARE MORTVO LECTOR
BREVI MORITVRE.

Ab

Ab eo in vario Scriptionũ genere ſunt hęc

Ars mentiendi Caluiniſtica nomine Romani Veronenſis edita Moguntiæ 1602. in 8.

Amphitheatrum Honoris aduerſus Caluiniſtarum criminationes lib. 3. ſub nomine Clarij Bonarſcij, quod eſt Anagrammatiſmus; Paleopoli Aduaticorum apud Alexandrum Verheiden 1605. quem librum paulò poſt recudit addito *auctario libri* 4. *&* 5. Antuerpiæ ex officina Plantiniana.

Commentarius in Dominici Baudei Gnomas ſuppreſſo nomine. Antuerpiæ quidem, ſed ficto nomine, Lugduni Batauorum apud Thomam Baſſonum 1607.

Defenſio Poſthuma Iuſti Lypſij, ibidem typis Moreti 1608. in 12. & 1629. in 4. inſerta Famæ poſthumæ Iuſti Lypſij à Balthaſare Moreto collecta & excuſa

Antuerpia, in qua Antuerpienſium ingenium, educatio, mores ibidem 1610. in 4.

Antuerpienſium origines. Ibidem 1610. in 4. Continet Vrbis initia, progreſſus, incrementa, cum iconibus, & deſcriptionibus Topographicis, & Chronographicis.

Orthodoxæ Fidei Controuerſa, libr. 6. quorũ

1. *De Scriptura, Traditionibus, Iudice*.

2. *De Apoſtolicæ Fidei Germanis denunciationibus*.

3. *De Reliquijs Sanctorum*.

4. *De Miraculis*.

5. *De Sanctorum inuocatione*.

6. *De Imaginum cultu*. Antuerpiæ ex officina Plantiniana Moreti 1612. in 8.

Philoſophus Chriſtianus. Antuerpiæ typis Nutianis 1614. in 8.

Meditationum Sacrarum tom. 2. Belgicè. Antuerpiæ apud Trognæſium 1613. quos Latine vertit P. Ioannes Briſſelius 1615. & Coloniæ 1618. Prodierunt eædem meditationes Gallicè Pariſijs 1619.

Amor Diuinus. Antuerpiæ per Nutium 1615. in 8. Moguntiæ apud Ioannem Albinum 1616. in 12. & Coloniæ 1618. in 12.

Spiritualis vinea, ſeu Piæ Precationes. Lingua vernacula Antuerpiæ apud Nutium 1616. & apud Verduſſium 1622.

Votiua gratulatio in Annunciationem B. M. Virginis. Antuerpiæ typis Plantinianis Moreti 1618.

Medicus Religioſus De Animorum morbis, & curationibus. Antuerpię apud Nutium 1618. & 1619. in 8. & Monaſterij Vveſtphaliæ 1620.

Superior Religioſus, De prudenti, ac religioſa gubernatione. Antuerpiæ 1619. in 8. & Monaſterij Veſtphaliæ 1620. in 12.

Adoleſcens Prodigus. Antuerpiæ apud Martinum Nutium, & fratres 1621. in 8.

Inſtitutio politico-Chriſtiana ad Philippum IV. Hiſpaniarum, & Indiarum Regem. Antuerpiæ typis Nutij 1624. in 4. Sæpiùs deinde recuſa nonnullis in dedicatione operis modicè variatis

Veridicus Belgicus ſeu Ciuilium apud Belgas Bellorum initia, progreſſus, finis optatus, in quam rem remedia à ferro, & Pace præſcripta: Fidei, patriæ, Orbis bono. Item *Reformata Apocalypſis Batauia* aucta & recenſita, ſine nomine Antuerpiæ apud Nutiũ 1624. & alibi.

Chriſtus patiens Pijs exercitationibus illuſtratus Vrbano VIII. Pontifici Maximo D. D. Antuerpiæ apud Martinum Nutium 1629. in 4.

CAROLVS TORNIELLVS natione Italus, Mediolanenſis, Societati aggregatus anno Domini 1599. ætatis 16. votorum 4. profeſſionem emiſit. Rhetoricam, & amœniores litteras quinquennio docuit; poſtea Theologiam moralem. Rexit Collegia Alexandrinum, Cremonenſe, Comenſe, & in hoc diem extremum religiosè clauſit die 12. Octobris 1630. Edidit in lucem

Orationem in laudem S. Caroli Borromæi, quam habuit Romæ in æde S. Ambroſij coram S. R. E. Cardinalibus die quo in Sanctorum numerum eſt à Paulo V. adoptatus 4. Nouembris anno 1610. Coloniæ apud Ioannem Kinckium. Extat ea quoque apud Antonium Sanderum in Elogijs Cardinalium. Decade 1. num. 11.

CAROLVS VVERPÆVS, natione Belga patria Condruſius, Diœceſis Leodienſis in Societatem Tornaci anno 1612. ætatis 20. ingreſſus, Rhetoricam tùm in Belgio, tùm in Bohemia cum laude docuit. Redux in Gallo-Belgicam ſedulum egit varijs in Collegijs operarium. Fuit placidi ingenij, eximiæ in proximos caritatis, itaut graſſante grauiter Dionanti Lue, non dubitauerit pro fratribus animam exponere, nihil deterritus tot anteceſſorum ſuorum eo ſancto in miniſterio funeribus. Pauperes quoque frequenter inuiſebat, ſolabatur, & corrogatis eleemoſynis perlibenter ſubleuabat. Nec minùs curabat illorum animas, quam corpora, quos in Noſocomio, ſupra annos 12. doctrinæ Chriſtianæ pabulo ſalutari conſtanter refecit. Demum ſeptuagenario maior, ſpiritualibus Coadiutoribus pridem adſcriptus, & tolerantiæ morbi diuturni meritis cumulatus applicuit ad portum immortalitatis. Hui 27. Decembris 1666. Scripſit

Piarum lacrymarum in 4. fontes, ſeu totidem libros Elegiarum diuiſarum cum Rythmis ad calcem ſingulorum. Coloniæ apud Ioannem Kinckium 1640. in 16. Item

De Raptu Manreſano S. Ignatij de Loyola lib. 4. Poema Epicum Antuerpiæ apud Hieronymum Verduſſium 1647. Recuſum in Parnaſſo Societatis Francofurti 1654. in 4.

CAROLVS ZAMBERTVS, natione Italus, patria Placentinus, in Societatem anno Chriſti 1615. ætatis ſuæ 19. ingreſſus, Iuris vtriuſque laurea Doctorali iam tum ornatus, in ea Rhetoricam, & litteras humaniores triennio, Philoſophiam verò, & Theologiam moralem annis 20. partim in Collegio noſtro

par-

partim in æde Metropolitana Bononienſi docuit. Opera illius in munere Theologi, vſi ſunt complures tùm Legati à latere, tùm Archiepiſcopi Bononiæ. Mortalitatis vinculis ſolutus eſt Fauentiæ die 27. Aprilis 1650. vota quatuor pridem antea profeſſus. Edidit ſub nomine Lectoris Theologiæ moralis in Cathedrali Bononiæ.

Deciſiones caſuum Conſcientiæ, qui ſingulis menſibus in Congregationibus Archipresbyteralibus Diœceſis Bononienſis diſcutiuntur, annorum ſcilicet 5. ab anno 1634. vſque ad annum 1639. Bononiæ, Typis Hæredis Victorij Benatij in 4.

* CASIMIRVS VVIIVK KOIALOVVICZ natione Lithuanus, Societati nomen dedit anno ſalutis 1634. ætatis ſuæ 17. & vota quatuor ſolemnia in ea nuncupauit. Docuit in ea Poeſim, Rhetoricam, Philoſophiam, & triennio Scholaſticam Theologiam, Eccleſiaſten ſeptennio egit. Rexit difficillimis temporibus belli Moſcouitici Vilnenſe Collegium, poſtea in eodem Præfecturam ſtudiorum ſuperiorum multis annis egit, & Academiæ Procancellarium. Demum dum Collegium Poloœnſe adminiſtraret naturæ conceſſit, die 9. Nouembris 1674. Edidit

Inſtitutionum Rhetoricarum partes 2. Vilnæ typis Academicis 1654. in 12. Recuſos ibidem 1659.

Panegyricos Heroum varios in vnum volumen collectos. Vilnæ typis Academicis 1668. in 8.

Modos 60. Sacræ orationis variæ formandæ. Antuerpiæ 1668. in 8.

Panegyricum de Ladislao Vvolowicz Palatino Vitepſcenſi defuncto. Vilnæ 1669. Polonicè etiam ſcripſit

Panegyricos & Conciones varias.

CASPARVS, vide *Gaſpar.*

CHRISTIANVS BAVMAN, natione Germanus, gente Sueuus, patria Effrituueilenſis, Diœceſeos Conſtantienſis, iuuenis 20. annos natus in Societatem ingreſſus eſt anno Domini 1607. in qua diſciplinas Humaniores & Philoſophicas aliquot annos docuit: vir inſigniter doctus, & acri ac profundo ingenio. Profeſſus eſt 4. ſolemnia vota die 31. Iulij anno 1625. inter doctiſſimos ſuæ Prouinciæ meritò adnumerandus. In theatris tam ſocco quàm cothurno plurimum valuit; & plauſus maximos tulit, reliquitquè moriens Comœdias aliquot, & Tragœdias necdum typis editas, quas ſibi complures deſcripſerunt: Philoſophicis porrò applicatus ita præcelluit ſubtilitate ingenij, vt hortati ſint ipſum plures in vniuerſum Ariſtotelem commentarios elucubrare. Verùm has cogitationes interciderunt primò febricula, poſtea Apolexia, qua ictus religioſe obijt Ingolſtadij die 6. Maij 1635. ætatis 48. Hoc in eo rarum fuit, quod eodem prorſus ardore quo cœperat in Tirocinio omnia ſua præſertim ſpiritualia, totius vitæ curſu peregerit. Edidit ſuppreſſo nomine

Crucem Euſtachianam, id eſt, Panegyricum Illuſtriſſimo D. Euſtachio Vveſternach cùm in Magnum ordinis Teutonici Magiſtrum eſſet electus anno 1625. Dilingæ in 4.

Theoriam corporis animati ſeu diſputationes de Triplici anima, & plures de vniuerſa Philoſophia Theſes perdoctas Dilingæ ac Ingoſtadij diſputatas

Commentarios in vniuerſam Ariſtotelis Philoſophiam, reliquit prælo paratos, ſed nondum prodierunt.

CHRISTIANVS HALVERIVS, natione Germanus, patria Haluerenſis. Romæ Societatem complexus eſt anno ſalutis 1558. in qua religiosè vixit, & piè mortuum eſt Fuldæ anno 1581. 10. Ianuarij. Ita Ribadeneira (qui poterat illum probe cognouiſſe) in editione Catalogi 1609. Lugduni; & 1613. Antuerpiæ. Et huic narrationi conſonant Catalogi in Tabulario Romano, qui referunt illum, & profeſſionem votorum quatuor emiſiſſe Viennæ Auſtriæ, anno 1561. & vixiſſe diu poſtea in Prouincia Rhenana, Moguntiæ, & alibi, inſignem operarium; tuliſſeque palmam Apoſtolicarum peregrinationum, ſeu Miſſionum in Diœceſi Herbipolenſi anno 1569. tradit Sacchinus in Hiſtoria Societatis Parte 3. lib. 5. num. 114. Denique obijſſe quoque Fuldæ, vt ſuprà, teſtantur noſtri Catalogi defunctorum, vt manifeſtum ſit irrepſiſſe errorem, in editionem huius Bibliothecæ anno 1643. incuriâ fortaſſis Typographi, in qua affirmatur complexum eſſe Heluerium Societatem Romæ anno 1581. 10. Ianuarij cùm eo die atque anno mortuus ſit Fuldæ. Scripſit Haluerius

Diſputationes de Fide Theologica eiùſque origine, ac certiſſima forma.

De vnius Eccleſiæ Sanctæ Catholicæ, & Apoſtolicæ origine, & nunquam interrupto progreſſu

De Domini Noſtri IESV CHRISTI morte, ſepultura, reſurrectione.

CHRISTIANVS MAYER, natione Germanus, patria Mengelrodenſis in Eiſchfeldiâ honeſtis, & antiquâ pietate præditis natus parentibus ad XVII. Kal, Aprilis anni 1584. ab iiſdem optimè à primis vſque vnguiculis ad virtutem formatus, Diuino ducente ſpiritu præclarum poſuit ſanctimoniæ tirocinium. A quinto iam tum ætatis anno ad Societatem IESV aſpirauit, cùm excurrentium Heiligenſtadio ſociorum doctrina catechetica imbueretur. Decennis itare cœpit ad ſcholas, tanta adhuc animi innocentiâ, vt vel leuiſſimæ noxæ ſpeciem, in omni actione perhorreſceret. Coeterùm omne turpitudinis nomen impenſiſſimè reformidabat, & omnem mulierum, tameti cognatarum, aſpectum, attactùmque, quantauis neceſſitudine vrgeretur, procul arcebat: ſic illi ſcilicet ad extremum vſque diem ſtetit Virginalis caſtimoniæ

moniæ flos illibatus; fatebaturque iam æuo grandior tanta ſe à puero gratia Diuina præuentum, cumulatùmque fuiſſe, quantam non facile in vllo eorũ quos multos peritiſſimè tractauerat vnquam comperiſſet. Datus illi eſt à bono Deo magiſter Grammaticorum ſtudiorum percommodus, qui ſuccreſcentem in puero iuuentuté ſolertiſſimè toto triennio promouit. Duodennem docuit Diuina contemplari, & materiam illi commentationis in capita digerebat, quæ puer tam auidus hauriebat, vt domi, ac ruri captaret latebras, quò ſe liberiùs ab arbitris, profundiùſque immergeret in eam mentis exercitationem, nunquam ſterilem, nunquam non actionis moderatricem. Bis ſacro profeſtis, ter feſtis diebus intererat obſeruabili pietate. Confitebatur quaque hebdomade peccata ſua, poſtremus ſociorum, quo ſecundùm confeſſionem otioſiùs prolixiùſque duceret cum Confeſſario ſacra colloquia. Ter ſe iam tum quot hebdomadis ad ſanguinem flagellabat, ter cingulo cilicino, nodiſque aſperato corpus afflictabat: ter vel ſæpe crebriùs inediam ſeruabat: verno ieiunio diem exigua panis cruſtula, & tenuioris hauſtu cereuiſiæ traducebat, obſonij reliquum in egenos, orare priùs doctos, effundebat. Ab hoc vitæ modo nullæ calumniæ, nullæ potuerunt dimouere vexationes, quas frequenter oportuit illatas ſuſtinere. His artibus adeo nihil impedimenti litterarum ſtudijs allatum eſt, quod multi mortales perperàm putant, vt eas ſibi profuiſſe impendiò ad profectum expertus ſit. Rhetoricâ biennio tractatâ, in Societatem adlectus eſt anno 1602. in qua paribus doctrinæ, ac virtutis progreſſibus eò prouectus eſt, vt Ariſtotele apud Vbios explicato, Nouitijs primùm inſtruendis, tum Patribus in tertia probatione inſtruendis præficeretur. Doctorali Theologiæ laureâ & quatuor votorum profeſſione ornatus fuit. Ad extremum Treuiris poſt adminiſtratam annos 11. Domum probationis, die Auguſti 28. anno 1634. inter ſuorum preces animam pientiſſimè cœlo tranſmiſit, relicto poſteris nobiliſſimo virtutum exemplo, quod paucis perſtringam. Orationis, contemplationiſque tam perennæ fuit in eo ſtudium, vt aliud agere nihil videretur. Quidquid in ſuo induſtriarum Enchiridio, quidquid in meditationum Diario faciendum propoſuit, ipſe perpete contentione perfecit. Manè poſt conſuetam ſocijs omnibus horariam meditationem, & Diuinæ hoſtiæ litationem, in duas adhuc horas ducebat orationem. Exinde vibratorijs in cœlum ſuſpirijs ita omnes per diem actiones, tamquam pulcherrimis luminibus diſtinguebat, vt nullo vnquam interuallo Deum è mente dimitteret, nihil agendum ſuſciperet, niſi Deo conſulto. Ex eo fonte ducebat lacrymas, quibus ſuauiſſimis crebro irrorabatur, inde ſuſpitia, inde animi exæſtuantis ardores, quos non poterat diſſimulare. Orationem, quæ voce fit, ſingulari mentis accuratione, corporiſquè modeſtia peragebat, ſemper de genibus, manibus ante ſe iunctis, & à pectore parùm diuulſis. Preces Canonicas alternis cum altero lubentiùs quàm ſolus recitabat, quòd conciliari ſibi pietatem, attentionemquè ſentiret. Colligebat totum ad illas animum, neque ſyllabam præteribat vnicam, quæ ſi à ſocio incorrectè pronunciaretur, eam non ipſe repeteret. Si qua cauſa ab aliquo interpellaretur, quidquid Officij dixerat, relegebat. Addebat quotidie *Pſalmos de Pœnitentia*, & alteros de Gradibus, Officium defunctorum, & pro clauſula roſariam *Virginis Matris* coronam. Venerabilem Euchariſtiam manè à ſtrato primam venerabundus adibat, reuiſebat quinquies ſeptieſue interdiu; nullam temporis inclementiam veritus cùm per aream ſubdialem eundum eſſet, noctè ante cubitum poſtremùm ſalutabat. Sacris operabatur tam pia morum, corporiſquè habitudine, vt non obſcurus inde ſanctitatis fulgor emicaret, qui præſentium oculos perſtringeret. Secundum hanc in Chriſtum pietatem, Matrem eius *Virginem* à teneris tenerrima ſemper reuerentia proſecutus eſt. A primo tirocinio ad extremam vſque vitam per annos, menſes, ac dies pium ſibi rationarium ſuarum actionum conſcripſit: in eo nulla pene Deiparę ſolemnitas ſine propriæ nota virtutis fuit, quàm ſibi æmulandam proponebat. Eiuſdem Virginis Auguſtiſſimæ cultum, amorem, imitationem, tamquam abſolutiſſimæ perfectionis ideam omnibus impensè commendabat. In Enchiridio ſuo nullam ſine illius encomijs prætermiſit induſtriam. Nomen eius, reuerentiæ ſtudio rariſſime pronunciabat, ſed tum inſignem prætermittebat ſeriem titulorum. Eam ſalutatione Angelica, quot horis ad æris campani ſignum diligentiſſimè venerabatur, auctorque omnibus, vt idem præſtarent, erat. Nullam negligebat eius celebrandæ opportunitatem, & ad eius gloriam varijs modis amplificandam omnes ſemper induſtriæ ſuæ neruos explicuit. *Procurandæ* animarum ſaluti ita ſe deuouerat, vt eam ſibi functionum omnium, laborùmque ſcopum deſignaſſe videretur. Cumquè in credita ſibi tironum Noſtrorum inſtitutione campum eſſet vberem, ac ſuis parem votis ſortitus, incredibile dictu eſt, quantà eos diligentiâ ad firmam, ſolidàmque virtutem informaret, ratus ad plurimorum ſalutem mortalium pertinere, ſi quàm maximè idoneos illis, & robuſtæ ſanctitatis doctores comparaſſet. Vrgebat autem ſuos præcipuę ad familiarem de Diuinis rebus ſermocinationem, tamquam qua fere vna collectus meditando virtutis ardor, non ſolùm ipſe foueretur, ſed ad inflammandos inuicem alios, aptiſſime admoueretur. Caſtimoniæ quam illum integram ſemper ſeruaſſe, iam dixi, vindex fuit, & cuſtos attentiſsimus, magna ſenſuum compreſſione, cibi parcimonia, cor-

poris afflictatione, perniciſſima periculorum fuga. Paupertatem verè, vt matrem complexus eſt, & ne quid in eam admitteret, diligentiſſimè cauit. Sæpe alſit per hyemem, vt lignis parceret. Veſtes vſu detritas, niſi per fraudem ſubducerentur, vix dimittebat; vnis calceis vſus eſt ſexennio, ne tunc quidem eos depoſiturus, niſi Maiorum auctoritas acceſsiſſet. Obedientia, quæ commendatiſſima Societati virtus eſt, ita eminuit, vt eam in ipſo vere genuinam agnoſceres, tam prompte ſuperiorum imperia capeſſebat tam integre, conſtanterque adimplebat; quiſquis ille demum eſſet, cui pro rerum conditione ſubeſſet. Solum hoc admonuit Curatorem infirmorum, cùm ſecum ageret inclementius, ne tirones aſſueſceret, alioſque imbecilliores tamduriter habere. Societatis vt erat æſtimator maximus, ita erat amator acerrimus; & contra maleuolentiam obtrectatorum vindex interritus, quique non dubitauit aliquando vitam in diſcrimen pro ea tuenda conijcere. Hinc illi legum omnium diligentiſſima cuſtodia, & æſtimatio ſumma; vt vel ſolæ exterioris corporiſque ex modeſtiæ regulis compoſitione, magnam ſpectantibus ſui faceret admirationem. Solus ipſe ſui erat deſpicientiſſimus, & cum eximia in ſe Dei beneficia non ignoraret, ſubmiſſionis inde materiam colligebat, quod ſe diceret illis negligentiſſimè reſpondere. Interim viliſsimis ſe miniſterijs crebrò exercebat, ollas fricare, lances tergere, Sociorum pedibus aduolui, humi mendicatis cibarijs veſci. Conſulebat omnium commodis ſtudioſiſſimè, omnium factus horarum, ne cui ſolatio, aut ſubſidio egenti vnquam deeſſet. In pauperes tantum non profuſus, certè vltra familiæ annonam liberalis fuit, & cauſanti domeſticam indigentiam Oeconomo, Deum benignum eſſe reſpondit, daret porrò, dum, quod dari poſſet, ſuppeteret. Tot virtutum ornamentis commendata viri ſanctitas, animum nonnullis addidit, vt ipſius patrocinio ſe confiderent, à grauibus morbis liberationem poſſe diuinitùs impetrare. Signifer Gallus colica & alui diuturna ſexdecim dierum pertinacia ad vitę deſperationem deductus, inuocato in vota P. Chriſtiano haud pridem demortuo, & membris dolore vexatis chirographo ipſius contactis, præter ſpem medicorum reualuit. Vnus è ſocijs, biennalibus ſtomachi doloribus afflictus, cùm à medicamentis nihil beneficij experiretur, atque interim ab omni mentis contentione impediretur, Deum rogat, inſtitit, vt ſuæ ac P. Chriſtiani nuper extincti gloriæ augendæ, eius meritis malum à ſe ſtomachi dignetur depellere; atque illi reſtituta paucis poſt diebus integritas & ſtomachi firmitas eſt. Edidit

Enchiridion Induſtriarum præcipuas vitæ piæ, ac religioſæ exercitationes, quæ quolibet die occurrunt, perfectè obeundi. Coloniæ in officina Birckmannica 1634. in 8. & 16.

Diarium Meditationum Anniuerſariarum. De præcipuis vitæ Chriſti myſterijs, diuinis beneficijs, attributis, feſtis B. V. ac Sanctorum, & pleriſque virtutibus in ſingulos anni dies, Eccleſiaſtico tempori congruenter digeſtarum, omnibus mentali orationi addictis peraccommodum, in ſex partes diſtributum. Coloniæ in officina Birckmanniana 1635. in 8. & duobus tomulis in 16.

* CHRISTIANVS DE PLACKER natione Belga patria Poperinganus natus anno ſæculi fluentis 13. Societati ſe adiunxit 39. & votorum 4. profeſſionem edidit . Sexennium profeſſus eſt diſciplinas humaniores, & miſſus in Hollandiam, vt vineam illam Chriſti vepribus, & dumetis hæreſum obſitam excoleret, nauiter & fructuosè ampliùs viginti annorum ſpatio in illius culturam ſe iam impendit; vt autem faciliùs rusticorum ibi animos præceptis Diuinis imbueret, cantilenas ſacras compoſuit, quibus omnia Dominicarum, & Feſtorum Euangelia ad vulgi captum ſcite exponuntur. Libro huic titulum fecit:

Alauda Euangelica. Antuerpiæ typis Hermanni Aertſij 1667. in 8.

CHRISTOPHORVS DE ACVNNA natione Hiſpanus patria Burgenſis Illuſtri genere ortus, Societati ſe adſcripſit anno ſalutis 1612. ætatis ſuæ 15. & poſt aliquot annos ſtudijs in Hiſpania impenſos ad lucra animarum nauigauit in Indiam Occidentalem, vbi multis annis in Paraquaria, Regno Chilenſi, & Peruano, Operarius Indorum, & Profeſſor Theologiæ moralis fuit. Inde perluſtrato magno flumine Amazonum iuſſu Regis Catholici reuerſus in Hiſpaniam, tamquam Procurator ſuæ Prouinciæ petijt Romam, & poſt annos aliquot tranſactos in Hiſpania, vbi Supremæ S. Inquiſitionis Qualificator, ſeu Cenſor fuit, iterum tranſmiſit in Indiam, & nunc Limæ degit iuuandarum animarum ſtudio intentus; emiſſis pridem in Chilenſi Collegio votis quatuor ſolemnibus. Poſt reditum in Hiſpaniam edidit Hiſpanicè

Nouam detectionem magni Fluminis Amazonum. Matriti typis Regni 1641. in 4.

CHRISTOPHORVS BORRVS natione Italus, patria Mediolanenſis admiſſus in Societatem anno ſalutis 1601. poſtquam multos annos in Oriente, & totos 5. in Cocincina laudabiliter expendiſſet, remiſſus in Europam docuit aliquandiù Conimbricæ, atque Vlyſſipone Matheſim. Inde Madridium accitus à Rege, vt inuentum ſuum dirigendæ ab Occaſu in ortum nauigationis, per declinationem magnetis exponeret, cùm neſcio quid ambire videretur ab Inſtituto Societatis alienum, Romam euocatus eſt. Ibi à Societate ſegregatus; dum res ſuas agit incautiùs, repentino morbo correptus paucis horis extinctus eſt die 24. Maij anni 1632. Edidit Italicè

Relationem nouæ Miſſionis à Patribus Societatis Ieſu inſtitutæ in Regno Cocincinæ. Romę

per

per Franciſcum Corbellettum 1631. in 8. quæ latine prodijt Viennæ Auſtriæ typis Michaelis Rictij 1633. alibi quoque in alias linguas transfuſa.

CHRISTOPHORVS BROVVERVS natione Belga, patria Arnhemienſis in Geldria anno 1580. die 12. Martij ætatis 21. in Societatem noſtram Coloniæ admiſſus eſt; iuuentutem politioribus diſciplinis expoliuit: Philoſophiam etiam Treuiris laudabiliter profeſſus eſt, poſtea Fuldenſis Collegij Rector. Antiquitatis tùm Eccleſiaſticæ, tùm prophanę eruendæ feliciter ſtudioſus, quo nomine à Cardinali Baronio tomo Annalium Eccleſiaſticorum 10. mirificè aliquoties laudatur. Quanta viri virtus fuerit, & amor in Societatem, ex hoc vno cognoſci potuit, quod inter vltima eius verba, quæ effatus eſt à Superiori Collegij Treuirenſis (vbi diem ſuum obijt) exceptum eſt. Nam cùm varijs morbis multos iam annos exagitatus fuiſſet, arthritide, podagra, calculo, horum affeclis ſymptomatis, biduo ante mortem rogatus, num quid eum grauaret? reſpondit complicatis magno affectu manibus: O Diuina Prouidentia, quantum bonum eſt in Societate mori! & paulò poſt lethargo oppreſſus, conſtitutum ſibi à Diuina prouidentia terminum in hac mortali vita attigit die 2. Iunij anno 1617. ætatis 58. religionis 37. dudum votis 4. ſolemnibus obligatus. Euulgauit

Venantium Fortunatum à ſe Notis illuſtratum, ac nouis Tractatibus auctum, qui tomo 6. Bibliothecę magnæ Patrum inſertus eſt, &

Hrabani Mauri Poemata cum notis. Moguntiæ typis Ioannis Volmari 1617. in 4. & 6. Tomo operum Hrabani. Coloniæ apud Antonium Hieratum 1626. in folio.

Antiquitatum Fuldenſium libros 4. Antuerpiæ typis Plantinianis Moreti 1612. in 4.

Sidera Illuſtrium & Sanctorum Virorum, qui Germaniam præſertim Magnam, olim rebus geſtis ornarunt, è manuſcriptis in lucem eruta. Moguntiæ 1616. in 4.

Antiquitates Annalium Treuirenſium, & Epiſcoporum Treuirenſis Eccleſiæ Suffraganeorum, vt Metenſium, Tullenſium, & Verdunenſium, magno labore, & ſtudio peragrata Prouincia Treuirenſi, excuſſiſque omnibus Archiuijs collegit. Earum pars prior librorum 18. edita eſt poſt mortem Auctoris Treuiris, & Coloniæ apud Bernardum Gualterum anno 1626.

CHRISTOPHORVS DE CABRERA natione Hiſpanus, patria Cordubenſis nobili domo natus, in Societatem ſe recepit anno ſalutis 1606. ætatis 17. atque in ea quatuor vota ſolemnia concepit. Docuit Philoſophiam, & Theologiam tùm Scholaſticam, tùm Moralem; gubernauitque Collegium Aſtigitanum, Granatenſe, ac Hiſpalenſe, iamque deſignatus Viſitator Prouinciæ Peruanæ, dum Gadibus nauigandi tempeſtiuitatem opperitur, correptus morbo, per frequentes actus heroicos virtutum, præclarè ad mortem comparatus, applicuit ad portum æternæ (vt ſperare fas eſt) felicitatis die 23. Ianij 1643. Fuit vir eximiæ virtutis, & ſiue Tiro, ſiue Scholaſticus ſiue Profeſſor, ſiue Operarius, ſiue Superior, norma & idea cæteris. Scripſit Hiſpanicè:

Epiſtolam ad Prouinciam Societatis Ieſu Boeticam, De morte, & Virtutibus P. Georgij Hemelmam eiuſdem Societatis, qui obijt pridie Nonas Iunij 1637. Eodem anno in folio.

CHRISTOPHORVS CASTRVS ſiue DE CASTRO, natione Hiſpanus, patria Ocanienſis Diœceſeos Toletanæ, natus eſt anno ſalutis 1551. atque à puero Societatem notam expetens, eam demum complexus eſt Compluti, latinis, ac Philoſophicis imbutus litteris anno 1669. Sacras litteras Compluti, & Salmanticæ cum laude interpretatus eſt, & Toletanum rexit Collegium. Vir religione, & litteris ornatiſſimus, in quibus dies noctéſque indefeſſo ſtudio verſatus eſt vota quatuor profeſſus ab anno 1575. Obijt Madridij die 2. Decembris anno 1615. ætatis 65. ſcripſit

Hiſtoriam Deiparæ V. M. ad veritatem collectam, & veterum Patrum teſtimonijs comprobatam, acuratéque diſcuſſam, Hiſpanicè, & latinè Compluti 1605. & Moguntiæ apud Balthaſarem Lippium 1610. in 8. Hiſpanicè Compluti 1607. in 8.

Commentariorum in Ieremiæ Prophetias, Lamentationes, & Baruch lib. VI. Pariſijs apud Michaelem Iannium 1609. in folio.

In Sapientiam Salomonis breuem, ac dilucidum Commentarium, Lugduni apud Horat. Cardon 1613. in 4.

Commentariorum in 12. Prophetas libros XII. cum Paraphraſi. typis ijſdem, & Moguntiæ apud Ioann. Theobaldum Schonvvetterum 1616. in folio. Antuerpiæ apud Verduſſium 1615. in folio.

Præmiſit autem Iſagogem libris 4. in quibus exponit accuratè omnia quæ pertinent ad Vaticinium naturale, ad Diuinationem, ſeu Vaticinium artificioſum, ad Prophetiam, ſeu ad veram futurorum præcognitorum prædicationem, & ad Prophetas ipſos. Reliquit etiam

De Religioſo ſtatu libros VIII. qui ſeruantur Romæ M. SS. Idem ipſe contexuit Hiſpanicè

Hiſtoriam Collegij Complutenſis Societatis Ieſu, ab eius origine ad annum Chriſti 1568. quæ habetur etiam M.SS.

CHRISTOPHORVS CLAVIVS, natione Germanus, patria Bambergenſis, natus anno ſalutis 1538. prima adoleſcentia Societatem experijt, & Romæ eam ingreſſus 1555. cùm alias ſcientias imbibit, tum verò Mathematicas auidiſſimè, ac ſtudioſiſſimè didicit, & magna cùm laude 20. annis, Romæ profeſſus eſt; tantumque felicitate ingenij, atque labo-

labore aſſiduo profecit, vt non cum recentioribus tantùm Mathematicis, ſed etiam cum Antiquiſſimis illis, & peritiſſimis ſit comparandus. Ex quo factum eſt, vt illum alij, Mathematicarum diſciplinarum ſcientia præſtantiſſimi, Euclidem noſtri ſæculi appellent, alij verò malle ſe à Clauio vituperari, quàm ab alijs laudari ſcribant. Vir magnus, qui recudendis eius operibus nouiſſimè præfuit, non dubitat appellare inſigne Mathematicorum ſidus, patriæ ſuæ gloriam, Societatis Noſtræ decus, Eccleſiæ Chriſtianæ ornamentum; virum denique maximarum virtutum, & eruditionis laude celeberrimum, in quo illud maximè admirandum extiterit, quod cùm tanta eruditionis fama, ac nominis ſui claritudine, tam inſignem pietatem, ac modeſtiam perpetuò coniunctam retinuerit; vt nullum ſibi hominem vnquam, ſe ipſum alijs omnibus poſtponeret. Tandem ætate meritiſque grauis, Romæ vita defunctus eſt die 6. Februarij anno 1612. ætatis 75. vota 4. pridem antea profeſſus. Eius opera cùm ſeorſum diuerſis temporibus prodierunt, tum verò nouiſſimè ab Auctore correcta denuò, & plurimis locis aucta, Tomis v. impreſſa ſunt Moguntiæ, ab Antonio Hierato typis Reinhardi Eltſij annis 1611. & 1612. in quibus hæc continentur

1 *Commentarius in Euclidis Elementa Geometrica: Item in ſphæram Theodoſij.*

Sinuum Tangentium, & ſecantium ratio, &

Tractatus Triangulorum, ſeu rectilineorum, tum ſphæricorum

2 *Geometria Practica.*

Arithmetica Practica.

Algebra.

3 *Commentarius in Sphæram Ioannis de Sacro boſco.*

Aſtrolabium.

4 *Gnomices lib. VIII.*

Fabrica, & vſus inſtrumenti Horologiorum.

Horologiorum noua deſcriptio.

Compendium breuiſſimum ſcribendorum Horologiorum.

Notæ in nouam Horologiorum deſcriptionem.

5 *Romani Calendarij à Gregorio XIII. P. M. reſtituti explicatio* iuſſu Clementis VIII. edita, cui annexus eſt *Computus Eccleſiaſticus.*

Noui Calendarij Romani Apologia. aduerſus Michaelem Maſtlinum Geppingenſem in Tubingenſi Academia Mathematicum duobus libris explicata.

Appendix ad Noui Calendarij Romani Apologiam, In qua Ioſephus Scaliger, Georgius Germanus, Franciſcus Vieta, qui Calendarium aliter inſtaurandum eſſe contenderunt, ſeorſim ſinguli confutantur.

CHRISTOPHORVS DE CONTRERAS, natione Hiſpanus natus in Lepe Diœceſeos Hiſpalenſis in Societatem adſcitus anno ſalutis 1603. ætatis 20. votorum 4. profeſſionem emiſit. Concionator, & operarius annis amplius viginti mortalitatem exuit Malacæ die 13. Decembris 1634. Reliquit prælo paratos, quos mors impediuit edi

Commentarios in Sophoniam Prophetam.

CHRISTOPHORVS FERREIRA natione Luſitanus, patria de Torres-Vedras, Diœceſeos Vlyſſiponenſis admiſſus in Societatem anno Domini 1596. ætatis 16. Vir egregijs à natura dotibus inſtructus, anno 1609. in Iaponiam nauigauit, vbi vſque ad annum 1633. multas grauiſſimas perſecutiones varijs in Regnis ſuſtinuit, dum animarum ſalutem procurat. Demùm cum pluribus alijs deprehenſus, & è tigillo per pedes capite in ſcrobem depreſſo ſuſpenſus eſt. Quo tempore digreſſæ Nangaſacho Luſitanorum naues vulgarunt per orbem Chriſtianum ipſum, cæteroſque pro Chriſto mortem oppetijſſe in tormentis, qui rumor cùm fide dignus merito videretur etiam in typos venit. Cæterùm ipſe fatiſcens animo non tenuit Confeſſionem; nam poſtquam per tres, aut quatuor horas è tigillo ſuſpenſus (vt dictum eſt) pependiſſet, turpiſſimæ defectionis à fide ſignum edit, atque ita illicò è foſſa exemptus eſt. Nihilominus ſi vera ſint (vti eſſe omnino exiſtimamus) quæ multorum litteris poſtea ex Oriente ſcripta ſunt, & referunt Noſtri Ioannes Nadaſi in Libro de Mortibus illuſtribus, & Daniel Bartolus in Hiſtoria Iaponiæ, ſicut in priora Sancti Pontificis Marcellini veſtigia, cadendo iuerat; ità poſteriora, generosè reſurgendo, ſectatus eſt; & pœnitens facti, reductuſque ad tormentum foſſæ, glorioſè mortem in ea pro Chriſto ſuſtinendo, prioris defectionis maculam ſuo ſanguine deleuit Nangaſachi circa annum Domini 1652. Scripſit

Annuas litteras è Iaponia anni 1627.

CHRISTOPHORVS GARCIA YANNEZ natione Hiſpanus patria Methymnenſis à Campo, Societatem amplexus anno ſalutis 1591. ætatis 18. adhuc Tiro nauigauit in Indiam Occidentalem 1592. vbi confectis ſtudijs in Prouincia Peruana, vir doctrina, & prudentia magnus euaſit. Philoſophiam, & Theologiam profeſſus eſt. Sanctæ Inquiſitionis in Peruano Regno Cenſorem egit. Domum probationis Limenſem, & Collegium Chuqui-ſaquenſe rexit. Romam à Prouincia delectus Procurator venit: demum in reditu ſuam ad Prouinciam ad laborum brauium euocatus eſt, Hiſpali die 13. Iunij 1646. Scripſit

Encyclopædiam totius Iuris, Tractatibus XIV. abſolutam, cuius ideam luci dedit hac epigraphe

Acoluthia, ſeu Argumentum operis, hoc eſt cohærens, & apta ſedes clauis Scientiæ, & Poteſtatis Iuris naturalis, Diuini, Gentium, Pontificij, Cæſarei, Hiſpanici, ac Americi, ſeu noui Orbis.

CHRISTOPHORVS GILLIVS, ſiue

ÆGIDIVS natione Luſitanus patria Brigantinus, Diœceſis Mirandenſis, hic poſtquam in Academia Conimbricenſi multos annos humaniores litteras, & Artem dicendi, ac Ariſtotelicas diſciplinas profeſſus eſt, Sacram Theologiam in eadem Academia, & in Eborenſi magna cum laude auditoribus explicauit; in hoc docendi munere plus annis 20. conſumptis, & Doctorali Laurea inſignitus, Romæ inter Cenſores ad examinandos libros à P.N. Generali deſignatos vnus fuit. Et ex vrbe in Luſitaniam regreſſus, vt Franciſci Suarij locum impleret, Conimbricæ exceſſit è vita die 7. Ianuarij anno 1608. ætatis ſuæ 53. à quo in Societatem venerat 38. vir fuit tantâ vitæ innocentiâ, vt acceptum ſemel in ſacri fontis lauacro diuinæ gratiæ donum, creditus ſit ad extremum vſque vitæ ſpiritum ſanctè illibatèque ſeruaſſe. Caſtiſſimum Angelicæ virtutis florem, non ſolùm habuit in delicijs, atque ad mortem, vſque illibatum ſeruauit, ſed etiam, vt alijs eſſet in amoribus vehementer contendit. Cùm meditabatur Diuina, vel Deo ſacrificabat, ſæpiùs viſus eſt dulces lacrymas effundere. Mira valuit dexteritate ad prophanos ſermones, abſque faſtidio colloquentium in cæleſtes conuertendi. Non ferebat coram ſe famam alienam vellicari, ſed acerbiſſime ſtomachabatur, ſi Superiorum perſtringeretur auctoritas, aut debita illis obſeruantia, vel minimo verbo lædi videretur. Ingenio fuit perſpicaci, promptoque, iudicio peracri; omnigena doctrina inſtructus, multis rebus magnus; at ſui demiſſione verè maximus. Idiotam putares, ſi hominem non noſſes. *Humilium familiaritate* delectabatur, & aliquando Conimbricæ cùm Theologiam doceret, ſui deprimendi gratia, mendicis ſe pulla in veſte inſeruit, cum ijs ſtipem ad ianuam accepit, comedit, bibit. Aliena opera plurimi, ſua nihili faciebat; quæ vt ederet non priùs quàm pro imperio cogeretur, in animum induxit. Quæ edidit non alteri quam Sanctiſſimæ Trinitati Deo ſuo, cui ab ineunte ætate omnes, ſe, ſuos labores, & vigilias dicaſſe profitetur, tranſcripſit. Morti proximus ardenter expetijt, vt quæ ſupererant eius opera darentur flammis. Optauit per magnos cruciatus vitam abſoluere, & factus eſt voti compos. Eius exequiæ celebri totius Academiæ concurſu cohoneſtatæ ſunt; & encomium texuit Georgius Cardoſus in ſuo Agiologio ad 7. Ianuarij. Edidit

Commentariorum Theologicorum; de ſacra Doctrina, & Eſſentia, atque virtute Dei libros 11. qui Lugduni ſumptibus Horatij Cardon primum mox Coloniæ Antonij Hierati anno 1610. in lucem prodierunt in folio. Plura alia Theologica ſcripſit opera, quæ in Archiuio Collegij Conimbricenſis aſſeruantur.

CHRISTOPHORVS GRIERBENGERVS natione Germanus patria Oenohalenſis in Tiroli, dignus Clauio Præceptore diſcipulus, cuius etiam locum Romæ, multis annis docendo impleuit. Admiſſus in Societatem eſt in Prouincia Auſtriæ anno Chriſti 1580. ætatis ſuæ 19. vbi etiam diſciplinas manſuetiores explicuit, Mathematicas verò, partim in illa, partim Romæ, vbi 4. votorum profeſſionem emiſit, duodetriginta annorũ ſpatio explanauit. Obijt Romæ die 11. Martij anno 1636. magno Noſtris luctu relicto, & lacrymis, qui viri ſummum candorem, humilitatem, animi lenitatem, obſequendi ſtudium adamauerant. Sed erat iam cælo maturus. Edidit

Catalogum veteres affixarum ſtellarum longitudines, & latitudines cum nouis collatas continentem. Romæ apud Bartholomeum Zannettum 1612. in 4.

De ſpeculo Vſtorio Elliptico libellum, & Appendicem ad practicam coni ſectionem, cui annexa ſunt. Conſectaria quæ circulorum contactum ſectionemque angulorum curuilineorum concernunt.

Rerum Mathematicarum opuſculum I. *quod continet ſex primos libros Geometricorum Elementorum Euclidis, cum parte vndecimi* ex Commentarijs *Clauij* contractos. Romæ apud Hæredem Zannetti 1619. in 16.

Opuſculum II. *in quo ſunt elementa Trigonometrica, ideſt Sinus, Tangentes, Secantes, in partibus Sinus* 100000. Romæ ijſdem typis 1619. in 16.

Addidit prætereа libro iij. Roſæ Vrſinæ Chriſtoferi Scheineri inſignes aliquot

Demonſtrationes Praxeos Regiæ, vt ipſe vocat. Reliquit Chriſtophorus

Elementa Conica.

Nouam horarum omnis generis delineandarum inuentionem.

Aſtrolabiorum omnis generis deſcribendorum Tractatum.

* CHRISTOPHORVS HAVNOLDVS natione Germanus, patria Althenthanenſis in Bauaria, ex Ephebio Sereniſſimi Electoris recepit ſe in Societatem anno ſalutis 1630. ætatis ſuæ 20. & votorum 4. ſacramento ſe adſtrinxit. Poſt traditas diſciplinas humaniores, Philoſophiam docuit ſexennio, Theologiam moralem, & Polemicam triennio, Scholaſticam verò in Vniuerſitatibus Friburgenſi, & Ingolſtadienſi annis 15. Nunc ſtudia Ingolſtadij Præfectus moderatur. Edidit hactenus

Defenſionem pro infallibilitate Eccleſiæ Romanæ. Ambergæ 1654. in 4.

Inſtitutionum Theologiæ libros 4. Ingolſtadij 1659. in 8.

Curſum Theologicum, ſiue Theologiæ ſpeculatiuæ libros 4. reſpondentes Partibus ſummæ D. Thomæ. Ingolſtadij apud Ioannem Simonem Knab 1670. in folio.

Controuerſiarum de Iuſtitia, & Iure Priuatorum vniuerſo in 4. *Tomos digeſtarum* quorum Tom. 1. complectitur Tractatus 5. De Legibus,

bus, Conſuetudine, &c. Ingolſtadij iiſdem typis 1671. in folio.

Tom. 2. complectitur tractatus duos. De vltimis voluntatibus. Ibidem eiſdem typis anno, & forma.

Tom. 3. complectitur tractatus De Contractibus in genere, & alijs. Ibidem eiſdem typis 1672. in folio.

Tom. 4. de Contractibus reſiduis tam nominatis, quàm innominatis, Ibidem iiſdem typis, anno, & forma.

CHRISTOPHORVS HOLTZLETNERVS natione Germanus patria Brunouienſis in Bauaria gradum in Societate Coadiutoris ſpiritualis formati adeptus. Hic dum Caſtra Bauarica ſecundo Danubio ſequitur. Paſſauij febre peſtilente oppreſſus eſt die 18. Auguſti anno ſalutis 1620. ætatis 58. ab inita Societate 39. Vir fuit magno ad hominum ſalutem æſtu ſemper incitatus; cui, vt hoc etiam modo ſatisfaceret multa ſcripſit ipſe, multa in aliud idioma tranſtulit cum multorum commodo

Opuſcula Pia. inter quæ eſt

Teſſera ſalutis à P. Stephano Binetto Gallicè conſcripta, ab ipſo latinè facta. Auguſtæ 1620. in 12. apud Saram Mangiam

* CHRISTOPHORVS LE IVGE natione Gallus, patria Pariſinus Societatem ingreſſus anno ſalutis 1624. ætatis 21. poſt ſexennium humanioribus litteris docendis impenſum, Concionibus ſacris ad populum habendis ſe applicuit, & per annos 16. eo munere magna cum laude, & fructu perfunctus eſt, vota 4. ſolemnia profeſſus. Rexit ſemel iterumque domicilium Dieppenſe, vbi etiam ad vitam immortalem migrauit die 12. Maij 1670. Vir fuit magni laboris, eloquentiæ non vulgaris, in Controuerſijs de fide verſatiſſimus, Concionator inſignis, Hæreticorum oppugnator acerrimus, quique tum ſcriptis libellis, tum ſuis Concionibus, multas de ijs reportauit victorias. Scripſit tacito ſuo nomine.

Campum Florum Latinitatis. Rothomagi in 4. edidit Gallicè

Iuſtificationem modi procedendi Catholicorum contra Ianſeniſtas. Pariſijs 1656. in 4.

Breuem, & facilem Methodum defendendi Eccleſiam contra omnes aduerſarios. Rothomagi apud Richardum Lallemant 1667. in 12.

Plura parantem prælo mors occupauit.

* CHRISTOPHORVS KISSENPFENNING natione Germanus patria Viennenſis in Auſtria, Societatem adoleſcens amplexus eſt anno ſæculi labentis 39. ætatis ſuæ 17. & votorum 4. profeſſionem emiſit. Innocentiæ nomen quod ad Religionem attulit magnis virtutibus auxit. Per omnes diſciplinas præclarè excultus, poſtquam humaniores litteras per annos aliquot inſigni cum laude docuiſſet ad Philoſophiam prælegendam deſtinabatur; ſed præualuit in eo zelus animarum, vt id muneris deprecaretur. Quare concionibus ſacris habendis applicatus, totum proximo ſe impendit. Dixit eo ſpiritu, vt terrori eſſet Hæreticis, eâ gratiâ, vt amori eſſet Catholicis. Rebus humanis exemptus eſt Poſonij die 12. Decembris 1663. & funus ab omnis ordinis, & ſexus hominibus, quorum ſalutis erat ſtudioſiſſimus, comploratum. Edidit in lucem

Ideam Lutheraniſmi. Viennæ typis Iacobi Kurner 1661.

CHRISTOPHORVS MADRIDIVS natione Hiſpanus, patria ex oppido Daimiel Toletanæ Diœceſis, & peractis Compluti Philoſophiæ, ac Theologiæ ſtudijs, Romam anno ſalutis 1540. profectus eſt, vbi apud Ioannem Dominicum de Cupis Sacri Collegij Cardinalium Decanum Theologi officio perdiu functus, cognita tandem, atque reiecta mundi vanitate, ſeſe S. P. N. Ignatij permiſit poteſtati, eiuſque conſilio Societatem noſtram amplexus eſt. Erat is tantæ auctoritatis, ac prudentiæ, tantique eius conſilium faciebat S. Ignatius, vt cùm grauibus ipſe morborum, atque aſſiduis moleſtijs ab adminiſtranda Societate impediretur, ipſum propemodum tironem, vnà cum Ioanne Polanco, & Hieronymo Natale, collatis inter ſe conſilijs ſuprema voluerit vti poteſtate. Deinde apud Iacobum Lainium II. Præpoſitum Generalem Aſſiſtens pro Italia, & Sicilia fuit; ne tùm quidem adhuc cùm renunciatus eſt, anno 1558. ſolemnia vota profeſſus, quæ anno deinde ineunte 8. Idus Ianuarias nuncupauit. Romanam profeſſam Domum per multos annos gubernauit. Scripſit perutilem, ac doctum libellum

De frequenti vſu Euchariſtiæ. Neapoli anno 1556. primùm, tum alibi ſæpe recuſum, aduerſus eos, qui rem ſanctiſſimam, atque ipſa experientià vtiliſſimam, fucatis, & adumbratis rationibus oppugnant. Quamquam iam inter Catholicos, qui oppugnent pauci ſint, res enim ipſa clamat. Quo tamen tempore Chriſtophorus ſcripſit, re, vt videbatur nouà, ac minùs compertà, erant permulti quibuſcum decertandum fuit. Ceſſit è vita Romæ ſexagenario maior anno ſalutis 1573. die 13. Auguſti.

CHRISTOPHORVS MAYER, natione Germanus, patria Auguſtanus in Sueuia. Vir fuit à doctrina commendatus, quiquè Philoſophiam, ac Theologiam totis 30. annis, Patauij, Brixiæ, Græcij, Viennæ tractauit. Græcenſem Academiam Cancellarius adminiſtrauit. Diſputator egregius, acer iuxta, ac iucundus. Præfuit ſexennio Noſtris in tertio, Probationis anno inſtruendis. Mirùm fuit, cum tanta doctrina, quantam coniunxerit animi ſimplicitatem, & modeſtiam; qua vna non domeſticis tantùm, ſed externis etiam ſummis viris; atque ipſi Ferdinando II. Cæſari Auguſto, qui in rebus conſcientiæ diffi-

cil-

cillimis, vſus eius operâ eſt, carus erat. Caritatis paciſquè cum omnibus ſeruandæ fuit ſtudioſiſſimus; & cùm aliquando verbum protuliſſet, quo ſocius viſus fuerat offendi, in veſtigio flexis genibus deprecatus eſt. Tenerrimo erat in Deum, atque omnia Diuina affectu; hinc in ſacro, in exhortationibus, in pijs colloquijs lacrymas non tenebat. Obedientiæ obſeruantiſſimus, morbi, & moleſtiarum eius patientiſſimus; Caſtimoniæ ſtudium, vel hoc vno ſatis expreſſit, quod paulò ante obitum pronunciauit; Caſtos, & humiles in Societate perſeuerare. Obijt Viennæ die 11. Octobris anno 1626. ætatis ſuæ 58. ab ingreſſu in Societatem 44. in qua, & 4. ſolemnia vota ſuſceperat, & Doctor Theologiæ renunciatus fuerat. Edidit

Octo fidei Controuerſias, ob quas ſolas plerique hoc tempore difficultatem habent redeundi ad Eccleſiam manifeſte Catholicam: Nimirum

De neceſſitate Bonorum Operum. *De communione ſub vna ſpecie*

De Chriſti præſentia in Euchariſtia. *De Purgatorio*

De cultu, & inuocatione ſanctorum. *De cultu ſacrarum Reliquiarum*

De cultu ſacrarum Imaginum. *De traditionibus*.

Coloniæ apud Ioannem Kinckium in 8. & Norimbergæ 1626. in 12. Has controuerſias, cum eſſet aggreſſus refutare Ioannes Hoferus auctoritate Academiæ Lipſienſis Lutheranæ, & Electoris Saxoniæ, in ipſo molimine vi veritatis quam in ijs aſpexit, compulſus, profugit Viennam, & ſe ad Eccleſiam Catholicam primùm, deinde etiam ad Societatem adiunxit, in qua confectis nouo animo ſtudijs, prælia multa molitus eſt in hoſtes veritatis, & piè obijt, vt ſuo loco dicetur.

Compilauit præterea, ſed non edidit in lucem, iniquitate temporum impeditus, & Bellorum, quibus diu Germania flagrauit, aliàs approbatos ad typos, quique Coloniæ in Collegio Societatis aſſeruantur, Tomos tres in 3. partem S. Thomæ. Quorum

1. *Agit de ingreſſu Chriſti in mundum, & progreſſu vſque ad annum ætatis 30.*

2. *De Congreſſu Chriſti cum hominibus, conuerſando, docendo, miracula patrando.*

3. *De egreſſu eius ex hoc mundo.*

CHRISTOPHORVS MERIGOT, natione Lotharingus, domo Nanceianus, natus eſt anno 1579. ingreſſus autem in Societatem anno 1607. in qua litteras humaniores diu profeſſus, ſtudijs etiam aliquamdiù præfuit, & ad populum concionatus eſt. Trium votorum profeſſionem edidit anno 1625. & ex hac vitâ ad meliorem (vt fas eſt credere) commigrauit Lingonis die 16. Aprilis 1636. Scripſit Gallicè

Vitam Philippæ Geldricæ, Duciſſæ Lotharingiæ, & poſtea Religioſæ in Monaſterio S. Claræ. Muſſiponti apud Hanſelet

CHRISTOPHORVS MIHR, natione Germanus, patria Aſchaffenburgenſis natus anno 1589. in Societatem duodeuigeſimo ætatis ingreſſus, Eccleſiaſten in ea plurimùm egit. Vir fuit indefeſſi laboris, ſalutis animarum ſtudioſus, & ſui adeò negligens, vt pluſculos ſæpe dies pauxillo panis contentus ægre vitam toleraret. Fuldæ mortuus eſt 22. Auguſti anno 1625. Ob morum religioſam comitatem magno ſui deſiderio domi foriſquè relicto. Heidelbergâ Catholicis armis occupatâ, ſe totum proximo impendit, & ideo vernaculâ lingua ibidem Edidit anno 1622.

Catechiſmum cum precibus, Inſtructionibus, Canticis peropportunum conuerſioni Acatholicorum. Aliquoties recuſum

* CHRISTOPHORVS DE ORTEGA natione Hiſpanus, patria ex Oppido S. Clementis Diœceſeos Conchenſis, poſthabito Cruci Chriſti Maioratu ad quem vocatus fuerat, Societati nomen dedit anno ſalutis 1616. ætatis ſuæ 19 & in ea votorum quatuor Sacramento ſe adſtrinxit. Poſt traditas Humaniores litteras, Philoſophiam quinquennio, Theologiam 20. annis profeſſus eſt. Concionatorem etiam annis aliquot egit; à Nuntio Apoſtolico in Theologum adſcitus, à ſacra ſuprema Inquiſitione in Cenſorem; ab Archiepiſcopo Toletano in Examinatorem Synodalem; A Comitijs Prouinciæ Toletanæ miſſus eſt Romam ad Congregationem Procuratorum; deinde Rector Collegium Complutenſe adminiſtrauit, & modo Madriti degit Edidit hactenus

Allegationem Theologicam pro frequentiſſima Auguſtino, Patribus, Concilijs, & Eccleſia propoſitione; Deus aſſumpſit hominem. Toleti ex Typographia Regia 1657.

De Trinitate tractatum ſeu tomum Controuerſiarum, ſcholaſticarum, & Dogmaticarum. Lugduni ſumptibus Horatij Boiſſat, & ſociorum 1664. in folio

De Incarnatione tractatum, ſeu tomum Controuerſiarum ſimilium. Lugduni eiſdem typis anno, & forma.

De Deo vno. Tomis 2. Lugduni ſumptibus Petri Cheuallier 1672. in folio.

* CHRISTOPHORVS OTT, natione Germanus, patria Friburgo Briſgoiæ, Sedecim annos natus Societatem complexus eſt anno ſalutis 1628. & profeſſionem votorum quatuor in ea edidit. Poeſim triennio, Eloquentiam quinquennio, Logicam, & Ethicam aliquamdiu docuit, tum Eccleſiaſten ex ſuggeſtu per annos 22. egit, agitque etiamnum ſuperſtes. Edidit Germanicè

Conciones de bona Educatione liberorum. Ingolſtadij typis Ioannis Oſtermair 1655. in 8. Latinè verò

Laurum Carolinam, de geſtis Caroli Magni, & ſequentium Carlingorum Cæſarum. Ingolſtadij typis eiſdem 1654.

De-

Digitized by Google

Demonſtrationem Catholicæ veritatis ex ſolo capite 10. *S. Matthæi* Germanicè Auguſtæ typis Veronicæ Apergerin 1660. in 4.

Cauſas Conuerſionis ad Fidem Catholicam Neophytorum Auguſtanorum. Auguſtæ, & Ingolſtadij in 12.

Manuale Controuerſiarum præcipuarum huius temporis. Auguſtæ typis Simonis Vtzchneide 1664. in 8.

Confutatationem Tremellianam. Auguſtæ typis iiſdem 1662. in 4.

Vertit in Latinum ex gallico P. Pauli Barrij

Pacta Agiophilæ cum Filio Dei. Ingolſtadij 1646. *librum*

CHRISTOPHORVS PFLAVMER, natione Germanus, patria Biberacenſis in Sueuia Diœceſis Conſtantienſis natus anno ſæculi elapſi *96*. Societati ſe adiunxit labentis 15. & vota quatuor nuncupauit. Poſt traditas humaniores litteras, Concionator fuit annis 25. & ex his nouemdecim Superior Miſſionis Sulzbacenſis. Vir doctus, pius, Martyrij deſiderio ſemper flagrans, ad omnia magna habilis, niſi præmaturè illi auditum catharrus obtudiſſet, nihilominùs vel ſurdaſter magno plauſu, & fructu auditus eſt. Sulzbaci pro religione Catholica laborantem, Hæretici abſtraxerunt Norimbergam, & ſex menſium ſpatio carcere, & ærumnis vexarunt. Sed in his ſicut, & in doloribus ex calculo perferendis, inuictum robur animi ſemper oſtendit. Ad extremum cùm duo tantùm minuta ſibi ſupereſſe diceret, corpus ſcilicet, & animam, ne quidquam ſibi ſupereſſet, ex aſſe Hæredes ſcripſit Chriſtum, & Beatiſsimam Virginem Mariam, atque ita piè obijt Monachij die 12. Iunij 1655. edidit Germanicè

Dialogos 21. *de Controuerſijs quibus explicantur cauſæ* 4. *cur oporteat Hæreticos redire ad Catholicam Fidem*. Ambergæ 1653. in 8. Item

Memoriale Catholicum, ſeu Alphabetum 25. *veritatum Catholicarum*. Ambergæ 1649. in 4.

CHRISTOPHORVS DE ROSENBVSCH ſiue Roſetus, natione Germanus, patria Monacenſis, Iuuenis venit ad Societatem Romæ anno ſalutis 1562. & in ea trium votorum profeſſus factus anno 1570. vixit ad annum 1598. quo, die 15. Nouembris Auguſtæ Vindelicorum naturæ conceſsit. Pridie quàm moreretur cùm pios hymnos cantitaret, interrogatus, quid poſtero die in templo cantandum eſſet; reſpondit, quæ in piaculari ſacro pro defuncti anima fuerunt lecta: *Ego ſum reſurrectio, & vita*. Felix dum vixit in regenda iuuentute fuit. Scripſit Germanicè

Apologiam pro Societate IESV contra Lucam Oſiandrum 1586. Ingolſtadij apud Sartorium in 4.

Duas alias Apologias contra eundem, & alias. Ibidem 1588.

Tractatus varios contra Hæreticos.

Vertit ex Latino

Itinerarium Principum Iaponiorum, & multas

Epiſtolas Iaponicas.

CHRISTOPHORVS A SACRO BOSCO aliàs Holiuuodius, natione Hibernus, patria Dublinenſis, annos natus 22. Societatem amplexus eſt in Francia anno ſalutis 1584. & Muſſiponti Philoſophiæ, ac Theologiæ ſtudijs nauauit operam. Poſtea Philoſophiam in Italia, Theologiam Dolæ, Sacras litteras Patauij explanauit; & votorum quatuor profeſſionem ibidem emiſit. Inde miſſus vt Noſtris præeſſet in Hibernià, dum iter faceret captus in Anglia ab Hæreticis eſt, & ab his in carcerem detruſus, ſæpiùs cum peſtilentis Cathedræ Miniſtris diſputauit. Tandem tamen liber à vinculis, in Hiberniam traiecit, ibique Noſtros rexit totis 23. annis tanta prudentià, caritate, zelo, fortitudine animi, etiam difficillimis temporibus, dum ſæuiret perſecutio contra Catholicos, vt illius laboribus Apoſtolicis, & religioſæ prouidentiæ attribuerit P. Mutius Præpoſitus Generalis, quidquid ad ea tempora habebat Societas in Hibernia. Demum plenus dierum, & multis cumulatus meritis, tranſiuit ad Dominum, in Hibernia die 4. Septembris 1626. Edidit

Defenſionem Concilij Tridentini, & ſententiæ Bellarmini de Auctoritate vulgatæ editionis. Acceſſit

Libellus de inueſtiganda verâ, ac viſibili Chriſti Eccleſia. Antuerpiæ apud Ioannem Keerbergium 1604. Recognitus, atque auctus ab Auctore. Ibidem apud Hæredes Martini Nutij 1619. in 8. Item ſub nomine Ioannis Giraldini

Librum in Meteoris. Pariſijs.

CHRISTOPHORVS SCHEINER natione Germanus, gente Sueuus, domo Vvaldéſis prope Mindelhemium anno ætatis 20. in Societatem ingreſſus anno ſalutis 1595. quatuor in ea vota nuncupauit 31. Iulij 1618. ſacræ Linguæ, & Scientiarum Mathematicarum annis 14. Profeſſor Ingolſtadij, & Friburgi Briſgoyæ, & Collegij Niſſenis in Sileſia Rector fuit. Sereniſſimo Maximiliano Archiduci Auſtriæ nauauit operam in Mathematicis, & Theologicis. Sereniſſimo Carolo Archiduci, Fratri Ferdinandi II. Cæſaris, & Fundatori Collegij Niſſenſis, fuit à ſacris confeſſionibus. Vir indolis candidæ, & ad imperantium nutum promptiſſimæ; erga Beatiſſimam Virginem Deiparam, affectus tenerrimi, paupertatis ſanctæ apprimè ſtudioſus; auarus boni temporis, & ſomni parcus vnà, vel alterà horà conſuetum ſurgendi tempus ante occupabat, vt diutiùs in ſtudia incumberet. Tandem annum agens ſeptuageſimum ſeptimum breui apoplexia tactus, ſed expiatus, & vnctus, vitæ huius curriculum abſoluit Niſſæ die 18. Iulij 1650. Is admirabile de ſolis Maculis & facu-

ſæculis Phænomenon, primus inuenit. Ingolſtadij anno 1611. de quo edidit tacito nomine

Apellem poſt tabulam, hoc eſt, epiſtolas aliquot de hoc Phænomeno datas ad Clariſs. Virum Marcum Velſerum Auguſtanum, quibus aliorum iudicium tacitus exploraret, de re noua, & inſolente Auguſtæ Vindelicorum anno 1612. in 4.

Diſquiſitiones Mathematicas, de Controuerſys, & nouitatibus Mathematicis. Vbi expendit vſitata hactenus mundi Syſtemata, & Copernicanum validè impugnat. Ingolſtadij ex Typographio Ederiano 1614. in 4.

Nouum Solis Elliptici Phænomenon. Auguſtæ typis Chriſt. Mancij 1615. in 4.

Exegeſes fundamentorum Gnomonicorum, vbi præter alia traditur nouus modus deſcribendi lineas ellipticas, parabolicas, atque hyperbolicas in quocumque plano. Ingolſtadij typis Ederianis 1615. in 4.

Refractiones cæleſtes, ſiue *Solis Elliptici Phænomenon illuſtratum.* Ingolſtadij typis Ederianis 1617. in 4.

Oculum, hoc eſt, *Fundamentum Opticum in quo acurata oculi Anatome exponitur.* Oeniponti apud Danielem Agricolam 1619. in 4.

Roſam Vrſinam, ſiue *Solem ex admirando facularum, & macularum ſuarum Phænomeno varium*. Libris IV. Bracciani apud Andream Phæum 1630. in folio. In hoc opere copioſè pertractat auctor de maculis Solaribus, de Cæli corruptibilitate, & liquiditate; De Solis circa proprium axem gyratione, & alijs huiuſmodi curioſis quæſtionibus magna & ſolida eruditione.

Pantographicen, ſiue artem delineandi res quaslibet per parallelogrammum lineare, ſeu canum, mechanicum, mobile, libellis 2. explicatam, & demonſtrationibus Geometricis illuſtratam. Romæ ex typographia Ludouici Grignani 1631. in 4

Plura alia parabat ad prælum: nempè

Parelia in quibus multa de Iridibus, Halonibus, Virgis, Chaſmatis.

Maculas Solares aliquot reduces. Scintillationes Stellarum.

Oculum, ſeu Fundamentum Opticum auctū.

Oculos, ſeu Fundamentum Opticum ſecundū.

Opuſcula Optica Varia, & alia *pro ſtabilitate Terræ, & motu Solis* contra Galilæum. Verùm hæc typis non vulgauit

* CHRISTOPHORVS SCHORRER natione Germanus, patria Rottenburgenſis in Sueuia ad Neccarum, diœceſis Conſtantienſis, natus anno ſæculi fluentis 3. vicennis Societati ſe adiunxit anno 1623. die 14. Iulij, & votorum quatuor profeſſionem edidit. Prælegit in ea diſciplinas humaniores, Philoſophicas, & ſex annis Ius Canonicum, in Academia Dilingana. Sereniſſimo Alberto Sigiſmundo patrueli Sereniſſimi Electoris Bauariæ, nunc Epiſcopo Friſingen. & Ratisbonenſi, fuit à ſacris Confeſſionibus per triennium, eique Inſtitutiones Iuris Canonici explicuit. Rexit Collegia Lucernenſe, Monachienſe, tùm totam Prouinciam, & cùm tamquam Prouincialis intereſſet Congregationi 10. Generali Romæ, electus ab ea eſt in Aſſiſtentem pro Germania, eòque munere functus eſt decennio, magna laude prudentiæ, caritatis, & peritia noſtri Inſtituti. Gubernauit etiam ad tempus aliquot menſium totam Societatem tamquam Vicarius Generalis, durante infirmitate Præpoſiti Generalis Goſvvini Nickel. Demùm redux in Prouinciam Germaniæ, illam tamquam Viſitator luſtrauit, poſtea Collegium Monachienſe iterum moderatus eſt. Edidit hactenus:

Theologiam Aſceticam, ſiue Doctrinam ſpiritualem vniuerſam ex ſuis principijs methodicè deductam, & ad vſum paratam. Romæ typis Vareſij 1658. in 4. Item

Synopſim, ſeu Textum Theologiæ Aſceticæ compendio expoſitum Dilingæ Formis Academicis 1662. in 16.

Summam Perfectionis. Monachij 1663. in 16. recuſam Lucernæ, & in Bohemia

Synopſim Iuris Canonici verſantis circa poteſtatem Ordinis, Eccleſias, & Beneficia. Dilingæ 1642. in 8.

* CHRISTOPHORVS STEBORIVS natione Germanus, patria Heligenbergenſis in Sueuia ad lacum Aronianum, natus annos 25. acceſſit ad Societatem anno ſalutis 1599. & quatuor in ea vota nuncupauit. Poſt traditas humaniores litteras, Philoſophiam profeſſus eſt nouennio; Theologiam moralem quinquennio; Scholaſticam triennio; Polemicam de controuerſijs quadriennio; Scripturam ſacram interpretatus eſt quinquennio, & Cancellarius Academiæ Dilinganæ per quatuordecim annos fuit. Rexit etiam Collegium Conſtantienſe, vir omninò præclarus, neç minùs ob virtutem, quàm doctrinam inter præcipuos Prouinciæ ſuæ Patres, collocandus. Humilitatem vnicè coluit; obedientiæ perquàm ſtudioſus, quò grauius moleſtiuſque aliquid inſinuabatur à Superioribus, eò alacrior accurrebat. Charitate omnibus omnia fieri cupiebat, commune egentium, morbidorum, rudiumque aſylum; Parochorum verò, Religioſorumque varij ordinis oraculum. Cum à Suecis Germaniam inuadentibus ad Danubij ripam, pernoctare inſtar militis vigilias agentis, adactus eſſet, velut ad concionandum eò miſſus, omnes, qui adſtabant milites, admirabili facundia ad diuina accendit. Zelo gloriæ Diuinæ, ſe in ſequaces cuiuſcumque fidei impendit, atque eorum cauſa, itinera omnia pedes obijt, & cùm à ſtudijs immunis dabatur dies, eo ipſo vicinis in oppidis, pagiſq; animarum quæſtum perquiſiuit. Ab Hæreticis cum alijs ſuis Collegis in captiuitetem abductus, ludibria, carceres, calumnias, & quæ his annexa eſſe ſolent, plurium menſium ſpatio, æquiſſimo hilari-

T

larique animo ſuſtinuit. Tandem in libertatem reſtitutus, dum priſtino more munijs inſtabat ſuis, catarrhus viam morti aperuit. Oblatus eſt illi tunc aræ portatilis vſus, ſed conſtanter renuit, dictitans id Principum munus eſſe, ſibi quotidianam ſynaxim (nam æger quotidie ea fruebatur) abundè ſufficere. Ad extremum ſacris ritè munitus, & ſanctis nominibus Ieſu & Mariæ piè pronunciatis ſpiritum reddidit Creatori, Dilingæ die 11. Decembris 1639. Edidit lingua vernacula, ſed tacito ſuo nomine

De eleemoſyna ſpirituali. Dilingæ in 4.

De Chriſtianæ fidei rudimentis, per quæſtiones cum 4. Indicibus libellum ab Operarijs noſtris magni habitum, excuſum primò Dilingæ in 12. Iterum Monachij 1664.

CHRISTOPHORVS STEPHETIVS natione Germanus, patria Gliuicenſis in Sileſia Societati adſcriptus anno ſalutis 1583. ætatis ſuæ 19. quatuor in Societ. vota profeſſus Crumlouij anno ſalutis 1005. Docuit in ea Rhetoricam, & humanitatem triennio, Philoſophiam ſexennio; Matheſim triennio; Concionatorem egit per annos 13. Rexit Collegium Crumlouienſe, & demùm Græcij diem ſuum obijt die 30. Aprilis 1621. Edidit

Orationem à ſe dictam in exequijs Sereniſſimi Caroli Archiducis Auſtriæ Græcij anno 1590. eſtque poſtrema trium, quas edidit in ſuis Parentalibus Collegium Græcenſe. Item

Orationem funebrem in exequijs Illuſtriſſimi Domini Adami de Nouadomo habitam Pragæ 1596.

* CHRISTOPHORVS TODTFELLER natione Germanus gente Boius, Domo Artingenſis, in Societatem cooptatus anno ſæculi labentis 41. ætatis ſuæ 17. in Bohemia, votorum 4. profeſſionem emiſit. Diſciplinas humaniores in ea docuit fermè per ſexennium, Philoſophiam per quinquennium, Theologiam nouennio explicuit. Multis annis dixit ad populum, tàm latina, quàm vernacula lingua diſertus, & modò Olomucij degit. Edidit hactenus

Orationem de immaculata B. Virginis Conceptione, habitam à ſe Pragæ, coram Proceribus Regni, & Vniuerſitate. Pragæ typis Vniuerſitatis 1663.

Orationem funebrem coram iiſdem habitam, dum Ven. Capitulum parentaret Eminentiſſimo Cardinali ab Harrach. Ibidem typis iiſdem 1667. in folio.

Orationes funebres alias, et Conciones varias habitas varijs in locis, & annis, ſigillatim excuſas Pragæ, & Olomucij.

* CHRISTOPHORVS DE VEGA natione Hiſpanus, patria Tabalenſis in Nauarra natus anno ſæculi proximè euoluti 95. Deo ſe in Societate mancipauit, vertentis 12. in Aragonia, & votorum quatuor ſacramentum dixit. Præter litteras humaniores docuit in ea Philoſophiam, & Theologiam moralem; Concionatorem annis multis egit; rexit Collegium Turiaſonenſe, & Domum Profeſſam Valentinam, in qua viginti & quatuor annos degens, pietate ac zelo præluxit Noſtris, & vtiliſſimam proximis operam nauauit. Fuit quippe Operarius inconfuſibilis, & dum Præpoſitus præeſſet, domi foriſque ſæpiùs concionabatur, Confeſſiones pœnitentium excipiebat in templo, & quæ typis vulgauit, etiam elucubrabat. Humilitatis cultor eximiùs, infima domus miniſteria libenter obibat. Templum ſtatutis diebus cum alijs verrebat, patinas in culina tergebat, nec grandis natu eximi ab his voluit, vel adiutorem cubicularium admittere. Orationi impensè deditus, plures horas interdiù illi vacabat, nec vllum opus aggrediebatur, niſi præuia oratione. Peſte graſſante in Vrbe Valentina, ſe offerens in victimam, expoſuit ſe infectorum confeſſionibus audiendis, & poſtea vigente adhuc lue ad Oppida Vrbi proxima excurrens, per multa perſpeſſa aſptra, maximum fecit quæſtum animarum. Erga Deiparam ardentiſſimo ferebatur pietatis ſenſu, id quod luculenter teſtantur eius de ipſa lucubrationes in vulgus emiſſæ, & non paucis ab eadem remuneratus eſt fauoribus. Erga animas etiam in piacularibus flammis detentas, fuit admodum pius, nec vllum ferè inchoabat opus, quin illorum inuocaſſet opem, & non raró ceſſit id illi ex ſententia fermè prodigioſè. Quatuor circiter annos ante obitum graui ex morbo decumbens, illuſtria dedit ſuæ patientiæ ſpecimina, cupienſque diſſolui, Confeſſario admonenti de proximo mortis periculo, hilari vultu gratias egit, & pro opportuno nuntio imaginem elegantem donauit, atque ita ſuſceptis ritè ſacramentis, tamquam ſeruus bonus, & fidelis intrauit (vt fas eſt credere) in gaudium Domini ſui, Valentiæ die 18. Iunij 1672. Edidit in lucem

Theologiam Marianam, ſeu Certamina litteraria de Beatiſſima Virgine Maria, Partibus II. Lugduni ſumptibus Phil. Borde & ſoc. 1654. in folio.

Commentarios litterales, & Morales in librum Iudicum tomis 3. quorum primus prodijt Lugduni ſumptibus Horat. Boiſſat, & Soc. 1663. in folio.

Secundus, & Tertius. Ibid. ſumptibus Ioan. Ant. Huguetan & ſoc. 1671.

De Maximo malorum malo. Hiſpanicè Valentiæ, typis Hieronymi Villagraſſæ 1670. in 8.

Securitatis ſchedulam, ſeu ſaluum conductum ad æternitatem per deuotionem Marianam. Hiſpanicè, Valentiæ typis Bernardi Nogues 1650. in 4. recuſum ibidem 1655.

Caſus varios Confeſſionis duabus partibus. Hiſpanicè, Valentiæ apud Bernardum Nogues 1656. Italicè redditus à noſtro Ioſepho Fotio prodijt Romæ typis Fabij de Falco 1668. in 12.

Para-

Parauerat typis complura alia, ſed morte præuentus non edidit

* CHRISTOPHORVS VVRATISLAVV natione Bohemus, patria Protiuinenſis ex Illuſtriſſima familia Vvratislauiana, vicennis Societatem amplexus eſt Romæ anno ſalutis 1629. & ibidem ſtudia Theologica emenſus poſtea votorum quatuor nexu ſe adſtrinxit. In Bohemiam redux Philoſophiam explicuit ſexennio; Theologiam moralem aliquot annis; Conciones etiam habuit Italicas & latinas. Eximius cultor fuit B. Virginis, cuius venerationem, & amorem diſcipulis, dum Philoſophiam, aliaſque ſcientias prælegeret, omni arrepta occaſione nitebatur inſtillare. Teſtatur id ipſum etiam libellus à morte repertus, praxim continens in ſingulos dies colendi Deiparam aſſiduo vſu admodum attritus. Denique id ipſum confirmat liber, quem compoſuit de titulis, & laudibus B. Virginis, de quo mox dicemus. Sub illius itaque patrocinio conſtans cliens migrauit (vt confidimus) ad ipſius conſortium, & Sanctorum in Cœlo Niſſæ in Sileſia die 23. Octobris 1664. Edidit typis

Stimulos Caleſtes ad amandam, & colendam cæli, terræque, Reginam Mariam. Pragæ typis Academicis 1655. in 4.

CHRISTOPHORVS XIMENSES, natione Hiſpanus ex oppido Freſano Diœceſis Salmanticenſis natus anno ſalutis 1573. ad Societatem ſe aggregauit 1589. & quatuor votorum profeſſione ſe obligauit. Vir fuit omni virtutum genere ornatiſſimus, paupertate, obedientia, ſui contemptu, ſed Apoſtolica in primis charitate clarus, qua 33. totos annos in *Pictorum, gentis inter Philippinos efferatiſſimæ* ſaluti incubuit, & plurimos e denſiſſimis infidelitatis tenebris ad fidei lumen adduxit. Circumcurſabat illorum pagos nudiſpedibus, & ne cui forte deeſſet in tempore, octo, decem, pluresquè vno die leucas emetiebatur. Multa perpeſsu grauia ſupra quàm cuiquam credibile ſit tolerauit, ad ipſorum commoda procuranda. Linguam ipſorum Biſayam excellenter calluit, Oratione aſſidua, crebriſque pietatis exercitijs contra aduerſa nitebatur, eaque ieiunijs, & ſtatis flagellationibus, variaque corporis maceratione, conſtantiſſimo vitæ tenore ſeruata, roborabat. Vilem ſe ipſum habebat in omnibus, & qui valebat ingenio, & doctrina, facilè ſe alijs ſubmittebat, facilè ſe patiebatur à quouis doceri, diſſimulata quoad poterat ſua doctrina. Nunquam indignari viſus eſt, ne ijs quidem qui ſibi aduerſabantur, nunquam ob aduerſa turbari, omnibus ſe mitem, ac beneuolum exhibebat, atque etiam ſtudioſius, quando alijs cum imperio præerat, vt proinde nemo non libenter cum illo, & ſub illo viueret. Nihil vnquam Moderatoribus proponebat difficultatis, quod in ipſorum imperatis exhauriendis experiretur, ratus ſic perfectam conſtare obedientiam præſtarèque, vt ipſi aduertant aliquid ſibi ſupra facultatem eſſe, quod ideò præſtare nequiret, quam vt ipſe ſuggereret. Tandem longo, ac difficili morbo patienter tolerato, atque animo ritè per ſacramenta comparato, ſanctè exceſſit è vita Alangalangæ oppido Philippinarum die 3. Decembris anni 1629 ætatis 57. ſcripſit lingua Biſaya, cuius in Philippinis Inſulis vſus eſt, ſtylo eleganti magno Noſtrorum, & Indigenarum commodo

Tractatus varios de noſtræ fidei Myſterijs tomis 7. comprehenſos

Doctrinam Chriſtianam, Roberti Bellarmini in eandem linguam tranſtulit. Manilæ apud Emanuelem Gomez 1610, in 8.

CLAROMONTANVM COLLEGIVM Pariſijs Ciuitate Galliæ principe, fundatum, Parentem habuit inclytæ memoriæ Illuſtriſſimum D. Guilhelmum de Prato Epiſcopum Claromontanum, à Deo collocandæ atque propagandæ in Gallijs, Societati datum. Cùm enim Patres Noſtros in Concilio Tridentino, laium, Lainium, Salmeronem, familiariter cognouiſſet, primus in Gallia Societatem ſtatuit, fouit, ac protexit, attributis ei de conſenſu Summi Pontificis ædibus, quas habebat Lutetiæ, & adiectis redditibus anno ſalutis 1550. quæ mox Henricus Rex II. Societati tribuens ius ortus naturalis in Gallia, roborauit. Erexit idem pijſſimus, & munificentiſſimus Præſul, duo alia Societati Collegia in ſua Diœceſi, Billomi, & Mauriaci. Poſtea Pariſienſe auctum varijs acceſſionibus, & adiectis ſcholis, quas olim clauſas denuò aperiri iuſſit Ludouicus XIII. anno ſalutis 1618. ad culturam Iuuentutis, nunc eas omnes ſcientias docet, quas Societas tradere ſolet, & ordinariè ad mille octingentos diſcipulos bonis artibus, ac pietate imbuit. Collegio huic annexus eſt Conuictus, ſeu Seminarium ſub cura, ac diſciplina Patrum Societatis, in quo ex omnibus propè regionibus, & maximam partem Nobiles Adoleſcentes, magno numero, & plerumque ad quadringentos, atque in his Procerum, ac Principum variorum filij, litterarum ſtudijs nauant operam. Edidit Collegium hoc, ſuo nomine

Triumphum de Rupella capta à Ludouico XIII. Rege Chriſtianiſſimo Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoiſij in 4.

Gratiarum actionem eidem Regi Chriſtianiſſimo ob reſtitutum Collegium Conuictorum, & conceſſa præmia. Pariſijs anno 1625. in 8.

Baſilicam in honorem S. Franciſci Xauerij extructam à Domino de Noyers in Domo Probationis, laudatam, & deſcriptam à Collegij Claromontani Alumnis. Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoyſij 1642. in folio, & iterum 1665. in 12.

Muſas Claromontanas Senatui Pariſiorum ad Philoſophicas diſputationes Franciſci Molei &c. Pariſijs 1644. in folio

Digitized by Google

Pompam funebrem Sereniſſimo Principi Condæo. 1648. in folio

Carmina varia in obitum prematurum Franciſci Fuquetij. Pariſijs in folio

Defenſionem Collegij Claromontani aduerſus libellos ſupplices, & alia fornesta. Pariſijs 1594.

Proſphonetica Sereniſſimis Principibus Sabaudiæ. Pariſijs 1619. in 4.

Acta in ortu Sereniſſimi Delphini Franciæ. Gallicè 1638. in 4.

Symbola Heroica Archiepiſcopo Pariſienſi Franciſco Harlæo. 1672. in 4. Recuſa ibidem eodem anno cum auctario

CLAVDIVS D'ALLARD natione Gallus, patria Lugdunenſis, Societatem ingreſſus anno ſalutis 1619. ætatis ſuæ 16. Sexennium docuit humaniores litteras, ſcholis præfuit, & vota quatuor ſolemnia concepit. Vir apprimè religioſus, ſed valetudinis infirmæ, & Phthiſi laborans deſijt viuere inter mortales Lugduni Cal. Octobris 1641. Tranſtulit Gallicè ex Hiſpanico

Tractatum de grauitate peccati mortalis P. Franciſci Arias. Pariſijs apud Guilielmum Pele 1632. in 12. Item

Amabilem Ieſum Chriſtum, & modum eum amandi P. Io. Euſeb. Nierembergij. Lugduni apud Claudium Proſt. 1641. in 12.

CLAVDIVS AQVAVIVA, natione Italus, patria Neapolitanus, Filius Ducis Atrij, in ipſo ætatis flore 25. annos natus, cùm politioribus litteris eſſet excultus, & Sanctorum Patrum lectione inſtructus, & Pio V. Pont. Max. à Cubiculo gratiſſimus, res ſuas ſæculum habere iuſſit, & omnia illius ornamenta, opes, dignitates, (quæ propter ſummam Claudij nobilitatem, modeſtiam, ingenium, & Principis gratiam, ipſi non dubiæ ſpe proponebantur) tamquam ſtercus arbitratus, nudus ad Chriſti nudi crucem, confugit, & Noſtris addictus eſt, Romæ anno ſalutis 1567. die 22. Iulij in ipſis ferijs B. Magdalenæ. Deinde poſitis religionis rudimentis, & grauioribus ſtudijs confectis, tantus in Claudio enituit virtutis ſplendor, tanta grauitas morum, atque ſuauitas, tanta prudentia, vt Prouincia primum Neapolitana ipſi gubernanda demandaretur, poſtea etiam Romana. Quam Prouinciam dum optime adminiſtrat, in Comitijs quæ habita ſunt Romæ anno Domini 1581. magna Electorum conſenſione in locum P. Euerardi Mercuriani Præpoſiti Generalis IV. vita functi, ſuffectus eſt 19. Februarij, Neque animos Noſtrorum Patrum quò minùs Claudium eligerent retardauit, aut illius ætas (nondum enim 40. annum attigerat) aut religionis temporis breuitas, vt Patribus, & canitie, & religioſo ſenio venerandis ipſum præferrent, & in eius humeros Societatis vniuerſæ per totum terrarum orbem propagatæ, onus imponerent. Nec eos fefellit euentus. Nam ita hanc tantam, tamque laborioſam, difficilemque Prouinciam ſuſtinuit, vt ſiue proſpera, ſiue aduerſa ſpectes, quæ ipſo clauum tenente multa, & varia Societati noſtræ acciderunt, electum à Deo eſſe credas, vt læta augeret, triſtia minueret, & per dubias, & turbulentas tempeſtates, Deo Duce nauem Societatis, ad portum ſalutis dirigeret. Gubernationem Societatis ab ipſo ſtatim initio inſtituit, quæ Sanctos deceat, per veſtigia ſpiritus, longe à rationibus ſæcularis Politicæ, quam adeò ipſe oderat, vt omnino ferre non poſſet. Tanta fuit ſemper mentis, & actionis omnis ingenuitate, & candore, vt Hieronymus Natalis religioſa vrbanitate monuerit eum, iam tum ad ſtudia litterarum incumbentem, ne ſe vſque adeò totum impertiret Euangelicæ columbæ, quin partem quoque iuſtam ſerpenti daret, quam illi Chriſtus ſociarat. Et fecit omninò Claudius, ne prudentiæ ſuæ quidquam deeſſet ſerpentis, præter calliditatis venenum. Immenſi operis ſit, eius documenta prudentiæ velle repræſentare. Acceſſit illi par conſtantia, & animi magnitudo, qua maturè conſtituta tueretur, atque ad exitum per quaſcumque difficultates adduceret, cuiuſcumque tandem potentiæ aduerſarios nactus eſſet. Hinc factum, vt cum 5. & 6. Congregatio, nonnullorum ſtudio inſtituiſſet cenſoriam prorſus inquiſitionem, in omnem eius adminiſtrationem, egregiè conſtiterit (vel illis ipſis arbitris, qui aduerſabantur) eius integritas, atque innocentia quo tempore contigiſſe ferunt, vt per noctem oranti, Deòque ſuam cauſam impenſiùs commendanti Chriſtus opem ſponderet ijs verbis. *Noli timere, quia ego tecum ſum*. Addebat his virtutibus gubernationis infatigabilem laborandi ſolertiam, qua recurrentes in Orbem curas aſſiduus exhauriebat. Et integrum ſe tamen ſemper ad pietatis exercitia ſeruabat, quorum tractatione recreabat vires fatigatas. Eam pietatis perpetuam dulcedinem, quam nulla moles negotiorum obtunderet, nulla temporum varietas perturbaret (alebat continuis meditationibus, & Pſalmodiæ in primis attentiſſima recitatione. Tanti erant ſenſus, & impetus pij, vt cogeretur eos non rarò magnis exclamationibus, ſuſpirijſquè, atque adeò lacrymis mitigare. Nulla maioris momenti negotia, niſi præuia precatione definiebat, idque ſtudioſiùs agebat, cum de conſtituendis Superioribus, deliberabat. Ferebatur molliſſimo affectu erga Chriſti Seruatoris humanitatem, vitæ eius, mortiſque myſteria, eaque modis omnibus recolebat. Eundem in ſacra Euchariſtia religioſiſſime venerabatur. Beatiſſimam Virginem, vt filius, impensè colebat; ad eius opem in priuatis, in publicis neceſſitatibus, nec fruſtra confugiebat. Illi Societatem Filij ſui vnicè commendabat, quam ſciebat vnicè cordi habere quos Filius diligeret. Triplex illi donum per eam poſtulabat, ſummum candorem vitæ; infimam animi demiſſionem, & ſtu-

ſtudium Diuinæ gloriæ proferendæ flagrantiſſimum. Erga Angelos quoque, & ſuum in primis Tutelarem fuit impensè obſequioſus. Inter Cœlites præcipuo ſtudio S. Bernardum colebat, eo maximè nomine, quòd inter grauiſſimas curas, ſenſum fouiſſet tenerrimæ pietatis; cuius ipſe veſtigia, ſi quis alius, preſſit in hac laude. Demiſſione animi fuit inſigni, & vt dona diuinitùs accepta probè cognoſcebat, ita ſuam in ijs exercendis accuſabat inertiam. Monitores quoſuis benignè audiebat. In proclamatione ſuffragiorum, quibus electus eſt Generalis, cum primùm ſuum nomen audiuit, admiratus, inconſultiùs id alicui ratus eſt excidiſſe: vbi iam ſæpiùs repeti vidit, indignatus eſt, quaſi in re ſeria luderetur; vbi vero aduertit iam tot ſe ſuffragijs peti, vt seriò agi conſtaret, voluit ſuorum defectuum publica manifeſtatione impetum votorum declinare, cùmque interim ritè electus fuiſſet, exilijt officij immemor, & pro ſe dicere cùm inſtituiſſet, iuſſus eſt onus tacitus ſubire, quod ille tum quidem fecit: ſed ſeriò pòſt non ſemel cogitauit de magiſtratu deponendo, ſi qua via patuiſſet. Archiepiſcopatum Neapolitanum à Clemente VIII. ingeſtum conſtanter repudiauit. Veſtes ſæpe reſartas, raro, & peregrè nouas admittebat: Culinæ, menſæque obſequijs addicebat ſe ſubinde; rariùs quàm pro voto, ſed vt Aſſiſtentium obſecundaret ſententiæ. Societatem tenerrimè amabat, vt matrem; eius nomen vbique præferebat generi, & Sanguini ſuo: nec volebat priuatim amari ab ijs, qui ſe Societati Aduerſarios profiterentur, aut aliquod ab illis beneficium admittere, ſeorſim à Societate. *Eam ipſe fouit, prouexit, ſtabiliuit,* optimis inſtitutis exornauit. Affecta ætate, & obnoxia morbis, ſæpe mori optauit, ne quid ſua cauſa damni caperet Societas. Omnes vrgebat vias, incitando, conniuendòque in tempore, vt Sociorum virtutem ad abſolutam perfectionem magnis augmentis proueheret, quam potiſſimam ſui muneris partem eſſe intelligebat. Benigniſſima miſericordia erat in pauperes, ac miſeros, quam lacrymis, & collato, quoad poterat, ſubſidio teſtabatur in vno hoc negotio facilis decipi, qui erat in omnibus circumſpectiſſimus. Tempore difficilioris annonæ, liberaliùs eleemoſynas diſtribui iubebat, & peculiarem quoque agrum in vſus pauperum conſeri ab Romanis Collegis mandauit. Salutis hominum ſtudio, & in mediam peſtem ſe dari Neapoli voluit: & in Angliam mitti, cùm Romanam Prouinciam gubernaret, ardentiſſimè poſtulauit: Compenſauit autem factus Generalis iacturam operæ ſuæ, immiſitque Socios Bizantium, Chium, Cretam, Angliam, Scotiam, Hiberniam, Pannoniam, Daciam, Moldauiam, Saxoniam, Bataniam, Mogorem, & alias nationes. In ſumma non facile reperias in quem tot fortunæ bona, atque naturæ confluxerint, tot etiam, ac tam diuerſæ inter ſeſe virtutes; Primaria Nobilitas, & per humanos honores diu exercita; conſtitutio naturæ pulcherrima; immenſum, ac volucre ingenium, iudicium peracre, certum, ſempèrque rectitudini mancipatum; memoria facilis, tenaxquè, morum ingenuitas integritati par; ſermo ſuauitatis, & ſapientiæ ſapore conditus; viuendi agendique modus virtute, ac potiſſimum tenerrima in Deum pietate finitus: nimirum in eo eximia ſanctitas, & in rebus gerendis exquiſita prudentia, raro exemplo, coiere. Viſus eſt aliquando à S. Philippo Nerio multo lumine coruſcare; ab alijs totam inter orandum ſemihoram ſublimis pendere conſpectus eſt; non paucos à corporis languoribus momento abſoluiſſe compertum eſt. Cùm vitæ periculum in extremo morbo imminere perſenſit, animo, vultuque præter ſolitum ſereno; *Gratias Deo*, inquit, *qui facit de tenebris lucem ſplendeſcere, & de morte vitam ſuauiſſimè rependit:* Mox ad Robertum Cardinalem Bellarminum, qui mortem illi denunciarat imminentem, conuerſus. *Mori non timeo*, inquit, *nec viuere erubeſco, quia bonum Dominum habemus*. Sacramentis deinde recreatus, & accepta à Pontifice Benedictione, qui magni viri iacturam ab Eccleſia fieri dicebat, deceſſit die 31. Ianuarij anni 1615. ætatis 72. cùm Societatem gubernaſſet annis 34. funus magnà Dynaſtarum, Religioſorumque frequentia celebratum eſt, & incredibili multitudinis concurſu, omnibus ad oſculum manus, *roſariorum contactum florum aſperſionem, & reliquiarum prædam* ſe inuicem comprimentibus tanta fuit apud omnes opinione ſanctitatis. Enimuero Bambergenſis Antiſtes, Princeps clarus laude prudentiæ, ſimul atque Claudium obijſſe intellexit, pileolum eius, quem ſecum ab Vrbe retulerat, *iuſſit in ſuum ſacrarium inferri*, atque ad veneraionem cum aliorum Cœlitum exuuijs coniungi. Scripſit Claudius quamuis negotiorum fluctibus pene obrutus, quæ ad eius gubernationem maximè pertinebant,

Epiſtolas XVI. bene longas, & non minùs religioſas, & eruditas ad vniuerſam Societatem, & ad ſuperiores

1. *De felici progreſſu Societatis* 28. Iunij 1581.

2. *De Renouatione ſpiritus* 29. ſeptembris 1683,

3. *De ſtudio perfectionis, & caritate fraterna* 19. Maij 1580.

4. *De medijs ad conſeruandam Societatem* 28. Martij 1587.

5. *Quis ſit Orationis, & Pœnetentiarum vſus in Societate iuxta noſtrum inſtitutum* 8. Maij. 1590.

6. *De fine Miſſionum Orientalium* 12. Ianuarij 1590.

7. *De Iubilæo, & Miſſionibus* 12. Iaij 1590.

8. *De*

8. *De feruore, & zelo Miſſionum* 1. Auguſti 1594.

9. *De modo inſtituendarum Miſſionum* 12. Maij 1599.

10. *De vſu Exercitiorum ſpiritualium* 14. Auguſti 1599.

11. *De Formandis, ac bene inſtituendis noſtris Concionatoribus* 14. Auguſti 1599.

12. *De Recurſu ad Deum in tribulationibus, ac perſecutionibus* 29. Iulij 1602.

13. *De Renouatione ſpiritus, & correſpondentia cum Deo* 24. Iunij 1604.

14. *De Solicitudine, ac vigilantia ſuperiorum erga ſubditos* 20. Auguſti 1604.

15. *De Officij Diuini recitatione, ac celebratione Miſſa* 24. Nouembris 1612.

16. *Monita formandis Concionatoribus accommodata* 28. Maij. 1613.

Hæc ſeries Epiſtolarum Claudij, quas referre volui, tamquam non omnibus notas, & obuias. Extant tum ſeorſim ſæpiùs impræſſæ, tum poſtremo in Collegio Romano Societais IESV Anno 1615. cum reliquis aliorum Generalium Epiſtolis in 8. Scripſit idem

Induſtrias pro Superioribus Societatis ad curandos animæ morbos

Directorium exercitorum ſpiritualium B. P. N. Ignatij

Rationem atque inſtitutionem Studiorum Societatis IESV. Quæ duo quamuis ab illo ſcripta non ſint, ſunt tamen eius auctoritate confecta, eius cura, & recognitione perfecta. Deniquè impreſſæ ſunt poſt eius mortem ſcriptæ ſubſeciuis horis

Meditationes in Pſalmum 44. & 118. pietatis ſenſu pleniſſimo delibutæ Romæ apud Bartholomæum Zannettum 1615. in 12.

Edita poſtremo eſt cum alijs eiuſdem argumenti

Oratio de Paſſione Domini, quam anno 1573. dixit coram Gregorio XIII. P. M. Romæ 1641. in 12.

CLAVDIVS BILANCETTVS, natione Italus, patria è Burgo S. Sepulchri Societatem ingreſſus eſt Romæ anno ſalutis 1578. ætatis ſuæ 24. Docuit Humaniores litteras; Concionatorem egit; fuit in Miſſione Hungarica, & in Bohemica; demum redux Romam abſoluit dies peregrinationis huius vitæ in Collegio Romano die 28. Decembris 1599. Tranſtulit e latino Surij in Italicum

Vitam S. Eleazari Comitis Ariani additis ſuis digreſſionibus. Pragæ apud Ioann. Schiumanum 1592. in 4.

CLAVDIVS BOVRCIER, natione Lotharingus, patria Nouoprenſis in Diœceſi Tulleniſi anno 1604. Societatem amplexus, ætatis ſuæ 19. in qua Philoſophiam, & moralem Theologiam docuit, & quatuor vota ſolemnia nuncupauit anno 1622. Dum Rhemis degeret nō pœnitendā operam contulit ſuis conſilijs, & hortationibus, vt nobiliſſimū, ibi Monaſterium Sancti Remigij &c. cui præ cæteris à Leone IX. conceſſum eſt, vt ſeptem in perpetuum Religioſi Cardinalium nomen; & Dignitatem obtinerent, in priſtinnm nitorem reuocaretur. Tanta erat in tractandis Religioſorum externorum animis induſtria. Obijt Muſſiponti anno Chriſti 1632. ſuo vero 47. Scripſit Gallicè

Coronam ſtellarum XII. Carolopoli apud Hubertum Radulphum in 12.

* CLAVDIVS LA BROVE, natione Gallus, patria Aruernus, in Societatem admiſſus anno ſalutis 1630. ætatis ſuæ 18. votorum quatuor profeſſionem emiſit. Sexennium poſuit in tradenda Rhetorica, & litteras amæniores; & Philoſophiam profeſſus eſt. Vir præclaris naturæ dotibus, ſiue ad ſacra pulpita ſiue ad exedras Theologicas, præter morum candorem, & affabilitatem, qua ſibi deuinciebat omnium animos, immaturo funere noſtris ſublatus eſt Anicij die 14. Octobris 1651. Edidit Gallicè

Vitam R. P. Ioann. Franciſci Regis ex Societate IESV. Anicij typis Andreæ de la Grade 1650. in 8. recuſam Pariſijs apud Ioann. Henault 1653. in 12.

* CLAVDIVS DE BVSSEY, natione Gallus, patria Lingonenſis, natus anno ſæculi fluentis 22. Societati ſe adiunxit eiuſdem 40. & votis quatuor ſolemnibus ſe obſtrinxit. Docuit nouennuim Humaniores litteras, quadriennium Rhetoricam. Superſtes in Collegio Rothomagenſi, Scripſit Gallicè duobus voluminibus

De IESV Puero. Pariſijs apud Gaſpardum Metmas in 12. recuſum Ibidem, & iiſdem typis 1660.

CLAVDIVS CLEMENS, Gallus, Sequanus, Ornaci in Burgundiæ Comitatu, natus, dum Veſuntione adoleſcens Rhetoricæ ſtuderet, admiſſus eſt in Societatem anno 1612. cum ipſe haberet ætatis 16. Tirocinium Auenione poſuit, ibi, ac Lugduni Philoſophiam audiuit; Rhetoricam tum alibi, tum apud Sequanos Dolæ diu docuit. Inde miſſus Madritum, vt in Imperiali Collegio Profeſſor Regius eruditionis, in Academia ibi recenter inſtituta eſſet, magna non minùs virtutis, quàm doctrinæ commendatione multis annis munus illud impleuit; vbi etiam ſolemnia Profeſſorum vota quatuor emiſit. Vir fuit religioſæ admodum modeſtiæ, & animi diuina ſemper ſpectantis imago; ſed pertenuis valetudinis; vnde delapſus in hecticam, inter frequentia cum Deo colloquia, voluptate liquida perfuſus, animam placidè exhalauit Madriti die 23. Decembris 1642. Rogatu Perilluſtrium Canonicorum, & Comitum Lugdunenſium, edita eſt eius

Oratio de Chriſtiana ſimul, & humana maieſtate, Eccleſiæ Lugdunenſis quam in ſolemni ſtudiorum inſtauratione anno 1628. pronuntiauit. Item

Vitam Clementis IV. P. Max. Cui acceſſit.

Ro-

Rodulphi de Cheurier Epiſcopi Ebroicenſis, & Cardinalis Albani Gentilitius Splendor, & obitorum munerum, ac Legationum amplitudo. Lugduni apud Ioannem Iuelleron 1623. in 12. Item Gallicè

Deſcriptio eorum, quæ facta ſunt in noſtro Lugdunenſi Collegio, primo ingreſſu ſolemni Ludouici XIII. Regis Chriſtianiſſimi, & Reginæ vxoris.

Programma inſcriptum, *Iſagoge ad politiorem litterarum*, quod auctum diuiſit poſteà bifariàm, inſcribiturquè, alterum: *Axiomata Philoſophica, ad comparandam ſibi, & tradendam alus amæniorem eruditionem* Alterum *Introductio compendiaria ad eloquentiam*.

Prodijt demum iuſtum eius volumen in libros 4. diſtributum, cui titulus eſt

Muſai ſiue Bibliotheca extructio, inſtructio, cura, vſus. Attexuit illi accuratam Deſcriptionem Regiæ Bibliothecæ S. Laurentij in Eſcuriali, & Paræneſim ad ſtudioſam Iuuentutem. Lugduni per Iacobum Proſt. 1625.

Machiauelliſmus iugulatus à Chriſtiana Sapientia, Hiſpanica, & Auſtriaca

Diſſertatio Chriſtiano Politica. Compluti apud Antonium Vaſquez, altera editione auctiore 1637. Edidit etiam Hiſpanicè

Tabulas Chronologicas tres de rebus Hiſpaniæ ante, & poſt Chriſtum, & res Eccleſiaſticas, ac Politicas, vſque ad annum 1641. Madriti eodem anno. Compoſuerat etiam opus bene magnum, & accuratum.

De Gentilitijs Symbolis, ac Teſſeris, & Re ſcutaria, ſed quia multa æri incidenda erant, non inuenit, qui eruditionem ſuſciperet.

CLAVDIVS D'AVSQVEIVS, natione Belga, patria Audomaro-politanus admiſſus in Societatem anno ſalutis 1585. ætatis 17. Docuit in ea multis annis litteras græcas, & Rhetoricam. Præfuit etiam ſtudijs, & Concionatorem egit, vir rara Græcarum litterarum peritia, ad quem extat Epiſtola Iuſti Lipſij 62. Centuriæ 5. ad Belgas. Vertit è Græco ſermone dum in Societate eſſet.

Baſilij Seleucienſis Epiſcopi Orationes 40. notiſque eruditis illuſtrauit, typis Commelinianis 1604. in 4. habenturque tomo 5. Bibliothecæ magnæ Patrum parte 3.

* CLAVDIVS DECRET natione Gallus, patria Trenorchenſis in diœceſi Cabilonenſi, Societati ſe adſcripſit anno ſæculi præterlabentis 14. ætatis ſuæ 17. & vota quatuor profeſſus eſt. Octennium docuit Rhetoricam & politiores litteras; Philoſophiam trienuium. Rexit Collegium Cabilonenſe, multos annos exegit Pariſijs in Domo Profeſſorum, vbi ſe probauit omnibus virum mitiſſimi ingenij, & ſingularis obſeruantiæ regularum. Morbum, ac morbi incommoda ſic pertulit, vt nulla audita fuerit ex eius ore querela, etiam in dolore acerbiſſimo, tolerantia nempè fuit ſupra ætatem, ac vires, vt eadem facere videretur moribundus, quæ conſueuerat ſanus. Itaque Sacramentis nouiſſimis ritè communitus, annis, & virtutum fruge maturus, migrauit ad conſortium (vti ſperamus) Beatorum. Pariſijs die 10. Aprilis 1668. Scripſit Gallicè:

Ideam veræ Viduæ. Pariſijs apud Gaſpardum Meitnas 1659. in 4.

* CLAVDIVS FRANCISCVS DE CHALES natione Gallus ex Illuſtri Millietorum in Sabaudia genere natus Camberij anno ſalutis 1621. Deo ſe in Societate dicauit 1635. & votorum quatuor ſacramento ſe aſtrinxit. Rhetoricam, & amæniores litteras nouennio profeſſus eſt. Magno zelo miſſiones Orientales inter Turcas expetijt, & obtinuit ad quadiennium. Reuocatus inde ſuam in Prouinciam, docuit Philoſophiam quadriennio, Matheſim ſeptennio, Theologiam quinquennio, magna laude ingenij. Rexit Collegium Camberienſe. Edidit hactenus

Commentaria in octo libros Euclidis, Lugduni apud Benedictum Coral 1612. Latinè. Iterum Gallicè apud eundem 1672. Item

Curſum Mathematicum 3. Tomis, quorum I. Complectitur Euclidis Libros 8. *Arithmeticam, Theodoſij Sphærica, Trigonometriam, Geometriam practicam, Mechanicam, Staticam, Geographiam Vniuerſalem, Tractatum de Magnete, Architecturam ciuilem, & Artem tignariam*.

II. Tomus continet Tractatum de Sectione lapidum, Architecturam militarem, Hydroſtaticam, Tractatum de Fontibus, & fluuijs, De Machinis Hydraulicis, Nauigationum, Opticam, Proſpectiuam, Catoptricam, & Dioptricam.

III. Continet Muſicam, Pyrotechniam, Aſtrolabia, Gnomonicam, Aſtronomiam, Kalendarium, Aſtrologiam, Algebram, Indiuiſibilium Methodum, & de Sectionibus Conicis. Lugduni ex officina Aniſſoniana 1674. in folio.

* CLAVDIVS FRANCISCVS MENESTRIER natione Gallus, patria Lugdunenſis natus anno ſæculi voluentis 31. Societati nomen dedit 1646. & votorum quatuor nuncupatione ſe obligauit. Octennium litteras manſuetiores profeſſus eſt; Eccleſiaſten deinde multis annis in celebrioribus Galliæ vrbibus egit, agitque magna nominis celebritate, ac fructu. Modo Pariſijs verſatur, & edidit hactenus, Gallicè:

Elogium Hiſtoricum Vrbis, & Eccleſiæ Lugdunenſis. Lugduni apud Benedictum Coral 1669. in 4.

Publica Lætitiæ argumenta Lugdunenſium ex Pace anni 1666. ibidem apud Guillelmum Barbier.

Tractatum de ludricra pugna, equeſtri, vel pedeſtri, ſaltatione, publiciſque ſpectaculis. Ibidem apud Iacobum Muguet 1669. in 4.

Artem Heraldicam, ſeu explicandi inſignia Gen-

Digitized by Google

Gentilitia. Lugduni apud Benedictum Corral 1659. in 16.

Artem eandem confirmatam, ſeu propugnatam. Typis iiſdem 1661. in 12.

Ludum Heraldicum. Ibidem 1671. in 12.

Publicæ lætitiæ argumenta Camberienſium in Canonizatione S. Franciſci de Sales.

CLAVDIVS IAIVS natione Allobox, patria Gebennenſis vnus ex X. primis PP. Societatis, qui & Angelus Dei, & Pater, Patronuſque Catholicorum, vulgò nominatus eſt, & à Petro Caniſio Germaniæ Apoſtolus appellatus. Is enim in amplificanda, propugnandaque religione Catholica apud Italos, & Bauaros, Sueuos, cæteroſque Germanos magnopere laborauit. Is in Auguſtano, aliiſque comitiis pro Eccleſia Sancta Romana, ingenti Catholicorum bono ſtrenuè, fortiterque ſe geſſit, multum ſiue apud humanarum, ſiue diuinarum rerum potentes, auctoritate valens, & gratia. Is in Tridentina Synodo Epiſcopi Auguſtani Othonis Cardinalis Truchſeſii locum, perſonamque ſumma cum dignitate, & commendatione ſapientiæ ſuſtinuit. Is hæreticorum contra mendacia, eò vſque reſtitit, ac repugnauit, vt eius illi admiratione doctrinæ, in Saxoniam ad ineundum cum ſuis Magiſtris, Miniſtriſuè certamen, importunis eum precibus inuitarent: quò tamen ille, Viennenſi fundando Collegio, cui præerat, implicatus, conſtrictuſque concedere pro voluntate non potuit. Is Catholicos apud Germanos Societatis nomen, originem, progreſſionem, ea dicendi prudentia, facultateque perſecutus eſt, vt eorum ſibi animos, voluntateſque conciliarit, & ad ipſius Societatis vſus adiunxerit. Vir fuit facillimis naturæ moribus, ore iucundus, atque hilaris, grauitate comite ſuæ perſonæ conſentanea, patientia paupertatis ornatus, quamuis in vſu frequenti Magnatum, detrito, vilique cultu ſpectandus; nec quidquam admittens, etiamſi multa illi deferrent, quò decora ſuæ pauperratis minueret. Domi ſuos mira dexteritate, & ſuauitate, ſed cui iuſta non deeſſet auctoritas, gubernabat, quos vt exemplo ad omnes humilitatis partes excitaret ad abiectiſſima ſeſe officia crebrò demittebat. Studio meditationis, & precationis excelluit, præterque alia ſingulis diebus tum caput è cætera Chriſti vita pro tempore qnod repræſentabat Eccleſia, tum vnum è ſacris cruciatibus retractabat. Ex quo tanta eius exſtitit caritas, & propenſio voluntatis ad iuuandos mortales, pro quibus Filium Dei hominem factum, & cruci fuiſſe ſuffixum recolebat, vt ab orationis deliciis ad eorum vulnera circumliganda deſcendere non abnueret, & ab eorum conſuetudine viciſſim ad orationis exercitium repetendum æſtuaret. Solitum aiunt cùm interrupta precatione vocaretur ad opem alicui impendendam Deo dicere: *Domine Ieſu patientiam habe, quia vocor ad exercendum opus caritatis tuæ erga animas tuo pretioſo ſanguine redemptas, at cùm opus iſtud, te iuuante perfecero, redibo cum fœnore, & omnia reddam tibi*. Tenax temporis, atque parcus, mira in ſubtilitate partitus in vitæ quotidianæ functiones, mira præſcriptum conſtantia tenebat. Moderatus in congreſſu, atque in omni actione modeſtus; nihil in eo inſolens, nihil arrogans, nihil elatum. Admirabilem eius doctrinam, iuriſque omnis diuini, & humani ſapientiam, & morum integritas, & comitas ſermonis, ac præſtantiſſimum ſanctæ conuerſationis donum ita nobilitabat, vt omnium animos ſuauiſſimè influeret, nec Heterodoxis minùs quam Catholicis eſſet gratioſus, multique ex ipſius conſuetudine in Orthodoxa fide mirificè confirmarentur. Rex certe Romanorum Ferdinandus, Caroli V. Cæſaris frater, ab eo diuelli vix poſſe videbatur; longas præſepe cum illo priuatim horas traducebat, ſæpe redux à venatione deflectebat de via, ad Collegium, eumque familiariter ſalutabat. In diſputationibus ea erat vi, atque modeſtia, vt, cùm aduerſariorum errores conficeret, nihil læderet voluntates. Docendi ratio in Scholis, plena, diſtincta, firma. Grauiſſimas de Iuſtificatione, de Prædeſtinatione, de Fide, & operibus quæſtiones, & id genus iis neceſſarias locis, atque temporibus facilitate maxima euoluebat. Quæ res omnium animos rapiebat in admirationem. Hinc ad ipſum audiendum, dum publicè prælegebat magna ſemper corona doctiſſimorum hominum, Antiſtitum etiam, atque Epiſcoporum conueniebat; quorum ſitis cùm exſaturari non poſſet breuitate lectionis, priuatim ac ipſius ædes ventitabant, vt de ſuis difficultatibus cum eo conferrent, ipſe verò omnium interrogationibus ita faciebat ſatis, neminem, vt ieiunum à ſe vnquam dimitteret. Tergeſtinum Epiſcopatum à Rege Ferdinando magna contentione oblatum, tantà conſtantià reiecit, vt quamdiù ſubeundi tanti oneris metu ſuſpenſus, incertuſque fuit, in perpetuo quaſi luctu, lamentiſque iacuerit; qua deinde ſollicitudine releuatus, ad priſtinam hilaritatem, iucunditatemque ſe retulit. Viennenſem quoque Eccleſiam illi à Rege fuiſſe obtruſam, auctorem locupletem habeo; verùm illum maluiſſe in humili gradu Deo per Societatis officia ſeruire, quàm in ſublimiore loco ſalutis adire diſcrimen. Anno 1551. exeunte Iunio Viennam Auſtriæ miſſu S. Ignatii, e Bauaria venit, ad exordia Collegii, quod in ea Vrbe Ferdinandus Rex moliebatur fundare. Epiſtolam Pauli ad Romanos publicè ſuſcepit explorandam, & cætera Societatis munia ſtrenuè quoque adminiſtrabat donèc 8. idus Auguſti 1552. non diuturno illo quidem, grauique morbo, ſed ſummo languore confectus, ac potiùs continenti opera zeloque Domus Dei conſumptus, Sacramentis ritè nouiſſimis communitus, æquè carus domeſticis, & externis, prænunciata vni Socio-

ciorum ſua morte, in Cælum abijt, vt eximia eius virtus, & ſpectata vulgò ſanctitas polli-cetur. Quanta beneuolentia Viennenſis eum proſequeretur Academia, mæror, & amplitudo funeris indicauit, quo ad eius cohoneſtandas exequias vniuerſa conuenit. Inſigni ea pompa Franciſcanos apud Patres in templum S. Nicolai (nam ibi tunc degebat) elatus eſt, & multis lacrymis decoratus, Nobili comitante Doctorum corona, & flore ipſo Academiæ Iuuentutis. Habita eſt à Petro Caniſio ad vniuerſam illam Concionem de ipſius defuncti vita ſanctiſſimè acta, non minùs pia, quam erudita Panegyris. Cadauer in Templi medio inhumatum eſt, nullo ad poſteritatem vnde poſſet inueniri monumento relicto. Ingolſtadienſis Academia vbi Iaius aliquando docuerat, inter cætera Theologorum monumenta, quæ ibi in Theologiæ Schola viſuntur, hoc illi, nomine IESV pro inſignibus picto, elogium poſuit

CLAVDIVS IAIVS Sabaudus, Theologus, Doctor, & Profeſſor Societatis vir placidiſſimorum morum, & qui Doctrina, cum pietate perpetuò coniunxit. Hic ſi quiſpiam alius in hac Schola, ſanctitatis opinionem apud ſummos, medios, infimos ſibi comparauit: cunctis æquè carus, & ſalutaris, qui etiam fuit ex prima decade eorum, qui Sanctæ Societatis Ieſu fundatores extiterunt. Hinc euocatus Viennam Auſtriæ, ad ea, quæ ſemper in pectore tenuit, & ob oculos habuit, æterna migrauit gaudia anno 1552. Editum eſt opuſculum vnum quod poſt ſe reliquerat, hoc titulo:

Speculum Præſulis ex S. Scriptura, Canonum, & Doctorum verbis ad Ottonem Cardinalem Truchſeſium Epiſcopum Auguſtanum. Ingolſtadij 1615. in 4.

* CLAVDIVS DE LIDELLE natione Gallus patria Molinenſis ad Societatem ſe aggregauit anno ſalutis 1611. ætatis ſuæ 18. & vota 4. nuncupauit. Diſciplinas humaniores in ea docuit quadriennio, Rethoricam nouennio Concionatorem egit annis 20. rexit Conuictum, & Collegium Alenconienſe ſecundò, vbique cum laude. Tribus ante obitum annis quamuis multis afflictus morbis, non ceſſauit tamen vir laboris amantiſſimus, omnibus quoad vires ſuſtinerent, prodeſſe. Tandem vltimam vitæ ſuæ metam propiùs abeſſe cernens, extrema petijt Sacramenta, ijſque communitus quod futurum antea ipſe prædixerat, in die S. Ioſepho ſacra 19. Martij piè obijt Rothomagi 1671. Edidit Gallicè

Rationem Eleemoſynæ, aliarumque miſericordiæ actionum rectè faciendarum. Rothomagi apud Ricchardum Lallemant 1667. in 12.

Annum Pium. Rothomagi ijſdem typis, anno, & forma.

Tractatum Aſceticum de Gratia. Ibidem, ijſdem typis 1668. in 4.

Theologiæ Sanctorum partem alteram. Pariſijs apud Ioannem Henault 1671. in 4. Eiuſdem ſunt

Oratio, & Carmen de Rupella capta, in libro inſcripto Triumphus de Rupella capta. Titulus Carminis: *Moles Ludouici illuſtrata ignibus feſtiuis, &c.*

* CLAVDIVS DE LINGENDES natione Gallus, patria Molinēſis natus anno ſæculi proxime exacti 91. Societati ſe applicuit Lugduni, 20. Maij 1607. & votorum 4. nuncupatione ſe obſtrinxit. Rhetoricam, & amæniores litteras aliquamdiu tradidit; ſed cùm talento inſigni polleret Concionum, in his maximam vitæ partem tranſegit, ea nominis celebritate per Galliam annis 36. vt qui eum illo in munere ſuperarit iuuentus ſit noſtra ætate nemo, & vix vllus, qui æquauerit. Sed inter occupationes concionum rexit Collegium Molinenſe annis vndecim, poſtea Prouinciam Franciæ adminiſtrauit. Ter Romam ad Comitia generalia Societatis profectus eſt, vel vti Elector, vel vti Prouincialis. Poſtremò dum Domum Profeſſam Pariſienſem gubernaret, grauis annis, & maturus Cælo, ſuſceptis ritè Eccleſiæ Sacramentis, & magnis virtutum exemplis poſt ſe relictis ſpiritum reddidit Creatori die 12. Aprilis 1660. Edidit latinè

Votiuum monumentum ab Vrbe Molinenſi, Delphino oblatum. Pariſijs apud Ioan. Camuſat 1639. in 4. Gallicè verò

Monita quædam ad vitam bene ordinandam. Rothomagi, & alibi ſæpius in 8. deinde aucta Pariſijs in 12.

Poſt eius obitum reperta ſunt inter ipſius ſcripta, & typis edita

Concionum Quadrageſimalium argumenta, latinè ab ipſo delineata, & in tres Tomos diſtributa; quæ quamuis Lectori intelligenti non communem ſacræ Eloquentiæ ſpeciem exhibeant, non tamen exprimunt illud præcellens robur, quo Auditorum animos conuincebat, dicendo Gallice, & voluntates permouebat. Edita autem ſunt Pariſijs per Franciſcum Muguet 1661. in 4. Item

Conciones decem de Sanctiſſimo Sacramento, Latinè inter eius ſcripta repertæ Ibidem, & iiſdem typis 1663. in 8.

Prodierunt etiam ſubinde Typographi eiuſdem opera

Conciones Quadrageſimales Gallicè ſcriptæ, prout eo dicente exceptæ ſunt ab amanuenſibus lucrum inde ſperantibus. Pariſijs 1666. duobus tomis in 8.

Denique etiam Gallicè vulgatæ ſunt ſimiliter

Conciones per Octauam Corporis Chriſti, in fide amanuenſium, Pariſijs, & ijſdem typis in 8. Nam ab ipſo Auctore nihil in hoc genere Gallicè ſcriptum ſcimus.

* CLAVDIVS MAILLARD natione Lotharingus, patria Bayonenſis, Societatem vicennis amplexus eſt anno ſalutis 1606. & votorum 4. profeſſionem emiſit. Vir magni zeli, & reli-

gioſæ obſeruantiæ. Humaniores litteras docuit quadriennio; rexit Collegia Carolopolitanum, & Nancæanum. Conciones habuit ad populum, Bruxellis, & alibi annis 30. Demum Ruræmundæ, dum militibus ſpiritualem nauaret operam, ad ſtipendia laborum emigrauit die 5. Nouembris 1655. Edidit Gallicè

Tractatum de Indulgentijs. Gandaui 1641. in 16. recuſum Bruxellis 1645.

Artem qua quis felicem vitam, & ſalutem æternam in ſtatu Matrimonij conſequatur. Duaci 1645. in 4. recuſum Pariſijs 1651. in 4.

Magdalenam Conuerſam. Bruxelis 1646. in 4.

Tractatum de Iubilæo. Bruxellis 1650. in 12. Iterum Pariſijs 1651.

Hiſtoriam B.V. Mariæ Hallenſis. Ibidem 1651. in 8.

Scalam Myſticam P. Leſſij de L. Nominibus. Gallicè redditam Bruxellis 1643. in 12.

* CLAVDIVS MALTRETVS natione Gallus patria Anicienſis natus anno ſæculi præter fluentis 21. in Societatē ſe recepit 1637. & vota 4. nuucupauit. Rethoricam, & Manſuetiores diſciplinas annis vndecim profeſſus eſt, & Sacras litteras nouennio eſt interpretatus. Rexit Collegium Montalbanenſe, & Domum probationis Toloſæ, quam dum adminiſtraret ad Superiores, vti ſperare fas eſt, tranſijt die 3. Ianuarij, hoc anno 1674. Vertit ex Græco in Latinum

Procopij Cæſarienſis Hiſtoriarum ſui temporis libros octo. Pariſijs. tomis duobus; typis Regijs 1662. in folio.

Eiuſdem Procopij de Aedificijs Iuſtiniani libros ſex, & Eiuſdem Hiſtoriam Arcanam auctorem reddidit, & notis illuſtrauit. Pariſijs ex Typographia Regia 1663. in folio.

* CLAVDIVS PERRIVS natione Gallus patria Cabilonenſis, natus anno huius ſæculi ſecūdo, Societati ſe adiunxit 1628. & in ea 20. annis Rhetoricam docuit, & litteras humaniores. Rexit Collegium Catalaunenſe, adhuc ſuperſtes in Collegio Diuionenſi. Edidit Gallicè

Hiſtoriam Ciuilem, & Eccleſiaſticam Vrbis Cabilonenſis. Cabilone apud Philppum Tan 1659. in folio.

Poëſim Pindaricam, ſeu Iconem Regis, & alia ad imitationem Pindari. Cabilione 1642. in 8. recuſum tertiò ibidem apud Phil. Tan 1659. in 8,

Vitam S. Euſtachij Secundi Abbatis Luxonienſis. Gallicè, Metis 1645. in 12.

Theandrum, ſeu Hebdomadam ſanctam, per Dialogiſmum, in quo præcipua quæque ad meditationem ſpectantia explicantur Gallicè, Lugduni in 4.

CLAVDIVS PHILIPPVS Taonus natione Italus patria Nicienſis adſcitus in Societatē anno ſalutis 1624. ætatis ſuæ 16. vota quatuor profeſſus eſt. Sexennium Eloquentiam docuit cum laude; magna in eo vis ingenij, & felicitas, memoriæ ſumma. Extemporalis orator, quæ alij vix longo tempore elaboraſſent, ipſe breui horarum interuallo commentatus, attulit non ſemel ad concionem magna Auditorum admiratione. Diu Eccleſiaſtem per præcipuas Italiæ vrbes egit, ſemper cum fructu. Poſtremis verò vitæ temporibus, miram in permouendis animis artem aſſecutus, cùm audiri maximè mereretur, immaturo funere ſublatus, conticuit in patria, ad cæleſtem (vt ſperamus) Patriam euocatus, Calendis Iunij 1667. Edidit Italicè

Orationem funebrem de Mareſcallo Toras Duce exercitus Regis Chriſtianiſſimi in Italia.

Orationem habitam die natalitio Caroli Emmanuelis II. Sabaudiæ Ducis. Niciæ.

Eloguim Marchioniſſæ S. Germani cum reliqua pompa eiuſdem funeris. Taurini.

CLAVDIVS RICHARDVS Gallus è Comitatu Burgūdiæ, domo Ornacēſis, adoleſcens annorum 17. in Societatem Romæ admiſſus eſt anno ſalutis 1606. Vnde peracto tirocinio, & Humanioribus excultus Turnonem miſſus eſt ad ſtudium Philoſophiæ, ibidemque ſacram linguam, & Mathematicam publicè docuit, quam ſubinde Lugduni ſeptennio toto cum plauſu profeſſus eſt, votis quatuor ſolemnibus ibidem nuncupatis. Tandem impetrata, quam diu ambiuerat miſſione in Sinas, dum Matrito tranſit in Luſitaniam, ibi conſcenſurus, à Rege Catholico Philippo IV. detentus eſt, vt in recenti, quam inſtituerat Academia publicè Matheſim explicaret: Eo in munere ad obitum vſq; Matriti conſtanter permanſit, ita vt Mathematicas diſciplinas partim illic, partim in Gallia ad annos facile quadraginta explicarit. Demum ſeptuagenario maior quinquennio, vir religioſæ diſciplinæ apprimè obſeruans, migrauit ad Dominum Matriti die 20. Octobris 1664. Edidit

Commentarium in Omnes libros Euclidis Antuerpiæ typis Hieronymi Verduſci 1645. in 4.

Commentarios in Apollonij Pergæi Chronicorum libros ſex. Antuerpiæ apud Hieronymum, & Ioannem Baptiſtam Verduſſem 1655. in fol.

Eius eſt licet Suppreſſo nomine vulgatus *Ordo nouus, & reliquis facilior Tabularum Sinuum Tangentium.*

CLAVDIVS SVFFRENVS, natione Gallus Aquis-ſextijs natus, anno 1574. in Societatem 1592. ingreſſus. Septennium in ea Humaniores litteras, quinquennium Philoſophiam, ſexennium Theologiam profeſſus eſt, votis quatuor nuncupatis 1614. Concionatorem quoque egit annis multis; fuitque magni zeli, & eruditionis operarius. Collegium Aquis-ſextijs Societati poſuit, & rexit; & demum in Miſſione Foroliuienſi diem ſuum religioſè obijt die 14. Octobris 1629. Edi-

Edidit Gallice

Librum contra Miniſtrum Petit, cui *Vulpecula nomen fecit*

* CLAVDIVS TEXIER, natione Gallus, patria Picto, natus anno ſæculi labentis 10. Deo ſe in Societate dicauit 1628. & votorum quatuor ſacramentum ſolemne dixit. Poſt traditam Rhetoricam, & amæniores litteras quinquennio, conciones ad populum ab annis amplius 30. habet in præcipuis Galliæ Vrbibus. Rexit Collegia Lemouicenſe, & Pictauienſe, & modo domum Profeſſam Toloſanam Præpoſitus adminiſtrat. Edidit lingua vernacula.

Conciones per Aduentum ſub titulo *Impij Infelicis*. Pariſijs apud Stephanum Michallet 1673. in 8.

Conciones per Quadrageſimam: Pariſijs, & iiſdem typis 1675. in 8.

CLAVDIVS TIPHANVS, natione Gallus, patria Pariſienſis, natus anno 1571. in Societatem ingreſſus 1593. ac 15. poſt anno, quatuor vota ſolemni nuncupatione profeſſus, & Philoſophiam, & Theologiam pluribus annis docuit, eiuſdemque lauream Doctoralem accepit. Rexit Collegia Remenſe, Muſſipontanum, Metenſe, Flexienſe; Academiæ Muſſipontanæ Cancellarius fuit, & Prouinciam Campaniæ adminiſtrauit. Vir fuit mitiſſimi ingenij, ſedatis admodum moribus, & diſciplinæ religioſæ ſeruantiſſimus. Depoſita Prouinciæ cura, nunquam ignem ſibi priuatim extrui paſſus eſt, quamuis, & Superiores efferrent, & ratio valetudinis exigere videretur. Tam alte Diuinam bonitatem inſculpſerat animo, vt in extremo morbo iam alienatus a ſenſibus, Dei mei bonitatem, Dei mei bonitatem plus millies ingeminans, in ea verba defecerit, Senonibus die 27. Decembris 1641. Scripſit Gallico idiomate

Monitionem ad Hæreticos Metenſes de Paulo Ferrio Miniſtro. Muſſiponti apud Melchiorem Bernardum 1618. in 8. Latine verò

Declarationem, ac Defenſionem ſcholaſticæ doctrinæ, SS. Patrum, & Doctoris Angelici de Hypoſtaſi, & Perſona, ad Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Myſteria illuſtranda. Muſſiponti typis Philippi Vincentij 1634. in 4.

* CLAVDIVS VALDORY, natione Gallus, patria Rothomagenſis natus anno ſæculi præterlabentis primo, religioſæ militiæ in Societate nomen dedit 1620. Vir zeli feruentiſſimi, poſt traditas aliquot annis Humaniores litteras, totum ſe miſſionibus obeundis, & concionibus ad populum habendis impendit, iamque eo in miniſterio annis 35. in varijs partibus Franciæ miro cum fructu animarum verſatur. Edidit Gallicè

Tractatum de Seruitute Crucis Domini noſtri Ieſu Chriſti. Editio 2. Pariſijs apud Ioannem Henault 1660. in 8.

Reſponſionem ad Miniſtrum Fricotet, aduerſus libellum ab eo editum, contra honorem Cruci debitum. Pariſijs 1657. in 4.

Sanctam mortem Chriſtiani. Pariſijs apud Stephanum Michalet 1672.

COLONIEN. COLLEGIVM in Germaniæ Vrbe clariſſima, ad Rhenū, exordia habuit tenuia anno ſalutis 1544. quando ſex e Noſtris vnà cum Petro Fabro primogenito S. Ignatij filio, in domicilio conducto, & alienà miſericordia victitabant, præcipue RR. PP. Carthuſienſium, & duarum Matronarum caritate. Poſtea annitente potiſſimùm inclytæ memoriæ Viro Ioanne Groppero (quem Paulus IV. vel inuitum creauit Cardinalem) ab Illuſtriſſimo Senatu attributum Noſtris eſt Collegium, (quod vocant) trium Coronarum anno 1556. Adiecta deinde vectigalia à Sereniſſimo Erneſto Bauaro, Archiepiſcopo, & Electore anno 1587. quæ acceſſionibus varijs aucta, Collegium multorum capax Sociorum reddiderunt. Poſtremò acceſſit, & Templum ſplendidum, ſumma pietate, ac liberalitate Sereniſſimi Maximiliani Ducis, & Electoris Bauariæ extructum. Complectitur hoc Collegium ordinarie ſocios ſupra ſeptuaginta, & in his numerat Profeſſores diuerſarum ſcientiarum tredecim, qui Iuuentutem vndique confluentem, & plerùmque vltra mille capita, bonis artibus, ac pietate inſtruant. Edidit in lucem.

Simonis Sacerdotis magni antitypum Franciſcum Mariam Macchiauellum, Epiſcopum Ferrarienſem, in eius Collegij templo conſecratum Coloniæ 1639. in 4. Item

Annum ſæcularem Societatis Ieſu à ſe adumbratum. Coloniæ apud Hermannum Milium 1640. in 4. Item vnà cum Collegijs Noueſienſi, & Bonnenſi

Diem Album Honoris Sereniſſimo Maximiliano Henrico Bauaro Epiſcopo Leodienſi, cùm Archiepiſcopus Colonienſis, & Elector inaugураretur, oblatum. Coloniæ typis Viduæ Hartigeri Vvaringen 1650. in folio

CONIMBRICEN. COLLEGIVM, quod celeberrimū eſt in Luſitania, fundatum in ipſis naſcentis ferè Societatis primordijs, anno ſalutis 1552. à glo. mem. Ioanne III. Rege, vt eſſet veluti Seminarium Præconum fidei Chriſtianæ in Oriente, ab eodem in eam amplitudinem mox eſt perductum, vt nullum par illi diu habuerit Societas; & inter ſtabilita annuis Vectigalibus Collegia, fuerit omnium primum. Adiecit ei poſtea idem munificentiſſimus Rex iura Academica, & partem Academiæ à ſe eo loci fundatæ Collegio noſtro attribuit, voluitque, vt in vnum corpus cum Academia Regia coaleſceret. Hinc doctiſſimus vir Martinus ab Azpilcueta Nauarrus, dedicauit illi Relectionem ſuam, in c. *Ita quorundam De Iudæis*, & mirificis illud laudibus extollit. Numerat hoc Collegium ordinariè ad ducentos ſocios, & ſæpe habuit multo plures atque in his Profeſſores diuerſarum ſcientiarum 23. qui accedentes ad ſe vnde

dequaque diſcipulos (plerumque ad duo millia capitum) ad omnem virtutem, & ſapientiam erudiant. Edidit

Commentarios in libros Ariſtotelis Phyſicorum. De Cælo, Meteororum, Ethicorum, Paruorum naturalium, De Generatione, & Corruptione, & De Anima, editos nomine Curſus Collegij Conimbricenſis, Coloniæ 1599. in 4. Moguntiæ 1600. in 4. & alibi. Eorum Auctor eſt Emmanuel Goës. Cùm autem eiuſdem Collegij nomine prodijſſent ex Bibliopoleio Frobeniano anno 1604. Suppoſititij Commentarij in vniuerſam Ariſtotelis Logicam indigna tali parente proles, illis abolendis edidit idem Collegium alios Genuinos

Commentarios in Logicam Ariſtotelis. Lugduni ſumptibus Horatij Cardon 1607. in 4. & alibi, quorum Auctor eſt Sebaſtianus Coutus. Præterea ſeorſim excuſa ſunt

Problemata quæ in Collegij Conimbricenſis Phyſicis Commentarijs enodantur. Moguntiæ typis Ioannis Albini 1601. in 12.

* CONRADVS CONFALONERIVS natione Italus, patria Mediolanenſis, natus anno ſæculi præterlabentis 19. tirocinium vitæ religioſæ in Societate poſuit Romæ anno 1636. & votorū 4. ſacramento ſe obligauit. Humaniores litteras profeſſus eſt triennio; Matheſim anno vno, Philoſophiam quà Romæ; quà Mediolani nouennio; Ethicam biennio; Theologiam ſcholaſticam ſexennio; nunc Philoſophiam moralem in ſcholis Canobianis Mediolani in quintum annum publicè profitetur. Edidit hactenus

Epitomen Philoſophicam ex Prælectionibus Romanis, & Mediolanenſibus excerptam. Mediolani apud Iulium Cæſarem Malateſtam 1660. in 8. Item Italicè

Cometam Decomatum Mediolani in 12.

CONRADVS VETTER, natione Germanus, gente Sueuus, domo Engenſis in Societatem iam Sacerdos adlectus eſt anno 1576. atque in ea gradum Coadiutoris ſpiritualis obtinuit. Ratiſbonæ in Cathedrali pulpito annis aliquot concionatus eſt, ea vi, & gratia, vt Hæreticorum iuxtà, & Catholicorum magnum ad ſe numerum traheret. Tullius linguæ ſuæ, & flagellum Hæreticorum, quibus, ob varios præſertim libros ſeu ingenio ſuo natos, ſeu de latino in vernaculum translatos, grauis quoad vixit, fuit. Viris Principibus longè erat acceptiſſimus, à quibus etiam in ſuprema valetudine ſæpiùs eſt viſitatus. Deceſſit demum die 11. Octobris, anno 1622. ætatis 76. vitæ magis quàm laborum ſatur, in Collegio Monacenſi. Vertit in Germanicum

Martyrologium Romanum.

Decem Rationes Edmundi Campiani.

Vitas S. Ignatij B. Franciſci Borgiæ; Ioſephi Anchietæ.

Hiſtorias de Monaſterijs Monialium S. Benedicti Rigæ, & Sanctæ Claræ Norimbergæ, Ingolſtadij typis Ederianis 1613. in 4.

Meditationes Diaz pro flagellantibus ſe die Veneris Sancto.

Sebaſtiani Neiſsij cenſuram de articulis Hailbruneri.

Purgatorium Lutheranorum. 1612.

Tres eiuſdem Quæſtiones. 1612.

Martini Becani Tractatum de Concionibus Caluiniſtarum.

Iacobi Gretſeri de Eccleſiaſticis proceſſionibus lib. 2. 1612.

De voluntaria flagellorum Cruce, lib. 3. 1612.

Apologiam pro libris de Diſciplinis.

Murices Catholicæ, & Germanicæ antiquitatis.

Relationem de Ieſuitarum ſtudijs abſtruſioribus.

Furias Prædicantium Auguſtanorum, ob refutatam Relationem Cambilhonicam.

Eaſdem repetitas, & denuo caſtigatas. 1612.

Lixiuium pro abluendo Maleſano capite Anonymi Miniſtri, cædem Henrici IV. Regis Galliæ in Ieſuitas conferentis.

Apologiam contra Ioannem Cambilhouen.

De mortificatione libros 3.

Caſtigationem impudentiſſimi libelli aduerſus Cardinalem Bellarminum confictі. Ingolſtadij 1615.

Adami Tanneri amuletum Caſtrenſe.

Hieremiæ Drexelij Horologium Angeli Tutelaris.

Petri Caniſij Cathechiſmum Rythmo.

Ioannis Trithemij curſum, ideſt horas Sanctæ Annæ.

Ioannis Reibingi muros Ciuitatis Sanctæ Jeruſalem 1615.

Ioannis Bithorij Gerſonis Hanſonij tractatus varios de honore, & rebus fidei. 1614.

Extremum Iudicium Lutheranorum. 1612.

Relationem Colloquij inter Principes Vaudemontium, & Badenſem. 1614.

Scripſit autem ex ingenio.

De Sancto Miſſæ ſacrificio.

Viginti quatuor nouos, terribiles, impios errores recens Reformatorum Chriſtianorum, De Morte, & Paſſione Chriſti. Ingolſtadij 1591. in 4.

Reſponſionem ad Andreæ Schmidelini libellum expoſtulatorium.

Valete omnium Hæreſiarcharum. Ingolſtadij 1591.

Colloquium duorum Prædicantium ſuper innocente Luthero.

Lutherum innocentem, veracem &c. Ingolſtadij 1600.

Manifeſtam demonſtrationem de caſto Luthero, contra Philippum Hailbrunerum. Ibidem 1600.

Confractionem Speculi Ieſuitici à Prædicantibus editi. Ingolſtadij 1601.

Re-

Refutationem contra Hailbrunnerum, cum breui relatione Ioannis Decumani de Diſputatione Ratisbonenſi. Ingolſtadij 1603.

Palinodiam, & publicam proteſtationem, quod in quindecim libellis, qui Innocens Lutherus inſcribuntur, auctor Luthero iniuriam fecerit.

Antiquam pietatem Catholicam, & 300. Salutationes ad Ieſum Chriſtum. Ingolſtadij 1619. & plura alia Germanicè omnia.

CONSALVVS RODERICIVS, vide infrà in Gonſaluo Roderício.

CONSTANTINVS SYRVVID natione Lithuanus vndeuicennis Societati ſe aggregauit anno ſalutis 1598. & vota quatuor profeſſus eſt. Multis annis Sacram Scripturam, tùm in pulpito, tùm in Cathedra explicuit, & Eccleſiaſten linguis Polonica, & Lithuanica, egit. Vir ſolidè doctus, pius, & zeloſus, eodem tempore, quo ſacras litteras in ſchola interpretabatur, diebus feſtis manè ad plebem in templo Collegij Lithuanicè, mox in templo Cathedrali Polonicè coram Capitulo concionabatur, & inſuper poſt meridiem in Eccleſia Domus Profeſſæ lectionem de Sacra Scriptura ad confertum populum habebat. Monitus inter hæc, ne nimio zelo valetudinem iret perditum, reſpondit: Quorſum mihi valetudo, niſi vt laborem? eſto laborando breuior euadat vita. Virginitatem, & innocentiam baptiſmalem creditur ſecum detuliſſe ad ſepulchrum teſtante id eo, apud quem totius vitæ ſuæ noxas ſenſibus adhuc integris, depoſuerat. Mortalitatem exuit in Collegio Vilnenſi die 23. Auguſti 1631. Ad iuuandos eos, qui minùs periti linguæ Lithuanicæ, per Lithuaniam ſalutem indigenarum procurabant, Edidit

Clauem linguæ Lithuanicæ. Vilnæ in 8.

Dictionarium Polono-Latino-Lithuanicum. Vilnæ ſæpiùs recuſum.

Puncta Concionum in Dominicis totius anni Polono, & Lithuano idiomate. Vilnæ typis Academicis 1639. in 4.

CONSTANTIVS PVLCHARELLVS natione Italus, patria Maſſalubrenſis non procul Neapoli, adoleſcens in Societatem venit anno ſalutis 1585. in qua plus annis 25. vixit, & quartum Romano Pontifici votum fecit. Omnes in ea ſcientias feliciſſimè complexus eſt, ſed infirmitate valetudinis ab exercendis grauioribus impeditus, humanioribus ſeſe ad naturæ leuamen impendit, in quibus inexhauſta ingenij fœcunditate Græcè, latinèque apprimè fuit eruditus. Cæterùm vir fuit admodum religioſus, ſeù interiorem animi conſtitutionem, ſeù exteriorem corporis habitum ſpectes. Nullum in eo veſtigium contumaciæ, nullum faſtus, aut arrogantiæ. Neminem aliquando verbo acerbiùre perſtrinxit. Tulit diuturnum morbum perinde diuturna patientia. Etenim vno alteroue poſt anno, quam noſtræ militiæ Sacramento rogatus eſſet, è pectore tantam eiecit ſanguinis vim, vt reliquo vitæ tempore ex difficillimo morbo ſeſe expedire nunquam potuerit. Et cùm tantis difficultatibus ſubiectus eſſet, nihilominùs tamen humaniores litteras octo annis accuratè docuit. Sed nunquam eius conſtantia clariùs eluxit, quàm illo triennio integro priuſquàm naturæ concederet; nam cùm infrequentiùs à ſocijs, iuſto contagionis metu inuiſeretur, ita ſuam illam ſolitudinem æquanimiter tulit; vt nemo illum vultuoſum, nemo minus ſerenum, aut lætum aduerteret. Opportuna autem ſaluti remedia idcircò non procurabat, quòd diceret ea ſibi minimè deberi. Interim curſum ſuum habuere conſuetæ corporis macerationes, itaut nullum penè aſperitatis genus prætermitteret, à quo temperaret. Cineralia quippè ieiunia, quæque reliquum intercurrunt annum affecto corpuſculo perſeueranter obſeruauit; humo nuda cubitare, informe lignum pro puluillo capiti ſupponere, familiariſſimum illi erat; & quæ duo non parùm vtique cæleſtem illi gloriam accumularunt, in tanta conflictatione malorum, Diuinam quotidie rem fecit, & ſtatum Orationis tempus, aut expleuit ſemper, aut longiùs protraxit. Longa demùm phtyſi conſumptus, obijt Neapoli die 13. Ianuarij anno Domini 1610. ætatis 41. Scripſit varia Poëmata nitidiſſimo ſtylo, quibus vno volumine comprehenſis, qui ea poſt ipſius mortem ediderunt titulum fecerunt:

Carminum libri 5. His adiecti. Dialogus De vitijs ſenectutis, & Homericæ Iliadis, Libri duo. E Græco in Latinum conuerſi. Neapoli apud Tarquinium Longum 1618. in 8. recuſi in Parnaſſo Soc. Francofurti 1654. in 4. & alibi.

CORNELIVS CORNELII A LAPIDE, natione Belga, patria Eburo Bucholdianus, honeſtis ortus parentibus, à primo rationis vſu Deum colere cœpit fide, ſpe, & charitate; Adoleſcens ſe in Societatem dedit anno ſalutis 1592. 8. Iulij: In ea ante iuuentutis egreſſum, ſacerdos factus, quotidie ſacram hoſtiam, ad vſque vitæ extremum, quaſi iuge ſacrificium immolauit. Sacram linguam Louanij, & diuinas litteras plus annis 20. publicè docuit, vndè Romam à Moderatoribus accerſitus, eaſdem ibi ſumma cùm celebritate nominis complures annos interpretatus eſt, donec labori cedens totum ſe ad priuatam ſcriptionem conuertit; quo tempore quale inſtituerit vitæ genus, nullis aptiùs, quàm ipſiuſmet verbis explicuero; ea ipſe cum Deo loquens ita concepit; *Hoſce meos labores, & fructus, omnia ſtudia, omnem doctrinam, omnem commentationem tuæ gloriæ, O Sacroſancta Trinitas, & Trina Vnitas conſecraui, optauique vt omnis mea actio, omnis paſſio, totaque vita non eſſet aliud, quàm continua laus tua. Tu menti meæ ab olim te reuelaſti, vt te vnum æſtimarem, & quærerem, cætera omnia velut exilia, inania, & fugacia flocci ducerem, & faſtidirem. Quocirca aulas; & oras fugio: ſilentium, & receſſum mihi iucundum, aliſque non inutilem ſerua..., cum*

cum Sancto Baſilio, Gregorio, Hieronymo, cuius ſanctam Bethleem ab eo in Palæſtina ſollicitè quæſitam ego Romæ inueni. Olim iunior egi Martham, nunc in deuexa ætate magis Magdalenam ago, & adamo, memor breuis æui, memor Dei, memor instantis æternitatis. Cellæ (quæ mihi fida, amica, tota terra carior eſt, adeoque cœlum terreſtre videtur) & ſilentij ſolius ſum incola, Cellicola & ſacri Muſæi aſſecla, cœlicola eſſe contendo, ſanctæ contemplationis, lectionis, ſcriptionis, otium, imò negotium perſequor. Deo Vni, & Trino, eius oraculis, & inſpirationibus excipiendis, meditandis, celebrandis incumbo: ad Christi pedes ſedeo, vt ab ore eius pendulus verba vitæ hauriam, quæ deinde in alios effundam. Hæc ille ſenex agebat, & diuturnæ ſanctitatis meritis cumulatus: nam ab ipſo ſtatim in Societatem ingreſſu, beatæ æternitatis perenni conſideratione, ita eſt ad humanarum rerum contemptum, & cœleſtium deſiderium incitatus, vt ex eo nihil aliud, præter Chriſti perennem voluptatem, laudem, & gloriam in vita, & in morte, in tempore, & in æternitate, intenderet; Eam vnam celebrare, & promouere omnibus votis, & ſtudijs, omnibuſque corporis, & animi viribus, intenderet, & ſatageret. Nihil in hoc mundo à quoquam mortalium exſpectaret, nihil deſideraret. Hominum iudicia, aut plauſus non moraretur, Soli Deo placere cupiens, & diſplicere timens. Hoc vnum ſpectaret, vnum hoc poſtularet, huc omnis eius lectio, & ſcriptio, huc omnis labor deſudaret, vt ſanctum eius nomen ſanctificaretur, eiuſque ſancta voluntas fieret ſicut in cœlo, & in terra. Ardentiſſimum martyrij ſubeundi deſiderium ab ipſo primo tyrocinio diuinitùs hauſtum, adeò ſemper retinuit, vt omnibus votis eam ſibi lauream aſſiduè efflagitaret. Eam penè iam manibus erat complexus anno 1604. cùm degens apud Ædem Deiparæ Aſpricollenſem miraculis illuſtrem, haud Louanio procul, & aduentantes turmatim religionis cauſa mortales, per confeſſiones, conciones, aliaque ſacra officia adiuuaret, ab Hollandico equitatu improuisò in eam incurrente ipſo feſto Natiuitatis Deiparæ die, cunctaque ferro, & flamma vaſtante, circumſeptus eſt, & tantùm non captus, & trucidatus. Verùm ſacroſanctæ Euchariſtiæ, quam ex æde ſacra, nè ab Hæreticis violaretur, efferebat, ac Deiparæ, quàm voto nuncupato implorabat, ope, periculum non ſine miraculi opinione diſcuſſum eſt, ipſe mira prouidentia ſeruatus incolumis. Cæterùm quàm nunquam illi exciderit cupido Martyrij ſatis ea verba declarant, quibus ſanctos quatuor Prophetas; abſoluto in eorum vaticinia Commentario, ita compellat: *O Prophetæ Domini, feciſtis me Prophetiæ veſtræ, & Doctoralis laureæ participem; facite quæſo, & martyrij, vt & ego veritatem, quàm à vobis hauſi, alioſque docui, & conſcripſi, ſanguine meo obſignem. Nec enim ante perfectius, & conſumatus erit Doctoratus meus, niſi hoc ſigillo pariter claudatur; à triginta propè annis vobiſcum, & pro vobis lubens, volenſque continuum ſubeo martyrium religioſæ vitæ; & martyrium ægritudinum, martyrium ſtudiorum, & ſcriptionis: impetrate obſecro mihi pro coronide, & quartum martyrium ſanguinis. Exhauſi pro vobis ſpiritus vitales, & animales; exhauriam, & ſanguinem. Omnis laboris mei per totos annos exantlati, quo vos Dei gratia explicui, illuſtraui, & nouo ſermone loquentes, & prophetantes effeci, ac vobiſcum quaſi prophetaui; veſtrum mihi quaſi Prophetæ ſtipendium, martyrium dico à Patre luminum æquè, ac miſericordiam obtinete.* Mox ad Beatiſſimam Dei Matrem conuerſus; cui ſe ſuaque omnia deberet, à qua fuiſſet indignus ad ſanctam filij eius Societatem vocatus; in ea miro modo directus, adiutus, inſtructus, martyrij ſe per eam compotem fieri poſtulat; Deinde Dominum Ieſum, amorem ſuum per Genitricis, & Prophetarum promerita, obnixè efflagitat, ne inertem agat vitam, ne inertem in lecto mortem, ſed ligno illatam, aut ferro. His conſentanea fuere cæterarum ornamenta virtutum, quæ longiùs proſequi non eſt huius operæ. Nihil illo videri potuit mitius, nihil modeſtius, nihil temperantius. Tam humili erat de ſe ſenſu in tanta Doctrinæ, atque omnis humanæ, diuinæque ſapientiæ vaſtitate, vt affirmaret: *Verè & in conſcientia mea, ſtultiſſimus virorum ego ſum, & ſapientia hominum non eſt mecum, ſum puer paruulus, neſciens introitum, & exitum meum.* Alibi quoque ita pronunciat: *iam penè à 40. annis ſacro huic ſtudio incumbo, à 30. annis nihil aliud ago, quin & continuo ſacras litteras doceo, & tamen ſentio, quàm parùm in eis perfecerim.* Religioſæ ſeueritatis adeò tenax fuit, vt ne quid illa caperet ſuâ cauſa detrimenti, nollet ſibi quidpiam eximium ad victum proponi, tametſi valetudine ſemper eſſet imbecillima, annis impedita, ſtudijs Eccleſiæ Dei profuturis impenſa, nec poſſet edulia, quæ cæteris apponebantur, conficere. Obedientia illi ſemper, & veritatis amor præ vita fuit. Hanc in omni ſcriptione primam habuit, illam verò ductricem ad proferendas ſcriptiones ad publicam lucem, quas alioquin æterno fuerat damnaturus ſilentio. His ille ſtudijs ſanctimoniæ intentus, cum ſeptuaginta ſuperaſſet annos ætatis, debitum tandem naturæ ſoluit, in Vrbe ſancta, vbi ſemper optarat ſanctorum oſſibus ſua miſcere die 12. Martij anno 1637. Cadauer auctoritate Maiorum proprio incluſum loculo, vt olim internoſci poſſet, humatum eſt. Catalogus ipſius operum, eſt, qui ſequitur.

Commentaria in Pentateuchum Moſis. Antuerpiæ apud hæredes Martini Nutij, & Ioannem Meurſium 1616. rurſum 1623. in folio.

In libros Ioſue Iudicum, Ruth, Regum, Paralipomenon. Antuerpiæ apud Ioannem Meurſium 1642. in folio.

In

In libros Eſdræ, Nehemiæ, Tobiæ, Iudith, Eſther, Macbabæorum. Antuerpiæ apud Ioannem Meurſium, & Pariſijs apud Cramoyſy 1644. in folio.

In Prouerbia Salomonis. Antuerpiæ typis Nutianis, & Pariſijs apud Cramoiſy 1635. in folio.

In Eccleſiaſten. Antuerpiæ typis Nutianis 1638. Pariſijs apud Cramoiſy 1639. in folio.

In Sapientiam. Antuerpiæ iiſdem typis 1638. Pariſijs 1639. in folio.

In Canticum Canticorum. Antuerpię 1638. Lugduni apud Boiſſat 1637. in fol.

In Eccleſiaſticum. Antuerpiæ typis Nutianis & Lugduni Landrianis 1634. Iterum Antuerpiæ Meurſianis 1642. in folio.

In quatuor Prophetas maiores. Antuerpiæ apud Martinum Nutium 1622. & rurſum 1625. in folio.

In duodecim Prophetas minores. Antuerpię apud Martinum Nutium 1638. in folio, & Lugduni apud Proſt, eodem anno.

In quatuor Ieſu Chriſti Euangelia. Antuerpiæ apud Martinum Nutium 1638. & Lugduni apud Proſt. eodem anno, in folio.

In Acta Apoſtolorum. Antuerpiæ apud Nutium, & Lugduni apud Iacobum, & Matthæum Proſt 1627. in folio.

In omnes Diui Pauli Apoſtoli Epiſtolas. Antuerpiæ typis Nutianis, & Meurſianis 1614. & 1617. & 1622. & 1627. & 1635. in folio.

In Epiſtolas Canonicas. Antuerpiæ, & Lugduni typis iam dictis 1627. in folio.

In Apocalypſim Sancti Ioannis Apoſtoli. Ibidem 1627. in folio.

Reliquit imperfecta

In libros Iob, & Pſalmorum.

Prolixior aliquanto videri potui, ſed hoc debui viro laudatiſſimo.

CORNELIVS CROCVS natione Belga, patria Amſtelodamenſis, litteras humaniores Louanij puer excoluit. Eloquentiam ab Hadriano Barlando Rhetore audiuit, Græcas ipſe litteras etiam adiunxit. Decurſis tandem Theologiæ ſpatijs, ſacris initiatus ordinibus, ludum in patria litterarium aperuit, quo iuuentutem illam optimis ſimul diſciplinis, ac moribus iam indè à teneris imbueret; atque in auita religione contineret; quippè cùm iam ſenſim per Bataviam labes Hæreticorum ſerperet, cui ſemina iecerant praua Eraſmi Colloquia. Nihil ſinebat ex veterum libris parùm pudicum, vel ad oculos adoleſcentium, vel ad aures accidere. Corruptores religionis, & deteſtabatur grauiſſimè, & inſectabatur acerrime; nullumque non ſubibat laborem, nihil non moliebatur, vt eos refelleret, confirmaretque Catholicos. Diuinum etiam cultum, venerationem præſertim auguſtiſſimæ Euchariſtiæ perſtudioſè tuebatur. Et habebant curæ eius momentum ingens, & exitum peroptatum, quòd innocens vita grauiſſimi Sacerdotis, claris, perpetuiſque exemplis cùm præibat, tùm ſequebatur ſeduli ſtudia monitoris. Ad initia Conimbricenſis Academiæ, cum ab Luſitano Rege magnis honorum inuitaretur illecebris, ſuo omni commodo, ac ſplendori, vetulæ parentis caritatem antetulit. Quæ vbi octogenaria compoſita eſt, quinquagenarius ipſe humana faſtidiens, anhelans cœleſtia, perfectæ amore virtutis Romanum iter pedes aggreditur: Nimirùm cum eſſet ingratum expertus Magiſtratum in patria, indignans nonnunquam Scipionis illud Africani in ore habebat: *Ingrata patria, oſſa non leges mea*. Pariſios cùm veniſſet ſocijs hortantibus, vt Autumni mitiora expectaret tempora; *Nolite*, inquiebat, *fratres nolite retardare peregrinationem meam. Dominus Dux mihi & ſocius erit, cuius gloriæ modicum hunc laborem capeſſo. Spero, & mihi, quamuis nona hora accedam, reddendum denarium*. Romam igitur pedibus magno labore venit, ſæuientis æſtus incommoda nihil formidans, & in Societatem à S. Ignatio Patriarcha admiſſus vitam omnem confeſſione accuratiſſima recognouit. Ac ſubindè quod noxio anni tempore vrbem inierat, morbo correptus, paucíſque diebus conſumptus eſt. Vir ſingularis humilitatis, atque modeſtiæ, præclariſque naturæ, ac Dei donis ornatus. Obijt in Romana Domo anno 1550. Compoſuit

Grammaticam vt amoueret à ludo, quàm impius Melanchton ediderat. Item

Colloquiorum puerilium formas, vt impias Eraſmi excuteret è manibus. Antuerpiæ apud Hillenium 1535. in 8. & alibi

Sordidorum verborum faraginem, *ſeu Limam barbariei*. Coloniæ apud Gymnicum 1570. in 8. Antuerpiæ, & alibi

Ioſephum Caſtum, Comædiam oppoſuit Eunucho Terentianæ, Pariſijs apud Vvechelum. Antuerpiæ apud Steelſium 1548. in 8. atque in his, alijſque eius ſcriptis tantus nonnullis ſtyli nitor viſus eſt efflorescere, vt Hadrianus Iunius in ſua Batauia non vereatur affirmare omne Terentij myrothecium, Ciceroniſque arculas eum conſumere adnixum. Sed his grauiora contra Sectarios molitus eſt, quos vnà cum Alardo Amſtelodamo, cui familiaris fuit, oppugnauit. Natus enim videbatur (inquit idem Alardus) ad factionem, peſtemque arrogantiſſimorum Sciolorum comprimendam. Scripſit igitur aduerſus illos

De Vera Eccleſia, ſeu de Notis, & Signis Eccleſiæ. Coloniæ apud Gymnicum

Epiſtolam de fide, & operibus ad Ioannem Sartorium Fidei Orthodoxæ deſertorem. Antuerpiæ 1531.

Diſputationem contra Anabaptiſtas. Ibidem 1535.

Meditationes Pias in Paſſionem Dominicam. Coloniæ 1532. Antuerpiæ 1535.

Orationem de Chriſti Vita: Antuerpiæ apud Steelſium 1548. in 4.

In

In Decalogum.

Pia opuſcula, precationes, Controuerſa fidei, Philologica, ſimul vulgata ſunt Antuerpiæ apud Iacobum Meurſium 1612. in 16.

* CORNELIVS HAZART natione Belga, patria Aldenardenſis, natus anno ſæculi fluentis 17. Societatem amplexus eſt 1635. & vota quatuor ſolemnia nuncupauit. Quinquennio diſciplinas humaniores profeſſus eſt; Præfecturam ſcholarum geſſit; Eccleſiaſten annis amplius viginti egit, agitque & ſimul in Domo Profeſſa Antuerpienſi vacat culturæ animarum. Scripſit libros quam plurimos partim de Controuerſijs fidei, partim Hiſtoricos, linguà Belgicà, edideitque Antuerpiæ typis Michaëlis Cnobbaertij, vt in Elencho ſubſequenti

Victoriam Romæ, De Geneua, hoc eſt, De Inuocatione, & veneratione Sanctorum. 1660. in 8.

Cæremonias Miſſæ, ex Scriptura & SS. Patribus. Editio tertia 1661. in 8.

Amicum Colloquium De Reliquijs, Peregrinationibus &c. 1661. in 8.

Doctrinam S. Iacobi Apoſtoli, De Extrema Vnctione agrorum. 1661. in 8.

Purgatorium ſtabilitum ex Scriptura, & Patribus omnium ſæculorum. 1661. in 8.

De Lectione Bibliorum in lingua materna. Eodem anno & forma.

Epiſtolam ad D. Schulerum, De Reliquijs, Peregrinationibus &c. eodem anno &c.

Contra Demonſtrationem fundamentalem Prædicantis Bredani, De Reliquijs Sanctorum. Eodem anno & forma.

Annotationes in librum Prædicantis Leydenſis de varijs Hæreſibus, & ſuperſtitionibus. 1662. in 8.

Collationem de Ven. Eucharistia; Chriſti verba non figuratè, ſed propriè accipienda eſſe. 1662. in 8.

Reſolutionem quæſtionis, Cui potiſſimum ſit credendum. 1662. in 8.

Aquam Benedictam &c. 1663. in 8. editio tertia.

Diuinam inſtitutionem Confeſſionis auricularis. 1663. in 8.

Collationem, an Eccleſia Romana vnum ex decem præceptis expunxerit &c. & non potius Caluiniſtæ vnum ex duodecim articulis ſymboli? 1663. in 8.

Cæremonias quibus vtitur Romana Eccleſia circa reliquias Sanctorum. 1663. in 8.

Cultum imaginum, eiuſque Cæremonias. 1664. in 8.

De ieiunio, eiuſque Cæremonijs. 1664. in 8.

Chriſtianiſmum apertum, contra apertum Turciſmum Prædicantis Caluiniſtæ. 1664. in 8.

Reſponſionem ad litteras Prædicantis Bredani. Iiſdem anno, & forma.

Icarum Hollandicum, De cultu Sanctorum. Iiſdem.

Illegitimum miniſterium Prædicantium Reformatorum. Iiſdem.

Latebras, & errores Prædicantis Bredani circa cultum Reliquiarum. 1665.

Phaëtontem Hollandicum expreſſum in Prædicante Bredano. 1665.

Abſurditates reformatæ religionis. 1665. in 4.

Solem meridianum contra tenebras Reformatæ Religionis. Iiſdem.

Catholicam Interrogationem, Vbi erat Reformata Religio ante tempora Lutheri & Caluini? 1666. in 8.

Diſputationem Lutheri cum Diabolo circa ſacrificium Miſſæ. 1666. in 8.

Cæcum vociferantem, nempè Prædicantem Traiectenſem in Vita S. Seruatij à ſe edita. 1667. in 8.

Primatum, & infallibilitatem Romanorum Pontificum ſtabilitam. 1667. in 8.

Fabellas Caluiniſticas, quibus ſuam ſectam tuentur. 1667. in 8.

Demonſtrationem fundamentalem, quòd Caluiniſtæ non habeant veram Eccleſiam. 1667. in 8.

Nouum Atheiſmum ortum, ex hæreticis erroribus, quòd quiſque in ſua fide poſſit ſaluari. 1668. in 8.

Nouum, & Peregrinum monſtrum oppugnans tranſubſtantiationem. 1668. in 8.

Diuinam vim operum bonorum, quæ in vera fide fundantur. 1669. in 8.

Cucullum ſtultorum pro Xenio oblato Prædiconti Schoonhoniano. 1669. in 8.

Aedificium ſine fundamento, hoc eſt, Fidem Caluiniſticam ſine ſcriptura. 1669. in 8.

Communionem ſub vna ſpecie ſtabilitam. 1670. in 8.

Libellos alios Polemicos hiſce perſimiles, complures breuitatis ſtudio præterimus, Hiſtoricos verò in folio iiſdem typis edidit.

Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ præcedentis, & præſentis ſæculi Partem I. Complectentem Iaponiam, Chinam, Mogor, Biſnagar, Perù, Mexicum, Braſiliam, Floridam, Canadam, Paraquariam, & Maragnonem. 1666. in folio. Item

Partem II. Complectentem Abaſſiam, Angolam, Congum, vtramque Guineam, Meſopotaniam, Hungariam, Bohemiam, Poloniam, Tranſiluaniam. Sueciam, Daniam, Galliam. 1668. in folio.

Partem III. Complectentem Belgium, & Angliam. 1669. in folio.

Partem IV. Complectentem Turciam, Paleſtinam, Syriam, Græciam, Moſcouiam, Tartariam, Perſiam, Regnum Feſſanum, & Marocanum. 1671. in folio.

Partem V. inſcripſit: Triumphum veræ Eccleſiæ de Atheis, Mahometanos, Iudæis, Schiſmaticis, & omnibus Sectarijs. Ibidem 1673. in fol.

Partem VI. & VII. parat prælo.

COR-

CORNELIVS PERDVCCIVS, natione Belga, patria Vvinocebergenſis in Societatem anno 1612. ætatis 19. ingreſſus, vota quatuor ſolemnia concepit. Septennium docuit litteras manſuetiores, quadriennium Philoſophiam in Academia Duacena. Director fuit annis amplius viginti Sodalitatum Beatiſſimæ Virginis Mariæ varijs in locis, & valde multis, Præfectus Spiritus in noſtris Collegijs. Emicuit in eo ſingularis charitas erga omnes, qua factum eſt, vt Noſtris iuxtà atque exteris eſſet percharus. Erat in laboribus pro ſalute animarum indefeſſus; orationi, vt qui maximè deditus, Beatiſſimæ Virginis cultor eximius. Demum annis grauis ad laborum præmia ex hac vita emigrauit. Valencenis die 6. Decembris 1671. Edidit Gallicè

Acceſſum animæ ad Deum per ſemitam Confidentiæ. Duaci 1635. Auctum, & recuſum Tornaci 1642.

Tractatum de Arte bene moriendi. Montibus 1642.

Conſiderationes pias ſuper beneficio vocationis ad ſtatum Religioſum, & ad cælibatum. Montibus typis Erneſti la Bruyre 1647.

Admonitiones pias, ac ſalutares pro facilitando ingreſſu in exercitium orationis, etiam tempore deſolationis. Valencenis typis Ioannis Boucher 1651.

Veram, & probatam Regulam luctus in morte ſuorum cum officio caritatis, quod iure ſuo exigunt mortui à viuis. Ibidem 1665.

Sacri amoris fomenta, ac guſtus, attenta diuinorum Chariſmatum meditatione eliciti. Ibidem, ijſdem typis 1656.

COSMAS MAGALLIANVS, natione Luſitanus, patria Bracharenſis. Vix 15. annos natus Conimbricæ pridie nonas Iulij. 1566 ad Societatem ſingulari Dei beneficio adductus, diu Rhetoricam docuit, ſtudijs præfuit, Queſtiones de Moribus 10. annis explicauit, Sacram Scripturam Conimbricæ interpretatus eſt, vir non virtute minùs, quàm doctrina clarus. Cùm fluctuaret animo, deberet ne poſteritatis iudicio ſuos labores committere, libellum vulgauit, quem per iocum Scapham appellauit, quo periculum faceret: vt vidit ex voto ſuccedere, maiora emiſit. De viris illuſtribus Societatis ſcribere meditantem mors intercepit Conimbricæ anno 1624. ætatis 73. Societatis initæ 57. die 9. Octobris. Scripſit

Sylnam Auctorum ad puerorum inſtitutionem ſelectorum. Item

Commentarium in Canticum 1. Moyſis. Lugduni ſumptibus Horatij Cardon 1609. in 4.

Operis Hierarchici, ſiue, de Eccleſiaſtico Principatu lib. 3. in quibus

Epiſtolæ tres B. Pauli Apoſtoli quæ Pontificiæ vocati ſolent, nempe duæ ad

Timotheum, & 1. ad Titum Commentarijs explicantur. Typis ijſdem eodemque anno in 4.

Commentariorum in Sacram Ioſue Hiſtoriam tomos 2. Turnoni ſumptibus Horatij Cardon 1612. in folio

Commentariorum in Moyſis Cantica, & Benedictiones Patriarcharum libros 4. Lugduni ſumptibus Cardon 1619. in folio

Explanationes, & annotationes Morales, in ſacram Iudicum Hiſtoriam Tom. 1. qui complectitur octo priora Capita. Lugduni ſumptibus Iacobi Cardon, & Petri Cauellat 1626. Scripſit prætereà

Iaponenſis Catechiſmi tomos 2. &

In Problemata Ariſtotelis id quod in Commentarijs Conimbricenſibus extat

COSMAS SALHAVSER, natione Germanus, patria Nappurgenſis in Palatinatu Societati adſcriptus eſt anno ſalutis 1586. ætatis ſuæ 15. & profeſſionem votorum quatuor emiſit. Vir Concionandi munere ad annos circiter quadraginta clarus; imis, ſummis, ob morum elegantiam, & renidentem è vultu candorem amabilis. Verum, ac Germanum Iſraelitam, dixiſſes. Diſſidijs, etiam Potentiorum componendis adeò dexter, & æquus arbiter, vt quibus ſuo obnunciaſſet, calculo, eos eloquij ſuauitate denuo ſibi deuinciret. Extrema in valetudine, eàque graui, ac diuturna, præclara patientiæ, ſuique contemptus documenta dedit, indigno talia fieri dictitans; nec Deo agendis gratijs expleri potuit, quòd prolixum ſibi ſpatium indulſiſſet, tùm vitæ exactæ næuos tantiſper eluendi, tùm ad Beatam æternitatem ſe diſponendi. Curſum peregrinationis ſeptuagenarius abſoluit Monachij, die 15. Iunij. 1639. Vertit è latino Germanicè

Labyrinthum Georgij Stengelij. Ingolſtadij 1629. & rurſus Dilingæ 1640.

COSMVS ALEMANNVS, natione Italus, patria Mediolanenſis, filius Benedicti, qui primus Noſtros Mediolani anno 1564. ſuis tectis recepit; cuique à Deo id præmij repenſum eſt, vt quinque poſtea liberos eius, omni re ornatiſſimos ad ſui Numinis obſequia in Societatem vocaret. Ingreſſus in eam Coſmus eſt anno 16. ætatis ſuæ, poſt Chriſtum natum 1575. & poſt triennium in docendis humanioribus diſciplinis exactum, Philoſophiam quinquenno, Theologiam octennio explicuit, & nouennio ſtudiorum Præfecturam geſſit, votis quatuor nuncupatis 1595. Vixit in Societate Coſmus ad ætatem vſque decrepitam, omni virtutum genere conſpicuus, ſed parendi maximè ſtudio adamuſſim clarus. Supremum morbum multis ornauit decoribus virtutum; & rogatus: ecquo tandem animo tantum dolorum acerbiſſimorum examen ferret? reſpondit: Æquiſſimo; vtpote rem à Deo multis precibus expetitam. Ad extremam vitæ periodum vbi ventum, actis Deo cum tenerrimo pietatis ſenſu gratijs, ob

tot beneficia in ſe collata placidiſſimè expirauit Mediolani die 24. Maij anno 1634. Ferunt eum ſupputato ſanctorum numero, quotquot vnquam inuenire potuit, ne quem inſalutatum relinqueret, ſemel minimum vnicuiquè Orationem Dominicam, & Angelicam ſalutationem recitaſſe. Ipſe eſt, cui B. Aloyſius Gonzaga, paucis è pſalmo verbis explicatis, mœrorem animi deterſit, vt lib. 2. cap. 22. vitæ eius refertur. Vir fuit eximiè doctus & S. Thomæ Aquinatis Doctoris Angelici adeò ſtudioſus, vt in Theologiæ tradendæ curriculo ne latum vnquem ab eius doctrina diſceſſerit. Sed eius ſententiam in quacumque quæſtione propoſita ſecutus, quidquid ille probauit, approbarit; reprobarit quidquid ille reiecit. Cuius ſui in S. Doctorem ſtudij, & obſeruantiæ voluit extare ſpecimem luculentam, quam contexuit

Summam totius Philoſophiæ è D. Thomæ Aquinatis Doctoris Angelici doctrina adductis ipſius Sancti verbis, & locis vnde deſumpta ſunt ad oram notatis. Cuius

Pars prima continet ea, quæ ſunt Logicæ conſiderationis. Excuſa Ticini à Ioanne Baptiſta Rubeo 1618.

Prima ſecundæ partis continet octo libros de Phyſico auditu. Papiæ ijsdem typis 1622.

Secunda ſecundæ partis, continet libros de Cælo, & de Generatione, & corruptione. Ibidem 1623.

Tertia ſecundæ partis continet libros de Anima. Ibidem 1623.

Tertia pars continet Metaphiſica. Ibidem 1623. omnes tomi in 4.

Recuſa eſt hæc eius ſumma nitidiùs, auctiùſque Pariſijs

Alia reliquit *Opuſcula Theologica*, quæ lucem non aſpexerunt.

COSMVS TVRRIANVS, natione Hiſpanus, patria Valentinus, probatæ doctrinæ Sacerdos; dubius ecquod vitæ genus ſequeretur, nauigauit anno Chriſti 1538. in eas, quæ ad ſolis occaſum ſunt Indias. Vnde poſt aliquot annos Caſtellanorum claſſe conſcenſa Molucas in Inſulas longo errore delatus, dum per Oceani blanda diſcrimina ſequitur multò inferiora, tot mortibus, & ærumnis præmia, optimæ ſuæ ſortis ignarus, ad Apoſtolici gradus excelſitatem ducebatur à Deo. Amboini in S. Franciſcum Xauerium incidit anno 1546. ex cuius conſpectu eam pectore concepit flammam, vt animo ſeſe totum ad manſura, æternàque animarum lucra tranſtulerit; & quamquam conſilium in præſens omne reticuit, tamen mox vbi peruenit in Indiam, adminiſtrandæ Paræciarum Goanarum vni ſe ſtrenuè impendit, donec per Exercitia ſpiritualia tandem abſtractus à ſæculo ad Societatem die 20. Martij 1548 ſuſcipiente Xauerio acceſſit. A quo, anno vertente, in Iaponiam ductus Congoximam primùm, mox Firandum peruenit; quam ipſe primum Eccleſiam nouelli, & exigui gregis, adminiſtrauit. Inde anno 1551. Amanguncium à Xauerio accerſitus, illiquè præfectus Eccleſiæ, præclarum operæ ſuæ pretium tulit. Multa hominum millia, & quod caput eſt, Bonzios aliquos, ac nobiles, grauiſſimis diſputationibus ſuos errores dedoctos in ouile Chriſti coëgit. Hic concitata à Bonziorum nonnullis ſæua tempeſtate, magnum capitis diſcrimen euaſit: ab irata plebe contumelijs, & probris affectus, ad cædem etiam quæſitus eſt. Nec facile deuitaſſet, niſi Deo inſpirante Naëtondoni opulentiſſimi Dynaſtæ coniux, eum in ſuam fidem, atque tutelam receptum, in Cœnobio primum, quod ſuis ſumptibus Bonzijs extruxerat, & alebat, deinde in poſticis ſuarum ædium partibus occultaſſet. Hic eius ſalutem, & vitam, fideli adhibita miniſtrorum cuſtodia, tamdiu texit, donec procella deſæuiret. Reducta ſerenitate, ipſe ſe Coſmus Eccleſiæ procurandæ reddidit, & à Xauerio Socijs, quos erat in Iaponiam ſubmiſſurus, præpoſitus rem Chriſtianam egregiè quinquennio promouit. Eo exacto, populus cæde in Regem, flamma in Vrbem graſſatus, Bonzijs ſæuiendi in Coſmum opportunitatem fecit, quibus ipſe rogatu Chriſtianorum ſe tantiſper ſubduxit, dum furore ſedato ipſis redderetur. Profectus Bungum anno 1556. inde ſuos filios crebrò per litteras inuiſebat. Interim Bungenſes cum ſocijs labores, & ærumnas ſuſtinuit, verſatus in periculis ſæpe, in mortibus frequenter, omni humana ope deſtitutus, ſed Diuina prolixè tectus, donec Rege, eo ipſo anno vim hoſtium ſuperante, Eccleſia periculo exempta eſt. Hic Coſmus templo, & domui Noſocomium adiunxit; & optimis legibus in corporum, & animarum commodum temperauit; ex quo dum medicamenta diſtrahuntur, etiam in Gentiles magna illorum, quos tanta caritas illexit facta eſt ad Eccleſiam acceſſio. Prouidit inſuper ijs, qui propter Fidem erant extorres ne quid deeſſet ad victum. Scholam erudiendis pueris, atque à Bonziorum inſtitutione abſtrahendis aperuit. Feminam obſeſſam à Dæmone, qui ſæuiſſimè eam diuexabat, dum ſacro lauacro tingit, ab impuro hoſpite liberauit. Poſt ſexennium apud Funaienſes hæc inter pietatis opera poſitum, Omuram, ab Rege inuitatus, anno 1562. abſceſſit, tanto cum filiorum dolore, vt manus illi, pedeſquè diſſuauiati, multis eum lacrymis proſequerentur. Multa in eo itinere perpeſſus eſt aſpera, ob viæ ineptiam, & ætatis eius, ac valetudinis infirmitatem. Mortem à latrone tenſo iam arcu intentatam, Deo protegente, vitauit, dum ſocius latronis neruum repentè incidit. A Rege perhumaniter exceptus eſt, & à Chriſtianis tanta mole operis obrutus, vt, ne planè ſuccumberet, oportuerit eum tercentenos dumtaxat in diem, cæteris dilatis, ad confeſſionem admittere. Inde Firandum inuitatus excur-

excurrit, nihil, quas ibi paratas ſibi perſecutiones ſciebat, moratus, & breui tempore multos è primoribus ad Chriſtum conuertit, tamquè ſolida pietate informauit, vt illorum glorioſa facinora viſa fuerint alijs digna, quæ ad memoriam poſteritatis in ſcripta referrentur. Hinc tanta fuit eorum in ſuum Paſtorem obſeruantia, vt pro magno ducerent ſi quid fuiſſent nacti, quod ipſe attrectaſſet. Omuram regreſſus, Regulum ad fidem adduxit, quem primum è Iaponicis Dynaſtis Baptiſmo initiatum Bartholomęum vocauit, cuius poſtea Legatus ad Greg. XIII. P. M. acceſſit. Hoc euentu irritati Bonzij, Regulum orant, vt ad ſe Coſmum mittat, fidem ab eo ſe doceri velle ſimulantes, quam ſuo ipſe exemplo probauiſſet, cum interim inſidias tenderent in via, vt eum tollerent è viuis. Lætus nuncio Rex, atque vnà Coſmus iter accelerant; ſed Deo moderante, lentius quàm proditoribus eſſet opportunum. Moræ cauſa fuit quod decretam ſibi Coſmus quatuor votorum ſolemnem Profeſſionem in eam diem diſtulerat ob inopiam ſacerdotis, qui exciperet. Nunc commodùm Ludouicus Froès aduenerat, qui eam die 15. Auguſti, 1563. excepit. Ex eo dum aliam ex alia moram res improuiſæ nectunt, pateſcit improborum Bonziorum conſilium, cæſo Reguli internuntio, cum quo crediderant Coſmum aduentare: Alia ſubinde, atque alia ſubiuit in Eccleſiæ procuratione pericula: donec tandem poſt quam nouum ſubſidium, nouiſquè ſocijs dux Franciſcus Capralis aduenit, tamquam omni perfunctus munere, 6. Nonas Octobris anno 1570. ætatis circiter 60. à Societatis ingreſſu 22. Lætus quod fidelium 30. circiter ſuperſtitum millia, præter ingentem numerum iam vita functorum, in Iaponia relinqueret, migrauit in cœlum in Inſula Xiqui. Vigor in corpore, & ſplendor in ore quidam manſit, velut, etiamnum ſpirantis. Die S. Franciſci, coacti ex finitimis locis Patres, ingenti Chriſtianorum concurſu funus quam licuit honeſtiſſimè celebrarunt. Sed ſupra omnem apparatum pietas illud Chriſtianorum, gemitus, & lacrymæ cohoneſtarunt; præter impreſſa manibus, ac pedibus certatim oſcula, ita ad aliquid ſacri vice pignoris eius rerum impetrandum certatum eſt, vt veſtium cum quibus in feretro iacuerat, nihil planè relictum ſit. Erat in Coſmo ſumma caritas in Deum, in quo firmam fiduciam rebus in omnibus collocarat; & erga proximos, quorum ſaluti ſe totum deuouerat. Tenerrima deuotio non ſine copia facilium lacrymarum; magna ſui deſpicientia, & quod inde naſcitur, abnegatio, & mortificatio, vt totis ſex annis quibus Amangucij fuit, quò, cæteris prætéritis, hoc vnum commemorem, nec carnes guſtarit, nec panem, nec vinum, nec oleum, neque lac, aut quidquam lacte confectum, nec recentem piſcem, ſed orizam toſtam, piſces ſalſos, & herbas, idquè inter incredibiles ærumnas, & perſecutiones Chriſti cauſa toleratas. Verùm non fuit alias maioribus de cœlo voluptatibus perfuſus. Erat inſuper in illo perfectę forma obedientiæ; nullus rei alicuius conditæ affectus; in aduerſis conſtantia, gaudium in rebus afflictis, Tanta erat in ipſum reuerentia cæterorum, vt Rex ipſe Bartholomæus, quoties ad ipſum adibat, enſem pugionemque diſcingeret pro foribus, id quod apud Iaponios ſubmiſſionis eſt ſummæ. Melchior Nunnius Indiæ Prouincialis cùm in Iaponiam appulſus Coſmum conueniſſet, aiebat ſibi videri ex antiquis illis Ægypti Patribus vnum, niſi quod non contemplatione diuinarum dumtaxat rerum, ſed etiam ſubeundis proximorum cauſa negotijs, exercebatur. Obſeruatum eſt, atque in prodigijs numeratum, crucem ligneam à Coſmo in Omuræ finibus, ſub annum 1562. collocatam, cæteris, quæ huius imitatione ab alijs excitatæ ſunt plurimæ, iniurijs temporum putrefactis, nihil vitij, aut labis accepiſſe, & complures annos integram ad venerationem publicè ſtetiſſe, & præſentem adorantibus opem non vno in morbo præſtitiſſe. Scripſit Coſmus

Epiſtolas de rebus Iaponicis ſeptem ab anno 1551. ad 1566.

Item de rebus Indicis binas anno 1549. quæ extant partim apud Maffæium, partim apud alios, quos refert Antonius de Leon.

CRACOVIENSE COLLEGIVM, quod eſt in Prouincia Poloniæ ad amnem Viſtulam, & principe regni Ciuitate, fundatũ, ac ſtabilitum à glo: mem: Sigiſmundo III. anno poſt Chriſtum natum 1623. donato etiam Societati Templo Regijs ſumptibus in honorem SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli extructo. Nam quamuis ab anno ſuperioris ſæculi 83. ea in vrbe tributa fuerit Sedes pro Domo profeſſa ad S. Barbaram, & alia pro Domicilio Tironum in Paræcia S. Stephani, tamen fundatio Collegij à Diuina prouidentia reſeruata eſt Sigiſmundo Regi Societatis Mæcenati munificentiſſimo. Auctum deinde progreſſu temporis varijs acceſſionibus, Collegium numerat nunc plerumque ad quadraginta Socios, & eſt Seminarium Noſtrorum Scholaſticorum, qui Theologiæ nauant operam intra domeſticos parietes; nam ex conuentione cum Academia Cracouienſi non docentur externi. Edidit Collegium

Vectigales lacrymas Sigiſmundo III. Regi Poloniæ Sueciæque inter parentalia ſacra perſolutas. Cracouiæ 1633. Item

Trophæum Regale Regi Vladislao, Cracouiam ipſo Regalis inaugurationis die ineunti dedicatum. Cracouiæ 1633.

Siradiam Trabeatam Domino Stanislao Koniecpolski Cracouienſem Caſtellanatum adeunti propoſitam. Cracouiæ 1633.

Primum Societatis ſæculum virtute, ac litteris illuſtre. Cracouiæ typis Valentini Piackouski

kouſki 1640. in folio.

Fortunatam Innocentij X. Pontificis O. M. Columbam, è Gentilitijs turribus Illuſtriſs. D. Ioan: de Torres Archiepiſcopi Andrianopolitani, & Nuntij Apoſtolici, venturæ felicitatis prænuntiam. Cracouiæ 1645.

Echonem Concentus Olorini ad petram refracti, qua virtutis, & honoris harmoniæ Illuſtriſſimi, & Reuerendiſs. Principis Andreæ Trzebicki Ducis Seueriæ ſedem ſuam adeuntis reſpondit Collegium. Cracouiæ 1655. in fol.

Parentalia Parenti Patriæ Vladislao IV. Poloniarum, & Suecorum Regi perſoluta. Cracouiæ typis Franciſci Cæſaris 1649. in fol.

Sarmatiam Coronatam, ſeu Panegyricum dictum, & dedicatum Sereniſſimo Michaëli Poloniarum Regi ſub feſtiuum tempus Coronationis. Cracouiæ typis Petricouianis 1670. in fol.

Vaticinium Regale, ſeu Poëma eidem Sereniſſimo Regi dicatum Cracouiæ iiſdem typis 1670. in fol.

CRVMLOVIENSE COLLEGIVM, quod eſt in Prouincia Bohemiæ, haud procul à fontibus amnis Moldauæ, inchoatum anno ſalutis humanæ 1585. ſtudio, ac pietate ſingulari Illuſtriſſimi Dom. Guilhelmi Vrſini Roſenſis, Proregis Bohemiæ, ex celeberrima familia Roſembergiorum, quæ ſanguine attingit Vrſinos Principes Romanos, atque ab eodem poſtea vectigalibus annuis inſtructum, & Societati ſolemni cum apparatu præſentibus Nuntio Apoſtolico, & aliquot Dynaſtis traditam anno 1588. Complectitur modo ad viginti circiter Socios, & in quinque claſſibus Iuuentutem copioſam bonis litteris, ac pietate excolit, longè lateque à profectu diſcipulorum ijs in ſcholis commendatum. Edidit

Luctum in funere Illuſtriſſimi Guilhelmi Vrſini Roſembergici ſui Fundatoris. Pragæ typis Michaëlis Peterle 1592. in 4.

CYPRIANVS SVAREZ, ſeu Soarius natione Hiſpanus, patria ex Ocaniæ oppido Diœceſis Toletanæ, ætate matura, & 28. annum agens, Societati ſe noſtræ dicauit anno ſalutis 1549. die 21. Septembris. Vir fuit candidi ingenij, priſcæ fidei, multæ ac variæ eruditionis, Latinis, Græcis, atque Hæbraicis litteris perfectè doctus; liberalibus artibus apprimè ornatus, Sacrarum Scripturarum ſcientia probè inſtructus, vt qui Rhetoricam ſeptennio, ſacras litteras amplius 20. annos, publicè profeſſus fuerat; ſubtilitati in ſcholis diſputandi, conciliorum, Sanctorum PP. humanæ, atque diuinæ Hiſtoriæ cognitionem adiunxit. Collegium Bracharenſe in Luſitania rexit, & poſtquam diu Academiæ Eborenſis, & Collegij noſtri ſtudijs præfuit, atque in Complutenſi Sacram Theologiam profeſſus eſt, tamquam rude donatus, atque emeritus miles, ſeptuagenario maior, Placentiæ diem ſuum ſanctè obijt, anno 1593. die 19. Auguſti ab emiſſa Conimbricæ profeſſione 4. votorum 30. Scripſit Iuuenis

De Arte dicendi, libros tres, breuiſſimos ſed elegantiſſimos. Antuerpiæ 1575. Romæ apud Iacobum Ruffinellum 1585. in 8. Eos commentatus eſt Federicus Cerutus Veronenſis, & edidit Veronæ 1589. in 8. Iterum Romæ recognitos, & locupletatos 1590. in 12.

Tabulas Rhetoricas. Venetijs ex Officina Damiani Zenarij 1589. in 8. à Ludouico Carbone digeſtas.

Commentarios in Pſalmos Dauidis, & in Cantica Canticorum, qui tamen typis nondum ſunt eunlgati.

Præterea auctor eſt ſæpe laudatus, D. Nicolaus Antonius, in Bibliotheca Hiſpana, ex Ioanne Grialo, Cyprianum noſtrum confeciſſe

Scholia in Librum S. Iſidori Allegoriarum quarundam S. Scripturæ, eaque produxiſſe in editione operum S. Iſidori. Matriti 1599.

Item emendaſſe eiuſdem S. Doctoris, ſiue alterius librum.

De conflictu vitiorum, & virtutum, & in Canticum Canticorum expoſitionem, & Epiſtolas.

D

* DANIEL BARTOLVS natione Italus, Ferrariæ natus, anno ſæculi fluentis 8. Deo ſe in Societate mancipauit 1623. & ſolemnem votorum 4. profeſſionem emiſit. Rhetoricam quadriennio profeſſus eſt; Eccleſiaſten egit annis 12. in celebrioribus vrbibus Italiæ, magna nominis celebritate; tum conſcribendæ Hiſtoriæ Societatis Italico idiomate à Maioribus applicatus, compluribus eam Spartam voluminibus exornauit; & Collegium Romanum Rector adminiſtrauit. Edidit hactenus

De Vita, & Inſtituto S. Ignatij libros quinque. Romæ typis Dominici Manelfi 1650. in fol. auctos, & recuſos Romæ 1659. Latinitate eas donauit noſter Ludouicus Ianninus Lugduni 1665.

Aſiæ partem primam, vbi fusè de Vita S. Franciſci Xauerij. Romæ typis Ignatij de Lazzaris 1653. in fol. Auctam, & recuſam tertiò Romæ typis Vareſij 1667. in folio: Genuæ in 4. Latinè redditam ab eodem Ludouico Iannino duobus voluminibus in 4. Lugduni 1666. & 1667.

Aſiæ ſecundam partem de Iaponia. duobus tomis in folio. Romæ typis Ignatij de Lazzaris 1660.

Aſiæ tertiam partem de China, Cocinchina, Tunchino. Romæ typis Vareſij 1663. in fol. latinè verſam à Ludouico Iannino Lugduni 1670. in 4.

Europæ partem de Anglia. Romæ typis Vareſij 1667. in folio. Quam latinam etiam fecit Idem Ianninus Lugduni 1660. in 4.

Europæ partem primam de Italia. Romæ typis Vareſij 1673. in fol.

Ad hæc horis quaſi ſubciſiuis emiſit alia opuſcula, videlicet

Hominem Litteratum. Romæ 1645. in 8. Recuſum octies primo anno varijs in locis. Gallicè redditum à noſtro Thoma de Blanc Muſſiponti 1651. Anglice, & Germanicè, ab alijs.

Vitam R.P. Vincentij Carafæ Generalis Societatis Ieſu. Romæ per Ioannem Baptiſtam Roblettum 1651. in 4. recuſam Genuæ, & Bononiæ. Gallicè translatam ab eodem Thoma de Blanc. 1653. Latinè, & Hiſpanice ab alijs

Paupertatem contentam. Romæ typis Manelfi 1650. in 8. Recuſam Mediolani, Venetijs, & alibi; Traductam à varijs Gallicè, Germanicè, Anglicè.

Aeternitatem Conſiliatricem. Bononiæ per hæredes Zeneri 1653. in 8. recuſam Mediolani, Venetijs, Bononiæ.

Recreationem Sapientis. Romæ per Ignatium de Lazzaris 1659. in 8. recuſam Mediolani, Venetijs, &c.

Miſſionem Mogorenſem, Vitam, & Martyrium P. Rodulphi Aquauiuæ. Romæ typis Vareſij 1653. in 12. & Rurſus Romæ 1667. in folio.

Geographiam ad ſenſum moralem traductam. Romæ per Ægidium Ghezzium 1664. in 12. Recuſam Mediolani, Venetijs, &c.

Quæ Latinè reddita, Conſtantiæ excuſa eſt, & ſuo Auctori ab Ad. R.D. Achilleo Riedel Canonico dedicata 1673. in 8.

Hominem in puncto Mortis. Romæ per eundem Ghezzium 1667. in 8. Item Venetijs, Mediolani, Bononiæ.

De Vltimo, & Beato fine hominis. Romæ per Ignatium de Lazzaris 1670. Denuò Mediolani, Venetijs, &c.

De Regulis quibuſdam linguæ Italicæ, ſeu prauo, & recto illius Vſu. Romæ per Ignatium de Lazzaris 1655. in 12. tacito ſuo nomine. Auctum, & recuſum tertia vice Romæ typis Vareſij 1668. in 12.

De Orthographia linguæ Italicæ etiam tacito ſuo nomine. Romæ per Ignatium de Lazzaris 1670. in 12.

Vitam, & Miracula B. Stanislai Koſtkæ. Romæ ſumptibus Ignatij de Lazzaris 1670. in 8. De quo S.D.N. Clemens X. Pont. Max. benignè conceſſit, vt Miſſa; & Officium Eccleſiaſticum celebrari poſſint die 13. Nouembris per totum Regnum Poloniæ, & Societatem vbique terrarum, prout ibidem narratur.

Edidit etiam non ita pridem librum inſcriptum.

De Excellentijs Chriſti in ſe, & Noſtris in Ipſo. Romæ typis Ignatij de Lazzaris 1675. in 4.

De Duabus Aeternitatibus Hominis, vnâ in Deo, altera cum Deo. Romæ typis iiſdem 1675. in 12. Complura alia parata prælo habet paulo poſt ſi Deus vitam dederit proditura.

* DANIEL PAPEBROCHIVS natione Belga, patria Antuerpienſis, duodeuiginti annos natus Societatē amplexus eſt anno ſalutis 1646. & votorum 4. ſacramento ſe adſtrinxit. Quinquennio docuit humaniores diſciplinas, tum Philoſophiam. Exinde Socius adiunctus Ioanni Bollando, & Godefrido Henſchenio ad edendas Sanctorum Vitas; cum Secundo peragrauit magnam partem Italiæ, Galliæ, & Germaniæ ad conquirenda Sanctorum Acta, & iam collatâ cum eodem operâ, mandauit typis

Acta Sanctorum Menſis Martij tribus prægrandibus voluminibus in folio. Antuerpiæ typis Iacobi Meurſij 1668. nunc etiam ſub prælo ſunt.

Acta Sanctorum Menſis Aprilis tribus ſimilibus tomis: Antuerpiæ typis Michaëlis Cnobari 1675. in folio, & iam prodijt Index prodromus Ibidem in 4.

* DANIEL PAVLOVSKI natione Polonus ex Volhynia natus anno ſæculi labentis 26. Societati ſe adiunxit 1642. & vota 4. nuncupauit. Poſt traditas in ea humaniores litteras docuit Matheſim biennio; Philoſophiam quadriennio; Theologiam Scholaſticam nouennio; Moralem biennio, & Caliſij ſtudijs aliquamdiu præfuit. Vir omni litteratura egregiè excultus. Demum euocatus à Deo, ex vinculis corporis euolauit Rauæ die 21. Auguſti 1673. Edidit libellum orationum.

De Immaculato Conceptu B. M. Virginis. Cracouiæ typis Schedelicanis 1669. in 12. Item

Panegyricum dictum Illuſtriſs. Epiſcopo Poſnanienſi 1666.

Orationem de S. Thoma Aquinate 1664. in 4.

Vitam P. Gaſparis Drusbicki Societatis Ieſu. Cracouiæ typis Schedelicanis 1670 in 8.

Induſtrias P. Gaſparis Drusbicki, & Tribunal Conſcientiæ eiuſdem à ſe concinnatum. Iiſdem typis 1672. in 12.

Orationes Panegyricas complures de B. Virgine. Cracouiæ iiſdem typis 1671. in 12.

DARIVS TAMBVRELLVS natione Italus, patria oppido S. Gineſij in Piceno, ſuſceptus Romæ in Societatem anno ſalut. 1587. ætatis ſuæ 17. Profeſſis votorum 4. adſcriptus eſt Parmæ 1607. Docuit Rhetoricam biennio Philoſophiam Parmæ ſexennio; Theologiam Scholaſticam quadriennio; redux Romam viuere inter mortales deſijt die 7. Februarij 1618. Scripſit dum Parmæ doceret

Quæſtiones definitas ex triplici Philoſophia Rationali, Naturali, Morali, diſputatas ab Octauio Farneſio Sereniſſimi Ducis Parmæ filio.

Par-

Digitized by Google

Parmæ apud Anthæum Viothum 1613. in fol. Item Italicè

Viam ad Perfectionem, ſeu Meditationes per totum annum, accommodatas Religioſis perſonis, & excuſas poſt obitum. Romæ apud Manelfum Manelfi 1647. in 12.

DIDACVS DE ALARCON natione Hiſpanus, ex oppido Albacete Diœceſis Carthaginienſis Societatem fere puer annorũ 14. ingreſſus eſt anno ſal. 1599. Compluti Philoſophiæ, atque Theologiæ ſpatia diſcendo, docendoque inſigni cum laude confecit. Poſt ad noua Madridienſis Collegij ſtudia vocatus, vt Moralem Theologiam profiteretur, cum alioqui eſſet ſupremæ Sanctæ Inquiſitionis Qualificator, ſeu Cenſor, ibi diem ſuum obijt 28. Octobris anno Domini 1634. Edidit

Theologia Scolaſtica Partem I. Lugduni per Iacobum Cardon 1633. in folio.

Vitam Didaci Dazæ Societatis Ieſu. compendio comprehenſam præfixit ipſius Dazæ Commentationi in Epiſtolam S. Iacobi, quam poſthumam ipſe vulgauit.

* DIDACVS ALOYSIVS DE SAN VITORES natione Hiſpanus patria Burgẽſis, Vir Apoſtolici plenus zeli, & qui fidẽ Chriſti in Inſulas Orientis, quas vulgò Latronum vocabant, nunc verò, quia ſub auſpicijs Deiparæ Virginis Mariæ, & Sereniſſimæ Reginæ Mariæ Annæ, aditæ ſunt, Marianæ appellantur, cum paucis de Societate primus inuexit anno ſalutis 1668. & incredibili fructu in 13. ex illis Inſulis latè diſſeminauit. Multa, & mira admodum ſunt, quæ de ingreſſu illius in Societatem, progreſſu in omni genere virtutum, miſſione ad Indos, rebuſque ibi geſtis narrantur, ſed quia non omnia ſunt huius loci, & fuſiùs ab alijs conſcribentur, ſufficiat hiſce pauca quædam, & veluti compendio expoſuiſſe. Natus eſt Didacus Aloyſius anno ſæculi fluentis 27. Patre Ordinis Senatorij, & Regi Catholico à Conſilijs de ærario; præuentuſque à Deo in benedictionibus dulcedinis, ab ipſa pueritia voluere cæpit animo cognitiones de conuerſione animarum, & præſertim Infidelium, & deſiderio etiam Martyrij teneri. Quare ſtatuit Deo in ſua Societate ſe conſecrare, & ne impediretur à Parentibus clam illis, profugit ad Collegium Societatis Madriti. Et initio quidem acerrimè aduerſabantur illi, huic filij ſui propenſioni, verùm edocta Mater cæleſti oſtento (quod alijs pluribus poſtea retulit) futurum aliquando filium ſuum in Societate Martyrem, manus illicò dedit; obices varios amolita eſt, ſuſcepitque in ſe curam perducendi ad conſenſum etiam Maritum tunc Matrito abſentem, atque ita Tironum noſtrorum albo adſcriptus eſt, die S. Iacobo Apoſtolo ſacra 25. Iulij 1640. In Nouitiatu omnes optimi Tironis impleuit numeros, & emenſis ſtudiorum ſpatiis Philoſophiam Compluti quinquennio profeſſus eſt. Interim cum ætate creuit etiam pridem inſita animo cupiditas, conuerſionis Infidelium, & fundendi aliquando pro Chriſto ſanguinis, adeo vt non potuerit aliò inflectere animum, & cum non poſſet, quod optabat, conſequi adhuc, per Superiores, quibus vtilis valdè erat eius opera in Prouincia, ſaltem hoc ſuum deſiderium quotidie obtulit Deo quaſi in Sacrificium, idque à primo ſuo in Societatem ingreſſu, vndè viginti annorum ſpatio (prout ipſe in ſuis litteris ad Generalem aſſeruit) ſine intermiſſione continuauit. Ad hæc, cùm anno 1657. dum Philoſophiam ſecundò prælegeret, grauem in morbum incidiſſet, ita vt à Medicis depoſitus, iuſſus fuerit ad vltima Sacramenta, & mortem ſe diſponere, de licentia ſui tunc Rectoris, conceptis verbis coram S. Euchariſtia emiſit votum, vt ſi Deo placeret vitam adhuc protrahere, ſe totam vitam, & omnes vires poſiturum deinceps in miniſterio Miſſionum, atque in primis inter fideles ſi poſſet, & quamdiu id non liceret, inter Infideles iuxta diſpoſitionem Superiorum, & Societatis noſtræ Inſtitutum. Hęc & alia id genus plura, cùm litteris ſpiritu Deo plenis, accuratiſſimè expoſuiſſet Præpoſito Generali anno 1659. poſtulando enixè ab illo miſſionem aliquam ad Infideles, factus eſt ab ipſo voti compos, & anno ſubſequenti emiſſa prius profeſſione votorum quatuor miſſus ad Philippinas. In itinere ſubſiſtere coactus Mexici per menſes aliquot, erexit ibi Congregationem Nobilium ſub patrocinio S. Franciſci Xauerii, eaque occaſione contexuit librum de Vita, & Miraculis eiuſdem, de quo infrà fiet mentio. Appulſus ad Philippinas igne, quo intus ardebat ipſe, & deſideriò Miſſionum, inflammauit alios, & Infideles multos eò accedentes Chriſto adiunxit. Sed cùm animaduerteret plurimas in vaſto illo Oceano Inſulas omni adhuc luce Euangelii deſtitutas eſſe, & inter has inprimis illas, quas vulgò infami nomenclatura Latronum nuncupabant, egit per litteras cum Illuſtriſſimo Parente ſuo Conſiliario Regio Madriti, vt à Rege Catholico impetraret mandatum ad Gubernatorem Philippinarum, mittendi ad memoratas Inſulas nauem inſtructam Operariis Euangelicis (inter quos ipſe cupiebat eſſe) aliiſque rebus ad ſeminandam ibi Diuinam fidem neceſſariis. Impetrauit mandatum pius Parens, & expedita eſt Nauis a Gubernatore Philippinarum. Sed cùm hęc priùs petere deberet Portum Acapulci in Regno Mexicano, eò ſe quoque contulit P. Didacus, & quà valebat gratia apud Proceres illius Regni, & Sodales Congregationis S. Xauerij, multis pijs muneribus donatus eſt ab ijs ad propagationem fidei opportunis, & à Prorege obtinuit decem millia vnciarum argenti, ſeu pataconum, ex ærario Regio, ad Miſſiones Euangelicas in ijs locis firmiùs ſtabiliendas. Delatus itaque eſt inde in illas Inſulas anno 1668. adulto iam Iunio vnà cum quinque Socijs, quibus ille præerat, & exſcentio-

tione

tione facta, dici vix poteſt, quàm vberes ſtatim ibi fructus fecerit ſementis Euangelij, adeo, vt à ſex illis primis de Societate, & alijs quatuor paulo poſt in ſubſidium ſubmiſſis ex Philippinis, amplius 50. millia Indigenarum in 13. ibi Inſulis ante finem anni 1672. fuerint Chriſto aggregata, prout refertur in relatione Hiſpali impreſſa anno 1674. Et quia Sanguis occiſorum pro Chriſto ſolet eſſe ſemen Eccleſiæ, permiſit Deus in primo biennio culturæ huius ſui noualis, duos ſæculares Chriſtianos, & vnum de Societate P. Ludouicum de Medina Sacerdotem, patria Malacenſem, feruentiſſimum Præconem fidei, à Barbaris illis crudeliter mactari in odium Baptiſmi, quo ſuos Infantes tamquam venenatis aquis nefariè cauſabantur interimi. Quartus his acceſſit P. Didacus Aloyſius, qui cùm nullis laboribus in inſtruendis, & baptizandis populis illis, amplius quadriennium pepercißet, datum illi quoque à Deo eſt, prout iam inde ab ineunte ætate exoptauerat, pro Chriſto mori. Nam dum in Inſula olim Guan, nunc vero S. Ioannis nuncupata, Religionis Chriſtianæ rudimenta ſuauiter explicaret, à quibuſdam Apoſtatis à fide, & de quibus ſpeciatim optimè meritus fuerat P. Didacus, in odium fidei, quam prædicabat, tranſfixus eſt lancea, & mox enſe, vulneratus in capite; poſt fuſam orationem ad exemplum Chriſti pro ſuis Interfectoribus ad Apoſtolicorum laborum præmia ex hac vita emigrauit die 2. Aprilis 1672. iuxta narrationem de eo Hiſpali typis excuſam 1674. Scripſit P. Didacus dum Mexici moraretur; ediditque ſub nomine Primicerij Congregationis S. Franciſci Xauerij Hiſpanico Idiomate

Epitomen Rerum geſtarum Virtutum, Doctrinæ, Prodigiorum cùm antiquorum, tum recentium S. Franciſci Xauerij. Mexici typis Auguſtini de S. Stephano, & Franciſci Lupercij 1661. in 4.

DIDACVS ALVAREZ natione Hiſpanus patria Granaten. in Societatem adſcitus eſt anno ſalutis 1579. ætatis 23. vbi poſt omnium humaniorum, diuinarumque diſciplinarum ſtudium, Moralem Theologiam, & Scholaſticam annis 11. profeſſus eſt, tanta publicè commendatione, vt velut oraculum à Prælatis, à Negotiatoribus, ab omnium ordinum hominibus interrogaretur. Fuit ingenio candidus; moribus ſuauis; rerum ſpiritualium tractationi apprimè deditus. Obijt Hiſpali in Domo Profeſſa, cui tum erat Præpoſitus, in Nouembri anno 1618. Edidit ſub nomine Melchioris Zambrano Clerici Hiſpalen. Opuſculum hac inſcriptione.

Deciſio Caſuum occurrentium in articulo mortis circa Sacramenta, Hiſpali 1604. Scripſit etiam, ſed non vulgauit

Tractatum de Teſtamentis.

DIDACVS ALVAREZ DE PAZ, vide Iacobus Aluarez de Paz.

DIDACVS ANTVNNES natione Luſitanus, patria Cratenſis Societati adſcriptus anno ſalutis 1571. nauigauit in Indiam nondum ſacris initiatus 1579. & in ſpiritualem Coadiutorem formatus eſt 1590. Vixit Macai anno 1604. Scripſit

Annuas litteras è Sinis anni 1603.

* DIDACVS DE AREDA natione Luſitanus, natus in oppido Arrayolos Diœceſis Eborenſis, relatus in numerum Sociorum noſtrorum anno ſalutis 1584. ætatis 16. profeſſionem emiſit quatuor votorum 1603. Philoſophiam prælegit Vlyſſipone, Theologiam Conimbricæ annis 10. Diutiſſimè vixit Vlyſſipone in Domo Profeſſorum, vbi ob frequentes conciones, & ſana in rebus arduis conſilia, ſapientiſſimus eſt habitus, & fuit eo tempore conſultiſſimus. Laudatus aliquando à Philippo III. Hiſpaniarum, & Luſitaniæ Rege, quod in re grauiſſima ſcripto, prudenter valdè, ſuam explicuiſſet ſententiam. Fuit in eo infatigabile ſtudium tàm Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patruum, quàm Theologiæ, & vtriuſque Iuris & omnia in promptu habere videbatur. Tandem ſeptuagenario maior naturæ conceſſit, Vlyſſipone die 12. Decembris 1641. Edidit ſermones aliquot, ſeu Conciones valdè inſignes Luſitanicè præſertim, quas dixit.

In exequijs D. Ferdinandi Maſcareniæ Epiſcopi Algarbiorum, & ſupremi Inquiſitoris. Vlyſſipone 1628. Item

In Profeſſione D. Franciſcæ de la Cerda, in Cænobio Roſa nuncupato &c.

Tres alias de memorabili euentu S. Engratiæ &c.

* DIDACVS DE AREDA Iunior dictus, prioris ex Fratre nepos, eodemquè in oppido natus Societati nomen dedit anno Domini 1615. ætatis 16. & vota quatuor nuncupauit. Decurſis ſtudijs profectus in Indiam, Theologiam Goæ profeſſus eſt. In ſe poſtulante Prorege (cui à ſacris Confeſſionibus fuit) negotiorum cauſa remiſſus in Luſitaniam, ijſque confectis reuerſus denuò in Indiam, ibi Collegium Chaulenſe rexit, & Prouinciali ſocius itinerum, & curarum fuit. Poſtea ſecundò remeans in Luſitaniam, primus rexit Collegium Cetobricenſe, quod ipſe ſua potiſſimum induſtria erigi curauerat, Concionatoris munere præclarè functus eſt, & egregij operarij partes diu ſuſtinuit in Domo Profeſſa Vlyſſipone, vbi vitæ huius curriculum abſoluit die 18. Decembris 1671. Edidit ſermones aliquot lingua vernacula

Contra Iudaicam perfidiam, & Hæreticam prauitatem coram Inquiſitoribus Goæ 1644.

De S. Thoma Apoſtolo habitum in ſacello Regio Vliſſipone 1645. Ibidem 1646.

In exequijs Sereniſſimi Infantis Eduardi Eboræ in Templo maximo. Vlyſſipone 1650.

DIDACVS DE AVELLANEDA, natione

Digitized by Google

tione Hiſpanus, patria Granatenſis, Academiæ Vrſonenſis, ſeu, vt hodie vocant, Oſſunenſis, in Boetica Rector, in eàque Philoſophiæ, ac Theologiæ Doctoralibus ornatus inſignibus ad Societatem ſe adiunxit anno 1556. & vix bene peracto Tirocinio, Romam à Prouincia Boetica miſſus eſt, vt Generali Societatis Congregationi, quæ prima fuit habita anno 1558. Procurator ad negotia intereſſet. Tanta iam tum erat in viro ad res gerendas prudentia. Conuentu dimiſſo ad Theologicam ipſe cathedram obtinendam Romæ detentus eſt. Sed quod Romanum cœlum experiretur incommodum, anno vertente redijt in Hiſpaniam. Rectorem egit Hiſpali, & ſimul Concionatorem, tanta perſuadendi auctoritate, vt prauos mores, vel antiquiſſima roboratos aſſuetudine, vnica ſæpe dictione funditùs aboleret. Prouinciam deinde Bœticam cùm adminiſtraſſet, rurſumque Hiſpalenſe rexiſſet, in Germaniam cum Marchione Almazano Philippi I I. Regis Catholici ad Cæſarem Oratore profectus, cum eodem lapſis aliquot annis in Hiſpaniam redijt. Ibi iuſſus eſt ab Euerardo Mercuriano, cuius in Præpoſitum Generalem electioni adfuerat, Caſtellanam viſitare Prouinciam, cui hoc attulit emolumentum inſigne, quod Iuuenum noſtrorum excitauit Seminaria, in quibus ad Eloquentiam formarentur; Ea luſtratione peracta Rector renunciatus eſt Madridienſis Collegij, cuius gubernacula quinquennio tenuit ad annum 1585. Subinde nauigauit in nouam Hiſpaniam, vt orbis illius Prouincias inſpiceret; vnde regreſſus Toletanam Profeſſorum domum gubernauit, in eaque peregrinationis ſuæ curſum abſoluit, poſtridie calendas Martij anno 1598. & 38. poſtquam ſolemnem 4. votorum profeſſionem emiſiſſet. Vir fuit non doctrina magis, quàm omni virtutum genere clarus, quibus fiebat omnibus amabilis, ſingularis tamen reſplenduit in eo fiducia certa, quam in Deo collocarat, cuius adminiculo, non ſemel domeſticis neceſſitatibus inopinatò ſubuenit; Scripſit tacito ſuo nomine

Tractatum, vtrum in Confeſſione Sacramentali criminis conſors nominari debeat. Quem ſcripſiſſe videtur in Societatis defenſionem, cùm ea per calumniam Granatæ traduceretur anno 1558. quaſi confeſſiones retegeret, vt fuse narrat Franciſcus Sacchinus Hiſt. Soc. IESV. Parte 2. lib. 2. num. 130. Cæterùm impreſſus eſt ille Tractatus in Italia à Petro Vicecomite Ordinis Prædicatorum anno 1593 nomine veri Auctoris (quem credibile eſt illum neſciuiſſe) prætermiſſo; quod adnotaſſe oportuit, vt ſuo Auctori Tractatus ille aſſeretur, qui certe pagina 54. & ſequentibus ſatis ſe indicat.

Scripſit ille præterea, quamuis non edidit, libellum

De ſecreto, qui deſcriptus plurimorum manibus teritur.

* DIDACVS DE AVENDAÑO natione Hiſpanus, patria Segouienſis Societati, nomen dedit Limæ in Peruuio anno ſaluti s 1612. ætatis ſuæ 17. Laurea in Artibus iam tum donatus, & votorum quatuor profeſſione ſe obligauit. Philoſophiam, & Theologiam multis annis in ea Prouincia cum laude profeſſus eſt, rexit Collegia Chuquiſaquenſe, Limenſe iteratò, & bis totam Prouinciam. Vir præcellentis doctrinæ; prudentiæ, & virtutis. Edidit

Epithalamium Chriſti, & Sacræ Sponſæ, ſeu explanationem Pſalmi 44. Lugduni 1653. in folio

Amplitheatrum Miſericordiæ in Pſalmum 88. Lugduni 1666. in folio

Problemata Theologica Tom.I. de Deo Vno, cum Proluſione Apologetica pro Immaculata Conceptione Virginis Deiparæ. Antuerpiæ apud Engelbertum Gymnicum 1668. in folio

Problemata Theologica Tom. II. de Diuina Trinitate cum Præludio Amplitheatri Miſericordiæ, Corollario ad Immaculatum Conceptum B. V. Ibidem ijſdem typis, & anno in folio:

Theſaurum Indicum, ſeu Inſtructorem Generalem pro regimine conſcientiæ in ijs, quæ ad Indias ſpectant. Tom. I. de ijs, quæ ad Ciuilem gubernationem conducunt. Antuerpiæ apud Iacobum Meurſium 1668. in fol.

Theſaurum indicum, Tom.II. circa Spiritualia, Sacramenta, Præcepta Eccleſiæ, Priuilegia, Indulgentias, &c Ibidem, ijſdem typis, & Anno in fol.

DIDACVS DE BAEZA, natione Hiſpanus, Domo Pontferradienſis Societatem anno 1600. ætatis ſuæ 18. amplexus eſt Salmanticæ; in ea poſt confecta Philoſophiæ, ac Theologiæ ſpatia, Palentiæ, & Valliſoleti Ariſtotelem explicuit. Sed propter excellentem concionandi præſtantiam à cathedra translatus ad pulpitum locum inter primos Hiſpaniæ Concionatores diu tenuit, emiſſa profeſſione votorum quatuor anno 1617. Nec intermiſit prædicationem verbi diuini pro zelo, quo feruebat, niſi poſtremis ante mortem annis; nam tempore quadrageſimæ vltrò ſe offerebat ſuperioribus, vt in quouis Collegio eam exerceret, & ſemper Apoſtolico ſpiritu, frequentiſſimoque Auditorum concurſu multiplicique fructu dixit. Erga Deiparam affectu fuit filiali, & quotidie in templo flexis genibus coram ipſius imagine roſarium recitabat; alijsque compluribus ſignis deuotionem ſuam prodebat. In Domeſticis adhortationibus (quæ frequentes erant) mira efficacia, & ſuauitate accendebat audientes ad progreſſum in perfectione, & ad regularum obſeruantiam, in qua ipſe præibat exemplo, præſertim in paupertate, & noſtræ comunis vitæ rigore, qui tantus fuit, vt, vel in Nouitio laudaretur. Nunquam admiſit ſocium, qui lectum ſterneret, aut cubiculum verreret; & in

hoc

hoc, nihil præter iconem Crucifixi, & libros tenebat. His diues meritis ceſſit è vita Valliſoleti die 15. Auguſti 1647. multa ſcripſit opera fœcundiſſimus hic Auctor; & ferè omnia manu propria, & abſque vlla propemodum litura, & ſic tradidit Typographis. Edidit verò

Commentarios morales in Euangelicam Hiſtoriam tomis pluribus quorum

1. *Continet Diui Ioſephi, Beatiſſimæ Mariæ, & Chriſti Domini magnalia.* Item *Tractatum de Euchariſtia, de ſpiritu Sancto, & de Trinitate.* Pariſijs altera editione auctior operis Sonnianis 1637. & Lugduni 1631. in folio.

2. *Vocationes, & Conuerſiones à Domino Ieſu peractas, omnia illius miracula, & nobiliores Prophetias adimpletas.* Ibidem 1628. & Lugduni 1631. folio.

3. *Prophetias à IESV dictas, & nondum adimpletas nobiliores eius ſermones, & in illis apertiores ſimilitudines.* Ibidem 1619. & Lugduni 1631, in folio

4. *Parabolas, & Hiſtorias adductas à IESV, & eius Diſputationes cum varijs, & ſex Conciones de Antichriſto* Lugduni apud Iacobum Cardon 1631. in folio

5. Qui eſt *primus Commentariorum allegoricorum, & moralium de Chriſto figurato in vetere Teſtamento.* Complectitur Hiſtorias Adami, Iſaaci, Iacobi, & Danielis Ibidem 1633. Pariſijs, & Venetijs.

6. *Eiuſdem argumenti complectens vitam Moyſis* Ibidem ſemel iterùmque 1635.

7. *Complectitur vitam Abrahami.* Lugduni typis Boiſſat 1638.

8. *Complectitur vitam Dauidis.* Valliſoleti typis Antonij Vaſquez 1639.

9. *Complectitur Hiſtorias Salomonis, Abſalonis, & Caini.* Lugduni ſumptibus hæredum Gabr. Boiſſat, &c. 1642.

10. *Complectitur Hiſtorias Eſther, Ioſephi, Suſannæ, Michææ, & Nabat.* Lugduni ſumptibus Laurentij Aniſſon 1647.

11. *Qui, & poſthumus, complectitur Hiſtoriam Hieremiæ.* Lugduni ſumptibus eiuſdem Laurentij, & ſociorum 1652.

Edidit præterea Hiſpanicè

Mariale ſeu Conciones de B. V. Mariæ ternas, in ſingulis eius feſtis, Valliſoleti 1642. in 4. Item.

Funerales 14. & ſeptem de Defunctis. Ibidem apud Marcum Perez 1645. in 4.

DIDACVS DE BOROA, natione Hiſpanus, patria Trugillenſis Societatem anno 1605. ingreſſus eſt, ætatis ſuæ 20. totam fermè vitam exegit in procuranda Indorum ſalute in Paraquaria, vbi multis annis fuit Operarius inſignis, tum Rector Collegij Aſſumptionis, demum Prouincialis. Poſt labores plurimos tranſiuit ibidem ad requiem, (vt iuſtum eſt credere) Beatorum, die 13. Aprilis 1658. Scripſit Hiſpanicè ad omnes Prouinciæ ſuæ ſocios.

Epiſtolam de vita, & morte P. Alphonſi Aragonij Societatis IESV, qui in illo Collegio diem obijt anno 1629.

DIDACVS DE CELEDA, natione Hiſpanus, patria Monteladenſis Diœceſeos Toletanæ, vicennis Societati ſe applicuit anno ſalutis 1606. & vota quatuor profeſſus eſt. Docuit in ea Humaniores litteras triennio; Philoſophiam quadriennio; Theologiam aliquamdiu; Sacras verò litteras amplius 20. annos eſt interpretatus partim Compluti, partim Matriti in Academia Regia. Vir cultiſſimi ingenij, variæ eruditionis, & in Biblijs ſacris verſatiſſimus. Rexit Collegia Complutenſe, & Matritenſe, diſciplinæ religioſæ obſeruator accuratus, & macularum etiam minimarum fugiens; à quibus, vt ſe cuſtodiret, raro cum externis, vel etiam domeſticis agebat, quandiu licuit per officia illi à Maioribus impoſita; nam his ſedulò ſe impendit, cæteroqui totum ſe in ſacrarum litterarum ſtudium abdebat. Fuit tenerrimo in res ſacras animo, & in primis erga Deiparentem, cuius obſequio ſe, ſuaſque lucubrationes deuouebat; & pro cuius Immaculatæ conceptionis definitione maturanda idoneum ſub mortem opus meditabatur. Demum diſſolui cupiens, & eſſe cum Chriſto ſeptuagenario maior, & extremis expiatus Sacramentis deceſſit Matriti, occidente Septembri 1661. Edidit in Sacram Scripturam tomos ſex ſcilicet,

In Iudith Commentarios litterales, & Morales editione 2. Lugduni ſumptibus Petri Proſt. 1641. in fol.

De Benedictionibus Patriarcharum Electa ſacra Commentario litterali, & morali illuſtrata. Ibidem, & eodem anno in folio.

In Tobiæ Hiſtoriam Commentarium litteralem, & moralem. Ibidem 1644. in folio.

In Eſtherem, cum duplice tractatu de Conuiuio Aſſueri myſtico, ideſt de Euchariſtia, & de Eſthere figurata. id eſt B. Virgine. Ibidem 1648. in folio.

In Rutham; cum duplice tractatu de Boozi conuiuio myſtico, id eſt, *de Euchariſtia,* & *de Rutha figurata, id eſt, B. Virgine* Ibidem 1651. in folio.

In Suſannam Danielicam; cum tractatu de B. Virgine in Suſanna figurata. Ibidem ſumptibus Philippi Borde, & Sociorum 1656. in folio

Reliquit etiam paratos prælo Commentarios.

In Deboram; qui poſthumi prodierunt Lugduni apud Ant. Vertier 1673. in folio.

DIDACVS DAZA, natione Hiſpanus, patria Colmenarēſ, quod eſt oppidum agri Carpetani, Tago impoſitum, haud Toleto procul. Honeſtos natales ſortitus eſt, patrem Iuris conſultiſſimum, à quo primum Ocaniam miſſus eſt, vt à Societate bonis litteris excoleretur; inde ad Philoſophiam Complutum traductus, eius initio ad Societatem acceſſit

ſub Paſchales ferias anni 1598. quem frater natu minor Andreas anno poſt imitatus eſt. In Tirocinio præclara virtutum documenta dedit. Exin humanioribus litteris repetitis, Philoſophiam, ac ſub P. Gabriele Vaſquez Theologiam audiuit, à quo tanti fiebat; vt ſubtiliora, ac difficiliora Theologiæ capita, cum ipſo conferret. Sacerdotio initiatus Grammaticæ præcepta biennio docuit. Ab Archiepiſcopo Toletano Bernardo Sandouallio, eodemque Cardinali, & Inquiſitorum ſupremo, delectus eſt vnà cum Ioanne Pineda, qui Indicem Librorum expurgandorum conficeret; quo in munere mirum eſt quantum laboris, atque induſtriæ impenderit, qua eruditionis, ac doctrinæ laude id perfecerit; quàm ſingulari in omnibus modeſtia, ac religione. Compluti mox biennio Philoſophis noſtris exercendis præfuit magna commendatione. Tum Placentiæ moralem Theologiam explicuit mirabili Auditorum frequentia, tantàque opinione doctrinæ, vt eius reſponſa pro oraculis eſſent. Nauigauit cum Franciſco Borgia Squillacij Principe in Peruuium, qui cum ſibi adſciuit ad confeſſiones, dum ad illum Orbem pro Rege adminiſtrandum contenderet. In eo curſu nihil omiſit quod a viro religioſiſſimo, ſalutiſque hominum auidiſſimo poterat expectari: nautas ille, vectoreſque quotidie conuocabat, quotidie Concionibus informabat, expiabat exomologeſi, ægros viſebat, cibum etiam in os inferebat, quibus ſtudijs ad omnem virtutem omnium in naui vitam compoſuit. Limæ, quæ Vrbs eſt Regni Princeps, tota rerum ſpiritualium procuratio Dazæ ceſſit: ille Parochos ad Indorum inſtructionem deſignare: ille in Æde Principe frequens frequentiſſimo concurſu concionari, nec fructu impare; ille ſubnaſcentes ſubinde hæreſes ſupprimere; quod, vt præſtaret efficacius, Inquiſitoribus Conſultor eſt additus. Regios, atque Eccleſiaſticos Magiſtratus de Iuriſdictione diſceptantes ſuo conſilio, atque auctoritate compoſuit. Omnium negotijs quantum per Inſtituti ſui rationes permittebatur, ſubuenit, tanta integritate, & ab acceptatione donorum vacuitate, vt omnibus eſſet admirationi. Redux in Hiſpaniam, Compluti quieuit biennio ſuis priuatim ſtudijs intentus, donec anno 1620. primus Toleti Theologiam docuit. Ibi Diœceſanæ Synodo interfuit, & fidei Cenſor eſt renunciatus. Hic in Prætoris Didaci Hurtadi de Mendoza familiaritatem, atque in opinionem virtutis, & doctrinæ tantam peruenit, vt ille in Britanniam legatus ab Rege, Dazam ſecum habere tam impensè contenderit, vt negari non poſſet. Calendis Octobris in portu Santandarenſi conſcenſum in Anglicanas naues eſt, quæ Carolum Vualliæ Principem (qui poſtea in Britannia ſceptrum obtinuit eius nominis primus) domum ex Hiſpania reuehebant. Sed aduerſis excepti ventis totos dies 15. tanta tempeſtate iactati ſunt, vt pleroſque fatigatos vis morbi ſtrauerit. Dazam vero etiam confecit; Is cùm extra ſpem vitæ adductum ſe vidit, nec Euchariſtiæ, aut Extremæ Vnctionis copiam ſuppetere, biduum expiando per confeſſionem animo impendit, ac demùm inter diuina colloquia, ſui ſemper compos, vir æternitate dignus, animam egit poſtridie Idus Octobris anno ſalutis 1623. ætatis 44. ab inita Societate 24. in ipſo Angliæ conſpectu. Suſpicio fuit Hæreticos illi venenum miſcuiſſe: certè poſt eius obitum, illi lætiores eſſe viſi ſunt. Benigna autem Dei prouidentia in eo eluxit, quòd præter Societatis morem, Sacerdos illi pro Socio attributus ſit, ne confeſſionis ſolatio fraudaretur, nam præter illum nullus tota claſſe Sacerdos vehebatur. Sepultus in ſacello Catholici viri ex ordine Equeſtri in Vrbe Hauant, eà quà inter Hæreticos pompà licuit. Nuncio mortis in Hiſpaniam allato, omnes eum Noſtri, Externique luxere. Iuſta illi ſolemniter Toleti ab Legati Coniuge perſoluta ſunt, quæ Legatus ipſe redux ex Anglia, Victoriam, (quæ prima Hiſpaniæ Vrbs occurrit indè venientibus) repetiuit: addita vtrobique de ipſius laudibus ad frequentem Concionem panegyri. Edita eſt poſt eius mortem, quam prælo aptam reliquerat

Exegetica iuxta, & Parænetica Commentatio in Epiſtolam S. Iacobi Apoſtoli. Compluti 1626. in folio.

DIDACVS FAIARDVS natione Hiſpanus, patria Murcianus ex Illuſtriſſima Marchionum Velenſium proſapia, adoleſcens annorum 14. religioſum Chriſti iugum in Societate ſua ſubire voluit anno ſalutis 1603. & ſolemni votorum 4. ſacramento ſe adſtrinxit anno 1620. Vir egregie doctus prælegit Theologiam moralem triennio, & 12. annis ſacram paginam interpretatus eſt Compluti. Migrauit ex hac vita Matriti die 3. Iulij 1639. reliquit moriens

De Somnijs ſacris Veteris Teſtamenti, ac Noui inſignem Commentarium, qui tamen hactenùs lucem non aſpexit

* DIDACVS FILIPPAZZIVS natione Siculus, patria Caltaniſſettenſis, natus anno ſæculi fluentis 11. Chriſto in ſua Societate ſe conſecrauit 1626. & vota quatuor ſolemni ritu concepit. Docuit in ea diſciplinas humaniores quadriennio; Theologiam moralem decennio; Inſtructor Noſtrorum in tertia probatione aliquandiù fuit. Eccleſiaſten in Præcipuis Siciliæ, & Italiæ Vrbibus magna nominis commendatione per annos circiter 24. egit, & Diuinarum litterarum Oracula in Panormitano Collegio eſt interpretatus. A Sanctæ Inquiſitionis Tribunali adlectus eſt in Cenſorem de rebus ad fidem ſpectantibus, & Conſultorem, & demum multis Religioſæ vitæ meritis cumulatus, migrauit ad Dominum; Panormi die 26. Octobris anni labentis

tis 1674. Edidit Italicè habitos à ſe

Panegyricos Sacros. Panormi apud Petrum de Iſola 1674. in 4.

* DIDACVS DE LA FVENTE, SEV A FONTE HVRTADO, natione Hiſpanus natus Toleti anno ſæculi voluentis 15. Societati nomen dedit Salmanticæ 1631. & ſolemni votorum quatuor, ſacramento ſe adſtrinxit 1648. Poſt traditas litteras amæniores, Philoſophiam profeſſus eſt Compoſtellę; Theologiam Scholaſticam Salmanticæ annis 13. & tùm hic, quàm Valliſoleti ſtudijs Noſtrorum præfuit. Rexit Collegium Pompeiopolitanum, & Salmanticenſe; Electus à Comitijs ſuæ Prouinciæ Romam miſſus eſt ad Congregationem Procuratorum 1669. Nunc dum hęc ſcribo anno 1674. Prouinciæ Caſtellanæ clauū tenet. Hunc etiam clariſſimus D. Nicolaus Antonius accenſet Scriptoribus Hiſpanæ Bibliothecæ quia ſcripſit

Curſum Philoſophicum, qui licet typis editus nondum ſit propter impedimenta occupationum interiecta, tamen tamquam propediem edendus citatur etiam non ſine Encomio grandi pluribus in locis à Sapientiſſimo P. Fr. Ioſepho Sanchez de Aguirre Benedictinæ Cōgregationis in Hiſpania Generali Magiſtro, & in Salmanticenſi Academia Laureato Theologiæ Profeſſore in ſua Philoſophia Nou-Antiqua Tomo I. & II. Verùm prælo iam edidit P. Didacus Conſultationes aliquot Theologo-Iuridicas

De Poteſtate Epiſcopi circa Excommunicationem Canonicorum abſque adiunctis, & effectibus appellationis in foro interno. Cæſaraugustæ 1654. in folio.

De Solemnitatibus Iuris requiſitis ad alienationem rei Eccleſiaſticæ litigioſæ non poſſeſſæ. Matriti 1672. in folio.

An in Tractationibus Litium locum habeat læſio enormis vel enormiſſima? Ibidem 1672.

Expectantur etiam breui ab eiuſdem calamo Tomi duo

Selectarum Moralium quæſtionum.

DIDACVS GARCIAS RENGIFO natione Hiſpanus, patria Abulenſis Societatem amplexus eſt, anno Domini 1570. 17. annos natus, & vota quatuor emiſit. Præclaro admodum exemplo, ampliùs 30. annos erudiendis quà Noſtris, quà Exteris Græca, latinaque litteratura ſe impendit. Rexit etiam Collegia Bilbaenſe, & Montfortenſe, & in hoc vir virtutis robuſtæ, ac maturus cœlo ſpiritū Deo reddidit die 11. Februarij 1615. Edidit ſub nomine Ioannis Garciæ Rengifi

Artem Poeticam Hiſpanicam. Salmanticæ 1592. in 4.

DIDACVS GONZALEZ HOLGVINVS natione Hiſpanus ex oppido Caceres in Extremadura, admiſſus in Societatem anno ſalutis 1581. ætatis 20. & Profeſſorum vota quatuor albo adſcriptus. Vir ſacrarum litterarum ſtudio addictiſſimus, in quas multa commentatus eſt prælo digna. Concionatoris munus in India Occidentali, ad quam nauigauit anno 1580. diù ſuſtinuit, & varia Collegia per annos plures rexit, multùm auctoritate, & prudentia valens. Rerum diuinarum meditationi fuit impensè addictus, eique ternas quotidie horas impendit. Nulla mortali labe ex quo venit ad Societatem per totos 47. annos conſcientiam maculauit. Virginitatem ad vſque extremum ſeruauit illibatam. Indorum ſalutem ardentiſſimo zelo pluribus annis in Peruana Prouincia per difficiles Miſſiones, & immenſos labores, atque ærumnas procurauit, vernaculis eorum linguis diligentiſſimo ſtudio perceptis. Acutiſſimis doloribus extinctus eſt Mendozæ Vrbe Chilenſis Regni anno 1618. omnibus Eccleſiæ Sacramentis præparatus, relictis magnæ humilitatis, & patientiæ exemplis. Cadauer diu manſit tractabile, vultus decorus & ſpiranti ſimilis. Edidit

Grammaticam linguæ Quichuæ, quæ toti Peruuio communis eſt. Limæ Ciuitate Regum apud Franciſcum Canſum 1607. in 4.

Vocabularium eiuſdem linguæ. Cui acceſſerunt

Priuilegia Indis conceſſa. Iiſdem typis 1608. in 4.

DIDACVS LOPEZ DE MESSA natione Hiſpanus patria Zafrenſis, vnus è primis de Societate, qui in nouam Hiſpaniam ductore P. Petro Sanchez anno ſalutis 1572. nauigarunt, in qua excolenda plurimùm laborauit, Rector præfuit Collegijs Mexicano, Angelopolitano, Guaxaquenſi, Paſquarenſi, & Valliſoletano, Præpoſitus etiam Domui Profeſſę Mexicanæ. Demùm annos natus 71. ex quo venerat in Societatem Salmanticæ 53. totis 28. poſt editam profeſſionem quatuor votorum, vitam cum morte commutauit in Collegio Mexicano 31. Octobris anno 1615. Collegit atque euulgauit materiam Concionibus parandis idoneam, inſcripſitque

Menſam ſpiritualium ciborum, tùm è Sacra Scriptura, tùm è Sanctorum Patrum interpretatione ſelectorum pro Diuini Verbi Concionatoribus. Lugduni per Horatium Cardon 1614. in folio.

* DIDACVS LOPEZ natione Luſitanus, patria Bringellianus Diœceſeos Eborenſis, receptus in Societatem anno ſæculi labentis 8. ætatis ſuæ 17. votorum quatuor profeſſione ſe obſtrinxit. Vir præſtantiſſimo ingenio, Philoſophiam Vlyſſipone, & Conimbricæ; Theologiam Eboræ cum laude profeſſus eſt, vbi etiam Sacrarum litterarum interpres, & Academiæ Cancellarius fuit. Præter alias virtutes, excelluit zelo animarum, ardore in concionibus ad populum, & feruore in Miſſionibus. Laborum mercede donandus exceſſit ex hac vita, Vlyſſipone die 10. Auguſti 1649. Edidit tomum cui titulus

Harmonia Scripturæ Diuinæ, emodulans actiones laudabiles, vel vituperabiles, virorum,

ac fœminarum; antiquo aut nouo relatas Teſtamento, expoſitas ad mores à 24. Doctoribus &c. Vlyſſipone apud Laurentium de Anueres 1646. in folio. Iterum Pariſijs per Sebaſt. Cramoyſy in folio,

DIDACVS MARTINEZ natione Hiſpanus patria Cordubenſis à puero Societatis inſtitutum arripuit anno ſalutis 1583. Noſtros adoleſcentes humaniore litteratura informauit ac ſubinde totos 20. annos Sacram Scripturam in Hiſpalenſi Collegio interpretatus eſt. Linguarum Græcæ, & Hebraicæ, Syriacæ, atque Arabicæ inſigniter peritus. Concionatorem etiam, & Confeſſarium in templo multis annis egit, emiſſa profeſſione votorum quatuor altero ſæculi vertentis anno. Demum ætate grauis tranſiuit ad Dominum, Hiſpali die 5. Aprilis 1645. edita eſt ſine nomine Auctoris vna eius

Epiſtola ad Sacerdotem quendam vinculis in Anglia pro Chriſtiana fide detentum. Præterea parauerat prælo, quæ cuſtodiri dicuntur in tabulario Collegij Hiſpalenſis,

Commentarios in Apocalypſim B. Io. Apoſtoli. Item

Tractatum de Sacris lapidibus. Item

Deſcriptionem Idumeæ Tom. II. vbi Commentaria in Abdiam habebat

Commentarium in Epiſtolam B. Iacobi Apoſtoli iuxtà editionem Syriacam. Hiſpanicè autem

Tractatum in orationem Dominicam, vnà cum Tractatu S. Cypriani in eandem orationem, quàm tranſtulit Hiſpanicè. Item

Vitam B. Ioannis Dei.

Martem Hiſpanum.

Henrici & Veritatis Caſtum connubium.

DIDACVS MONTEYRVS natione Luſitanus, Diœceſis Eboren. Is cum adoleſcens Eboræ ſtuderet, pertæſus moras, quæ ſibi fiebant in admiſſione ad Societatem, dum domum ad ſuos in ſuburbano concedit, obuium habuit hominemnè, an Angelum? nobis os, habitumque perſimilem, qui blandis illectum ſermonibus reaccendit amore vitæ Religioſæ. Certum autem eſt neminem de Societate id egiſſe, aut eo loci tunc fuiſſe. Ergo regreſſus in Vrbem, explicatiſque quæ ſibi contigerant, dum ad ſuos rediret, in Societatem receptus eſt anno 1588, ætatis 10. In ea diſciplinas omnes cum ingenij laude aſſecutus eſt. Rhetoricam docenti Conimbricæ memorabile contigit exhibere virtutis documentum; Tragicomœdiam adornauerat apparatu minimè vulgari; pridie quàm eſſent in theatrum inducenda, iubetur à Moderatore actionem omittere. Ille dicto audiens contra non mutiuit. At frementibus alijs, quorum intererat, vnus quiſpiam diſcipulorum genere pollens, atque opibus iniuriam queſtus, hortatur Patrem, vt deſerat Societatem, cui ludibrio ſit, atque contemptui: in qua ſine probro viuere deinceps haud poſſit: eſſe in promptu omnia nihil ſe illi defore paſſurum. Pater adducto ſupercilio, gratias quidem iuueni agit, quod in ſe voluiſſet eſſe liberalis; cæterùm caſtigauit acriter verbis, quod amari poſſe crediđiſſet à ſe tàm imbecilliter Societatem, vt fluxæ laudis cupidini poſthaberetur; Gloriæ ſe ducere, non ignominiæ, contra quàm putarent alij, quod vetitum eſſet ſuæ morem gerere voluntati. Iuuene dimiſſo ipſe annuente Superiore ad ſpiritualia ſe exercitia recepit, quorum vſu incredibile eſt, quantùm exarſerit in Diuinarum rerum amorem. Ex eo tempore viguit in eo præcipuè ſtudium orandi, contemplandique, cuius artem callentiſſimè tenuit, addiditque quotidie conſueto matutinæ precationis ſpatio duas ternaſue prìus horas, quàm reliqui ſurgerent. Dies ſæpè ſolidos coram Diuina Euchariſtia orando ducebat. Publice priuatimque de oratione loqui, ad eam cæteros hortari, demum ſine ea ſanctimoniam conſtare haud quaquam poſſe, eam ſanctimoniam obtineri prædicabat. Ipſe enim verò orandi vſu vitam innocentem egit, ac planè purgatiſſimam, cui cùm adijceret quotidianum cilicium, quotidianam eamque inclementem verberationem, nihil ſupererat emaculandum. Itinera quamuis prolixa per Prouinciam, vel tùm cùm gereret Magiſtratum, pedes nec raro victu precario inſtituebat. Rector fuit Bracharæ, Præpoſitus Vlyſſipone Prouincialis Luſitaniæ, & annos complures Vlyſſipone tirones inſtituit, ſingulari prudentia, dexteritate, efficaciſſimo præſertim cùm ad omnia præiret ipſe grandæuus, & Magiſter humilitatis, exemplo. Victu temperantiam, veſtitu paupertatem præ omnibus oſtendebat. Abijciendi ſtudium tàm habuit eximium, vt videri poſſet excedere. Nunc ſine pallio per Vrbem ſequi obſonatorem, domùmque aſportare quæ comparaſſet; nunc ad aliorum Religioſorum domos, inter mendicabula cibum capere. Et fuit cùm inuitatus ſolemni die ad prandium ab Rectore Collegij, venturum ſe condicto, ſtipatus duobus Nouitijs, inter inopes ad portam accepit ſtipem, atque comedit, monito cum abiret ianitore vt Rectori ſignificaret ſe fidem datam, condicti conuiuij liberaſſe. Opinio eſt multa arcana Deo reuelante cognouiſſe. Pridie quàm mortuus eſt, ſumpto Viatico, iuſſit à ſe omnes tantiſper abſcedere, tamquam cum Deo tranquillius acturus; re ipſa vti patuit, vt ſolùm obitus ſui teſtem Deum haberet. Obijt Conimbricæ die 27. Maij anno 1634. annis grauis & meritis. Funus magna venerationis ſignificatione à Noſtris, Externiſque frequentibus procuratum eſt. Præter ſui deſiderium, præſtantiſſimos reliquit ſuæ diſciplinæ Alumnos quàm plurimos. Præclarum de eo ſcripſit elogium Georgius Cardoſus in Agiologio Luſitano ad diem 27. Maij. Edidit Luſitanicè

Artem orandi. Conimbricæ apud Didacum Homez 1630. in 4. Opus omnibus numeris

meris abſolutum. Reliquit etiam prælo paratas Luſitanicè conſcriptas

Meditationes de Diuinis Attributis, quæ vnà cum illius vità diu pòſt editæ ſunt. Romę typis Angeli Bernabò. 1671. in 8,

DIDACVS DE PANTOIA natione Hiſpanus, patria ex opuido Valdemora Dięceſis Toletanæ, Is cum in Societatem eſſet ingreſſus anno ſalutis 1589. ætatis 18. è Toletana Prouincia miſſus eſt in Iaponiam 1596. cumque Macai traiectionem anno 1599, præſtolaretur mutato conſilio in Sinas penetrare iuſſus eſt, fuitque ſocius P.Matthæi Riccij ad Regiam Pechinenſem, vbi ſedem Societati primi fixerunt, & cùm Matthæus anno 1610. diem ſuum obijſſet, ipſe induſtriâ ſuà,& Mandarinorum amicorum ope, obtinuit à Rege locum opportunum humando corpori, atque ita Societatem ibi primus ſtabiliuit. Multa nihilominus & grauia tolerauit, non à petulantibus ſolùm è plebe hominibus, à quibus anno 1611. multis verberibus malè acceptus, & tantum non mactatus eſt; ſed ab aduerſantibus etiam Magiſtratibus, quorum adeò non potuit omnem iram, atque potentiam declinare, quin cum ſocijs proſcriberetur è Regno. Macai dum exulat, & nouam in Regnum ſubeundi opportunitatem opperitur diem vltimum ſortitus, ad laborum præmia emigrauit anno 1618. Scripſit lingua Hiſpanica

Narrationem ingreſſus quorundam Patrum è Societate Ieſu in Sinas, & de rebus Sinenſibus, quas luſtrarunt per Epiſtolam datam Pechini 9.Martij 1602. edita eſt anno 1605.in 8. Item lingua Sinica (cuius fuit peritiſſimus) ſcripſit èleganti ſtylo, impreſſitque

Septem Victorias, ſeptem virtutum contra totidem vitia Capitalia oppoſita. Opus egregium, & magni æſtimatum

Explicationem exactiſſimam, & extenſam 12.articulorum Symboli fidei

Probationes euidentes exiſtentiæ Dei, & de eiuſdem Attributis fusè.

De natura, ſtatu, & operationibus Angelorum bonorum, & malorum

De origine primi hominis. De peccato originali. De Diluuio, & de reſtauratione generis humani per Noë. Extant ſex volumina horum librorum characteribus Sinenſibus excuſa, Romæ in tabulario generali Societatis, in folio.

DIDACVS RAMIREZ, natione Hiſpanus ex villa Infantium Diœceſis Toletanæ, iuuenis annorum 18. in Societatem ingreſſus anno ſalutis 1607. vota quatuor profeſſus eſt. Quinquennio docuit humaniores litteras in ſcholis publicis, ſexennio ijs erudiuit Noſtros, & præfuit ſcholis octennio. Rexit Collegia Almonazilenſe, & Oropeſanum, optimi vbique exempli, & peramans religioſæ diſciplinæ. Miſsiones magno zelo, & multo animarum lucro obibat, & inuitatus ab Epiſcopo Carthaginenſi ad eas peragendas in Diœceſi ſua, eo munere functus, euocatus eſt à Deo ad ſtipendia meritorum Placentiæ die 8. Aprilis 1647. Edidit

Compendium Grammaticæ Græcæ. Matriti 1619. in 8.

Vitam Roberti Cardinalis Bellarmini ex varijs Auctoribus concinnatam

Inſtructionem ſodalitatis B. Virginis. Præterea tranſtulit Hiſpanice ex Italico

Miraculum inſigne à S. Franciſco Xauerio Indiarum Apoſtolo Neapoli in P. Marcello Maſtrillo Societatis I E S V die 3. Ianuarij anno 1634. patratum. Matriti 1634. & rurſum Viennæ Auſtriæ per Georgium Gelbhaar Hiſpanicè recuſum 1635.

* DIDACVS RIBEIRO, natione Luſitanus, patria Tomarenſis, Societati adſcriptus, Goæ, anno Salutis 1580. ætatis 20. vbi ſacris Ordinibus initiatus miſſus eſt in vineam Salſetanam, in qua ſtrenuè pluſquam quadraginta annos laborauit, eo ſpiritu atquè animarum zelo, vt Apoſtolus ilius Regionis vulgò appellaretur. Idioma illius Gentis perfectiſſimè calluit. Plures libros Concanica lingua ab alijs antea compoſitos, partim emendauit ex mandato Superiorum; partim auxit. Demum plenus dierum, & frugis bonorum operum in Collegio Racholienſi migrauit ad Remuneratorem omnium Dominum die 18. Iunij 1633. Spiritualium Coadiutorum diu antea albo adſcriptus. Edidit lingua Concanica, ſeu Canarina.

Vitas Sanctorum à P. Rebadeneira conſcriptas, & à ſe translatas. Typis Collegij Goani. Præterea vti refert D. Nicol. Antonius in Bibliotheca Hiſpana

Doctrinam Chriſtianam Cardinalis Bellarmini, lingua Brachmanica, ſeu Concanica. Racholij typis Collegij Societatis Ibidem 1632 in 4.

* DIDACVS ROSA SEV DE ROSIS, natione Italus, patria Aquilanus in Veſtinis, nobili certamine cum domeſticis in cauſa Dei, & vocationis ſuæ, admodum inſignis. Is, dum Rhetoricæ nauaret operam Aquilæ, in paterna domo, accenſus religioſæ vitæ deſiderio in Societate traducendæ, toto quadriennio vocationem ſuam contra Parentum dehortationes frequenti ſynaxi ſacra, & quotidiana corporis flagellatione fouit. Abſoluto dein Philoſophiæ curriculo cùm conſenſum illorum ardentiùs efflagitaret, nec blanditijs, minisuè Patris, Matriſuè, vel Aui cederet, veriti illi ne Neapolim profugeret ad Societatem ibi ingrediendam, arctâ cuſtodià domi incluſerunt; pernegata omni egrediendi facultate etiam ad Sacrum audiendum diebus feſtiuis. Id cùm Didacus exiſtimaret ſe tutâ conſcientià non poſſe omittere, ideòque conatus fuiſſet vi effringere fores cubiculi, iratus Genitor pugnis contuſum grauiter filium, vinciri curauit manibus, pedibuſquè, & primò funibus poſtea ferreis manicis, ita, vt nec ad fene-

feneſtram accedere poſſet, ſed cum his ſæpe, & dormiendum, & comedendum, ei fuerit. In hunc modum 24. dierum ſpatio detentus eſt, donec rati domeſtici remiſiſſe illum de illa firmitudine animi ſolutis vinculis mitius aliquantò habuerunt, non tamen è cuſtodia liberarunt. Hac ille vſus occaſione, noctu, ſine calceis, & quaſi furtim per feneſtram ſe dimiſit, & rectà Romam per vias inuias confugiens, ibi Societati ſe adiunxit anno ſalutis 1610. ætatis ſuæ 20. Inſequuti ſunt eum quidem Pater, & Patruus, & multis modis conati ſunt domum ſuam reducere tamquam familiæ ſuæ neceſſarium, ſed re examinata diligenter à Theologis, iudicarunt hi Didacum nullam habere obligationem redeundi ad parentes, ſed poſſe in ſuſcepto vitæ inſtituto permanere. Permanſit itaque inuictus Athleta Chriſti, & vt firmiùs Deo ad hæreret, votorum quatuor Sacramento poſt aliquot annos ſe obſtrinxit. Poſt traditas triennio litteras humaniores, Philoſophiam ſexennio profeſſus eſt, & totidem annis Theologiam quoque explicuit in Academia Firmana, vbi, & Præfecturam ſtudiorum aliquamdiu geſſit. Rexit Collegium Tiburtinum, & Reſidentiam Tuſculanam, & Noſtros in tertio probationis anno magna commendatione virtutis inſtruxit Demum annis grauis, & meritorum fruge maturus migrauit ad Dominum Neapoli die 23. Nouembris 1655. Edidit

Ethicam Chriſtianam in duas partes diuiſam quarum prior excuſa eſt. Romæ typis Ludouici Grignani 1646. in 4.

Secunda Pars hoc eſt Politica. Neapoli apud Hæredem Iacobi Gaffari 1660. in 4.

Demonſtrationem de fundamento veræ Religionis Neapoli typis ijſdem 1660. in 4. Item

Ad Beatitatem æternam conquirendam efficaces conatus. Neapoli apud Hyacinthum Paſſarum 1665. in 4.

DIDACVS RVIZ DE MONTOYA, natione Hiſpanus, patria Hiſpalenſis honeſtis, piiſque ortus parentibus, tam fuit à prima ætate compoſitis ad omnem virtutem moribus, vt diceretur non videri in Adamo peccaſſe. Annos natus 14. ſe tradidit Societati, ſummarum rerum, ad quas vocabatur expectatione contempta. In Tirocinio fuit omnibus prudentiæ, atque omnis virtutis religioſæ exemplar. Inter ſtudendum tantas ingenij dotes patefecit, vt cum primis, tum ſuæ, tum omnium, etiam ſuperiorum ætatum numerari poſſit. Nec minùs tamen virtuti primas vel, iam tum dabat, ab omni ambitione atque vana æmulatione alieniſſimus; ad obſequia domeſtica abiectiſſima proniſſimus, ſæpe procurabat omnia ſolus; ipſe tergere; ipſe verrere, ipſe purgamenta exportare. Conſueto relaxationis die ipſe prorogabat ſpatium orationis; quot menſibus diem ſolidum ſui ipſius inſpectioni tribuebat. Studebat fere de genibus, tamquam, qui internum Magiſtrum Deum auſcultaret. Tam exactè moderabatur animo, & linguæ, vt nec ætatis feruor, nec ardor diſputationis vllum illi verbum commotius, aut geſtum exprimeret incompoſitum. Vbi primum Diaconus factus eſt, Moralem Theologiam Baëzæ explicuit. Inde poſt annum, qui fuit ſæculi præteriti 85. Granatæ Philoſophiam auſpicatus eſt, & deinceps Cordubæ, atque Hiſpali primam Theologiæ lectionem totos 20. annos obtinuit, quibus exactis, ad priuati ſtudij ſecretum ſe recepit, elucubraturus ea, quibus iam fruimur; quo illum in opere verſantem mors occupauit die 25. Martij Chriſtianæ ſalutis anno 1632. cùm annos vixiſſet omnino 70. in Societate vero 56. ab nuncupata quatuor votorum profeſſione 40. Obijt Sacramentis ad iter æternitatis inſtructus (ſolitus alioqui animum quotidie confeſſione expiare) acutiſſimis calculi cruciatibus, quos toto quatriduo ſuſtinuit, tandem confectus. Eos ipſe tam conſtanti vultu tolerabat, vt medicos admiratione defigeret, qui poſſet non aliquam, tam immanium dolorum ſignificationem exprimere; ipſe autem quò vrgebatur grauiùs, eò in gratiarum actionem excurrebat prolixiùs, & oculis in Chriſtum Cruci affixum conuerſis, ſuauiſſima cum eo colloquia inſtituebat. Mortem non minùs auidè, quàm vitam plerique, exoptabat, hoc vno lætus nuncio, ſi arteriæ pulſus deficeret; tum enimuerò exclamabat: *O æternitatis dies, ecquando te conſpicabor?* Hæc illi nimirum ſecuritas erat à magnitudine virtutum, quibus erat armatus, quæ tantæ fuerunt, vt pene modum viderentur excedere iuſtæ virtutis. Humanarum laudum, & ſui ipſius ſummè contemptor fuit. Nunquam illi verbum vnum excidit ad ſui commendationem. Nunquam non extrema rebus in omnibus ſectatus eſt. Adhibebat ſæpe in conſilium ſuos ipſe diſcipulos, cum eſſet alijs pro miraculo. Cum poſtularetur à P. Franciſco de Porres Viſitatore nimiæ ſeueritatis in gubernatione Collegij Cordubenſis, lecto accuſationis ſchedio, quod illi exhibebat, nihil excuſauit cùm poſſet vt inferret, eam accuſationem concludere ipſum gubernandis alijs inidoneum videri, & ea vſus occaſione, quod diu fuerat conatus, in veſtigio depoſuit Magiſtratum, nec vltra induci potuit vllis precibus, vt alium vnquam admitteret. Ex eo humanarum rerum contemptu ſequebatur illi ſecretiſſimum illud ſilentium, in quod ſe abdidit, vt viueret prorſus ignotus. Nemo eum extra cubiculum, niſi ad res neceſſarias prodeuntem vidit; nemo legem ſilentij violantem in omni vita; nemo, vel momentanei iacturam temporis facientem, nemo vel latum pilum ab ijs officijs declinantem, quæ virum omnibus numeris perfectum decent. Eximia fuit charitate in proximos, ſed in calamitoſos maximè, & minimè ab humanis bonis commendatos. Paupertatis amore,

re, ſtudio parendi, caſtimoniæ laude, nihil fuit illo ſpectabilius. Sed veritatis in re omni aſſertio, & conſtantiſſima, ſinceriſſimàque defenſio fuit in illo prorſus admirabilis. Eamque dicebat homines Societatis, vel maximè decere quos oporteret ex ſui inſtituti rationibus Martyres eſſe, teſteſque veritatis. Nullus illum flexit vnquam auctoritas; nulla ſpes, nullus metus infregit; non ipſa Regis maieſtas perſtrinxit, vt veritatis teſtimonium, vel leuiter coloraret. In hoc tantarum virtutum ſplendore velut in bono lumine collocauit inexhauſtum illud doctrinæ pelagus, quod æui noſtri prima capita traxit in admirationem. Fuit qui diceret videri illum ſermone ſapientiæ, & ſermone ſcientiæ eximiæ de cœlo donatum gratuito. Excelluit ad miraculum, atque ad opinionem vſque infuſæ ſcientiæ, cognitione doctrinæ moralis, & qui propè puer in Societatem venerat, & ſi quis alius procul ab omnium conſuetudine, ſemper egerat, ita callebat quidquid ad omnium Iura, mores, ſtatuta, fraudes ſpectabat, vt totam in ſingulis ætatem egiſſe videri poſſet. Dixerunt illum paſſim Theologum profundiſſimum, vberrimum, copioſiſſimum illuſtratorem, ac defenſorem acerrimum Gratiæ auxiliatricis, vnum heroicis Eccleſiæ temporibus parem, Athanaſio, Hieronymóque perſimilem, & cuius doctrinæ deberi poterat pro theatro Synodus Oecumenica. Ad grauiſſimæ quæſtionis definitionem cum primis omnium ordinum Theologis vocatus, poſtremus aduenerat, in imo ſubſellio conſedit: ſed omnibus vno animo aſſurgentibus, acclamatum eſt, ipſi vni, præter antiquitatis leges, inter familias religioſorum, ſeruari ſolitas, deberi primas, qui omnibus eſſet eximius, itaque ad ſumma ſubſellia deductus eſt, & in ipſius vnius ſententiam quæſtionis definitio reiecta. Vitæ virtutumquè eius breuiarium loculo, quo eſt conditus, eſt in hæc verba inſcriptum.

D. O. M. S.
Vener. P. Iacobus Ruiz de Montoya
Hiſpalenſis,
Societ. IESV. Presbyter
H. S. E.

Abſolutus ſui ſæculi Theologus, per plures annos publicè docuit. Prudentiæ, conſtantis animi; integerrimæ morum diſciplinæ, mundi, & honorum contemptus exemplar. Omnium Ordinum hominibus conſilio & opere ſalutaris. Ex Bæticis Profeſſis in ſexta Generali Congregatione ſapienter, & fortiter ſententiam dixit. Barbarorum, Æthiopum Hiſpanienſium Cathecheſis, & Baptiſmi impendendi Auctor, copioſa animarum fruge. Poſt illuſtratas ſcholas, ſilentio priuatæ vitæ, & indefeſſæ ſanctorum Patrum lectioni addictiſſimus. Auxiliatricis gratiæ illuſtrator, & defenſor acerrimus. Editis de Trinitate Scientia, Voluntate, Prædeſtinatione, Prouidentia, Viſione, & Nominibus Dei, in quibus nemo hactenus altiorem impreſſit ſulcum, luculentiſſimis Commentarijs, dum alia Theologica in Eccleſiæ obſequium meditatur, ad diuturni morbi, & patientiæ ſtipendia, veteranus miles euocatus à Deo; Sacramentis Eccleſiæ ritè procuratus diſceſſit in pace, anno ætatis 70. Societatis 56. Domini 1632.

Reliquit ingenij, & doctrinæ ſuæ monumenta,

Commentariorum in primam partem Sancti Thomæ tomos 6. nimirum

1. *De Scientia, Ideis, Veritate, ac Vita Dei*, a quæſtione 14. vſque ad 18. Pariſijs per Sebaſtianum Cramoiſij 1629. in fol.

2. *De Voluntate Dei, & proprijs actibus eius* ad quæſt. 19. 20. 21. Lugduni per Proſt: 1630. in fol.

3. *De Prouidentia Dei, prædefiniente, & præbente Prædeſtinationis exordium*, ad quæſt. 22. & partem 23 Lugduni per Proſt 1631. in folio.

4. *De Prædeſtinatione, & Reprobatione hominum, & Angelorum*. Ad reliquum quæſt. 23. & totam ſequentem. Lugduni per Iacobum Cardon 1629. in fol.

5. *De Sanctiſſima Trinitate*. Lugduni per Proſt 1625. in folio

6. *De Viſione, & Nominibus Dei*

Parati ſunt etiam prælo, & à Cenſoribus vehementer laudati.

De Auxilijs Diuinæ gratiæ Tom. II. prodituri in lucem quando ſanctæ Sedi Apoſtolicæ placuerit

De Angelis tom. I. reliquit affectum, quem vel ſic optandum eſſet in lucem venire. Compoſuit etiam

Catechiſmum pro inſtituendis rudibus, præſertim Aethiopibus, ad Baptiſmum, quem imprimi curauit D. Franciſcus Reynoſus Epiſcopus Cordubenſis

Scripſit præterea tractatus aliquos egregios ad promouenda præclara quædam inuenta ad Dei gloriam, quos haud puto fuiſſe impreſſos, ſed circumferri manuſcriptos: Ii ſunt

De beneficijs Parochialibus conferendis in eos, qui ſedulò animarum negotium tractant.

De eliminandis è Republica Comœdijs vulgaribus.

De ſtatu eorum, qui petunt dimiſſionem à Societate IESV.

De cauſis dimittendi à Societate Ieſu Profeſſos. Poſtremi duo tractatus M-SS. extant Romæ in Grammatophylacio Generali Societatis in 4.

* DIDACVS SEV IACOBVS SALAZARIVS MARANNON, natione Hiſpanus, hunc inſeruit Bibliothecæ ſuæ D. Nicolaus Antonius, & patria Matritenſem fuiſſe ait; ſed Catalogi Noſtri Conchenſem faciunt. Na-

Natus eſt anno ſalutis 1539. & Deo ſe in Societate dedicauit 1560. & votorum quatuor profeſſionem edidit. Rexit Collegia Carauacenſe, & Ocanienſe, vtrobique magno virtutum exemplo, quo præluxit ſuis. Porro cum conſtituiſſet Philippus II. Rex Catholicus mittere virum ad inuiſenda loca ſacra, & religione celebria per Hiſpaniam, ad implorandam Diuinam opem, & proſperum ſucceſſum ſuis armis per Europam, delegit ad id muneris P. Didacum, qui cùm in ea peregrinatione probaſſet Regi & pietatem ſuam, & modeſtiam, anno 1587. demandauit illi Rex longiorem multò, Hieroſolymam vſque, atque ita viſitatis priùs locis pietate celebrioribus per Italiam, Mediolani, Laureti, Romæ, Neapoli, & alibi, in Palæſtinam, & Hieroſolymam ſeſe contulit 1590. atque in Ægypto quoque loca ſancta luſtrauit. Inde redux in Hiſpaniam, & reddita Regi itinerum ſuorum ratione, conſedit Compluti, vbi non multo poſt ingreſſus eſt iter æternitatis die 25. Auguſti 1596. eius vitam conſcripſit P. Nierembergius de viris Illuſtribus Societatis tom. IV. & meminit Peregrinationis à Rege iniunctæ Sacchinus in Hiſt. Societatis Part. 5. lib. 8. Scripſit ille Iuſſu Regis

Hiſtoriam de Peregrinatione ſua libris tribus, qui (vti refert D. Nicolaus Antonius) cuſtodiuntur in Regio Gazophylacio. In ijs diſtinctè exponit, & reliquias Sanctorum, in quolibet loco, quem luſtrauit, & pericula varia, è quibus Deus ipſum prodigiosè eripuit.

DIDACVS DE SAMANIEGO, natione Hiſpanus, patria Talabricenſis. Is cùm Salmanticæ abſoluto Philoſophiæ curriculo operam nauaret medicinæ, iamque prope eſſet, vt lauream capeſſeret, familiaritate duorum fratrum noſtrorum, in quos inciderat in itinere vſus, animum ad Societatem applicuit, admiſſuſque in eam eſt anno ſalutis 1561. ætatis 20. atque in ea poſtmodum Coadiutor Spiritualis formatus eſt. Zelus animarum deinceps eum traxit in Indias Occidentis, fuitque primus, qui cum patre Didaco Martinez viro admirabilis ſanctimoniæ ad arduam illam atque ærumnarum feracem ſanctæ Crucis in Montanis miſſionem profectus eſt; vbi multa præclarè geſſit, multas inſtituit expeditiones ad Indos finitimos per ſummas itinerum, & locorum difficultates. Virginitatem ſuam inter immania pericula, & nudos paſſim homines ſeruauit ad extremum vſque illibatam. Paupertatis tam amans fuit, vt nihil vnquam vel in ſumma neceſſitate poſtulauerit, vnaque veſte ad annos 33. ſit vſus. Vir fuit planè Apoſtolicus, & quem etiam tum viuentem pleno ore ſanctum appellabant; reliquias autem vita functi ad venerationem auferre pro ſe quiſque contenderet. Enimuerò debebatur hoc innocentiſſimæ vitæ tot heroicis virtutibus exornatæ, quam nulla vnquam labes mortalis violauit. Olim fuerat Magiſter Nouitiorum; & ſubinde multis annis Superior Reſidentiæ in oppido S. Crucis Montanæ, vbi ſicut vixit ſanctè obijt die 7. Martij anno 1626. ætatis ſuæ 85. initæ Religionis 65. poſt 39. quàm venerat ad illam Miſſionem. Scripſit

Vocabularium linguæ Chiriguanæ, cuius eſt in aliqua Meridionalis Americæ parte vſus.

DIDACVS DE TORRES BOLLVS natione Hiſpanus, patria Villalpandenſis nobili loco natus, Valliſoleti à P. Ægidio Gonzalez in Societatem admiſſus, anno Domini 1571. ætatis 21. P. Balthaſari Aluarez optimo tironum Magiſtro informandus ad perfectionem datus eſt; adeòque ſub illo profecit, vt in abſolutiſſimum etiam virtutum Magiſtrum ipſe euaſerit. Traiecit alienæ ſalutis ſtudio in Regnum Peruanum, vbi Noſtris Iulide primùm, mox Cuſci, tum Quiti præfuit, ſub annum 1593. quo tempore tumultuatum ibi aduerſum Regem eſt, oppidò opportunè, vt ſua prudentia malis occurreret, turbaſque componeret, vti non ſine capitis ſuo periculo fecit. Quod obſequium tanti Rex Catholicus habuit, vt plenas P. Didaci laudibus ad Marchionem Cannetenſem Proregem ſuum, litteras dederit, coràm verò deinde cùm nauigaſſet in Europam, miſſus à ſua Prouincia Procurator in Vrbem, ingenti cum beneuolentia complexus eſt. Magnatibus in Hiſpania omnibus, in Italia, & P. Claudio Generali, & quod ſummum eſt Clementi VIII. Pont. Max. ſuam prudentiam doteſque alias animi mirificè probauit. Sed præ alijs Fredericus Card. Borromæus Archiepiſcopus Mediolanenſis, tanti eum fecit, vt etiam arcana ſui pectoris omnia ipſi patefecerit, abeunti manum venerabundus oſculatus ſit, munera egregia, & in ijs 32. Calices deauratos in vſus Paraquariæ Prouinciæ, quam Claudio volente erat inſtituturus, donarit. Reduxit vnà ſecum ab Europa 60. Socios, quibus egregiè Prouinciam locupletauit. Subinde Viſitator in Nouo Regno deſignatus, tam grandia præſtitit, & tulit grauia, vt memorari ſine prolixitate non poſſint. Paraquariam Prouinciam inſtituit, & cum laude gubernauit. Redux in Peruuium diu Chuquiſacæ, ſeu Platenſi in Vrbe conſedit. Vbi diuturna eum paralyſis adſtrictum detinuit, & tribus annis extremis magnam tolerantiæ materiam præbuit. Mitigabat autem dolores ſuos quotidiana Diuini corporis vſurpatione. Demum cùm ſe grauem crederet eſſe ſuis adminiſtris, ſine quorum ope, ne naturæ quidem ſeruire poterat, impensè rogauit Deum per S. Ignatium, vt ſibi gradum mortis corriperet. Voti compos effectus, magno animi ſenſu veniam errorum à Socijs poſtulauit: manum ſingulis egregia humilitate deoſculatus eſt; & Sacramentis perceptis placidiſſime exceſſit, relictis magnarum virtutum quibus fulſit exemplis, die 8. Auguſti anno Chriſti 1638.

æta-

ætatis 87. ab inita Societate 67. ab edita quatuor votorum profeſſione 50. Scripſit & cum Procurator ad Vrbem veniſſet impreſſit Italice

Breuem relationem Hiſtoricam rerum in Prouincia Peruana apud Indos à Patribus Societatis Ieſu geſtarum. Romæ apud Aloyſium Zannettum 1603. ea Latinè reddita prodijt Moguntiæ typis Balthaſaris Lippij 1604. in 8.

DIDACVS DE TORRES RVBIVS natione Hiſpanus ex oppido Toleranæ Diœceſis Alcazar de Conſuegra, in Societatem venit Valentiæ anno 1571. & confectis ſtudijs, ac Diaconatu initiatus traiecit anno 1579. cum P. Ioſepho Teruel in Peruuium. Limæ Sacerdos factus, cùm Indorum iuuandorum deſiderio æſtuaret, Iulidem miſſus eſt, vbi Aymaræ, & Guichuæ linguæ tantam breui cognitionem induſtria ſua conſecutus eſt, vt vtramque in præcepta redegerit, ac totis 30. annis Chuquiſacæ deinde docuerit. Plurimas in aſperrima Charcarum Prouincia Miſſiones, & ferè pedes inſtituit. Domi indefeſſus in omnium ſe auxilium ſemper impendit. Incredibile eſt quot ille confitentes aſſiduus audiret, excoleretque. Indos ardentiſſimo zelo proſequebatur, neque vllis fatigabatur incommodis, quæ illorum gratiâ ſubibat. Deuexa ætate cùm obſurduiſſet, inſerto in aurem tubo, confitentes audiebat, id poſtquam non ſuccedebat ampliùs, obibat pro alijs alia miniſteria, quo illi expeditiores operam confitentibus exhiberent. Magnis omnino virtutibus longam ſuam ætatem ornauit. Sui deuexandi tam fuit ſtudioſus, vt prætenſa etiam commoditate facultatem eius à Moderatoribus exprimeret. Nunquam ad ſomnum culcitram, nunquam ſindones vſurpauit, niſi poſtremis in morbo diebus iuſſu Maiorum. Quotidie ſe, & plerumque ad ſanguinem vſque flagellabat, quotidie cilicium etiam celeberrimis diebus induebat; & ad hæc veſtes internas aſpero ſago iubebat induci. Ad vſque decrepitum ſenium, præter imperatos ab Eccleſia dies, bis hebdomadatim ieiunauit. Humilitatem ſuam in eo commendauit maximè, quòd nihil ſe præſtare, quod operæpretium haberet, contenderet; & quidquid proponebatur ad acceſſionem virtutis, ceu tiro auide arripiebat, quod eo magis mirandum eſt, quod conſtat illum doctrina fuiſſe ſpiritus apprimè inſtructum. Perægre ſibi declarauit accidere, quòd aliquo in pretio videretur eſſe, quòd aliquid de ipſo eximij concepiſſet Superior, qui nihil vnquam geſſiſſet præclarè, nihil quod non cuique foret obuium, & perfacile. Potoſij cùm ibi Collegium regeret, viliſſima miniſteria à mancipijs obiri conſueta, peragebat negans alijs opus eſſe, qui facerent, cùm ipſe poſſet. Ipſe ſibi cubiculum verrere, ipſe aquam ferre, vaſa eluere, ipſe ſibi omne obſequium præſtabat, impatiens alieni, dum ſibi manus, vt aiebat, ad id conceſſæ ſupereſſent. Inter hæc per amicam expoſtulationem flagitabat ſæpe à Deo, vt ſe tandem bonum efficeret, qui tot annos nequidquam bonus fieri conniteretur. Ita communi ſe vitæ ſemper accommodauit, vt cùm præ ſenio vix poſſet ſcopas ſuſtinere, dato tamen ad verrendum ſigno primus adreperet. Nihil in victu ſingulare admittebat, niſi cogeret obedientia, cui ſe ſemper adeo ſubiecit, vt nihil arduum duceret, quod præciperetur. Paupertatis in ſe, ſuiſque omnibus ſtudio, nihil admittebat non obſoletum, nihil non eorum, quæ domi erant viliſſimum. Multus erat ad vtramque orationem, & quæ voce, & quæ mente ſola fit, & huic quidem quaternas quotidie horas conſtantiſſima perſeuerantia impendebat, tametſi perraras ex ea voluptates hauriret. Nimirum robuſta virtute vir, ad perfectionis faſtigium per ſemitam patientiæ ducebatur. Eluxit in eo tam illibata puritas, vt nullus vnquam geſtus, nullus nutus ipſius, in tot hominum omnium congreſſibus ab inſigni ſanctimonia diſſentiret. Si quid humani pulueris animo adhæſerat, id quotidiana exomologeſi detergebat. Hæc atque alia illum decora vitæ iam feſſum cælo reddidere maturum, quò poſt ſuſcepta piè ſacra myſteria, deprecatus coram ſocijs errata ſua, dignatus (vt fuit opinio) Deiparæ, Deique filij aſpectu, tranſcriptus eſt, placida morte compoſitus Chuquiſacæ vbi perdiu vixerat 13. Aprilis anno 1638. ætatis 91. Societatis aditæ 66. votorum 4. nuncupatorum 48. Scripſit

Grammaticam, & Vocabularium linguarum Aymaræ, & Guichuæ, quarum eſt vſus in Peruuio, quæ ab Italo quodam Patre Societatis Ieſu digeſta prodierunt Romæ 1603. in 8.

DIEGHVS ALARCON vide ſupra *Didacus Alarcon*.

DIEGVM PAYVAM ANDRADIVM accenſet Scriptoribus Societatis Guilhelmus Eyſengrenius in ſuo Catalogo Teſtium veritatis. Ad A. C. 1563. Verùm lapſus errore eſt; amicus fuit ille, & propugnator Societatis, non Alumnus

* DILINGANVM COLLEGIVM in Prouincia Germaniæ ſuperioris Danubio impoſitum iam inde ab anno ſalutis 1558. poſtulatum ab inclytæ memoriæ Othone Truchſeſio S.R.E. Cardinali, & Epiſcopo Auguſtano, vt aduerſus erumpentes tunc in dies hæreſes per Germaniam, haberet multos Fidei Orthodoxæ propugnatores, demum miſſis Roma ſocijs aliquot anno 1563. eſt inchoatum, & anno ſubſequenti ab eodem Cardinali abſolutum, vnà cum Academia recenter ibidem ab ipſo inſtituta, ſolemni cæremonia poſt ſacrorum ſolemnia Societati eſt traditum. Auctum poſtea, firmatumque nouis vectigalibus ab Henrico Epiſcopo pariter Auguſtano, & S.R.I. Principe, ingentes toti Germaniæ

maniæ vtilitates peperit. Ex eo ſiquidem veluti ex Fidei propugnaculo bellum Hæreſi indixerunt primo Petrus Caniſius, Hieronymus Torrenſis, mox Gregorius de Valentia, & noſtra ætate Laurentius Forerus, alijque qui doctiſſimis ſuis lucubrationibus in vulgus editis illam egregiè confutarunt. Certe Ferdinandus III. Imperator glo: mem: in ſuo diplomate, quo confirmauit huius Academiæ priuilegia anno 1641. non dubitauit, exponendo vberes fructus ex ea prouenientes, aſſerere, ipſam & viros præſtantiſſimos in omni genere ſcientiarum erudijſſe; & ſacra Cœnobia hominibus Religioſis ad primæuum inſtitutum formatis impleuiſſe; iſdemque Cœnobijs Antiſtites, innumeris Eccleſijs Paſtores, Epiſcopatibus Pontifices, Reipublicæ, & Curijs Conſiliarios, Senatores, Magiſtratus, Imperio Romano Principes, quorum hodieque plures viuunt, ſaluberrima inſtitutione formauiſſe. Complectitur hodie hoc Collegium Socios circiter 35. & in his Profeſſores Theologiæ, Iuris Canonici, cæterarumq. facultatum 15. qui copioſam ad illud Iuuentutem confluentem pietate, ac bonis artibus informent. edidit

Thalamum funebrem, ſeu funebria Henrico Comiti in Helfenſtain. Dilingæ apud Iacobum Sirmadi 1627. in 12.

* DIONYSIVS AVGER natione Gallus, patria Bituricus, natus anno ſæculi præterfluentis 4. Societati ſe adiunxit 23. & vota 4. ſolemnia concepit. Poſt traditas quadriennio humaniores litteras, Philoſophiam profeſſus eſt decennio, Theologiam ſcholaſticam cum laude octennio; & ſtudijs annos aliquot moderatus eſt. Rexit Collegium Bituricenſe, Vir inſigniter doctus, pius, diſciplinæ regularis peramans, multis virtutibus claruit, ſed in primis humilitatis ſtudio; Vnde proximus morti petijt à Superioribus, vt in epiſtola encyclica de ſe de more poſt obitum per Prouinciam mittenda, nihil aliud ſcriberetur, quàm quòd ad obitum annuntiandum, & ſuffragia poſcenda neceſſum foret, atque ita mortalitatis exuuias religiosè poſuit Pariſijs die 29. Martij 1670. Edidit Gallicè

Exercitium Chriſtianæ pietatis, ſeu motiua ad iuuandas animas igne piaculari detentas, duobus tomis quorum prior excuſus eſt Rhedonibus, typis Iacobi Denis 1660. in 4. poſterior

De varijs modis adiuuandi eaſdem. Flexiæ formis Geruaſij Iabat 1662. in 4.

Parabat autem luci dare volumen *De Deo, Trino, & Vno*, quando ipſe à Deo euocatus eſt ad lucem æternam.

DIONYSIVS GVILLEN natione Hiſpanus, patria Hiſpalenſis natus annos 16. ſe Societati tradidit anno ſalutis 1575. atque in ea præclarè diuina, & humana ſcientia inſtructus Concionatoriam artem exercuit fauſto ſucceſſu, in celebrioribus Hiſpaniæ ciuitatibus cum plauſu auditus. Vir fuit corpore puſillus, ſed animo vaſtus, natura facundus, dicendi arte expolitus, viris Principibus peracceptus. Rexit Collegia Xerenſe, & Malacenſe, & maturus cælo obijt Hiſpali die 21. Iulij 1637. dudum antea vota 4. Profeſſus. Edidit Hiſpanicè

Concionem de Immaculata Conceptione B. Virginis Deiparæ. Hiſpali apud Gabrielem Ramos 1618.

Concionem funebrem in obitu Sereniſſimæ Margaritæ Reginæ Hiſpaniæ habitam. Reliquit etiam prælo maturum.

Volumen Concionum in feſtiuitates, & Dominicas Aduentus Domini.

DIONYSIVS PETAVIVS natione Gallus, patria Aurelianen. ingreſſus in Societatem anno 1605. ætatis 22. Vir, vt eius oſtendunt opera, ingenio maximo, iudicio acerrimo, excellenti memoria, omnium ferè rerum ſcientia excultus; omnibus ad hæc ſua modeſtia, affabilitate, morum innocentia carus. Rhetoricam Pariſijs maximo omnium concurſu profeſſus eſt annis 11. ſacras litteras ibidem interpretatus eſt annis 24. ſolemni 4. votorum nuncupatione obſtrictus ab anno 1618. Vir planè eximius ſiue doctrinam, ſiue virtutem ſpectes, & inter prima Societatis lumina meritò recenſendus. A puero litteras ſic adamauit, vt dies integros in euoluendis libris tranſegerit, & vix 10. ætatis annum attigerat, cùm carmina mira facilitate pangeret. Adultior non otium, non ludos cæterorum more quæſiuit, ſed ſeceſſum, vt ſe totum in ſtudia abderet nec quidquam in ſeuerioribus diſciplinis reconditum, quod ille non penetrauerit. Hinc in omni Scientiarum genere libros adeo eruditos publici iuris fecit, vt ex omnibus prope Regnis ab eruditis conſultus fuerit. Hinc Philippus IV. Rex Hiſpaniæ eum ad Academiam nouam à ſe Matriti erectam, Vrbanus VIII. Romam non ſemel inuitarunt; ſed impediuit vtrumque Rex Chriſtianiſſimus Ludouicus XIII. non ferens Regnum ſuum tanto viro priuari. Actum etiam certò eſt ſub Vrbano VIII. de eo inter Purpuratos Patres cooptando, ſed ea fuit humilitate vir plenus Deo, vt propterea profectionem Romam quantum potuit ſemper defugerit. Cum hac tanta præcellentia doctrinæ, ita coniunxit ſplendorem virtutum, vt merito dubites, ſanctior ne an doctior fuerit. Pietatem illius nemo non mirabatur cum viderent ipſum tot inter negotia, atque ſtudia, nihil de ſolitis pietatis officijs remittere; ad ſtata orandi tempora confeſtim alia omnia ſeponere; & ſolitum dicere, malle ſe omnis doctrinæ iacturam facere, quàm vel ſemel examen conſcientiæ quotidianum, vel quid ſimile omittere. Tenerrimo amore ferebatur in Beatiſſimam Virginem tamquam matrem ſuam, & ſingulari veneratione erga Sanctiſſimam Euchariſtiam, quam horâ ſolitâ ſingulis diebus,

bus, non ad breuem moram, ſed ad longum tempus inuiſebat. Societatis inſtitutum amabat vnicè, & enituit in eo ſemper eximium religioſæ diſciplinæ, paupertatis, obedientiæ, modeſtiæ, ſilentij, cæterarumque virtutum ſtudium. In omnes alios mirificè amabilis, in ſe vnum ſeuerus, atque immitis, flagris adeò in corpus ſuum ſæuiebat, vt ad vulnerum medelam Chirurgorum opem implorare non raro habuerit neceſſe. Hanc tam exaggeratam virtutem viri, volens Deus tamquam aurum in igne adhuc probare magis, & perficere in camino infirmitatis, permiſit illum varijs morborum generibus cruciari, & doloribus acerrimis torqueri, vt coactus fuerit ſubinde prorumpere in eas voces: *Circumdederunt me dolores mortis*. Et cum aliquando de acerbitate dolorum amanter quaſi expoſtularet apud Dominum, inaudiuiſſe fertur cœlitus hanc vocem: *Tu de me cogitas, vt homo: Ego de te cogito, vt Deus*. Vnde mox diſcuſſæ tenebræ, & de ſæuitia dolorum remiſerunt morbi. Adſtantes lecto non ceſſauit verbis, & exemplis accendere ad amorem Dei, & ad amorem Inſtituti noſtri, quod gaudebat ſe relinquere illibatum ſicut Tiro repererat. Denique omnibus ritè communitus Sacramentis in corona fratrum ſeptuagenarius piam efflauit animam Pariſijs die 11. Decembris anno 1652. Scripſit plurima, quæ ſequuntur ſeruato ordine, quo lucem aſpexere.

Syneſij Epiſcopi Cyrenenſis opera, à ſe in latinum è græco conuerſa, & notis illuſtrata. Græcè, & Latinè coniunctim Pariſijs typis Morellianis 1612. & rurſum 1622. in folio inſerta ſunt Latinè Bibliothecæ magnæ Patrum Tom. 5. Par. 1.

Themiſtij Euphradæ orationes 16. Græcè, & Latinè cum notis ſuis, & Coniectaneis. Flexiæ typis Iacobi Rex 1613. in 8. quæ orationes iterum prodierunt auctæ acceſſione trium, quas etiam latine reddidit. Pariſijs typis Cramoyſy 1618. in 4.

Iuliani Imperatoris orationes tres Græcè, & Latinè anno 1614. ac ſubinde omnia eius opera. Typis Cramoyſy 1630. in 4.

Nicephori Patriarchæ Conſtantinopolitani Breuiarium Hiſtoricum Græcè, & Latinè coniunctim cum notis Chronologicis. Pariſijs typis ijſdem 1618. in 8.

S. Epiphanij Salaminis Epiſcopi Opera omnia, Græcè, & Latinè cum notis tom. 2. Pariſijs ijſdem typis 1622. fol.

Appendicem ad Epiphanianas animaduerſiones. Ibidem 1624. in 8.

Opus de Doctrina temporum aduerſus Ioſephum Scaligerum tom. 2. Pariſijs apud Cramoyſy 1627. in fol.

Vranologium, ſeu Syſtema variorum Auctorum, de Sphæra, ac Syderibus, eorumque motibus, quod eſt veluti Auctarium operis de doctrina temporum. Addidit præterea.

Variarum diſſertationum ad Vranologium lib. 8. Pariſijs typis ijſdem 1630. in folio

Syneſij opera Græcè, & Latinè cum notis recognita ſecundis curis cum velitatione aduerſus Ioannem Croium. Ibidem, & ijſdem typis 1633. in folio.

Rationarium temporum. Iiſdem typis, & anno in 8.

Idem Rationarium nouo ordine digeſtum. Ijſdem typis, & anno

Miſcellaneas exercitationes aduerſus Claudium Salmaſium. Pariſijs ijſdem typis 1634. in 4.

Lapidem Lydium Chronologicum Gallicè Ibidem 1636. 8.

De Photino Hæretico, & de duplice Synodo Sirmenſi contra eum, Diſſertationem, quæ cum 3. Editione Rationarij prodijt. Ibidem 1636. in 8.

Pſalmorum omnium, & Canticorum, quæ ſparſim in Biblijs leguntur Paraphraſim Græcis verſibus expreſſam. Ibidem 1637. in 8.

Diatribam de Poteſtate conſecrandi. Ibidem 1639. in 8.

Diſſertationum Eccleſiaſticarum libros duos. Ibidem 1641. in 8.

Opera Poëtica, Editione quarta magnis acceſſionibus locupletata 1632. in 8.

Theologicorum Dogmatum priores tomos tres. Ibidem 1643. in fol.

De Pœnitentia publica, & de Præparatione ad Communionem Gallicè in 4. Recuſum 1644. & iterum cum auctario 1645.

De lege, & Gratia libros duos. Ibidem 1648. in 4.

Elenchum Theriacæ Vincentij Lenis. Ibidem 1648. in 4.

Ciceronis Paradoxa, & alia opera Græcè reddita. Ibidem 1648. in 4

De Tridentini Concilij interpretatione, è S. Auguſtini doctrina Diſſertationes duas. Ibidem 1649 & 1650. in 8.

Theologicorum Dogmatum tomos poſteriores duos. Ibidem, & ijſdem typis 1650. in folio

Diſſertationem de adiutorio, ſine quo non & Adiutorio Quo. Ibidem 1651. in 8.

Orationum Editionem vltimam, cui acceſſerunt Epiſtolarum libri tres. Ibidem 1652. in 8.

Ciceronis Lælium, ſiue de Amicitia, Græcè redditum Ijſdem typis, & anno in 8.

Carmen latinum ad S. Genoueuam, quod incipit.

Dicebam ſuprema mihi iam clauditur ætas. Ijſdem typis 1652. in 4.

DIONYSIVS VASQVEZ, natione Hiſpanus, patria Toletanus, adoleſcens annorum 22. & Latinis Græciſque litteris probè excultus, Compluti nomen Chriſto Domino in Societate dedit anno ſalutis 1550, & maiores diſciplinas poſtea feliciter didicit, & in Hiſpania, Italia, atque inferiore Germania Superioris partes egit, Sanctique P. Franciſci

Borgiæ, tum Commiſſarij in Hiſpania Generalis, tum Romæ Præpoſiti Generalis adiutor, atque à ſecretis fuit. Romanum Collegium rexit, & Neapolitanam Prouinciam Vice Prouincialis adminiſtrauit. Ad prima Antuerpienſis Collegij exordia anno 1663. ex Hiſpania miſſus eſt. Denique in Hiſpaniam reuerſus, poſt adminiſtratum Segobienſe Collegium, Toleti anno Domini 1590. ineunte, ætatis 62. vitam cum morte commutauit. Tranſtulit ex lingua Latina in Hiſpanam

Martyrologium Romanum Gregorij XIII. Pont. Max. iuſſu editum. Valliſoleti 1586. in 4. Scripſit etiam, ſed non edidit typis

Vitam S. Franciſci Borgiæ, quæ Methymnæ Campi in Hiſpania hodiernum in diem aſſeruatur.

* DOMINICVS ARGANANTIVS, natione Italus, patria Meſſanenſis natus anno ſeculi fluentis 17. Societati ſe aggregauit 1626. & votorum quatuor profeſſionem emiſit. Docuit Humaniores diſciplinas, & Sacras Conciones annis circiter viginti habuit. Edidit Italicè iuſſu Senatus Meſſanenſis

Pompas feſtiuas à Ciuitate Maſſanenſi celebratas in ſolemnitate de Epiſtola Deiparæ Virginis Mariæ ad Meſſanenſes ſcripta Meſſanæ typis Hæredum Petri Brea 1659. in 4.

* DOMINICVS BOVHOVRS, natione Gallus, patria Pariſinus, natus anno ſæculi labentis 28. Deo ſe in Societate deuouit 1644. & votis quatuor ſolemnibus ſe obligauit. Rhetoricam, & amœniores diſciplinas aliquot annis profeſſus eſt. Edidit Gallicè

Cogitationes Chriſtianas in ſingulos menſis Dies iam ſeptimò recuſas, Pariſijs typis Sebaſtiani Cramoyſy 1672. Italicè redditas ab vno è Societate Romæ typis Vareſij 1670. in 24. Neapoli, Genuæ, Patauij, Brixiæ &c.

Colloquia Ariſtei, & Eugenij. Pariſijs typis ijſdem 1671. in 4. Recuſa Pariſijs quater, Gratianopoli bis, Lugduni, Bruxellis, Amſtelodami, & Lugduni Batauorum ſemel

Effata Chriſtiana fouendæ per diem pietati accommodata Pariſijs typis eiſdem 1673. in 12. Reddita Italicè cum auctario ab altero Societatis Bononiæ, typis Longhi 1675. Tranſtulit Gallicè

Orationem Panegiricam R. P. Ioann. Pauli Oliuæ Generalis Societatis in Beatificatione Beatæ Roſæ. Pariſijs typis eiſdem 1669. in 8.

Narrationem eorum, quæ contigerunt in diſceſſu R.P. Euerardi Nidhardi ex Hiſpania Pariſijs. Iiſdem typis, & anno.

De veritate Religionis Chriſtianæ, ex Italico Marchionis de Pianeſſe. Pariſijs typis ijſdem 1672. in 12.

* DOMINICVS GAMBERTVS, natione Italus, patria Placentinus natus anno ſæculi voluentis 27. Societatem amplexus eſt 1643. & vota in ea 4. nuncupauit. Quinquennio docuit in ſcholis humaniores litteras, & biennio Rhetoricam noſtros Iuniores. Concionatorem egit varijs in vrbibus per Italiam, agitquè. Edidit hactenus Italicè

Ideam Principis Chriſtiani in Franciſco I. Eſtenſi Duce Mutinenſi. Mutinæ apud Bartholomæum Soliani 1659. in folio

Orationem habitam in funere Alphonſi 4. Ducis Mutinæ. Ibidem 1663. in folio. Item tacito ſuo nomine

Flores Rhetorices. Parmæ 1654.

Parata habet prælo complura alia

DOMINICVS LOPEZ, natione Hiſpanus, Edidit

Librum de Sacræ Scripturæ auctoritate. Hiſpali apud Lazarum Terrenam 1589. Ita Poſſeuinus (qui fuit Secretarius Societatis, & vixit eodem tempore, potuitque illum noſſe ex litteris, & catalogis mitti ſolitis ad Præpoſitum Generalem) in Apparatu ſancto tomo. 1. Meminit quoque illius Fabianus Iuſtinianus in Indice vniuerſali, verbo *Scriptura Sacra*. Vnde mirum eſt, quo fundamento ſcripſerit Valerius Andreas Taxander in Catalogo ſcriptorum Hiſpaniæ, & Nomen, & librum illum conficta fuiſſe ab Hæreticis apud Allobrogas.

DOMINICVS MENGINVS, natione Lotharingus Diœceſis Tullenſis Societati ſe aggregauit anno 1550. & ex ijs fuit, qui miſſu S. Ignatij, poſtulatu Ferdinandi Romanorum Regis primi, Viennam Auſtriæ ad ponenda ibi Collegij fundamenta anno Chriſti 1551. venerunt. Tria vota ſolemnia profeſſus eſt 1569. & translatus in Germaniam ſuperiorem, diu rexit Monacenſe Collegium, & Sereniſſimis Principibus Guilhelmo, eiuſque Coniugi Renatæ Boiariæ Ducibus, annos vndetriginta à ſacris Confeſſionibus fuit, præclaro vtique laboris fructu; vir ad agendum cum proximo felici præditus ingenio. Denique totos 45. annos varijs muneribus perfunctus, multis exercitus difficultatibus, ætate grauis, & longa meritorum ſerie ornatus, quieuit in Domino Monachij die 12. Aprilis anno 1595. Collegit in vſum Sereniſſimæ Renatæ Duciſſæ Bauariæ, eiuſque mox voluntate edidit in publicam lucem

Enchiridion Chriſtianarum precationum, ex Catholicis Auctoribus ſtatis horis, atquè temporibus accommodatum. Ingolſtadij ex officina Dauidis Sartorij 1586. in 8. Illud Andreas Bakez deinde in Germanicum tranſtulit.

DOMITIVS PLATVS, natione Italus, patria Mediolanenſis Hieronymi Plati noſtri de quo infra, & Flaminij S. R. E. Cardinalis germanus frater, admiſſus in Societatem anno ſalutis 1589 ætatis ſuæ 33. profeſſionem trium votorum emiſit. Maximam vitæ partem exegit in Domo Profeſſa Romana, in qua curam geſſit, & diſciplinæ domeſticæ, & œconomicæ, & ſpiritualis Pater multis annis fuit, vir apprimè religioſus, & regularum obſeruans. Demum octogenario maior inde tranſiuit (vt ſperare fas eſt) ad requiem Beatorum

rum die 26. Decembris 1643. Edidit egregium

Tractatum de Paſſione Saluatoris cum praxi orationis ad ipſam Paſſionem meditandam vtiliter. Romæ apud Bartholomæum Zannettum 1607. in 4. deinde etiam in 8. Eum à Fratre Antonio Dulcken Carthuſiano latinè redditum vulgauit Coloniæ typis ſuis Bernardus Gualterus 1610. in 8.

Tractatus breuis de praxi orationis ex eo libro deſumptus, & ſeorſim excuſus eſt in 12.

* DOROTHEVS LOVFFIVS, natione Belga, patria Grauienſis natus anno à partu Virginis 1603. Deo ſe in Societate ſua mancipauit 1619. & quatuor votorum ſacramento ſe obſtrinxit. Poſt traditas in ea ſexennio litteras politiores, Philoſophiam quadriennio profeſſus eſt; Theologiam de moribus ſexennio, & Sacram Scripturam triennio eſt interpretatus, ſuperſtes in Collegio Bruxellenſi attendit culturæ animarum, & propter excellentem eruditionem, ac prudentiam magno apud viros etiam primarios eſt in pretio. Edidit hactenus

Paraphraſim, & Theſes Sacras in Epiſtolam D. Pauli ad Romanos. Louanij typis Cornelij Cœneſtenij 1640. in folio

Breue artificium legendi Hebraicè. Antuerpiæ typis Meurſianis 1640. in paruo foliculo

Defenſionem breuem Conſtitutionis Innocentij X. de quinque Propoſitionibus Ianſenij, ſub nomine Alexij Philo-Romæi. Leodij typis Matthæi Houij 1654. in 4.

Cultum Immaculatæ Conceptionis B. V. ſolidum, ac Deo, Deiparæquè pergratum. Bruxellis typis Philippi Vlengerij 1663. in 12.

Vitam P. Bernardi Coluagi Societatis IESV Flandricè, ex Latino. Antuerpiæ typis Michaelis Cnobbari 1666. in 8.

DVACENSE COLLEGIVM in Prouincia Gallo-Belgica ad amnem Scarpum Societati attributum in perpetuum ab Admodum R. D. Ioanne Lentailleur Abbate Aquicinctino venerabilis Ordinis S. Benedicti, & Religioſis eiuſdem Monaſterij, anno ſalutis 1568. paucis poſt annis, quàm Philippus II. Rex Catholicus Duaci erexerat Vniuerſitatem celeberrimam, tamquam alterum aduerſus Hæreſes in Belgio propugnaculum. In hoc Collegio præter litteras humaniores, è noſtris Profeſſores omnino 12. ſuperiores Diſciplinas publicè tradunt, nempè Scripturam ſacram, & linguam hebraicam vnus, Scholaſticam Theologiam duo, Matheſim vnus, Philoſophiam octo partim in Collegio Aquicinctino Societatis ædibus adiacenti, partim in Marchianenſi vicino, cuius ſcholas cùm Noſtris regendas commiſiſſet Admodum R. D. Ioannes du Ioncquoij Abbas Marchianenſis Ordinis S. Benedicti anno 1621. ex octo Profeſſoribus, qui in ſcholis Aquicinctinis Philoſophiam docebant, quatuor ad Marchianenſe translati ſunt, atque diſcipulos ex æquo in vtrumque gymnaſium diſtributos ſolerti cura inſtituunt, Edidit hoc Collegium

Narrationem eorum, quæ Duaci ad celebrandam SS. Ignatij, & Franciſci Xauerij Canonizationem acta ſunt

Parentalia Ioanni de Montmorency Principi Robecano 1631.

Gloriam virtutis Hungaricæ verſibus, & emblematis illuſtratam. Duaci typis Viduæ Telu 1633. in 4.

Sigiſmundi III. Poloniæ, & Sueciæ Regis encomia. Duaci typis Viduæ Petri Telu anno 1628. in 4.

DVSSELDORPIENSE COLLEGIVM Prouinciæ Rheni inferioris fundatum anno reparatæ ſalutis 1621. inſigni pietate, ac beneficientia inclytæ memoriæ Sereniſs. Principis Vvolfgangi Vvilhelmi Comitis Palatini Rheni, Ducis Bauariæ, Iuliæ, Cliuiæ, Montium, Neoburgi &c. Complectitur ordinariè ſocios circiter 24. & in his Prælectores ſex, qui in gymnaſio coniunctò confluentem ex finitimis locis iuuentutem Latinis, Græciſque litteris, ac pietate imbuunt. Edidit hoc Collegium nomine ſuo, & aliorum Collegiorum ſub ditione ſui Sereniſſimi Principis

Genios nuptiales Sereniſſimorum Philippi Vvilhelmi, & Annæ Catharinæ Conſtantiæ Comitum Palatinorum Rheni &c. Coloniæ ex typographia Henrici Krafft 1642. in folio.

Monumentum ære perennius Vvolfgango Vvilhelmo Neoburgico Duci Iuliæ &c. Principi ſuo 1653. in folio magno.

Lacrymas virtutum heroicarum Annæ Catharinæ Conſtantiæ, Polonæ, Neoburgieæ, in templo Societatis ſepultæ 1651.

Epulas Geniales Philippo Vvilhelmo Neoburgico Duci Iuliæ &c. & Elizabethæ Ameliæ Darmſtadianæ Neoſponſis 1653. in folio.

EBORENSIS ACADEMIA in Luſitania initiũ habuit anno ſalutis humanæ 1551. memorabili pietate Henrici Cardinalis, & Archiepiſcopi Eborenſis, poſtea Regis Luſitaniæ glor. mem. amplificata deinde adiectis ab eodem ſcholis anno 1553. Demum formam & iura Vniuerſitatis obtinuit Regià planè munificentia eiuſdem Cardinalis, qui nihil prætermiſit quò minus Academiam à ſe erectam auctoritate Apoſtolica, & priuilegijs aliarum per Europam Vniuerſitatum communiret, & ſplendidè illuſtraret, & tunc Societati pleno iure gubernandam tradidit anno 1559. ita vt

idem

Digitized by Google

idem ſemper futurus ſit Rector Collegij, atque Academiæ. Numerat ordinariè hoc Collegium ad ſocios 140. atque in his ad viginti variarum ſcientiarum Profeſſores, qui Auditores ſuos maximo numero, ex Transtagana præſertim Regione, eò confluentes bonis artibus, ac pietate informant. Vulgauit typis hoc Collegium

Libellum Homiliarum in Euangelia per annum occurrentia ad formam meditationum ab Henrico Cardinali, & Rege Fundatore ſuo conſcriptum; à Ludouico Granatenſi Luſitanicè, ab Antonio Senenſi vtroque Ordinis Prædicatorum latinè, impreſſum, ſed elegantiùs tranſtulit, & typis vulgauit.

EDMVNDVS, SEV EMONDVS AVGERIVS (vtroque enim modo ſcribitur nomen à diuerſis) natione Gallus, patria Trecenſis, ex ephebis vix exceſſerat, cùm Romæ anno ſalutis 1550. ad portum appulit Societatis, in qua litteras humaniores docuit Poëta, & Orator excellens, ingenio, memoria, & iudicio valens. Hic in Gallijs multa, & miranda patrauit pro Fidej Catholicæ defenſione. Turnonenſis, Toloſani, Lugdunenſis Collegiorum Rector fuit, & Prouinciæ Aquitanicæ primus Præpoſitus Prouincialis. Primarias illius Regni Ciuitates concionibus illuſtrauit, maximè Lutetiam, Burdigalam, Toloſam, Lugdunum, Diuionem, Dolam in Sequanis, vbi, & Collegia Societati conſtituit. Toloſæ ſuis concionibus, ita cuncta permiſcuit, vt ſua ſponte Vniuerſitas duobus de ſuo numero ad ipſum legatis inſignia Doctoralia domum ipſi miſerit, quod ſummum Academiæ decus eius acceſſurum diceret inauguratione. Quæ cùm ille cum grati animi ſignificatione remitteret, cauſatus haud poſſe ab homine Societatis, inconſulto Generali admitti; beneficij remiſſionem Academia pro beneficio duxit. Principibus viris in honore fuit. Carolo IX. & Henrico III. Regibus Galliæ erat cariſſimus, atque huic aliquando à ſacris Confeſſionibus. Lugdunenſem Ciuitatem peſte corporali, & ſpiritali propter Hæreſes grauiſſimè laborantem, ſemel, iterùmque, tum vigilantia atque induſtria, tum doctrina atque conſilio, ab interitu propemodum vindicauit, appellatus ea propter ab ea publicè. *Pater Patriæ, Conſeruator Fidei, ſalutis publicæ Reſtitutor*. Quin, & 40. hominum millia ab Hæreſi ad Catholicam Fidem vnus ipſe reuocaſſe fertur. Captus ab Hæreticis aliquando, & ad laqueum damnatus, dum ad patibulum duceretur, neci mirabiliter à Deo ereptus eſt. Capti enim admiratione Emondi eloquentiæ, & commiſeratione tacti iuuenis tunc ætate, atque ingenio præſtantis, parcendum illi eſſe Hæretici exiſtimarunt, ſperantes ad ſuas ipſorum partes adduci poſſe. Denique poſt multos in Gallia exantlatos labores, propter inteſtina, & pluſquam ciuilia patriæ bella, in Italiam profectus, Nouocomi mortuus eſt die 13. Calendas Iulij anno 1591. ab inita Societate 41. Eius animam pia femina mox ab obitu videre ſibi viſa eſt à circumſiſtentibus Angelis in cœlum deduci pulcherrimo puellorum ſodalitio, quale olim ipſe inſtituerat in Gallia, celebrem pompam proſequente. Fuit ætate ſua tam celebris Orator, vt a nullo pene Scriptorum ſine elogio memoretur. Florimundus Remondus De Orig. Hæreſ. lib. 5. cap. 2. præſtantiſſimum appellat omnium, quos vnquam Francia habuit, Diuini Verbi Præconem, Philoſophum, & Theologum doctiſſimum, ſimul, & eloquentiſſimum Ludouicus Richeomus in Præfat. lib. de Animæ immortalitate, Torrentem Eloquentiæ Gallicanæ, Doctorem, & Confeſſorem Eccleſiæ. Theophilus Raynaudus De Martyrio per peſtem p. 3. cap. 4. nu. 12. Chriſtianorum ſui temporis Oratorum facile Principem in Gallia. Scripſit Edmondus

Catechiſmum magnum, & paruum Gallicè, Græcè, & Latinè, ad confutandos Caluiniſtarum errores valde vtilem, atque eruditum. quem plurimi legentes, vel in fide Catholica confirmati, vel ab Hæreſibus liberati ſunt: quemque locis Sanctorum Patrum integrè notatis Franciſcus Antonius noſter illuſtrauit. Editus eſt primùm Gallicè Lugduni 1563. mox Latinè, ac Græcè Lutetiæ apud Sebaſtianum Niuellium 1569. qua vna in Vrbe ad duodequadraginta millia exemplarium octennio fuiſſe diſtracta narrauit Typographus. Scripſit, & Gallicè Augerius

De Sacramentis: nempè *De Baptiſmo, & Confirmatione, De Euchariſtia, & Sacrificio Miſsæ*: vbi etiam, *De vera, & reali, ac corporali præſentia Chriſti in Sanctiſsimi Altaris Sacramento. De Sacramento Pœnitentiæ, & Extrema Vnctione*. Pariſijs apud Petrum Huillerium 1567. in 8.

De Matrimonio. Pariſijs apud Gabrielem Bonum 1572. in 8.

Militarem inſtitutionem, qui Pedagogus Armorum inſcribitur. Pariſijs apud Sebaſtianum Niuellium 1568.

Theſaurum precum pro vniuſcuiuſque ſtatu. Burdigalæ apud Simonem Milangium 1578.

Epiſtolam contra Petrum Viretum pro Societate Ieſu.

De audienda cum fructu Miſſa.

Conſolatoriam ad peſte infectos.

Metanæologiam, hoc eſt, *Apologiam pro Archicongregationibus Pænitentium*, cui nomen ſuum in calce dedicationis adſcripſit Pariſijs apud Iametum Mettayerum 1584. in 4. Vertit Gallicè ex Italico

Saccharum ſpirituale ad abſtergendam, ſiue tollendam amaritudinem calamitatum, quæ ſuo illo tempore vigebant. Item

Libellum De Imitatione Chriſti. Edidit denique etiam

Martialis Epigrammata à ſe expurgata. Anteurpiæ

tuerpiæ apud Chriſtophorum Plantinum 1568. in 8.

EDMVNDVS CAMPIANVS natione Anglus, patria Londinenſis, omnium opinione Martyr Chriſti inclytus, & noſtri ſæculi clariſſimus. Puer cum eſſet, humanioribus literis imbutus eſt Londini, adoleſcens in Oxonienſi Academia grauioribus etiam diſciplinis perpolitus, vbi ex cõſuetudine condiſcipulorum infectus, & Hæreticorum perſuaſionibus circumuẽtus, Diaconum ab impoſtoribus, & peſtiferæ ſectæ Miniſtris ſe ordinari paſſus eſt. Poſteà verò ad expiandum ſcelus à ſe commiſſum, Anglia egreſſus, in Duacenſi Anglorum Catholicorum Seminario aliquamdiu commoratus, Sacram Theologiam egregiè didicit, & Magiſtri lauream accepit. Neque hoc contentus, animum ad Societatem noſtram appulit, vt ſe totum in ſalutem ſuorum Ciuium impenderet, & Hæreticos ſuo ipſorum gladio iugularet. Quamobrem Romam profectus eſt, atque in Societatem admiſſus anno ſalutis 1673. Inde in Germaniam amandatus, ibique rudimentis Religionis poſitis, aliquot annos Pragæ Philoſophicas diſciplinas docendo, & latinè concionando conſumpſit. Demùm in patriam anno ſalutis 1580. Summi Pontificis Gregorij XIII. iuſſu reuertit: vbi mirum quantùm profecerit, quot Hæreticos ad meliorem mentem reuocarit; quot Catholicos vacillantes in fide confirmarit; quot fortes in acie, pugnamque eduxerit vitæ exemplo, excellenti doctrina, ingenij acumine, agendi dexteritate, diſputandi ſubtilitate, ac robore. Ex quo magnum hæreticorum odium incurrit, à quibus omnibus veſtigijs perquiſitus, tandem ex inſidijs captus eſt. Sed tentatus eius animus, cùm neque promiſſis, neque terroribus cederet, neque altercationibus cum Hæreticis ſæpius habitis vinci poſſet, neque tormentis dilaniatus, ſe de propoſito Catholicæ Religionis colendæ deduci pateretur, tanquã perduellionis reus ad ſupplicium damnatus eſt. Itaque raptatus, ſuſpenſus, ſemiuiuus de furca deiectus, corde ſpiranti adhuc euulſo, pudendis abſciſſis, in ignem viſceribus coniectis, atque combuſtis, pius ab impijs, ſanctiſſimus vir à à nefarijs Reginæ Eliſabethæ Conſiliarijs, in patriã ſuà, vniuerſo ſpectante populo, bonis gementibus, hæreticis gaudentibus, & conſtantiam eius admirantibus, pro Catholica Religione, & Summi Pontificis ſuprema poteſtate, immaniſſimè mactatus eſt anno ſalutis 1581. Calendis Decembris. Martyrium Campiani Gallicè deſcriptum, itemque latinè à Guilhelmo Eſtio BatauoSacræ Theologiæ in Academia Duacenſi Doctore Regio, nouiſſimè verò à Paulo Bombino fuſiùs deductum circumferuntur. Sed ex multis clarorum virorum de vita, & morte Campiani elogijs libet vnum hic attexere, quòd refert Noſter Daniel Bartolus in ſuà Hiſtoria de Anglia, nempe Teſtimonium D. Bernardini de Mendoza Legati, tunc temporis Regis Hiſpaniarum apud Reginam Angliæ, qui litteris datis Londino die 4. Decembris 1581. ideſt triduo poſt mortem Campiani, ad ſororem ſuam D. Annam in Hiſpania, non dubitauit loquendo de eius morte in hæc verba ſcribere. *Quot quot hic ſunt, & ego in particulari fidem facere poſſum, attento modo, quo paſſus eſt Campianus illum adnumerandum eſſe illuſtrioribus martyribus in Eccleſia Dei, & pro tali poteſt illum habere ſua Religio &c.* Scripſit Edmundus elegantiſſimos.

Commentarios de Inſula Hibernia, quos ſuis Chronicis Anglicis, poſtea inſeruit Raphael Holenſedus Londini 1586. in folio.

Chronologiam Vniuerſalem lib. 1. quam Gregorius Martinus carmine laudat

Tragædiam Nectar, & Ambroſiam; ſeu vt eam appellat Paulus Bombinus in vita Cãpiani cap. 2. *Ambroſianam* actam coram Imperatore. Laudatam ab eodem Martino

Orationem funebrem, qua Pragæ Mariam Cardonam Requeſeniam, Mariæ Auguſtæ cubiculo Præfectam, latinè laudauit

Orationum & Epiſtolarum lib. 1. &

De Imitatione Rhetorices lib. 1. Pariſijs 1618. in 12. Mediolani 1625. *In his etiã De M. Tullij imitatione venuſtè*, differit

Proteſtationem, qua Reginam Angliæ Eliſabetham, eiuſque Conſiliarios metu, ac ſuſpicionibus de ſe liberat, & Hæreſi bellum indicit: cui ſuccenturiauit denique aureum libellum, cui titulus eſt

Rationes decem oblati certaminis in cauſa fidei redditæ Academicis Angliæ, impreſſum primùm in Anglia clandeſtinis typis, mox Ingolſtadij, Herbipoli, Antuerpiæ; alibi. In hoc perexiguo libello, vix eredi poteſt quàm multa fidei dogmata pauciſſimis verbis perſtringat, quantà eloquentia, ingenij vi, & perſpicacia, quanto rerum coaceruatarum numero, & pondere obruat Aduerſarios

Scripta Campiani collecta in vnum edidit Robertus Turnerus primùm Ingolſtadij apud Vvillerum 1602. recentiùs verò cum auctario, Silueſter Petraſancta Noſter Antuerpiæ typis Plantinianis Moreti 1631. in 12.

Præter hæc autem edita eſt a Ricchardo Gibbono, eiuſdem Campiani

Narratio diuortij Henrici VIII. Regis Angliæ ab vxore, & ab Eccleſia

Item ab Henrico Caniſio to. 1. antiq. lect. à Paulo Bombino cap. 8. vitæ ipſius

Epiſtola vehemens ad Richardum Chenaum Pſeudo-Epiſcopum Glocestrenſem. Denique à Dauide Gregorio Cornero in promptuario Catholicæ deuotionis

Carmen quo Litanias de Beata Virgine breuiter, & pie complexus eſt, cuius meminit etiam Antonius Balinghem in Calendario Beatæ Virginis die 1. Decembris. Hoc quia idoneum eſt fouendæ in Deiparam pietati, nec paſsim obuium hic adſcribam

San-

Sancta Dei Genitrix Virgo Maria Sacra.
O rube quæ medio ſoſpes in igne fuit.
Turris Dauidicæ gloria: Mentis apex.
Vellera Gedeonis, flumina dulcis aquæ.
Fons occluſe: Domus aurea: Porta Sion.
Lectule pro Thalamis, & Salomonis Ebur.
Hortule. Flos campi, lilia, Stella maris.
Pulchra carens næuo, Sponſa Columba Dei.
Sol electe: nitens Luna: ruina ſtygis.
Palma Triumphalis. Pacis oliua. Scala.
Fuſa procul Platanus: Deliciumque Roſæ.
Virtutis Speculum, perpetuaque Cedre.

Ora pro nobis.

EDMVNDVS HAIVS natione Scotus, Balliui Errolliæ filius. Is Nicolao Gaudano à Summo Pontifice Pio IV. ad Mariam Scotiæ Reginam miſſo, contemptis periculis Dux itineris in Scotiam fuit anno ſalutis 1562, Vndè regreſſus Romam ad Tirocinium Societatis noſtræ conceſſit, quo vix abſoluto Collegij Noſtri Claromontani Pariſijs, & ſubinde Muſſipontanæ Academiæ primus Rector fuit. A Prouincia Franciæ electus eſt, vt adiret Romam ad primam Congregationem Procuratorum anno 1568, & poſtea illam Prouinciam gubernauit, & tamquam illius Prouincialis Congregationi Generali III. anno ſuperioris ſæculi 72. interfuit, Demum Aſſiſtentis munere apud P. Claudium Aquauiuam Prępoſitum Generalem poſt Paulum Hoffæum pro Germania, & Gallia functus eſt, atque in eo munere deceſſit è vita Romæ die 4. Nouembris anno 1591. Vir valdè Religioſus, prudens, atque eruditus. Dum eſſet Rector Collegij Pariſienſis, deſtinatus eſt à Pio V. Pontifici Maximo in Scotiam, vnà cum Nuntio Apoſtolico Epiſcopo Montis Regalis ad Mariam Reginam, & ſubſiſtente dein Nuntio Pariſijs ſuaſu Reginæ ad præſtolandum tantiſper tranquilliorem in Scotia tempeſtiuitatem penetrauit eo Edmundus, & exiguo illo ſpatio, quo ibi licuit morari, aliquos ad Eccleſiæ Catholicæ gremium reduxit, alios ad bonam frugem reuocauit, & magna in Regno exempla ſuæ modeſtiæ reliquit, in contemnendis honoribus, quos amici & propinqui vltro illi offerebant. Demùm maximas eluctatus ibi difficultates cùm cogeretur reuerti in Galliam, tam Nuntio Apoſtolico, quàm ipſi Pontifici probauit plurimùm ſuam, & operam, & prudentiam; & in adeundis periculis animi magnitudinem. Hæc de illo Sacchinus in Hiſtoria Soc. Par. 3. lib. 2. & 3. Scripſit contra Hæreticos maximè Caluiniſtas librum, cui titulum fecit

Contrarietates Caluini.

* EDMVNDVS NEVILLVS natione Anglus, patria Lancaſtrenſis, Nobilis Chriſti in vinculis Confeſſor. Hic cùm ex Collegio Anglicano Romæ, in quo Philoſophiæ ſpatia fuerat emenſus, Deo ſe in Societate conſecrare cuperet, nec poſſet eam ingredi ſine licentia Sac. Congregationis de Propaganda Fide, propter iuramentum, quod tunc præſtabant Collegiorum Pontificiorum alumni, iuſſu eiuſdem Sac. Congregationis ſequeſtrò depoſitus eſt ad tempus, apud alterius Ordinis Religioſos ad probandam magis vocationis firmitudinem. Eâ dein abundè explorata cum facultate eiuſdem Sac. Congregationis Romæ in Monte Quirinali rudimentum vitæ religioſæ poſuit, anno ſalutis 1626. ætatis ſuæ 21. & votorum quatuor profeſſionem poſtea emiſit. Docuit annos aliquot diſciplinas humaniores, ſubinde in vineam Anglicanam miſſus, operarium ibi magno zelo, ac fructu diù egit, ob ſuauiſſimos mores, virtutem, atque doctrinam vbique amabilis. Sed cùm ciuili bello arderet Anglia, ſuſpectus de Sacerdotio, captus eſt à militibus Cromvvelli Rebellium Coryphæi, & impoſitus naui, in ea tamquam in cuſtodia per aſperrimam hyemem detentus eſt, coactuſque perpeti, & vincula, & famem, & ſitim, & frigus, præter inſolentiſſimorum militum irriſiones, ludibria, & ſannas; Tandemque inde tranſmiſſus Londinum ad Tribunalia Iudicum; cùm nihil de Sacerdotio legitimè probari poſſet, liber quidem è cuſtodia dimiſſus eſt, ſed paulò pòſt oppreſſus morbo, quem contraxerat ex tot incommodis in fundo nauis tandiù inuictâ patientiâ cum ſtupore militum toleratis, ex carcere huius vitæ ad libertatem filiorum Dei euolauit Londini anno Domini 1648. Scripſit Anglicè tacito ſuo nomine

Palmam Chriſtianæ fortitudinis, ſeu Glorioſa Certamina Chriſtianorum in Iaponia ex Annuis Societatis Impreſſam 1630 in 8. ſcripſit etiam

Vitam S. Auguſtini Doctoris Eccleſiæ. Sed hactenus non eſt edita

EDVARDVS BVRTONVS natione Anglus, patria Londinenſis pius, & ſedulus Societatis operarius. Peractis ſtudijs partim in Collegio Anglorum Romæ; partim Valliſoleti in Hiſpania, ingreſſus eſt Societatem Louanij anno 1609. ætatis 25. & poſt varia miniſteria accuratè geſta, mortuus eſt in Vinea Anglicana circa annum 1624. Tranſtulit ex Gallico in Anglicum ſermonem

Profligationem Henchæi Miniſtri Caluiniſtici factam per Franciſcum Veronium coram Excellentiſſimo Duce de Logauilla Duaci 1616.

EDVARDVS COFFINVS, natione Anglus, patria Exonienſis. Vir pius, & eruditus,

ditus, & antiquæ ſimplicitatis, educatus Romæ in Collegio Anglicano ab anno 1588. Societatem ingreſſus in Anglia anno 1598. ætatis 28. vbi captus, & in vincula coniectus, ab Hæreticis, anno demùm 1603. pulſus eſt in exilium. Ergo ad communem populorum patriam, Romam euocatus, ad 20. prope annos Confeſſarij munus in Anglicano Collegio ſuſtinuit, & vota quatuor profeſſus eſt. Tandem cum reuerteretur in Angliam ætate iam grauior, Audomari vita functus eſt die 17. Aprilis 1626. Scripſit Anglicè

Præfationem confutatoriam præfixam libro poſthumo Roberti Perſonij contra Guilhelmum Barloum Pſeudo-epiſcopum Lincolnienſem ſub litteris C. E. Audomari 1619. in 8.

De Cælibatu Sacerdotum, contra Ioſephum Hallum Pſeudo-Decanum Vvigornienſem in Anglia Audomari 1619. in 8.

De Morte Cardinalis Bellarmini. Audomari ſub iiſdem litteris C. E. 1623. in 8. Tranſtulit etiam ex latino in Anglicum

Roberti Cardinalis Bellarmini librum de Arte bene moriendi adſcriptis litteris C.E. Audomari 1622. in 8. Item

Marci Antonij de Dominis Archiepiſcopi Spalatrenſis Palinodiam, qua reditus ſui ex Anglia rationes explicat. Audomari 1623. in 8.

* EDVARDVS COVRTNÆVS, natione Anglus, patria Suſſexienſis, Romæ emenſo Philoſophiæ curriculo in Collegio Anglorum, Societatem ibi amplexus eſt anno ſalutis 1621. ætatis 20. & quatuor in ea vota nuncupauit. Docuit humaniores litteras Anconæ, & Romæ; Philoſophiam, & Controuerſias de Fide Leodij. Gubernauit Collegia Anglorum Audomari, Leodij, Romæ, & Prouinciæ Anglicanę habenas tenuit. Interfuit Cógregationi Generali X. vt Elector, & XI. vt Prouincialis. Poſtea rexit ſecundò Collegium Anglicanum Romæ; nunc dum hæc ſcribimus anno 1674. reuerſus in vineam Anglicanam, nauiter pergit illam colere. Edidit in lucem latinè tacito ſuo nomine

Mortem R. P. Petri Vvriti Societatis IESV ob fidem, Londini obitam Antuerpiæ 1651. in 12. Item

Manipulum Regium Heroidum Britanniæ oblatum Reginæ Sueciæ. Romæ typis Ignatij de Lazaris 1656. in folio

EDVARDVS DAVSONVS, natione Anglus, patria Londinenſis, poſt confecta ſtudia, in Societatem in Hiſpania admiſſus eſt anno 1606. ætatis 30. multis annis in Anglia laborauit; & carceres ob Fidei confeſſionem ſuſtinuit. Demum Gandaui contracta, dum ſe impendit militibus ægris, lue caſtrenſi, cùm Louanium tenderet, piè obijt Bruxellis die 22. Decembris anno 1622. Ob opinionem doctrinæ, concionandi facultatem, & morum comitatem, illuſtribus viris peracceptus. Scripſit Anglicè

Practicam meditandi methodum, Audomari 1614. in 12.

Tranſtulit ex Hiſpanico Petri Ribadeneiræ in Anglicum,

Vitas multorum Sanctorum. Duaci 1615.

* EDVARDVS HARVÆVS, ALIAS MICO, natione Anglus, patria Eſſexienſis, natus anno ſæculi fluentis 30. vicennis Deo in Societate ſe ſacrauit anno 1650. & ſolemni votorum quatuor ſacramento ſe adſtrinxit. Docuit litteras Humaniores, & multis annis Operarius vineam Anglicanam ſtrenuè excoluit. Modò laborum, & curarum Socius eſt Præpoſito Prouinciali. Edidit idiomate Anglicano partim compoſitam à ſe, partim traductam ex Latino

Ephemeridem piarum Meditationum in ſingulos anni dies. Londini 1669. in 8. ſecundis typis

EDVARDVS KNOTTVS, vero nomine MATTHIAS VVILSONVS, natione Anglus, patria Northumber. Vir eximiæ doctrinæ, & aptiſſimę ad gubernandum manſuetudinis. Diu Romæ in Collegio Anglorum Iuuentutem illam educauit; deinde Anglicanæ Prouinciæ noſtræ extra Angliam egit Viceprouincialem, poſtea totius Prouinciæ bis Præpoſitum. In comitijs Generalibus Societatis Romæ anno 1646. quibus vt Prouincialis interfuit, electus fuit in vnum ex Definitoribus; vir magnis animi dotibus humili in corpore præditus. Ingreſſus fuerat in Societatem poſt abſoluta ſtudia Theologica Romæ anno ſalutis 1606. ætatis 26. & iam Sacerdotio initiatus; & primos feruores Tironum ad ſenectutem vſque retinuit. Religioſæ diſciplinæ vel in minimis cuſtos in ſe ipſo accuratus, & in alijs, quibus præerat, exactor ſedulus. Demum annis grauis, & maturus cœlo Londini dum Prouinciam ſecundò adminiſtraret migrauit ad prę̨mia laborum, die 14. Ianuarij 1656. Scripſit Anglicè librum inſignem aduerſus Doctorem hæreticum Potterum, qui arguerat Catholicos tamquam expertes Charitatis, docendo Proteſtantes non poſſe ſaluari in ſua Religione, & libro titulum fecit

Miſericordia, & veritas, ſeu Charitas propugnata à Catholicis. Duabus partibus Audomari 1634. in 4. Item alium ſub titulo

Chriſtianitas propugnata de eodem ferè argumento aduerſus replicam cuiuſdam Hæretici Chillinguuorthij, & Socinianiſmum Ibidem 1638. in 4. Item

Directionem prauiam ad eundem Chillinguuorthium Londini 1636. in 8.

Infidelitatem detectam aduerſus librum eiuſdem, quo docuerat, Religionem Proteſtatium eſſe ſecuram viam ad ſalutem. Gandaui 1652. in 4. Scripſit præterea ſed typis non vulgauit

Monita vtiliſſima pro Patribus Miſſionis Anglicanæ.

EDVARDVS SANDIVS, ſeu DE SANDE,

DE, natione Luſitanus, patria ex oppido Guimaraés Diœceſeos Bracharenſis, à puero propemodum in Profeſſorum Domo S. Rochi Vlyſſipone ad noſtros aggregatus eſt, anno ſalutis 1562. menſe Iunio, & ad ſenectutem vſquè magnum ingenium, & præclaras animi dotes in Doctoris, Concionatoris, & Superioris officijs continuò exercuit magna ſemper omnium tam domeſticorum quàm cæterorum comprobatione. Oratoriam facultatem in Collegio Conimbricenſi feliciter docuit, ac multis magniſquè pro Chriſto in Luſitania ſuſceptis laboribus, in Orientis ſolis Indiam anno Chriſti 1578. nauigauit. Ibi Collegium Bazainenſe rexit, tum Sinicæ Miſſionis Superior, ac ſimul etiam Macaënſis Collegij Rector ab Alexandro Valignano Viſitatore conſtitutus, in Regni non ſemel interiora penetrauit; & quo tenebatur zelo Fidei Chriſtianæ propagandæ, multos Gentilium ad veritatem conuertit. Verùm cum ætas iam illi in ſenectam inclinaret, & in magna temporum varietate Collegium illud per plures annos adminiſtraſſet, onere leuatus biennio ſuperfuit, donec ibidem tandem vitam ſanctiſſimè actam ſanctiſſima quoque morte concluſit anno 1600. Scripſit

Epiſtolam ad Præpoſitum Generalem Societatis IESV, De Sinis. Datam Macai anno 1588. Item edidit anno 1589. in 4.

Itinerarium quatuor Iaponienſium Principum, qui fidei noſtræ Sacramentis imbuti, magno Chriſtianæ Religionis colendę deſiderio incenſi, è Iaponia ſoluentes anno ſalutis 1584. in Luſitaniam appulerunt, & per Hiſpaniam, Romam profecti Chriſtianorum Regum Iaponienſium nomine Gregorio XIII. Pontifici Maximo obedientiam obtulerunt, à quo benigniſſimè accepti, & liberaliſſimè remunerati ſunt. Inde Italia obita in patriam renauigantes nouo miraculo incolumes omnes peruenerunt; magna ſuorum Ciuium admiratione, Chriſtianorum gaudio, & Chriſti gloriæ amplificatione, & tandem omnium rerum, quas viderant cognita, atque reiecta vanitate, quatuor Iaponienſes Principes feliciſſimè ſua legatione perfuncti, noſtram Societatem in patria ſua ingreſſi ſunt, quam etiam vnus illorum multò poſt tempore ſub Xoguno Imperatore inclyto Martyrio decorauit, Iulianus Nacaura. In ſuo autem Itinerario Eduardus regiones, ac Prouincias recenſet quas peragrarunt, nationum mores deſcribit, quas luſtrarunt, triumphos pingit, quibus per Italiam excepti, munera denique refert, quibus à magnis Principibus donati ſunt

EDVARDVS DE SYLVA, natione Luſitanus ſub initia naſcentis Societatis in eam cooptatus, gradum obtinuit Coadiutoris ad miniſteria domeſtica. Is anno ſalutis 1552. ab S. Franciſco Xauerio Goa deſtinatus in Iaponiam cum Balthaſare Gago, & Petro Alcaceua, quàm multas ſui præſertim aduentus initio difficultates, & incommoda pertulit? Quot imbecilli corpuſculi vexationes pœnitentiæ nomine ſubijt? Quanta verò induſtria, quanto ſtudio fuit Chriſtianæ Religionis amplificandæ? Itaque præter cæteras concionandi, catechizandi huc illucquè diſcurrendi labores, non Iaponicas modò, verum etiam Sinenſes, quæ multò difficiliores cognitu ſunt, didicerat litteras, artemquè Iaponicæ linguæ Grammaticam, & copioſa lexica, primus ipſe confecit. Demum anno 1564. dum in pago Regni Bungenſis percelebri (Cauaxirim appellant) incenſus rei Chriſtianæ ſtudio, immemor cibi, potiùſque ad euangelium dies, ac noctes prædicandum incumbit, grauem morbum ex ſummo labore contraxit. Iacuit diebus aliquot humanis omnibus remedijs, in magna diuinorum ſolatiorum copia deſtitutus; macieque pene extrema confectus; ſic prorſus, vt nonnulla, quæ ad inſtaurandas ægroti vires ſubmiſſus à ſocijs Bungenſibus Ludouicus Almeida attulerat, parum ei exhauſta iam prope naturali virtute prodeſſent. Et quoniam P. Coſmi Turriani viſendi antequam migraret è corpore magno deſiderio tenebatur, Tacaxim ad eum naui tranſuectus eſt: quem acceptum amantiſſimè, officioſiſſimèque tractatum Coſmus fruſtra ſanare conatus eſt. Decem ſuperuixit dies, ſumpto bis corpore Domini, lætus abijt præclaro cùm virtutum aliarum, quæ in ipſo elucebant, tum verò Chriſtianæ humilitatis, & patientiæ documento relicto. Scripſit

Epiſtolam de rebus Iaponicis ad Societatem Ieſu Goam, datam Bungo 12. Cal. Octobris 1555. Extat inter Epiſtolas Iaponicas collectas à Maffeio, & Acoſta.

Grammaticam, & Lexicon linguæ Iaponicæ primus confecit.

* EDVARDVS VVORSLÆVS natione Anglus, patria Lancaſtrenſis, natus anno ſæculi præterlabentis tertio, Societati nomen dedit 1625. & votorum 4. profeſſionem emiſit. Philoſophiam profeſſus eſt Leodij in Collegio Anglicano, & poſtea Theologiam Scholaſticam annis octo. Explicuit etiam ibidem Sacram Scripturam, & Quæſtiones de Fide controuerſas, & Rector Collegium illud gubernauit. Nunc adiuuandis Anglis, & alijs Antuerpiæ in rebus ſpiritualibus, vtiliter ſe impendit. Scripſit contra Hæreticos huius temporis, ediditque Anglico idiomate librum inſcriptum.

Aperta veritas, quæ fraudes, & impoſturas detegit Ieremiæ Tayler Pſeudo-epiſcopi Dunenſis in Hibernia. Londini 1665. in 4. tacito ſuo, & Typographi nomine. Itèm

Proteſtantiſmũ vacillantem ſine principijs, contra duos Sectarios, euertendo principia Proteſtantium, circa infallibilitatem doctrinæ. Antuerpiæ apud Michaëlem Cnobbaert 1668. in 4. Item

Rationem, & Religionem, ſeu Religionem firmatam ratione, in quo infallibilitas Romanæ Eccleſia probatur contra ſectarios. Antuerpiæ apud Michaëlem Cnobbaert 1672. in 4.

EGOLPHVS ALTHEER natione Germanus natus in oppido S. Galli in Heluetia anno ſalutis 1563. Societati ſe adſcripſit 1584. & in ea gradum ſpiritualis Coadiutoris obtinuit. Sexennium docuit humaniores litteras; gubernauit Collegium Halenſe, & Reſidentias annis 11. Conſcientias Virginum, quæ in Parthenone Regio Halæ degunt direxit annis 32. Noſtrorum vero annis 27. & hæc tam eximia laude, vt nulla earum virtutum, quæ ad ea officia requiruntur caruiſſe videretur. Prudentia fuit ſingulari; Animarum zelo feruens, ſæpe per ardua montium eluctabatur ad eos, qui ſpiritualis operæ indigebant. Totis diebus, ac noctibus aſſiſtebat ægris; percurrebat indefeſſus vrbem, pœnitentibus ſeptem, octoue horis ſine intermiſſione aures dabat; eorum peccata ſui corporis ſupplicio luebat. Canonicas preces nonniſi de genu, apertoque capite, quamuis ſeptuagenario maior perſoluere eſt viſus. Deiparam quotidiano Roſario, Sabbatinoque ieiunio in ſupremam ætatem coluit. Corpus ſuum duriter habuit, ferreis quotidie flagellis ad officium excitans. Abſtulit tandem virum mors diu ab ipſo optata Halæ cum Rector eſſet die 13. Maij 1639. Edidit Germanicè tacito ſuo nomine

Vitam Sereniſſimæ Reginæ Magdalenæ Auſtriacæ filiæ Ferdinandi I. Imperatoris, Inſtitutricis ſacri Parthenonis Halæ ad Oenum. Cui adiunxit

Vitas Sereniſſimarum Reginarum ſororum ipſius, Helenæ, & Margaretæ, & obiter nonnulla de Sereniſſimis Archiducibus Maria Chriſtierna, & Eleonora filiabus Sereniſſimi Caroli Archiducis, Sororibus Ferdinandi II. Imperatoris, quæ in eo Parthenone religiosè vixerunt; Oeniponti 1625 in 12.

* ELIAS DOVVNAROVICZ natione Ruthenus in Ducatu Vitepcenſi Albæ Ruſſiæ nobili loco natus, Chriſto ſe in Societate ſua dicauit anno ſalutis 1642. ætatis ſuæ 18. & votorum 4. nuncupatione ſe obſtrinxit. Theologiæ ſtudio operam nauauit Romæ. Docuit Poëſim, Rhetoricam, & quadriennio Philoſophiam, quinquennio Theologiam Scholaſticam; aliquamdiu Moralem, Concionatoris talento excelluit, & in ſuggeſtu alterum quaſi Eliam ſe probauit, itaut ab eius ore pependerint Auditores non tantum Catholici, ſed etiam Schiſmatici, & Hæretici. Et quamuis debilibus eſſet viribus, nunquam tamen ab officio concionandi deſiſtere voluit, dicendo ſe libenter eo in munere tanquam victimam procubiturum. Fuit parciſſimi cibi, & in corporis infirmitatibus, quibus ſæpe conflictabatur, auditus eſt identidem ingemiſcere: *Amore tui Deus, aut pati, aut mori.* Societatem tenerè amauit, eamque patrimonij ſui non contemnendi, ante profeſſionem ex aſſe hæredem inſtituit. Correptus ſupremo morbo per Sacramenta ad meliorem vitam ſe diſpoſuit, feliciterque animam Creatori reddidit Vilnæ die 7. Nouembris 1669. Scripſit ſub nomine diſcipuli.

Tractatum Theologicum de virtutibus moralibus inſcriptum.

Homo Politicus Brunsbergæ typis Henrici Schult 1664. in folio.

ELIAS GRAFF natione Germanus, patria Monacenſis in Bauaria Societatem anno ſalutis 1591. ætatis ſuæ 16. ingreſſus in ea ad profeſſionem trium votorum anno 1613. admotus eſt. Concionator fuit annis aliquot, Superior in varijs Reſidentijs, & Regens in Dilingano Conuictorum Collegio. Profugus ob incurſionem Suecorum in eas Germaniæ partes, Salisburgum ſe recepit, vbi propemodum ſexagenarius per octobrem anni 1632. in Domino obdormiuit. Scripſit aduerſus Georgium Zeæmannum Prædicantem Campidunenſem Hæreticum, aliquot opuſcula Germanicè, quibus hi ſunt tituli

Georgius Zeæmannus fera mirabilis. Dilingæ 1626.

Inurbana Valedictio Georgij Zeæmanni. Ingolſtadij 1627. in 4.

Echo Campanæ Zeæmannicæ, hoc eſt breuis demonſtratio Paradoxorum, Falſitatum, Calumniarum, quæ in Georgij Zeæmanni libro, Campana precatoria, dicto continentur. Dilingæ 1628. in 4. Item ſcripſit

Speculum Militum, & tranſtulit in Germanicum.

Opuſcula quædam S. Franciſci Borgiæ.

ELZEARIVS D'ORAISON natione Gallus, Prouincialis, Primogenitus Comitis Borbonij ex Illuſtriſſima Oraiſoniorum proſapia obitu tamen ſuo, quam ortu clarior. Societatem amplexus anno ſalutis 1621. ætatis 33. Vitâ pro peſte laborantibus Aquenſibus poſuit, anno 1629. menſe Decembris glorioſa victima Charitatis. De eo refert noſter Paulus de Barry, in libro de Praxi Virtutum, ſeu occupationibus Philagiæ, quòd ſemper veſtitus dormiuerit; nec vnquam compoſuerit ſe ad ſomnum quin priùs acriter ſe flagellaret; addictus auſteritati, & caſtigationi corporis pluſquam facile ſuſpicarentur alij, exceptis ſuis Superioribus, & Patribus ſpiritualibus, quibus plenè innotuit. Præterea, horrorem tam grandem habuiſſe peccati, vt poſt obitum glorioſum in obſequijs peſte affectorum, repertum fuerit in ipſius aduerſarijs. *Ego malo ire ad Infernum, quàm offendere Deum, vel venialiter, & maximè in genere ſenſualitatis,* adeo caſtitatis erat amans, & Dei reuerens. Vertit in Gallicum ſermonem.

Librum de altera vita Martini de Roa

Duos item alios libros à ſe translatos edidit.

EMMANVEL ACOSTA natione Luſitanus patria Vlyſſiponenſis natus annos 18. Societati ſe applicuit anno Domini 1559. & votorum 4. profeſſionem emiſit. Poſt traditas, triennio humaniores litteras, Theologiam moralem docuit biennio. Rexit Collegium Bracharenſe; fuit Viſitator Inſulæ Tertiariæ, Concionator, & Confeſſarius plurimis annis. Septuagenario maior quieuit in Domino Vlyſſipone die 25. Februarij 1604. Scripſit Luſitanice

Rerum à Societate Ieſu in Oriente geſtarum volumen, ſeu Hiſtoriam vſque ad annum 1568. Vltra priores editiones locupletatam Dilingæ 1571. & Coloniæ 1574. in 8. Commentarium hunc, in Latinum ſermonem conuertit Io: Petrus Maffeius noſter, Pariſijs apud Michaëlem Sonnium 1572. in 8. In Hiſpanicum Ioannes Iniguez de Lequerica conuertit. Acceſſerunt

Epiſtolarum de rebus Indicis lib. 1. Item

De rebus Iaponicis. lib.5.

EMMANVEL ALMEIDA natione Luſitanus, patria Viſenſis in Societatem ſe adſcripſit anno ſalutis 1595. ætatis ſuæ 15. obiectas ſibi à Parentibus difficultates generosè eluctatus; Indicam miſſionem magno ardore cum ſæpiùs flagitaſſet, miſſus tandem eò eſt anno 1602. & Goæ humaniores litteras, & Philoſophiam profeſſus eſt; Sacram etiam Scripturam explicuit, & vota 4. ſolemnia nuncupauit. Magiſter ſubinde Tironum fuit, tum ſuperior Miſſionis perdifficilis in Inſula S.Laurentij; poſtea Rector Collegij Bazainenſis; deinde Viſitator renuntiatus Æthiopiæ eò ſe contulit, anno 1624. accuratiſſimè Noſtros omnes ibidem viſitauit, & decennium in procuranda Æthiopum ſalute poſuit. Inde eiectus ab Imperatore ſchiſmatico vnà cum Patriarcha Alphonſo Mendez, & alijs, per mille incommoda Indiam repetijt, vbi primò Goani Collegij clauum iuſſus eſt capeſſere, tum totius illius Prouinciæ, & demum Viſitatoris munus quoque ſubire. Ab Inquiſitore Generali ibidem adlectus eſt in Aſſeſſorem, atque eo in munere tale doctrinæ, & prudentiæ ſuæ ſpecimen dedit, vt Inquiſitoribus omnibus ſummè ſatisfecerit. Deſignatus etiam fuerat iterum Viſitator a Præpoſito Generali, & quidem vtriuſque Prouinciæ Indicæ, ſed litterarum aduentum mors anteuertit, & virum palmarum multarum vltimis Sacramentis ritè procuratum, inter feruentiſſimos actus virtutum, & colloquia cum Deo tranſmiſit ad laborum præmia, Goæ die 10. Martij 1646. horà, vt creditur ipſi cælitus reuelatà. De eximijs virtutibus huius viri multa refert teſtis oculatus Patriarcha ſupra memoratus, qui fuit illius in Tirocinio commilito, in ſtudijs Collega, Socium habuit laborum in Æthiopia, & demum clauſit illi oculos morienti in India. Affirmat hic lib.4. ſuæ Hiſt. Æthiopicæ m. ſ. cap.20. fuiſſe P.Emmanuelem perfectæ ſanctitatis (verba illius ſunt) ſpeculum, & exemplar; orationi ita deditum, vt teſtarentur pueri domeſtici, qui illi miniſtrabant in Æthiopia, nunquam ſe in cubiculum ipſius ingreſſos, quin flexis genibus precantem, aut in tegete ſedentem repererint. In cibo, & potu continentiſſimus fuit, adeo vt tota ipſius vita ieiunium continuum dici poſſit, quia præparce prandebat, veſpere autem, vel nihil, vel ad ſummum duas ficus Indicas ſumebat. Sanctæ paupertatis rarum fuit, non ſolùm in paupere Æthiopia, ſed & in India exemplum. Viliſſimus omnium galerus, calcei centonibus deformes, attritæ atque aſſutæ pannis veſtes ipſius erant. Nunquam pretioſa munera admittebat, ſed ſi quæ aliunde mittebantur, ſtatim in alios transferebat. Atque hæc pauca ex multis, quæ idem Patriarca commemorat, delibaſſe ſufficiat. Labores eius, & laudes celebrat Georgius Cardoſus in Hagiologio Luſitano ad diem 10. Maij. Scripſit religioſiſſimus Pater Luſitanicè

Litteras annuas ex Aethiopia anni 1626. impreſſas Italicè Romæ apud Hæredes Bartholomæi Zannetti 1629. in 12. Præterea

Hiſtoriam Generalem de Aethiopia alta, ſeu Presbytero Ioanne, quam recognouit, contraxit, & edidit noſter Balthazar Tellez Conimbricæ ex officina Emmanuelis Dias 1660. in folio.

EMMANVEL ALVAREZ natione Luſitanus, patria ex Inſula Madera, ſeu Materia, pridie nonas Iunij anno ſalutis 1546. ætatis 20. in noſtrorum numerum adſcriptus eſt; qui cùm eximia vitæ integritate, prudentiaque præſtaret, Rectoris Collegiorum Conimbricenſis, Eborenſis, Olyſſiponenſis, Præpoſiti etiam Domus Profeſſæ S. Rochi munere functus eſt, votis 4. ſolemnibus illigatus ab anno 1560. ſed cùm non minùs tum cæteris omnibus, tum verò humanioribus potiſſimùm litteris excelleret (qua erat humilitate, caritateque præditus) in formanda ad pietatem Iuuentute, & ad Latinam, Græcam, atque Hebraicam linguam inſtituenda, expoliendaque plurimos annos impendit. Demum bonorum operum plenus in Collegio Eborenſi vitam cum morte commutauit die 30. Decembris anno ſalutis 1582. Scripſit

Libros de Arte Grammatica, valdè præclaros, qui doctis viris mirificè probantur, & quos noſter Antonius Velleſius Luſitanus & ipſe, commentario illuſtrauit. Eboræ 1599. in 4. Quanti porro libros hos fecerint Gaſpar Scioppius, & Gerardus Ioannes Voſſius viri Litteraturæ humanioris admodum periti, & quibus in locis editi fuerint hi libri, vide (ſi lubet) in Bibliotheca Hiſpana Clariſſimi Viri Nicolai Antonij.

EMMANVEL BARRETVS natione Luſitanus patria ex oppido Feira diœceſeos Portuenſis, admiſſus in Societatem anno Domini 1579. ætatis 15. abſolutis ſtudijs miſſus eſt in Iaponiam, vbi ſtrenuum multis annis

Operarium egit, ſpiritualis Coadiutor formatus, & ſocius aliquamdiu fuit Epiſcopi Iaponenſis, linguæ Iaponicæ apprimè peritus. Religioſè demum obijt Nangaſachi anno 1620. Laudes illius refert Georgius Cardoſus in ſuo Apologio ad 11. Maij. Collegit, & edidit Latine

Floſculos de virtutibus, & vitijs, ex veteris, ac noui Teſtamenti, & Sanctorum Doctorum, & Philoſophorum Floribus ſelectos ordine Alphabetico Nangaſachi typis Collegij Iaponici Societatis 1610. in 4.

EMMANVEL CORDEIRVS natione Luſitanus, patria Auratenſis diœceſeos Egitanenſis, cooptatus in Societatem anno ſalutis 1600. ætatis ſuæ 15. profeſſionem edidit votorum quatuor. Poſt traditas litteras humaniores, Theologiam moralem docuit quinquennio. Miſſionarium egit in Africa ad Arcem Magazanicam ditionis Luſitanæ; Pœnitentiarium Apoſtolicum in Baſilica S. Petri Romæ ad ſeptennium; & ſacræ Inquiſitioni in Luſitania fuit à Cenſuris. Demum religioſo fine quieuit Vlyſſipone die 9. Maij 1649. Edidit

De obligationibus Clericorum ſæcularium, & Regularium. De Perfecto Parocho, Clericoque beneficiato, eorumque priuilegijs, ac pœnis. Vlyſſipone apud Laurentium de Anueres 1646.

EMMANVEL DIAZ, Tres omnino hoc nomine viros inſignes, natione Luſitanos eodem fere tempore extitiſſe in India Orientali (quamuis nonnulli duos dumtaxat agnoſcant) certiſſimè conſtat ex Catalogis Luſitaniæ, & Indiæ, qui Romæ in Tablino generali Societatis aſſeruantur. Horum Primus (qui & ſenior appellatus eſt) natus eſt in oppido Aſpalham diœceſis Portalegrenſis, & ingreſſus Societatem anno ſalutis 1576. ætatis ſuæ 17. ad Indos nauigauit 1585. & Goæ profeſſionem emiſit quatuor votorum 1595. Præfuit Reſidentijs Tanaënſi, & Chaulenſi in illa Prouincia, & ſocius Alexandri Valignani Viſitatoris triennio fuit. Poſtea translatus ad Prouinciam Iaponiæ, bis rexit in ea Collegium Macaenſe, & multis annis intra Sinas Reſidentiam Nanchinenſem. Bis etiam viſitauit totam Miſſionem Sinenſem, Vir præclarus, & omnibus ad gubernandum dotibus inſtructus, ſolitus quò difficiliora incidiſſent tempora, eò magis in latitudine cordis Deo fretus ambulare. In extrema ætate renunciatus Viſitator tam Iaponiæ, quàm Sinarum, confectus ſenio ſpiritum Deo reddidit Macai die 10. Iulij 1639.

Secundus huius nominis, dictus Iunior reſpectu Prioris (quia multis annis ſimul in Sinis commorati ſunt) natale ſolum habuit oppidum Caſtelbranco diœceſis Egitanenſis, & Societati nomen dedit anno ſalutis 1592. ætatis 18. profectuſque in Indiam eſt 1601. & vota 4. Macai nuncupauit 1616. Ibidem Theologiam profeſſus eſt ſexennio, Reſidentias varias rexit decennio, Viſitator quoque Miſſionis Sinenſis, & bis Vice Prouincialis annis duodeuiginti fuit. Vir ſingulari manſuetudine, integritate, patientia, & affabilitate præditus, poſt quadraginta, & octo annos ea in Miſſione magno zelo, & fructu, & religioſæ vitæ exemplis multis poſt ſe relictis, ad laborum præmia emigrauit in Sinis die 4. Martij 1659.

Tertius huius nominis, & nepos primi ex eodem oppido Aſpalham Societati ſe aggregauit anno Domini 1608. ætatis 18. Philoſophicis diſciplinis iam tum imbutus. In ea Miſſionem Indicam cum poſtulaſſet eò tranſiuit 1614. & Prouinciæ Malabaricæ applicatus, in ea vota 4. emiſit; Philoſophiam, & Theologiam Cocini explicuit; rexit Collegium S. Thomæ, & aliquot annis Miſſiones obiuit; ſed quo anno naturæ conceſſerit non inuenio.

Primus ex his tribus creditur communiter ſcripſiſſe

Annuas litteras Sinenſes anni 1618. *datas Macai* 7. *Decembris* 1619. *& rurſum Annuas indidem* 1625.

Secundus aſſeritur à noſtro Martino Martinio Procoratore Sinenſi, in ſua breui Relatione de Sinis, edita Romæ anno 1654. (& quando adhuc in viuis erat ſecundus) impreſſiſſe egregium opus lingua Sinenſi.

Supra Euangelia totius anni, iamque tomos illius duodecim fuiſſe typis vulgatos, & reliquos ſecuturos, & hoc opus ab omnibus Chriſtianis maximè fuiſſe expetitum. Præterea eundem edidiſſe

Litanias SS. Angelorum quas ad pium Chriſtianorum vſum, in linguam vertit Sinicam. Eiuſdem etiam fuit

Volumen de modo Cathechizandi Gentiles, &

Tractatus de Sphæra, lingua Sinenſi.

Tertio huius nominis, qui Cocini vixit, & Cometam anni 1618. ibi obſeruare potuit, meritò attribuitur.

Tractatus contra eos, qui putant Cometas eſſe ſublunares, & Elementares.

EMMANVEL DE GOEZ natione Luſitanus, patria Portelenſis, diœceſeos Eborenſis, cùm eſſet annorum fere 12. amore ſcientiæ captus, inſcijs parentibus in vnam ex Academijs Hiſpaniæ ſe contulit, ibique quadriennio humanioribus litteris, ac Rhetoricę, & biennio Philoſophiæ egregiam nauauit operam, ac bona fruge domum reuerſus à Parentibus Eboram ad ſtudia proſequenda eſt miſſus, vbi Societati ſe aggregauit anno ſalutis 1560. ætatis 17. In ea iterum Rhetoricæ, & Philoſophiæ ſe totum dedit, tantoſque progreſſus fecit, vt per octennium litteras amœniores cum laude prælegerit, & Philoſophiam decennio, emiſſa profeſſione votorum 4. Fuit vir ingenio peracuto, & multa eruditione commendabilis, atque in ſubitis caſibus ob ſententiarum pondus,

dus,

dus, & acumen in dicendo, admirandus. Obijt Conimbricæ die 13. Februarij 1593. Scripſit

In libros Phyſicorum Ariſtotelis

In libros de Cælo, & Meteora, & Ethica, quæ viuens ediderat. Reliquit etiam perfectos commentarios.

In libros de Anima

De Generatione, & Corruptione, quæ poſt eius mortem edita ſunt, atque hæc eius opera *Curſus Conimbricenſis* nomine circumferuntur.

* EMANVEL LOBO natione Mexicanus, patria Guadianenſis annos 15. natus Societati ſe addixit anno ſæculi labentis 27. & votorum 4. profeſſionem emiſit. Rexit Collegium Guatimalenſe, & multis annis egit, agitque in rebus ſpiritualibus Operarium Hiſpanorum. Edidit Hiſpanicè.

Relationem de vita, & virtutibus venerabilis Fr. Petri de S. Ioſepho Betaneur Tertij Ordinis de Pœnitentia S. Franciſci. Guatimalæ per Ioſephum de Pineda 1667. Recuſam Hiſpali per Ioannem Franciſcum Blas 1673. in 12.

* EMMANVEL MARTINS natione Luſitanus, patria Aluitenſis in Diœceſi Eborenſi, homo Apoſtolicus, & alterum difficillimæ, ſed fructuoſiſſimæ Miſſionis Madurenſis in India Orientali poſt P. Robertum de Nobilibus columen. Societatem amplexus in Luſitania anno à partu Virginis 1614. ætatis 18. docuit in ea litteras humaniores, & cum ardenter poſtulaſſet Miſſionem Indicam eò nauigauit 1624. Malabaricæ Prouinciæ applicatus, Madurenſem vineam ſibi popoſcit colendam, & voti compos factus, vt faciliùs Gentiles attraheret ad Chriſtum, habitum aſſumpſit Saniaſiorum, hoc eſt, hominum, qui inter Ethnicos dicuntur conſecrati Deo, ſeu Magiſtri, ſuntque vitæ auſteriſſimæ ſectatores atque eo in Schemate ad mortem vſque triginta, & vnius annorum ſpatio conſtanter permanſit. Nunquam toto illo tempore comedit aut carnes; aut piſces; idque non ſolùm, vt ſe accomodaret ſtatutis Saniaſiorum, qui ex ſua regula ab ijs ſe abſtinent, ſed ex voto peculiari, quo de licentia Superiorum ſponte ſe adſtrinxit. Tota eius vita eo loci traducta, continuum quoddam corporis cruciamentum fuit. Toto die interdum exiguo milio toſto victitabat, & veſperi nihil aliud præter placentam ex milio ſumebat. Itinera faciebat pedes, & noctu humi ſæpiſſimè dormiebat, nec in vltima infirmitate (cui demum ſuccubuit) inueniri poterat ceruical inter quatuor ſocios illius Reſidentiæ, quod ægrotantis capiti ſubſterni poſſet. Toto illo tot annorum ſpatio, nunquam veſtes exuit ad nocturnam quietem, ſed eâ compoſitione amictus etiam noctu fuit, ac ſi foras proditurus eſſet; & in poſtremo morbo dum febri æſtuaret rogatus, vt tunicam ſuperiorem detrahi ſibi pateretur, abnuit, dicendo ſe ita à 30. annis aſſueuiſſe; nec veſtes depoſuiſſe, niſi forte eſſent mutandæ. Paupertas extrema ei in delicijs fuit. Apud morientem nihil inuentum niſi imaguncula Beatiſsimæ Virginis, cum cruce lignea, Breuiarium longo vſu attritum, igniarium ad lumen, vel ignem accendendum, & denique libri, quos compoſuerat linguis illarum regionum pro ſuis Neophytis. Hos tenerrimè amabat, fouebat, inſtruebat aſſiduè, & viciſſim ab ijs impenſiſſimè colebatur. Fuit raro contemplationis dono præditus, & coniunctionis cum Deo; nec defuerunt, qui teſtati ſunt ſe conſpexiſſe aliquando eum inter orandum, ſublimè à terra eleuatum. Flagris in ſe quotidie ſæuiebat. Affectiones omnes animi adeo perdomitas habuit, vt obſeruatus ſit ab ipſis Ethnicis cum admiratione, nunquam, aut vocem attollere, aut commotionis animi indicium vllum dare, quamuis non defuerint ſæpiſſimè occaſiones. Multa ſiquidem paſſus eſt Chriſti causâ ab infidelibus, Quater pro Fide, quod eam doceret, detruſus eſt in carcerem; bis adeò atrocem in modum vapulauit, vt ſanguis ei per varias corporis partes eruperit; quater etiam abductus in exilium, publico ludibrio populi eſt expoſitus, quæ omnia non ſolùm patienter, ſed & lætanti animo tolerauit. Linguas Indicas diuerſas tres, ſtudioſè condidicerat, ſcilicet Tamulicam Guirandanam, & Badaguenſem, vt pluribus prodeſſe poſſet, & ſuperior Noſtrorum in Reſidentia Madurenſi aliquot annis fuit, votorum quatuor profeſſione obligatus ab anno 1632. Demum maturus Cœlo, longa Apoſtolicæ vitæ ſerie, in febrim incidens, poſtquam toto triduo intentis ſemper in Crucifixum oculis, & expanſis brachijs in formam crucis iacuiſſet, compos ſui, atque integro iudicio, inter pia colloquia ſine vlla agonia, ſanctè efflauit animam in Ciuitate Tricierapollenſi, die 22. Auguſti anno 1656. vbi ante annos 16. pro Chriſti nomine fuerat contumelias paſſus, & fuſtibus cæſus, & ignominioſè pulſus. Atque hæc ex multis, quæ de eo refert noſter Hyacinthus de Magiſtris Procurator Malabaricæ in ſua narratione, quam typis vulgauit Romæ anno 1651. Scripſit vir Apoſtolicus linguâ Tamulicâ pro inſtructione Neophytorum, teſte eodem Hyacintho

Meditationes varias ad excitandam deuotionem valdè vtiles

Dialogum inter Chriſtianum, & Ethnicum perutilem

Tractatum de ineffabili myſterio Sanctiſſimæ Trinitatis

Faſciculum florum ſpiritualium.

Torquem ſpiritualium vnionum.

De contemptu Mundi.

Vitas Sanctarum varias.

Doctrinam Chriſtianam, tum Cardinalis Bellarmini, tum P. Marci Georgij.

Speculum exemplorum, atque hæc omnia

nia

nia perfecta ſunt.

Alia complura affecta reliquit, quibus deſuit ſuprema manus.

* EMMANVEL MASCARENHAS natione Luſitanus, patria Vlyſſiponenſis Marchionis Montalbani filius, Chriſto ſe in Societate dedicauit anno ſalutis 1658. ætatis ſuæ 14. & votorum quatuor nuncupatione ſe adſtrinxit. Poſt traditas humaniores diſciplinas, Theologiam moralem octennio profeſſus eſt. Vir ingenio peracuto, ſed infirma corporis valetudine, vnde à ſtudijs debuit abſtrahi. Fuit Rector Collegij Hibernorum Vlyſſipone; ſocius laborum, & curarum Præpoſiti Prouincialis, miniſterijs Societatis quoad licuit per vires corporis diligenter intentus; demum in Collegio Bracharenſi religioſo fine quieuit die 28. Nouembris 1654. Scripſit tractatum poſt mortem editum

De Sacramentis in genere, Baptiſmo, Confirmatione, Eucharistia, & Sacrificio Miſſæ. Lutetiæ Pariſiorum ſumptibus Sebaſtiani Cramoiſy 1656. in folio.

* EMMANVEL MONTEYRVS natione Luſitanus, patria Montfortenſis diœceſeos Eborenſis natus anno ſæculi proximè euoluti 99. Societatem amplexus eſt voluentis 17. poſtridie Calendas Februarij, & votorum quatuor profeſſionem edidit. Græcè & Hebraicè doctus, linguas illas ſeptennio profeſſus eſt; Rexit Collegium Angrenſe, Scalabitanum, Seminarium Hibernorum Vlyſſipone, Domum Profeſſam ibidem, & nunc dum hæc ſcribimus totam Prouinciam adminiſtrat. Edidit hactenùs Luſitanicè

Compendium Meditationum pro toto anno in duos tomos diſtributarum, quorum *Primus* impreſſus eſt Vlyſſipone ex officina Craesbeckiana 1649. in 8. *Secundus* ibidem 1650. in 8. Item

Zelum fidei, & Concordiam pietatis contra cæcitatem Paganorum. Vlyſſipone 1657. in 16. typis Anton. Craesbeeck.

Elogia SS. Ignatij, & Xauerij, & P. Ioſephi Anchietæ. Vlyſſipone 1659. & 1660. Habet præ manibus

Elogia virorum Illuſtrium Societatis per ſingulos anni dies digeſta, & alia.

* EMMANVEL DE NAXERA natione Hiſpanus, patria Toletanus, vicennis Societati nomen dedit anno ſalutis 1625. & vota quatuor nuncupauit. Eccleſiaſten magni nominis celebritate egit annos ampliùs 30. Sacras litteras interpretatus eſt Compluti, & in ſcholis Regijs Matriti Politicorum Lector fuit, & eſt Concionator Regius. Edidit hactenùs latinè

Commentarios litterales, & morales in Ioſue cum Appendice de Rahab, & Arca figurata B. Virgine Maria duobus Tomis. Lugduni ſumptibus Laurentij Aniſſon, & ſoc. 1647. in folio. *Secundus*. ibidem 1652. in folio. Præterea Antuerpiæ 1650. &c.

In Iudices Commentariorum litteralium, & moralium tom. 1. apud eundem Aniſſon 1656. in folio.

In Iudices Tom. II. & III. Lugduni apud Boiſſat & Remeus 1664. in folio.

In librol. Regum Tomos III. Lugduni apud Petrum Cheualier 1672. in folio. Hiſpanicè edidit

Conciones Quadrageſimales duobus Tomis. Matriti 1649. in 4. quas Italicè vertit Hieron. Bruſonus Venetijs 1655 in 4.

Conciones per Aduentum. Matriti Italicè reddidit idem Bruſonus Venetijs 1658. in 4.

Conciones Panegyricas de Chriſto Domino, Matriti 1649 in 4.

Conciones Panegyricas in feſtis B. Virginis. Ibidem 1648. in 4.

Conciones ſeu Diſcurſus de puriſſima Conceptione B. V. Ibidem 1663, in 4.

Panegyricas de varijs Sanctis Tom. II. Matriti 1648. in 4. & 1649. recuſas ibidem 1651, & 1654.

De Dominicis per annum. Ibidem 1657. in 4.

Conciones varias quinque Tomis. Matriti 1650. 1655. & 1658. in 4.

In Pſalmum Miſerere. Matriti 1652. in 4.

Funebres in exequijs. Matriti ex Typographia Regia 1666. in 4.

De Arte Fortunæ in præclaris facinoribus Dauidis. Matriti typis Matthæi Fernandez 1660. in 4.

* EMMANVEL ORTIGAS natione Hiſpanus, patria Cæſaraugustanus natus anno ſæculi currentis nono, Societati ſe addixit 1624. & votorum quatuor nuncupatione ſe obſtrinxit. Diſciplinas humaniores in ea profeſſus eſt triennio; Theologiam moralem quadriennio; Sacram Scripturam interpretatus eſt annis 13. quo tempore & poſtea miſſiones obiuit annis ampliùs 40. per Villas Regni, Cæſaraugustæ, Matriti, vbi iuſſu Cardinalis Archiepiſcopi Toletani per ſeptennium culturæ animarum vacauit, magno vbique animarum fructu, & Apoſtolici ſpiritus exemplo, ſuperſtes modò in Collegio Cæſaraugustano. Edidit Hiſpanicè

Aeternam flammam, ſiue de Pænis Inferni. Cæſaraugustæ typis Petri Vergas 1644.

Ducem Chriſtiani duobus Tomis in 8. quorum prior excuſus eſt Cæſaraugustæ typis Petri Lanaia 1646. *Secundus* ibidem typis Didaci Dormer 1647.

Vrnam Cantelmi, ſeu Panegyricum, & Apologiam pro D. Andrea Cantelmo. Cæſaraugustæ typis Noſocomij B. V. de Gratia 1645. in 4.

Hiſtoriam Sanctorum Corporalium Darocenſium cum notis Concionatorijs. Ibidem typis Didaci Dormer 1646. in 4.

Aeternam Coronam, ſiue de Beatitudine eſſentiali, & accidentali Sanctorum. Ibidem typis

typis Hæredum Petri Lanaia 1650.

Artem bene moriendi , ſiue de Moribundis iuuandis. Ibidem typis Ioannis de Ybar 1659.

Maximas Aeternitatis . Cæſarauguſtæ 1654. in 8.

Exercitia S. Ioachimi , & Sancti Ioſephi. Ibidem typis Ioannis Ybar 1663. in 16.

Summarium Miſſionum , ſeu modum agendi in illis Tom.6. in 8. quorum tres iam ſunt excuſi Cæſarauguſtæ apud Ioannem Ybar. 1671.

Concionem de S.Maria Magdalena de Pazzis . Cæſarauguſtæ 1671.

Diſcurſus Prædicabiles,& Triumphos Carmelitanos . Ibidem apud Ioannem Ybar 1671. in 4.

Paratos habet prælo tomos varios , De Eccleſia militante , Operarijs Euangelicis , Commentarium in Iudith, & alia

EMMANVEL PARDVS natione Hiſpanus, patria Madritenſis in Societatem adſcriptus anno ſalutis 1603. ætatis ſuæ 17, votorum quatuor profeſſionem emiſit. Prælegit in ea humaniores litteras triennio , Philoſophiam annis totidem, Theologiam moralem quinquennio, Scholaſticam annis 25. vir inſignite doctus, & Supremæ Inquiſitionis Qualificator. Gubernauit Domum Profeſſam Matritenſem , & à Comitijs ſuæ Prouinciæ electus eſt , vt intereſſet Congregationi nonæ Generali. Demum annis grauis, migrauit ad vitam morti non obnoxiam , Matriti die 26. Septembris 1664. Habuit Hiſpanicè , atque edidit

Orationem in Anniuerſario Eminentiſſimi Fratris Franciſci Ximenij Cardinalis, Archiepiſcopi Toletani . Compluti per Antonium Vaſquez 1641. in 4.

EMMANVEL PIMENTA natione Luſitanus, patria Scalabitanus , quod oppidum diœceſis Vlyſſiponenſis vulgo Santarem dicitur ; Eboræ in Societatem cooptatus eſt 30. Aprilis anno ſalutis 1558. ætatis 16. Artem dicendi, cæteraſque politiores literas ſumma cum laude ſex annis docuit . Studijs Noſtrorum tùm Eboræ , tùm Conimbricæ annis 14. cùm magna nominis celebritate præfuit. Inter præſtantiſſimos huius ſæculi Poëtas meritò numerandus, ſed tantâ animi demiſſione, vt nullis vnquam precibus adduci potuerit ad aliquid edendum. Vir fuit plurimis,maximiſque virtutibus omnium exiſtimatione commendatiſſimus ; miro in Superiores obſequio, mirâ Inſtituti , & legum noſtrarum cuſtodiâ , mirâ in loquendo circumſpectione ; denique omnis norma , & veluti ſpeculum virtutis fuit . Concionatoris etiam partes egit, & Confeſſarij totis 16.annis Eboræ , tàm aſſidui , vt in Templo magis habitare , quàm in cubiculo videretur. Profeſſionem emiſit votorum trium . Demùm Calendis Octobris anno ſalutis 1603. Eboræ feliciter obdormiuit in Domino. Reliquit

Poëmata varia Tomis duobus collecta, in quibus magnum elucet ingenium , atque ſtylus elegantiſſimus diuite vena fluit. Scripſit etiam

Epigrammata de Regibus Luſitaniæ , quæ Antonius Vaſconcellus in ſua Regum Luſitaniæ Anacephaleoſi edidit.

Deſcripſit etiã elegiaco verſu *piſſimis cordis affectibus* (verba ſunt magni Hiſpaniarum Martyrologi Ioannis Tamayo de Salazar 2. Februarij) *Diem Purificationis Deiparæ Virginis* cum paraphraſi ad hiſtoriam Euangelicam.

EMMANVEL PINHERVS natione Luſitanus, natus in Inſula Sancti Michaëlis (quæ vna inter Azores eſt) anno ſalutis 1556. Societatem complexus eſt anno 1573. & poſt traditas ſexennio humaniores litteras nauigauit in Indiam 1591. & non multò poſt , hoc eſt anno 1594. Goa in Regnum Mogor vnà cum P. Hieronymo Xauerio profectus, multis ibi annis Chriſti vineam diligenter, laborioſeque excoluit , multa ſæpè perpeſſus incommoda,nec ſemel capitis diſcrimen , tum ab ipſo Rege formidatum ob damnatas Armeni Apoſtaſiæ adulterinas nuptias , quibus legitimæ vxori alteram ſuper inducere contendens , id nolebat à Noſtris improbari ; tum à prædonibus , qui in domum immiſſi, eſcis omnibus virulento ſemine contaminatis, alto illum lethargo , atque omnes domeſticos oppreſſerunt dum ædes diriperent . Multos Mahumetanos diſputando cùm confudiſſet, nec ab illorum fuit inſidijs immunis . Demum cum anno 1607. Rex ad Prætorem Indiæ legationem decreuiſſet, in eius partem venire voluit Pinerum . Itaque longo itinere Goam profectus , relicto in Cambaia Legato , ob res quoquo modo nouatas , à Prorege ad Legatum remiſſus eſt , cum ſumma poteſtate de Pace, deque Bello decernendi. Pace conſtituta cùm Legatus reuocaretur in Regiam ; totum legationis onus in Pinerum incubuit, qui Goam anno 1610. ingreſſus magna pompa , atque apparatu , vt tanti Regis Legatum decuit, ſua ipſe paupertate decorus, publice exceptus eſt . Poſt hæc reuerſus in Miſſionem Mogorenſem ibi aliquot annos laborauit ſtrenuè , ſpiritualis Adiutor pridem formatus , donec ingraueſcente ætate Goam ad domum Profeſſam reuocatus, circa annum 1618. ibidem paulò poſt ad laborum ſtipendia emigrauit, cum in ſequentibus Catalogis Indicis nomen eius non inueniatur ; nam quod dicitur, obijſſe Goæ die 24. Iulij anno 1635. intelligi debet de altero Emmanuele Pinero Iuniore dicto , ad diſtinctionem à primo , & qui patria , Lamecenſis , admiſſus in Societatem eſt anno 1580. & in eadem Goana Domo vixit ſimul cum ſeniore anno 1618. Scripſit prior Emmanuel

Annuas litteras è Mogore anni 1599.

EMMA-

EMMANVEL SA, natione Luſitanus patria Interamnenſis ex oppido Villa de Códe ad Societatē aggregatus Conimbricæ anno ſalutis 1545. in ipſo adoleſcentiæ flore vix 15. annos natus felici matris omine exceptus, quæ cū illum Conimbricam ſtudiorum cauſa mitteret, Vade fili, ait, atque ita ſtudia cole, vt proſpera cuncta de te audiam; maximè illud velim, te ad Apoſtolorum familiam (ſic noſtros in Luſitania iam tum hodieque vocant) eſſe aggregatum. Fuit ille valens ingenio, atque apprimè doctus, & in Societate admiſſus ad ſtudia, incertum eſt vtrum plus temporis precationi, an ſtudiorum commentationi tribueret. Tanta erat in ea ætatis viriditate maturitas virtutis. A primo Tirocinio per totos 50. annos mirabiles in virtute, & in litteris fecit profectus bonitate naturæ, ingenij magnitudine, animi contentione, aſſiduitate ſtudij. In omni diſciplinarum genere diligentiſſimè verſatus eſt. Ariſtotelicas publicè docuit in Luſitania, ætate tàm tener, vt aliqui ſcholam ingreſſi, vt ſit cognoſcendi cauſa, quoniam ille Magiſtrorum more, vltimus venerat, eum ad ſedendum in ſuis ſubſellijs inuitarent. Eaſdem Gandiæ noua in Academia 17. natus annos, & priuatim Illuſtriſſimo Franciſco Borgiæ, tunc Gandiæ Duci, poſtea Societatis Præpoſito Generali, ac ſubinde Romę quoque expoſuit; vbi in primis Romani Collegij initijs anno 1557. Vaticinia Oſeæ, & Primam, è S. Thoma ſecundæ Thologiæ partis orſus eſt explicare. Anno proximè inſecuto, ad celebrandam Iacobi Lainij Præpoſiti Generalis creationem, continuatis in diem *octauum* *Diſputationibus* Theologicis, in Præſulum ingenti corona, nec paucorum Cardinalium, ita ipſe præfuit, vt ſpectata eius excellente ſcientia, & modeſtia ſingulari, magna Societati facta ſit acceſſio, ad famam doctrinæ atque virtutis. Per autumnum anni 1559. vt vires affectas recrearet ſine otio miſſus eſt ad Hetruriæ, Picenique Collegia inſpicienda, & in proprios Societatis conformanda mores, ex qua peregrinatione reuerſus, ſolemnia vota poſtridie calendas Nouembris profeſſus, Diuinos libros diu perrexit interpretari. Multos item annos Conciones habuit in noſtro templo, magna Auditorum frequentia, magna opinione ſanctitatis, cum quæ diceret, magis ex aſſidua cum Deo conſuetudine, quam ex librorum lectione, quos tamen ſtudioſe euoluebat, hauſta viderentur. Eius oratio ita ab omni nuda erat ornamento, vt tamen ſenſu plena pietatis delectaret. Ita erat ſubciſa, inconcinna, inelegans, vt ipſa inimitabili inconcinnitate fieret elegantior. Actio eius tota non ad normam, aut præſcriptum Magiſtrorum, ſed eo ipſo delectabilis, quòd omni prorſus artificio careret. Denique non ille infans, ſed contra omnem formam eloquentiæ eloquentiſſimus, ita ſeueritatem pietatis, & ſententiarum grauitatem, ſpirituali quadam hilaritate ſenſim temperans, vt eodem tempore, & animos Auditorum percelleret, & ſpirituali quodam gaudio exhilararet, imprimis vero alte admodum ſenſa pietatis imprimeret. Per hæc ille tempora iuſſus eſt cum altero noſtro Petro Parra à Pio V. intereſſe Bibliorum corrigendæ editioni. Roma Mediolanum miſſus ad eius Seminarij iaciendi fundamenta, doctrina, & concionibus Societatis nomen illuſtrauit. Deinde nonnulla in rerum varietate decennio circiter exacto Romam repetijt. Ibidem aliquot moratus annos, Lauretum, Laureto rurſus Genuam conceſſit, qua ille in Ciuitate, cùm multi ad eum conſilij cauſa concurrerent, tanta frequentia fatigatus, ſtudio colligendi ſeſe, quaſi mortem ſibi præſagiret imminere, Aronam ſeceſſit. Hic quod ſibi vitæ ſuperfuit, luſtrandis pagis, rudibus Chriſtianam doctrinam docendis, Confeſſionibus audiendis inſumpſit. Nihil ſibi peculiare, nullum obſequium, nullum auxilium, in grandi ætate impendi voluit; quæ ad corporis cubiculiuè cultum pertinent, omnia per ſe obibat; aliorum vltrò delatam operam cum gratiæ ſignificatione recuſabat, quòd manus pedèſque ſibi commode obſequentes eſſe diceret. Mandare litteris quædam inſtituerat in Alphabeticum Indicem digeſta, cùm eum duplex oppreſſit tertiana, quæ quarto menſe in quartanam conuerſa, quinto demum menſe hominem exſtinxit. In ipſo morbo licet graui æſtu febrium conflictaretur, nunquam tamen omiſit ſolemnes quotidianáſque preces perſoluere, & Miſſæ ſacrificium offerre, donec Præſidum auctoritate abſtinere iuſſus eſt. Miſſæ Sacrificio prohibitus, incredibile dictu eſt quantopere diuinæ rei intereſſe cuperet. Quibus etiam votis fruſtratus vno ſe illo ſolatio ſuſtentabat, quàm poſſet frequentiſſimè Dominici corporis cibo recreari, quem tamen nunquam niſi ſemel, & tum quidem victus precibus, è lecto ſumpſit. Perſæpe, & magno cum ſenſu voluptatis de obitu ſuo loquebatur, proteſtabatùrque ſubinde ſe libenter mori. Omnibus denique munitus Sacramentis die 30. Decemb. anno 1596. emigrauit è vita, in Domo Probationis Aronenſi, Mediolanenſis Diœceſis, ætatis ſuæ 75. Eius funus magno concurſu ciuitatis, & pia quadam reuerentia celebratum eſt. Ferunt obitus ſui diem prænunciaſſe, quòd ei ſe Beatiſſima Maria Virgo, & S. P. N. Ignatius viſendos obieciſſent. Nimirum coniecturis haud obſcuris putatur aliàs ſæpe, ſed primà præſertim ætate, cœleſti viſo, Diuina Infantis IESV, Diuinæque Matris, (erga quos fuit affectu ſemper ſingulari) præſentia ſpecieque recreatus. Ex quo factum eſt; vt nihil ei promptius eſſet, quàm, aut Diuina cogitare, aut Diuinis de rebus verba facere. Omnino Vir fuit inter illuſtres Noſtræ Societatis homines, eminens, vt verè primitias ſpiritus habuiſſe, atque ab ipſo noſtrum

ſtrum omnium Parente Ignatio pietatem exſuxiſſe appareret. Reliquit doctrinæ ſuæ monumenta

Scholia in IV. Euangelia, breuia quidem, ſed erudita ex ſelectis Doctorum ſacrorum ſententijs collecta quam verè *Auream Catenulam* poſſis appellare. Antuerpiæ typis Plantinianis Moreti 1596. in 4.

Notationes in totam Sacram Scripturam, quibus tum omnes ferè loci difficiles, tum variæ ex Hebræo, Chaldæo, & Græco lectiones mira breuitate explicantur: opus conciſum quidem, & contractum, ſed magnis laboribus atque indefeſſo ſtudio elaboratum, ac perfectum, Antuerpiæ typis ijſdem 1598. in 4. Certè Cornelius à Lapide in Proem: ad Proph. Maior. qu. 5. cenſuit eum vix alijs quàm doctioribus, & qui ex verbo totam quaſi ex vſu coniectent ſententiam, vſui eſſe poſſe.

Alphoriſmos Confeſſariorum ex Doctorum ſententijs collectos diligentiſſimo 40. annorum ſtudio perfectos. Prodierunt ſæpe varijs locis, mutatis etiam nonnullis auctoritate Magiſtri S. Palatij. Nouiſſimè iuxta correctum Romanum exemplar indicatis Doctorum locis annotationibuſquè per Andream Victorellum illuſtrati, & aucti. Editi ſunt Duaci typis Balthaſaris Belleri 1627. in 24. Reliquit etiam ſcriptam à ſe

Vitam B. Patris Fr. Ioannis de Texeda Ordinis Seraphici S. Franciſci, qui fuit à ſacris Confeſſionibus S. Franciſco Borgiæ tunc Gandiæ Duci, poſtea Societatis IESV Præpoſito Generali. Hoc opuſculum Iulius Nigronius noſter in Regulas communes Societatis in explicatione tituli Par. I. num. 14. teſtatus eſt apud ſe tunc exſtitiſſe.

EMMANVEL THESAVRVS, natione Italus, patria Taurinenſis admiſſus in Societatem anno ſalutis 1610. ætatis 29. In humanioribus litteris apprimè verſatus, triennio artem Oratoriam in Collegio Mediolanenſi docuit, tunc Concionatorem aliquot annis egit. Edidit dum inter nos eſſet,

Elogia 12. Cæſarum cum Epigrammatibus

Panegyricum inter ſolemnes inferias Ioannis Antonij Bouij Epiſcopi Molfetani, Ordinis Carmelitanorum, dictum Neapoli 1623.

Italicè vero edidit ſeorſim prius, deinde vno tomo collectos,

Panegyricos ſacros. Item tacito ſuo nomine

Iuſta Funebria Philippi III. Regis Hiſpaniarum

Narrationem publicæ lætitiæ qua Natalis Sereniſſimi Principis Hiſpaniarum Balthaſaris Caroli Dominici, Mediolani celebratus eſt 1630.

EMMANVEL DE VARGAS, natione Hiſpanus, patria Complutenſis Societatem ingreſſus eſt anno Domini 1618. ætatis 16. atque in ea Philoſophiæ, ac Theologiæ diſciplinis nauauit operam, Dum in Societate viueret edidit Hiſpanicè

Narrationem miraculorum quæ per imaginem Beati Franciſci Borgiæ operatus eſt Deus in nouo Regno Granatæ approbata rite, ac legitimè ab Archiepiſcopo Vrbis S. Fidei. Matriti per Andream Parram, & Italicè Neapoli per Vincentium Francum 1629.

EMMANVEL DE VEGA, natione Luſitanus, patria Conimbricenſis SS. Theologiæ Doctor; & iam dudum in Vilnenſi Lithuaniæ Academia Profeſſor, poſt longam ætatem inde vſque ab anno 1571. in Societate laudabiliter tranſactam, nonagenario maior obijt Romæ die 27. Ianuarij 1648. Edidit

Aſſertiones Theologicas de Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento contra noſtræ tempeſtatis Sectarios Vilnæ 1585. in 4. & Antuerpiæ 1586.

De Diuiniſsimo, & tremendo Miſſæ Sacrificio. Vilnæ 1586. in 4.

De Cultu SS. Imaginum, & Inuocatione Sanctorum, contra librum Volani de Idolatria Ieſuitarum. Vilnæ.

De Vita, & miraculis Lutheri, Caluini, & Bezæ. Vilnæ.

Theſes de Diſtributione Sacræ Euchariſtiæ ſub vna ſpecie, contra Huſſitas. Pragæ.

De Principijs Fidei. Viennæ

Facti Samoſatiniani Dei oppugnationem, ac æternæ Chriſti generationis veræquè Deitatis defenſionem contra Blandratam & Franciſcum Diuidem Viennæ Auſtriæ, apud Nicolaum Pietrum 1590.

Habebat ſub prælo cùm mortuus eſt

Quæſtiones ſelectas de libertate Dei, & Hominis, de Prædeſtinatione; de Concordia ſummorum Noſtri temporis Theologorum. Romæ 1639.

EMMANVEL DE VEGA alter item Luſitanus, Villauiſoſæ Diœceſis Eborenſis natus, Societati ſe aggregauit anno ſalutis 1583. ætatis 19. & votorum quatuor profeſſionem emiſit. Miſſiones multas per Regnum obiuit, & in iuuandis animabus, quà concionibus quà confeſſionibus audiendis perquam ſedulus fuit. Tantus amor humilitatis, & ſubijciendi ſe alijs in eo emicuit, vt nullis rationibus ſuauiter adduci potuerit ad Præfecturam aliquam, ſeu regimen admittendum, & deſignatus à Præpoſito Generali Rector Collegij Portuenſis precibus humillimis liberationem euicit. Demum ferme octogenarius religiosè deceſſit Vlyſſipone die 15. Ianuarii 1647. Scripſit Luſitanicè

Relationem de ſtatu Chriſtianitatis in Aethiopia ab anno 1624. vſque ad annum 1626. deque eius reductione ad Eccleſiam Catholicam, & de Regni Tibet ſiue magni Cataij detectione 1628. in 4. & tacito ſuo nomine

Vitam Simonis Gomez, qui ſutor ſanctus appellatus eſt. 1625.

Vitam P. Vaſci Pirez è Societate

IESV

IESV, quæ tamen edita nondùm eſt.

EMMANVEL VEGA tertius, itemque natione Luſitanus; patria oppido Maruam diœceſis Portalegrenſis, Societatem ingreſſus in Braſilia anno ſalutis 1556. ætatis 23. ſpiritualis Coadiutor formatus. Didicit egregie linguas Braſilorum, & Maramomiſiorum, qui Braſiliam incolunt, & maximam ætatis partem conſumpſit in docendis elementa pueris, erudiendis Braſilienſibus Chriſtiana fide, & Confeſſionibus excipiendis; ſeptuagenario maior obijt in Braſilia menſe Martio 1608. De eius zelo, ac pertinaci ad conuertendos Maramomiſios Braſiliæ populos caritate, mentio fit à Sebaſtiano Barettario, in vita ven: P. Ioſephi Anchietæ lib. 3. Digeſſit Emmanuel

Catechiſmum Dictionarium, Grammaticam, lingua Maramomiſiorum.

* EMERICVS KIS, natione Hungarus, patria Tyrnauienſis natus anno ſæculi fluentis 31. in Societatem ſe recepit 1648. & votis quatuor ſe ei adſtrinxit. Poſt traditas amæniores diſciplinas, ſeueriores etiam docere aggreſſus fuerat, vtràque litteratura egregiè excultus, quando abſtractus ab ijs eſt, vt fieret ſatis deſiderio Celſiſſimorum Principum Rakozianorum, qui ad Orthodoxam fidem recenter conuerſi, illum pro ſua Aula in conſcientiarum arbitrum poſtularunt; vbi iam in annum nonum degit, & conciones ad populum ſæpe habet. Scripſit contra Heterodoxos Hungaricè opuſcula varia his titulis: tacito ſuo nomine

Diſcipulum defenſorem honoris Profeſſoris ſui de Societate contra Caluiniſtam Prædicantem 1663. Caſſouiæ in 8.

De Caluiniſticarum conſequentiarum ineptijs contra Caluiniſticos Profeſſores Patakinenſes 1665. Caſſouiæ in 12.

Vtrum ante Caluinum vnquam alicubi exſtiterit moderna Caluiniſtarum ſecta 1666. Ibidem in 8.

Refutationem Profeſſoris Caluiniſtici aſſerentis ante Caluinum exſtitiſſe omnes articulos Caluiniſticos ad ſalutem neceſſarios, 1666. Ibidem.

Contra Profeſſorem Caluiniſticum miſcentem Chartifolia rebus Fidei 1666. Ibidem in 12.

Apologiam pro libello, quòd Caluiniſtæ fruſtra laborant oſtendere ſuam ſectam totaliter exſtitiſſe ante Caluinum 1667. Ibidem in 12.

Quòd Profeſſor Caluiniſticus in oſtenſione Caluiniſticæ vetuſtatis, ſuccumbat 1667. Ibidem in 8.

Quòd vltimò deficiat Profeſſor Caluiniſticus in oſtendenda vetuſtate ſuæ ſectæ 1668. Ibidem in 8.

EMERIVS DE BONIS, natione Italus patria Guaſtallenſis in Lombardia, S. P. N. Ignatio ſuperſtite ad noſtram Societatem ſe adiunxit, anno ſalutis 1550. & poſt traditas ſeptennio humaniores litteras, ampliùs 30. annos concionibus ad populum habendis vtiliter tranſegit. Addebat nimirum efficaciam dictioni eximia viri virtus, quæ ab interno animi decore foras etiam emicabat. Inſtituti noſtri zelator fuit, & obſeruator exactus; ſanctæ paupertatis amator, qui ad concionandum frequens prodibat, multis etiam neceſſarijs rebus deſtitutus. Rexit multa Collegia, tria vota ſolemnia profeſſus. Vixit ad diem vſque 10. Aprilis anni 1595. quo Neapoli naturæ conceſſit. Scripſit Italicè

Tractatum de Sanctiſſimo Sacramento Altaris. Romæ, apud Paulum Dianum 1590. in 12.

Speculum Confeſſionis, de modo bene confitendi, & communicandi. Romæ, apud Bartholomæum Zannettum 1612. Recuſum Romæ 1621.

Tractatum de religione, de modo cognoſcendi veram vocationem tacito ſuo nomino. Neapoli typis Horatij Saluiani 1593. in 12.

EMMERANVS VVELSER, natione Germanus, patria Stulfeldenſis, diœceſis Salisburgenſis, admiſſus in Societatem anno ſalutis 1582. ætatis 22. in ea gradum Coadiutoris ſpiritualis obtinuit; Vir magno animarum zelo, in Bohemicam Syluam miſſiones ſæpius inſtituit agreſti populo excolendo, vbi viſendis ægris, afflictis ſolandis, compeditis animandis vtilem operam poſuit, non expers periculorum, atque ærumnarum. Tres, & eo ampliùs annos podagræ doloribus cruciatus, à ſui tamen flagellatione non abſtinuit; effecit vti ducenti prope aurei nummi quotannis impendantur emendis, imprimendiſque libellis, qui in pueros Catholicos, & in Hæreticos diſtribui cum fructu queant, ipſe verò vel in morbo non deſtitit operam huiuſcemodi libellis conſcribendis dare. Obijt Monachij die 16. Aprilis anno 1618. ætatis 59. Societatis initæ 36. ſcripſit varios tractatulos Germanicè impreſſos Monachij, opportunos firmandis Catholicis, Hæreticis reuocandis, Huiuſcemodi ſunt.

Index viæ ad Fidem Catholicam.

Stella matutina.

Penuarium Catholicum.

ENGELBERTVS D'HOLLANDERVS natione Belga, patria Gandenſis in Societatem adſcitus anno à partu Virginis 1615. ætatis 21. diſciplinarum omnium, quæ in Societate traduntur inſigniter peritus, mirabili eloquentia, & memoria propemodum ſupra exemplum. Gandaui florentiſſimè Rhetoricam docuit. Quinque annis inter Hollandos Fidei propugnator delituit, venali pro Dei causâ in pulchram mortem animâ. Corpus ſuum habuit inclementer. Somnum non rarò in tabula, vel pauimento captauit; cibi potuſque perparcus, ſæpè etiam extra ordinem nullius. Oblatum profeſſionis votorum

quatuor gradum detrectauit, quòd diceret ſummam votorum ſuorum eſſe in vltimis conſiſtere; Itaque Coadiutoribus ſpiritualibus adſcriptus eſt nouo, & raro, ſed imitabili exemplo. Horam mortis præſenſiſſe viſus eſt, cui ceſſit Ingolſtadij die 30. Auguſti anno reparatæ ſalutis 1626. ætatis ſuæ 41. ab Societatis ingreſſu 21. Scripſit

Varia tùm metro, tùm proſa: Dramata quoque multa exhibuit. Item

Vitam Henrici Cæſaris, & Cunegundis Auguſtæ, qui admirabilis caſtitatis exemplo virgines in coniugio permanſerunt. Parabat etiam

De antiquitatibus Gordunis volumen, ſed illud mors intercepit

ENGELBERTVS EVVICH natione Belga, patria Cliuius, admiſſus in Societatem Treuiris anno Domini 1617. ætatis 18. votorum quatuor profeſſionem emiſit, paulò ante mortem, quam religiosè obijt Aſchaffenburgi die 28. Iulij 1637. Edidit præſcripto nomine Theologi Cliuenſis.

Antonini Dianæ Reſolutionum Moralium compendium. Antuerpiæ apud Ioannem Meurſium 1637. in 24.

ENNECVS DE LODOSA. Vide infrà *Inicus de Lodoſa.*

ERASMVS MAROTTA natione Siculus patria Randazzenſis. Vir moribus placidiſſimis, venit ad Societatem ætate prouectior anno ſalutis 1612. iam antea in Romana Curia diù verſatus, atque artis Muſicæ peritiſſimus. Rexit in Societate Collegium Mineenſe, ſpiritualis Coadiutor formatus, & ob ſpectatam virtutem, multis ſummiſque viris apprimè charus. Migrauit ex hac vita Panormi die 6. Octobris 1641. Ad pietatem erga Deum, cœliteſque promouendam. Edidit

Cantus pios, muſicis modulis expreſſos.

* ERNRICVS PIRHING natione Germanus, patria Sigartenſis, Boius, abſolutis in ſæculo ſtudijs Philoſophiæ, Iuris ciuilis, & Canonici, Societati ſe adiunxit anno ſalutis 1628. ætatis ſuæ 22. atque in ea quatuor vota nuncupauit. Philoſophiam docuit quadriennio, Controuerſias de fide biennio; Moralem quadriennio; Ius Canonicum explicuit annis 12. & totidem ſacras litteras interpretatus eſt. Rexit Collegium Eyſtadienſe, & Conciones ad populum habuit per decennium. Superſtes in Collegio Dilingano Edidit Germanicè

Apologiam, ſeu defenſionem Cæſaris, Principum Catholicorum, & variorum Religioſorum ordinum aduerſus Superintendentem Ratisbonenſem Heterodoxæ Theologiæ Doctorem. Monachij formis Lucæ Straub 1653. in 8.

Edidit tractatus varios in libros Decretalium, videlicet

De Iure ſcripto, & non ſcripto. Dilingæ formis Academicis 1644. in 8.

De Iuriſdictione, & Poteſtate Prælatorum & Rectorum Eccleſiæ Epiſcopis inferiorum. Ibidem 1663. in 8.

De Iuriſdictione, & Poteſtate Ordinarij Iudicis, ſeu Prælati Eccleſiaſtici. Ibidem 1652. in 8.

De Iuriſdictione, Officio, & Poteſtate Iudicis Delegati. Ibidem 1664. in 8.

De Reſcriptis. Ibidem 1665. in 8.

De Conſtitutionibus, & Conſuetudine. Ibidem 1666. in 8.

De Renunciatione beneficiorum. Ibidem 1667. in 8.

Omnes hi tractatus per modum Theſium propoſiti, nunc in vnum collecti, & in vno Tomo in librum 1. Decretalium, vnà cum reliquis eiuſdem libri titulis, typis excuſi ſunt Dilingæ, formis Academicis apud Ioannem Federle 1664. in folio.

ERTMANNVS TOLGSDORF natione Pruthenus, trium in Societate votorum profeſſus, non immeritò ab Liuoniæ Epiſcopo Ottone Schenking Liuoniæ pater, & Apoſtolus appellatus; nimirum recepta de Moſco ea Prouincia à Stephano Poloniæ Rege, miſſi in eam ſunt ab Epiſcupo Varmienſi Martino Cramero Sacerdotes aliqui, vt obrutam annis 50, fidem Catholicam inſtaurarent. Inter eos erat Ertmannus Guſtadienſis Canonicus ſalutis animarum ſitientiſſimus, qui Volmarienſem paræciam ſortitò nactus, eam mirificè excoluit, & linguam gentis breui aſſecutus, aptiſſimos in eam rem libros conſcripſit. Deindè cùm exturbatam Riga Societatem Hæretici, quamuis vrgente Sigiſmundo Rege, recipere nullo modo vellent, tempori ſeruiendum tantiſper eſſe viſum eſt Regi, vt bona ſaltem poſſent hæreticis eripi, quæ Sacerdoti cuipiam ſæculari intereà committerentur. Delectus ad id Ertmannus eſt, quem indole modeſtiſſimum haud ægrè admiſerunt Hæretici, rati nihil illum ſuis rebus incommodaturum. Adijt ergo Monaſterii, quod tenebamus, poſſeſſionem; Templum adornauit, conciones, & Eccleſiaſticos ritus reſtituit, cantum Gregorianum cum aliquot pueris, quos inſtruxit, reſumpſit, matutinas preces, veſpertinaſque decantans. Hymnos Eccleſiæ; & Antiphonas cum nullus eſſet, qui calleret, nec eſſent ad manum libri, vndè promi poſſent, ipſe è memoria deſcriptos diſtinxit in libros, quibus hodieque Sancti Iacobi Eccleſia, atque inde mutuata vniuerſa Liuonia vtitur. Tandem dum anno 1581. recepta Riga Societas eſt, ipſe vnà cum Monaſterio ſe quoque ipſum Societati contradidit. Cracouiam miſſus Tirocinium ibi poſuit incredibili animi ſubmiſſione. Mox remiſſus Rigam totus in hominum ſalutem incubuit, Vendenſem diœceſim cum Epiſcopo luſtrauit, quam cùm vidiſſet opportunis operarijs deſtitutam, adoleſcentes è Pruſſia euocauit, emendicatis ſubſidijs educauit, inſtruxit, Eccleſijs præfecit. Potior eius occupatio in Miſſionibus fuit; & laborioſior, quò durio-

ra inciderunt tempora, quæ Suecorum armis 14. & amplius annos Liuoniam vexarunt. Pagi paſſim incolis nudati, nulla hoſpitia, nulla ſolatia afflictæ vel ætatis, vel valetudinis, vndique hoſtium, vndique latronum pericula, nec rarò amnes rapidi diuina magis ope, quàm humana tranandi. Anno 1603. cùm paſſim iacerent in vijs, lue, pædoreque conſumpti mortales, ipſe quo ardebat zelo, illis quaqua valuit ope, preſtò fuit. Hinc ruſticanæ plebeculæ tam carus fuit, vt ipſam eius memoriam vbique venerarentur, nec aliter eum, quam honeſtiſſimis ſua lingua nomenclationibus, Senem Dominum, Liuoniæ Patrem; & Epiſcopum vocitarent. Magnus in eo viguit religioſæ paupertatis amor; Nocturnis horis, haud alia quàm tœdæ pineæ luce, ad Canonicas preces legendas vtebatur, quamuis oculi ſenio caligarent. Nulla conditura ciborum famem prouocabat; eſcas ſæpè iterum iterumque recoctas, eaſque admodùm parabiles ad totius vnius hebdomadæ alimentum adhibebat. Poſtremis 16. vitæ annis, quos Vendæ duxit, ſenio confectus & morbis, ſolis pulmentis edentulus victitauit; nec de feruore tamen, aut conſueto labore quidquam detraxit. Reſidentiæ illius labores ſolus ferè ſuſtinuit. Ipſe diebus feſtis horas antelucanas confitentibus dabat, inde concionabatur ad Germanos, tùm ſupplicationes, atque alia Parochi munia expediebat, & ſacris operatus, dicebat ad Lothauos, quidquid erat temporis reliquum denuò expiandis conſcientijs tribuebat. A prandio catechiſmo imbuebat pueros, & rudes, ſecundùm quem Veſperas decantabat, etſi opus, infirmis ſacra myſteria impendebat. Vnus his omnibus Ertmannus id virium, & ætatis ſufficiebat cum admiratione multorum. Tandem in grauiſſimis doloribus ſalutiferum Ieſu nomen appellans piè defunctus eſt Vendæ die 4. Octobris anno ſalutis 1620. ætatis 70. religionis 39. Scripſit lingua Liuonica, ſeu Lothauica

Catechiſmos, Nomenclatores, Conciones, Hymnos, & Antiphonas Eccleſiæ, in Librorum inopia ex ſua memoria diſtinxit, quibus hodieque Liuonia vtitur

* EVCHARIVS SARTORIVS, natione Germanus, patria Kiſſinganus diœceſis Herbipolenſis, natus anno ſæculi labentis 10. Societati ſeſe tradidit 1628. & votorum quatuor profeſſionem emiſit. Fuit Pœnitentiarius Pontificius ad Baſilicam Vaticanam Romæ, & Laureti; Procurator Aſſiſtentiæ Germanicæ, Romæ annis aliquot: Philoſophiam ſexennio profeſſus eſt; Theologiam Scholaſticam ſeptennio, Moralem octennio, Herbipoli, Moguntiæ, & Molshemiæ, vbi fuit etiam Academiæ Cancellarius. Rexit Collegium Moguntinum. Translatus in Prouinciam Mediolanenſem, finem viuendi inter mortales fecit in Reſidentia Sancti Romuli die 18. Martij 1623. Edidit.

Sanctos Fundatores Religioſorum Ordinum calamo lapidario deſcriptos cum elogijs diuerſis. Friburgi typis Friderici Vverlini 1662. in 4.

EVERARDVS HOCKIVS, natione Belga, patria Namurcenſis, Societati adſcriptus anno 1618. ætatis 21. votorum quatuor profeſſionem edidit. Poſt traditas ſexennio humaniores litteras Philoſophiam Duaci per quinquennium docuit; linguam Hebræam, & Sacram Scripturam octennium explicuit; & ſcholarum Duaci Præfecturam geſſit. Rexit iteratò Collegium Duacenſe, ſemel Tornacenſe, & ſemel Inſulenſe; ſæpius Inſtructor noſtrorum in probatione tertia, & demum totius Prouinciæ habenas moderatus eſt. Bis electus eſt à Comitijs Prouinciæ, vt adiret Romam ad Congregationem primò Procuratorum, poſtea ad Generalem vndecimam. Vir fuit eximiæ virtutis, ſingularis modeſtiæ, prudentiæ, & religioſæ obſeruantiæ. Eluxit in eo toto vitæ tempore conſtans animi tranquillitas, quam nullus quamuis inopinatus caſus potuit interturbare; ſpectabat ſiquidem ſolam in omnibus æternitatem. Hanc animi ſerenitatem alebat conſtans pietas, & aſſidua cum Deo coniunctio, ita vt fere ſemper inueniretur orans in cubiculo; ſæpe renidenti vultu, ſæpe fluentibus lachrymis, quas coram alijs prudenti imperio coërcebat. In viſitando Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento ſtatis diei horis aſſiduus fuit; & mirum in modum afficiebatur erga myſteria Chriſti patientis, & tenerrimo amore proſequebatur Deiparam: In tanto viro ſumma fuit animi demiſsio, eximius amor ſanctæ Paupertatis, ita vt vel ſenio ſatiſcens, nihil admittere voluerit, à communitate ſingulare. Denique maturus cœlo, & diſſolui cupiens, atque eſſe cum Chriſto magna animi ſui voluptate, & gaudio deceſſit. Armenteriæ die 16. Auguſti 1671. Edidit

Methodum bene vtendi ſuffragijs, quæ ſingulis menſibus in Sodalitate diſtribuuntur. Duaci typis Viduæ Telu 1639. in 8.

EVERARDVS MERCVRIANVS natione Belga, patria à qua nomen traxit, Mercurianus, pago Ducatus Luxemburgenſis in diœceſi Leodienſi. Parentes habuit tenues quidem illos fortunis, ſed honeſtos, & minimè obſcuros, à quibus Leodium primùm, tum etiam Louanium ad ſtudia litterarum miſſus eſt. Philoſophiæ lauream ibi obtinuit, anno 1544. Leodium à ſtudijs regreſſus cum poſſet Canonicatum adire, maluit paganam adminiſtrare Paræciam Voiti in ea Diœceſi. Verùm cum illi minùs ex voto ſuccederet ea functio, ſubijt illum P. Petri Fabri, & Franciſci Stradæ, quos Louanij cognouerat recordatio, & illos imitandi cupido: quo animo contendit illicò Pariſios. Ibi à Ioanne Baptiſta Viola noſtro ſanctis meditationibus exercitus, cùm per eas plurimùm profeciſſet, ſuis in Bel-

Belgio rebus ante compoſitis, Lutetiamque reuerſus, Natali Deiparæ die, anno 1548. Societati ſe dedit. In ea breui non vulgarem in hominum pertractandis, ac iuuandis ingenijs apud omnes adeptus eſt laudem, vt primo ſtatim anno, nonnullos Societati per exercitia mentis lucratus ſit. Hæſit Pariſijs ſua retractans ſtudia Euerardus ad annum vſque 1551, cuius exitu cum per anguſtias rei domeſticæ, ac bellicos tumultus Pariſienſis eſſet minuenda familia, Romam cum alijs miſſus eſt. Exceptus ab Ignatio perbenignè, factuſque Domus Profeſſorum Romanæ Vicepræpoſitus, anno labente Collegij Peruſini primus conſtitutus eſt Rector. Hic ad annum vſque 1557. inter proſpera, atque aduerſa commoratus, cùm tentari cepiſſet valetudine aduerſa in in Belgium proficiſci iuſſus eſt, vt res eius Prouinciæ componeret, Commiſſarij appellatione, quæ anno vertente in Prouincialis illi nomen, dignitatemque tranſiuit. Auxit eam Prouinciam Collegijs, ita vt anno 1564. in duas fuerit diuidenda, quarum alteram Rheni nomine inſignitam, Antonio Vinchio ceſſit. Anno inſequente Aſſiſtens deſignatus eſt nouo Præpoſito Generali S. Franciſco Borgiæ, quo auctore cum Collegia Galliæ inſpexiſſet, Romam reuerſus, eidem magno conſenſu in munere ſuffectus eſt die 23. Aprilis anno 1573. & Societatem quartus ipſe Præpoſitus Generalis ab S. Patriarcha Ignatio, magna prudentiæ, atque integritatis laude adminiſtrauit, vſque ad Calendas Auguſti 1580. quo die vita functus eſt, cum ſibi mortem pridie prædixiſſet. Fuit enimuerò Euerardus inſigni ſanctitate, & ſapientia vir, qui omnium ſibi voluntates eximia ſubmiſſione, & modeſtia adiungebat. Paupertatis amator, & cultor tantum, vt aliquando lacrymari propterea viſus ſit, quòd nouum iuberetur amictum induere. Pedes ſemper obibat Prouinciam, quam adminiſtrabat, & ad tenuiſſima diuerſoria declinabat. Exuerat omnem planè amorem erga carnem, & ſanguinem, & rogatus à fratre germano per litteras, vt quando ad ſupremum iam aſcenderat Societatis Magiſtratum, ſuæ tenuitatis, ſuorumque meminiſſet ad opem porrigendam, reſponderit ſibi non factam ea dignitate commodorum acceſſionem, nec facultatibus ſe excedere vllum ex imæ ſortis in Societate Coadiutoribus. Vt Deum amabat impensè, eique per frequentem longamque, vt res ferebant orationem inhærebat, ita ipſius gloriam cum ſalute mortalium coniunctam ſtudioſè quærebat. Alexandrum Valignanum deſtinauit in Orientem, vt ibi Societatem, remque Chriſtianam proferret. Rodulphum Aquauiuam, fruſtra obnitentibus plurimis non ſine claro Diuinæ approbationis indicio, miſit in Indias, vbi obtinenda per ſanguinem palma ipſum expectabat. Edmundum Campianum cum Roberto Perſonio primos ire iuſſit in Angliam. Stanislao Varſeuitio, & Antonio Poſſeuino Poloniam, alijs Tranſiluaniam decreuit. Ad Maronitas expediuit Ioannem Brunum, & Ioannem Baptiſtam Elianum, & Maronitis in Vrbe Seminarium, Anglis Collegium procurauit. Ipſe monita Societati in publicum vſum perutilia concinnauit, & optimos Concionatores ad pulpita formauit. Scripſit

Epiſtolam ad Superiores Societatis, continentem monita ad rectam gubernationem, quæ inter Epiſtolas Præpoſitorum Generalium V. ordine legitur.

* EVSEBIVS TRVCHSES natione Germanus, patria Scherenſis, ex antiquiſſimis Comitibus Truchſeſijs in Sueuia, natus anno ſæculi voluentis 31. poſt emenſa Philoſophiæ, & Theologiæ ſtudia Romæ in Collegio Germanico, & in eodem vtriuſque facultatis laurea Doctorali donatus, Societatem ibidem amplexus eſt, iam ſacerdotio initiatus, anno 1655. & vota 4. in ea nuncupauit. Docuit Ingolſtadij Ethicam, & ſexennio Philoſophiam, tum controuerſias de Fide ſeſquianno Monachij, & Theologiam Scholaſticam cæperat Dilingæ explicare, quando euocatus Romam à R. P. N. Io: Paulo Oliua Præpoſito Generali, in ſeptimum iam annum eidem eſt à Secretis, in conſcribendis litteris ad omnes Prouincias in Aſſiſtentia Germaniæ. Edidit

Quodlibeta Philoſophica tribus partibus. Ingolſtadij typis Georgij Hænlini 1662. & 1664. Item

Partem 4. ſeu Quodlibetum de Cometarum ſignificatione, & Aſtrologia. Ibidem 1665. in 8.

Theoremata Miſcellanea. Ibidem, & iiſdem typis 1665.

EYSTETTENSE COLLEGIVM in Prouincia Superioris Germaniæ ad Almonem Fluuium Franconiæ, fundatum ſumma pietate Celſiſſimi, & Reuerendiſſimi Domini Ioannis Chriſtophori Epiſcopi, & S. R. I. Principis, ex perantiqua, & Illuſtri Familia DD. de Vveſterſtetten anno reparatę ſalutis humanæ 1621. cùm poſtea hoſtili flamma Templum cum Collegio, & Gymnaſio fuiſſet exuſtam anno 1634. eiuſdem ſucceſſor Celſiſſimus, & Reuerendiſſimus D. Marquardus II. ex perantiqua ſimiliter, & perilluſtri ſtirpe DD. Sckenck à Caſtell mirabili munificentia è ruderibus eruit, inſtaurauitque, nec ſolum Templum reſuſcitauit, ſed & Collegium cum Gymnaſio denuò magnificè reædificauit, & cum conſenſu Reuerendiſſimi, & Illuſtriſſimi Capituli Cathedralis Eccleſiæ, altera fundatione perpetua firmauit anno 1673. Complectitur hodie hoc Collegium circiter ſocios 16. & in eo præter Rhetoricam, & inferiores claſſes, docentur Dialectica, & Theologia Moralis. Edidit

Templum honoris Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo Principi Ioanni Chriſtophoro Epiſcopo Eyſtettenſi ipſo die 3. Cal. Septembris anno 1620. dedicationis Templi ab ipſo Socie-

cietati Ieſu conditi erectum. Ingolſtadij typis Gregorij Hænlini 1620. in 4. liber eſt eruditus in quo, ſapientia, pietas, ſplendor, magnificentia, & ſingularia denique eorum emolumenta declarantur, qui templa, vel à fundamentis excitarunt, vel ſacris muneribus dotarunt, vel quoquo alio modo decorarunt. Item

Spem publicam Aickſtettenſium, ſiue Marquardum II. Epiſcopum inauguratum. Typis iiſdem 1638. in 4.

F

FABIANVS QVADRANTINVS natione Prutenus, domo Stangardus natus Hæreticis parentibus, atque in Hæreſi educatus, primas in patria litteras hauſit. Inde iam maturior Braunsbergam profectus Noſtrorum operâ ad Fidem conuerſus eſt, cuius ſuæ conuerſionis cauſas typis in lucem dedit. Poſtmodum Romæ in Germanorum Collegio Philoſophiam, & Theologiam emenſus, & gratia magni illius Stanislai Cardinalis Hoſij vſus in Societatem ingreſſus eſt anno ſalutis 1588. in qua laudabiliter complures annos, tum alijs officijs, tum habendis ad populum concionibus perfunctus eſt Poſnaniæ, Cracouiæ, Braunsbergæ. Profeſſus eſt Poſnaniæ eam Theologiæ partem, quæ Controuerſias cum Hæreticis Fidei quæſtiones pertractat. Annæ Auſtriacæ Poloniæ Reginæ fuit à ſacris Confeſſionibus, & ab Aulicis Concionibus; cuius obitu liber, Braunsbergam ſe recepit, ibique vir humilis, & ſuauiſſimis moribus, carus omnibus viuere deſijt die 6. Martij anno Chriſti Seruatoris 1605. ætatis 56. Religioſæ vitæ 18. Scripſit priuſquam in Societatem veniret.

Palinodias, ſiue Reuocationes VII. cum ex Lutherano factus eſt Catholicus, recitatas Braunsbergæ in Collegio Societatis Ieſu, quæ addita epiſtola Stanislai Cardinalis Hoſij, prodierunt Coloniæ typis Materni Cholini 1671. ſed extant præterea inter opera eiuſdem Cardinalis Hoſij. In Societate verò exiſtens. Edidit

Speculum Pietatis continens vitam, & obitum Sereniſſimæ Annæ Auſtriacæ, Poloniæ, Sueciæque Reginæ Sigiſmundi III. Coniugis, quæ annis ſalutis 1598. 4. Idus Februarij obijt. Bransbergæ typis Georgij Schonfels 1605. in 4.

FABIVS AMBROSIVS SPINVLA natione Italus, patria Genuenſis è nobiliſſima Spinularum gente, vir omni doctrinæ, ac probitatis laude conſpicuus, Societatem Romæ complexus eſt anno ſalutis 1610. ætatis ſuæ 17. & emenſis ſtudiorum ſpatijs, Philoſophiam ibidem iteratò docuit; ſacras litteras ſeptennium eſt interpretatus; emiſſa profeſſione 4. votorum. Rexit Seminarium Romanum, & ſubinde Collegium Genuenſe; at Domum Profeſſam ibidem, rariſſimo exemplo, quintùm adminiſtrauit. Eximia enimuerò pollebat prudentia, ac virtute; vnde ad maiora gubernacula, atque ad clauum Prouinciæ non ſemel deſignatus à Præpoſito Generali, ſemper ſtudio humilitatis, atque obtentu infirmæ valetudinis, immunem ſe ab eiuſcemodi oneribus ſeruauit. Concionandi talento etiam excelluit, vnde bis Genuæ, bis Taurini, ſemel coram Regia Celſitudine Sabaudiæ, per eſuriales ferias Quadrageſimæ, magno cum plauſu Eccleſiaſten egit. Inſigne exemplum contemptus mundi in ſe præbuit, quando in flore ætatis, vnicus Parentum opulentorum filius, & ſui iuris, ſpretis huius vitæ oblectamentis, ſe, & ſua omnia caduca bona, Deo in Societate conſecrauit. Innocentia vitæ tanta fuit, vt primam gratiæ ſtolam, quam in Baptiſmo acceperit, ad mortem vſque conſeruaſſe exiſtimetur. Dono orationis inſigni adeò præditus fuit, vt inuentus aliquando in cubiculo fuerit, in medio orans, quaſi abſtractus à ſenſibus, & abſorptus in Deo. Ad officia caritatis promptus, atque alacer omnibus ſe commodabat, & ſubditos etiam peſte laborantes inuiſit. Tempore famis, ac penuriæ, augebat eleemoſynas erga egenos, expertuſque eſt ſtatim maiores ſubmiſſas ad domum ſuam à Diuina prouidentia cum fœnore. Demum plenus dierum, ac frugis bonorum operum, dum verſatur in prædio ſuburbano propè Genuam tactus apoplexia migrauit ad Dominum die 18. Auguſti 1671. Edidit

Orationem quam in Paraſceue anno 1626. ad Vrbanum VIII. Pont. Max. habuit in Sacello Vaticano. Romæ typis Corbelletti 1626. Præterea Italicè

Vitam P. Caroli Spinulæ Societatis Ieſu combuſti propter Sanctam Fidem in Iaponia. Romæ typis iiſdem 1628. in 8. eam Hermannus Hugo Noſter latinè reddidit Antuerpiæ 1630. Ad hæc

Orationem Genuæ habitam anno 1638. De vnione, quam ſcripſit *Coronam Regiam.* Genuæ per Petrum Io: Calenzanum in 4.

Vitam Ven. Seruæ Dei Mariæ Victoriæ Stratæ Fundatricis Monialium Annuntiatæ. Genuæ 1640. in 4.

Meditationes in ſingulos anni dies de Vita Chriſti, in duas partes diſtributas, quarum prior pars prodijt Genuæ per Benedictum Guaſcum 1652. Secunda Pars ibidem 1553. in 8.

Meditationes de B. Virgine, & Sanctis præcipuis per annum. Genuæ per Ioannem Calenzanum 1658. Hæ omnes Meditationes recognitæ ab Auctore, atque auctæ ſæpius recuſæ ſunt varijs in locis, & nouiſſime Genuæ

per

per Benedictum Celle 1667.

Chriſtum patientem, & B. Virginem afflictam doloribus, cum diſcurſibus de S. Franciſco Xauerio. Genuæ per Franciſcum Meſchinum 1661. in 4.

Conciones Quadrageſimales. Genuæ per Benedictum Celle 1657. in 4.

Compendium Meditationum de Vita Chriſti, in ſingulos anni dies. Venetijs apud Zachariam Conzattum 1673. in 12.

* FABRITIVS BRITIVS natione Italus, patria Acebutenſis in Samnio, Societati ſe adiunxit Romæ anno à partu Virginis 1610. ætatis 18. & vota 4. nuncupauit. Poſt traditas Humaniores diſciplinas, Philoſophiam profeſſus eſt triennio, Matheſim quinquennio, Theologiam Scholaſticam Genuæ octennio; Moralem annis 13. & Conciones ad populum aliquandiu habuit, Vir omni litteratura apprimè excultus. Redux demum in Prouinciam Romanam deſijt viuere inter mortales Setiæ die 6. Octobris 1656. Edidit

Synopſim Scripturæ Sacræ vniuerſæ ex probatis Auctoribus excerptam. Genuæ typis Petri Franciſci Barberij 1645. in 12.

FABRITIVS PALLAVICINVS natione Italus, patria Genuenſis, Patritiæ ſtirpis, ætatis anno 16. Societati ſe dedit, Chriſti verò 1571. ſtudiorum curſum feliciter emenſus. Romæ Græcas litteras, & Mathematicas, Florentiæ in Hetruria, & Poſnaniæ in Polonia, & Romæ iterum Philoſophiam profeſſus eſt. Rexit Cracouiæ Domum probationis, ſeu Tironum, & in Gallia Collegium Auenionenſe. Poſt Inſpector Subalpinorum Collegiorum ſolis æſtu, atque itineris laboribus morbo contracto Genuæ deceſſit die 7. Septembris anno ſæculari 1600. Vir, vel paupertatis, vel indifferentiæ, vel perfectionis religioſæ ſtudio eximius. Scripſit primus, vt putatur anno 1583.

De Perfectione Religioſa è Sanctis Patribus, quo libro in Prouincia Poloniæ paſſim omnes vti ſolent. Scripſit etiam librum:

De Cambijs Mercatorum, eius rei peritiſſimus; dumque edere parat, obijt in Domino, quem dum à pluribus expeti Superiores aduertunt, P. Iulio Nigronio recognoſcendum Scholijſque illuſtrandum dederant; quid autem illo factum ſit incompertum eſt.

* FABRITIVS PIGNATELLVS natione Italus, patria Neapolitanus, nobiliſſima Familia ex Principibus Mineruini, & Spinazzolæ Marchionibus, Vincentij Caraffæ Præpoſiti Generalis ex Sorore nepos, natus anno ſæculi præterfluentis nono, adoleſcens ſuaue diſciplinæ religioſæ iugum, titulis ſæculi antetulit, & Societatem quam ardentiſſimè deperibat, amplexus anno 1623. votorum 4. ſacramento poſtea ſe adſtrinxit. In ſtudiorum decurſu, quæ cum ingenij laude abſoluit, feruor religioſi inſtituti in eo non intepuit, ſed ad eandem menſuram quà prouehebatur in ſcientijs, magis magiſque virtutem intendit. Humaniores litteras quadriennio docuit; Philoſophiam in Academia Neapolitana cum plauſu explicuit. Rexit Collegium Barolitanum, Domum probationis Neapolitanam Collegium ibidem, & Collegium Romanum, ſtrictioris diſciplinæ in ſe, & alijs cuſtos accuratus. Demum renunciatus Prouincialis Neapolitanus vix regere Prouinciam aggreſſus eſt, cùm graſſante per Vrbem Neapolitanam lue peſtifera, inter cæteros ipſe quoque correptus ad religioſè vitæ præmia euolauit die 26. Auguſti 1656. maximo ſui deſiderio, apud omnes relicto. Vir quippe fuit propter raras animi dotes, & inſignem pietatem, prudentiam, modeſtiam, ac Diuini honoris zelum cuicumque in Societate muneri idoneus. Scripſit librum typis poſthumis editum

De Monte Propitiatorio pro peccatis, ſiue de Sacroſanto Miſſæ Sacrificio lib. 4. cum opuſculo

De Apoſtolatu B. Nathanaelis Bartholomæi. Pariſijs, apud Franciſcum Muguet 1660, in 4.

FAMIANVS STRADA, natione Italus, patria Romanus, natus anno reparatæ ſalutis 1572. Societati nomen dedit 1591. & vota quatuor profeſſus eſt. Artis Rhetoricæ per annos 15. publicus Romæ Magiſter, Orator, Hiſtoricus, Poëta tota Europa percelebris, vt de eo ſcribit Leo Allatius, In Apibus Vrbanis, ex ſuo, & aliorum ſenſu. Vir fuit ſumma prudentia, religione, ac modeſtia; & Romæ arbiter non ſolùm litterarum ſed & animorum, quamuis ipſe ſibi nihil tribueret; ſed quò ſtudioſiùs aulam fugiebat, eò gratior Principibus viris, Purpuratis Patribus, atque ipſis etiam ſummis Pontificibus exſtitit. Illud mirabantur in eo omnes quòd cùm ſumma gratia atque auctoritate, apud omnes polleret, nunquam tamen ei excidit verbum quo aut ſua laudare, aut alios redarguere videretur. Religioſæ vitæ ad extremam ætatem retinentiſſimus fuit; nec vnquam permiſit ſibi quòd reliquis negaretur. Idem ei victus, qui omnibus, idem labor, etiamſi non eædem vires. Nullum plane diem incolumis prætermiſit quin flagello in ſe animaduerteret. Demum annis grauis, & crebris calculi doloribus afflictatus, fatiſcente corpore, & ſuſceptis rite Eccleſiæ Sacramentis religioſam Deo animam reddidit in Collegio Romano die 6. Septembris 1649. ſcripſit atque edidit Romæ

Proluſionum Academicarum libros 3. octies recuſos. Quo de opere, vt vnum ex multis doctorum hominum teſtimonijs ſubijciam, Ioannes Baptiſta Sacchus, Senatus Mediolanenſis à ſecretis, librorùmque pro Regijs Cenſor Areſio præſidi ſcribens: *Redit*, inquit, *ad te Illuſtriſſime Strada tuus. Quæris quid de ipſo ſentiam? Vir hic ſublimi admodum ingenio eſt, & excelſo, quodque de Angelo Politiano diſertiſſimi*

tiſſimi olim homines tradidere, verſatili, & ad omnia facto, iudicio acri, & perpolito: Doctrina varia, & admirabili; eloquentia rara imo ſingulari, certè ſupra modum huius æui: prudentia, & rerum cognitione tanta, vt humanarum actionum, & caſuum nihil prorſus eum fugere videatur. Proteus eſt nouaſque ſubinde formas inuenit, in quas ſe vertat; Illud vero palmarium ei eſſe duco, quod vbique ſcriptorum ſuorum ioca ſimul, & ſeria miſcet; & cum lepidus ſit, ac feſtiuus, iocoſuſque ad effuſos vſq; riſus prouocandos, nihil tamen interim ei deperit de pietate, modeſtia, grauitate, vel decoro, adeò vt omne ferè punctum &c. Præterea

Orationes tres de Paſſione Domini ab eo habitas *in Sacello Pontificio coram Clemente Octauo, & Paulo Quinto*, bis Romæ impreſſas. Item

Orationem in Nouendiali Funere Gregorij XV. quam dixit *in Baſilica Vaticana coram Collegio Card.* Romæ editam.

Oratiunculam qua Vrbanum VIII. Collegium Romanum inuiſentem excepit. Impreſſam Vilnæ.

Orationes alias, & Poemata tacito nomine in lucem edita. Poſtremò

De Bello Belgico Decadem primam. Impreſſam primùm Romæ anno 1633. Deinde intra annos 8. Latina quidem editione ſexies recuſam. Præter alias linguas in quas tranſlata eſt, vt vniuersè quindecies ſit edita,

De hac Hiſtoria, omiſſis honorificis aliorum iudicijs ſic Belgæ ſentiunt. Ericyus Puteanus omnium eruditorum ore, quos vnus ipſe complectitur, ſcribens in Epiſtola ad Silueſtrum Petraſanctam: *Magnus*, inquit, *ille & verè Heroicus Hiſtoriarum Scriptor, ille fama Noſter Famianus Strada, res Belgicas Latina ſtyli maieſtate complexus, turbatæ Europæ cauſas, initia, progreſſus, tàm accuratè expoſuit, vt ſuum non ſuo æuo, ornare viſus ſit, noſtrum antiquo. Habent ſuum Romani Saluſtium, Liuium, Tacitum, nos Stradam, qui vt Belgas deſcriberet Romanus eſſe debuit, ingenio, iudicio, eloquio, inſtructiſſimus. Libera, plena, & elegans vbique narratio eſt, aurum eſt: Ciuiles autem ſententiæ, velut gemmæ interlucent, tàm aptè collocatæ, vt ſine tumore emineant, ſine affectione exſurgant. Aequalitas interim ſumma eſt, grauitas moderata, ſubtilitas facilis, veritas incorrupta. Religioni quantum tribuendum ſit, condita hic pietas obſeruauit ab ipſo directa Numine, cuius potiſſimum habenda erat ratio, ne à vera belli cauſa argumentum abiret*. Addo huic Aubertum Miræum Dec. Antuerp. V. C. qui ſic Epiſt. ſuam orditur Antuerpiæ ad eundem ſcriptam. *Alterum æuo noſtro Tacitum, & quod caput eſt, Belgio noſtro datum, meritò hic nobis gratulamur: atque ita quidem cenſent non ſolum Belgæ, qui pro Rege ſuo fortiter ſtant, ſed & Batauí in quos arma ſtringimus &c.* Et verò Batauos ita ſentire vide, quid de ijs referat Iac. Vuyntius è Belgio Romam ad amicum ſcribens. *Volo tamen*, inquit, *mentem iudiciumque hoſtium exponere. Cum nuper Fœderatorum Ordinum exercitus in vicinia noſtra conſiſteret, D. Vicecomes Aloſtanus cum Supremo Præſide Concilij Bellici, Secretario Principis Auriaci, alijſque proceribus, de Stradæ Hiſtoria ſermonem habuit, quàm illi à ſe diligenter lectam, ſummiſque laudibus vtpotè nitidam, ſuccinctam, dilucidam, & maximè veram, extollebant, quæ in eo genere alias omnes Hiſtorias antecelleret. Idem mihi in Caſtris illis verſanti aſſeruit Præfectus Prætorio Principis Auriaci, atque adeo apud militares omnes, & ciuiles Magiſtratus pretium, & fidem ſingularem eam habere.* Sed inſtar omnium accipe ſuffragium longè maximum, Regis inquam Poloniæ, ac Sueciæ Vladiſlai IV. qui cùm delatam ad ſe Famiani Hiſtoriam perlegiſſet, datis ad Mutium Vitelleſcum Præpoſitum Generalem litteris: *Armorum*, inquit, *Motus in Belgio ſingulari, cultoque ſtylo ad ſinceræ veritatis Hiſtoriam expoſiti à P. Famiano Strada tanto omnium ordinum plauſu excepti ſunt, vt homines profectò non deſinant, aut hoſce annales admirari, aut eorum continuationem ardenter expoſcere. Nos qui eos ſingulari voluptate legimus, & admirati ſumus, nec minùs quàm alij idem exoptamus, haud neſcij quantum & circumſpectio in homine tantæ exiſtimationis, & virtus fugiendæ publicæ laudis, eum ab hac continuatione remoratura ſit: idcirco noſtris hiſce litteris P. Veſtram compellauimus, cupientes ab ea operam adhiberi, vt is non omittat, quæ ſuperſunt in lucem edere, ad huius ſæculi gloriam, ad Societatis decus, & Scriptoris ad famam &c.*

In quam ſententiam idem Rex eodem tempore ad Famianum ipſum ſcribere à Maieſtate ſua alienum non putauit.

Edidit quoque de

Bello Belgico Decadem ſecundam. Romæ apud Corbellettum 1647. in folio, tanta vbique approbatione, ac plauſu acceptam, vt intra biennium decies latinè ſit recuſa, & in quinque diuerſas linguas tranſlata, ſcilicet Italicam, Hiſpanicam, Gallicam, Anglicam. & Flandricam. Parabat etiam

Decadem tertiam, & prælo iam idonea alia habebat.

De Inſignibus, vulgò Impreſſis. lib. 1.

De Artificio contexendæ orationis. lib. 4.

De affectibus oratoriè concitandis. lib. 1.

De Moribus ad Oratoriam. lib. 1.

Epitaphiorum à ſe compoſitorum librum 1. & alia quædam, quæ mors intercepit.

FELICIANVS DE FIGVEROA natione Hiſpanus patria Xerecenſis Societati adſcriptus anno ſalutis 1613. ætatis 15. votorum quatuor profeſſionem emiſit. Nouennium in ea docuit humaniores diſciplinas Noſtros, & externos; Septennium ſacras litteras Hiſpali eſt interpretatus. Vir Latinè, Græcè, Hebraicè egregiè doctus. Rexit Collegia Vbedanum Carmonenſe, & Domum Probationis Hiſpalenſem

lenſem. Valdè prudens, ſpiritualis, religioſæ diſciplinæ obſeruans, Concionator etiam, & operarius inſignis, multis profuit ad ſalutem. Deceſſit Hiſpali die 28. Iulij 1656. Edidit cùm Rector eſſet Vbedani Collegij a ſe habitam.

Orationem in Funere Comitis de Riela. Ibidem impreſſam 1637. in 4.

Item Orationem in exequijs D. Luiſij Franciſci de Caſtilla. Hiſpali 1642. in 4.

Maiora prælo parabat, ſed mors præoccupauit.

FELIX FELICIVS patria Montopolitanus, Sabinus, vicennis Societatem ingreſſus anno ſalutis 1594. vota quatuor nuncupauit. Rhetoricam, & litteras Græcas aliquot annis profeſſus eſt, vir antiquæ ſimplicitatis, ſed religioſæ. Valdè obſeruans regularis diſciplinæ, & conſcientiæ perquàm teneræ. Viuere deſijt in hoc ſæculo, die penultimo Septembris 1661. in Romano Collegio, in quo maximam ætatis partem tranſegerat. Edidit

Onomaſticon Romanum, hoc eſt, *Dictionarium Italico-Latinum*. Romæ apud Corbelletum 1628. in 8. Quod auxit poſtea & recudit iiſdem typis 1658. in 4.

* FELIX GIRARDVS natione Italus, patria Nolanus, nobili genere, Societati ſe adiunxit anno ſalutis 1612. ætatis 15. & votis quatuor ſe adſtrinxit. Poſt traditas quadriennium humaniores diſciplinas, totos 20. annos concionibus ad populum habendis traduxit, non vulgari cum laude ſanæ probatæque eloquentiæ. Reliquos vitæ annos exegit in conſcribendis pijs, eruditiſque operibus; & conſuetis Societatis miniſterijs. Demum ſeptuagenario maior naturæ religioſè conceſſit. Neapoli die 3. Iulij anno 1665. Edidit Italico idiomate

Triumphum Chriſti in Euchariſtia. Neapoli apud Iac. Gaffarum 1645. in 4.

Diarium rerum præclariſſimarum ab orbe condito per ſingulos anni dies in quibus euenerunt, digeſtum. Neapoli apud Robertum Mollum 1658. in 4.

Sanctum Franſiſcum Xauerium viuam effigiem D. Pauli Apoſtoli. Neapoli apud Hyacinthum Paſſerum 1661.

Mercurium ſæculi decimi ſeptimi. Neapoli apud eundem Paſſerum 1664.

Diſcurſum de Paſſione Domini, ſub nomine Celij Grafredij. Neapoli typis Franciſci Sauij 1655.

Paratam etiam prælo reliquit.

De mortibus præclaris iuſtorum, miſerrimis Peccatorum. Item

De glorioſis Iuſtorum natalitijs, ſceleſtorum autem infamibus. Sed hæc nondum prodierunt.

* FELIX RADLINSKI natione Bohemus, patria Tainenſis in Societatem admiſſus anno Domini 1635. ætatis ſuæ 32. docuit quinquennio humaniores litteras, & varijs muneribus functus eſt; ſuperſtes in Collegio Hradiſtienſi. Edidit Bohemico idiomate

Speculum Matris Doloroſæ. Olomucij typis Viti Ectelij 1666. in 8.

Tranſtulit à Germanico Librum *De Fide, Spe, & Charitate* conſcriptum à P. Friderico Spee, cui titulum fecit

Aureus virtutis liber. Pragæ typis Vniuerſitatis 1662. in 8.

Philomelam eiuſdem Auctoris. Pragæ typis iiſdem 1665. in 8.

Vſum meditandi compoſitum à Nicolao Lancitio, Pragæ typis iiſdem 1667. Complures alios habet paratos, & prælum expectantes.

FERDINANDVS AGVILERA natione Chilenſis in America Meridionali, natus in Vrbe Imperiali, Societati ſe aggregauit anno ſalutis 1579. ætatis 18. & maximam ætatis partem habendis Sacris Concionibus ad Hiſpanos, & Indos (quorum ſalutis ſtudio impenſiſſime tenebatur) conſumpſit, profeſſus vota quatuor anno Domini 1600. Rexit etiam Collegium Pacenſe, & plenus dierum, ac bonorum operum quieuit in Domino Cuſchi in Regno Peruano anno 1637. Moriens reliquit parata ad typos

Concionum aliquot volumina.

FERDINANDVS ALBERVS natione Germanus, patria Tirolenſis, adoleſcens annos natus 17. in Societatem ingreſſus eſt anno ſalutis 1565. ad omnia ſumma natus, factuſque, vt poſterior ætas palam fecit. Fuit enim Rector annis 14. bis Auſtriæ, ſemel Germaniæ Superioris, Prouincialis, Viſitator ad Rhenum, Aſſiſtens pro Germania penes Claudium Aquauiuam Præpoſitum Generalem, qui moriens eum deſignauit poſt ſe Vicarium Generalem. Cùm autem Claudio Mutius Vitelleſcus eſſet ſubrogatus, miſſus in Auſtriam Alberus Prouincialis, Homonæ in extrema Hungaria, quà Poloniam attingit ad montes Carpathios, diem clauſit extremum 30. Octobris anno ſalutis 1617. ætatis 69. ab inita Societate 52. Fuit vir comis in loquendo, maturus in moribus, grauis in conſilio, in omnibus vitæ actionibus ita circumſpectus, vt nihil deprehenderes, quod offenderet. Peculiari pietate, ac cultu proſequebatur S. Matthiam Apoſtolum, cuius ſe præſens in difficillimis rebus auxilium dicebat expertum. Edidit adſcripto poſt dedicationem nomine ſuo, translatam à ſe Germanicè olim cum adoleſcens eſſet

Vitam S. Ignatij Loyolæ Fundatoris Societatis Ieſu, à Petro Ribadeneira conſcriptam. Ingolſtadij typis Sartorij 1590. in 4.

Summarium Conſtitutionum, & Regulas Communes Societatis Ieſu, vertit idem ipſe Germanicè, ediditque ſuo nomine prætermiſſo.

FERDINANDVS BASTIDA natione Hiſpanus, patria Pincianus, Salmanticæ adoleſcen-

leſcentulus 17. tantùm annum ingreſſus, Societati ſe addixit anno ſalutis 1588. & ad Religionis normam formatus, bonarum litterarum diſciplinis pectus impleuit. Poſtea Romam profectus, multa virtutis, ingenij, induſtriæ, atque eruditionis ſuæ argumenta præbuit, cùm alijs in rebus, tum maximè in diſputationibus coram Clemente VIII. & Paulo V. ſummis Pontificibus, habitis. Redijt in Hiſpaniam, & in Collegio Pinciano S. Ambroſij Theologiam, quæ ratione philoſophatur, cum laude profeſſus eſt, ac D. Thomam interpretatus. Scripſit dum in Societate verſaretur Hiſpanicè, & Italicè librum quem inſcribit

Antidotum contra Conſiderationes Fr. Pauli Veneti in 8.

FERDINANDVS DE CAPVA, natione Italus, patria Neapolitanus prænobili familia natus, & in Societatem anno 1599, ingreſſus. Philoſophiam, & Theologiam docuit, atque inter conſpicuos litteris, & virtute in Neapolitana Prouincia viros fuit. Collegium, & Profeſſorum Domum Neapoli gubernauit annis 11. ibiquè naturæ conceſſit die 4. Nouembris anno 1638. ætatis 64. Edidit

Concionem Italicam, quam Neapoli die 4. Octobris anno ſalutis 1620. habuit in Beatificatione S. Tereſiæ Carmelitarum Excalceatorum Fundatricis.

FERDINANDVS CASTRILLVS, natione Hiſpanus, patria Gaditanus, non Hiſpalen (vt rectè obſeruauit D. Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hiſpana) iuuenis natus annos 16. ad Societatem acceſſit anno ſalutis 1602. & in ea compluribus annis Philoſophiam, & Theologiam, tum Moralem, tum controuerſam explicuit, & ſocijs Rector Cazorlæ præfuit. Reliquum vitæ bene longæ tempus in excipiendis Confeſſionibus, etiam ægrorum in noſocomijs, in Catechiſmo rudibus tradendo, Iuuenibus & alijs ad meliorem vitæ frugem pertrahendis tranſegit: Denique ſenio, & ægra valetudine fractus, & octogenario maior, migrauit in regionem ſemper viuentium Vrſaone die 21. Nouembris 1667. votorum quatuor lampridem profeſſus. Scripſit Hiſpanicè

De Magia naturali, ſeu Philoſophia occulta. in Oppido Trigueros, apud Ludouicum Eſtupinam 1636. recuſum ibidem, apud Didacum Perez de Eſtupina 1649. in 4.

FERDINANDVS DE CASTRO PALAO, natione Hiſpanus, patria Legionenſis in Societatem ſe penè puer annos 15. natus recepit die 8. Februarij anno 1596. in eaquè confectis Philoſophiæ, ac Theologiæ ſtudijs, Valliſoleti Philoſophiam, Compoſtellæ Moralem Theologiam; & Salmanticæ Scholaſticam magna eruditionis fama docuit. Sanctæ Inquiſitionis Qualificator, ſeu Cenſor fuit, & Conſultor. Rexit Collegium Compoſtellanum, & Methymnenſe, in quo Cal. Decembris anno 1633. naturæ conceſſit. Celebris hic ſcriptor ferè ante vſum rationis videtur præuentus à Deo in benedictionibus dulcedinis, atque exinde erga Deiparam amore tenerrimo flagrabat. Vnde admiſſus ſtatim poſt vſum rationis ad Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, frequentauit illa adeo reuerenter, tamquè religiosè in moribus, & præſertim in pudicitia ſe gerebat, vt vulgò audiret *Puer Prædeſtinatus*, cui titulo ex Tirocinio noſtro acceſſerunt alij *Angeli*, & *Sancti* ob mirum animi candorem, exactiſſimam legum noſtrarum obſeruantiam, & eximia virtutum ſpecimina, tam apud Noſtros quàm Exteros exhibita. Fuit enimuero humillimus, pauperrimus, Superioribus obedientiſſimus. Inſtituti noſtri miniſterijs erga proximos impensè addictus, vnaquè orationi, lectioni, & ſcriptioni deditus; infirma valetudine fractus, & grandæuus, libriſque edendis intentus, non admiſit ſocium, qui cubiculum verreret, vel lectum ſterneret, cumquè è Collegio Methymnæ campi, vbi Rector præerat, Valliſoletum ſe conferret hiberno tempore, vſus eſt aſello, nulliſquè aduerſus frigus præſidijs ſe munire voluit. Moralem Theologiam in Compoſtellano Collegio tradidit tanto concurſu, quantus nunquam antea, vel poſtea viſus eſt, & tamquam oracula excipiebantur, quæ proferebat, conſultus, vndique in caſibus difficillimis, etiam à Sac. Inquiſitionis Adminiſtris. Angebatur animi ſupra modum quoties ſe videbat ab alijs magni fieri. Tandem admonitus de inſtante morte, inſolitæ lætitiæ ſigna præſtitit, ingenuè faſſus, ſe nullius letalis culpæ in anteacta vita argui à conſcientia ſua, atque ita placidiſſimè in Domino obdormiuit, ſanctitate non minùs quàm litteris conſpicuus. Edidit operis Moralis de Virtutibus, & Vitijs tomos ſeptem in folio quorum

Primus continet tractatus ſex, de Conſcientia, Peccatis, Legibus, Fide, Spe, & Charitate; Lugduni ſumptibus Claudij Lundrij 1631. & 1645.

Secundus complectitur Tractatus 8. *de Oratione, Horis Canonicis, Adoratione, Sacrificio, Obſeruatione feſtorum, Decimis, Primitys, &c.* Lugduni ſumptibus Claudij du Four 1635. & iterum 1650.

Tertius habet Tractatus 4. *de Iuramento, Adiuratione, Voto, Statu religioſo, & vitys oppoſitis.* Lugduni ſumptibus eiuſdem 1638. & 1649.

Quartus explicat Tractatus 10. *de Baptiſmo, Confirmatione, Euchariſtia, vt Sacramento, & Sacrificio, Pœnitentia, Suffragys, Indulgentys, Iubilæo, Bulla Cruciatæ, Extrema vnctione, Ordine.* Lugduni ſumptibus Ioann. Baptiſtæ de Vinet 1649. editio ſecunda

Quintus Tractatum 1. *de Sponſalibus, & Matrimoniis.* Lugduni ſumptibus eiuſdem 1649. editio ſecunda

Sextus Tractatum de Cenſuris. Ibidem 1649. editio ſecunda

Septimus de Iuſtitia, & Iure, Prudentia, Fortitudine, & Temperantia. Ibidem ſumptibus Philippi Borde, & Soc. 1651. Edidit etiam lingua Hiſpanica

Manuale Chriſtiani, complectens varias Conſiderationes ad exercitium S. Orationis. Valliſoleti, apud Viduam Ioannis Laſſo 1633. in 4.

FERDINANDVS CRENDELIVS, natione Germanus, patria Monacenſis in Societatē admiſſus anno ſalutis 1574. ætatis 17. Vir Græcis Latiniſq; litteris, & omnis antiquitatis diſciplina excultus quā accuratiſſimè; Iacobi Gretſeri fideliſſimus, & indefeſſus ſtudiorū ſocius, & Adiutor: ſed qui alieno iudicio peritiſſimus, ſuo valde imperitus ſibi videbatur: quod autem ſcire credebatur beneficij loco ducebat ſi quis vellet condiſcere. Votorum formulam animo volutabat aſſiduè, cuius ex verbis, Diuino ſe conſpectui indigniſſimū, ita cogitabat, vt nihil, vel iniuriarum, vel contumeliarum putaret ſibi à quoquam poſſe contingere, quod animo non ferret æquiſſimo. Cuius rei perpetua meditatio tam ſingularem ipſius animo ſenſibuſque indiderat moderationem, vt non nemo contemplatus ſtudioſè optimi Patris omnem in dicendo, agendóque rationem pronunciaret, vix ſe incidiſſe in tam compoſitæ modeſtiæ Ieſuitam. Quod Religioſi hominis eximium decus, quantum fuerat integra eius valetudine, clariùs eadem peſſimè affecta deprehendi potuit, cùm reſciri non potuit, quibus remedijs quibuſuè obſonijs recreari ſe potiùs agnoſceret. Inualeſcentis Hydropis ſumma vi, cùm occuparentur iam præcordia, & infeſtis in aquis periculosè natarent, cruciatuum immanis facta eſt acceſſio, ab vndecim dierum ardentiſſima ſtranguria, per quam dolorum carnificinam, vir animi ſumma diſciplina temperati, nec voce, nec vultu, cruciatus vllam ſignificationem edidit. In quo Religioſæ patientiæ, ac tranquillitatis clariſſimo triumpho, cùm ſocijs breuiſſimè, at multo cum ſenſu, mutuam commendaſſet charitatem, animam exhalauit Ingolſtadij die 30. Maij 1614. ætatis 57. aditę Societatis 38. ſpiritualis Coadiutor pridem antea formatus. Vertit ex Italico in latinum.

Deſcriptionē floris Granadillæ, ſeu Granatulæ plantæ Indicæ, quæ illic Paſſio Chriſti paſſim dicitur, cui additamenta inſperſit, *& Scholia ad Magrinem*, & adiecit de ſuo, *latina quædam Epigrammata*, extant tomo III. de Cruce Iacobi Gretſeri ad finem, in Horto S. Crucis Parte 4.

FERDINANDVS GVERRIERO, natione, Luſitanus, patria Almodouarenſis diœceſis Eborenſis, Societatem ingreſſus anno Domini 1567. ætatis 17. Miſſiones varias per regnum obiuit. Rexit Collegia Funchalenſe, & Brigantinum; fuit Viſitator in Inſulis Tertiarijs, vota quatuor profeſſus ab anno 1587. Reliquum vitæ exegit in ſacris Concionibus ad populum, alijſque Societatis miniſterijs, & religiosè obijt Olyſſipone die 28. Septembris 1617. Scripſit ſua lingua

Relationem annuam rerum à Societate geſtarum in India, & Iaponia annis 1600. & 1601. Eboræ, apud Emmanuelem de Luca 1603. in 4. Item

Annorum 1604. & 1605. libris 4. quibus continentur Iaponica, Sinenſia, Indica, Aethiopica, Angolana, Guinenſia. Olyſſipone apud Petrum Craesbeck 1607. Item

Annorum 1606. & 1607. libris 4. continentibus, Iaponica, Sinenſia, Indica, & alia. Vlyſſipone iiſdem typis 1609. Item

Annorum 1608. & 1609. lib. 5. quibus exponuntur Iaponica, Sinenſia, Indica, Mogorenſia, Aethiopica, &c. iiſdem typis 1611. Aliqua ex his lingua Caſtellana donauit Noſter Antonius Colazus.

FERDINANDVS GVYON, natione Gallus, gente Burgundo-Sequanus, domo Dolanus, cooptatus in Societatem anno ſalutis 1621. ætatis 22. Docuit in ea litteras humaniores, & biennio Theologiam Moralem, votorum quatuor nuncupatione obligatus. Deſijt viuere inter mortales Foroiulij, die 5. Auguſti 1645. Tranſtulit Gallicè conſcriptam à Noſtro Ferdinando Meltio

Vitam Mariæ Victoriæ Fundatricis Ordinis Sanctimonialium Genuenſium B. Virginis Annunciatæ. Lugduni, Apud Claudium Lariot 1631. in 8. Item collectos à noſtro Ioanne Hieronymo Baiolio

Annales Sodalitatum B. Mariæ Virginis

* FERDINANDVS HERBERSTEIN, natione Germanus, patria Græcenſis, ex nobiliſſima Styriæ familia, vicennis Deo ſe in Societate deuouit, anno ſalutis 1625. & votorum quatuor ſacramento ſe adſtrinxit. Docuit in ea diſciplinas humaniores, Dialecticam, Ethicam, Theologiam Moralem, Scholaſticam, & per ſexennium Ius Canonicum in Academia Græcenſi. Rexit Collegia Lincenſe, Iudenburgenſe, Viennenſe, & Domum Profeſſorum ibidem, vbiquè magna lau. de prudentiæ, & amoris diſciplinæ religioſæ, in ſe, & alijs. Demum cœleſti brauio (vt ſperamus) donandus, obijt Styræ die 22. Ianuarij 1673. Edidit dum Ius Pontificium Græcij explicaret.

Concluſiones Iuridicas de Indicijs in lib. 2. Decretalium Gregorij 9. Græcij typis Vvidmanſtianis 1649. in 16.

FERDINANDVS IAEN, natione Hiſpanus, patria Cordubenſis, Vir à doctrina, & ſanctitate commendatiſſimus, quem Patres animam benedictam vocabant, Compluti cùm vir iam tum eſſet quadragenario maior, & Theologica Laurea Doctorali ornatus, ad Societatem noſtram animum conuertit, in eam-

eamquè admiſſus eſt die 27. Iunij anno à Partu Virginis 1559. In Hiſpania, ac Romæ, & Viennæ in Auſtria Theologiam Scholaſticam explicuit. Deinde Patauino Collegio Superintendens, Maceratenſi Rector præfuit. Poſtremo in S. Petri Baſilica multum laborem Confeſſionibus audiendis exhauſit, vnde 15. Cal. Maij anno 1567. in Cœleſtem patriam commigrauit. Scripſit ante ingreſſum in Societatem

Quæſtionem quodlibeticam de Concordia Genealogiæ Chriſti Domini ſecundum Matthæum, & Lucam. Compluti, apud Ioannem Brocharium 1557. in 8.

FERDINANDVS MELTIVS, natione Italus, patria Mediolanenſis, familia nobili, Societatem anno 1591. ætatis 22. complexus, in ea geſto Rectoratu Nouitiatus annis 11. alijſque obitis munijs, ſexagenarius naturæ conceſſit, Genuæ die 23. Decembris 1619. poſt editam quatuor votorum profeſſionem 1. Ianuarij 1608. Conſcripſit Italicè

Vitam B. Mariæ Victoriæ Fundatricis Annunciatarum Genuenſium; quam noſter Ferdinandus Guyon Gallicè redditam edidit Lugduni, apud Claudium Lariot 1631. 8.

FERDINANDVS MENDOZA, natione Hiſpanus, patria Torrecilla de los Cameros, diœceſis Caliguritanæ, Societatem ingreſſus anno ſalutis 1579. ætatis 18. profeſſionem votorum quatuor emiſit 1600. & cùm eſſet Excellentiſſimo Comiti Lemenſium Proregi Neapolitano à Confeſſionibus, adnitente Duce Lermæo, renunciatus eſt à Clemente VIII. Pont. Max. Archiepiſcopus Cuſchenſis in Peruuio, fruſtra enixè id deprecante, pro ſui muneris ratione, Præpoſito Generali Societatis Claudio Aquauiua, ne eo exemplo aperiretur in Societate porta ad ambiendas conſimiles Inſulas. Eo in munere omnes illc optimi Antiſtitis numeros expleuit; ipſe ad populum conciones frequens; ad Clerum lectionem de moribus habere quotidie, ipſe viſitare ſuos atque, examinare; in pauperes adeò profuſus eſſe, vt ex locuplete cenſu nihil omnino ſuperfuerit morienti. Monialibus Arequipa ob terræ motum profugis Cuſci Domum, templum, & dum vixit ad vitæ vſus neceſſaria ſuppeditauit; ſtudio ſalutis hominum effecit, vt ternos in Epiſcopatus, quamuis cum detrimento ſuorum prouentuum, Archiepiſcopatus diuideretur. Denique plenus bonorum operum migrauit ad Dominum. Scripſit Hiſpanicè conſultus à Comite Prorege

Tractatus tres morales, Vnum de gratijs, quas poſſit Prorex conferre, & quid pretij pro illis accipere.

Alterum de officijs, quæ vendi poſſint, quæ non poſſint.

Tertium de extractionibus Frumenti, quanta fieri poſſint, & cuius commodo. Neapoli apud Tarquinium Longum 1602. in 4.

FERDINANDVS DE MENDOZA alter natione item Hiſpanus, patria Baëzanus (non Pincianus, vt in priori editione ſcriptum eſt) Societati ſe adiunxit anno ſalutis 1597. ætatis 21. atque in ea Philoſophiam Fregenabij, & Hiſpali, Theologiam tum Moralem, tum Scholaſticam Aſtigi, Cordubæ, Hiſpali, ac demum Matriti in noua à Philippo IV. Rege Catholico inſtituta Academia docuit, ſpatio 26. annorum; ſtudijs maioribus præfuit annis 12. Rexit Collegia Baëzanum, Malacitanum, Conceptionis Hiſpali, & Domum Profeſſam ibidem, cuius dum eſſet Præpoſitus, electus eſt à Comitijs Prouinciæ, vt intereſſet Congregationi Generali 8. Romæ, in qua multiplex, ſpecimen ſuæ ſapientiæ, & virtutis edidit. Emicuit in eo profunda humilitas, & paupertas, tam exquiſita, ac ſi eſſet Nouitius. Pœnitentiæ operibus aſſiduè deditus, aſperrimis cilicijs ſe amiciebat, bis quotidie flagellis ſe cædebat, ieiunabat diebus veneris, & ſabbati, ſomno horas ſubtrahebat, vt diutiùs vacare poſſet orationi. In hac diuinitùs præmonitus creditur de morte ſibi imminente, nam ſæpe auditus eſt aſſerere, ſe Præpoſituræ triennium non abſoluturum. Ita planè euenit, nam die 16. Iulij 1648. ſeptuagenario maior, circumplectens brachijs Crucifixum placidiſſimè animam efflauit. Parauerat prælo, ſed non edidit in lucem

Opus de Iudicijs, & Iudicibus

Fundamenta Iuris, & morum, pluribus tomis diſtincta

Principia, & Fundamenta Theologicæ doctrinæ Scholaſticæ.

Prologomenon in Sacram Doctrinam tom. 1. & Hiſpanicè

Apologiam pro Societate IESV.

FERDINADVS MONTEGNANA, natione Germanus, gente Styrus, patria Cilleenis in Societatem anno 1617. ætatis 18. venit, & vota quatuor profeſſus eſt. In ea humaniores litteras diu; eloquentiam noſtros adoleſcentes docuit. Theologiam moralem, Canones, & Sacram Scripturam aliquamdiu explicuit, Miſſiones varias, cum fructu obiuit, & Optimatibus pluribus apprimè gratus iiſdem à ſacris Confeſſionibus fuit. Demum plenus dierum, ac bonorum operum migrauit ad Remuneratorem omnium Viennæ die 28. Maij 1674. Edidit

Orationem Funebrem in exequijs Ferdinandi II. Cæſaris, dictam Labaci die 23. Martij 1636. Græcij typis Vvidmanſtadij

FERDINANDVS QVIRINVS DE SALAZAR, natione Hiſpanus, patria Conchenſis ingreſſus eſt in Societatem admodum imbecillæ ætatis anno ſalutis 1592. in eàque ad omnem doctrinæ, & virtutis laudem, contendit. Sacram Scripturam annis 12. Murciæ, Compluti, & Matriti eſt interpretatus, emiſſa profeſſione quatuor votorum

Sanctæ

Sanctæ Inquiſitioni fuit à Cenſuris, Regi Catholico Philippo IV. à Concionibus, Excellentiſſimo Comiti Oliuario (qui primum gratiæ locum apud eundem Regem obtinebat) à Confeſſionibus. Deſignatus eſt à Rege Epiſcopus primum Malacitanus, poſtea Archiepiſcopus Ciarquenſis, quæ eſt opulenta in Regno Peruano Eccleſia; quas dignitates, & ipſe conſtanter ex Inſtituto ſuo repudiauit; & Mutius Vitelleſcus Præpoſitus tunc Generalis Societatis, apud Vrbanum VIII. Pont. Max. exemplo S. Ignatij in promotione perſimili, pro viribus impedire conatus eſt. Verùm defugere non potuit locum Senatoris in Supremæ Inquiſitionis Tribunali, quem ab Eminentiſſimo Cardinali Zapata Supremo Inquiſitore pro imperio admittere compulſus eſt anno 1631. Demum annis grauis; Sacramentis Eccleſiæ prius ritè communitus ad cœleſtis patriæ opulentam requiem migrauit Matriti die 4. Octobris 1646. Edidit

Expoſitionem in Prouerbia Salomonis tomis 2. Pariſijs anno 1619. in folio

Defenſionem pro Immaculata Deiparæ Conceptione. Opus planè eruditum, & omnibus numeris abſolutum. Coloniæ recuſum typis Io: Kinchij 1621. 1622. in folio, & alibi

In Cantica Canticorum expoſitionem tomis duobus Lugduni apud Petrum Proſt. 1652. in folio; Hiſpanicè Edidit

Praxim frequentandi ſacram Communionem. Madriti per Ludouicum Sanchez. 1622. in 8.

FERNANDVS REBELLVS, natione Luſitanus, patria ex Oppido Prato diœceſis Lamencenſis, in Domo Profeſſorum Vlyſſiponenſi ſe Chriſto in Societate ſacrauit die 20. Maij anno ſalutis 1562. ætatis 15. Ariſtotelicas diſciplinas ſexennio profeſſus eſt, Theologicas in Academia Eborenſi duodecim annos feliciter explicuit, eiuſdem Academiæ Cancellarius octennio, & Portuenſis Collegij Rector fuit. Vir, & omnium virtutum genere, & doctrinæ laude præſtans. Tanta fuit ingenij manſuetudine, vt cùm ſæpe inter argumentandum, vti fit, aſperioribus verbis perſtringeretur nihil vnquam reſponderit licentius, nullam irati, aut quiritabundi animi dederit ſignificationem, quo effectum eſt, vt inter externos Academicos Iobi appellationem, & laudem ſortitus ſit. Adeò fuit omnibus in rebus moderatus, ac temperans, vt vix exſtiterit, qui in eius actionibus, vel minimam peccati labem deprehenderit. Communi bono nihil habuit prius, aut optatius, cui ſua ſcriptione ſeruire voluit. Obijt Eboræ die 20. Nouembris anno 1608. votorum quatuor pridem antea Profeſſus. Scripſit

Opus de obligationibus Iuſtitiæ, Religionis, & Charitatis cuius prima pars ſolum, quæ eſt de Iuſtitia prodijt. Lugduni, apud Horatium Cardon 1608. in folio

FIDELIS DANIEL, natione Italus, patria Veronenſis. Societati adſcriptus anno ſalutis 1580. Poſt artem dicendi, & Philoſophiam non ſemel traditam Mediolani, Concionibus habendis vitam traduxit. Obijt demum Mediolani die 28. Martij anno 1616. Habuit Italice

Orationem qua B. Carolum Borromæum in anniuerſario die felicis eius Tranſitus laudauit, quam Brixienſis typographus euulgauit. Edidit ipſe Italice

De Diuina Prouidentia libros 3. Mediolani, apud Io. Baptiſtam Bidellum 1615. in 4.

FLANDRO-BELGICA PROVINCIA Societatis Ieſu multorum inſigniſſimorum in vinea Domini operariorum Parens, atque Altrix, initium habuit ab ipſo S.P.N. Ignatio anno reparatæ ſalutis 1566. coniunctim cum Gallo-Belgica, & Rhenana, ſub nomenclatura Germaniæ inferioris, quando impetrata eſt à Philippo II. Rege Catholico facultas figendi Sedem ſtabilem in Belgio, & bona pariter ſtabilia poſſidendi. Progreſſu temporis, aucta Sociorum, & Collegiorum numero, ſeparata primum ab illa eſt Rhenana à P. Iacobo Laynez Præpoſito Generali anno 1564. poſtea etiam Gallo-Belgica à P. Claudio 1612. & demùm pars Prouinciæ Anglicanæ ſub annum 1619. Complectitur hodie hæc Prouincia Collegia 17. vna cum Domo Profeſſa, Domo Tertiæ Probationis Lyrana, & Miſſionibus Hollandica, Nauali, & Caſtrenſi, & in his ſocios circiter ſeptingentos & triginta, qui pro ratione Inſtituti noſtri conantur Dei gloriam in ſe & in proximis promouere. Inter plurima autem in omni ſcientiarum genere monumenta, quæ in hoc codice priuatis Sociorum Alumnorum illius nominibus ſunt adſcripta, vnum præclarum ſuo nomine edidit anno centeſimo à fundata Societate inſcriptum

Imago Primi Sæculi Societatis Ieſu. Antuerpiæ typis Plantinianis 1640. in folio. Hunc librum quamuis nonniſi veritati conſentanea continentem, contumelioſè carpſit, non ita pridem, Anonymus quidam auctor libelli famoſi Gallicè impreſſi ſub titulo *Moralis praxis Ieſuitarum*. Coloniæ apud Geruinum Quintal 1669. Sed aduertat Lector, libellum illum auctoritate Regis Chriſtianiſſimi, per ſententiam Iudicis Iuſtitiæ, tamquam infamatorium, ſcandaloſum, & iniurijs refertum, flammis fuiſſe damnatum, & manu carnificis publicè laceratum, atque combuſtum, Pariſijs die 13. Septembris eiuſdem anni, prout conſtat ex ſententia eadem mox impreſſa Pariſijs typis Franciſci Muguet eodem anno 1669.

FLEXIENSE COLLEGIVM, SEV FIXENSE, quod in Ciuitate Flexienſi munificentia planè Regia conſtruxit, dotauitque Chriſtianiſſimus Rex Henricus, cognomento Magnus, natalem annum habuit ſalutis 1603.

Quam

Quam vero habuerit illius erigendi rationem, Rex Inuictiſſimus, paucis accipe. Exulauerat omni propè Gallia, nouem integris annis noſtrâ Societas, & vt in eam poſtliminio reuerteretur, nihil non tentarunt plurimi nobis amiciſſimi, ſed vnius Regis Henrici amori in Nos, tantum debebatur beneficium; & hoc non modo ſumma animi propenſione præſtitit, ſed ea inſuper dedit nobis beneuolentiæ ſuæ, Regijque affectus pignora, vt nullus in hoc genere poſſit cum illo comparari. Ex omnibus tamen beneficijs, quæ in Nos contulit; nullum præſtantiùs viſus eſt Optimus Princeps impertijſſe, quam cùm reſtituta in Regnum Societate, vt exemplo ſuo ſubditos (prout non rarò aiebat) ad amorem noſtri inuitaret, excipere nos voluit paterna Domo, in qua fama eſt, ipſum conceptum fuiſſe, & educari voluit Sereniſſimus Parens Nauarræ Rex Antonius, atque ad labores bellicos informari. Hanc igitur Domum ſibi tot nominibus cariſſimam, nobis ne quidem cogitantibus, Optimus Princeps eo ipſo anno, quo in Gallias reuocati ab ipſo ſumus, donauit, addito redditu annuo ea tempeſtate ampliſſimo, numerataque pecunia ad exædificandum omni ex parte Collegium, ea magnificentia, vt totius Galliæ ampliſſimum, commodiſſimum, & perfectiſſimum meritò habeatur. Plura molientem, vt hanc Domum ſuam magis magiſque illuſtraret funeſtiſſimus ille, luctuoſiſſimuſque Orbi, Regno, Nobiſque in primis, caſus rapuit. Sed non ita multò poſt, cor illius Flexiam delatum eſt, atque in Baſilica Collegij, prout in litteris fundationis ipſe fieri iuſſerat, reconditum. Eodem poſtea delatum eſt cor Reginæ Coniugis Mariæ Mediceæ, vt quos amor in viuis ſimul coniunxerat, ſimul etiam poſt fata quieſcerent. Paterni erga hoc Collegium amoris hæres Ludouicus XIII. ære non modico id donauit, ad perficiendam omni ex parte ampliſſimam Baſilicam, & Ludouicus huius filius XIV. Rex, annuo cenſu eidem attributo, ad ſolemnem præmiorum diſtributionem, ſuum quoque affectum luculenter demonſtrauit. Docentur in hoc Collegio ſcientiæ omnes, quas Societas profiteri ſolet, & Conuictorum, Auditorumque eas facultates addiſcentium numerus milleſimum plerumque ſuperare ſolet. Edidit Collegium ſuo nomine

Orationes varias Funebres Latinè & Gallicè, item Poëmata in Depoſitione Cordis Henrici Magni. Flexiæ 1612. in 8.

Pompam Regiam, ſiue Ludouici XIII. Chriſtianiſſimi Francorum Regis proceſſum, vario carmine Latino, Græco, Hebraico. Flexiæ apud Iacobum Reze 1614. in 4. Item

Varia in Depoſitione Cordis Reginæ Chriſtianiſſimæ Mariæ Mediceæ, ibidem 1643. Item Gallicè

Narrationem eorum, quæ geſta ſunt in Collegio, in Canonizationis Sancti Franciſci Borgiæ ſolemnitate. Flexiæ apud Viduam Georgij Grirueau 1671. in folio.

* FLORENTIVS BOVCHORSTIVS, natione Belga, patria Leidanus, nobili Stemmate, natus anno ſalutis 1537. poſt nauatam ſtudijs humanioribus operam, & deinde Iuriſprudentiæ, ac medicinæ, Societati ſe adiunxit Romæ 1563. & votorum quatuor profeſſionem emiſit. In ea Rhetoricam, & litteras Græcas docuit ſexennio, & Theologiam moralem aliquamdiù profeſſus eſt. Conciones Sacras habuit Flandricè, Gallicè, Latinè varijs in locis, & multis annis, & Louanij dicentem ad Sodales Parthenios, nunquam (vt fertur) neglexit audire Iuſtus Lipſius. Collegium Louanienſe gubernauit, & in eo maior ſeptuagenario, plenus dierum, ac bonorum operum obdormiuit in Domino die 14. Iunij 1610. Hunc Valerius Andreas Deſſelius Bibliothecæ ſuæ Belgicæ inſeruit, quia edidit carmine Elegiaco ante ingreſſum in Societatem.

Vrbis Pictauiæ tumultum (ab Hugonottis excitatum) *& eius reſtitutionem*. Pictauij apud Franciſcum Zoyzatellum 1562. in 4.

FLORENTIVS VAILLANT natione Belga, patria Bethunienſis natus anno 1591. Societatem Tornaci ingreſſus eſt 1609. in ea litteras Græcas, & Latinas docuit quinquennium, & annis 17. Scholis præfuit, Vir apprimè religioſus, & ſortitus animam bonam, quam longa, & conſtanti virtutum exercitatione inſigniter excoluit. De Collegio Bethunienſi præclarè meritus, eius non ſolùm promouit fundationem, ſed & rem familiarem plurimum auxit, ſuo ac Parentum ſuorum ære. Inſtituta ibidem illius conſilio eſt Confraternitas celeberrima Roſarij, & ſupplicatio annua in honorem S. P. N. Ignatij. Quanta in opinione virtutum fuerit, palàm fecit concurſus plurimorum ad ipſius exequias; luctuſque communis Ciuitatis, Spiritualis Coadiutor pridem antea formatus religioſè deceſſit Bethuniæ extremo Septembri 1652. Edidit Gallicè

Præcepta Spiritualia, De perfecta Orationis, Sacramentorum, atque operum bonorum exercitatione. 1627.

* FRANCISCVS ACERBVS, natione Italus, patria Nuceria Oppido vlterioris Calabriæ, adoleſcens annorum 18. ad Societatem acceſſit anno ſalutis 1624. & profeſſionem votorum quatuor emiſit. Vir acri ingenio, & eruditione inſigni inſtructus humaniores litteras quadriennio docuit. Philoſophiam Aquilæ primo, deinde Neapoli bis explicuit, vbi etiam Theologiam moralem biennio, Scholaſticam nouennio profeſſus eſt. Seuerioribus diſciplinis, adiunxit facilè ad amœniores ingenium, & ad animi leuamentum, Edidit adhuc ſuperſtes Carminum librum primum

Aegro corpori à Muſa ſolatium. Neapoli apud Ioannem Baptiſtam Pacium. 1666. in 4.

Poly-

Polypodium Apollineum. Neapoli apud Franciſcum Pacium 1673.

FRANCISCVS ADORNVS, natione Italus patria Genuenſis ex Ordine Patricio in ea Republica, à prima adoleſcentia Societatem adamauit in eamquè viuo adhuc S. P. N. Ignatio admiſſus in Luſitania eſt, anno ſalutis 1548. ætatis 17. atque omnibus ibi diſciplinis feliciter eruditus. Erat enim in Franciſco magna vis ingenij, rara memoria, prudentia ſingularis. Itaque Romam euocatus, in Theologia docenda ſpecimen ingenij dedit, & Concionibus ad populum habendis Chriſtiani Oratoris partes diu inter primos eius Artis ſuſtinuit. Profeſſionem votorum quatuor emiſit Patauij 1560. Collegium Mediolanenſe primus rexit, tum alias Domos, & ipſam Longobardiæ Prouinciam gubernauit, excellentis prudentiæ, ac modeſtiæ temperamento. Tribus Congregationibus Generalibus, ſecundæ, tertiæ, & quartæ conſequenter interfuit. Eminebat in eo cum dignitate corporis, & Nobilitate generis, humaniſsima grauitas, recondita rerum Eccleſiaſticarum ſcientia, modus tractandi ſpiritualis. Quibus Dei donis, multis Eccleſiæ Antiſtibus, atque in primis S. Carolo Borromæo erat cariſsimus. Hic eum ſibi delegit à Confeſsionibus, & in rebus ſpiritualibus à Conſilijs; fuit illi comes in peregrinationibus, inſtitutor, ac penè magiſter in exercitijs pietatis, in laboribus denique adiutor, & ſocius. Immò tanti illum illiuſquè conſilia fecit S. Cardinalis, vt defuncto Euerardo Mercuriano Societatis Præpoſito Generali, litteras dederit ad Gregorium XIII. Pont. Max. quibus ſuæ Sanctitati propoſuit Adornum, tamquam digniſſimum, qui in Euerardi locum ſubrogaretur. Poſtremò tam familiaris S. Carolo fuit, vt etiam in cœlum ab eo acceſſitus eſſe credatur. Sic enim ſcribit hac de re Carolus à Baſilica Petri, Epiſcopus Nouarienſis *Præſenſit Franciſcus obitum ſuum, quemadmodum, vel de ſuggeſtu ipſe publicè teſtatus eſt. Narrabat Caroli effigiem pulcherrimam, ei per quietem, obiectam; admiranti percunctantiquè, quid ſibi vellet tanta pulchritudo, illum reſpondiſſe: Bene mecum agitur. Tu quoque breui accerſeris. Verum ille viſum reddidit, neque multò poſt expectatam Genuæ mortem obijt*. Hæc ille. Nimirum cùm fractus eſſet Miſsionum laboribus, Genuam ſe receperat, vbi egit corpore ſic tenuato, vt vix animum foueret, quo ſubueniret hominibus, vel cœleſtia meditaretur. Quàm tenax fuerit virtutis parendi, gemino exemplo conſtabit. Alterum eſt, quod conſultus cum reliquis Profeſsis, per litteras à Præpoſito Generali Iacobo Lainio anno 1561 cenſeret ne Pauli IV. Pont. Max. Mandatum de triennali Generalatu in Societate inſtituendo, ratum etiamnum eſſe poſt Pontificis obitum; pleriſque ratum negantibus, ipſe valere cenſuit, eamquè ob rem, & maxime ob ſpecimen Obedientiæ, quam ſingularem Pontifici profitemur, edicenda Comitia ad eligendum Generalem, cum eo tamen, vt antequam iretur in ſuffragia, cum ſumma verecundia, & animi in vtramque partem æquabilitate, peteretur ab eo, qui tunc Eccleſiæ ſanctæ præeſſet, Societatis vt Inſtituta redintegraret, ex eiſquè perpetuus Præpoſitus crearetur. Alterum exhibuit documentum in extremo, cùm enim durante tractu, & lenitudine mortis, ad reuocandos ſemianimo ſenſus ſorbitiuncula porrigeretur, defectiſquè iam viribus non ſentiret; ſimul Infirmarius inſuſurrauit ad aurem ita iuſſum à P. Rectore; ſuſtulit ſemimortuum caput, hauſtoquè pauló poſt poculo tenuem ſpiritum efflauit, die 13. Ianuarij anno 1586. ætatis 54. Afflatus honor fronti, ſuauiſquè diffuſus ori color, vt ſanctæ domicilium animæ, eius lætitiam egredientis ſenſiſſe exiſtimares. Et aſpectabatur eius forma pulchrior humana inſatiabilibus oculis, & vbertim ibant interea lacrymæ, nec oſculis parcebatur. Scripſit Franciſcus

Tractatum de Cambijs quem manuſcriptum extare in Bibliotheca Ambroſiana, vna cum explicatione Bullæ Cœnæ Domini refert Abbas Michael Iuſtinianus de ſcriptoribus Liguribus. Item

Monitionem eruditiſſimam ad Vbertum Foliettam Hiſtoriæ Genuenſium ſcriptorem. *De ratione illuſtrandæ Ligurum Hiſtoriæ.*

Item rogatu S. Caroli

De Eccleſiaſtica Diſciplina lib. 2. Denique luculentam

Epiſtolam de Taurinenſi peregrinatione S. Caroli ad Sindonem Domini Noſtri viſendam cuius ipſe peditis pedes ſocius fuit, in qua quo modo, ac tempore ſacra Sindon peruenit ad Sabaudiæ Principes explicatur. Ea latinè conuerſa ab Antonio Guarnenio Canonico Bergomate, typis edita eſt Auguſtæ Taurinorum, opera Philiberti Pingonij, qui eadem de re ſcripſit. Occaſio autem eius Epiſtolæ ſcribendæ fuit Gregorius XIII. Pontifex Max. qui minùs probare viſus eſt eam pedeſtrem peregrinationem in S. Carolo, ſed cùm èx ea Epiſtola ſibi inſinuata cognouiſſet idem à Magnis Principibus factitatum, mutata ſententia religioſum Caroli factum habuit ratum. Hanc Epiſtolam Franciſci latine redditam, & impreſſam Auguſtæ Taurinorum anno 1581. in 4. lectam à ſe eſſe teſtatur idem Abbas Iuſtinianus Ibidem, qui Franciſci operibus adiungit etiam

Quatuor Conciones Taurini ab eodem habitas anno 1578. & Carmina latina in laudem Vberti Foliettæ.

Edidit præterea Franciſcus alienas quaſdam lucubrationes bono communi, Nimirum

Opuſcula ſpiritualia Fuluii Androtij Noſtri

Concionum Angeli Caſtilionei Carmelitæ Annun-

Auunculi ſui Tomos III. à ſe recognitos Italicè ſcriptos.

FRANCISCVS AGVADVS natione Hiſpanus patria ex oppido Torcion, non procul Matrito, Societatem complexus eſt Compluti anno Domini 1588. ætatis 22. Philoſophiæ iam tum laurea decoratus. Vir fuit magna prudentia, & rerum diuinarum intelligentia præditus. Decem annis & amplius Rector, & Magiſter Nouitiorum Villaregij, & Matriti; bis RectorCollegij Complutenſis; bis Prouincialis Prouinciæ Toletanæ; ſemel Præpoſitus Domus Profeſſæ Madritenſis; bis electus à Comitijs Prouincialibus, vt Romam proficiſceretur, primò vt Procurator; poſtea vt Elector futuri Generalis in Congregatione octaua Generali, à qua in vnum ex Definitoribus quoque deputatus fuit. A Rege Catholico Philippo IV. poſtquam aliquoties eum audiuerat pro ſuggeſtu dicentem in Concionatorem adlectus eſt, quamuis oppidò inuitus, & oblatis ſcripto rationibus ne fieret. Excellentiſſimo Comiti Duci de Oliuares, qui primas tenebat inter Aulæ, & Monarchiæ Adminiſtros, 14. annis à ſacris Confeſſionibus fuit; nec toto eo tempore vnquam adduci potuit, vt pro ſe, aut ſuis conſanguineis, quidquam peteret, aut ex oblatis vltrò & ſæpiùs pretioſis donis, aliquid admitteret. Nimirùm abſtractus omninò à cupiditate rerum terrenarum, cæleſtia ſolùm & æterna curabat. Paupertatis ſanctæ cultor ſummus; humilitate, & deſpicientia ſui admodum inſignis; Orationi, & contemplationi adeò deditus, vt quaternas vel quintas horas quotidie ijs impenderet; & ne tempus inter tot alias occupationes ratione officij deeſſet, binas horas ante alios ſe proripiebat è ſtrato, & poſt alios diù cubitum ſe conferebat. Obedientiſſimus ad nutum Superiorum nihil vnquam replicabat. Erga alios omnes exporrectæ, atque expanſæ caritatis, in ſe vnum, atque in corpus ſuum ſeuerus, immitis, & propemodum crudelis. Nam flagris & quidem aculeatis, vel ſpinoſis, quotidie ſemel atque iterum in ſe ſæuiebat, & ſæpiùs vſque ad ſanguinem; adeò vt opus habuerit frequenter chirurgo ad medendum plagis, & reſecandas partes putridas carnis, ne inficerent ſanas. Lectulus illi ordinariè aſſer fuit, inter ſtragula ne obſeruaretur ſtudioſè interdiù abſconditus. Cilicia diuerſi generis corpori applicabat adeò aſpera, vt horrorem intuentibus incuſſerint. Alia à ſummis humeris genuum tenus protenſa, alia brachijs, alia cruribus aptata, ne vlla pars corporis cruciamento vacaret. His accedebant cingula lata ex ferro, cuſpidata, & vncinata, & aliquo ex his carnificinæ inſtrumentis inter deambulandum, orandum, ſtudendum, comedendum quotidie vtebatur, etiam in itinere Romano, iter agendo. His & alijs virtutibus reſplendens, cùm ſexaginta & quinque annos in Societate ſui ſemper ſimilis exegiſſet, ætatis verò octoginta duos, præmonitus diuinitùs, vt creditur, de hora exitus, ſuſceptis ritè ſacramentis inter crebros actus amoris Dei, animam reddidit Creatori Matriti die 15. Ianuarij 1654. Eo ipſo die quo obijt, apparuiſſe dicitur cuidam ſuæ filiæ ſpirituali, & ſignificaſſe ſe iam æterna beatitudine gaudere. Plura de eo, & admiranda refert Noſter Alphonſus de Andrada tomo ſexto De Viris Illuſtribus Societatis. Edidit hic ſanctus opinione multorum Pater, Hiſpanicè præclarum opus

De Perfecto Religioſo. Matriti 1629. in folio apud Viduam Alphonſi Martini.

De Sapiente Chriſtiano. Ibidem 1638. in folio. Recuſum 1653.

De Summo Fidei Sacramento, ſiue de Sacramento Euchariſtiæ. Matriti 1640. in folio typis Franciſci Martini.

Exhortationes varias Doctrinales. Ibidem typis ijſdem 1641. in folio.

Sermones de Aduentu, & Quadrageſima. Ibidem apud Dominicum Garziam 1643. in folio.

De Fidei Myſterijs, ſeu de Feſtiuitatibus Chriſti, ac Deiparæ. Ibidem per Franciſcum Garziam de Aroyo 1646. in folio.

De Vita, & Morte P. Io. Gondini Soc. Ieſu, in Epiſtola ad PP. Prouinciæ Toletanæ 1643. in 8.

Vltra hos reliquit moriens alios 25. libros ſua manu conſcriptos de varijs materijs, vt vel inde pateat, quàm fuerit aſſiduus in ſcribendo etiam inter continuas officiorum grauiſſimorum moleſtias.

FRANCISCVS AGVILLONIVS natione Belga, patria Bruxellenſis in Societatem aſcitus anno ſalutis 1586. ætatis 20. Philoſophiam in Academia Duacenſi plures annos, Antuerpiæ Theologiam docuit, atque alias alibi facultates. Rector fuit Antuerpiæ. Mathematica inter Noſtros ſtudia primus in Belgicas Prouincias inuexit, Mathematicarum ipſe artium in paucis eruditiſſimus. Eruditione inſuper varia, linguarum peritia, iudicij acrimonia, prudentiæ præſtantia, alijſque naturæ, & virtutum dotibus Societati perutilis, externis fuit admirabilis. Mira ſemper eluxit in eo patientia, & animi magnitudo; nam & noſtris luè contactis aliquando cum præſente periculo, preſtò fuit, & catharros, atque aſthmata iam inde ab adoleſcentia perpeſſus, noluit tamen vnquam ſibi valetudinem per preces à Deo obtineri, eam Diuino nutui permittendam ratus: adeòque ſæpè ſupplicabat, vt dolores ſibi potiùs nouis doloribus cumularet, quàm vel tantillum de ſua in ſe probando voluntate mutaret. Ergo in extrema vita has voces identidem repetebat; Fiat voluntas Dei: in ea conquieſco; ad Dei nutum me penitus fingere volo. Cumque acutiſſimis cruciatibus torqueretur. Habeo, aiebat, Cruces, quas ſæpè optaui atque à Deo poſtulaui. Tandem Sacramentis munitus placidiſſimè

 ani-

animam exhalauit Antuerpiæ 20. Martij 1617. ætatis 51. Religionis 31. Scripſit

Opticorum libros 6. Philoſophis iuxta, ac Mathematicis vtiles. Antuerpiæ ex officina Plantiniana 1613. in folio.

Catoptrica, & Dioptrica, quæ moliebatur intercepit eius obitus.

FRANCISCVS ALBERTINVS natione Italus, patria Catanzarienſis Societati adiunctus anno ſalutis 1578. ætatis 16. Philoſophiæ ſexennio, Theologiæ nouennio, Neapoli Profeſſor; vir impenſè pius, ac feruens, & tam propenſo ad ſtudium orandi animo, vt priùs etiam quàm veniret ad Societatem depoſuerit Abbatiam, qua fruebatur; ſeceſſeritque in ſuburbanum S. Leonardi templum ad Ciuitatem ſuam, vt liberalius ſecretiuſque ageret cum Deo. Obijt diem ſuum Neapoli 15. Iunij anno 1619. Edidit

Corollariorum Theologicorum ex Principijs Philoſophicis deductorum, Tomos II. quorum I. *Continet Corollaria deducta ex præcipuis Principijs complexis, quæ ferè pertinent ad Primam partem, & ad Tertiam partem Summæ S. Thomæ.* Neapoli apud Tarquinium Longum 1606. in folio. Correctiùs, auctiuſque Lugduni per Horatium Cardon 1602. in folio.

Secundus continet Corollaria, ſeu Quæſtiones Theologicas De Trinitate, Incarnatione Verbi, & de Euchariſtia, ex Principijs Philoſophicis incomplexis, ſeu Prædicamentis Subſtantiæ, Quantitatis, vbi, Ad aliquid. Lugd. per Cardon 1616. in fol.

Apparatum Angelicum cum Diurnali aureo Angeli Tutelaris. Coloniæ 1625. opus poſthumum. Scripſit etiam Italicè

Tractatum pium de Sancto Angelo Cuſtode. Romæ apud Guilielmum Facciottum 1612. in 12. & tacito ſuo nomine

Concionem Italicam à ſe habitam in iuſtis funebribus P. Petri Antonij Spinelli Societatis Ieſu. &

Panegyricum ſuper triplici Teſſera S. Franciſci de Paula, Humilitate, Pœnitentia, & Charitate. Neapoli per Tarquinium Longum 1617. in 4.

FRANCISCVS ALLIAN natione Gallus, gente Delphinas, Criſtenſis, ingreſſus in Societatem anno 1625. ætatis 22. iam tum Doctor in vtroque iure, votorum quatuor profeſſionem emiſit; Multis annis Eccleſiaſten egit, Superior quoque in Miſſionibus fuit. Aetate grauis mortalitatem exuit, Gratianopoli die 18. Nouembris 1669. Et Latino Gallicè reddidt

Indiculum Sanctorum Lugdunenſium, à Theophilo Raynaudo noſtro confectum

FRANCISCVS ALPHONSVS natione Hiſpanus, patria Malpartidenſis ex agro Placentino, ad Societatem acceſſit anno ſalutis 1617. ætatis 17. atque in ea Philoſophiam annis octo, Theologiam duodecim Compluti magna cum laude doctrinæ profeſſus eſt. Vir fuit omnium Noſtrarum legum, etiam minimarum, obſeruantiſſimus. In Academia Complutenſi tantum auctoritatis ſibi acquiſiuerat ſua eximia doctrina, & virtute, vt decreto Academico, Philoſophiæ curſus ab ipſo confectus in publicis Academiæ Scholis, tam Noſtrorum, quàm Externorum, explicetur. In tenuioris fortunæ Scholaſticis iuuandis mirificè emicuit illius charitas, ita vt verè Pater Pauperum fuerit; his enim & libros, & victum quærebat, vt ſtudia commodè proſequi valerent: In ſe ipſum auſterus adeò & immitis fuit, vt à frequenti corporis flagellatione ſanguine conſperſi fuerint parietes cubiculi. Beatiſſimæ Virginis cultui vſque adeò deditus, vt per totum vitæ decurſum, etiam ad extremos annos, illius feſtos dies præuio ieiunio celebraret, atque in eorum vigilijs ſicut & diebus Sabbathinis publicè in triclinio ſe flagro cæderet. Humilitatis amator ſæpiùs in culinam deſcendebat, vt lances, & ollas tergeret denique tanta fuit innocentia vitæ, vt Baptiſmalem gratiam credatur nunquam amiſiſſe. Ante obitum multa ſunt, quæ ſuadent reuelatum illi diuinitùs fuiſſe, ſe in ipſo feſto Sancti Ianuarij (quem ſpeciali cultu proſequebatur) migraturum; quod ita euenit Compluti die 19. Septembris 1649. Funus defuncti cohoneſtarunt ſponte ſua, non inuitati, Rector Vniuerſitatis Complutenſis, & omnes ferè Doctores, & Cathedratici, cætus Religioſi, Religionum Magiſtri; quorum plures iacturam tanti viri lacrymis proſequuti ſunt, & miris laudibus eiuſdem ſanctitatem, & ſapientiam celebrarunt. Edidit in Vniuerſam Ariſtotelis Philoſophiam tomos 5. quorum

1. *De Summulis.* Compluti, & Matriti ſæpiùs recuſus in 8. & 4. 1641.

2. *In Logicam.* Ibidem in 4. 1641.

3. *In Libros Phyſicorum.* Ibidem in 4. 1641.

4. *In Libros De Generatione, & Corruptione.* Ibidem in 4.

5. *In Libros De Anima, & de quæſtionibus Metaphyſicis.* Ibidem in 4. 1641.

FRANCISCVS AMARALIVS natione Luſitanus; patria Vlyſſiponenſis, nobili genere; admiſſus in Societatem anno ſalutis 1608. ætatis 15. profeſſionem edidit votorum quatuor. Philoſophiam Eboræ profeſſus eſt; Theologiam nouennio Vlyſſipone. Rexit Seminarium Hibernorum Vlyſſipone, Collegium Bracharenſe, & Vlyſſiponenſe, atque in eo munere, multis religioſæ vitæ meritis, atque exemplis clarus migrauit ad Dominum die 4. Septembris 1647. Edidit lingua vernacula

Concionum Tom. 1. in fol. & alium edendum reliquit

FRANCISCVS AMICVS natione Italus, patria Coſentinus nobili loco natus Sacræ Theologiæ Doctor, & eiuſdem in Italia Aquilæ, & Neapoli, in Germania Græcij Styriæ annis 24. Profeſſor; Cancellarius Academiæ Gracenſis quinquennio, Præfectus Generalis

ralis ſtudiorum Viennæ circiter nouennium. Societatem ingreſſus eſt anno 1596. ætatis 18. & vota quatuor nuncupauit. Vir candidiſſimis moribus, & priſca ſimplicitate, euangelica prudentia temperata, vt qui præter Deum & litterarum ſtudia ignorare cætera omnia videretur. Cum his omnis illi occupatio, de his omnis ſermo; cùm Deo agebat ſuauiſſimo animi guſtu, & æſtum animi ſæpè lacrymis temperabat. Eminenti ſapientiæ, quam ſuſpiciebant omnes, adiunxit profundam animi demiſſionem, qua in vilia ſe miniſteria vſque ad extremum ſenium ingerebat. Creditur primam quam attulit in Societatem innocentiam, etiam in cœlum intuliſſe. Septuagenario maior ad laborum præmia euocatus eſt Græcij, die vltima Ianuarij 1651. Edidit

Curſus Theologici iuxta ſcholaſticam huius temporis Societatis Ieſu Methodum tomos nouem quorum primus eſt

De Deo vno, & Trino. Viennæ Auſtriæ apud Gaſparum Rath: 1630 in folio.

2. *De Natura Angelorum, eorumque proprietatibus.* Antuerpiæ typis Belleri 1637, in folio

3. *De vltimo fine hominis, & medijs ad eum conducentibus, & impedimentis abducentibus.* Duaci, apud Viduam Balthaſaris Belleri 1640. in folio

4. *De Fide, Spe, & Charitate.* Ibidem 1641. in folio

5. *De Iuſtitia, & Iure.* Antuerpiæ, apud Guilhelmum Leſteericum 1650. in folio.

Correctus hic liber eſt iuxta Decretum S. Congregationis Inquiſitionis Romæ.

6. *De Auguſtiſſimo Incarnationis Myſterio.* Duaci, apud Viduam Balthaſaris Belleri 1640. in folio

7. *De Sacramentis in genere; de Baptiſmo, Confirmatione, & S. Euchariſtia.* Ibidem 1640. in folio

8. *De Sacramento Pœnitentiæ, & Extremæ vnctionis.* Ibidem

9. *De Magno Matrimonij Sacramento.* Antuerpiæ, apud Guilhelmum Leſteericum, 1650. in folio

Recuſus eſt totus Curſus Theologicus tomis 8. Duaci typis Belleri, & Antuerpiæ, apud Guilhelmum Leſteericum 1650. tomis 9. in folio

FRANCISCVS ANNATVS, natione Gallus, patria Ruthenenſis Societatis Noſtræ decus eximium, natus 5. Februarij anno ſalutis 1590. Deo ſe in Societate mancipauit 16. Februarij 1607. & vota quatuor ſolemnia concepit 1624. Philoſophiam ſexennio, Theologiam ſeptennio Toloſæ, magno plauſu profeſſus, Romam euocatus eſt ad munus Cenſoris generalis librorum, qui a Societate euulgantur, & Theologi apud Præpoſitum Societatis Generalem. Reſtitutus poſtea Prouinciæ ſuæ, rexit primò Collegium Monſpelienſe, deinde Toloſanum, & electus à Comitijs Prouinciæ, vt Romam proficiſceretur ad Congregationem Octauam Generalem anno 1645. ea dedit Patribus Congregatis doctrinæ, Sapientiæ, virtutiſquè ſuæ ſpecimina, vt defuncto dein poſt ſeſquiannum Aſſiſtente Galliæ, in eius locum ſubrogatus fuerit à. Patre Vincentio Carafa Præpoſito Generali, magno conſenſu omnium Prouinciarum; atque ad idem munus iterum ſublectus à Congregatione nona Generali, vt eo apud Patrem Franciſcum Piccolomineum fungeretur. Exempto poſtmodum rebus humanis P. Piccolomineo, renunciatus eſt Prouincialis Franciæ, quo in Officio dum omnes optimi Præſidis numeros impleret, adſcitus eſt à Chriſtianiſſimo Rege Ludouico XIV. in arbitrum conſcientiæ ſuæ in ſacro Tribunali Pœnitentiæ. Sexdecim annorum ſpatio ſpartam illam ornauit ſumma integritatis, prudentiæ, caritatis, affabilitatis, religioſæque modeſtiæ, apud omnes laude, donec in deuexa ætate, ingraueſcente auditu, coactus eſt miſſionem ab illo munere petere, à S. M. quæ tamen non niſi ægrè (quia ſummè ſatisfecerat) in illam conſenſit. Fuit enim verò Annatus in vita religioſa Tironis inſtar diſciplinæ regularis obſeruantiſſimus, commodorum ſuorum negligens; paupertatis ſanctæ peramans; Obedientiæ erga ſuperiores perquàm ſtudioſus; ſingulare nihil in menſa, aut cubiculo admittebat; in Aula Regia ita ſe gerebat, vt magnum Societati nomen pepererit. Gratia qua valebat, apud Chriſtianiſſimum Regem non eſt vſus, aut ad vtilitates ſuas, aut ad promouendos, vel ditandos ſuos conſanguineos, adeò vt dixiſſe aliquando perhibeatur ſua Maieſtas, neſcire ſe, an P. Annatus haberet aliquos ſanguine ſibi coniunctos. Verùm bene, ac ſolerter vſus eſt ea gratia ad augendam vbique per Gallias fidelium deuotionem, ad reprimendas Hæreſes ebullientes, ad ſtabilienda dogmata Catholica, adeò, vt Orthodoxæ fidei Patronus, Eccleſiæ in Gallia columen, Diui Auguſtini, doctrinæque eius propugnator egregius, Hæreſum malleus, & nominatim nouæ Ianſeniſtarum Hæreſis oppugnator fuerit acerrimus. Illam Romæ Pontificio oraculo damnari, illam in Francia auctoritate Regia compeſci curauit; illam ſuis lucubrationibus doctiſſimis tam neruosè, & ſapienter exagitauit, vt nihil habuerint Aduerſarij, quod ſolidè reponerent. Reliquit poſteritati varia opera, quæ tribus tomis comprehenſa æternitati mandabunt illius nomen. Tandem inſigni humilitate vitam religioſiſſimè tranſactam coronauit, poſtulata miſſione ab Aula Regia, vt meliùs ſe pararet ad æternam vitam. Ad hanc totum ſe diſpoſuit, & quarto dein menſe poſt exitum è Curia ad bonorum operum præmia octogenario maior in Cœlum (vt par eſt ſperare) abijt Pariſijs in Domo Profeſſorum die 14. Iu-

nij 1670. Multa latinè, & Gallicè ſcripſit; quæ ſeparatim aliàs excuſa, demum collecta ſimul prodierunt Pariſijs, typis Cramoiſianis anno 1666, tribus tomis in 4. quorum Primus eſt

De Scientia media contra nouos eius impugnatores vnà cum Exercitatione ſcholaſtica ſub nomine Eugenij Philadelphi, & Appendice ad Guilielmum Camerarium. Ibidem alias, & ſecundo impreſſus anno 1672.

Tomus II. *inſcribitur Auguſtinus à Baianis, hoc eſt Ianſenianis vindicatus*.

Tomus III. *continet quinque opuſcula quorum* tituli ſunt:

1. *Catholica diſputatio de Eccleſia præſentis temporis*

2. *De Incoacta libertate, contra nouum Auguſtinum Iprenſis Epiſcopi, & Alios*

3. *Informatio de quinque Propoſitionibus ex Theologia Ianſenij collectis, quas Epiſcopi Galliæ Romano Pontifici ad Cenſuram obtulerunt*.

4. *Ianſenius à Thomiſtis gratia per ſe ipſam efficacis defenſoribus condemnatus*

5. *Cauilli Ianſenianorum contra latam in ipſos à Sede Apoſtolica ſententiam, ſeu Confutatio libelli Trium Calumniarum*. His quinque opuſculis præfixæ ſunt admonitiones ad lectorem, &

Notæ in Diarium Santamorij. Ibidem antea ſeorſim 1664. in 4.

Opuſcula eius Gallico Idiomate, forſan breui prodibunt vno volumine comprehenſa, interea loci exponuntur iſta

Reſponſio ad librum, qui inſcribitur Theologia moralis Ieſuitarum. Cadurci ſemel iterumque 1648. in 8.

Reſponſio ad aliqua poſtulata circa primam Epiſtolam D. Arnaldi ſecunda editio auctior. Pariſijs 1656. in 4.

Bona fides Ianſeniſtarum in citandis Auctoribus. Pariſijs 1657. in 4.

Eccleſiæ, & Regis Chriſtianiſſimi Conſilium in condemnanda Hæreſi Ianſeniana. Pariſijs 1664. in 4.

Reſponſio ad querelam Ianſeniſtarum expoſtulantium quòd Hæretici vocentur. Ibidem 1660. in 4.

Falſitates, & impoſturæ quaternionis ſub titulo Epiſtolæ Ioannis de Palafox Epiſcopi Angelopolitani. Ibidem 1659. in 4.

Remedia contra Scrupulos, quibus à ſubſcriptione Formularij nonnulli reuocentur. Ibidem 1664. in 4.

Epiſtola Ianſenij Iprenſis Epiſcopi ad Papam Vrbanum VIII. aliaque opuſcula, quæ facti quæſtionem decidere poſſunt. Pariſijs, apud Mambre Cramoiſy 1666. in 4.

Obſeruationes aliquæ circa modum quem in verſione noui Teſtamenti eiuſque vulgatione tenuerunt Ianſeniſtæ. Pariſijs 1668. in 4

Ianſenij Doctrina Sedi Apoſtolicæ, & D. Auguſtino contraria. Pariſijs, apud Sebaſt: Mambre Cramoiſy 1668. in 4.

FRANCISCVS ANTONIVS, natione Luſitanus, patria Vlyſſiponenſis 23. annos natus Iuris ciuilis ſcientia inſtructus (quam duobus annis in Academia Conimbrienſi profeſſus fuerat) atque alijs etiam ingenuis Artibus expolitus in Societatem ſe tradidit, anno ſalutis 1558, Exinde nauigauit in Sardiniam exitu anni ſequentis, vt Saſſaritani Collegij (quod primum in eo Regno Societas habebat) vnà cum Balthaſare Pinna iaceret fundamenta; quo in munere atque in excolendo rudi illo ſentibùſque obſito agro, præclarè ſe geſſit, & permultas difficultates atque ærumnas in frigore, & fame, corruptos Inſulæ mores correxit. Romæ præfuit Nouitijs. Edmundo Campiano fuit à Confeſſionibus, vti, & in ſuperiore Germania B. Staniſlao Koſtkæ, quem conſilio, & litteris ad Societatem iuuit. Plurimos ibi annos vtilem operam collocauit in Catholica fide conſeruanda tuendàque. Nam Maria Auguſta ſanctiſſima fœmina, noſtræquè Societatis amantiſſima, eo à Conſilijs, & à Concionibus totos 36. annos familiariter vſa eſt; à qua deinde ad Catholicum Regem Philippum Germanum fratrem miſſus, in Hiſpaniam redijt; & ipſi deinceps Mariæ (quæ etiam in Hiſpaniam venerat) vſque ad obitum ſuum obſequium præſtitit. Demum Matriti ſe recepit in Tirocinium, vt quemadmodum aiebat, inter Chriſti Tirones moreretur, vbi ea geſſit, quæ virtutis documento omnem poterat ætatem ornare. Obijt die 15. Februarij anno ſalutis 1610. ætatis 75. ex quibus 53. Societati dederat. Illuſtrauit

Catechiſmum Edmondi Augerij notatis integrè locis Sanctorum Patrum, quos ille citat prorſus appoſitè ad refellendos Caluiniſtarum errores.

Scripſit etiam Hiſpanice

Monita pro militibus ex gente bellica. Madridij per Petrum Madrigal 1590. in 16. & Antuerpiæ 1605. in 12.

De Sacroſancto Miſſæ Sacrificio. Ibidem 1596. in 4.

Conuertit præterea ex latino in Hiſpanicum ſermonem

Sixti Papæ ſententias 30. &

Dorothei, Nili, Iſaiæ Abbatum libros ad ſpiritualia documenta. Matriti, apud Ludouicum Sanchez 1603. in 8.

FRANCISCVS ANTONIVS DE ANGELIS, natione Italus, patria Surrentinus, quæ Regni Neapolitani Ciuitas eſt. Hic admiſſus in Societatem anno ſalutis 1583. ætatis 16. Cùm impetrata ad Indos Miſſione anno 1602. nauigaſſet in Indiam, & biennio poſt penetraſſet in Æthiopiam, ſanctimonia vitæ, & morum præſertim puritate, ſinceriſſimàque humilitate habitus eſt ab Abaſſinis, quorum ſaluti per continuos ſudores noctes dieſque totos annos 18. magna cum laude ſe impendit

dit, non magis nomine quàm ipſa re Angelus; cumque haud aliter quàm Sancti Patris nomine compellabant. Ab Zelachriſto Principe Imperatoris Sequedi fratre, tanti ſemper factus eſt, vt propter raram animi ſubmiſſionem, ſingulareſquè virtutes quas in ipſo obſeruabat, inductus ſit ad abiurandos Eutichetis errores, quibus erat immerſus, & quoties erat ad bellicam expeditionem profecturus, non priùs in hoſtem educeret, quam aperto capite reuerenter eſſet Patris manum exoſculatus. Obijt Colellæ, qui vicus Æthiopiæ eſt anno 1623. Cineres eius tertio poſt anno collecti, ligneæ tumbæ aureo panno inſtratæ impoſiti ad nouam ædem translati ſunt poſtridie feſti B. Franciſci Borgiæ, hoc eſt poſtridie Kal. Octobris, comitante Zelachriſto, plurimiſquè Proceribus, qui eo ſenſu, & lacrymis parentarunt optimo Patri, ac ſi recenter obijſſet; collatis etiam nummorum ſubſidijs, ad templi exædificationem, vt decentiore tumulo ſacra viri oſſa recondi poſſent. Venerat ille in Æthiopiam, anno 1605. inter primos, qui longo poſtliminio eam penè deſertam repetierunt, animarum Zelo flagrantiſſimus, paratiſque labores quoſlibet exhaurire: idque poſt etiam tanta iucunditate, & promptitudine animi præſtitit, vt vulgò *Fa cata*, hoc eſt Pater iucundus appellaretur. A Patriarcha Æthiopiæ Alphonſo Mendez in ſua Hiſtoria de Æthiopia, Apoſtolus Agaorum (qui populus eſt in illo imperio) nominatur. Vertit complures libros in linguam Agaënſem, quæ inter Æthiopicas celebris eſt, nominatim verò

Commentarios Ioannis Maldonati in Euangelium Matthæi; & in Euangelium Lucæ.

* FRANCISCVS ARANHA, natione Luſitanus, patria Arronchenſis diœceſeos Portalegrenſis, in Societatem cooptatus anno à partu Virginis 1618. ætatis 10. votorum quatuor ſacramento ſolemni ſe adſtrinxit. Rhetoricam, & politiores litteras ſexennium profeſſus eſt; Philoſophiam quadriennium; Theologiam quæ de moribus tractat, nouennium. Rexit Collegium Eluenſe, & iam diu eſt quod concionibus ad populum habendis, & Confeſſionibus excipiendis egregiam nauat operam. Edidit

Commentarium in Virgilium, quo difficiliora Poëtæ loca dilucidantur. Eboræ typis Academiæ 1657. recuſum Oliſſipone 1608. in 8.

Concionem habitam Oliſſipone, coram Sacra Eucharistia expoſita, pro felice ſucceſſu exercitus Luſitani 1657.

Seriem Hiſtoricam regum Luſitaniæ. Eboræ typis Academiæ 1661.

FRANCISCVS ARIAS, natione Hiſpanus patria Hiſpalenſis, vir iam matura ætate ſeſe ad Societatem noſtrâ adiunxit anno ſalutis 1561. Philoſophiæ, ac Theologiæ ſtudijs excultus. In Collegio noſtro Triguerenſi Theologiam de moribus quatuor annos non ſine laude profeſſus eſt; cuius Collegij, & Gaditani item habenas rexit. Fuit vir cùm varia eruditione, tum vitę integritate admirandus, & inter viros non huius ſolùm ætatis, ſed venerandæ etiam antiquitatis, opinione ſanctitatis qua floruit, numerandus. Religioſæ paupertatis tam amans fuit, vt eius verum ſpiritum videretur aſſecutus. Veſtes præſertim internas attritas ſemper, & laceras, ſuiſque reſartas manibus geſtabat. Obedientiæ tenax, Maiorum placita tuebatur apud alios egregiè. Salutis proximorum cupidus, eorum præcipue, qui tenuioris eſſent fortunæ, & ope magis deſtituti; hinc frequens itare ad Noſocomia, ad Carceres, ad ergaſtula mancipiorum, ad Mauriſcorum conciliabula; omnes pro gradu quemquè ſuo ad virtutem hortari, Confeſſionibus illorum operam dare, nihil locorum hominumque pædore commoueri. In plateis obuios non rarò Æthiopes ſacra doctrina informabat; famulos, qui ventitantium ad noſtros Dominorum equos pro foribus tenebant, inſtruebat. In his vir ſummæ doctrinæ, & exiſtimationis omni ætate libentiſſime verſatus eſt: quibus tandem alteram curam adiunxit, eamque difficillimam, vt nimirum prohiberet bellica puerorum ſimulachra, quibus ludi ſpecie multa grauia vulnera ſibi inuicem imponebant, quibus tollendis nulla dum valuerat Magiſtratus auctoritas: ſæpe ſe ille medium inter cuneos illorum iniecit, furorem repreſſit, agmina diſſipauit. Sui contemptor egregius, laudeſque ſuas, & quidquid ad ſui commendationem ſpectaret nunquam audire ſuſtinuit. Mortificationem, cuius fuit apprimè ſtudioſus, moribus magis quàm verbis docuit; verè ſpeculum pœnitentiæ, & ſeuerus ſui corporis caſtigator. Orationi plures diu noctuque horas ſolitus impendere, non ſemel in ea viſus eſt à terra ſublimis. Omnis eius ſermo de Deo erat, deque rebus Diuinis; & tanta dexteritate huc omnes aliorum ſermones conuertebat, vt nullus illi in hoc genere par fuerit, nihilquè præter Deum videretur ſpirare. Cùm per hæc officia indefeſſus Chriſti operarius pro eius gloria 44. annos ſtrenuè in Societate noſtra laboraſſet, & à Comitijs Prouinciæ electus Romæ Congregationi Generali quintæ interfuiſſet, inde redux poſt aliquot annos feliciter Hiſpali obdormiuit in Domino die 23. Maij anno ſalutis 1605. ætatis 72. non ſine magna opinione ſanctitatis concurrentibus ad eius funus populis, & multis lacrymis eius memoriam proſequentibus, deque eius veſtibus certatim aliquid auferre conantibus. Cadaueri viri Principes atque Eccleſiaſtici, volentes lubentes ſuccollarunt; quod loculo peculiari inclusum, ac plumbea inſcriptum lamina ad notitiam poſterorum, loco cæteris altiore compoſitum eſt. Scripſit materna lingua, ſingulari ingenio, eximia religione, ac pruden-

tia,

tia tractatus tres in quibus vtiliſſima præcepta tradit.

De profectu ſpirituali. De vera diffidentia ſui ipſius. De Mortificatione ſui, atque hi quidem à Io. Buſæo noſtro in latinum conuerſi prodierunt Coloniæ per Arnol: Mylium Birchmannum 1603. in 12. Italicè eos reddidit Iulius Zanchinus Venetijs 1605. in 4.

De Oratione Mentali. De Imitatione Beatiſsimæ Virginis Mariæ, & de Roſario eiuſdem. In quibus Diuinas eius virtutes piè admodum explicat, & omnibus imitandas proponit. Latinè vertit R. P. Antonius Dulkenius Carthuſianus Coloniæ 1608. in 8. &c.

De Præſentia Dei, & de Sanctis Confeſſionis, & Eucharistiæ Sacramentis vtiliter percipiendis. Latine Coloniæ, apud Petrum à Brachel 1607. in 12.

De Grauitate Peccati Mortali, & damnis quæ affert animæ. quem Italice tranſtulit noſter P. Fabius Albergatus Bononienſis, & dudum Prouincialis Prouinciæ Romanæ. Romæ per Dragondellum 1669. in 8.

De Imitatione Christi tom. 3. quos Tiberius Putignanus Italicos fecit, & Romæ edidit typis Zannetti 1609. & 1615. in 4. Latinitate donauit Noſter Leonardus Creder Monachij 1652. in fol. ſed & cæteri quoque tractatus iam magno Eccleſiæ bono trans Pyrenæos varijs linguis leguntur tranſcripti

* FRANCISCVS AYRES, natione Luſitanus, patria Amyeira in Prioratu Cratenſi, Societati adſcriptus anno ſæculi voluentis 21. ætatis ſuæ 23. votorum quatuor profeſſionem emiſit. Theologiam moralem annis aliquot explicuit. Rexit Collegium Pharenſe in regno Algarbiorum, poſtea deficiente viſu cùm in tantam incidiſſet cœcitatem, vt vix lucem à tenebris diſcerneret, auctoritate Maiorum ſe recepit in Domum probationis Vlyſſiponenſem, vbi doctrina, & inculpatæ vitæ exemplo Tirones permultum iuuit. Erat enim viuum virtutum omnium ſpeculum, maximè autem relucebat in eo pœnitentiæ feruor in frequenti flagellatione ſui corporis, tum in Triclinio, tum in cubiculo, in cilicijs aſperis, ferreis cingulis, & ieiunijs quæ ſæpe ſolo pane, & aqua definiebantur. Cùm ob cœcitatem celebrare ampliùs ſacrum non poſſet quotidie cœleſti pane ſe reficiebat, & munus Confeſſarij, tam Domi, quàm in templo diligenter obibat; exhortationibus etiam domeſticis, Noſtros ad perfectionis ſtudium feruenter excitabat. Demum ætate grauis, ex ergaſtulo corporis tranſiuit (vt ſperare fas eſt) ad videnda bona Domini in terra ſemper viuentium Vlyſſipone die 11. Nouembris anno 1664. Patuit in eo, quàm ſit oculata charitas, etiam in cœcis erga proximos, vt hos dirigat in via virtutis; nam in orbitate luminis compoſuit ſex libros ſpirituales Luſitanico idiomate ediditque

Directorium ſpirituale in viam cæli. Vlyſſipone 1654. in 4.

Theatrum Diuinorum Triumphorum; contra ingratitudinem hominum. Vlyſſipone 1658. in 4.

Exemplaria Metaphorica originis virtutum per Euangelicas parabolas, & allegorias. Vlyſſipone 1661.

Parallela Academica in duas vniuerſalitates, Diuinam, & profanam. Ibidem 1662.

Imaginem prudentium, & ſpeculum ignorantium. Ibidem 1664.

Epitomen ſpiritualem omnium quæ Christianus ſcire, credere debet, & operari. Ibidem 1664.

* FRANCISCVS BARDVS, natione Siculus, patria Panormitanus illuſtri ex genere, Marchionis Sambucæ filius, natus anno ſæculi proximè euoluti 83. in Societatem ſe recepit voluentis x. ſtudijs Philoſophicis atque Theologicis ex parte iam imbutus. In ea profeſſionem votorum quatuor emiſit. Philoſophiam docuit nouennium, Theologiam moralem quinquennium; Scholaſticam annis 12. & præfuit ſtudijs Panormi, annis ſexdecim, magna ſemper, tum doctrinæ, tum vitæ religioſiſſimæ laude. Sacro Tribunali S. Inquiſitionis fuit à Cenſuris, & à Conſilijs. Vir in tanta eruditionis fama, magnæ humilitatis, & demiſſionis animi; ſi quem forte inter diſputandum ſe offendiſſe arbitrabatur, mox intimæ beneuolentiæ ſigna oſtendere, vbicumquè inueniret, compellare, complecti, ſolemque occiduum ad iracundiæ vmbras fugandas præuertere. Libentiſſimè vbi poterat, prodeſſe conabatur omnibus; Septuagenario maior è cuſtodia corporis ad laborum præmia euocatus eſt in Collegio Panormitano die 28. Martij 1661. Edidit

Bullam Cruciatæ explicatam, & illuſtratam. Panormi typis Nicolai Bua, & Michaelis Portanoua 1646. in folio. Et iterum cum auctario aduerſus obiecta neoterici ſcriptoris Ibidem apud Ioſ. Biſagnum 1656.

Diſputationes morales de Conſcientia in communi, recta, erronea, probabili, dubia, & ſcrupuloſa, Panormi, apud Cyrillum 1553. in folio, recuſas Francofurti, apud Ioannem Godefridum 1653.

Selectas quæſtiones ex vniuerſa morali Theologia, in quibus plura pro vtroque foro perpenduntur. Panormi apud Biſagnum 1653. in folio

In Regulas Iuris Canonici in Sexto Commentaria. Panormi, apud eundem Biſagnum 1661. in folio

* FRANCISCVS BARRETVS natione Luſitanus, patria Montemornouo diœceſeos Eborenſis in Societatem adſcitus anno ſalutis 1613. ætatis 25. abſolutis in Luſitania ſtudijs nauigauit in Indiam, vbi Philoſophiam triennio, Theologiam docuit biennio, & vota 4. ſolemnia nuncupauit. Rexit Collegium

Columbenſe in Prouincia Malabarica, & Cochinenſe; atque electus à Prouincia ad munus Procuratoris, adiuit Romam vbi duabus Congregationibus Generalibus octauæ, & nonæ interfuit. Inde redux in Indiam gubernauit Prouinciam Malabaricam, poſtea conſtitutus eſt Viſitator vtriuſque Prouinciæ Goanæ ſimul, & Malabaricæ, eoque in munere metam laborum attigit, Goæ 26. Octobris 1663. Vir fuit ſpectatæ prudentiæ, placidis moribus, ſedatis animi affectibus, religioſæ diſciplinæ in ſe obſeruator, & promotor in alijs; à Sereniſſimo Rege Luſitaniæ nominatus ad Inſulas Archiepiſcopatus Cranganorenſis in India, Edidit dum Romæ verſabatur.

Relationem de Miſſionibus, & Chriſtianitate in Prouincia Malabarica. Italicè. Romæ typis Franciſci Corbelletti 1645. in 8.

* FRANCISCVS BASELLVS, natione Italus, patria Gradiſcanus in Forolulio, natus anno ſæculi fluentis quarto, Deo ſe in Societate dicauit Leobij in Auſtriaca Prouincia 1622. & votorum 4. profeſſionem edidit. Poſt traditas litteras humaniores, Concionatorem egit, & varia erga proximos obiuit miniſteria, gubernauit domum Probationis Viennenſem & Collegij Goritienſis tertium Rector fuit. Direxit etiam Patres in probatione tertia, & adhuc ſuperſtes vulgauit latinè.

Pſalterium Dauidicum concordatum, id eſt, Pſalterium vnius argumenti à Dauide propoſiti deductione connexum. Vtini typis Nicolai Schiratti 1662. in folio.

FRANCISCVS BENCIVS, qui priuſquam in Societatem veniret Plautus vocabatur, natione fuit Italus, patria ab Aquapendente, quatuor votorum profeſſus. Adoleſcens M. Antonium Muretum audiuit, cuius poſtea præſtantiam expreſſit; cuique vt Sacerdos fieret, & ſe à liberiore ad ſanctius viuendi genus referret, perſuaſit. In Societate, & in vita ſæculari, ſtudia ſemper humanitatis adamauit, quibus ita excelluit, vt magnum Collegio Romano nomen compararerit. Floruit amicitia omnium ferè doctrina præſtantium Virorum, clariſſimorum etiam in Romana curia hominum, magnorumque Antiſtitum, & ſacra Purpura inſignium; qua gratia, & fortunæ fauore ita temperanter eſt vſus, vt ne tantillum quidem ab ea modeſtia, & humili ſimplicitate deflexerit quam à Probationis Domo deportauerat. Annos natus 20. in Societatem eſt adſcitus 15. Cal. Iunij anno Chriſti 1570. cùm ſecundo maxime curſu ferretur ad gloriam. Vocationis eius ſeries digna memoratu eſt. Verſatus Romæ erat annis 7. Initio cœpit Scholas noſtras frequentare, noſtroque in Templo primum confeſſione expiatus eſt. Ex illo tempore ſubijt animum ea cogitatio; *Et tu de illis eris*. Tranſtulit deinde ſe ad publicum Vrbis Gymnaſium, ibi Philoſophiam quadriennio audiuit; biennio Ius Ciuile. Interim amor humanæ proſperitatis longè animum à ſe ipſo auehebat, cogitationemque in alia omnia, quàm quod ſubinde ſuggerebat ſpiritus ille Diuinus, deducebat. Poſtremò ipſo die feſto Paſchæ, cùm manè Sacroſanctam Euchariſtiam ſuſcepiſſet, veſpereque librum legeret, De Contemptu mundi, tanto ſibi diuino ſenſit pectus amore inflammari, vt niſi nox impedimento eſſet confeſtim Confeſſarium conſuleret. Poſtero die adit ille quidem Confeſſarium, ſed remiſſiore ſtudio, vt concepta referre verba, non expromere animi ſenſa videretur. Inter haſce accedentes & recedentes curas, matre grauiſſimè ægrotante, reuocatur Aquapendentem. In itinere cognoſcit illam deceſſiſſe: pergit nihilominus iter inſtitutum, domum venit 17. Calendas Maias: moeroris plenus ſe quieti dat, ac dum lacrymabundus noctem tranſigit, quæritque ſecum, quem habeat conſolatorem pulcherrima ei Chriſti è cruce pendentis effigies obijcitur. Conuerſus magnis clamoribus, & lacrymis eum ſibi conſolatorem aduocat, memorque præteriti voti, ei ſe totum tradit; ab ipſo opem petit. Sed recurrente terrenarum rerum cura, propriaque territus imbecillitate, in ipſo orationis feruore, quam cum Chriſto habuit, rurſus intepeſcit. Sub hæc ſpecies aliæ obijciuntur, quibus omnibus ad ſuſceptum de religione conſilium incitabatur. Crucifixi interim ſpecies perſtabat, & modò concepto Spiritus feruore, modò prudentia carnis blandiente, contrarijs æſtuans ſententijs, ita Chriſtum intuens loquebatur, vt ſe ab illo nollet ſeparari; rurſuſque ab eodem peteret, ſibi vt eius liceret voluntate ad humana faſtigia contendere. Tenuit viſum ſpatium circiter vnius horæ, alternantibus ſemper hortantibus, ac dehortantibus ſententijs. Poſtridie cum viſum domeſticis narraſſet, ſeque Societatem Ieſu cogitare, atque id iam pridem facturum fuiſſe, niſi matrem eo ictu percutere veritus eſſet, cognoſcit à propinqua id illam maxime in votis habuiſſe, idemque à Deo precibus ſæpiùs contendiſſe. Pendebat tamen adhuc animo, nec humana vincula abrumpere piger audebat. Romam demum redijt, ac poſt multam curarum contrariarum conflictationem; Confeſſione facta peccatorum, certa tandem in ſententia vocationis conſtitit: quo tempore tanto humanarum rerum tædio teneri cœpit, vt cum ſumma ſua admiratione, ne ſtudia quidem litterarum, quibus antea delectabatur, neque libros attingere iam poſſet. Ex eo tempore ad vltimum vſque vitæ ſuæ terminum, tam certus, tamque lætus in ſuæ vocationis conſilio ſemper fuit, ac ſi ſemper in primo Tirocinio ſuo verſaretur. Tres habuit Fratres in Societate. Ipſe in ea tolerantiſſimus laborum fuit, & ea corporis temperatione, vt contentionem operæ, valetudinem ſenſim atterentem, non ſentiret. Animi candore, morum ſimplicitate, comitate, & quod rarum eſt in magnæ eruditionis viro, ſincera humi-

Digitized by Google

humilitate, mitiſſimaque obedientia multùm excelluit. Artem dicendi in Romano Collegio per multos annos docuit magna felicitate; & eruditionis ac Poëticæ ſtudia præſertim, multùm excitauit egregius Poëta,& Orator inſignis. Tandem laboribus confectus, magno & Noſtrorum, & clarorum omnium virorum dolore pridie Nonas Maij eùm in morbo, ſi vnquam ante, ſuarum virtutum odorem diffudiſſet, anno ſalutis 1594. migrauit è vita ætatis ſuæ 52. poſtquam venit in Societatem 27. Edidit Bencius

Annuarum litterarum de rebus Societatis tom.4. quibus complexus eſt geſta annis 1586. & 5. ſequentibus. Romæ typis Collegij Societatis Ieſu 1589. & ſequentibus in 8.

Quinque Martyres è Societate Ieſu in India. Poëma Heroicum. Romæ ex Typographia Vaticana 1592. altera editio in 8. recuſum etiam Francofurti in Parnaſſo Societatis 1654. in 4.

Orationum, ac Poëmatum volumina duo, in quibus ſunt Dramata.

Ergaſtus,& Philotimus, quæ ſeorſim primùm, tum verò etiam coniunctim edita ſunt Ingolſtadij ab Adamo Sartorio 1599.

Non poſſum non addere breue Elogium quo Bencium ornat doctiſſimus iuxta, & Eminentiſſimus Cæſar Cardinalis Baronius in hæc verba: *Franciſcus Bencius vir maxime pius, & inſigniter eruditus, qui & muſas reddidit Chriſtianas, & ſuauiore concentu canoras*: Thomas quoque Bozius, *Virum, ait, Vatibus antiquis æquiparandum*. fuſiùs etiam deſcribit eius laudes Famianus Strada, & alij quos prætereo.

FRANCISCVS BENIGNVS natione Gallus, patria Auenionenſis in Societatem ſuſceptus anno ſalutis 1603. ætatis 19. & vota quatuor in ea profeſſus eſt. Sexennio docuit humaniores litteras, triennio Philoſophiam, Eccleſiaſten egit viginti annis; Rexit Collegia Camberienſe, Viennenſe, Aquenſe, & Domum Probationis Lugdunenſem, vbique optimo virtutum,& vitæ religioſæ exemplo. Demum octogenarius mortalem hanc vitam cum immortali commutauit Auenione die 9.Februarij 1662. Edidit

Clypeum honoris, ſic inſcripſit, *Orationem Funebrem quam habuit in obitu D. Ludouici de Berton Domini de Grillon*.

FRANCISCVS BONALDVS natione Gallus, patria Mimatenſis apud Gabalos, Societati ſe adſcripſit anno Domini 1572. ætatis 21. Atque in ea ſexennium profeſſus eſt humaniores litteras, triennium Theologiam Moralem, Collegio Billomenſi,& Camberienſi iteratò præfuit. Concionatorem egit annis aliquot, ſpiritualis Coadiutor formatus. Vir fuit ſingularis moderationis, prudentiæ, pietatis, & obedientiæ; cuius funus pro ea ſanctimoniæ opinione, qua valuit apud externos tota Ciuitas Molinenſis vbi obijt die nona Martij anno 1614. ætatis ſuæ 63. honorificentiſſimè eſt comitata, cum magna virtutum eius,& nominatim demiſſionis animi, celebratione. Extant Gallicè ab eo conſcripta.

Stella Myſtica, quæ omnibus ad optatum æternæ Beatitudinis portum appellere deſiderantibus ducatum præſtet, in Hymnum Aue Maris ſtella concinnata. Ea latinè reddita, à F. Antonio Dulchen Carthuſianæ Familiæ in Vbijs Monacho prodijt Coloniæ apud Conradum Burgenium 1607.in 12.

Diuina Eccleſiæ Oeconomia, in qua magnitudo, & dignitas beneficij Redemptionis noſtræ, & ad Chriſti fidem vocationis explicatur. Latinam eam fecit Fr.Franciſcus Milon Ordinis Minorum de Obſeruantia. Ediditque Coloniæ apud Ioannem Crithium 1611. in 12.

Praxim Chriſtianam, ſeu rationem bene viuendi, Muſſiponti apud Carolum Marchand 1622. in 12.

Speculum ſapientiæ Diuinæ, quod Franciſcanus quidam latine reddidit.

FRANCISCVS BONAVENTVRA natione Hiſpanus, patria Segobienſis adoleſcentulus ad noſtros additus eſt Salmanticæ anno ſalutis 1566. Vir fuit cùm alijs litteris egregiè eruditus, tum maximè Theologicis quæſtionibus, quæ ad mores referuntur, qui poſtquam ſtudiorum ſuorum ſpatia decurrit Sacram Theologiam, & Compoſtellæ, & Salmanticæ profeſſus eſt, atque Legionenſis Collegij habenas moderatus. Sed morbis conflictatus,& viribus exhauſtus, dum cælum mutat, & temperatiorem regionem, ac benigniorem quærit, ad imbecillam tuendam valetudinem, in Toletana noſtra Profeſſorum domo breui nobis morte ereptus eſt die 15. Ianuarij anno ſalutis 1592. magna Societatis, ac reipublicæ iactura. Scripſit tractatum pereruditum, ſed non emiſit

De Votis Societatis Ieſu, cum explicatione Extrauagantis Gregorij XIII. quæ incipit Aſcendente Domino, in qua Pontifex Inſtitutum Societatis declarat, & denuo confirmat. Aſſeruatur hic Tractatus M.S. in Tabulario Societatis Ieſu. Romæ in 8. Scripſit Item

Tractatus aliquot Moralium quæſtionum inſignes.

S. FRANCISCVS BORGIA natione Hiſpanus, patria Valentinus, ſæculi ſui decus, & ſpecimen Sanctitatis, ſpreto Gandiæ Ducatu, & ampliſſimis honoribus,opibus, delicijs, clientelis,ac familiæ ſuæ ornamentis, Chriſti paupertate ditior, & ignominia honoratior, ſingulari Dei vocatione,& impulſu, in recens natæ, & nondum cognitæ, atque explicatæ Societatis obſequium ſe tradidit anno ſalutis 1548. ætatis 38. Cardinalitiam dignitatem à varijs Summis Pontificibus, Paulo III. Iulio III. Paulo IV. Pio IV.& Pio V. cùm ſponte ſua,tum rogatu Caroli V. Imperatoris,& Philippi II.eo tempore Principis Hiſpaniæ, ſepties oblatam conſtantiſſime repudiauit. Eiuſdem Societatis

in

in Hiſpania Commiſſarius Generalis fuit; Romæ bis Vicarius Generalis, primùm per abſentiam P. Lainij in Concilio Tridentino, poſtea per eiuſdem obitum; ac demùm Præpoſitus ordine III. Generalis, quod munus officij ſeptem annos, & 3. menſes ſanctiſſimè geſſit. Sed cùm ex longa, & laborioſa ad Hiſpaniarum, Luſitaniæ, Galliarum Reges profectione (quá iuſſu Pij V. Pont. Max. cum Cardinali Alexandrino defunctus fuerat) in Vrbem, itineris laboribus confectus æger, ac penè exanimis rediſſet, pridie Cal. Octobris ſanctiſſimè exceſſit è vita anno ſalutis 1572. ætatis verò ſuæ 62. propemodum expleto. Eum S.D.N. Vrbanus VIII. Pont. Max. die 6. Septembris anno 1624. Catalogo Beatorum adſcripſit, poteſtatemque fecit publico illum honore Eccleſiaſtici officij, & Miſſæ celebratione colendi; eamque facultatem poſtridie Cal. Sept. 1625. ad omnes etiam Externos, qui lege Canonicarum precum tenentur, accedentes ad Eccleſias, ſeu domos Societatis extendit. Sacrum eius Corpus poſtulatu Excellentiſſimi Ducis Lermæi (qui ex filia nepos illius fuit) Roma Madridium translatum, magna ibi veneratione, & populi frequentatione in templo Domus noſtræ Profeſſæ ſeruatur. Verùm creſcente in dies populorum cultu erga Beatum Franciſcum varijs in Regnis, & accedentibus ad ea quæ patrauit in vita nouis, & luculentis miraculis, ſeu prodigijs facilè tricenis, quæ Deus dignatus eſt per reliquias, imagines, inuocationemque ſerui ſui, in Hiſpania, in America, atque in ipſa vrbe Romana operari, & quæ ſacræ Congregationi Rituum cum ſuis probationibus ſunt oblata, permotus his S.D.N. Clemens X. Pont. Max. ſolemni ritu in album Sanctorum illum retulit die 29. Aprilis anno Domini 1671. atque anniuerſarium eius feſtum diem 3. Octobris celebrari iuſſit, & eodem denique inſeri Romano Martyrologio. Admiranda planè ſunt, quæ eidem Sacræ Congregationi tanquam explorata, ſunt exhibita de illius profundiſſima humilitate, & oratione quotidiana ad octonas horas; de venerationis affectu erga S. Euchariſtiam quam ſepties quotidie interuiſebat; nec vllam traduxit diem ſanus vel æger per multos annos, quin illam ſumeret; de immiti maceratione ſui corporis, de cubatu ſuper nudos aſſeres; de geſtatione horrendi cilicij ad 20. annos, de flagellatione ſui ipſius ſæpe octingentis verberibus, de permiſtione abſynthij cum edulijs, & his perſimilia. Cælebs, Coniugatus, Prorex, Religioſus, omni hominum ſtatui ſpeculum, ac norma ſanctè viuendi fuit, vt meritò de illo in Oratione habita in Conciſtorio publico coram Summo Pontifice Clemente IX. dixerit Illuſtriſſimus D. Proſper Bottinius tunc Aduoc. Conſiſt. nunc Archiep. Myrenſis, S.D.N. Clem. X. Auditor, & Promotor Fidei: *Ille vnus, Iuuenes, Coniuges, Viduos, Principum gratia Florentes Aulicos, Principes ipſos alteri Rectores regni, omneſque religioſæ vitæ cultores, ſiue obſequio, ſiue imperio exercendo mancipatos, velut exemplar è cælo delapſum, viam Sanctitatis edocuit.* Plura de Clariſſimo, & Sanctiſſimo viro non addimus, quoniam eius vitam conſcriptam à P. Ribadeneira Hiſpanicè, Andrea Schotto latinè, Ioanne Euſebio Nierembergio fuſiſſimè, & breuiter, ſed neruosè à Scipione Sgambata Italicè, vnà cum additamento miraculorum, ex proceſſibus authenticis Canonizationis excerptorum, Romæ typis Vareſij 1670. in manibus habemus. Scripſit Hiſpanicè S. Franciſcus, priuſquam ſæculo nuntium remitteret, Opuſcula quædam valde vtilia ad formandos mores, & profectum ſpiritualem pertinentia, quæ typis excuſa prodierunt Italicè octo Tractatibus, Venetijs apud Gabrielem Giolitum de Ferrarijs 1571. in 8. quorum

Primus eſt Sermo de verbis illis Lucæ 19. Vt appropinquauit Ieſus videns Ciuitatem, fleuit ſuper illam, quæ leguntur Dominica IX. poſt Pentecoſten.

II. Speculum operum hominis Chriſtiani, ſeu de Chriſtianis operibus.

III. Inſcribitur Collyrium Spirituale.

IV. De Præparatione ad S. Euchariſtiam.

V. De Exercitio ſpirituali ad ſui cuiuſcumque cognitionem.

VI. Super Cantico Trium puerorum cuius initium eſt Benedicite omnia opera Domini Domino; quæ omnia latinè reddidit Alphonſus Deza Theologus Societatis Ieſu, & impreſſa ſunt Salmanticæ 1579. Moguntiæ, Antuerpiæ, Turnoni 1611. in 16.

VII. De Meditatione ſuper Paſſione D. N. Ieſu Chriſti.

VIII. Inſtructio Equitis Chriſtiani. Præter hæc, Scripſit

Præcipuas, & maximè neceſſarias D. Thomæ Aquinatis materias in Litaniarum rationem redactas. Valentiæ apud Ioannem Meij 1550. & 1570. in 8.

De ratione concionandi, ſeu de Prædicatione Euangelica, librum quem Andreas Schottus noſter vnà cum eiuſdem S. Borgiæ vitâ latinum fecit ediditque Antuerpiæ typis Ioachimi Trognæſij 1598. recuſum Turnoni 1611. in 16. Gallicè opuſcula pia reddidit noſter Ægidius Alleaume Pariſijs 1670. in 12.

Epiſtolam ad Socios Prouinciæ Aquitaniæ de medijs conſeruandi ſpiritum Societatis, & vocationis noſtræ, quam ſcripſit dum eſſet Præpoſitus Generalis; & extat IV. inter Epiſtolas Præpoſitorum Generalium excuſas Romæ in Collegio Rom. 1615. in 8. & Antuerpiæ 1635.

Reliquit prætereà præclaras Lectiones, ſed inexpolitas.

In Threnos Ieremiæ, &

Meditationum in Euangelia, quæ per annum Dominicis, ac feſtis diebus leguntur in Miſſa tomos II.

Inſtructionem pro bono regimine ſubditorum

ad filium Gandiæ Ducem, & alia apud noſtrum Nierembergium in fine vitæ S. Borgiæ.

FRANCISCVS BOVTONVS natione Gallus, gente Sequanus, vir inſignibus naturæ, & gratiæ dotibus locuples, & multarum pro Chriſto ærumnarum perpeſſione clarus. Ad Societatem ſe aggregauit anno ſalutis 1597. ætatis 18. & profeſſionem ſolemnem 3. votorum emiſit. Non vnam in cælo lauream promeritus; Virginitatis puriſſimæ; Doctrinæ; nam ſacra eruditione exquiſite excultus linguam ſanctam ſeptennio, & Diuinam Scripturam decennio publicè explicuit in Academia Dolana; multa ad Diuinorum librorum intelligentiam ſcripſit. Ad hæc obijt mortem ex Chriſtiana charitate in peſte attactorum obſequio, poſt diuturnam vitæ in cruce per tot annos exactæ martyrium. Miſſus olim Conſtantinopolim curandæ Chriſtianæ rei cauſa, annitentibus per calumniam falſi nominis Catholicis, & Hæreticorum Principum legatis in tetrum carcerem vnà cum ſocijs compactus eſt, vnde cùm magni cuiuſdam viri operà eſſent eximendi, vno eorum pignori relicto, omni ſtudio, & quàm humillimis precibus egit, vt ipſe pro alijs ſuo periculo remaneret; atque adeò ad multos menſes in cuſtodia retentus eſt. Reuocatus in Galliam, naufragio facto ægrè luctatam cum fluctibus vitam ſeruauit; ſolum cum tenuiſſet, necis præſentiſſimum periculum adijt, quod cum ſola lineà ſubuculà, & lecticario pileolo enataſſet pro pirata naufrago habitus eſt. Sed exhibitis litteris patentibus, quas ad natationem ſe accingens pileolo immiſerat, agnitus, benignè habitus, & mœrore abſterſo ad proximum Calabriæ Collegium perductus eſt. Galliæ redditus 12. ipſos annos propè dixerim non manducans, neque bibens, neque dormiens exegit; paleam tantùm ad ſtratum adhibebat; ſolo pane, & hauſto ſemel in die iuris demenſo victitabat: potio parca, & ex vino adeo aqua macerato, vt vini ſaporem, atque adeo colorem ægrè tueretur. Illam tamen victus duritiem communi in conuictu adeo tegebat, vt nonniſi curioſi exploratores perciperent. Eà fuit legum religioſarum obſeruantià, vt vel leuiſſima quæque præterire religioni duceret. Silentij & ſeceſſus vſque eò amans, vt ſola caritate cogente ſe in publicum daret: nihil planè vt ipſi temporis deperiret. Vocatus eſt aliquando ad militem emotæ mentis, qui non videbatur ſolui poſſe noxarum vinculis: hic Pater animi dubius, pro ægro de more aliquid precis fundere ad Deum; vix deſierat orare, cùm ille ad ſe redit, conſcientiam enucleatè aperit, cum Deo bona fide reconciliatur. Tum ſtatim in amentiam recidit, mirum vt videretur ſibi tamdiu conſtitiſſe, dum ſordes animi eluit. Cùm teterrima lues Lugdunum vrbem populoſiſſimam anno 1628. depopularetur, Superiores exorauit, vt vnus eſſet ex ijs, quibus iuuandorum ægrorum prouincia credebatur. In quo negotio dum ſupra vires, agente flagrantiſſima caritate in opus incumbit, immenſos exhauſit labores: Sed eorum amarorem copioſa de cælo voluptas abſtergebat, quam maiorem eſſe dicebat ea, quam maximam in carcere pro Chriſto ſenſerat. Correptus tandem lue, exquiſitæ patientiæ luculenta argumenta in morbo dedit, & crucis adamatæ. Chirurgum rogabat, vt emplaſtra vulneribus concarnata violenter reuelleret: & quando alia patiendi materia deerat, Infirmarium rogabat, vt chartis manui admotis ignem inijceret, his illum verbis compellans; O quà bonum, & ſuaue eſt, mi frater, ſemper aliquid pati in corpore Chriſti cauſa, dum viuimus. Propè ad extrema ventum erat cùm fatiſcentia membra vigore ſpiritus ſuſtentans, ad P. Ignatium Pomponium collegam, morbi violentia planè fractum adrepſit, eumque ritu Catholico ad ſupremam luctam inunxit: mox ſublatis, vt potuit, in eius ſtratum pedibus, viciſſim ab illo ægrè quidem, ſed accepit tamen inunctionem. Nec ita multò pòſt vterque inter pias voces ad Chriſtum euolauit die 17. Octobris anno ſalutis 1628. ætatis ſuæ Franciſcus Boutonus 50. Scripſit hic

Spiritualem Theologiam in 6. partes diſtributam.

Lexicon Hebraicum abſolutiſſimum, quo quàm legitimè interpres Hebræum Textum Bibliorum expreſſerit quàmque Rabbini, & Hebraizantes aberrarint, accuratè demonſtrat.

S. Dorotheum Gallicum fecit è Græco.

Reliquit etiam poſt ſe tractatus aliquos luce dignos,

De Virtutibus, De Angelis Eccleſiæ Triumphantis.

Lexicon Syriacum, quod parabat mors intercepit.

FRANCISCVS BRIVIVS natione Italus, patria Mediolanenſis familia nobili, admiſſus in Societatem Romæ anno Domini 1614. ætatis 17. confectis Philoſophiæ, ac Theologiæ ſtudijs in Romano Collegio quatuordecim annos eloquentiam publicè magna laude profeſſus eſt; triennio Ethicam, & annis duodecim ſtudiorum humaniorum præfecturam geſſit, emiſſa profeſſione votorum 4. anno 1630. Vir valde religioſus, diſciplinæ peramans, mortalitatem exuit in Romano Collegio die 12. Martij 1666. Edidit

Orationem à ſe dictam in funere Alexandri Peretti Cardinalis Montalti, ad Cardinales. Romæ apud Alexandrum Zannettum 1623. in 4. Item

Diem Domini, ſeu *Orationem in Paraſceue* ad S. D.N. Vrbanum Octauum Pont. Max. habitam. Romæ typis Vaticanis. 1633. in 4.

Orationem de Spiritu Sancto habitam ad Vrbanum VIII. à Franciſco Angello Suardo. Romæ apud Corbellettum 1626. in 4.

Alte-

Alteram de eodem argumento inſcriptam *Fluuius Igneus* habitam à D. Antonio Pignatello Romæ 1633. in 4.

Aliam habitam à Io. Franciſco Aldobrandino. Romæ 1637. in 4.

* FRANCISVS CACHVPIN natione Hiſpanus, origine Laredenſis in Diœceſi Burgenſi, ſed natus in Inſula Palmæ vna ex Canarijs, Deo ſe in Societate mancipauit Valliſoleti anno à partu Virginis 1617. ætatis 18. & votis quatuor ſolemnibus ſe obſtrinxit. Docuit humaniores litteras, Philoſophiam, & nouennio Theologiam. Rexit Collegia Lucronienſe, Ouetenſe, Valliſoletanum, Salmanticenſe, Prouinciam Caſtellanam; Viſitator, & ſimul Vice Prouincialis, luſtrauit Prouinciam Boeticam; & à ſua Prouincia electus, Romæ Congregationi Generali vndecimæ interfuit cum iure ſuffragij. Eſt Qualificator, ſeu Cenſor in Tribunali Sacræ Inquiſitionis, & ſuperſtes in Collegio S. Ignatij Pinciæ. Edidit Hiſpanico idiomate

Vitam, & Virtutes Venerabilis P. Ludouici de la Puente Societatis Ieſu. Salmanticæ per Didacum de Coſſio 1652. in 4.

FRANCISCVS CAPRALIS natione Luſitanus, patria Couillanus Diœceſeos Egitanenſis ad Societatem ſe adiunxit Goæ anno 1554. ætatis 26. & vota quatuor profeſſus eſt 1569. Pleraque Indiæ regna ſuis ſudoribus irrigauit, & Noſtris ferè vbique præfuit. Philoſophiam, & Theologiam tradidit Goæ, vbi poſtea Magiſter Tironum fuit, & Rector Collegiorum Goæ, Bazaini, Cocini. Inde nauigauit in Iaponiam, vbi multis annis Vice Prouincialis fuit, tinxitque Omuræ luſtralibus aquis Reguli matrem, coniugem, & liberos, & è populo complures. Bungi Regis filium, & ſexaginta Bonziorum aſceteria, & ex populo aliquot millia adiunxit Chriſto anno 1575. & tandem ipſum Regem (quem Sanctus Franciſcus Xauerius pridem antea inuitauerat ad ouile Chriſti, ſed non perduxerat) ſacris vndis abluit, & in memoriam Apoſtoli olim hoſpitis ſui, quem impenſè venerabatur, Franciſcum appellauit. Indè in Sinas delatus Noſtros ibi gubernauit, & Macai, & Cantoniæ, vbi duos primæ notæ, atque auctoritatis Mandarinos, Paulum, & Ioannem ſalutari Baptiſmi lauacro luſtratos, Eccleſiæ Chriſti aggregauit. Poſtea Viſitator, & Prouincialis totius Indiæ conſtitutus, & demum Præpoſitus Domus Profeſſæ Goanæ 38. annorum ſpatio curam noſtrorum geſſit magna laude prudentiæ, caritatis, & obſeruantiæ regularis. Synodo Prouinciali ad quam omnes Catholici Epiſcopi Orientis conuocati ſunt in India, ipſe pro Iaponiæ Antiſtite Legatus interfuit 1606. & demum ad laborum præmia ex hac vita mortali ad ſempiternam migrauit Goæ 16. Aprilis anno 1609. Scripſit

Annuas litteras è Sinis annorum 1583. *& ſequentis*. Item

Litteras ternas è Iaponiâ ab anno 1571. *vſque ad annum* 1584.

Extant aliæ eiuſdem Epiſtolæ in volumine magno, iuſſu Archiepiſcopi Eborenſis impreſſo. Eboræ 1608.

* FRANCISCVS CARRERA natione Siculus, patria Siclenſis, natus anno ſæculi labentis vndetrigeſimo, Societati nomen dedit 1644. & ſolemni votorum quatuor nuncupatione ſe adſtrinxit. Diſciplinas amæniores in Scholis publicè docuit ſexennio, at priuatim Noſtros Rhetores iiſdem annos 12. inſtruxit. Superſtes Panormi edidit

Lyricorum Libros quatuor, & Epodon Librum vnum. Lugduni ex officina Aniſſoniana 1674. in 12.

FRANCISCVS DE CASTRO natione Hiſpanus, patria Granatenſis in Societatem admiſſus eſt 19. Martij anno ſalutis 1585. ætatis verò 18. Hic cùm ingenio valeret, & à Superioribus eſſet Philoſophicis, atque Theologicis diſciplinis deſtinatus, magno conatu multiſque precibus impetrauit, vt erudiendæ iuuentuti per totam vitam addiceretur. Itaque 22. & ampliùs annos in hanc piam, atque perutilem occupationem ſe impendit, in præcipuis Luſitanæ Prouinciæ Collegijs. Demum in Collegio Hiſpalenſi ad laborum mercedem euocatus abijt, vt ſperamus, in cœlum die 11. Auguſti anno Domini 1632. Scripſit

De Arte Rhetorica dialogos 4. Cordubæ apud Franciſcum de Cea 1611. in 8.

Libellum de ſyllabarum quantitate, deque verſificandi ratione, qui priùs ſine nomine Auctoris, poſt auctus, & correctus, præfixoque Auctoris nomine prodijt Hiſpali apud Franciſcum de Lyra 1627. in 8.

Librum de reformatione Chriſtiana. Hiſpanico ſermone. Hiſpali 1635. Ibidem ter, vel quater recuſum.

Chryſologiam Hiſpanico-Latinam, ideſt, *Locutiones aureas*, tùm ad rectè loquendum, numeroſè dicendum, & facilè intelligendum, tùm ad omnem antiquitatem, & humanitatem Ciceronis operibus diſperſam, explicandam, opus in tomos 3. diuiſum parabat prælo, ſed morte præoccupatus non edidit.

FRANCISCVS DE CEPEDA, natione Hiſpanus, patria Toletanus annos 15. natus Societati ſe addixit anno ſalutis 1609. & votorum quatuor profeſſionem emiſit. Poſt traditas litteras humaniores, Philoſophiam profeſſus eſt, & Sacram Scripturam nouennio explicuit. Rexit Collegia Huetenſe, Conchenſe, Villaregienſe, Murcianum, Domum probationis Madritenſem; & totam Prouinciam Toletanam, quà vice-Prouincialis, quà Prouincialis quinquennio adminiſtrauit. Fuit etiam Viſitator Prouinciæ Caſtellanæ, vir eximiæ prudentiæ, experientiæ, pietatis, ac zeli; ſeptuagenario maior ad vitam tranſijt morti non obnoxiam Matriti die 26. Ianuarij anno Domini 1668. Parauerat ad prælum,

ſed morte interueniente non edidit
Commentarios in Eccleſiaſticum.

FRANCISCVS COLIN, natione Hiſpanus, patria Riuipullenſis in extrema Catalonia ad radices Pirenæi, educatus Barcinone, dum curſum ibi decurreret Philoſophicum, alium in Societate feliciorem inijt anno ſalutis 1606. in quo poſt explicatam Maioricæ Rhetoricam, Gerundæ Theologiam moralem, & Cæſarauguſtæ Philoſophiam, ad lucra animarum nauigauit in Philippinas anno 1625. vbi Sacras litteras partim è Cathedra, plenè & vbertim è pulpito multis annis profeſſus eſt. Impetrata deinde Miſſione in Inſulam Mindorum ad conuerſionem agreſtis illius gentis, indomitæ, ac barbaræ, triennium in illius Incolis per montes, & loca inacceſſa inueſtigandis, inſtruendis, Chriſtóque ſubijciendis, per mille incommoda famis, ſitis, vigiliarum, & ſimilia conſumpſit. Lectus illi crates viminea, ſomnus breuis; victus diurnus pugillus orizæ pura aqua coctus, & ſubinde piſcis ab Indis captus, nam nec panem, nec vinum, eo tempore niſi in ſancto Miſſæ Sacrificio deguſtauit. Huiuſcemodi laboribus planè Apoſtolicis reſpondit meſſis certè copioſiſſima. Multa enim millia Indigenarum ſua comitate manſuefecit, Chriſtóque adiunxit, & ad vitam ſocialem in pagis traduxit. Illud ibi permirum, Duo ex illis cœterorum Ductores, cùm diu Diuino lumini rebelles Chriſti fidem ſuſcipere obſtinatè renuiſſent, fuſis Pater arden tiſſimis precibus petiuit à Domino, vt duas illas animas pertraheret ad ſe in pignus prædeſtinationis ſuæ, de qua anxius aliquantulum ſubinde fuerat. Ecce tibi die ſubſequenti cùm diluculo Pater aperiret domunculæ ſuæ ianuam, adſtabant ante illam præſtolantes duo illi Indi, & proſtrati illicò ante illius pedes Baptiſmum poſtularunt. Euocatus pòſt inde à Maioribus rexit ſemel atque iterum Collegium Manilanum, & per quadriennium totam Prouinciam; quam licet per varias Inſulas latiſſimè diffuſam, tertiò ſuos inuiſendo, & vbique ad labores Apoſtolicos animãdo perluſtrauit. Magiſtratui vtrique, tam ſæculari, quàm Eccleſiaſtico in æſtimatione ſumma fuit, ob eximiam prudentiam, doctrinam, & vitæ ſanctitatem & Cenſor inſuper cauſarum ad S. Inquiſitionis Tribunal in noua Hiſpania, & Philippinis pertinentium. Dum præeſſet alijs, omnes optimi Præſulis impleuit numeros, factuſquè eſt forma gregis, humilis, manſuetus, pius, plenus caritate erga alios; ſed in ſe vnum, & corpus ſuum immitis, & quadammodo crudelis, frequentibus flagellationibus, cilicijs, catenis aculeatis, & conſimilibus pœnitentiæ inſtrumentis, quæ ingraueſcente ætate quando alij remittere de rigore ſolent, ille auxit, & quamuis laboraret debilitate, ac cruditate ſtomachi, nunquam tamen adduci potuit, vt potionem aromaticam Indicam, quam Chocolatam vocant, frequenter in ijs regionibus vſurpatam, admitteret; tamquam non ſatis conſentaneam ſuæ paupertati, quam ſtudiosè coluit. Imo admonitum ſe aliquando cœlitùs exiſtimauit à B. Virgine, dum ad illius aram ſacrum celebraret, vt in eo propoſito firmiter remaneret, nec vnquam ſumeret. Deſiderio ſummo Martyrij flagrauit diu, atque, vt illam palmam aliquando conſequeretur, quotidie oratiunculam à ſe compoſitam ad id adipiſcendum de genu recitabat. Verùm eius loco Martyrium incruentum dedit illi Deus in diuturnis, & acerbis dolorum cruciatibus, & in perpeſſione multarum obtrectationum, obmurmurationum, & calumniarum, quæ omnia inuicto ille robore animi tolerauit. Orationi, & communicationi cum Deo fuit mirificè addictus, ideòque ſingulis annis cùm Exercitia ſpiritualia obiret, non contentus demenſo ordinario, & communi omnibus octidui; ad 20. dies illa producebat, nullum interim admittens de re quauis colloquium. Quin, vt diutius rerum contemplationi ſine interpellatore vacare poſſet, & accuratiùs ſe ad mortem (quam identidem ſuſpirabat) diſponeret, ſub finem vitæ ſeceſſit in Domum probationis prope Manilam, vbi orationi, & mortificationi, lectioni, & piorum librorum ad vtilitatem proximorum ſcriptioni, totum ſe tradens, tandem confectus morbis, & ſuſceptis magno pietatis ſenſu Sacramentis migrauit ad Dominum die 6. Maij anno 1660. ætatis ſuæ 68. Societatis initæ 54. Multa alia præclara de eo refert noſter Alphonſus de Andrada in illius vita tomo 6. de viris Illuſtribus, quem, qui plura cupit, conſulere poterit. Edidit religioſiſſimus Pater, auctoritate Archiepiſcopi Manilenſis, & Senatus Regij conciones duas à ſe habitas Hiſpanicè

1. *In feſti annui inſtitutione, ob liberatam anno 1629. claſſem Hiſpanicam, ab inſidijs Hollandorum.* Alteram

In pompa funebri, quam ciuitas Manilenſis inſtituit in obitu Hiſpaniarum, & Indiarum Principis Balthaſaris. Manilæ 1649.

Hiſtoriam de laboribus Euangelicis, & Miniſterijs Apoſtolicis Operariorum Societatis IESV, in Inſulis Philippinis. Matriti, per Ferdinandum de Buendia 1663. in folio. Item

Indiam ſacram, hoc eſt *Suppetias ſacras ex vtraque India, in Europam, pro interpretatione facili, & genuina quorundam locorum in vetere Teſtamento, qui ad huc Europæos morantur interpretes.* Matriti 1666. in 4.

Vitam, & res geſtas ven. fratris Alphonſi Rodriguez Societatis IESV. Matriti, per Dominicum Garzia 1652. in 4.

* FRANCISCVS COMBES, natione Hiſpanus, patria Cæſarauguſtanus, natus ſæculi fluentis anno xx. Societati ſe adiunxit anno 1633. & incenſus deſiderio Indicæ Miſſionis nauigauit in Inſulas Philippinas 1640.

Mul-

Multis annis fuit operarius gnauus Indorum, atque Hiſpanorum, & Theologiam Manilæ diu docuit, emiſſa profeſſione quatuor votorum 1654. Demum à Comitijs Prouinciæ electus in Procuratorem profecturum Romam, poſt longam menſium aliquot nauigationem in portu Acapulcano regni Mexicani, portum ſalutis æternæ (vt ſperamus) tenuit die 29. Decembris 1665. ſcripſit lingua vernacula

Hiſtoriam de Inſulis Mindanao, Solo, & adiacentibus, & progreſſu in ijs Chriſtianæ religionis, auſpicijs Regis Catholici, Impreſſam poſt obitum Matriti, apud Heredes Pauli de Val, 1667, in folio.

FRANCISCVS CONTVRLA, natione Italus, patria Spedienſis in Liguria, adoleſcens Societatem amplexus eſt Romæ anno ſalutis 1592. Quadriennium profeſſus eſt Humaniores litteras, fuitquè Pœnitentiarius Summi Pontificis in Baſilica S. Petri Romæ; maximam ætatis ſubinde partem, traduxit in Domo Profeſſa Romana, Operarius ſedulus, & ab officijs caritatis erga proximos, morumque ſuauitate oppidò commendatus. Compluribus Patribus Purpuratis, & Præſulibus fuit à ſacris confeſſionibus, & demum octogenario maior, profeſſus pridem trium votorum ſolemnium, ad religioſæ vitæ mercedem emigrauit Romæ, die 5. Iunij 1653.

Tranſtulit Italicè, & ſuppreſſo ſuo nomine vulgauit

Praxim bonarum intentionum. Romæ, typis Cameræ Apoſtolicæ 1627. in 16. Recuſam tertiò Romæ, apud Angelum Bernabò 1657.

FRANCISCVS COSTERVS, natione Belga, patria Mechlinienſis, viuente adhuc S. P. N. Ignatio anno 1552. Romam venit adoleſcens, & in Collegio Romano noſtro bonis Artibus perpolitus eſt. Inde anno 1556. cùm ageret ipſe 25 ætatis ab S. Patriarcha Coloniam miſſus eſt, qui in nouo Trium Coronarum gymnaſio, ſi detur aditus, Societatis nomen ſua doctrina, & virtute tueatur. Vbi appulit, Sacram Geneſim ad Academicos in Theologica ſchola, & Cœlorum curſus ex Aſtronomica diſciplina explicare exorſus, auditorium maximum non voluptate ſolùm, ſed etiam admiratione compleuit; præſertim cùm tantam doctrinam commendaret ætatis immaturitas; ornabant eam magis etiam, & venuſtas ſermonis, & varietas linguarum. Anno ſequente cum pluſculi ad Noſtrorum numerum ſe adiunxiſſent, Franciſco Tironum inſtitutio demandata eſt, quo in munere ſuam operam egregiè probauit, adlectis excultiſquè optimæ indolis adoleſcentibus. Cùm autem tradendis Philoſophicis Theologiciſquè diſciplinis Coloniæ inclareſceret, ſacri Doctoratus inſignia, more maiorum, in ea Vniuerſitate ſuſcepit, & anno 1564. ad diem 10. Decembris, quatuor ſe votis ſolemnibus illigauit. Multis in Societate Collegijs præfuit; bis Prouinciæ Belgicæ, ſemel Rhenanæ: Ter Congregationi Generali interfuit; vel ſuo ipſius Prouincialis, vel Prouinciæ nomine. Nunquam totà vità infirmatus eſt; nunquam vltra horam conſuetam ſomnum extraxit; nulla eum Cura, aut ſollicitudo vnquam turbauit aut interrupit; nunquam à ſacro faciendo niſi in extremo morbo abſtinuit. In ſe fuit adeò ſeuerus, vt perpetuo cilicio, creberrimiſquè flagris corpus attereret. Vel tum, cùm regebat Prouinciam, ſcribebat, & conciones ſæpe plures vna die habebat, & audiebat confitentes, & cum Hæreticis paſſim diſputabat, quibus ſe tam ſtrenuè ſemper oppoſuit, vt Hæreticorum dici Malleus meritò queat. Pedes ferè conficiebat, quamuis longiſſima itinera, & plerumque cilicio armatus; ſubinde ocreatus de via repentè concionabundus exiliebat in pulpitum, & magna contentione, tamquam recens à quiete eſſet, diſſerebat. Tam ſcripſit copioſè, tanto concionatus eſt hominum concurſu, vt in præcipuis Societatis Scriptoribus, Concionatoribuſque, videatur numerandus. Et verò multis Hollandorum millibus fuit ſuis libris ſaluti, quos, vel nutantes in fide firmauit, vel lapſos reſtituit. Inſtituti noſtri non amantiſſimus ſolùm, ſed laudator etiam, admiratorque egregius fuit. Apoſtatas à Societate ita execrabatur, vt ægrè Noſtros pateretur cum ipſis, vel miſcere colloquia. In B. N. P. Ignatium, quocum egerat viuente, & Beatis adſcriptum poſtea vidit, tenerrimo ferebatur affectu, nec ſine lacrymarum profuſione ſacrum de illo faciebat. Tria ab eo ſibi data venienti in Belgium præcepta memorabat, quorum fuit obſeruantiſſimus, vt nimirum animi demiſſionem, obedientiam, mentis iugem lætitiam cordi haberet. Virginitatem nulla vnquam cogitatione aut indecoro motu oppugnatam, ſe ſeruaſſe faſſus eſt ipſe aliquando. Sermo illi ſine fuco, ſimpliciorum conſuetudo pergrata. Nunquam auditus eſt, vel minimi defectus narratione alicuius obſcurare famam. Pijs colloquijs ita tenebatur, vt illis illatis, vel ſi dormiret expergiſceretur, aliena ſi repeterentur, mox obdormiſceret. Multus ſemper in oratione fuit, ne tum eam quidem ſolitus abrumpere cum è Muſæo ſe in triclinium, aliouè conferret. Meditando orandoque omne itinerum tempus extrahebat, aut certè meditata cum viæ comite conferebat. Animum ſolitus fuit quotidie per exomologeſim purgare, & humilitati tuendæ lances hebdomadatim, etiam tum cum adminiſtraret Prouinciam, detergere. Deiparæ Virginis, cui ſe dicebat infantulum à Parentibus fuiſſe conſecratum, præcipuus cultor extitit; eius peruigilijs ſe in publica cænatione ſociorum accuſare, atque à ſe pænam aliquam repetere, omnes eius imagines vbilibet obuias aperto capi-

capite, & Angelica Salutatione venerari; perlibenter patrata per eam miracula, vel audire, vel referre. Sodalitates eius honori primus in Prouincijs quibus præfuit, erexit: ijs leges condidit, formam pietatis, ac modum edito in lucem opuſculo docuit. Antuerpiæ grandem ſtatuam ei pro Curia collocandam curauit, ſubmoto, qui locum illum occupabat profano Coloſſo. Vitam ſuam omnem ita proximorum bono ſacram habuit, vt non ſcriptione dumtaxat, alijſquè Societatis celebribus miniſterijs ſemper illis commodaret; verùm etiam Duaci, cum ibi Rector eſſet Collegij, ne quem ſuorum periculo peſtis obijceret, ipſe lue afflatorum obſequio, ſua ſe ſponte addixerit. Denique vitam his laudibus ornatam cùm ad magnum ſenium prouexiſſet, ætati magis, & neceſſitati naturæ, quàm morbo ſuccubuit. Dum vltimis Sacramentis imbueretur identidem exclamabat, *O quanta conſolatio?* Rogatus an lubens moreretur, illis Diui Ambroſij verbis reſpondit *Ita vixi, vt me vixiſſe non pudeat; mori autem non timeo, quia bonum Dominum habeo.* Denique cum 90. illi Pſalmus à quopiam Noſtrum recitaretur, & ad ſingulos prope verſus eorum in ſe ſententias locum iam habuiſſe affirmaret, illis verbis recitatis *Oſtendam illi ſalutare meum: hoc porro*, ait, *à Domino iam reliquum exſpecto* Id cùm ſocius debere eum expectare reſponderet, *Nihil*, inquit, *dubito, nihil dubito. & quantum erit gaudium cum Domino eſſe*; & in his fere verbis mortuus eſt Bruxellæ die 6. Decembris anno Chriſtiano 1619. ætatis ſuæ 88. ab inita Societate 67. Mox omnium ingentes de eius ſanctimonia fuere ſermones; concurſus ad cadauer roſarijs contingendum grandis. Noſtrorum verò ea fuit de viri virtute opinio, vt ſinguli prope aliquid ab eo tractatum ad reliquias acciperent. Scripſit Coſterus latinè

Enchiridion Controuerſiarum præcipuarum noſtri temporis de Religione. Coloniæ 1585. emendatiùs, & auctiùs Turnoni apud Claudium Michaelem 1591. & ſæpiùs alibi deinceps impreſſum. Sed & Belgicè quoque, & Italicè conuerſum prodijt.

Apologiam pro Enchiridio ſuo, contra Franciſcum Gommarum Profeſſorem Caluiniſtam in Schola Leydenſi. Coloniæ ex officina Birchmannica Mylij 1604. in 8.

Epiſtolam ad Franciſcum Gommarum Anticoſterum. Ibidem 1600. in 8.

Librum de Eccleſia contra eundem Gommarum. Ibidem 1604.

Libellum Sodalitatis, hoc eſt, Piarum Chriſtianarum Inſtitutionum Libros III. in gratiam Sodalitatis B. Virginis Mariæ. Hic libellus cum ſub annum 1575. primùm fuiſſet editus ſub nomine *Bullæ*, nullius adſcripto nomine, ſæpiuſque annis ſequentibus recuſus: mox etiam ne incerto auctore ſuſpectus fieret per Ioannem Perellium, modice variato titulo in hunc modum *Theſaurus piarum, & Chriſtianarum inſtitutionum* editus prodijſſet Ingolſtadij 1578. Dilingæ 1583. Mediolani 1586. & alibi. Demùm auctor eius Franciſcus Coſterus librum recognouit, & duobus libris auctum, præfixo nomine ſuo recudit Antuerpiæ typis Plantinianis, & Coloniæ apud Goſuinum Cholinum vtrobique anno 1586. additis Academiarum aliquot approbationibus, quæ illum auctorem eſſe agnoſcunt: Iterumque Lugduni apud Paulum Frellon, & Abrahamum Croquemin 1594 præfixa ad Sodalitates Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Epiſtola ſuo nomine ſubſcripta, qua ſuum illis librum offert, explicatque quam habuerit eius conſcribendi occaſionem, vt nullus poſſit ambigere cuius Auctoris hic partus ſit; qui rurſum 6. libro auctior Antuerpiæ, Coloniæ, & alibi editus eſt.

Meditationes 50, De Vita, & Laudibus Deiparæ Virginis Mariæ. Antuerpiæ ex officina Plantini 1587. Coloniæ, Ingolſtadij, & alibi, & recognitas Antuerpiæ apud Moretum 1600.

Meditationes 50. De Vniuerſa Hiſtoria Dominicæ Paſſionis. Ibidem.

Meditationes 7, In Precationem Salue Regina, & Hymnum, Aue Maris Stella. Antuerpiæ 1589. Ingolſtadij, Coloniæ alibi.

Libellum De quatuor Nouiſſimis humanæ vitæ. Cracouiæ apud Simonem Kempinium 1605. & Bambergæ 1624.

Exercitium Chriſtianæ pietatis. Louanij 1607.

Declarationem Fidei contra Hæreticos Hollandos.

Reſponſionem ad Lucæ Oſiandri ſtolidam Refutationem VIII. Catholicarum propoſitionum. Coloniæ 1608. in 8.

Refutationes duas Reſponſionis P. P. Coci ad ipſius quinque propoſitiones.

Belgica verò lingua ſcripſit.

Conciones vberes in Euangelia Dominicarum totius anni Partibus III. Antuerpiæ apud Ioachimum Trognæſium in folio, quas latinè vertit R. P. Theodorus Petreius Carthuſianus, & edidit Coloniæ Antonius Hierat 1608. Verùm cum ea verſio videretur, haud ſatis accuràta, iterum repetita eſt à R. D. L. M. & ab eodem Hierat impreſſa 1613. in 4.

Conciones ſuper Epiſtolis Dominicalibus totius anni, cum duabus octauis, nempè *Venerabilis Euchariſtiæ, & B. Virginis in Cantica*. Antuerpiæ apud Verduſſen 1616. in folio.

Conciones in omnia feſta totius anni. Antuerpiæ apud Trognæſium 1616. in folio.

Catechiſmum duplicem, alterum breuiorem, prolixiorem alterum. Antuerpiæ typis Plantini 1607.

Clypeum Catholicorum contra Hæreſim. Antuerpiæ apud Giſlenum Ianſen 1605. Eſt autem hic Clypeus, Enchiridion Controuerſiarum Belgicè redditum.

The-

Theſaurum precum. Ibidem apud Trognæſium 1604. & alibi ſæpè

Compendioſam Veteris Orthodoxæ fidei demonſtrationem cum Antitheſium quarundam ſolutionibus, quàm R.P. Theodorus Petreius Latinè reddidit Coloniæ typis Mylij 1607.

Apologiam Catholicam ad Hæreticum libellum Gaſparis Greuinchouij Caluiniſtarum Miniſtri Roterodami, Antuerpiæ apud Trognæſium in 8.

Apologiam ſecundam ad Greuinchouium.

Epiſtolam ad eundem Greuinchouium. Coloniæ 1600.

Lapidem Lydium Apoſtolicæ ſucceſſionis conficta à Iacobo Pieterſſen Anabaptiſta. Antuerpiæ apud Trognæſium 1603. adduntur

Duo Catholica reſponſa, & Comparationes 50. inter Chriſtum, & Euangelicos miniſtros prædicantes.

Epiſtolam ad Ordines Hollandiæ, ac Reſponſionem ad ſententiam Senatus Leydenſis, contra Petrum Pan, qui fingitur inductus à Ieſuitis ad mortem Comiti Mauritio inferendam; eam Latinam à ſe factam Aegidius Schondonchus inſcripſit *Sicam Tragicam Comiti Mauritio à Ieſuitis (vt volunt Caluiniſtæ) Leydæ intentatam.*

Tractatum de Indulgentijs.

Aduerſus reſponſionem Petri Cock.

Apologias duas contra Iacobum Molanum.

Refutationem VIII. Propoſitionum ignoti Hæretici Caluiniſtæ.

Reſponſionem De VII. Apoſtatis.

Scholia Catholica velut Antidota ad ea Bibliorum loca, quæ ab Hæreticis in controuerſiam rapi ſolent, & incautis propinari: magnâ curâ Theologorum Louanienſium examinata, vt cum illis textus vernaculæ linguæ Biblicus laicis, & idiotis permitteretur legendus, in *Nouum Teſtamentum*. Antuerpiæ apud Trognæſium 1614. in folio.

Myrothecium, hoc eſt *Preces, & Meditationes ſuper Euangelia totius anni*, à R.P. Teodoro Petreio latinè redditas.

Poſt obitum impreſſus eſt eiuſdem.

Theſaurus Concionum in ſingulos Quadrageſimæ dies idiomate Belgico. Antuerpiæ 1643. in folio.

FRANCISCVS CRESPVS natione Hiſpanus, patria Vbedanus in Bœtica Societati adſcriptus anno ſalutis 1598. ætatis 11. vota quatuor profeſſus eſt. Docuit triennio litteras humaniores, decennio Concionatorem egit; plurimis annis in curia Regis Catholici Procuratoris Indiarum munere perfunctus eſt, & octogenario maior quieuit in Domino. Matriti die 25. Septembris 1665. Edidit Hiſpanicè

Relationem Martyrum, qui in Regia Imperatoris Iaponiæ anno 1624. pro Chriſto paſſi ſunt, Matriti 1625. Item

Hiſtoriam Martyrij Patrum Rochi Gonzales, Alphonſi Rodriguez, & Ioannis de Caſtillo Societatis Ieſu, qui anno 1628. in Prouincia Paraquariæ Vruai mortem pro Chriſto tolerauere, vtraque in varias deinde linguas transfuſa eſt.

* FRANCISCVS CREVXIVS natione Gallus, patria Santo, cooptatus in Societatem anno Domini 1614. ætatis 18. duodecim annos in docenda arte eloquentiæ, & litteris politioribus collocauit; reliquum vitæ in excipiendis confeſſionibus, alijſque pijs operibus tranſegit vir exactiſſimæ in omnibus diſciplinæ, & gradu ſpiritualis Coadiutoris donatus, religioſam vitam felice morte coronauit Burdigalæ exeunte Ianuario 1666. Edidit

Grammaticam Græcam Clenardi recognitam cum obſeruationibus Moqueti.

Deſpauterij Grammaticam Latinam emendatam. Burdigalæ apud Ioannem Mongironem &c. 1658. in 8.

Vitam P. Io. Franciſci Regis Latinè redditam è Gallico. Coloniæ apud Ioannem Buſæum 1660. in 12.

Vitam D. Franciſci Saleſij Epiſcopi conſcriptam Gallicè ab Illuſtriſſimo Epiſcopo Anicienſi, & latinitate donatam, Coloniæ ijſdem typis 1663. in 8.

Hiſtoriæ Canadenſis, ſeu nouæ Franciæ, libros 10. vſque ad annum Chriſti 1656. Latinè Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoyſy 1664. in 4.

FBANCISCVS DE LA CROIX, SEV DE CRVCE natione Belga, patria Valencenenſis, natus anno 1582. Societatem complexus 1600. vota quatuor nuncupauit. Hic poſtquam ſexennium in Rhetorica, & litteris humanioribus tradendis conſumpſiſſet, triennium in Philoſophia, & annos aliquot in Concionibus habendis ad populum fructuosè conſumpſiſſet, in regendi munere (ad quod maximis à Deo dotibus inſtructus erat) viginti & octo annos tranſegit; nempè Rector Domus Probationis Tornacenſis, bis Collegij Duacenſis, bis etiam Prouinciæ Gallo-Belgicæ Prouincialis, tantâ vbique commendatione virtutis, vt memoria eius apud poſteros etiam hodie iucundiſſima perſeueret. Admirabili fuit præditus gratia ſermonis, & morum ſuauitate, qua omnium ad ſe rapiebat animos, tanta verò innocentia, & puritate vitæ, vt Angelus à multis non immeritò appellaretur. Summi beneficij loco vocationem ad Societatem ſemper duxit, & de religioſa perſeuerantia cum lacrymis ſæpè diſſeruit, quo ſenſu priuatim aliquando ſic eſt abreptus, vt cubiculi ſui parietes oſculandi modum non faceret. Quàm arcta cum Deo conſuetudine vteretur, conſtat tum ex chartis, in quas totis retrò viginti annis, animi ſui ſenſa retulerat, tùm ex quotidiano ſacrificio, quòd ſine lacrymis ferè nunquam peragebat. Singulari in Chriſtum patientem affectu, primus in Prouinciam quadrageſimalium meditationum inuexit vſum, eaſque primus Duaci habuit per biennium,

eo ardore dicendi, vt concionem totam magnis motibus incitaret. Tenerrima fuit in Beatiſſimam Virginem deuotione, & ad canonicas preces horarias quotidie adijciebat alias de Immaculata Conceptione, & de Sancto Ioſepho Deiparæ Sponſo. Eluxit in eo perpetua æquitas animi vſque ad extremum diem, quo tactus apoplexia Tornaci in Domo Probationis deſijt inter mortales viuere die 11. Auguſti 1644. Edidit

Hortulum Marianum ſiue Praxes varias colendi Beatiſſimam Virginem Mariam. Duaci typis B. Belleri 1622. in 16. recuſum Coloniæ 1630. & alibi ſæpe, atque in linguas Gallicam, Italicam, & alias translatum. De hoc libello ſcribit R. P. Hippolitus Marraccius in Bibliot: Mariana, eſſe *Opuſculum planè dignum, quod diurna nocturnaque manu ab omnibus pernolutetur*. Reliquit etiam Meditationes varias pietatis ſucco pleniſſimas, quæ multorum manibus teruntur.

FRANCISCVS DE CVNIGA, ſeu DE ZVNIGA, natione Hiſpanus gente Cantaber, domo Translauinenſis, nobiliſſimis parentibus ortus, ſpreta hereditate lautiſſima, & Patris lacrymis Societati ſe Burgis addixit, annos natus 20. anno ſalutis 1590. atque in ea confectis Philoſophiæ, ac Theologiæ ſtudijs, oſtendit re ipſa, poſſe in male ornato corpore pulchram animam habitare. Cùm enim ad ſuperiores diſciplinas, ob vultus totiuſquè corporis quandam quaſi ruſticitatem videretur ineptior, eò tamen euaſit doctrinæ, vt Philoſophiam Compoſtellæ, Theologiam Salmanticæ ſummo cum plauſu omnium explicaret. Verùm aduerſa ferè ſemper conflictatus valetudine religioſè obijt Valliſoleti 22. Iulij anno 1614. Poſthumus prodijt eius

Tractatus de SS. Trinitate in Primam Partem ſummæ S. Thomæ à quæſtione 27. vſque ad 43. Lugduni apud Lud: Proſt: 1623. in 4.

* FRANCISCVS DERAND, natione Lotharingus diœceſeos Metenſis natus anno ſæculi proximè elapſi 88. Societati ſe adſcripſit labentis XI. & votorum quatuor profeſſionem emiſit. Mattheſim aliquamdiu profeſſus eſt, Architectonicæ peritiſſimus fuit, cuius rei perpetuum monumentum erit in Baſilica Domus Profeſſæ Pariſienſis, munificentia Chriſtianiſſimi Regis Francorum Ludouici XIII. extructa, & curis P. Franciſci abſoluta. Miſſus negotiorum cauſa in Galliam Narbonenſem, naturæ conceſſit, Agathæ die 26. Octobris 1644. edidit Gallicè

Architecturam Fornicum. Pariſijs, apud Sebaſtianum Cramoiſii 1643. in folio

* FRANCISCVS DOBEILH, natione Gallus, patria Molinenſis natus anno ſæculi voluentis 34. ad Societatem ſe aggregauit 1651. Poſt traditas humaniores litteras. Concionatorem egit aliquot annos; & Caſtra ſecutus Chriſtianiſſimi Regis, in ſpiritualibus inſeruiuit Miniſtris Aulæ, ſuæ Maieſtatis. Edidit Gallicè tractatum de B. V. ſub titulo

MARIA IESV Mater amabilis Amſtelodami, apud Danielem Elzeuiriū 1671. in 12.

De Arte bene moriendi. Ibidem ijſdem typis anno, & forma

De Tribulatione. Ibidem eodem anno, & forma

Sententias, Conſilia, & effata Politica. Ibidem.

Vitam Regis Almanzon.

FRANCISCVS DVARTE, natione Hiſpanus, patria Hiſpalenſis Societatem inijt anno ſalutis 1575. ætatis 16. & votorum quatuor profeſſionem emiſit. Philoſophiam quadriennio; Theologiam quinquennio cum inſigni laude doctrinæ profeſſus eſt. Gubernauit Collegium Cordubenſe, & cum Domus Profeſſæ Hiſpalenſis Præpoſitum ageret, vinculis corporis ſolutus eſt calendis Martij anno 1601. Edita eſt ab alio quopiam magna pars tractatus eius

De Incarnatione Verbi Dei

* FRANCISCVS DVNELLVS, vide infrà pagina 233.

FRANCISCVS DE ENZINAS, natione Hiſpanus, patria Abulenſis, ab incunabilis ſanctitatem viſus cum lacte ſuxiſſe, eam ſinceriſſimo in Virginem Deiparam amore ſtabiliuit, iam tum ab infantia Deuotus Virginis appellatus. Eam deuotionem ingreſſus in Societatem Abulæ anno ſalutis 1587. ætatis 17. nouis ſemper incrementis auxit: & quidquid vbilibet piarum ad Virginem precationum nanciſcebatur in ſuos vſus vertebat. Ieiunium eius honori vnoquoque ſabbato, ſed omnibus feſtorum eius peruigilijs, arido pane frigidaquè ſeruabat. Sępè ad illam colendam nouendialia inſtituebat, quæ multa corporis afflictatione, prece prolixa, & continente inedia celebrabat; ſæpè ad eius aram noctes ducebat inſomnes, & vt eius ſolemnitates per annum redeuntes veneraretur ex actiùs, die toto à litterarum exercitationibus abſtinebat, vni vacans myſterio meditando, quod tum repræſentabatur. Ipſe totus eo amoris incendio inſlammari ſolitus, in eundem amorem alios incitabat. Encomia Deiparæ ſcripto complexus eſt, quæ ſibi grata fuiſſe, viſa eſt Dei Mater oſtento pateſeciſſe. Viro cuidam lectiſſimæ virtutis viſus eſt aliquando P. Franciſcus hanc ſuam lucubrationem ſupplex offerre Deiparæ atque illa vultu hilari gratanter accipere. Cum Diuina Matre, Deum quoque filium ſuauiſſimè diligebat nunc Infantem, nunc Crucifixum, varijs, ſed tenerrimis affectibus proſequebatur. Verùm in Euchariſtia, vbi quàm alibi præſentiorem agnoſcebat, diuitiùs impenſiluſque venerabatur. In ſacro longas, & quando erat ſine arbitris, horarias trahebat moras; & ante meridiani temporis reliquum eadem pietate duce-

ducebat. Totas prope noctes in templo exigebat orando, vt vix horas ſommo binas, idque ad Altaris crepidinem humi tribueret. Horas Canonicas ſummo animi ardore recitabat, & cùm aliquando confeſſionibus audiendis diſtractus eas nequiuiſſet ſtatis temporibus abſoluere, dubia iam luce ſub noctem viſus eſt eas in templo ad lucis radium, quem ab vultu in librum diffundebat, perlegere. In clemens ſui vexator exſtitit; ferreis, ſetoſiſquè cilicijs, cruentis flagellationibus deſæuiebat in corpus. Iuſſus à medicis vti balneo, ita iuſſit aquam ferueſieri, vt ea perfuſus diriſſime excruciaretur. Ciborum delicias procul arcebat, ſola contentus oriza, & elixis poppagis, qui fructus eſt Indicus è vilioribus; at in alios tanta erat facilitate, vt vel Hollandos, cum ab ijs eſſet comprehenſus, per eam ſibi conciliarit. Societatem amauit impensè, eiuſquè leges omnes ſanctè ſeruauit, Zelo animarum tanto ardebat, vt totos 30. annos Biſayarum gentem in Philippinis, ſummis laboribus, Apoſtolica caritate ad humanitatem, ad fidem Chriſtianam informarit. Ibat ille per montes, & lucos nudis pedibus; tranabat flumina, ſcrutabatur latibula, & ex ijs Indos ceu feras educebat cicurandos; nunc Solis aduri radijs, ſæpe imbre madere, pati inediam, atque omnibus prorſus vitæ commodis deſtitui. Hic vir virtutis à Prouincia ſua Philippinarum Romam anno 1628. miſſus, in Hollandorum delatus eſt manus, apud quos duriſſimam expertus eſt ſeruitutem. Ex ea redux, paulò poſtquam Manilam attigit, morbo correptus, atque oppreſſus paucis diebus poſt ſancta libata myſteria, inter pia colloquia ſuauiſſimè obdormiuit die 11. Ianuarij anno Chriſti 1632. ætatis 62. Societatis 45. Philippinicæ expeditionis 36. & ab edita quatuor votorum profeſſione 22. ſcripſit vir non doctrina minus, quam virtute conſpicuus

Encomia Beatiſſimæ Mariæ Virginis.

Grammaticam, & Confeſsionarium lingua Biſayenſi, cuius in Philippinis eſt vſus

* FRANCISCVS ESCHINARDVS, natione Italus, natus Romæ anno ſæculi fluentis 23. Societati nomen dedit 1637. & votorum quatuor Sacramento ſolemni ſe obſtrinxit. Poſt traditas quinquennio litteras amæniores, Philoſophiam. Florentiæ, mox Romæ, Matheſim Peruſiæ profeſſus eſt. Rexit Collegium Tiburtinum, edidit hactenus latinè

De Horologio Hydraulico ſub titulo *Appendicis ad Exodium de Tympano*. Romæ 1648. in 4. & iterum *De eadem Materia* ex ærario P. Marij Bettini Romæ 1650. in 4. editio 2.

Microcoſmum Phyſico-mathematicum, ſuppreſſo nomine Peruſiæ 1658. in folio

Compendium Philoſophiæ dedicatum Card. Chiſio ſub titulo *Simulacrum ex Chiſijs Montibus*, Romæ 1661. in folio

Orationem in Paraſceue habitam coram Summo Pontifice, impreſſam à Reuerendiſſimo Magiſtro Sacri Palatij inter alios ſermones habitos in Sacello Pontificio Romæ 1662.

Dialogum opticum. Romæ 1666. in 4.

Centuriam Problematum Opticorum, ſeu *Dialogi optici Partem alteram*. Romæ 1666. in 4.

Centuriam Problematum opticorum ſeu *Partem tertiam*. Romæ 1668.

FRANCISCVS ESCRIVA quem Scribam, & Scribanum aliqui mendosè vocant, natione fuit Hiſpanus, patria Valentinus cùm eſſet genere, ingenio, vitæ integritate nobilis, & humanis, Diuiniſque litteris probè excultus, & in Academia Complutenſi Doctoris Theologi lauream, atque in patria Canonicatum conſecutus, magna omnium admiratione anno ſalutis 1570. ſuo vero 40. Omni ſæculi vanitate reiecta ad Chriſti vexillum conuolauit, vt in noſtræ religionis paupertate inueniret, quod mundi diuitiæ præſtare non poſſunt. Societatem tum ſuis lucubrationibus, atque concionibus, tum verò magis auctoritate, qua valuit, plurimùm illuſtrauit. Ioanni Ribero Patriarchæ Antiocheno, & Archiepiſcopo Valentino fuit vnicè charus, conſiliorum eius particeps, & indiuiduus comes. Alijs etiam Dynaſtis fuit in honore. Omnium illi animos conciliabat ingenuitas, integritas, candor, prudentia, rara morum facilitas, & ſtudium bene de omnibus merendi. Solus ipſe ſui erat deſpicientiſſimus, religioſæ diſciplinæ exactus obſeruator, nihil in victu, cultùque ſingulare, ne in extrema quidem ætate niſi coactus admiſit; & ipſe ſe interim quotidie flagellabat, & abiectiſſima quæque munia libenter obibat. Cæſarauguſtano Collegio triennio præfuit, ſed poſtea ad nullum alium magiſtratum gerendum adigi potuit, tametſi præclaris ad gubernandum dotibus polleret. Priuata vita delectabatur perquam poſſet commodiùs in S. Scripturæ, Sanctorumque PP. ſtudio verſari, quo vno mirificè capiebatur. In Valentino Collegio diem 30. Decembris habuit extremum anno Chriſti 1617. ſcripſit Hiſpanicè

De IV. Nouiſſimis Diſcurſus (ſic enim vocantur) pietate, eruditione, breuitate, ac perſpicuitate eximios, & ad formandos Diuini Verbi declamatores appoſitos. Editi ſunt Valentiæ per Petrum Patritium Mey.

De Morte 1604. *De Iudicio* 1604. *De duobus reliquis* 1616. in 4.

Vitam Illuſtriſſimi D. Ioannis de Ribera Patriarchæ Antiocheni, Archiepiſcopi Valentini. Typis iiſdem 1612. in 4.

Diſcurſus de obligationibus ſtatus vniuſcuiuſque ſecundum quas iudicabitur.

Plura mors interrupit.

FRANCISCVS EVGENIVS natione Italus, patria Peruſinus adſcitus in Societatem

Romæ anno Domini 1593. ætatis 17. Abſolutis Philoſophiæ, & Theologiæ ſtudijs Neapoli, & prælecta Rethorica, in Iaponiam ad animarum quæſtum traiecit anno 1603. relicto Socijs præclaro ſuæ virtutis exemplo ex imitatione S. Franciſci Xauerij, quippe qui præter Breuiarium, & ſcripta ſua, nihil Roma ſecum extulerit, & rogatus, vt Peruſiam, ſuis vltimum dicturus vale accederet, negauit, Homini à Parentibus iam abſtracto, & animarum ſaluti pro Chriſto iam addicto, id ex vſu videri. Multa & grauia perpeſſus eſt Vir Apoſtolicus in Iaponia, emiſſa profeſſione votorum 4. Nangaſachi anno 1617. Inde reuerſus Macaum non multo poſt ad laborum mercedem videtur emigraſſe. Scripſit

Annuas litteras è Cocincina, & Macao 1617.

FRANCISCVS FAVARDIVS natione Gallus, patria Lemouicenſis cùm peracto litterarum humanarum, & Philoſophiæ curſu, ac legum ſtudijs in Burdigalenſi Senatu Patronus, & Cauſarum actor eſſet, dedit ſe in Societatem anno 1587. exeunte, ætatis ſuæ 25. Lugduni in humili Religionis ſtatu, Prouinciæ Lugdunenſis procurationi 30. ipſos annos induſtriæ impendit. Demum octogenario maior, corporis vinculis ſolutus migrauit ad Dominum Lugduni die 26. Maij 1644. Edidit tacito ſuo nomine verſam Gallice

Vitam S. P. N. Ignatij ex Petro Ribadeneira, & Ioanne Petro Maffæio collectam, elegante ſtylo Auenione, & mox Antuerpiæ.

FRANCISCVS FERNANDIVS natione Hiſpanus, patria Auertenſis diœceſeos Toletanæ, Baccalaurei inſignibus in Complutenſi Academia iam ornatus, & Iuris Ciuilis inſuper ſtudio per triennium inſtructus, rebus caducis valere iuſſis, in Societatem ſe recepit Compluti anno ſalutis 1570. ætatis ſuæ 23. & nondum ſacris initiatus, animarum Deo lucrandarum ſtudio incenſus, comitem ſe adiunxit Alexandro Valignano Orientis Viſitatori deſignato, atque eadem cum ipſo naui traiecit in Indiam anno 1574. & Goæ Sacerdotio inauguratus vtilem, ac diuturnam ibi nauauit operam rei Chriſtianæ Concionibus habendis, Confeſſionibus excipiendis, docendo, gubernando, & alia miniſteria Inſtituti noſtri obeundo. Votorum 4. Sacramentum ſolemne Goæ dixit anno 1595. vbi etiam Theologiam publicè explicuit. Rexit Reſidentiam Tanaenſem, Domum Coulanenſem, & diu Pater Chriſtianorum (vt vocant) Goæ & Cocini fuit. Inde miſſus in Regnum Bengalenſe anno 1598. in eo Arrancani Regulum initio, qua erat morum ſuauitate, ſibi conciliauit, & portam Euangelio latiſſimam aperuit. Nam gentis idioma breui perdidicit, & multos Chriſtianæ Fidei lumine illuſtrauit. Verùm Ciatigani dum rixas Luſitanos inter, & indigenas excitatas componere nititur, ab immiti turba malè probris, & pugnis mulctatur, ad hæc in carcerem raptatus, in eo breui confectus ſquallore, & ſenio, ex ærumnoſa hac vita ad Regnum filiorum Dei euolauit die 14. Nouembris 1602. Res eius geſtas pro Dei gloria, fusè poſtea perſcripſit P. Alegambe certiorem de eo nactus notitiam, in opere de mortibus Illuſtribus, &c. ad annum 1602. Edidit lingua Bengalana.

Tractatum, quo Catholicæ Fidei capita explanat. Item

Catechiſmum in modum Dialogi.

FRANCISCVS DE FIGVEROA. duo fuerunt huius nominis, & cognominis in Societate vterque Hiſpanus, & vnus quidem patria Hiſpalenſis, ſed in Societatem ingreſſus eſt Limæ, in Peruana Prouincia anno ſalutis 1612. die 1. Octobris ætatis 18. & in illa emiſit profeſſionem votorum 4. Philoſophiam Limæ, Theologiam Cuſci profeſſus anno ſalutis 1637. demum Limæ pie obijt 1639. in Decembri, nec inuenio hunc vnquam rediiſſe in Hiſpaniam, vt exiſtimauit P. Alegambe.

* ALTER FRANCISCVS DE FIGVEROA fuit patria Fregenalenſis in Boetica, admiſſus in Societatem anno Domini 1586. ætatis 15. Profeſſus etiam 4. votorum, Concionator, Confeſſarius, & miſſus Matritum, Prouinciarum Indiæ Occidentalis Procuratorem egit ab anno 1611. vſque ad annum 1623. quo ibidem natura conceſſit. Hic itaque ſcripſit Hiſpanicè

Memoriale de octo Societatis Ieſu Patribus, & alijs nonnullis Hiſpanis, Indiſque martyrio affectis in Prouincia Mexicana anno 1616. exhibitum Catholico Hiſpaniarum Regi Philippo III. anno 1617. quod in Gallicam, Germanicam, & alias deinde linguas transfuſum eſt.

Prior veriſimillimè ſcripſerit.

Vitam P. Ioannis Sebaſtiani Societatis Ieſu, & Prouincialis olim Prouinciæ Peruanæ, quæ tamen nondum videtur edita in lucem.

* FRANCISCVS DE FLORENTIA, natus in Inſula Florida, vnà ex Occidentalibus Regni Mexicani, Societati nomen dedit anno ſalutis 1642. ætatis ſuæ 23. & votorum quatuor nuncupatione ſe adſtrinxit. Philoſophiam, & Theologiam profeſſus eſt Mexici, & electus ab illa Prouincia in Procuratorem Romam adijt. Nunc dum hæc ſcribimus, anno 1674. Hiſpali omnium Indiæ Occidentalis Prouinciarum negotia ſedulò procurat. Edidit Hiſpanicè

Menologium Virorum inſignium perfectione Religioſa Societatis Ieſu in Prouincia Mexicana. Barcinone per Hyacinthum Andream 1671. in 4. Item

Vitam exemplarem, & glorioſam mortem in odium Fidei Venerabilis P. Ludouici de Medina, occiſi in Inſulis, quas vocant Latronum, ſiue

Marianas. Hiſpali per Ioan. Franciſcum Blas 1673. in 4.

FRANCISCVS FOLIANVS natione Rhetus è *Valle Tellina*, inde à P. Nicolao Bobadilla vno ex 10. primoribus Patribus Societatis, Romam miſſus ad Tirocinium anno 1559. cum ageret ætatis annum 16. per ſummam ſui obſcuritatem, quam ſemper impensè ſectatus eſt, ad inſignem ſanctimoniæ claritatem euaſit. Reſplenduit in illo primum humilitas, qua cùm de ſe demiſſiſſime ſentiret, contemnebat ipſe ſe pertinaci ſtudio, atque ab alijs contemni geſtiebat. Veſtium, librorum, & reliqui inſtrumenti domeſtici obſoletiſſima ſibi prenſabat. Ægrè potuit adduci ad Sacerdotium capeſſendum, nec deſtitit vnquam poſtquam eſt initiatus ſacrificantibus miniſtrare quoties nanciſcebatur occaſionem. Vbi conſuetis functionibus ſuis ſatisfecerat, Superiorem adibat, quærens numquid aliud operæ vellet à ſe præſtari. Sic ſæpe addebatur ſocius exeuntibus; ſæpe domi publica ambulacra, ſæpe priuata Sociorum conclauia euerrebat, purgabat foricas, culinæ ſeruitia præſtabat. Afflictatio corporis fuit in illo ſupra communem etiam Sanctorum modum. Vſurpata cilicia, dira lateque ſonantia flagra miſſa facio, ceu tenue ſeueritatis ipſius rudimentum. Vrticas nudo corpori admouere deprehenſus eſt. Inambulabat æſtate complures horas aperto capite ad Solem, & quò æſtuaret immoderatiùs laneos thoraces duos, omnemque hibernam veſtem induebat. Contrà, vt algeret per hiemem, tenuiſſimè amiciebatur, & intempeſta nocte, ſæuiente aquilone ſub dio, nudo vertice conſiſtebat; imbres niueſque, & omnem aëris inclementiam excipiebat. Omnes pene ſenſus obtuderat aſſidua maceratione, nec vlla propemodum erat ipſius actio vacua vexationis. Si verrendum erat cubiculum, obducebat fores, & feneſtras, nec inſpergebat aqua, vt excitatis pulueribus torqueretur. Si iter faciendum, ſubibat humeris pallia ſociorum, vel aliud quidpiam moleſti oneris accipiebat; ſi lances, ſi culinaria ſupellex eluenda, aquam feruentiſſimam adhibebat. Cibi, ſomnique parciſſimus; illum ſæpe pane, ac vino definiebat, ſæpe dies impaſtus traducebat; at ſomnum ternis, quaterniſue horis, & fere nudis ſuper aſſeribus capiebat. Sed compendio abſoluam hoc caput. Poſtulatus aliquid piorum ſuffragiorum pro benefactrice, quæ Neapolitano Collegio ſex, & triginta, nummum aureorum millia fuerat elargita totidem promiſit ille actuum mortificationis externæ millia, nec diutiùs quàm trimeſtri ſe pro illa Deo depenſurum. Caritate qua flagrabat in omnes, ſatis conſtat nemini vnquam defuiſſe, qui vellet eius opera vti. P. Alphonſo Salmeroni diu amanuenſis fuit, & omnia ipſius volumina bis minimùm exſcripſit; idemque obſequium diu Romæ præſtitit alijs Patribus. Vt ſtudijs noſtrorum ſcholaſticorum conſuleret, quos inualetudo prohibebat ab excipiendis ſuo calamo dictatis Magiſtri, ipſe clàm ea deſcribebat, eiſque porrigebat. Sæpe ſternebat aliorum lectos, calceos extergebat, alia præſtabat obſequia, in quibus ſi fuiſſet deprehenſus, natum ſe ſeruitio dicebat. Tam imperturbata cum Deo tot inter officia coniunctione verſabatur, vt tricenis omnino annis credatur ab eo mentem non deflexiſſe. Certè ex omnium rerum aſpectu, qualeſcumque illæ eſſent, tamquam pondere quodam rapiebatur in Deum. Sermo illi omnis de rebus pijs, pia omnia ſcribebat de genibus. Tempus à ſcriptione vacuum orando occupabat. Erat in Cælites omnes, atque in primis in Sanctos Angelos propenſiſſimè pius. Sed auguſtiſſimam Trinitatem Summi Dei ita coluit, ita veneratus eſt, vt omnem vicerit admirabilitatem. Eam in omni oratione frequentiſſimè, ſuauiſſimèque, ſed nunquam niſi aperto, inclinatoque capite, appellabat. Multa ſuo marte de ea commentatus eſt, multa ab alijs lucubrata pulcherrimo charactere deſcripſit. Sed nomen ipſum Dei, aut Diuinæ Triados, nunquam niſi grandioribus litteris expreſſit. Multa in quotidiano vitæ vſu, vel faciebat in huius ineffabilis myſterij gratiam, vel omittebat, quæ tametſi minutiora videri cuipiam poſſent, quia tamen, & confirmatæ pietatis indicia ſunt, & frequentia ſua propemodum ſupra imitationem, breuiter nonnulla perſtringam. Inhabitabat Romæ triangulare cubiculum; tribus aſſeribus pro ſtrato vtebatur: trigonum habebat pectinem, & tridentem; triplicem ſemper veſtem gerebat; In ſacro præfationi quam temporis ordo præſcribit, alteram de Sanctiſſima Trinitate (probante Pontifice) ſubmiſſa voce ſubiungebat. In menſa cultrum, fuſcinulam, & cochlear, in formam triquetram diſponebat, panem ter cruce ſignabat, tria ex illo fruſtula ſcindebat, & deinceps terna prioribus abſumptis: nunquam plus quam tribus ferculis veſcebatur; cibos ſi tripartiti dabantur, non attingebat, nec ſi terni fructus, vnâ lance inferebantur, alia tres prius in partes diuidebat: minutiores fructus, vt ſunt amygdala, vuæ, ternos ſimul in os inferebat. Ter quaque cibatione bibebat. Obambulabat in triangulum, Roſarium habebat tridecas, & tricolore liceo conſertum. A legendo, ſcribendoque poſt tertium folium interquieſcebat. Sæpe triangula pingebat æquilatera, illorumque proprietates Diuinis Myſterijs accommodabat. Solemne illi erat effatum; Tria ſunt omnia. Solem fixo ſæpe obtutu contemplabatur, in eoque lucem, ſplendorem, calorem tamquam Trinitatis veſtigium deuenerabatur; ad omnem Sacroſanctæ Triadis commemorationem profundiſſimè corpus inclinabat, coram eius imagine terram prono vultu contingebat. Nomen Diuinum non

niſi de genibus ſcribebat. Nouis ædificijs curabat vbi poterat eius effigiem addi; eidem templa, ac Sacella dicari. Ad eius feſti ſolemnitatem toto ſe octiduo, geminato pœnitentiæ conſuetæ, atque orationis penſo comparabat. Pridie veſperi, Sacerdotalem in ſacello induebat apparatum, & ſic tota nocte peruigil ante aram ſtabat. Summo mane inter inexplicabiles animi delicias ſacrum ad horam producebat: eademque contentione pietatis octauam diem peragebat. Huius viri prorſus admirabilis, poſt ætatem tot per virtutum ornamenta conſtanter deductam, exitus hic fuit. Eſt in agro Tarquinienſi amplum Romani Collegij prædium cælo inſalubri. Huc ille ad aratores, meſſoreſque, qui conuenerant, vt quotannis fit, miſſus febrim peſtilentem contraxit, ac Romam reuerſus, triduo æger decubuit, admirabili patientiæ, humilitatis, obedientiæ exemplo; tandem Sacramentis perceptis, cum tres digitos cordi forma triangulari impoſitos, velut amoris ſui ſignaculum teneret, ſanctiſſimè expirauit die 29. Septembris anno 1609. Eius penè adhuc ſpirantis cubiculum, reliquiarum nomine direptum à Noſtris eſt. Funus maximo hominum concurſu celebratum. Exſecto ſubinde cadauere tres in corde ſubalbeſcentes ex liuido ſeu maculæ, ſeu flammulæ, ſeu caruncula, tuberculorum inſtar inuentæ, quæ parte aduerſa in vnam coaleſcebant, teſtatuſque eſt Marſilius Cagnatus, qui aderat, Medicorum peritiſſimus, id plane extra naturæ leges eueniſſe. Laudatus publicè in cœnaculo eſt: cadauer iuſſu Præpoſiti Generalis proprio incluſum loculo cum hac epigraphe: P. Franciſcus Folianus Societatis Ieſu eximius Sanctiſſimæ Trinitatis cultor. Reliquit poſt ſe.

Tomos VII. ad Angelum tutelarem vbi cæleſtis perfectionis ſenſu, quæ ab eo ſibi indita prædicabat, annotauit.

Libellos III. De Ieſu in corde, ter mille diſtichis comprehenſos.

Libellos III. Iaculatoriarum precum ad Auguſtiſſimam Trinitatem.

Alia plura pietatis volumina, quæ omnia ſeruantur in noſtro Collegio Romano.

FRANCISCVS FREYRE natione Luſitanus, patria Eſtremoſienſis diœceſeos Eborenſis, ad Societatem venit Eboræ die 20. Ianuarij anno 1611. ætatis ſuæ 14. In ea ſtudijs humanioribus, ac Philoſophicis abſolutis, biennio Conimbricæ amæniores litteras iuuentuti tradidit, quo tempore ſcripſit.

De Symbolis Heroum libros V. multiplici eruditione illuſtres, & qui nunc manuſcripti ſeruantur Romæ, & forte adhuc lucem viſuri ſunt. Poſtea Romam ad Theologica decurrenda ſpatia vocatus, ingenij ſui ſpecimen dedit, ſtudijs moderandis in Germanico Collegio, & explicandis controuerſijs Fidei præfuit; interea verò ſubceſiuis horis ſcripſit

Officium de S. Elizabetha Regina Luſitaniæ.

De rebus geſtis eiuſdem Elizabethæ libros duos Latinè, & Luſitanicè ſub nomine Blaſij de Piña Freyre Fratris ſui.

De Excellenti magnitudine Imperij Auſtriaci.

Muſas Chriſtianas, Oratione ligata.

Scripſit præterea.

Conſiliorum libros V. qui nunc Romæ manuſcripti extant in Domo Profeſſorum, & forte adhuc ſuo tempore lucem aſpicient.

In Luſitaniam confectis ſtudijs regreſſus, cùm tertiæ probationis annum perageret, ſcripſit Luſitanicè.

De Arte bene moriendi libellum.

Deinde in Eborenſi Academia iuſſus explicare publicè Philoſophiam, id cum laude præſtitit, & typo aptauit.

Vniuerſam Philoſophiam vnum in volumen redactam. Poſtea in eadem Academia Theologiam profeſſus eſt, & meditabatur.

Catenam in IV. libros Regum, aliaſque lucubrationes, ſed morte præuentus hæc publici iuris non fecit. Scripſit etiam rogatu Excellentiſſimi D. Franciſci de Mello Marchionis. *Apologiam Veritatis, & Iuſtitiæ vindicatricem.* Quæ ab alijs excuſa eſt Amſtelodami, opera Martini Ioſephi Luſitani 1642. in 4. Migrauit ex hac vita Vlyſſipone die 16. Auguſti 1644.

FRANCISCVS FVRTADVS natione Luſitanus, patria Fayalenſis, quæ vna ex Inſulis Tertiarijs eſt, adſcitus in Societatem anno ſalutis 1608. ætatis ſuæ 21. in ipſo Tirocinio Regularis vitæ præluxit æqualibus exemplo, & eundem obſeruantiæ tenorem poſtea retinuit. Dum Theologiæ ſtudijs nauaret operam, incenſus deſiderio adeundæ Iaponiæ, nauigauit in Indiam, & Sinenſi Miſſioni applicatus, totos 32. annos in illa vinea operoſiſſimè, & fructuoſiſſimè laborauit, & Macai profeſſionem 4. votorum edidit. Præfuit noſtris, Superior in Reſidentijs annos 13. Superior Domorum Septentrionalium annos ſeptem, Vice Prouincialis totius Miſſionis per ſexennium. Poſt multos labores Chriſti cauſa exantlatos tranſiuit ad capeſſenda illorum præmia Macai die 21. Nouembris 1653. Impreſſit Sinenſi lingua.

De Mundo, & Cælo libros ſex, in quibus rationibus Philoſophicis oſtendit dari *Primum motorem, & Dominum Vniuerſi.* Item

De Logica, & Metaphyſica tomos aliquot.

FRANCISCVS GANDILLON natione Gallus, patria Aurelianenſis Societati adſcriptus anno 1614. ætatis 25. iam inde à prima pueritia adeo pietati aſſuetus, vt cum ea natus videretur. Philoſophiam publicè Pariſijs ante aditam Societatem, in ea verò Rhedonis, & Aureliæ; Flexiæ verò ſacram Theologiam, & Lutetiæ, profeſſus eſt; Alenconenſis Collegij exiſtens Rector obijt die 29. Octobris

bris anno 1631. cum magno ſenſu pietatis. Libellum edidit, qui inſcribitur.

Anima ſancta, omnibus virtutibus tum naturalibus, tum ſupernaturalibus cumulata. Alenconij apud Robertum Menerel 1631.

FRANCISCVS GARASSVS natione Gallus, patria Engoliſmenſis, vir fuit ingenij, & doctrinæ fama nobiliſſimus, plurimæ lectionis, docendi facultate minime vulgari, Scriptor indefeſſus. Animi ſubmiſſione, modeſtia, affabilitate, manſuetudine, cæteriſque virtutibus ſupramodum amabilis. In præcipuis Galliæ, & Lotharingiæ ciuitatibus concionatus eſt. Aduerſarios habuit multos. Cùm ſemper virtutem, pietatemque coluiſſet, tum verò id poſtremo ante ſuum obitum anno fecit multò impenſiùs, & tamquam, qui ſe ad triumphum caritatis præſagus compararet, totum ſe Deo, Diuiniſque rebus impendit. Cum autem Pictauij ſæua lues graſſaretur, multis precibus exorauit moderatores ſuos, vt ſibi liceret tabe infectis inſeruire. Quod cum obtinuiſſet, in ijs demum pijs officijs in hoſpitali domo inter infectos, quos verbo, & exemplo etiam moriens hortabatur, ſanctiſſimè, & religioſiſſimè conſumptus eſt die 14. Iunij anno 1631. ætatis 46. Societatis 31. Profeſſionis votorum 4. 13. Scripſit Gallica lingua.

Diſquiſitiones Diſquiſitionum Stephani Paſchaſij. Pariſijs apud Sebaſtiauum Chapelet 1637. in 8. tacito nomine.

Eccleſiam reformatam; Pictauij, & Bruxellis apud Chriſtophorum Girardum 1620. in 8. Sed huic etiam Libro nomen ſuum non addidit.

Doctrinam Curioſam, qua redduntur ridiculi Libertini, & Athei. Pariſijs apud Chappelet 1624.

Apologiam pro ſuo libro contra Libertinos, & Atheos, Ibidem, & ijſdem typis, & anno in 8.

Epiſtolam ad D. Ogerium, & huius ad illum de ſua cum Eccleſia reconciliatione. Ibidem 1624. in 12.

Summam Theologicam contra Atheos huius temporis. Pariſijs apud Chappelet 1625. in folio.

Abuſus detectos in Cenſura ſua Summæ. Pariſijs 1626. in 8.

Septem Sapientum conuiuium alieno nomine 1617. in 8.

De Similitudine lucis Soldris, & Iuſtitiæ. Burdigalæ 1612. Latinè verò ſcripſit.

Elegiarum de Morte Henrici Magni librum ſingularem. Auguſtoriti Pictonum 1611. in 4.

Sacra Rhemenſia carmine Heroico nomine Collegij Pictauienſis oblata Ludouico XIII. Regi Chriſtianiſſimo in ſua inauguratione. Pictauij 1611. in 4.

Campos Elyſios pro exceptione Regis Ludouici XIII. cùm Burdegalam nuptiarum cauſa inueheretur. Gallicè

Coloſſum Henrico Magno in Ponte nouo poſitum. Pariſijs apud Sebaſtianum Chappelet 1628. in 4. Demum reliquit

Volumina 24. in Sacram Scripturam, aut de rebus pijs nondum edita

FRANCISCVS GARCIA DE VALLE natione Hiſpanus, patria Calaguritanus annos vix quindecim natus Compluti in Societatem adſcriptus eſt, anno ſalutis 1590. & vota 4. nuncupauit. Rector fuit Ocanienſis Collegij. Cæterùm partem vitæ reliquam ferè prædicando Dei verbo tranſegit vltra annos quadraginta, & in ſenectute bona, octogenario maior quieuit in Domino. Matriti die penultimo Iulij 1656. Edidit

Euangelicum Concionatorem, & Noui hominis Inſtitutionem ex doctrina verbi Dei. Lugduni ſumptibus Iacobi Cardon 1622. tomis duobus in folio, vbi locupletem materiam, & formam Concionatoribus ſuppeditat.

Hiſtoriam de Natiuitate Mundi aduerſus Atheos. Matriti in folio.

Item alieno nomine vulgauit.

Vitam ad vnionem, & Communionem cum Deo.

Moliebatur, ſed non impreſſit typis.

De Natiuitate Moyſis, & Lege ſcripta aduerſus Iudæos.

Itinerarium filiorum Iſrael.

Gloſſas in totam Scripturam Sacram, tomis compluribus.

* FRANCISCVS GARCIA alter, natione Hiſpanus, patria Vallecaſenſis, diœceſeos Toletanæ, Societati adſcriptus anno ſæculi voluentis 58. ætatis ſuæ 16. vota quatuor ritu ſolemni concepit. Docuit in ea æmæniores litteras, Philoſophiam, & Theologiam, & Miſſiones annis aliquot obiuit. Superſtes Madriti, edidit in lucem Hiſpanico idiomate.

Virtutes, & Excellentias S. Ioſephi. Matriti in 8.

Compendium Vitæ S. Ignatij de Loyola. Ibidem in 8.

Compendium Vitæ S. Franciſci Borgiæ. Compluti per Mariam Fernandez 1671. in 8.

Relationem de Perſecutione Prædicatorum Chriſti in Sinis. Hiſpali, apud Ioannem de Oſſuna 1671. in 4.

Vitam, ac Miracula S. Franciſci Xauerij Apoſtoli Indiarum Toleti per Franciſcum Caluum 1673. in 4.

Tractatum de Oratione Mentali, Lectione Spirituali, & Examine Conſcientiæ. Madriti 1673. in 4.

Vitam Venerabilis P. Ludouici de Medina occiſi pro Fide Chriſti in Inſulis Marianis. Madriti 1673. in 4.

* FRANCISCVS GAVTRAN natione Belga, natus Grauelingæ anno ſæculi proximè decurſi 91. Deo ſe in Societate deuouit currentis nono, & ſolemni ſacramento votorum quatuor ſe adſtrinxit. Sexennio docuit humaniores litteras; Præfectum Scholarum Con-

Digitized

Concionatorem, & Sodalitatum Partheniarum Directorem egit multis annis; ſpiritualium rerum cognitione in paucis excultus, quadraginta annis Præfecti Spiritus munere in varijs Collegijs functus eſt. Rexit Collegia Bethunienſe, & Valencenenſe, & retinens primi ſpiritus Societatis, bonum illum odorem ſpargere vbique ſtuduit. Integerrimæ vitæ exemplo, ad pietatem omnes, ſed præſertim iuniores noſtros ad amorem vocationis, & virtuiis accendit. Demùm ſenio fatiſcens, & bonorum operum meritis cumulatus, ad multorum annorum ſtipendia euocatus eſt. Tornaci die 11.Iulij 1669. Edidit Gallicè

Summam Vitæ Spiritualis. Tornaci typis Adriani Quinque ſæpiùs recuſum, & poſtremò 1666.

Diſſertationem Hiſtoricam de Antiquitate Neruiorum. Ibidem, & typis ijſdem.

Vitam Sancti Drogonis. Ibidem 1651.

FRANCISCVS GOMETIVS natione Hiſpanus, patria ex oppido Fregenal, quod ad radices montium Marianorum ſitum, Prouinciæ eſt, quàm vulgò Eſtremaduram vocant. Hic poſtquam eximio ingenio, excellenti memoria, indefeſſo ſtudio Philoſophicas, atque Theologicas litteras Salmanticæ didicit, & hortatu Ioannis Auilæ præſtantiſſimi ſanctitate, atque doctrina viri, feliciùs Cordubæ profeſſus eſt, vbi inter alios præclaros diſcipulos Franciſcum Toletum eum, qui poſtea Societatis noſtræ, ac S.R.E.Cardinalis fuit, Auditorem habuit, annos natus 35. ſeſe noſtris adiunxit eodem Ioanne Auila auctore, anno ſalutis 1559. Poſt ingreſſum in Societatem, vix dici poteſt quantos in omni genere virtutis progreſſus fecerit: quo ſpiritu ea inter ſe copulauerat, quæ maximè diuerſa videntur inſignem nimirùm eruditionem cùm admirabili humilitate; ſingularem prudentiam cum rara ſimplicitate; morum eximiam grauitatem cum ſumma lenitate; ſtudium orationis cum operibus caritatis, ſui denique per omnia contemptum cum præclara exiſtimatione, quàm de illo omnes habebant, domeſtici, exteri, magni, parui, docti, indoctique. Multos annos noſtro in Collegio Cordubenſi magna cum laude Diuum Thomam interpretatus eſt, ad illumque tamquam ad oraculum, non ſolùm ex vniuerſa Boetica, ſed ex remotioribus etiam Prouincijs, quæſtiones de moribus, & variarum, & difficilium rerum conſultationes referebantur. Denique cùm ſanctitate, ac eruditione floreret, maximaque omnium admiratione Rectoris munere ibidem fungeretur, immatura morte ereptus eſt nobis vir ſapientiſſimus in ipſis ferijs Sancti Thomæ Apoſtoli 21. Decembris anno ſalutis 1576. ætatis 52. magno omnium mœrore, ac luctu, proſequentibus eius funus Epiſcopo, Clero, Inquiſitoribus, Religioſis, Nobilitate, atque vniuerſa Cordubenſi Ciuitate. Reliquit Gometius multas lucubrationes, quæ lucem hactenus non aſpexerunt, ſed in Bibliotheca noſtra Curdubenſi aſſeruantur.

FRANCISCVS GONZALEZ natione Hiſpanus, patria Sanctacrucius in Bœtica, ingreſſus Societatem anno ſalutis 1608. ætatis ſuæ 17. vota 4. in ea nuncupauit. Philoſophiam in Boetica profeſſus, Romam euocatus eſt ad officium Pœnitentiarij Summi Pontificis in Vaticano, & annos ampliùs 30. eo munere magna aſſiduitate, ac caritate perfunctus eſt; Vir ſuauiſſimis moribus, diſciplinæ perquàm obſeruans, humilis, manſuetus, pius, ſeptuagenario maior ad ſuperos, vt ſperamus, abijt Romæ die 15.Iulij 1661. Edidit

Logicam tripartitam, ideſt, Vocalem, Realem, Rationalem ex mente Ariſtotelis, S. Auguſtini, & S. Thomæ, Romæ typis Ludouici Grignani 1639. in 4.

Philoſophiam de Phyſico auditu. Romæ typis Hieron.Barberij 1645. in 4.

Metaphyſicam, ſeu tertiam Partem curſus Philoſophici. Romæ typis Ignatij Lazari 1655. in 4.

FRANCISCVS GVERRERIVS, SIVE VERIERIVS vt ipſe ſcripſit nomen ſuum (in formula ſolemnis profeſſionis votorum trium) natione Italus, natus Rudijs, Ennij patria in Salentinis, adſcitus in Societatem anno 1582. ætatis 19. Græca, Latinaque litteratura præcellens, pluſquam 12. annis Noſtros, Externoſque eloquentiam; & litteras politiores docuit. Poſtea in Miſſionibus, Concionibus, & Confeſſionibus excipiendis diù multumque cum laude exercitatus, mortalitatem exuit in oppido Manduria, vulgò Caſalnuouo apud Salentinos Cal. Nouembris 1626. Edidit

Orationem habitam Lupijs in funere Sereniſſimæ Margaritæ Auſtriacæ Reginæ Hiſpaniarum, excuſam Græcij Styrorum 1612.

Orationem à ſe dictum in Inſtauratione ſtudiorum.

Epiſtolas Græcas, & Latinas, quæ extant inter Epiſtolas Illuſtrium virorum

Carolum, ſeu Dialogum, De virtute Theologica editum à Carolo de la Monica Neapoli typis Franc.Saxij 1633. in 12.

* FRANCISCVS GVILLORE; natione Gallus, Diœceſeos Nannetenſis natus anno ſæculi præterlabentis 15. vicennis Societatem amplexus eſt, & vota 4. ſolemnia nuncupauit. Rhetoricam, & amæniores litteras annis 11. profeſſus eſt. Conciones habuit & Noſtris in Reſidentia Nannetenſi Superior præfuit. Edidit Gallicè

Axiomatum, ſeu Maximarum Spiritualium pro directione animarum Partem I. Nanneti, apud Petrum Querro 1668. in 12.

Axiomatum Aſceticorum Partem II. Pariſijs apud Stephanum Michalet 1671. in 13.

Secreta Vitæ Spiritualis, ſiue De Illuſionibus, translata in linguam Italicam, ſed non dum impreſſa. Pariſijs apud eundẽ anno 1673. in 12.

Secreta Vitæ interioris. Pariſijs 1675.

FRAN-

FRANCISCVS GVTTIERREZ, natione Hiſpanus, patria Sætabi Regni Valentini (vulgo Xatina) natus, in Societatem admiſſus eſt anno ſalutis 1577. ætatis 19. & votorum quatuor profeſſionem emiſit; Eccleſiaſten egit multis anni magna nominis celebritate. Obijt Vrgellis die 17. Nouembris 1609. Conſcripſit, ſed non edidit

Commentaria in X. priora Capita Euangelij S. Matthæi.

FRANCISCVS DE GVZMAN, natione Hiſpanus, patria Hiſpalenſis, Obijt in flore ætatis Vtreræ cùm ibi Noſtris præeſſet anno 1642. actis in Societate 25. vniuerſim 42. Profeſſus quatuor vota ſolemnia. Scripſit opuſculum pium Hiſpanica lingua, quod Franciſcus Alferez nomen Auctoris in dedicatione profeſſus, vulgauit, inſcriptum:

Impendium amoris Barcinone per Sebaſt. Mateuiadi anno 1639. in 24.

FRANCISCVS DE HAMAL, natione Belga, patria Namurcenſis loco illuſtri natus anno ſalutis 1610. Societatem ingreſſus 1628. votorum quatuor nuncupatione ſe obligauit. Docuit in ea Rhetoricam, Philoſophiam, Theologiam moralem, & de controuerſijs fidei. Vir magni zeli atque ad officia pietatis exporrecti, dum Confeſſionem excipit hominis boa, ſeu papulis laborantis eodem morbo ipſe derepente infectus, voluntati Diuinæ religiosè ſe accommodans ex mortali hac vita tranſijt ad mortis expertem. Montibus die 12. Maij 1655. ex Hiſpanico ſermone in latinum vertit

Annuas litteras Paraquariæ annorum 1635 & duorum ſubſequentium. Inſulis typis Toſſani le Clerque 1642.

FRANCISCVS AB HEES, natione Belga, patria Traiectenſis ſuſceptus in Societatem anno Domini 1607. ætatis vndeuigeſimo: vota 4. in ea profeſſus eſt. Poſt traditas litteras humaniores, Philoſophiam docuit ſeptennio, & annis totidem Theologiam moralem, breuitatis ſimul, & claritatis laudem in ſcriptis conſecutus. Rexit Collegia Vvinocibergenſe, Gandenſe, & Domum profeſſam Antuerpienſem, & electus à Prouincia, Congregationi Generali nonæ interfuit. Demum viuere deſijt inter mortales Cal. Nouembris 1656. Edidit præſcripto titulo cuiuſdam de Societate, collectas à ſe in paruum libellum ſæpiùs recuſum

Familiares preces. Antuerpiæ typis Cnobbari 1639. in 16.

FRANCISCVS HENRICVS, natione Luſitanus, patria Vlyſſiponenſis Societati adſcriptus anno ſalutis 1545. ætatis 19. vota quatuor nuncupauit, rexit Collegium Vlyſſiponenſe, & Domum Profeſſam ibidem; quam dum adminiſtraret ſcripſit ſuo, & ſuorum nomine

Epiſtolam ad ſocios Romanos de 12. ſocijs pro Catholica fide in mari Braſilico interfectis anno 1571. nimirum P. Petro Dias, & ſocijs, qui ſequebantur P. Ignatium Azebedium, anno priùs ibidem occiſum. Extat impreſſa Neapoli apud Ioſephum Cochium 1572. & ad calcem litterarum Indicarum, quas collegit Maffæius. Demum migrauit ex hac vita Vlyſſipone die 16. Martij 1590.

* FRANCISCVS L'HERMITTE, natione Belga, Antuerpiæ natus anno ſæculi proximè euoluti 98. Deo ſe in Societate conſecrauit voluentis XV. 3. Octobris, & ſolemni Sacramento votorum quatuor ſe illi obſtrinxit. Septennium docuit litteras humaniores, diu præfuit ſcholis, & Sodalitati Partheniæ latinæ; Concionatus eſt per annos amplius tricenos; gubernauit Collegia Ruremundæ, Gandaui; ſuperior fuit Miſsionis Noſtrorum in Hollandia; electus à Conuentu Prouinciali, interfuit Congregationi Procuratorum Romę, poſtea Præpoſitus fuit Domus Profeſſæ Antuerpienſis, & Collegium Louanienſe adminiſtrauit; ſuperſtes adhuc emiſit in lucem lingua Belgica tacito ſuo nomine

Terginerſationem Hæreticam, & ſternutatorium oblatum Samueli Doreslaer Prædicanti Delfenſi, De Communione ſub vtraque ſpecie, ab Eccleſia Romana laicis prohibita. Antuerpiæ, apud Viduam Io: Cnobbaert 1648. in 8.

Arborem Maialem, in qua tractat tria. I. Encænia Infernalia, in quibus explodit remiſſionem peccatorum Caluiniſtarum per ſolam fidem. II Encænia Cæleſtia per Indulgentias Catholicæ Eccleſiæ. III Theriacam propinat cuidam Hæretico, qui ſupradicta Encænia oppugnarat. Ibidem 1640. in 8.

Vitas Complures Coadiutorum Temporalium Societatis virtute Illuſtrium duobus volum: Antuerpiæ, apud Michaelem Cnobbaert 1648. in 8.

Vitam Cæſaris Caietani Societatis IESV latinitate donauit. ex Italico. Antuerpiæ typis Plantinianis 1670. in 8. Belgicè etiam vertit. Ibidem, typis Cornelij Vvoens eodem anno

Synopſim breuem vitæ, & virtutum P. Antonij Iulij Brignole de Societate Ieſu ex Italico latinam fecit Antuerpiæ typis Cornelij Vvens 1671. in 8.

FRANCISCVS ICART, natione Hiſpanus, patria Barcinonenſis perilluſtri familia ortus, à puero ita virtutem coluit, vt illibatum gratiæ florem ad extremum vſque vitæ ſeruaſſe pro certo habeatur. Ad Societatem acceſſit anno ſalutis 1588. ætatis 16. è ſchola Didaci Perez, qui è Magiſtri Ioannis Auilæ diſciplina Barcinone clarebat titulo virtutis Apoſtolicæ. In ea cùm modis alijs, tum maximè tradenda pueris Catecheſi incredibiles collegit fructus animarum. Vir adexcitandum feruorem natus, quem tonantem in Compitis attoniti audiebant omnium ordinum mortales, exinde Tironibus noſtris forman-

dis

dis Tarracone, & Gandiæ præfuit, quibus humanitate, modeſtia, & omni vitæ exemplo præibat. Vota quatuor profeſſus eſt 1607. Oratione, & ſeueriſſima corporis caſtigatione videri potuit ſibi vitæ ſpatia corripuiſſe. Illam abſoluit religioſiſſime Gandiæ die 24. Aprilis 1610. Adfuere morienti P. Ioſephus Calatayud, & P. Alphonſus Hernandez, viri tota Prouincia clariſſimæ ſanctitatis, qui viri virtutem magnis extulerunt encomijs, *eámque Deus teſtatis etiam miraculis approbauit*. Cohoneſtauit ipſius funus Ciuitas vniuerſa, & qui vix aliquando erat domo egreſſus, omnibus cœpit eſſe notiſſimus. Reliquit ſuæ virtutis, & ſtudij monumentum

Catechesim auctam, & alia ad hoc miniſterium pertinentia

* FRANCISCVS INTORCETTA, natione Siculus, patria Platienſis, natus anno à partu Virginis 1623. Societatem amplexus eſt 1639. & vota quatuor nuncupauit. Rhetoricam Panormi, Philoſophiam Drepani profeſſus eſt non exiguo diſcipulorum profectu in virtute, adeo, vt ex illius ſcholis numerentur hodie pluſquam 50. Religioſi ſub diuerſis Sanctorum regulis Deo mancipati. Docuit etiam plures annos vtramque Theologiam, & in Cathedrali Catanenſi per ſexennium publicas habuit Præbendæ Theologalis lectiones ſingulis hebdomadis. Ibidem Eminentiſſimi Cardinalis Aſtalli fuit Theologus, eiq; à ſacris Cōfeſſionibus; deindè apud illius Succeſſorem Fr. Michaelem Angelum Bonadies olim totius Ordinis Seraphici S. Franciſci de Obſeruantia Miniſtrum Generalem, Theologi officium annis fere vndecim exercuit. Modò Panormi, Archiepiſcopi quoque illius Theologus eſt, & in S. Inquiſitionis Tribunali Qualificator, & Conſultor, & in Collegio noſtro Theologiam de moribus profitetur. Edidit hactenus

Synodum Catanenſem, & Inſtructionem ad reformandos Eccleſiaſticorum mores iuxta Concilij Tridentini, & nouiſſimè ſacrorum Congregationum, Pontificumque præſcripta. Catanæ, typis Ioſephi 1668. in 4. Item tacito nomine

Vitam S. Aniani. Italicè ad inſtantiam Sutorum Syracuſanorum Meſſanæ 1648.

Varias inſcriptiones, & Emblemata cum relatione ſolemnitatum Panormi celebratarum in honorem S. Roſaliæ iuſſu Senatus Panormitani edita 1653. & annis aliquot ſequentibus

Præ manibus habet alia prælo danda.

* FRANCISCVS IOSEPHVS BRESSANVS, Italus, natus Romæ anno ſæculi voluentis 12. Societati ſe adiunxit 1627. & votorum quatuor profeſſionem emiſit. Docuit in ea humaniores litteras, Philoſophiam, & Matheſim, & Zelo lucrandarum Deo animarum in remotiſſimis regionibus, impulſus, in Canadenſem Regionem (quæ Americæ ſeptentrionalis pars eſt, & Regi Galliæ ſubdita) mitti petijt, atque impetrauit anno 1641. Nouenij ſpatio in vinea illa ſenticetis plena, grauiter, & fructuosè laborauit; verùm captus à Barbaris Iroquijs capitaliſſimis Fidei Chriſtianæ hoſtibus, mirum eſt quàm atrocia, & horrenda ſupplicia pro Chriſto ſuſtinuerit. Et initio quidem nudis plantis per virgulta, & dumeta, atque paluſtres lacunas, iter facere coactus ad ſex dies, & abſque vllo cibo niſi pauxillo ſub veſperam malignè ſuppeditato. Poſtquam ad illorum tuguria peruenit, detractis veſtibus, nudus fuſtuario ſæuiſſimè exceptus eſt; tunc ludibrio per multos dies habitus, & iuſſus ſaltare coram Barbaris epulantibus, tunſiones, punctiones, pilorum euulſiones, & his affinia plurima eſt perpeſſus; & nocte ſubdio ex arbore religatus, ibi eſt derelictus. Ad hæc præciſus illi ferro eſt pollex ſiniſter, & è dextra manu amputati digiti duo; tum vſtulati, qui ſupererant vngues, cum digitis, luxati pedes, & ad comedendum (quod horridum dictu eſt) ſtercus ingeſtum. Nec ſuffecit immanibus illis tortoribus hæc carnificina. Pertracto ad alterum pagum, ſuſpenſum eſt totum corpus, prono in terram capite, & pedes ſublimè elati ferrea catena ſunt colligati; tùm demiſſo in priſtinum ſtatum corpore, catena ſimili manùs, & collum vinciuntur, & (quod grauiſſimum viro pudico, & religioſo accidit) nec ipſis parcitum eſt verendis. Ex hoc tam multiplice cruciatu, quod toto ſeptiduo durauit, factum eſt, vt ſanie & tabo diffluerent membra, & vndiquè ſcaterent vermes, tantuſquè fœtor ex corpore emanauit, vt vel Barbari refugerent propiùs accedere, niſi fortè ad magis magiſq; è cruciandum. Hæc cum ille inuicto animo perpeſſus fuiſſet, nihilque aliud quàm mortem expectaret, & concremari; inito inter ſe conſilio Barbari ſtatuerunt ab eo interficiendo abſtinere, & non multò pòſt, obtulerunt Batauis in vicina colonia Neo-Belgij exiſtentibus, ſi forte lytro vellent illum redimere. Redemerunt illi perquàm humaniter, & donatum veſte, curatiſquè vulneribus, atque impoſitum naui, Rupellam in Gallia ſub exitum anni 1644. deportarunt. Et reſtitui quidem ille curauit ijs lytrum, verùm non fractus his ærumnis, & cruciatibus inuictus Chriſti Athleta, iterum ad ſuos Neophytos Hurones ex Gallia reuerſus eſt, ſubſequenti anno, & mirum eſt quanto perfuſi fuerint illi ſolatio ex conſpectu eius, quamquè turmatim accurrerint tamquam pij filij ad cicatrices vulnerum, & mutilas manus reuerenter deoſculandas. Nihil perinde valuit ad eos corroborandos in Chriſtiana fide, quàm tam illuſtre exemplum in adeundis vltrò tantis periculis, & ſuſtinendis alacriter, tot tormentis, ex ſolo amore Dei, & ſalutis æternæ proximorum. Inde poſt aliquot annos deficiente valetudine reuocatus à Superioribus in Europam, Concionatorem per Italiam in primarijs vrbibus magno zelo egit, ad-

addebant verbis pondus truncæ manus,& vulnerum cicatrices, quæ ad ſuſtinenda pro Deo grauia validiùs quàm vox Auditores exſtimulabant. Tandem ætate grauis, & laboribus confectus, ad perpeſſionum multarum, & vitæ religioſæ præmia euocatus à Deo eſt Florentiæ die 9. Septembris 1672. Edidit Italicè

Breuem Relationem de miſſionibus PP. Societatis IESV in noua Francia. Maceratæ, typis Hæredum Auguſtini Griſæi 1653. in 4.

* FRANCISCVS DVNELLVS, natione Gallus, patria Caſtilionenſis in Diœceſi Lingonenſi, natus anno ſæculi tranſacti vltimo, Societatem amplexus eſt fluentis 16. & votorum quatuor profeſſionem emiſit. Philoſophiam docuit annis 8. Mathematicam vno, Theologiam Scholaſticam nouennio, Studiorum ſuperiorum Præfecturam geſſit varijs in locis ſeptennio, quo etiam tempore concionatus eſt per Aduentum, Quadrageſimam, & Octauas Corporis Chriſti. Rexit Collegium Altiſiodorenſe quadriennio; & multas Sodalitates B. Virginis direxit dum doceret, aut Præfectum Studiorum ageret. Congregationi Generali vndecimæ Romæ interfuit, electus à ſua Prouincia Campaniæ quamuis abſens ab illa. Nunc Romæ fungitur officio Cenſoris librorum à Societate edendorum, & Theologi apud Præpoſitum Generalem ab annis circiter 23. Edidit latinè

Theſes amplas Philoſophicas, & Mathematicas. In folio. Pariſijs, apud Sebaſtianum Cramoiſy 1630. quas per tres dies propugnauit Illuſtriſſimus, & Excellentiſsimus Dominus Henricus à Lotharingia tunc Archiepiſcopus Remenſis, poſtea verò Dux Guiſius. Gallicè vulgauit

Collationem habitam Sedani anno 1634. cum Petro Molinæo Prædicante Caluiniſta famoſo. Muſſiponti, typis Philippi Vincentij. 1634.

Sermones 32. De Sanctiſſimo Altaris Sacramento, in 4. Octauas diſtributos. Lugduni, apud Antonium Cellier 1672. in 4.

Nunc Pariſijs imprimuntur complures alij *Sermones, De Chriſto, De B. Virgine, De Sanctis,* tomis 3. & tribus alijs per *Aduentum Quadrageſimam, & in Dies Dominicas totius* anni

Paratos habet *Diſcurſus Morales, & Theologicos 72. in Epiſtolam Catholicam S. Iacobi Apoſtoli.*

FRANCISCVS IOSEPHVS MERCERIVS, natione Gallus, patria Pariſinus natus anno ſæculi fluentis 4. Deo ſe in Societate ſacrauit 1622. & vota quatuor nuncupauit. Poſt traditas aliquot annos humaniores litteras Miſſionem Canadenſem ad lucra animarum expetiuit, & obtinuit, iamque ad 37. annos in cultura illius vineæ ſpinis vndique obſitæ magna conſtantia verſatur. Præfuit Noſtris Quebeci Rector ad nouennium. Edidit Gallicè

Relationem rerum geſtarum à PP. Societatis IESV in Regione Huronum in noua Francia anno 1637. Rhotomagi, apud Io: Boulinger 1638. Præterea

Annorum 1652. & ſubſequentium. Pariſijs apud Cramoiſy in 8.

FRANCISCVS IRAT, natione Gallus, patria Lemouicenſis cooptatus in Societatem anno ſalutis 1605. ætatis 15. votorum quatuor emiſit profeſſionem. Poſt humaniores litteras, Philoſophiam docuit ſexennio; Theologiam moralem biennio, Scholaſticam annis 16. & aliquamdiu Polemicam, ſeu de Fidei Controuerſijs magna commendatione doctrinæ. Gubernauit Collegia Santonenſe, Burdigalenſe, Petrocorenſe, Pictauienſe, & demum ex hoc, octogenario maior ad multorum annorum ſtipendia emigrauit, die 13. Decembris 1671. Cum ageret in Miſſione ad oppidum S. Fidei. Edidit Gallicè

Acta Collationis à ſe habitæ cum Caluiniſſimi Miniſtro de Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, & Sacrificio, ac ſubinde

Turpem fugam Petri de Saletes Miniſtri. Burdegalæ apud Petrum de la Court 1624. in 8.

* FRANCISCVS KAMINKO, natione Germanus, patria Ianouicenſis in Morauia nobili ortus loco, anno Domini 1623. in Societatem ſe recepit 1639. & votorum quatuor nexu ſe obligauit. Docuit in ea humaniores litteras, Ethicam, Philoſophiam, Theologiam moralem Pragæ, Scholaſticam Olmucij; Miſſus à ſuperioribus ad Aulam Cæſaream ad procuranda negotia ſuæ Prouinciæ, & Cæſarem ſecutus Ratisbonam, funere immaturo nobis ereptus eſt die 26. Martij 1664. optimo virtutum odore poſt ſe vbiquè relicto. Fuit enim pietate, ac litteris inſignis; & in primis flore Angelicæ puritatis, quam inuiolata à puero ad virilem vſque ætatem conſeruans, plurimum ſe eo nomine diuinæ bonitati adſtrictum fatebatur. Fugiebat huius amore omne cum mulieribus colloquium, & cum nonnunquam coactus cum his ageret in earum domibus, de reditu quam primùm erat ſolicitus. Edidit librum Orationum quem ſuo, & ſuorum Neo-magiſtrorum nomine, obtulit B. Virgini, & SS. Patronis Philoſophiæ in Vniuerſitate ſub hoc titulo

Gratiæ Diuinæ-Humanæ Sapientiæ Præſidibus in Vniuerſitate Pragenſi perſolutæ. Pragæ, typis Vrbani Gobiaſck 1656. in 12.

Habebat paratum alterum tomum cum Iconibus æri incidendis

De Vita Sereniſſimi Archiducis Leopoldi, ſed mors prælo ſubtraxit:

* FRANCISCVS KERNATOVX, natione Gallus, patria Brito Diœceſeos Leonenſis. Deo ſe in Societate mancipauit anno ſæculi labentis 32. ætatis ſuæ 31. & quatuor votis ſolemnibus ſe obſtrinxit. Poſt expletum ſexennium in tradendis litteris amænioribus,

& alterum ſexennium in Philoſophicis diſciplinis; Theologiam moralem 12. annis profeſſus eſt, & Studiorum Præfectum per octennium egit. Vir magnæ eruditionis, & probatæ virtutis. A puero Hiſtoriæ peritiſſimus habebatur; virtutem teſtantur multa, ſed maximè ſingularis caritas, & mira ſedulitas in colenda vinea Domini, & procuranda verbo, & exemplo pietate. Plenus bonorum operum naturæ conceſſit Veneti die 8. octobris 1667. Edidit Gallicè

Vitam S. Annæ, Matris Beatiſsimæ Virginis. Venetijs, apud Vincentium Dorioux. 1659. in 12. Eo in libro habetur *Hiſtoria inuentionis Imaginis S. Annæ*, & fundationis Eccleſiæ in eius honorem, non procul ab Oppido dicto Orè in diœceſi Venetenſi

FRANCISCVS LABATA, natione Hiſpanus, patria Cæſarauguſtanus, natus tamen ipſe Monçonij oppido Aragoniæ, ingreſſus eſt in Societatem Salmanticæ die 14. Nouembris anno 1567. ætatis 18. In ea vitam ferè omnem habendis ad populum concionibus occupauit, ex quibus, & laudem retulit eximiam, & quod vnicè quærebat, fructum animarum. Rexit Collegia Montis-Regienſe, Abulenſe, Methymnenſe, Salmanticenſe, Domum etiam Profeſſorum Valliſoletanam gubernauit, & Prouinciam Caſtellæ vicee Præpoſiti Prouincialis. Vir fuit moribus ſanctiſſimis, & candidiſſimæ mentis; tantæ innocentiæ, vt cùm ex ſe alios metiretur, planè ſibi perſuadere non poſſet, ab vllo Sociorum regulam vllam infringi, cùm ipſe fieri non poſſe crederet, vt vllam ipſe violaret. Obijt ætate decrepita Valliſoleti die 26. Martij anno ſalutis 1631. ætatis ſuæ 83. Edidit

Apparatum Concionatorum, ſeu locos Communes ad Conciones ordine alphabetico digeſtos, Tom.III. Lugduni apud Horat. Cardon 1614. in folio. Hiſpanicè verò

Tractatulum de Oratione mentali, & vocali, cum adiunctis orationibus. Ilerdæ apud Ludouicum Maneſcal 1614. in 16.

Diſcurſus Morales ſuper Euangelia de Sanctis. Valliſoleti apud Viduam Franciſci Fernandez 1625. in 4. Item

Tomum integrum Concionum de Sanctis, Hiſpanico idiomate Valliſoleti apud Hieronymum Morellum 1625. in 4. Prodijt poſt eiuſdem obitum

Theſaurus Moralis duobus tomis, cum auctario opera noſtri Guilhelmi Stanihurſtij, Antuerpiæ apud Hieronymum Verduſſium 1652. in folio.

FRANCISCVS LAHIER Lotharingus è Diœceſi Tullenſi, Lerrini natus anno 1592. poſt decurſa Philoſophiæ, & Theologiæ ſtudia Societati ſe adiunxit 1621. & vota quatuor emiſit. Docuit in ea humaniores litteras, & Theologiam moralem; Multis annis Præfecturam geſſit rerum ſpiritualium, & in Confeſſionibus excipiendis fuit valdè aſſiduus. Mortalitati ceſſit Muſſiponti die 23. Decembris 1656. Vertit è Latino in linguam Gallicam:

Synopſim præcipuarum rerum à Societate Ieſu geſtarum ſæculo eius primo, ſcriptam à Iacobo Damiano. Tornaci 1642. in 4.

Litteras annuas Prouinciæ Paraquariæ annorum 1635. 1636. & 1637. ad Iulium vſque.

Magnum Menologium Sanctarum Virginum continens præter nomina, & natales omnium Elogia non Religioſarum plura, in ſingulos anni dies. Inſulis typis Nicolai de Rache 1645.

* FRANCISCVS DE LANA natione Italus patria Brixienſis, natus anno ſæculi voluentis 31. Societati ſe addixit Romæ 47. & votorum quatuor ſacramento ſolemni ſe obſtrinxit. Docuit in ea humaniores litteras, Philoſophiam, & Matheſim. Edidit hactenùs Italicè

Prodromum, ſeu ſpecimina nouarum inuentionum Artis Magiſtræ, De Principijs Philoſophiæ naturalis. Brixiæ per Rizzardum 1670. in folio. Plura pollicetur

* FRANCISCVS LINVS natione Anglus, patria Londinenſis natus anno ſæculi præterlapſi 95. Societati ſe applicuit labentis 23. & votorum 4. profeſſionem emiſit. Docuit linguam Hebraicam in Collegio Anglicano Leodij, & Matheſim annis circiter 22. & etiamnum, etſi affectę ætatis, docere pergit. Fuit quoque in Miſſione Anglicana pluribus annis operarius gnauus. Edidit nuperrimè

Explicationem Pyramidis horologialis erectę à ſe in horto Sereniſs. Regis Anglię Londini, in qua continentur horologia diuerſi generis circiter ducenta, & quorum pleraque ab ipſo ſunt inuenta, nec ab vllo hactenus diuulgata. Leodij typis Henrici Streel 1678. in 4. Latinè & Anglicè diuerſis voluminibus. Londini 1669.

De Corporum inſeparabilitate. Latinè. Londini 1662. in 8.

Edidit etiam duos tractatus breues

De Pſeudo-quadratura circuli D. Thomæ Viti. Londini 1660. in 8. &

De experimento argenti viui tubo vitreo incluſi, & cadentis ſemper ad certam quandam altitudinem. Londini.

FRANCISCVS LORIOT natione Gallus, patria Lauallenſis Diœceſeos Cenomanenſis, Societatem amplexus anno 1592. ætatis 21. vota 4. nuncupauit, ac in ea poſt traditas nouennio amæniores litteras, Philoſophiam, ac Theologiam Scholaſticam, & moralem profeſſus eſt. Vir apprimè religioſus, Dum Rhedonas proficiſceretur morbo correptus Andegaui, vbi Societas nullum habebat Collegium à RR.PP. Carmelitis per 4. morbi, ac vitæ dies, in valetudinario domeſtico egregia caritate exceptus curatuſque eſt. Cùm diem ſuum 10. Iunij 1642. obijſſet, in templi cho-

choro honorificè ſepultus eſt, & diuina liturgia ſolemniter decantata expiatus, inuitatis ad id ſupremi officij, cæteris Mendicantium Ordinibus, qui in ea Vrbe ſunt. Scripſit Gallicè

Secreta Moralia ſpectantia ad Paſſiones, & Cor humanum. Pariſijs apud Claudium Chapelet 1614. ih 4. Parte I.

De Paſſionibus humanis partem alteram

Parallelum Diuini amoris, & humani. Pariſijs apud Yuonem Boulaij 1620.

Florem ſecretorum Moralium. Lutetiæ apud Guil. Guyot

Inſignes & admirabilis Diuini amoris affectus. Pariſijs apud Ioannem Libert 1625. in 8.

FRANCISCVS DE LVGO natione Hiſpanus, patria Hiſpalenſis, ſed Matriti natus Ioannis noſtri poſtea S.R.E. Cardinalis, frater germanus, natus maior, editus in lucem anno ſalutis 1580. Societatem amplexus eſt Salmanticæ 1600. iam tum Licentiatus in Iure, & nuntio remiſſo hæreditati opulentæ votorum 4. profeſſionem emiſit. Vir fuit obſeruantia regulari conſpicuus, ita vt vix minimam regulam notatus ſit violaſſe. Humillimus erat, vndè poſt explicatam Philoſophiam exorauit à Superioribus munus prælegendi pueris grammaticam, & poſt Theologiam traditam, obtinuit Miſſionem ad Indos, vt hos Religionis noſtræ, & humanarum litterarum rudimentis inſtrueret. Sed cùm tàm Mexici, quàm in Vrbe Sanctæ Fidei Noui Regni, ob præſtantiam ingenij, Cathedris Theologicis citra ſuum deſiderium occuparetur, petijt reditum in Hiſpaniam, perſuaſum habens ſuam in India operam non deſiderandam, niſi ad munus maioris exiſtimationis, quàm patiebatur illius humilitas. Dum renauigat in Hiſpaniam claſſe ab Hollandis intercepta, ipſe quidem in terram euaſit in Inſula Cubæ. Sed maximæ partis Commentariorum ſuorum in totam ſummam Theologiam Sancti Thomæ iacturam fecit. A Prouinciali Congregatione Caſtellæ adlectus eſt, vt intereſſet Generali octauæ Romæ, qua abſoluta ibidem remanſit in munere Cenſoris librorum à Societate edendorum, & Theologi penès Præpoſitum Generalem. Verùm cum æſtimationem ſibi ibi accreſcentem ex præſentia fratris ſui tunc Cardinalis ferre non poſſet, remeauit in Hiſpaniam, Rexitque Collegia noſtra duo Pinciæ, & demùm plenus bonorum operum, ſeptuagenario maior tranſiuit in terram ſemper viuentium die 17. Decembris 1652. non ſine fama tàm apud externos, quàm domeſticos ſanctitatis. Edidit ſuperſtites naufragio

Commentarios in primam Partem S. Thomæ De Deo, Trinitate, & Angelis. Lugduni ſumptibus Petri Proſt, & Soc. 1647. duobus vol. in folio.

De Sacramentis in genere, Baptiſmo, Confirmatione, & Sacra Eucharistia. Venetijs apud Babam 1652. in 4.

Diſcurſum præuium ad Theologiam Moralem, ſiue de principijs moralibus Actuum humanorum. Mantuæ Carpentanorum typis Franc. Martinez 1643. in 4.

Quæſtiones Morales de Sacramentis. Granatæ 1644. in 4.

FRANCISCVS DE MACEDO natione Luſitanus, patria Conimbricenſis in Societatem venit annum agens 14. ætatis, ſalutis humanæ 1610. In ea Rhetoricam complures annos; Philoſophiam vno, Chronologiam aliquot, ſubindè docuit, & vota 4. ſolemnia profeſſus eſt 1630. Vir planè eruditus, & in pangendis carminibus feliciſſimus, ac venæ vberrimæ. Edidit dum in Societate degeret

Theſes Rhetoricas omni eruditione refertas, quas Matriti propoſuit his titulis

Theſaurus Eruditionis pro Sole Zodiacum percurrente

Parnaſſi nemus Poëticis Arboribus conſitum

Viridarium Eloquentiæ Rhetoricis floribus diſtinctum

Scripſit præterea

Apotheoſin S. Franciſci Xauerij Lyrico carmine Libris III. Vlyſſipone 1620. in 8.

Apotheoſin S. Eliſabethæ Reginæ Luſitaniæ lib. Lyricorum. Ibidem 1629. in 4.

Epitomen Chronologiæ ab Orbe condito ad Chriſtum natum. Matriti 1633. in 4.

Artem Poeticam iuſto volumine

Elegias 7. in Mortem P. Franciſci de Mendoza, quæ extant in Mauſolæo eidem Patri erecto ad calcem Viridarij ipſius

Hiſpanicè verò ſcripſit, atque edidit

Vitam D. Ludouici de Ataide Proregis Indiæ. Matriti 1629. in 3,

Reliqua, quæ ſcripſit recenſere poterunt RR.PP. Minores ad quos tranſiuit

* FRANCISCVS MACHADO natione Luſitanus, patria Villapouenſis in Diœceſi Bracharenſi Societati nomen dedit anno ſæculi labentis 12. ætatis ſuæ 15. & votorum 4. in ea profeſſionem emiſit. Eloquentiam, & humaniores litteras ſexennio tradidit. Conciones ſacras multis annis habuit, migrauitque ex hac vita Eſtremotij, die 29. Ianuarij 1659. Edidit in lucem, dicauitque

Alphonſo VI. Regi Luſitaniæ

Mauſolæum Maieſtatis Ioannis IV. Auguſtiſſimi Regis Luſitanorum, & vitæ, & obitus compendium. Vlyſſipone ex officina Crasbechiana 1657. in 4.

* FRANCISCVS MALDONADO natione Hiſpanus, patria Vianenſis Diœceſis Aſturicenſis, natus anno ſalutis 1633. Chriſto in ſua Societate ſe dedicauit 1648. & votorum 4. ſacramento ſe adſtrinxit. Docuit Philoſophiam, & Theologiam Valliſoleti, & Salmanticæ, & Sac. Tribunali S. Inquiſitionis eſt à cenſuris. Edidit vulgari idiomate hiſtoricè

Miracula, & Portenta attinentia ad Sanctuarium B.Virginis de las Hermitas. Salmanticæ per Antonium Coſſiam 1673. in 16.

* FRANCISCVS MANGOT natione Gallus, patria Claromontanus Societatem vicennis iniјt anno ſalutis 1644. & profeſſionem votorum 4. emiſit. Rhetoricam, & humaniores litteras profeſſus eſt annis 15. ſacram Scripturam interpretatus eſt quadriennium, ſuperſtes in Collegio Toloſano. Edidit hactenus

Delphini Galliarum Sereniſſimi ortum 12. inſcriptionibus, totidemque emblematis, & Elogijs poeticis elaboratum. Toloſæ ijſdem typis 1665. in 12.

Themidi reſtitutæ templum claro in monte conſecratum, Carmen Heroicum, Claromonti apud Nicolaum Iacquard 1666. in folio.

Epitaphium, ſeu Elogium funebre Annæ Auſtriacæ Galliarum Reginæ. Claromonti ijſdem typis 1666. in 8.

De Imitatione Dramatica. *Proluſio*. Apud Viduam Arnoldi Colomarij 1667. in 8.

* FRANCISCVS MARAZZANVS natione Italus, patria Ariminenſis Societatem amplexus eſt anno ſalutis 1642. ætatis 16. & quatuor vota emiſit; octennium litteras humaniores profeſſus eſt; decennium Philoſophiam, & aliquamdiù Theologiam moralem. Edidit ad vſum Scholarum inferiorum, quibus præerat

Aeſopi & aliorum fabulas ſelectas carmine Elegiaco concinnatas. Brixiæ typis Polycreti Turlini 1669. in 12. & tacito nomine

Notitiam Laconicam, Philoſophicarum Quæſtionum ex Nominalium doctrina. Brixiæ apud Vignadottum 1667. in 12. Recuſam Romæ ſub titulo *Margaritæ Philoſophicæ*. Italicè edidit

Raphaelem Ducem Iunioris Tobiæ. 1660. in 24. Alia in promptu habet

* FRANCISCVS MARIA DE AMATIS, natione Italus, patria Romanus. admiſſus in Societatem anno Domini 1602. ætatis ſuæ 17. & gradum ſpiritualis Coadiutoris obtinuit quinquennium docuit litteras humaniores, & multis annis Conciones ad populum habuit. Rexit Collegium Recinetenſe, religiosè obijt, Soræ die 3. Martij 1664. Edidit

Orationem ad Politianos in ſtudiorum inſtauratione habitam, anno 1610. & ſub nomine alieno 1600.

Orationes 2. alteram De Laudibus Marcelli Secundi Pont.Max. Alteram De Laudibus Beati Franciſci Coruini. Senis, typis Matthæi Florini 1611. in 4.

¶ Tranſtulit item Italicè

Vitam P.Gonzali Silueriæ Martyris è Societate Ieſu. Romæ apud Iacobum Maſcardum 1615. in 12. Scripſit etiam

Vitam Reu.Matris Hyacinthæ Mariſcottæ in Monaſterio Viterbienſi. Viterbij 1642.

* FRANCISCVS MARIA GRIMALDVS natione Italus; patria Bononienſis ad Societatem ſe aggregauit anno ſæculi fluentis 1632. ætatis 19. & vota 4. ſolemnia concepit. Quinquennium docuit humaniores litteras, & multis annis Mathematicas diſciplinas, in quibus altas admodum radices egit, & excelluit. Vir fuit magnæ charitatis, humilitatis, modeſtiæ, paupertatis, obedientiæ, prudentiæ tam in verbis, quàm factis, vt conuerſatio eius Angelica videretur, nec vllus vſpiam defectus, quamuis ſtudiosè obſeruatus, in eo potuit notari. P.Petrum Bonfilium (cum quo ſpecialis quædam ei intercеſſerat conſuetudo) morti proximum rogauit, vt quoniam minimè dubitabat, quin in cœlum migraturus eſſet, impetraret quoque ipſi à Domino, vt quam primùm ex hoc carcere corporis eximeretur, quod certè euenit. Nam poſt ſexquimenſem correptus febri ipſa die 8. febris hoc eſt in aurora Feſti Sanctorum Innocentium poſt ſigna innocentiſſimæ ſecuritatis placidè Deo animam reddidit. Bononiæ 1663. Edidit

Phyſico-Matheſim de lumine, Coloribus, & Iride in binos libros diuiſam. Bononiæ typis Hæredum Victorij Bonatij 1665. in 4.

FRANCISCVS MARQVESTALDVS, natione Gallus; patria Vaſco, Diœceſeos Toloſanæ, admiſſus in Societatem anno ſalutis 1580. ætatis 19. & muneribus geſtis, & virtute, non minùs quàm generis claritudine conſpicuus. Philoſophiam ſex annis profeſſus eſt: vota 4. ſolemnia nuncupauit; Concionatorem maximo plauſu, & fructu egit annis 17. Rexit Collegia Toloſanum, Burdigalenſe, Turnonenſe, Domum Profeſſam Pariſienſem, & Toloſanam; & ad tempus totam Prouinciam Toloſanam loco Prouincialis adminiſtrauit. Miſſus eſt à Prouincia Aquitaniæ ad Congregationem ſextam Generalem, & electus à Toloſana, vt intereſſet quoque ſeptimę Generali, iuſſus eſt ſequi in Hiſpaniam Sereniſſimam Annam Iſabellam Regis Chriſtianiſſimi ſororem, tum Regi Catholico deſponſam, vt ei à Sacris Confeſſionibus adeſſet, idque ex voluntate Regis Chriſtianiſſimi. Eo in munere ſex annis ita verſatus eſt, vt quamuis in Aula, nihil tamen ab Aula fuci, aut fumi ſibi afflari paſſus ſit; omnibus proinde domi foriſque ob eximium morum candorem carus. Vir fuit ſolidæ virtutis, & diſciplinæ religioſæ, vt in ſe obſeruantiſſimus, ita cum præeſſet exactor ſedulus ab alijs. Poſt reditum in Prouinciam ſuam, iuſſus capeſcere clauum Collegij Turnonenſis, ibi ſeptuagenario maior, migrauit ad præmia meritorum die 28. Iulij 1634. Dum in Hiſpania verſaretur ſcripſit Hiſpanicè

Exercitium Spirituale ſuper 10. punctis præcipuis Vitæ Chriſtianæ. Vlyſſipone apud Petrum Craesbeeck 1619. in 8. Illud alius quiſpiam è Societate Gallicè reddidit, & edidit. Pariſijs apud Sebaſt. Cramoyſy 1620. in 10. Scripſit etiam Gallicè

Incon-

Inconſiderantiam temere ruentis animi omnium malorum cauſam eſſe. Item

Artem à Deo certò id, quod petimus impetrandi, ſiue formulam efficacis orationis.

FRANCISCVS MARTINEZ natione Hiſpanus, patria Monteregienſis in Galitia, adſcriptus Societati anno ſalutis 1596. ætatis 22. in ea magno virtutis exemplo 13. annis litteras humaniores docuit, & in Collegio Pampilonenſi diù fama ſanctitatis floruit, operarius inſignis, & tria vota ſolemnia profeſſus. Ibidem diem clauſit extremum 29. Februarij 1624. Defuncto certatim à populo ſurreptæ veſtes reliquiarum inſtar, & per triduum ei parentatum eſt in templo ab incolis Vrbis illi addictiſſimæ. Edidit Hiſpanicè

Vitam S. Franciſci Xauerij auctam ex latina Horatij Turſellini, & Hiſpanica Petri Guzmanni.

FRANCISCVS DE MENDOZA, natione Luſitanus, Olyſſiponenſis, nobilitate generis, omnigena litteratura, morum, vitæque innocentia ſummis viris par: pietatem cum lacte, cum doctrina virtutem imbibit. Cum teneretur à ſuis incluſus in conclaui, ne Societatem, quam ambiebat iniret, feneſtra ſe eiecit, & ad Collegium victor euaſit. Floruit in eo inde vſque à primis annis modeſtia, pax, puritas, tranquillitas, rerum humanarum deſpicientia. Ingenium ei fuit acre; motus cogitationis celeres, expediti; iudicij maturitas, memoriæ vis ingens; ad hæc, omni genere litterarum affatim abundauit. Vlyſſipone, & Conimbricæ docuit Oratoriam Artem, clarus & ipſe Orator, & Poëta; hic etiam Philoſophiam, Eboræ verò ſacras litteras eſt interpretatus. Concionatus etiam eſt aliquando, & rexit Conimbricenſe Collegium, & Eborenſe, par ſibi ſemper in omni munere, hoc eſt, ſummus. Hinc à Conuentu Prouinciæ iuſſus eſt anno 1625. Romam Procurator proficiſci. In vrbe magnam ſui commendationem reliquit, à præſtantia concionandi, doctrinæ fœcunditate, integritate virtutis. Eum Præpoſitus Generalis virum dicebat omnibus numeris abſolutum, Concionatorem, Scriptorem, Doctorem, Superiorem, Religioſum perfectum: In reditu morbus eum, & mors Lugduni occupauit. In morbo magnum patientiæ, pietatiſquè ſpecimen præbuit. Sacrum ſumpturus Viaticum è ſtrato ſe in ſolum dedit, venerationis ergò: nec ita multò poſt, inter pia cum Chriſto cruci affixo colloquia, innocentem animam gemina Virginis, & Doctoris aureola decoram, cœlo tranſmiſit, die 3. Iunij anno ſalutis 1626. vitæ ſuæ 54. ab inita Societate 39. à conceptis quatuor votis 19. Virtutum eius prima fere fuit, quæ ſanctorum eſſe ſolet, Humilitas, & deſpicientia ſui. Honores ille non ſegniùs vitare, quàm plerique captent; abiectiſſima libens obire munia, nunquam ſui generis mentionem facere, nunquam de ſe vllo non honorificè loqui; odiſſe in alios Præfecturam, & ſeriò deprecari: omninò ſe ducere mortalium poſtremum. Regulas ſui Inſtituti tam vigilanter ſeruabat, vt nullam viſus ſit vnquam prætergredi. Cibi fuit, ſomniquè parciſſimus: vix cænabat, cùm nihilominus viliſſimè, tenuiterque pranderet: nemo eumdum valuit cubantem vidit. Amans ſeceſſus, ſtudij, laboris. Omnis illi geſtus, omnis motus ex modeſtiæ legibus compoſitus. Quotidie ſe flagris concidebat, nec concionabatur niſi cilicio ſuccinctus, & morbus ipſe catena vinctum occupauit. Orabat perattentè, ac piè; omne orationi otium dedicarat, proniſſimus in lacrymas, quas exprimeret pietas. In Deiparam Virginem mirificè affectus fuit. Conſcientiam ſæpe intueri, ſæpe purgare. Animo fuit in arduis excelſo: mitiſſimus, facillimus in omnes. Ardebat caritate, cuius impulſu non ſemel Indicam ambiuit, atque expetijt expeditionem. Paupertatis ſtudium amictu vili, ac ferè detrito, breuiquè ſupellectile libris & Crucifixo definita honeſtauit. Obedientiam Moderatoribus cæcam vir in omnibus oculatiſſimus, perfectamquè exhibuit. Demum vera fuit perfectionis imago, quæ, vel in cadauere neſcio quo præter ſolitum fulgore emicuit. Funus magno Ciuitatis concurſu celebratum eſt; corpus redimitum floribus, ſepulchro illatum eſt. Breuiarium vitæ, & laudum ipſius ſcripſit Franciſcus de Macedo in hoc Epitaphio, quod ideo placuit hic ſubijcere

Siſte Hoſpes, Iacet hic Mendoza, Quis ille? Requiris?

Accipe. Erit merces hæc ſatis ampla moræ.

Hic patria Luſus. Genus alta à ſtirpe. Latino
Tullius Eloquio; Carmine Virgilius.

Viſus Ariſtoteles Sophia. Documenta ſalutis

Dum dedit, Os- aureum dictus, & Ambroſius.

Scriptura Hieronymus. Paſtor bonus arte regendi.

Doctrina quantus, laurea parta, docet.

Et pius in ſuperos, & moribus integer. Idemq.
His titulis tantus, ſpe quoque maior erat.

Ex illo Regum monumenta, & fama ſuperſunt.

Præterea cinis eſt, & dolor, Heu! patria.

Scripſit Mendoza

Commentaria in libros Regum tomis III. quorum

I. Explicat *duo prima lib. I. Capita.* Lugduni per Iacobum Cardon, & Petrum Cauellat 1622. in folio

II. *Sex Capita ſequentia.*

III. *Septem deinceps Capita.* Ibid. 1625. & 31. Reliqua mors abrupit, cui ereptũ tamen eſt

Viridarium ſacræ, & profanæ eruditionis. Ibidem 1632. in fol. & Coloniæ, apud Petrum

trum Henningium 1632. in 4.

Prodierunt quoque Luſitanicè poſthumi eius

Sermones per Aduentum, Quadrageſimam, & Dominicas per annum habiti. Vlyſſipone, apud Matthiam Rodriguez 1632. in folio, quos in Caſtellanam linguam translatos Franciſcus Palau Barcinonenſis ex Veñ. Ordine Prædicatorum (vti refert Nicolaus Antonius) edidit Barcinone anno 1636. in 4.

FRANCISCVS MERCATVS, natione Italus, patria Romanus, admiſſus in Societatem anno ſalutis 1555. ætatis 14. tria vota ſolemnia profeſſus eſt 1569. In miſſionibus fructuoſiſſimis per Calabriam, & Apuliam ſocius, & adiutor fuit P. Chriſtophori Rodericij; & rexit Collegium Lauretanum anno 1584. Reddidit Italicè

Annuas Societatis è Iaponia 1596.

* FRANCISCVS MILEMAN, natione Belga, patria Brugenſis. Hic Sacerdotio iam initiatus acceſſit ad Societatem anno ſæculi voluentis 36. ætatis ſuæ 27. Vir eximiæ virtutis, annum conſumpſit in obſequijs peſte afflatorum, & miſſus in Hollandiam, ſyluеſcentem ibi vineam Domini in agro Groningano, & Vicinis locis, per annos ſeptem ſupra viginti magno labore ſolerter excoluit, adeo vt ab abſurdiſſimis ſectis præſertim Mennoniſtica, plurimos abſtraxerit, & velut, ſurculos veræ viti Chriſto Domino inſeuerit. Difficile explicatu eſt, quantas moleſtias exhauſerit in eo munere, ſpiritu Apoſtolico perfuſus vir, & eccelſiſſimi animi ſemper vultu non ſolùm ſereno, ſed & hilari, ita vt aſpectu reficeret intuentes. Tandem ad laborum mercedem, denarium ſcilicet cæleſtem accipiendum euocatus, migrauit ex hac vita. Ibidem die 17. Ianuarij 1667. Prodeſt iſte adhuc poſteris, libellis quibus deliramenta præcipuè cuiuſdam Mennonis confutat, & contra quem lingua Belgica edidit

Fidelem Ductorem, ſub nomine Franciſci Vander Brugge. Amſtelodami typis Philippi Van Eyck 1664. in 8.

Demonſtrationem Chriſti verè ex Virgine Maria incarnati. Antuerpiæ, typis Philippi Van Eyck, 1661. in 12. Item

Belgicam Echonem, ſeu *Cantilenas ſacras* ſub nomine Victorij à Campis Antuerpiæ ijſdem typis 1664. in 12.

* FRANCISCVS MILIANVS, natione Italus, patria Tolentinas natus ſæculi præterlabentis anno X. Deo ſe in Societate dicacauit 1639. & votorum quatuor Sacramento ſolemni ſe adſtrinxit. Poſt traditas quadriennio amæniores litteras, Philoſophiam in Academia Firmana, & Romana 12. annis explicuit. Pœnitentiarius fuit ſummi Pontificis in Baſilica Vaticana per ſeptennium, & in Collegio Germanico præfuit ſtudijs, annis octo. Nunc in Domo Profeſſa Romana operarium gnauum agit. Edidit tacito ſuo nomine

Summam totius Philoſophiæ naturalis per Quæſtiones, & Articulos. Romæ typis Corbelletti 1652. in folio

FRANCISCVS MONERIVS, natione Gallus, patria Burdigalenſis ſuſceptus in Societatem anno ſalutis 1602. ætatis 15. & vota quatuor profeſſus eſt. Rhetoricam, & Philoſophiam prælegit, & multis annis cum laude Concionatus, obijt Pictauij Calendis octobris anno 1631.

Edidit habitam à ſe

Orationem in funere Marchionis Villaregij. Romæ 1618.

Orationem item alteram in funere Domini, de Vantadeur. Gallica lingua

FRANCISCVS MONTANVS. vide infrà in LVDOVICO RICHEOMO

FRANCISCVS MONTMORENCIVS natione Belga, patria Arienſis, Comes Stegrenſis, & Morbecanus; Præpoſitus Casletenſis, & Magnus Decanus Sancti Lamberti Leodij; frater Germanus natu maior noſtri P. Florentij Montmorencij, qui fuit Prouincialis vtriuſque Belgicæ, Viſitator Auſtriæ, Aſſiſtens pro Germania, & Vicarius Generalis Societatis poſt obitum P. Vincentij Caraffæ. Matura ætate Societatem complexus, magno deinceps amore eam proſecutus eſt; titulis ſuis, & dignitatibus illicò remiſit nuntium, vt quadam quaſi neceſſitate ſe ad conſtantiam firmaret. Simul, atque in Tironum aliorum conſpectum venit, contineri non potuit, quin ad ſingulorum pedes procumberet, eoſquè exoſcularetur. Obſeruata eſt in eo ſemper excellens animi de ſe modicè ſentientis demiſſio; & quod hinc conſequebatur, ſumma erga Superiores obſeruantia; aduerſus omnes candor animi, morumquè facilitas, qua ſibi omnium animos deuinxerat. Nec minor in eo religioſæ paupertatis amor, quem in omni victus, veſtituſquè ratione palàm teſtabatur; non niſi ægrè adducebatur, vt obſoleta veſtimenta melioribus commutaret. Victus ei admodum tenuis, & infra neceſſitatem; nec ferre poterat aliquid ſibi eximij tametſi morbis afflicto, coëmeretur. Nec pauperum erat minùs amans, quàm paupertatis, in quos ſi quid ei à ſuperioribus permitteretur, pia liberalitate profundebat. Iam quanta eius eſſet in doloribus æquitas animi, cruciatuumque patientia, perpetuus ille tot annorum languor oſtendit. Vix enim in Societatem ingreſſum, inuaſit pertinax Iſchias, qua in dies acerbius recrudeſcente, eo tandem adductus eſt, vt vi morbi luxata coxendice, non poſſet ſe quoquam niſi fulcrorum adminiculo mouere. Itaque annos circiter 20. intra pauperis cubiculi anguſtias abditus, nemini grauis, patientiæ documento carus omnibus, ſolitudinem ſuam, & morbi tædia, piorum verſuum ſcriptione ſolabatur, aiebatquè ſe plurimum liquidæ vo-

voluptatis è ſuo illo ſic impenio ſeceſſu percipere. Vitam ſic religioſè obitam mors comparatiſſima excepit. Spiritualia per dies aliquot exercitia obiuit, generalem]de more Confeſſionem acuratè inſtituit; rationem ſuæ conſcientiæ exactam reddidit Prouinciali ſuo. Mira in eo fuit pax ſupremo tempore, animique tranquillitas, magna de Diuina Bonitate fiducia, ſumma voluntatis cum Diuina conſenſio. Ad hæc ingens patriæ cœleſtis deſiderium. In quo ille gratus agnoſcebat ſuæ vocationis beneficium, negans ſe vnquam ſi in ſæculo manſiſſet, ea animi pace, ac gaudio fuiſſe mortem oppetiturum. Denique cùm aſtantibus noſtris præ dulci pietatis ſenſu lacrymas animi ad cœleſtia aſpirantis ardore eliceret, appellatis piè dulciſſimis Ieſu, & Mariæ nominibus, in ſupremis his verbis ſit Deus benedictus, placidiſſimè conquieuit Duaci die 5. Februarij anno 1640. ætatis 62. initæ Societatis 22. Profeſſionis 3. votorum 4. fundato iam pridem eo in Collegio pro Noſtris ſtudentibus Seminario Theologiæ. ſcripſit felice vena

Poëticam ſacrorum Canticorum expoſitionem, & Idyllia ſacra. Duaci ex officina Plantiniana 1629. in 4. Antuerpiæ, Viennæ, 1630. in 4. & 8. & rurſum cum acceſſione

Pſalmorum 15. modis Lyricis expreſſorum. Antuerpiæ typis Plantinianis 1638. in 8.

Partâ de Batauis ad Antuerpiam Victoriâ Epinicion. Ibidem eodem anno in 4.

Paraphraſim poëticam Pſalmi 41. *in immaturo funere Principis Robecani nepotis ſui.* Duaci typis Petri Telu 1637. in 4.

Pietatem victricem Pſalmis 7. Lyricè expreſſam addita *lucubratiuncula de Artificio Poëtico Dauidicorum hymnorum*. Antuerpiæ typis Plantinianis 1639. in 8.

FRANCISCVS DE OVIEDO, natione Hiſpanus, patria Matritenſis, Deo ſe in Societate ſacrauit anno ſæculi fluentis 18. ætatis ſuæ 16. & vota quatuor ſolemni ritu concepit. Poſt traditas humaniores litteras, & explicatum Ariſtotelem Oropeſæ, & Compluti, fuit primarius Profeſſor Theologiæ moralis in Academia Regia Matritenſi, Scholaſticæ verò Murciæ, & Compluti, & ſacro Tribunali S. Inquiſitionis à Cenſuris. Vir acuto admodum ingenio, & in ſeligendis, tractandis, enodandiſquè quæſtionibus præſertim moralibus, ſolidiſſimo iudicio; in diſputando acer, ſed adeò modeſtè ſui compos, vt cùm ſæpè inter argumentandum (vt fit) alia ſolutio Præſidibus Theſium præter aſpera verba non occurreret, nullum tamen ille commotionis animi ſignum ederet, nihil acerbius reponeret. Verùm dum maximo facultatis Theologicæ ſplendore, ac diſcipulorum fructu Academiam Complutenſem illuſtraret de repentè morte immatura ſublatus nobis eſt die 9. Februarij 1651. quando à Cathedra cubiculum vix ingreſſus, & capitis vertigine à ſenſibus abſtractus, ſpatio quo fidei Symbolum recitaretur, nullius Sacramenti capax, aſthmate, & ſubitanea, ſed non improuiſa morte ſuffocatus eſt. Prædixerat ei quippe aliquando Medicus, conſiderata corporis habitudine, & inueterato, quo laborabat morbo, fore vt repente aliquando occumberet; & eo ipſo die quo extinctus eſt, notatus fuit diutiùs ſolito ante ſacrum Miſſæ Sacrificium, & poſt illud orationem protraxiſſe, nec vlla nocte ſe tradebat ſomno quin prius de culpis omnibus contritionis actum eliciuiſſe ſe prudenter iudicaſſet, & Deiparæ officium pro impetranda gratia in articulo mortis non perſoluiſſet. Ad hæc toto anno ante obitum, quaſi præſagus ſui exitus, auxerat ipſe ſibi ſeueritatem in malè tractando ſuo corpore, cædendo ſe flagellis, non ſolùm in triclinio in peruigilijs feſtiuitatum occurrentium, & ſingulis diebus ſabbatinis per æſtatem in honorem Beatiſsimæ Virginis (cui tenerrime addictus erat) & præterea quinquies per octiduum, quo ſpiritualia S. P. N. Ignatij exercitia obibat, ſed etiam multò acriùs ſæuiebat in ſe priuatim in cubiculo, tamquè crebrò, & tanta immanitate, vt nonnulli ex vicinis Patribus iudicarint illum ſerio admonendum, ne tam crudeli corporis morbis fracti caſtigatione, mortem ſibi ipſe maturaret. Funus defuncti ob morum ſuauitatem, & doctrinæ excellentiam cohoneſtarunt Rector Vniuerſitatis, Maiores Collegæ, Religioſi complures variarum familiarum, Profeſſores laureati diſciplinarum, Canonici, & vtriuſque fori Magiſtratus, totàque frequentiſſima Academia inter harmonicos Eccleſiæ magiſtralis concentus, iacturam ſui Ouiedi luxerunt. Edidit doctiſſimus Pater

Integrum curſum Philoſophicum duobus tomis; quorum prior complectitur Summulas, Logicam, Phyſicam, libros de Cælo, & de Generatione. Lugd. ſumptibus Petri Proſt. 1640. in fol.

Secundus comprehendit libros de Anima, & Metaphyſicam Lugduni iiſdem typis, & anno. Præterea

In totam Primam Secundæ S. Thomæ. Lugduni ſumptibus Petri Proſt, & ſociorum 1646. Item

De fide, ſpe, & Caritate. Opus poſthumum Lugduni ſumptibus Philippi Borde, & ſoc. 1651.

FRANCISCVS PACCONVS, natione Italus, patria Capuanus, Societati vndeuicennis ſe inſeruit Neapoli anno ſalutis 1607. & poſt traditas humaniores litteras, magno zelo Miſſiones arduas inter Gentiles poſtulauit, miſſuſquè eſt è Luſitania ad præſidia Africæ, ac Regnum Angolæ, vbi multis annis, & maximo fructu plurimos Æthiopes lauit ſacris aquis Baptiſmatis, & Chriſto ſubdidit. Reuerſus poſtea Vlyſſiponem, euocatus à Deo eſt ex loco peregrinationis huius vitæ ad cœleſtem (vti ſperare fas eſt) patriam die 13. Nouembris 1641. Edidit.

Ca-

Catechiſmos duos Aethiopico ſermone aduerſus quoſdam errores circa Sacramentum Baptiſmi, qui in Regno Angolæ inualeſcebat. Loandæ. Scripſit etiam Luſitanicè

Gentilem Angolanum, ſufficienter inſtructum in myſterijs noſtræ ſanctæ fidei. Vlyſſipone per DominicumLopez Roſam 1642. in 12.

FRANCISCVS PASIVS, natione Italus, patria Bononienſis Societatem amplexus anno ſalutis 1572. ætatis 21. Romæ, profeſſionem poſtea votorum quatuor emiſit in Iaponia 1591. Vir fuit inſigni prudentia, ſolertiàque, & gubernandi laude præditus. Ille conſcenſo Vlyſſipone nauigio, vnà cum magnis illis Rodulpho Aquauiua, Matthæo Riccio, Nicolao Spinula, Michaele Ruggerio, appulit in Indias die 13. Septembris 1578. Vnde poſt quadriennium nauigauit Macaum, in Iaponiam, quo deſtinatus erat traiecturus. Ibi dum præſtolabatur opportunitatem, ab Alexandro Valignano Viſitatore attributus eſt Michaëli Ruggerio comes, ituro ad Cantonienſem Proregem, eò quod præclaris animi dotibus videretur poſſe ſermonis imperitiam ſupplere, quem nondum ſatis Michaël excoluerat. Verùm cum ibi ſtationem figere, quod moliebantur nequiuiſſent, redux Macaum Paſius perrexit porro in Iaponiam, vbi compluribus annis in ſalutem hominum ſtrenuè collocatis, denique Præpoſitus Prouincialis vtramque diu Miſſionem Sinicam, Iaponicamque gubernauit. Cùm autem, ſub annum Chriſti 1612. ea vtraque expeditio nomen Prouinciæ, & Viceprouinciæ à Præpoſito Generali accepiſſet, Paſius vtriuſque Viſitator renunciatus eſt. Ergo, vt Sinenſem Viceprouinciam viſeret Macaum profectus, dum ſe operi accingit impigrè, morbo correptus, & breui extinctus eſt die 30. Auguſti 1612. ſcripſit Italicè

Annuas litteras de Sinis 1583.

Annuas litteras ex Iaponia 1598. *cum adiuncta narratione mortis Taicoſamæ Imperatoris Iaponiæ*. Romæ apud Zannettum 1601. in 8. Item

Annuas Indidem anni 1601. *& ſequentium vſque ad* 1606. Romæ typis Bartholomæi Zannetti 1608. in 8. & Gallicè Lugduni 1609.

FRANCISCVS PAVONVS natione Italus, patria Catanzarienſis, Societati adiunctus anno ſalutis 1585. ætatis 16. Humaniores litteras quinquennium, Philoſophiam decennium in ea profeſſus eſt; Sacras litteras quinque annis explicuit, linguam vero Hebræam annis quindecim, & vota 4. nuncupauit; Vir fuit diuinæ gloriæ, & ſalutis animarum ſitientiſſimus. Quæ in eius funebri laudatione ad populum publicè dicta ſunt, probante Archiepiſcopo ab Oratore Carmelitanæ familiæ hæc ferè ſunt. Eum parentes priùs Deo conſecrarunt voto concepto, quàm gignerent, iterumque cùm illum mater eniteretur, votum firmarunt. Mater cum illum geſtaret, Paradiſum ſe quendam vtero continere dicebat: tanta diuinæ conſolationis copia perfundebatur, & teſtata eſt eadem infantem ſe in aluo & vagire audiuiſſe, & fari. Simul atque primus in auras effuſus eſt, infantulus quaſi iam tum Numen agnoſceret, procubuit ad horæ quadrantem in genua, coniunctis manibus, ocellis in cælum defixis. Pueriles eius luſus, & crepundia fuerunt arulæ, & ſacra, & à primis vnguiculis condidicit Deo litare. Nunquam vel cum ſtringebatur in faſcijs, nutriculæ,aut vllius fæminæ ſuauiationes, quin brachijs, & vociferatione obtineretur, excepit. In Societatem ingreſſus, explicatu difficile eſt, quot quantiſque virtutibus inclaruerit. Ipſe profeſſus eſt aliquando, tam ſincero ſe Deum amore complecti, vt ipſi vni optaret obſequi, idque mortales omnes, atque etiam immortales latere. Cupiditate martyrij dum vita ſuperfuit, æſtuauit, & quandiù fauit ætas, nunquam deſtitit Miſſionem Indicam flagitare; qua ne excluderetur, ſanguinis excreationem, qua fatigabatur diù, Moderatores celauit. Exorarat, iam ſemel profectionem, à qua cùm fuiſſet mox iterum prohibitus, acquieuit illicò, factus à Deo certior, plus ſe diuinæ gloriæ commodaturum, ſi bonam Clero vitæ formam induceret, id quod inſtituto Clericorum ſodalitio, illiſque ad omnem Apoſtolicam functionem, quàm latè patet Regnum, exercitis abundè fecit. Verùm quo ſuam porrigeret induſtriam longiùs ad omne genus mortalium, ad ſanctimonialium cœnobia, atque ad Parthenones, quos Conſeruatoria Neapoli vocant, frequens concionatum itabat: frequens ad remiges in triremibus, ad vinctos in cuſtodijs, ad milites in naupegio hibernantes dicebat. Sodalitia baiulorum erexit, & olitorum, & ludimagiſtrorum. Oratoria ſuſtentauit opificum. Creber in angiportis, in compitis, ne quod hominum genus præteriret. Atque vt nihil deeſſet, aliorum ordinum Religioſos toto latè Regno Antiſtites, ipſum etiam Chriſti Vicarium, nunc coràm, nunc per epiſtolam conueniebat, vt his ſuis conatibus ſuffragarentur. Excurrebat in oppida,viroſque finitimos, etiam ætate iam feſſa, nec penſi quidquam habebat pericula, quæ adibat. Semel his in expeditionibus crus infregit; aliàs modico minus, quàm collum: ſæpè inuocato Sancto Franciſco Xauerio diſcrimen auertit, pluuias ſuſpendit. Sexagenos ex ſuis Philoſophiæ Auditoribus ad religioſæ vitæ conſilium induxit, at in Palæſtra Poëtices, etiam omnes ad vnum, miraculo ad hanc diem inaudito. Iudæum magni nominis, cùm fracto crure decumbebat, crebra diſputatione mollitum, Chriſto lucrifecit; eodemque tempore ne vacaret hortatore Sodalitas, ſe curabat ægrum legitimis diebus in exedram deportari, ſuoſque ad virtutem excitabat. Erat autem in dicendo tàm vehemens, in ſumma alioqui verborum humilitate; quam ſemper adama-

adamauit, vt ad ipſius dictionem vel ipſi contremiſcere parietes viderentur; vt mirum non ſit incredibiles motus animorum ſequi ſolitos eſſe perorantem. Nulla rerum difficultas illum vnquam deterruit, quin id quod ad Dei gloriam faceret amplificandam, aggrederetur animosè, conſtanterque promoueret. Sacroſanctam Euchariſtiam veneratione, atque exiſtimatione digna proſequebatur: tantùmque habebat certæ in ea fiduciæ, vt vno ſacrificio ſe crederet parem eſſe cuiuis poſtulato extorquendo. Litandi quotidie morem adeò ratum conſtantemque habuit, vt vel poſtremis hebdomadæ ſacratioris diebus quæritaret templa quædam infrequentiora, vbi ſacros ritus perageret. Morbo prohibente celebrationem, quotidie communicabat: & conſuerat inde vſque à prima ætate octauo minimùm die ſacrum epulum frequentare, in quo vno dulciſſimas voluptates perſentiſcebat: quod genus pietatis, vt proferret latiùs, Sodalitijs eam ſuis imperauit: vt nimirùm hoc Alexipharmaco (quo nullum aiebat eſſe potentiùs) caſtimoniam illibatiùs tuerentur. Hanc ipſe virtutem ita coluit, vt intaminatam ſeruaſſe virginitatem opinio fuerit, quam ipſe cùm eſſet interrogatus à quopiam, viſus eſt verecundo ſilentio, quaſi nutu quodam tacito affirmaſſe. Infantem vitaſſe mulierum baſiationes iam dixi. Adoleſcentem ſe lupas duas in ſylua inter venandum adortas, honeſtà fuga ſuperauit. Ne quam inferioris ſexus cogeretur aſpicere, dum ad eas verba faciebat, conſpicilia, quibus alioquin vtebatur aſſiduè, deponebat. Omnino obſcœni nihil vnquam legit ne ad captandam quidem, vt fit, latini ſermonis impuro in argumento puritatem. Moderatoribus ſuis tam erat ſubiectus, atque morigerus, vt ipſorum imperijs, de ſe tandem quidquid ſtatuiſſent, nunquam verbo, nunquam nutu reniteretur, aiebatquè hac vna parendi promptitudine, ſibi certam conſtare ſpem ſalutis, quia ſcilicet nihil eſſet vnquam niſi Deo auctore aggreſſus. Et auſus eſt aliquando aſſerere, immenſum ſibi gloriæ pondus in cælo eſſe repoſitum, atque olim ab S. Ignatio obuiam eiuſo ſe in gaudium Domini exceptum iri, ſpe certa beatitatis vel ex vna hac virtute concepta. Ceterùm eam ipſe ſatagebat non per bona dumtaxat opera, ſed malorum etiam perpeſſione certam facere: aduerſus quæ ſe Chriſti Saluatoris erigebat exemplo, quo ſe meliorem haud eſſe, vt fieret immunis, prædicabat. Sæpe verbis aculeatè per iniuriam perſtrictus, nihil inamænè vnquam, nihil toruè reſpondit. Sectiones, vſtioneſquè ſine vllo doloris indicio ſuſtinuit, negans ei, fas eſſe, qui ad martyrium anhelaret, edere ſenſum infirmitatis. Dentes ſibi omnes excidiſſe, & gingiuas acri plerumquè cruciatu percelli mirifice gaudebat, ne ciborum vlla ſuauitate tangeretur. Otium ſibi nullum vnquam fecit: ſuum ſum, atque attentè orare; multùm ſcribere; nunquam vacuum fructu verbum proloqui; leges omnes Societatis ad vnguem ſeruare, & id quo faceret religioſiùs, eas ſuâ ſib manu deſcripſerat. Amorem conſanguineorum ita exuerat, vt ne parentem quidem vnquam ſuum, ex quo in Societatem ingreſſus eſt, aut viſerit, aut allocutus fuerit, præterquam cùm ex Prouincialis imperio, bene ſibi ab illo precari poſtulauit. Quiſquis homini familiarior fuit, ſanctimoniæ laudem illi dedit; quos inter fuerunt æſtimatores optimi, quia virtute clariſſimi Robertus Cardinalis Bellarminus, Petrus Antonius Spinellus, Bernardinus Realinus, Iulius Mancinellus, quorum de ipſo teſtimonia ad manus ſunt. Multa ſupra vim humanam ab eo patrata certis teſtibus conſtat. Sacerdotem infirmum ſolo contactu ſanitati reddidit. Febrim malignam excuſſit homini, cui manum ſuam tertiò exoſculandam porrexit. Dæmonium ex obſeſſo exturbauit imperio Sanctiſſimæ Trinitatis nomine inuocato. Quatuor Sacerdotibus interitum minatus eſt, niſi frequentarent Sodalitatem, & quindenum curriculo dierum omnes interierunt. Adoleſcentem ſibi antea ignotum ſolo intuitu cognouit caſtimoniæ, atque integritatis ſedulum eſſe cultorem. Sibi, alijſque moriendi tempus rato euentu diu ante definiuit. Viſus eſt in cœtu ſodalium ſemel iterumquè toto vultu radiare. Hominem neſcio quem inſano ſtudio aduerſus illum litteras ad Generalem Præpoſitum molientem Deipara ab incepto deterruit. Cadauer eius molle, & flexile toto quatriduo ſine graueolentia perdurauit. Reliquiæ ægris impoſitæ depulerunt haud vna vice languores. Exequias illi celebrauit Clericorum Sodalitas, quam inſtituit, tanta frequentia, & apparatu, vt opinio ſit nulli vnquam de Societate ſic fuiſſe parentatum. Templum Collegij conueſtitum vndique panno lugubri; Epitaphia paſſim, & lemmata appenſa; funalia accenſa plurima; Tumba quam doloris Caſtrum vulgus appellat excitata, cereis vndique collucentibus maximo numero. Nucerinus Antiſtes ſacris ſolemniter operatus eſt habitu Pontificali: adfuit Eminentiſſimus Cardinalis Boncompagnus Archiepiſcopus Neapolitanus cum Metropolitano Capitulo, iuſſis accedere Canonicis præter eius Eccleſiæ morem, quia iuſta ea ſoluebantur viro, non ſingulari dumtaxat ſanctimonia, ſe cui vni referret acceptam ea Eccleſia pulcherrimam Cleri ſpeciem, qua fulgeret. Panegyrim texuit ex Carmelitarum familia Concionator egregius; quem Cardinalis iuſſit ea omnia proferre in publicum, quæ à me perſtricta ſunt de Pontificis Vrbani VIII. imperio, quo vulgari prodigia vetuit hominum noſtri æui, ſua auctoritate ſecurum. Deceſſit vir eximius, poſt continuatos ad multam ætatem labores Apoſtolicos, Neapoli 25. Februarij anno ſalutis 1637. Multa elucubrauit tum latinè,

tum Italicè Pauonus ad publicam ſalutem, quorum Series hæc eſt:

Summa Ethicæ, ſeu Commentarius in libros Ethicorum Ariſtotelis. Neapoli, Lugduni, Moguntiæ, alibi recuſus

Introductio in Sacram Doctrinam Partibus III. comprehenſa: cuius

I. Pars eſt *de Methodo, ac Summa ſacrorum*, ſiue *de Diuina Theologia*. Neapoli apud Lazarum Scorriggium 1623. in 8.

II. *De Definitionibus Iſagogicis*, ſiue *de naturali Theologia*. Ibidem 1625. in 8.

III. *De Canonibus Iſagogicis* ſiue *de ſacræ interpretationis ratione*. Ibidem 1626. in 8.

Tractatus de Ethicis, politiciſquè Actionibus ex ſecunda Introductionis Parte ſeorſim impreſſus Ibidem 1630. in 12.

Commentarius Dogmaticus ſiue Theologica interpretatio in Euangelia. Ibidem 1636. in folio

Commentarius Dogmaticus, ſiue *Theologica interpretatio in Pentateuchum*. Neapoli typis Io: Dominici Montanari 1625. in folio.

Commentarius Dogmaticus, ſiue *Theologica interpretatio in Euangelia*. Ibidem 1626. in folio. Atque hæc quidem latinè prodierunt. Italicè verò quæ ſequuntur

Inſtructionum variarum pro rectè obeundis Sacerdotalibus functionibus, tom. I. ſatis copioſius Neapoli, apud Lazarum Scorriggium 1629 in 8.

Inſtructio pro exercitijs Congregationum rectè obeundis. Typis, & anno iiſdem

Meditationum Partes duæ, quarum poſterior, quæ eſt *de Præparatione ad Miſſam*. IV. Sectionibus, ſeu partibus continetur ſeorſim impreſsis, in eadem Typographia annis 1630. 31. & 32. in 8.

Meditatio de Amore Diuino, ſeu *Ars amandi Deum*

Meditatio de ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento. Multæ quoque *Inſtructiones, meditationes*, quæ recenſitis iam voluminibus continentur, ad commodiorem vſum ſeorſim ſunt impreſſæ, quas otioſum eſt ſingillatim referre.

Extat in Chartophylacio Societatis Romæ, eiuſdem

Commentarius Dogmaticus. M.S. *in Cantica Canticorum* in 4.

* FRANCISCVS PELIZZARIVS, natione Italus, patria Placentinus, natus anno ſæculi proximè euoluti 96. Deo ſe in Societate mancipauit voluentis 14. & votorum quatuor Sacramentum ſolemne dixit. Poſt traditas quadriennio amæniores litteras, Eccleſiaſtem egit annis aliquot, Theologiam moralem annis vndecim explicuit, Rexit Collegium Ferrarienſe; Vir apprimè religioſus, & Scientia ſacrorum Canonum, & Quæſtionum ad Conſcientiam pertinentium perquàm clarus. Demum corporis ſolutus vinculis ad vitam migrauit immortalem. Mutinæ die 17. Auguſti 1651. Edidit latinè

Tractatum de Monialibus, in quo reſoluuntur quæſtiones morales ad illarum ſtatum pertinentes. Bononiæ typis Iacobi Montij 1644. in 4.

Manuale Regularium duobus tomis, quorum Prior complectitur *Tractatus quinque De Nouitiatu, Profeſſione, Votis Religioſis, & Præcipuis obligationibus*. Venetijs apud Paulum Balconum 1647. in folio.

Secundus agit De Religioſorum Probibitionibus, Pœnis, Priuilegijs. Ibidem iiſdem typis 1648. in folio. Tomus primus iterum Lugduni apud Laurentium Aniſſon 1653. in folio. Hoc Manuale prohibitum fuit à Sac. Congregatione 1651. Sed in Indice impreſſo Romæ 1670. extat ſollùm prohibitus Tomus Primus.

FRANCISCVS DE PERALTA natione Hiſpanus, Patria Baëzanus Societatem amplexus anno ſalutis 1574. ætatis 20. votorum 4. profeſſionem emiſit. Rexit Collegia Triguerenſe, Baëzanum, & plurimis annis maxima cum caritate Seminarium Anglicanum Hiſpalenſe, cuius veluti firmator, educator, atque altor fuit, & demum ex eodem in ſenectute bona migrauit ad Dominum die 7. Ianuarij 1622. Scripſit

Narrationem mortis Roberti Gauleri, & Thomæ Egertoni eiuſdem Collegij Alumnorum, quam refert Hiſpanicè Didacus Iepes in ſua Hiſtoria de Perſecutione Anglicana lib. 6. c. 9. & 10. Edidit etiam

Narrationem de Vita, felice morte, & exequijs D. Ludouicæ de Carauaial defunctæ in Anglia. Hiſpali 1614 in 4.

* FRANCISCVS PERANDREV natione Hiſpanus, patria Valentinus admiſſus in Societatem anno ſalutis 1625. ætatis 16. vota 4. nuncupauit. Docuit in ea amœniores litteras, Philoſophiam, & quadriennio Theologiam. Rexit Collegium Oſcenſe, & iteratò Reſidentiam Alonenſem. Vir magni Zeli, & animarum auxilio impensè deditus, ideòque in confeſſionibus audiendis, viſitandis infirmis, & vinctis in carcere aſſiduis. Graſſante Alonæ lue contagioſa, magno animo expoſuit ſe obſequio peſte infectorum, & nullo diſcrimine inter egenos, & diuites, omnibus ſe impendebat. Egregia dicendi facultate pro concione præcelluit, & auditores ad quæcumque vellet pietatis officia vi magna impellebat, Demum febri maligna correptus, ad laborum, & bonorum operum præmia, Ibidem exceſſit die 7. Septembris 1671. Edidit Hiſpanicè

Lacrymas, gemitus, & ſuſpiria, ad Paſſionem, mortem, & funus Chriſti Crucifixi. Valentiæ typis Hieronymi Villagraſſa 1668. in 4.

* FRANCISCVS PEREZ DE CASTILLA hunc D. Nicolaus Antonius ſuæ laudatiſſimæ Bibliothecæ inſeruit, tamquam Socie-

cietatis noſtræ Religioſum, ob conſcriptam *Vitam P. Martini Guttierez*, citatque pro ſe P. Nierembergium tom. 11. in vita eiuſdem P. Martini ab ipſo compoſita; ſubdendo Scriptorem Bibliothecæ Societatis hunc præteriiſſe illaudatum. Verùm poſt diligentem ſuper eo adhibitam indagationem, non eſt inuentus in Societate ullus eius nominis, & prænominis; nec P. Nierembergius aſſerit illum fuiſſe de Societate. Affirmant autem alij, Auctorem illius Vitæ Franciſcum Perez de Caſtilla fuiſſe Typographum Giennenſem, qui vitam illam *P. Martini*, contractam ex latiori, edidit ſuis typis 1639. dedicauitque Viro nobili P. Martini conſobrino, vti refert Nierembergius. Quare non audeo partum alienum, vel dubij parentis Societati adſcribere.

FRANCISCVS PEREZ DE NAXERA natione Hiſpanus, patria Ledelmenſis, diœceſeos Salmanticenſis, rarum robuſtæ virtutis in ætate decrepita exemplum. Centum & 4. annos natus, migrauit ex hac vita Valliſoleti die 28. Februarij anno 1623. ſed adeò vegetus, vt nullo præcedente grauiori morbo, eo ipſo, quo obijt die, manè deſcenderit in Templum, interfuerit Sacro Miſſæ Sacrificio, Diuina Euchariſtia ſe refecerit, (vti quotidie ſolebat) atque inde rediens in cubiculum, intra duas horas nulla data cuiquam moleſtia, placidiſſimè expirauit. Fuerat ante ingreſſum in Societatem Rector Eccleſiæ Parochialis S. Blaſij Salmanticæ, ſæpiuſque electus à S. Thereſia ad excipiendas ſuarum Monialium Confeſſiones, adeòque matura iam ætate acceſſit ad Societatem anno ſalutis humanæ 1576. die 29. Nouembris. Sed in ea inſtar iuuenis quadraginta, & ſeptem annorum ſpatio laborauit indefeſsè. Et initio quidem religioſæ vitæ Miſſiones obiuit per aſperrimos montes Galitiæ, & Aſturiæ indagando, & venando agreſtes homines, quos æternæ vitæ præceptis inſtitueret. Poſtea docendis prima elementa pueris in Scholis, per multos annos totum ſe tradidit, tanta applicatione, & dexteritate quantumuis ſenex, vt illi acceptum referant Noſtri methodum, ac formam erudiendi pueros Oueti, Villagarciæ, Compoſtellæ, & alibi per Prouinciam. Multis eo nomine primarijs Viris Eccleſiaſticis, & Sæcularibus percharus fuit. In extrema ætate tranſlatus ad Domum Profeſſam Valliſoleti ibi quoque mirificè ſuum explicuit zelum, inſtituendo congregationem Ciuium, quos diebus Dominicis conuocabat manè, & veſperi, & præterea diebus Veneris ad opera pœnitentiæ; ipſo adhortante de ſuggeſtu dum illi ſe flagris cæderent. Inſtituit etiam maximo fructu cœtum puerorum vagorum; quibus de cibo tam corporali, quàm ſpirituali ſtatis temporibus proſpiciebat. Cum iam centum eſſet annorum in ſupplicatione celebri flagellantium, diebus Iouis, & Veneris hebdomadæ ſanctioris geſtauit ipſe crucem, veſte breui indutus, nudis pedibus, & fune ad collum alligato, inflammauitque ſupplicantes tanto ardore, vt defluente multorum ſanguine in terram, admoneri debuerit de feruore moderando. Inter hæc, & conſimilia virtutum exempla operarius inconfuſibilis, nec minùs bonorum operum, quam dierum plenus, migrauit vt diximus ad laborum præmia, ſpiritualis Coadiutor formatus iam inde ab anno 1592. Scripſit idiomate Hiſpanico Tractatum pro inſtitutione puerorum valde vtilem

De Orthographia Caſtellana. Pinciæ apud Ludouicum Sanchez 1604. in 8. ſæpius recuſum. Item

De liberatione Pignorum Animæ in omni ſtatu. Opuſculum pium ibidem 1619. in 16. & alia quædam minora, ac pia.

FRANCISCVS PICCOLOMINEVS natione Italus, patria Senenſis ex illuſtri ſtemmate Piccolomineorum Trianæ Dominorum, ſexdecim annos natus, & ſæculum fugiens, Chriſto in Societate ſua ſe dedicauit, anno ſæculari 1600. die 26. Ianuarij, & votorum 4. ſolemne Sacramentum dixit die 14. Maij 1617. Philoſophiam magna laude in Collegio Romano per ſexennium profeſſus eſt; habuitque ſui moris ſimilem diſcipulum Ioannem Berchmannum, cuius vitam conſcripſit noſter Virgilius Ceparius. Docuit præterea ibidem Theologiam Scholaſticam, quo munere dum fungeretur, dici vix poteſt, quanto cum ardore à Generali, Aſſiſtentibus, voce, ſcripto, & ſummis precibus efflagitauerit mitti ad Indos, & maximè ad oras remotas minùs ab alijs expetitas. Sed reſeruatus à Deo eſt Europæ, & à cathedra Teologica abſtractus ad officium Secretarij Societatis à Præpoſito Generali Mutio Vitelleſco. Septem annis munus illud præclarè adminiſtrauit, eoque adhuc durante conſtitutus eſt Viſitator duarum Prouinciarum, quæ tunc erant in Sicilia, vtramque ſummo ſubditorum ſolatio obiuit, aſſumpto ſecum in Socium laborum, & curarum R. P. Io. Paulo Oliua, qui nunc per prouidentiam Dei totius Societatis clauum tenet. Poſt hæc Collegium Romanum gubernauit; tunc Prouincias Romanam, Mediolanenſem, Neapolitanam, ac poſtremò Venetam, inſigni vbique commendatione prudentiæ, vigilantiæ, caritatis, atque zeli, donec ſublato ex humanis R. P. Vincentio Carafa Generali, in huius locum à Congregatione Noua Generali magna ſuffragantium conſenſione eſt ſuffectus, anno Domini 1649. die 21. Decembris. Ea in Præfectura omnes boni Paſtoris partes ita impleuit, vt ſumma quæque ab eius gubernatione expectari potuerint, ſi diutiùs ea frui licuiſſet. Erat enim fœcundo ingenio, maturo iudicio, felice memoria, magno animo, eximia prudentia, rara in rebus Societatis experientia. His accedebat candor morum, fuci expers, innocentia vitæ per omnem ætatem ſin-

ſingularis; pietas in Deum, Deiparam, atque Cœlites tenerrima; cura ſolers diſciplinæ, ſed ſuauitati admixta; ſtudium cunctos conſolandi, ſed intra limites noſtri Inſtituti; Iuſti atque æqui adeò tenax fuit, vt propius à morte non dubitauerit, affirmare ſe ſibi conſcium non eſſe, in tot muneribus, quæ geſſerat, priuatis affectibus quidquam vnquam indulſiſſe. Societatem, eiuſque Inſtitutum tenerrime diligebat, eiuſque progreſſus ſpirituales ſummo ſtudio promouebat, ſed adamuſſim Conſtitutionum S. Ignatij, nec ab iis peregrinum quidquam admittebat. Humilitatis, ac deſpicientiæ ſui ipſius enituit valde in eo ſtudium, infima quæque quoad licuit appetendo. Et cùm intellexiſſet agi de ſe eligendo in Præpoſitum Generalem litteras dedit ad P. Vicarium Generalem enixiſſimè obſecrando, & varias rationes adducendo, ne de eo cogitaretur. Paupertatis Sanctæ cultor, vt in ſe rigidus, ita ne quid ab alijs laxaretur ſummopere cauebat. Teſtes de eo ſunt Encyclicæ litteræ ad totam Societatem datæ. Caſtitatis peruigil adeò cuſtos extitit, vt nunquam Poëtam profanum linguæ vulgaris tota vita legerit, & virginitatis lilium putatur ab iis, qui ipſum intimè norunt ſepulchro intuliſſe, nec Deum vnquam noxa lethali offendiſſe. His tot, ac tam inſignibus virtutibus conſentaneus fuit vitæ exitus, in quo emicuit admirabilis planè fortitudo animi, qua in extremo morbo, acutiſſimos dolores inuicta patientia tolerauit. Nam quamuis diu ante obitum valetudo eius varijs calculi ſymptomatibus fuerit vellicata diſſimulante ipſo, nec intermittente propterea ſolitos officij labores, tamen poſtremis 14. diebus perpetuo equuleo viſus eſt torqueri, ob acerbiſſimos cruciatus ex inflammatione veſicæ, ſtranguria, conuulſionum frequentia, ſingultuum vehementia, ſomni fuga, quibus acceſſit demum diarrhæa, & defectio virium morte ipſa moleſtior. In omnibus acerbitatibus, illæſa ſemper ſtetit illi mentis tranquillitas, nec aliud audire erat ex illius ore, quàm perpetuas Dei laudes, gratiarum actiones pro pœnis, tamquam pro beneficijs, oblationem ſui corporis ad atrociorem adhuc (ſi Deo placeret) carnificinam, tenerrimos ſenſus pietatis, frequentes actus nunc amoris, nunc fidei, & his conſimiles mixtos lacrymis. Singulis prope diebus cæleſti pane ſe curabat refici; Confeſſionem verò Sacramentalem ſæpiùs eodem die inſtituebat, vt ſic auctior theſauro Diuinæ gratiæ de vita decederet. Cupiebat diſſolui cum Apoſtolo frequenter, temperabat tamen id ipſum ex nutu Diuinæ Voluntatis, ne ſe, & ſua commoda potiùs quàm purè Deum quærere videretur. In hunc modum, cùm diu medios inter dolores certaſſet, tandem ſuccumbente corpore, victor animus euolauit ad brauium, die 17. Iunij 1651. ætatis ſuæ 69. Præfecturæ Generalis ſecundo. Moriens humillimus Pater rogauerat Patres Aſſiſtentes ne permitterent expingi eius effigiem poſt mortem, aut inter reliquas Generalium imagines exponi; ac ſi dignus non fuiſſet inter illos ob breuitatem temporis, quo præfuit, aliaſque ob cauſas quas ex humilitate afferebat, numerari. Habuit olim P. Franciſcus coram Paulo V. Pont. Max. anno 1620.

Orationem de Paſſione Domini, quæ poſtea typis data eſt inter alias eodem de argumento Romæ 1640. in 12.

Scripſit dum Præpoſitus Generalis eſſet

Epiſtolam Paraeneticam ad Patres, Fratreſque Societatis Ieſu, De vtilitate & neceſſitate executionis, Romæ 1650. in 8.

Scripſerat etiam Latinè, ſed non èdidit, volumen grande hoc titulo

Chriſtiana Peregrinatio, Iſraelitica veſtigia relegens, ab Aegypto in Palaſtinam, Via trium dierum, Exodi 3. v. 8. Sed vltimam manum non impoſuit. Aſſeruatur hoc opus, in Pinacotheca generali inter alia m. ſ. in Domo Profeſſa Romana.

* FRANCISCVS PINHEIRVS natione Luſitanus, patria Gouucenſis diœceſis Conimbricenſis, Societati nomen dedit Conimbricæ anno ſæculi volentis 11. ætatis ſuæ 15. & votorum 4. profeſſionem emiſit. Docuit in ea humaniores litteras, Philoſophiam quadriennio, Theologiam Moralem triennio, & totis ſedecim annis Scholaſticam magno cum plauſu, fuitque Eborenſis Academiæ Cancellarius. Floruit in eo vitæ integritas, & morum ſanctitudo. Actiones ſuas omnes rigidè cenſebat, & decorum publicum vnicè amabat. Deſignatus fuerat Rector Collegij Eborenſis, & poſtea Conimbricenſe gubernauit, in quo mortalitatem exuens, ad vitam tranſiit immortalem die 29. Iulij 1661. Edidit tractatum

De Cenſu, & Emphyteuſi Conimbricæ typis Emanuelis Diaz 1655. in folio. Alium tomum *De Teſtamentis*, reliquit prælo iam maturum.

* FRANCISCVS PINTHEREAV natione Gallus, patria Caluomontanus Societatem complexus anno ſalutis 1621. ætatis 17. votorum 4. nuncupatione ſe obſtrinxit. Poſt traditas litteras amœniores Philoſophiam quinquennio profeſſus eſt, Theologiam Scholaſticam octennio, magna cum laude doctrinæ, & Præfecturam generalem ſtudiorum geſſit ſexennio; Rexit Collegium Cadomenſe. Vir apprime Religioſus curriculum huius vitæ abſoluit Pariſijs penultimo Ianuarij 1664. Edidit latine

Theologiam Petri Aurelij, ſeu præcipuos eius errores contra Fidem, & bonos mores. Pariſijs 1647. in 8.

De Attritionis ſufficientia in Sacramento Pœnitentiæ. Pariſijs apud Sebaſt. & Gabr. Cramoyſy 1654. in 8.

Gallice ſcripſit tacito ſuo nomine

Impoſturas, & Ignorantias libelli inſcripti Theologia Moralis Ieſuitarum. Pariſijs 1644. in 8.

Errata Typographiæ Portus Regij. Pariſijs 1645.

Reliquias Abbatis S. Cyrani. Pariſijs 1646. in 8.

Nouas, & antiquas reliquias Abbatis S. Cyrani. Pariſijs 1648 in 4.

Ortum Ianſeniſmi. Cadomi 1648. in 4.

Progreſſum Ianſeniſmi. Ibidem 1645. in 4.

Conformitatem Principiorum libri de frequenti Communione cum principijs librorum Marci Antonij de Dominis 1654. in 4.

Hæreſes, & errores aliquot Petri Aurelij, in 4.

Anti-Aurelium. Lugduni 1656. in 8.

FRANCISCVS PLANTEDIVS natione Italus. Hunc Petrus Ribadeneira ſuo Catalogo 1609. Lugduni impreſſo adſcribit; ſed cuius Prouinciæ in Italia fuerit non explicat, loquentem fecit lingua vernacula librum.

Dionyſij Carthuſiani de 4. Nouiſſimis 1578. Recuſum Venetijs apud Franciſcum Zilettum 1583. in 12. & rurſum Ibidem per Dominicum Imberti 1590. Ex Epiſtola ab Auctore præfixa operi ad Epiſcopum Vercellenſem, conſtat eum fuiſſe Romæ in Aprili 1578.

FRANCISCVS POIRÆVS natione Burgundo-Sequanus, diœceſis Biſuntinæ in Societatem venit anno 1601. ætatis 17. in eo 4. vota ſolemni profeſſione anno 1619. nuncupauit. Docuit Humaniores Diſciplinas, Rhetoricam, Philoſophiam, Theologiam, Scripturam Sacram. Rector fuit Domus Probationis Nanceianæ, Collegij Lugdunenſis, & Dolani, atque ex hoc ad vitam tranſijt (vti ſperare fas eſt) cæleſtem die 25. Nouembris 1637. Vir cùm cæteris virtutibus, tum impensè pio in Deiparam ſtudio laudabilis. Edidit

Ignem Holocauſti, ſiue affectus ex Diuinis litteris, quibus animus Sacerdotis ad piè celebrandum diſponitur. Muſſiponti typis Philippi Vincentij 1629. in 16. Coloniæ. Lugduni, & alibi. Gallice verò Scripſit

Modum diſponendi ſe ad mortem. Lugduni, & Pariſiis 1647. in 24.

Bonum Paſtorem. Muſſiponti iiſdem Vincentii typis 1630. in 12. & Pariſiis 1631.

Triplicem Coronam Virgini Dei Matri ex humanis, Diuiniſque ſententijs contextam. Opus varium, elegans, eruditum. Pariſiis apud Sebaſt. Cramoyſy 1630. & rurſum 1633. in 4.

Scientiam Sanctorum, ſeu ſcientiam quærendi Deum, ſeque totum illi tradendi. Ibidem atque iiſdem typis 1638. in 4.

* FRANCISCVS POMEY natione Gallus, patria Paternenſis in Comitatu Venaiſſino ditionis Pontificiæ; natus anno ſæculi labentis 18. in Societatem ſe adſcripſit, 36. & ſolemni votorum 4. Sacramento ſe obſtrinxit. Vir præſtanti ingenio, & cùm ſeueriores diſciplinas Philoſophiæ, ac Theologiæ profiteri cum laude potuiſſet, inſigni exemplo nouennium docuit humaniores litteras, octennium Rhetoricam, & Præfectum Scholarum etiam nouennium egit. Varia ſcripſit, ſed parantem plura prælo, mors demeſſuit Lugduni die 10. Nouembris 1673. Edidit in lucem

Pantheum Mythicum, ſeu Fabuloſam Deorum Hiſtoriam. Lugduni ſumptibus Antonii Molin 1659. in 8.

Libitinam, ſiue de Funeribus. Ibidem, & eodem anno in 12.

Catechiſmum Theologicum. Ibidem 1664. in 8.

Florem latinitatis. Ibidem 1665. in 8.

Pomarium tempeſtiuæ latinitatis. 1666. in 8.

Candidatum Rhetorices. Ibidem 1668. in 12.

Indiculum Vniuerſitatis, & ferè rerum omnium, etiam Artium nomina. Ibidem 1667.

Colloquia Scholaſtica, & Moralia. Ibidem 1668.

Dictionarium Latino-Gallicum. Ibidem 1664 in 4.

Methodicam particularum Orationis collectionem. Ibidem 1655. & auctius 1656. in 24.

Methodum ad omnes actiones ritè obeundas. Ibidem 1655. & vernacule 24.

Inſtitutionem Chriſtianam. Ibidem Gallice 1657. in 12.

* FRANCISCVS PONGA natione Italus, patria Nouocomenſis Romæ admiſſus in Societatem anno ſæculi præterfluentis 23. ætatis 16. ibidem ſtudiorum ſpatia emerſus eſt, & tam in Collegio Romano, quàm in Profeſſorum Domo domeſticæ diſciplinæ diu curam geſſit, & votorum 4. profeſſionem emiſit. Miſſiones deinde in Corſica magno feruore expetijt, & obiuit. Tironum Magiſter, & Rector Genuæ fuit; Demum Mediolani viuere inter mortales deſijt multis virtutum exemplis poſt ſe relictis die 12. Aprilis 1652. Edidit vernaculè Tractatum ſub nomine Religioſi Serui Dei, qui ſolùm deſiderat nomen ſuum ſcribi in libro æternitatis

De Peregrinatione ſpirituali quadraginta dierum ad viſitandam ſacram ædem Lauretanam. Mediolani per Philippum Ghiſolphum 1650. duobus libellis in 16. recuſum, & auctum.

FRANCISCVS PORTOCARRERVS natione Hiſpanus ex Oppido Medellino, atque eiuſdem oppidi Comitis filius, venit ad Societatem die 22. Aprilis anno 1569. cùm ageret ætatis annum 21. & votis 4. ſe obſtrinxit. Vir fuit planè ſanctus, atque omnis virtutis viuum exemplar; mitiſſimus, & erga omnes affabilis, orationi, atque amori Dei deditiſſimus, in ſe aſper, & rigidus, & qui ſe voluntarijs cruciatibus ad morbum vſque affligeret. Animarum ſaluti per conciones,

con-

Digitized by Google

confeſſiones, atque in primis per Miſſiones ... recurandæ diligentem nauauit, ac diuturnam ... In Sacroſanctam Euchariſtiam, in Beatiſſimam Virginem Deiparam, in S.P.N. Ignatium pijſſimè affectus fuit. Rexit ... Ocamenſe Collegium, illudque procuratis ... Sanctorum Reliquijs egregie locupletauit; ſenio tandem, morbiſque victus, & præſertim Aſthmate confectus, quieuit in Domino Toleti anno 1626. ætatis ſuæ 78. initæ Societatis 50. antiquiſſimus ſuæ Prouinciæ Profeſſorum. Edidit Hiſpanicè

De Deſcenſione B.Virginis ad Templum Sanctum Toletanum, & Vitam S.Ildephonſi Archiepiſcopi Toletani. Matriti 1616. in 4. Opus hoc dicauit Patribus Domus Profeſſæ Toletanæ Societatis Ieſu, qui ædes ipſas, in quibus S.Ildephonſus eſt natus, inhabitant.

Hiſtoriam SS.Martyrum Thebæorum tranſcripſit Hiſpanicè. Reliquit demùm aptos prælo

Tractatus egregios, De Venerabili Euchariſtia, & De B.Virgine Deipara.

FRANCISCVS RAIATVS natione Siculus, patria Panormitanus ad Societatem acceſſit die 21. Nouembris anno 1593. ætatis 15. Vbi Philoſophicæ, ac Theologicæ doctrinæ, Politiorum litterarum tum Latinam, tùm Græcam eruditionem adiunxit; Vario morborum genere exercitam diù vitam traxit, animo æquiſſimo, vultu ſereno ſemper atque adeo etiam hilari. Morum comitate, & magnarum exemplis virtutum, mirificè ſibi animos hominum conciliabat, quos ſuauiſſima quadam ſanctæ conuerſationis illecebra in Deum rapiebat. Maieſtatem tonantis, fulminantiſque Dei, irretortis gaudebat oculis intueri, quòd naturalium operum nullum aliud magis ſupremi Numinis granditatem repræſentaret. Obijt magno ſui deſiderio relicto. Panormi 29. Februarij anno 1636. Edidit Italicè

Inſtructionem ad aliquot exercitia ſpiritualia bene peragenda. Tom. II. Panormi 1622. Item

Symbola & Inſcriptiones adornatas honori SS.Ignatij, & Xauerij anno 1623.

FRANCISCVS RAINALDVS natione Italus, patria Matelicanus in Piceno, cooptatus in Societatem anno ſalutis 1622. die 14. Auguſti ætatis 22. ab annis circiter quinquaginta in Domo Profeſſa Romana Præpoſitis Generalibus ſedulam nauat operam in ſcriptione rerum ſibi commiſſarum, & eſt operarius in templo admodum aſſiduus. Tranſtulit ex Hiſpanico Italicè atque edidit ſub nomine Heraclij Vecchij

Memoriale eorum, quæ præſtare debet Chriſtianus in extrema infirmitate, ſeu in tempore morti proximo, compoſitum à Stephano Palma Noſtro. Romæ apud Corbellettum 1632. in 4.

Scripſit verò eadem lingua, ediditque ſub nomine Ioſephi Rainaldi

Lumen hominis Deuoti. Romæ apud Franciſcum Caballum 1633. in 24.

Delicias Chriſtiani. Romæ ſæpius, & Venetijs 1671. in 24.

Cibum animæ, ſeu de Oratione Mentali circa Paſſionem Domini, pro ſingulis diebus menſis. Ibidem 1637. in 24. & per Maſcardum ibidem, 1661. editione 12. recuſum poſtea Maceratæ, Venetijs &c.

Diem ſanctè impenſum. Ibidem 1640. in 24.

Thuribulum precum ad Ieſum, & Mariam. Romæ apud Maſcardum 1648. in 24.

Et ſub nomine Ioannis Franciſci Mei.

Modum præparandi ſe ad feſta Natalis Domini. Viterbij.

Vitam Ven.Serui Dei Iacobi Laynez ſecundi Præpoſiti Generalis Societatis Ieſu, ſub nomine Anagrammatico Franciſci Dalarini. Romæ ſumptibus Ignatij de Lazzaris 1672. in 8.

* FRANCISCVS RAMIREZ natione Mexicanus patria Zacatecanus origine Hiſpanus Deo ſe in Societate dedicauit anno ſalutis 1601. ætatis 17. Vir religioſiſſimus, totum ſe imbuendis pueris pietate, ac litteris impendit, atque eo in munere magnam vitæ partem ingenti commodo Mexicanæ iuuentutis conſumpſit. Demùm ex Miſſione ardua Cinaolenſi ad requiem tranſijt (vt ſperare iuſtum eſt) Beatorum anno Domini 1630. Edidit

Epigrammata, & Carmina De S. Lucia Virgine, & Martyre. Mexici in 8.

FRANCISCVS REMONDVS natione Gallus, patria Diuionenſis, Guilielmi Remondi in Parlamento Diuionenſi Senatoris veneno ſublati, non vt quidam putauerunt, Florimundi Remundi nobilis Scriptoris filius, In Italia ſtudijs claruit, Societatique aggregatus Romæ anno ſalutis 1580. ætatis 22. Philoſophiam ibidem docuit, Theologiam verò 20. annorum ſpatio, tùm Patauij, tùm Parmæ, tùm denique in Vrbe Burdegalenſi, magna cum laude profeſſus eſt, & regreſſus in Italiam, Mantuæ ſacras litteras interpretatus eſt, & in Academia recens à Sereniſſimo Duce inſtituta primus Præfectum egit Studiorum. Demum in poſtrema eius vrbis obſidione, incredibili caritate ſe totum dedit audiendis militum confeſſionibus etiam peſte laborantium, quo in opere peſtem ipſe contraxit, à qua tamen cum reſpiraſſet, non multo pòſt, alio morbi genere ſublatus eſt, die 14. Nouembris anno Chriſti 1631. plenus ipſe dierum, & antiquus quatuor votorum profeſſus. Scripſit eleganti ſtylo

Orationes 21. diuerſis temporibus, & locis habitas.

Epigrammatum libros duos.

Elegias VIII. De Diuinis Amoribus.

Elegias VII, quibus titulus eſt Alexias, & con-

& continent querimonias ſponſæ S. Alexij profugi, ſuntque inter modernorum Scriptorum Elegias planè eximiæ. Hæc omnia poſt varias editiones, quibus pleraque ſeorſim venerunt in lucem, vno volumine complexus edidit, Antuerpiæ Ioachimus Trognæſius, 1614. in 12. Romæ recudit Bartholomæus Zannettus 1618.

Panegyricas Orationes 15. De S. Ignatio Loiola, & 15. De S. Franciſco Xauerio, quibus eorum vitam, velut breuiario complexus eſt, *Vnam de Sancto Carolo Borromæo*, adiunctis *aliquot clarorum virorum elogijs*. Placentiæ apud Iacobum Ardizzonum anno 1626. in 4.

FRANCISCVS RIBERA, natione Hiſpanus, patria ex oppido Caſtellæ Villacaſtin, Vir fuit egregiè doctus, ac pius. Primùm in Salmanticenſi Academia optimis Præceptoribus operam dedit: in Collegium deinde S. Iacobi Zebedæi ab Alphonſo Fonſeca Archiepiſcopo Toletano erectum cooptatus eſt. Vnde iuſto tempore digreſſus, recepit ſe in oppidum natale, vt in ſacrarum litterarum, quas à prima ætate adamauerat, ſtudium totus incumberet, & cum Scholaſtica doctrina ad maius firmamentum coniungeret, adiutu linguarum Latinæ, Græcæ, Hebraicæ præſidio, quarum apprimè peritus erat. Hæc dum molitur, diuino conſilio iter illac habuit Pater Martinus Guterrius Salmanticenſis Collegij Rector dexterrimus magnarum animarum prædo; cui Ribera pertæſus humanas res, ob improſperum neſcio quem euentum, explicuit conſtituiſſe ſe in proximum Beatiſsimæ Virginis Sacrarium procul à turba ſecedere, & ab otio ſtudiorum ſubinde ad concionandi per circumiectos populos prodire negotium. Ita probauit conſilium Martinus, vt ſimul tamen admoneret, haud itaquod optimum eſt, Deo dari, ſuum ſcilicet arbitrium, ac voluntatem. Quo monito ceu telo transfixus Ribera, decreuit illicò valedicere ſeculo, & Societatem amplecti, ad quam Salmanticæ ab eodem ipſo Guterrio receptus eſt, anno ſalutis 1570. ætatis ſuæ 33. probè Scientijs iam excultus, & Doctoris Theologi prærogatiua auctus. Cùm autem quinto poſt anno de inſtituenda Salmanticæ Diuinorum Codicum interpretatione Societas conſilium inijſſet, Riberam tamquam idoneum Præceptorem ei muneri præfecit, quod quidem exquiſita eruditione cum pari religione coniuncta, ſexdecim annos obiuit. Erat enim ingenio excellenti, iudicio acri, tenaci memoria, ſanctorum Patrum lectione, atque obſeruatione inſtructus, ſingulari modeſtia, animi candore, deiectione, cæteriſque religioſis virtutibus cumulatus. Imbuerat illum ſcilicet optimis artibus, iam inde à Tirocinio, quod Methymnæ Campi poſuit, excellens ille ſanctimoniæ magiſter, quem ſortitus etiam Salmanticæ, magno ſuo bono Rectorem tunc eſt, P. Balthaſarem Aluarez, cuius ipſe veſtigijs ſedulus inſtitit. Obedientiæ ſtudium, tamquam Societatis notam primam ita cordi habuit, vt nullo ſtudiorum, aut cuiuſuis negotij pondere ſe paſſus vnquam ſit ab exactiſsima, vel vnius regulæ obſeruatione diſtineri; nunquam ille quantauis in ſiti, bibiſſet interdiu inconſulto ſuperiore; nulla hebdomada illi ſucceſsiſſet, quin ſemel iterumque cubiculum euerreret; litteras, ſchediumue non dabat, non legebat ſibi redditum, ſeu foris eſſet, ſeu domi, niſi prius exhiberentur Moderatori. Ea virtus efficere ſola potuit, vt proferret in lucem publicam, quæ priuatim elucubrauerat; nam quæ erat eius animi ſubmiſsio, ſuarumquè rerum contemptus, haud facilè potuiſſet ad id permoueri. Orationis præſidio, quam diurnis, nocturniſque horis vſurpabat prolixè, ad Sacræ Scripturæ intelligentiam vtebatur: addebat etiam crebra ieiunia, & ſeueriores corporis macerationes, & ſi quid incidiſſet implicationis difficultatis, ſecedebat per dies aliquot, & ſpiritualibus exercitijs animum ad Diuinos illapſus comparabat. Aiunt eum ad concionem aliquando verba facientem viſum à S. Tereſia ingenti circum ſplendore micare, cuius dicentis humeris Chriſtus Seruator ſereno vultu innixus, eum velut complexu foueret; illum verò inter cætera, inſolito animi ardore his verbis exclamaſſe: *O admirandam Dei, & Sacrarum Litterarum dignitatem? nullum habent apicem ſacræ paginæ, qui non diuinis ſit plenus myſterijs* Chriſtum autem Dominum ei, qui hæc conſpiciebat dixiſſe. *Hic eſt o Anima, qui germano ſcripturas meas ſenſu, & ea veritate, quam ego ipſi infundo, explicat. Nouit ipſe pretium earum expendere, quas ego mortalibus mei ſanguinis profuſione comparaui. Gratulare tibi quod eum habeas à Confeſſionibus; obtempera dictis ipſius ſic mea voluntati feceris ſatis.* His Ribera ſtudijs traduxit ætatem ad annum vſque 1601. quo naturæ debitum Salmanticæ perſoluit menſe Nouembri. At die poſt obitum tertia viſus in cælo eſt ſublimis, ac Dei ſolio propinquus, multa conſpicuus gloria, cuius in pectus deriuabatur à pectore Dei radius lucis, qui pulcherrima eum ſpecie ſimul & gaudio perfundebat: quod illi præmium ideò attribuebatur, quia nihil in ſuis lucubrationibus fluxum, ac caducum, ſed vnius Diuinæ Maieſtatis cultum, atque obſequium ſpectaſſet. Hæc pauca de multis laudatiſſimi viri ornamentis referre placuit, vt quam immerito nouitius quidam Scriptor, tàm conſpicuæ virum innocentiæ inſimularit philotimiæ, & liuoris, palàm conſtaret, quem nullus propè Auctorum ſine Encomio doctrinæ, & probitatis appellat. Scripſit autem inſignes

Commentarios in 12. Prophetas Minores ſenſum eorumdem Prophetarum hiſtoricum, & moralem; ſæpè etiam Allegoricum complectentes, Romæ 1590. in 4. Coloniæ typis My-

Mylij 1599. & 1600. in folio, ac demum opera Richardi Gibboni noſtri, correctius Duaci typis Balthaſſaris Belleri 1612.

Commentarios Hiſtoricos ſelectos in eoſdem duodecim Prophetas minores, quod eſt quaſi compendium illorum prius fusè Scriptorum Commentariorum ab ipſo Auctore contractum, Salmanticæ apud Ioannem Ferdinandum 1598. in 8.

Item in Epiſtolam ad Hebræos. Salmanticæ 1598. & Coloniæ typis Birchmannicis 1600. in 4.

In ſacram B. Ioannis Apoſtoli, & Euangeliſtæ Apocalypſim: &

De Templo, & ijs quæ ad Templum pertinent lib. 5. Lugduni apud Iuntas 1592. Antuerpiæ apud Bellerum 1593. & rurſum apud Martinum Nutium 1603. in 8.

In Sanctum Ieſu Chriſti Euangelium ſecundum Ioannem. Lugduni per Iacobum Cardon & Petr. Cauellat 1613. in 4.

Hiſpanicè verò ſcripſit

Vitam S. Thereſiæ Virginis, Carmelitarum Excalceatorum parentis, & fundatricis, cuius Confeſſionibus ipſe aliquando præfuerat. Ea Italicè, Gallicè, Latinè conuerſa extat, poſtremò editâ vnà cum operibus eiuſdem ſanctæ. Coloniæ apud Ioannem Kinchium 1620. in 4.

* FRANCISCVS RICHARD natione Lotharingus, patria Muſſipontanus Societati nomen dedit Nancæi anno ſalutis 1631. ætatis 19. ſexennium in ea docuit politiores litteras, & impulſus deſiderio lucrandi animas Deo in remotis Miſſionibus, deſtinatus in Græciam eſt anno Domini 1644. & ibi quinquennio poſt, ſolemnia 4. vota in Inſula Sanctæ Irenes nuncupauit. Ab eo tempore vineam illam ſpinis difficultatum multarum plenam, nauiter excoluit, non ſine animarum plurimarum vtilitate, vſque ad Decembrem anni 1673. quo ad laborum ſtipendia euocatus Negroponti migrauit ad Dominum. Scrip. Græcè & Latinè librum

De Controuerſijs Græcorum, & Latinorum, ſeu Clypeum Romanæ Fidei. Pariſijs 1657. in 4. Gallicè verò

Relationem rerum geſtarum à PP. Societatis Ieſu in Inſula Sanctæ Irenes. Pariſijs typis Cramoiſyanis 1657. in 8.

* FRANCISCVS RINCONVS natione Hiſpanus Diœceſeos Toletanæ, ad Societatem ſe adiunxit Neapoli anno ſæculi voluentis 16. ætatis 16. & votorum 4. profeſſionem emiſit. Docuit in ea litteras humaniores, Philoſophiam, & Theologiam moralem, & ſuperſtes etiamnum in Domo Profeſſa Neapolitana; Edidit Italicè ſub nomine anagrammatico Ceſfranchi Coroncin

Gloriam Gloriarum Deiparæ Virginis, ſeu de merito eiuſdem. Neapoli typis Franciſci Collegi 1648. in 4.

FRANCISCVS RODRIGVEZ, Tres fuerunt huius nominis Scriptores, duo Hiſpani, tertius Luſitanus. Ex Hiſpanis Senior fuit patria Arandenſis ad amnem Durium Diœceſis Oxomenſis. Is ad 20. annos Romæ verſatus ab Hiſpanicis Epiſtolis P.N. Generali fuit. Indè regreſſus in Hiſpaniam rexit Collegium Conchenſe, & bis præfuit Toletanæ Domui Profeſſorum, vbi ſenex mortuus eſt, die 21. Martij anno Chriſti 1627. ætatis 79. religioſæ vitæ 62. Profeſſionis 4. votorum 44. Funus eius magno populi, & Religioſorum conuentu celebratum eſt. Fuit enim vir omni virtutum genere ornatiſſimus; multæ, prolixæque cum Deo conuerſationis; eximiæ in Deiparam, & cœlites alios reuerentiæ, quorum multos indicta ſibi inedia colebat, laboris in hominum ſalutem indefeſſi, vel iam in ætate grauiori. Nulla illi cura ſui, nulla ſuorum, multa egenorum, atque eorum inprimis, quos ſibi minus experiebatur affectos. Societatis augendæ, ornandæque ardentiſſimo zelo inflammabatur, quàm ipſe non ſola virtute, ſed etiam doctrina illuſtrauit, Theologiam olim aliquot annis profeſſus, & concionandi munus. Hic ſcripſit Hiſpanicè

Breuem Tractatum de Iubilæo. Romæ apud Stephanum Paulinum 1600. qui mox Italicè prodijt ibidem apud Aloyſium Zannettum 1600. in 24. at Italicè ſcripſit

Epiſtolam ad Congregationem Beatæ Mariæ Virginis Aſſumptæ in Domo Profeſſa Romana. Romæ apud Aloyſium Zannettum 1595. in 8. Vulgauit idem alieno nomine

Librum de Meteoris, & reliquit prælo matura

De Chriſtiani Hominis officijs.

De Vita D. Catherinæ de Mendoza Fundatricis Collegij Complutenſis Societatis Ieſu

Exempla magnarum virtutum.

* FRANCISCVS RODRIGVEZ alter natione item Hiſpanus, patria Numantinus, adſcitus in Societatem anno ſalutis 1579. ætatis 16. tria vota ſolemnia profeſſus eſt, atque in ea vtilem valde proximis nauauit operam in templo, in ſcholis & maxime in erudienda iuuentute, quàm viginti, & octo annorum ſpatio, incredibili labore, & conſtantia litteras, & pietatem docuit. Vixit diù Methymnæ Campi, vbi omnibus ob eximiam virtutem carus, moriens magnum ſui reliquit deſiderium, die 10. Decembris 1620. Tranſtulit ex Latino in Hiſpanicum idioma, eleganter, & vtiliter

De bono Status Religioſi Libros III. noſtri Hieronymi Plati. Medinæ 1595. in 4.

FRANCISCVS RODRIGVEZ natione Luſitanus, patria oppidò Montemaior. Diœceſis Conimbricenſis, Societati inſertus anno ſalutis 1609. ætatis 16. vota 4. ſolemnia nuncupauit. Docuit humaniores litteras, Philoſophiam, & Theologiam Moralem. In Curia Madritenſi Procuratorem diù egit, pro Prouincijs Luſitanæ Coronæ: poſtea

rexit Collegia Pharenſe, & Bracharenſe, atque in hoc mortalitatem exuit, die 26. Maij 1654. Vir probatæ admodum vitæ, & diſciplinæ regularis obſeruantiſſimus. Edidit Hiſpanicè dum Matriti degeret

Catalogum Martyrum Societatis IESV, qui in Iaponia annis Chriſti 1633. paſſi ſunt. Matriti, typis Andreæ Parræ 1635. Is Romæ prodijt Italicè tacito Auctoris nomine; Antuerpiæ autem latinè, apud Ioannem Meurſium 1636. in 12.

FRANCISCVS ROMANVS, natione Siculus, patria Mamertinus, Societati adoleſcens adſcriptus eſt, anno 1594. atque in ea quinquennium Rhetoricam, & humaniores litteras, triennium Philoſophiam profeſſus eſt. Sacras etiam litteras explicuit, & vota quatuor ſolemnia nuncupauit. Obijt in patria ſua die 9. Auguſti 1625. Edidit latinè

De Sacro Eccleſiaſte libros 3. Coloniæ per Bernardum Gualterum 1622. in 4.

Reliquit alia ingenij ſui monumenta in aliquos Sacræ Scripturæ libros, quæ in Bibliotheca Domus Profeſſæ Meſſanenſis ſeruantur.

* FRANCISCVS ROSIERS natione Gallus, patria Barroducæus, vicennis Societati ſe adiunxit anno à partu Virginis 1628. & ſexennio litteras amœniores in ea tradidit. Poſtea zelo incenſus lucrandarum Deo in remotis Regionibus animarum, tranſmiſit in Græciam anno 1644. & ad 23. annos vineam illam incommodorum, & ærumnarum feracem operarius impiger excoluit. Varias Ægæi maris Inſulas Apoſtolico ſpiritu luſtrauit, & vbique fructum non pœnitendum retulit. Sæpè illi ſub dio, & humi pernoctandum fuit, & multa perpeſſu aſpera à Turcis, & alijs toleranda, ſed hæc inſtar deliciarum illi fuerunt cùm Crucem Chriſti aſpiceret, prout ipſe ad ſocios Conſtantinopoli degentes ſcripſit. Tandem delatus in Eubæam Inſulam (quam hodie Negropontum appellant) dum Chriſtianis ibi vinctis opem pro virili ferret, & infectis etiam peſte ſua obſequia præſtaret, luem ipſe contraxit, nec ita multò poſt inter amantiſſima cum Chriſto colloquia animam reddidit Creatori Negroponti die 16. Iunij 1667. ſpiritualis Coadiutor pridem antea formatus. Paulò ante obitum accepit à Sacra Congregatione de Propaganda Fide litteras, quibus collaudabat illa labores ipſius, & gratulabatur de fructibus, quos ex cultura illius vineæ retuliſſet. Edidit vulgari lingua Græca

Aduocatum Animarum in Purgatorio punitarum. Pariſijs apud Claudium Cramoiſy 1657. in 8.

* FRANCISCVS DE ROVGEMONT, natione Belga, patria Traiectenſis, natus anno ſæculi fluentis 24. Deo ſe in Societate conſecrauit 1641. & poſt ſexennium humanioribus litteris tradendis impenſum, impulſus deſiderio lucrandi Deo animas in Indijs, vnà cum P. Martino Martinio nauigauit ad Sinas, anno 1656. & ibi votorum quatuor profeſſionem emiſit. Multa egit, pertulitque Chriſti cauſa in colenda illa vinea, & abductus à Lictoribus primum Pechinum, poſtea Cantonium cum pleriſque alijs Præconibus Fidei Chriſtianæ, ibique compacti omnes in cuſtodiam, diu in ea detenti ſunt. Tandem honorificè liberati omnes ex mandato Regis, & permiſſi redire ad priſtinas ſuas Sedes ſub finem anni 1671. quo etiam ad ſuam Reſidentiam Pater Franciſcus remeauit. Scripſit latinè dum Cantonij detineretur

Hiſtoriam Tartaro-Sinicam nouam, complectentem aulicam, bellicamquè inter Sinas diſciplinam, nec non ſtatum ibi Religionis Chriſtianæ ab anno 1660. vſque ad annum 1668. miſitque in Europam typis imprimendam. Edita eſt Louanij typis Martini Hullegaerde 1673. in 8. Luſitanicè reddidit noſter Sebaſtianus de Magalhaes Vlyſſipone typis Ioannis à Coſta 1672. in 4.

FRANCISCVS ROZ, ſeu ROSSIVS, natione Hiſpanus, gente Aragonenſis; patria Gerundenſis, Societatem complexus anno ſalutis 1575. ætatis 18, confectis ſtudijs nauigauit in Indiam Orientalem anno 1584. & votorum quatuor Sacramento ſe obſtrinxit Cochini 1595. Vir doctrina, & prudentia magnus, nec virtute minor linguarum Syriacæ, Chaldaicæ, & Malabaricæ peritus. Multos annos, apud Malabares Chriſtianos, quos in India Orientali ab Apoſtolo ſuo Thoma vocant Thomæos, verſatus eſt, & magno caritatis, ac humilitatis documento, quà concionando quà catechizando, quà pueros chaldaicè, Syriacèſque docendo Diuinum honorem, mortaliumquè illorum ſalutem prouexit. Ibi dum ſtrenuè deſudat in opere, auocatus à Moderatoribus eſt, atque ad Zamarinum Calecuti Regem potentiſſimum ablegatus, vt iuſtis conditionibus pacem inter eum, Luſitanoſquè conſtitueret; id quod tanta partium voluntate perfecit, vt neutra ſe pares illi gratias agere poſſe crederet. Zamorino exinde fuit in amoribus, & in pretio; cum illo ſua conſilia conferre, illum primo penes ſe loco, vel præ ipſis Regni Primatibus collocare; fidam quoque militum manum, ne quid caperet incommodi adhibebat; quamuis ne ſic quidem omne diſcrimen auertit. Dum enim ſtudet ardentiùs Zamorinum in colendo, quod cum Luſitanis inierat fœdere, continere, aduerſus inſidas Regis Cocinenſis, & Nairum Regni procerum ſuggeſtiones, ſtrictis in eum mucronibus Naires irruerunt, confecturi virum ſuis machinationibus infeſtum, ni Regis filius intercurriſſet, & eos minis, atque clamoribus continuiſſet, ſub hæc Abrahamo Archiepiſcopo Angamalenſi, in cuius poteſtate Thomæi ſunt, vita functo, Goanus Antiſtes Alexius Meneſius, ex Ordine S. Auguſtini

iuſſus à Summo Pontifice, Catholicum illi Eccleſiæ Paſtorem deſignare, Rozium tantiſper Vicarium, & Adminiſtratorem conſtituit, dum legitimum quempiam Paſtorem quærit. Verùm cùm graues difficultates id conſilij interuertiſſent, ipſe Meneſius, quo feruebat Diuinæ gloriæ zelo, totam illam diœceſim quàm latè patet, per incredibiles ærumnas & pericula præſens inſpexit, adlecto in viæ comitem, atque operis ſocium, Rozio, cuius inſignes ad omnem adminiſtrationem dotes, cum per eam occaſionem magis conſpicuæ euaſiſſent, ab ijs populis, ipſoque Meneſio poſtulatus eſt Angamalenſis Eccleſiæ Antiſtes; quibus dum conſulere ſimul, & gratificari vult Philippus III. Hiſpaniarum Rex Catholicus, eum Clementi VIII. Pontifici Max. nominauit, Clemens auctoritate ſua, nequidquam renitente Societate, ratam eſſe iuſſit Regis voluntatem, niſi quod Epiſcopum eſſe voluit pro Archiepiſcopo, & Goano ſubeſſe Orientis Primati. Anno 1601. Goæ conſecratus eſt, & mox ad gregem ſuum paſcendum digreſſus, magno ab illis plauſu exceptus eſt, gratulantibus talem ſibi Paſtorem obueniſſe; ac ſubitò illi Eccleſiæ pax admirabilis, & ſerenitas reſtituta eſt. Anno ſubinde 1605. à Paulo V. Pont. Max. ea ſedes Cranganorum translata, Archiepiſcopatus dignitatem recepit, vt idem poſt illa Rozius, & Angamalenſis, & Themæorum, & Serrenſis (quia Thomæi Serras, hoc eſt, montes obtinent) & demum Cranganorenſis Archiepiſcopus à Scriptoribus dictus ſit. Scripſit autem

Doctrinam Chriſtianam lingua Malabarica.

Ritus Baptizandi, Inungendi infirmos, Nuptias celebrandi, è latina in Syriacam linguam conuertit in vſum Parochorum Angamalenſium.

Miſſalia, Breuiaria, Ritualia, alioſquè libros Eccleſiaſticos è Ritu Romano in Chaldaicam linguam tranſtulit.

* FRANCISCVS LE ROY, natione Belga, patria Inſulenſis natus anno ſæculi proximè elapſi 92, Chriſto in Societate ſua ſe dedicauit labentis 11. die 10. Octobris, & ſolemne votorum quatuor Sacramentum dixit. Poſt traditas litteras amæniores, Philoſophiam Duaci octennium profeſſus eſt, Theologiam Scholaſticam annis 14. magna illius Vniuerſitatis approbatione; vbi, & ſtudiorum Præfecturam compluribus annis geſſit. Rexit etiam Collegia Duacenſe, & Montenſe; & bis electus à Comitijs Prouinciæ illius interfuit duabus Congregationibus Generalibus, Decimæ, atque Vndecimæ Romæ, cum iure ſuffragij; & ibidem modò fungitur officio Theologi apud Præpoſitum Generalem, & Cenſoris librorum à Societate edendorum pro Aſſiſtentia Germaniæ, idque annis ampliùs 20. magna eruditionis commendatione. Edidit hactenus.

Templum Sapientiæ, ſiue Diſſertationem Myſtagogicam, qua illud nominatim diſquiritur: Fueritne Templum Salomonis ſupremæ Dei Sapientiæ ſpeciali titulo, ac vero nomine dedicatam. Inſulis, typis Nicolai de Roche 1664. in folio. Item

Porticum Salomonis, Sapientiæ Templo, Sublimioris Academiæ, aut ſcholæ Cœleſtis inſtar, adiectam. Leodij typis Ioannis Matthiæ Houij 1668 in folio. Item

Occupationem animæ, IESV Chriſto Crucifixo deuotæ. Pragæ typis Academicis 1668. in 4.

FRANCISCVS SACCHINVS; natione Italus, è diœceſi Peruſina, vir egregiè pius, & in rebus Societatis verſatiſſimus, cuius Hiſtoriæ poſt Nicolaum Orlandinum condendæ, totis vndeuiginti annis ſumma diligentia, fide, integritate, nitore ſtyli, & ſermonis elegantia ſuam operam nauauit; confectis de ea tomis 4. (quorum tres poſt obitum prodierunt) vt iure merito hiſtoriæ noſtræ Parens appelletur. Eo ab opere abſtractus eſt, vt Præpoſito Generali Mutio Vitelleſco eſſet à ſecretis, & hoc munus magna ſedulitate, applicatione animi, & virtutum commendatione ſeptennio geſſit vſquè ad obitum. Admiſſus fuerat in Societatem anno ſalutis 1588. & votorum quatuor profeſſionem emiſit. Deceſſit Romæ die 16. Decembris 1625. S. Franciſci Borgiæ fuit ſtudioſiſſimus imitator in paupertatis, atque humilitatis amore, & illius exemplo multa reiectaneis in chartis conſcribebat. Toto ſeptennio, quo fuit Secretarius vnis calceis, gemino calamo vſus eſt. Obedientiæ religioſiſſimè addictus temporis perparcus; carnis egregius domitor, cultor inſignis Diuinæ Euchariſtiæ. Præclaras illius virtutes fuſius enarrat Petrus Poſſinus noſter in Proœmio, ſeu Epiſtola præfixa quintæ Parti, ſeu Tomo Hiſtoriæ Societatis, quem qui plura deſiderat conſulere poterit. Scripſit Sacchinus

Orationem in Funere Ioannis Franciſci Aldobrandini, quam Romæ dixit publicè anno 1601.

Vitam B. Staniſlai Koſtkæ Societatis IESV tum Latinè, tum Italicè, Romæ, apud Bartholomeum Zannettum. 1612. in 16. & alibi.

Libellum de ratione libros cum profectu legendi, & Orationem de vitanda moribus noxia lectione. Ingolſtadij typis Ederianis 1614. in 16.

Hiſtoriæ Societatis Partem Secundam, ſiue *Lainiam* Antuerpiæ typis Nutij 1620. in folio. Et Coloniæ per Antonium Hieratum 1621. in 4.

Hiſtoriæ eiuſdem Partem Tertiam ſiue *Borgiam*. Opus poſthumum. Romæ, typis Manelphij 1649. in folio

Hiſtoriæ eiuſdem Partem Quartam ſiue *Euerardum*. Romæ typis iiſdem 1652. in folio.

Hiſto-

Hiſtoriæ eiuſdem Partem Quintam ſiue Claudium, cum additamentis Petri Poſſini. Romæ, typis Vareſij 1661. in folio.

Proœmialem Epiſtolam præfixit Primæ Parti eiuſdem Hiſtoriæ Societatis IESV, ab Nicolao Orlandino conſcriptæ, & in ſecunda eius editione addidit breuem

Tractatum cuius ſit auctoritatis, quod in B. Caietani Thienæi vita, de S. Ignatio traditur à Ioanne Baptiſta Caſtaldo, inſtitiſſe ipſum, vt in Theatinorum Ordinem admitteretur.

De Vita, & rebus geſtis Patris Petri Caniſij de Societate IESV, libros 3. Ingolſtadij typis Ederianis 1614. in 4.

Protrepticon ad Magiſtros ſcholarum inferiorum Societatis IESV, & Parœneſim ad eoſdem. Vtrumque Dilingæ, apud Iacobum Sirmadi 1626. in 12. Edidit ad hæc tacito nomine latinè

Vitam S.Paulini, ab Heriberto Roſuueydo vulgatam, Italicè

Epiſtolam de vtilitate bene legendi ad menſam. Mediolani, typis Archiepiſcopalibus 1621. in 12.

Modum vtiliter ſtudendi, qui latine quoque prodijt. Editæ ſunt nuper cum alijs eiuſdem argumenti

Orationes III. De Paſſione Domini, quas dixit coram Clemente VIII. anno 1603. Paulo V. anno 1611. & 1617. Romæ, typis Maſcardi 1641. in 12.

FRANCISCVS DE SALAZAR natione Hiſpanus, patria Complutenſis poſt decurſa Philoſophiæ ſpatia, & nauatam operam ſtudio Canonum per quadriennium, Societatem noſtram amplexus eſt in Prouincia Caſtellana anno ſalutis 1577. ætatis 20. & licet ad ſublimiores ſcientias tractandas perquàm idoneus eſſet, vt qui in gradibus litterarijs Compluti primum locum obtinuiſſet, tamen ex amore humilitatis optauit totam vitam puerorum inſtitutioni impendere, impeditque reipſa, fructu maximo annis circiter 18. donec graſſante per Hiſpaniam lue epidemica, in obſequio peſte afflatorum victima caritatis pijſſimè occubuit Legione, menſe Auguſti 1599. tria vota ſolemnia profeſſus. Scripſit vernaculo ſermone librum mole exiguum, ſed æſtimatione ſapientum, & vtilitate maximum, de 4. Nouiſſimis, & quem Venerabilis Doctor Hieronymus Perez in ſua ſumma Theologica par. 1. folio 204. editionis Matritenſis anno 1628. primus typus impreſſit, & publici iuris fecit, vt omnibus tanto Theſauro eo vſque abſcondito (ſic enim loquitur) frui liceret. Poſtea ſeorſim ſæpiùs recuſus eſt hoc titulo

Affectus, & Conſiderationes ſuper 4. Nouiſſimis ad Exercitia ſpiritualia S. Ignatij. Pampelonæ 1658. in 24. Vlyſſipone 1660. Matriti 1663. & Italicè. Romæ typis Vareſij 1661. in 12. auctario, cum aliqua variatione.

* FRANCISCVS DE SALINAS natione Hiſpanus, patria Nauarretenſis diœceſeos Caliguritanæ natus anno ſæculi prætereuntis primo, Societati nomen dedit 1618. & votorum 4. profeſſionem emiſit. Poſt traditas humaniores litteras rexit Collegium Villafrancæ ad decennium; nunc à multis annis degit Matriti, & à Rege Catholico adlectus eſt in Congregationem Theologorum pro defenſione Immaculatæ Conceptionis Beatiſſimæ Virginis edidit

Commentaria in Ionam Prophetam, duobus tomis quorum prior prodijt Lugduni ſumptibus Philippi Borde, & ſociorum 1652. in folio.

Secundus Ibidem 1655. in folio.

Paratum pridem habuit prælo opus, quod manuſcriptum vidiſſe ſe affirmat R. P. Petrus de Alua in Militia Immaculatæ Conceptionis, atque futurum magni momenti ſi edatur in lucem.

De Immaculata Conceptione Beatiſſimæ Virginis.

FRANCISCVS SAMBIASIVS natione Italus, patria Conſentinus, ſtrenuus in Regno Sinarũ operarius, natus anno ſęculi proximè tranſacti 82. vicennis ad Societatem acceſſit vertentis ſecundo, & impulſus deſiderio lucrandi Deo animas, nauigauit in Indiam anno 1609. inde ad Sinas 1613. vbi 4. votorum profeſſionem emiſit, & ſpatio 36. annorum Vineam illam ærumnarum ſentibus horrentem inter aduerſa, & proſpera nauus operarius, impigrè coluit. Pekini Vrbe Regia delituit quando Noſtri omnes anno 1620. Macaum ſunt relegati, & vitæ diſcrimen præſentiſſimum non ſemel adiuit, donec anno ſubſequenti reſtitutis in Regnum ſocijs, ipſe quoque liberiùs ſeſe reddidit Euangelio Chriſti varijs in locis prædicando. Sexdecim annos Superior Noſtrorum fuit, diuerſis in Reſidentijs, Vir ſpiritus Apoſtolici, ſalutis animarum in primis ſitiens, ærumnarum patiens, laborum pro Chriſto appetens, ſui ſuorumque commodorum negligens, & vltra hæc ſpontaneis quoque pœnis, atque aſperitatibus ſe ipſum diſcrucians. Sparſos per varias Vrbes, Oppida, & Pagos propè Scianhaium magno numero Chriſtianos excolens, ibat ſemper de ſtatione in ſtationem pedes, nec imbres, vel abrupta viarum eum morabantur, quo minùs ad 10. vel quandoque quindecim milliaria, extrema Sacramenta ad infirmos deferret. Quocumque adueniebat optatiſſimus hoſpes Neophitis acceſſit, & cùm ſinguli certatim eum ad ſe inuitarent, poſthabitis ille commodioribus ædibus, & gratijs pro vrbanitate actis, tuguriolum ſæpe deſpicatiſſimum ſibi deligebat in diuerſorium. Ad hæc mira à Deo ornatus fuit ſermonis gratia, morumque ſuauitate, & cùm linguam Sinicam ſcientiſſime calleret, factum eſt, vt Nanchini Vrbe etiam Regia, naſcentem Chriſtianorum Eccleſiam à vaſtatore quodam Scin nuncupato propemodum euerſam, non ſolùm inſtaurauerit circa annum

ſalutis 1637. ſed & publica auctoritate ſtabiliuerit, atque à Primoribus ibi Mandarinis etiam Ethnicis, amatus, cultus, & frequentatus identidem fuerit. Eclipſes, earumque initia, progreſſus, durationem, diu antea prænuntiauit, & cùm omnia adamuſſim prædictionibus reſpondere Mandarini apud ipſum conuenientes obſeruaſſent, pro Oraculo ſuſpexerunt, & necdum imbuti Chriſtianis ſacris arctam cum ipſo amicitiam contraxerunt. Hinc paucis poſt annis, cùm irrumpentes in Regnum Sinarum Tartari, Vrbem Pekinenſem occupaſſent, & Imperator Zungchinius ne in hoſtium manus deueniret; ipſe ſibi mortem laqueo conſciuiſſet; anno Domini 1644. euectus ad ſolium Imperiale à Mandarinis Nanchini tunc exiſtentibus, Hunquam, ſeu vt alij eum nominant, Hungquangus, demortui Imperatoris conſobrinus, ſtatim P. Sambiaſium tamquam Legatum ſuum, ſumma cum poteſtaſte, ſupra omnes Imperij ſui Proceres, ac Gubernatores miſit Macaum ad conquirenda à Luſitanis auxilia, additis ei ſupremæ Dignitatis, ſeu Mandarinatus inſignibus, quæ etſi Sambiaſius pro ſua modeſtia, tanquam incongrua ſuæ conditioni, defugere conatus fuerit, perſtitit tamen eo in conſilio nouus Imperator, & cùm ea res plurimum conduceret ad firmandam toto Regno Religionem Chriſtianam, auctores ei fuerunt Superiores Societatis, & Theologi doctiſſimi in India, vt dignitatem admitteret. Quatuor diuerſa Diplomata edidit Imperator, quæ verbatim referuntur à noſtro Sebaſtiano de Amaia Prouinciali tunc temporis Iaponiæ, in opere grandi, quod inſcripſit Indiam Chriſtianam, ſeu Inſtructiones morales pro caſibus apud Indos occurrentibus, & aſſeruatur m.ſ. in Tabulario Romano; In his Imperator eum tamquam Amicum ſuum, atque eminentem Virum, verbis exquiſitiſſimis ab omnibus ſuis ſubditis, mandabat coli, & quocumque pergeret ab omnibus honorari. Plurimùm valuit ea res ad auctoritatem Chriſtianæ religioni conciliandam, valuiſſetque ampliùs ſi diutiùs vixiſſet ille Imperator, verùm eo paulò poſt à Tartaris & regno, & vita exuto, rediit Sanbiaſius ad priſtinos ſuos labores pro ſalute animarum, & demum ad illorum præmia ferè ſeptuagenarius euocatus, à Deo eſt è Sinis anno ſalutis 1649. Edidit lingua Sinenſi Tractatum

De Anima Triplice, Vegetatiua, Senſitiua, & Spirituali, duobus voluminibus in folio, quæ extant in Pinacotheca generali Societatis Romæ. Item alium

De Somno, & alium *De Pictura*.

FRANCISCVS SCORTIA natione Italus, patria Genuenſis, patritij ſtemmatis, in Societatem anno ſæculari 1600. ætatis 16. cooptatus vota 4. profeſſus eſt. Docuit in ea Rhetoricam triennio, Theologiam de moribus nouennio; rexit Collegium Ferrarienſe; magna fuit caritate in omnes, ſed præſertim in hoſpites. Eminuit contemptu ſui, & religioſæ Paupertatis ſtudio, nec vnquam ferè niſi pedes exire Domo voluit, repudiato quod ſubmittebatur carpento ſæpiùs à Cardinali Ludouiſio dum hic in villa propè Bononiam per æſtatem diuerſaretur. Annis compluribus Bononienſis Archiepiſcopatus Theologi partes pro dignitate ſuſtinuit, & demum ibi rebus humanis exemptus eſt die 20. Septembris 1629. Edidit

Orationem in funere Sfortiæ Oddi Iuriſconſulti clariſſimi habitam. Parmæ 1612. Italicè verò ſuppreſſo ſuo nomine.

Compendium vitæ S. Ignatij Loyolæ. Item *S. Franciſci Xauerij*. Bononiæ 1622. &

B. Franciſci Borgiæ. Bononiæ 1624.

FRANCISCVS SCORSVS natione Italus, Patria Panormitanus natus anno ſæculi euoluti 93. Societati nomen dedit voluentis 6. & ſolemni votorum 4. Sacramento ſe obligauit. Philoſophiæ tradendæ deſtinatus, Noſtrorum Rhetorum Gymnaſio præfectus eſt, & totos quindecim annos illam ſpartam egregiè ornauit, vt complures ex illius ludo eloquentiſſimi Oratores, Poëtæque inſignes egreſſi, totam deinde Siciliam colluſtrarint. Poſt Rhetoricam, docuit moralem Philoſophiam, tunc Linguam Hæbraicam, Græcamque annis 14. & demum Sacras Litteras decennium eſt interpretatus, tanta eruditionis copia, vt linguarum Theſaurus, & viuens Bibliotheca communi ſuffragio fuerit appellatus. Magna tamen hæc ſcientiarum ornamenta maioribus virtutibus decorauit, quibus ita excelluit, vt in ipſo Tirocinio ſimillimus B. Aloyſio fuerit exiſtimatus, non ſolùm ob animi nitorem primum Sacro Baptiſmate acceptum, diligenterque ſemper cuſtoditum, ſed etiam ob ſublimis contemplationis, afflictionis, aliarumque virtutum continentem exercitationem. Et licet naturam contentiò animi ſumma tunc proſtrauerit, fueritque non nemo, qui domum ſuam ad recuperandam ſanitatem remittendum cenſuerit, tamen interceſſit Hieronymus Tagliauia Tirocinij moderator prudentiſſimus, ſuaſitque retinendum Scorſum, quod valde profuturus eſſet Societati ſuis laboribus ſi conualeſceret, ornaturus reliquijs cadaueris ſui ſi decederet. Eandem porrò innocentiam animi, candoremque religioſiſſimis erga Deum officijs, ad mortem vſque illibatum perduxit, prout plurium liquet teſtimonio. Virgini Deiparæ vixit addictiſſimus, ad cuius cultum amplificandum, ſexdecim poſtremos vitæ ſuæ annos Sodalitio Mariano regendo dicauit, quod Theologi, alijſque doctiſſimi viri in Collegio Panormitano frequentant. Cœlo igitur iam maturus mortem adeo non expauit, vt optaſſe videretur. Sacroſanctâ Euchariſtiâ, & ſacra inunctione ritè procuratus, tota mente animique viribus, integris ſemper ſenſibus aſpirare ad Deum cœpit, & inter Diuina colloquia, & ſacras preces pla-

placidiſſimè efflauit animam die 19. Octobris 1656. Edidit

Theophanis Caramei Archiepiſcopi Tauromenetani Siculi Homilias Gracas 62. Latinè à ſe redditas, in Euangelia Dominicalia, & feſta totius anni. Lutetiæ Pariſiorum typis Sebaſt. Cramoiſy 1644. in folio. Item

Latium Chriſtianum ſiue Latinæ elocutionis Vocabula, & Phraſes ad res Eccleſiæ Chriſtianæ explicandas accommodatas. Panormi typis Petri de Iſola 1655. in 12. Parabat prælo alia, ſed mors ſubtraxit.

FRANCISCVS SCVDERIVS natione Hiſpanus, patria ex oppido de la Parra diœceſis Conchenſis. Vir fuit pietate, & zelo animarum laudabilis, qui 33. annorum cum eſſet, ingreſſus eſt Societatum anno ſalutis 1556. atque in ea cum magna religione vitæ, modeſtia, atque ædificatione vixit vſque ad ætatem 72. annorum, qua pridem ſpiritualis Coadiutor formatus pie mortuus eſt Conchæ 14. Auguſti 1600. Scripſit Hiſpanicè

Vitam S. Iuliani Conchenſis Epiſcopi. Toleti apud Petrum Rodriguez 1586. in 8.

* FRANCISCVS SIMONESCVS natione Italus, patria Sabinus natus anno ſæculi præterlabentis 27. Adoleſcens ſe Deo in Societate mancipauit Romæ 1642. & ſolemni votorum 4. profeſſione ſe adſtrinxit. Docuit in ea Rhetoricam, Philoſophiam, modò operarium agit ſedulum Venetijs. Edidit hactenus Italice

Vellus aureum, ſiue Rhetoricam Venetam. Venetijs ex Typographia Pinelli 1667. in 8.

FRANCISCVS DE SMIDT natione Belga patria Antuerpienſis, ex opulenta familia, & cuius intuitu Parentes plurima in Societatem contulerunt beneficia. Natus anno ſalutis 1576. Societatem complexus eſt 1601. confectis iam antea ſtudijs Philoſophiæ, ac Theologiæ, ac ſacerdotio initiatus. Poſt triennium docendis litteris humanioribus impenſum, reliquum vitæ vſque ad decrepitam ætatem varijs in miniſterijs, ſed præcipuè in Confeſſarij, & Concionatoris muneribus exegit. otij impatiens, ſitiens laborum, ad omnia caritatis officia expeditus, & alacer; ſenio grauis, & incuruo corpore, nixus Scipione obibat vicos, & infirmos ipſe infirmus quoad licuit inuiſebat. Secundum Deiparam inter Cælites ſpeciali venerationis affectu ferebatur erga Sanctam Agnetem, in cuius die feſto, etiam in extrema ſenectute, ſacris ad aram (vt erat Muſices peritus) canendo operabatur. Virginitatis florem, vt in ſe ſeruauit illibatum, ita in alijs caſtimoniæ amorem, ſtudebat accendere, & puellas corruptas multis modis nitebatur ad meliorem frugem reducere. Nullum ſibi ſinebat tempus effluere, ab aliquo vel ſtudij, vel caritatis, vel obedientiæ exercitio vacuum, cuius rei illud argumento eſt, quod libros, & libellos amplius 50. partim in linguam vernaculam tranſtulerit, partim ſuo marte compoſuerit. Tandem cùm totius vitæ curriculum, domi ſcribendo, in Templo confitentium peccata excipiendo, olim etiam dicendo ad populum, foris captiuos in cuſtodijs, ægrotos in Noſocomijs, pauperes in ſuis priuatis ædibus, peregrinos in Xenodochijs, afflictos vbique conſolando, conſumpſiſſet, operarius infaticabilis, & tria vota ſolemnia pridem profeſſus, octogenario maior ad laborum præmia migrauit ex hac vita Lyræ die 7. Iulij 1659. Vertit in linguam Belgicam

Vitam P. Ioannis Ogilbei. Antuerpiæ apud Fikaert 1603. in 8.

Gloriam S. P. N. Ignatij. Ibidem apud Cnobbaert 1628. in 32.

Vitam Ferdinandi II. Imperatoris. Ibidem apud eundem 1638. in 8.

Igniarium amoris Diuini. Ibidem apud Aertſens 1636. in 12.

Infernum damnatorum rogum. Hierem. Drexelij. Ibidem apud Cnobbaert 1633. in 24.

Tribunal Chriſti. Eiuſdem, apud Aertſens 1633. in 24.

Cælum. Eiuſdem, apud Cnobbaert 1636. in 24.

Heliotropion Eiuſdem, apud eundem 1638. in 24.

Rhetoricam Cæleſtem. Eiuſdem, apud Aertſens 1638 in 24.

Gazophylacium Chriſti. Eiuſdem, apud Vid. Cnobbaert 1641. in 24. Item

Tractatus quoſdam Martini Roa noſtri de Cælo, Purgatorio, Inferno, &c. quibus titulum præfigit. *Mirabilia alternis Mundi*, apud Vid. Cnobbaert 1639. in 8.

Thomam à Kempis De Imitatione Chriſti, tranſtulit in linguam Hiſpanicam, apud Cnobbaert 1633. in 24.

Vitam S. Franciſci Xauerij. Antuerpiæ 1648. in 8.

Roſas Virtutum Deiparæ, Hierem Drexelij, Bruxellis 1649. in 8.

Vitam Mariæ de Caruaial. Antuerpiæ 1649. in 8.

Vitam Petri Caniſij. Ibidem 1652. in 8.

Vitam S. P. N. Ignatij, ex Hiſpanico Andreæ Lucæ Ibidem 1654. in 8.

Hiſtoriam Canadenſem. 1651. in 12.

Inſtructionem Chriſtianam Philip. Doutreman. Antuerpiæ 1646.

Curſum Meditationum per annum, collegit. 1648. in 8.

Inſtructionem ad Amorem Dei, Petri Pennequin. Antuerpiæ 1650. in 4.

Deuotionem erga Ieſum. Pauli Barry Ibidem 1648. in 12.

Philagiam Eiuſdem 1649. in 12.

Solitudinem Sanctam. Eiuſdem 1649. in 12.

De Purgatorio. *Iodoci Andries.* 1643. in

in 12. Fecit, & edidit

Libellum de pia temporis diſtributione apud Cnobbaert 1646. in 12.

Eundem è Flandrico Gallicè reddidit, apud Aerſens 1638. in 24.

Vitam Catharinæ Daniels. Antuerpiæ 1647. in 8.

Varios minutos libellos, ſingulis annis in ſtrenam loco imaginum diſtribuendos.

* FRANCISCVS SOAREZ, natione Luſitanus, per illuſtri genere in oppido Turres veteres nuncupato diœceſis Vlyſſiponenſis, Societati nomen dedit anno ſæculi labentis 19. ætatis ſuæ 14. & nuncio remiſſo Maioratui ampliſſimo, ad quem adhuc Tito per mortem fratris ſui vocabatur, votorum quatuor profeſſionem emiſit. Poſt traditas amæniores litteras, Philoſophiam quadriennio explicuit, Theologiam Scholaſticam annis 18. primariæ Cathedræ tam Conimbricæ, quàm Eboræ Moderator, & vtriuſque Iuris Ciuilis, & Canonici peritia excelluit. Poſtea Rector Collegij, & Academiæ Eborenſis conſtitutus, cùm ſe ad vicinam Arcem Ierumeniæ, cum Officialibus Academiæ tempore belli contuliſſet, exorto de repente incendio pulueris tormentarij in vicina Domo, ipſe cum Officialibus, atquè alijs multis magno omnium luctu occubuit, die 19. Ianuarij 1659. Fuit vir omnibus planè numeris abſolutus, clarus genere, litteris eruditus, ad gubernandum natus. Elucebat in eo prudentia ſingularis, Caritas erga omnes, & præſertim infirmos, quos frequentiſſimè inuiſebat patientia, morum affabilitas. Zelus, & ſtudium obſeruantiæ regularis, denique virtutes, ac dotes omnes in magno Superiori requiſitæ. Reliquit præclara ingenij ſui momumenta, quæ ab omnibus magni fiunt

Curſum Philoſophicum in 4. Tomos diſtributum, quorum I. Comprehendit Logicam. II. Phyſicam, de Cœlo, Meteora, & libros de paruis naturalibus. III. De Generatione, & de Anima. IV. Metaphyſicam Conimbricæ typis Pauli CraesbecK 1651. in folio. Recuſum Eboræ 1670.

Paratum reliquit Opus inſigne, & à S. Inquiſitione approbatum

De Pœnitentia, quod breui in lucem expectatur proditurum,

Item Tomum alium

De Cenſuris Eccleſiaſticis, & Bulla Cœnæ, ſimiliter typis euulgandum.

Penè abſoluta reliquit etiam

Commentaria in I. Partem S. Thomæ.

FRANCISCVS SOLERIVS, natione Gallus, patria Lemouicenſis, vbi, & primus Collegij noſtri Rector fuit. Societatem amplexus eſt anno ſalutis 1577. ætatis 19. & Rhetoricam in ea decennio profeſſus eſt. Præfuit Virduni inſtituendis Nouitijs quinquennio; & multis in locis per annos 15. magno operæ pretio concionatus eſt; vir laboris indefeſſi; Obedientiæ, & humilitatis minimè vulgaris, votis quatuor obſtrictus ab anno 1599. Obijt in Collegij Burdegalenſis Reſidentia S. Macarij, die 16. Octobris anno Chriſti 1628. ſuo 70. Religioſæ vitæ 51. Multos ex Latino, Italico, & Hiſpanico libros Gallicè reddidit, nimirum:

Vitam P. Iacobi Laynez Secundi, & Beati Franciſci Borgiæ Tertij Præpoſiti Generalis Societatis Noſtræ à P. Petro Ribadeneira conſcriptam

Eiuſdem Tractatum de Tribulatione.

Iulij Facij De Mortificatione.

Bartholomæi Riccij Inſtitutiones meditandi,

Lucæ Pinelli de Perfectione religioſa lib. 4.

Franciſci Arias De Imitatione Beatiſsimæ Virginis. De Mortificatione, & de Oratione Mentali

Martyrologium Romanum, ſuo nomine omiſſo. Lugduni typis Petri Rigaudt 1620. in 8.

Catechiſmum.

Vincentij Bruni Meditationum volumina tria, redacta in Compendium

Scripſit denique Gallicè de ſuo,

Hiſtoriam Eccleſiaſticam Inſularum Iaponiæ, tomis duobus.

FRANCISCVS DE SOTO natione Hiſpanus, patria Marcenenſis Diœceſis Hiſpalenſis, ab ineunte iuuentute Societatem ingreſſus anno Domini 1584. vota 4. ſolemnia nuncupauit. Poſt quadriennium docendis litteris Humanioribus impenſum, quadraginta circiter annis Concionatorem egit, & totidem Miſſiones obiuit ſpiritu planè Apoſtolico, & fructu animarum inexplicabili. Verba illius erant ignea, opera verò mira ſuauitate condita, promptus ſemper ad ſubueniendum omnibus, præſertim egenis. Semel illi contigit, quod caſto Patriarchæ Ioſepho, qui ſollicitatus ab Hera, ſaluauit ſe fuga relicto pallio; ita Franciſcus noſter aduocatus à quadam ſimulante morbum, vt Confeſſionem exciperet, ſtatim vt ſenſit fraudem, fuga ſibi conſuluit relicto in eius manu, quod illa arripuerat Roſario. Multa egit, & multa paſſus eſt pro ſalute animarum, de quibus contexi poſſet integrum volumen. Supremum morbum contraxit aſſiſtendo ſummà curà infirmo contagioſa febri laboranti, & conſentanea fuit Apoſtolicæ vitæ eiuſcemodi mors, quæ contigit Gadibus die 30. Ianuarij 1634. Edidit Hiſpanicè conciones aliquot nimirùm

In exequijs D. Ioannis Alphonſi de Moſcoſo Epiſcopi Malacitani. Malacæ per Ioannem Rene 1614.

De Venerabili Sacramento Euchariſtiæ. Ibidem eodem anno

In Beatificatione Sanctæ Thereſiæ duas. Ibidem 1614. & 1615.

De Stigmatibus Sancti Franciſci. Hiſpali per Franc. de Lyra 1624.

In Exequijs Henrici Cardinalis de

Guz-

Guzman, Cordubæ per Saluatorem de Cea Teſa 1626.

In fundatione Congregationis Sancti Ioſephi Hiſpali ad educationem Infantium expoſitorum inſtituta. Hiſpali apud Matthiam Clauyo 1627.

In Exequijs P. Iacobi Granadi Societatis Ieſu Gadibus celebratis. Xereſij apud Ferdinan. Rey 1632.

Libellos pios ad promouendam animarum ſalutem, inter quos eſt breuis, ſed vtilis Tractatulus inſcriptus.

Confeſſionarium Generale, & Inſtructio pro examinanda Conſcientia de peccatis totius vitæ. Conchæ per Saluatorem Viader 1623. & Hiſpali ſæpiùs.

FRANCISCVS SPARACINVS natione Siculus, patria Panormitanus ingreſſus in Societatem adoleſcens anno ſæculari 1600. litteras Humaniores in ea docuit, & votorum 4. profeſſionem emiſit. Concionatorem egit annis ampliùs 30. magno ſpiritu, & fructu. Mira vixit pietate in Virginem Deiparam, cuius amore ab infantia flagrauit. Ergo ſiue cum Noſtris, exteriſue differeret, ſiue Sacris Concionibus operam nauaret, adeò in illius laudibus congerendis frequens erat, vt ad Diuinæ Parentis cultum promouendum natus videretur. Omnis eius cura, cogitatio, labor ad Beatæ Virginis gloriam ſpectabat. Hinc illi varia quoque à Deipara inſignia collata beneficia. Erga Auguſtiſſimam Euchariſtiam ſummæ pietatis cultu ferebatur, vt in eius ſumptione mirificè illi ſæpe cor exarſerit; ſeueriſſimus fuit cenſor ſui, ſuorumque dictorum, & factorum, & poſt expletum ſeduló penſum ſaluti proximorum debitum, amantiſſimus receſſus, & arctæ cum Deo per orationem coniunctionis. His alijſque inſtructus virtutibus magno omnium dolore deceſſit. Panormi die 21. Decembris 1649. Ex ſingulari ſenſu pietatis erga Deiparam ſcripſit opus Vaſtum de Illa in ſex partes diſtributum.

Prima Pars *de Gloria Virginis*, complectens excellentiam, & facilitatem, ſeù incrementum, & progreſſum cognitionis ſcientiæ, doctrinæ de Virgine.

II. *De Perſona Virginis*, quæ Diuinam Maternitatem, aliaſque illi annexas poteſtates continet.

III. *De Anima Virginis*, quæ Immaculatam puritatem, cæteraque dona, quæ ex ea promanant complectitur.

IV. *De Corpore Virginis*, cuius attributa, & proprietates naturales, & ſuper naturales profert.

V. *De Tota Virgine*, atque adeò *de Vita, Morte, & Gloria.*

VI. *De Cultu, & pietate totius Eccleſiæ, & Sanctorum in Virginem.* Diuiditur porrò quælibet pars in ſuos libros, atque hi in Tractatus, qui etiam plura ſinguli capita continent.

FRANCISCVS STADIERA natione Italus, patria Bononienſis admiſſus in Societatem anno ſalutis 1591. ætatis 17. votorum quatuor nuncupatione ſe obſtrinxit. Rhetoricam quadriennio profeſſus eſt, reliquam ætatem concionando exegit, quam caritatis trophæo coronauit, confectus lue, quam hauſit dum Noſtris infectis Sacramenta miniſtraret Bononiæ menſe Iulio anni Chriſti 1630. ætatis 57. aditæ Societatis 39. Scripſit Italicè quæ poſthumæ prodierunt

Illuſiones in Vita Spirituali. Bononiæ 1632. & rurſus 1635. per Franciſcum Cattanium in 4. recuſas Romæ 1651. in 8.

FRANCISCVS STANISLAVS PHÆNICIVS, natione Polonus, patria Leopolienſis, cooptatus in Societatem anno ſalutis 1615. ætatis 24. Romæ confecto Theologiæ curriculo, reuertit in patriam, vbi, & litteras humaniores, & moralem Theologiam annis aliquot explicuit, vota quatuor ſolemnia profeſſus, & demum Sendomiriæ mortalem hanc vitam cum immortali commutauit die 3. Iulij 1652. Edidit libellum Latinè hoc titulo

Mariæ Mancipium, ſiue modus tradendi ſe in mancipium Beatiſſimę Virginis Deiparæ multis ante ſęculis vſurpatus, nunc locupletior in lucem datus, Lublini typis Pauli Conradi 1632. in 12. Idem Polonicè eodem anno, & loco excuſus eſt. Poſtea prohibiti ſunt libri omnes de Mancipatione Deuotorum Beatæ Virginis.

Reddidit etiam Polonicè, & tacito ſuo nomine edidit,

Officium Immaculatę Conceptionis B. Mariæ Virginis, &

Officium B. Stanislai Koſtkæ de Societate Ieſu, cum vitę ipſius compendio. Cracouiæ 1632. in 16.

FRANCISCVS SVAREZ, natione Hiſpanus, patria Granatenſis, nobilibus parentibus natus die 5. Ianuarij anno 1548. Prima ætate vixdum exacta, annum agens 17. ætatis, Salmanticæ, vbi tertium iam in Iure diſcendo curriculum agebat, Deo ſe in Societate ſacrauit die 16. Iunij anno 1564. Ioannis Ramerij Concionatoris noſtri ea tempeſtate clariſſimi operà incitatus. Nondum exacto tirocinij biennio, Philoſophiæ curſum inijt; in quo neque condiſcipulis eminere viſus, neque mediocris ingenij limites tranſilire; ipſe ſui pertæſus, pigenſquè profectus exigui, enixè flagitare, vt ſe tandem ab ijs ſtudijs, quibus impar ſentiebat ingenium, ne operam perderet, abdicarent. Verùm Martinus Guterius, ſingularis admodum pietatis vir, qui Collegium Salmanticenſe regebat, eum bono iuſſit eſſe animo, & ſtudia perſequi, eius opera mirificè Eccleſiam Dei illuſtratum, & exornatum iri Societatem. Cui cum acquieuiſſet, ſubita lux oborta ſopitæ menti erupit in flammam, quæ rem poſtea

ſtea Christianam clariſſimis doctrinæ radijs perfudit poſtquam per omnes diſciplinarum humanarum, atque Diuinarum gradus ad culmen Sapientiæ aſcendit. Philoſophicas ſcientias publice docuit Segobiæ; Theologicas Pinciæ, Romæ, Compluti, Salmanticæ, per annos complures doctiſſimè profeſſus eſt, donec Philippi II. Hiſpaniarum Regis accitu primam Cathedram Conimbricæ iuſſus eſt occupare, Academia eum gratiæ loco à Rege poſtulante. Quem locum, quando detrectare non licuit, vt non doctrina ſolùm, ſed conſuetis etiam honorum titulis impleret, Eboræ de via Theologiæ Doctoris inſignia capeſſiuit. Simul verò atque ſe explicare cæpit admirabilis viri eruditio, atque doctrina, & in tanto publici ſplendore plauſus, par morum grauitas, atque facilitas, verborum modeſtia, animi ſubmiſſio, incredibile dictu, eſt, quantum attraxerit omnium animos, quantumquè ſui admiratione defixerit. Omnes fateri, id loci, id honoris, longè infra Suarium eſſe, famà ſui multò maiorem, felicemquè Acedemiam, cui talis, ac tantus Doctor obtigiſſet. Alij perſuadere ſibi infuſam ei diuinitùs Sapientiam eſſe, quem proinde *Communem omnium Magiſtrum* quà publicè, quà priuatim nuncupabant. Conimbricæ annis 20. circiter poſt impenſos totidem alijs in locis Theologicam Spartam docendo exornauit, tam proſpera fama, vt Scriptores huius ætatis florentiſſimi quoties incidit Suarij mentio, nunquam ſine titulo laudis appellent. *Auctorem grauiſſimum, celeberrimumquè Doctorem*, Algarbiorum, & Lamecenſis Antiſtes; *Alterum huius ætatis Auguſtinum*, Conimbricenſis Epiſcopus indigitauit. Paulus V. Pont. Max. datis ad eum quaternis litteris Apoſtolicis *Doctorem eximium* vocat, aliosquè addit honores verborum, vt ſatis appareat quantum illius nomini tribuat, & doctrinæ. Eadem de ipſo Regum, eadem Principum in Hiſpania fuit exiſtimatio, multique Conimbricam iter flectebant, vt *Magnum illum* (ſic aiebant) *Suarez huius ætatis Prodigium*, & *Oraculum* coràm viderent. Fuere, qui *lumen Philoſophiæ, ac Theologiæ*, qui *Theologorum Coryphæum*, & *Anteſignanum*, qui *Huius ſæculi in Scholaſticis Gigantem* dicerent. Nullus certe Auctorum vnquam, quorum quidem opera extant, poſteritatem tam numeroſo voluminum fœtu hactenus locupletauit.

Nec verò minora Suarium, quàm litterarum decorant ornamenta virtutum. Sæpe à multis vocatum in dubium eſt, doctiorne eſſet, an ſanctior. In tanto litterarum, famæque faſtigio adeò ſibi nihil arrogabat, vt ſe infra omnes demitteret, vt ad ſuas laudes oculos pudibundus deprimeret; nullis ſe functionibus quàm culinæ abiectiſſimis aptiorem fateretur. Vitabat hominum congreſſus, ne in ſuas laudes, quod aliter vitare non poterat, impingeret. Et quod fortè in illo ſummæ humilitatis videri poteſt, ſæpe diſcipulos ſuis in rebus conſulebat; libros ijs commentariosquè ſuos recognoſcendos tradere, & ſi quid in ijs cenſura dignum animauerterent, ſumma facilitate mutare ſolitus. Sui contemptor honoris, ſeruantiſſimus erat alieni. Nullius ingenium, famamquè deprimere; immo eos etiam laudibus ſolebat extollere, qui minùs videbantur aliorum opinione laudabiles. Nulla verborum illi inter diſputandum acrimonia, nullus aculeus, nihil, vt falſum, abſurdùmue, quod contra ſe adferretur, damnabat. Tanta in omni actione modeſtia, in omni motu, geſtuquè caſtigatio, vt tamquam philtro quodam, animos ſibi adiungeret audientium, hoc illicio humilitatis; quo vno Ludouicum de Ponte, quem virum! Societati conciliauit. Mira fuit eius in cibo, potuquè abſtinentia, virtutum comes, ac ſapientiæ. Tres per hebdomadam dies ſeuerè inediam tolerabat, quamquam ſi quis eum quotidie ieiunaſſe affirmet, veritatis fines haud prætenibit; nam ſumpto ad meridiem cibo, aut per exiguo, aut nullo, prandium differebat in noctem: id autem cùm largius, ac ſplendidius erat, libræ pondus non exceſſiſſet. Ad hæc ſingulis in ſe diebus immaniter ſæuiebat flagris, æreo filo intextis. Lecto vtebatur ad ſomnum ſolito duriore; quin, & noctes ſæpe ducebat inſomnes, aut abſque linteamine defeſſa membra quieti componebat. Studium orationis frequentiſſimum in eo extitit, & flagrantiſſimum, quod nullus vnquam litterarum, aut aliorum negotiorum tumultus interturbaret; eius vnius horarum omnium in ſuas cuiuſque curas partitionis beneficio, quam ipſe matrem ſpiritus vocabat. Deniquè præter Deum ſuum (ita loquebatur) ſuoſque libros, ſuum præterea agnoſcebat nihil. Ceterùm affirmabat interdum, ſi è duabus altera neceſſitas imponeretur, vel ſolitam ritu Societatis orandi horam, vel quæſitam tot annorum labore Scientiam amittendi, æquiori laturum animo huius, quàm illius iacturam. Addebat ſemihoram mane penſo precationis aliorum, veſpere horam integram: Interdiu ſi quis incidiſſet nodus in ſtudijs, confugium habebat orationis ad Deum pro eius explicatione, quæ ſi eſſet abſtruſior, Deiparam quoque Virginem conſulebat. Fuit cùm altiſſima ſublimium rerum in ſpeculatione defixus, nullo excitantium ſtrepitu ad ſe reuocari poſſet. Fuit cùm duos ab humo cubitos ſublimis ſplendidiſſimos lucis radios à Chriſti pendentis effigie in ſe vibratos, toto vultu, ac pectore exciperet. Pietas in Deiparam ardentiſſimo quodam ſcintillabat affectu, illam in ore, illam in oculis, animoquè ferentis. Diebus illi dedicatis duas ipſas ante ſacrum horas, illius colloquio frui ſolebat, cui vni felices, quos in litteris ſucceſſus habuit referebat acceptos. Primus ipſe de cumulata ſupra omnes ſimul Cœlites reliquos, Deiparæ

gloria,

gloria, hortatu Martini Guterrij viri in eiuſdem Virginis gloriam effuſiſſimi, ſententiam ſparſit in vulgus. Id autem quàm fuerit Virgini Beatiſſimæ acceptum ipſa palàm fecit, dum Martino facta ſpectabilis, gratias illi egit propter operam ſui causâ egregie collocatam. Erga Euchariſtiam Sacroſanctam Religione quoque præcipua fuit. Quotidie vel in prolixis itineribus ſacris operabatur. Negabat aliam ſibi horam in vita pleniorem eſſe ſolatij, & voluptatis; ea quoque ſi carere cogeretur, exareſcere mox animum Diuina dulcedine deſtitutum. Hinc illi puritas animi, quàm toto vitæ tempore tenuit illibatam. Cùm iam grauis ætate receſſum ſpectaret, Vlyſſipone mors illum intercepit, cùm inter Regios Senatores, & Pontificis Legatum gliſcentem de Iure dicendo controuerſiam ſumma felicitate tranquillaſſet: qua de opera in rem Eccleſiæ nauata impigrè Paulus V. Pontifex Maximus proprijs illi litteris gratias egit. Morbo eius vniuerſa Ciuitas viſa eſt ægrotare, adeò mærebant omnes vnius cauſa. Solus ipſe hilaris, atque animi alacer ingeminabat identidem illa verba. *Expectans expectaui Dominum. Quàm dilecta tabernacula tua Domine:* inter quas voces animo collabente defecit, mortuo ſimilis. Paulò pòſt ſibi redditus, ac cœleſti gaudio delibutus. *Non putabam* (inquit) *tàm ſuaue eſſe, tàm dulce mori.* Tandem Sacramentis ſuſceptis vir dignus immortalitate extinguitur in Domo Profeſſa die 25. Septembris anno Chriſti 1617. ætatis ferè 70. Societatis initæ 54. Conditus in capſa honoraria cum plumbea lamina, quæ nomen, ætatem, obituſque diem notabat. Exequiæ frequentiſſima nobilitate, populoque celebratæ; Religioſorum familiæ, vel ſuo illi in templo, vel noſtro parentarunt. Conimbricenſis Academia Doctoris ſui memoriam proſecuta eſt publica luctus ſignificatione; ipſeque Rector mœroris cauſa dies aliquot publica luce carere voluit. Collegium Conimbricenſe Alumno ſuo pariter, ac parenti, cultu quàm potuit maximo ſupremum honorem perſoluit, eumque multa Carminum compoſitione honeſtauit. In vno ex Epitaphijs: *Europæ, atque adeò Orbis Vniuerſi Magiſter*, appellatur, *Ariſtoteles in Naturalibus ſcientijs; Thomas Angelicus in Diuinis; Hieronymus in Scriptione; Ambroſius in Cathedra; Auguſtinus in polemicis, Athanaſius in Fidei explicatione; Bernardus in melliflua pietate; Gregorius in tractatione Bibliorum, ac verbo, Oculus populi Chriſtiani: ſed ſuo ſolius iudicio, Nihil.* Operum Franciſci Suarij ſyllabus eſt, qui deinceps ſequitur.

Tom.I. & II. *Metaphyſicarum Diſputationum* cum indice locupletiſſimo in 12. Libros Metaphyſicorum Ariſtotelis, ſæpiùs recuſi. Venetijs 1610. Coloniæ 1620.

Commentariorum, ac Diſputationum in ſummam Theologiæ Diui Thomæ Aquinatis, cuius primæ Parti reſpondet Tomus Suarij.

III. *De Deo Vno, & Trino.* Moguntiæ typis Birchmannicis Lippij 1607.

IV. *De Angelis Lib. VIII.* Ibidem 1621:

V. *De Opere ſex dierum Lib. V.* & *De Anima Lib. VI.* Lugduni apud Iacobum Cardon, & Petrum Cauellat 1621.

Reſpondet Primæ, Secundæ Tomus

VI. *De vltimo fine hominis, ac Beatitudine.*

De Voluntario, & Inuoluntario.

De Humanorum Actuum bonitate, & malitia.

De Paſſionibus, & Habitibus.

De Vitijs, atque Peccatis. Moguntiæ typis Birchmannicis Hermanni Mereſij anno 1629.

VII. *De Legibus, ac Deo Legislatore, Lib. X.* Antuerpiæ apud Ioannem Keerbergium 1615.

VIII. *Operis de Diuina Gratia tripartiti.* Pars I. Continens 6. *Prologomena, & De neceſſitate Diuinæ gratiæ ad honeſta opera.* lib. 2. Lugduni apud Cardon, & Cancellat anno 1620.

IX. *Operis De Diuina Gratia. Pars III.* Continent *Poſteriores Libros VII. De Habituali Gratia, ſanctificatione Hominis, Merito.* Ibidem eodem anno

X. *Opuſcula Varia Theologica*, nempè.

De Concurſu, motione, & auxilio Dei, Lib. III.

De Scientia Dei futurorum contingentium, Lib. II.

De Auxilio efficaci.

De Libertate Diuinæ voluntatis.

De reuiuiſcentia meritorum.

De Iuſtitia Dei. Moguntiæ apud Lippium 1612.

Reſpondet ſecundæ ſecundæ Tomus

XI. *Opus De Triplici Virtute Theologica, Fide, Spe, Caritate.* Aſchaffenburgi apud Lippium 1622.

XII. *De Virtute, & Statu Religionis, vbi, De natura, & eſſentia Religionis; De Præceptis affirmatiuis; De Vitijs Religioni contrarijs.* Moguntiæ apud Lippium 1609.

XIII. *Et De Religione II.* vbi *De Oratione, Horis Canonicis: De Iuramento, & Iuratione: De Voto.* Ibidem 1610.

XIV. *Et De Religione III.* vbi *De Statu Religionis in genere, ſeu De obligationibus, quæ Religioſum ſtatum conſtituunt, vel ad illum diſponunt.* Moguntiæ apud Mereſium 1625.

XV. *Et De Religione IV.* vbi *De obligatione Religioſorum ex Regula Prælatione, & ſubiectione regulari prouenientibus; De Varietate Religionum tàm in genere, quàm in ſpecie; De Religione Societatis Ieſu in particulari.* Ibidem 1626.

Reſpondet Tertiæ Parti Tomus

XVI. *De Incarnatione Verbi*, qui cùm olim prodiſſet in lucem primus operum omnium Suarij, ab ipſo deinde recognitus, auctus,& locupletatus, itaut meritò nonum opus videri poſſet; editus eſt Moguntiæ à Balthaſare Lyppio 1604.

XVII. *De Myſterijs Vitæ Chriſti, & vtriuſque aduentus illius*, vbi etiam exactè *De B.Virgine. De S.Ioſepho, De Sancto Ioanne Baptiſta*. Ibidem atque anno eodem

XVIII. Qui eſt I. *De Sacramentis*: vbi *De Sacramentis in genere, De Baptiſmo. De Confirmatione: De Eucharistia, & Sacrificio Miſſæ.* Ibidem 1619.

XIX. Qui eſt II. *De Sacramentis, De Virtute Pœnitentiæ; De Clauibus. De Sacramentis Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis. De Purgatorio. De Suffragijs. De Indulgentijs.* Ibidem 1604.

XX. Additus ad tertiam Partem S.Thomæ, *De Cenſuris in Communi, & in Particulari: & De Irregularitate.* Ibidem 1606.

Præter hos Tomos ad S. Thomæ Summam accommodatos, exſtat Tomus

XXI. *Defenſio Fidei Catholicæ, & Apoſtolicæ aduerſus Anglicanæ ſectæ errores: cum reſponſione ad Apologiam pro Iuramento fidelitatis, & Præfationem monitoriam Sereniſſimi Iacobi Magnæ Britanniæ Regis* Coloniæ ex officina Brchmannica 1614. Hoc opus cùm intellexiſſet Suarius fuiſſe ab hoſtibus Fidei in Anglia flammis exuſtum, adeò non ægrè tulit, vt ſancta correptus inuidia profeſſus ſit, nihil ſibi iucundius, nihil optatius accidere potuiſſe, quàm ſi eandem cum libro ſuo fortunam ſubiret

Reliquit præterea Tomum vnum, qui eſt

XXII. *Et de Gratia* II. vbi *de Gratia Actuali, & de Auxilijs* latiſſimè tractat. Prodijt poſtea poſthumus tomus hic Lugduni ſumptibus Philippi Borde, & Sociorum anno 1655. in folio. Quàm autem legitimus ſit partus eximij Doctoris huius, latè tractat noſter Gabriel de Henao in erudito opere de Scientia media hiſtoricè propugnata, euentilatione XIV. num. 389. & ſequentibus.

XXIII. Qui continet *Conſilia, & varias Quæſtiones*

XXIV. *Commentaria in Logicam, alioſque Ariſtotelis libros*

Plura,& præclara, qui cupit de hoc eximio Doctore, videre poterit in ipſius vita, non ita pridem edita in 4. à noſtro Antonio Ignatio Deſcamps, Perpiniani 1671. in illa hic Auctor inter opera Suarij nondum typis impreſſa, enumerat duos libros *Conſiliorum, & Variarum Quæſtionum*; & præterea volumen quod miſit ad Paulum V. Pont. Max.

De Immunitate Eccleſiaſtica; occaſione Controuerſiarum tunc vertentium, inter ſedem Apoſtolicam, & Remp. Venetam, quodque idem Pontifex per Breue quod recitat idem Auctor Par. III. cap. 10. ſignificauit ſibi fuiſſe pergratum, exſtàtque hodie voluminis illius exemplum M.S. in Bibliotheca Eminentiſſimi Cardinalis Franciſci Barberini, quare erunt vniuerſe operum huius Doctoris Tomi XXVI.

* FRANCISCVS TACON, natione Lotharingus diœceſis Tullenſis natus anno à partu Virginis 1569. Deo ſe in Societate mancipauit 1594. & vota publica Coadiutorum ſpiritualium emiſit, litteras humaniores annis aliquot docuit; œconomiæ domeſticæ curam annis 12. negotiorum Prouinciæ annis 20. geſſit, reliquo vitæ tempore operarius ſedulus in Domo Profeſſa Pariſienſi in qua 94. annos natus ad vitam tranſiuit vti ſperare fas eſt, Beatorum die 13. Martij 1663. Edidit Gallicè

Apologiam pro Societate

FRANCISCVS TOLETVS S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, natione Hiſpanus, patria Cordubenſis, vir, fuit doctiſſimus,& cùm alijs, tum verò Philoſophiæ, & Theologiæ litteris ornatiſſimus. Natus eſt IV. Nonas Octobris anno 1532. & in eadem Domo (vti ferunt) qua S. Zoilus Martyr. Philoſophiæ operam nauauit Valentiæ, ibiquè lauream in artibus adeptus Salmanticam ſe contulit, vbi Dominicum Sotum habuit inter cæteros Doctorem, qui Toletum propter ingenij excellentiam, *Prodigium* appellare conſueuerat. Annos natus 23. publicè Philoſophiam ibidem interpretabatur, Magiſtri iam tum inſignibus in Theologia ornatus, tanta opinione doctrinæ, vt paris æui nemo tota in Hiſpania æquè doctus eſſe crederetur. Anno 1558. die 3. Iunij, Sacerdotio iam initiatus, ſæculo nuntium remittens Societati noſtræ Salmanticæ ſe adſcripſit, & mox in Nouitiorum Societatis Domum Simancam commigrauit. Ibi probatus, & ad normam noſtræ Religionis formatus, parem eruditioni, ſanctimoniæ, & virtutum famam comparauit. Nondum elapſo ab admiſſione bimeſtri ſpatio die 17. Iulij, emiſſis Simancæ pro ſua deuotione, ſeu ſpontanea pietate, tribus votis ſimplicibus Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ, ex formula quæ adhuc in Caſtellanæ Prouinciæ tabulario conſeruatur, totum ſe Deo in holocauſtum conſecrauit. Exinde Romam à S. Franciſco Borgia miſſus inſequente anno, Tirocinij ſpatijs ex beneficio præter morem contractis, in Collegio Romano, primum quidem Artium curſum, (vt vocant) ſiue Ariſtotelicam Doctrinam, deinde Diui Thomæ Theologiam, tum varias, & implexas de moribus Quæſtiones per multos annos magna ſapientiæ opinione explicauit. Poſtremò à Pio V. Pont. Max. anno ſalutis 1569. accerſitus eſt, vt in Sacro Palatio Concionatoris munus obiret, quod tanta cum laude præſtitit; vt per totos 24. annos apud Pium ipſum V. Gregorium XIII.

Sixtum

Sixtum V. reliquoſquè ſuccedentes Pontifices, maximo Cardinalium, Prælatorum, Oratorum, & Clariſſimorum Virorum concurſu verba fecerit, & auditorum animos in admirationem adduxerit; non tam verborum elegantia, quam ſententiarum grauitate, reconditæ doctrinæ excellentia, ordinis diſpoſitione, ingenij perſpicuitate, & magnitudine. Quo etiam tempore Pœnitentiariæ, (ſic enim vocant) ſiue caſuum Conſcientiæ Prætorij, & S. Inquiſitionis Conſiliarius fuit. In Poloniam, & in Germaniam tum Superiorem, tum Inferiorem miſſus à Sede Apoſtolica eſt, propter cauſas publicas Eccleſiaſticas, quas omnes feliciter tranſegit. Demum anno ſalutis 1593. die 17. Septembris magno mærore Societatis extimeſcentis, ne alijs hoc exemplo aliqua ad ambitionem feneſtra aperiretur, à Clemente VIII. Pont. Max. in Sacrum S. R. E. Cardinalium Collegium eſt cooptatus. Et cùm ille contrà opponeret, ſe voto Religionis teneri ad non admittendam Dignitatem villam extra Societatem, niſi ex obedientia id ſibi præcipiatur, Pontifex examinata diligenter voti formula, præceptum impoſuit, cui ille religioſè obtemperauit. Eo in gradu ad ſummum gratiæ faſtigium apud Pontificem euectus, triennium tantummodo ſuperuixit. Imò nondum elapſo à promotione anno integro, nimirum die 9. Septembris, 1694. faſtidio habens res omnes caducas, atque adeò ipſam Purpuram, quâ fulgebat, oblato libello ſupplice ſua manu conſcripto, infimis precibus à Clemente ſupplex petijt, vt ſibi liceret Dignitatem Cardinalitiam abdicare, & in ſolitudinem ſe recipere, vbi exiguo illo, quod ei ſupererat vitæ ſpatio commodiùs vacaret ſibi, ac Deo. Sed Pontifex re maturè per triduum perpenſa, ac Deo precibus multùm commendata, demum accerſito ad ſe Cardinali Dei nomine imperauit, vt ampliùs de nuntio remittendo Dignitati impoſitæ nullatenus cogitaret. Conſtant hæc omnia ex autographo ipſius Toleti, quod in Pinacotheca Societatis Romæ aſſeruatur. Quocirca progredi compulſus in eo vitæ curriculo grauiſſimorum negotiorum curis à Pontifice ſemper occupatus fuit. Rebus ad S. Inquiſitionem, ad Germaniam, ad Hungariam pertinentibus interfuit. De Gallicis in Conſilium adhibitus, cum de Henrici IV. Regis in Eccleſiam regreſſu diſputaretur, ea integritate ſententiam dixit, vt Religioni, Chriſtianæ Reipublicæ, & Apoſtolicæ Sedi magis, quàm Regi Galliæ fauere cognoſceretur; ea libertate, vt Hiſpano nomini nuncium remiſiſſe videretur. Eo certè facto tam eſt egregiè de ipſa Gallia vniuerſa promeritus, vt publicè mortuo parentandum Henricus Rex duxerit in æde principe Pariſijs magnificentia planè baſilica. In tam excelſo mortalium rerum gradu conſtitutus Franciſcus, fortunam variauit non mores. Pauper erat inter diuitias, ſobrius inter delicias, pulmentis, leguminibuſque vitam, vti conſueuerat priùs, tolerabat. Sabbato pane, & aqua vitam ſuam definiebat, & è Vaticano ad ædem Deiparæ in Exquilijs longo itinere pedes ibat, quæcumque tempeſtas incidiſſet, ibique Sacrum faciebat, vt aliquo tandem cultu cœli Reginam (cuius ſemper fuit ſtudioſiſſimus) proſequeretur. Quotannis 40. dies, qui Aſſumptæ Virginis memoriam præcurrunt continuatis ieiunijs, idquè, vel in vltima iam ætate tranſegit: Eandem Virginem moriens facultatum ſuarum ſcripſit hæredem, inſtitutis Sacerdotijs, & annuo cenſu firmatis, vt eius honori quotidie in Liberiana Baſilica Deo ſacrificarent. Mortis imminentis accepto indicio, continuò ſe comparauit ad vitam. Accerſita mox Eccleſiæ Sacramenta magna pietate, cultuque ſuſcepit, & magno animi ſenſu modo Deum, modò Dei Matrem ad extremum vſquè ſpiritum ſuauiſſimè *allocutus*, obdormiuit in Domino Romæ die 14. Septembris anno ſalutis 1596. Bibliothecam ſuam Romano Societatis Collegio legauit. Corpus ex eius voluntate in æde S. Mariæ Maioris, quæ illum eximijs beneficijs ſub exceſſum proſecuta fuiſſe creditur, depoſitum, & magnifico ſepulchro conditum fuit, cui hæc eſt inſcripta Epigraphe.

D. O. M.
Franciſco Toleto Cordubenſi S.R.E. Presb.
Card.
Summo Theologo Verbi Dei Prædicatori
Eximio
In rebus magnis agendis conſilio, & prudentia
ſingulari.
Qui ob excellentem virtutem, & merita
præclaro Clementis VIII.
Pont. Max. iudicio, primus in Societatem Ieſu
ampliſſimam Dignitatem intulit.
Vixit annos LXIII. menſes XI. dies X.
Obijt anno MDXCVI. die XIV. Septembris
S. Dei Genitrice hærede inſtituta, Presbyteris
qui ad eius altare
Miſſas celebrent cenſum perpetuum attribui
iuſſit.
Benedictus Iuſtinianus, & Petrus
Aldobrandinus Cardd.
Executores teſtamentarij Collegæ optimo, &
Capitulum & Canonici huius Baſilicæ Viro
ampliſſimo
& optimè de ſe merito poſuerunt.

Quæ autem fuerit ſummorum virorum de Toleto exiſtimatio, operæ pretium reor verbis ipſorum repræſentare. Sixtus V. Chriſti Vicarius in litteris ad ipſum datis; *Spectata tua*, inquit, *in nos, & Apoſtolicam Sedem merita ab eminenti doctrina profecta, qua in verbo Dei Romanis Pontificibus, in ſpiritu, & veritate, ſumma cum eloquentia prædicando, incredibili omnium Theologorum admiratione, &*

Prædeceſſorum noſtrorum, ac noſtra, totiuſque S.R.E. Cardinalium Collegij approbatione præcelſis &c. Gregorius XIII. proprio reſcripto, ſic illum alloquitur. *Tanta eſt doctrina, prudentia, fides, & diligentia tua, quæ grauiſſimis in muneribus longo, & intimo vſu nobis cognitæ ſunt, ac perſpectæ, vt tua ſcripta, ſicut cæterorum, aliorum iudicio, & examini ſubijci, æquum non ſit. Itaque Commentaria illa tua in D. Ioannem ſine alterius cuiuſquam approbatione, aut licentia quandocumque tibi videbitur, in lucem edendi, plenam, ac liberam tibi damus facultatem.* Cardinalis de Ioyoſa. *Bene ſperandum eſſe, dicebat, de rebus Eccleſiæ, ſi conferantur primariæ dignitates hominibus pari cum Toleto doctrina & ſanctimonia præditis.* Martinus Nauarrus eum vocat, *Excellentem ſacræ paginæ Doctorem, & acerrimum Gymnaſiam, Eccleſiaſten cum primis Vrbis, & Orbis ſuſpiciendum, Societatis Ieſu ſingulare ornamentum.* Stanisiaus Reſcius. *Virum Virtutis, & ſapientiæ laude celeberrimum.* Andræas Eudæmonioannes *eius eruditionem ingenium, ſolertiam, ait, Orbem Terrarum ſemper miraturum.* Andreas Victorellus hæc de illo inter multa alia ſcribit. *Veneror Cardinalis Toleti nomen, admiror in Diuina, humanaque Philoſophia, atque in Sacrarum litterarum libris præſtantiſſimum explicandis viri ingenium, præſtantiſſimam eruditionem. Admiror aureum, ſacrumque quale veterum Sanctorum Patrum, in Concionibus Eloquentiæ flumen, ſingularem in rebus agendis prudentiam, incorruptiſſimos bene inſtitutæ vitæ mores, Cardinalis optimè de Catholica fide, & Religione meriti.* Ferdinandus Vghellus *Virum*, appellat, *ad Chriſtianæ Reip. beneficium natum, propter religioſiſſimæ vitæ exemplum prudentiam, ſummamque doctrinam longiori vita dignum.* Hæc pluribus omiſſis ſufficiant. Scripſit Franciſcus Toletus antequam eſſet Cardinalis

Introductionem ad Logicam.

Commentaria cum Quæſtionibus in Vniuerſam Ariſtotelis Logicam.

Libros VIII. de Phyſica auſcultatione.

Libros II. de Generatione, & Corruptione

Libros III. de Anima: quæ omnia iam inde vſque ab anno 1574. impreſſa multis ſæpe locis recuſa ſunt.

Commentarios cum annotationibus in Sacroſanctum Ioannis Euangelium. Romæ apud Iacobum Tornerium 1588. ac deinceps Lugduni anno inſequente, Coloniæ 1599. & 1611. Atque hæc quidem ingenij ſui monumenta viuens edidit, & in omnium manibus ſunt. Alios item reliquit, qui poſthumi prodierunt

Commentarios in 12. Capita Sacroſancti Ieſu Chriſti D.N. Euangelij ſecundum Lucam, Venetijs 1601. & Coloniæ apud Antonium Boetzerum 1611.

In Epiſtolam B. Pauli Apoſtoli ad Romanos quibus acceſſerunt

Sermones 15. in Pſalmum 31. Et

Tractatus duos in eiuſdem Epiſtolæ 11. loca. Romæ, Lugduni, Venetijs apud Meiettum 1602. & Coloniæ apud Baltaſarem Lippium 1603.

Summam Caſuum Conſcientiæ, ſiue *Inſtructionem Sacerdotum* in Libros VIII. diſtinctam: quæ ſæpius recuſa, demum *annotationibus, & additionibus* Andreæ Victorelli, & Martini Fornarij, *Tractatu de ordine* aucta, multiſque modis correctior prodijt Lugduni per Iacobum Cardon 1630. in 8.

Atque hæc poſt eius obitum exierunt ad lucem. Reliquit præterea

Concionum tomos aliquot, ſed impolitos, & quibus extrema deſit manus.

Commentarios in vniuerſam ſummam Theologiæ D. Thomæ, qui in Romani Collegij Bibliotheca aſſeruantur.

FRANCISCVS TVRRIANVS, ſeu TORRES natione Hiſpanus, de Herrera, Palentinæ diœceſis, ita enim ipſe ſcripſit nomen ſuum in libro Nouitiorum Romæ, doctiſſimi illius Bartholomæi Torres Epiſcopi Canarienſis nepos, & ab illo Sacris litteris Salmanticæ eruditus, vir fuit omni diſciplinarum genere excellens; Philoſophus, & Theologus eximius, Græcæ linguæ peritia, atque exquiſitarum, & reconditarum litterarum cognitione cum paucis conferendus: curioſus antiquitatis indagator; diligentiſſimus in Bibliothecis latentium, & cum tineis, blattiſque luctantium voluminum SS. Patrum, atque acerrimus inueſtigator. Itaque celeberrimas totius Italiæ, & maximè inſignes Bibliothecas pene omnes peruolutauerat, excuſſerat, & quaſi helluo librorum deuorarat, præcipuè vulgò Græcorum, & vulgò ignotorum Auctorum. Cùm autem non vulgaris doctrinæ opinione floreret, ac plurimos editis libris in ſui adminiſtrationem commouiſſet, & ſuam in Concilio Tridentino miſſus à Summo Pontifice cum reliquis Theologis ſententiam dixiſſet, præcipitata ætate, ac ſenio pene confectus, ceruicem ſuaui Domini iugo Romæ ſubiecit anno ſalutis 1566. ipſo natalitio Domini, ac Redemptoris noſtri die, & Veteranus iam, atque emeritus miles nouam Tiro militiam ſuſcepit, & cum Nouitijs noſtræ Societatis Chriſti vexillum ſequi conſtituit; quod & fecit ſingulari humilitatis, modeſtiæ, atque obedientiæ exemplo, vſque ad annum ſalutis 1584. quo cùm ad extremam peruenisſet ætatem, Romæ ſcribens, ſanctè mortuus eſt ipſo Beatiſſimæ Virginis Mariæ Præſentationis die 21. Nouembris, idque non ſine aliqua ipſius Virginis in Franciſcum Turrianum beneuolentiæ ſignificatione. Nam cum Pius V. Pont. Max. ex Breuiario Feſtum *Præſentationis* tanquam minus antiquum expunxiſſet, Turrianus noſter ex recondito illo ſuo Antiquitatis penu, vetuſtiſſimos Auctores, & Græcos, & Latinos deprompſit, eorumque teſtimo-

ſtimonijs probauit Feſtum Præſentationis diem veteribus, atque Sanctiſſimis Patribus, & olim cognitum, & laudibus celebratum fuiſſe. Itaque exquiſita eruditione, induſtria, diligentia, & maxima in B. Virginem deuotione perfecit, vt feſtus dies iam abolitus in vſum reuocaretur, atque Eccleſiæ Catholicæ reſtitueretur: quam eius pietatem Sanctiſsima Virgo gratam habuit, & (vt par eſt credere) in ipſomet feſto die, quem ipſe tanto conatu defenderat, vt ad feliciorem vitam commigraret impetrauit ſuis precibus. Non grauabor aliquot Scriptorum adferre de Turriani doctrina ſententias, vt palam ſit quanta fuerit apud omnes exiſtimatione. *Cæſar Cardinalis Baronius* in Not. ad Martyr. Roman. 26. Ianuarij Doctiſſimum pariter, ac religioſiſſimum appellat. *Stanislaus Card. Hoſius* paſſim eius doctrinam, & eruditionem magna ſemper exaggeratione deprædicat, oſtenditque ſe cum illo gratiſſimam, & ſuauiſſimam habere familiaritatem, vnde & Epiſtola 77. plena humanitatis, & ſinceriſſimæ beneuolentiæ vrget illum vehementiùs ad edendas lucubrationes ſuas, quas premebat. *Vvilhelmus Lindanus Gandenſis Epiſcopus* in Annot. ad Miſſam Apoſtol. ſeu S. Petri, Doctiſſimus inquit vir Franciſcus Torrenſis, poſtea Turrianus dictus, noſter verus amicus, erat non ſolum Græcis antiquiſſimis, & ijs rariſſimis inſtructus, ſed doctiſſimus ſimul, & candidiſſimus, rerum ſibi notarum citra inuidiam communicator. *Martinus Nauarrus* in propug. Apol. libri ſui de Redit. Eccleſ. num. 4. vocat Eruditiſſimum Doctorem, Scriptorem diligentiſſimum, & iudicio emunctiſſimo, Illuſtriſſimæ Societatis Ieſu inſigne ornamentum. *Boëtius Epo* lib. 2. de Iure ſacro num. 52. appellat, Virum incomparabilis doctrinæ, ſingularis pietatis, feruentiſſimi zeli. *Ioannes Capetius* lib. de perpet. Caſtit. Sacerd. cap. 25. & 29. Virum admirandæ eruditionis, lecturæ inſatiabilis, Antiquitatum exactum examinatorem, quem vt meretur, ſumma veneratione proſequi velit. *Ioannes Craſſelius* in ſuis Elogijs Part. 2. Doctorem excellentiſſimum virum cùm eloquentia tum multarum rerum peritia, & mirabili ingenij flumine præſtantiſſimum, Philoſophum inſignem, Theologum ſacrarum legum exercitatiſſimum, Fidei defenſorem, & Propagatorem acerrimum Græco, atque Latino ſermone ad perfectum inſtructum. *Ludouicus Richeomus* in pictura ſpirit. l. 1. tab. 4 ſect. 4. Magnum Doctorem Eccleſiæ Dei. Hæc pauca de multis. Scripſit Turrianus antequam admiſſus eſſet ad Societatem libros pereruditos, ex quibus ſunt,

Dogmaticus de Electione Diuina, &

Dogmaticus de Iuſtificatione. Romæ apud Antonium Bladium 1551.

De Reſidentia Paſtorum, num ex ſcripto Diuino Iure fuerit ſancita. Florentiæ apud Laurentium Torrentinum 1551. In qua quæſtione, cùm in alteram partem Tridentina Synodus inclinaſſet, ipſe ſententiam mutauit.

De Summi Pontificis ſupra Concilium auctoritate. lib. III. Ibidem 1559.

De Actis Nicenæ, ſeu Sextæ Synodi, deque Canonibus, qui eiuſdem Synodi eſſe feruntur: & de Septima, ac multiplici Octaua Synodo. Ibidem atque anno eodem

De Dogmatibus Characteribus verbi Dei. lib. IV. Ibidem 1561.

De Commendatione perpetuæ adminiſtrationis Eccleſiarum vacantium, & Reſidentia Paſtorum extra Ouilia ſua. Venetijs apud Iordanum Zilettum 1562.

Opuſcula item varia

De Votis Monaſticis Lib. I.

De inuiolabili Religione votorum Monaſticorum. Lib. II. Romæ 1561.

De Cælibatu

De Matrimonijs clandeſtinis, Venetijs apud Zilettum 1563.

Cum verò paulò poſt Tridentina Synodus de clandeſtinis Matrimonijs ſtatuiſſet, eius decreto mox adhæſit. Et hæc quidem ante ingreſſum in Societatem. Poſt ingreſſum verò ſcripſit

Apologeticum pro libro de Reſidentia Paſtorum.

Librum de ſola Lectione legis, & Prophetarum Iudæis permittenda.

De Hierarchicis Ordinationibus Miniſtrorum Eccleſiæ Catholicæ aduerſus Schiſmaticas vocationes Miniſtrorum, & ſuperintendentium Hæreticorum Lib. II. Dilingæ apud Sebaldum 1569.

Aduerſus Magdeburgenſes Centuriatores, pro Canonibus Apoſtolorum, & pro Epiſtolis decretalibus Pontificum Apoſtolicorum Lib. V. Florentiæ apud Bartholomæum Sermartellium 1572. & Coloniæ apud Geruinum Calenium 1575.

Aduerſus capita Diſputationis Lipſicæ Andreæ Freyhub, de Eccleſia, & de ordinationibus Miniſtrorum Eccleſiæ Lib. II. Coloniæ apud Calenium 1574. in 4.

Aduerſus capita Diſputationis poſterioris Andreæ Freybubij Doctoris Academiæ Lipſienſis, de Eccleſia, & Ordinationibus Miniſtrorum Eccleſiæ. Coloniæ apud Ludouicum Alectorium 1478. in 8.

S. Diadochi Epiſcopi Photices in vetere Epiro Illyrici Capita C. de Perfectione Spirituali, &

S. Nili Capita CL. de Oratione ad Deum, ab Turriano in Latinum translata. Florentiæ apud Barthol. Sermartellium 1573. & Antuerpiæ ex Officina Plantini 1575.

De Sanctiſſima Euchariſtia, Tractatus duos contra Andream Volanum Polonum Caluini diſcipulum, & contra omnes Metonymicos. Pariſijs apud Sebaſt. Niuellium 1577.

Apo-

Apologeticum contra Boquinum Biturigem Sectæ Zuinglianæ, Nominis Societatis Ieſu Calumniatorem. Coloniæ apud Ludouicum Alectorium. 1578. in 8.

Apoſtolicarum Inſtitutionum de Catholica Doctrina Clementis Romani Lib. VIII. adiunctis ad finem 85. *Canonibus Apoſtolorum*, ipſomet Franciſco Turriano interprete è Græco cum *eiuſdem Scholijs, & obſeruationibus*, ad confirmanda Dogmata Orthodoxa contra Hæreticos Antuerpiæ apud Plantinum 1578.

Idem Opus Græce quoque edidit, additis itidem *Græcè ſuis Scholijs, Prologomenis, & explanationibus Apologeticis*. Venetijs typis Iordani Ziletti 1563. in 4.

Canones Concilij Nicæni LXXX. ex Arabicis in Latinum conuerſos, & recognitos *cum admonitionibus*. adiecta ſunt.

Nicolai I. reſponſa ad conſulta Bulgarorum. Antuerpiæ typis Plantini 1578.

Ioannis Sapientis cognomento Cypariſſioti Expoſitionem, materiam eorum, quæ de Deo à Theologis dicuntur in X. Decades partitam, è Græco interpretatam *cum ſuis Scholijs*. Romæ typis Dominici Baſæ 1581. in 4.

Defenſionem locorum ſacræ Scripturæ, de Eccleſia Catholica, & eius Paſtore Epiſcopo Romano, B. Petri Principis Apoſtolorum ſucceſſore aduerſus nugatorias cauillationes Antonij Sadeelis Lutherani Lib. I. Coloniæ typis Arnoldi Birchmanni 1580. in 4.

Eiuſdem Defenſionis Lib. II. Ibidem eodem anno.

Librum III. bipartitum contra Epiſtolam Antonij Sadeelis. Ingolſtadij apud Sartorium 1581.

Poſterioris defenſionis locorum Scripturæ, de vna Eccleſia Catholica in Terris viſibili, & de Epiſcopo eius Pontifice Romano, contra ſecundas Cauillationes Sadeelis Lib. I. & II. Ingolſtadij typis Vvolfangi Ederi 1583. in 4.

Aduerſus tertias in librum bipartitum cauillationes Sadeelis. Ingolſtadij typis Sartorij 1584. in 4.

Epiſtolam ad Gonzalum Herraum Epiſcopum Laodicenſem, De Redditibus Eccleſiaſticis, & ratione eis vtendi, datam Romæ 20. Aprilis 1574.

Epiſtolam De Definitione propria peccati Originalis ex Dionyſio Areopagita, & De Conceptione Virginis, & Matris Dei ſine peccato, ex Scriptura Angelicæ Salutationis, & Teſtimonijs Antiquorum Patrum. Ingolſtadij apud Dauidem Sartorium 1581. in 4.

Epiſtolam ad quemdam in Germania Theologum contra Vbiquiſtas Arianiſtas. Ibidem 1583. in 4.

Reſponſionem Apologeticam ad capita argumentorum Petri Pauli Vergerij Hæretici, ex Libello eius inſcripto, De Idolo Lauretano, *pro Sancta Domo Lauretana*. Ibidem 1584. in 4.

Epiſtolam prolixam, & luculentam ad Staniſlaum Cardinalem Hoſium, qua Societatem tuetur, cur admiſerit in Polonia Concionatores aliquos, eoſque in Italiam vocarit. Exſtat inter Epiſtolas Hoſij 175.

Photij Archiepiſcopi Conſtantinopolitani librum De Voluntatibus in Chriſto, quæ dicuntur Gnomicæ, vertit ex Græco in Latinum. Exſtat autem in tomo ſingulari inſignium Auctorum Petri Streuartij. Item vertit

Theodori Abucaræ Epiſcopi Cariæ opuſcula contra Hæreticos, Iudæos, & Saracenos. Exſtant tum ſeorſim à Iacobo Grethſero edita. Tum etiam Tomo 9. Parte II. Bibliothecæ magnæ Patrum.

Baſilij Seleuciæ Epiſcopi Demonſtrationem, aduerſos Iudæos de Chriſti aduentu. Extat tom. 3. Bibliothecæ Patrum.

Sancti Maximi Martyris Diſputationem aduerſus Pyrrhum Archiepiſcopum Conſtantinopolitanum Monothelitam. Exſtat Tomo 7. Bibliothecæ, & Tomo 8. Annalium Cardinalis Baronij.

Sancti Maximi Confeſſoris contra Monothelitas, & Acephalos opuſcula 13. Ingolſtadij apud Andream Angermarium 1605. in 8.

Aliquot præterea Græcorum lucubrationes latinè reddidit, quas partim in Annales ſuos Baronius, partim in antiquas lectiones Henricus Caniſius I.C. retulit. Inter eas ſunt

Leontij Byzantini Libri tres contra Eutichianos, & Neſtorianos, & eiuſdem Leontij, ſolutiones argumentationum Seueri, & Dubitationes Hypotheticæ, in tomo 4. antiq. lect. Henr. Caniſij Ingolſtadij 1603. in 4.

Sancti Ioannis Damaſceni Libri contra Acephalos, ſeu Monothelitas, & contra Neſtorianos. Eodem tomo 4.

Sancti Nicephori Patriarchæ Conſtantinopolitani contra Iconomachos opuſcula 4. Ibidem.

Theodori Hagiapolitani Diſputationes 3. *De Nomine Dei, De Deo, Deitate &c.* Ibidem.

Theodori Presbyteri Rhaithenſis Præparatio, De Incarnatione Diuina. Tomo I. Bibliothecæ Græco-Latinè

Serapionis Epiſcopi Tmueos aduerſus Manichæos. Bibliothecæ tomo IV. & in lectionibus antiquis Caniſij.

Anaſtaſij Abbatis contra Iudæos Liber. Tom. III. Bibliothecæ

Dionyſij Archiepiſcopi Alexandrini Epiſtolam aduerſus Paulum Samoſatenſem Epiſcopum Antiochiæ, Romæ typis Vaticanis 1608. in 8.

Zachariæ Epiſcopi Mitylenenſis Diſputatio contra Manichæos, apud Caniſium Tomo 5. Antiquarum lect. & Tom. 6. Bibliothecæ Patrum. Coloniæ.

Titi Boſtreni Epiſcopi Libri tres contra Manichæos, eodem tomo 5. Caniſij. Præter hos tranſtulit etiam alios, qui M.S. varijs in locis ſeruantur. Occupauit illum demum mors verſantem in adornanda

Hoplotheca, quæ vltimam eius manum non habuit, eam tamen allegat noſter Gabriel Vaſ-

Vaſquez 3.p.tom.1.d.16.c.4.nu.24. ſic & ſcripſiſſe illum

Commentarios in Pſalmos, ſed qui interciderint auctor eſt Syluester Maurolycus Libro 5. Oceani Relig.

Optandum certè maximè aliquem exiſtere Typographum diligentem, qui omnia Turriani opera ordine in Claſſes diſtributa, tomo vno, & altero; bono Eccleſiæ ſimul euulgaret. Ea quomodo in Tomos 4. aptè diſtribui poſſint, exhibet A.S. Auctor Bibliothecæ Hiſpanicæ Tomo II. qui videri poteſt.

FRANCISCVS VAEZ natione Hiſpanus, patria Segouienſis iuuenis in Societatem venit, cùm Iuri Canonico Salmanticæ operam daret anno ſalutis 1566. ætatis ſuæ 22. ſingulari pietate, ac modeſtia, iam tum ſpectandus, & in Iure Baccalaureus. Miſſus dein in Prouinciam Mexicanam, Noſtris non ſemel præfuit Rector, Præpoſitus, Prouincialis. Regebat autem ſuos paterna benignitate, ſeueritate maturâ mixtâ, vt nec diſſoluerentur, nec animis caderent, ſic fiebat, vt ab omnibus amaretur impensè. Magna charitate neceſſitatibus omnium, ſed infirmorum imprimis occurrebat, quibus ſua ſæpè manu medicamenta applicabat. Humilitatis ſtudio viliſſima quæque ſectabatur, & cum tenuiſſimis mortalium verſabatur auidè, quamuis gereret Magiſtratum. Vilia in cultu vitæ, veſtituque adhibebat. Humana, fluxaque omnia mirè deſpiciebat ſemper intentus in Diuina, ſupernorum addictus contemplationi, ex quorum conſideratione liquidas capiebat voluptates; Corpus è contrario cilicijs, vel in extrema ægrotatione ſeuerè mulctabat. Cum priuatis litteris intellexiſſet demandatam ſibi rurſum Prouinciæ curam, re diſſimulatâ paſſus eſt eligi ſe in Procuratorem, qui nauigaret in Vrbem, priùs quam legitimis nuncijs ea deſignatio perferretur, vt honorem illum declinaret; Mortem ſuam præſciuiſſe, neſcio quibus indicijs viſus eſt, obijt Mexici die 14. Iulij anno Chriſti 1619. vitæ ſuæ 66. Societatis initæ 53. Scripſit

Annuas litteras è Philippinis anni 1600.

* FRANCISCVS VALENTE natione Luſitanus, patria Vlyſſiponenſis adſcitus in Societatem anno ſæculi præteriti 94. ætatis 15. vota 4. profeſſus eſt prætereuntis 14. ſexennium litteras humaniores docuit, quadriennium Philoſophiam; quinquennium Theologiam, & totidem annis Romæ Cenſorem egit, ſeu Reuiſorem librorum à Societate edendorum. Rexit Collegia Angrenſe, Bracharenſe, & ſecundùm Domum Profeſſam Vlyſſiponenſem, ex qua octogenario maior euocatus eſt ad ſtipendia meritorum die 23. Nouembris 1662. Fuit vir zelo magno præditus obſeruantiæ regularis, & Inſtituti Societatis egregiè peritus. Edidit

Concordiam Iuris Pontificij cum Cæſareo, & cum Theologica ratione. Pariſijs typis Sebaſt. Cramoiſy 1654. in folio.

* FRANCISCVS VANDER VEKEN, SEV FRANCISCVS VEKENVS, natione Belga patria Antuerpienſis, natus anno ſæculi præterlapſi 96. Societati ſe applicuit labentis 13. & vota 4. ſolemni ritu concepit. Docuit in ea humaniores litteras, & Philoſophiam, tum Theologiæ admotus, eam ſpatio 30. annorum explicuit Coloniæ, partim Domi, partim In ſcholis Vniuerſitatis magna commendatione doctrinæ. Peracceptus fuit Alexandro VII. Pont. Max. cui dum Nuntij Apoſtolici munere Coloniæ fungeretur, innotuerant Franciſci eruditio, & dotes, ideòque euectus ille poſteà ad Summi Pontificatus culmen, Romam ipſum euocauit, & Sacræ Pœnitentiariæ Theologum eſſe iuſſit. Vir fuit apprimè religioſus, & cùm magna gratia valeret apud Summum Pontificem Alexandrum, nihil tamen ex aula deriuauit in ſuum commodum. Demùm ibidem in ſenectute bona ſupremis Eccleſiæ myſterijs ritè communitus religioſe conquieuit die penultimo Aprilis 1664. in Domo Profeſſa Romana. Edidit

De Deo Vno, & Trino, & Attributis. Antuerpiæ apud Balthazarem Moretum 1655. in folio.

De ſimplicitate, & libertate Diuina. Coloniæ apud Ioannem Kinchium 1648. in 4.

In Canonem Sacrificij Miſſæ expoſitionem breuem, Coloniæ apud eundem 1644. in 12. quam poſtea in linguam Italicam tranſtulit Illuſtriſſimus Archiepiſcopus Coſentinus Nuntius Apoſtolicus Coloniæ, impreſſitque Romæ Ioannes Caſonus 1665. in 16.

Actus ſex primarum virtutum, & Paraphraſim Cantici trium puerorum poſt miſſam. Coloniæ 1643. in 22.

In Orationem piiſſimam Anima Chriſti, & Pſalmum Miſerere. Ibidem apud eundem 1643. in 12.

In Initium Sancti Euangelij ſecundum Ioannem. Ibidem, & ijſdem typis 1649. in 12.

FRANCISCVS VAVASSEVR natione Gallus, patria Parædinenſis, Diœceſeos Auguſtanæ, natus anno ſæculi voluentis quinto, in Societatem ſe recepit 1621. & vota 4. ſolemnia nuncupauit. Rhetoricam, & amæniores diſciplinas ſeptennio profeſſus eſt, Sacram verò ſcripturam iam in trigeſimum ſecundum annum interpretatur Pariſijs in Collegio Claromontano. Edidit Poëmata, & Orationes varias

Iobum. Carmine Heroico. Pariſijs apud Ioannem Camuſat 1638. in 12. recuſum Francofurti 1654. in 4.

Theurgicon, ſiue de Miraculis Chriſti, Libros IV. Pariſijs apud Viduam Ioannis Camuſat 1644. in 4. Item Francofurti 1654.

Elegiarum Librum, Pariſijs typis Cramoyſya-

moyſyanis 1656. in 4.

Epicorum librum. Ibidem, & iiſdem typis 1661. in 4.

Epigrammaton libros tres. Ibidem apud Edmundum Martinum 1669. in 8.

Orationum volumen primum. Pariſijs apud Sebaſt. Cramoiſy 1646. in 8.

Orationum volumen ſecundum. Ibidem iiſdem typis 1662. in 8.

Drudrica dictione ex veterum ſcriptis, iiſdem typis 1658. in 4.

De forma Chriſti diſſertationem. Ibidem 1649. in 8.

Cornelium Ianſenium Iprenſem ſuſpectum. Ibidem 1650. in 8.

De libello ſuppoſititio diſſertationem. Ibidem 1653. in 8.

Epiſtolam ad Amicum de Ianſeniſmo, Gallicè ibidem 1661. in 4.

Epiſtolam ad Delphinum. Ibidem 1662. in 4.

* FRANCISCVS VERCIVLLVS, natione Italus, Vibini Vrbe Apuliæ, quæ vulgo Bouinum dicitur, natus anno ſalutis 1609. Societati nomen dedit 1630. & votorum quatuor ſolemne Sacramentum dixit. Quadriennio Humaniores litteras profeſſus eſt; Philoſophiam, & Theologiam Scholaſticam, & Moralem Senis, Firmi, Neapoli per octennium. Eccleſiaſtem in primarijs Vrbibus Italiæ annos amplius 20. magna cum laude agit; & prætèrea in Domo Profeſſa Romana horis promeridianis ſacras Lectiones ad populum annis vndecim habuit. Modò Neapoli vacat miniſterijs Societatis. Edidit in lucem

Concionum Panegyricarum, & Moralium volumen 1. Romæ typis Tinaſſij 1666. in 8.

Concionum Panegyricarum, &c. vol. 2. Ibidem typis Angeli Bernabò 1669. in 8.

Concionum De Beatiſſima Virgine Maria. Romæ typis Lupardi 1672. in 8.

FRANCISCVS VERERIVS, vide ſupra in FRANCISCO GVERRERIO

FRANCISCVS VERON, natione Gallus, patria Pariſienſis, admiſſus in Societatem anno Domini 1595. Docuit in ea humaniores litteras, Philoſophiam, & Theologiam Moralem, & dum in Societate degeret, edidit

Manuale ſodalitatis Beatiſsimæ Virginis, ſæpiùs recuſum anno 1610. 1612. & 1614.

Methodum Veronianam; qua nimirum ex quibuſuis Biblijs cuiuis Hæretico Miniſtro ſilentium imponatur. Eam è Gallico latinam fecit Remaclus de Vaulx.

Profligationem Henchai Miniſtri Caluiniſtici, coram Excellentiſſimo Duce de Languailla.

Hanc è Gallico vertit Anglicè Eduardus Burtonus noſter.

FRANCISCVS VIGERIVS, natione Gallus, patria Rothomagenſis Societati adſcriptus anno ſæculi currentis nono ætatis ſuæ 18. vota quatuor emiſit. Eloquentiam Pariſijs cum laude docuit annis nouem, reliquo ferè tempore Concionatorem magna nominis fama egit, & vitam religioſo fine concluſit Pariſijs die 15. Decembris 1647. Scripſit libellum

De Præcipuis Græcæ linguæ idiotiſmis. Pariſijs, apud Sebaſtiani Cramoiſij 1627.

Euſebij Pamphili Cæſareæ Paleſtinæ Epiſcopi Præparvtionem Euangelicam Latinè reddidit, & Notis illuſtrauit Ibidem 1628, in folio.

FRANCISCVS VVALSINGAMVS, natione Anglus, patria Northumber, in Hæreſi educatus, atque Hæreticorum ritu creatus Diaconus, multis annis ſectæ Proteſtantium Zelotes fuit. Cum verò, vt amicum in ſua ſecta nutantem firmaret, obtuliſſet ei legendum librum quendam hæreticum, Amicus ea lege librum legendum admiſit, vt viciſſim Franciſcus alium à ſe porrigendum ſuſciperet. Aſſenſit Franciſcus, cui alter librum de Controuerſijs à P. Perſonio compoſitum tradidit. Initio quaſi ludibundus librum in manus ſumpſit, certus mutandi nihil de ſua religione; mox vbi legere cæpit, ſæpiùs indignabundus abijcere, auerſari, non tamen reſiſtere penitus potuit, aut contra ſtimulum Diuinæ prouidentiæ diu calcitrare. Hinc ſiquidem, vel ex illa interrupta lectione ingeſtæ menti dubitationes multæ, quas cùm per ſe non poſſet enodare, ſtatuit ipſum Regem tamquam Caput Eccleſiæ Anglicanæ adire, eique libellum ſupplicem ſuper dubijs, quibus angebatur porrigere. A Rege ad Cantuarienſem Antiſtitem remiſſus eſt, & ab hoc ad varios Doctores eruditionis fama tunc in Anglia præſtantes. Verùm cùm ab omnibus nihil niſi irriſiones, obiurgationes, minas etiam, vel diuerticula referret, cæpit ipſe penitius per ſe ſcrutari partis vtriuſque Catholicæ, & Acatholicæ fundamenta, & tandem agnita veritate, æterno ſuo bono ei manus dedit. Hinc in fide Catholica totus ferueſcens, Romam ſe contulit, vt ſtudijs operam daret, atque his abſolutis in Collegio Anglicano ibidem, Societati nomen dedit anno ſalutis 1609. ætatis ſuæ 33. Remiſſus poſtea à Moderatoribus in Angliam 32. annorum ſpatio Vineam illam multis horrentem difficultatum ſpinis, magno zelo, & copioſo fructu, nauiter excoluit, & omni virtutum genere inſigniter eluxit. Inter tenuioris ſortis homines operam libentiùs collocabat ſuam, eorumquè paupere cultu, tum in victu, tum in habitatione mirificè delectabatur. Sermo familiaris illi de Deo fuit, rebuſque cœleſtibus. Pueros Chriſtianæ doctrinæ inſtitutis erudiebat; Parentes verò eorum contritionis actus, & iaculatoriarum, quas vocant precum vſum ad omnes occaſiones edocebat. Semel irruentibus repente Apparitoribus in domum, in qua degebat, vt ipſum comprehenderent, & in carcerem conijcerent, quam-

quamuis ingreſſi ſint ipſum conclaue, in quo erat ante Aram fundens preces, non eſt tamen conſpectus ab ijſdem, id quod miraculo Catholici tribuerunt. Vir fuit moribus ſuauiſſimis, columbina ſimplicitate, Dei gloriæ ſitiens, & tria vota ſolemnia profeſſus. Tandem ſeptuagenario maior euocatus à Deo eſt ex vinea ad accipiendum denarium æternæ vitæ die 1. Iulij 1647. Scripſit Anglicè

Diſquiſitiones de rebus ad religionem pertinentibus, & de ſua ad Fidem Catholicam conuerſione planè luculenta libris 3. Audomari 1615. in 4. Item

Ratiunculas quaſdam ad Fidem Catholicam amplectendam inducentes. Londini 1618. in 16.

* FRANCISCVS VVESPIN, natione Belga, patria Namurcenſis natus anno ſæculi fluentis 34. emenſo Louanij Philoſophiæ curriculo Societati ſe adiunxit Tornaci 1653. & votorum quatuor Sacramento ſolemni ſe adſtrinxit. Sexennio tradidit politiores litteras: tum Concionatorem egit in primarijs Belgij Ciuitatibus, agitquè adhuc ſuperſtes. Edidit Gallicè

Nouum fœdus ad Sanctiſſimi Nominis IESV cultum promouendum. Bruxellis apud Franciſcum Foppens 1670. in 12.

S. FRANCISCVS XAVERIVS, natione Hiſpanus, patria Nauarrus, Vir planè Apoſtolicus, & ſæculi ſui lumen, ab Vrbano Octauo Pont. Max. glorioſo Indiarum Apoſtoli titulo decoratus, Adoleſcens ſtudiorum cauſa à parentibus Pariſienſem in Academiam miſſus eſt, vbi Philoſophicas, & Theologicas diſciplinas egregiè didicit, Philoſophicas etiam publicè profeſſus eſt. Quo tempore S. P. N. Ignatio eiuſdem cubiculi ſocio familiariter vſus, huius Xauerius virtutis, & Sanctimoniæ admiratione ita captus eſt, vt ſe illius poteſtati permitteret, & ad conſtituendam Societatem Collegam adiungeret. Deinde exactis ſtudijs, Gallia relicta, peragrata Italia, vbique perfectæ humilitatis, ſuique Victoriæ impreſſis veſtigijs, à Paulo III. Pont. Maximo, Ioannis III. Luſitaniæ Regis rogatu in Orientis Solis Indiam ablegatus eſt, vbi incredibile eſt, quos labores tulerit, quas moleſtias deuorarit, quot populos Euangelij luce perfuderit, quàm multos filios Chriſto pepererit, quam turbulentis tempeſtatibus iactatus, quantis miraculis, & viuus, & mortuus nobilitatus ſit. Goënſi in Ciuitate (quæ Regia, & Luſitanici in Oriente Imperij, caput eſt) Religionem Chriſtianam Collegio Societatis exedificato ſtabiliuit. In Comorini ora 140. Eccleſias conſtituit. Malacam, & ad pietatem erudiuit, & precibus tutatus eſt, Molucas Inſulas perluſtrauit; Truculentos Mori Inſulæ habitatores, ac Barbaros manſuefecit. In Iaponiam primus cœleſtis doctrinæ lumen inuexit, multos Reges Idololatras Chriſti iugo ſubiecit. Denique in latiſſimi Chinenſis Regni (quod Chriſti armis expugnare parabat) aditu ſanctiſſimè vitam profudit die 2. Menſis Decembris anno ſalutis 1552. ætatis 55. Porrò ſubmiſſio animi, Dei caritas, animarum Zelus, magnanimitas, fortitudo, patientia, perpetuum orationis ſtudium, vitæ aſperitas, Euangelicæ paupertatis amor, cæteræquè omnes virtutes, tantæ tamque eximiæ in Franciſco enituerunt, vt oratione vix explicari, nedum ornari poſſe videantur. Multa Sanctiſſimi Viri virtutum ornamenta complexus eſt Petrus Ribadeneira Noſter, in vita S. P. N. Ignatij; Horatius Turſellinus è noſtra etiam Societate, ſex libris editis, Xauerij mores, vitam, obitum, miracula, luculenter litterarum monumentis commendauit; idquè poſtea præſtitit Ioannes Lucena Luſitanus 10. libris materna lingua è noſtra item Societate. Demum cum gloria miraculorum per totum Terrarum orbem longè, lateque fulgeret Franciſcus, eiuſque in omnibus populis magis magiſque veneratio increbreſceret, Paulus V. Pont. Max. honores ei Beatorum Confeſſorum conſuetos decreuit, Breui Apoſtolico ad diem 25. Octobris anni 1619. expedito, & Gregorius XV. ipſius in Pontificatu ſucceſſor die 12. Martij anno Chriſti, 1622. Sanctorum Catalogo adſcripſit: qua de re exſtant Bullæ, ſeu litteræ Decretales Canonizationis ipſius ab S. D. N. Vrbano VIII. Succeſſore confectæ, datæque Romæ, apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1623. octauo Idus Auguſti, Pontificatus ſui anno 1. Poſtea officium Eccleſiaſticum de eodem ſub ritu ſemiduplici ad diem 3. Decembris Breuiario Romano apponi iuſſit Alexander VII. anno 1663. translata in eundem diem ſpeciali diplomate Indulgentia plenaria, quam prius conceſſerat Gregorius XV. in diem antecedentem. Tum Martyrologio quoque Romano inſeri mandauit idem Alexander illius Commemorationem cum hoc luculento Encomio: *Sancti Franciſci Xauerij Indiarum Apoſtoli, multitudine Infidelium, quos conuerterat ad Chriſtum, & magnitudine miraculorum præſertim in ſuſcitandis mortuis, & ſpiritu Prophetiæ, toto orbe conſpicui*. Denique S. D. N. Clemens X. (quem Deus diu Eccleſiæ ſeruet incolumen) in ipſo fermè exordio ſui Pontificatus auxit cultum, & officium Eccleſiaſticum de S. Franciſco Xauerio, ex ritu ſemiduplice in Duplicem iuſſit euehi, per Diploma datum XIV. Iunij 1670. & inſuper, propriam de eodem Miſſam in Eccleſia legendam præſcripſit. Miracula porro, & ſtupenda admodum beneficia inuocatione illius diuinitus impetrata præter recenſita in Bulla Canonizationis Vrbani VIII. enarrat quàm plurima ex authenticis proceſſibus deſumpta noſter Daniel Bartolus in Hiſt. Soc. de Aſia tom. 1. lib. 4. quibus ſi adiungantur alia, quæ recentius varijs in locis S. Xauerius operatus eſt, præſertim Potami in Calabria, Neapoli, Mechli

chliniæ, Mexici, de quibus exſtant complures libri varijs linguis Latina, Italica, Hiſpanica, Gallica, Anglica, Hibernica, Bohemica, & diuerſis in locis editi, vt Neapoli, Bononiæ, Antuerpiæ, Mechliniæ, Louanij, Prägæ, Græcij, Mexici, atque alibi, grande ex ijs volumen neceſſe erit conflari. Hinc à multis paſſim Thaumaturgus eſt appellatus, & à pluribus per Orbem Ciuitatibus, Prouincijs, & Regnis in ſpecialem Patronum, ac Protectorem ſolemni cæremonia eſt cooptatus, vti à Regno Nauarræ, cum ſpeciali approbatione Sedis Apoſtolicæ, Goæ, Malacæ, Macai, Manariæ, Manilæ, Mexici, Guatimalæ, Nauigationum per Oceanum pacificum, Bellorum in Regno Chilenſi, & in Europa Neapoli, Aquilæ, Potami, Maſſæ, Caſtelli ad Mare, Bononiæ, Parmæ, Placentiæ, Taurini, Spediæ, S. Romuli, Tergeſti, Goritiæ, & alibi. Hinc denique multis in locis dedicata ſunt in illius honorem Templa, & Sacella, vt Romæ, Neapoli, Panormi, Meſſanæ, Genuæ, Arimini, Tridenti, Trenchinij in Hungaria, Spitalij in Carinthia, Brugis in Flandria, Pariſijs, Lugduni, Ebreduni, Matriti, Cetobricæ in Luſitania & alia per vtramque Indiam. Scripſit. S. Xauerius.

Epiſtolas admirabiles cœleſtem ſpirantes ſpiritum, & Diuinæ prudentiæ refertiſſimas, quæ ab Horatio Turſellino in Latinam linguam ex Hiſpana conuerſæ, *& in libros* 4. digeſtæ, in manibus ſunt impreſſæ Romæ ab Aloyſio Zannetto 1596. & Moguntiæ à Balthaſs. Lippio 1600. in 8.

Epiſtolarum aliarum libros ſeptem collegit, & latinitate donauit noſter Petrus Poſſinus Romæ, typis Vareſij 1667. in 8.

Catechiſmum Malabaricè primus tranſtulit quo ſocij deinceps in ora Comorini vſi ſunt.

Breuem Doctrinæ Chriſtianæ Epitomen, Luſitanica lingua digeſſit, quæ totum Orientem peruagata magni ſemper facta eſt.

* FRANCISCVS XAVERIVS AYNSCOM, natione Belga, patria Antuerpienſis ex Parte Anglo, Societati ſe tradidit anno ſalutis 1638. ætatis ſuæ 14., & vota quatuor profeſſus eſt. Docuit Humaniores litteras, & Matheſim, cui diligens impenderat ſtudium, Denatus eſt in patrio ſolo die 8. Decembris 1660. Edidit

Expoſitionem, & Deductionem Geometricam Quadraturarum Circuli P. Gregorij à Sancto Vincentio, cuius in Mathematicis fuerat diſcipulus, Antuerpiæ apud Meurſium 1656. in folio

FRANCISCVS YONGVS, natione Anglus, patria Vvigornienſis, ſtuduit Valliſoleti in Hiſpania, ac deinde Romæ in Anglorum Collegio, vnde in Societatem anno ſalutis 1600. ingreſſus eſt, & ætatis ſuæ 30. Miſſus in Angliam, & ibi comprehenſus ab Hæreticis in cuſtodiam coniectus eſt, demum pulſus in exilium, iterum Vir magni animi, & apprimè pius ad animarum lucra eò regreſſus eſt, & in vinea illa nauiter laborauit. 26. annos in cultura animarum, ibidem exegit emiſſa pridem profeſſione votorum quatuor, & demum ſexagenario maior ad laborum ſtipendia euocatus eſt die penultimo Martij anni 1633. Tranſtulit ex Latino Anglicè

Roberti Cardinalis Bellarmini librum de Aſcenſione mentis in Deum Londini 1614. in 8.

* FRANCISCVS ZIDRON DE AZEBEDO, natione Hiſpanus, patria Valliſoletanus, natus anno ſæculi voluentis 8. Deo ſe in Societate conſecrauit 1625. & quatuor votorum ſolemni Sacramento ſe ei adſtrinxit. Philoſophiam prælegit triennio, Theologiam octennio, & ſacras litteras in Salmanticenſi Regali Collegio aliquamdiu interpretatus eſt. Concionatorem multis annis egit, rexitquè Collegia Abulenſe, Segouienſe, Methymnenſe Campi; etiamnum ſuperſtes edidit

Commentarios in Matthæum, ſeu potius in 4. Euangeliſtas cum Tractatu ad calcem de pulchritudine Virginis, & Matris. Lugduni ſumptibus Laurentij Arnaud, & Soc. 1670. in folio. Expectatur breui ab eodem

Illuminatus Salomon noua de cælo Politia forma, & Magiſter Princeps

* FRANCISCVS ZVCCARONVS, natione Italus, patria Neapolitanus, Religioſæ vitæ tirocinium in Societate poſuit anno ſæculi præter labentis 38. ætatis ſuæ 17. Docuit in ea politiores litteras, & cùm magnis naturæ, ac gratiæ donis eſſet cumulatus, miram de ſe expectationem in Sociorum animis excitauerat. Fuit enim in eo excellenti ingenio par probitas, & cognata vtrique modeſtia: In ſui deſpicientia ſingularis, nunquam verbo aſperiori perſtrinxit alios. Quem porro locum teneret apud ipſum Zelus animarum, ſatis teſtantur iteratæ litteræ ad Præpoſitum Generalem, Indicam Miſſionem efflagitantes, tum expeditiones ſalutares ad Beneuentum, dum tertium probationis annum ageret, manipulis plenæ; tum denique votum, quo ſe obtulit Deo ad inſeruiendum afflatis peſte; nam graſſante lue in Vrbe Barolitana pro fratribus animam laureatam generosè poſuit, in ipſo ætatis flore, & victima Caritatis gloriosè occubuit die 29. Septembris 1656. Sacrum viaticum percepit genibus humi nixus ad portam cubiculi, vbi etiam à Rectore, & per hunc ab omnibus veniam erratorum ſuorum omnium ſupplex petijt. Maximi illum fecere ciues Barolitani, & quocumque impendio morti èreptum voluiſſent. Sed iam maturus erat cœlo, atque ita aliter viſum Deo. Reliquit ingenij, & pietatis ſuæ poſt ſe monumenta

Concionum Sacrarum quadrageſimale curriculum. Neapoli, apud Hieronymum Faſolum 1668. in 4. eodemque anno Venetijs, & Bononiæ recuſum

Con-

Conciones Panegyricas. Neapoli, apud Lucam Antonium Fuſcum 1670. in 12.

FRIDERICVS BARTSCIVS, natione Prutenus, patria Braunsbergenſis, Romæ cum eſſet, ipſo ætatis flore anno ſalutis 1572. diuortium fecit cum ſæculo, & Chriſtum crucifixum, ac nudum nudus ipſe noſtra in Societate ſecutus eſt. Inde Viennam Auſtriæ amandatus, Theologiæ curriculum confecit, Græcas ibi litteras, eaſdem & Quæſtiones Conſcientiæ, atque eas, quæ cum Hæreticis controuerſæ ſunt, Braunsbergæ, & Poſnaniæ annos aliquot docuit. Gedanenſem Reſidentiam, & Collegia Braunsbergenſe, Vilnenſequè diu rexit; Poloniam, Lithuaniamque pro Prouinciali Præpoſito aliquamdiu adminiſtrauit, diſciplinæ religioſæ magna prudentia, & caritate, quà monitis, quà conſilio, quà vitæ exemplo rectè procuratæ laudem adeptus. Theologici Doctoratus gradum Vlnæ anno 1587 accepit. Demum Sigiſmundo III. Poloniæ, ac Succiæ Regi ad Sacras Confeſſiones datus, propter eximias virtutes, excellentemquè doctrinam, tum ipſi Regi, tum Regni Primatibus cariſſimus fuit: imo etiam ipſis Hæreticis gratus, & admirandus, quos vitæ integritate, affabilitate, morum comitate ſibi deuinxit, vt facilius ad Chriſtum adduceret. Nouem quippe annos in Aula exegerat, cum ſecutus Regem in Moſcouiticam expeditionem, dum ad Smolenskum Germanos milites contagioſis febribus afflictos, nulla ſui cura ſedulò procurat, eodem correptus malo in Regijs Caſtris occubuit die 21. Nouembris anno Chriſti 1609. ætatis 60. ex quibus 37. Societati dedit; magno Regis ipſius, ac totius exercitus dolore. Eius corpus iuſſu Regis Vilnam totis 90. milliaribus diſſitam delatum, & in Sociorum ſepulchro conditum eſt. Iuſta vero ſolemnioribus cæremonijs, quam noſter fert mos ſunt peracta id quod deſiderio piiſſimorum Principum, ſaluis beneuolentiæ officijs, negari non potuit. Regia muſica Sacrum funebre decantatum eſt; habita concio de Viri laudibus; Regina Conſtantia Auſtriaca Ferdinandi Secundi Cæſaris Soror cum Principe filio, multiſque Procerum adfuere. Edidit ſub nomine Friderici Bruſci Theologi

Reſponſionem beneuolam, & Chriſtianam, qua refutat orationem Andreæ Volani, Lithuanos à ſecta Zuingliana ad Fidem Catholicam conuerſos ad priſtinos errores reuocare conantis. Germanice verò

Speculum Ieſuitarum, contra Danielem Cramerum Lutheranum Pſeudo Miniſtrum. Braunsbergæ, typis Schonfeldianis 1603.

Commentarios in Euangelia Aduentus, & quæ ſequuntur Dominicarum ad eos potiſſimum, qui inter Hæreticos degunt iuuandos, ordinatos. Cracouiæ, apud Nicolaum Lobium 1607.

Edidit ad hęc tacito nomine

Theſaurum ſpiritualem rerum, ac documentorum variorum ad Societatem IESV, pertinentium. Ibidem eodemquè anno. Item

Theſaurum precum, ac variarum exercitationum ſpiritualium ex varijs Auctoribus collectum, opera P.P. Societatis IESV,

* FRIDERICVS BRIDELIVS, natione Bohemus, patria Altomuſtenſis natus anno ſæculi præterfluentis 19. Societati ſe aggregauit 37. atque in ea diſciplinas humaniores nouennio profeſſus eſt; Miſſiones per Regnum obiuit ſeptennio; Conciones ad populum habuit ſexennio. Congregationum B. V. Præſes, & adiutor annis aliquot, Operarius ſedulus; Edidit lingua vernacula tacito ſuo nomine

Vitam B. Ioani primi in Bohemia Eremitæ. Pragæ, typis Vniuerſitatis 1657. in 12. Item

Vitam Compendioſam eiuſdem. Ibidem in 16.

Cœnam Domini, ſiue de Venerabili Sacramento. Ibidem 1659. in 12.

Vertit ex Latina in linguam Bohemicam

Miracula S. Franciſci Xauerij patrata Potami. Ibidem 1659. in 8.

Annum Chriſti Crucifixi, noſtri Ioannis Nadaſi. Ibidem 1660. in 8.

Annum Marianum eiuſdem. Ibidem 1661. in 12.

Diurnum Diuini Amoris eiuſdem. Ibidem 1661. in 12.

Diem Chriſtianum, Noſtri Nic. Cauſini. Ibidem 1662. in 12.

Hortum Gethſemani, noſtri Iodoci Kedd. Ibidem 1662. in 12.

Catechiſmum noſtri Voglieri. Ibidem in 12.

De Miraculis ad Fontem S. Vvenceslai, ex Germanico Ibidem in 12.

De S. Liborio Patrono contra calculum, ex Germanico Ibidem in 12.

Vitam S. Procopij, à ſe compoſitam. Ibidem in 12.

FRIDERICVS SPE, natione Germanus, patria Cæſar Inſulanus, nobili Langekfeldiorum familia, natus anno ſæculi elapſi 91. Societatem amplexus labentis 10. Philoſophiam, & Moralem Theologiam cum laude explicuit. Vir animi magni, & indefeſſi ad ſalutem mortalium procurandam ſtudij. Tanta induſtria tractabat cum Hæreticis, vt paucis menſibus Vrbem inferioris Saxoniæ Peinam ad Fidem adduxerit. Ea re oſtenſi Hildeſienſes Acatholici, percuſſore immiſſo conati ſunt hominem tollere, cum ad pagum exiret diuina officia peracturus, Quinque luculenta vulnera in capite, duo in tergo accepit. Verùm ille plagis tam honeſtis lętus ad pagum perrexit, & vſque ad defectum virium concionatus eſt. Demum cum aliquot poſt annis Treuirenſibus præſidiarijs operam na-

uaret ad laborum mercedem euocatus eſt die 7. Auguſti 1635. ætatis 44. ab inita Societate 25. Scripſit lingua Vernacula

Exercitia pia, ſiue aurea de Fide, Spe, & Caritate. Item

Luſciniam Germanicam, vtrumque Coloniæ, apud Guilhelmum Frieſſem 1649. in 12. Latinè edidit

Cautionem Criminalem ſub nomine Theologi Romani, typis Renſelij ad Viſurgim 1631. Recuſam Francofurti, & Coloniæ 1633. quæ mirificè multis placuit.

FRIDERICVS SZEMBEK natione Polonus, patria Cracouienſis, ingreſſus eſt Romæ in Societatem anno 1597. ætatis 22. Humanioribus & Philoſophicis diſciplinis excultus. In ea Theologiæ ſpatijs confectis Quæſtiones de Conſcientia publicè explicuit aliaque Societatis miniſteria cum laude tractauit, Sanctorum cultum mirificè promouit, procuratis multorum ſacris pignoribus, quæ per diuerſa Poloniæ loca diſtribuit, quo in officij genere operam ſuam Sigiſmundo III. & poſtea etiam Vladiſlao IV. Poloniæ Regibus Sereniſſimis commodauit. Iura Cracouienſis Collegij noſtri religiosè, conſtanterque contra nonnullorum Academicorum violentiam, petulantiamque diu multumque tutatus eſt. Fuit Fridericus Inſtituti noſtri apprimè amans, & exercendorum per ſpirituales S. P. N. Ignatij commentationes animorum peritus inſigniter, & vix vlli tunc ſecundus. Illius ad tribunal Sacrum confluebant multi, & peritiam in tractandis conſcientijs celebrarunt etiam Epiſcopi, & Senatores. Plauſus popularis fuit contemptor inſignis, paupertatis religioſæ cultor eximius. In extremo morbo, qui acutiſſimis illum doloribus exercuit, illuſtria dedit ſuæ patientiæ ſpecimina, & demum plenus dierum, atque bonorum operum animam Deo reddidit, Torunij die 10. Ianuarij 1644. Religionis 48, profeſſionis 4. votorum 33. Scripſit ſub nomine Ioſephi Pienorzecki, librum Polonicè hoc titulo

Gratis contra Ioannem Brzoſcium Academicum Cracouienſem, qui edito impudente Dialogo Parochi cum Nobili, eadem inſcriptione *Gratis* ſugillauerat Societatem quaſi *Gratis* profiteretur ſe docere, non faceret tamen. Poſnaniæ 1627. Item Polonicè

De Vita & Morte Petri Tylicki Epiſcopi Cracouienſis. Cracouiæ 1617. Item vno volumine ſub ſuo nomine

Vitam S. Dorotheæ Viduæ Patronæ Pruſſiæ, & Vitam S. Iuttæ Brunſvvicenſis, eiuſque Confeſſarij B. Ioannis Lobedauij, & aliorum Pruſſiæ Patronorum.

Informationem de S. Roſalia.

Inſtructionem de Iubilæis, & alijs Indulgentijs. Torunij 1638. in 8.

Relationem de Regno Tibet recens inuento, ac de Fide Christiana in illud introducta. Tranſtulit ex Latino Polonicè 1628.

Edidit quoque Latino

Roſam Cæleſtem recens patefactam contra graſſantem peſtilentiam ſalutare remedium, ſeu S. Roſaliæ Siculæ Virginis breuem Vitæ enarrationem ex ijs, quæ Romæ typis vulgata ſunt confectam, cui poſt præfationem addidit initiales ſui nominis litteras F.S.E.S.I. Cracouiæ apud Andream Petrum 1630.

Relationem poſtremi incendij Veſuuiani ex varijs relationibus in nouem capita digeſtam Polonicè Cracouiæ 1632.

FRONTO DVCAEVS natione Gallus patria Burdegalenſis, parentem habuit ea in Vrbe Senatorem. Societatem ingreſſus eſt anno 1577. Virduni ætatis ſuæ 19. iam tum Magiſter in artibus; & profeſſus in ea 4. vota Muſſiponti, vixit in Societate annos 47. vſque ad diem 25. Septembris anni 1623. quo Pariſijs calculo quincuncali oppreſſus eſt. Vir fuit eruditione, & morum ſuauitate carus etiam ijs, qui iniquiore animo in Societatem erant, & vulgò paſſim à maledictis in Ordinem noſtrum vibratis, exceptum eum eſſe vellent. Antiquitatis totius cognitione maximè nobilis fuit, quem non alij dumtaxat Scriptores, verùm etiam Cardinalis Baronius tomo 9. Annalium honorificè commemorat, virum inſignis doctrinæ, & pietatis. Certè ad laborem fuit impigerrimus, perdius in libris, ac pernox; etiam extrema, ac morbis vexata ætate cibatione vnica per diem contentus. Tanta ſui abiectione, & deſpicientia, vt nullum domi tenuiorem crederes, cum Pont. Max. Vrbanus VIII. tranſmiſſis duorum Conciliorum tomis honeſtauit. Poſt eloquentiæ per octennium, & ſacrarum litterarum per ſeptennium explicationem, aggreſſus eſt Sanctorum Patrum opera recenſere, notis illuſtrare, Græcè, Latinèque recudere. Præmiſit tamen Gallicè

Inuentarium errorum, contradictionum, & falſarum citationum Philippi Mornai Domini de Pleſſis Marli Caluiniani, hoſtis iurati Sacroſanctæ Euchariſtiæ: quod ſecunda editione recognitum, & auctum prodijt Burdegalæ, typis Millangeanis 1599.

Huic cum reſpondiſſet Pleſſius, edidit Fronto.

Refutationem reſponſionis Pleſſij ad Inuentarium errorum ipſius. Ibidem 1602. in 8. Qua ſcriptione eam laudem, vel ab ipſo ſuo aduerſario retulit Fronto, vt fateretur ab alio ſe nullo, inter multos acerbiorem, ac luculentiorem, quàm ab illo plagam accepiſſe. Scripſit tacito ſuo nomine

Collectanea in Clementem Alexandrinum

Antonij Meliſſæ Abbatis ſermonum, & locorum communium Lib. II. ad Doctorum Græcorum fidem reuocauit, atque *Annotationibus* illuſtrauit. Habentur tomo 5 Bibliothecæ magnæ Patrum

Maximi ſententias reſtituit. Edidit verò etiam

No-

Notas Amabæas ad Sanctum Paulinum, vna cum Heriberto Roſvvyedo. Antuerpiæ typis Plantinianis 1622. in 8.

Gregorij II. Pont. Max. duas Epiſtolas ad Leonem Iſauricum

Sancti Gregorij Nazianzeni opera Græco-Latina. Pariſijs apud Sebaſt. Cramoiſy 1615. in folio

Sancti Gregorij Nyſſeni opera Græco-Latina cum Scholijs tom. 2. Ibidem 1617.

Zonaram in Canones Apoſtolorum Græcè, & Latinè. Ibidem 1618. in folio.

Sancti Baſilij Magni opera omnia Græco-Latina cum notis ſuis, & Andreæ Schotti. Ibidem 1618. poſt editionem Antuerpienſem apud Henricum Aertſium 1616.

Canones Sanctorum Apoſtolorum, Conciliorum Generalium, & Prouincialium cum Commentarijs Theodori Balſamonis Græcolatinè. Pariſijs typis Cramoiſy 1621. in fol.

Sancti Ioannis Chryſoſtomi opera ferè omnia in ſex tomos diſtributa Græcè, & Latinè. Ibidem 1621.

Nicephori Calliſti Xanthopuli Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ libros xviij. Græcè & Latinè. Ibidem 1630. Atque hæc omnia Patrum opera, maiori ex parte Latinè reddidit, & notis illuſtrauit. Denique edi curauit

Bibliothecam Græcorum Patrum.

FVLVIVS ANDROTIVS natione Italus, patria Picenus è Monticulo cùm eſſet Doctor vtriuſque Iuris, & S. Aedis Lauretanæ Canonicus, Societatem noſtram anno ſalutis 1555. ætatis ſuæ 32. amplexus eſt, in qua duos alios fratres germanos habuit, Hortenſium qui Tiburtini Collegij Rector fuit, & Curtium. Ipſe Fuluius Meldulam, & latè Picenum primus excoluit, veſtigijs Apoſtolici feruoris altè vbique impreſſis, vt turbæ orationis eius ardore commotæ, Apoſtolum apparuiſſe celebrarent. Senas inde translatus eſt ad naſcentis ibi Collegij firmamentum. Denique Collegij Ferrarienſis habenas perdiu rexit; profeſſionem votorum 4. ibidem emiſit, & à Prouincia Longobardiæ electus interfuit primæ Congregationi Procuratorum Romæ anno 1568. & multis clarus virtutibus prudentiæ, doctrinæ, pietatis, alijſque ſanctè ceſſit è vita Ferrariæ die 27. Auguſti 1575. Scripſit materna lingua

Pias Conſiderationes de frequenti communione

Meditationes de Paſſione, & morte D. N. Ieſu Chriſti

Speculum Viduitatis, ſeu de laudabili Viduarum ſtatu, quæ omnia ſeorſim prius edita, & poſtea coniunctim Venetijs apud Franciſcum Zilettum 1581. in 12. Demùm Latinè reddita prodierunt, Coloniæ apud Petr. Honningium 1612. in 12.

FVLVIVS CARDVLVS natione Italus, patria Narnienſis, in Collegio noſtro Patauino humanioribus litteris cùm vacaret, noſtrorum exemplo commotus, adoleſcens 20. fermè annorum, ſe illis Socium adiunxit, anno ſalutis 1546. Deinde grauiores diſciplinas didicit; Poëta, & orator clarus euaſit, atque Romæ noſtro in Collegio per multos annos Artem dicendi, & Poëſim præclarè docuit, poſtea in Domo Profeſſorum operarium egit, & vergente in ſenium ætate, ibidem piè vita functus eſt die 15. Maij anno 1591. tria vota ſolemnia pridem antea profeſſus, Romæ anno 1566. Edidit ſub nomine Collegij Romani

Hiſtoriam de Inuentione Sanctorum Martyrum Abundij, & Abundantij, & De Translatione facta Romæ in Aedem Farneſianam Societatis Ieſu, cum Notis ad Hiſtoriam. Romæ apud Franciſcum Zannettum 1584. in 8.

Paſſionem Sanctorum Martyrum Getulij, Symphoroſæ, ac ſeptem filiorum, quam notis, ac digreſſionibus illuſtrauit, *De Tiburis Antiquitate* diſſerens eruditè. Ibidem 1588.

Epigrammata ipſius aliqua, ab alijs ſunt edita.

Scripſit præterea, ſed non edidit.

Orationes multas in Cardinalium Conuentu habitas, &

Poemata varia. vna tamen prodijt eius

Oratio De Paſſione Domini ad Pium V. Pont. Max. dicta anno 1578. quæ cum alijs eiuſdem argumenti impreſſa eſt. Romæ typis Vitalis Maſcardi 1641. in 12.

GABRIEL ALVAREZ, natione Hiſpanus, patria Oropeſanus, Societatem iniuit Cæſarauguſtæ Idibus Nouembris 1582. Adoleſcens annos 18. natus. Vir multæ eruditionis, & dignus, quem hoc nomine abſentem amaret Iuſtus Lipſius. Docuit Noſtros Humaniores litteras aliquot annis. Theologiam etiam de moribus, & Sacram Scripturam expoſuit. Rector Maioricenſi, & Barcinonenſi Collegijs præfuit. Vota quatuor ſolemnia nuncupauit. Concionibus ad populum, & Confeſſionibus excipiendis reliquum vitæ tempus vſque ad ætatem decrepitam ſanctè exegit, & denique octogenarius ad vitam tranſiuit mortis neſciam Turiaſone anno 1645. edidit in lucem

Iſaiam expoſitum tomis 2. quorum prior complectitur 39. Capita, Poſterior reliqua. Lugduni per Iacobum Cardon, & Petrum Cauillat 1623. in folio. Hiſpanicè etiam edidit

Tres Conciones. Scripſit etiam ſed non emiſit

Hiſto-

Hiſtoriam Prouinciæ Aragoniæ Societatis IESV duobus tomis, Item

De vſu, & Abuſu, volumen Iuſtum. Meditabatur etiam

Commentaria in Oſeam Prophetam, & alia, ſed non perfecit

* GABRIEL BEATVS, natione Italus, patria Bononienſis, natus anno ſæculi voluentis ſeptimo, vicennis Societati ſe adiunxit Romæ 1627. & votorum 4. ſacramento ſolemni ſe adſtrinxit. Poſt traditas in ea amæniores litteras, docuit Philoſophiam annis nouem, Matheſim Romæ 5. Theologiam de moribus ibidem annis vndecim, & Parochorum Vrbis collationibus coram Illuſtriſs. D. Viceſgerente habitis præſedit per octennium. Rexit Collegium Græcorum Romæ, fuit Socius Prouincialis Romani, & demùm operarius Domus Profeſſæ Romanæ, inſignem valde in ea Congregationem RR. Sacerdotum aliquot annis direxit; vir apprimè religioſus, doctus, & diſciplinæ obſeruans, correptus morbo, & extremis Eccleſiæ præſidijs ritè munitus ad Beatorum in cœlis cætum (vt fas eſt ſperare) tranſiuit anno 1673. die 6. Aprilis. Edidit

Orationem à ſe habitam corā Vrbano VIII. Pont. Max. in Sacello Vaticano, ipſo Concepti, & morientis Chriſti die 25. Martij. Romæ typis Hæredum Corbelletti 1645.

Vſum Speculi plani, ſiue *De Dimenſionibus per Speculum planum*. Romæ typis ijſdem 1644.

Naturam in arctum coactam, ſiue *Quadripartitum vniuerſæ Philoſophiæ compendium, cum Quæſtionibus Moteorologicis*. Romæ typis ijſdem 1650.

Sphæram triplicem Artificialem, elementariam, ac cæleſtem, varias Planetarum affectiones ac motus facillimè explicantem. Romæ typis Vareſij 1662. in 8.

Quæſtiones morales Selectiores. Tomum primum, De lege interna, & externa. Romæ typis Vitalis Maſcardi 1663. in 4.

Meditabatur *tomum ſecundum*, ſed mors interrupit.

GABRIEL DE CASTILLA, domo Hiſpanus, ſed in Canaria Inſula nobiliſſimo ſanguine natus, quem vnà cum Aulæ ſplendore Chriſti cruci poſthabuit, factus in Societate noſtra pauper, & humilis anno ſalutis 1579. ætatis ſuæ 16. vota 4. in ea nuncupauit, Concionatoris partes multis annis laudabiliter ſuſtinuit, & ſacras litteras publicè interpretatus eſt. Sed cùm nepos eſſet Lermenſis Ducis, qui primas gratiæ apud Philippum III. Hiſpaniæ Monarcham obtinebat, & præterea Cardinalis Archiepiſcopi Toletani, ac D. Chryſtophori de Rojas, & Sandoual, ambo conati ſunt hunc ſuum nepotem ex humili religionis ſtatu extractum ad ſublimiores Infulas oblato Epiſcopatu euehere. Verùm conſtantiſſimè omnia reſpuit, humillimus Dei ſeruus, imò ægrè tulit, omne rei eiuſcemodi tentamentum, pluris faciens vilem religionis tunicam quocumque ſplendore ſæculi. Hinc nullus illo ſubiectior Superioribus, nemo erga æquales demiſſior; tempus quod illi ſuperfuit ab occupationibus præſcriptis ab obedientia, aut cum Deo, aut cum ſuis libris conſumpſit. Meditabatur lucubrationes in Sacram Scripturam inſignes, ſed mors calamum ſtitit, quæ poſt 48. annos vitæ regularis, inter feruentes actus amoris Dei, & actionis gratiarum ob beneficium vocationis ad Societatem, tranſmiſit ipſum (vt eredere par eſt) cœlo ex Domo Profeſſa Hiſpalenſi, Calendis Auguſti 1627. Extant Hiſpanicè ipſius

Conciones aliquot de S. P. N. Ignatio; de S. Franciſco Xauerio, de B. Franciſco Borgia; de S. Hiſcio Epiſcopo Carteia, de Sanctis Granatenſibus, &c. Item

Exhortatio, quam Hiſpali habuit ad ſodalitatem Sacerdotum

Diſcurſus de Stigmatibus S. Franciſci. Hiſpali per Franciſcum de Lyra 1622.

Diſcurſus de Vita B. Franciſci Borgiæ. Xeregi per Fernandum Rey. 1625. in 4.

Reliquit prætérea lucubrationes ſuas

In Cantica Canticorum

* GABRIEL COSSARTIVS, natione Gallus, patria Pontiſarenſis, diœceſis Rothomagenſis, natus anno ſæculi fluentis 15. Societati nomen dedit 1633. & votis quatuor ſe ei adſtrinxit. Diſciplinas amæniores docuit quadriennio, Rhetoricam Pariſijs nouennio. Vir multiplici eruditione clarus, varia edidit ſoluta, & vincta oratione, & dum plura prælo pararet, vitæ mortalis curriculū abſoluit, Pariſijs die 18. Septembris hoc anno, quo hæc ſcribimus 1674. Edidit

Panegyricum Ludouico XIV. Regi Chriſtianiſſimo dictum. Pariſijs apud Sebaſtianum, & Gabrielem Camoiſy 1646. in 4.

Panegyricum alterum eidem Ludouico XIV. Regi Pacifico dictum. Pariſijs, typis ijſdem 1654 in 4.

Armando Borbonio Principi de Conty, Gratiarum actionem, &c. Ibidem 1647. in 4.

Orationes duas vnam aduerſus nouitatem Doctrinæ. Secundam aduerſus Satyram Franciſci Dumonſtrier. Pariſijs typis ijſdem 1651. in 4.

Carmen inſcriptum: Amor Architectus, cum altero minore, *in Tabulam, in qua depictus Puer Ieſus in medio Doctorum*. Ibidem 1643. in folio

Carmen inſcriptum fama laureata Ibidem 1643. in 4.

Imaginem Vecbianam dicatam Alexandro VII. Pont. Max. Ibidem 1656. in folio. E Græco vertit in Latinum

Parthenij Patriarchæ Conſtantinopolitani, Decretum Synodale ſuper Caluinianis dogmatibus, nunc primum ex Oriente allatum, Ibi-

Ibidem 1643. in 8.

Themiſtij Orationes auctiores alijs 12. ante hac non editis cum Latina interpretatione, quam à Petauio propè perfectam abſoluit.

Edidit collato ſtudio cum noſtro Philippo Labbe

Sacroſancta Concilia ad Regiam editionem exacta, & quarta parte auctioria Tomis xvij. comprehenſa vſque ad annum Domini 1664. Pariſijs impenſis Societatis Typographicæ 1670. in folio.

* GABRIEL DE HENAO natione Hiſpanus, patria Valliſoletanus natus anno ſæculi præterlabentis 12. Deo ſe in Societate dedicauit 1626. & votorum 4. profeſſione ſe obſtrinxit. Prælegit litteras humaniores, Philoſophiam, Theologiam Scholaſticam, & Moralem Oueti, & Valliſoleti multis annis: & Salmanticæ ſacras litteras magna fama eruditionis eſt interpretatus. Rexit Collegium Methymnenſe, & Eccleſiaſten aliquandiù egit. Superſtes in Collegio Salmantino. Edidit hactenus

Empyreologiam, ſeù *Philoſophiam Chriſtianam, De Empyreo Cælo*, partibus duabus. Lugduni ſumptibus Philippi Borde, & Sociorum 1652. in folio.

Tractationem Theologicam Scholarem, & Moralem de Ven. Euchariſtiæ Sacramento. Lugduni typis ijſdem 1655. in folio.

Tractationem Theologicam Scholaſticam, Moralem, Expoſitiuam, & Canonicam de Diuino Miſſæ ſacrificio, in tres tomos diuiſam quorum primus prodijt Salmanticæ typis Antonij de Coſſis 1658. Secundus ibidem 1659. Tertius ibidem 1661. in folio.

De Scientia media Hiſtoricè propugnata. Lugduni ſumptibus Philippi Borde, & ſoc. 1655. Quod opus recognitum ab Auctore, & locupletatum recuſum eſt Salmanticæ typis Antonij à Coſſio 1665. in folio.

Theologiam Scientiæ mediæ ſectam in duos Tomos abſoluit nuper, miſitque ad Typographos Lugdunenſes. & parata prælo habet alia ſuper Biblia Sacra, & ſuper Theologiam Moralem

Edidit præterea olim ſub nomine ſuorum diſcipulorum

Vizcayam illuſtratam. Cæſarauguſtæ 1637. in ſpecimen iuſti voluminis, quod parabat de Vizcayæ, totiuſque Cantabriæ antiquitatibus Hiſpano ſermone, & Deo fauente ſuo tempore emittet.

Ad hæc iuſſu, & ſub nomine Illuſtriſſimi, & Reuerendiſs. D. Bernardi de Atayde Epiſcopi, cui ægrotanti apud Metinam Campi diu adſtitit. Edidit

Epiſtolam Paſtoralem ad Clerum ſuæ Diæceſis, impreſſam Matriti typis Didaci Diaz à Camera 1655.

GABRIEL DE MATOS, natione Luſitanus. patria Vidiguerienſis in diœceſi Eborenſi, admiſſus in Societatem anno ſalutis 1588. ætatis 16. adoleſcens ad Indos nauigauit, & inde in Iaponiam tranſmiſit, vbi diu multumque in conuerſione Gentilium laborauit emiſſa profeſſione votorum quatuor Nangaſachi 1611. Ex Iaponia dein Romam Procurator miſſus ſub annum 1617. & appulſus in Luſitaniam, adeo domeſticis exhortationibus, priuatis colloquijs, & litteris ſcriptis de admirabili conſtantia Chriſtianorum in Iaponia, qui ſe viuos flammis tradere, & lento igne comburi minimè dubitarunt, adeo (inquam) Noſtrorum corda ſuccendit, vt ad excolendam Vineam, quæ tales palmites proferebat, non minùs ſeptuaginta Theologi, Philoſophi, Humaniorum litterarum ſtudioſi, ac Magiſtri è ſolo Conimbricenſi Collegio ſummis precibus Miſſionem Iaponicam poſtularint; & non pauci cum proprij ſanguinis ſubſcriptione, ſe illi in comites obtulerint. Sed cùm tanta Sociorum multitudo ſimul cum illo proficiſci non poſſet, qui primo loco petierunt, ſe præmitti alijs flagitarunt, ad parandum ſcilicet ſubſequuturis locum, durauitquè non paucis pia hæc inter ipſos contentio diebus, donec ſuperiores Socios duodecim ſelectiſſimos Procuratori aſſignarunt, quibuſcum vnà, cum nouo Epiſcopo Iaponienſi ſoluit Vlyſſipone anno 1618. Goam illi omnes tenuerunt, tum pars in Iaponiam, pars in Sinas, pars in alias oras diſtributi. Ipſe Gabriel in Iaponiam regreſſus, poſtea in Collegio Macaenſi, quod aliquando rexerat, abſoluit dies peregrinationis in hac vita 9. Ianuarij 1633. Scripſit

Annuas litteras ex Iaponia annorum 1603. & 1613. & ſequentis.

GABRIEL VASQVEZ, natione Hiſpanus; patria Bellomontanus, Vir magni ingenij, aſſiduæ atque exquiſitæ lectionis, & in peruestigandis, atque eruendis Sanctorum Patrum reconditis ſententijs ſummæ diligentiæ. Hic adoleſcentulus cùm eſſet, & 18. tantum annos natus, Compluti ſe noſtræ Societati addixit, anno ſalutis 1569. die 9. Aprilis, & in Philoſophicis, atque Theologicis diſciplinis diligenter exercuit. Sed cùm ingenio atque eruditione præſtaret, & in Collegijs Ocanienſi, & Madritano primùm doctrinæ ſuæ rudimenta poſuiſſet, poſtea in Collegijs noſtris Complutenſi, & Romano ſacram D. Thomæ Aquinatis Theologiam profeſſus eſt, maxima auditorum admiratione, & fructu. In qua quidem præclara functione 29, ampliùs annos contriuit. Complutenſem Academiam prælectionibus, diſputationibus, reſponſionibus, ſcriptis etiam illuſtrauit. Verùm dum his incumbit, ecce immatura mors Gabrielem noſtrum repentè nobis eripuit in Ieſumontano Collegij Complutenſis ſeceſſu, die 23. Septembris anno ſalutis 1604. ætatis 55. magno Noſtris, atque ſtudioſis omnibus ſui relicto deſiderio, & cunctorum Ordinum Religioſis Viris, Diſciplinarum Profeſſoribus, Docto-

Doctoribus, Canonicis, Eccleſiaſtico atque ſæculari Magiſtratu, Vniuerſa denique Complutenſi Academia funus illius proſequentibus. Et quidem meritò: nam præter eximiam, exquiſitam, & reconditam eruditionem, ſummumque ingenium, & iudicium, vir fuit vitæ integritate ſingulari, candore animi atque ſinceritate admirabilis, paupertatis amans, obedientiæ tenax, ambitionis, omniſque faſtus contemptor egregiùs; vt in illo virtus cum doctrina, obedientia cum ingenio, pietas cum ſapientia certaſſe videatur. Vtroque certe ornamento virtutum, & litterarum ita inclaruit, vt omnium retrò ſæculorum illuſtriſſimis Viris debuerit iure optimo annumerari. Sed Gabriel Vaſquez etiam mortuus in hominum memoria æternum viuet, atque præclaris ingenij doctrinæque monumentis à Sacræ Theologiæ candidatis magna cum laude perpetuo celebrabitur. Huius rei pignus, qui volet repetat encomia, quæ ſingulis ipſius operibus Cenſores præſcripſerunt, quibu s nihil dici poteſt ornatius. Quibus, vt aliqu a nobiliorum huius ætatis ſcriptorum addam iudicia, non grauabor paulò eſſe prolixior. E domeſticis *Luiſius Turrianus* in Præfat: Tract. ſui de Gratia ſic de ſuo Præceptore ſcribit; *Fuit in illo viro acre ingenium, fuit inſignis Diuinarum, atque Humanarum rerum Scientia; fuit ſumma virtus, ac doctrina admirabilis, vt certa in eo Theologiæ efflore-ſcentis ſpes, ac præſidium poſitum eſſe videatur. Cuius ego quidem veſtigia immortalibus litterarum monumentis impreſſa in omni genere doctrinæ non modò lubens ſequor, ſed colo, ſuſpicio, veneror, quem Hiſpanum Auguſtinum multi nominarunt*. Valentinus de Herice in 1.p.d.36. num.14. & 47. appellat. *Venerandum Academiæ Complutenſis Magiſtrum, virum eruditiſſimum, & acris ingenij, in perſcrutandis Doctorum placitis diligentiſſimum*. Didacus de Alarcon in vita Didaci Dazæ præfixa Comment. eius in epiſt.S.Iacobi, *Complutenſis Collegij columen; ac totius planè Societatis lumen, virum immortalitate dignum*. Ex alijs verò (ne cui domeſtici forte præcones ſuſpecti ſint) Baſilius Poncius de Leon lib.4.de matrim. cap.25. num.9.& l.5.cap.7. num.6. *Theologorum huius ætatis facile principem, qui ſibi in rebus præſertim moralibus, ſit vnus pro mille*. Antoninus Diana reſol. moral p.1. tract 3.reſol.3. & p.3. tract.5.reſol.79.& 80. *Doctiſſimum, ac ſapientiſſimum ætatis noſtræ Theologum, quem vnum, poſt recitatos aliquot Doctores, ait, apud ſe eſſe inſtar omnium.* Laurentius Beyerlinck in opere Chronogr.ad A. C. 1603. Tit. Viri illuſtres. *Eius*, inquit, *memoria è Theologorum gymnaſijs nunquam excidet ob illuſtres, & eruditos in Sanctum Thomam Commentarios, qui Doctoris ſui nomen ita ſolide tuentur, vt alio præcone non indigeant*. Ioannes de S. Baptiſta, Relatus à Ioanne Euſebio Nieremberg c. 38. Vitæ S.Ignat.vocat. *Solem Theologiæ, Magiſtrum Magiſtrorum, & Doctorum, hominem admirabilem, Angelum vita, atque intelligentia; Magiſtrum, Solem, lucem Theologiæ, qui ſine vllius iniuria, iure mereatur nomen Doctoris Orbis, quemadmodum ætate ſua glorioſiſſimus Chryſoſtomus*. Alij quoque magnum Theologum, & hoc tempore, Theologorum quaſi quendam Coryphæum, & Anteſignanum; Theologorum Magiſtrum, naturæ monſtrum, Scholæ Theologicæ, aut potiùs noſtri ſæculi magnum decus, lumen, oraculum paſſim appellant. Superſedeo pluribus ne tædio ſim. Illud certe admiratione dignum eſt, quod vel in Sancto Thoma Aquinate celebratur, illum annos vix natum 25, publice Philoſophiam, Theologiamque explicuiſſe, & iam tum in celeberrima Complutenſi Academia oculos in ſe omnium conuertiſſe, & ante 30. ætatis annum in Vrbem euocatum, traxiſſe in ſui admirationem, quàm latè patet, Orbem terrarum, eumque nominis ſui fama compleuiſſe. Et ſi commendationem adfert diſcipulo excellentia Magiſtri, magno illo atque eminentiſſimo Theologo Alphonſo Deza, Duce, & præceptore, meritò gloriatur alicubi Gabriel Vaſquez in 1.2.d.203.nu.30. Scripſit autem; atque edidit periclitaturus quid poſſet, & Doctorum hominum iudicium exploraturus

De Cultu Adorationis lib.III. &

Diſputationes duas contra errores Felicis, & Elipandi De Adoptione, & ſeruitute Chriſti in Concilio Francofurtienſi damnatos, quæ ſeorſim priùs impreſſa ſuo poſtea loco ſunt inſerta, vbi nimirum de Verbi Incarnatione agit. Itaque opera ipſius omnia 10. tomis habentur impreſſa, tum alibi, tum nouiſſimè Lugduni per Antonium Pillehotte 1620. in folio. Continet autem Tomus

I. *Commentarios, & Diſputationes in 1. Partem Summæ S.Thomæ per priores 26. Quæſtiones De Deo, De Prædeſtinatione &c.*

II. *A Quæſtione 27. vſque ad 44. De Trinitate, & De Angelis.*

III. *In 1.2. Sancti Thomæ per priores 20. Quæſtiones De Actibus humanis*. Atque hæc quidem ipſo Auctore viuente in lucem fuerunt edita: quæ deinceps ſequuntur, poſt eius mortem ſunt edita

IV. *Per Quæſtiones reliquas, De Legibus De Merito, De Gratia &c.*

V. *Opuſcula Moralia, quæ ad 2.2. Sancti Thomæ ſpectant*, nempe

Tractatus de Eleemoſyna.
De Scandalo.
De Reſtitutione.
De Pignoribus hypotheticis.
De Teſtamentis.
De Beneficijs.
De Redditibus eccleſiaſticis.

VI. *In 3.par.per Quæſt.26. priores De Verbi Incarnatione*

VII. *A quæſt. 26. vſque ad 71. De Vita*

Chri-

Chriſti, *De Sacramentis in genere*, *De Baptiſmo*.

VIII. *A Quæſtione 73. vſque ad 83. De Eucharistia*, *De Sacrificio*, *De Sacramento Ordinis*.

IX. *A Quæſtione 84. vſque ad 93. De Pœnitentia*, *De Matrimonio*, *& Sponſalibus*, *De Excommunicatione*.

X. *Paraphraſim*, *& compendiariam explicationem ad viij. D. Pauli Epiſtolas*, nempe

Ad Romanos.
Ad Galatas.
Ad Epheſios.
Ad Philippenſes.
Ad Coloſſenſes.
Ad Theſſalonicenſes I. & II.
Ad Hebreos.

Adiuncta eſt ad finem huius Tomi, *Bulla Pij V. & Gregorij XIII. aduerſus Propoſitiones aliquot Michaelis Baij.*

Extant præterea collectæ ex ipſius Operibus Theologicis ab aliquo doctrinæ eius ſtudioſo, & typis editæ

Metaphyſicæ Diſquiſitiones. Antuerpiæ apud Ioannem Keerbergium 1618. in 8.

GABRIEL DE VEGA, natione Hiſpanus, patria Barrienſis Toletanæ Diæceſis, vir ſpiritus Apoſtolici, quem in Peruano Regno maximè exercuit. Admiſſus in Societatem in Prouincia Bætica anno Domini 1584. ætatis 20. cum inde in Americam anno 1592. iam Sacerdos nauigaſſet totis 12. annis ſe Indorum ſaluti ſtrenuè impendit. Tribus vitæ ſuæ poſtremis verſatus eſt in Caſtris Regijs, non minori militum vtilitate, quam voluptate ſua, quàm ex ærumnis caſtrenſibus capiebat vberrimam. Verùm ita confecerunt hominem ij labores, vt cùm primum ad Chilenſe Collegium redux peruenit, vehemens eum lateris dolor inceſſerit, & 28. die nullo quietis interim dato interuallo confecerit. Patientia in morbo documenta dedit egregia, qualia ſemper valens ediderat, ſummæque cum diuina voluntate conſenſionis, vndè pax quædam eius animo incredibilis inſidebat. Obijt anno ſalutis 1605. ætatis 41. poſt 21. quam ad Societatem acceſſerat, iam nuper 4. votorum profeſſis adſcriptus. Funus ab Epiſcopo, atque omni Clero, ab Religioſis familijs; ab Nobilitate frequenti celebratum eſt, excitis fama ſanctitatis ipſius, & miraculorum, quæ conſtabat eſſe patrata diuinitùs, dum ipſe recitato ſuper ægros Euangelio, manuque eis impoſita, momento illis ſanitatem reſtituit. Scripſit magno commodo aliorum

Artem Grammaticam, *Dictionarium*, *& Annotationes quaſdam linguæ Chilenſis.*

GARCIAS GARCES, natione Hiſpanus, patria Molinenſis in Diœceſi Segobienſi, Societati adſcriptus 1574. ætatis 14. poſt traditas humaniores litteras, & emenſa Theologiæ ſtudia tranſmiſit in Indiam anno 1588. & profeſſionem votorum 4. emiſit in Iaponia, vbi poſt multos annos in excolenda illa Chriſti vinea, & propagatione Fidei Chriſtianæ fructuoſiſſimè impenſos, cùm eſſet Rector noſtrorum Nangaſachi, pulſus in exilium cum alijs ſocijs, Manilam in Philippinis nauigauit, inde Macaum, vbi vitam præclarè actam ſimili exitu concluſit, anno Chriſti 1628. ætatis 68. & Societatis 54. edidit idiomate Hiſpanico

Relationem de perſecutione Iaponica, *& Martyribus*, *qui in ea paſſi ſunt anno ſalutis* 1624. in 4.

GASPAR ASTETIVS, natione Hiſpanus, patria Salmanticenſis annos natus 18. anno ſalutis 1555. calendis Iulij in Societatem noſtram ingreſſus eſt. in eaque litteris probe excultus vota 4. ſolemnia nuncupauit. Vir fuit planè religioſus, & ad iuuenum ſtudioſorum animos ad virtutem excitandos magnæ dexteritatis, atque induſtriæ. Docuit litteras amæniores; & Theologiam de moribus. Fuit Rector & Magiſter Nouitiorum. Dum degeret in Collegio Salmanticenſi, illi aperuit venerandæ memoriæ P. Martinus Guttierez Collegij tunc illius Rector, quod cognouerat cœlitùs (ſicut in huius vita referunt Io: Euſebius Nierembergius, & Philippus Alegambe Libro de mortibus illuſtribus) eos omnes, qui id temporis ipſi ſuberant eo in Collegio, æternæ Beatitudini fuiſſe deſtinatos. Manifeſtauit autem idem P. Gaſpari tunc Admonitori ſuo, reddendo rationem de inſolitis quibuſdam lætitiæ ſignis, in quæ proruperat, viſis in recreatione Patribus, Fratribuſque poſt illam reuelationem, atque ita ex P. Gaſpare eius rei notitia ad cæteros dimanauit. Tandem ſexagenario maior ad cæleſtes ſedes (vt fas eſt ſperare) Burgis migrauit die penultimo Auguſti 1601. Scripſit Hiſpanicè

De inſtitutione Iuuentutis Chriſtianæ, duabus Partibus Burgis apud Philippum de Iunta 1592. in 8. & 1594. in 8.

De Statu Religionis. Burgis apud Ioannem Baptiſtam Varaſſium 1593. in 8.

De Gubernatione familiæ, *& ſtatu matrimonij*. Valliſoleti apud Ildephonſum de Vega 1598. in 8.

De ſtatu Viduarum, *& Virginum*. Burgis apud Io: Bapt. Vareſium 1598 in 8.

Catechiſmum Puerorum. Pampilonæ, Valliſoleti, Matriti; ſæpiſſimè recuſum, ſub diuerſis formis, itaut nunc per vniuerſam ferè Hiſpaniam omnes pueri, eo vtantur ad Doctrinam Chriſtianam addiſcendam

Libellum precationum, *ſeu modum recitandi Roſarium*, *Pſalmos*, *& Orationes*. Burgis 1593. in 12.

GASPAR BARZÆVS, natione Belga (vnde, & Gaſpar Belga vulgò nuncupatus eſt) patria Goëza Zelandiæ oppido, à quo, & Inſulæ Goëzanæ nomen, Parentes habuit honeſtos quidem, ſed tenues, & plebeios. Patri

nomen Franciſco fuit : vnde factum , vt ipſe quoque in Luſitania Gaſpar Franciſci appellaretur. Poſt prima Grammaticæ rudimenta in patria ſuperata, Louanij Philoſophiæ curriculum abſoluit, & Magiſterij laurea donatus, Theologica ſtudia non ſine magno profectu, perfecit. Inde per varios caſus in Luſitaniam venit, & Conimbricæ Franciſci Stradæ Concionibus inductus, Societati nomen dedit die 20. Aprilis anno ſalutis 1546. In ea mox à primo Tirocinio altiſſima iecit fundamenta Apoſtolicæ ſanctitatis, qua poſtmodum clarũit, cuius emicantes ſcintillas cùm Simon Rodericius è primis Societatis Decemuiris vnus, qui tum in Luſitania noſtris præerat, obſeruaſſet, octauo quàm venerat menſe Sacerdotem creari voluit, & ipſa Natalis Domini nocte, nouus Sacerdos tria prima ſacra fecit. Biennio poſt in Indiam deſtinatus, magno animi ſui gaudio Vlyſſipone conſcendit die 1. Martij anno 1548. & magno virtutum omnium documento paſſim exhibito, ſuperata duplici, eaque grauiſſima tempeſtate, Goam incolumis tenuit pridie Nonas Septembris. Ibi mox ad populum concionem habere; in Scholis eodem tempore Grammaticæ præceptiones tradere, Philoſophiam explicare, Sacrum Prouerbiorum librum interpretari, alia atque alia Societatis obire miniſteria, nihil relinquere intentatum. Inſequente Martio cùm Sociorum regendorum Prouinciam, quam illi S. Franciſcus Xauerius demandabat, humillimè deprecaretur, Armuziam ab eo Vrbem in Sinus Perſici ſitam faucibus commercio celeberrimam, deploratiſſimam omni genere vitiorum, tamquam ad certaminis ſui ſtadium miſſus eſt. Quid ibi Gaſpar triennio geſſerit; haud facile verbis ſit exæquare. Stringam ſummatim, quæ volumen ſi explicentur conficiant. Supinam ignorantiam rerum Diuinarum cum puerorum, virorum, mulierum, negotiatorum, Iudeorum, Saracenorum, Gentilium abſolutiſſima inſtitutione commutauit. Omne libidinis genus, cum ea puritate, flagellatione, cilicijs, ieiunijs, cum quibus ea nequit conſiſtere, conuertit. Inimicitias in pacem, in amplexus, in ſupplicum amicitiam, domi, pro vicis, pro foribus Aedis ſacræ initam, transformauit. Auaritiam ſubſtitutà iuſtitià, reſtitutionibus, Eleemoſynis proſcripſit. Contractus nefarios Sacrorum reuerentia Canonum exſtirpauit. Mahometanorum ora concluſit, ne ſuum impoſtorem inclamarent. Coranum, celeberrimum delubrum ipſorum obſtruxit; reliqua Fana expiauit, Iudæos repreſſit. Gentilium capita expugnauit. Chriſti cultum, qui præ cæteris iacebat, præ cæteris erexit. Ipſe doctrinam quotidie Chriſtianam explicabat, ægris aderat; Confeſſiones excipiebat; Catechumenos inſtruebat, baptizabat; cuſtodias viſebat; cuiuſquè Sectæ res ſtatis cuique diebus procurabat. Dominicis diebus, Feſtiſquè concionabatur ad populum manè, veſperi ad ſeruitia, tertio ad ægros. Sub noctem nolæ pulſu mortales prouocabat ad preces pro ijs fundendas, qui lethali crimine, vel vita functi Purgatorio igne tenebantur. Induxit crebram Sacramentorum vſurpationem; Solemnem ſexta quaque feria cum frequenti flagellatione Concionem de Chriſti tormentis, publicas ad hæc ſupplicationes. Virgines multas collocauit; valetudinarium inſtruxit; Sodalitij Miſericordiæ Domum auxit, Clero aliam faciem induxit. Denique Armuziam ſui plane diſſimilem abiens reliquit. Goam reuerſus defixa in Iaponiam cogitatione, ab Xauerio iuſſus eſt Goano Collegio, totiquè per Indiam Societati præeſſe; quod munus cum grauatè quidem, ſed haud pertinaciter repugnans die 14. Aprilis anno 1552 ſubijſſet, incredibili vaſtitate animi plura complexus, quàm quæ denis hominibus bene nauis ſufficerent: omnia perduxit ad exitum: donec in ipſa Concione, quam habebat ad Aedem maximam die 6. Octobris anni 1553. repentina animi defectione deſinere, ſummo, Auditorum deſiderio, mæroreque coactus eſt: vt quemadmodum decebat, adeo ſtrenuum Chriſti Militem, prope agens, pugnanſque ceciderit. Nam inde cùm paulùm recepiſſet ſpiritum, reuerſus ad Collegium, ac ſubinde acerrima febri correptus paucis diebus exacto in Societate prope ſeptennio die 18. Octobris quæ Diuo Lucæ Sacra eſt, extinguitur. Elatus eſt ingenti omnium querelà, vberrimoque fletu, conuolante vndique multitudine tam frequente, vix, vt humando corpori locum darent. Vir fuit Gaſpar prorſus Apoſtolicus, à Deo datus in ſalutem moltorum, laborioſus ad miraculum. Dicebatur, & votum addidiſſe, nunquam cuipiam, ſiue ad corpus, ſiue ſpectaret ad animum, modò poſſet, ſubſidium denegandi. Iaponios, Sinas, Æthiopes, Abaſſinos, Scythas; gentes omnes, vbi ſpes aliqua blandiretur fructus, & ærumnarum, animo erat complexus: quamuis, vt erat veræ laudis æſtimator intelligens, mira facilitate pateretur ſuos ardores Moderatorum iudicio temperari, ac fingi. Demum non alia ſolùm multa per eum Deus admiranda fecit, ſed etiam conſtans fuit ſententia in eius oratione, ad permouenda hominum pectora, & ab impietate, ac ſceleribus ſegreganda, vim prorſus fuiſſe admirabilem, longeque ſupra modum Concionatorum communem. Xauerius certè cum audiſſet, vidiſſetque quanta per eum Deus perficeret, tantus factus eſt eius admirator, vt continere ſe non poſſet, quin, Vir alioqui in laudando moderatus, continuus propè, quoties aberat, eius eſſet prædicator. Nemo fuit, vno excepto Xauerio, tot inter Societatis, Reique publicæ Chriſtianæ Heroes, quot eo tempore habuit Oriens, qui vel à Noſtris; vel ab Externis ex India ſcribentibus, æquè vti Gaſpar, collaudetur. Ipſe

ſe S. Ignatius, illum vnum omnium, ceu maximè idoneum, nominauit, qui Commiſſarij Apoſtolici nomine, ampla cum poteſtate, quo tempore hoc Romæ agebatur, Goæ reſideret, vt Patriarcham Æthiopiæ ex interuallo reuiſeret, deque eius muneris adminiſtratione cognoſceret. Res geſtas Gaſparis, poſt alios, tribus libris complexus eſt Nicolaus Trigaultius noſter, qui ſunt in manibus. Scripſit verò Gaſpar.

Epiſtolas II. eaſque prolixas, *De rebus Ormutinis, ſeu Armuzianis, deque eius Vrbis ad fidem Orthodoxam conuerſione* alteram ad Socios Conimbricenſes 4. Idus Decembris 1548. Alteram ad Luſitanos 1551. Item

Epiſtolam Indicam ad S. P. N. Ignatium Goa ſcriptam 1553. quæ omnes impreſſæ ſunt inter Epiſtolas Indicas, Louanij 1570. in 8.

Epiſtolam eius alteram plenam ſpiritu Dei, ſcriptam Armuziæ Calen. Octobr. 1550. ad quemdam, qui poſtulabat admitti ad Societatem, recitat Nicolaus Trigaultius lib. 3. vitæ ipſius cap. 19.

GASPARVS BRANDIS, natione Germanus, patria Vverlenſis ex Ducatu Angariæ, & Vveſtphaliæ natus anno 1588. die prima Auguſti Societatem ingreſſus 1608. 20. Octobris, & quatuor in ea vota profeſſus. Docuit litteras manſuetiores, præfuit ſcholis, Eccleſiaſtem egit, & Confeſſarium multis annis Paderbonæ, Aqniſgrani, & Embricæ, vbi piè deceſſit 29. Decembris 1648. Edidit Germanicè

Cordiologium, ſeu *ſpeculum Cordis*. Paderbonæ 1624. in 12. recuſum Ibidem 1627.

GASPAR CARDOSVS, natione Luſitanus ex oppido Fronteira, in prima iuuentute Societatem Eboræ amplexus eſt die 23. Decembris anno 1577, litteras humaniores diu. docuit, & alia Societatis miniſteria cum laude tractauit. Præfuit Rector in Collegio Funchalenſi, vir miro candore animi, & antiqua ſimplicitate ornatus, poſt ſexaginta annos in Societate exactos, fere octogenarius, & trium votorum Profeſſus quieuit in Domino Eboræ die 24. Septembris 1638. Scripſit

Libellum Meditationum pro ſingulis anni diebus

Calendarium Romanum ad Miſſarum, & Canonicarum Horarum vſum accommodatum

GASPAR COELHVS, natione Luſitanus, vir de Iaponienſi Eccleſia bene meritus, patria Portuenſis, Societati ſe adiunxit Goæ, iam tum virtutis apprime ſtudioſus, anno Salutis 1556, ætatis ſuæ 25. Annos octodecim cùm impendiſſet ſalutaribus excurſionibus in India, translatus in Iaponiam anno 1571. fructuoſiſſimè ibi laborauit. Solus ad dena millia capitum Omurano in Regno, Sacro Baptiſmi lauacro abluit, Fana diruit; idola plurima comminuit, ipſam Bonziorum Sedem magno ſuæ vitæ periculo aggreſſus, ex ijs ad ſexaginta Chriſto lucrifecit. Ibi ſpretis, quæ ad Vernum ieiunium vltro deferebantur opportunis cibarijs, oriza toſta, & herbis ad victum vſus, ita ſtomachum peſſundedit, vt nunquam exinde potuerit inſtaurari. In ſumma accerſitis paulò poſt Socijs, ad quinquaginta millia Baptizatorum intra triennium aſcendit numerus, & totum Omuræ regnum Chriſto ab illo eſt auctoratum. Eum deinde primum Iaponiæ ViceProuincialem Alexander Valignanus Viſitator rediturus in Indiam anno 1581. conſtituit. Eo in munere quàm multa, quàm ardua præclarè geſſerit prolixi foret operis ſigillatim percenſere. Mirum erat quantam illi gratiam Deus, vel apud efferatos cultores Idolorum conciliaret, vt plura infidelium Regna patefecerit, quæ impenetrabili clauſa vecte videbantur. Ipſe Imperator Quabocondonus accedentem ad ſe inuſitata coram Palatinis Proceribus familiaritate dignatus, amplum diſſeminando Euangelio Diploma liberalius expectatione conceſſit, & alia rurſus ſuper alia beneficia poſtulanti contulit. Noſcimandonus Satrapa, qui latè claſſibus maria vexabat, indemnitatem illi, Socijſque dato pro teſſera ſuorum inſignium ſupparo, rarà indulgentia fecit. Regina Bungenſis implacabilis vexatrix Eccleſiæ, vno eius alloquio cicurata eſt. Verùm, vt eſt Tyrannorum ingenium inſtabile, Quabocondonus, quem pridie publicis honoribus affecerat, eum, ac Socios intempeſta nocte ante diem 25. Iulij anno 1587. Luſitana in naui ſecurè dormientem, propoſita morte, toto Iaponiæ Regno proſcripſit. Gaſpar Hominis inconſtantiam admiratus, furori tantiſper; dum deferueſceret impetus cedendum ratus, Socios iuſſit mutare corporis cultum, & clàm varia in loca diſtributos, intendere animum in curam gregis, & eum quo poſſent modo nouis acceſſionibus augere. Ipſe Canzucam Arimani Regni Vrbem ſibi Sedem delegit, vnde ſe poſſet partes in omnes opportunè pro re nata conuertere. Ibi curis, ærumniſquè confectus, demum poſt annos duodeuiginti in cultura Vineæ Iaponicæ operoſiſſimè exantlatos ad laborum præmia ex hac vita emigrauit die 7. Maij 1590. tria vota ſolemnia profeſſus ab anno 1571. relictis poſt ſe egregijs magnarum virtutum exemplis. Funus quanta nullum adhuc pompa eſt celebratum ab ipſomet Rege Arimenſi, & mors ingenti omnium planctu deplorata. Elogium præclarum de eo confecit Georgius Cardoſus in Agiologio Luſitano ad diem 25. Maij. Scripſit Vir Apoſtolicus

Annuas litteras ex Iaponia annorum 1582. *&* 1588. *&* alteras *datas* 1575. quæ extant Luſitanicè in volumine compacto iuſſu Theotonij Archiepiſcopi Eborenſis 1593. & Romæ Italicè, apud Zannettum, & Venetijs, apud Iolitas 1585.

GASPAR DRVZBICKI, natione Polonus in Societatem venit anno ſalutis 1609. die 24. Auguſti ætatis ſuæ 20. In ea diſciplinas amæniores, ſeuerioreſquè didicit, docuitquè, & ſtudia aliorum moderatus eſt, votorum quatuor profeſſione obſtrictus. Rector, & Magiſter Tironum fuit ad ſeptennium. Gubernauit Collegia Caliſſienſe, Oſtrogienſe, Poſnanienſe iteratò, & bis etiam Prouinciam Poloniæ. Bis quoque miſſus à Prouincia Poloniæ Procurator Romam ad Congregationes Procuratorum, & duabus præterea Congregationibus Generalibus Octauæ, & Decimæ interfuit. Vir fuit multæ orationis, & coniunctionis cum Deo, adeò vt ſingularibus gratijs, & reuelationibus credatur diuinitùs illuſtratus. Tenerrimo pietatis affectu ferebatur in Deiparam, cui pientiſſimæ Parentis nomen ſemper tribuebat. Deſpicientiſſimus ſui, corpus ſuum inclementer admodum tractabat; id quod patuit in extremo morbo, quando infirmarijs exuentibus eum, & induentibus, carnes miſerandum in modum flagris conciſæ apparuerunt. Piè, vt vixerat, obijt Poſnaniæ poſtridie Calendas Aprilis anno Domini 1660. & ad multos annos corpus manſiſſe dicitur incorruptum. Vitam eius edidit noſter Daniel Pauulouuski, apud quem multa præclara lector poterit videre. Scripſit plurima P. Gaſpar, quæ ſi ſimul compingerentur multos tomos conficerent. Edidit in lucem lingua Vernacula.

Libellum pro Defenſione Societatis, contra famoſum librum ab vno quopiam ex Academicis Cracouienſibus vulgatum, & Interregni tempore inter Nobiles diſtributum. Titulus Apologiæ eſt:

Declaratio Memorialis Exorbitantium, & proceſſus Academiæ Cracouienſis inter Ordines diſtributi Latinè vulgauit

De Paſſione IESV Chiſti Filij Dei. 1651. in 4.

Faſciculum Exercitiorum, & conſiderationum de præcipuis virtutibus Chriſtianæ Fidei. Cracouiæ, typis Hæredum Franc. Cæſaris 1662. in 4.

Solem in virtute ſua, ſiue Ieſum Chriſtum in ſplendore ſuarum excellentiarum ſpectabilem. Cracouiæ typis Hæredum Chriſtoph. Schedel 1662. in 4.

GASPAR FERDINANDVS, ſeu FERNANDEZ, natione Hiſpanus, patria Toletanus, S. Franciſci Borgiæ aſſiduus comes, illiquè à Sacris Confeſſionibus diu fuit. Vir planè religioſus, litteratus, & morum ſuauitate amabilis, qui poſt multas, & longas peregrinationes, poſt varias gubernandi, prælegendiquè curas, demum in patriam reuerſus anno ſalutis 1575. menſe Octobri Toleti vita functus, in cælum (vti ſperamus) translatus eſt. Eum Martinus Nauarrus in præfat. ſui Manual. Eruditiſſimum, & Societatis decus egregium appellat. Admiſſus eſt Gaſpar in Societatem Valliſoleti anno ſalutis 1554. ætatis 27. iam tum Magiſter in Artibus, atque in ea docuit Rhetoricam, & litteras Græcas. Votorum 4. profeſſionem emiſit Romæ in manibus Sancti Franciſci Borgiæ. Rector fuit Neapoli, & à Prouincia illa electus Procurator ad primam Congregationem Procuratorum Romæ anno 1568. Scripſit

De Dialectica.

De ſtatu, & officio Cardinalium S. R. E. Libros III.

De Immortalitate Animæ, & alia nonnulla, quæ typis hactenus mandata non ſunt.

GASPAR FERNANDEZ natione Luſitanus, patria Vrbe Beia Diœceſis Eborenſis Societati ſe applicuit anno ſalutis 1602. ætatis 19. & 4. vota ſolemnia concepit. Rhetoricam, & humaniores litteras octennio docuit; præfuit ſtudijs, Miſſiones varias obiuit; Concionator inſignis; Sacram Scripturam Eboræ aliquot annis explicuit. Dum multa pararet prælo mors manum de tabula tollere coëgit in ipſa patria die 22. Iunij 1640. Scripſit ſed non edidit

Concionum ſuarum Tomos 12. Moliebatur etiam

Commentarios in Libros Regum ad proſequenda capta P. Franciſci Mendozæ, ſed non perfecit

* GASPAR FERREIRA natione Luſitanus, patria è Caſtro Fornos Societati ſe adſcripſit anno ſalutis 1588. ætatis 17. & ad lucra animarum tranſmiſit in Indiam 1593. vbi quadriennium docuit litteras humaniores, ſexennium fuit Magiſter Tironum, & vota 4. nuncupauit. Sinenſi Miſſioni applicatus anno 1608. Socius aliquandiù fuit noſtri Matthæi Riccij in Regia Peckinenſi, tùm varijs in Reſidentijs Superior, annos ampliùs quadraginta vineam illam labore improbo vtiliſſimè excoluit, linguam perfectè addidicit, & Gentiles multos Eccleſiæ Chriſti aggregauit. Tandem plenus dierum, ac bonorum operum, ad laborum mercedem emigrauit. Ibidem die die 27. Decembris 1649. impreſſit lingua Sinenſi

Sanctos menſtruos additis Sanctorum Patrum, ac Sacræ Scripturæ ſententijs, quos ſingulis menſibus more Societatis ſolent noſtri Neophytis partiri. Item

Meditationes de quindecim Roſarij Myſterijs.

* GASPAR DE LA FIGVERA natione Hiſpanus, patria Bilbilitanus vulgò Calatayud in Aragonia, nobili genere ortus, ad Societatem Salmanticæ ſe adiunxit anno ſæculi tranſacti 94. ætatis 15. & vota 4. ſolemnia profeſſus. Philoſophiam, & Theologiam annis aliquot explicuit; præclaris à Deo dotibus ornatus myſtica in primis Theologia excelluit, qua multos vtriuſque ſexus ad perfectionem direxit. Hinc cum Marchio de Zerralbo deſignatus fuiſſet in Proregem Regni Mexi-

Mexicani à Philippo II. Rege, noluit is gubernationem admittere, niſi liceret ſibi ſecum deducere P. Figueram in Confeſſarium, quo aliàs cum Gubernator eſſet Regni Gallæciæ vſus fuerat conſcientiæ directore, & cùm per temporis anguſtias propter claſſis abitum facultas abeundi peti non poſſet à Præpoſito Generali pro P. Figuera, tunc Rectore, & Magiſtro Nouitiorum Villagarſię mandato Regis iuſſus eſt Marchionem comitari. Sex annis fuit ille Mexici, & cùm in Hiſpaniam renauigaret, incidit nauis qua vehebatur, in claſſem Hollandorum, à quibus captus eſt, & abductus in Hollandiam, multa perpeſſu aſpera homo Religioſus, Sacerdos, & Societatis, inter Heterodoxos neceſsè habuit ſuſtinere. Redux tandem in Hiſpaniam gubernauit ſecundò Domum Villagarſienſem, Collegium Burgenſe, Salmanticenſe, & Domum Profeſſorum Valliſoleti, vbi aliquot annos fuit à Sacris Confeſſionibus Comiti Beneuentano, & filijs, tantæque apud omnes auctoritatis, vt eum alterum Ludouicum à Ponte appellarent. Fuit ſiquidem orationi adeò addictus, vt vltra præſcriptum omnibus tempus, integram horam quotidie abſoluto ſacro, in ea poneret, licet alijs multis negotijs implicatus. Obijt ſanctiſſimè ſicut vixerat Valliſoleti die 22. Martij 1637. Cadauer extulerunt è domo in templum, & è templo in ſepulchrum ſuis humeris ipſe Comes Beneuentanus, filij illius, & alij Magnates, qui certatim feretro ſuccollare contenderunt. Poſt mortem illius prodijt liber non mole magnus, ſed ſucco maximus continens in ſe medullam Chriſtianæ perfectionis, iuxta methodum exercitationum ſpiritualium S. P. Ignatij, quibus cùm excoluiſſet Comitem Beneuentanum ipſe clam P. Gaſpare, curauit ſub nomine ſui Sacellani edi, poſtea tamen ſuo nomine veri Auctoris recuſus eſt Hiſpanicè hoc titulo:

Summa ſpiritualis, in qua explicantur omnes caſus, & difficultates, quæ ſe offerunt in via perfectionis. Valliſoleti 1637. Dein Cæſaraugustæ eodem anno in 16. Hiſpali 1648. in 16. Compluti 1653. & Italicè traductus Bononiæ per Carolum Zennerum anno 1650. in 12.

GASPAR GONZALEZ, SEV GONSALVVS natione Luſitanus, patria Conimbricenſis Societati aggregatus Salmanticæ anno Domini 1556. ætatis 16. votorum 4. profeſſionem emiſit. Rhetoricam in ea docuit, & Theologiam ſeptennio explicuit, vir omni diſciplinarum genere excultus, & ob eam cauſam Studiorum formandorum gratia Romam accitus

Orationem habuit grauem pariter, atque elegantem anno ſalutis 1585. in Aula Pontificia, cum Iaponiorum Principum Legati publicè ſunt excepti, quæ tum Romæ, tum alibi à Typographis vulgata eſt. Obijt Gaſpar Romæ die 9. Auguſti anno Chriſti 1590. miro ſenſu pietatis teſtatus ſe in Catholica Fide decedere.

GASPAR HICKMANNVS natione Germanus, patria Zittauienſis in Luſatia, Societati inſertus anno ſalutis 1582. ætatis 19. prælegit in ea humaniores litteras, & Theologiam Moralem. Concionatorem egit annos amplius viginti, atque eo in munere Sereniſſimo Carolo Archiduci Auſtriæ, qui Ferdinandi II. Cæſaris Auguſti parens fuit, deſeruiuit. Naturæ conceſſit Græcij die 13. Ianuarij 1617. Vota quatuor ſolemnia pridem antea profeſſus. Habuit Iunior

Orationem in exequijs Sereniſſimi Caroli Archiducis Auſtriæ, Seccouiæ, anno 1590. quæ inter tres à Græcenſi Collegio editas, eſt ordine ſecunda, quamuis eius nomen ibi non ſit adſcriptum.

GASPAR HVRTADVS, natione Hiſpanus, patria Mendexarenſis. Is cùm emenſo ſtudiorum curſu Compluti ad Doctoralem Theologiæ lauream cum eruditiſſimis viris contenderet, primum inter Competitores locum occupauit. In eadem Academia Collega maior, & ſemel iterumque Conſiliarius, ac demum Primarius Philoſophiæ profeſſor fuit. Verùm ſpretis Dignitatibus, ad quas per hos gradus ſcandebat, Societatis humilitatem complexus eſt, anno ſalutis 1607. ætatis ſuæ 32. atque in ea Theologiam perpetuò, tum Murciæ, tum Matriti, tum Compluti annos amplius 30. docuit. Fuit Gaſpar à puero virtuti apprimè deditus, & ex ſodalibus plures eius hortatu Deo ſe in Sacris Familijs conſecrarunt. Miri candoris ſemper extitit, & in Societate ſingulare religioſæ obſeruantiæ exemplum. Cultor eximius ſanctæ paupertatis, etiam ad minutiſſima quæque, ſeu danda, ſeu accipienda facultatem petebat. Tam in cubiculo, quam in veſtibus ſplendebat amor mendicitatis. In Aula Regia, Sanctitate, & doctrina multos ad ſe attraxit, ſed à recti tramitte, quem apprehenderat in alienam Sententiam flecti nullo modo ſe ſinebat. Studio tandem, & ſenio emeritus, Matrito Complutum ſeceſſit, vbi totius facultatis Theologicæ Decanus, & ſupremi Senatus S. Inquiſitionis Cenſor, ſeptuagenario maior, exuuias mortalitatis poſuit die 5. Auguſti anno 1646. inter primarios Societatis viros propter eximiam ſcientiam, & virtutem meritò reponendus Funus cohoneſtarunt Vniuerſitatis, atque Oppidi Rectores, cum ſcientiarum omnium Profeſſoribus, & cadauer ad ſepulchrum ſex Maiores Collegæ Vniuerſitatis, tamquam ſui quondam fratris exuuias, ſuccollantes deportarunt. Edidit in lucem tomos aliquot Theologicis de quæſtionibus in octaua forma, quibus breuiter ſolidè, ac dilucidè difficillima quæque explicat. Continet autem

I. *Diſputationes de Matrimonio, & Cenſuris.* Compluti 1627. & Lugduni per Laurentium Durand 1625.

De

II. *De Incarnatione*. Compluti 1628.

III. *De Sacramentis in genere, & in ſpecie. De Baptiſmo, Confirmatione, Pœnitentia, & Extrema Vnctione*. Compluti 1629.

IV. *De Eucharistia, Sacrificio Miſſæ, & Ordine*. Ibidem eodem anno. Et hi quidem Tractatus De Sacramentis, & Cenſuris iunctim recuſi ſunt Antuerpiæ typis Plantinianis Moreti 1632. in folio.

V. *De Beatitudine, Actibus Humanis, Bonitate, & Malitia, Habitibus Virtutis, & Peccatis*. Matriti apud Franciſcum de Ocampo 1632. in 4.

VII. *De Iuſtitia, & Iure*. Matriti apud Ioannem Sanchez 1637. in 4.

VIII. *De Deo Trino, & Vno*. Ibidem ex Typograghia Regia 1642 in 4. & recuſum Ibidem apud Gabrielem de Leon 1662. in 4.

Reliquit in promptu *De Religione*.

De Legibus, & de Gratia.

De Angelis, & meditabatur præterea

Summam quandam, & Curſum Philoſophicum.

GASPAR LECHNERVS, natione Germanus, patria Hallenſis in diœceſi Saliſburgenſi, pene puer in Societatem ingreſſus annos natus 16. anno ſalutis 1599. in omni Scientiarum genere peregregiè verſatus eſt. Docuit partim Ingolſtadij, partim Pragæ Philoſophiam triennio; quadriennio Moralem Theologiam, Scholaſticam nouennio, Sacras Litteras plus biennio. Præfuit ſcholis, præfuit perdiu Sodalitati Partheniæ, ſimul in Confeſſionibus excipiendis impiger; in habendis Concionibus aſſiduus; Philoſophiæ, ac Theologiæ Doctor, & 4. in Societate vota die 31. Iulij 1618. profeſſus. Obijt Pragæ per Quadrageſimam anni 1634. die 31. Martij: Dedit in lucem varia his titulis

Digitus Dei in binio, ſeu de vitæ ſtatu deligendo. Tractatus ex tom. II. Lud. de Ponte, de Perfectione Chriſtiana, contractus. Ingolſtadij, typis Gregorij Hænlini 1619. & 1620. in 12. tacito ſuo nomine

Diſſertatio Theologica, de Renunciatione ſucceſſionis, & diſpoſitionis bonorum, quam religionum candidati faciunt. Ibidem 1622. in 4.

Eutychi-Neſtoriana Vbiquitas, Theologica Diſputatione impugnata, contra Theodorum Thummum Prædicantem Tubingenſem. Ibidem 1624. in 4.

Theodorus Thummius in typo deſcriptus, ſeu Confutatio libellorum Thummij de Papa Anti-Chriſto. Ibidem 1626. in 8.

Diſſertatio Theologica de Prædeſtinatione, & Reprobatione hominum. Dilingæ, apud Iacobum Sirmadi 1627. in 8.

Sodalis Parthenius ſiue libri 3. quibus mores Sodalium exemplis informantur. Ingolſtadij, typis Hænlini 1621. & auctius Dilingæ addito Auctoris nomine quod antea preſſerat formis Academicis 1628. in 12.

GASPAR LOARTE, natione Hiſpanus, patria Methymnenſis, vir pius iuxta, ac doctus, grandis natu, & Doctor Theologus, & in pietatis officijs bene verſatus, Auctore Io: Auila Viro Apoſtolico, cuius diſcipulus fuerat, Societatem concupiuit, & in eam admiſſus eſt anno ſalutis 1552. Biennio pòſt Romam profectus, & ab ipſo S. P. N. Ignatio probè inſtitutus, Collegiorum noſtrorum Genuenſis, & Meſſanenſis regendorum prouinciam ſuſtinuit, & profeſſionem quatuor votorum edidit Romæ in manibus P. Iacobi Laynez Generalis 1660. Magnam Partem vitæ exegit in Italia, & diœceſim Sarzanenſem rogatu Epiſcopi Saulij, & partim ductu, per aſpera montium iuga viſitauit anno 1569. Alijs quoquè in locis, & præſertim Genuæ ſaluberrimè verſatus eſt. Paucis ante obitum annis in Hiſpaniam redijt, & Valentiæ ætate grauis, & bonis operibus plenus anno Salutis 1678. die 8. Octobris mortuus eſt. Iam tum cum Auila Magiſtro vtebatur, quaternas quotidie horas meditationi de Diuinis rebus tribuebat; tamquè tenero ſenſu Chriſti Seruatoris cruciatus recolebat, vt lacrymis ſequè, ac locum in quo conſtiterat, perfunderet. Scripſit Italicè dum Genuæ degeret, dedicauitquè opuſculum Duci Reipublicæ Genuenſis

De Conſolatione Afflictorum lib. 3. excuſos Romæ, apud Vincentium Accoltum 1574. in 12. Recuſos Venetijs 1575. apud Petrum de Franceſchis. Hiſpanicè, Valentiæ 1578. in 8. Gallicè Pariſijs 1579. in 16. & alibi ſæpiùs

De Sanctis Peregrinationibus, Stationibus, & Indulgentijs Tractatum dedicatum S. Carlo Borromæo, & impreſſum Romæ, apud Ioſephum de Angelis 1575. in 12. quem Latinè edidit Ioannes Gelderman Coloniæ 1619. in 12.

Meditationes de Paſſione Domini, Romæ in 8. Bononiæ 1576. in 16. Gallicè Pariſijs 1678. in 16. latinè Duaci 1605. in 12.

Meditationes de Myſterijs Roſarij Beatiſſimæ Virginis. Romæ, apud Iuſtinam de Roſſis 1573. in 8. quas latinitate donauit noſter Io: Buſæus 1598. in 12. Gallicè Lugduni 1579. in 16.

Inſtructionem, ac monita de meditanda Paſſione Chriſti, Recuſam Venetijs, apud Franciſcum Zilettum 1582. in 12.

Exercitationes vitæ Chriſtianæ; Recuſas Italicè Venetijs, apud Io: Bapt. Bonfaldinum 1598. in 12. Hiſpanicè Barcinone 1569. in 8. Gallicè Pariſijs 1580.

Remedia contra ſeptem peccata mortalia. Gallicè reddita Leodij apud Henricum Houium 1579. in 12.

Inſtructionum Sacerdotum, & Confeſſariorum Lib. II. Parmæ apud Sethum Viottum 1579. in 12.

Antidotum Spirituale contra Peſtem, Ge-

Genuæ apud Marcum Ant. Bellonum 1577. in 12.

Hæc eius opera alijs adhuc linguis excuſa circumferuntur.

GASPAR LVISIVS natione Luſitanus, patria Portelenſis in diœceſi Eborenſi, Societati nomen dedit anno ſalutis 1602. ætatis 16. & poſt traditam diu Eboræ, & Vlyſſippone Rethoricam nauigauit ad animarum lucra in Orientem vnà cum P. Gabriele de Matos (de quo ſupra meminimus) anno 1618. Miſſus in Prouinciam Iaponiæ, multis annis procurandæ animarum ſaluti ſe nauiter impendit, donec, ob negotia Goam regreſſus, inde transmiſit ad æternam requiem. Fuit Vice Prouincialis Iaponiæ, & præſedit Congregationi Prouinciali in ea Prouincia habitæ 1638. Scripſit.

Annuas litteras Goa 1618.*&* 1619.

Item ex Iaponia 1619. Romæ 1624. in 8. typis Zannetti, & *ex Cocincina* 1621. Romæ typis Corbelletti 1627. in 8.

GASPAR PAEZ natione Luſitanus, patria Couilhamenſis in diœceſi Egitanenſi, Societati ſe adſcripſit in India Goæ anno ſalutis 1607. ætatis ſuæ 15. & vota 4. in ea profeſſus eſt. Humaniores litteras triennio tradidit, & cùm Imperator Æthiopiæ Sultan Seguedus, quàm plurimos de Societate Patres mitti ad ſe poſtulaſſet, deſtinatus eo inter alios eſt Gaſpar, qui in inculta illa vinea, & in abluendis Æthiopibus ab erroribus in Fide vndecim annorum ſpatio impigrè, & fructuoſiſſime laborauit. Verùm defuncto Imperatore, qui Noſtros accerſiuerat, cum proſcripti omnes ab illius ſucceſſore ex Æthiopia ſub pœna capitis vnà cum Patriarcha Alphonſo Mendez fuiſſent, perſtitit aliquamdiù Gaſpar cum aliquot è Socijs, & in latebras ſe coniecit, vt occultè conſolaretur Catholicos, & nutantibus robur adderet. Verùm deprehenſus tandem & ab Hæreticis prope Vrbem Aſſam confoſſus, glorioſam pro Chriſto mortem ſubijt die 25. Aprilis 1635. multum dilaudatus ab eodem Patriarcha in ſua Hiſtoria m.ſ.de Æthiopia, & à magnitudine animi, & ab inexplebili laborum ſiti, & quod mortem ſibi quaſi præſentem ſemper in mente haberet. Scripſit

Annuas litteras ex Aethiopia annorum 1624. *&* *duorum ſequentium.*

GASPAR PETROVVSKI natione Polonus, in pago Petkovv, Prouincia Podlachiæ nobilibus parentibus natus in Societatem cooptatus eſt anno ſalutis 1574. ætatis 22. Hebraicæ, Græcæque linguæ ſcientia clarus fuit in paucis, Has & Mathematicas diſciplinas, Theologiam de moribus, & ſacras litteras interpretatus multis annis eſt. Eruditioni multiplici, ac variæ parem habuit memoriam, ob quam vulgo *Calepinus* vocabatur. Innumeris obrutus laboribus, ex ijs ipſis videbatur vſque vires redintegrare, quod eò magis mirum fuit, quòd cùm prandio abſtineret, vulgari cæna vtebatur. Religioſæ modeſtiæ, ac diſciplinæ, ſuique contemptus, & candoris animi perquàm ſtudioſus fuit, & animarum zelo non parum accenſus, quarum ſalutem inter paganos malebat, quàm inter Palatinos procurare. Epiſcopo Cracouienſi Petro Tylicki diu fuit à Confeſſionibus, qui hominis virtutem ita admirabatur, vt profiteretur ſe tam Sancti (vt aiebat) viri conſuetudine indignum eſſe. Obijt Cracouiæ plenus bonorum operum die 16. Februarii anno Chriſti 1612. ætatis 60. Religioſæ vitę 38. Vt Roxolanis ſchiſmaticis prodeſſet, Epiſcopi cuiuſdam ſuaſu, & rogatu edidit

Concilium Florentinum è Græco in Polonicum à ſe conuerſum.

GASPAR QVARTEMONT natione Belga, patria Binchienſis ad Societatem acceſſit iam Sacerdotio initiatus anno ſalutis 1583. & in ea gradum Coadiutoris ſpiritualis obtinuit. Docuit magno virtutis exemplo Poëſim, Rethoricam annis quatuordecim. & præterea præfuit ſtudiis Noſtrorum Repetentium per ſeptennium. Vir fuit precationis ſtudio mirificè deditus; moderator animi, temporiſque obſeruantiſſimus, paupertatis, & nitoris cultor eximius. Tanto ſalutis hominum deſiderio æſtuabat, vt annis amplius 12. ad Miſſiones excurrerit, & vel deuexa ætate, quauis anni tempeſtate, per omnes aëris iniurias, quinque leucas impranſus emetiretur, ſemel iterumque concionaretur ad ruſticos, & redux ad Collegium, modici panis, & butyri obſonio contentus eſſet. Dum negotiorum cauſa ad Eburones proficiſcitur, in itinere Hui (quod oppidum eſt Moſæ impoſitum) placidè obiit 4. Februarii anno Chriſti 1624. ætatis 69. ex quibus 39. egerat in Societate. Edidit latinè ex Hiſpanico Petri Ribadeneiræ compendio

Vitam S.P.N.Ignatij Loiolæ, quam in Linguam Græcam tranſtulit, ediditque noſter Georgius Mayr Auguſtæ 1616. in 12.

* GASPAR DE RIBADENEIRA natione Hiſpanus, patria Toletanus Deo ſe in Societate mancipauit, anno ſæculi fluentis 25. ætatis 15. & votorum 4. Sacramento ſolemni ſe obſtrinxit. Philoſophiam biennio, Theologiam 30. annorum ſpatio explicauit in Vniuerſitate Complutenſi S. Theologiæ Doctor, & primarius Profeſſor, & in Archiepiſcopatu Toletano Examinator Synodalis. Superſtes modò in Collegio Madritano. Edidit

De Prædeſtinatione Sanctorum, & Reprobatione impiorum in 1. Partem S.Thomæ. Compluti typis Mariæ Fernandez 1652. in 4.

De Scientia Dei in 1. Partem S. Thomæ. Ibidem, & iiſdem typis 1653. in 4.

De Voluntate Dei. Ibidem, & iiſdem typis 1655. in 4.

De actibus Humanis in genere. Iiſdem typis anno, & forma.

GASPAR RVIZ ſiue RVESS natione Germanus, natus in pago prope Auguſtam Vin-

Digitized by Google

Vindelicorum Societati ſe addixit anno 1601. ætatis 16. & poſt traditas in ea humaniores litteras, cum eſſet linguarum Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, Gallicæ, Hiſpanicæ præter maternam ſuam peritus, ſalutis Indorum ſtudio nauigauit in Orbem nouum circa annum Domini 1616. ibique ternas denuo linguas Quinchuanam, Chiriguanenſem, Gorgotoquienſem in Prouincia Peruana magna induſtria perdidicit, & incredibiles labores, in difficillima Miſſione ad Sanctam Crucem in Montanis, pro Indorum ſalute propugnanda, magno animo exhauſit. Paupertatis, humilitatis, manſuetudinis, & facilitatis in alios, in ſeipſum ſeueritatis, pudicitiæ quoque, & obedientiæ clara dedit exempla. Harum eſto ſpecimen, quæ ſubiicio. Torquebatur corporis doloribus acerrimis; adducta eſt anus honeſta, quæ faceret medicinam: eam ille conſpicatus, ego, inquit, mortem priùs oppetiero, quàm vt vllam corporis mei partem fœminæ curandam exhibeam. At ſimul intellexit Superioris nutum, illicò tam conſtans, atque excelſum animi propoſitum temperauit. Ceterùm illibatam perpetuò virginitatem coluit. Morte ſua diu ante Socijs prænunciata, poſt eximiam in magnis morbis, & cruciatibus tolerantiam præſtitam, non ſine propinati ab Infidelibus veneni ſuſpicione, obiit in oppido S. Crucis Montanæ die 12. Aprilis anno 1624. vitæ ſuæ 39. religioſæ 23. à ſuſcepta 4. votorum profeſſione 11. Scripſit

Grammaticam linguæ Gorgotoquienſis, cuius in Perù vſus eſt.

GASPAR RVTHARDVS natione Germanus, patria Eyſtettenſis in Franconia, ad amnem Almonium, venit annos natus duodeuiginti ad noſtram Societatem anno ſalutis 1612. & ſolemnem votorum 4. profeſſionem emiſit 1628. Vir fuit admodum inſignis. Docuit amæniores litteras, Philoſophiam, Theologiam Scholaſticam, & Moralem cum magna exiſtimatione doctrinæ. Aliquot annis præfecturam geſſit rerum ſpiritualium quibus à prima ætate fuerat deditiſſimus. Rectoris etiam vices aliquando obiuit temporibus difficillimis à Bello & annonæ caritate, ſed ſemper cum laude integritatis, diligentiæ ſollicitudinis, & caritatis, cum interea plurimus eſſet in oratione. Modeſtiæ tantæ fuit, vt vix ſe litteras noſſe oſtenderet; Obedientiæ tam promptæ, vt ad ſuperiorum nutum, voluntatem cerneres. Obiit in Vrbe Briſacenſi tunc obſeſſa menſe Nouembri 1638. calculo, febri, dolore inteſtinorum, ac paralyſi ad coronam patientiæ confectus. Edidit

Sacram Coſmologiam Theorijs Phyſicis illuſtratam, Friburgi Briſgoiæ 1630. in 4.

GASPAR SANCHEZ natione Hiſpanus, patria Granatenſis Societati adſcriptus anno ſalutis 1556. ætatis 18. poſtquam Philoſophicas, & Theologicas litteras in Societate didicit, & profeſſus eſt, totum ſe ad Dei verbum Populis prædicandum contulit, in eoque munere per 30. & eo amplius annos, in Bœtica, in Curia Regia, & Toleti feliciſſime verſatus eſt. Erat enim vir præter eximiam morum integritatem, & doctrinam, acuto ingenio, graui iudicio, optima memoria, rara prudentia, ſolitudinis amans, quietis appetens, & in Diuinis Scripturis aſſiduè legendis, meditandiſque mirum in modum exercitatus, & ad permouendos ſententiarum grauitate, ac proprietate verborum Auditorum animos, efficax imprimis, ac robuſtus. Qui demum Toleti, dum ad Populum de loco Superiore verba facere non deſiſtit, tamquam fortis miles in pugna occubuit anno ſalutis 1591. ætatis 53. Porro ex Concionibus Gaſparis Sanchez tumultuariè ſcriptis, & in aduerſarijs repertis operæ *Franciſci Labata* noſtræ item Societatis Theologi prodierunt in lucem, & nomine Auctoris circumferuntur

Concionum Tomi II. quorum Prior continet Conciones in Dominicis, & feſtis Quadrageſimæ; alter vero in alijs per annum temporibus, excuſi ſunt in Hiſpania Toleti 1597. tum in Italia Brixiæ 1600. tum denique in Germania Moguntiæ typis Io. Abbini 1600. & 1602. in 8.

GASPAR ALTER SANCHEZ natione Hiſpanus, patria Nauarrus, ex oppido Caſcante 18. annos natus, poſt liberalium artium ſtudia anno ſalutis 1560. Noſter fuit. Vir fuit ſui contemptor, animarum ſalutis zelo ardens, Inſtituti Societatis perſtudioſus, ac tenax, qui totam pene vitam nimirum 42. plus minùs annos in pueris ad pietatem formandis, & litteris expoliendis miro humilitatis, & Reip. iuuandæ ſtudio contriuit. Rexit Domum Vergarenſem, & primus Collegium Bilbaenſe; ſpiritualium Coadiutorum albo adſcriptus. Otij oſor, paupertatis, & orationis amantiſſimus; tantique habitus à ſupremi Concilij Caſtellæ Præſide, vt ab eo euocatus Madritum fuerit in Confeſſarium, quo munere dum magna Regiæ Curiæ approbatione fungeretur, ibi die 12. Martij anno 1609. piè vitam cum morte commutauit. Scripſit in vſum iuuentutis, quam educabat, aptiſſimum libellum

Ciceronianarum Phraſium. Pampelonæ 1590. in 8. & alterum Hiſpanico ſermone quem inſcripſit

Theſaurum ſpiritualem Miſſæ; Hic latinè translatus à M. Martinez prodijt Ingolſtadij typis Ederianis 1620. in 16.

GASPAR SANCTIVS natione Hiſpanus, patria Centumputeolanus, natus eſt honeſtis, ſanctiſſimiſque parentibus, vt de Matre quidem ſua luculentum ipſe teſtimonium perhibet in cap. 4. Tobiæ, ab iiſque ad omnem probitatem educatus, prima litterarum fundamenta hauſit Ocaniæ vbi annos 17. natus ſe adiunxit Societati anno ſalutis 1571. 22. Februarij, & paucis poſt menſibus Oropeſam miſſus eſt, vt ludum ibi litterarium aperiret.

Nihil

Nihil illo fuit humilius in omni vita. Annis 12. litteras humaniores docuit priuſquam ad ſtudia ſublimiora, aut ad Ordines Sacros eſt admotus. Poſt illa verò rurſus annos alios 18. eidem muneri impendit, haud interrupto curſu, ne tum quidem cum Collegij Huetenſis habenas triennio Rector tenuit. Ex vmbra tandem eductus ad Solem, videlicet à traditione Grammaticæ ad Sacrorum Voluminum in Complutenſi Collegio interpretationem, tum primum viſus eſt aliquid præ ſe ferre admirationis de Moderatorum imperijs, ſolitus alioqui iuſſa omnia cæco quodam impetu exhaurire. Nunquam eſt viſus iraſci, aut animo commoueri, nunquam vocem ſolito amplius extollere; non pati detrahentes nomini alieno, ipſe de omnibus honeſte ſentire, & loqui. Nunquam in omni vita mentitus eſt. Virginitatis laurea, & omnino innocentiæ nullo vnquam lethali crimine temeratæ clarus. Diuinis etiam viſis, atque illuſtrationibus recreatus, mortis ſuæ diem diu ante præſciuit. Quantus fuerit doctrina, lucubrationes eius abunde declarant. Res eius Hiſtoriam conficiunt ſi accuratè explicentur: ſed erit aliàs de illis dicendi locus. Compluto Matritum accitus, vt in Academia Regia Scripturam Sacram primus exponeret, paucis poſt ſeptimanis nondum facto legendi initio, morbo repente oppreſſus & extinctus eſt, die 16. Nouembris anno ſalutis 1628. ætatis 75. ab inita Societate 58. ab emiſſa profeſſione votorum quatuor 33. Scripſit Sanctius

Commentaria cum Paraphaſi in Sanctos Libros, tomis pluribus, nimirum vt ordine non tam Scriptionis quam Scripturæ producam

I. *In IV. Libros Regum*, *& II. Paralipomenon*. Antuerpiæ apud Hieron. Verduſſium 1624. & Lugduni apud Hor. Cardon 1632. in folio.

II. *In Libros Ruth, Eſdræ, Nehemiæ, Tobiæ, Eſther, Machabæorum*. Lugduni apud Hor. Cardon, & Petrum Cauillat 1627. in folio.

III. *In Librum Iob*. Ibidem 1625. in fol.

IV. *In Cantica Canticorum*; quibus adiungit *expoſitionem Pſalmi* 77. Lugduni apud Hor. Cardon 1616. in 4.

V. *In Iſaiam*. Ibidem 1615. in fol.

VI. *In Ieremiam*, cui acceſſit *explicatio Pſalmi* 136. *eiuſque & Threnorum Ieremiæ Paraphraſis verſu Elegiaco*. Ibidem 1617. in fol.

VII. *In Ezechielem*. Ibidem 1619. in folio.

VIII. *In Danielem*. Ibidem eodem anno & forma.

IX. *In XII. Prophetas Minores, & Baruch*. Lugduni apud Iacobum Cardon, & Petrum Cauillat 162.. in fol. ex ijs autem prodierat antea ſeorſim.

Commentarius in Zachariam. Lugduni apud Horat. Cardon 1615. in 4.

X. *In Actus Apoſtolorum*, quibus acceſſit.

Diſputatio de S. Iacobi, itemque Petri & Pauli Apoſtolorum in Hiſpaniam aduentu. Lugduni apud Horatium Cardon 1616. in 4. Coloniæ 1617.

Reliquit prælo parata pro tomo.

In Sapientiam, & Eccleſiaſtici capita xxiv.

GASPAR SAVVICKI natione Lithuanus, patria Vilnenſis nobili genere ex Podlachia Poloniæ Prouincia ducto ortus, Romæ ſe Societati annos natus 24. conſecrauit, die 16 Septembris ſalutis 1576. litteris humanioribus, & Philoſophicis iam tum excultus. Inde poſt confecta Theologiæ ſtudia in Poloniam remiſſus, Controuerſas cum Hæreticis quæſtiones Vilnæ docuit, Nouitijs inſtituendis Cracouiæ 9. annis præfuit. Domum Profeſſam in eadem Ciuitate quinquennio, alibi Noſtrorum Reſidentias aliquandiu gubernauit; diu etiam Concionatus eſt. Principum Virorum tum Eccleſiaſticorum, tum ſæcularium, animos feliciter tractauit. Multas & graues Miſſiones cum fructu inſtituit, præſertim cum Legatis Regijs in Moſcouiam, quibuſcum in arctam cuſtodiam datus, toto triennio fuit illis ſolatio & adiumento. Vir fuit omnino prudens & ſpiritualis, ac virtutibus egregiè inſtructus. Per aſſiduum Orationis ſtudium Deo ſemper coniunctiſſimus. In B. Virginem Deiparam eximiè pius, nec vllis ſe negotijs patiebatur ab eà, quotidie Roſarij recitatione, ſalutanda impediri. Eius honori promouendo, auſu magno, euentuque ſupra ſpem fortunato, dum Cracouienſi Domui Profeſſorum præfuit, ex Academica iuuentute Sodalitium inſtituit, nequidquam obnitentibus Academiæ Principibus cauſantibus per id diſcipulos iri ab ſe auerſum. Tandem à Congregatione Prouinciali deſignatus, qui Romam iret Procurator, cùm fruſtra ætatem; frequenteſque morbos, & calculi cruciatus excuſaſſet, onus ſubijt præſagiens ſe iter morte concluſurum. Dum ergo Roma, procuratione peracta in Prouinciam redit, haud Francofurto ad Oderam procul in curru, quo cum Simone Nikleutio Prouinciæ Lithuaniæ Procuratore vehebatur Sacramento pœnitentiæ munitus (quoniam aliorum copia non erat) die 19. Ianuarii 1620. deceſſit ætatis 68. Societatis ſuſceptæ 44. ab emiſſa profeſſione quatuor votorum 25. Cadauer Poſnaniam delatum magno Noſtrorum, Externorumque ſenſu in commune ſepulchrum Sociorum illatum eſt. Scripſit latinè ſub nomine Gaſparis Cichochi Canonici

Anatomiam Concilij editi de ſtabilienda pace Poloniæ Ieſuitis pulſis 1611. Poloniæ verò ſub nomine Lunouski

Dialogum Curſoris, & Nautæ, in quo de violenta Gedanenſium Monialium S. Brigittæ per Hæreticos facta proſcriptione narratio inſtituitur.

Et ſub nomine Ioannis Golubski.

Replicam Rumorum Poſnanienſium ab Heretico Miniſtro per Pruſſiam ſparſorum. Item

Triplicam contra Duplicam Miniſtri Torunienſis. &

Mirabilem Concordiam, ſeu potiùs veriſſimam rabiem Euangelicorum inter ſe. Contra Io: Tyuiecki Hæreticum.

Reddidit ex latino Polonicè

Roberti Cardinalis Bellarmini Opuſcula de Aſcenſione mentis in Deum, & de Aeterna felicitate Sanctorum.

Reliquit moriens penè abſolutum, magno vſui futurum ſi prodierit.

Indicem Biblicum omnium materiarum.

* GASPAR ſiue CASPARVS SCHOTTVS natione Germanus, patria Regiſcurianus in diœceſi Herbipolenſi, natus anno ſæculi præterfluentis 8. vndeuicennis Societati ſe adſcripſit 1627. & ardente poſt paulò in Germania bello, profugere coactus, à Superioribus miſſus eſt in Siciliam, vbi & ſtudiorum curriculum emenſus eſt, & Philoſophiam, Theologiam moralem, nec non Matheſim Panormi pluribus annis docuit, & profeſſionem 4. votorum edidit. Reſtitutus multos poſt annos ſuæ Prouinciæ Rhenanæ Superioris vtilem diu nauauit operam Herbipoli, tum confeſſiones excipiendo in Templo, tum Mathematicas diſciplinas in Scholis explicando, quarum ſcientia inſigniter excultus fuit. Eluxerunt in eo ſimplicitas verè religioſa, pietas conſtans, & aſſidua; tolerantia laboris pene ferrea, vnde & Catholicis & Acatholicis in amoribus, & veneratione fuit. Exhauſtus demum ſtudijs, & occupationibus, & Sacramentis Eccleſiæ ritè communitus inter ingentes laterum dolores ſpiritum Deo reddidit Herbipoli die 22. Maij 1666. Edidit

Mechanica Hydraulico-pneumatica, cum experimento nouo Magdeburgico. Herbipoli typis Henrici Pigrin 1657. in 4.

Magiæ vniuerſalis naturæ, & artis, Partem primam Opticam, ſiue Thaumaturgum Opticum. Herbipoli typis Iobi Hertz 1657. in 4.

Magiæ eiuſdem Partem ſecundam Acuſticam, ſeu Thaumaturgum Acuſticum; eiuſdem typis anno, & forma.

Magiæ eiuſdem Partem Tertiam Mathematicam, ſeu Thaumaturgum Mathematicum. Ibidem 1658. in 4.

Magiæ eiuſdem Partem quartam Phyſicam ſeu Thaumaturgum Phyſicum. Ibidem 1659. in 4.

Pantometrum Kirckerianum, ſiue Inſtrumentum Geometricum nouum. Ibidem iiſdem typis 1660. in 4.

Itinerarium Extaticum Kirckerianum, Præluſionibus, Scholijs, & Iconiſmis illuſtratum. typis iiſdem 1660. in 4.

Curſum Mathematicum, ſiue abſolutam omnium Mathematicarum diſciplinarum Encyclopædiam in Libros XVIII. digeſtam. Herbipoli typis Iobi Hertz 1661. in folio.

Phyſicam Curioſam, ſiue Mirabilia naturæ lib. XII. comprehenſam. typis iiſdem 1662. in 4.

Matheſim Cæſaream, ſiue Amuſſim Ferdinandæam, problematibus, ſcholijs, & iconiſmis auctam. typis iiſdem 1662. in 4.

Anatomiam Phyſico-Hydroſtaticam fontium, & fluminum. Typis iiſdem 1663. in 8.

Arithmeticam practicam generalem, & ſpecialem. Ibidem 1663. in 8.

Thechnicam curioſam, ſiue Mirabilia Artis lib. XII. comprehenſa Ibidem 1664. in 4.

SchoIam Steganographicam in octo claſſes diuiſam. Ibidem typis iiſdem in 4.

Organum Mathematicum. Opus poſthumum. Herbipoli iiſdem typis 1668. in 4.

Plura parantem, mors telam abrumpere coëgit.

GASPAR SEGVIRAN natione Gallus: patria Aquaſextienſis, Societati nomen dedit Virduni Calendis Ianuarij 1584. ætatis 15. & vota 4. ſolemnia nuncupauit. Docuit in ea Eloquentiam, Philoſophiam, & Theologiam; ſed Eccleſiaſten ad 40. annos magna nominis fama egit, vt à Ludouico XIII. Rege Chriſtianiſſimo adlectus ſit in Concionatorem, & Confeſſarium, iiſque muneribus aliquamdiu functus fuerit. Rexit etiam Domum Profeſſorum Pariſiis, & ſeptuagenario maior ibidem piè deceſſit die 21. Nouembris 1644. Edidit vernaculè. *Concionum tomos duos in Euangelia Dominicarum totius anni, & in præcipuos feſtiuos dies*. Pariſiis apud Petrum Cheualier 1643.

* GASPAR, ſeu CASPARVS SEVENSTERN natione Belga, patria Groninganus admiſſus in Societatem anno ſalutis 1647. iam vicennis, & votorum 4. Sacramentum dixit. Docuit in ea Humaniores litteras, Philoſophiam, Matheſim, & Controuerſas ad Fide quæſtiones, ſuperſtes in Collegio Hildeſienſi, edidit Germanicè ſub nomine Ludouici Elpidij.

Apologiam contra Duisburgenſes Reformatos pro P. Petro Bruxelio, &c. Coloniæ typis Vvilhelmi Freieſſem 1668. in 12. Item

Antiloquium ſuper Quæſtione, cur non vis fieri Catholicus, ſicut maiores fuerunt? Pars I. Hanouera in Typographia Aulica 1669. in 4.

Eiuſdem Pars II. Coloniæ apud Vvilhelmum Freiſſem 1670. in 4.

GASPAR SPITILLIVS natione Italus, patria Camplenſis in Samnio poſt ſtudium legum per quadriennium, Societati ſe applicuit anno ſalutis 1584. Romæ, & maximam ætatis partem, ibidem exegit in Domo Profeſſorum curam gerens Tabularij, & Præpoſito Generali ab Epiſtolis deſcribendis. Vir religioſa ſimplicitate notiſſimus, & Coadiutor ſpiritualis, piè obijt ibidem die 17. Martij 1640. propè octogenarius. Tranſtulit ex Hiſpanico, & Luſitanico Italicè

Litteras Indicas plurium annorum. Item

Martyrium 26. Chriſti pugilum, qui in Iaponia anno ſalutis 1597. die 5. Februarij paſſi ſunt ſub Taicoſama Imperatore, quos inter

de Societate tres fuerunt Paulus, Ioannes, Iacobus, publicis iam honoribus à S. D. N. Vrbano Octauo Pont. Max. decorati. Romæ apud Zanettum 1609.

Vitam S. Dominici de Fulginio Abbatis Ordinis S. Benedicti ex M.SS. Latinis Italicè edidit Romæ 1614.

* GASPAR, ſeu CASPARVS TAVSCH, natione Prutenus, Domo Lubauienſis, Societati adſcriptus anno ſalutis 1613. ætatis 19. vota quatuor ſolemnia nuncupauit. Docuit in ea Humaniores litteras, Philoſophiam geminato curſu, Viennæ, & Pragæ; Theologiam Moralem, Sacram Scripturam explicuit annis pluribus; Olomucij fuit Decanus, & Cancellarius Academiæ; Inſtructor tertiæ probationis quinquennio; Vir, qui alios efformabat ad virtutem; ab omnibus habebatur vt ſanctus, & in omni virtute eximius, acutiſſimis capitis doloribus annos complures affligtabatur, ſed ſemper ſicut in vltimo morbo patientiſſimus, nullos gemitus doloris indices edebat. Quàm obediens in aduerſiſſimis eſſet, oſtendit natura eius omnem auerſante medicinam; nam cùm integris adhuc viribus eſſet vidit ſolum Vaſculum, è quo alteri propinandus eſſet hauſtus medicinalis, & mox omnibus viribus deſtitutus eſt; at ipſe ægrotans, & de eo ſumendo admonitus, tanto horrore ſibi viſcera omnia commoueri affirmauit, vt ſi ſui iuris eſſet, morte ipſa ſe vellet ab eo liberare. Oblato nihilominus eo, accepit, inquiens, obediendum eſt, & cum non vno impetu, ſed ſorbillando exhauſit, vt maiorem de ſe victoriam reportaret. Conſcripſit, ediditque typis, ſed priùs oſtendit in ſe modum altiſſimæ humilitatis, ſubterfugiendo laudatores ſui, & precibus impetrando, vt ſpecioſum munus Cancellarij ſibi liceret abdicare. Cùm per vires poſt ætas incruento Sacrificio non poſſet operari, ſacra Synaxi quotidie ſe reficiebat, & demum Pragæ die 26. Iulij 1646. piam animam egit. Edidit Latinè

Fontes Saluatoris, Antuerpiæ apud Ioannem Meurſium 1643. in 8. quos Germanicè reddidit noſter Georgius Ludouicus Oeniponti 1664. in 8. Item

Matrem Doloroſam, Coloniæ, typis Kinckianis 1645. in 8. cuius libri folia adhuc prælo madentia tranſmittenda fuerunt ad Sereniſſimum Electorem Colonienſem, vt eius deſiderio vehementi legendi illum citiùs poſſet ſatisfieri. Scripſit etiam

Sapientiam Chriſti, id eſt *Altiſſimam humilitatem*, opus poſthumum. Pragæ typis Academicis 1658. in 8.

GASPAR DE VILELA natione Luſitanus, patria ex oppido Auis à puero inter Religioſos Ordinis S. Benedicti educatus, & principijs ſpiritus imbutus, demum in Societatem ingreſſus non multò poſt in Indiam primùm, tum porrò in Iaponiam anno 1554. Sacerdotio iam tum initiatus, vnà cum Melchiore Nonio profectus eſt. Biennium abſumpſit hoc iter poſtremum, coactis anno toto Malacæ ſubſiſtere poſt ingentes ærumnas, & pericula ſuperata. Malacæ corrogata ſtipe, ſibi, duobuſque Noſocomijs, quæ curanda ſuſceperat, ad vitam neceſſaria comparauit. Anno 1556. Funaium Iaponiæ Vrbem appulſus, totum ſe linguæ, morumque gentis perdiſcendorum ſtudio applicuit. Mox factis per Bungenſe Regnum excurſionibus in fame, & frigore, multos ad Chriſtum perduxit, atque in ijs ſenem, quem Baptiſmi lauacro à corporis etiam diutino tremore liberauit. Funaium reuerſus in bellica tempeſtate, quæ Vrbem illam, & Regnum concuſſit, totam ipſe hyemem vnà cum ſocijs, media in morte verſatus eſt: quæ ne occuparet improuiſos, ſinguli per ordinem excubias diù, noctùque tenuere. Adeo nec ſomnus illis erat ſine metu, nec cibus. Verùm ne tùm quidem Gaſpar à ferendo proximis animorum auxilio ceſſauit. Anno 1558. Firandum profectus complures veritatis luce perfudit: tria Idolorum Fana Deo vero conſecrauit: multa Simulacra confregit: donec à Bonzijs, & concitata per eos plebe, Templa diruta, Cruces exciſæ, Gaſpar ingenti Chriſtianorum luctu abactus eſt. Meacum poſt paulò contendere iuſſus, incredibile dictu eſt quàm multa ſit aſpera in eo itinere perpeſſus: nam cùm nauem deficeret ventus, quem exacta è vectoribus ſtipe à Pagodis erant mercaturi, rogatus Gaſpar, vt ſymbolam conferret, negauit ſe vlli ſupplicare, præter Vnum Deum verum Cœli Conditorem. Ergo pugnis illum, conuicijs, intentata etiam morte vexarunt; cùmque tamen ille ſibi conſtaret, in proximo eum portu expoſuerunt, admonitis palam nauicularijs alijs, inuiſum Dijs caput ne ſuis nauigijs excipiant, ni velint improſperè nauigare. Hic Gaſpar ignotus, inops, ad orationem de more, profugio facto, cœleſti conſolatione delibutus eſt. Itaque in alteram, quæ digreſſis iam cæteris, recens appulit nauim admiſſus Sacaium breui tenuit incolumis, reliquis illis nauibus, vel deprehenſis à Pyratis, vel ſeriùs longe aduectis. Inde Meacum ſub anni finem venit, & Diuino plenus ſpiritu, gentibus Apoſtolica libertate Euangelium annunciauit. Accurrere initio plurimi, excipere quæſtionibus nouum hominem, auidè audire. Bonzij ſua damna odorati, plebem in Dæmonum diſcipulum (ſic vocabant Gaſparem) accendere: vnde mox illum cæperunt adeo auerſari, vt tugurio, quod conduxerat, excedere compulſus ſit, locatore mortem ſtricto iam ferro ni abiret intentante. Coactus eſt mutata crebrò ſede, tandem in apertam ſe Caſulam recipere, vbi per inediam, & brumales algores fædas infirmitates contraxit. Hic, quibus non eſt vexationibus appetitus; iniectis per feneſtram petulantiſſimè lapidi-

bus, arena, fæditatibus alijs, mox omni genere probrorum vexatus, ſuffixis in publico libellis, ſimia, vulpes, Dæmoniacus, humanarum vorator carnium, incendiarius, ſeductor, tumultuum concitator eſt proclamatus: ad hæc mapali ſuo per vim Bonziorum impotentia, extruſus, noctem ſub dio triduum deinceps in oppido proximo in fontium receptaculo, demum Meaci decem alios dies clàm, apud Neophytum egit, donec tandem ſerenior dies illuxit. Nam per Nobilem Bonzium, quem ſibi conciliauit, ad Imperatoris peruadens alloquium, tanto ſpiritu cum ipſo tractauit, vt liberam Chriſti prædicandi facultatem ab eo expreſſerit: inſuper potu Ciæ, quod apud Iapones honorificentiſſimum, dignatus, & ampla donatus domo. Sed à Bonzijs nuſquam quies. Illi clam Rege nouas per Adminiſtros Regios creare lites, atque adeo mortem per inſidias parare, cui vitandæ, Neophytorum poſtulatu, deliteſcere eum oportuit aliquamdiu. Ceterùm, vel per eam ipſam tempeſtatem duos, vel ex ijs Miniſtris ad Fidem pertraxit, & facultatis conceſſæ firmitatem ab Rege, ærumnas miſerato peregrini hominis impetrauit. Itaque nouo animo proſiluit in publicum, Fidem prædicauit ardentiùs, & prouentu tanto, vt breui plurimos, etiam è Primoribus, atque adeo è Bonzijs Eccleſiæ aggregauit. Nimirum admirationi erat Prædicatoris vita caſtiſſimæ doctrinæ conſentiens; incredibilis labor ſine mercede ſuſceptus; ſine vllius ſpe præmij ab hominibus conſequendi, procurata ipſorum ſalus; quæ prorſus erant Iaponijs inſolentia. Anno vertente, qui fuit 1561. per Auguſtum profectus Sacaium Vrbem percelebrem, vix ſpem principio retulit eius meſſis, quam poſtea collegit vberrimam. Altero rurſus anno regreſſus Meacum Ædem Sacram auſus excitare, primum ibi Sacrificium die 8. Septembris Deo obtulit, & Iaponem in ſua Metropoli Naſcenti Deiparæ velut tutelæ conſecrauit. Sex annis Meaci ſolus Sociorum permanſit, quotidianas rerum vices expertus, per oppida circumpoſita ferens Euangelium, multáſque paſſim Eccleſias inſtituens, nunc Principum, atque ipſius adeo Imperatoris gratia tectus, nunc rurſum fortunis omnibus euerſus, & vitæ ipſius vix compos Annum ætatis 40. nondum egreſſus, properata ærumnis canitie ſeptuagenarium indicabat. Frigorum vi vehementer afflicto, conſumptóque corpuſculo vix ſuperſtes, accitu Viſitatoris anno 1570. renauigauit in Indiam; quem poſtquam de ſtatu illarum Inſularum docuit, in Goano Collegio febri correptus, ſupremum inſtare ſibi diem aſſeuerans, totius vitæ peccatis Confeſſione repurgatis, reliquiſque Eccleſiæ munitus præſidijs, communi mortalitatis debito naturæ perſoluto, terras reliquit 1572. ætatis ſuæ 47. Iaponicam Eccleſiam, & ore, & ſtylo præclarè iuuit: Scripſit enim

Librum de Quæſtionibus ſibi à doctis Meacenſium propoſitum Item

Libellos quoſdam ad pietatem viriles tranſtulit in linguam Meacenſem, Iaponiæ totius elegantiſſimam. Scripſit præterea

Epiſtolas duas ex India annorum 1554. *&* 1571. Item

Epiſtolas 11. *ex Iaponia datas ab anno* 1557. *ad* 1571.

GASPAR VVENCKH, natione Germanus, patria Moſpurgenſis in Bauaria Societati adiunctus anno Domini 1607. ætatis 18. votorum quatuor profeſſionem emiſit. In Academia Dilingana Philoſophiæ, & Theologiæ Profeſſor multis annis claruit, & ingenti zelo pro Religione Catholica proferenda eminuit. Obijt Neoburgi ad Syluam, die 15. Iulij anno ſalutis 1634. ætatis 45. Societatis 27. Edidit

Notas vnguenti Magnetici, & actionis eiuſdem, aduerſus Rodolphum Goclenium Dilingæ 1626. in 8.

GASPAR DE ZAMORA, natione Hiſpanus, patria Hiſpalenſis, Societatem ingreſſus anno ſalutis 1554. Vir honoris contemptu, Paupertatis, & ſilentij ſtudio, & alienæ ſalutis ardore clarus. Bis operam ſuam peſte infectis impendit, & Concionatorem per annos 20. egit. Vixit in Societate, ad Ordinem Spiritualium Coadiutorum adſcitus, annos 58. Obijt Hiſpali per Octobrem anni 1621. ætatis ſuæ 75. Edidit

Concordantias Sacrorum Bibliorum duobus Alphabetis, altero dictionum variabilium, inuariabilium altero abſolutiſſimas. Romæ typis Zannetti 1626. in folio reliquit poſt ſe

Commentarium in Ezechielem nondum excuſum

* GAVINVS CARTA, natione Sardus, patria Saſſaritanus Societatem complexus anno ſalutis 1620. ætatis 16. vota in ea 4. profeſſus eſt. Theologiam moralem in ea docuit triennio, Scholaſticam decennio; magna laude ingenij, & doctrinæ. Rexit Collegium Saſſaritanum, & à ſua Prouincia Romam miſſus eſt ad Congregationem Generalem X. Vir pius admodum, & doctus immaturo nobis funere ereptus eſt Saſſari die 9. Auguſti 1653. Scripſit Hiſpanicè tacito ſuo nomine vtilem valde ſummam Caſuum Conſcientiæ, quæ iuſſu dein Archiepiſcopi Turritani edita eſt, nimirum

Ducem Confeſſariorum, ſeu praxim adminiſtrandi Sacramenta, præſertim Pænitentiæ. Saſſari, typis Margaritæ Scani 1640. in 8.

GEBHARDVS RAZENRIEDT, natione Germanus, patria Razenriedenſis in Sueuia ex antiqua nobilitate, annos natus 20. venit ad Societatem anno ſalutis 1603. atque in ea tria vota ſolemnia profeſſus eſt 1620. die 25. Nouembris. Rhetoricam, & amæniores litteras octennio docuit. Rexit Collegia Eyſtadienſe, & Auguſtanum, & fuit à Sacris

Con-

Confeſſionibus Sereniſſimæ Archiduciſſæ Auſtriacæ Iſabellæ Claræ Eugeniæ, poſtea Duciſſæ Mantuæ, quam etiam Mantuam ſecutus eſt, vbi plenus dierum, ac bonorum operum piè obijt die 14. Auguſti 1652. Inter officia gubernationis ſcripſit

Hebdomadam Marianam

Dum Rector eſſet Eyſtadij vicinum habuit Onolſpachij Laurentium Lælium Hæreticum Prædicantem, cum quo de rebus Fidei controuerſis, dum vltrò citròque ſcriptione certat, edidit opuſcula aliquot his titulis

Vindiciæ pro Pontificis in Eccleſiam poteſtate. Monachij apud Cornelium Leyſſerium 1629. in 8. vt & ſequentia pleraque

Modus Luthero-Lælianus euerſus.

Linguarium.

Claua Claui, & Clauigero debita.

Cera Vlyſſea.

Macula Solis.

Offa Triplici Cerbero Eccleſiam allatranti obiecta. Quæ omnia deinceps præter *Clauam* vno volumine recudit hoc titulo

Lelius de Amicitia cum Hæreſi contracta conuictus. Typis iiſdem 1631. in 12. Item edidit Germanicè

De Purgatorio, probans id per ſæcula ab Apoſtolorum tempore. Straubingæ 1646. in 12.

Manuductionem ad Eccleſiam ſupra Petram à Chriſto ædificatam Matthæi 16. Straubingæ 1648. in 12.

Lapidem Lydium veræ Fidei. Ambergæ 1649. in 12.

Demonſtrationem, Eccleſiam hodie ſentire idem, de Cœna, Deipara, Purgatorio &c. quod olim. Ratisbonæ 1650.

Scripſit etiam Tractatum *de Confeſſione auriculari*, demonſtrando illius vſum à tempore Apoſtolorum per ſingula ſæcula in Eccleſia, ſed morte præoccupatus non edidit.

GEORGIVS AMENDE, natione Germanus, patria Breſdenſis in Miſnia Societati adiunctus anno Domini 1598. ætatis 26. vota 4. nuncupauit. Eccleſiaſtem egit multis annis, & demum Ferdinando Secundo Imperatori fuit à Concionibus aulicis. Deſijt viuere inter mortales, Viennæ die 17. Iulij 1624. Edidit Germanicè librum cui titulus

Funiculus triplex, & continet tres Tractatus de Fidei Controuerſijs. Viennæ 1615. Item

Tres vtiles interrogationes, De Eccleſia Dei, & Sacra Communione ſub vtraque ſpecie. Niſſæ Sileſiorum apud Ioannem Schubart 1622.

* GEORGIVS BEHM natione Bohemus, patria Litomericenſis in Societatem cooptatus anno ſalutis 1636. ætatis 15. votorum 4. nuncupatione ſe obſtrinxit. Litteras manſuetiores docuit quadriennio, Philoſophiam triennio, Matheſim (in qua excelluit) nouennio, Theologiam moralem quinquennio. Morti vicinus de licentia Superiorum miſit Epiſtolam valdè religioſam ad omnia Prouinciæ Collegia, qua erratorum ſuorum veniam humillimè deprecatus eſt, atque ita piè in Domino quieuit. Znoymæ 7. Nouembris 1666. Edidit

Propoſitiones Mathematico-Muſurgicas, valdè dilaudatas, Pragæ 1650. in 4. Item

Phyſico-Mathematicas de obiecto Potentiæ Viſiuæ, Olomucij, typis Viti Ettelij 1657. in 4.

Propoſitiones ſcientiæ Staticæ. Olomucij 1659. in 4.

Propoſitiones Geometricas de Quadratura Circuli, Olomucij typis iiſdem 1660. in 4.

Arithmeticæ Practicæ tractatum notabilem. Olomucij iiſdem typis 1660. in 4.

* GEORGIVS BIEGEISEN natione Germanus, patria Altkirckenſis in Alſatia, Diœceſis Baſileenſis, natus anno ſæculi voluentis 19. Deo ſe in Societate mancipauit 1638. & votorum 4. ſacramento ſolemni ſe obſtrinxit. Sexennium docuit amæniores litteras, quadriennium Philoſophiam. Rexit Collegia Straubingæ, Halæ, & Landishuti. Edidit Germanicè

Montem Myrrhæ, ſiue Inſtructionem de Sacramento Pœnitentiæ. Ingolſtadij 1659. in 8. & rurſus latinè. ibidem in 12.

GEORGIVS BVSTRONIVS natione Græcus, ſed Venetijs natus in Societatem Romæ admiſſus anno 1610. ætatis 25. vota 4. ſolemnia concepit. Philoſophiam in ea, & Theologiam moralem docuit; poſtea Summi Pontificis Pœnitentiarium in Vaticano Prætorio egit, annis ampliùs 30. magna virtutis, & morum commendatione, ideoque non paucis Præſulibus etiam Purpura fulgentibus percharus. Eo in munere grauis annis ad vitam tranſijt mortis expertem. Romæ 27. Auguſti 1661. Tranſtulit in Græcum idioma vernaculum

Roberti Cardinalis Bellarmini librum de Aſcenſione mentis in Deum. Romæ typis Sacræ Congregationis de Propaganda Fide 1637. in 8.

* GEORGIVS CONSTANTIVS natione Bohemus, patria Mſsenenſis natus anno ſæculi fluentis 7. Societati ſe addixit 1628. & votorum 4. profeſſionem emiſit. Amæniores litteras annis tribus, & totidem Matheſim profeſſus eſt. Sexennio ſcholis præfuit, & annis 12. Miſſiones varias fructuosè obiuit, & Pragæ religiosè deceſſit 24. Martij 1673. Edidit Latinè Poëma carmine heroico, cui titulum fecit

Plus vltra gratulatorium Bacchalaureis Philoſophiæ Olomucij typis Nicolai Aradechi 1637. in folio.

Compoſuit Bohemicè libellum inſcriptum

Succurre miſeris, ſiue Hiſtoriam S. Montis in Bohemia cum methodo piè peregrinandi ad B.V. Sacromontanam. Pragæ typis Academicis 1652. in 12.

Vi-

Vitam Chriſti ex quatuor Euangeliſtis eo ordine temporis, quo acta eſt, in Litanias redactam ad Chriſtum intra ſeptem hebdomadæ dies. Litomislij apud Ioannem Arnoldum 1660. in 12.

Manuale recens erectæ Sodalitatis Telezij. Pragæ typis Academicis 1658. in 12.

Fœminam Stellam, ſeu quinque binas qualitates Matronarum præſertim Nobilium &c. Pragæ 1661. in 12.

Limam linguæ Bohemicæ inſtructam præceptis, partim Latina, partim Bohemica lingua. Pragæ typis Vniuerſitatis in 12. Vertit ex Latino in idioma Bohemicum.

Philotheam S. Franciſci de Sales. Litomislij typis Io: Arnoldi 1657. in 12.

Epiſtolam P. Claudij Aquauiuæ de Renouatione Spiritus. Pragæ 1657. in 12.

Vitam B. Virginis compoſitam à Chriſtophoro à Caſtro. Pragæ 1661. in 12.

Calendarium Patrum familias documentis 52. refertum ex Germanico, Pragæ 1662, in 12.

Exercitium Chriſtianæ perfectionis P. Alphonſi Rodriguez in tres partes diuiſum. Pragæ annis 1663. & ſequenti in 4.

De officio Laicorum in ſtatu Religioſo. P. Nicolai Lancicij, Pragæ 1665. in 8.

Philo-Xauerij, pietatem hebdomadariam pro felice morte cum compendio vitæ S. Xauerij. Pragæ 1666. in 8.

Formam facilem, & breuem meditandi Fr. Franciſci Tepes Carmelitæ. Pragæ 1667. in 12.

Meditationes P. Ludouici de Ponte in ſex partes diſtributas. Pragæ typis Academicis 1668. & ſequenti.

Fructus belli contra Deum ſuſcepti. Pragæ 1664 in 12.

Seraphinum R.P. Vincentij Carafæ. Pragæ 1666. in 12.

Meditationes 7. pro ſeptem hebdomadis diebus S. Tereſiæ. Pragæ 1667. in 12.

Plura alia parabat prælo, ſed mors interceſſit.

* GEORGIVS DA COSTA natione Luſitanus, patria oppido Azeitâm Diœceſis Vlyſſiponenſis ad Societatem ſe adiunxit anno ſalutis 1626. ætatis 14. & vota 4. ſolemnia emiſit. Prælegit Rhetoricam Conimbricæ, Philoſophiam Eboræ, & ſacras litteras ſeptennio interpretatus eſt. Rexit Domum Profeſſam Villauicoſæ, & Collegium Cetobricenſe. Electus a Conuentu ſuæ Prouinciæ interfuit Congregationi Procuratorum Romæ, nunc redux in Luſitaniam Vlyſſipone operarium agit Edidit

Elogium de Chriſtianiſſimo Rege Ludouico XIII. Item

Sermonem de Sanctiſſimo nomine Ieſu.

Sermonem de Iubilæo conceſſo ab Innocentio X. Vlyſſipone typis Laurentij de Anueres 1645. in 4.

Sermonem de Circumciſione Domini cum Allegoria myſterioſa. Vlyſſipone 1643. in 4.

* GEORGIVS CRVGERIVS natione Bohemus, patria Pragenſis natus anno ſæculi labentis 8. ad Societatem acceſſit 1625. & vota ſolemnia 4. nuncupauit 1644. Sexennio docuit manſuetiores literas; ſcholis præfuit annis 12. Concionatorem egit annis octodecim. Rexit Collegium Hradiſtienſe, vir fuit ſolidarum virtutum, eximiæ erga proximum Caritatis, & licet magno apud exteros, & domeſticos in pretio, ſibi tamen vilis, & humilis in oculis ſuis: Peritiſſimus hiſtoriæ tam Eccleſiaſticæ, quàm Politicæ Regni Bohemiæ. Scripſit diarium, in quo per ſingulos anni dies, refert mortem, & res geſtas virorum præclariſſimorum; quo in opere elucubrando dum verſatur ictus ſynptomate apoplectico, quaſi prodromo mortis, ad hanc exquiſitiſſimè ſe præparare cæpit per expiationem Conſcientiæ, & ſuſceptionem Sacramentorum, quæ ſibi enixe poſtulauit maturè adminiſtrari, atque ita poſt multos pietatis actus per dies 14. frequenter elicitos, ad Cœlites (vti ſperare iuſtum eſt) abijt, Litomeritij die 9. Martij anno 1671. Edidit ſexprimos menſes operis ſupra memorati. Hoc titulo

Sacrorum Puluerum inclyti Regni Bohemiæ & Nobilium eiuſdem Pertinentiarum Moraniæ, & Sileſiæ, Pars prima, continens Ianuarium, Februarium, Martium, Litomislij typis Ioannis Arnolt 1669. in 4.

Aprilem impreſſum Pragæ typis Vniuerſitatis 1669.

Maium. Litomislij typis Io: Arnolt 1669.

Iunium. Pragæ typis Archiepiſcopalibus 1669.

GEORGIVS DINGENAVERVS, natione Germanus gente Tirolenſis, ſuſceptus in Societatem anno ſalutis 1590. ætatis 19. votis quatuor Profeſſorum ſe obſtrinxit. In concionandi munere annos ampliùs 20. exercitatus, in Humanioribus diſciplinis, quas ampliùs decennio docuerat, inſigniter eruditus, atque adeo omni litteraturæ genere bene excultus. Multis annis cum Eminentiſſimo Principe Franciſco Cardinali à Dietrichſtain verſatus eſt, cui erat à Sacris Confeſſionibus. Obijt Viſcouij, dum à Cardinali, rediret Olomucium die 4. Nouembris anno 1631. Edita eſt

Oratio Funebris, quam Nicolſpurgi anno 1616. habuit *in Exequijs Illuſtriſſimæ Margaretæ Franciſcæ Baroniſſæ à Lobkouitz*. Pragæ 1618.

GEORGIVS EBERHARDVS, natione Germanus, gente Bauarus, patria Monacenſis, Societatem amplexus anno ſalutis 1571 ætatis 16. vir ſummi ingenij, & doctrinæ, ea inſuper iudicij ſingularis facilitate, quam ſummi peræquè in eo, atque imi ſuſpicerent. Theologiam ſexennio profeſſus eſt, & Cancellarius Academiæ Dilinganæ fuit. Rexit Collegium Ratiſponenſe, & Sereniſſimo Ferdinando Coadiutori Colonienſi multis annis exſti-

exſtitit à Confeſſionibus, quem etiam ad Rhenum eſt comitatus. Obedientiæ cultor ſemper eximius, atque obſeruator. Ceterùm tanta animi libertate, vt quod ſemel vtiliter eloquendum decreuiſſet, ne in ſummis quidem Antiſtitibus diſſimularet. Obijt Dilingæ 23. Ianuarij anno 1621. ætatis 65. cùm ab anno 1592. die 2. Octobris quatuor ſolemnia Societatis vota nuncupaſſet ſcripſit

Tractatum de Voluntate Dei

Diſputationem de Sanctiſſimo Trinitatis Myſterio.

Diſputationem de Angelis. Dilingæ apud Ioannem Magor 1588.

GEORGIVS ELGER, natione Liuo, ingreſſus in Societatem anno 1607. ætatis 22. docuit in ea humaniores litteras; Concionatorem, & Operarium multis annis egit Duneburgi, vbi, & præfuit Superior Noſtris; in Coadiutorem Spiritualem pridem formatus. Demum octoginta, & octo annorum cùm eſſet ibidem quieuit in Domino 30. Septembris 1672. Scripſit lingua Lotauica, cuius in Liuonia vſus eſt

Inſtitutiones Chriſtianas 1620.

Euangelia quoque in eandem linguam tranſtulit.

GEORGIVS ERNESTVS, natione Germanus, patria Oberdorffenſis in Sueuia, in Societatem admiſſus eſt annos natus 19. anno ſalutis 1603. formatuſque eſt in Coadiutorem ſpiritualem die 26. Martij anno 1623. Pluribus annis Eccleſiaſten egit in Aede Cathedrali Ratiſponenſi fortiter ſe opponens lupis rapacibus pro Chriſto grege magna cum laude, & grandi ſolatio Othodoxorum, dolore vero Hæreticorum, qui vt ſe vindicarent capta ab Hæreticis Vrbe, necquicquam Religioſum Oratorem ad Apoſtaſiam ſollicitauerunt, donec indigna paſſum, & tantum non iugulatum. Vrbe cum alijs Religioſis eiecere. Demùm annis grauis hanc vitam cum æterna commutauit Ambergæ Calendis Aprilis anno 1662. Scripſit Germanicè

De Vocatione Miniſtrorum Eccleſiæ Acatholicorum contra Salomonem Lenzium Prædicantem Ratisbonæ Lutheranum Ambergæ 1630. in 12.

Refutationem Reſponſionis, quam ad priorem librum ſcripſit Salomon Lenzius. Straubingæ 1631.

* GEORGIVS FAVTEREL natione Gallus patria Rothomagenſis cooptatus in Societatem anno à Partu Virginis 1633. ætatis 20. vota 4. nuncupauit Rhetoricam, & amæniores literas docuit nouennio; Philoſophiam octennio, Mathematicas diſciplinas ſexennio, Theologiam de moribus etiam octennio. Superſtes in Collegio Rothomagenſi, Edidit Gallicè

Hiſtoriam Miraculorum B. Virginis in Eccleſia Sancti Saluatoris Rhedonis, apud Ioannem Durand 1658. in 12. Item

Manuale Confraternitatis B. Virginis Agonizantium. Ibidem 1659. in 12.

Odas Alcacias varias edidit ſeorſim 1653. & 55.

GEORGIVS FEDERVS natione Germanus, gente Sueuus, domo Altenvveidenſis adoleſcens annorum 16. venit ad Societatem anno Domini 1566. atque in ea præter humaniores diſciplinas docuit nouennio Philoſophiam, biennio Theologiam moralem, triennio Scholaſticam; perdiù Mathematicam tum Dolæ, vbi ſpectris nocturnis mirum in modum vexatus vnà cum Patribus alijs fuit, tum Neapoli. Profeſſus eſt 4. vota die 19. Octobris anno 1591. Orphanotrophij Mimatenſis primus auctor fuit. Vir rariſſimo animi candore, libertate, atque alacritate, ad ægros vndique iuuandos primus: omninò charitate ad homines à peccato vindicandos ſingulari; dignus, qui eadem qua Chriſtus aſſertor noſter pro nobis die & hora expirarit, hoc eſt feria 6. Paraſceues die 17. Aprilis anno 1609. Monachij. Scripſit librum titulo:

Horoſcopum

GEORGIVS FERVS natione Bohemus, patria Tinenſis admiſſus in Societatem anno ſalutis 1602. ætatis ſuæ 17. votorum 4. nuncupatione ſe adſtrinxit. Docuit in ea Rhetoricam, & Humaniores litteras, Philoſophiam, & Theologiam Moralem, & Polemicam de Controuerſijs Fidei; Concionatorem egit annos ampliùs 20. magna Auditorum approbatione, & vtilitate, ita ſemper & eruditè eos docuit, & ad pietatem ſtimulauit. Helluo erat librorum; otij impatiens, zeli ardentis animarum, ideoque vt prodeſſet pluribus, libellos aſceticos, & hiſtoricos pios, quos rudi populo arbitrabatur fore vtiles, plurimos, aut ipſe compoſuit idiomate Bohemico, aut ex alijs linguis in hoc conuertit. Deſijt inter mortales viuere Breznicij die 21. Ianuarij anno Domini 1655. Edidit Bohemicè

Vitam S. Ignatij Loyolæ, & S. Franciſci Xauerij. Pragæ 1617. & iterum apud Paulum Seſſium 1629. in 12. & rurſus vitam Sancti Ignatij in 8.

Martyrologium Romanum. Pragæ typis Academicis in 4.

Vitam Sancti Iſidori Agricolæ. Pragæ typis Academicis 1641. in 12.

Vitas SS. Opificum. Pragæ ijſdem typis 1630. in 8.

Vitas Sanctorum duodecim Apoſtolorum, duodecim Martyrum, & duodecim Virginum. Ibidem in 4.

Vitas S. Barbaræ, S. Agnetis, & S. Mariæ Magdalenæ. Ibidem in 12.

Vitas SS. Vvenceslai, Adalberti, Ludmillæ, Ioannis Nepomuceni, B. Agnetis filiæ Regis Bohemiæ, B. Amabiliæ &c. partim coniunctim, partim diuiſim. Ibidem in 4.

Hiſtoriam Lauretanam Horatij Turſellini. Pragæ apud Paulum Seſſium 1630. in 8.

Thro-

Thronum Marianum de Excellentijs Beatæ Virginis. Pragæ typis Academicis anno 1642. in 12.

Miracula Beatiſſimæ Virginis à ſacro amore. Ibidem in 12.

Montem Sion Precationum libros, & libellos multiplices. Ibidem in 19.

Preces ad SS. Patronos Bohemiæ. Ibidem 1647. in 12.

Militum Pſalterium. Ibidem in 12.

Ciuilitatem Morum. Ibidem in 8.

Calendarium Spirituale. Ibidem 1641. in 12.

Hiſtoriam, quo tempore quæuis Prouincia Eccleſiæ acceſſerit. Ibidem in 4.

Scutum Fidei. Pragæ typis ijſdem 1638. in 12.

Tractatum de Cruce Hiſpanica. Ibidem 1641. in 12.

Peregrinationem ad Sacrum Cruorem. Ibidem 1641. in 12.

Iubilæum primi ſæculi Societatis Ieſu. Ibidem 1640. in 4.

Prophetias de Paſſione Chriſti. Ibidem 1641. in 12.

De Conformitate voluntatis Humanæ cum Diuina. Ibidem 1635. in 12.

Libellum Catecheticum. Ibidem 1636. in 12.

Catholicum ſubſidium animarum. Ibidem 1641. in 12.

Draconem Apocalypticum, ſeu de ſeptem Peccatis capitalibus. Ibidem 1642. in 8.

Grammaticam linguæ Bohemicæ. Ibidem in 8.

Vertit præterea Bohemicè

Meditationes de Quatuor Nouiſſimis. Lucæ Pinelli. Pragæ typis Academicis 1630. in 8.

Opuſcula varia Hieremiæ Drexelij; ſcilicet, *Horologium Angeli Cuſtodis*; *Zodiacum Chriſtianum*; *De Aeternitate*; *De Pœnis Inferni*; *De Cæleſtibus Gaudijs*; *Nuntium Mortis*; *Gymnaſium patientiæ*, *Phaëtontem Orbis*; *De Angelis*; *De Iudicio particulari*. *Heliotropium*. Omnia Pragæ varijs annis, & varijs formis.

De Statu Animarum Purgatorij. Martini de Roa. Ibidem in 12.

Teſtamentum Hominis Chriſtiani. Leonardi Leſſij. Ibidem in 12.

De Præſentia Dei, Ioannis Euſebij Nierembergij. Ibidem 1647. in 12.

Supplicationem Moribundorum. Alex. Caietani 1643. in 12.

Gloriam S. P. Ignatij. Nicolai Lancitij 1630. in 8.

Vbi eſt hoc ſcriptum? De Traditionibus Matthiæ Nennichen. Ibidem in 12.

Mariam Matrem Agonizantium. Ioannis Nadaſi. Ibidem in 12.

Clauem Cæleſtem. Cyriaci Ricci. Ibidem 1637. in 8.

Praxim Spiritualem. Nicolai Sfondrati. Ibidem in 12.

Annonam Quadrageſimalem, ſeu Animam Pænitentem. Ibidem in 12.

Modum præparandi ſe ad mortem. Ibidem 1644. in 12.

GEORGIVS FORRO, natione Hungarus, gente Dacus, ſeu Tranſiluanus illuſtri natus ſanguine, Societatem anno 1588. ætatis 17. amplexus eſt, & vota quatuor profeſſus. Poſt traditas Humaniores litteras Philoſophiam Græcij docuit. Rexit Collegia Zagrabienſe, & Tyrnauienſe, & Prouinciam Auſtriæ annis aliquot. Poſtea denuo Tyrnauienſis Collegii, & Academiæ, quam Eminentiſſimus Princeps Petrus Cardinalis Pazmannus ibi inſtituit, Rector. In eo ſeptugenario maior ad laborum præmia commigrauit die 18 Octobris 1641. Paratos reliquit lingua Hungarica

Concionum Tomos aliquot, magno patriæ bono viſuros lucem

GEORGIVS FOVRNIER, natione Gallus, patria Cadomenſis Societatem Tornaci anno 1619. natus ipſe 24. ingreſſus, vota Spiritualium Coadiutorum emiſit. Quinquennium docuit humaniores litteras, Matheſim ſeptennium. Vir laboris improbi, & virtutis eximiæ. Hanc teſtatur ardens zelus quo flagrauit pietatis vbique propagandæ, tam in Vrbibus Prouinciæ Franciæ, in qua maximam partem vixit, quàm in Miſſionibus naualibus, vbi indefeſſi operarij Societatis partes omnes ſic expleuit, vt quoſcumque non minus ad ſui, quàm ad Societatis amorem alliceret. Hoc ipſum tamen pietatis ſtudium, rara ſimplicitate texit, vt nihil minus oculis hominum appareret, quàm quòd re vera eſſet. Vbi verò laboribus aſſiduis fractas corporis vires ſenſit, cupidus iuuandi omnes quocumque modo poſſet, totum ſe dedit ad commendanda poſteritati ea, quæ, vel ipſe in militaribus, naualibùſque expeditionibus præſens vidiſſet, vel quæ ſibi aſſidua veterum lectione comparaſſet. Atque hæc ipſa ſcripta de rebus alioqui prophanis, ſic pietatis igniculis hinc inde aſperſit, vt facilè appareat, non alia mente Militibus, & Nautis artis ſuæ præcepta ob oculos ponere voluiſſe, quam vt eodem tempore virtutem eos edoceret. Vitam adeo Religioſam, atque vtilem ſancta morte coronauit Flexiæ, die 13. Aprilis 1652. Scripſit lingua Gallica

Commentaria Geographica. Pariſijs, apud Michaëlem Soly 1642. in 12.

Hydrographiam. Pariſijs, apud eundem 1643. in folio. Quo in libro quidquid ad rem Nauticam ſpectat ſic viginti libris complexus eſt, vt multò poſt denuo typis mandatus ſit. Pariſijs 1668. in folio

Architectonicam Militarem. Pariſijs apud Io: Henault in 16. recuſam 4. Ibidem 1668. in 12.

Preces dicendas Miſſæ tempore. Dieppæ, apud

apud Petrum dū Buc 1649. in 12.

Euclidis elementorum ſex libros priores breui Commentario illuſtratos Pariſijs, apud Io: Henault 1644. in 24.

Introductionem ad Coſmographiam. Coriſopiti, apud Guilhelmum le Blanc Latinè in 12.

Geographicam Orbis notitiam per littora maris, & ripas fluuiorum. Pariſiis, apud Io: Henault 1648. in 16.

Eius eſt, & alterum volumen poſt eius obitum excuſum, tacito illius nomine

Alia deſcriptio. Pariſijs apud Sebaſt. Cramoiſy 1656. in folio. Multa alia eiuſdem viri MSS. de Mathematicis diſciplinis, in quibus excelluit, ſeruantur Flexiæ in Collegio Societatis.

* GEORGIVS FRANCISCVS PLACHY, natione Bohemus, patria Budvvidicenſis natus anno ſæculi præter labentis 6. Societati ſe adſcripſit 1623. & ſolemni votorum quatuor Sacramento ſe obſtrinxit. Poſt traditas in ea politiores diſciplinas Philoſophiam explicuit annis quinque, totidem linguam Hæbræam, & totidem Scripturam Sacram; Theologiam Scholaſticam docuit biennio, Moralem aliquamdiu. Vir fuit naturæ excitatæ, ſed ad nutum Superiorum compoſitæ. Cum hoſtilis exercitus occupaſſet partem Pragenſis Vrbis, ſic ille coacta ſtudentium iuuenum è Scholis manu, reliquas partes ab hoſtili incurſione tutatus eſt, vt fidele in eo Cæſaris obſequium ipſe Imperator Ferdinandus Tertius litteris ad Rectorem Collegij datis dignatus ſit plurimùm dilaudare: Demum religioſè obijt Kuttembergæ die 19. Aprilis 1664. edidit Latinè.

Roſam Pentaphyllam, hoc eſt, *quinque Sermones Panegyricos in quinque præcipuas feſtiuitates Beatiſſimæ Virginis*. Pragæ typis Academicis 1658. in 12. & quia placuerunt, recuſi ſunt Coloniæ in 16.

* GEORGIVS GOBAT, natione Germanus patria Charmoillanus diœceſis Baſileenſis natus anno ſæculari 1600. Societati nomen dedit 1618. & vota quatuor ſolemnia nuncupauit. Triennium in ea docuit amæniores litras, quinquennium Philoſophiam, biennium Scholaſticam Theologiam, & biennio quoque explicuit Scripturam Sacram, & Controuerſias de Fide, ſed Theologiam Moralem totis 20. annis explanauit, vndè illius ſcientia plurimum excellit. Rexit etiam Collegia Halenſe, & Friburgenſe in Heluetia, & hodie ſuperſtes in Collegio Conſtantienſi, edidit ſeparatim decem Tractatus ſub diuerſis titulis. *Clauis Alphabetico-Sacramentalis*: *Alphabeti baptizantium*; *Confirmantium*; *Sacrificantium*; *Communicantium, Sacri audiendi*: *Breuiarij recitandi*; *Confeſſariorum*; *Extremæ Vnctionis*; *Matrimonialis*; diuerſis annis, & locis. Sed hæc omnia opuſcula coniunctim emiſit in lucem Tomo vno ſub hoc titulo:

Experientiæ Theologicæ, ſiue experimentalis Theologia, qua caſibus propè ſeptingentis factis non fictis explicatur in ordine ad praxim vniuerſa materia Sacramentorum. Monachij typis Ioannis Iæcklin 1669. in folio. Recuſa Venetijs 1672.

Quinarium Tractatum Theologo-Iuridicorum. I. Clypeum Clementium Iudicum vtriuſque fori. II. Vindicias Theologicas aduerſus nonnullos Iuriſconſultos. III. Quadruplex Iubilæum. IV. Theſaurum Eccleſiaſticum Indulgentiarum. V. Accuſationem Canonicam Ebrioſi, ſeu Theologiam Iuridico-Moralem. Conſtantiæ typis Io. Iacobi Straub 1670. in fol. & alibi ſeparatim.

Alphabetum quadruplex. I. De voto. II. De Blaſphemia. III. De Iuramento. IV. De ſuperſtitione. Conſtantiæ typis iiſdem 1672. in 8. Scripſit etiam

Alphabetum Militare, quod nunc dum hæc typis mandantur, à Cenſoribus Societatis Romæ recognoſcitur.

GEORGIVS HEMELMAN natione Hiſpanus, patria Malacitanus in prima ætate Societati adſcriptus anno Domini 1589. magnos fecit in litteris progreſſus, vt complures annos cum laude docuerit publicè Philoſophiam Poſitiuam, & Scholaſticam Theologiam; Nec laude gubernandi minor, rexit Hiſpalenſe Collegium, atque inde tertiò Granatenſe, Vniuerſam quoque Prouinciam Bœticam Præpoſitus Prouincialis, & Aragoniam Viſitator inſpexit. Eius ego hic Epitaphium, quod plumbi laminæ inſculptum ſepulchro eſt additum, ſi recitauero, abundè ad omnem laudem fecero. Sic habet

D. O. M.
Condit hic Tumulus
Venerandum in Chriſto Patrem Georgium
Hemelman
Malacitanum, ſtirpe Nobilem
Heroëm omni probitate, & litteratura magnū,
dicendi grauitate Demoſthenem, Poeſi
Maronem
Philoſophia Ariſtotelem, Theologia
Auguſtinum.
Is ingenij acumine, & profundiori indagine
eam illuſtrauit, promouit ſapientiſſimis in
Sanctum Thomam Commentarijs, in
Hiſpalitano, & Illiberitano Athenæo
Moderator & Gymnaſiarchus
Angelica pudicitia, moribus integerrimis, ardentiſſimo præditus Strictioris Obſeruantiæ Zelo,
Granatæ ter Rectoris, Hiſpali ſemel, Romæ pro
Bæticæ comitijs Generalibus Procuratoris,
Bœticæ Prouincialis
Aragoniæ Viſitatoris, rara admodum prudentia perfunctus muneribus.
Societatem arduis in operibus Atlantis inſtar
humeris ſuis ſuſtinuit feliciter.
Bæticæ Prouinciæ Societatis Ieſu gerens ſecūdo Magiſtratū, peſtifera febre correptus,
Inuicta ingentis animi magnitudine qua vixit,
moritur, mortem & funus filiorum
honeſtante luctu

Ætatis ſuæ LXIII. pridie nonas Iunij anno Chriſti MDCXXXVII.
Collegium Granatenſe amoris,& obſeruantiæ ergo iuſta ſoluit parentalia Parenti optimo.

Edidit hic vir egregius

Diſputata Theologica in I. Partem S. Thom. volumina duo. Granatæ per Andream de Saniago 1637. in folio.

Parauerat & alios duos Tomos in 1. Partem & præterea

Proloquia Sacra ad Philoſophiam, Theologiam Scholaſticam, Poſitiuam, & Moralem rectè tradendam. Ad hæc

Curſum Artium, ſeu Diſputationes in vniuerſam Philoſophiam

De Ente ſupernaturali.

De Diuiſionibus gratia Auxiliantis.

Conſultationes morales grauium, variarumque rerum. Hæc ille prælo aptauerat, ſed mors interceſſit.

* GEORGIVS HESERVS natione Germanus, patria Vveyrenſis in Auſtria Superiori, Paſſauienſis diœceſis, natus anno ſæculi currentis nono, Deo ſe in Societate dicauit 1625. in Germania Superiori, & votorum 4. profeſſionem emiſit. Docuit in ea Poeſim, Rhetoricam, Dialecticam, Controuerſias de Fide, & 13. annis Eccleſiaſten egit, ſuperſtes hodie in Collegio Monachienſi. Edidit hactenus latinè

Pſalmos Dauidicos iuxta ſenſum litteralem explanatos. Ingolſtadij, typis Academicis 1654. in 8.

Pſalmos eoſdem 150. Argumentis, & Commentarijs illuſtratos Tomis II. quorum prior iam prodijt Monachij 1673. in folio. Secundus ſub prælo eſt

Vita Chriſti Monateſſorum Euangelicum. Monachij 1657. in 12.

Martyrologium Romanum Germanicè translatum. Monachij 1670.

Dioptram Kempenſem, qua demonſtratur Thomas à Kempis verus Auctor Librorum IV. De Imitatione Chriſti, cui adiuncta eſt

Summula Caietani, oppoſita apparatui Conſtantini Caietani de eodem argumento. Ingolſtadij typis Academicis 1650. in 12.

Vitam, & Syllabum omnium operum Thomæ à Kempis ab Auctore Anonymo, ſed coæuo conſcriptam. Ingolſtadij in 12. Recuſam Pariſijs 1651. in 8.

Præmonitionem nouam ad Lectorem Thomæ à Kempis, De Imitatione Chriſti aduerſus Præmonitionem Franciſci Valgraui. Ingolſtadij 1650. in 18. Recuſam Pariſijs 1651. in 8.

Lexicon Germanicum Thomæum. Ingolſtadij 1651. in 12.

Septuaginta Palmas, ſeu Panegyricum in laudem Librorum IV. Thomæ à Kempis. Ingolſtadij 1651. in 8.

Obeliſcum Kempenſem. Monachij 1669. in 18.

Hebdomadam officioſæ pietatis. Ingolſtadij, Monachij, Herbipoli terdecies editam varijs annis & forma &c.

GEORGIVS HOLZHAIVS, natione Germanus, gente Algoius, Domo Vſſerriedenſis ingreſſus in Societatem anno ſalutis 1594. natus annos 23. In ea Philoſophiam bis tradidit, & ſtudijs noſtrorum diu præfuit Ingolſtadij, quos lingua etiam Hebraica priuatim erudiuit. Scripturam Sacram Domi quindecim annis eſt interpretatus, & votorum quatuor profeſſionem edidit. Tantæ in proximos caritatis fuit, vt anno ſalutis 1634. Sexagenario maior non dubitauerit, ſe morti deuouere (ſi Deo placuiſſet) pro fratribus ſuis, lue attactorum obſequijs ſe exponens. Eo in munere, quod ſummis precibus efflagitauerat à Superioribus, ita ſtrenuè ſe geſſit, vt quamdiu vellet æger, nunquam ſe ſubduceret; omnes noſtros peſte afflatos de peccatis confitentes generoſo vitæ contemptu audiret, cæteriſquè Sacramentis muniret. Nec alio contra contagioſam luem vſus eſt antidoto, quam ſigno ſalutiferæ crucis, quo ſub ingreſſum conclauis Infectorum ſolitus ſe erat communire. Precabatur etiam tunc Diuinum Numen, vt ſi ſe eodem malo ſublatum vellet, ne ante moreretur, quàm defuncti in Collegio eſſent omnes, quibus mors per illam luem eſſet diuinitùs decreta. Sed aliter Deo tunc viſum eſt, placuitquè illum ad maiora adhuc ſuperſtitem præmia ſeruare. Inerat illi ea morum ſuauitas, vt nemo ipſum non amaret: Vitæ communis erat apprimè tenax, vt nihil admiſerit ſingulare, per tot in vltimum vſque ſenium labores ſtudiorum. Ad hunc viuendi modum, & quotidianum regularum ordinem, omnes quos in ſpiritu inſtruebat, aſſidue adhortatus eſt, ſæpe inculcando, præſertim Iunioribus, perfectionem ipſorum præ manibus eſſe in obſeruantia regularum, non in rerum extraordinariarū conſectatione poſitam. Ingraueſcente ætate cùm acerrimis, ac prope continuis doloribus ſtranguriæ torqueretur, ea illos animi, vultuſquè conſtantia tegebat, vt vix ægrotum agnoſceres. Pridie quàm moreretur, cum Noſtro quodam colloquens de modo ſe ad mortem bene præparandi, candidè ſubiunxit, ſe omnia quæ noſſet ad bene moriendum apta, iam curare, atque ita ſequenti die apparate diſpoſitum mors extra lectum oppreſſit. Ingolſtadij, die 9. Maii 1646. Scripſit Germanice

Mirabilem Comædiam De Romano Pontifice, & Anti-Chriſto à Neo-Euangelicis Prædicantibus inchoatam; cui cùm Georgius Roſtius Prædicans oppoſuiſſet: Edidit contra illum

Apologiam pro ſua Comœdia. Item

De vera Chriſti Eccleſia

Colloquium, vtrùm in Neo-Euangelicorum Germanicis Biblijs Verbum Dei purum, & incorruptum reperiatur. Ingolſtadij 1627.

De Iuſtificatione Dialogos II. Ingolſtadij 1625. in 8.

Tres Tractatulos Spirituales. Ingolſtadij

Introductionem Methodicam in primam illam, cæleſtemquè Linguam ipſius Sacræ Scripturæ fontem. Dilingæ

Grammaticam, & Lexicon Hæbraicum parauerat, ſed non edidit, at edidit

Euangelia, & Epiſtolas in Feſta, & Dominicas cum Notis Germanicè. Ingolſtadij 1641. in 8.

* GEORGIVS IVSTINIANVS, natione Græcus, patria Chius, ex ſtemmate Principum Dominantium olim in illa Inſula natus anno ſalutis 1569. & Romæ educatus in Collegio Græcorum, Societati ibidem nomen dedit 1587. Calendis Nouembribus. Ab ipſo Tirocinio Miſſionem ad Indos magno ardore flagitauit, & dum humaniores litteras Romæ in Scholis traderet, ita diſcipulos amore virtutis inflammauit, vt ampliùs ſexaginta ex iis ſpretis mundi illecebris vitam Religioſam capeſſiuerint. Inde miſſus à Superioribus Chium, & poſtea Bizantium, non parùm vtrobique Chriſti cultum ſuis adhortationibus promouit. Admirabili quippe facultate concionandi præditus fuit. Patuit id in primis Venetijs, vbi in templo Societatis ſeptuaginta Sermones habuit ſuper Orationem Dominicam, tanto Auditorum concurſu, vt Templum eos, capere non potuerit. Verùm Bononiæ maximè explicuit vir Apoſtolicus talenta ſua, vbi quadraginta annorum ſpatio vineam illam Chriſti coluit, labore maximo; vtilitate plurima, Operarius planè inconfuſibilis. Quotidie pluries auditus ibi de rebus pijs dicere ad populum, pluries optabatur audiri, nunquam ſatietate, ſed deſiderio ſui ſemper relicto. Monialium IESV MARIÆ cœnobium erexit ad Domum Virginum S. Ioſepho dedicatam. Tredecim Sodalitia, ſeu Congregationes Virorum nobilium, Matronarum, Artificum, Pœnitentiæ, bonæ mortis, & alia quorum pleraquè ad huc florent, inſtituit, fouit, & ſuis cohortationibus aluit, vt à nonnemine Bononienſium Apoſtolus fuerit appellatus. Virginitatem illibatam ad mortem vſque ſeruaſſe creditur, & non ſine opinione Sanctitatis obiit Bononiæ die 3. Decembris anno à partu Virginis 1644. Hinc ad eius exequias accurrerunt ex vtroque ſexu innumeri, vt aliquid ex illius Reliquijs ſibi quiſque decerperet. Defuncto Cenotaphium magnificum erexerunt ſuis ſumptibus Congregationes ab ipſo inſtitutæ, & filij Spirituales in Templo Societatis, & apparatum typis poſtea Bononiæ excuderunt. Admiranda quam plurima, & naturæ vires multum excedentia enarrat de illo Antonius Paulus Maſinus in libro inſcripto *Bononia Perluſtrata*, & impreſſo anno 1666. folio 541. Quin, & multis laudibus eundem celebrat Gaſpar Bombacius de Viris Sanctitate Illuſtribus Bononiæ, Part. II. & Denique Reuerendiſſimus Abbas Michael Iuſtinianus, qui vitam illius ſeparatim edidit, & in libro ſuo de Scriptoribus Liguribus elogium luculentum de ipſo contexuit, aſſerendo formatos iam eſſe proceſſus ad ipſum inter Beatos ſolemni ritu referendum. Scripſit Pater Georgius Italicè Spiritualia aliquot opuſcula quorum tituli ſunt:

Dies Spiritualis. Bononiæ typis Ferronij 1651. Recuſus Auellini 1656. & iterùm Romæ ſub titulo:

Regula viuendi, & moriendi Chriſtianè, typis Vareſij 1659. in 24. Item

Oblectamentum Spirituale. Bononiæ apud Hæredes Benacij 1654 Recuſum Auellini, ſimul cum ipſius vita conſcripta ab Illuſtriſſimo Abbate Michaële Iuſtiniano, per Camillum Caballum 1656.

GEORGIVS KALDI, natione Hungarus, patria Tyrnauienſis, Romæ Societatem ingreſſus eſt anno ſalutis 1598. ætatis 28. repudiata Præpoſitura principe poſt Archiepiſcopatum Strigonienſem dignitate. Vbi ex Italia redijt difficillimis Boſtkaianæ ſeditionis perturbationibus è Tranſiluania cum reliquis de Societate relegatus eſt in exilium. Egit deinde in Olomucenſi Academia Theologiæ Moralis Profeſſorem, poſtea Magiſtrum Nouitiorum Brunæ, & mox inde Tironum Coloniæ deducta, Leobij Stiriæ. Dehinc Superior fuit, & Rector Tyrnauiæ; demum Poſonij, quod ipſe Collegium à primis fundamentis ad vſque finem exædificauit, in eoquè ſe ipſum velut angularem lapidem collocauit magno ſui deſiderio, magno virtutum exemplo, cæteris poſt ſe relicto, vita functus die 30. Octobris anno ſalutis 1634. ætatis ſuæ 64. ab ingreſſu in Societatem 36. inde vſque ab anno 1612. die 27. Maij quatuor vota profeſſus. Quanti viri iacturam fecerit in eius morte Hungaria; ſapientiſſimi atque Eminentiſſimi Cardinalis Strigonienſis Petri Pazmanni de eo iudicium abundè declarat, quo aiebat, ex omni Ordine Eccleſiaſtico, Religioſoque nulli ſecundum eſſe toto Hungariæ Regno; parem illi haud facilè repertum iri; Vir omnino fuit, & Eloquentiæ, & virtutis laude conſpicuus, vt qui magnam ætatis partem in Sacris Concionibus inſumpſerat. Latinè ad Academicos, nec raro etiam dixit Italicè; ſubinde cùm res poſtularet etiam Germanicè. Cæterùm Idiomate Gentilitio præſcripta cum auctoritate dicebat. Fuit in dicendo vehemens, grauis, doctus, & ſpiritu plenus, qui non raro diceret cum admiratione Auditorum, interdum cum plauſu nunquam ſine fructu. Magna fuit apud viros Principes auctoritate, & gratia; qui liberè etiam auderet ſummos æque, ac infimos quà ſuauiter, quà fortiter ad officium cohortari. Ea libertate cùm Principem Tranſiluaniæ Gabrielem Betlemium ob tot Chriſtianorum millia Turcis prodita, & abducta, criminis, quo ſe obſtrinxerat,

commoneſeciſſet priuato duarum horarum colloquio, eamque ob cauſam extrema omnia poſſent ab eo exſpectari; tantùm abfuit, vt quidquam moleſtiarum experiretur, vt etiam Principis ad menſam admotus, honorario centum nummum Imperialium in ſubſidium Typographiæ donatus abiret. In extremo vitæ actu conuocatis Noſtris, magno animi ſenſu ſingulorum ſe pietati commendauit impenſe, à ſingulis venia erratorum magna ſubmiſſione poſtulata. Edidit

Biblia Sacra vulgatæ editionis à ſe in Hungaricam Linguam tranſlata. Viennæ, apud Matthæum Formicam 1626. fol.

Concionum Hungarico ſermone Tom. I. thematis hyberni Poſonij 1631. in fol. relictis poſthumis duobus alijs tomis altero

Funebris Argumenti altero *Epidictici*, *De Sacroſancta Euchariſtia. Leque Laudibus B. V. Deiparentis*

Euangelia, & Miſſas per annum legi ſolitas conuertit in Linguam Hungaricam, & tacito nomine impreſſit ſumptibus Petri Baranyai Viennæ 1629.

GEORGIVS MAYR, natione Germanus, gente Boius, Domo Rainenſis, vir, & Societati vtilis, & Vrbi Auguſtanæ, in qua annos 24. noctu diuque ſtrenuè laborauit, ſalutaris. Romana, Græca, Hæbræa lingua doctiſſimus; ad quem ex omni terrarum parte familiares litteræ à Viris etiam Principibus veniebant, ſententiam eius in dubijs exquirentes. Peculiarem ſemper rei Catholicæ ſtabiliendæ induſtriam nauauit. Nec vnum tantùm Hæreticæ veſaniæ Miniſtrum ex Cathedra peſtilentiæ exegit. Effecit, vt Auguſtam nulli iam ſeruitio, aut opifici aduenæ, teſtes natalium litteræ è paterno ſolo expediantur, niſi ei, qui teſtimonium conſcientiæ, quotannis Romano ritu expiatæ, Religionis Quæſitoribus exhibeat. Xenodochia pauperum, Contubernia Militum, & Reorum ergaſtula impiger perluſtrabat; nec vnquam plus operæ, Procerum amplitudini, quam popelli tenuitati tribuebat. Cùm Sacrum nouæ legis inſtrumentum ex Latino Hæbræum feciſſet, eius recognoſcendi cauſa Romam profectus, ibi fecit viuendi finem die 25. Auguſti anno à Chriſto nato 1623. à ſuo natali 58. à Religioſæ vitæ exordio 40. iam dudum tria ſolemniter vota profeſſus. Vertit ex Latino Græcè, atque edidit vtraque Lingua

Euangelia, & Epiſtolas, quæ Dominicis, & Feſtis diebus totius anni legi ſolent. Nomine ſuo ſuppreſſo, Ingolſtadij, typis Adami Sartorij 1610. in 12.

Faſciculum Sacrarum Litaniarum ex Sanctis Scripturis, & Patribus Romæ approbatum. Nomine ſuo Epiſtolæ ad lectorem ſubiecto, Auguſtæ 1614. in 12.

Thomæ à Kempis De Imitatione Chriſti Lib. IV. Auguſta typis Sancti Nicolai 1615. in 12.

Vitam B. Ignatij Societatis Ieſu Fundatoris ex ea, quam Gaſpar Quartemont ex Hiſpanica latinam fecit. Ibid. 1616. in 12.

Officium Venerabilis Euchariſtiæ, B. Virginis: S. Angeli Cuſtodis. Catechiſmum Petri Caniſij, non Græce tantùm, ſed Hebraicè etiam vertit. Ingolſtadij 1620. in 12.

Catechiſmum eundem imaginibus expreſſit; quas item addidit Catechiſmo Italico Roberti Cardinalis Bellarmini, & Hiſpanico Hieronymi Ripaldæ: quin & Gallico, & Anglico, & Germanico, Sclauonico, Bohemico, & alijs, ne cui genti deeſſet.

Vitam S. Ignatij expreſſit centum Imaginibus, quas Auguſtani Collegij nomine dicauit Sereniſſimo Bauariæ Duci Auguſtæ 1622.

Scripſit denique valde laudatas.

Inſtitutiones Linguæ Hebraicæ. Auguſtæ typis Chriſtophori Mangij 1616. in 8. & Ingolſtadij 1624. in 12.

Nouum Teſtamentum nouè verſum Græcè, reliquit prælo paratum, probatumque, & Martyrologium Romanum eadem lingua

* GEORGIVS MENTZIVS natione Germanus, patria Amænoburgenſis in diœceſi Moguntina, natus anno altero ſæculi fluentis, Societatem amplexus eſt 1620. & votorum quatuor nuncupatione ſe obſtrinxit. Docuit in ea manſuetiores litteras quadriennium; Philoſophiam triennium; Theologiam annis 12. Gubernauit Collegia Aſchaffenburgenſe, Bambergenſe iteratò, Moguntinum, Molshemienſe, Domum probationis, vir magnæ prudentiæ, experientiæ, & doctrinæ. Demum plenus dierum, ac bonorum operum euocatus eſt (vt confidimus) ad Societatem Ciuium Supernorum Bambergę die 30. Octobris 1672. Edidit lingua latina, Opus quadripartitum, ſeu Meditationes in Pſalmos, & Cantica, hoc titulo:

Fauus diſtillans, ſeu *Medulla Dauidica*, Pſalmorum 150. in tres partes diuiſa, & in formam Meditationum concinnata quorum

Pars I. Continet Pſalmorum primam quinquagenam. Bambergæ 1668. in 4. & alibi.

Pars II. Secundam quinquagenam. Ibidem 1669. in 4.

Pars III. Quinquagenam tertiam. Eodem loco, anno, & forma.

Pars IV. continet Cantica, quæ in Breuiario Romano Pſalmis Dauidicis inſeruntur. Bambergæ 1672. in 4. Edidit etiam

Pſalmorum Dauidis, & Canticorum Diuini officij argumenta breuia ſub titulo *Pſallite ſapienter*. Bambergæ 1669. in 12.

Artem patiendi, & compatiendi. Fuldæ 1670. in 8.

Tranſtulit è Gallico in latinum ſermonem.

Regulas Saleſianas, ſeu *normam Chriſtianè viuendi* ex libris S. Franciſci de Sales. Coloniæ 1660. in 12.

Diem Chriſtianum noſtri Nicolai Cauſini. Bambergæ 1660. in 16.

Com-

Compendium Induſtriarum ſpiritualium noſtri Chriſtiani Mayer. Herbipoli 1640. in 4.

* GEORGIVS POTH natione Germanus gente Franco, patria Mergetheimenſis, natus anno ſæculi labentis 28. Societati ſe addixit 1647. & vota 4. profeſſus eſt. Prælegit 6. annis Humaniores litteras, & totidem Philoſophiam. Rexit Collegium Heiligenſtadienſe; fuit Socius laborum, & curarum Præpoſiti Prouincialis, & Domum probationis Moguntiæ moderatus eſt. Nunc Eminentiſs. Principi Electori Moguntino eſt à Sacris Confeſſionibus. Edidit Germanicè tacito ſuo nomine.

Refutationem ſermonis Reuocatorij Andreæ Vvigandi Apoſtatæ. Moguntiæ typis Chriſtophori Kuchleri 1671. in 4.

* GEORGIVS PVTTNER natione Germanus, gente Auſtriacus, patria Puckſtallenſis natus anno ſæculi fluentis 19. Religioſæ vitæ tirocinium in Societate poſuit 1637. & votorum 4. Sacramentum ſolemne dixit 1655. Docuit in ea Humaniores litteras, Philoſophiam, linguam Hæbraicam, Theologiam moralem biennio, ſpeculatiuam ſexennio, Ius Canonicum quadriennio in Academia Græcenſi, vbi & Cancellarij munere ab aliquot annis fungitur. Edidit hactenus.

Maximas Iuris celebriores, deductas ex Iure Canonico, Ciuili, Gloſſa, illuſtratas exemplis, rationibus limitationibus. Græcij 1662.

Tractatum Theologicum de Iure, & Iuſtitia. Græcij typis Vvidmanſtadij 1666. in 8.

* GEORGIVS RAVV natione Germanus, patria Sulgoius diœceſis Conſtantienſis, natus anno ſæculi præteriti 84. Societati ſe adiunxit prætereuntis 10. & in ea gradum ſpiritualis Coadiutoris obtinuit. Rhetoricam profeſſus eſt quadriennio; Eccleſiaſten egit annis 12. Miſſionarium Caſtrenſem annis 15. magno zelo, & animarum bono. Poſtremos vitæ ſuæ annos in podagræ, chiragræque doloribus tranſegit conſtanti ad extremum vſque ſpiritum generoſi animi alacritate. Demum ſeptuagenario maior piè deceſſit Monachij anno 1658. Edidit lingua vernacula libellum perutilem.

Heraldum, ſeu Nuntium Animarum ex Purgatorio. Monachij in 12.

GEORGIVS REEB natione Germanus, patria Eyſtadianus, Societati adſcriptus anno Chriſti 1615. ætatis 22. vota 4. profeſſus eſt. Docuit in ea humaniores litteras, Philoſophiam, & annis 13. Theologiam moralem. Rexit Collegia Mindelheimenſe, Dilinganum, Domum Oetinganam, ſecundùm annis 15. Abductus à Suecis irrumpentibus in Germaniam Vlmam; & cuſtodiæ traditus, grauia menſibus aliquot perpeſſus eſt. Oeconomus inſignis, Philoſophus, & Aſceta egregius, multiſque ad mortem induſtrijs inſtructus poſt ſuſcepta ritè ſacra omnia, iter æternitatis ingreſſus eſt Monachij die 6. Martij 1662. Edidit

Diſtinctiones, & Axiomata Philoſophica quorum frequentior eſt vſus. Coloniæ apud Ioannem Kinckium 1631.

Prudentiæ Chriſtianæ regulas, motiua, media, & exempla partibus tribus. Dilingæ opera Gaſparis Sutoris 1635. Item

An ſæculares debeant, ac poſſint vitare peccata mortalia, ac Deum amare ſuper omnia? Dilinga 1650. in 12.

Tritbemium recuſum, & auctum, cum Epiſtola adiecta de Sacerdotali ſtatu. Auguſtæ 1652. in 8.

* GEORGIVS DE RHODES natione Gallus, patria Aueniouenſis natus anno ſæculi elapſi 97. acceſſit ad Societatem labentis 13. & quatuor vota ſolemnia nuncupauit. Octennium in ea docuit Rhetoricam, & amæniores litteras, ſexennium Philoſophiam, Theologiam annis tredecim. Rexit Collegium Lugdunenſe B. Virginis, vir admodum religioſus, & diſciplinæ obſeruator accuratus, deſijt inter mortales viuere. Lugduni die 17. Maij 1661. Scripſit Theologiæ Scholaſticæ tomos duos

I. De Deo, Angelis, & Homine. Lugduni apud Claudium Proſt 1661. in folio.

II. De Chriſto, Deipara, & Sacramentis. Ibidem iiſdem typis, & anno.

Philoſophiam Peripateticam, Opus poſthumum; Lugduni ſumptibus Ioannis Antonij Huguetou, & Sociorum 1671. in folio.

GEORGIVS SALBIVS natione Germanus, patria Ottemburanus diœceſis Auguſtanæ, admiſſus in Societatem anno ſalutis 1569. ætatis 19. ſeptennium in ea docuit Humaniores litteras, vir Inſtituti ſui, ac Superiorum apprimè obſeruans, ſui contemptor egregius, & in reprehendendis vitijs liber. Meditationi impensè deditus, & Catecheſi promouendæ. Obijt Dilingæ anno ſalutis 1605. cum 36. in Societate exegiſſet ſpiritualis in ea formatus Coadiutor. Edidit

Multos libellos Catecheſi promouendæ idoneos.

GEORGIVS SCHERER natione Germanus, patria Suaſcenſis prope Oenipontum Comitatus Tirolenſis, in ipſo adoleſcentiæ flore, 20. circiter ætatis anno Societatem noſtram complexus eſt anno ſalutis 1559. atque in ea mirum quantos in virtute, atque doctrina progreſſus fecerit. Græcas atque Hebraicas litteras, Dialecticam etiam docuit. Per quadraginta annos ſumma cum laude, nec minore fructu concionatus eſt. Vir impiger pietate, ſui contemptu, temperantia inſignis, laborum patientiſſimus, & mira eloquentia, qua valuit plurimum tum voce, tum ſtylo ad permouendos animos. Collegium Viennenſe rexit, & Vice Prouincialis munere functus eſt. Sereniſſimi Archiducis Matthiæ priuſquam obtineret Imperij diadema diu Concionator fuit, à quo miſſus Lintzium Auſtriæ Superioris Metropolim, vt eam ſua induſtria tueretur in orthodoxa Fide aduerſus Sectarios, quinquen-

nio

nio ibi magno tam Catholicorum, quàm Hæreticorum bono verſatus, cùm Societatis ea in vrbe Reſidentiam fixiſſet, repentè inter concionandum Dominica VI. poſt Pentecoſten oculis, & viribus deſtituitur. Hæretici triumphum acturi ante victoriam latè per Germaniam vulgant, Schererium pro Concione dixiſſe, ſi Fides Catholica vera non eſt illicò me Deus coram vobis plaga feriat cæcitatis; moxque cum dicto excæcatum, imò, & mortuum, & clam fuiſſe ſepultum. Sed reddidit Deus paulo poſt Athletæ ſuo viſum, & vires, qui alacris in concionem regreſſus, ſplendidum mendacium ſplendida veritate confutauit. Mox per forum medium vbi conſtiterant, qui ad Nundinas plurimi ex Italia, Germania, Bohemia, Hungaria Mercatores conuenerant, domum reuertit mirantibus aduenis, fidemque, quam Prædicantibus ſuis adhibuerant damnantibus, qui quem ipſi videbant bellè valere, publicarant ominosè interijſſe. Superfuit vſque ad extremum Nouembrem eiuſdem illius anni 1605. quo pridie Dominicæ primæ Aduentus, apoplexia ictus tam acri, vt horis dumtaxat ſeptenis ſuperuixerit ætatis anno 65. extinctus eſt, virgineo pudicitiæ flore, & zelo Fidei Catholicæ maximè admirandus, antiquiſſimus omnium Societatis in Auſtriaca Prouincia 4. votorum profeſſus. Elatus eſt in templum noſtrum ſtipante funus Prouinciæ (vt vocant) Capitaneo, cæteriſque Cæſaris Adminiſtris, Senatu, populoque Lintzenſi magno numero. Scripſit Germanicè multos libros, pro Eccleſia contra Hæreticos, quibus tota Germania, Bohemia, Polonia, Hungaria, celebris factus eſt. Ij primo diuerſis temporibus ſeorſim editi, poſtea digeſti ſunt in

Tomos duos variorum opuſculorum contra Hæreticos, quos impreſſit in Monaſterio Bruckenſi Ordinis Præmonſtratenſis in Morauia propè Znoymam anno 1599. præterea

Concionum tomos duos in Dominicas alterum; alterum in feſta totius anni.

GEORGIVS SCHONBERGER natione Germanus, patria Oenipontanus in Tiroli annos natus 19. Societati ſe mancipauit anno ſalutis 1615. In ea non ſolum Humaniores litteras, & eloquentiam, ſed moralem quoque Philoſophiam biennio, Sacram linguam triennio, Mathematicam verò nouennio docuit, & vota 4. ſolemnia nuncupauit. Translatus dein in Bohemiam, fuit aliquamdiu Prorector Pragæ, tum Rector Olomucij, & piè deceſſit Hradiſtij, calendis Auguſti 1645. poſtquam ab Hæreticis Tranſyluanis fuſtibus immaniter fuiſſet cæſus, forte ab iiſdem perimendus, niſi à Generali Suecorum manibus illorum fuiſſet ereptus. Edidit

Demonſtrationem, & Conſtructionem Horologiorum nouorum radio recto refracto in aqua, reflexo in ſpeculo, ſolo magnete horas Aſtronomicas, Italicas, Babylonicas indicantium. Friburgi Briſgoiæ apud Ioannem Straſſerum 1622. in 4.

Solem illuſtratum, in quo de omnibus iis, quæ in cælo Solis accidunt agitur, & maximè motus ſtellarum ſolarium oſtenditur, & liquiditas Cæli demonſtratur. Friburgi apud Theodorum Meyerum 1626. in 4.

Centuriam Emblematum Opticorum. Ibid. eodem anno.

GEORGIVS SCHRETELIVS natione Germanus, patria Donavverdanus è Sueuia, Societatem ingreſſus eſt anno 1579. ætatis ſuæ 18. vir ad quæuis Societatis munia idoneus. Rexit Collegia Ratisbonenſe, & Auguſtanum, & diu cum laude concionatus eſt. Egit annis compluribus Confeſſarium Sereniſſimi Ferdinandi Bauari Archiepiſcopi, & Electoris Colonienſis, iam inde ab anno 1599. votorum 4. Profeſſus. Vir magnæ prudentiæ, atque zeli; octogenario maior quieuit in Domino Bonnæ 5. Martij 1642. Scripſit

Apem Argumentoſam mella legentem ex litanijs B. Virginis. Monachij 1631. Item ſuppreſſo nomine ſuo.

Clauam Herculis.

* GEORGIVS SEISER natione Germanus, patria Friburgenſis in Briſgoia diœceſis Conſtantienſis, natus anno ſæculi currentis altero, Societati ſe addixit 20. & votorum 4. profeſſione ſe adſtrinxit. Sexdecim annos Rhetoricæ docendæ magno cum fructu, & commendatione impendit; ſæpius in Scena cum plauſu ſpectatus. Dialecticam explicuit per octennium, & varijs in locis ad populum annis vndeuiginti dixit. Orator ſerius, & nouiſſimorum inculcatione corda peccatorum percutiens; ſibi ſeuerus, humilitatis amore, viliora ſemper ſectatus, vltimis annis per ſuſpiria Deo ſemper coniunctus, & ad vltimum vſque halitum ferè, ſibi præſentiſſimus, inter pios actus obijt Monachij die 10. Decembris 1665. Scripſit ediditque ſemel atque iterum latinè

Calendarium Politico-Chriſtianum perpetuum, in quo laxiores conſcientias, & Pſeudo-Politicorum falſam ſecuritatem ſalubri horrore eſt inſectatus. Oeniponti, typis Michaëlis Vvagneri 1659. in 12.

GEORGIVS STENGELIVS natione Germanus, patria Auguſtanus in Vindelicis, adoleſcens 16. annorum Societatis inſtitutum complexus anno ſalutis 1601. in ea litteras humaniores quadriennium, Philoſophiam ſexennium, Theologiam Scholaſticam per octennium, Moralem per annum publicè docuit, Doctorali Theologiæ laurea ornatus, & omni Scientiarum genere inſigniter excultus. Rexit Collegium Dilinganum, votis 4. nuncupatis ab anno 1620. Fuit in dicendo, ſcribendo, & vſu conſcientias gubernandi felix, amænus ac ſolidus. Facilitate ſua etiam apud Principes in nodis arduis difficillima quæque expediebat. Inſectationes non tamquam iniurias, ſed vt beneuolas animi teſſeras accipiebat, &

amæ-

amænitate ingenij ſuperabat. Eminuit in illo doctrina citra ſupercilium; obedientia obſequentiſſimè ſecura; demiſſio non artificioſè facta, ſed à virtute ſincera. Cum per dies feſtos verni ieiunij Hiſtoriam ſacram poſt Pſalmum quinquageſimum enarraſſet, die Palmarum vltimum cum lacrymis perorauit, & breui dierum interiectu febri extinctus eſt Ingolſtadij 10. Aprilis 1651. & ab Academia ibidem nobili encomio honoratus. Scripſit varia his titulis.

De bono, & malo ſyllogiſmo. Monachij, & cum augmento. Ingolſtadij typis Vvilhelmi Ederi 1623. in 12.

De bono, & malo ſyllogiſmo Par. II. Ibid. eodem anno.

Rete Catholicum. Ibidem 1622. in 4.

Diſſertatio de laqueis Pontificijs nomine, re Lutheranis, quos Iacobus Reihing texuit, ipſe retexuit. Ibidem eodem anno in 4.

Eandem Diſſertationem mox etiam *Germanicè*. Edidit

Secunda reuocatio Iacobi Reihingi ad aram veritatis, de vero Sacrificio Miſſæ. Latinè, & Germanicè. Ibidem eodem anno in 4.

Noua ſacra Scriptura tinea, ſeu *de rectæ fidei norma*, contra Iacobum Reihing. Ibidem 1624. in 4.

Scarabeus, ſeu *de Iuſtificatione*, contra eundem. Ingolſtadii apud Ederum 1625. in 4.

Honorarium Hæreticorum. Ibidem 1627. in 4.

De duobus Apoſtatis, Lucifero, & Iacobo Reihingo, Lib. II. Ingolſtadii apud Gregorium Hænlinum 1627. in 4.

Valetudinarium Muſis nouis, & 22. Poëtis vetulis, frigidis, nudis, edentulis, claudis, Hymeneum Iacobi Reihingi celebrantibus erectum. Ingolſtadii, & Dilingæ 1622. in 12. & in 4. Item

Aeſculapius Conradi Cellarij, ſeu Pars II. Valetudinarij Poëtici. Ibidem eodem anno in 4. Hæc duo opuſcula profhis docta, & lepida ſine Auctoris nomine, quia ita oportuit, prodierunt.

Antitortor Bellarminianus. Ingolſtadij 1612. in 8.

Templum honoris Ioanni Chriſtophoro Epiſcopo Eyſtettenſi erectum, eiuſdem illius Collegij nomine. Ingolſtadij typis Hænlini 1620. in 4.

Gloria Bellica Sereniſſimi Maximiliani Ducis Bauariæ lib. 20. Scripti nomine Academiæ Ingolſtadienſis. Ibidem 1623. in folio.

Diui Eyſtettenſes Vvillibaldus, Vvinibaldus, Vvalburga è vetere Codice m. ſ. *Laudati*. Ibidem 1625. in 4.

Rerum variarum libri tres poſthumi, ex aduerſarijs Iacobi Gretſeri. Ingolſtadij 1628.

Index, & Dux Hæreticorum huius temporis ex aduerſarijs poſthumis Iacobi Gretſeri Ingolſtadij 1629. in 8.

De feſto Natiuitatis, & Epiphaniæ Domini lib. 5. ex eiuſdem Gretſeri aduerſarijs concinnati. Ibidem eodem anno in 8.

Labyrinthi ab Aegyptijs poſiti laudes, cum mundi à Deo conditi encomijs expenſæ. Ingolſtadij formis Hænlini 1628. in 8. Idem Germanicè. Ibidem eodem anno.

Labyrinthi ab Aegyptijs ſtructi fraudes, cum mundi, & Diabolo ſeducti periculis collata. Ibid. 1630. Pars Prior.

Parænesis de ruina Luciferi, cæterorumque Angelorum. Ibid. eodem anno in 12.

Diſſertationes, ſeu *Diſputationes Theologiæ*, nempè

De Natura Theologiæ.

De ſcientia Dei.

De Prouidentia Numinis.

De Prædeſtinatione Iuſtorum, & Reprobatione malorum.

De Diuinis, & Humanis legibus.

De Diſpenſatione, & Priuilegijs.

De ſtatu Viatoris, & Comprehenſoris. Ingolſtadij 1629. prodierunt omnes prædictæ; ſequentes vero 1626.

De Natura, & Proprietatibus Angelorum.

De Angelorum merito, & præmio.

De Angelorum peccato, & ſupplicio.

Tractatus de Diuinorum Iudiciorum, ac præcipue, quibus hunc mundum regit Deus, varietate, iuſtitia, & æquitate.

Paralipomena Iacobi Gretſeri in Partes II. diſtributa. Monachii 1633. in 8.

Vis & virtus exemplorum, in ſolatium huius temporis. Ingolſtadii typis Vvilhelmi Ederi 1624. in 8.

Oua Paſchalia ſacro Emblemate inſcripta, & deſcripta. Monachij 1624. in 8.

Strena piorum, ſiue Incitationes ad Sanctiſs. Ieſu nomen amandum, venerandum, inuocandum. Monachii typis Cornelii Leyſſens 1637. in 16. nomen ſuum Dedicatoriæ ſubſcripſit. Edidit præter hæc Stengelius, vt plurimum tacito ſuo nomine.

Exegeſim ſuper Sacramenti Mariani formula, quà ſe ij, qui in Sodalitatem Annunciatam recipiuntur, obſtringunt. Ingolſtadii typis Hænlini 1620. in 16.

Tractatum de bonis Artibus. Dilingæ 1616. in 4.

Caſtigationem Philoſophicam malarum Artium. Ibidem 1617. in 4.

Bonorum quorundam naturæ effectuum declarationem. Ibidem eodem anno in 4.

Iudicium de Arcanis naturæ effectibus. Ibid. eodem anno in 4.

Peripateticæ, & Philoſophicæ Doctrinæ comparationem. Ibidem eodem anno in 4.

Carmen Epicum pro Roberto Cardinali Bellarmino, contra eius impugnatores. Ingolſtadii 1605.

Epicum de S. Cruce. Ibid. 1606. in 4.

Satyram in ſcientiarum contemptorem Luterum. Ibid. eodem anno.

Car-

Carmen Eucharisticum, de familia Auſtriaca. Oeniponti 1606. in 4.

Donarium Scipioni Marchioni Gonzagæ. Ingolſtadii 1606. in 4.

Epitaphia, & Leſſum Iacobo Chriſtophoro Blarero Epiſcopo Baſileenſi Fundatori Collegij Bruntrutani. Friburgi Heluetiorum 1608. in 4.

Triumphum veritatis. Ibid. 1609. in 4.

Ocellos Iuſtitiæ Poëticè deſcriptos. Ibidem 1612. in 16.

Galliambum de Peregrinatione Ieroſolymitana. Ibid. 1613. in 4.

Heliconem Chriſtianum Illuſtriſſimo Ioanni Chriſtophoro Epiſcopo Eyſtadienſi.

Eligidion Epiſcopo, & Capitulo Auguſtano. 1616.

Flores ſparſos ſuper tumulum D. Stanislai Zborouscki. Ingolſtadii 1619. in 16.

Epomidem ſacram Iuſtitiæ. Ibid. 1620.

Scientiam, & Iuſtitiam in Trutina Iuſtitiæ appenſam. Ibid 1623. in 4.

Poſt hæc edidit alia his titulis:

Sapientiſſima Dei mundum regentis gubernatio. Ingolſtadii apud Gregorium Hænlimum 1643. in 8.

Spes, & fiducia curis, indicijſque Dei erga homines firmiata. Ibidem, & iiſdem typis anno, & forma.

Mundus, & Mundi partes Diuinæ Bonitatis à Iuſtitia Præcones. Ibidem iiſdem typis anno, & forma.

Sortes, quibus ne temere cadant, temperandis, Diuini Iudicij æquitas ſemper adeſt. Ibidem & iiſdem typis anno & forma.

Matrimonia fauſta & infauſta. Diuinæ prouidentiæ Iuſtitiam, ac bonitatem commendantia. Ibid 1647. in 8.

Declina à malo, & fac bonum. Ingolſtadii 1646. in 12.

Exempla tribus libris. Ingolſtodii 1650. in 4.

De Diuinis Iudicijs, tomis 4. Ingolſtadii 1651. in 4.

Ad hæc *Iudicium Particulare, Mundus, Cibus eſurientium; Sors, & Fors. Talio, Craſus, & Codrus. Exempla VII. Vitiorum capitalium. Exempla Diuinæ iræ, ſeu pœnitentia. De Monſtris, & Monſtroſis. De Caſu, & Forma. De Honore.* Omnia Ingolſtadii annis diuerſis in 8.

GEORGIVS STEPHANVS ROVSSELET natione Gallus, gente Burgundus domo Veſulanus ingreſſus in Societatem anno 1605. ætatis 23. poſuit vtiliter multis in locis Galliæ, & maximè cum Hæreticis operam. Poſt traditas humaniores litteras octennium præfuit ſcholis, Concionator in multis Miſſionibus. Rector Collegij Veſulani, Spiritualis Coadiutor formatus, naturæ conceſſit Viennæ Allobrogum die penultimo anni exeuntis 1634. Scripſit Gallicè

Lilia Sacra, ſeu Paralellum Liliorum, & virtutum S. Ludouici, aliorumque Regum Galliæ. Lugduni, apud Ludouicum Muguet 1631. in 4.

GEORGIVS STOZ, natione Germanus, patria Monacenſis in Bauaria venit ad Societatem anno 1604. ætatis 24. in ea Concionibus habendis ad populum bonam ætatis partem collocauit. Rector fuit Neoburgi, Superior Miſſionis Hailinganæ, quatuor conceptis votis ſolemnibus die 31. Iulij anno 1620. obijt Hailingæ morbo inter peſtiferorum auxilia contracto die 4. Octobris 1634. inter primos fuerat, qui Ambergæ Superior Religionem illuc Catholicam reduxit. Scripſit Germanicè

Manuale Precum.

Conſolatoriam ægrorum Scholam à P. Stephano Bineto Gallicè ſcriptam tranſtulit Germanicè.

GEORGIVS STVRMIVS, natione Germanus, patria Herbipolenſis vir zelo ingenti, atque in erudiendis pueris ſingulari caritate. Cùm Treuiris eſſet Miniſter Collegij, ne quem Sociorum obijceret periculo, ipſe laborantem peſte cæmentarium adijt, abluit, adiuuit, luem contraxit, & ne alijs officeret, illicò in villam ſeceſſit, vbi die 3. Ianuarij anno ſalutis 1580. deceſſit ætatis ſuæ 36. ab inita Societate 16. Edidit

Relationem è Biblicis prælectionibus Academiæ Herbipolitanæ. Pragæ, apud Georgium Fleiſchman.

GEORGIVS TVRNEBVLVS, natione Scotus, patria Tranentinus diœceſis Sancti Andreæ admiſſus in Societatem anno Domini 1591. ætatis 22. Vir non minùs virtute, quam doctrina clarus, qui à prima adoleſcentia in Muſſipontano Collegio educatus totam fere ætatem in eo traduxit, vel Theologiæ Profeſſor, quam ſupra annos 30. ſumma cum laude explicuit, vel vniuerſitatis Cancellarius, vel certe ſcribendis libris diſtentus. Cùm euocatus ad laborum ſuorum capeſſenda præmia, extremum iam ſpiritum duceret: Ecce (inquit) imus, & properamus ad Beatitudinem, non qualem anxiè diſputando finximus, quia diſputando, qualis ſit ignoramus, ſed quam ſuo Chriſtus ſanguine acquiſiuit, & quam mihi credendam, & ſperandam proponit Sancta Mater Eccleſia. Agebat Deo impenſe gratias, quod in Scotia inter Hæreticos natus, ita à Patribus Societatis, qui illic verſabantur, in Sancta Fide Romana fuerit inſtitutus, vt nunquam virus Hæreſeos animo biberit. Deinde, quod in Societatem IESV, ſuo maximo bono, & euocatus, & admiſſus fuerit. Tertiò, quod in Sancta fide Catholica, & in Sancta Societate IESV moreretur. Obijt Rhemis die 11. Maij anno ſalutis 1633. ætatis ſuæ 64. initæ Societatis 42. editæ votorum quatuor profeſſionis 23. Edidit

Imaginarij circuli quadraturam Catholicam, ſeu de obiecto formali, & Regula Fidei aduerſus Robertum Baronum Miniſtrum. Rhemis, apud Simonem Fognæum 1628. in 8.

In Sacræ Scholæ calumniatorem, & calumniæ

niæ duplicatorem pro Tetragoniſmo. Rhemis, apud eundem *1632.* in 8.

Commentarios in vniuerſam Theologiam, iam paratos propediem editurus, niſi mors occupaſſet, commendauit Collegio Muſſipontano.

GEORGIVS TYSKEVICIVS, natione Polonus, gente Podlachus ex peruetuſta Moduidorum familia, quæ Sereniſſimam Iagelloniam per Ruſſiæ Duces attingit, Patre Palatino Breſtenſi, Matre Vvolouiczia Ordinis Senatorij natus, primam ætatem Vilnæ in Scholis noſtris, tum peregrinabundus, vt Polonicæ Nobilitati conſuetum, Græcij, Patauij, ac demum Romæ, tranſegit, Humanioribus ſe diſciplinis, & Philoſophicis excolens. Romæ cùm grauem incidiſſet in morbum, vouit eam ſe familiam Sacram, ſi conualuiſſet ingreſſurum; cuius hominem primum prodiens domo offendiſſet, & commodùm progreſſus, incurrit in Ad. R. P. N. Mutium Vitelleſcum, qui tunc in Romano Collegio verſabatur. Voti reus ad S. Andreæ Tirocinium tetendit anno ſalutis 1593. cùm ageret ipſe ætatis annum 22. Studijs ibi Theologiæ confectis in patriam remiſſus, Philoſophiam Caliſſii docuit, Vilnæ ſubinde Doctor Theologiæ renunciatus eſt; deinde Poſnaniæ Scholaſticam, Lublini Moralem Theologiam explicuit. Exinde Torunij difficillimis temporibus, Caliſſij, Poſnaniæ Rectorem egit; Superiorem Cracouiæ ad S. Petri, Socium Prouincialis; Inſtructorem Patrum tertiæ probationis, Vice-Prouincialem, ac demum Prouinciæ Poloniæ Præpoſitum Prouincialem; quo in Magiſtratu poſt lapſum triennij vitam clauſit die 14. Auguſti anno reparatæ ſalutis 1625. ætatis ſuæ 54. Elatus eſt ad S. Barbaræ Aedem Cracouiæ, proſequentibus eius funus, & memoriam Prælatis præcipuis, & plurima Nobilitate. Litauit Reuerendiſſimus Thomas Oborski Epiſcopus Laodicenſis Suffraganeus Cracouienſis, & ab vno è Noſtris habita panegyris eſt. Argumentum oratori præbuerunt virtutes eius ſanè præclaræ; ſingularis animi modeſtia cum egregia ſui deſpicientia coniuncta; quæ fulgebat eò amplius, quò in illuſtriori loco erat poſita. Paupertatis amor excellens, ex quo fiebat, vt victu tenui, ſupellectile exigua, veſte ſemper vteretur curta, vilique. Inuictus in rebus arduis animus, & prudens fortitudo ſuauiſſima caritate temperata. Aſſidua cum Deo familiaritas, magna in omnes, ſed in ægrotos in primis caritas, motuum omnium compoſitio admirabilis, & in ſeſe ipſum efficax imperium; ſtudium Religioſæ diſciplinæ tum in ſe, tum in alijs exprimendæ, Hæc illum decora, atque alia ornauère. Scripſit

Reſponſionem ad Libellum famoſum cuiuſdam Anonymi Torunienſis inſcriptum: Patrocinium veritatis litterarum Torunenſium. Cracouiæ 1615.

Vindicias Doctrinæ Societatis Ieſu à calumnijs Patroni Torunenſium Anonymi. Cracouiæ 1616.

Theologiam Antilogicam Lutheranorum, & Antilogiam Theologicam Caluiniſtarum ſeu Contradictiones de rebus Fidei, quas Lutherani, & Caluiniſtæ in ſuis propoſitionibus, concordes diſcordes, admittunt. Cracouiæ 1624. Coloniæ 1627.

De Perfectione Chriſtiana. Cracouiæ 1624. & Coloniæ apud Michaëlē Demen 1626. in 12.

* GEORGIVS VIALD, natione Gallus, patria Vindocinenſis, diœceſis Carnotenſis, natus anno ſæculi præteriti 97. ad Societatem acceſſit prætereuntis 19. & poſt ſeptennium tradendis litteris humanioribus impenſum, varijs cum laude perfunctus eſt muneribus, humilitate, patientia, pietate, obedientia alijſquè virtutibus conſpicuus, quas ad extremam vſque vitæ metam conſtanter exercuit in Spiritualium Coadiutorum album pridem relatus. Deſijt inter mortales viuere. Flexiæ die vltimo Februarij 1663. edidit

Theſaurum Linguæ Latinæ. Pariſijs, Flexiæ, & alibi in 8.

Artem vitæ ex Dei nutu in ſæculo inſtituendæ, Latinè reddidit ex Gallico noſtri Barthol. Iacquinotij, Pariſijs, apud Sebaſtiani Cramoiſy 1636. in 9. Scripſit etiam Latinè

Vitam P. Petri Melan de Societate IESV, quæ mſ. in Collegio Flexienſi aſſeruatur.

GEORGIVS VOGLERVS, ſiue IOANNES GEORGIVS VOGLERVS, (vtroque enim modo nominatus reperitur in Catalogis, licet frequentius Georgius Voglerus appelletur) natione Germanus, patria Engenſis haud procul Martianæ, ſeu Nigra ſylua, & Danubij fontibus natus anno ſalutis 1585. Societati ſe addixit Herbipoli, relicto Iuriſprudentiæ ſtudio anno 1603. Diuerſis iam per Germaniam, & Galliam locis peragratis, & bonis litteris hinc indè excultus. Solemnia 4. vota nuncupauit. Vir morum candore, chriſtiana humilitate, & cæterarum virtutum exemplis conſpicuus. Ad priuatam pietatem alendam quibuſdam Sancti Auguſtini libris diligentiſsimè vtebatur; ad publicas autem conciones, in quibus habendis perpetuò verſatus eſt, Sanctum Chryſoſtomum adhibebat, & auditorem quocumque voluiſſet impellebat. Hagenoæ Oppido Alſatiæ zelus ipſius Hæreticis formidabilis fuit, quorum in ſe magnam inuidiam, & acerbitatem excitauit. Dabant in vulgus illum à malis geniis obſideri, cumque valetudinis cauſa aliò miſſus eſſet, ſpargebant domi catenis teneri vinctum, ac tandem etiam ſublimem abreptum diſparuiſſe; cui calumniæ diſſipandæ oportuit hominem Hagenoam remittere. Pauperum puerorumque docendorum munus libentiſſimo animo ſubibat; in carceribus luſtrandis, in reis ad ſupplicium comparandis multus erat, & magno id quidem multorum bono. Tandem inter hæc pietatis officia Herbipoli, quam ſibi Ciuitatem ſua facũdia, religioſaque animi ſimpli-

plicitate mirificè deuinxerat, piè obdormiuit die 26. Iunii anno 1635. Scripſit Germanicè

Fontem Conſolationis, qui eſt Maria, & Ioſeph pro omnibus afflictis lib. 7. Herbipoli

Volumen bene magnum De praeceptis Catecheſeos per Selecta exempla, quæſtiones, cantilenas, rythmos, ſacras lectiones, & Conciones, ad pueros rectè formandos elaboratum. Herbipoli.

Libellum de Peregrinatione ſacra ad ſacrum ſanguinem in Vvalthuram. Item

De Peregrinatione ad Deiparam Retzbani in Franconia celebrem.

GEORGIVS VVITVVEILER, natione Germanus, patria Brigantinus diœceſis Conſtantienſis ingreſſus eſt in Societatem anno ſalutis 1586. ætatis 30. iam tum Theologiæ Doctor. Primus poſuit fundamenta Bruntrutani Collegij, primuſque illud rexit, ſimul Illuſtriſsimo, & Reuerendiſsimo Principi Iacobo Chriſtophoro Blarero Epiſcopo Baſileenſi Fundatori ab Sacris confeſsionibus, atq; Concionibus. Annis 43. præcipuas Prouinciæ Cathedras concionando obtinuit magna vbique commendatione, ac fructu; nec inter tot annos concionum vllam vnquam bis habuit. Mortuus eſt Monachii die 18. Iulii anno 1633. cum ante annos triginta vota quatuor edidiſſet. Scripſit Germanicè

Commentarium in totum Pſalterium Dauidis, & in omnia Cantica Pſalterij Romani, Tomis III. Conſtantiæ, apud Leonardum Straub 1617. & 1618. in 4.

Expoſitionem familiarem omnium articulorum Fidei Chriſtianæ. Monachii 1622. in 4.

Profeſſionis Fidei explicationem iuxta præſcriptum Pij. V. Pont. Max. Conſtantiæ 1623. in 8.

Vitam S. Auguſtini Eccleſiæ Doctoris. Conſtantiæ 1624. in 8.

Opus de Rebus homini Chriſtiano ſcitu neceſſarijs, ſeu Manuale Catholicum Monachii 1631.

GERARDVS BVRGHESIVS, natione Belga, patria Falquembergenſis Sacræ Theologiæ Doctor, Philoſophiam Duaci, Sacras Litteras Græcii Styriæ explicuit, & redux ex Germania, Duaci præfuit ſtudiis, Theologiam Moralem docuit Audomari, & demum Duaci deceſſit anno ſalutis 1637. ætatis ſuæ 47. Societatis initæ 27. profeſſionis votorum quatuor emiſſa 15. eius eſt

Oratio Panegyrica babita in funere Franciſci Montmorency Principis Robecani, ſodalis Parthenij, edita Duaci typis Viduæ Petri Zelu 1637.

GERARDVS GONTHI, natione Belga, patria Leodienſis, in Societatem cooptatus anno Domini 1598. ætatis ſuæ 17. in Prouincia Rhenana; abſoluit in ea Philoſophiæ, & Theologiæ ſtudia, docuitquè litteras humaniores, linguam Græcam, & Hebraicam, nec non Philoſophiam; tum Concionatoris, & Confeſſarij muneribus multos annos perfunctus eſt, Moguntiæ, Fuldæ, Molſhemij, & alibi. Vir roboris inexhauſti, animo, & corpore ad omnem laboris contentionem ſemper ſufficientibus, ſinceri animi comes, atque index perpetua lætitia, & in eius fronte legebatur, & exhilarabat intuentes, Spiritualis Coadiutor formatus 1591. Ad extremum paralyſis cum dextro latere captum, in valetudinario ſolido quinquennio attinuit, quo tempore frequentia veræ virtutis argumenta luculenter exhibuit. Sed ardens eius in Deum, Catholicamquè Religionem ſtudium, in graui noſtrorum, totiuſque Molshemienſis ciuitatis caſu illuſtrius emicuit. Hæreticis Vrbem acerba direptione vaſtantibus, æger alienas in ædes deductus, amicis committitur, Socijs aliò dilapſis, vbi pro noſtro agnitus, conuicijs, & contumelijs oneratur, ſtrictis inſuper gladijs ſæpiùs appetitur. Ex intentato ſæpiùs in iugulum ferro, veteres illi animi non conciderunt, vt non interrito vultu, & aciem gladiorum, & Sicarios ſpectaret, porrectaq; ceruice percuſſorem ſibi inter eos dari cuperet, cuius manu caput ſibi in tam honeſta cauſa amputaretur. Sed voti huius compos haud quaquam eſt factus. Ceterùm obijt ibidem morte ſua die 25. Aprilis 1613. Condidit ex multa Patrum lectione.

Lexicon variarum vocum ex Patribus.

Tres linguas Latinam, Græcam, Hebraicam editis Commentarijs illuſtrauit.

* GERARDVS GRVMSEL natione Belga, patria Leodienſis, natus anno ſæculi voluentis 13. Societati ſe tradidit 32. & ſolemni 4. votorum nuncupatione ſe adſtrinxit. Octennium in ea docuit amæniores litteras, & iam à 22. annis in Miſſione Hollandica verſatur magno zelo, atque animarum fructu. Feliciſſima vena compoſuit aliquot Poemata verſibus Chronicis, in quibus mirificè excellit, ediditque

Chronicam Gratulationem de Pace inter vtramque Coronam feliciter concluſa. Antuerpiæ typis Plantinianis 1658. in 4.

Annum ſexageſimum huius ſæculi, ſiue res memorabiles inter Reges, & Monarchas eo anno geſtas, & Chronicis diſticis euulgatas. Antuerpiæ ex officina Plantiniana 1665. in 4.

Mechliniam illuſtratam luce miraculorum Sancti Franciſci Xauerij Chronicis diſtichis anno 1666. Mechliniæ typis Gisberti Linthſij in 4.

GERARDVS HANSEN natione Germanus, patria Sanctenſis in Cliuia, Religioſæ vitæ rudimenta in Societate poſuit Treuiris anno ſalutis 1608. ætatis ſuæ 17. & votorum quatuor profeſſionem edidit. Quinquennium docuit humaniores litteras quadriennium rexit Nouitios; nouennium Collegia Spiræ, & Herbipoli; bis totam Prouinciam Rheni Superioris; quater venit Romam ad Congregationes Procuratorum, & Generales octauam, decimam, & vndecimam, vir magnæ prudentiæ expe-

experientiæ, & variarum linguarum gnarus, quarum adminiculo Italos, Gallos, Hiſpanos, quàm plurimos in Sacro Pœnitentiæ Tribunali Deo reconciliauit. Affecta iam ætate annuentibus Superioribus elegit ſibi Domum probationis Moguntinam (cuius tantùm non Fundator extiterat) tamquam portum tranquilliſſimum, in quo ſe ad Beatę ęternitatis aditum præpararet; id quod eo feruore animi præſtitit, vt magnam temporis partem non ſine lacrymis tranſigeret. Patientia inſigni fuit, & optimi omnibus exempli, adeòque omnibus amori, & venerationi. Demùm plenus dierum, & bonorum operum migrauit ad omnium Remuneratorem. Moguntiæ die 8. Auguſti 1669. Edidit verſu

Auguria Pacis.

Leones Gentilitios Horſtiorum familiæ Equeſtris.

GERARDVS MONTANVS, SEV VANDENBERGHE, natione Belga, patria Menenius Diœceſis Tornacenſis, admiſſus in Societatem anno ſalutis 1603. ætatis 20. Humaniores litteras multis annis docuit in Belgio, quibus cùm inſigniter excultus eſſet, eaſdem poſtea in Hiſpania, & primùm Noſtris Rhetoribus Hueti tradidit, deinde Madridij in Academia Regia multis annis cum plauſu, parique diſcipulorum fructu explicuit. Obijt Villagarciæ cum eò conceſſiſſet vt Noſtros adoleſcentes ibi quoque inſtitueret politiori litteratura, die 19. Septembris anno Chriſti 1632. ætatis 48. tria vota ſolemnia pridem ante profeſſus. Edidit

Compendium Rhetoricæ ſine diſpendio ex Ariſtotele, Cicerone, Quintiliano.

Metaphraſim Poeticam in Cantica Canticorum Salomonis.

Centuriam Epigrammatum in Martyres Societatis Ieſu.

Vocabularium Hiſpanico-Latinum nullis ornatum elegantijs.

Elegias inſignes de Victoria, quam Vladiſlaus Poloniæ Princeps de Turcis anno 1620. retulit. Recitat Abrahamus Bzouius in Annal. Eccleſ. ad A.C. 1472. n. 10.

Plura Epigrammata ipſius extant præfixa Ioannis Ludouici de la Cerda, & aliorum operibus. Scripſit præterea, ſed morte præuentus eſt ne ederet.

Commentarios in aliquot Senecæ Tragedias.

Viridarium Linguæ Latinæ.

Ephemerides Bellorum Belgij. Poemata varia.

* GERARDVS OTHONIS natione Belga, patria Marenſis propè Syluam-ducis, maturus ætate, & iam tum Rector duarum Paræciarum, adiunxit ſe Societati anno à partu Virginis 1619. & vota 4. ſolemnia concepit. Ab ipſo tirocinio Concionibus habendis adhibitus; tum miſſus in Hollandiam, rem Catholicam varijs in vrbibus, & pagis ſtrenuè promouit. Syluæ-ducis captus, ſquallidum, & tenebroſum carcerem ſuſtinuit; id quod ei alibi quoque tertiò contigit. Nunc Antuerpiæ ſedulum agit operarium in domo Profeſſorum & vt pluribus proſit, complures libellos pios in vulgus edidit

De Fine Hominis, & Regno Dei. Louanij apud Bouuet 1646. in 16.

Claues Cœli de Amore Dei, & Contritione. Louanij apud Coppens 1647. in 16.

Apophthegmata de vitijs ſuperandis, & acquirendis virtutibus. Antuerpiæ apud Cornelium Vvoons 1648. in 16.

Cœlum extra Cœlum, de Attributis Dei. Louanij 1648. in 16.

Deliberationem de ſtatu vitæ deligendo. Ibidem apud Vriembergh 1648. in 16.

Diem Diurnum, ſeu Praxim omnia opera diurna bene peragendi. Ibidem & iiſdem typis, & anno in 16.

Directorem Spiritualem S. Franciſci Saleſij ex Gallico in Flandricum translatum. Antuerpiæ apud Cornelium Vvoons 1648. in 16.

De Amatoribus Crucis. Louanij apud Coppens 1649. in 16.

Excitatorem languidorum. Louanij apud Coppens 1651. in 16.

Cœlum extra Cœlum, & Infernum extra Infernum, De bona, & mala Conſcientia. Louanij apud Vvickman 1652. in 16.

Praxim vtendi Exercitijs S.P.N. Ignatij. Louanij 1655. in 16.

Scalam Fidei. Louanij apud Coppens 1655. in 8.

Regulam Virginum Sacrarum. Antuerpiæ 1655. in 16.

Horrorem Peccatorum. Louanij apud Saſſenum 1658. in 16.

Deum bonum æque ac ſuauem. Antuerpiæ 1666. in 16.

Cœlum venale. Antuerpiæ apud Cnobbaert 1668. in 16.

Theſaurum ad diteſcendum citò in Cœleſtibus. Antuerpiæ apud eundem 1669. in 16.

Vitam S. Genouefæ, ex Gallico Belgicè redditam.

* GERARDVS PELLETIER natione Lotharingus, Diœceſis Tullenſis adlectus in Societatem anno ſalutis 1611. ætatis 25. vir eruditiſſimus, & laborioſa per annos vndecim Rhetoricæ, & Humaniorum litterarum profeſſione ſpectabilis, ſpiritualis Coadiutor formatus, mortales deſeruit Pariſijs die 4. Nouembris 1648. Emiſerat ſub auſpicijs Sereniſſimorum Principum Regiæ ſtirpis, quorum ſtudijs feliciſſimo ſucceſſu præfuerat, nempè Ludouici Borbonij, tunc Enguinenſium Ducis, modò Principis Condæi, eiuſque fratris Armandi Borbonij Principis Contyi

Reginæ Eloquentiæ Palatium. Pariſijs 1641. in folio. Sed Moguntinorum Francofurtenſium, & Lugdunenſium Bibliopolarum incuria varijs mendis ſcatens, priſtino nitori reſti-

tatum vulgauit Pariſijs Simon Boüart 1663. in 4.

GERARDVS ZOES, vel SOVSIVS, natione Belga, patria Amersfortenſis, natus anno 1579. Societatem intrauit Tornaci anno ſalutis 1598. vir candidus, & zelo Dei plenus. Annos 17. traduxit in iuuandis proximis haud quaquam ſteriles; nam ſtylum, quo pollebat in lingua vernacula, impendit ad vertendos varijs ex linguis libros pios, quos deinde magno numero edidit, & ſæpe nomine ſuo occultato. Obijt Mechliniæ die 21. Septembris anno 1628. Spiritualis Coadiutor formatus. Edidit Belgicè translatos à ſe libros

Modum Confeſſionis generalis ritè inſtituendæ ex Franciſco Arias. Brugis apud Petrum Soetardt 1608.

Pugnam Spiritualem Ioannis Caſtanizæ Benedictini Mechliniæ typis Henrici Iaege 1618.

De Præſentia Dei. Franciſci Arias, additis Conſiderationibus de Caſtitate Ibidem 1609.

Praxim puræ, & rectæ intentionis. Ibidem 1619. & rurſum 1623.

Viam vitæ æternæ, Antonij Sucquet Antuerpiæ apud Aertſens 1620. in 8.

Breuem narrationem Vitæ Franciſci à Villaregali, & Ioannis Ximenes Coadiutorum Societatis IESV, ex annuis, & Vita P. Balthaſaris Aluarez decerptam Mechliniæ apud Iaeye, 1620. Item

Vitam P. Thomæ Sanchez, &

Vitam Margaretæ Middelton. Ibidem

Tractatum de Cultu pietatis erga B. Virginem Mariam ex P. Petro Antonio Spinello, collectum. Ibidem 1620. & rurſum 1623.

Pia exercitia animæ deuotæ, per Societatem IESV Pariſijs edita. Antuerpiæ, apud Aertſens 1621.

Compendium Meditationum Vitæ, & Paſſionis Domini Noſtri IESV CHRISTI, ex Vincentio Bruno. Ibidem 1621.

Relationem de Martyribus Indiæ Orientalis. Mechliniæ 1622.

Narrationem Mortis quorundam Religioſorum, & aliorum Chriſtianorum in quadam ſeditione Indorum Occidentalium aduerſus Hiſpanos. Ibidem 1622.

Compendium Vitæ S. P. N. Ignatij. Ibidem 1623.

Varias litteras miſſas à Religioſis Societatis IESV, qui anno 1615. è Belgica ad Vineam Indiæ Occidentalis excolendam abierunt. Mechliniæ apud Iaeye 1622.

Hiſtoriam Vitæ, & obitus Sereniſſimæ Margaretæ Auſtriacæ Hiſpaniarum Reginæ Coniugis Philippi III. à P. Guzman, conſcriptam. Mechliniæ apud Huuet 1623. in 8.

Paradiſum Cæleſtium voluptatum reuelatarum S. Gertrudi P. Antonij de Balinghem. Louanij, apud Henricum Haſtens 1625. & rurſum 1629.

Cor Deo deuotum P. Steph. Luzuick 1627.

Litteras Iaponicas anni 1624. Mechliniæ, apud Iaeye 1628.

GERMANICVM COLLEGIVM, quod in Vrbe iam olim procurante S. P. N. Ignatio, à Iulio III. Pont. Max. erectum eſt anno ſalutis 1552. poſtea à Gregorio XIII. amplis vectigalibus fundatum, & Collegio Hungarico vnitum, tot ac tam præſtantes operarios Vineæ Chriſti per Germaniam, & Hungariam ſuppeditauit, vt meritò inclytarum illarum Regionum ſalus magna ex parte illi deberi videatur. Prodierunt ſiquidem ex illa tamquam ex fæcunda Principum Eccleſiaſticorum Matre, S. R. E. Cardinales Germani quatuor; totidem S. R. Imp. Electores, & totidem Archiepiſcopi Salisburgenſes; Archiepiſcopi alij, & Epiſcopi in Germania, ac S. R. Imp. Principes 31. Abbates regulares ſimiliter S. R. Imp. Principes quinque; Archiepiſcopi in Hungaria tres; Epiſcopi ibidem 24. Epiſcopi Suffraganei cum titulis in partibus Infidelium ad 35. præter quàm plurimos Præſules Infulatos, Dignitates, & Canonicos in Metropolitanis, & Cathedralibus Eccleſijs; & denique præter 4. ſuo ſanguine in odium Fidei Catholicæ glorioſè purpuratos. Nihil hic dicimus de Gregorio XV. Pont. Max. & pluribus Cardinalibus Italis, qui in hoc etiam Collegio, dum ſuis in exordijs coniunctum eſſet cum Seminario Romano, doctrinæ, ac pietatis ſuæ rudimenta poſuerunt. Edidit hoc Collegium in publicum Noſtrorum operâ

Vitam S. P. N. Ignatij Fundatoris ſui æreis Imaginibus expreſſam. Romæ 1609. in 4.

GILBERTVS IONINVS, natione Gallus, patria Aruernus, natus anno 1596. Societatem ingreſſus eſt 1613. in eaque Eloquentiam, & Philoſophiam docuit, Theologiam etiam & ſacras litteras explicuit, & quatuor vota profeſſus eſt. Obijt in flore ætatis Turnoni die 9. Martij anno 1638. Vir ſuauiſſimis moribus, acri ingenio, calamo facili, ac propemodum currente, ſed elegante tamen, ac erudito, ſcripſit.

Lyricorum libros 4. quibus addidit Epodon lib. 5. Lugduni per Proſtios 1630. in 16.

Anthologiam Sacram lib. 1. *& Muſas, & Gratias religioſas lib.* 1. *& Anacreontem Chriſtianum Græcis* numeris cum Metrica Verſione, Latina lib. 3. Lugduni per Petrum Bailly 1634. in 12.

Elegiarum lib. 3. *& Hendecaſyllab: lib.* 2. *& Scazont: lib.* 2. *& Iamb. lib.* 3. Lugduni per Ludouicum Muguet 1634. in 16.

Aenigmata, Beatitudines, Miracula, Sidera, Bion, Pleiades, Hyades, libri ſingulares, carmine Græco, cum explicatione latina. Toloſæ apud Arn. Colomerium 1636. in 8.

Ethicam Poëſin, 13. Centurijs diſtichorum explicatam. Lugduni apud Ioannem Iulieron 1637. in 16.

Ex his *Bion Chriſtianus, & Poëmatum lib.* 2. recuſi ſunt poſtea in Parnaſſo Societatis

IESV

IESV Francofurti 1654. in 4.

* GILBERTVS PREVOST, natione Belga, patria Inſulenſis, vndeuicennis Deo ſe in Societate mancipauit anno labentis ſæculi 15. Sexennium Rhetoricam, & litteras humaniores docuit. Ab ipſo Tyrocinio diuinis rebus ita aſſueuit, vt etiam iis temporibus, quibus animorum remiſſio ex lege permiſſa eſt, ipſe cum Deo in templo loqueretur, & vbique propemodum oraret. In cubiculo aſſiduus, ſilentij, & laboris amans, religioſæ diſciplinæ, ſeruantiſſimus, ſolius caritatis impulſu prodibat foras; Eccleſiaſten annis amplius 40. egit eoque ſpiritus ardore, & virtutis fama dixit ad populum, vt magnum incrementum pietatis ab eo Chriſtiani mores acceperint. Montibus Hannoniæ poſt 20. Annorum curriculum eodem in templo dicentem auidiſſime ciues audiuerunt, & defunctum vehementer luxerunt. Ibi ex hac vita migrauit ad meliorem (vti ſperare fas eſt) die 17. Nouembris anno 1608. Edidit Gallicè

Tres amores ſpirituales Venerabilis Patris Thomæ Sanchez è Societate IESV. Montibus apud Ioannem Hauart 1653.

Hebdomadam Sancti Amoris, Ibidem ſecundò excuſam

Praxim timoris Dei. Ibidem

* GILBERTVS ROVSSEAV, natione Gallus, patria Turo, natus anno ſæculi tranſacti 87. Societatem amplexus eſt vertentis ſecundo, & votorum quatuor profeſſionem emiſit. Rhetoricam, & amæniores litteras ſexennio explicuit; Concionatorem per Galliam annis ampliùs 40. egit, magna laude Eloquentiæ, & ſpiritus. Collegijs Santonenſi, Pictauienſi, Burdegalenſi Rector præfuit, & Domus Profeſſæ Burdegalenſis Præpoſitus grauem exortam contra Societatem, & alios Religioſos Ordines procellam, magno animi robore ſuſtinuit, ac ſuperauit. Prouinciam dein Aquitaniæ adminiſtrauit, & iterum Præpoſitus Domui Profeſſæ Burdegalenſi, ad extremum pijs inſtans laboribus, propè octogenarius exinde ad vitam tranſiuit morti non ſubiectam die 17. Ianuarij 1664. Edidit Gallicè dum Miſſionem Regiam adminiſtraret

Probationem inuocationis Sanctorum intra priera ſæcula Eccleſiæ. Burdegalæ, apud Iacobum du Coque 1624. in 8.

GISBERTVS SCHEVICHANVS natione Belga patria Arnhemius, Gelder, adoleſcens anno ſalutis 1575. Noſtris addictus eſt. Cum Philoſophiam explanaſſet, Sacræ Theologiæ Doctor creatus, Græcij in Styria, & Confluentiæ ad Rhenum Rectoris munere functus eſt. Annis deinde compluribus, tum Herbipoli, tum Moguntiæ Spirituali Noſtrorum inſtitutioni præfuit. Vir fuit accenſo diurni honoris zelo, eximioque in Sanctiſſimam Trinitatem, atque in venerabilem Euchariſtiam amore flagrans. Orationis ſtudioſus imprimis. Proximorum ſalutem quà exhortando, quà Sodalitatibus inſtituendis, quà libris pijs conſcribendis procurauit. In Sanctorum lectione verſatiſſimus, & excellente memoria præditus, Omnibus quibus cum agebat, ipſis adeò Sereniſſimis Auſtriæ Archiducibus carus. Obijt in Domino Moguntiæ die 20 Maij anno Chriſti 1622. ætatis ſuæ 64. vitæ religioſæ 47. ab edita votorum quatuor profeſſione 28. edidit

De Auguſtiſſima, & Sanctiſſima Trinitate cognoſcenda, amanda, laudanda, lib. 12. Moguntiæ apud Albinum 1619. in 8.

De Eccleſiaſticorum vita, moribus, officijs libros 3. Moguntiæ typis Balthaſaris Lippij, 1621. in 8.

Lingua vero materna, edidit

Librum Sodalitatis Germanicæ, Moguntinæ

GISBERTVS VVINCKELIVS, natione Belga, patria Gandenſis admiſſus in Societatem anno ſalutis 1607. ætatis ſuæ 19. Docuit aliquot annis litteras Græcas, & in obſequijs ſpiritualibus militum obijt Vveſaliæ die 20. Octobris 1621. Vir fuit multis virtutum exemplis conſpicuus; magno zelo erga proximos, nec vlli parcens labori, vt inſeruiret etiam cum periculo ſuo Militibus febri peſtifera laborantibus. Humilitatem ſic coluit, vt in omnibus ſe quaſi minorem gereret, eoque nomine omnibus carus vbique extitit. Edidit

Tabulas Græcanicas, in folio

GODEFRIDVS FRANCKENIVS, natione Belga, patria Syluæducenſis, Societati adiunctus anno ſalutis 1615. ætatis 23. votorum quatuor profeſſionem emiſit. Vir magnarum à natura, & gratia partium, quarum ſpectatrices præter natiuum Belgium, habuit Morauiam, Sileſiam, Daniam, Sueciam, & demum Africam. Vbiquè ſalutis animarum ſtudioſus; inſtruebat rudes, pauperes corrogata ſtipe adiuuabat, cum Acatholicis diſputandò feliciter confligebat. Philoſophiam docuit in Academia Olomucenſi; Theologiam Moralem Niſſæ; In Miſſione Danica magnam apud Regem iniuit gratiam, & Copenhagæ (quæ Princeps Ciuitas Regni eſt) prima iecit fundamenta illius Miſſionis. In Sueciam etiam, de licentia Sereniſſimæ Reginæ Chriſtinæ, quæ tunc Regni illius habenas moderabatur, penetrauit magno profectionis, atque operæ ſuæ pretio. Rexit Collegium Brugenſe in Flandria, & in Hollandia Miſſionarium egit, vbi, & vincula pro Chriſto aliquamdiu ſuſtinuit. Demum oblata opportunitate nauis, quæ ex Dania ſoluit in Africam, de Superiorum licentia ad lucrum animarum nauigauit in Regnum Combo, vbi poſt ſuperata multa in itinere incommoda, & pericula, vir Apoſtolico zelo plenus ad laborum præmia emigrauit in Guinea die 19. Nouembris 1654. Edidit dum Olomucij prælegeret

Aſſertiones ex vniuerſa Philoſophia, quibus attexuit.

Problemata 18. Optica de viſu, eiuſque obiecto, ſuis rationibus ſtabilita. Olomucij 1630.

GODE-

GODEFRIDVS HENSCHENIVS natione Belga, Venradæ in Geldria natus anno 1601. 21. Ianuarij, Societatem ingreſſus Mechliniæ anno 1619. 22. Octobris quatuor vota publicè profeſſus Antuerpiæ anno 1636. 12. Maij. Vir Græcis, & Latinis litteris inſigniter excultus, & in Hiſtorijs Eccleſiaſticis verſatiſſimus. Iam pridem Io: Bollando noſtro in elucidandis Sanctorum vitis, quas Heribertus Roſvveydus colligere cæperat, datus adiutor, & ſtudioſum ſocius, anno 1635. continenti labore adhuc in eo puluere laudatiſſimè progreditur, eamque ob cauſam vnà cum Daniele Papebrochio noſtro magnam partem Germaniæ, Italiæ, Galliæ peragrauit; Romæ & alibi illuſtriores Bibliothecas, & Tabularia luſtrauit, atque ex ijs multa in rem ſuam etiam cum approbatione Summi Pontificis Alexandri VII. excerpſit, deſcripſit, ſecumque in Belgium auexit. Edidit collatâ operâ cum Ioan: Bollando

Acta Sanctorum Ianuarij, & Februarij, quæ inueniri huc vſque potuerunt cum ſuis Notis quinque magnis Tomis in fol. Antuerpiæ typis Iacobi Meurſij annis 1645. & 1658. Item collato ſtudio cum Daniele Papebrochio.

Acta Sanctorum menſis Martij. tribus tomis in folio Antuerpiæ apud eundem 1668. & iam ſudant ſub prælo.

Acta Sanctorum menſis Aprilis, tribus pariter tomis in folio. Antuerpiæ typis Michaëlis Cnobari 1675. in folio. Et iam prodijt Index illorum prodromus, ibidem in 4. Seorſim edidit Godefridus

Diatribam de Epiſcopatu Traiectenſi ad Moſam Antuerpiæ apud Meurſium 1653. in 4.

Diatribam de tribus Dagobertis Francorum Regibus. Ibidem apud eundem 1655. in 4.

Notitias breues Italiæ, Hiſpaniæ, Galliæ, Belgij, Germaniæ quinque libellis ex Actis Sanctorum Ianuarij, & Februarij. Ibidem 1658. in 8.

Notitias breues triplicis Status Eccleſiaſtici, Monaſtici, & ſecularis, ex Actis ſanctorum Ianuarij, Februarij, & Martij. Ibidem typis iiſdem 1668. in 8.

Vitam S. Petri Thomaſij Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo ex manu ſcriptis editam, & illuſtratam. Ibidem iiſdem typis 1659. in 8.

* GODEFRIDVS VVANDELMAN natione Belga, natus Amſtelodami parentibus Hæreticis anno ſæculi præteriti 90. & in patria Hæreſi educatus, cum forte Harlemi in ludo litterario vbi adoleſcentes Catholici permixti erant Heterodoxis, vidiſſet condiſcipulos Catholicos expiandorum peccatorum cauſa adire Sacerdotem, ſtatuit & ipſe, quaſi curioſitatis causâ, experiri quid ea in re eſſet. Adiungens itaque ſe illis, repente à Deo commoueri cæpit, & cæleſti lumine perfuſus obuerſari ſenſit menti peccata per omnem vitam commiſſa tanto cum dolore, atque illorum odio, vt illico Sacerdoti ea rite expoſuerit, atque ab illo aggregatus Eccleſiæ, ſtatim ſe Catholicum palam profeſſus fuerit, tanta animi firmitudine, vt nulla vnquam deinceps dubitatio de religione eius mentem inceſſerit. Poſtea à matre ſua nondum mutatæ in melius religionis conſcia, impetrata facultate adeundi Louanium ſtudiorum aliorum cauſa, ibi emenſo Philoſophiæ curriculo, & ſpiritualibus commentationibus S.P. Ignatij excultus, tanto mentis feruore Societatem expetijt, vt vel Romam vſque genibus prorepere ſi opus foret, ad impetrandam admiſſionem decreuerit. Admiſſus itaque in Societatem eſt Tornaci anno 1609. atque in ea magno ſemper zelo animarum emicuit. Miſſionarium egit per Hollandiam annis aliquot; tum Concionatorem varijs in Vrbibus per Prouinciam annis ampliùs viginti. Traiecti ad Moſam, poſtquam ea vrbs in poteſtatem deuenit Batauorum, tanta contentione, doctrinæque pondere dixit aduerſus Hæreſes, vt conſtet per illum plurimos ab erroribus reuocatos, plurimos in Orthodoxa Fide nutantes fuiſſe ab illo confirmatos. Hinc ſuccenſum viri feruorem non ferentes peſtilentis cathedræ Miniſtri, iniquis delationibus eum apud Magiſtratum perſequi non deſtiterunt, donec obtento diplomate ab Ordinibus Generalibus, ſolum vertere iuſſus fuerit, non aliam ob cauſam, quàm quod feruentiùs, quàm Acatholici ferre poſſent, rem Catholicam promoueret. Tandem Mechliniæ annis, & bonis operibus plenus, & Spiritualibus Coadiutoribus pridem adſcriptus, cæleſti brauio donandus obijt die 12. Octobris 1654. Scripſit Belgico idiomate

Viam ſalutis, ſeu familiarem declarationem Catholicæ Fidei per modum Dialogi inter Theophilum, & Tranquillum, impreſſam primò ſine nomine Bruxellis, apud Ioannem Montmaets anno 1638. in 16. poſtea expreſſo nomine recognitam, & auctam. Ibidem typis Gomartij Schoeuart 1648. in 12. Item

Claram, & rectam demonſtrationem Eccleſiæ Chriſti, Mechliniæ typis Roberti Iaeye 1647. in 4. Quam dum latinam facere meditabatur euocatus è viuis eſt. Edidit etiam

Reſponſiones aliquot ad Libellos Hæreticorum.

* GODEFRIDVS VVEYER natione Germanus, patria Paſſradienſis in Ducatu Montenſi, natus anno ſæculi præter labentis 10. Societati ſe adſcripſit Treuiris 1628. & votorum 4. Sacramentum ſolemne dixit. Quinquennio docuit humaniores litteras; Concionatorem aliquot annis egit. Exercitui Bauarico in miniſterijs ſpiritualibus quadriennio inſeruiuit, & in ſimilibus præſidiario militi Leodij annis amplius viginti. Nunc Collegium Duſſeldorpienſe adminiſtrat. Edidit lingua vernacula

Gladium ſanctum, ſeu Precationes & documenta ſingularia pro militibus. Coloniæ apud Conſtantinum Munich 1651. in 12.

GON-

GONSALVVS DE PERALTA natione Hiſpanus, patria Granatenſis, cooptatus in Societatem anno ſalutis 1585. ætatis 15. vota 4. ſolemnia profeſſus eſt, rexitque varia Collegia annis nouemdecim, Domum Profeſſorum Hiſpalenſem annis 15. Prouincias Bœticam, & Sardiniæ annis ſeptem. Fuit etiam Magiſter Nouitiorum, & inſtructor Tertiæ probationis, & demum ad multorum annorum ſtipendia euocatus à Deo eſt Hiſpali die 23. Septembris 1647. Scripſit Hiſpanicè, edidítque in patente folio.

Epiſtolam de obitu, & virtutibus P. Petri de Leon Societatis IESV, qui obijt Hiſpali die 24. Septembris 1632. Item

Epiſtolam de obitu, & virtutibus P. Franciſci de Aleman, qui Hiſpali defunctus eſt 28. Nouembris 1649. in 4. Item alteram

Epiſtolam de obitu vita, & virtutibus Patris Petri de Vrteaga, qui Hiſpali deceſſit 30. Decembris 1644. in 4.

GONSALVVS RODERICIVS, natione Luſitanus, in Societatem Conimbricæ à P. Simone Rodericio adlectus anno 1545. ad Indos Orientis ſolis iam ſacris initiatus ordinibus anno 1551. deſtinatus eſt, & multis, magniſquè in mari defunctus periculis, Goam Septembri menſe peruenit. Inter cætera præſentiſſimum ſuperauit diſcrimen, quod arenis impreſſa Nauis, tam pertinaciter hæſit, nullis, vt opibus extrahi, nulla arte circumagi poſſet; tentatiſque iam fruſtra omnibus, & ſalute omnium deſperata, ſuo nutu præter expectationem nauis ipſa euaſit in altum. Creditum id Patrum, qui vehebantur, precibus donatum. Fidem poterit affirmare, quod paulò poſt contigit. Cùm enim vix è nauſeâ maritima Gonſaluus reſpiraſſet, in Gaſparis Barzæi locum ſuffectus Armuziam profectus eſt. In eo itinere cum leue nauigij genus, quod conſcenderat inſequerentur omni conatu piratæ, iamquè è proximò ſagittarum imbrem depluerent, Rodericius poſitis genibus Deum orauit, & ſagittæ ab omnibus retrorſum agi viſæ in iaculatores, nullo comitum, ac ne nautarum quidem Arabum Rodericij quidquam detrimenti paſſo. Sed nec piratæ; licet leuibus quoquè nauigijs mirè contenderent aſſequi potuerunt, atque ita re infecta, alio verterunt. Inuectus Armuziam Gonſaluus eſt, ad diem 21. Nouembris, qui Præſentationi B. Virginis, ſacer eſt, & Gaſparis inſiſtens veſtigijs, ſuis concionibus mirè profuit. Turcarum in Arcem Armuzianam ſuſtinuit impreſſionem, & vnus ipſe vniuerſum pondus arcis, exercituſque tulit. Obſidionem excepit lues, & multiplex morbus, qui nouus Rodericio labor fuit. Eum dum infracto animo nititur exſorbere, febribus, & cœli grauitate pene abſumptus, Goam reuocatus eſt. Sed labor illi ex labore ſerebatur; nam anno 1555. deſtinatus in Aethiopiam cum Regio Legato, vt quo eſſet ad excipiendum Patriarcham, qui ex Luſitania mittebatur animo Claudius Imperator exploraret, cùm 7. Idus Februarias duabus biremibus ſoluiſſent, multis magniſquè periculis, ſeu Ferarum, ſiue Turcarum, terra marique perfuncti, denique decimo ſexto Cal. Iunij in magnam, feracemque planitiem Aethiopiæ ad Claudium Regem peruenerunt. Ab eo in conſpectum, & colloquium admiſſi Regis Luſitani Epiſtola perlecta, quæ habent in mandatis coràm exponunt. Mutatam reperiunt Claudij voluntatem, negantis ſe aut auitam poſſe Religionem relinquere, aut Romanum velle agnoſcere Pontificem: accepturum quidem quoſquot Luſitaniæ Rex miſiſſet benignè; ſed doctorum ſibi copiam virorum eſſe, nec laborare ſe vllis vti videtur perſuaſum, in Fidei negotio erroribus. Gonſaluus ea denunciatione perculſus, ſtatuit ſtylo perſequi, quæ diſputatione non potuit, & libellum conficere, quo refutaret Abaſſinorum errores, & Romanæ Fidei veritatem aſſereret. Eum cùm breui confectum Regi obtuliſſet, indignari primùm Rex, quod ſibi errores obiectaret: tum negare priuati fuiſſe Sacerdotis, ſed Epiſcoporum atque Pontificum, ea quæ libro continebantur tractare. Verùm digreſſo Gonſaluo, repetere cœpit librum per otium, admirariquè tantam in iuuentute doctrinam. Ceterùm quamuis libri adeo, vt ipſe vocabat, ſancti lectione Claudius teneretur impenſiùs, quia tamen aduertiſſet, magnos propter eum clamores toto Regno excitari, laudantibus alijs, alij contra carpentibus, ne partium diſſidium aleret, ſupprimendum eum exſtimauit. Denique cùm nihil extricaret Rex, Gonſaluus Legatuſquè veniam abeundi petierunt. Rex decem auri vncias Gonſaluo in viatico dari iuſſit, quas ille Regis voluntate accepta remiſit. Et confirmatis in officio Luſitanis, compoſitis diſſidijs, collocatis in Matrimonio concubinis, luſtratiſque Baptiſmate pueris, Goam denique remeauit. In reditu præſenti Dei Matris ope, quam in rebus deploratis inuocarat, periculoſiſſimæ vim tempeſtatis effugit, cuius beneficij memoriam votiua Goæ tabula refert, in eiuſdem Dei Matris templo ſuſpenſa. Annis ſequentibus. Tanæ vtilem operam Gonſaluus impendit, & haud inde procul deſerto in loco Pagum condidit ad faciliorem Indigenarum culturam; cùmque in eo Templum excitaſſet, Sacroſanctæ Trinitati primum illud totius Indiæ dedicauit, & ab ea nomen Pago fuit. Anno 1561. ab Archiepiſcopo Goano ad Idalcanem Regem, qui viſus erat ad Fidem Orthodoxam aſpirare, miſſus eſt; verùm præter inanem curioſitatem, nihil in Iuuene Rege inuenit. De tempore mortis optimi Patris nihil eſt compertum, ſuperuixit ſaltem vſque ad annum 1564. circa quem videtur ad laborum præmia Goæ emigraſſe. Scripſit Luſitanicè, ſed curauit transferri Chaldaicè

Librum de Abaſſinorum erroribus, & Romanæ Fidei veritate, quem Regi Aethiopiæ Clau-

Claudio obtulit, & cuius meminerunt Orlandinus in Hiſt. Soc. lib. 15. Godignus de rebus Abaſſinorum, Balth. Tellez in Hiſt. de Aethiopia. D Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hiſpana, & alij. Scripſit etiam

Epiſtolam de ſua in Aethiopiam legatione, dequè rebus cum Claudio Rege actis, quam pene totam recitat idem Nicolaus Godignus de rebus Abaſſinorum lib. 2. cap. 18.

* GOSVVINVS NICKEL, natione Germanus, patria Iuliacenſis nobili, ac locuplete genere natus, anno ſæculi elapſi 84. Calendis Maij, emenſis Philoſophiæ ſpatijs, & Magiſterij in Artibus laurea donatus, Societati nomen dedit labentis 4. die 3. Aprilis, & votorum 4. profeſſionem emiſit. Claſſes omnes inferiores docendo percurrit. Philoſophiam Coloniæ tradidit, ſtudijs Superioribus præfuit: Eccleſiaſten, & Confeſſarium in templo egit; domeſticos in ſpiritu direxit. Applicatus deinde regendis Noſtris Aquiſgrani, ea ſtatim prudentiæ, caritatis, obſeruantiæ regularis, & coniunctionis cum Deo ſpecimina dedit, vt reliquum fere vitæ tempus per 40. annos in gubernatione tranſegerit. Rector quartùm, Prouincialis ſecundùm fuit, & quidem tempore difficillimo, quo in viſceribus Germaniæ graſſabatur bellum; quin, & diutius præter morem protractus illi eſt magiſtratus. Interim à Comitijs ſuæ Prouinciæ miſſus eſt ſemel Romam ad Congregationem Procuratorum, bis ad Comitia generalia. A Congregatione generali octaua delectus eſt in vnum ex difinitoribus, à Nona cooptatus in Aſſiſtentem pro Germania; à Decima confirmatus in eodem munere; à R. P. Franciſco Piccolomineo Generali ante obitum ſuum nominatus inſigni cum elogio in Vicarium Societatis Generalem, deinde ſublato è viuis R. P. Alexandro Gottifredo Generali, ab eadem Congregatione vndecima, quæ P. Alexandrum elegerat, ſubrogatus eſt in illius officium die 17. Martij anno ſalutis 1652. In munere porrò Præpoſiti Generalis veſtigijs Anteceſſorum religioſè admodum inhæſit, nihil ab Inſtituto Noſtro peregrinum, aut à conſuetudinibus Societatis alienum, in eam irreperè permittens. Seueritati in cuſtodia diſciplinæ, manſuetudinem temperamento excellenti admiſcuit. Orationi adeò deditus, & temporum illi à Regula præſtitutorum tam accuratè obſeruans, vt auditus ſit aliquando dicere, ſe, ex quo Deo in Societate ſeruire cæperat, hoc eſt ſpatio ſexaginta circiter annorum, nunquam particulare, (quod vocamus) examen Conſcientiæ prætermiſſe. Imo ne matutinam meditationem interuentu negotiorum (vt ſubinde fit) interrumpere cogeretur, aut differre; aſſueuerat ſemper ex quo Philoſophiam docuit, ſurgere è ſtrato ante alios orationis mentalis inſtituendæ cauſa, eamquè conſuetudinem per reliquæ vitæ decurſum, etiam Præpoſitus Generalis (quoad per valetudinem licuit) retinuit. Dono prudentiæ, quam excelluerit, præter geſtas tot in Societate Præfecturas, ſatis indicat præclara opinio, quam de illo habuerunt Sereniſſimi Principes, Elector Colonienſis, Dux Neoburgicus, & alij à quibus ſæpe grauiſſimis in negotijs conſultus fuit. Certè ipſe Alexander VII. Pontifex Max. cùm Nuntium Apoſtolicum ageret ad Tractum Rheni, contracta cum P. Goſuuino notitia Coloniæ, tanti illum ſemper poſtea fecit, vt cùm ageretur de eligendo Præpoſito Generali Societatis, & ipſe tunc S. R. E. Cardinalis Innocentio X. à ſecretis eſſet, non dubitauit fidenter ſuadere aliquibus ex P. P. Electoribus, quos familiariter nouerat, vt P. Goſuuino ſuffragia ſua darent. Hinc aditum facilem ad Alexandrum euectum ad Pontificatum ſemper habuit; & opportunè vſus ea gratia, quoad potuit, permouit ſuam ſanctitatem ad procurandam reſtitutionem Societatis in Statum Venetum, id quod tandem feliciſſimè obtinuit. Inter primas à ſuſcepto Societatis totius regendæ clauo curas, vna fuit, vt Domum Profeſſam Romanam (cuius Præpoſitus ſpeciali titulo, ſicut, & omnes illius Anteceſſores, fuit) à grauiſſimo onere æris alieni (ſub quo gemebat) liberaret. Id verò corrogatis hinc inde Eleemoſynis ſua induſtria, & extinctis quàm plurimis nominibus, ita conſecutus eſt, vt eapropter plurimum Romana Domus ei obſtricta maneat. Paupertatem religioſam, quàm cordi habuerit, eiuſquè in Societate obſeruantiam, luculenter teſtatur encyclica Epiſtola, quam eo de argumento ad vniuerſam Societatem dedit. Cibi, potuſquè modici fuit, & diſciplinæ communis, quam ab alijs exigebat, ſeruantiſſimus extitit, etiam in minimis, niſi infirmitate corporis impeditus. Subinde quoque in peruigilijs Feſtorum celebriorum, more ab alijs quoquè Generalibus vſurpato, ad humilia Culinæ officia deſcendebat, atque in publica quotannis diuerberatione pridie feſti S. P. N. Ignatij, ipſe primus anteibat alios, ſuo omnibus prælucens exemplo. Aliquot annis ante obitum placuit Deo exercere illius patientiam, priuando ipſum omni vſu pedum, ita, vt nec ad modicum tempus, aut illis inſiſtere, aut greſſum figere potuerit. Quocirca ne Societas, quam tenerrimè amabat, aliquid inde detrimenti caperet, traditis gubernationis habenis R. P. Ioanni Paulo Oliuæ, electo à Congregatione Generali XI. in Vicarium Generalem, cum Iure ſucceſſionis, ipſe ſibi, ac ſoli Deo vacans, reſiduum vitæ inter luculenta patientiæ exempla tranſegit. Dici vix poteſt quantas moleſtias exorbere debuerit optimus ſenex, in continua per totos dies ſeſſione, idquè pluribus annis; quia decumbere ſuper lectum illi graue erat propter inflammationem renum, & ſynptomata calculi, quo identidem cruciabatur; Hos tamen dolores ille inuicta animi fortitudine tolerabat, & ne forte inter continua cruciamenta flacceſſeret virtus, & mentis vigor,

con-

conſcriptam ſua manu oratiunculam tenebat ob oculos ſuper pluteum, in hæc verba: *Fiat Domine in me, de me, per me, circa omnia mea, Sanctiſſima voluntas tua, in omnibus, & per omnia nunc, & in æternum Amen*. Præterea non obſtante infirmitate, qua laborabat, curabat ſe quotidie vehi ad Sacellum domeſticum, vt Sacroſancto Miſſæ Sacrificio intereſſet, & pane cœleſti ſe reficeret, donec deficientibus viribus adulto Iulio anni 1664. & accedente febri, Sacramentis dein, & Pontificia benedictione præmunitus, ipſo die, quo in cælum abijt S. P. N. Ignatius, migrauit, & ipſe ad complexum ſui Sancti Patris (vt fas eſt ſperare) cuius cultus amplificandi fuerat ſemper ſtudioſiſſimis, anno ætatis ſuæ 82. Societatis aditæ 61. ſupremæ Præfecturæ in Societate 13. Scripſit Religioſiſſimus Pater Epiſtolas binas paræneticas ad omnes in Ordine Socios, Scilicet

I. *De Sancta Paupertate, & accurata illius obſeruantia* anno 1653. Romæ typis Manelphi latinè, & Italicè 1654. in 8.

II. *De Nationali, Prouincialique pernicioſo ſpiritu in Societate vitando* anno 1656. Romæ typis iiſdem 1656. in 8.

* GOTHARDVS BELHOMVS, natione Italus, patria Caſtilionenſis natus anno ſæculi voluentis 12. Deo ſe in Societate conſecrauit 1628. & votorum 4. nuncupatione ſe adſtrinxit. Rhetoricam in ea docuit triennio; Philoſophiam nouennio, Theologiá triennio. Rexit Collegia Buxetanum, Patauinum, Domū probationis Nouellariæ, & Domum Profeſſorum Venetijs. Edidit Italicè libellum cui titulum fecit

Initium ſapientiæ, quo adoleſcentem informat ad pietatem Bononiæ

Flammas Sanctuarij, ſiue Affectus præcipuos in meditationibus de Paſſione Chriſti exercendos. Venetijs apud Zaccariam Gonſattum 1672. in 24.

Latine edidit ſuppreſſo ſuo nomine.

Microcoſmum immobilem, ſeu Compendium vniuerſæ Philoſophiæ. Dedicatum Card. Otthobono à Bernardino Bartolo, Mantuæ apud Oſanas 1655. in 8.

GRANATENSE COLLEGIVM in Bætica Hiſpaniæ Prouincia, & numero Sociorum, & Scholarum omnium frequentia celebre, primordia ſua debet Illuſtriſs. D. Petro Guerrero eius Vrbis Antiſtiti, qui anno ſalutis 1553. viuente adhuc S. P. Ignatio, & redux ex Concilio Tridentino, vbi Societatis inſtituta cognouerat, valdèque probauerat, miſſos eò aliquos de Societate benignè fouit, & alijs Eccleſiaſticis impensè commendauit, impoſito etiam Noſtris præcepto obedientiæ, vt quidquid ad vitæ ſuſtentationem opus haberent, ab ipſo peterent. Vndè auctis progreſſu temporis viri meritis in Ordinem Noſtrum anno 1575. Collegij magno ſuo gaudio declaratus eſt Fundator. Initio aluit hoc Collegium etiam Tirones Societatis; poſtea ijs translatis aliò enutriuit Scholaſticos Philoſophicis, & Theologicis diſciplinis imbuendos. Multos habuit Profeſſores doctrinæ laude, & libris editis clariſſimos. Edidit Collegium lingua Hiſpanica

Relationem Feſtorum in Beatificatione S. P. N. Ignatij ab eodem Collegio inſtitutorum. Hiſpali apud Ludouicum Eſtupinam 1610. in 4.

GRATIENSE, SEV GRAECENSE COLLEGIVM Auſtriacæ Prouinciæ in Styria amni Muræ impoſitum ab Sereniſſimo Carolo Archiduce Ferdinandi II. Cæſaris Auguſti Patre, tamquam Fidei Chriſtianæ propugnaculum erectum eſt. Pijſſimus hic Princeps, cùm Hæretica lues Terras ſuæ ditioni ſubiectas, & ipſam in primis Nobilitatem corripuiſſet, vt & hæreſim reprimeret, & antiquam pietatem inſtauraret, Societatem in auxilium aduocare ſtatuit. Itaque à Sancto Franciſco Borgia per id temporis Præpoſito Generali, ardentiſſimè flagitauit, vt in hac Styrorum Metropoli, Collegium á ſe erigi, dotarique pateretur, quod etiam ſublato ex hac vita pauló poſt S. Borgia, ab illius ſucceſſore Euerardo Mercuriano impetrauit. Datum ergo initium Collegio ſub annum ſalutis 1573. cuius labores adeò ſtatim probati ſunt Sereniſſimo Principi Archiduci, vt anno 1586. celebri Academia id ornauerit, in qua præter manſuetiores diſciplinas, Græcæ, Hebraicæque linguæ inſtitutiones, Mathematica, Ethica, Philoſophia, Theologia tùm Scholaſtica, tùm Moralis, tùm Polemica de Controuerſijs Fidei, denique Ius Canonicum, & Sacræ Scripturæ explicarentur, eamque ampliſſimis priuilegijs dotatam, huius ſui Collegii curæ ſub poteſtate Societatis committeret. Prouexit Collegii huius adoleſcentiam materna planè beneuolentia Sereniſſima Archidux Maria defuncti Fundatoris Vidua domo Bauara, incomparabilis pietatis, ac zeli Heroina. Sed & Ferdinandus II. Paternarum, Maternarumque virtutum hæres, tùm ad augendum Academiæ ſplendorem, tùm ad alendum maiorem Sociorum in Collegio numerum, fundationem ſui Sereniſſimi Patris adiecta Milleſtadienſi Præceptoria cumulauit, vt iam ex annuis reditibus ampliùs centum, & quadraginta capita ordinariè in eo ſuſtententur. Habent nimirùm hi Sereniſſimi Fundatores in eo pietatis ſuæ fructum, quod non tantùm numeroſiſſima iuuentus, & prima nobilitas Styriæ, Carinthiæ, Sclauòniæ, Carniolíæ, Carniæ, Croatiæ, aliarumque Nationum omnium ſcientiarum diſciplinis magno Reip. bono iſthic imbuantur: Sed etiam quód errores Lutheri, aliorumque Hæreticorum longè latèque repreſſi Societatis ibi deſudantis opera, & catholica religio ſit latiſsimè propagata. Edidit hoc Collegium ſuo nominè

Parentalia Sereniſſimo Carolo Archiduci Auſtriæ Fundatori ſuo. Gracii typis Vvidmanſtadii 1590.

Orationes tres in exequijs einſdem Sereniſſimi

mi Caroli à tribus Patribus habitas. Ibidem eodem anno 1?

Parentalia Sereniſſimæ Mariæ Bauaræ Archiduci Auſtriæ Sereniſſimi Caroli Archiducis Viduæ, Græcij defunctæ, die 29. Aprilis 1608. Ibidem 1608.

Pompam funebrem Sereniſſimæ Mariæ Annæ Bauaræ Ferdinandi II. Bohemorum tum Regis coniugi, Emblematis, & Elogijs expreſſam anno 1618.

Imperium Romanum Ferdinando Secundo Auguſto Pio, Patriæ Patri ab Auguſto Septem virorum S.R.Imperij Senatu votis concordibus delatum, fauſtæ gratulationis ergo exhibitum. Græcii typis Erneſti Vvidmanſtadii 1620. in folio.

Amphitheatrum Regium Sereniſſimo, Potentiſſimoque Ferdinando III. Hungarorum Regi in fauſtam gratulationem laboratum, dicatum anno ſæculari ær. 26. Ibidem 1626. in folio.

Epithalamium ſymbolicum Coniugibus Porphyrogenitis Sereniſſimo, Potentiſſimoque Ferdinando III. Hungarorum, Bohemorumque Regi &c. & Sereniſſimæ Mariæ Reginæ Hiſpaniarum Infanti &c. Archiducibus Auſtriæ, cùm Viennæ Auſtriæ Regias nuptias ſolemniter agerent in lætiſſimam adgratulationem, debitique honoris æternum monumentum dicatum, dedicatumque. Ibidem 1631. in folio

Annum primum Imperij Auſtriaci XII. Cæſaro-menſium, & CCCLXV. Anno-dierum D. Ferdinandi III. eidem ſupputatum, concinnatum, oblatum à Collegio Græcenſi anno 1638. in folio

Genealogiam Sereniſſimæ Domus Auſtriacæ à Philippo I. Rege Hiſpaniarum, altero Auſtriacæ magnitudinis Fundatore, ad Auguſtiſſimos Cæſares Leopoldum, & Margaretam deductam &c. Græcii typis Ferdinandi Vvidmanſtadii 1666. in folio.

GREGORIVS CNAPIVS natione Polonus, gente Maſouita, patria Grodziecenſis in Societatem ingreſſus eſt anno ſalutis 1583. ætatis 19. & in ea nouem annis docuit artem Oratoriam, Mathematicam quoque, & conſcientiæ Quæſtiones, necnon Theologiam Scholaſticam biennio. Edidit in lucem

Theſaurum Polono-Latino-Græcum, ſeu promptuarium linguæ Latinæ, & Græcæ Polonorum vſui accommdatum. Cracouiæ typis Franciſci Cæſarij 1620. in folio. Recognitum, & auctum 1643. Item

ThesaurumLatino-Polonicum. Ibidem 1626. in 4. Item

Theſauri Tomum III. Adagiorum Ibidem 1632. in 4. Obijt Cracouiæ 12. Nouembris anno 1638.

GREGORIVS FABER natione Germanus, patria Morsburgenſis Diœceſeos Conſtantienſis ad Societatem ſe aggregauit anno Domini 1591. ætatis ſuæ 24. atque in ea Rhetóricam annis ſeptemdecim, Logicam, Ethicam, Theologiam Moralem multis annis explicuit; linguæ Græcæ ſcientiſſimus, & trium votorum ſolemnium in Societate Profeſſus. Deceſſit piiſſime Conſtantiæ 29. Aprilis 1653. impenſis ex octoginta & quinque annis vitæ, Societati ſexaginta duobus. Auſterus in ſe exſtitit quotidianis flagellis, & triginta annorum ſpatio pro cæna nonniſi modicum de iure, & pane ſumpſit. Demiſſioni animi ſtudioſiſſimè deditus, orationi ſemper intentus, ac potiſſimùm verſiculo illi: *Gloria Patri &c.* Sanctiſſimam Trinitatem exquiſitis officijs colebat. Poſtquam puram ab omni lethali labe (vt opinio fuit) animam Confeſſione generali expiaſſet, apoplexia tactus, & ſeſquiannum cum illa luctatus, (id quod in pio ſuo libello diſertè præſagus adnotauerat) rationis & linguæ impos, nihil niſi Ieſum, Ieſum perdius, ac pernox, millies, ac millies pronuntians, emiſit ſpiritum. Supremum illi diem viſa eſt æris campani ſignificatio deſignaſſe, quando eo die, quo obijt; maior templi campana ſpontè ſua nullius mortalium operà, futuro eius funeri, vt dicebatur, ſignum dedit. Edidit tacito ſuo nomine

Binium Religionis 1635.

GREGORIVS FERRARIVS natione Italus, gente Ligur è Portu Mauritio, ditionis Reip. Genuenſis, Societatem amplexus anno ſalutis 1595. ætatis ſuæ 16. Philoſophiam Mediolani, ac moralem Theologiam docuit. Sacras litteras etiam aliquamdiù eſt interpretatus. Rexit Collegia Aronæ, & Alexandriæ. Vir multæ orationis, & quorum excipiebat Confeſſiones ad pietatem ſedulò inſtituebat. Plenus dierum, ac bonorum operum, naturæ conceſſit Nouocomi die 10. Martij 1659. & ab emiſſa profeſſiooe quatuor votorum anno 25. Edidit

Notas in Thomæ de Kempis De Imitatione Chriſti Libros 4. cum Methodo illis vtendi. Italicè 1629.

Vitam ſpiritualem deſcriptam per Spiritum Sanctum Pſalmo 17. & à ſe explicatam. Italicè lib. ſeu Par. V. Mediolani apud Cerrium 1633. in 8. eam latinè tranſtulit Io: Bucelleni noſter atque edidit Viennæ Auſtriæ 1637. in 8.

Vitam Angelicam. Italicè

Phyſicam, ſeu de Corpore, & rebus Naturalibus Philoſophiam Tom. II. in 4. quorum prior explicat ea; quæ Ariſtoteles tractat lib. VII. & VIII. Phyſicorum & Lib. IV. de Cælo. Brixiæ typis Io: Antonij Ricciardi 1635.

Sanctos & Amatorios affectus Sponſi Cæleſtis, & Sponſæ è Sacris Canticis depromptos. Par. III. Italicè Mediolani per Franciſcum Mognagam 1636. in 12. Latinè Viennæ 1651. in 12.

Cytharam laudum Diuinarum, tacito ſuo nomine Mediolani 1638. Item Italicè

Chriſtianam perfectionem, ſeu vitam Euangelicam, duobus tomis in 8. Mediolani apud hæredes Pacifici Pontij &c. 1643. & 1656. in 8. Latinè ſcripſit edíditque Tomos III. in Apocalypſim quorum

Expli-

I. *Explicat 4. prima Capita*. Mediolani typis Ludou.Montiæ 1652. in folio.

II. *Exponit 8. Capita ſubſequentia*, typis iiſdem 1655. in folio.

III. *Explicat 10. poſteriora*. Ibid. 1656. iu folio.

Edidit etiam Latinè

Commentarios in Canticum Canticorum. Mediolani typis eiuſdem Ludou.Montiæ 1656. in 4. Parauerat typis & alia vt

Oeconomiam Euangelicam: De Heroica Virginis virtute, immaculataque ſanctitate. Quid poſſint Regulares, tempore ceſſationis à Diuinis. Sed non edidit

GREGORIVS LOPEZ, natione Hiſpanus, patria Alcozerienſis diœceſeos Conchenſis, Societati adſcriptus anno Chriſti 1579. ætatis 19. Nondum Sacerdos ad lucra animarum nauigauit in Americam, & primò Mexicum, vbi fuit Magiſter Nouitiorum; prælegit Philoſophiam, & Theologiam, & vota quatuor profeſſus eſt: Poſtea in Philippinis rexit Collegium Manilanum, & ſubinde illam Prouinciam, in qua religioſè obijt die 21. Iulii anno 1614. ſcripſit

Annuas litteras, ex Philippinis anni 1608. Italicè editas Romæ per Bartholomæum Zannettum 1611. in 8.

GREGORIVS MASTRILLVS, natione Italus, patria Nolanus illuſtri genere; Adoleſcentulus in Societatem tamquam in portum ſecurum ſe recepit, territus horrendo caſu duorum fratrum, qui orto inter ipſos iurgio de re leuiſſima, arreptis enſibus mutuò ſe confoderunt. Admiſſus itaque anno Chriſti 1566. die 21. Maij, & mutato, quod prius habebat nomine Mutii in Gregorium, poſt decurſum ſtudiorum, concionibus habendis vitam vtiliter traduxit, Italiam, vt fit, circumeundo, & verbum Dei magno cum fructu diſſeminando. Domos Profeſſorum etiam Romanam, & Neapolitanam gubernauit, atque in hac plenus dierum, ac meritorum abijt ad cœlum die 7. Februarij anno 1633. Edidit in lucem Italicè

Diſcurſus de Paſſione Chriſti tomo vnico in 4. Romæ per Bartholomæum Zannettum, 1607. Poſtea

Centum diſcurſus de Paſſione, ac morte Chriſti diuiſos in tres tomos, ſeu partes in 4. Romæ, apud eundem 1625. & 1627. Item

De æterna Generatione Chriſti D. N. Meſſanæ per Franciſcum Blancum 1625. in 4.

De Temporali Generatione Chriſti D. Noſtri Neapoli per Lazarum Scorigium 1625. in 8.

Diſcurſus 30. in Ionam Prophetam. Neapoli, apud ægidium Longum 1630. in 4.

Diſcurſus, Quadrageſimales in Dominicas, & Ferias Quadrageſimæ tribus tomis. Neapoli per Aegidium Longum 1627. in 4.

Nouenam, ſeu Diſcurſus Spirituales ſuper ſeptem Antiphonas maiores ante Natiuitatem Chriſti Neapoli per Lazarum Scorigium 1620. in 4.

GREGORIVS MONTALIS, natione Italus, patria Spezienſis in Societatem admiſſus anno ſalutis 1614. ætatis 17. votorum 4. profeſſionem emiſit. Rhetoricam, & Humaniores litteras in ea docuit ſexennio; Philoſophiam biennio, Theologiam Moralem etiam ſexennio; & ſæpius Eccleſiaſten egit: Rexit quoque Collegia Adiacenſe in Corſica, & in Miſſionibus obeundis ad præcipitem vſque ſenectam indefeſſus fuit. Vir religioſa ſimplicitate, morum innocentia, animarum zelo, & ſumma obſeruantia diſciplinæ regularis præclarus mortalem vitam deſeruit, Genuæ die 5. Februarij 1668. Edidit Italice tacito ſuo nomine

Faces ad exercitandas virtutes, & deteſtanda vitia. Genuæ typis Farronij 1640. in 24.

* GREGORIVS RAMART natione Gallus, patria Sequanus, Diœceſis Biſuntinæ, Societatem inijt anno ſalutis 1621. ætatis 20. & quatuor vota ſolemnia nuncupauit. Vir Græca, latinaque linguis doctus, Rhetoricam, & politiores litteras octennio tradidit; Philoſophiam quadriennio, Theologiam Scholaſticam octennio explicuit, Scripturam Sacram quinquennio eſt interpretatus, & Conciones aliquando habuit cum magno plauſu. Fuit in eo eximia in Deum pietas, & caritas in proximum admirabilis. Enituit etiam toto vitæ curriculo Religioſæ vitæ amor, & obſeruantia ſingularis. Tandem ſeptuagenarius ad brauium laborum euolauit Aquis-ſextijs die 25. Auguſti 1670. Edidit Gallicè

Octauam Mortuorum, ſeu *Claues Purgatory, De animarum ibi ſtatu, & leuamine*. Lugduni, apud Ant. Molin 1670. in 8.

GREGORIVS ROSEFFIVS, natione Germanus, gente Boius, patria Landishutanus, honeſtis parentibus anno Chriſti 1538. natus in Societatem venit Viennæ 16. Cal: Octobris anno 1559. vbi ſub Ioanne Victoria Tirocinium fecit. Romam aliquantò poſt miſſus, Germanorum contubernio ad D. Marcelli præfuit. Viennam reuerſus, Sacerdotio initiatus, & Petro Caniſio in Concionandi munere ſuffectus eſt tanta nominis celebritate, vt tali viro non indignus Succeſſor haberetur. Certe Hæreticis terrori, & admirationi fuit, Catholicis incredibili ſolatio; ex eo etiam, quod mira facilitate difficillimas quæſtiones, vel rudibus explicaret ad captum. Vltra quinquaginta annos in Cathedrali Eccleſia Auguſtana dixit tanto fructu, vt communi fama, Vrbis illius conſtantia in Fide illi adſcribatur. Othoni Cardinali Auguſtano fuit in amoribus, & veneratione, qui, & illo vſus eſt ad publicanda per ſuam diœceſim Sacri Concilij Tridentini Decreta. Vno, & viginti annis Rector fuit, & demum ſexagenarius decennium Prouincialis. Plurimùm illius debent induſtriæ pleraquè Germaniæ Superioris Domicilia

micilia noſtra, & ipſa tota Prouincia, quam eximia humanitate, grauitate, prudentia, animi candore gubernauit. Quinquies à Prouincia Romam legatus fuit. Congregationi quartæ Generali Elector interfuit. Vitæ iam ſatur in rerum Diuinarum meditationem ſe totum immerſit, vnde breui ad eorum claram contemplationem tranſiuit, poſtquam acutiſſimos morbi dolores in tam graui ſenio patientiſſimè tuliſſet, identidem repetens: Da Domine patientiam, & auge dolorem. Obijt Sacramentis ritè inſtructus, Auguſtæ Vindelicorum die 15. Maij anno 1617. ætatis 85. ſcripſit Germanice ſub nomine Chriſtophori Roſeti

Reſponſionem contra monita Oſiandri de falſa Ieſuitarum practica. Ingolſtadij 1586. in 4.

Replicam, & declarationem contra eadem monita

Apologiam pro Societate Ieſu, contra Oſiandrum Ingolſtadij 1588. in 4.

Iter legatorum Iaponiorum ad Gregorium XIII. Summum Pontificem, & Epiſtolas alias ex Iaponia, reddidit Germanicè, & ſuppreſſo ſuo nomine vulgauit.

Aſſeruatur integra pene Bibliotheca voluminum, quæ ſuo ipſe ingenio elucubrauit, ſua manu deſcripſit.

GREGORIVS RVMER, natione Hungarus, patria Baonienſis, poſt explicatam Græcij Philoſophiam, alijs in Societate muneribus perfunctus, Rectorem egit Olomucij, ac demum temporibus difficillimis Auſtriæ Præpoſitum Prouincialem; cùm ab ea fuiſſet Bohemia ſeiuncta, primus eam Prouincialis obtinuit, in eoque magiſtratu vita functus eſt Brunæ die 29. Septembris anno ſalutis 1627. ætatis 57. Religionis 35. Vir fuit moribus ſuauiſſimis, & eo nomine omnibus, ipſi etiam Cæſari Ferdinando II. carus. qui cum eo multum ſibi commodorum interijſſe publice teſtatus eſt. Modeſtiam, conſtantiam, manſuetudinem, fortitudinem, caritatem, prudentiam ſuam turbatiſſimis rebus egregie probauit. Eximia fuit in Deum pietate in ſuos Moderatores obſeruantia, in Magiſtratus etiam Ciuiles reuerentia, in ægros teneritudine, in afflictos lenitate, indulgentia, patientia malens cunctando ſanare, quàm perdere feſtinando. Pauperum miſerebatur impensè, & pro copia, quæ illi erat, ſubueniebat ipſorum indigentiæ. In ſe ipſum rigidior, quàm indulgentior. Illecebras omnes voluptatis & à ſe ſemper, & à ſuis procul habuit, ne quid inde caperent detrimenti, Moleſtias, & morborum cruciatus, magno animi robore perferebat, & grauiſſimi renum dolores, quibus demum eſt confectus, has illi voces dumtaxat expreſſerunt. O bone Ieſu, o bone Ieſu, Miſerere. Edita eſt

Oratio ab eo habita Græcij in funere Sereniſſimæ Mariæ Matris Archiducis Ferdinandi, eius, qui Imperator eius nominis II. poſtea fuit 13. Cal. Iunij 1608. Extat ea in Parentalibus eidem Principi à Collegio Græcenſi factis.

GREGORIVS à SANCTO VINCENTIO, natione Belga, patria Brugenſis, natus anno ſæculi præteriti 84. vicennis Societatem Romæ amplexus eſt prætereuntis 5. & votis 4. ſolemnibus ſe obligauit. A Philoſophia ſtatim datus eſt P. Clauio Matheſeos diſcipulus, & aliquot deinde annorum interuallo, Aquilonio noſtro eorundem ſtudiorum ſocius. Mathematicas poſtea diſciplinas publicè nouennio profeſſus eſt priuatim verò eaſdem Noſtros vſque ad mortem docuit. Æſtate vnica ſecutus caſtra Regia, quanto zelo militibus præſto fuerit, probauere cicatrices vulnerum inter excipiendum Confeſſiones militum acceptorum, quas ſuo ſepulchro intulit. In vrbibus etiam periclitantibus animabus pari feruore adfuit, & Illuſtriſſimum Ranzouium Galliæ Mariſcallum, armorumque Regis Galliæ in Belgio Præfectum in arce Gandenſi tunc attentum ad Caſtra Chriſti (eiurata Hæreſi) traduxit. Iunior cùm eſſet ad Sinas lucrandarum animarum cauſa mitti ſæpiùs poſtulauit; ſed obſtiterunt pijs illius eo in genere deſiderijs ſemper Superiores in Prouincia, vt lucubrationibus ſuis Mathematicis Societatem illuſtraret. Hinc certatim à varijs Principibus, & Regibus expetitus eſt; nominatim à Ferdinando II. Imperatore, cuius poſtulatu profectus eſt Pragam; poſtea à Philippo IV. Rege Catholico, datis ea de re litteris ad Præpoſitum Generalem Mutium Vitelleſcum, vt filium ſuum Ioannem Auſtriacum Mathematicis ſcientijs inſtitueret. Sed licet tantus fama eruditionis fuerit, maior tamen multò virtutibus exſtitit, ſemper ſibi in bono ſimilis, ac conſtans, vt concepta in primis Tirocinij exercitijs propoſita ſancta, ad finem vſque vitæ in Societate annis 62. actæ, conſtantiſſimè ſeruauerit. Tandem apoplexia tactus Gandaui plenus dierum, ac bonorum operum placidiſſime expirauit die 27. Ianuarij 1667. ætatis 83. poſt celebratum Triplicem Iubilæum, Religionis, Sacerdotij, & Traditæ Matheſeos.

Edidit opus egregium, duobus tomis, inſcriptum

Opus Geometricum Quadraturæ circuli, & ſectionum coni decem libris comprehenſum. Antuerpiæ. apud Ioannem, & Iacobum Meurſios 1647. in folio

Poſt obitum Auctoris prodijt

Opus Geometricum poſthumum ad Meſolabium per rationum proportionalium nouas proprietates. Gandaui typis Balduini Manilij, 1668. in folio ediderat diu Antea

Theorata Matematica ſcientiæ ſtaticæ de ductu ponderum per planitiem recta, & obliqua horizontem decuſſantem, propoſita Louanij, typis Haſtenij cum figuris æri inciſis à Ioanne Germano 1624 in 4.

GREGORIVS DE VALENTIA, natione Hiſpanus, natus Methymnæ Campi, anno

no ſalutis 1551. menſe Martio, dum adhuc in vtero geſtaretur Matris pijſſimæ feminæ, viſa hæc ſibi eſt geſtare catulum continuo latrantem, ſæpiuſquè domeſticis affirmauit ſe quaſi ex vtero audire latratum canis. Præſignificabat id ſcilicet, qualis eſſet futurus Gregorius in cuſtodiendo grege Chriſti, contra Hæreticos, quos in Germania ſpatio 24. annorum,& voce, & ſtylo acerrimè eſt inſectatus, nec vllo loco paſſus conſiſtere. Salmanticam miſſus ſtudiorum cauſa dum Philoſophiæ, ac Iuris prudentiæ nauaret operam, inflammatus concionibus P. Ioannis Ramirez, Societati ſe adiunxit anno ſalutis 1565. die 23. Nouembris; poſuitque ſub diſciplina Balthaſaris Aluarez Religioſæ militiæ Tirocinium. Ex Hiſpania dein euocatus Romam à S. Franciſco Borgia, anno 1571. necdum Sacerdos Philoſophiam ibi biennio prælegit, donec in Congregatione Generali qua electus eſt Euerardus Mecurianus in Generalem anno 1575. expetitus à Prouincialibus tum Franciæ, tum Germaniæ, & huic demum adiudicatus, eò profectus eſt, vt Sacram Theologiam noſtris in Collegijs explicaret, furentium Hæreticorum impetum retardaret, nutanteſquè Catholicorom animos erigeret. Quod tam cumulatè præſtitit per annos circiter 23. Dilingæ primùm, deinde Ingolſtadij poſt Hieronymum Torrenſem, prælectionibus, diſputationibus, congreſſibus, ſcriptis denique, vt omnium Catholicorum animos ſibi deuinxerit, & quæ maxima laus eſt, in odium Hæreticorum incurrerit: omnibus enim aduerſarijs,contra quos ſcripſit ſilentium impoſuit. Scripſit autem

Multa opuſcula de Controuerſijs Fidei contra Sectarios quæ diuerſis temporibus edita ſubinde, poſtremò recognouit certa methodo, ac ratione diſtribuit, vnoque volumine comprehenſa vulgauit Lugduni, apud Hæredes Guilhelmi Rouilrij 1591. hæc inſcriptione,

De rebus Fidei hoc tempore controuerſis, qui libri hactenus exſtant omnes cum nonnullis alijs nondum antea editis. Index autem generalis omnium librorum, quæ in hoc volumine continentur, hic eſt

Analyſis Fidei Catholicæ lib. 8. comprehenſa, in quibus ſimul, De Eccleſia, De Romano Pontifice, De Scriptura, De Traditionibus, De Concilijs diſputatur. Editus eſt hic liber anno 1585.

De Sanctiſſima Trinitate, libris 5. in quorum poſtremo peſtilens quidam liber in Polonia editus confutatur. Editi fuerunt 1586.

De Vera Chriſti Maieſtate, & præſentia contra Lutheranos vbiquiſtas, lib. 4. cum *Epiſtola Franciſci Turriani de eodem argumento*, Ad Auctorem ſcripta. Editi ſunt 1582. & duobus ſequentibus. In tertio autem libro continetur. *Annotatio aduerſus Admonitionem à Schmidelino Lutherano vbiquiſta pro Ieſuitis contra Caluinianos editam*

De Rebus controuerſis ad materiam Sacramentorum pertinentibus, lib. 23. nempe

De numero, & efficacia Sacramentorum nouæ legis lib. 2.

De Baptiſmo paruulorum lib. 1.

De reali Chriſti præſentia in Sacramento Euchariſtiæ, & de Conuerſione panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Chriſti lib. 4. contra Caluiniſtas. Editi ſunt 1587.

De eodem argumento lib. III. in quibus continetur examen, & refutatio præcipui myſterij doctrinæ Calueniſtarum cum reſponſione ad obiectiones Antonij Sadeelis, & Fortunati Grellij. Acceſſit *appendix de Colloquio Monpelgartenſi*. Editi ſunt 1589.

De legitimo vſu Euchariſtiæ in altera tantum ſpecie. lib. I.

De ſacroſancto Miſſæ Sacrificio lib. II. contra Lutheri, Kemnitij, Helbrandi, & aliorum Sectariorum doctrinam. Editi prior 1570. poſterior 1571.

De Contritione ex pœnarum timore concepta. Lib. I.

De Neceſſitate Confeſſionis. lib. 1.

De Satisfactione. lib. 1. Editus 1588.

De Ordinis Sacerdotalis, & Epiſcopalis diſcrimine lib. I.

De Indiſſolubili vinculo Matrimonij, lib. I.

De Idololatria, lib. V. in quibus *cultus ſacræ Euchariſtiæ, & Sanctorum, & Sacrarum Imaginum, ac Reliquiarum* aduerſus ſectariorum contumelias defenditur. Editi 1580. & ſequente

De diuerſis alijs materijs controuerſis, lib. 11. nempe

De Peccato Originali lib. I.

De officio proprio Chriſti mediatoris, ac Redemptoris. lib. I. Editus 1585.

De vera, ac falſa differentia veteris, ac nouæ legis, contra fundamentum Lutheranæ, & Caluinianæ doctrinæ lib. I.

De Gratia, Iuſtificatione, & meritis lib. I. Editus 1576.

De Prædeſtinatione, & Reprobatione, lib. I. Editus 1574.

De Statu, & votis Religioſorum hominum lib. I.

De Cælibatu, lib. I.

De Poteſtate Legis humanæ præſertim Eccleſiaſticæ, lib. I.

De Efficacia excommunicationis Eccleſiaſtiſiaſticæ, lib. I.

De Indulgentijs, lib. I. editus 1587.

De Purgatorio, lib. I.

Atque hæc quidem eo volumine bene magno continentur, poſt quæ ſic excuſa prodijt eodem Valentia Auctore

Redargutio Inſcitiarum, & fraudum, quibus nonnulli falſi Theologi, & Pſeudo Philoſophi Geneuenſes ſubſidiarij Antonij Sadeelis, & Fortunatus Grellius Heidelbergenſis, eum librum cauillati ſunt, quo præcipuum myſterium doctrinæ Calniniſtarum anno 1589. examinatum, & conuictum eſt. Ingolſtadij apud Dauidem Sartorium

rium 1590. in 4.

Supplementum earum fraudum, ſeu mendaciorum, quæ in Redargutione ſuperiore anno edita, quibuſdam Caluiniſtarum obiecta ſunt, collecta ex Indice quodam ſecundo aduerſus eam redargutionem Geneuæ euulgato. Ibidem 1591.

Peccata tria Sadeelis in Apologia ſecundorum ipſius peccatorum. Ibidem 1595. in 4.

Edidit prætereа Valentia.

Commentariorum Theologicorum, & Diſputationum in Summam D. Thomæ Aquinatis, tom. IV. qui primum anno 1591. & ſequentibus ſæpius demum ab Auctore recogniti, & aucti recuſi ſunt. Ingolſtadij typis Adami Sartorij 1593.

In hiſce Commentarijs ſiue Diſputationibus ita ſtylum temperauit Valentia noſter, vt ſolidam, atque reconditam D. Thomæ Doctrinam explicet, nimias, & ſpinoſas ſubtilitates circumcidat, & modum illum ſcribendi ſcholaſticum, & ſcabroſum in faciliorem atque elegantiorem commutet, vt & Catholicos illarum Nationum magis ad legendum D. Thomam hac veluti illecebra alliciat, & Hæreticos ab illius S. Doctoris doctrina abhorrentes, ac præfractos, ſi fieri poteſt emolliat. Denique reuocatus ſapientiſſimus Pater Romam, ibi quoque Theologiam in Romano Collegio docuit, ſtudijs præfuit, vita, doctrina, atque etiam diſputationibus coram Clemente VIII. Pont. Max. & Cardinalium, grauiſſimorumque virorum conſeſſu, floruit. Sed ex continuis ſtudiorum laboribus, ac nimia contentione morbum contraxit, & Neapolim ad recuperandam valetudinem profectus magno ſui bonis omnibus relicto deſiderio piè ſanctèque mortuus eſt 25. Aprilis anno ſalutis 1603. ætatis vero 63. Cui hoc Cænotaphium gratitudinis ergo, Collegium Theologicum Ingolſtadienſe poſuit.

Gregorius de Valentia
è Societate Ieſu
Methymnenſis Hiſpanus,
Sac. Theologiæ Doctor
Inter Theologos ſui temporis
Nulli ſecundus
Pariſijs vehementer expetitus,
A Stephano Rege Poloniæ diu poſtulatus,
Præclarum huius Academiæ decus
In qua annos xxiiij. commoratus cum
S. Theologiam ſedecim annis continuis
Magno Auditorum plauſu & fructu
Fæcundiſſimæ eruditionis propagatione
Docuiſſet atque interim in omni controuerſiarum Religionis genere contra
Hæreticos quam multos compluribus
Libris editis nunquam non victor egregie
Dimicaſſet, vniuerſamque Scholaſticam
Theologiam quatuor Commentariorum
Tomis commemorabili opere illuſtraſſet;
Immortalem nominis gloriam adeptus
Anno 1598. Superiorum ſuorum
Voluntate Romam aduocatus eſt.
Cumque illic partim S. Theologiæ Profeſſor
Partim ſupremus in Collegio Societatis
Studiorum moderator aliquandiu
clariſſimus vixiſſet,
Demum aſſiduis laboribus fractus
Et inueterata conſumptus ægritudine
Neapoli, quò valetudinis cauſa
Æger conceſſerat
E viuis ſemper victurus exceſſit
xxv. Aprilis, anno 1603. ætatis 63.

Clariſſima exſtant aliorum Scriptorum de Gregorio Valentia encomia; quibus ego prætermiſſis, hoc vnum omni exceptione grandius apponam, quod Clemens VIII. Pont. Max. illi exhibuit, quando illum, cuius auditor olim fuerat, *Doctorem Doctorum* appellauit. Refert Adamus Contzen lib. 5. Politic. c. 1.

GREGORIVS VASARHELI natione Hungarus, gente Dacus, ſeu Tranſiluanus in Societatem admiſſus anno Domini 1584. ætatis ſuæ 23. Coadiutor ſpiritualis iam inde ab anno 1605. formatus, vir fuit propagandi Euangelij cupidiſſimus, ob quod ex Alſolindenſi miſſione primus è Noſtris Quinque-Eccleſias conceſſit ſub Turcarum dominatu ſitam vrbem. Ibi exactis aliquot annis, rogatu Gabrielis Betlen Tranſiluaniæ Principis, qui tunc apud Turcas agebat, Claudiopolim iuit, vbi & mortuus eſt die 18. Octobris 1623. Rexerat noſtros Albæ Iuliæ, & Concionatorem annis amplius 20. egerat. Edidit Hungaricè à ſe tranſlatum

Catechiſmum Petri Caniſij cum precationibus quibuſdam adiunctis. Viennæ 1604. Eum mox ibidem recudit additis copioſius

Controuerſijs noſtri temporis, cum certis quibuſdam meditationibus Euangeliorum Dominicalium. Item *Thomæ de Kempis de Imitatione Chriſti libros* IV. Claudiopoli

GVALTERVS PAVLVS natione Belga, patria Huenſis in Condruſijs, ſedecennis in Societatem anno 1603. ingreſſus eſt vir Græcis, latiniſque Humanioribus, Philoſophicis, Theologicis diſciplinis egregiè inſtructus, Sacroſanctæ Theologiæ Doctor, quam Duaci poſt tres Philoſophiæ curſus confectos, octennio publice expoſuit, & poſtea Viennæ Auſtriæ magna cum laude per decennium, vbi etiam ſtudiorum Præfecturam geſſit. Inde Romam euocatus à Præpoſito Generali Mutio Vitelleſco Cenſorem generalem librorum Societatis egit per quinquennium. Ibi cum Sereniſſimis Ducibus Bullonij eſſet à ſacris Confeſſionibus cum illis in Galliam profectus eſt, & poſt aliquod tempus reuerſus Duacum, reſiduum vitæ moderandis ibidem ſtudijs, & excipiendis in templo Confeſſionibus inſumpſit. Adhuc Tiro in Societate votum emiſerat de impendenda quotidie per totam vitam orationi mentali hora, & media examinibus conſcientiæ, nec niſi fractus ſenio, & doloribus eo

ſol-

ſolui petijt. In ara faciebat teneriimo pietatis ſenſu, fuitque illi Ieſus in amoribus, quos Rhythmo-metris expreſſit pietate, nouitate, venuſtate, admirandis. Demum maturus Cælo, & octogenario maior piè admodum deceſſit ex hac vita. Duaci die 17. Aprilis 1672. Edidit

Septem Dolores B. Virginis Rhythmo numeroſo expreſſos. Viennæ typis Gebhaar 1631.

Canticum nouum animi ſalientis à mundo à terra, à Cælo, à ſe ipſo ad Deum melodia Lyricæ genus Rhythmometricum, vnà cum

Regio itinere Ferdinandi III. Viennæ typis Matthiæ Formica 1637. in folio recognitum varijs in locis hoc titulo

Scala & Alæ animi aſcendentis in Deum ab Inferno à mundo, à terra, a Cælo ſtellato, ab Empyreo, à ſeipſo, à nihilo ſui. Duaci typis Viduæ Io: Serrurier 1663. in 12.

Cogitationes Seriæ, Biuium duplex, vnum mortalitatis, alterum æternitatis, cui adiuncta eſt Cantici noui noua editio. Duaci apud Ioannem Serrurier 1653. in 12. Prodijt etiam

Ieſus-Eſus nouus orbis, famis, & ſitis, animi vera ſatietas. Cui adiunctus eſt Triumphus Corporis Chriſti, Leodio ductus per totam Eccleſiam. Duaci typis Laurentij Kellami 1661. in folio.

Hortus Oliuarum, Dolor-Amor, Roſa ſpina. Eſt proſa mixta Rhythmometris. Duaci typis Viduæ Ioan. Serurier 1667. cui adiunctum eſt.

Cordolium Deiparæ, & Cor mancipium Ieſu & Mariæ. Parauerat opus Theologicum hoc titulo

Ieſu-logia, ſeu Fundamenta totius Theologiæ, & Philoſophiæ. Item

Medulla ſanctioris Theologiæ intertecta ſcalis & alis animi aſcendentis in Deum. Item de *Beata Virgine Deipara.* Denique

Controuerſias Fidei diſputatas per ſecula, quibus natæ ſunt Hæreſes, & alia plura, ſed mors interceſſit.

* GVIDO HOLLANDVS, natione Anglus, patria Lincolnienſis, Philoſophiæ ſtuduit Cantabrigiæ in Anglia, Theologiæ in Hiſpania, vbi in Societatem admiſſus eſt anno Domini 1615. ætatis 28. & vota 4. nuncupauit. Miſſus in Vineam Anglicanam quadraginta, & quinque annis illam impigrè excoluit, inculpatæ vitæ integritate, & morum ſuauitate omnibus quibuſcum vixit amabilis. Doctrinæ quoque laudem non mediocrem eſt conſecutus, etiam apud Hæreticos, quos ſcriptis ſuis ſæpius exagitauit. Præfuit noſtris aliquamdiu in Reſidentijs, & tandem ex vinea illa euocatus ad accipiendum denarium æternæ (vt ſperamus) Beatitudinis die 26. Nouembris 1660. Edidit Anglicè librum

De Immortalitate Animæ, inſcriptum *Prærogatiuam Naturæ Humanæ.*

* GVILIELMVS ALOYSIVS LESLÆVS natione Scotus, patria Aberdonenſis, nobili ſtirpe Leſlæorum natus anno ſæculi labentis 41. Societati nomen dedit Romæ anno 1666. confectis ibidem antea ſtudijs, & laureâ Doctorali Philoſophiæ, ac Theologiæ inſignitus. Docuit in Societate Philoſophiam Peruſiæ, nunc Romæ Collegium Scotorum Rector gubernat. Edidit Italicè

Vitam S. Margheritæ Reginæ Scotiæ. Romæ typis Michaelis Herculis 1675. in 12.

GVILIELMVS ASCHENDORFF natione Germanus, gente Veſtphalus, natus in oppido agri Monaſterienſis, cui Telgero nomen. Illi cùm primùm in Societatem ingreſſus eſt anno Domini 1605. aduerſabatur linguæ bleſæ vitium tantùm, vt auerſo à ſtudijs animo, de opificio diſcendo, & ſuſcipiendo Coadiutorum temporalium gradu cogitaret. Verum non multo poſt, vitio illo linguæ depulſo, poſtquam litteris omnibus excultus fuit, non modo Humaniores diſciplinas, & Philoſophiam, ſed etiam ſacras litteras, & Theologiam publicè prælegit profeſſionemque votorum 4. emiſit 1626. Vir capaciſſimi ingenij, ac memoriæ. Fuit etiam Concionator diſertus in paucis, ſiue Germanicè, ſiue Latinè dicendum eſſet. Itaque in Metropolitana Eccleſia Treuirenſi, & in Cathedralibus Paderbonenſi, & Oſnaburgēſi Eccleſiaſtę ordinarij diu munere functus eſt. Oblata eſt ei occaſio demóſtrandæ animi magnitudinis, quando capta menſe Oct. anno 1631. à Guilielmo Haſſiæ Lantgrauio Paderbona abductus cum duobus alijs Societatis noſtræ Patribus Caſſellas, primùm in tetrum noxiorum carcerem detruſus, mox tamen in laxiori cuſtodia habitus, nunquam impelli potuit, vt in redemptionis pretium Religioſo viro indecorum conſentiret, & crebris litteris aduerſarios eò adduxit, vt cùm nihil criminis poſſint illis obijcere, paterentur eos permutatione facta cum ſuis militibus, qui bello capti erant, à Cæſareanis, liberari. Demum reuerſus Paderbonam, fatigatus laboribus piè obdormiuit in Domino die 25. Aprilis anno 1643. Edidit Germanicè ſub nomine Romani Altglaub Philo-Chriſtiani

Defenſionem trium cauſarum, quas pro ſua Conuerſione Statuarius Oſnabrugenſis adduxerat contra refutationem Vvolfangi Heluici Lutherani, ibidem ſuperintendentis. Latinè vero

Orationem in funere Illuſtriſſimi D. Ioannis Godefridi Epiſcopi, & Principis Herbipolenſis, & Bambergenſis Ducis Franciæ Orientalis. Item

Orationem in ſynodo Vvilhelmi Epiſcopi Oſnaburgenſis editam cum eadem ſynodo. Item

Romanum Altglaub, Antiquam fidem, contra Ioannem Van Munſter ſectarium.

* GVILIELMVS AYLEVVORTHVS, alio nomine Harcottus, gente Cambro-Britannus, patria Monumethenſis, Deo ſe in Societate mancipauit anno ſalutis 1641. die 7. Septembris ætatis ſuæ 20. & decurſis ſtudiorum in ea ſpatijs, votorum 4. profeſſione ſe obſtrinxit. Docuit in ea amæniores litteras Philoſophiam, & annis octo Theologiam Scholaſticam

cam

cam, in Collegio Anglicano Leodij. Superſtes edidit

Metaphyſicam Scholaſticam, in qua pleraque Philoſophiæ, & non pauca Theologicæ difficultates elucidantur. Coloniæ apud Ioan. Guilielmum Frieſſem 1675. in folio.

GVILIELMVS BAILLIVS natione Gallus, nobili loco Monſtrolij apud Velaunos in Anicienſi diœceſi natus, Toloſæ nomen Societati dedit poſt Iuriſprudentiæ biennale ſtudium anno Chriſti 1577. ætatis 20. A primis Tirocinij menſibus datus obſonatori comes, in ſordida lacerna, olera, fruges, lecythoſque olei, propter Iuris Gymnaſium, coram ſibi familiariſſimis animo hilari præferebat. Ex quo in omnem deinceps ætatem tantus ille ſui rerumque humanarum deſpectus fuit, vt alio in orbe viuere videretur. Domi cum omnibus ſuauiſſime, faciliimeque agebat, & tamquam vnus de medio; foris tamen aſſumebat ſeriam quandam, religioſamque grauitatem, neminem tamen vnquam vel ioco vel liberiori verbo ſtringebat. Animus ſimplex & candidus, nihil fictum, nihil reconditum claudebat. Corporis ſui dum per vires & ætatem licuit, acer fuit inſectator. Multa illi pietas cum agnis cereis, ſanctorum imaginibus, piacularibus Roſarijs, & reliquo ſacro apparatu. Septem annos Eloquentiam Gallos, Hiſpanoſque docuit. Poſtea graui, piaque Eloquentia 28. annis concionatus eſt. Quatuor vota profeſſus eſt anno 1601. Cum omni Hæreticorum genere tanta felicitate concurrit, vt cum nemine confereret quem non ad Eccleſiam adduceret. Bearnum ab Henrico IV. Rege Fidei libertati redditum primus ipſe purgauit. Santonas Caluini labe infectos ita Religioni reſtituit, vt palàm negent, inde vſque à S. Eutropio Santonum Apoſtolo, quemquam laboribus zelo & pietate parem Bailio noſtro, in illis oris eſſe viſum, cuius operæ ſpecimen qui volet, habet expreſſum in anni 1601. litteris Societatis noſtræ Prouinciæ Aquitaniæ, Miſſione Santonen. Magorum, Sagarum, Veneficorumque omnium artes & genera, tam ſolerter diſcernebat, vt nunquam aberrarit. Diaboli, Hæreſeoſque hoſtis acerrimus, & ad eam debellandam velut à Deo datus. Miſerrimos quoſque adibat libentiùs, & corrogatis ſubſidijs ſubleuabat. Extremo addictos ſupplicio mira efficacitate ad bene moriendum comparabat, quam ipſi fortaſſe conciliabat diuinitùs, ſeuera ſuimet diuerberatio, quam illi operi, vti etiam concionibus, præmittebat. In ſacro cum venerabilem Hoſtiam communicaturus manu tenebat, Da mihi (aiebat) Domine Ieſu animas, pro quibus victima factus es ſalutaris. Celebritate nominis ſui, & zelo animarum eò deuenit, vt velut prouerbio Bai lij appellarentur, qui in eo genere maximè ſtre nui eſſent. Hydrope diuturna, ærumnoſaque cum acerrimis coniuncta doloribus vexatus, incredibili moderatione diros illos cruciatus pertulit, donec victus tandem morti succubuit, Burdigalæ die 27. Octobris anno ſalutis 1620. ætatis 63. Religionis 43. Edidit in lucem libellos plurimos quibus Pſeudo-miniſtrorum ſcripta refutat; ſed commemoratione dignus eſt Gallicè ſcriptus

Catechiſmus; ſeu Compendium Controuerſiarum noſtri temporis, circa religionem. Burdigalæ apud Simonem Millanges 1609. quem latinè reddidit & impreſſit Henricus Lamormaini noſter, Viennæ Auſtriæ, typis Matthæi Formicæ 1626. in 8. & Coloniæ typis Ioannis Kinchij 1626. in 12. Item edidit

De Arte Grammatica Græcorum

De Accentibus & de ſyllabarum quantitate Græcorum

De Græcorum Dialectis.

GVILIELMVS BALDVINVS natione Anglus, patria Cornubienſis, abſolutis Philoſophiæ, & Theologiæ ſtudijs Romæ in Collegio Anglicano, ibidem Societatem ſacerdotio initiatus amplexus eſt, anno ſalutis 1590. ætatis 27. & profeſſionem votorum 4. emiſit 1602. Docuit Theologiam aliquandiu Louanij, & Vice Præfectum Miſſionis Anglicanæ in Belgio egit magno gentis ſuæ bono. Sed in inuidiam puluerariæ coniurationis euocatus, diu latere, ne raperetur in Angliam, coactus eſt. Demum cum anno 1610. Romam tenderet, in Palatinatu ad Rhenum, ab Hæretico Principe interceptus, & multis onuſtus vinculis in Angliam miſſus eſt. In Turri-Londinenſi fuit octennio, nec ſemel quæſtioni ſubiectus; ſed ſuam innocentiam luculenter teſtatus eſt; qua demum comprobata agente Oratore Regis Hiſpaniarum D. Didaco de Sarmiento Comite de Gondemar, viro de Catholicis in Anglia præclarè merito, liber abire permiſſus eſt. Egreſſus Anglia, ingenti lætitia à Noſtris & Exteris, Bruxellis, Romæ, & alibi exceptus eſt, accurrentibus multis videre virum, qui tot annis incommoda carcerum, innocenter & fortiter toleraſſet. Poſt hæc datus eſt Rector Seminario Anglorum Audomarenſi in Belgio, dicente Sereniſſima Iſabella Infanta Hiſpaniæ, & Belgij poſt obitum Alberti Coniugis, tunc Gubernatrice; non eſſe metuendum quòd adminiſtratio illius Collegij commiſſa ſit ei, cui ipſamet exiſtimaret ſe fidere poſſe totius Belgij gubernationem; quare eidem etiam poteſtaté fecit nominandi, quem vellet gentis ſuæ eodem in loco ſucceſſorem. Eo in munere decem annos exegit magno bono iuuentutis, quam rexit, quamque ad numerum ferè ducenteſimum auxit, & demum maturus cælo ibidem pie obijt die 28. Septembris 1632. vir prudens, manſuetus, & inſigniter pius, ac lacrymarum dono in paucis præditus. Reliquit

Meditationum de obligationibus Animæ religioſæ erga Deum tomos XI. in folio.

De Paſſione, & Reſurrectione Domini tom. II. in fol.

De Incarnatione Domini. tom. I. in 4.

De Peccatis, de amore & timore Dei, de

Hum-

Humilitate tom. 3.

De Gratia, de Vita ſpirituali, de Paſſione Domini; de Cruce; de Religione; de Beneficijs, de Sponſalitijs animæ, de Amore; de ſacra Communione, tomos plures, omnes Anglicè, quæ quamuis neſciam tantne viſura lucem, iudicaui recenſenda ad viri memoriam.

GVILIELMVS BATHÆVS natione Hibernus, patria Dublinenſis, vir valde induſtrius, venit ad Societatem annos natus 32. admiſſus Tornaci anno ſalutis 1596. poſtquam Philoſophiæ ſtuduiſſet Oxonij in Anglia. E Belgio Patauium miſſus ad ſtudia, ijs confectis abijt in Hiſpaniam, & Salmanticæ præfuit ſuæ gentis Seminario ad formationem ſpiritus, atque ibidem edidit profeſſionem votorum 4. anno 1612. Præditus fuit ardentiſſimo animarum zelo; carus imprimis omnium ordinum hominibus ob ſingulares virtutes, & morum præſtantiam. Conceſſerat Salmantica Madritum, vt negotia quædam pertractaret, vbi mors illum intempeſtiua occupauit die 17. Iunij anno ſalutis 1614. Edidit librum hoc titulo

Ianua linguarum, ſeu modus maxime accommodatus, quo patefit aditus ad omnes linguas intelligendas, Induſtria Patrum Hibernorum Societatis Ieſu, qui in Collegio eiuſdem nationis Salmanticæ degunt in lucem edita, & nunc ad linguam Latinam perdiſcendam accommodata, in quo nimirum totius linguæ vocabula, quæ frequentiora, & fundamentalia ſunt continentur cum Indice vocabulorum, & tranſlatione Hiſpanica eiuſdem Tractatus. Salmanticæ apud Franciſcum de Cea Teſa 1611. in 4. Opus admirabile, quod linguis omnibus accommodari poteſt.

Editus eſt etiam Hiſpanicè à P. Ioſepho Creſuuello ſub nomine Licentiati Dom. Petri Manrique liber Guilielmi, ſic inſcriptus

Apparatus ad adminiſtrandum Sacramentum Pœnitentiæ maiori cum facilitate, & fructu; & percipiendos admirabiles fructus, quos Sacra Euchariſtia proferre in ijs ſolet, qui ad eam ritè parati accedunt. Mediolani per Marcum Tullium Malateſtam 1604. ſeu, vt ex fine libri conſtat, 1604.

Denique ſuppreſſo nomine edidit Anglicè, & Latine

Inſtitutionem Methodicam de præcipuis Chriſtianæ Fidei Myſterijs cum adiuncta methodo ad Confeſſionem Generalem rite peragendam.

GVILIELMVS BECANVS, natione Belga, patria Iprenſis, natus anno ſæculi fluentis 8. Deo ſe in Societate deuouit 1624. & votorum quatuor ſacramento ſe adſtrinxit. Sexennium prælegit politiores litteras, quadriennium Philoſophiam, nouennium Sacram Scripturam Louanij eſt interpretatus. Rexit Collegium Aloſtanum. Superſtes etiamnum Louanij edidit

Triumphalem introitum Sereniſſimi Cardinalis Infantis Hiſpaniarum in Flandriæ Metropolim Gandauum anno 1634. pulchris imaginibus in æs inciſis ornatum, Antuerpiæ typis Ioannis Meurſij 1636. in folio Regali

Idyllia, & Elegias. Antuerpiæ ex officina Plantiniana Moreti 1655 in 8.

Laudationem funebrem Sereniſſimi Archiducis Leopoldi Guilielmi Ratisbonæ 1664.

Conſtituendæ vitæ, ſtatuſque deligendi rationem. Louanij 1668.

GVILIELMVS BROCHÆVS natione Belga, Limburgi natus, in Societatem admiſſus eſt Romæ die 3. Maij anno ſalutis 1551. communiter vocatus à Patria *Guilielmus Limburgius*, profeſſionem votorum 4. emiſit Moguntiæ 1568. die 20. Aprilis. Obijt Treuiris die 19. Ianuarij 1583. bona ſtipendia in Caſtris Domini meritus; doctrinæ pietatiſque præſtantis; quas aliaſque virtutes ſingularis obedientia vtiliores, pulchrioreſque reddebat, prout refert Sacchinus in Hiſtoria Societatis Par. V. eodem anno. Is antequam decederet, quamuis afflictiſſima valetudine eſſet, noxam animi vt expiaret, è cubili ſurrexit, prædixitque ei apud quem ſe expiauerat horam illam ſibi eſſe ſupremam, atque ita contigit, mox enim nec opinantibus ſocijs in Domino conquieuit vir eximia pietate. Scripſit

Diſputationes de orationis vi, ac neceſſitate

De Sacramentis nouæ legis.

De Tribus bonorum operum generibus

De Oeconomia verbi

De lege, & libertate Chriſtiana

De Veritate Corporis Chriſti in Euchariſtia,

GVILIELMVS BVCCIVS, natione Liuo in Societatem venit anno ſalutis 1601. ætatis 16. Poſt traditam Rhetoricam, & Humaniores litteras Concionatorem egit multis annis, Spiritualium Coadiutorum albo adſcriptus. Migrauit ex hac vita Vilnæ die 24. Decembris 1643. Primus omnium, ex quo Liuonia ante annos quingentos Chriſtiana Fide imbuta eſt, idiomate Eſtonico, cuius in Liuoniæ partibus vſus eſt, edidit

Inſtitutiones Eſtonicas in quibus continentur

Catechiſmus magnus

Ceremoniæ quædam Eccleſiaſticæ elucidatæ

Quæſtiones de omnibus feſtis anni pro rudibus

Hymni, & Cantiones Sacræ

Piæ ad Deum, & Sanctos precationes 1622.

* GVILIELMVS CAMPIANVS, natione Anglus, patria Herefordienſis, Religioſæ vitæ tirocinium in Societate poſuit Vvatenis, anno ſalutis 1624. ætatis ſua 25. & votorum quatuor profeſſionem emiſit. Fuit multis annis operarius gnauus in Vinea Anglicana, & rexit in ea Collegium S. Xauerij, poſtea Domum Tertiæ probationis Gandenſis, quo in munere ad laborum ſtipendia emigrauit die 28. Septembris 1665. Vir erat præſtantis ingenij, maturi iudicij, non mediocris in rebus agen-

agendis prudentiæ, & experientiæ. Edidit librum contra Doctorem Coſenum Hæreticum Anglicè

De Doctrina Catholica circa Tranſubſtantiationem in 8. cui non adſcribitur nec locus, nec annus impreſſionis.

* GVILIELMVS CHABRON, natione Gallus, patria Aruernus, natus anno ſæculi præterlabentis I. Deo ſe in Societate conſecrauit 1622. & vota quatuor ſolemnia concepit. Poſt traditas humaniores litteras, ſexennio docuit Philoſophiam. Rexit Collegia Billomenſe, Turnonenſe, Toloſanum, Ruthenenſe, Monferrandenſe, quod & tranſtulit Claromontum. Gubernauit etiam Domum Profeſſam Toloſanam, & demum totam illam Prouinciam magna laude prudentiæ, caritatis, æquitatis, zeli, eoquè in munere vitæ mortalis metam attigit Toloſæ die 24. Ianuarij 1620 Vir fuit vita innocentiſſimus, pietate in Deum, Deiparamque ſingulari, prudentia perſpicace, & in expediendis operoſis quibuſque negotijs ſumma ſolertia; tantis denique ornatus virtutibus, quantas Noſtrorum gubernatio requirit, & Externi admirati adamauerunt. Edidit

Philoſophiam per argumenta paucis, ac breuiter explicatam, tribus voluminibus. Pariſijs, apud Gaſparum Meturas 1650. in 12.

GVILIELMVS DONDINVS, natione Italus, patria Bononienſis, natus anno ſæculi voluentis ſexto, Societati vicennis nomen dedit 1627. & ſolemne votorum quatuor ſacramentum dixit. Artem eloquentiæ Romæ docuit annis 17. & Sacras Litteras annis 12. interpretatus eſt in Collegio Romano. Edidit

Venetum de Claſſe Piratica Triumphum. Carmen Heroicum. Romæ typis Bernardini Tani 1638. in folio

Delphino Ludouici XIII. Regis Chriſtianiſſimi filio Genethliacon. Iiſdem typis 1639. in folio Carmen Heroicum

Orationes duas alteram de Chriſti Domini cruciatibus; alteram *de Vrbani VIII. Pontificis Opt. Max. Principatu*. Romæ typis Corbelletti 1641. in folio

Carmina de varijs argumentis. Venetijs, apud Franciſcum Baba 1655. in 8. Item

Panegyricos Varios Latinè typis Angeli Bernabo 1661. in 8.

Hiſtoriam de rebus in Gallia geſtis ab Alexandro Farneſio, Parmæ, & Placentiæ Duce, ſupremo Belgij Præfecto. Romæ typis Nicolai Angeli Tinaſſij 1673. in folio

GVILIELMVS FEDERLE, natione Germanus, patria Pfreumdenſis in Bauaria, admiſſus in Societatem anno Domini 1608. ætatis 21. profeſſionem emiſit quatuor votorum. Concionatorem egit multis annis Sereniſſimi Archiducis Auſtriæ Leopoldi, & cum illo profectus in Italiam totum illud iter diligenter adnotauit, & in libellum redactum Germanicè publicauit nomine ſuo ſuppreſſo hac inſcriptione

Germanicus Veridicus. Obijt Poſonij die 4 Maii anno Chriſti 1638.

GVILIELMVS GOOD, natione Anglus, patria Glaſconienſis; ante exortum ſchiſma, duobus Sacerdotijs, & Canonicatu auctus ob Catholicam Fidem omnia reliquit, & Sacerdos atque Artium Magiſtrali laurea Oxonij donatus, in Societatem venit Tornaci anno 1562. ætatis 35. Biennio poſt in Hiberniam cum Archiepiſcopo Armacano miſſus, ſtrenuè per ſex annos laborauit. Regreſſus in Belgium, Louanij Robertum Perſonium Societati per Exercitia Spiritualia genuit. Romæ quatuor vota profeſſus anno 1577. cum Antonio Poſſeuino tetendit in Succiam, & Poloniam, vbi dum commoratur, electus eſt à Congregatione Prouinciali (quæ ibi tunc cogebatur, pro mittendis Romam ad Congregationem Generalem quartam) miſſuſque interfuit illis Comitijs, & electioni P. Claudij Aquauiuæ cum iure ſuffragij. Abſoluta Congregatione illa remanſit Romæ, & Collegio Anglicano recens ibi inſtituto fuit à Confeſſionibus. Neapolim dein profectus, ibi naturæ conceſſit 5. Iulij 1586. Vir fuit probatæ virtutis, & doctrinæ, atque imprimis in Hiſtorijs Sanctorum Angliæ optimè verſatus, quorum res geſtas in templo Collegij Anglicani curauit coloribus exprimi, quæ ſubinde in æs inciſæ prodierunt tacito ipſius nomine inſcriptæ

Eccleſia Anglicana Trophæa. Romæ ex officina Bartholomæi Graſſi 1684. in folio

* GVILIELMVS GRVMSEL, natione Belga, Patria Leodienſis, natus anno ſæculi fluentis 7. Societati noſtræ ſe applicuit 1626. & votorum quatuor profeſſione ſe obligauit. Rhetoricam, & humaniores litteras docuit annis tredecim; Miſſiones varias obiuit; Controuerſias de Fide nouennio explicuit. Superſtes in Collegio Inſulenſi edidit Carmine Elegiaco

Iucundos Sacræ Synaxeos amores. Leodij typis Ioannis Matthiæ Houij anno 1667.

Parœneſim animæ in ignibus expiatorijs detentæ, typis iiſdem

Bellum occultum Dæmonis hominem impugnantis Epigrammata. Leodij apud Houium 1668.

Vota Chronica. Inſulis typis Nicolai de Rache 1669.

* GVILIELMVS GVMPPENBERG, natione Germanus, gente Bauarus, patria Monacenſis, natus anno ſæculi labentis 9. Deo ſe in Societate mancipauit 1625. & vota quatuor ſolemnia nuncupauit. Docuit Humaniores litteras, Ethicam, Controuerſias de Fide, & ſexennio Theologiam moralem. Pœnitentiarium Summi Pontificis in Baſilica Vaticana egit ad quadriennium; & Concionatoris munere 32. annis functus eſt in Germania Superiore. Deſijt inter mortales viuere, Oeniponti die 8. Maij 1675. Edidit Latinè

Ideam Atlantis Mariani de Imaginibus miracu-

raculoſis B. V. Mariæ. Tridenti, apud Carolum Zannotum 1655. in 12.

Atlantis Mariani de Imaginibus miraculoſis B. V. per orbem Chriſtianum cum figuris illarum ære inciſis lib. 4. Latine, & Germanicè. Editio tertia Monachii typis Lucæ Straub 1657. & 1659. in 12.

Atlantem Marianum, quo B. Virginis Mariæ Imaginum miraculoſarum origines duodecim centurijs Hiſtoriarum explicantur. Duobus tomis in folio. Monachij typis Ioannis Iæcklini. 1572. Latinè

Idem Germanicè traductus, propediem imprimetur. Ibidem

Ieſum Virum doloroſum Mariæ Matris doloroſæ Filium Latinè Monachij, typis Sebaſt. Rauck 1672. in 4.

Italicè edidit ſub nomine RodulphiGrimming

Sexdecim Peregrinationes per 365. Eccleſias Romæ. Ibidem per Ægidium Ghezzi 1665. in 8.

GVILIELMVS HARDIGNIVS, natione Belga, patria Luxemburgenſis, annum agens 22. & decurſis Philoſophiæ ſpatijs Societatem inijt anno 1611. In ea poſt traditas ſexennio diſciplinas humaniores, ſtrenuam nauauit operam obeundis magno feruore Pagis ad ruſticorum præſertim inſtructionem. In Caſtris ſæpe, & magno fructu verſatus eſt, promiſcuè omnibus ſe impendens. Obijt ſpiritualis Coadiutor pridem formatus Montibus Hannoniæ die 25. octobris anni 1637. Edidit Gallico Idiomate

Librum precum, & praxeon Spiritualium.

Vitam, & Miracula Sancti Andiani Martyris.

GVILIELMVS HESIVS. natione Belga, patria Antuerpienſis natus anno ſæculi huius ineuntis I. Societati nomen dedit 1617. & votorum quatuor profeſſionem edidit. Vir vario ſcientiarum genere egregiè inſtructus, Poëſim, Rhetoricam, Matheſim, & Philoſophiam profeſſus, Concionatorem in Primarijs Vrbibus Prouinciæ magna commendatione, & fructu per annos 36. egit; Latinè dixit aliquot annos ad ſodales Parthenios non exigua cum approbatione, & maximè Bruxellis in ſacello Aulæ Burgundico coram Sereniſſimo Archiduce Leopoldo Guilielmo, dum præeſſet Belgio. Rexit Collegia Aloſtanum, & Gandenſe, electus à Prouincia miſſus eſt Romam ad Congregationem Procuratorum anno proximè elapſo 1672. & modò Domum Profeſſam Antuerpienſem Præpoſitus moderatur. Edidit in lucem

Emblemata Sacra de Fide, Spe, Caritate, Antuerpiæ ex officina Plantiniana Balthaſaris Moreti 1636. in 12. Extat ipſius

Duplex Emblema Elegiacum in Epicytharſmate, quod Matthiæ Caſimiro Sarbieuio, accinuerunt nobiles huius æui Poëtæ, & eius Lyricorum libris Antuerpiæ poſtrema editione adpreſſum eſt.

Edidit etiam ſuppreſſo ſuo nomine Latinè

Legatum Fidelem ad Oratores Chriſtianos. Antuerpiæ, apud Cornelium Vvoons 1657. in 12.

GVILIELMVS IONSTONVS, natio Scotus, patria Neuuienſis, in Societatem adlectus Lugduni anno 1578. ætatis ſuæ 56. ſtudia Philoſophiæ, ac Theologiæ abſoluit Romæ, Dolæ, & Louanij. Poſtea Philoſophiam, & Sacras Litteras explicuit Græcij cum laude; ibique emiſſis votis multa virtutis ſuæ excitata opinione, piè deceſſit die 19. Decembris 1609. Refert Thomas Dempſterus in apparatu ad Hiſtoriam Scoticam

Hiſtoriam Sleidani in Epitomen ab eo redactam, & hæreſi exterſa, publicatam fuiſſe.

Commentarium in Iſaiam reliquit prælo aptum, qui Græcij ſeruatur.

* GVILIELMVS LACÆVS, natione Anglus, patria Eboracenſis, poſt nauatam Philoſophiæ operam in Collegio Anglicano Romæ, Tirocinium religioſæ vitæ in Societate poſuit Nancæi in Lotharingia, anno ſalutis 1611. ætatis 26. & votorum quatuor nuncupatione ſe adſtrinxit. Docuit multis annis Humaniores litteras cum laude tum Audomaropoli in Belgio, tum in ipſa Anglia, vbi per 58. annos, vel in ætate emerita Vineam illam nauiter coluit, ſæpius ab Hæreticis ad mortem quæſitus, prudentia ſua eorum molimina euaſit; Tandem ſenio, & laboribus confectus, ad horum præmia migrauit ex hac vita Oxonij die 3. Auguſti 1673. Scripſit Anglicè contra hæreſim Socinianam tunc in Anglia gliſcentem tacito ſuo nomiue ſolidè, atque acutè, & edidit ſub titulo:

Iudicium Academici de Libello Guilielmi Chillinguuorthi 1639. in 4. cui addita eſt ad calcem

Heautomachia, ſiue pugna eiuſdem Chillinguuorthi aduerſus ſe ipſum. Typis ijſdem, & anno.

GVILIELMVS LAMORMAINI, natione Belga, Arduennas, Luxemburgenſis Ducatus, in Societatem 1590. vicennis intrauit. Vir multis naturæ, & gratiæ opibus dotatus, magni pectoris, & conſtantiſſimi in aduerſis rebus animi; Philoſophiam, ac Theologiam Græcij cum laude profeſſus eſt vtriuſque facultatis Doctor. Præfuit Rector Collegijs Græcenſi, & Viennenſi, & Præpoſitus Profeſſorum Domui Viennæ, ac demum toti Prouinciæ Auſtriæ. Ferdinando II. Imperatori Auguſto fuit à Confeſſionibus annos complures, vſque ad illius mortem, eiuſque animum difficillimis, ac turbatiſſimis temporibus ad robuſtiſſimam illam Catholicæ religionis defenſionem, quam meritò Terrarum orbis venerabundus admiratur, & ſuſpicit, non parùm ſuis conſilijs firmauit. Plurimùm omninò illi debet Societas noſtra, præſertim Au-

ſtriaca, & Bohemica Prouinciæ, quibus, & plurium Collegiorum fundationes, & Gymnaſia, ac Seminaria Iuuentutis, eorùmque dotationes à Munificentiſſimo Cæſare impetrauit. Fuit peracri Iudicio, ac prudentia ſingulari, quam etiam Principes Viri ſuſpiciebant, & præclara eius dictamina ſequebantur. Vti in ſe magnanimus ſemper, & ea qua in Deum ferebatur fiducia nullo caſu turbabilis, ita in facie Principum imperterritus, ac liber dicebat conſilia pro Eccleſia, & æquitate. Etiam Potentes religioſa libertate (vbi res poſcebat) monere auſus, vt virtutem colerent, auderent ardua pro Deo, pro Patria, pro Religione, quos etiam pluribus in locis ad eliminandam Hæreſim (quo fructu gaudent nunc hæreditariæ potiſſimum Auſtriacorum Prouinciæ) induxit. Denique vixit, & domi religioſarum omnium exemplar virtutum, præſertim heroicarum, ad quas ſuos frequenter excitabat, & in Aula nullo fumo vanitatis afflatus. Obijt non minùs meritis cumulatus quam ætate grauis, Viennæ in Domo Profeſſorum die 22. Februarij anno ſalutis 1648. ab emiſſa profeſſione votorum quatuor 24. Extant ipſius

Oratio habita Gracij **28.** *May anno 1608. in funere Sereniſſimæ Mariæ Matris Ferdinandi Secundi Imperatoris in Parentalibus eidem à Collegio Gracenſi factis.*

Ferdinandi II. Romanorum Imperatoris virtutes Viennæ Auſtriæ, typis Gregorij Gelbhaar 1638. in 4. Coloniæ typis Kinchij 1638. in 16. cum Epigraphe. *Idea Principis Chriſtiani.* Eſt autem hic liber 4. & poſtremus operis, quod moliebatur de vita eiuſdem Ferdinandi in anteceſſum emiſſus. Eum Italicè reddidit Ioann. Iacobus Curtzius noſter, & ibidem edidit.

GVILIELMVS DE LANDSHEERE, natione Belga, natus Caſleti in Flandria anno ſalutis 1605. ingreſſus Societatem 1619. quatuor in ea vota profeſſus eſt 1638. litteras Humaniores varijs in locis docuit ſexennio, Sacram Scripturam, & Theologiam moralem octennio, & hanc dum Antuerpiæ profiteretur in Collegio, ſimul in Templo Domus Profeſſorum lectionem veſpertinam, quæ de controuerſijs eſt, incredibili hominum concurſu habuit, nec minore fructu quàm plauſu; Hæreticorum Maſtyx aſſiduus, quorum plurimos, qua valebat dicendi gratia ad Catholicæ Eccleſiæ gremium traduxit. Præfecturam ſcholarum geſſit octennio, & ſimul Concionatorem egit in primarijs Vrbibus Prouinciæ, vbi ſtationes iacentes mirificè erexit; Quod dum Louanij in æde D. Michaëlis faceret, lue quæ in Vrbe, & Collegio graſſabatur correptus eſt, & inter duodena Noſtrorum funera ſolus euaſit, ſeruante haud dubie Diuina Prouidentia, vt quamplurimos peccatores lingua ſua, & calamo, à peiore animi peſte liberaret. Tandem poſt varios in Societate exhauſtos labores, apoplexia tactus, biennio toto ſpeculum fuit patientiæ ſimul, & infirmitatis humanæ, totos dies cùm nihil aliud poſſet, ſerto Mariano voluendo occupatus, vel Ieſu, & Mariæ nomina inclamando, deniquè extrema vnctione ritè communitus iter æternitatis ingreſſus eſt Gandaui die ſeptima Decembris anno 1666. Edidit in lucem

Controuerſias quaſdam contra Iacobum Laurentium Prædicantem Amſtelodamenſem, Antuerpiæ typis Aertſenij 1651.

Refutationem duplicem quinquennalis ſcripti einſdem Iacobi Laurentij de præſentia Corporis Chriſti in Euchariſtia: Antuerpiæ apud Braeckel 1642. & 43. in 8.

Delicias piorum Spirituales. Ipris 1648. in 4. alieno nomine

Delicias Euchariſticas. Ibidem eodem anno in 4. alieno nomine

Faſciculum Myrrhæ. Ibidem eodem anno, & nomine alieno in 4.

De Sanctorum Cultu. Antuerpiæ apud Braekel 1648. in 8.

De Miraculis. Antuerpie apud eundem 1649. in 8.

Rationabilem exigentiam ab Hæreticis, vt probent ſua Biblia eſſe Verbum Dei. Antuerpiæ apud eundem 1649. in 12.

Diarium Hominis piè Chriſtiani, alieno nomine Ipris 1653. in 4.

Originem & progreſſum nouæ Reformationis. Antuerpiæ 1664. in 8.

GVILIELMVS MALONIVS, natione Hibernus, patria Dublinenſis, admiſſus Romæ in Societatem anno ſalutis 1606. iam vicennis; ſtudijs partim Romæ, partim in Luſitania confectis, remiſſus in patriam vix hoſtium euaſit manus. Ibi annis 24. verſatus multos ad Eccleſiã adduxit, ſæpe cum Caluini ſequacibus congreſſus eſt, magna doctrinæ commendatione. Tandem ab Vsherio Pſeudo-Primate Armacano laceſſitus calamum ſtrinxit, eiquè ſilentium impoſuit. Profeſſionem votorum quatuor ibidem emiſit, & inde euocatus Romam ad regendum Collegium Hibernorum à Ludouico Cardinali Ludouiſio inſtitutum ſexennio adminiſtrauit. Redux in Hiberniam totius Miſſionis Superior fuit, & difficillimis temporibus illam triennio gubernauit. Demum captus ab Hæreticis, deportatus ab his eſt per multa incommoda, in Hiſpaniam vbi Seminarium Hibernorum Hiſpalenſe aliquamdiu rexit, iamquè annis, & laboribus fractus, ex ærumnoſa hac vita tranſiuit ad laborum æternam mercedem, ibidem menſe Auguſti 1656. Vir fuit placidiſſimi ingenij, magni zeli pro Religione Catholica amplificanda, & amans diſciplinæ religioſæ. Edidit librum inſignem Anglicè, cui titulum fecit

Replica contra Reſponſionem Vsheri pro antiquitate Dogmatum Fidei Romanæ. Duaci 1608. in 4.

GVILIELMVS MARCI, natione Belga

ga, patria Dionantenſis, Eburo, in Societatem ingreſſus eſt anno 1608. & in ea Coadiutor Spiritualis formatus eſt. Docuit ſexennio litteras amæniores; multis annis curam geſſit diſciplinæ, & œconomiæ domeſticæ. In pauperibus ſubleuandis excelluit, ideoque Pauperum Pater meritò appellatus. Valencenis Scholæ publicæ, ad quam conueniunt pueri Catecheſeos cauſa annis amplius 30. præfuit, ſummis, infimiſque gratiſſimus. Ibidem religioſè deceſſit die 7. Ianuarij 1638. ætatis ſuæ 64. Edidit Gallicè

Recreationem ijs, qui quid veritatis in vnaquaque re ſit, cupiunt cognoſcere. Rothomagi, & Pariſijs.

Supplicationem Valencenenſem die 7. Septembris quotannis inſtitui ſolitam. Valencenis, apud Io. Veruliec 1614.

Luſcinias Spirituales. Ibidem apud eundem.

GVILIELMVS METTERNICH natione Germanus in Diœceſi Colonienſi, Equeſtri genere natus anno 1563. & abſolutis humanioribus litterarum ſtudijs, Romæ è Collegio Germanico in Societatem cooptatus anno 1587. tantis illicò capitis doloribus conflictatus eſt, vt de eo dimittendo deliberaretur, ſed ille qua erat in ſuſcepto conſilio conſtantia, quamuis eſſet Sacerdotio iam tum initiatus, præoptauit infimis Coadiutorum addici muneribus, quàm abſcedere. Philoſophia, & biennali Theologia excultus, in Germaniam remiſſus eſt, vbi Miniſtri partes Moguntiæ, Rectoris Spiræ, ac Treuiris obijt, & ſubinde trium votorum ſolemni profeſſione edita, aliquot Prouincialium Socius, itinerum & curarum comes fuit: demum noſtris ſpirituali inſtructione formandis diù cum laude operam dedit. Fuit in eo continuum propè orandi ſtudium, ac diuina meditandi; ex quo tàm vberibus de cælo delicijs abundabat, vt à lacrymis ſibi temperare non poſſet, præſertim inter ſumendum Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum; additis tum etiam conſideratæ Chriſti humilitate, gemitibus atque ſuſpirijs. Ita inter ſacrificandum obruebatur interdum, vt non poſſet perlegere Euangelium, aliàs cum alteri ſacrificanti aſſiſteret, impotens fletus, atque ſingultuum omnem ædem ſacram perſonabat. Idem ipſi perſæpè cæleſtia contemplanti in itineribus, idem menſæ accumbenti, hauſto è lectione ſenſu pietatis accidebat. Plurimum afficiebatur meditanda Chriſti humanitate, ſinguliſque diſtinctè membris, oculis, auribus, ore, lingua, corde, manibus, pedibus, actis ad ſingula gratijs, poſtulatiſque beneficijs. Ardenter optabat Domini ſui pro ſe mortui amore vitam profundere, ſi non poſſet cum ſanguine, at certè in peſtilentium obſequio, aut ſimili munere caritatis. Quo ſemetipſum ad ſalutarem pœnitentiam commoueret, Exercitiorum ſpiritualium tempore conſueuerat clauſis cubiculi feneſtris manus ſibi, & pedes ligare, & humi proiectus, tamquam Dei, ac Deiparæ perduellis, & Maieſtatis reus veniam depoſcere: quo dimiſſionis exercitio mirè proficiebat. Tametſi verò corpus haberet laboribus, cauterijs, ſenio, ſatis perdomitum, admouebat illi tamen quotidie cilicia, flagella, & alias afflictationes. Vtebatur multum libello Thomæ de Kempis De Imitatione Chriſti, eum ferebat in ſinu; ex eo ſibi vitæ præcepta petebat ipſe, & alijs promebat. Eum vſu attritum Prælatus quidam P. Guilielmi propinquus impetratum ęmula ſedulitate vſurpabat. Frequens erat in templo: atque in conſpectu Ven. Sacramenti habenas laxabat ſuæ pietati. Duobus quotidie ſacris intererat, alteri, vt oblatis Deo Patri filij ſui meritis ſuarum precum vitia penſaret; alteri, vt piè defunctorum Manibus ſuffragaretur. Iam verò eius ardorem in procuranda ſalute animorum nemo exequatur; adeo nullum refugiebat laborem, nullum hominum genus negligebat, nullam occaſionem elabi ſinebat. Eum præcipuè oſtendit, cùm Spiræ Rector multos ſpiritualibus exercitijs excoluit viros natalibus, & muneribus Eccleſiaſticis, politicis, & militaribus conſpicuos, quorum profectu non neſciebat multorum ſalutem contineri. Hos vt ille ad pium ſeceſſum perduceret, principio totius Collegij preces expoſcebat, deinde ipſe pro illis ſacrificium, preces, lacrymas, pœnas offerebat Deo. Tum vero vbi ſe illi recepiſſent in Collegium nulla re magis, quàm ipſius incenſo ſtudio iuuabantur; nam eximiam ſcientiam, & facultatem vſu ſibi pepererat Exercitia illa alijs tradendi: & cùm vberes in ſacro lacrymæ, & cætera viri vita ſancta, atque innocens accederet, incredibiles animorum motus ciebantur. Lotharium à Metternich Archiepiſcopum Treuirenſem his artibus cùm excoluiſſet, in alium prorſus virum mutauit, habuitque illum poſt illa, ſeu puerum in ſua diſciplina; Tanto populorum ſubiectorum bono, vt Erneſtus Mansfeldius, qui infeſtis copijs Vrbi imminebat, ſola Principis apud Deum gratia crederetur repentè auerſus fuiſſe. Neque ſemel accidit, vt cum ad periclitanda eadem exercitia à Catholicis mirificè deprædicata, nonnulli accederent Acatholici, pacti prius ſuæ perfidiæ conſtantiam, paucis diebus exculti manus vltrò Deo darent, & caſtam Fidem amplecterentur. In eodem Spirenſi Rectoratu, quem annis omninò 22. geſſit, omnibus vnius anni diebus Dominicis excurrit ad pagum quatuor horis diſſitum, & paganos illos Catechiſmo, & Concione, errores, quibus innutriti erant, dedocuit; nullo ab illis vnquam aut vllo alio commeatu admiſſo. In omni conſuetudine cum noſtris, & alienis, ſermones ferebat ſalutares; Temere iurantes, aut maledicta in res ſacras iacientes obiurgabat acriter, quamuis genere, aut dignitate præcellerent. Obiurgationis auſteritatem hilari vultu, & interiecto aliquo leniebat, lepore

qui

qui nullum tamen ſermoni pondus detraheret. Poſtremis quatuor annis quibus Coloniæ, arma Sueica fugiens, verſatus eſt, plurimum operæ poſuit in adeundis Sacrarum Virginum domicilijs, quas Sacramentis refectas Concionibus informabat; habebatque binas quotidie, & diebus ſacris ternas. Iuuabat corrogata ſtipe earum inopiam, quæ Suecicis armis exturbatæ ſuis ſedibus illic exulabant. Adibat ſenex ea Cœnobia procul diſſita, debili ac trementi corpore, ægris pedibus & multas in eo opere ponebat horas; cumque admoneretur vt ætati, & valetudini parceret, reſpondebat illud Apoſtoli, *Dum tempus habemus operemur bonum*. Demum laboribus ſuccumbens, obijt Coloniæ die 30. Martij 1636. ad extremum vſque ſpiritum precibus intentus, ad quas vt commodiùs, ſi per valetudinem liceret, è lectulo ſe corriperet, veſtitus in eo quieſcebat; & vt oſtenderet ſe vti vixiſſet, ita etiam in mancipio Beatæ Virginis mori, ſuſpenſam de collo precatoriam corollam ad vltimum vſque halitum retinuit. Edidit pios in orationem Dominicam Commentarios ſub alieno nomine hoc titulo:

Iter vitæ, ſeu Oratio Dominica triplici Sanctorum Patrum Stella ac Commentario præeunte. Coloniæ typis Kinckij 1637. in 12.

Schedas varias ad pietatẽ inflammandã compoſitas de Actu Contritionis, Examine Conſcientiæ, Oratione pro defunctis, Antidotis contra Ebrietatem, Iuramenta, & Blaſphemias, & alijs id genus, quas paſſim ad frugem faciendam, maximè in itineribus diſpertiebatur.

GVILIELMVS MONTANVS natione Belga, patria Athenſis in Societatem cooptatus anno 1584. ætatis 20. ſpiritualis Coadiutoris gradum in ea adeptus eſt. Vir inſigni obſeruantia erga ſuos Moderatores, & rerum ſpiritualium (quibus præfuit annos 33.) notitia excellens. Aliquot annis ante obitum ad patientiæ exercitium cæcus effectus eſt, & viuere deſijt inter mortales die 25. Martij 1658. Scripſit Gallice

De Confeſſione Sacramentali.

Praxim bonarum intentionum.

Praxim Chriſtianarum Virtutum.

Exercitium pietatis ſuper Pater Noſter, Aue Maria, & Credo.

De Virtute Pænitentiæ. Valencenis 1619. & latinè Viennæ 1644. in 24.

De Methodo ſeruiendi Deo; Colendi Beatam Virginem, & bonas intentiones exercendi.

* GVILIELMVS MONTETIVS natione Scotus, patria Glaſcoenſis, Societati adiunctus Romæ, anno ſæculi voluentis 36. ætatis ſuæ 24. Spiritualium Coadiutorum in eum gradum ſuſcepit. Humaniores litteras octennio docuit; & Pœnitentiarium in Sacra æde Lauretana triennio egit. Varijs perfunctus muneribus naturæ conceſſit in Anglia die 7. Auguſti anno ſalutis 1663. Edidit latinè

Exegeſim Encomiaſticam de S. Ignatio Fundatore Societatis Ieſu. Romæ typis Maſcardi 1661. in 8.

GVILIELMVS PFEFFER, natione Germanus, gente Sueuus, patria Vvallerſtenienſis, iuuenis 17. annos natus Societati nomen dedit anno ſalutis 1607. Vir magni zeli, & caritatis in proximos; Humanioribus excellenter doctus, Concionator Caſtrenſis fuit Excellentiſſimi Ducis Tillij, & ipſius quoque Electoris Maximiliani Bauariæ Ducis, in qua miſſione globo traiectus immatura morte die 26. Ianuarij anno 1633. ætatis ſuæ 43. ſublatus eſt. Obtulerat ſe ſæpiùs ſuis Superioribus ad difficilimas Miſſiones, & nominatim ad peſte infectorum obſequia, reipſa com plures peſte contractos in Palatinatu vltimis ſacris procurauit, maxima ſui apud Neophytos illos & Societatis noſtræ commendatione. Scripſit collatà cum Andrea Brunnero operà, & tacito ſuo nomine vulgauit plenum curioſa pietate inuentum ſcilicet,

Sanctos menſtruos per ſingulos anni dies, cum Imaginibus, quibus à tergo vitam illius Sancti compendio inſcribit cuius nomen præfert

GVILIELMVS DE PRETERE natione Belga, patria Bruxellenſis natus eſt anno ſalutis 1578. Maximam vitæ partem Antuerpiæ egit in Societate noſtra, zelo Dei plenus, & incunfuſibilis Operarius. Nullum officium quod animabus ad Deum ſuum reducendis impendere poſſet, prætermiſit; vir verè ſtrenuus & poſt labores ſemper integer, ac recens. Ad carceres, ad Noſocomia, ad ignes, patibula, Rotas; ad omnia militaria circum Antuerpiam Caſtella, ad Catechiſmos, ad Cathedram Concionum, ad Hæreticorum domos, ad ægrotum & moribundorum cubilia, ad Lupanaria, ad virorum ac mulierum monaſteria frequenter. & libenter excurrebat, animarum lucrandarum deſiderio ſtimulante. Inter hæc puritatem tantopere coluit, vt nunquam intueri mulierem ſit viſus, quamuis cogeretur cum pluribus negotia pertractare, & iam Angelus paſſim ea propter audiebat. Beatiſſimæ Virginis cultor fuit eximius, cuius honori promouendo omnem induſtriam adhibuit. Ad eius laudes decantandas, ipſiuſque officium, præter obſequia cætera, quotidie recitandum, voti ſe religione obſtrinxerat; eique vt matri ſuæ (ſic eam appellabat) omnia ſua benefacta ſecundum Deum, dicauerat. Tria Sodalitia ſub eius patrocinio totos 20. annos tanto ſtudio gubernauit, vt aliud illum nihil agere crederes, ſi cæteros labores non videres. His ipſe quartum addidit, & præclaris conſtitutionibus formauit, eorum Iuuenum, qui nullum dum vitæ ſtatum ingreſſi ſunt, quos ad omnia pietatis exercitia per annos 18. excellenter inſtituit. Alium deinde cœtum collegit auſpicijs S. Caroli Borromæi, in quem delegit Sacri, & Ciuilis Magiſtratus, & primi Ordinis viros, ad promouendam pueriliſ inſtructionis Catechiſticam lectionem collectos, qui deinde ad XXIV.

ver-

verbis loca per totam Antuerpiam vbi Catechiſmum inſtituerat, viſitanda deſtinabantur. Innumeris libellis cuilibet hominum generi accommodatis ipſius opera editis, id effectum eſt, vt prophani, qui valde inualuerant, omnibus excuterentur, obtinuitque ab Epiſcopo decretum, quo proſcriberentur è Scholis triuialibus Codices obſcœni & fabuloſi, quique iuuentutis moribus ſolent noxij eſſe. Ad Eccleſiæ gremium reduxit quamplurimos, & inter illos etiam Philippum Comitem Mansfeldium, bello Germanico clarum. Apoſtatas à ſacris familijs, vel in ipſis Hæreticorum vrbibus laborioſè quæſitos ſuis Ordinibus reddidit. Multos docuit ſæculo ſpreto in religioſa ſepta tranſire; ſæpe ad componendas Monialium, ac virorum etiam Religioſorum familias, magna ſemper illorum approbatione ab Epiſcopo deſtinatus eſt. Denique cùm ſancto ſuo more, in Iubilæo Pontificio, militum ſuburbanorum animas, per fœtida & aërem noxium ſpirantia Caſtella, nec ſine capitis periculo, quod ab hoſtili iaculatione imminebat quæritaret, inuenit quam totius vitæ, ſuſceptis ad Dei gloriam laboribus promeritus erat, coronam. Nam redux in febrim peſtiferam incidit, & paucis poſt diebus extinctus eſt die 10. Nouembris anno ſalutis 1626. ætatis ſuæ 48. Religionis 27. & 15. poſtquam fuerat in Coadiutorum ſpiritualium ordinem aſſumptus. Sub mortem cum vox, ei Sodalium nomine perlata eſſet, qualis ad S. Martinum moriturum. Cur nos Pater deſeris, aut cui nos deſolatos relinquis? Reſpondit: *Domine ſi tibi placitum eſt, vt Matris tua honorem amplificem, non recuſo laborem: imo hoc vnum mihi eſt in votis.* Scripſit atque in lucem emiſit ſermone vernaculo:

Enchiridion Sodalitatis B. Virginis in Societate Ieſu. Antuerpiæ 1611. in 12.

Examen pro Confeſſione generali. Ibidem in 12.

Spiritualem paradiſum piarum Cantionum. Ibidem 1619.

Remedium ſpirituale in morbis contagioſis. Antuerpiæ 1624. in 16. & rurſus 1625. atque auctius demum 1626.

Scripſit etiam & ſeruantur in Tabulario Sodalitatis m. ſ.

Meditationes de Paſſione Domini in tres annos diſtributas, quæ quotannis per quadrageſimam Sodalibus Marianis magno apparatu traduntur.

GVILIELMVS DE LOS RIOS natione Hiſpanus, patria Exciſanus diœceſeos Hiſpalenſis, poſt quinquennium ſtudio iuris Canonici impenſum, gradu Baccalaurei iam donatus Societati ſe adiunxit anno ſalutis 1585. ætatis 17. in Bœtica & inde profectus Mexicum circa annum 1594. ibi profeſſionem votorum 4. emiſit. Multis annis ibi egit Confeſſarium Indorum, Concionatorem, Philoſophiæ & Theologiæ Profeſſorem, nec non ſacrarum litterarum interpretem. Rexit Collegia Angelopolitanum, Paſquarenſe, & Domum Profeſſam Mexicanam, vbi demum fere ſeptuagenarius, obijt anno 1635. Edidit Hiſpanicè.

Concionem, quam Angelopoli in feſto S. Franciſci Xauerij Iaponiæ Apoſtoli, quo Beatificatio ipſius celebrata eſt, habuit. Mexici typis Didaci Garridi 1621. in 4.

* GVILELMVS SALINGERVS natione Hibernus, patria Kilkennienſis diœceſeos Oſſorienſis, Magiſter in Artibus, & Doctor acceſſit ad Societatem Tornaci in Belgio anno ſæculi præterfluentis 21. ætatis ſuæ 22. & vota 4. ſolemnia in ea nuncupauit. Decurſis Theologiæ ſpatijs remeauit in Hiberniam, vbi multis annis magno labore & copioſo fructu vineam illam excoluit. Docuit ibi diu pueros grammaticam, etiam cùm eſſet Rector Collegij Kilkenniæ, & toti dein Miſſioni Superior præfuit. Non vulgari in pretio, atque amore fuit ſummis iuxta ac imis ob amabiles mores, eximiam erga omnes caritatem, ac doctrinam. Hinc ardente bello ciuili in Hibernia, Catholicos inter & Heterodoxos, atque his demum præualentibus pulſus eſt in exilium ab illis tanta ferocitate, vt cum cauſarentur Catholici, quibus adhærebat, ipſius ægritudinem, qua laborabat, reſponſum fuerit, faceſſeret ſtatim Regno etiamſi vitam in vnico tantum pedis digito retineret. Eiectus itaque ex Hibernia ab hoſtibus Fidei Catholicæ reliquum vitæ tempus trenſegit in Hiſpania, vbi rexit aliquamdiu Collegium Hibernorum Compoſtellæ, & poſt multa virtutum exempla ibidem edita, præſertim ſummæ conſenſionis voluntatis cum Diuina, in omnibus quæ aut paſſus fuerit, aut tunc ex morbis patiebatur, poſtquam ad mortem ſe ſtudioſiſſimè comparauerat, ſuſceptis ritè Sacramentis ad portum æternitatis applicuit die 9. Iunij 1665. Edidit Librum

De Vita & Morte Illuſtriſſiſ. Domini Thomæ Valeſij Archiepiſcopi Caſilienſis in Hibernia. Antuerpiæ apud Viduam Ioannis Cnobbari 1655. in 4.

GVILELMVS SCHIEHEL natione Germanus, patria Laureacenſis in Auſtria ad Onaſum, ingreſſus Societatem anno Chriſti 1618. ætatis 17. ita tirocinium exegit, vt ad magna quæque euaſurus ſperaretur; ſed ſpem hanc incidit pertinax epilepſia, quæ eum demum coëgit curſum Philoſophicum abrumpere, & ſublimioribus ſtudijs nuntium remittere. Exinde Oeconomicis miniſterijs applicatus, totam ferme in illis vitam, ſed ſine vllo ſpiritus detrimento, imò cum incremento non exiguo tranſegit. Orationi ſiquidem plurimum fuit addictus, eique prope omne tempus quod ei à negotijs vacabat, impendit. Ideo niſi vel officij, vel caritatis, vel obedientiæ leges euocarent, aſſiduus fuit cubiculi ſui cuſtos & cultor, vbi ſuauiſſimè cum Deo verſabatur. Sacram Euchariſtiam pluries in die ſalutabat, & pie-

& pietatis exercitia, quibus vel puer aſſueuerat, vel quæ Tiro in Societate didicerat per omnem vitam nunquam dimiſit. Hinc ſemeſtris renouationis votorum lege, quamuis in Spiritualium Adiutorum ordinem aſſumptus, amplius non teneretur, tamen morem illum ita rigide tenuit, vt ſeptenos dies defectibus ſuis accurate diſcutiendis, totidemque in remediis ad eos extirpandos diſquirendis impenderet, & tam illos quam iſta ſibi in commentariolum referret: Examen, quod vocamus particulare, ad vltimos vſque ſupremi morbi dies eo prorſus modo, quo in Tirocinio edoctus fuerat, quotidie inſtituit, prout libelli poſt mortem reperti atteſtantur, ex quo euaſit in omni materia ſui victor eximius. Miſſæ ſacrificium ita peragebat, vt adſtantibus deuotionem afflaret; ad quod ſe quotidie ſemihoræ ſpatio diſponebat, alteram eo celebrato ſemihoram agendis gratijs impendebat. Horas Canonicas de genibus ſemper, vel in cubiculo, vel coram Ven. Sacramento recitabat. Deiparæ Virgini poſt Deum teneriſſimè afficiebatur, cuius patrocinio omnem animi ſui tranquillitatem adſcribebat. Inter Cælites, eos quotidie reuerebatur, quorum diebus aut mundo natus, aut Societati renatus, aut Sacerdotio initiatus fuerat; & quos menſtrua ſortitione in Patronos ad vltimum vſque menſem acceperat. Paupertatem religioſam, vt matrem habuit in omnibus, cuius ex affectu nihil patiebatur in cubiculo, quod non magnæ eſſet neceſſitatis. Angelicam puritatem virgineus candor vultus, innocenſque verecundia loquebatur, quem complures teſtati ſunt, ſe nunquam ſine animi ſolatio, & ad virtutem ſtimulo conſpexiſſe. Obedientiæ obſeruantiſſimus fuit, ſiue in exequendo promptitudinem ſpectes, cum plena iudicij ſui abnegatione. Omnibus amabilis nemini durus, niſi ſibi ipſi, quem, licet corpore emaciato, acribus flagellis, cilicijs, abſtinentijs & omnis generis afflictatione domabat. Demum innocentem animam, quam è ſæculo ad Societatem tulit cælo (vt ſperare fas eſt) tranſmiſit Viennæ die 20. Aprilis 1668. Reddidit Germanicè è Latino Andreæ Kobauij, edique tacito ſuo nomine paſſus eſt

Vitam B. Ioannis Dei, Inſtitutoris Ordinis Fratrum Miſericordiæ. Viennæ 1636.

* GVILIELMVS STANIHVRSTVS origine Hibernus, natus Bruxellis anno huius ſæculi ineuntis primo, Deo ſe in Societate dicauit 1617. Mechliniæ. Vir fuit morum, mentiſque candore planè virgineus vtpote, qui in adoleſcentia, perſimili cum S. Thoma Aquinate tentatus lucta, à procace fœmina, conſimile victoriæ creditur reportaſſe præmium, vt nullum exinde carnis ſtimulum perſenſerit. Puriſſimi animi nitorem, ita ſpirabat vultus, oculorumque modeſtiſſima ſpecies, vt ipſis Heterodoxis venerationi fuerit. Ex eorum numero Illuſtriſſima quædam Comitiſſa Hiberniæ in errore pertinax, ita primo conſpectu P. Guilielmi mutata eſt, vt exclamarit, ſi viſus eſt Sanctus in Mundo, hic certè eſt; & ab eodem paulo poſt inſtructa Catholicam ſe profeſſa eſt. Diuini verbi præconem tum Flandricè, tum Anglicè egit annis 25. & præfecturam Sodalitij Mariani, quà ad Theologiæ, quà ad Iuriſprudentiæ ſtudioſos Louanij annos omnino triginta adminiſtrauit; at quàm potenter, quo ſpiritu, quo fructu vix exprimi poteſt. Debet ipſi cœtus ille ſplendorem ſuum, Regijs, Cæſareique nominibus ei inſcriptis auguſtiſſimum; debet & pretioſam ſupellectilem, & Bibliothecam libris pijs inſtructiſſimam, ex qua ſingulis Sodalibus ſinguli pro ſpirituali lectione fructu non pænitendo diſtribui ſolent, & ſuo tempore reſtitui; debent eidem tum diuerſi Ordines Religioſi, tum noſtra Societas non paucos inſignes viros, quos ille ſuis adhortationibus, atque conſilijs, ad capeſſendam vitam religioſam, vel ad arduas Miſſiones efflagitandas impulit. Multis annis ardenter poſtulauerat à ſuperioribus, vt liceret ſibi afflatis peſte deſeruire; & tandem pia importunitate in prouecta ætate extorſit. Quo in opere dum ſumma ſedulitate miniſtrat alijs, parum abfuit quin ipſe ceciderit victima caritatis. Nam peſtifera lue correptus eſt, & inualuit vſque adeo virus, vt actum de eo intra 24. horas Medicus experientiſſimus conclamarit. Verum nuncupato voto in honorem S. P. N. Ignatij, vtcumque euaſit, ope diuina magis, quàm humana, vti aſſeruit idem Medicus. Sanatus porro cum ad eandem Spartam ornandam redire vellet & animam ponere pro fratribus, perierunt viri Conſules, Ciueſque primarij, vt inde ad officium priſtinum, tantum virum Superiores euocarent. Euocatum inuaſit quartana febris, ad quam depellendam cùm translatus fuiſſet Bruxellas, ibi non multò poſt ingraueſcente morbo, ſuſceptis ſumma cum pietate ſacramentis placidiſſimè expirauit die 10. Ianuarii 1663. ſpiritualis Coadiutor dudum formatus, incredibili omnibus tam domeſticis, quam externis relicto ſuo deſiderio. Edidit in lucem duobus tomis

Theſaurum moralem Noſtri Franciſci Labatæ nouis Commentationibus auctum. Antuerpiæ typis Hieronymi Verduſſij 1652. in folio

Dei Immortalis in mortali corpore patientis Hiſtoriam. Antuerpiæ typis Viduæ Ioannis Cnobbari 1660. in 8.

Quotidianam Chriſtiani hominis Teſſeram. Ibidem, & typis iiſdem 1661. in 4.

Regionem mortis. Ibidem 1652. in 8.

Veteris hominis per expenſa 4. nouiſſima Metamorphoſim. Antuerpiæ typis Cornelij Vvoons 1661. in 8. & Gallicè Duaci apud Ioannes Serrurier 1666. Edidit tacito nomine

Album Marianum, in quo proſa, & Carmine Dei in Auſtriacos beneficia, & Auſtriacorum erga Deum Obſequia recenſentur, Louanij typis Maiii 1641. in folio

De

De Infernorum ergaſtulo. Antuerpiæ typis Cnobbari 1655.

* GVILIELMVS THIERSAVLT natione Gallus, patria Pariſinus, natus anno ſæculi præteriti 88. Societati ſe addixit prætereuntis 7. & votorum quatuor ſolemni ſacramento ſe adſtrinxit. Docuit Philoſophiam, & rebus Spiritualibus addictus fuit, Socius Magiſtri Nouitiorum, & Præfectus ſpiritus annis 36. demum accurata regularum Obſeruantia, & patientia in morbis multum commendandus, migrauit ad Dominum Pariſiis in Domo probationis die 30. Ianuarij 1666. Edidit Gallicè

Vitam S. Lyduuinæ. Pariſijs apud Sebaſt. Chappelet 1637. in 12.

* GVILIELMVS DE VVAEL A VRONESTEIN, natione Belga, Vltraiecti natus nobili familia anno ſæculi decurſi 82. poſtquam in Equeſtrem Ordinem Teutonicum fuiſſet adſcriptus, Deo ſe in Societate dedicauit Romæ, anno currentis 2. & votorum quatuor ſolemni nuncupatione ſe obſtrinxit. Concionatorem egit multis annis, Rectorem Traiecti, Louanij, Bruxellis annis amplius 20. Prouinciam totam bis adminiſtrauit; duabus Congregationibus Generalibus Romæ interfuit, & vni Procuratorum cum iure ſuffragij. Vir fuit eximiæ prudentiæ, promptæ in omnes Charitatis, ardentis zeli, & orationis magnam curam gerens tàm in ſe, quàm in ſubditis, quos regebat; pietate tenera ferebatur, erga Deiparam, erga Chriſti patientis vulnera, & erga noſtros Sanctos Ignatium, & Xauerium. Cultum Deiparæ conatus eſt in varijs Collegijs peculiari ſolemnitate publica inſtituta ſub titulo Matris Miſericordiæ propagare. De Chriſti vulneribus edidit opuſculum varijs linguis, & ſæpiùs recuſum, & addita nouæ inuentionis Corolla, quà quàuerſum per Vrbem diſperſit. Pergratus fuit hic Libellus ipſi Alexandro Septimo Summo Pontifici, qui olim dum Nuntium Apoſtolicum ad Rhenum ageret P. Guilielmum cognouerat, iuſſitquè approbationis ſuæ litteras teſtes ad ipſum dari per Illuſtriſſimum D. Comitem Furſtembergicum tunc ſuum Cubicularium honoris, vt vocant, adiuncta inſuper ſua effigie argentea, & Indulgentia plenaria in articulo mortis. Zelum illius commendat in primis inductus illius opera in Belgium Vſus, vt in Italia, Communionis Generalis, & in alias etiam Prouincias propagatus. Præterea ipſo Auctore cæpta eſt conſuetudo, vt puellas inopes Honeſtiſſimæ Virgines Deo Deuotæ, Feſtis diebus manè in varijs Sacellis per Ciuitatem inſtituant, & poſt meridiem ad doctrinam Chriſtianam à Sacerdotibus noſtris explicandam congregent. His, & ſimilibus pietatis officijs optimus ſenex maturus cœlo, & quinquageſimum ſeptimum agens ab inita Societate annum, ad laborum præmia emigrauit Bruxellis pridie Calendas Septembris 1659. Edidit Latinè

Coronam Sacratiſſimorum Chriſti vulnerum 35. Conſiderationibus illuſtratam. Antuerpiæ typis Viduæ Cnobbari 1649. in 8. Recuſam 4. cum auctario Bruxellis apud Franciſcum Foppens 1657.

Eandem Coronam Flandricè traductam impreſſit. Antuerpiæ Cornelius Vvens 1654. in 8. Præterea Vulgauit

Epitomen Hiſtoriæ Crucis Carauacanæ. Flandricè compoſitam. Antuerpiæ, typis viduæ Cnobbari 1649. Item

Epiſtolam Paraneticam ad Virgines Deo Deuotas adlaborantes in inſtituendis ad pietatem Chriſtianam puellis Belgicè. Bruxellis, typis Franciſci Foppens anno 1656. quæ poſtea auctior prodijt ſecunda, & tertia editione. Ibidem.

* GVILIELMVS DE VVAHA, natione Belga, patria Luxemburgenſis natus anno ſæculi præterfluentis 15. vicennis Societati nomen dedit 1035. & ſolemni votorum quatuor Sacramento ſe ei adſtrinxit. Sexennio docuit cum laude Rhetoricam, & amæniores litteras; altero ſexennio Philoſophiam Duaci: Rexit Seminarium Montenſe, & Collegium Ibidem; poſtea Collegium Luxemburgenſe: Superſtes hodie in Collegio Inſulenſi, edidit tacito ſuo nomine

Fortem Gubernatorem, ſeu res geſtas, & Mortem Perilluſtris Viri Ioannis Dallamont Gubernatoris Montis Medij.

GVILIELMVS VVARFORDVS natione Anglus, patria Briſtolienſis prima litterarum fundamta iecit in patria, quæ deinde Oxonij magis prouexit; ſed paucos poſt annos Catholicam Fidem complexus, Romam ad Anglorum Collegium conceſſit, vbi Theologicis imbutus dogmatibus, & Sacerdos factus, reuertit in Angliam ad ſuorum ciuium procurandam ſalutem. Sed inde rurſum egreſſus, Romæ anno 1594. ætatis ſuæ 39. Societati noſtræ adſcriptus eſt. Inde in Seminarijs Anglicanis Hiſpaniæ vtiliter laborauit vſque ad annum ſalutis 1608. quo ad diem tertiam Nouembris Valliſoleti in Domino conquieuit, vota quatuor ſolemniter profeſſus. Scripſit Anglicè ſub nomine Georgij Doulei Sacerdotis

Breuem Inſtitutionem, præcipua Chriſtianæ Fidei Myſteria complectentem, ex Sacra Scriptura, & Sanctis Patribus collectam, Hiſpali 1600. in 12. & rurſum Audomari 1616. & Ibidem iterum quartò. 1637. Item ſub eodem nomine

Breuem Methodum examinandi Conſcientiã pro Confeſſione Generali. Ibid. 1637. in 12. Item ſub nomine ipſius P. Guilielmi opuſculum poſthumum

Breuem Tractatum de Pænitentia, & præparatione neceſsaria ad Sacramentum Confeſſionis. Audomari 1633. in 16.

GVILIELMVS VVRIGHTVS natione Anglus, patria Eboracenſis, poſtquam in Anglicano Collegio Romæ ſtuduit, in Societatem ſe dedit anno ſalutis 1581. ætatis 19. in

qua tantum profecit in litteris, vt in Auſtriam miſſus Philoſophiam annis octo, Matheſim, Controuerſias, Theologiam tam Scholaſticam quàm Moralem annis aliquot publice profeſſus fuerit, partim Viennæ, partim Græcij, & 4. vota ſolemnia 1602. Ibidem emiſerit. Ex Auſtria poſt annos 28. quam abfuerat in Angliam reuerſus, breui ab hoſtibus Fidei Catholicæ captus, & in cuſtodiam coniectus eſt, vbi præter alia incommoda præſentiſſimum vitæ diſcrimen adijt, omnibus pene, qui eodem carcere tenebantur, vel, qui vinctis miniſtrabant peſte abſumptis. E vinculis de Catholicorum conſilio poſt trimeſtre fuga clam elapſus eſt, & per 30. annos ſtrenuam valde in ſalutem animarum operam impendit. Eo tempore non abnuit vir id ætatis, & altioribus ſtudijs tam præclarè inſtructus, (vt, qui Doctor Sacræ Theologiæ fuerat renunciatus) dimittere ſe ad docendos prima rudimenta pueros filios Catholicorum, idque conſtanter per multos annos, & magna multorum admiratione. Decennio priuſquam è vita diſcederet, afflictus Aſthmate, quod in Orthopnæam degenerauit, ampliſſimam habuit ſuæ virtutis palæſtram; ſed inter dolores, quos ferè quotidie acerbiſſimos patiebatur, illud identidem corde, & ore verſabat *Da patientiam Bone Ieſu, & amorem; auge pœnam, & dolorem; Deo Gratias infinities in infinitum, Deo Gratias*. Poſtremis menſibus ad meritorum cumulum acceſſit etiam dolor calculi, qui generoſum Chriſti militem multis de ſe ipſo victorijs clarum, ex hac ærumnoſa vita tranſmiſit (vt ſperamus) ad Cœleſtem die 18. Ianuarij 1639. ætatis ſuæ 79. Societatis initæ 60. Scripſit Anglice pro Fide Catholica contra Hæreticos præfixis litteris V V. G.

In Ioannem Vvhitum Miniſtrum Caluinianum Audomari 1613. in 4.

Contra N.E. eiuſdem farinæ Miniſtellum De 12. ſpiritibus, &c. Audomari 1622. in 4.

Contra eundem N. E. Catholicos Fidei Romanæ ſaluari poſſe ex teſtimonijs 24. præcipuorum huius temporis Hæreticorum. Ibidem 1623, in 4.

Tranſtulit etiam ex Latino Anglicè

Iacobi Gordoni Controuerſiarum Tom. 1. præfixis litteris I. L. Societatis Ieſu Audomari 1614 in 8.

Martini Becani tractatus aliquot 1612. in 8.

Eiuſdem opuſculum de Iudice Controuerſiarum. Ibidem 1619. in 8.

Leonardi Leſsij Libellum, quæ Fides, & religio capeſſenda præfixis litteris V V. I. Ibidem 1619. & rurſum 1621.

Ex Hiſpanico verò vertit

Libellum de Perſecutione Chriſtianorum in Iaponia. Ibidem 1619. in 8. præfixis litteris V V. V V. Item

Tractatum Breuem de Pœnitentia ſæpiùs recuſum Edidit etiam tacito nomine

Epiſtolam dedicatam honorabili perſonæ de malis ſpiritibus quibus aguntur Proteſtantes 1622. in 4.

HADRIANVS, vide ADRIANVS.

HALENSE COLLEGIVM in Prouincia Germaniæ ſuperioris ſitum ad Oenum fluuium in Comitatu Tirolenſi, fundatum anno ſalutis 1571. à Sereniſsimis Reginis Magdalena, & Helena Sororibus, Hungariæ, & Bohemiæ Reginis natis, Archiduciſſis Auſtriæ, &c. Ferdinandi I. Imperatoris filiabus, quæ cùm Halam ad ſeruiendum liberiùs Deo in perpetua vitæ ſanctimonia ſeceſſiſſent, ne ibi carerent operâ Societatis, ſub cuius ſpirituali diſciplina, viuente ſuo Auguſtiſſimo Parente, adoleuerant, Collegium ibi, coëmptis ad id ſuo ære domibus, erexerunt dotaruntque. Auctum id porrò progreſſu temporis, nunc ad 20. Socios plerumque ſuſtentat, & in ſex Claſſibus numeroſam iuuentutem pietate, ac litteris informat. Edidit hoc Collegium Germanicè

Vitam Sereniſſimæ Reginæ Magdalenæ Auſtriacæ Ferdinandi I. Imperatoris Filiæ, quæ Congregationem Sacrarum Virginum Halæ fundauit: Vbi obiter etiam.

De Vita Sororum eiuis Margaretæ, & Helenæ. Item *Mariæ Chriſtiernæ, & Eleonoræ Sororum Cæſaris Ferdinandi II.* Oeniponti 1575.

HANNIBAL, vide ANNIBAL.

HENRICVS ALBI natione Gallus, patria Bolenenſis è Comitatu Venuſino, ingreſſus in Societatem anno 1606. ætatis 16. votorum quatuor profeſſionem emiſit. Docuit in ea Humaniores litteras, Philoſophiam annis quinque; totidem Thologiam ſcholaſticam, biennio moralem; Rexit Collegia Auenionenſe, Arelatenſe, Gratianopolitanum, & Lugdunenſe B. Virginis, vbique cum laude ſolidæ virtutis, & zeli religioſæ diſciplinæ, in qua exigenda dum præeſſet, ſedulus fuit. Vir magni ingenij, reconditæ eruditionis, eximiæ pietatis, mortalitatem exuit Arelate die 6. Octobris 1659. Scripſit Gallicè

Artem Amandi Deum. Pariſijs, apud Cramuſatum 1636. in 12.

Elogia Hiſtorica Illuſtrium Cardinalium Gallorum, & Externorum parallelis expoſita cum Imaginibus. Pariſijs apud Antonium de Caij 1644. in 4.

Vitam S. Gabinij Martyris. Lugduni 1624. in 12.

Vitam S. Homoboni Cremoneñ. Lugduni 1627. in 12.

Vitam S. Petri Luxemburgeñ. Ibidem 1626. in 12. ad quam adiunxit

Tra-

Tractatum Spiritualem de actibus ſupernaturalibus

Vitam Mariæ Ioannæ de Ieſu Fundatricis Religioſarum Auguſtinianarum. Lugduni 1640. in 12.

Vitam Catharinæ Vaninæ Conuerſæ Senenſis. Lugduni 1655. in 12.

Anti-Theophilus Parochialis de Priuilegijs Regularium, &c. Lugduni 1644. in 12.

Apologiam pro Anti-Theophilo Parochiali. Lugduni 1659. in 8.

De Renouatione Spiritus. Lugduni 1651. in 4.

De Immaculata Conceptione B. V. Mariæ, Gratianopoli, apud Ioannem Nicolaum ſub alieno nomine 1654. in 4.

Grammaticam Gallicam cum obſeruationibus. Lugduni apud du Han 1657. in 8.

* HENRICVS BALDE natione Belga, patria Iprenſis, natus anno ſæculi labentis 19. Societatem amplexus eſt 1640. & votorum ſolemni ſacramento ſe adſtrinxit. Poſt traditas Humaniores litteras annis aliquot, ſodalitates Marianas non exiguo fructu annis ſeptemdecim Bruxellis moderatus eſt. Interea loci, publicæ vtilitati edidit opuſcula varia idiomate Belgico, quæ etiam in Linguam Gallicam translata ſunt, nimirum

Aſſociationem pro felice Morte, & celeri liberatione ex Purgatorio ſub tutela, & cultu Virginis ſine Macula Concepta: Bruxellis, typis Guilielmi Scheybels 1665. in 12. cuius Libelli pluſquam 20. millia exemplarium ſpatio quadriennij ſunt diſtracta

Quinquaginta veritates Chriſtianas, præparantes viam ad felicem mortem. Bruxellis, typis Petri Bobbeler 1666. in 12. Recuſas tertiò Leodij

De Inimicorum dilectione Epiſtolam. Bruxellis, typis Aegidij Stryckuuant 1669. in 12. Recuſam Gallicè Mechliniæ in 8.

Praxes efficaces ſatisfaciendi pro iniurijs Ven. Sacramento Eucharistiæ illatis, vnà cum pijs affectibus ante, & poſt Communionem. Bruxellis, typis Iacobi Vande velde 1669. in 24.

Sanctum Ioſephum fidelem Aduocatum in Vita, & in Morte; tacito ſuo nomine. Bruxellis, typis ijſdem 1672. in 12.

Efficacia media ad ſatisfaciendum pro omni irreuerentia facta Sanctiſſimo Sacramento, etiam tacito ſuo nomine. Ibidem eiſdem, typis 1671. in 12.

HENRICVS BLYSSENIVS natione Germanus, patria Colonienſis, Romam ad exordia Collegij Germanici anno 1552. miſſus, ibi annos natus quindecim in Noſtrorum numerum adſcribi voluit, & impetrauit. Deinde & ad noſtrum inſtitutum conformatus, & bonis litteris feliciter inſtitutus, Sacræ Theologiæ Doctor in Romano Collegio primus Sociorum à Martino Olauio creatus eſt anno ſalutis 1556. & mox ad noua Collegij Pragenſis fundamenta cum alijs vndecim iacienda à S.P.N. Ignatio deſtinatus eſt. Ibi emiſſa Profeſſione votorum quatuor & Sacram Theologiam cum laude docuit, & anno 1561. Collegij Rector conſtitutus eſt; quo per nouē annos adminiſtrato, Græcenſe poſt etiā primus toto quinquennio gubernauit; & totius deinde Prouinciæ Auſtriæ Præpoſitus Prouincialis fuit. Demum, cum Græcenſis Collegij, & inſtitutæ, tum primum in eo Academiæ Rector eſſet renunciatus, vir domi foriſquè rari admodum exempli migrauit è vita Græcij, die 24. Aprilis anno ſalutis 1586. Edidit

Defenſionem Aſſertionum Theologicarum, De vera, & Sacroſancta Chriſti, quam habet in terris Eccleſia militante contra diſputationem oppoſitam Herbrandi Tubingenſis Hæretici. Ingolſtadij, apud Dauidem Sartorium 1577. in 4.

Tractatum de vno, geminoque Sacræ Euchariſtiæ Synaxeos ſalubriter percipiendæ ritu, & vſu; contra grauiſſimos Aduerſariorum errores. Ibidem 1585. in 4.

HENRICVS ELVERICH natione Germanus, patria Embricenſis, natus 1582. 12. Aprilis Societatem ingreſſus 1602. 5. Octobris. Græca Lingua, & Dialectica docenda laudem habuit, ſtudijs quoque præfectus, Confeſſarius, & Eccleſiaſtes non mediocrem diligentiæ laudem. & fructum curarum retulit. Vota Coadiutorum Spiritualium formatorum emiſit Monaſterii Vveſtphaliæ anno 1618. 25. Nouembris. Diligentiſſimus multis annis Bibliothecæ Colonienſi Præfectus, multis imo plurimis libris edendis, ac excudendis indefeſſam manum adhibuit, emendando, loca Auctorum citando, conferendoque, hæreticos, ac obſcænos repurgando, quod teſtatur in primis Theodori Zuingeri Theatrum pulcherrime expurgatum in Bibliotheca Colonienſi Societatis Ieſu. Ibidem naturæ conceſſit, die 27. Februarij 1636. Inter cætera edidit

Radices Linguæ Græcæ; & Latinæ. Coloniæ, typis Gualteri 1620. & aliàs cuſas, & recuſas in 8.

* HENRICVS ENGELGRAVE natione Belga, patria Antuerpienſis, natus anno ſæculi currentis 10. Deo ſe in Societate mancipauit 1628. & votorum quatuor nexu ſe adſtrinxit. Docuit litteras Humaniores, & præfuit ſcholis annos complures. Sodalitatem B. Virginis coniugatorum direxit annis 15. & ſimul dixit ad Sanctimoniales. Confeſſarius in Templo aſſiduus, & ob multiplicem in omni genere eruditionem illuſtri agnomine, Officina ſcientiarum appellatus. Rexit Collegia Aldenardenſe, Caſletanum, Brugenſe, & demum Antuerpiæ in patrio ſolo religioſè donatus eſt die 8. Martij 1670. Edidit

Lucem Euangelicam in omnes Dominicas duobus tomis in 4. quorum prior excuſus eſt. Antuerpiæ, typis Cnobbari 1648.

II. Pars. Ibidem 1651. Poſtea recuſa vtraque Pars varijs formis, & typis ſepties.

Cæleſte Pantheon in feſta, & geſta Sanctorum. Coloniæ, typis Ioannis Buſæi 1647. in folio. Recuſum ab eodem in 4. & Amſtelodami in 8.

Cæleſte Empyreum in feſta per annum, & in omnes Ordinum Patriarchas, & particulares Tutelares. Coloniæ, typis Ioannis Buſæi 1668. in folio. Recuſum ab eodem in 4. & Amſtelodami in 8.

Cæleſtis Empyræi Partem alteram. Coloniæ, eiſdem typis 1669. in folio. Recuſum ab eodem, & Amſtelodami tertiò

Meditationes de Paſſione Domini. Lingua Belgica. Antuerpiæ, typis Michaelis Cnobbari 1670. in 8.

Libellos varios carmine Latino in 4.

Parabat *Commentaria in Euangelia Quadrageſimæ*, ſed mors manum de tabula tollere coëgit.

HENRICVS FITZSIMON natione Hibernus, patria Dublinenſis, Hæreticorum fraudibus in pueritia circumuentus, vbi veritatis illi lumen illuxit, ad Eccleſiam ſe recepit, & in Societatem noſtram admiſſus eſt Duaci anno ſalutis 1592. ætatis 25. atque in ea Philoſophiam plures annos docuit. Sed cùm eſſet in Patriam regreſſus, vt quibus olim damno fuerat ſuis exemplis, iiſdem rurſum eſſet commodo ad ſempiternam ſalutem, incredibili fortitudine captauit occaſionem cum Miniſtris impietatis, ſeu publicè, ſeu priuatim concurrendi. Quod cùm toto biennio incaſſum tentaſſet, detrectantibus illis pugnam cum Ieſuita, accidit per annum 1599. vt inter obeundum piiſſimum munus in Aduerſariorum manus, quod iam ipſe pridem cupiebat, incideret. In Arce Regia Dublinenſi toto quinquennio detentus, & biennali quidem ſpatio tam arctè, vt ab nullo conueniri, aut conſpici poſſet; tandem ad certamen prouocatus à quopiam inter ipſos doctiſſimo, cum condixiſſet diem, obtinere tamen non potuit, vt tandem prodiret ad pugnam glorioſus prouocator. Demum quinquennali carcere tolerato, laudatus Regio Diplomate de Fide, ac ſtudio erga ſuam Maieſtatem, & Rempublicam, è cuſtodia liber, ſed in exilium tamen ire iuſſus eſt. Igitur profectus in Belgium, vitam illic ne otioſam ageret, tum aliis muniis, tunc ſcriptis in hoſtes Fidei libris populares ſuos in antiqua Fide continere adniſus eſt. Inde vocatus Romam ſub annum 1608. Hibernicæ Miſſionis cauſa, ibi votorum quatuor profeſſionem edidit, & remiſſus in Belgium, deſeruiuit illic laborantibus peſte anno vno, afflatus, & ipſe contagioſa lue; mox morte plectendis Leodii impendit ſuam operam, ſemper expeditus ad quæuis obſequia Caritatis. Redux poſtliminio in Hibernicam, multis annis Vineam illam fructuosè excoluit, cùm Catholicos auita in Religione confirmando; tum Hæreticos ad Chriſti caulam aggregando. Tandem Syluas, ac Montes in affecta ætate perreptare compulſus, vt à graſſante milite ſecurior eſſet, totam hyemem in loco paludoſo intra tugurium ventis, imbribuſque apertum tranſegit. Ibi lectulus illi è ſtramine congeſto, ſed à palude ſuperſtagnante frequenter madidus; & tamen perpetua in ore ſerenitas fuit, & ad paruulos inſtituendos, alióſque expiandos, & ſolandos alacritas. Sed adeo incommodè in eo loco hybernauit, vt poſtea deportatus ad noſtros ærumnoſiſſimam vitam, beato fine concluſerit Calendis Februarij 1644. Scripſit Anglicè

Libros II. aduerſus Ioannem Riderum, Pſeudo-Miniſtrum in Hibernia. 1612.

Conſolatoria ad afflictos Catholicos.

Tractatum de Miſſa. Latinè verò ſcripſit egregium opus

Britannomachiam Miniſtrorum in pleriſque & Fidei fundamentis, & Fidei articulis diſſidentium. Duaci typis Balthaſſaris Belleri 1614. in 4.

Catalogum Sanctorum Hiberniæ.

HENRICVS GARNETVS natione Anglus, patria Nontingamienſis, adoleſcens in Italiam profectus. In Societatem Noſtram Romæ anno partæ ſalutis 1575. ætatis 20. cooptatus eſt. Tirocinium ſub Fabio de Fabiis viro non magis vetuſti ſanguinis claritate, quàm religioſa ſeueritate nobili poſuit. Tum ad humanarum, diuinarumque litterarum ſtudia conuerſus, Chriſtophoro Clauio, Franciſco Suario, Benedicto Pererio, Roberto Bellarmino, aliiſque huius notæ viris præceptoribus vſus, eam doctrinam breui conſecutus eſt, vt in Romano Collegio noſtro Hebraicas primum litteras, tum Quæſtiones metaphyſicas explicarit. Mathematicis etiam pro Clauio languente lectionibus explicandis biennium impendit, donec illo valetudini reddito in Angliam anno 1586. ad Chriſti colendam vineam profectus eſt. Ibi cùm biennium circiter in procuranda priuatis operis ſalute proximorum poſuiſſet, ei Præpoſitus Miſſioni à Moderatoribus & ſtrenui militis, & egregii Imperatoris partes ita cumulatè obiit, vt coleretur à familiaribus, amaretur ab exteris, omnibus admirationi eſſet. Erat in eo viro ingenium perſpicax, acre ſolidumque iudicium, rerum plurimarum cognitio, præſens conſilium, ſolertia ſingularis. Acceſſerat etiam prudentiæ magiſter vſus; quæque cum his raró coniungitur, morum ſimplicitas, candorque animi minimè ſuſpicacis. Ad hæc incredibilis moderatio, lenitas etiam ſupra naturam. Expertem perturbationum diceres. Morum mira facilitas, & dimiſſione animi condita ſeueritas. In ore vultuque verecunda iucunditas, quam neque remitteret familiaritas, nec grauitas aſperaret. Quæ omnia notorum, æquè ignotorumque amorem, ac venerationem conciliabant, vt ne in proditoria quidem actione ab Aduerſariis in eum inſtituta, laudibus eius abſtinere potuerint neque enim, *Magna modo auctoritate, ac merito inter Catholicos habitum* tatentur,

tentur, ſed ipſi etiam, *A Deo, & meliore natura dotibus ornatum multis vocant. Virum*, item, *grauiſſimum, atque litteratiſſimum, genere clarum, non infimis naturæ dotibus excultum, arte eruditum, Linguarum vſu peritum*. Quin etiam ſanguinarius actor Horthamptonius Garnetum alloquens, *Illæ dotes tuæ*, inquit, *præſtantiores, ſi in natura ſeorſim ſua expendantur, miſericordiam potiùs commouerent, quàm humanitatem exacerbarent. Quorum enim quemque non ad placabilem quandam animi facilitatem redderet propenſum tanti viri interitus, ſi vultum intueamini, & geſtum ſumma cum moderatione, & ſolido iudicio?* & mox. *Tui affectus*, ait, *admodum ſedati, & ad obſequium præſtandum exquiſitè compoſiti, tua conſilia integra, & quodam innocentiæ nitore conueſtita, &c.* Hic tantus, ac talis vir, quem magnus Bellarminus, olim auditorem ſuum, non dubitat, omni doctrinæ genere, & vitæ Sanctitate incomparabilem, appellare. Cum 18. iam annos Anglicanam Christi Vineam in ſumma temporum acerbitate, magnis laboribus, vigilijs, periculiſque excoluiſſet: tandem in hoſtium Eccleſiæ Catholicæ manus delapſus, in crimen Maieſtatis, per ſummam inuidiam, atque perfidiam vocatus; iniquiſſimo iudicio oppreſſus, publicè Londini capitis ſententiam ſuſtinuit. Nimirum perſecutionis diuturnitate, atque atrocitate fatigati Nobiles quidam Catholici, de Rege publicis in Comitijs per ſubiectum pyrium puluerem tollendo coniurarant. Id cùm vnus illorum Grienuuello homini Societatis noſtræ perdocto in Confeſſione aperuiſſet, & poteſtatem etiam conſulendi, ſed pari lege arcani, Garnetum, niſi re aliunde patefacta iuſta aliqua loquendi vrgeret cauſa, feciſſet; Garnetus vir prudentiſſimus eo nuncio obſtupuit, grauitèrque Grienuuellum incuſans, vel quod audiſſet ipſe, vel quod ad ſe audita detuliſſet, quod reliquum erat, quibus rationibus poſſet, hominem iuſſit à tam immani facinore deterrere. Cæterùm cum ſtaret coniuratis ſententia in propoſito, iamquè operi accingerentur, patefactum Regi conſilium eſt, & ipſi in facinore deprehenſi. Sed Aduerſarij veriti ne tantum facinus in publicum Catholicæ Religionis odium, ignominiamque non cederet, ſi paucorum hominum, eorumque laicorum conſcientia circumſcriberetur, communicare eius inuidiam cum Ieſuitis conſtituerunt. Ergo duobus circiter poſt detectam coniurationem menſibus, cùm toto iam Regno peruulgatum eſſet, nullum Sacerdotem eius rei participem fuiſſe, ſeri rumores cœpti, ac paulatim increbreſcere, Henricum Garnetum, duoſquè Ieſuitas alios coniurationis conſcios eſſe deprehenſos: paulò poſt etiam publica auctoritas addita, propoſitis tota Anglica edictis acerbiſſimis, quibus Garnetus cum Socijs, coniuratorum confeſſione eius facinoris conuicti dicebantur; capitalis etiam pœna decreta, ſi quis hoſpitio recepiſſet, ſi quis iuuiſſet, ſi quis occuluiſſet. His artibus cùm Garnetus fuiſſet comprehenſus, Londinum deductus eſt. Verùm cùm nihil in eum ſolidæ probationis inuenirent, & obiectis criminationibus ipſe ſatisfaceret; Iudices rem aſtu aggreſſi ſunt. Edoardum Odelcornum, noſtræ etiam Societatis hominem, quem habebant in vinculis, in proximum Garnetiano carcerem traducunt, curantquè, vt per ſimulationem amicitiæ cuſtos carceris de re tota Garnetum admoneat; oſtendat etiam rimam, quæ alloquendi hominis commoditatem præbeat, ſi modò ipſe moneatur, quo res tutò, & cautè tranſigi poſſet. Garnetus nihil ſubeſſe fraudis ſuſpicatus, vti cuſtodis liberalitate, vel Confeſſionis, vel ſolatij cauſa voluit. Interim collocatur in inſidijs, qui ſermonem excipiat. Garnetus, poſt Confeſſionem, dum de ſe rebuſquè ſuis cùm Odelcorno familiarius loquitur, neſcio quid dixit quo ſignificaret ſe de coniuratione à Grienuuello anteà cognouiſſe. Hoc cùm ad ſe delatum Garneto iudices obijcerent, arguerentquè hominem, quod coniurationis conſcientiam preſſiſſet, reſpondit ſe Sacroſancto ſilentio, donec aliunde pateſceret, fuiſſe obligatum; nec ideo rem ad Magiſtratum deferre potuiſſe. Huius rei cauſa in iudicium reus Maieſtatis vocatus eſt, damnatuſquè die 28. Martij anno ſalutis 1606. quod Sacrum Confeſſionis arcanum ſanctè ſeruaſſet. Tum die 3. Maij cæterorum coniuratorum inſtar, è carcere in forum peramplum, ante S. Pauli Londinenſe Templum ad ſupplicium rapitur, interritus, & exporrecta fronte obteſtans, ſe gaudere plurimùm, quòd eam mortem inueniſſet, quæ ſibi ad immortalitatem aditum reſeraret. In pegmate deinde, quod ad ſuſpendium conſcenderat, Fidem Catholicam profeſſus, deteſtatuſq; liberrimè hæreſes Anglicanas, Catholicos, qui aderant hortatus eſt, vt turbulentis conſilijs abſtinerent; Dei cauſam Deo permitti oportere; pacem ſibi, ac veniam morienti precarentur à Deo; Regi populòque lumen veritatis. His dictis Crucem veneratus, cui dies erat ſacer, eàque religioſè ſe ſignans, manibus quoque in crucem decuſſatis, de ſcalis deijcitur mox fune præciſo, euiſceratus, ſectus in partes publicè ad terrorem ſuffixus eſt. Mortem tam conſtanter obitam, ingens animorum commotio conſecuta eſt; vt crederent viri grauiſſimi plures eum ad Chriſtum adduxiſſe, pluſquè vtilitatis hoc tantæ fortitudinis exemplo attuliſſe patriæ ſuæ, quam 20. ipſis annis, quibus in eo Regno verſatus eſt. Supplicio peracto, Ioannes Vvilkinſonus, auidus nanciſci quidpiam de reliquijs ipſius propius acceſſit, vbi Carnifex corpus diſſecabat; cum ecce ſpica de circumfuſo ſtramine, Garneti ſanguine aſperſa, nec opinanti defertur in manus. Ergo voti compos abſcedit, & ſpicam lætus aſſeruat: qua paucos poſt dies, ingenti prodigio Garneti faciem viuis expreſſam coloribus, corona redimitam, ſtella, & inſerta in eam cruce,

cruce,

cruce in fronte ſignatam, Angelico vultu ſub mento decoram conſpicatus, quò rem faceret illuſtriorem non reliquis modò Catholicis, ſed ipſi quoque Hiſpaniarum Regis Oratori per otium contemplandam permiſit. Ita Deus, qui muſcis, culicibuſque egit olim ſuorum cauſam, ac Regis Aegypti contumaciam contudit duabus ſanguinis guttulis, atque vnica palea, Teſtis ſui exiſtimationi conſuluit, eiuſque aduerſarios perculit. Expreſſit hoc prodigium felici Anagrammate, nobilis Poëta Theologus Gualterus Paulus noſter, quod dignum exiſtimaui ne intercidat. Sic habet:

Pater Henricus Garnetius
Anagramma
Pingere cruentus ariſta

Quid petit hic vultus ſicca rediuiuus ariſta?
Quid frons? Quid ſacris ora locuta notis?
Nominis augurio *Pingere cruentus ariſta*
Garnete; agnoſco vultum, opus, artificem.
Spica, Tabella, Deus pictor; color, vnda cruoris.
Spica crucem; vultum dat Deus; aſtra cruor.

Scripſit

Epiſtolam de Martyrio Godefridi Mauritij, relatam à Didaco Yepeſio in Hiſtoria de perſec. Anglic. lib. 5. cap. 10. Anglicè vero

Libellum de Chriſtiana renouatione. Londini 1616. in 8.

Tractatus diuerſos de Peregrinationibus, de Indulgentijs, Rebus ſacris, &c. appoſitos *Catechiſmo Petri Caniſij, quem ipſe maxima ex parte Anglicè reddidit*. Londini 1590. & recenter Audomari 1622. in 8.

* HENRICVS HARCOTTVS, aliàs Beaumontius natione Anglus, patria Leceſtrienſis, equeſtri familia natus, Deo ſe in Societate dicauit anno reparatæ ſalutis 1630. ætatis 19. Egit aliquandiu Miſſionarium Caſtrenſem in Belgio, vt militibus ſpiritualem nauaret operam; poſtea in Anglia ad 30. annos vineam illam coluit, Coadiutor ſpiritualis formatus, & demum euocatus eſt ad laborum præmia ibidem 11. Maij hoc anno 1673. Edidit Anglicè

Epitomen Hiſtoriæ gentis Anglorum Ven. Bedæ. Londini 1658.

HENRICVS HAVKINS natione Anglus, patria Cantianus poſt abſoluta Romæ in Collegio Anglorum ſtudia, relicta hæreditate paterna ſat lauta, Chriſti paupertatem amplexus eſt in Societate anno ſalutis 1615. ætatis ſuæ 40. miſſus in Angliam piè, & ſtrenuè inter Heterodoxos laborauit annis 25. tria vota ſolemnia profeſſus. Demum ſeptuagenario maior ad Beatorum conſortium (vti ſperare fas eſt) emigrauit. Gandaui die 18. Auguſti 1646. Tranſtulit è latino Anglicè

Synopſim de Apoſtaſia Marci Antonij de Dominis à Fideli Annoſo conſcriptam. Audomari 1617. Edidit etiam polito ſermone Anglicano.

Parthenia ſacra de Symbolis Beatiſſimæ Virginis cum verſibus, & imaginibus. Rothomagi 1632. in 8.

Reddidit præterea ex Italico Anglicè præſcriptis nominis ſui elementis H. H.

Vitas 17. Confeſſorum ſcriptas à Noſtro Ioanne Petro Maffeio. Pariſijs 1636. in 4.

Vitam S. Aldegundæ ſcriptam à noſtro Stephano Binetto Gallicè. Pariſijs 1632. in 12.

Hiſtoriam de S. Eliſabetha filia Regis Hungariæ è varijs Auctoribus collectam per N. A. anno 1632. in 8.

Selectas Epiſtolas S. Hieronymi, & vitas S. Pauli Primi Eremitæ, & S. Hilarionis ab eodem conſcriptas. Anglice edidit 1630. in 4.

HENRICVS HENRIQVEZ natione Luſitanus, pattia Portuenſis annos 16. natus noſtræ ſe Societati ſacrauit anno ſalutis 1552. In ea profeſſionem votorum 4. edidit 1568. die 25. Aprilis Salmanticæ; In Philoſophicis ac Theologicis diſciplinis perfectè eruditus, eas etiam in Collegijs noſtris Cordubenſi, ac Salmanticenſi, vbi Præfectus quoque ſtudiorum fuit magna doctrinæ opinione publicè profeſſus eſt. Obijt Tibure die 28. Ianuarij 1608. Scripſit

Summam Theologiæ moralis tomis III. in quibus paucis verbis rerum quaſi ſummam perſtringit, & tamquam textum proponit Lectori. Deinde Annotationibus vberioribus enucleat, & Auctorum teſtimonijs copioſius confirmat: quibus tribus Tomis hæc continentur:

De Sacramentis in genere. De Baptiſmo.

De Sacramentis Confirmationis, & Extremæ Vnctionis.

De Pœnitentia. De Clauibus Eccleſiæ.

De Indulgentijs. De Sanctiſſima Eucharistia.

De Miſſæ Sacrificio. De Sacramento Ordinis.

De Matrimonio. De Cenſura Excommunicationis.

De Suſpenſione, & Interdicto. De Irregularitatis impedimento. De Fine hominis.

De Pontificis Poteſtate, & Electione.

De Cenſuris Pontifici reſeruatis. De Concilij Auctoritate.

De Legibus. Venetijs 1596. & correctius 1600. in folio.

Ex his Libris, prohibita olim fuit Romæ à Magiſtro Sacri Palatij Summa Moralis Sacramentorum, donec emendetur.

HENRICVS HENRIQVEZ alter etiam natione Luſitanus ex Oppido Villauiçoſæ diœceſis Eborenſis, ab Simone Roderico in Societatem cooptatus, anno 1545. ætatis ſuæ 25. iam Diaconus, & Sacrorum Canonum auditor, facultates ſuas omnes, quæ quatuor millium nummûm aureorum ſummam exæquabant, in pauperes elargitus eſt. Mox factus Sacerdos anno vertente 6. Idus Aprilis Vlyſſipone conſcendit in Indiam; quò cum perueniſſet, non ita multo poſt ab S. Franciſco Xauerio in Oram

Piſcariam, vt Antonio Criminali, qui primus de Societate Chriſti Fidem ſanguine fuſo aſſeruit, auxiliaretur eſt miſſus. Tutucurinum & Punicale, aliaque minora oppida, decem dierum interuallo diſſita, ſibi credita excoluit, & ſublato dein Criminali, totum illum Piſcariæ tractum ad ipſos omnino 53. annos, tam indefeſſo ſtudio, tam cótinuis laboribus, tot aditis vitæ periculis, tanto animarum prouentu adminiſtrauit, vt paſſim Comorinenſium Apoſtolus ſit vocatus. Affirmabat autem Henricus guſtum ſpiritus medijs in laboribus fuiſſe tam vberem, vt ſi data eſſet optio, mallet haud dubie quiſpiam in iis ſe contentionibus frangere, quàm alijs quibuſuis voluptatibus potiri. Sanè prodigij fuit inſtar indigenis viſum, ſemeſtri ſpatio cum primùm illuc Henricus appulit, tam bene, tam implicatum, obſcurumque ſermonem addiſcere potuiſſe, vt non verba modò faceret ad populum, ſed libros quoque conſcriberet. Iam ipſe conſtanter Ethnicos ſuæ cæcitatis admonere; iam Sectarum vanitatem redarguere; iam etiam Brachmanum numeroſum gregem ad diſputationis certamen, vnus vniuerſos, iuuenis ſeniores prouocabat: quòd ſi frangi diſputationis contentione non poſſent, ad iudicandum vtra de duabus, ſuane, an Brachmanum verior eſſet, ſanctiorque religio, ignis periculum non recuſabat, & in ardentem rogum geſtiebat aſcendere, ſi conditionem auderent illi accipere. Tantum ſuo famulo Fidei peropportunè Chriſtus infundebat. Spondebat autem ſe ſacris carminibus Henricus eiecturum, quidquid prauorum Dæmonum in humanis corporibus habitaret, quod Brachmanum nulli attentarent. Anno 1553. à Badagis Oppido Punicali direpto, in eorum incidit manus Henricus; quem continuò ferro onerarunt, vt ad redemptionem paciſcendam maiori cum lucro compellerent. Cum verò pretium minimè repræſentaretur ad votum, illum neci crudeliſſimè deſtinarunt, veru præacuto configendum. Interea collum illi, pedeſque catena vix palmum, & dimidium longa deuinciunt, ita vt miſere conglobatus noctes hæreret, ac dies in magno cruciatu, fædeque intumeſcerent membra. Denique poſt trimeſtrem prope captiuitatem, perſoluta pecunia dimiſſus eſt. Multa paſſim vel erexit Templa per eam Oram, vel inſtaurauit: duo etiam Noſocomia inſtituit. Vir fuit vitæ irreprehenſibilis, & tam religioſus in verbo, vt neminem vnquam offenderit. Angelus plane inter mortales. Sæpe in hebdomada per ſacram Confeſſionem expurgabat animum, nec vnquam ſi non defuiſſet copia, ſacrificare omittebat. Ita ſe Moderatorum arbitrio accommodabat, tametſi annis grauis & prudentia præſtaret, & vſu, vt videretur iudicij ſimul & voluntatis impos. Paupertatis ſtudium in omni ſuo cultu declarabat; veſtis vilis, & proprijs reſarta manibus: victus tenuis, lectus & ſuppellex omnis exigua. Caritate in Deum, ac proximos, zelo animarum, ærumnarumque patientia, paucos habuit pares; negabatque hominem religioſum videri eum, qui non aduerſi quidpiam quotidie toleraſſet. His ille virtutibus ætatem ſuam excoluit, vſque ad ætatis ſuæ annum 80. ſalutis reparatæ 1600. quo poſt 55. Societati impenſos die 6. Februarij Punicale migrauit in cælum, trium votorum ſolemni profeſſione Deo conſecratus. Rogabat impensè eos, qui aderant morituro, vt ſibi ſæpe Dei miſericordiam reuocarent in mentem, qua ſpem ſuam omnem fulciebat: aiebat nihil ſe penſi habiturum pœnas luere ſempiternas pro ſuis delictis, modò ne cum peruerſis illis mentibus Deum blaſphemaret. Vbi mors eius in vulgus innotuit, tamquam in parentis funere luctus ingens obruit vniuerſos. Biduo, triduo multi produxerunt inediam, & in mœroris argumentum ab ipſiſmet Mauris inſtitorum tabernæ occluſæ ſunt. Ad cadauer ingens hominum concurſus fuit, volentibus ad reliquias capere quidpiam certatim omnibus. Vectum illud mari Tutucurinum eſt, & magna populorum veneratione ſepultum. Viſunt hodieque locum Indigenæ, & ſuas illi neceſſitates commendant: accendunt lampades, tabellas beneficiorum acceptorum indices ſuſpendunt, nec ſanctius aliud apud ipſos iuſiurandum eſt, quàm quod eius interpoſito nomine conceperint. Obtrectatorem ipſius quempiam luculenta ſane pœna Deus olim coërcuit, vt quoties os laxaret in ſancti viri opprobrium, fruſtum illi carnis, pugni magnitudine prodiret ex ore, quod ſermonem interciperet, vt effari nequiret. Scripſit Henricus lingua Tamulica, ſeu Malabarica, cuius in Comorino Promontorio, totaque illa orà vſus eſt,

Grammaticam & Vocabularium

Doctrinam Chriſtianam tum communem, tum alteram peculiarem, qua per dialogum Catechiſmus traditur.

Methodum confitendi

Vitas Chriſti Domini, Beatiſſimæ Virginis, & aliorum Sanctorum, quarum exemplar anno 1602. inde allatum aſſeruatur Romæ in Bibliotheca Vaticana.

Linguam quoque Malabaricam ad Artem reuocauit, & in eam contulit vniuerſa, quæ ad recentiſſimi cuiuſque Chriſtiani diſciplinam, ſcientiamque pertinent. Item edidit quoque alia

Contra fabulas Ethnicorum pro defenſione diuinæ legis, & Chriſtianas preces, pioſque libellos Malabaricè conuertit. Extant præterea eius

Epiſtolæ duæ de rebus Indicis, altera anno 1548. data, altera 1552. inter litteras Indicas editas Italicè. Venetijs per Michaelem Tramezzinum 1565.

* HENRICVS KIRCHER natione Germanus, patria Noueſienſis, diœceſeos Colonienſis, natus anno ſeculi præterlabentis octauo, Societatem complexus eſt 1629. & votorum quatuor ſolemni ſacramento ſe obligauit. Poſt litteras manſuetiores, & Philoſophiam Colo-

niæ

niæ traditam, Miſſionem Indicam flagrantiſſimè petijt, & conſenſum Superiorum ad eam impetrauit. Verùm exorto in itinere impedimento, ex Hiſpania regreſſus eſt in Prouinciam ſuam, &. Eccleſiaſten aliquamdiù egit Coloniæ lingua Gallica; præfuit etiam Reſidentiæ ad Oppidum Sancti Goaris, & poſtea in Miſſione Haffnienſi in Dania rei Catholicæ operam vtilem nauauit. Edidit Gallicè

Luſciniam Concionum. Coloniæ apud Guilielmum Fueſſen 1647. in 12.

Pretioſum à Vili, ſeu Exterminationem doctrinæ Lutheranæ contra Vrſinum Sectarium. Germanicè, Coloniæ iiſdem typis anno 1665. in 8.

* HENRICVS KORN natione Germanus, gente Sileſius, patria Saganenſis natus anno ſæculi fluentis 12. Societati ſe applicuit 1630.& vota 4.ſolemnia nuncupauit. Vndecim annis Poeſim, & Rhetoricam profeſſus eſt, & decennio Scholis præfuit. Rexit Seminaria annis octo; Collegia Glogouię,& Crumlouij. Superſtes modò in Collegio Glacenſi, edidit tacito ſuo nomine

Mauſoleum Septem Græciæ Sapientum, ſiue eorum Elogia cum gnomis verſu explicatis. Pragæ typis Ioannis Bilinæ 1643. in folio.

Philoſophiam mortis contemplationem, ſiue De ſubitaneis mortibus, luſus Epigrammaticus. Pragæ typis Academicis 1647. in 12.

Eloquentiam Sacram, ſiue De Chriſto Nato, Paſſo, Glorioſo Diſſertationes. Monachij typis Ioannis Iæcklini 1673.

HENRICVS LAMORMAINI Guilielmi noſtri frater, Belga, Arduennas, ſecutus fratrem in Societatem anno 1596. ætatis 21. ſtrenuus in Chriſti Vinea Operarius, 4 votorũ Profeſſus; qui ne otio, quod illi longa pedum imbecillitas faciebat, abuteretur, ſtuduit ſalutem proximorum verſis è Gallico in Latinum libris idoneis promouere; domi verò religioſæ patientiæ, humilitatis, paupertatis,& omnis obſeruantiæ regularis exemplo alijs prælucere. Triginta fermè annis aſſiduus in templo Confeſſarius, demum ſeptuagenario maior naturæ conceſſit. Viennæ 26. Nouemb. 1647.

Tranſtulit in Latinam linguam

Catechiſmum Controuerſiarũ Guilielmi Baile. Viennæ typis Matthæi Formicæ 1626.in 8. & Coloniæ typis Ioannis Kinchij 1627. in 12.

Academiam honoris Ludouici Richeomi. Viennæ typis Michaelis Rictij 1635. in 8.

Aulæ Sanctæ Nicolai Cauſſini Tom.I. Lib.3. Viennæ typis iiſdem 1636. in 8.

Prælatum. ſeu Aulæ Sanctæ Nicolai Cauſſini Tom.I. Lib.II. Viennæ apud Mariam Rictiam 1636. in 8.

Magnetem Amoris trahentem efficaciſſimè cor humanum ad Ieſu Chriſti dilectionem Stephani Bineti, iiſdem typis & anno in 8.

Equitem Chriſtianum, ſeu Conſtantinum Magnum, qui eſt Nicolai Cauſſini Tom.II.lib.2. Ibidem 1637.in 8.

Politicum Chriſtianum, ſeu Boëtium, qui eſt Aulæ Sanctæ Tomi II.Lib.III. Ibidem 1638. in 8.

Suppreſſo ſuo nomine edidit tranſlata à ſe.

Relationem Martyrij Patrum Rochi Gonzalez, Alphonſi Rodriguez, & Ioannis de Caſtillo, Societatis Ieſu, qui anno 1628. in Vruai Paraquariæ paſſi ſunt Prouincia. Viennæ typis Matthæi Formicæ 1631. in 16.

Epiſtolam D. de Villanoua Miniſtri Caluiniani in Gallia de ſua ad Fidem Catholicam conuerſione. Ibidem 1632.

Reſponſionem Franciſci Fontani ad quæſita cuiuſdam Prælati circa Hierarchiam Eccleſiaſticam. Ibidem 1634. Item

Modum diſponendi ſe ad bene moriendum Franciſci Poirei. Viennæ typis Coſmeronianis 1641. in 16.

Tractatum De Amore Dei lib.12. comprehenſum S.Franciſci de Sales. Viennæ typis Matthiæ Coſmeronij 1643. in 4.

Aulam Herodis impiam, Theodoſij piam, Caroli Magni Caſtra impietatis victricia, ſeu de conuerſione Saxonum, Nicolai Cauſſini. Coloniæ apud Ioannem Kinchium 1643. in 8.

De Virtute patientiæ Tractatum Guilielmi Montani. Viennæ typis ijſdem 1644.in 16.

Parabat & alia, ſed mors interceſſit.

HENRICVS LAMPARTER natione Germanus, gente Heluetus, patria Lucernenſis, ingreſſus in Societatem anno ætatis 17.ſalutis humanæ 1608. in ea, die 31. Iulij 1625. quatuor vota ſolemnia nuncupauit. Philoſophiam, Controuerſias Fidei, Theologiam Scholaſticam, & moralem docuit annos 14. vir ad omne genus litterarum tractandum aptus. Rexit Collegia Ambergenſe, Dilingatium, Neoburgenſe, Ingolſtadienſe, & Prouinciam Bohemiæ triennio gubernauit. Electus à ſua Prouincia, & miſſus Romam, interfuit Congregationibus generalibus Octauæ, Decimæ, & Vndecimæ cum iure ſuffragij. Vir fuit eximij candoris, otij fugiens vſque ad extremam ætatem, rebus ſpiritualibus ſingulariter addictus, ideoque aut conſcribendis pijs libellis, aut transferendis ex alio idiomate in Latinum ferè ſemper occupatus. Conuerſatio illi ſuauis, ac fuci expers tàm cùm Noſtris, quàm Exteris, & ſemper aliquid piæ induſtriæ conabatur ei admiſcere. Demum ferè octogenarius hemiplexia tactus migrauit ex hac vita ad mortis expertem Auguſtæ Vindelicorum die 14. Octobris 1670. Scripſit Germanicè

Libram auream, ſiue defenſionem Fidei Catholicæ aduerſus Iacobum Reibingum. Monachij 1624. Scripſit Latine

Conſiderationes De Præſtantia Gratiæ Dei. Monachij typis Lucæ Straub 1651.in 12.

Vitam & Virtutes Ven.P.Ludouici de Ponte Societatis Ieſu. Ingolſtadij typis Georgij Hænlini 1662. in 8.

Stolam gloriæ, ſeu Meditationes De Vita Chri-

Chriſti in ſingulos anni dies. Auguſtæ typis Simonis Vtzſchneider 1666. in 12.

Aphoriſmos Spirituales. Ibidem 1668. in 24.

Ex Italico vertit Latinè

Theſaurum indeficientem, ſeu actus internos virtutum Blaſij Palmæ. Monachij 1647. in 18.

Aerumnas Chriſti. Ingolſtadij 1661. in 4.

Caduceatorem Pacis Ioannis Rhò. Dilingæ 1640. in 24.

Seraphinum P. Vincentij Caraffæ.

Ex Hiſpanico.

Vitam P. Marcelli Maſtrilli. Dilingæ 1647. in 8.

Opuſculum Sancti Thomæ de Moribus Diuinis.

Actus internos Blaſij Palmæ vertit Germanicè. Ingolſtadij 1642. in 24.

Manipulum Spicarum ex libris Societatis. Monachij 1653. in 16.

HENRICVS MARCELLIVS natione Belga, patria Sommorenſis, Diœceſeos Syluæducenſis natus anno ſæculi præteriti 93. vicennis acceſſit ad Societatem prętereuntis 13. Treuiris, & quatuor vota ſolemnia profeſſus eſt. Matheſim, & Philoſophiam Moguntiæ docuit, vnde eiectus bello Succico, Rhemis in Gallia docuit Theologiam Moralem. Redux in Germaniam, Theologiam profeſſus eſt Molshemij, & Bambergæ, Doctor eiuſdem renunciatus. Vir apprimè religioſus, & inſtituti ſui, regularumque obſeruans, pietati addictus, & duobus Epiſcopis Bambergenſibus à ſacris Confeſſionibus. In ætate affecta cùm deficientibus naturæ viribus in grauem languorem incidiſſet, conuocatis domeſticis alta voce, & generoſo animo veniam ab omnibus demiſsè petijt ſi qua in re quempiam offendiſſet, & mox Sacramentis vltimis rite præmunitus ſpiritum Deo reddidit Bambergæ die 25. Aprilis 1664. Edidit dum Rhemis doceret

Armamentarium ſcientificum Tomis II. Pariſijs apud Michaelem Solij anno 1635. in 8. Poſtea

Proteſtationem Chriſtianam. Germanicè Bambergæ apud Andream Baals anno 1645. in 12.

Proteſtationem Chriſtianam. Latinè Herbipoli apud Henricum Pigrinum 1646. in 12.

Diſſertationem Apologeticam. Bambergæ 1646. in 12.

Canones explicandæ Sacræ Scripturæ. Herbipoli 1653. in 12.

Orationem funebrem De Melchiore Ottone Epiſcopo Bambergenſi. Bambergæ anno 1653. in 4.

Diſſertationem de Auguſtiſſimo Corporis, & Sanguinis Dominici Sacramento. Antuerpiæ apud Iacobum Meurſium 1656. in 4.

Sapientiam Pacificam filiorum Dei, & de medijs exaltandi Eccleſiam Catholicam. Coloniæ apud Iodocum Kalcouium 1657. in 4.

Theologiam Diuinæ Scripturæ ſententiarum Libris quatuor. Bruxellis typis Franciſci Viuien 1658. in 4.

De Iuſtificatione Chriſtiana diſſertationem quadripartitam. Bambergæ apud Andreā Baals 1657. in 12.

Artem diſputandi. Coloniæ anno 1658. in 8.

Diſſertationem Theologo-Politicam de optima forma Regiminis. Herbipoli apud Chriſtophorum Kuclerum 1661. in 4.

Commentarium in Librum Ioſue. Iiſdem typis & anno in 4.

Artem diù viuendi & Arborem vitæ. Herbipoli apud Iacobum Aertz 1662. in 4.

Enchiridion Militiæ Chriſtianæ. Catalauni apud Germanum Nobili 1632. in 12.

* HENRICVS MAYER natione Germanus, gente Sueuus, patria Dilinganus, natus anno ſæculi decurrentis 8. Societati ſe adiunxit 1627. iam tum Philoſophiæ Magiſter, & votorum 4. profeſſionem emiſit. Docuit in ea Rhetoricam, Philoſophiam, Theologiam Moralem annis quatuor & totidem Scholaſticam, Controuerſias tribus, & totidem ſacras litteras eſt interpretatus. Præfuit ſtudijs ſuperioribus annis 17. Rexit Collegia Ratisbonenſe, Friburgenſe in Briſgoia, Lucernenſe, Dilinganum, fuitque Academiæ Dilinganæ Cancellarius ſeptennio. Demum annis grauis naturæ conceſſit. Dilingæ die 12. Maij 1675. Scripſit Opuſcula his titulis

Quis vt Deus? De Attributis Diuinis. Ingolſtadij 1645. in 8.

Manuale Biblicum, De concordia apparentium in Sacris Scripturis contradictionum. Friburgi Briſgoiæ 1654. in 12.

De Sponſalibus, & Matrimonijs. Ibidem 1657. in 12.

Felix piæ mortis hora. Ibidem 1659. in 12.

HENRICVS MORVS natione Anglus, patria Eſſexienſis, frater Thomæ noſtri ex familia Clariſſimi Martyris Thomæ Mori, & abnepos eiuſdem. Poſt aliquot annos ſtudijs impenſos in Hiſpania, admiſſus in Societatem anno 1607. ætatis 20. in Seminarijs noſtris Belgicis diù vtiliter laborauit; votorum 4. profeſſionem edidit, & multos annos in Miſſione Anglicana traduxit, vbi periculoſis temporibus tàm occultè diù latere debuit, vt nec domo prodire, nec ſuo in cubiculo liberè inambulare liceret, ne domeſticis famulis non Catholicis innoteſceret. Fuit Inſtructor Patrum tertiæ probationis, & bis datus Rector Collegio Anglorum Audomaropoli, Prouinciam Anglicanam cum laude adminiſtrauit. Vir fuit magna virtute, ac ſingulari prudentia, religioſæ diſciplinæ ad exemplum aliorum cultor; in verbis parcus, in opere ſedulus, in officio peruigil, cibi modici, ſomni breuis, temporis auarus, cuius nullam particulam ſine lucro patiebatur elabi. Interfuit vt Procurator

Congregationi Procuratorum,& Elector Congregationi Generali Octauæ Romæ. Colebat impenſe Beatiſſimam Virginem, eiuſque Roſarium frequenter verſabat manu. Illud ſingulare de eo refertur, quoties aliquem ex illius conſanguineis contingeret emori, quamuis longè diſſitus, nihilque priùs de ægritudine reſciuiſſet, ea ipſa hora de demortui obitu admoneretur, id quod nonnulli ex illius ore acceperunt. Demum annis grauis, & maturus cælo ex tirocinio Societatis Vvatenenſi ad ſuperos (vt ſperare fas eſt) abijt die 8. Decembris 1661. Tranſtulit ex Hiſpanico in Anglicum præfixis litteris H.M.

Manuale Meditationum P.Thomæ Villacaſtin. Audomari 1618. & rurſum 1623. Edidit prætereà Anglicè ex Latino Hieronymi Plati.

De bono Status Religioſi. Rothomagi 1622. &c.

Latinè ſcripſit

Vitam & Doctrinam Chriſti Domini in Meditationes quotidianas per annum digeſtam. Antuerpiæ apud Meurſium 1649. in 12.

Hiſtoriam Miſſionis, & Prouinciæ Anglicanæ Societatis Ieſu ab anno 1580. vſque ad 2635. Latinè. Audomari, typis Thomæ Geubels, 1660. in folio.

HENRICVS NEMIVS natione Belga, patria Siluæducenſis, natus anno ſalutis 1595. vicennis ſe Societati tradidit 1605. & gradum Spiritualis Adiutoris obtinuit. Docuit Humaniores litteras, & multis annis præfuit Sodalitijs Parthenijs, exemplaris, & vtilis operarius Collegij Bruxellenſis, ex quo ad cœleſtem patriam (vti confidimus) tranſiuit die 5. Maij 1643. Edidit idiomate Belgico ſuppreſſo ſuo nomine Libellum hoc titulo

Maria Mater Miſericordiæ, Aduocata Fidelium animarum. Bruxellæ, apud Ioannem Mommaert 1639. in 16.

HENRICVS PHILIPPI natione Belga, patria Luxemburgenſis, in vicinia S. Huberti Societatem anno 1597. ætatis 22. ingreſſus, tantum in doctrina profecit, vt Sacroſanctæ Theologiæ Doctor, Philoſophiam, Theologiam Scholaſticam, & Sacras Litteras in Vniuerſitatibus Græcenſi, Viennenſi, Pragenſi, profeſſus ſit. Domui Profeſſæ Viennenſi præfuit Præpoſitus, Noſtros in tertia probatione anni aliquot inſtituit. Sereniſſimo Hungariæ, ac Bohemiæ Regi Ferdinando III. fuit à ſtudijs, & à Sacris Confeſſionibus, vſque dum obijt diem ſuum Ratisbonæ 30. Nouembris anno 1636. in ijs Comitijs, quibus in Romanorum Regé Ferdinandus electus, coronatuſq; eſt. Vir fuit inſigni moderatione animi, contemptu ſui, ac rerum caducarum omnium, qui Palatinis eo maximè nomine carus erat, & admirabilis, quod nihil illi de aulæ moribus, aut fucis adhæreſceret. Tanti Principis, quo vtebatur beneuolentiſſimo gratiam nunquam niſi ad pias cauſas, idque etiam parciſſimè inuocabat. Suis intentus lucubrationibus, quid foris ageretur nihil penſi habebat. Paupertatis amans; moderatorum obſeruans; Inſtituti Societatis callens, & tenax, ſemper lætus, & ſuauis, & tam promptæ pietatis, vt vel per quietem Pſalmos recitare auditus ſit; in morbis difficilioribus inuictæ patientiæ, verbo, Religioſus. Scripſit

Introductionem Chronologicam, ſeu de Computo Eccleſiaſtico ad Chronologiam accommodato. Coloniæ, apud Ioannem Kinchium 1681. in 4.

Generalem Synopſim Sacrorum Temporum. Ibidem 1624. in 4.

Quæſtiones Chronologicas de Annis Domini, Iulianis, Nabonaſſari, & æra Iuliana componendis. Item

De Annis nati, & paſſi Saluatoris. Ibidem 1630. in 4.

Tabulas Annorum expenſorum pro Chronologia Eccleſiaſtica. Viennæ 1634. his nomen ſuum minime adſcripſit

Tractatum de Olympiadibus. Ibidem 1635.

Manuale Chronologicum veteris Teſtamenti. Antuerpiæ, apud Ioannem Meurſium 1635. in 8.

Notas, & Quæſtiones Chronologicas in Pentateuchum, cum Tractatu de Olympiadibus

Notas, & Quæſtiones Chronologicas in Prophetas Maiores, & Minores. Antuerpiæ, apud Ioannem Meurſium 1636.

Similes Notas parantem in reliquos Sacræ Scripturæ libros mors intercepit; prodijt tamen poſthumum

Chronologiæ veteris Teſtamente accuratum examen. Coloniæ, per Ioannem Kinckium 1637. in 4.

HENRICVS PVTZIVS natione Belga, patria Marcoduro Menapiorum Oppido ortus: Matthiæ Putzij, cuius poſtea fiet mentio, germanus frater, ſub vexillo Societatis militare Deo cæpit 23. Decembris anno ſalutis 1586. ætatis ſuæ 18. vitamque reliquit Coloniæ die 6. Aprilis 1596. Fuit ſicut, & Matthias, raro atque excellente ingenio ad miraculum; probitate, & pietate ingenium ſuperabant. Peruolutarant mira ingenij celeritate omne ſcriptorum genus, vt nihil eſſet de quo non in illo iuuentæ flore diſputare poſſent. Peregrinas linguas nullo docente ita didicerant, vt, & Italica Latina facerent, & viciſſim Latina in Italicum transferrent. Nemo ad eos vnquam acceſſit quin, & doctior, & ad ſtudia litterarum propenſior recederet. Scripſit Henricus

Tragediam Ioſue, aliaque nonnulla carmine eleganti

HENRICVS REFFAY natione Lotharingus, patria Robecurcanus, diœceſis Tullenſis, natus anno ſalutis 1575. Societatem inijt Treuiris 1598. & vota quatuor ſolemnia nuncupauit. Varia inſigni cum laude, ac virtute geſſit, Docuit litteras Græcas, Matheſim, Philoſophiam, Theologiam, piiſque laboribus immor-

mortuus eſt Spiræ, vbi Collegio præerat die 11. Auguſti 1632. Molshemij in ſolemnitate eius Academiæ primùm promulgatæ, ſuprema Theologiæ laurea donatus, longa Oratione deſcripſit.

Criſin Orthodoxam de falſo Hæreticorum Criterio, eiuſdem Academiæ Panegyrico inſertam

HENRICVS SAMERIVS natione Belga, patria Luxemburgenſis Hiſtoriæ omnis, & præſertim Eccleſiaſticæ peritiſſimus, & in annorum ſupputationibus, in primis accuratus. Societati ſe adiunxit Coloniæ anno ſalutis 1561. ætatis 21. Domi, militiæquè noſtris præfuit, cùm ſubeſſe optime noſſet. Miſſus fuit in Angliam ad Mariam Reginam Scotiæ tunc temporis in cuſtodia detentam, quæ Sacerdotem de Societate magnoperè poſtularat, vti refertur in Hiſt. Societatis anno 1583. ſchemate Medici profectus eſt vt faciliùs tegeret profeſſionem ſuam; & nactus aditum ad Reginam magno annos aliquot illi ad pietatem adiumento fuit; donec emanante ſuſpicione, recedendum Medico fuit, & optima Princeps eo ſolatio ſpoliata. Poſtea anno 1592. capta ab Anglis Steenuicha ipſe quoque comprehenſus, & Comiti Mauritio Naſſouio oblatus eſt, tamquam multorum, magnorumquè facinorum, & nominatim paratarum Reginæ Angliæ Elizabethæ inſidiarum reus; ſed Comes comperta Viri innocentia benigne habuit, liberumquè dimiſit, redonatum omnibus, quæ illi fuerant ablata. Obijt Luxemburgi die 5. Ianuarij anno ſalutis 1610. ætatis ſuæ 70. ab inita Societate 50. tria pridem vota ſolemniter profeſſus. Edidit,

Chronologiam ſacram ab Orbe condito vſque ad Chriſtum natum confutatis multorum ad hanc diem calculis. Antuerpiæ typis Hieronymi Verduſſen 1608. in folio.

HENRICVS SELM natione Germanus gente Vveſtphalus, patria Coſfeldianus, vir præclaræ virtutis, doctrinæ, & in Vinea Noueſiana, vbi 3. Cal. Iunii anno ſalutis 1620. ætatis 38. Religionis 14. diem ſuum obijt inſignis Operarius. Pietas illi fuit in Deum, Diuoſque ſingularis, quam gemitibus, & ſuſpirijs, vbi ſine arbitris licuiſſet, expromebat. Horas ſæpe ſolidas ducebat in Templis orando, ratus vix horæ ſe quadrante ſubſtitiſſe. Regularum omnium, ſed eius in primis, quæ de ſilentio eſt, obſeruatiſſimus fuit. Maximo animarum zelo flagrabat, quarum ſalutem toto ſtudio procurabat. Sodalitatem Ciuium in honorem S. Quirini, cuius in Æde Principe lipſana ſeruantur, Noueſij inſtituit, eiuſque cultui promouendo edidit Germanicè

Rhythmos de S. Quirino

HENRICVS SOMMALIVS natione Belga, patria Dionantenſis agri Eburonum à S. P. N. Ignatio in Societatem anno 1551. admiſſus, eiquè ob morum candorem percarus fuit. Roma miſſus Lauretum, vt Græcas litteras profiteretur inde in Germaniam ad ſua ſtudia proſequenda; tandem rediit in Belgium vbi varijs locis cum laude, & pari fructu concionatus eſt. Primus noſtrorum ſtationem Dionanti anno Chriſti 1564. rexit; primus Duacenſe Collegium Rector gubernauit, cùm Maximilianus Capella, qui ei muneri deſignatus fuerat, Romam à Prouincia Procurator eſt miſſus. Alijs quoque Collegiis non ſemel præfuit, Mores, & veſtigia S. Ignatij diligentiſſimè coluit, & expreſſit. Paupertatis tam amans fuit, vt ne in grauiſſimo quidem ſenio quidquam admitteret peculiare; nihil moriens præter Roſarium, & Lipſanothecam ſat vilem poſt ſe reliquerit. Obſeruauit dum vixit, vt nunquam ad Sociorum conſuetam recreationem accederet, niſi materia ad pios ſermones inſtructus. A Comite de Lumai Martyrum Gorcomientium in Hollandia Tyranno, deprehenſus aliquando in Monaſterio quodam hoſpes, lecto extrahitur humi ſternitur, nudatur, cultro culinario admoto, verendorum exciſio intentatur, ſed animi præſentia, conſtantiaque, dum Tyrannum imperterritus intuetur, ferociam eius fregit, & euaſit impunè ſolo nudati corporis ſupplicio accepto; quod tamen fuit illi eo grauius, quò in omni vita pudoris cultor fuerat diligentior. Senio, & quadam vitæ ſatietate magis, quàm morbo victus occubuit Valencenis die 30. Martij anno Chriſti 1619. ætatis 85. profeſſionis quatuor votorum 50. vir in eruendis, caſtigandiſquè Sacrorum Auctorum ſcriptis diu multumque verſatus. Edidit ad veteres membranas emendata

Thomæ de Kempis Opera. Antuerpiæ typis Martini Nutij 1600. in 8. & alibi

B. Anſelmi de Excellentia B. M. Virginis. Item eiuſdem *Similitudinum Librum, & Epiſtolas* Coloniæ, apud Ioannem Huntemium, & Duaci, apud Bellerum 1605. in 16.

Ioannis Trithemij Abbatis commentarium in Regulam S. Benedicti. Duaci, apud Bellerum 1608. & Valencenis, per Ioannem Verulut eodem anno in 8,

Diui Auguſtini Confeſſionum Libros XIII. Item eiuſdem *Meditationes, Soliloquia, Manuale*. Duaci, apud Bellerum 1608.

Alberti Magni Paradiſum animæ, ſeu *de virtutibus*, quem etiam ſcholijs illuſtrauit. Antuerpiæ, apud Ioannem Moretum

Diui Anſelmi Cantuarienſis Archiepiſcopi Tractatum de 14. Dotibus Beatorum. Ibidem in 12.

Thomæ de Kempis de Imitatione Chriſti lib.4. ex Auctoris Auctographo recognitos, typis Plantinianis, & aliorum ſæpiùs recuſos.

Denique collegit ex Sanctorum Patrum ſcriptis, & vulgauit

Faſciculum Diuini Amoris atque Deuotionis. Duaci, typis Belleri, 1605. in 16.

* HENRICVS THENEN natione Germanus, patria Aquiſgranenſis, natus anno ſæculi præterlabentis ſeptimo, Societati ſe addixit, 1624. Poſt traditas litteras Humaniores: ſcho-

lis aliquot annis præfuit, nunc regit domicilium Hadamarienſe. Edidit lingua vernaculà,

Theſaurum Sacrarum Reliquiarum Aquiſgrani, quæ ſingulis ſeptennijs ſolemniter monſtrari ſolent. Coloniæ, apud Vvilhelmum Freiſſem, 1657. in 8. Item

Vitam S. Caroli Magni Primi Germani Cæſaris. Ibidem 1658. in 12.

* HENRICVS THVNDERVS, natione Anglus, patria Cantianus, decurſis Philoſophiæ ſtudijs in Collegio Anglicano Romæ, Ibidem Deo ſe in Societate mancipauit anno ſalutis 1599. ætatis 27. Maximam vitæ partem exegit in regenda Iuuentute Anglicana Audomari tamquam Præfectus morum, ſed ea accuratione, vigilantia, ſuauitate, alacritate, caritate, & vbi opus erat, etiam ſeueritate, vt adoleſcentibus illis omnibus amori pariter eſſet, ac timori. Formabat ad pietatem omnes exemplo ſuo. Flagrabat caritate in Deum, & zelo ſalutis proximorum; erga alios blandus, affabilis, ſibi vni aſper, & corporis ſui varijs modis caſtigator aſſiduus. Poſt annos 30. fere laborioſi illius muneris maximo Iuuentutis Anglicanæ bono, ad religioſę vitæ præmia euocatus eſt. Ibidem die 12. Septembris 1638. Spiritualis Coadiutor pridem formatus. Edidit Anglicè præfixis litteris initialibus ſui nominis H. T. Societatis Ieſu

Locupletationem animæ, ſeu Modum offerendi ſe quotidie Deo propter varios actus virtutum. Pariſijs 1634.

HENRICVS VVALPOLVS, natione Anglus, nobilibus, & Catholicis parentibus in Prouincia Norfolciæ natus, Michaelis, & Richardi (quorum infra eſt mentio) germanus frater natu primus, ab infantia educatus in Fide Catholica, zelum eius ardentem cum lacte ſuxit, cumque humaniore litteratura, Philoſophia, & Theologiæ parte, quæ de Controuerſijs Fidei eſt, animum imbuiſſet, ad Eccleſiæ caſtra complures attraxit. Sed metu Senatus Regij, patria exceſſit, & Romæ in Societatem anno 1584. ætatis 25. ingreſſus, tres poſt ſe fratres Germanos, & vnum Conſobrinum, ad eam poſt ſe pellexit. Inde in Hiſpaniam aliquot poſt annos, atque in Belgium miſſus, ciuium ſuorum Hæreticorum fraudibus circumuentus, ab hoſtibus interceptus eſt, & Fliſſingam Zelandiæ Vrbem adductus; vbi anno integro duriſſimam tolerauit captiuitatem ipſo carceris ſqualore, & Hæreticorum veſano furore cumulatam. Hic illi mortem machinati ſunt, per facinoroſum hominem, cui ſi Henricum ſuſtuliſſet impunitatem ſcelerum propter quæ tenebatur, ſpoponderunt. Huius molitionis cum ad Henricum peruaſiſſet indicium, coactus eſt ad vitandas inſidias, perdius pernoxque, per ſummam incommoditatem vigilare per totum menſem, donec à fratre, qui nomen ſub Anglo, qui tenebat Vrbem præſidio, militiæ dedit, vinculis exemptus eſt. Verùm ea moleſtia ſitim non extinxit, ſed accendit, patiendi. Rogatu ſuo miſſus à moderatoribus in Angliam ad ſpem martyrij anno 1593. ipſo in Regni aditu comprehenſus, & Eboracum ductus eſt. Ibi in cuſtodia breuem tractatum ſcripſit ad Præſidem, Senatumque Regium, quo vitæ ſuæ narrata ſerie, ſe ideo reuertiſſe dicebat in patriam, vt ſi poſſet vniuerſam ſuam gentem, ipſamque adeo Reginam, ad Eccleſiæ Romanæ Fidem, obedientiamque perduceret. Amici, ac neceſſarij ipſius, quibus erat res ampla domi, & foris auctoritas, copiam illi parare voluerunt elabendi è carcere; ſed ille renuit, diſertè negans ſe pedem inde elaturum, niſi Deus per Moderatores ſuos imperaſſet. Anno vertente Londinum abductus, vix cuiquam credibile eſt quantum exhauſerit in Turri ærumnarum; aſperrimam ibi hyemem ſine ſtrato, ſine veſte, ſine codice, aut integumento; vt vel acerbiſſimus Catholicorum inſectator Topliſus miſeratione tactus, aliquid illi ſtraminis indulſerit. Poſt annum cum nihil poſſent ex eo aduerſarij ad ſuam libidinem exprimere Eboracum reuexere, vt in publicis ibi Comitijs de ipſius capite cerneretur. Hic etiam ad omne vitæ ſubſidium, vnam habuit tegeticulam ternos pedes longam, cui nixus ducebat noctem orando, donec oppreſſus humi ſe ſternebat ad carpendam magis, quam capiendam malignam quietem. Decies quater diriſsima quæſtione tortus, ac prorſus inhumaniter vexatus eſt, tandem in Regni Comitijs ceu reus maieſtatis quia Sacerdos, quia Ieſuita, quia Fidei Romanæ propagator, capitis damnatus eſt. Scripſit hinc ad Parentem ſuum, vt pro patrimonio, quod ſibi primogenito ex naturæ, Regnique legibus debebatur; vim aliquam pecuniæ, ſcuta octoginta ſcilicet mitteret, quæ in ſuos Cuſtodes, pro congiario diuideret, cui Epiſtolæ ſic ſubſcripſit: Obedientiſsimus veſter filius H. Vv. incarceratus. Tandem Eboraci ad diem 17. Aprilis anno 1595. ad ſupplicium eductus, in ſummo ſcalarum Reginæ primatum in Eccleſia conſtantiſsimè exploſit, aduerſarique rationi, & Diuinis Scripturis aſſeruit, tum recitata Dominica Oratione, parantem ex formula Anglicana ſalutare Deiparam, proturbant è ſcalis, ac paulò poſt de patibulo depoſitum in partes de more conſcindunt, tanto ſpectantium dolore, vt plurimi lacrymas non tenerent. Scripſit

Edmundi Campiani Martyrium Carmine Anglicano cuius impreſsi inuidiam ſuſtinuit ab Hæretico Magiſtratu D. Vallingerus compactus in carcerem, maleque mulctatus. Alia ſcripſit, ſed quæ non ſunt in lucem edita

HENRICVS VVANGNERECK natione Germanus, patria Monacenſis in Boica ingreſſus Societatem anno ſalutis 1611. ætatis 16. votorum quatuor profeſſionem emiſit. Vir ingenio amplo, & omnium ſcientiarum capace, docuit litteras manſuetiores quinquennio,

nio, Philoſophiam quadriennio, Theologiam Scholaſticam octennio, Polemicam de Controuerſijs Fidei ſeptennio, Moralem aliquamdiu, & Ius Canonicum quadriennio. Cancellarii munus in Academia Dilligana ampliùs ſeptennio obiuit, & ad populum de ſuggeſtu aliquot annis Eccleſiaſtes dixit. In Miſſione Lindauienſi præfuit noſtris quinquennio; ob doctrinam,& prudentiam carus admodum aliorum quoque Ordinum Religioſorum Præſulibus, nec non varijs Principibus fuit, qui ab eo conſilia paſſim exquirebant. Tandem ſeptuagenarius dum in triclinio menſæ accumberet apoplexia tactus loquendi, & ſentiendi vſum deperdidit, & ſuſceptis ſacramentis paulo poſt animam exhalauit. Dilingæ die 11. Nouembris 1664. ſcripſit

Notas in Confeſſiones S. Auguſtini. Dilingæ 1630.& Coloniæ in 12.

De Creatione Animæ rationalis contra Prædicantes Auguſtanos traducis aſſertores. Item

Tractatum de Traduce

Vindicias Politicas aduerſus PſeudoPoliticos & Gaſparem Scioppium in Pædia Politices ipſis ſuppetias ferentem. Dilingæ typis Gaſparis Sutoris 1636.in 8.

Edidit præterea tacito ſuo nomine,

Zodiacum Marianum. Item

Thomæ de Kempis Librum de Imitatione Chriſti in locos communes redactum. Scripſit Germanicè

Vindicias motiuorum Fidei Catholicæ, quibus Chriſtophorus Beſoldus ad eam perductus eſt. Auguſtæ apud Andream Aperger 1643. in 8. Latine etiam edidit

Theſes de SS. Angelorum Prædeſtinatione ex meritis, prædeſtinationi gratuitæ SS. Hominum oppoſita ex mente S. Auguſtini. Dilingæ typis Academicis 1644.

Antitheſes Catholicas de Fide & bonis operibus, articulo IV. VI. XX. Confeſſionis Auguguſtanæ oppoſitas. Dilingæ typis Academicis 1645. explicans in his nonnulla in illis perperam intellecta.

HERBIPOLENSE COLLEGIVM Prouinciæ Phenanæ Superioris in Germania, ad Mæni ripam in Franconia, Fundatorem habuit Reuerendiſſimum, & Illuſtriſſimum Fridericum Vvieſpergium,eius Vrbis Epiſcopum, qui etiam Franconiæ, ſeu Franciæ Orientalis Dux eſt, virum nobili ſtirpe editum, & eo culmine omnino dignum, qui Catholicæ religionis conſeruandæ in ſua diœceſi inter graſſantes vndiquaque hæreſes zelo incenſus, auxilium Sacerdotum Societatis noſtræ Roma iteratis epiſtolis flagitauit, & tandem (quod prius deeſſent Socij) à S. Franciſco Borgia anno 1567. obtinuit. Friderico ſucceſſit Iulius Echter, ex antiquiſſima Echterorum familia, qui pari ardore Diuini cultus propagandi inflammatus, inchoatum ab Anteceſſore Collegium non ſolùm abſoluit, ſed etiam adiectis Superiorum facultatum ſcholis illud in Vniuerſitatem Apoſtolica, & Cæſarea auctoritate munitam erexit,anno Domini 1582. Nec multo pòſt luculentus apparuit ex hac acceſſione fructus, nam vt refertur in Hiſtoria Societ. ad annum 1585. pagi duodeuiginti illius diœceſis Miſſionariorum ex eo Collegio opera, iam tum ab Hæreſi purgati, & ad Romanæ Eccleſia obedientiam feliciſſimè ſunt reducti. Docentur ex eo tempore in ea Vniuerſitate ſcientiæ omnes, quæ à Societate tradi ſolent, & ex vicinis Regionibus confluit eò numeroſa Iuuentus plerumque ſupra mille diſcipuli, qui non minus pietate quàm varijs ſcientijs imbuuntur ad Dei gloriam. Edidit Collegium

Luctum publicum in funere Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Ioannis Godefridi Epiſcopi Bambergenſis, & Herbipolenſis. Herbipoli typis Io. Vvolmari 1623.in 4.

Emblemata Phænomena in Electione Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Principis Philippi Adolphi Epiſcopi Herbipolenſis dedicata. Ibidem eodem anno in 4. Edidit præterea ſtudioſæ iuuentutis nomine

Encaniſtica Poëmata, cùm SS. Apoſtolorum Templum Academicum Epiſcopus Iulius dedicaret anno 1591. Herbipoli typis Henricis Aquenſis in 4.

Aduentoria Sereniſſimo Erneſto Archiduci cum Belgium adminiſtraturus Herbipolim intraret anno 1592. typis Fleiſchmanni in 4.

Emblemata pro gradu Theologico D. Chriſtophori Raab. Ibidem ijſdem typis 1603. in 4.

Paſphonemata gratulatoria D.Gaſpari Brackio, Monaſterij Eberacenſis Abbati 1616. typis Svvinlauffii in 4.

Gratulationem myſticam pro primitijs D. Ioannis Chriſtophori Lemmershemi S. Burchardi Decani anno 1612.in 4.

Gratulationes panegyricas Ioanni Godefrido Epiſcopo Bambergenſi conſecrato 1610. in 4.

Luſum Poëticum Franciſco Epiſcopo Herbipolenſi dicatum 1631. typis Zuickij in 4.

* HERCVLES MATTIOLIVS natione Italus, patria Bononienſis, natus anno ſalutis reparatæ 1622. Chriſto ſua in Societate ſe dicauit 1637. & votorum 4. profeſſione ſe adſtrinxit. Rhetoricam & amæniores litteras quinquennio docuit. Linguam etiam Sanctam aliquamdiu profeſſus eſt. Sed cum concionandi facultate inſigni emineret, multis annis per Italiam primarijs in Vrbibus concurſu maximo, & Romæ bis per quadrageſimam, ad populum verba fecit. Edidit hactenus varios Panegyricos multum dilaudatos.

De laudibus Sereniſſimi Franciſci Primi Eſtenſis Ducis Mutinæ. Ibidem typis Soliani 1659. in 4.

In funere Sereniſſimi Caroli Secundi Ducis Mantuæ. Ibid 1666.in fol.

In funere Reuerendiſſimi Hippolyti Montij Generalis, Ordinis S. Auguſtini. Latinè Coloniæ 1648.

Ap-

Apparat prælo *Panegyricorum Tomos duos.* Item latine

De Via lactea Scientiarum in triplici Mundo, Elementari, Cæleſti, & Intelligibili, &c. tomos tres.

HERIBERTVS ROSVVEYDVS natione Belga, patria Vltraiectinus, natus eſt 11. Cal. Februarij anno 1569. Societati nomen dedit vicenarius. Iam inde à Tirocinio quædam in eo ſemina apparuerunt, quæ indicarent quantus olim futurus eſſet in eruenda antiquitate Eccleſiaſtica, præſertim in vitis Sanctorum ab obliuione vindicandis. Nam Duaci cùm primis initæ Societatis annis Philoſophiæ nauaret operam, quibus diebus commilitones religioſa ambulatione ſe relaxabant, ipſe ad vicina vrbi Monaſteria euolabat, & inter obſoletos in Bibliothecis m.ſ. Codices colligebat, quod magno Eccleſiæ bono póſt in omnes erat effuſurus. Philoſophiam poſtmodum, & ſacras Litteras Duaci, & Antuerpiæ profeſſus eſt, à quibus ſtudijs miſſione impetrata, animum ad ſcribendum appulit, & pleraſque Belgij Bibliothecas luſtrauit, excuſſitque. Inter curas porro ſcribendorum vulgandorumque librorum, ſedulo quoque incumbebat in ſalutem animarum variè procurandam, donec in vtroque ſtudio occupatum mors importuna inuenit, contracta, maligna febre apud hominem contagioſo morbo laborantem, quem continuatis per totam noctem excubijs ad bonam mortem comparauerat. Obijt Antuerpiæ die 5. Octobris anno reparatæ ſalutis 1629. ab edita quatuor votorum profeſſione 20. Belgicis Scriptoribus luctuoſo, quatuor nobiliſſimis pene ſimul ſublatis, Roſvveydo, Adriano Mangotio, Andrea Schotto, Carolo Scribanio, idque in vna Profeſſorum Domo Antuerpienſi. Agebat Heribertus ætatis annum 90. quorum 40. egerat in Societate. Edidit

Faſtos Sanctorum, quorum vitæ m. ſ. in Belgio *cum actis præſidialibus Sanctorum Taraci, Probi, & Andronici.* Antuerpiæ typis Plantinianis 1607. in 8. Hoc in ſpecimen dederat operis ingentis, quod moliebatur de Vita Chriſti, B. Virginis, Sanctorumque in Eccleſia Catholica, tomis omnino 16. At Heriberto morte ſublato, ſucceſſit in egregij Operis molitionem Ioannes Bollandus, qui aſſiduis illud lucubrationibus ad euulgandum perurſit.

De Fide Hæreticis ſeruanda ex Concilij Conſtantienſis Decreto, Diſſertationem cum Daniele Planco; in qua de Ioanne Huſs. Hiſtoria excutitur. Ibidem 1610. in 8.

Notationes in vetus Martyrologium hactenus deſideratum a Baronio, & alijs. Ibid. 1613. in folio.

Martyrologium Adonis ad m.ſ. recenſitum. Ibidem eodem anno.

Legem Talionis 12. Tabularum Cardinali Baronio ab Iſaaco Caſaubono dictam, retaliatione retortam. Ibid. 1614. in 8.

Ioannis Moſchi Pratum ſpirituale, cum Notis. Ibidem 1615.

Vitas Patrum, mendis repurgatas; *Notis illuſtratas*; quo in opere oſtendit, ad ingenij perſpicaciam, & iudicij maturitatem, indefeſſum laborandi ſtudium acceſſiſſe. Ibidem 1615. in folio, & auctius perpolitiuſque 1618. & Lugduni apud Durandum 1617. ſed & Belgicè prodierunt Antuerpiæ apud Hieronymum Verduſſen 1617. qui iam ab eodem recuduntur. Sed & Gallicè, atque alijs linguis alibi

Vindicias Kempenſes, pro Thoma de Kempis Auctore libri aurei de Imitatione Chriſti, aduerſus Conſtantinum Caietanum Abbatem S. Baronti, Ordinis S. Benedicti. Ibidem 1617. in 12. & apud Belleros 1622. porro Abrahamus Bzouius in Annal. Eccl. ad A. C. 1571. num. 21. affirmat Roſvverdum inuincibilibus argumentis aduerſus Caietanum demonſtrare opus illud eſſe Thomæ, non Geſſenis, aut alterius vllius; in quam etiam ſententiam conceſſit Cardinalis Bellarminus, lib. de Scriptor. Eccleſ. in Thoma de Kempis.

Anti-Capellum, ſiue exploſionem næniarum Iacobi Capelli, quas funeri Iſaaci Caſauboni ad legem 12. Tabularum in Vindicijs ſuis accinuit. Typis iiſdem Plantinianis 1619. in 8.

Syllabum malæ Fidei Capellianæ ex Iacobi Capelli mendaci aſſertione bonæ Fidei, & fictis artibus Romanæ ſedis. Ibidem 1619. in 8.

Ioannem Buſchium de Origine Cœnobij, & Capituli Vvindesbinnenſis primus in lucem protulit. Antuerpiæ apud Belleros 1621. in 8.

Eucherium Lugdunenſem De Contemptu Mundi, & Laude Eremi. Typis Plantinianis 1621.

D. Paulini Epiſcopi Nolani. Opera notis illuſtrata. Ibidem 1622. in 8. Nomine vero ſuo ſuppreſſo edidit.

Vindicias Inferiarum Iuſti Lipſij, contra Ioſephum Scaligerum. Ibidem 1606. in 8.

Lingua Vernacula, ſeu Belgica edidit

Vitas Sanctorum. Antuerpiæ per Hieronymum Verduſſen 1619. in folio, & auctiores 1629. & 1641. duobus Tomis in fol.

Syluam Eremitarum Aegypti, ac Paleſtinæ, cum figuris æreis Bolſuerdii. Ibidem 1619. in 4.

Hiſtoriam Eccleſiaſticam à Chriſto ad Vrbanum VIII. Antuerpiæ apud Ioannem Cnobbaert 1623. in folio duobus Tomis.

Hiſtoriam Eccleſiæ Belgicæ. Ibid. in fol.

Vitas Sanctarum Virginum, quæ in ſæculo vixerunt; cum imaginibus æreæ ſculpturæ. Addito *Tractatu de ſtatu Virginitatis*. Ibid. 1626. & 1642. in 8.

Vitas S. Ignatij de Loyola, & S. Philippi Neri, ex Actis Canonizationis.

Vertit quoque in Belgicum ſermonem.

Alphonſi Rodriguez, de Exercitio Spiritualis Perfectionis Part. I. Ibidem

Ioannis Bourghesij, Meditationes de Vita, & Paſſione Chriſti. Antuerpiæ apud Aertſens 1623.

HER-

HERMANNVS BOSENDORFF natione Germanus, patria Monaſterienſis in Vveſphalia, Societatem amplexus anno ſalutis 1588. ætatis 22. vota 4. profeſſus eſt. Docuit litteras humaniores, & Philoſophiam, & Eccleſiaſten aliquamdiù egit. Collegium Monaſterienſe ſtruxit, & diù rexit, vti & ſubinde Moguntinum, in quo deſignatus iam ad Rhenum Prouincialis peſte ſublatus eſt die 23. Septembris 1623. vir fuit latinè, Germanicèque diſertiſſimus, Sac. Theologiæ Doctor, ſed virtutum ſuarum prudentiæ, manſuetudinis, modeſtiæ, caritatis merito omnibus longe acceptiſſimus. Edidit alieno nomine

Apodixes tres Blaſphemiarum; Eccleſiæ Caluiniſticæ circa tres primos ſymboli Catholici articulos, aduerſus Conradum Vorſtium. Moguntiæ typis Lamberti Raſsfeldt 1608. in 8. Item

Apodixim Caluiniſtas non eſſe Lutheranorum fratres, aduerſus Apologeticam diſputationem Conradi Vorſtij de Auguſtana Confeſſione.

Detectos errores, errorum Pontificiorum, circa primos articulos ſymboli à Conrado Vorſtio diſputationi appenſorum. Ibidem eadem forma, & anno. Edidit etiam Latine ſub nomine Hermetis Piſtorii.

Stellulam Catholicæ, Orthodoxæque Fidei ad Septentrionem tenebricoſi Iacobi Reneccij Prædicantis Hamburgenſis oppoſitam. Monaſterij Vveſtph. apud Lamb. Raesfeldt in 4. poſtea Germanicè verſam per Tympium, ibidem, & Coloniæ 1614. Item

Theſaurum ſponſarum pro Virginibus Deo deuotis. Germanicè. Monaſterij Vveſtph. apud eundem Tympium 1608. & iterum Coloniæ 1645. cum iconibus.

* HERMANNVS BVSEMBAVM natione Germanus, patria Notteienenſis in Vveſtphalia natus anno ſeculari 1600. Deo ſe in Societate deuouit 1619. & votorum 4. ſacramentum ſolemne dixit. Docuit in ea Humaniora, Philoſophiam, Theologiam Scholaſticam, & Moralem, rexitque Collegia Hildeſienſe, & bis Monaſterienſe in Vveſtphalia. Vir eximiæ prudentiæ, & ſingularis doctrinæ, vnde à Celſiſſimo Principe Epiſcopo Monaſterienſi in arbitrum conſcientiæ ſuæ eſt adlectus, eoque munere magna tam ipſius Principis, quàm Aulicorum approbatione perfunctus. Orationi imprimis addictus erat; S. Euchariſtiam ſæpe per diem, ſemper à menſa inuiſebat; verſabatque manu crebrò Deiparæ corollam. In ſacro Tribunali Pœnitentiæ commiſſos ſibi animos mira dexteritate regebat, & ſtatum virginum Deo Deuotarum vbicumque poterat promouere ſatagebat. Tandem ne & patientiæ deeſſet corona ſua, diuturnis ſtomachi doloribus, & nauſea attritus, voti compos effectus eſt, quo ſcilicet optabat diſſolui eo tempore quo anima ſua eſſet Deo acceptiſſima; atque ita ſuſceptis præſenti animo extremis Sacramentis, ſpiritum Deo reddidit, Monaſterij vbi tunc erat Rector die vltimo Ianuarij 1668. Dum Theologiam, quæ de moribus tractat, prælegeret Coloniæ, compoſuit auream illam medullam caſuum, quæ in omnibus dein recuſa prouincijs, omnium tenuit approbationem: atque ita edidit.

Medullam Theologiæ Moralis. Monaſterij Vveſtphaliæ apud Bernardum Raesfeldt 1645. recuſam Coloniæ, Francofurti, Lugduni, Romæ, Venetijs, Maceratæ, & alibi ad minimum 45. vicibus, & editio 45. facta eſt Vlympone per Ioannem à Coſta 1670. in 8. Scripſit etiam Germanicè

Lilium inter ſpinas, de Virginibus Deo deuotis, eique in ſæculo inſeruientibus. Coloniæ apud Guilielmum Freiſſem 1659. in 12.

* HERMANNVS CRVMBACH natione Germanus, patria Colonienſis natus anno ſæculi præteriti 98. Societati nomen dedit prætereuntis 17. & votorum 4. profeſſionem emiſit. Docuit in ea litteras manſuetiores, Philoſophiam, & Theologiam Moralem; vir in Eccleſiaſticis hiſtorijs verſatiſſimus, & ſuperſtes etiamnum in Collegio Colonienſi. Edidit

S. Vrſulam vindicatam, ſiue Vitam, & Martyrium SS. Vrſulæ, & Sociarum Martyrum, duobus tomis Coloniæ apud Hermannum Mylium 1647. in folio.

Primitias gentium, ſeu *Hiſtoriam SS. trium Regum Magorum* tribus tomis Coloniæ apud Kinckium 1654. in folio.

Ideam Sacerdotum, ſeu Vitam R. D. Iacobi Marlo-Horſtij. Coloniæ apud eundem Kinchium 1655. in 12.

Vitam S. Gerardi Martyris ciuis Colonienſis, Germanicè Coloniæ 1652. in 12.

Auctarium S. Vrſulæ vindicatæ contra quoſdam impugnatores. Coloniæ in Officina Birchmannica 1669. in 4.

Paratos prælo habet tomos tres de Chronologia Colonienſi.

HERMANNVS HVGO natione Belga, patria Bruxellenſis, editus in lucem anno 1588. Societatis Tirocinium Tornaci intrauit anno 1605. viuido ingenio, canendi, & ſcribendi arte præſtans, Humanioribus litteris eximiam adiunxit Philoſophiæ, ac Theologiæ peritiam. Flandrica, Italica, Hiſpanica, Germanica, Gallica lingua velut materna vtebatur. Antuerpiæ litteras politiores docuit, & doctiſſimos diſcipulos ad litterariam palmam inſtruxit, qui tanti magiſtri ductu,

Famam poſthumam Præſulum Antuerpienſium, Item

Litteras Iaponicas anni 1606. & Chinenſes duorum ſubſequentium, ſui profectus ſpecimen dederunt in lucem typis Plantinianis. Septem annos Bruxellæ ſcholis præfuit, & latinis B. Mariæ Virginis Sodalibus viris primarijs, quorum habebat curam, pie ac deuote magna Latinæ facundiæ gloria dixit. In Principum virorum gratiam vltro adſcitus eſt. Illum Dux Aſchottanus in Hiſpaniam Comitem

ſecum

ſecum & Confeſſarium abduxit. Cardinalis de la Cueua ad iter Romanum adoptauerat, niſi itineris conſilium fuiſſet variatum. Marchio Spinula, fulmen illud Belli, diu illum habuit ſuis confeſſionibus præfectum, quo tempore Noſtris quoque, qui Regijs in caſtris verſantur, præfuit, ſumma apud Optimates auctoritate, & caritate apud Noſtros, quibus exemplo magis imperabat, quàm verbo, primus in laboribus ipſe, primus in periculis. Cùm maxima gereret & plurima ſcriberet, tamen vſque adeo totum ſe ac integrum heroicis, & ingenioſis corporis & animi mortificationibus & caſtigationibus, ſpiritualibus item & aſſiduis tenerrimæ ac delicatiſſimæ deuotionis exercitijs dedit, & conſecrauit, vt reuera præſtitiſſe videatur quod in charta priuatæ & quotidianæ pietatis directoria à ſe ſcriptum reliquit in hæc verba: *Quotidie in colloquio meditationis, proponas te victurum ea ſpiritus nouitate, qua fuiſti in Nouitiatu*. Voto etiam nuncupato ſe Deo obligauerat, ita ſe velle exercere charitatem in proximum, vt nulli ſubtraheret ſeu domeſtico, ſeu externo officia, quæ ipſe egenti quacumque in re præſtare poſſet. Vitæ omnibus virtutum numeris abſolutæ ſcenam vltimam ſane lugubrem peregit; Nam cùm Regijs copijs per Iſulam fluuium in Velaniam ingreſſis, mox aduerſa omnia eueniſſent, & cùm inedia, morbiſque noſtris militibus, ac Ducibus luctandum eſſet, P. Hermannus egregium nactus eſt campum, caritatem vitamque impendendi. Ipſe ſummis æque & infimis, ſeu in corpore, ſeu in anima iuuandis, ſemper promptus, ſemper aſſiduus, ſemper integer, auxilia conferebat. Cùm Principi Chimacenſi cui erat à Confeſſionibus, contagioſo morbo animam exhalanti adſtitiſſet, totum deinde manipularibus militibus abundans noſocomiū Bucholtianum, vnus curandum ſuſcepit. Hic eum contagioſa febris inuaſit; nec tamen animo concidit, egredi è loco illo, quod ſtadium erat caritatis ante noluit, quàm inter Noſtrorum manus, & gemitus exportaretur. Ergo ſumpto S. Euchariſtiæ Viatico Rhenobercam curru auectus eſt, ibique in Monaſterio Sancti Bernardi animam Creatori reddidit, die 11. Septembris anno Scriptoribus Belgis fatali 1639. ætatis ſuæ 41. Profeſſionis quatuor votorum 8. Funus illi magna militum comploratione ductum eſt ad Aedem Sacram Monialium S. Auguſtini, ibique corpus conditum eſt. Scripſit Hermannus

De prima ſcribendi origine, & vniuerſæ rei litterariæ antiquitate. Antuerpiæ typis Plantinianis Moreti 1617. in 8.

De Vera Fide capeſſenda, contra Balthaſarem Meiſnerum Lutheranum, & Henricum Braudium Caluiniſtā, *pro conſultatione Leonardi Leſſij* ad Neo euangelicam Synodum Dordracenſem Lib. Apologeticos II. Ibidem 1620. in 8.

Pia deſideria Emblematis, elegijs, & affectibus SS. Patrum illuſtrata. Antuerpiæ, apud Henricum Hertſenium 1624. in 8. & alibi minore forma, ſunt vero illa iam, & Flandricè, & Gallicè tranſlata.

Obſidionem Bredanam ductu Ambroſij Spinolæ perfectam. Antuerpiæ, typis Moreti, & Meurſij 1626. & rurſum 1629. in folio cum figuris æneis. Ea Hiſpanicè, Gallicè, Anglicè, verſa eſt

De Militia Equeſtri antiqua, & noua, libris 5. typis Plantiuianis Moreti, 1630. in folio cum figuris æneis

Vertit prætérea Hugo Latinè ex Italico

Vitam P. Caroli Spinulæ pro Chriſtiana Religione in Iaponia mortui, &

Vitam Ioannis Berckmanni Flandrobelgæ, vtriuſque Religioſi Societatis Ieſu. Vtramque, typis Plantinianis Moreti, 1630. in 8.

Adornauerat quoque niſi mors occupaſſet

Hiſtoriam Bruxellæ patriæ ſuæ &

Tomos tres contra Atheos.

HERMANNVS THYRÆVS natione Germanus Noueſij in Vbijs, natus anno ſalutis 1532. Is cum Romæ Collegij Germanici ex primis alumnis eſſet, Societatem Noſtram expetiuit, & in ea à S. P. N. Ignatio admiſſus eſt anno 1556. die 26. Maij Roma biennio poſt, Ingolſtadium profectus, ea in Academia aliquot annos docendo Theologiam poſuit. Tum propter egregiam prudentiam cum inſigni religione coniunctam, ad alios gubernandos deſtinatus, Collegij Treuirenſis, vbi Theologiam prius explicuerat, & cum ſumma doctrinæ, facundiæque præſtantia fuerat concionatus, tum Moguntini quoque Rector fuit; Archiepiſcopis illarum Vrbium mirificè gratus, à quibus ad magnas res gerendas adhibebatur, Prouinciæ item Rhenanæ Præpoſitus Prouincialis fuit. Tandem Moguntiæ apoplexia propè ſexagenarius exſtinctus eſt, die 26. Octobris anno ſalutis 1591. magno totius ciuitatis luctu. Funus honore apud Moguntinos eximio celebratum eſt. Vir fuit Hermannus magni laboris, atque operis; cui inerat ſimplicitas calliditate vacua, non expers prudentiæ. Paucis menſibus, quibus impetrata ob ætatem, à laboribus gubernandi miſſione, ſibi vixit, ita accommodauit ſe ad imperium aliorum, quibus olim imperabat, ſic demiſit ad quorumlibet conſuetudinem, vt non minori exemplo, quàm admirationi eſſet. Scripſit Latinè, & Germanicè

Librum de Religionis libertate.

Confeſſionem Auguſtanam. Dilingæ 1567. in 4. & fol.

Sex millia dubiorum collegit, ex confeſſione Auguſtana, & duo millia Irregularitatum, quibus Lutherani Prædicantes implicati tenerentur. Sed neuter fœtus in lucem propter mortem parentis editus eſt

HERMES CLERVS natione Belga, patria Tornacenſis, claruit in Gallia pietate, & do-

& doctrina in Billomenſi Collegio, in quo diem ſuum extremum obiuit iam ſenex, vti refert Ribadeneira in Catalago editionis Lugdunenſis 1609. Canonici Iuris erat peritiſſimus, & Canonum obſeruantiſſimus · Ad hæc Poeta egregius, vt & quæ

De Angelis, Beatiſque ſpiritibus S. Thomas diſſeruit, carmine pangeret, & *Faſtos ſacros Sanctorum, Sanctarumque Elegiacis verſibus* poſt Ouidium Naſonem, Baptiſtam Mantuanum, ac Nouidium

Vitam quoque S. P. N. Ignatij carmine conſcripſit quod Opus cum Noſtris ſit in manibus, ſpes eſt fore, vt lucem aliquando aſpiciat.

HIEREMIAS DREXELIVS natione Germanus, patria Auguſtanus, Societatem iuuenis amplexus eſt annos 17. natus, poſt Chriſtum 1598. & poſt traditam in ea cum laude Rhetoricam, totis 23. annis Sereniſſimi Bauariæ electoris Maximiliani Concionatorem egit. In ſcribendo eam adhibuit Styli ſuauitatem cum modeſta grauitate, religioſaque circumſpectione coniunctam, vt paſſim etiam ab Acatholicis eius ſcripta legantur, & commendentur. Obijt diem ſuum Monachij 19. Aprilis anno Chriſti 1628. ætatis 57. Vir fuit, qui omnes virtutis numeros expleuit. Tenuiſſimam valetudinem, incredibili temperantia ſuſtentauit, ita vt nullam vnquam concionem neglexerit, nunquam æger decubuerit. Tanti eum Maximilianus Elector fecit, vt cùm ſuo Medico ſalutem eius commendaret, diceret: Pluris intereſſe Reip. bono viuere Drexelium, quàm Maximilianum. Defuncti ſupellectilem, ſummi atque imi ad reliquias depopoſcerunt, eximiæ virtutis eius opinione permoti. Scripſit varia Opuſcula Spiritualia his titulis

Conſiderationes de æternitate cum Iconibus. Monachij formis Nicolai Henrici 1620. & auctius correctiuſque 1622. in 12. & alibi

Zodiacus Chriſtianus, ſeu ſigna 12. Diuinæ Prædeſtinationis. Ibidem 1622. in 16.

Horologium Auxiliaris Tutelaris Angeli. Ibidem eodem anno in 16. & auctiùs correctiùſque anno 1623. & alibi

Nicetas, ſeu Triumphata incontinentia. Ibidem 1625. in 12.

Triſmegiſtus Chriſtianus, ſeu *de Cultu Conſcientiæ, Cælitum, Corporis*. Ibidem 1624. in 12.

Amuſſis, ſiue *de recta Intentione omnium actionum*. Ibidem 1626. in 12.

Heliotropium, ſiue *de Conformatione humanæ voluntatis cum Diuina* lib. 5. Ibidem 1627. in 12. Atque hæc quidem ſeptem Opuſcula ſimul etiam prodeunt vno tomo comprehenſa. Ibidem 1628. in 4.

Orbis Phaëton, hoc eſt, *de vniuerſis Linguæ vitijs* Part. III. Ibidem 1629. in 12.

Gymnaſium patientiæ. Ibidem 1630. in 12.

Prodromus Aeternitatis. Mortis Nuntius. Ibidem 1630. in 12.

Tribunal Chriſti 1631. in 12.

Infernus Damnatorum carcer & Rogus. Par. II. Ibidem eodem anno in 12.

Cælum Beatorum Ciuitas. Ibidem 1635. in 12.

Rhetorica Cæleſtis ſeu, *Attentè precandi ſcientia.* Ibidem 1635. in 12.

Gazophylacium Chriſti, ſeu de Eleemoſyna, Ibidem 1637. in 12.

Aloë amari, ſed ſalubris ſucci, ſeu de Abſtinentia, & Ieiunio. Ibidem.

Roſæ Selectiſſimarum Virtutum, quas Dei Mater Orbi exhibet Part. II. Ibidem 1636. & 1637. in 12.

Aurifodina artium, & ſcientiarum omnium excerpendi ſolertia. Ibidem 1638. in 12.

Deliciæ gentis humanæ, qui eſt Chriſtus Ieſus Naſcens, Moriens, Reſurgens, Part. III.

Hæc ſæpius recuſa, & in alias quoque linguas pleraque transfuſa ſunt; pluſcula ab ipſo Drexelio in Germanicam, qua lingua edidit quoque

Vitam Sereniſſimæ Eliſabethæ Lotharingæ, Electricis Bauariæ.

Poſt hos prodierunt quoque poſthumi eiuſdem excuſi typis

Noë. Monachij 1639. in 12.
Ioſeph. Ibidem 1640. in 12.
Iob. Ibidem 1642. in 12.
Dauid. Ibidem 1643. in 12.
Salomon. Ibidem 1643. in 12.
Tobias. Ibidem 1643. in 12.
Daniel. Ibidem 1640. in 12.

Antigraphæus, ſeu Conſcientia cuiuſque hominis. Neoburgi 1653. in 12.

Eiuſdem omnia Opera duobus Tomis in folio comprehenſa edita ſunt Antuerpiæ typis Hæredum Cnobbari 1643.

Italicè eadem diuiſim edita ſunt Romæ Tomis 16. in 12.

Germanicè Herbipoli 1657. in 4.

HIERONYMVS DE ANGELIS natione Siculus, patria Ennenſis, quæ hodie Ciuitas, Caſtrum Ioannis appellatur. Is cum inexplebili animarum ſiti teneretur anno ætatis 18. & ſalutis humanæ 1585. aſſumptus in Societatem, decennio pòſt obtinuit, vt mitteretur in Indiam, ac porrò in Iaponiam. Conſcendit Vlyſſipone cum Carolo Spinula, die 10. Aprilis anno Chriſti 1596. & biennali nauigatione plena incommodis, plena ærumnis, iactatus in Braſiliam ventis, deinde in Angliam à pyratis tractus, ibique vnius noctis carcerem expertus in Luſitaniam reuerſus eſt; vndè poſt acceptam Sacerdotij dignitatem, nouis animis tandem fugientem Iaponiam repetita nauigatione ſecutus, eam demum anno 1602. obtinuit. Vbi gentis idioma condidicit, ſtrenuè tùm Noſtris gubernandis, tùm formandis, vel in Fide Neophytis, vel ad Fidem Gentilibus magno prouentu ſe impendit, donec anno 1614. cum Socijs omnibus Regno proſcriptus, obtinuit tamen à Moderatoribus ſuis, vt clàm, mutato cultu, ſibi fie-

ret in ſua illa ſtatione perſiſtendi facultas. Tum verò laxatis ardori ſuo frænis, nauus hic Operarius, nullis fatigabilis nedum fractus laboribus, vaſtiſſimam illam Inſulam, Euangelica face circumlata non ſemel permenſus, ea ſuſtinuit, quæ niſi ſuſtinuiſſet, ſupra conditionem eſſe mortalis naturæ credi poterant; ideoque diligentiæ ipſius nullus vnquam diu Socius par eſſe potuit. Primus intulit Fidem in amplas Prouincias Fidandorum, Caguicaſium, Mongami, Nambru, Sungara, in Regna Yechigo, Deua, Sango, Maſumai, ſeu Yezo quod extra Iaponiam ſitum ad Euro-Africum, an Inſula ea ſit, an Continens necdum ſatis exploratum eſt. Ipſe primus ſua Viſitatione ſolatus eſt primos illi Chriſti pugiles, qui Meaco, Ozaca, & Facoſo, in extremas Iaponiæ oras relegati fuerant, ſuperatis maximo auſu difficultatibus, periculiſque, quæ ſunt in eò itinere plurima. In Regnis Cami vix mille reperit Fide Chriſtiana imbutos, ipſe breui interuallo ſupra decem mortalium millia ſua manu per lauacrum ſalutis regenerauit. Difficillimis omninò temporibus rem Chriſtianam neglecto capitis periculo, quod illi in horas impendebat procurauit; donec anno 1623. ſæuiente crudeliùs in Chriſtianos Xoguno Imperatore, vt ab illis in ſe vnum iras eius auerteret, cùm deſperaſſet effugium, prior occupauit ſe ſiſtere Regiæ Gubernatori, depoſito cultu Iaponico, ſubquo delituerat annis compluribus, barba poſita, & vertice in coronam raſo, ac Ordinis ſui veſte aſſumpta. Tum lata ab Imperatore ſententia viuus incendio delectus eſt in Vrbe Regia Iendo die 4. Decembris, cùm ageret annum ætatis 56. ab inita Societate 38. poſt impenſos in Iaponia totos 22. iam olim quatuor vota ſolemnia profeſſus. Scripſit

Breuem relationem de Regno Yezo, anno 1621. quod ipſe Sociorum primus luſtrauit; atque illuſtrauit Chriſti doctrina, vltra Iaponiam ſitum ad Euro-Africum.

HIERONYMVS BRVNELLVS natione Italus, patria Senenſis Græcæ linguæ, & Hebraicæ in Romano Collegio Profeſſor, ibi diē obijt 22. Februarij anno partæ ſalutis 1613. ætatis 63. Societatis 48. in qua ſpiritualis Coadiutor formatus fuit. Vertit ex Græco:

Orationes aliquot S. Ioannis Chryſoſtomi: nempe

In deſcenſum Chriſti ad Inferos & Latronem.

De Oratione. In duodecim Apoſtolos.

Quod nemo læditur niſi à ſe ipſo. Habentur ex Tomo 6. Operum ipſius impreſſo. Antuerpiæ anno 1614. Item

Catenam in Ezechielem Prophetam, è Sfortiana Bibliotheca productam, qua vſus in ſuis Commentarijs eſt Hieronymus Pradus, & poſt illum Villapandus. Præterea

Hymnos Syneſij, Græcè curauit edi Romæ 1609.

* HIERONYMVS CATANEVS natione Italus, natus Baroli in Apulia, ex Genuenſi Patritia & primaria familia, anno ſæculi fluentis 20. Societati nomen dedit 1634. Neapoli, & ſolemni votorum 4. nuncupatione ſe adſtrinxit, Litteras humaniores, & Philoſophiam docuit. Rexit Collegium Aletinum in Salentinis. Fuit aliquot annis Adm. R. P. N. Ioanni Paulo Oliuæ Præpoſito Generali à ſecretis in litteris ad Prouincias Italiæ conſcribendis; poſtea ab eodem in Secretarium Generalem Societatis adſcitus, in octauum iam annum eo munere cum laude fungitur. Eſt nunc etiam Conſultor Sacræ Congregationis Rituum, & S. Congregationis de Indulgentijs, ac Reliquijs. Illius meminit Abbas Michael Iuſtinianus inter Scriptores Ligures, refertque Decretum Sereniſſimæ Reip. Genuenſis, quo ipſum in Hiſtoricum ſuum tunc adlegerat. Inter varia, quæ prælo parauit; edidit Latinè

Panegyricum de Inſtitutione Collegij Germanici, & Hungarici, anno ſeculari eiuſdem Collegij. Romæ 1652. in 8. Item

Diſcurſum habitum in Inauguratione Sereniſſimi Ducis Auguſtini Centurionis Reipub. Genuenſis. Italicè. Cæſennæ apud Nerium 1651. in 8.

HIERONYMVS DANDINVS natione Italus, patria Cæſennas cooptatus in Societatem anno ſalutis 1569. ætatis 18. vota quatuor ſolemnia nuncupauit. Decurſis in ea humaniorum litterarum, & Philoſophiæ ſpatijs, hanc etiam profeſſus eſt primus è Noſtris Lutetiæ Pariſiorum; Theologiam verò Patauij: diu Noſtris cum imperio præfuit in Collegijs Ferrarienſi, Foroliuienſi, Bononienſi, Parmenſi, Mediolanenſi Rector; in Prouincijs Veneta, Toloſana, Aquitanica Viſitator; in Polonica, & Mediolanenſi Prouincialis; A Clem. VIII. Pont. Max. ad Maronitas, qui Libanum Montem inhabitant olim miſſus eſt. Obijt demum Foroliuij octogenarius die 29. Nouembris anno ſalutis 1634. Scripſit

De Corpore Animato Lib. VII. qui eſt in Ariſtotelis tres Libros de Anima Commentarius Peripateticus. Pariſijs, apud Claudium Chapelet 1611. in folio. Poſt obitum prodijt poſthuma eiuſdem

Ethica Sacra, hoc eſt, *de Virtutibus, & vitijs Libris quinquaginta*. Cæſennæ, apud Nerium 1651. in folio.

HIERONYMVS DOMENECCVS natione Hiſpanus, patria Valentinus Nobili loco natus, vbi adoleuit Valentinæ Eccleſiæ Canonicus effectus eſt. Cum autem anno 1539. Roma contenderet Lutetiam, Parmæ in Sancti Ignatij Socios Fabrum, Lainiumque incidit, à quibus per Exercitia ſpiritus excultus, dimiſſis viæ comitibus, Societatem cum Patribus inijt. Id comites cum ferrent indignè, apud Vicarium Parmenſis Epiſcopi, ſuum ſibi Socium, vi doloque ereptum, criminantur. Sed Hieronymus tactis Euangelijs aſſeruit, ſua ſe ſpon-

ſponte id vitæ genus arripuiſſe, velleque in eo perſiſtere. Nec longa fuit opus probatione viro iam robuſtæ virtutis, ſed mox anno inſequente, Socijs, qui Lutetiæ ſtudebant ab Ignatio præfectus, non ita multò poſt cum aliquot illorum coactus abſcedere, Louanium perrexit. Nec ibi quoque diu moratus anno 1544. Romam vocatus eſt, vbi cùm anno ſequenti, Hieronymo Natali exercitia traderet (qua in re plurimum ſemper valuit) admirabilem illum virum Societati lucrifecit. Ad hæc in Valentini Collegij exordia primus ipſe tum de hæreditate materna, tum de Canonicatus ſui prouentibus annuente Pontifice partem deriuauit. Anno 1546. Bononiam Collegio poſiturus fundamenta conceſſit, vbi Societatem Annibale Codretto, & Benedicto Palmio per Exercitia auxit; vnde anno vertente reuocatus, Ioanni Vegæ Siciliæ Proregi, eiuſque Coniugi Eleonoræ ad confeſſiones attributus eſt. Ea vſus opportunitate Domeneccus multa Panormi præclarè geſſit. Fæminarum Cænobia perturbata ad pænitentiæ, pietatiſque feruorem reuocauit. Innocentij III. decretum de non admouenda ægrotantium corporibus curatione, prius quàm animis medicina Confeſſionis eſſet admota, toto Regno promulgari curauit, magno vtique multorum bono. Orphanis vtriuſque ſexus domum inuenit. Vinctos ob æs leue alienum carceribus eiecit pretio comparato; alios, vt in compedibus exirent ad operas, quibus pretium redemptionis pararent, adiuuit. Vitioſam ambulandi conſuetudinem Sacris in Templis toto Regno abrogauit. Catechiſmi explicationem omnibus Gymnaſijs induxit. Eadem in Monte Regali, eadem Meſſanæ præſtitit; quibus officijs excitata Ciuitas Mamertina Collegium poſtulauit, & obtinuit; cui mox etiam Panormitanum acceſſit; vt meritò poſſit vtriuſque auctor haberi Domeneccus. At cum ſumeret in Sicilia, iuſta in dies incrementa Societas, inſtituta eſt anno 1553. noua Prouincia, eique Præpoſitus Domeneccus nondum quatuor vota profeſſus, quæ ſubinde ad diem 20. Octobris anno 1555. nuncupauit. Tenuit eam Prouinciam perdiù, totos 20. annos, at poſtea regreſſus in Hiſpaniam, vices Prouincialis in Aragonia obiuit, ac tandem cum egregia ſanctitatis opinione Valentiæ vitam abſoluit. Vir fuit ex ijs, qui primitias ſpiritus ex ipſo Sancti Patriarchæ noſtri pectore hauſerunt, omni virtutum genere cumulatus. Tanta animi ſubmiſſione, vt infeſtos è corporibus ſpiritus exturbaret, vociferantes ſe nunquam reniti poſſe ipſius manſuetudini. Patientià ad omnes, ſeu temporum, ſeu hominum iniurias inuictà. A latronibus inter obeundam Prouinciam deprehenſus, rebus omnibus ipſis etiam veſtibus exutus; noctem ſic egit ſub dio, blandiſſimo eos affatu, vultuque proſecutus; nec illis vim paſſus inferri à comite laico, qui ſe illis parem viribus eſſe credebat. Noctes crebrò ducebat orando, vel tum cum in itinere in diuerſorijs conſiſtebat. Primo ad Collegia acceſſu Sacram Euchariſtiam venerabatur, tum viſebat ægrotos, ſi qui domi erant; ſuauiſſima caritate proſequebatur, ac fouebat eos, quos tentationis æſtus exagitabat. Omnium commodis tum corporis, tum animi matura ſollicitudine conſulebat. Nullus tam erat vilis, aut mediaſtinus, nullus tam barbarus, aut ater quē ille deſpiceret. Paupertatis atque Obedientiæ ſuaſor, cultorque erat vſque in exemplum, Libenter ille mendicare vicatim, libenter corrogato pane veſci. Ita viuebat in diem, vt nunquam niſi comparatus ad feriam mortem incumberet ad quietem. Erant, qui illi manus venerationis ergo, ſuauiarentur obeunti Ciuitatem; erant, qui Siculæ Societatis Angelum appellarent. Migrauit demum ex hac vita ad mortis legibus non ſubiectam Valentiæ, vti dictum ſupra eſt, die 5. Decembris anno 1592. ætatis ſuæ 66. Societatis initæ 53. conſcripſit

Catechiſmum in toto Siciliæ Regno auctoritate Proregis vſurpatum anno 1547.

HIERONYMVS FASOLVS natione Italus, patria Neapolitanus, Societati adſcriptus anno ſalutis 1583. ætatis 16. votorum quatuor profeſſionem emiſit. Philoſophiam octennio profeſſus eſt, Theologiam Scholaſticam nouennio, Moralem quadriennio, & ſtudiorum Moderatorem in Collegio Neapolitano egit annis circiter 12. Vir apprimè Religioſus ob inſignem modeſtiam omnibus amabilis, & ob eminentem doctrinam venerabilis. Obijt Neapoli die 16. Februarij 1639. ætatis 72. edidit

Commentaria in Primam Partem S. Thomæ Tomis III. quibus explicat materiam de Deo Vno, & Trino, & de Creatione. Lugduni per Proſtios annis 1627. 29. & 36. Reliquit aptum prælo

Tomum vnum de Gratia. Et alia

* HIERONYMVS FERRANTINVS natione Italus, patria Anconitanus Deo ſe in Societate dicauit anno Domini 1594. ætatis 18. & ſolemne votorum quatuor ſacramentum dixit. Docuit in ea Rhetoricam, Philoſophiam Romæ, & Theologiam Moralem. Rexit Collegium Maronitarum in Vrbe. Incolenda paupertate inſignis exſtitit, atque in cubiculo morientis nihil inuentum ſuperfluum aut à nitore paupertatis alienum. Ad pauperum ſpiritu præmia, vti ſperare fas eſt, euolauit eo ipſo die quo prædixerat Cal. Ianuarij, 1655. Romæ. Edidit

Diſputationes Theoreticas, & Practicas de Scandalo, & Correptione fraterna. Romæ, typis Hæredum Corbelletti 1653. in folio

Carminum, & ſolutæ Orationis Opuſculum. Romæ, typis iiſdem 1651. in 8.

HIERONYMVS FLORAVANTIVS natione Italus, patria Romanus in Societatem anno 1571. ætatis 17. admiſſus vota quatuor nuncupauit. Docuit Humaniores litteras, & Theologiam Moralem, Latinæ, Græcæ, Hebraicæ,

braicæ, Arabicæ, Syriacæ, & Hetruſcæ Linguæ peritia excultus; magnus Theologus, & Eccleſiaſtes. Rexit olim Collegium Anglicanum Romæ, Lauretanum diu, Maronitarum Romæ, & Domus Profeſſæ Romanæ Vice Præpoſitus fuit, multis magniſque in rebus diu verſatus. Demum S. D. N. Vrbano Octauo Pontifici Maximo, dum vixit à Sacris Confeſſionibus fuit. Obijt Romæ, die 9. Octobris 1630. Scripſit eximie laudatum à Franciſco Suarez

Tractatum de Beatiſſima Trinitate lib. III. qui quarta editione ab Auctore recognitus prodijt. Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoiſy 1624. in 4.

Explanationem in nonnulla ſacræ Scripturæ loca. Antuerpiæ typis Moreti. Reliquit etiam prælo aptam

Summam Breuem Moralis Theologiæ.

HIERONYMVS FLORENTIA natione Hiſpanus, patria Complutenſis, parentes habuit pietate inſignes, ad quam ab ijs ipſe ab infantia educatus eſt. Itaque pueritiæ vix annos egreſſus, exemplum Ioannis fratris ſui natu maioris ſecutus, Societatem noſtram Compluti complexus eſt anno ſalutis 1582. Auguſtinum fratrem natu minimum ſuo itidem exemplo incitans, vt fratrum veſtigijs inſiſteret; id quod poſtea fecit. Hieronymus excellenti ingenio, rara memoria, magna animi contentione politiores litteras, ac ſeueriores diſciplinas didicit & profeſſus eſt. Philoſophiæ curſum (vt vocant) peregregiè docendo confecit, multoſque ingenioſos, atque vtiles diſcipulos habuit in Societate. Sacram Theologiam præſertim Scholaſticam cum laude eſt interpretatus. Sed cùm alijs rebus excelluit tum maximè dicendi facultate, cum ex ſuperiori loco verba ad populum faceret, & auditorum animos ſententiarum grauitate, verborum caſta elegantia, vocis dulcedine, & claritate, vel deterrebat à vitijs, vel ad virtutem impellebat. Per 30. ipſos annos huius ſæculi primos, Matriti vrbe Regia concionandi munere, cum incredibili nominis claritudine perfunctus eſt, præcipuis eloquentiæ ſacræ magiſtris eum ceu Magiſtrum celebrantibus. Prudentia in caſtigandis Reip. vitijs excelluit ad miraculum, vt cum nullos impune peccare pateretur, & ne ipſam quidem Maieſtatem Regiam, aut Regios aſſeclas præteriret, quin efficaciter admoneret officij, adeo tempeſtiua humilitate, atque obſeruantia ſeueritatem condiebat, vt nunquam eos aſperaret, quibus medicinam faciebat. Ipſe Philippus III. Rex dicere conſueuerat, neminem ſibi toties veritatem nudam edicere, atque Florentiam, qui tamen adeo ſe non exarcebaret, vt lenimento modeſtiæ potius excitaret ad audiendum, parandumque erratis, quæ notaſſet, remedium. Eius interim familiaris conuerſatio tam erat pietatis plena, vt non minus credatur profuiſſe mortalibus, cum de pari quàm cum de altiore loco diceret. Moderatores ſuos impenſe obſeruabat, & eorum in rebus omnibus reſponſa repetebat. Seſe illis totum aperiebat admirabili candore. Legum explicatione, qua non pauci fucum ſibimetipſi faciunt, ſemper abſtinuit. Si quid foris oblatum muneris admiſiſſet, illud ante Superiori repreſentabat, quàm in ſuum conclaue concederet, vel, ſi Superior abſuiſſet, priùs certèquam ſe componeret ad quietem. Adeo nihil religioſus animus præter fas vſurpabat. Calamitoſorum magna miſeratione tangebatur, eorum difficultates qua poterat ope leuabat: & qui nihil pro ſe vnquam, nihil pro ſuis petijt, in cauſa pauperum liberaliùs Principes appellabat. Animorum damnis vti potius angebatur, quam corporum, ita quoque diligentiùs occurrebat. Nulli parcebat labori, quoties is ægris animis impendendus erat. Religioſarum omnium Familiarum ſtudioſus fuit, atque obſeruans inprimis; nec vllam deprædicandi eas opportunitatem, publicè priuatimque patiebatur abire, vacuam laudis. Societatem verò ſuam tenerrimo affectu diligebat, vt filius, eiuſque emolumentis ſe ſuaque ſemper poſthabuit. A Philippo Hiſpaniarum Monarcha non ſemel inuitatus ad Regiam munificentiam aliqua poſtulatione periclitandam, hoc vnum, nec aliud quidquam præterea flagitauit, niſi vt Societati præſidium, atque auræ ſuæ benignitatem aſpiraret. Habebat illum ægerrime ſi quis iniqua tanti doni æſtimatione, deſciſceret à Societate, atque æquum ratus eum diſerere, qui Deum prior deſeruiſſet, nulli eorum manum ad humana ſubſidia porrigebat. Beatiſſimam Virginem Deiparam coluit veneratione præcipua, eamque habuit ceu matrem. De illius laudibus magna voluptate dicebat: & admiratione dignum fuit videre quandoque hominem, pridie quàm eſſet dicturus malis oppreſſum, & ſui vix compotem, poſtridie tamquam inſtauratis animis, ac viribus, ſumma facundia detonare. Dedit in lucem publicam Mariale, quod illi opus pius amor in virginem expreſſit, cæteris lucubrationibus ſuis obliuione damnatis. Peculiaris illi quoque pietas in Sacroſanctum Euchariſtiæ ſacramentum fuit, vnde opem ſuis rebus crebrò, fidenterque petebat. Magna fuit vel apud primæ conditionis homines, opinione doctrinæ, virtutis, prudentiæ. Horam illi definierat quot hebdomadis ad ſe veniendi Margarita Auſtriaca laudatiſſimæ memoriæ Regina, & eius quoque exemplum ſecuta Anna Borbonia, vt vitæ ſuæ rationes expenderet. Philippus III. Rex participem faciebat illum ſuorum conſiliorum; nec paucis ex illius ſententia diſtribuit munera in Republ. ſeu ſacra, ſeu ciuili, quos magna rei bene geſtæ commendatio ſecuta eſt, quoniam pollebat acri iudicandi vi, & in vnam Dei gloriam cuncta referebat. Copiam illi fecit idem Rex cum ad ſe verba faceret, conſidendi, nullo antea exemplo, ob virium tenuitatem. In eo

morbo, quo demum ſublatus eſt, Florentiam accerſiuit, vt eius operâ inſtrueretur ad agonem, quo tempore iuſſus ob nauatam eo in articulo egregiè operam, quid libuiſſet poſtulare, tunc enim verò palam fecit quanti vir animi eſſet: hoc enim tantum poſtulauit, vt Deo propitiando contritionis actum, quo maximo poſſet ardore conciperet; decerneretque ſi vitæ ſuperſtes foret, ſe bonis præmia, prauis ſupplicia depenſurum. Philippus IV. parente demortuo, fratrum ſuorum Florentiæ commendauit pueritiam, eorumque vt præeſſet confeſſionibus deſignauit. Suam quoque ætatem vix dum Regno parem, vt optimis ſubinde præceptis firmaret, admonuit. Omnium pene Ordinum viſa eſt eſſe cura Florentiam celebrare, colereque, & qui veniebant magnorum nominum Principes, inde vſque ex Gallia, Italia, Germania, illum iam grandi fama notum, coràm auide perquirebant, eiuſque allocutione, videndi hominis quod alebant deſiderium temperabant. Cæterùm tanta celebritas, extremis annis in parem vertit obliuionem. Quatuor ferè annos decubuit, artuum ſolutione quam Paralyſim dicunt, illigatus, tam ab hominum memoria deletus, quàm ſi nullus vnquam Florentia extitiſſet; ad infantiæ prope humilitatem deiectus, ſubiectuſque Deo, atque humana omnia vanitates eſſe pleniſſima in ſeipſo luculenter edoctus. Acceſſit per idem tempus ſeuerioris conſcientiæ, ſcrupulorumque vexatio, qua in ſummam alieni conſilij, atque ſolaminis neceſſitatem conijciebatur is, qui ſua quondam ſapientia tam multis profuerat. Extremos tamen dies habuit incredibili mentis ſerenitate tranquillos, donec Sacramentis ritè perceptis, ſui compos, & largiter ſenſu religioſiore perfuſus ſpiritum pacatiſſimè exhalauit Madridij hora noctis 12. quæ diem Martij 12. cum ſequente coniungit, anno ſalutis *1633.* ætatis ſuæ *68.* ab ingreſſu Societatis 51. Dixit Hiſpanicè Florentia, quæ aliorum opera exiuerunt in lucem

Orationes funebres in exequijs Garciæ Loayſæ Archiepiſcopi Toletani.

In exequijs Mariæ Auguſtæ, cuius virtutes laudeſque recenſuit cum Sanctiſſimæ, atque omnium memoria clariſſimæ Principi, noſtro in Collegio Madritano, tamquam benigniſſimæ Matri, Noſtri mærentes parentarent, ac pia illius funeri iuſta perſoluerent.

In exequijs Sereniſſimæ Margaritæ Auſtriacæ Hiſpaniarum Reginæ II. quæ poſtea in Germanicum translatæ prodierunt. Ingolſtadii 1614.

In Exequijs Philippi III. Regis Hiſpaniarum. Item

Sermonem de Aſſumptione B. V. Mariæ.

Sermonem de S. Tereſia, in eius Beatificatione dictum.

Breue Exercitium quotidianum, in vſum Reginæ Hiſpaniarum conſcriptum.

De Morte & virtutibus P. Gaſparis Sanctij Societatis Ieſu Epiſtolam ad Socios Prouinciæ. Denique edidit

Mariale, hoc eſt, *Conciones de Excellentiis Beatiſſimæ Virginis Mariæ*, tomis II. comprehenſas, in folio. Compluti apud Ioannem Ordunam 1625. Edidit præterea Hiſpanicè

Orationem funebrem in Exequijs Ducis Montis Leonis & alteram in exequijs Comitis de Lemos. Matriti per Ludouicum Sanchez 1622. in 4.

HIERONYMVS GARCIA natione Hiſpanus, patria Aurizenſis in Aragonia, in Societatem Cæſarauguſtæ ingreſſus anno Domini 1568. ætatis 18. Rexit Collegia Vrgellenſe, Bilbilitanum, & Gandienſe, ſpiritualis Coadiutor. Parauerat eruditiſſimum

Commentarium de Numiſmatibus, conquiſitis vndique antiquiſſimis iconibus, & librum de Moneta Iaccenſi. Sed mors anteuertit, Bilbili circa annum 1654. relicto poſt ſe claro virtutis nomine.

HIERONYMVS GERMANVS natione Siculus, patria Panormitanus, aſcitus in Societatem anno Domini 1586. ætatis 18. octennium in ea docuit Humaniores litteras, & ſalutis animarum ſtudio ductus totos 22. annos in Chio Ægæi maris Inſula traduxit. Vir antiquis moribus, candore animi, atque innocentia vitæ ſingulari. Virginitatem ad extremum vſque ſpiritum fouiſſe creditur. Senex in Siciliam à ſuis Moderatoribus reuocatus, non multò poſt lethali morbo correptus placidiſſimè efflauit animam. Panormi die 27. Decembris 1632. Spiritualis Coadiutor ab anno 1605. Edidit

Vocabularium Italico Græco-Vernaculum. Romæ typis Zannetti 1622. in 8.

HIERONYMVS GESSIVS, ſeu GYPTIVS natione Italus, patria Bononienſis, Concionator eximius, & qui multas Italiæ Vrbes ſua prædicatione erudiuit. Societati ſe adiunxit anno ſalutis Humanæ, 1588. & votorum quatuor profeſſionem emiſit. Rexit Collegium Foroliuij, & Eccleſiaſtem egit annis facile 18. Cùm autem anno 1623. in Archiepiſcopali Aede Bononiæ per quadrageſimam eſſet concionatus, ſimulatque poſtremam in tertia Paſchatis feria concionem habuit, maligna febri correptus, paucis diebus confectis Obijt. Edidit Italicè

Orationem à ſe habitam Genuæ, in feſto, quod ipſi vocant *vnionis*, Genuæ, apud Ioſephum Pauonium 1616, in 4.

Orationem funebrem in Exequijs Cardinalis Spinulæ, Bononiæ apud Bartholomeum Cochium, 1616. in 4.

Conciones tres de nuptijs Animæ cum Chriſto in Sanctiſſimo Sacramento. Panormi per Angelum Orlardum 1622. in 4. & ſuo nomine ſuppreſſo

Vitam S. Franciſci Xauerij. Ferrariæ, typis Baldini 1620.

* HIERONYMVS GRAVINA, natione

ne Siculus, patria Caltaneſſetenſis, poſthabitis Chriſto quos ex claritudine generis adipiſci poterat in ſæculo honoribus, Societatem illius complexus eſt Panormi anno ſæculi labentis 18. ætatis ſuæ 15. & decurſis in Sicilia ſtudiorum ſpatijs, magno ardore Miſſionem Indicam expetijt, & impetrauit, atque vna cum P. Marcello Maſtrillo alijſque 31. Socijs anno 1635. in Indiam nauigauit. Delatus Macaum, & Sinenſi Miſſioni applicatus, totus ſtatim in ſalutem illius Gentis prouehendam incubuit, edita ibi profeſſione quatuor votorum, vt quamuis non multùm à natura comparatus eſſet ad linguas peregrinas condiſcendas, tamen ſtimulante caritate, in difficillimo illo idiomate perdiſcendo progreſſus fecit, vt paucis poſt annis lucubrationes in eo vtiliſſimas ediderit. Viginti & ſeptem annorum ſpatio vineam illam ſenticetis plenam nauiter excoluit; & quidem varijs in Regni locis, ſed diutiſſime in Ciuitate Cham xo eo ſucceſſu, vt numeroſos Neophytorum cætus, ibi & in vicinia moriens reliquerit. Multis annis Superior Noſtrorum fuit, & quamuis afflicta fere ſemper valetudine, tamen quoties id res Chriſtiana poſcebat, labores prompte adibat. Emicuerunt in eo admirabilis candor animi, amor tener, ac filialis erga Deiparam, zelus honoris Diuini admodum accenſus; paupertatis ſanctæ ſtudium ſingulare, id quod in veſtibus interioribus detritis, & reſartis centonum inſtar, luculenter apparuit. Poſtremis duobus ante obitum menſibus, cùm ægrotaret, & doloribus perquam acerbis torqueretur, tum maximè virtutum plurima exempla, vt humilitatis, patientiæ, caritatis erga gregem, quem relicturus erat, maxima cum ædificatione Neophytorum præbuit. Demum ſuſceptis magno pietatis ſenſu poſtremis Eccleſiæ Sacramentis, ad laborum præmia emigrauit in Ciuitate Cham xo die 4. Septembris anno 1661. Funus à Neophytis cum multis lacrymis, & multa honoris ſignificatione curatum. Edidit typis Sinenſibus Tractatum in Tres paruos tomos diſtinctum

De Inſtitutione Chriſtianorum, & omnibus myſterijs S. Legis. Opus non à Chriſtianis duntaxat, ſed etiam ab Ethnicis dilaudatum, & omnibus vtiliſſimum.

HIERONYMVS DE GVEVARA natione Hiſpanus, natus Hiſpali, ſed Segouia oriundus, in primo adoleſcentiæ flore 15. annos natus, ab Orbe redempto 1600. Societatem noſtram inijt; in ea ſtudijs Philoſophiæ, ac Theologiæ confectis, reliquam ætatem explicandæ Morali Theologiæ, habendiſque ad populum concionibus impendit. Atque in hoc quidem munere ita excelluit, vt nunquam ſine plauſu, nunquam ſine Auditorum admiratione dixerit, ob exquiſitam adinueniendi ſagacitatem. & inuenta Patrum, ac ſcripturarum teſtimonijs firmandi, illuſtrandique ſingularem prudentiam. Deſijt inter mortales viuere Matriti, die 19. Februarij 1649. ſcripſit

Commentarium in Euangelium Matthæi tomis tribus. quorum

I. Continet partem priorem primi capitis Matthæi in ſenſu litterali, & Myſtico. Matriti, typis Franciſci Martinez 1634. in folio

II. In idem caput, totus agit de Immaculata Conceptione Beatiſſimæ Virginis. Matriti, iiſdem typis 1640. in folio.

III. Differit de Ineffabili Myſterio Trinitatis; Santiſſimo Nomine Ieſu. S. Ioſepho, &c. Matriti, eiſdem typis 1641. Opus ab omnibus Concionatoribus magni æſtimatum

* HIERONYMVS LALLEMANT natione Gallus, Lutetiæ Pariſiorum natus anno ſæculi euoluti 93. Societati ſe applicuit voluentis 10. & vota 4. ſolemni ritu concepit. Politiores litteras & Philoſophiam Pariſijs profeſſus, rexit Collegia Bleſenſe. & Flexienſe, magna laude prudentiæ, doctrinæ, caritatis, & peritiæ noſtri Inſtituti. Zelo ardens animarum impetrauerat pridem à Superioribus Miſſionem Canadenſem in America, vnde tamen poſt aliquot annos reuerſus in Galliam, vehementer efflagitauit redeundi facultatem, eaque obtenta eo ipſo die quo nuntium accepit (qui fuit feria 5. ſanctioris hebdomadæ) abdicato magiſtratu Collegij Flexienſis (quod tunc regebat) feſtinatò contendit ad mare; ne renauigandi cum naui, quæ parabatur, opportunitas elaberetur. Annos ampliùs viginti in cultura Noualis illius ſpinis, & tribulis pleni poſuit; & ex ijs octodecim, Noſtris ibi præfuit, ſed tanta cum dimiſſione animi, & ſtudio humilitatis, vt quamuis Theologicis, alijſque diſciplinis inſigniter excultus fuerit, tamen totum ſe docendis barbaris, pueriſque elementa fidei mira conſtantia impendit. Comitabatur Noſtros peritiores linguæ Canadenſis, proficiſcentes ad Miſſiones, quamuis Superior, tamquam ſi ſubditus, aut æqualis foret, vt ſcilicet veniret in partem laboris, ac præmij ſudoribus Miſſionariorum debiti. Solebat etiam alios Patres ad iſtiuſmodi excurſiones Apoſtolicas accendere dicendo: *Macti, O Patres, laboremus Deo, quamdiù viuimus, quia tota æternitate quieſcemus.* Flagrabat deſiderio fundendi ſanguinem inter barbaros pro Chriſto, quemadmodum glorioſe effudit illius Nepos P. Gabriel Lallemant; intereà verò aſperrime tractabat corpus ſuum quotidianis flagris; ſæpè cingulis ferreis, alijſque id genus cruciamentis. Orationi imprimis addictus, ſurgebat vna hora ante alios, vt diutiùs vacaret Deo, & Eccleſiaſticum officium de genibus quotidie, licet fractis effætiſque viribus perſoluebat. Sacroſanctum Trinitatis myſterium ſingulari cultu proſequebatur, & ſecundum id Beatiſſimam Deiparam, tum S. Michaelem, alioſque Angelos colebat, & horum ſacellum milliaribus aliquot diſſitum, bis in anno venerationis ergò adibat, curauitque ſe eò deferri, quando præ infirmitate id pedes petere non potuit. In extremo morbo inter acerbiſſimos dolores,

qui-

quibus is durauit, colloquia cum Chriſto, ex Pſalmis, & S. Auguſtini operibus deprompta, & ſuſceptis rite Eccleſiæ Sacramentis, poſtulataque erratorum à circumſtantibus venia, petiuit à Superiore vt pœnitentiæ loco iuberetur mori, id quod magna ſignificatione gaudij conſecutus, octogenarius ſpiritum Deo reddidit. Quebeci in noua Francia 26. Ianuarij 1673. Scripſit

Relationes de Miſſione Canadenſi multorum annorum, ſcilicet ab anno 1645. vſque ad annum 1648. & rurſus ab anno 1659. vſque ad 1664. Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoyſi annis diuerſis in 8.

HIERONYMVS LOPEZ natione Hiſpanus, patria Granatenſis, inſignis, & feruens in Bætica Miſſionarius, qui non minùs cupidè ad Miſſiones, quàm Mercatores ad nundinas, itabat, & licet ad cætera infirmus, ad has tamen ſolummodo videbatur à Deo accepiſſe ſanitatem. Hinc in Oppido Sancti Lucæ de Barrameda, dum Miſſionem obiret anno ſalutis 1577. die 6. Nouembris in Noſocomio pauperum, pauperrimus & ipſe ſpiritu, migrauit ad Dominum. Societatem amplexus fuerat anno ſalutis 1566. annos natus 26. abſolutis Theologiæ ſtudijs, gradu magiſterij donatus, & iam Diaconus. Excelluit ſcientia litterarum Humaniorum, & Poëſeos laurea ter Compluti fuerat inſignitus. In Tirocinio totus ad Deum, & Diuina ferebatur, ita, vt perpetuò quaſi lacrymas funderet, etiam cum periculo ſanitatis. Hinc Magiſter Nouitiorum, & Prouincialis ambigentes, an vtilis Societati futurus eſſet, conſuluerunt S. Franciſcum Borgiam Præpoſitum tunc Generalem, an retinendus in Societate eſſet. Reſcripſit S. Borgia, quaſi diuinando quid eſſet futurum: Retineatur frater Hieronymus Lopez, quia cùm ſit tantæ virtutis, magis meretur mortuus in Societate ſeruari, quàm alij in ea viuere. Abſoluto Tirocinio operabatur quaſi ſemper in conſpectu Dei, cuius amore ita ardebat, vt ignem verba ſpirare viderentur. Pœnitentiæ Operibus addictiſſimus, vix comedebat, vix dormiebat, & breuicula tunica coloris fuſci, nudas carnes vix tegebat. Admirandus in hiſce magis, quam imitandus.

Edidit Hieronymus

Tragædiam de Samaritano

Epigrammata de Sanctis

HIERONYMVS LOPEZ alter natione item Hiſpanus, patria Gandienſis, cooptatus in Societatem anno ſalutis 1605. ætatis 16. vota quatuor in ea profeſſus eſt. Olim à Piratis abductus in Africam, duram ibi ſeruiuit ſeruitutem, ſed multis victorijs ſpiritualibus illuſtrem. Eccleſiaſten egit annis ampliùs 40. & In varijs Prouincijs Hiſpaniæ, atque Inſulis adiacentibus Miſſiones obiuit ſpiritu Apoſtolico annis vndeuiginti, itaut pluſquam mille, & trecentos Pagos, Oppida, atque Vrbes ſuis concionibus ad pietatem excitarit. Contra vitia & inolitos prauos mores, miro ardore detonabat, & alicubi tanta cum vehementia, vt Auditores aliqui præ magnitudine doloris cōcepti de peccatis ſuis, intra paucas horas expirarint. Sunt qui mira ab illo ſupra naturæ vires patrata aſſerant, & à Deo dono Prophetiæ dotatum illum putent; Sed hæc alij in vita illius enucleatiùs enarrabunt. Migrauit ex ergaſtulo corporis vir Deo plenus ad laborum præmia Valentiæ die 12. Februarij 1658. cum opinione non exigua ſanctitatis. Scripſit

Inſtructionem Parochorum, Quid populo diebus feſtis de Fidei myſterijs proponant. Sed lucubrationem hanc ſuam alijs excudendam dedit.

HIERONYMVS MAIORICA natione Italus, patria Neapolitanus, adlectus in Societatem anno Chriſti 1605. ætatis ſuæ 16. profeſſionem quatuor votorum edidit. Vir maximi zeli, & inter Operarios verè Apoſtolicos meritò numerandus. Nondum emenſis Theologiæ ſpatijs Neapoli, Miſſionem Indicam flagranter expetijt, & tandem obtinuit ſub annum 1618. Goamque nauigauit. Inde miſſus in Prouinciam Iaponiæ, Cocincinam, Ciampà, Tunchinum, & his finitimas Regiones ſuis ſanctis induſtrijs triginta, & quinque annorum ſpatio indefeſſus excoluit. Difficile explicatu eſt, quàm latè patentes terras, præſertim in Engheano, Prouincia Regni Tunchinenſis per montes, & ſaltus pagatim obierit, proſeminando Fidem Chriſti, intruendo fideles, & aggregando Gentiles, incitante eum ardore ſpiritus, quo ſemper flagrabat. Alicubi ſpatio quinque menſium Ethnicos bis mille, quingentos, & ſeptuaginta quinquè adiunxit Chriſto. Alibi vincula, & aſpera multa perpeſſus eſt; verùm in omnibus tam proſperis, quam aduerſis, idem illi ſemper vultus, eadem frontis, & mentis hilaritas. Præfuit noſtris in Miſſione Tunchinenſi, & poſtea gubernauit Prouinciam Iaponiæ. Eo in munere cùm ad priſtinos labores redijſſet in Tunchinum, fractus tandem ærumnis, & ſuſceptis ſumma cum pietate vltimis Eccleſiæ Sacramentis, inter hymnos, & pſalmos, & Orationes adſtantium, & in complexu Crucifixi, ſummo omnibus relicto ſui deſiderio, placidiſſimè efflauit animam die 27. Ianuarij 1656. Plura, & præclara de eo enarrant noſter Bartolus in ſua Hiſtoria Chinenſi, & Ioannes Philippus Marinus de Miſſione Tunchinenſi, qui morienti adfuit, aſſeritquè P. Hieronymum ſcripſiſſe, vel traduxiſſe ad 48. volumina Inſtructionum piarum, Idiomate Tunchinenſi, ſeu Annamitica cuius peritus inſigniter erat pro ſolatio, & ſalute illorum populorum. Inter illa agebat

De præcipuis articulis Fidei Chriſtianæ.

De Paſſione Chriſti Redemptoris.

De Generoſitate animæ habenda tempore perſecutionis.

De Matrimonio. De vſuris.

De Sacramentis Confeſſionis, & Communionis.

De modo aſſiſtendi vtiliter Diuino Miſſæ Sacrificio.

De Vita Matris Dei, & SS. Antonij, Hieronymi, Ignatij de Loiola, & aliorum.

De alijs multis ad ſalutem pertinentibus. Nimirum cum totos dies Sacramentis adminiſtrandis, vel inſtruendis Neophytis impendiſſet, noctu tempus ſuæ quieti ſuffurabatur, vt ſuis lucubrationibus etiam abſens ijs prodeſſet.

Præter hæc tranſmiſit in Europam.

Annuas litteras Goa annorũ 1620. & 1621. Item

Annuas Iaponicas annorum 1621. & 1622.

* HIERONYMVS MROCZECH natione Polonus, ex ea Regni parte, quæ Minor Polonia appellatur, natus anno ſæculi labentis 28. Societati ſe applicuit 45; & vota 4. nuncupauit. Docuit aliquot annis amæniores litteras; & Philoſophiam, Theologiam Moralem, & Scholaſticam. Caliſſij. Edidit varios

Panegyricos gratulatorios, funebres, & alios diuerſis locis, & annis excuſos.

* HIERONYMVS MVLMAN natione Germanus, gente Saxo, patria Lipſienſis, natus patre Lutherano Prædicante anno Domini 1606. & in Hæreſi educatus, dum fratrem ſuum germanum Coloniæ Catholicis aggregatum, ad Sectam ſuam reducere nititur ipſe captus vi argumentorum, Catholicam fidem complexus eſt, & abſolutis dein ſtudijs Philoſophicis in Societatem ingreſſus anno 1627. votorum quatuor ſacramento ſolemni ſe adſtrinxit. Docuit in ea litteras manſuetiores, Philoſophiam, & Theologiam. Rexit Collegia Hildeſienſe, Colonienſe, Reſidentiam ad S. Goarem, & Haffniæ in Dania Miſſionarium egregie egit. In omnibus his muneribus eluxit in eo conſtans ſtudium perfectionis; inſignis humilitas; patientia in aduerſis; magna erga omnes caritas, feruens Fidei Catholicæ propagandæ zelus, quem, & libris, & ſcriptis, & varijs diſputationibus cum diuerſis Prædicantibus corrupti verbi demonſtrauit: Pie obijt in Miſſione Haffnienſi die 22. Octobris 1666. Edidit

Myſterium fraudis Prædicanticæ Latinè. Coloniæ typis Iodoci Kalcouij 1649. in 4.

Clauem abſolutionis Sacramentalis. Germanicè Coloniæ typis Guilhelmi Freiſſem 1653. in 8.

Lenem correctionem Dorſechai Sectarij Argentoratenſis typis iiſdem 1652. in 4.

Notas in Epiſtolam Rantzouij Baronis Dani conuerſi Romæ. Coloniæ apud Conſtantinum Munnich 1652. latinè in 8.

Catholicæ Fidei ſpeculum contra Matthiam Hoe Lipſienſem Superintendentem. Germanicè Coloniæ 1656.

Inſolubilem demonſtrationem, quod Miniſtri Acatholici nequeant habere verum ſenſum Sacræ Scripturæ, &c. Coloniæ 1654. in 4.

Cenſuram Diſquiſitionis de Eccleſia, & Babylone contra Ioannem Cocchium Coloniæ 1659. in 4.

* HIERONYMVS NAPPIVS natione Italus, patria Anconitanus, natus anno ſæculi decurſi 84. Societati ſe adiunxit currentis 5. & vota quatuor ſolemnia nuncupauit. Docuit litteras humaniores, & Philoſophiam. Rexit Collegium Montis Sancti; Multis annis fuit Pater ſpiritualis Seminarij Romani, & religioſè Romæ vitam abſoluit die 4. Februarij 1648. collegit atque edi curauit

Orationes XXXII. de Spiritus Sancti Aduentu, habitas in Sacello Pontificio à Seminarij Romani Conuictoribus. Romæ typis Corbelletti 1655. in 8.

HIERONYMVS NATALIS natione Hiſpanus, patria Balearis. Vir fuit omni diſciplinarum genere excultus, Latinæ, Græcæ, atque Hebraicæ linguæ peritiſſimus; qui dum ad Tridentinum Concilium proficiſcitur ætate iam prouecta, & confirmata, anno ſalutis 1546. ſeſe Romæ ad noſtram Societatem adiunxit. Huius opera multum S. Ignatius, ac Generales Præpoſiti ſequentes in propaganda, & gubernanda Societate, vſi ſunt. Erat enim vir peracri iudicio, perfecta obedientia, rara prudentia, & ad res conficiendas vigilantia, diligentia, efficacitate ſingulari; quam ob rem Prouincialis, Aſſiſtentis, Commiſſarij, Vicarij Generalis, officijs præclarè functus eſt, & demum Romæ in Nouitiorum Domum S. Andreæ ſe contulit, vbi ſenectute confectus, noſtris Tironibus magno exemplo, atque incitamento ad omnem virtutem fuit, & plenus dierum, ac bonorum operum in ipſo glorioſo Domini Noſtri Reſurrectionis die, vitam cum morte commutauit anno ſalutis 1580. ætatis 76. Quamuis autem varijs ſemper grauiſſimiſquè negotijs fuerit diſtrictus, & gubernationis laboribus implicatus, ſcripſit tamen peregregias

Annotationes, ac Meditationes in Euangelia, quæ in Sacroſancto Miſſæ Sacrificio per totum annum leguntur. Quas eximijs, & admirandis imaginibus in æs à ſummis artificibus inſculptis exornauit. Antuerpiæ apud Martinum Nutium 1594. & rurſum Plantinianis typis 1607. & Moguntiæ typis Albini 1607. Scripſit etiam

Scholia in Conſtitutiones, & Declarationes S. P. N. Ignatij, & Admonitiones pro Superioribus, quæ approbatæ ſunt à Congregatione II. Generali pro directione Superiorum, ac Mſs. ſeruantur in Archiuio Romano.

HIERONYMVS PECORARVS natione Italus, patria Neapolitanus, Societatem ingreſſus anno 1586. ætatis 20. profeſſionem votorum quatuor emiſit. In ea docuit Philoſophiam, & annos ampliùs 14. Theologiam Moralem: Gubernauit Collegium Catacenſe, & octogenario maior deceſſit Neapoli in Domo Profeſſorum die 15. Decembris 1648. emiſit in lucem

Tra-

Tractatum de Legatis, & de Debitis Moralium Probabilitatum tomos II.

Plura prælo parauerat, quæ M.ſs. conſeruantur in Domo Profeſſa Neapolitana

* HIERONYMVS DE PEREA natione Hiſpanus, patria Madritenſis Deo in Societate ſe deuouit anno ſæculi voluentis 14. ætatis ſuæ 17. & vota quatuor nuncupauit. Concionatorem egit pluribus annis; Theologiam moralem profeſſus eſt, deceſſit Matriti die 20. Ianuarij 1670. Edidit Hiſpanicè

Vitam D. Catharinæ de Mendoza Fundatricis Collegij Complutenſis Societatis Ieſu. Matriti 1653. & ſub nomine Gerardi de Cruce

Chriſtum Dominum Noſtrum Patientem, prout narrant quatuor Euangeliſtæ. Matriti 1660. in 8.

HIERONYMVS PEREZ natione Hiſpanus, patria Cæſarauguſtanus anno 1615. cum primum per ætatem licuit, ingreſſus in Societatem, Philoſophiam, & Theologiam profeſſus eſt. Diu in Philippinis operam Indis, atque Hiſpanis inſignem nauauit, & ibidem vota quatuor nuncupauit. Poſtea tranſlatus in Mexicanam Prouinciam, rexit ibidem Collegium Guaxacanum, & ſuperſtes etiamnum plura parat typis, interim edidit Hiſpanicè

Narrationem eorum, quæ hactenus comperta ſunt de Vita, & Martyrio P. Marcelli Franciſci Maſtrilli Societatis Ieſu. Manilæ per Thomam Pimpiu 1639. in 4. Item

Relationem luculentam Luſitanorum multorum, qui in Iaponia pro Fide Chriſti ſanguinem fuderunt.

HIERONYMVS PETRVCCIVS natione Italus, patria Camers, natus anno ſæculi præteriti 85. Societatem inijt prætereuntis 4. & ſolemne votorum quatuor ſacramentum dixit. Vir multa eruditione inſignis; Humaniores litteras docuit quadriennio, Rhetoricam annis 16. Romæ; vbi octogenario maior, ex loco peregrinationis migrauit ad patriam (vt fas eſt ſperare) cœleſtem die 5. Martij 1669. edidit

Orationem habitam in Paraſceue coram S.D.N. Vrbano Octauo Pont. Max. anno 1627. Romæ typis Zannetti eodem anno in 4.

Carmen de Epiſtola Beatiſſimæ Virginis ad Meſſanenſes conſtans Iambis puris quingentis viginti quinque, quod à nemine hactenus tentatum, habetur ante diſſertationem Pauli Belli de eadem Epiſtola Meſſanæ 1617. in folio

Duodecim octonarios Iambicos puros, qui ſint veluti totidem ſtellæ Coronæ virginei, mirabili ſtructura vti refert Hippolytus Marraccius in Bibliotheca Mariana Romæ 1648. in 8.

Orationem de aduentu Spiritus Sancti coram Vrbano Octauo habitam à F. Carolo Caraſa. Romæ typis Cam. Apoſt. 1627. in 4.

Orationem de S. Iuone Aduocato pauperum habitam à Ioanne Turpino. Romæ apud Andream Phæum 1620. in 4.

Parata typis reliquit

Epigrammata, & Additamenta ad Paſſeratium.

HIERONYMVS PLATVS natione Italus, patria Mediolanenſis Romæ tyrocinium noſtrorum ſuſcepit die 24. Aprilis anno ſalutis 1568. mutato nomine *Octauij*, quo prius vocabatur in *Hieronymum*, cùm eſſet adoleſcens forma, ingenio, modeſtia, morumque ſuauitate præſtans, poſtquam verò animum bonarum litterarum cognitione compleuit, P. Claudius Aquauiua Præpoſitus Noſter Generalis eius operà vſus eſt in Latinis litteris ſcribendis ad Prouincias Germaniæ, & Galliæ, quod munus dum egregie ſuſtinet, & Nouitiorum, qui in Domo profeſſa verſantur curam gerit, ad cœleſtem patriam euocatus eſt 14. Auguſti, anno reparatæ ſalutis 1591. ætatis 44. Societatis 24. ab emiſſa profeſſione quatuor votorum 9. vir celeberrimà virtutis, & tantùm non ſanctimoniæ famà clarus. Scripſit

De Bono Status Religioſi lib. III. pietate atque eruditione refertos, qui primò Romæ 1580. deinde auctiores Auguſtæ Treuirorum, & alibi prodierunt, & in alias quoque linguas tranſlati ſunt. Item

De Cardinalis Dignitate, & Officio ad Flaminium Platum Cardinalem Fratrem ſuum, qui poſt obitum Hieronymi ab alijs vulgatus eſt. Romæ apud Facciottum 1592. in 4.

HIERONYMVS PRADO natione Hiſpanus, patria Biacenſis, diœceſis Giennenſis; Vir fuit corpore puſillo, ſed animo magno, & ingenij excellentia, morumque integritate præſtans. Is anno ſalutis 1572. in Societatem adſcriptus eſt, Magiſtrali iam laurea inſignitus, cùm Sacras Litteras magna cum laude in Biacenſi Academia aliquando explicaſſet. In Societate humaniores litteras primùm profeſſus eſt, vt iuuentutem ad pietatem informaret: deinde Sacras Litteras ſingulari cum laude, & frequentia, atque admiratione Auditorum, Cordubæ noſtro in Collegio eſt interpretatus. Quo in munere cùm externos multos doctrina claros, tum ex Noſtris auditores habuit Ioannem Pinedam, & Ludouicum de Alcazar; quorum ille non ſemel in ſuis Commentarijs, amantiſſimi, atque doctiſſimi ſui Magiſtri honorificam mentionem facit. Cùm Romam Pradus veniſſet, vt idoneos ad Opus, quod moliebatur artifices quæreret, aſſiduis laboribus conſumptus in Collegio Romano, Idibus Ianuarij anno 1595. deceſſit ætatis ſuæ 48. & 22. poſt aditam Societatem. Is moriens cùm manus ſuas contemplaretur attentiùs, conſtantique, ac læto vultu nuntium mortis accepiſſet, rogatus cauſam eius contemplationis reſpondit. *contemplor manus, quas olim iterum videbo*, interea illud Iobi pronuntians; *& in carne mea videbo Deum Saluatorem meum, quem viſurus ſum ego ipſe, & non alius.* Scripſit Hieronymus

Commentarios in 26. prima Capita Ezechielis Prophetæ, quos Ioannes Baptiſta Villapan-

dus vulgauit, & ſua deinceps operâ in reliquâ Prophetæ capita commentatus eſt, ex ijs quæ ſtudio cum Hieronymo Magiſtro ſuo collato congeſſerat, Romæ apud Aloyſium Zannettum ſumptibus & iuſſu Philippi II. Regis Hiſpaniarum 1596. in folio

Sacrarum Phraſium librum perutilem magna ex parte confectum. Item

Commentaria in Iſaiam, Zachariam, Michæam, in Epiſtolas Pauli ad Galatas, ad Ephesios, ad Coloſſenſes, ad Hebræos. Item

Sacram Cronologiam, quæ tamen edita non ſunt.

HIERONYMVS RIPALDA natione Hiſpanus, patria Tiruelenſis in Aragonia, Patrem habuit Bernardinum Ripaldam nobilem ſua ætate Medicum, à quo miſſus Complutum animum ibi appulit ad Societatem noſtram anno ſalutis 1551. vix ipſe in 14. ætatis ingreſſus. Id cùm ægre parentem haberet, qui Regio fultus diplomate filium repetebat, ſeductum à Noſtris fuiſſe criminatus, periclitandæ ipſius conſtantiæ gratia. miſſus ad Rectorem Vniuerſitatis Hieronymus, virum ſe in annis puerilibus oſtendit. Admiratus Rector appoſitiſſima illius ad omnes quæſtiones reſponſa, ſciſcitatur, ecquibus tandem ſermonibus inſtructû ad hoc certamen eum Franciſcus Villanoua, (qui tum præerat ſocijs) ſcilicet, miſiſſet; reſpondit; vocato ſibi pridie dixiſſe Superiorem, poſtridie cum parente pugnam imminere auctoritate Regis ſubnixo. Sciret domi Olitorem deeſſe, nec ſatis coquo conſtare valetudinem; ſi perſiſtere in propoſito vellet, ad horum munerum alterum opportunum fore; ſi ad ſuos reuerti mallet, nihil ipſi inde apud ſe, aut apud cæteros Socios gratiæ, nihil apud homines de laude conſtantiæ deceſſurum, quem ætas adhuc improuida ſatis tueretur. Rector admiratus integritatem Villanouæ, & Ripaldæ conſtantiam, retrò eum ad nos remiſit ſua victoria coronatum. In Societate piè educatus, ac probè eruditus in Theologum inſignem euaſit. Pluribus in locis Superioris munere functus eſt, Villagarciæ, Salmanticæ, Burgis, & Valliſoleti. S. Tereſiæ fuit aliquando à Confeſſionibus. Tironibus noſtris ad virtutem formandis præfuit. Adulta ætate concionibus valuit, & ſingulari animas tractandi, conuertendique gratia. Omnis eius ſermo de Deo, ad cuius amorem inflammabat omnes. Nihil vnquam in victu, nihil in vilis vitæ rationibus ſingulare habuit, & vel in extremâ ætate claudus ex lapſu, ad commune triclinium adrepebat. Paupertati voluntariæ ſui caſtigationi, obedientiæ, deditiſſimus. In egenos benignus, quibus iuuandis omnem operam adhibebat. Obijt Toleti die 21. Aprilis anno ſalutis 1618. ætatis 84. pridem 4. vota profeſſus. A morte vultus illi ſerenior illuxit, quàm viuenti fuerat, caro blanda, & tractabilis. Funus magno Nobilium, ciuiumque concurſu celebratum eſt; cadaueri certatim admota Roſaria; carptæ ſancti (vt vocabant) reliquiæ. Scripſit Hiſpanice Ripalda

Colloquium ſuaue peccatoris cum Deo. Ilerdæ apud Ludouicum Maneſcal 1618. in 16.

Libellum Doctrinæ Chriſtianæ, breue quidem illum, ſed ad pueros erudiendos, formandoſque ad pietatem appoſitum. Is ſæpiùs editus nouiſsimè correctiùs prodijt Matriti per Franciſcum Martinez 1633. Excuſus etiam eſt vnà cum imaginibus myſteria ſingula repræſentantibus, opera Noſtri Georgij Mayr, Auguſtæ 1616. in 8.

Traduxit etiam in linguam Hiſpanicam librum

De Contemptu Mundi.

HIERONYMVS ROMAN DE HIGVERA natione Hiſpanus, patria Toletanus Societati ſe adiûxit Compluti anno 1563. exeûte ætatis 25. iam tum Sacerdos, & Philoſophiam publice Toleti profeſſus, & Theologica laurea decoratus. Vir de Eccleſiaſtica antiquitate bene meritus, & dignus eruditiſſimis noſtri ſæculi accenſeri, vota quatuor in Societate emiſit anno 1590. & in ſenectute bona obijt Toleti 13. Septembris 1611. Is cum accepiſſet Vormatia à P. Thoma Torralba exemplar M.S. Cronici Flauij Lucij Dextri ibi repertum, ſciretque illud à doctis iamdudum fruſtra deſiderari. Scripſit

Notationes in Annales Hiſtoricos Flauij Lucij Dextri, & addidit:

Notationes in Luitpsandum Ticinenſem: necnon

In Chronicon Iuliani Petri Toletani, quæ quamuis lucem nondum (dum hæc ſcribimus) viderint. Multis tamen ſcribendi materiam ſuppeditarunt, & R.P. Fr. Franciſco Biuario; qui Chronicon Dextri vulgauit, cum ſuis commentarijs, & duplice apologia, in quibus per honorificam facit non ſemel Hieronymi Noſtri mentionem, illique refert idem Chronicon acceptum. Scripſit præterea Hieronymus

Familias Toletanas, in quarum ſerie diſquirenda diu, multumque ſudauit. Hæc atque alia plura lucem forte olim aſpicient. Certè Hieronymus non à Biuario tantùm, ſed eximium quoque elogium obtinuit à Thoma Tamayo de Vargas in ſuis elogijs virorum inſignium Toletanorum, & pluribus, quos ipſe refert. Nouiſſimè verò præclarum quoque tulit ab Clariſſimo D. Nicolao Antonio in ſua Bibliotheca Hiſpana, qui multa valde eiuſdem Opera Mſs. recenſet, à varijs Scriptoribus laudata. Sed quia Inſtituti mei non eſt manuſcripta fuſiùs proſequi, de iis lector, ſi lubet, illum conſulat. Illud ſolummodo moneo prodijſſe tandem typis excuſum

Luitprandi Ticinenſis Chronicon cum notis noſtri Hieronymi additumque illi eſſe eiuſdem Hieronymi

Dypticon Toletanum, ſeu tabulas Toletanas Epiſcoporum eiuſdem Sedis. Antuerpiæ typis Plantinianis Moreti 1640. in folio.

HIERO-

HIERONYMVS SAVIGNANVS natione Italus, patria Bononienſis, ſuſceptus in Societatem anno ſalutis 1614. die 9. Ianuarij ætatis ſuæ 18. Nouellariæ poſuit Tirocinium, & miſſus Romam ad ſtudia, reliquum ætatis fere ibidem exegit, & vota 4. ſolemnia nuncupauit. Philoſophiam nouennio profeſſus eſt, Theologiam in Collegio Romano ad decennium. Rexit Seminarium Romanum; Collegium Pœnitentiariæ ad Vaticanum, & aliquamdiu Cenſorem egit Librorum à Societate edendorum, atque Theologum Præpoſiti Generalis. Eo in munere vir doctus, & pius, apoplexia tactus, ſed Sacramentis munitus, corporis vinculis exolutus eſt die 12. Decembris 1667. edidit

Orationem habitam in Paraſceue ad Vrbanum VIII. inſcriptam. *Sponſum ſanguinum, ſiue Chriſti cum Cruce connubia.* Romæ typis Corbelletti 1635. in 4.

* HIERONYMVS SEGVIN natione Gallus, Pariſijs natus anno ſæculi fluentis 7. Deo ſe in Societate dicauit 1625. & votorum 4. ſolemni nexu ſe adſtrinxit. Septennium in ea docuit Rhetoricam, & politiores litteras; ſexennium Philoſophiam; ſeptennium Theologiam Scholaſticam, biennium Moralem; omnis litteraturæ genere inſtructiſſimus. Aduerſus peſtilentem Antonij Arnaldi de frequenti communione librum, ſubtiliter adeò, ſolidèque ſcripſit, vt ad molliora quædam dogmatum ſuorum interpretamenta Aduerſarij confugere coacti fuerint. In multis eius virtutibus eluxit æquitas animi, tranquillitaſque tanta, vt commotiorem eſſe viſum, nemo ſit, qui meminerit. Accedebat conſtans religioſæ diſciplinæ obſeruantia, tener pietatis ſenſus, morum ſuauitas ſumma. Quæ certè virtutes dici vix poteſt quantum in infirmitate reſplenduerint perfectiùs. Profitebatur, cum multa eſſent maximaque Dei in ſe beneficia, nullum diuturno illo ſuo morbo à ſe maius acceptum; eo quippe factum eſſe, vt rebus omnibus humanis exſolutus, vnum Deum complecteretur. Incredibile eſt quàm ſuauiter Deum in morbi doloribus acutiſſimis laudaret, quam amanter alloqueretur. Seſquiannum ante obitum peripneumonia, & ſangninis reiectione conflictatus tandem ſuſceptis Eccleſiæ Sacramentis placidiſſimè animam Deo reddidit. Pariſijs in Collegio Claromontano die 29. Octobris 1655. Edidit Gallicè tacito ſuo nomine.

Applicationem Cenſuræ de libro inſcripto Pacificus verus ad librum de frequenti communione. Pariſijs 1644. in 4.

Reſponſionem ad D. Arnaldum cum Analyſi doctrinæ de Pœnitentia comprehenſa in libro de frequenti communione. Pariſijs 1644. in 4. Recuſam Rothomagi 1645. Latinà vulgauit

Cauſas commotionis in Gallia aduerſum librum de frequenti Communione. Pariſijs 1647. in folio.

HIERONYMVS STEPHANOVVSKI natione Polonus in Cracouienſi Palatinatu natus, Romæ Societati ſe adiunxit anno ſalutis 1587. ætatis ſuæ 21. & ibidem ſtudijs Philoſopbiæ & Theologiæ operam nauauit. Vir fuit & virtute & doctrina in eo Regno clariſſimus. Philoſophiam docuit quadriennio; quinquennio Scholaſticam Theologiam, Sacras litteras biennio cum magna eruditionis laude. Nec ſegniùs Catechiſtam egit ruſticorum quoties occaſionem nactus eſt, quàm Cathedras cõſcenderet. Qui fuit eius animorum zelus, Indicam Miſſionem datis ad Superiores litteris seriò poſtulauit. Ægris eximia caritate omni officiorum genere ſeruiebat; animi demiſſione plurimum ſibi alios deuinciebat, & cùm ad tertium probationis annum Cracouiam olim veniſſet, eius doctrinæ fama exciti Patres Dominicani, atque Academici, eum ad diſputandum inuitarunt, ad quos ſordidatus è culina egreſſus, ſe non ad diſputandum, ſed ad humilitatem diſcendam veniſſe reſpondit. Tandem plenus meritis obijt Vilnæ, cum ad Congregationem Prouincialem eò veniſſet, fructus itineris laboribus, & febri oppreſſus, per Auguſtum anni 1606. cùm vix 40. expleſſet annos, quorum ferè 10. in Societate tranſegerat emiſſa profeſſione 4. votorum 1602. Scripſit Idiomate Polonico ſub nomine R. D. Martini Michalovvviczi Zagieli

Terminum contra proteſtationem Miniſtri cuiuſdam Euangelici, ſeu Reſponſionem ad quadruplicem tractatum contra Primatum S. Petri, & eius Succeſſoris Pont. Max. Vilnæ 1599.

Cenſuram diſputationis Vilnenſis per Danielem Mikolaievvcki editæ, ſeu Defenſione m veritatis, ac integritatis eius editionis, quam Catholici de Diſputatione illa vulgarunt

Reſponſionem præcipuarum narrationum Euangelicarum ſeu à Miniſtris, qui ſe Euangelicos nominant propoſitarum.

HIERONYMVS TORRES, ſeu Torrenſis natione Hiſpanus in Catalauniæ Oppido Momblanc natus, ætatem vix primam egreſſus noſtræ ſe obtulit Societati, moxque Gandiâ Romam miſſus eſt anno ſalutis 1553. Romæ verò curſus aliquot artium, vt vocant confecit, & Ariſtotelicas diſciplinas auditoribus explicauit. Inde in Germaniam Obedientiæ iuſſu ſe contulit, vt Theologiam in Academia Ingolſtadienſi, poſt Alphonſum Piſanum Noſtræ item Societatis Doctorem Theologum, publicè exponeret, & pro virili, paſſim graſſantium ſe furori Hæreticorum obijceret; quod & præſtitit magna religione, prudentia, & eruditione. Sed cum ex *Confeſſione* Lutheranorum *Auguſtana*, tamquam ex infecto & peſtilente fonte, plurimos animaduerteret errorum manare riuulos, videretque Hæreticos omnibus in colloquijs, diſputationibus, lectionibus vbique crepare, & in ore ſemper habere Diuum Auguſtinum, & Sanctiſſimum Patrem, atque Eccleſiæ Catholicæ lumen, quaſi ſecum ſentientem in medium pro-

ferre, & veriſſimis ac ſapientiſſimis ſententijs aliorſum detortis falſa, abſurdaque dogmata ſtabilire, faciendum ſibi exiſtimauit, vt *Auguſtinum* à calumnijs Hæreticorum vindicaret, & veritatis luce illorum tenebras depelleret, clauum, vt in prouerbio, clauo trudens; quapropter edidit.

Confeſſionem Auguſtinianam, in lib. 4. diſtributam, & certis capitibus locorum Theologicorum, qui ſunt hodie ſcitu digniſſimi, comprehenſam, ex omnibus Diui Auguſtini operibus magno ſtudio collectam, Dilingæ 1568. & rurſum auctius emendatiuſque 1569. per Sebaldum Mayer in folio. Eam Auguſtanæ confeſſioni oppoſuit, ceu peſtifero veneno præſentiſſimum antidotum: quo in opere duo egregiè præſtat. Alterum, quòd Catholica Dogmata mirificè probat, & confirmat, refutatque Hæreticorum errores ex Auguſtino: alterum quòd locos ipſius Auguſtini, vt malè intellectos, & malitiosè detortos, atque ab Hæreticis deprauatos, ad amuſſim reuocat, atque ſincerè interpretatur. Duplex hinc commodum exſtitit: multi enim per Germaniam prauis Hæreſeos opinionibus imbuti, legentes *Auguſtinianam Hieronymi noſtri Confeſſionem*, *Confeſſionem Auguſtanam*, deteſtati ſunt, emergenteſque ex cæno illo, in quo miſerè iacebant, ſeſe ad Catholicæ Fidei portum receperunt. Dein Catholici Doctores eius incitati exemplo, Confeſſiones alias edidere, Ambroſianam, Hieronymianam, & Cyprianam. Scripſit præterea Torres

Contra Bidembachium Hæreticum

In caput primum Epiſtolæ Pauli ad Timotheum

Confutationem Agendæ cuiuſdam Eccleſiaſticæ à Lutheranis conſarcinatæ, breuem quidem ſed pulcherrimam & vtiliſſimam. Anno 1571.

Vir fuit Hieronymus non eruditione magis, quàm integritate vitæ, pietate, humilitate conſpicuus: quæ virtutes, atque omnes aliæ poſtremis vitæ annis, in eo maximè eluxiere. Hoc ætatis extremum Monachij duxit vbi ſemper inceſſit tamquam qui cæleſtia meditaretur. Nunquam in ſilentij leges, vel verbulo peccauit, nunquam quippiam, aut facere viſus quod Societas prohiberet, aut quod iuberet omittere; humana ita negligere ſolitus, vt externa neque alijs narraret, neque ipſe ſcire vellet, adeoque vix Sociorum quemquam nominatim noſſet. Rarò vultum cuiuſquam aſpiciebat, tametſi cum omnibus, vbi res poſtulabat, humaniſſimè ageret, primaſque ſibi ne ab infimo quidem, pateretur deferri. Cum eſſet ingenio acer, & natura vehemens, nulli tamen erat moleſtus; nulla de re querebatur. Otij apprimè fugitans, ſemper aut legere aliquid, aut lucubrare inuentus; cum interim pro ſua ſumma modeſtia ſegnem ſe, atque inertem diceret, & Superiores, vt ſe quidpiam iuberent agere rogaret; alioqui rationem inertiæ breui daturum. Ita impetrauit vt munus adhortandi Socios de more ei damnandaretur: donec breui morbo, ætate fatiſcente, pectus aſſiduè manu tundens, Sacramentis rite procuratus, religioſiſſimè deceſſit Monachij anno 1611. cum ſupra 60. annos in Societete vixiſſet, antiquus quatuor votorum profeſſus.

HIERONYMVS XAVERIVS natione Hiſpanus, gente Nauarrus, Magni Franciſci Xauerij Orientis Apoſtoli cognatus, & Apoſtolici eius ſpiritus æmulus. Societatem Compluti inijt die 7. Maij anno 1568. & poſtea anno 1581. traiecit in Indiam, vbi & vota 4. profeſſus eſt, & Rectorem egit Bazaini, & Cochini, & Magiſtrum Nouitiorum, & Domus Profeſſæ Goanæ Præpoſitum. Sed altiori ductus ſpiritu Euangelium primus poſt Rodulphum Aquauiuam intulit anno 1594. in vaſtum Mogoris Imperium, inter Gangem & Indum, vicinoſque Perſas ſitum & aſſiduo labore catechizando, quatuor Regis magni Nepotes Chriſto tranſcripſit. Aditis non ſemel capitis periculis Chriſtianam ſuam conſtantiam declarauit. Lahore Ciuitate Regia à populo lapidatus eſt. Armeni transfugæ, & apud Regem gratioſi opera in diſcrimen adductus, Chriſtianæ legis caſtitatem fortiſſimè propugnauit. Scilicet coniugis ſua vita functæ ſororem appetebat ille ad nuptias, in quas noluerat conſentire Xauerius. Ergo in nouam ille ſectam à Rege primum architectatam, deſertor Chriſti tranſiuit, & gratiæ loco poſtulauit, vt accerſitus Xauerius ad aſſenſum vrgeretur. Verum robuſtus Athleta, nihil in tam pulchra cauſa reueritus Regis Maieſtatem, & ſuffragium negauit inceſtui, & Regiam publicè ſectam damnauit, certus morti occurrere, ſi eâ causâ inferretur, Proceribus religioſi pectoris conſtantiam admirantibus. Ægrè quidem ea libertas Regem habuit, ſed ſuos tamen impetus repreſſit. Iterum atque adeo crebriùs iram Regis ſua magnanimitate contempſit, domuitque obiectu capitis. Sed Deus ſeruauit illum incolumem, ne deſtitueretur immaturè ſuo cultore, nec dum ſatis ſubactum nouale. Perſeuerauit igitur in ſua ſtatione, ſequens Regem quoquò ille mouebat aulam vſque ad annum 1617. quo Goæ iam redux è Mogore ad diem 17. Iunij naturæ conceſſit. Fama laborum Apoſtolicorum fecit, vt a Philippo III. Rege Hiſpaniarum nominatus fuerit in Archiepiſcopum Angamalenſem, ſed mors interceſſit. Inſigni encomio laudes eius celebrat Georgius Cardoſus in ſua Apologia ad diem 17. Iunij. Scripſit Perſica lingua, & latina Xauerius

Librum de Myſterijs Fidei Chriſtianæ inſcriptum *Fons vitæ* aduerſus Sectas Infidelium præſertim Mahumetanorum 1600.

Compendium, ſeu ſummam eiuſdem operis.

De Vita, Miraculis, Doctrina Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Item

Vitas Apoſtolorum.

Martyrum Hiſtoricas, reſq; geſtas Sanctorum.

Dire-

Directorium Regum ad Regni gubernationem. Item

Litteras ex India, & ex Mogore. Scripſit quæ circumferuntur.

Hiſtoriam Chriſti, & Hiſtoriam S. Petri ab ipſo conſcriptam, nuper latine reddidit, & cum Perſico textu in lucem edidit homo Acatholicus L.D. Lugduni Batauorum typis Elzerianis, additis animaduerſionibus Hæreticis, & rogo dignis. Cæterùm non infideliter textum interpretatus eſt, ſi nonnulla demas, quæ fortaſſis codex ipſius vitiatus habuit. Aliqua hic annotare non piget, ex obſeruantia doctiſſimi non minùs quam Illuſtriſſimi Viri Petri de Valle, qui ex m. ſ. Codice correctiore totam verſionem diligenter recenſuit.

Pagina 25. pro eo quod Interpres reddit: *O vtinam ego ancilla iſta mulier ſim, &c.* rectius vertendum erat: *O vtinam ego ancilla illius mulieris ſim, &c.*

Pagina 30. pro *Tanta gloria, & maieſtas in forma eius apparebat, vt improbus terribilis, &c.* Rectiùs ſic: *Tanta gloria & maieſtas in forma eius erat, vt improbus quiſque & diſperſus corde, cum vultum eius reſpiceret, colligeret ſe, & retraheret, & alius homo fieret.*

Pag. 41. pro *Poſtquam tranſiſſent aliquot horæ,* interpretare poſt *aliquantulum horæ.* Reliqua menda omitto.

Quæ vero in animaduerſionibus, circa hæc ipſa loca notat tamquam ex malo corde producta, expurgandæ ſunt vti & notæ marginales plures ad textum adiectæ, & omninò totæ Animaduerſiones, præfationes, & reliqua eius additamenta.

Ob has & ſimiles corruptiones huius Hæretici Interpretis Ludouici de Dieu, meritò damnata eſt, & proſcripta, Hiſtoria illa Chriſti Perſicè conſcripta, & Latinè reddita, & animaduerſionibus notata à dicto Ludouico de Dieu, à Sacra Congregatione Indicis, in tribus Decretis, annis 1661. & 1662. promulgatis vna cum annexa Hiſtoria Sancti Petri.

* HIPPOLYTVS GRASSETTVS natione Italus, patria Mutinenſis, natus anno ſæculi præterlabentis III. Societati ſe addixit 1619. & votorum quatuor profeſſionem emiſit. Rhetoricam docuit quadriennio, Theologiam Moralem magna cum laude ſexennio. Rexit Collegium Placentinum, & in rebus ad Theologum ſpectantibus per multum eius opera vſi ſunt duo eiuſdē Vrbis vigilantiſſimi Antiſtites. Inter cæteras eius virtutes magna eluxit caritas erga proximos, & in adiuuandis moribundis inſigni fuit dexteritate præditus, vt propterea à Sereniſſimo Parmæ Duce Odoardo, nec non ab Eminentiſſimo fratre illius Cardinale Franciſco Maria in periculo mortis conſtitutis euocatus fuerit, vt ipſis aſſiſteret. Huiuſmodi laboris ſui tamquam præmium agnouit, magnam mentis tranquillitatem, qua ad vltimum pene ſpiritum ſui tempos deceſſit Placentiæ die 12. Ianuarij 1663. Edidit

Epigrammatum Librum. Placentiæ typis Ioannis Bazachij 1660. in 8. Item

De Homicidio proditorio. Lugduni ſumptibus Benedicti Coral 1660. in folio

Impreſſurus erat *Deciſiones caſuum, quàm plurimas, & librum de Miraculis*. Sed hæc meditantem mors demeſſuit.

* HIPPOLYTVS MARIA PERGAMVS natione Italus, patria Taurinenſis, natus anno ſæculi proximè euoluti 94. Deo ſe in Societate deuouit voluentis II. & vota quatuor ſolemnia nuncupauit. Politiores diſciplinas tradidit quinquennio; & rexit Collegium Montis Regalis in Pedemontio, ſed maximam ætatis ſuæ partem in ſacris Concionibus per Italiam magno zelo habendis, ſpatio annorum duodetriginta conſumpſit. Demum octogenario maior laborum mercede donandus, viam vitæ æternæ ingreſſus eſt Taurini die 5. Aprilis huius anni 1675. Illum R. D. Andreas Roſſottus Syllabo ſcriptorum Pedemontij inſeruit, quia ſcripſit

De Epiſtola B. Mariæ Virginis ad Meſſanenſes. Meſſanæ 1644. in 4.

Vulgauit etiam typis

Orationem habitam Lucæ in Hetruria.

HIPPOLYTVS PANZIROLVS natione Italus, patria Rhegio Lepidi, admiſſus in Societatem anno ſalutis 1571. ætatis 17. tria vota ſolemnia profeſſus eſt. Docuit Humaniores litteras, & confeſſarij munere annis plurimis cum laude perfunctus eſt. Obijt Tuſculi die 14. Martij anno 1624. Edidit ſub nomine Octauij Panziroli Italicè

Theſauros abſconditos vrbis Romæ. Romæ apud Aloyſium Zannettum 1600. in 4. Recuſos iiſdem typis 1625. in 8.

* HIPPOLYTVS SANGEORGIVS, natione Italus, patria Oppido Sancti Georgij diœceſis Taurinenſis, natus anno ſæculi voluentis 20. Societatem complexus eſt 1639. & ſolemni votorum quatuor ſacramento ſe ei adſtrinxit. Docuit Rhetoricam, & amæniores litteras; Linguam Sanctam, & Philoſophiam: Miſſiones aliquot annis obiuit; Rexit Collegium Montis-Regalis, Domum probationis Cherienſem, & Collegium Taurinenſe. Edidit Latinè

Immaculatum Roſarium, ſiue CL. Anagrammata Elementaria, & pura, ex Angelicis verbis, Aue Maria, gratia plena, Dominus tecum. Sub nomine Gratioſi Eremicolæ. Taurini typis Bartholomæi Zapata 1662. in 4. Italicè edidit

Exequias in funere Illuſtriſsimi D. Auguſtini Chieſa Epiſcopi Saluzzienſis 1662.

Lilium funebre Panegyricum in Exequijs Sereniſſimæ Duciſſæ Chriſtianæ, in Monte Regali

Epigrammatum, & Anagrammatum Libros II. & Alia præmanibus habet.

HO-

* HONORATVS FABRI natione Gallus, patria Sebuſianus, in diœceſi Bellicenſi, natus anno ſæculi fluentis ſeptimo; Societati nomen dedit Auenione die 28. Octobris 1626. & ſolemne quatuor votorun ſacramentum dixit. Vir diſciplinis omnibus Philoſophicis, Mathematicis, Theologicis inſigniter excultus. Philoſophiam Lugduni octennio profeſſus eſt; Matheſim ſexennio tanto diſcipulorum concurſu, vt ab eius ore celeberrimi illius Gymnaſij Iuuentus tota pendere videretur. Inde euocatus à Præpoſito Generali Vincentio Carafa Romam ad munus Pœnitentiarij Pontificij in Baſilica Vaticana, vtiliſſimam eo loci ab annis iam 28. nauat operam, ob inſignem eruditionem, & religioſas virtutes, non paucis Præſulibus, atque etiam Purpuratis Patribus apprimè carus. Multa ſcripſit, typiſque vulgauit; plura tamen affecta, & prælo parata adhuc penes ſe premit. Edidit hactenus

Philoſophiam vniuerſam per Propoſitiones digeſtam cum ſuis momentis rationum. Lugduni 1646. in folio

Logicam Analyticam. Lugduni apud Ioannem Champion 1646. in 4.

De motu locali corporis. Ibidem ijſdem typis, & anno in 4.

Theſes de vniuerſa Mathematica. Ibidem eodem anno 4..

Metaphyſicam demonſtratiuam. Ibidem apud eundem 1648. in 4.

Vnam fidem vnius Eccleſiæ Romanæ, contra Indifferentes huius ſæculi. Dilingæ formis Academicis. 1657. in 8.

Pithanophylum de Opinione probabili. Romæ apud Franciſcum Corbellettum 1659 in 4.

Opuſculum Geometricum de linea ſinuum. Sub nomine Antimi Farbij. Romæ apud eundem 1659. in 4.

Annotationem, & ſyſtema Saturninum Euſtachij. Romæ apud Ioannem Dragondellum 1660. in 8. iterum. Ibidem 1665.

Corollam Virgineam de Immaculata Conceptione B. V. Editam primo in Hiſpania, tùm Panormi, mox Bruxellis 1661. in 12. poſtea auctam Coloniæ. Sub nomine Hugonis Sifilini.

Hermanni Conringij concuſſionem excuſſam, & Romanæ Fidei firmitatem inconcuſſam. Auguſtæ Vindelicorum apud Simonem Vtzſcheiden 1664. in 12.

Puluerem Peruuinum febrifugum vindicatum. Sub nomine Antimi Coningij. Romæ 1655. in 8.

Dialogos Phyſicos de Motu Terræ, & Marino æſtu. Lugduni apud Chriſtophorum fourmij 1665. in 4

Dialogorum Phyſicorum Partem II. Lugduni 1669. in 8.

Synopſim Opticam, in qua omnia, quæ ad Opticam Dioptricam, & Catoptricam pertinent, demonſtrantur. Lugduni ſumptibus Horatij Boiſſat, & Georgij Remens 1667. in 4.

Phyſicam, ſeu rerum corporearum ſcientiam tomis 5. *in* 4. Quorum 1. 2. 3. & 4. prodierunt Lugduni apud Laur. Aniſſon 1669. & 1670. 5. Pariſijs apud Franciſcum Muguet 1666.

Summulam Theologiæ continentem vniuerſam Theologiam. Lugduni 1639. in 4.

Euphiandrum, ſeu virum ingenioſum. Lugduni apud Antonium Molin 1669. in 12.

Synopſim Geometricam. Lugduni apud eundem 1669. in 12.

Apologeticum Doctrinæ Moralis Societatis Ieſu, in quo varijs tractatibus diuerſorum Auctorum Opuſcula confutantur. Lugduni apud Laurentium Aniſſon 1670. recuſum Coloniæ apud Viduam Buſæi 1671. in folio. II. Tomis. Sed hic prohibitus eſt à S. Congregatione Indicis.

Edita etiam tribuuntur eidem, quamquam ipſe non agnoſcit pro ſuis.

Notæ in Notas Vendrochij. Sub nomine Bernardi Stubrockij Bruxellis in 8. 1659.

Refutatio 18. *Epiſtolarum Montaltij, ſub eodem nomine.* Coloniæ in 8. 1660. & forte alia.

HONORATVS NIQVETVS natione Gallus, patria Auenionenſis, ingreſſus in Societatem anno 1602. ætatis 17. vota quatuor profeſſus, magnas nactus à natura dotes, plurima poſt ſe reliquit virtutum omnium exempla. Philoſophiam, & Theologiam Flexiæ docuit, Cenſor librorum Romæ, & Theologus Præpoſiti Generalis per octennium fuit. Conciones per totam Galliam habuit. Rexit Collegia Bituricenſe bis, Cadomenſe, Rothomagenſe; & Inſtructor Noſtrorum in Schola affectus, ſeu tertia probatione fuit; vbique cum laude, vt dubium reliquerit, vtrum virtute magis, an doctrina excelluerit. Sactam Triadem præcipuè veneratus eſt, eiuſque ſingularem cultum ſcripto, & exemplo docuit, tùm Deiparæ venerationi tenerrimè addictus fuit. Ad aram priuſquàm faceret, Sacro quotidie ſolebat intereſſe, quod & poſtquam celebraſſet obſeruabat. Pauperum egeſtatis nauum ſe geſſit prouiſorem, atque ſodalitatem Miſericordiæ inſtituit Rothomagi, quod etiamnum perſeuerat. Obedientiæ in Superiores, mortificationis, & abnegationis propriæ obſeruator ſedulus fuit. Denique dilectionis Dei ſuper omnia actibus frequenter addictus, poſt ſuſcepta piè vltima Sacramenta Eccleſiæ, in ipſo amoris Dei exercitio placidè conquieuit Rothomagi die 22. Maij 1667. Edidit Gallicè

Certamen Geneuæ, ſeu Errores deprehenſos in Gallica Noui Teſtamenti translatione Geneuæ facta. Flexiæ apud Ludouicum Hebert 1620. & Alenconij 1638. in 8.

Apologiam Ordinis Fontis Ebraldi. Pariſijs apud Michaelem Solij 1641.

Hiſtoriam Ordinis Fontis Ebraldi, typis ijſdem 1642. in 4.

Vitam P. Gabrielis Mariæ Inſtitutoris Ordinis

dmis *B.V. Annuntiatæ*, typis iiſdem 1655.

Seruum B. Virginis Rhotomagi, apud Richardum Lallemant 1659. latine vulgauit

Phyſiognomiam Humanam lib. 4. diſtinctam. Lugduni apud Proſtium 1648. in 4.

Titulum Sanctæ Crucis, ſeu Hiſtoriam, & Myſterium Tituli Sanctæ Crucis Domini Noſtri Ieſu Chriſti. Pariſijs apud Antonium Bertier 1648. in 8.

Stimulum ingrati animi. Rhotomagi apud Petrum Habault 1661. in 8.

De Angelo Gabriele. Lugduni 1653. in 8.

Nomenclatorem Marianum. Rhotomagi typis Laurentij Maury 1664. in 4.

Vitam Sanctæ Solangiæ Virginis, & Martyris Bituricenſis. Gallicè. Biturigibus 1655. in 8.

Iconologiam Marianam, ſeu Iudicium de Imaginibus Beatiſſimæ Virginis. 1667. in 8.

Parauerat typis *Selecta Elogia, ſeu Nomenclatorem Sanctorum, & celebriorum Scriptorum in Eccleſia*. Sed mors interceſſit

HONORATVS RIO natione Hiſpanus, gente Catalaunus ex Oppido Sancti Hippolyti Diœceſis Elnenſis in Comitatu Roſſilionis, Societatem amplexus eſt anno ſalutis 1606. ætatis ſuæ 20. & votorum 4. profeſſionem emiſit. Multis annis egit magno feruore & fructu Concionatorem Apoſtolicum, religiosè obijt Perpiniani die 24. Septembris 1644. Edidit Hiſpanicè libellum

De valore, & fructu Miſſæ, & modo eam offerendi.

Præterea tacito ſuo nomine, adſcripto dumtaxat titulo, Sacerdotis cuiuſdam è Societate Ieſu, edidit

Cathechiſmum hortatu Illuſtriſſimi Domini Franciſci Lopez de Mendoza Epiſcopi Elnenſis, qui eum iuſſit tota ſua Diœceſi populo explicari. Edidit etiam lingua vernacula

De Purgatorio.

Tractatum de Aeternitate.

De Indulgentijs.

Rationes ad peccatorum dolorem excitandum.

Remedia ad Caſtitatem tuendam.

Exercitia varia.

Epitomem vtiliſſimam de Contritione, eius declaratione, motiuis, & medijs ad eam conſequendam. Barcinone apud Gabrielem Nogues 1638. in 8.

* HORATIVS CAROCHI natione Italus, patria Florentinus Societati ſe adſcripſit Romæ anno ſalutis 1601. ætatis ſuę 22. & nondum abſolutis Philoſophiæ ſtudijs ad lucra animarum nauigauit in Indiam Occidentalem anno 1605. & Mexici votis 4. ſolemnibus ſe adſtrinxit. Vir linguarum peregrinarum eruditione clarus; Operarius Indorum triginta annorum ſpatio indefeſſus; Socius aliquamdiu itinerum, & curarum Prouincialis; Rexit Collegium Topozotlanum, nominatuſque eſt à Præpoſito Generali in Rectorem Collegij Mexicani, necnon Præpoſitum Domus Profeſſæ. Ibidem, tandem plenus dierum, ac bonorum operum octogenario maior quieuit in Domino circa annum 1666. Edidit

Artem copioſiſſimam linguæ Mexicanæ, ea præceptorum claritate, vt linguæ latinæ peritus, breui tempore, & ſine Magiſtro poſſit illam condiſcere. Mexici apud Ioannem Ruiz 1645. in 4. Reliquit etiam moriens

Grammaticam linguæ Ottomiticæ, cuius eſt vſus in multis Miſſionibus per illas Regiones, & præterea

Lexicon, magnitudine, & verborum copia, par Calepino.

HORATIVS FERRARIVS natione Italus, patria Mutinenſis, Societatem ingreſſus anno ſalutis 1593. ætatis 18. votorum 4. profeſſionem emiſit. Philoſophiæ, & Sacræ Scripturæ in Parmenſi Vniuerſitate Profeſſor fuit. Mutinenſe Collegium bis, Mantuanum ſemel adminiſtrauit. Vir ſuauiſſimis moribus, & apprimè religioſus; carus tàm Noſtris, quàm Externis, & quo impulſore Sereniſſimus Dux Mantuæ Ferdinandus fundauit illam Academiam. Tandem Mutinæ è patrio ſolo ad cæleſtem patriam, vt fas eſt credere, emigrauit die 5. Septembris 1630. Edidit Italicè ſuppreſſo ſuo nomine

Fidum Conſiliarium in Connubijs Lib. III. Mutinæ 1627.

HORATIVS GRASSIVS natione Italus, patria Sauonéſi, quæ in Liguria Ciuitas eſt. Vir omni ſcientiarum genere excultus. Romæ cooptatus in Societatem anno ſalutis ſexcenteſimo ætatis ſuæ 18. vota 4. ſolemnia nuncupauit. Matheſim annis 11. Genuæ, & Romæ cum laude docuit. Architecturæ inſigniter peritus, formam ſeu ideam Templi Ludouiſiani S.P.N. Ignatio dedicati ad Collegium Romanum ipſe excogitauit, delineauitque. Rexit Collegium Sauonenſe, & demum Romam redux piè deceſſit ex hac vita in Collegio Romano die 23. Iulij 1654. Edidit ſuppreſſo ſuo nomine

Diſputationem Opticam de Iride, propoſitam in Collegio Romano à Galeatio Mariſcotto 1618. in 4.

Diſputationem Aſtronomicam de tribus Cometis anni 1618. habitam in Collegio Romano. Romæ typis Maſcardi 1619. in 4. ſub nomine autem Lotharij Sarſij edidit

Libram Aſtronomicam, & Philoſophicam, qua Galilæi opiniones examinantur. Peruſij apud Marcum Naccarium 1619. in 4.

Rationem ponderum Libræ, & Symbellæ, in qua quid è Lotharij Libra quidque Galilæi Symbellatore contra libram edito, de Cometis ſtatuendum ſit, collatis vtrimque rationum momentis proponitur. Pariſijs & mox Neapoli apud Matthæum Nuccium 1627. in 4. Denique ſub ſuo nomine edidit

Orationem in Paraſceue habitam ad S.D.N. Vrbanum VIII. anno 1631. cum alijs eiuſdem argu-

argumenti, Romæ typis Maſcardi 1641. in 12.

HORATIVS PASSARDVS natione Italus, patria Romanus, ſed origine ducta Vercellis, admiſſus in Societatem Romæ anno ſalutis 1582. ætatis 18. Profeſſus vota quatuor ſolemnia, Conciones habuit ad populum & operarium egit in Domo Profeſſa Romana annis plurimis, in qua ſeptuagenario maior mortalitatem exuit die 28. Nouembris 1628. Habuit Genuæ

Orationem ad Senatum Genuenſem, in Laurentij Saulij eius Reipub. Ducis inauguratione, quam propinqui Ducis edi curarunt.

HORATIVS QVARANTA natione Italus, patria Salernitanus Societati adſcriptus anno ſalutis 1620. ætatis 16. Docuit in ea annos aliquot litteras humaniores, & dum inter nos eſſet, edidit

Orationem in inſtauratione ſtudiorum Collegij Capuani habitam, inſcriptam Hermares, qualis Sapiente ſub Duce militia. Neapoli apud Aegidium Longum 1629. in 4.

Orationem in funere P. D. Caroli Carafæ, Congregationis piorum Operariorum fundatoris, cum Epigraphe, Virtus Militaris Neapoli apud Ioannem Dominicum Montanarum 1633.

Phænicem. Orationem habitam in exequijs Gerardi Gambacurta.

* HORATIVS SMERALDVS natione Italus, patria Parmenſis natus anno ſeculi elapſi 92. Societatem amplexus eſt laurentis 9. & profeſſionem emiſit votorum trium ſolemnium. Rhetoricam docuit Noſtros, & Externos annis 11. deinde Sereniſſimum Principem Franciſcum Mariam Farneſium, poſtea Cardinalem, cui etiam fuit a ſacris Confeſſionibus, humanioribus litteris erudiuit. Fuit quoque Magiſter Nouitiorum, rexitque Domum Probationis Bononienſem, Collegia Rhegienſe Placentinum, & annos ſeptemdecim Collegium Nobilium Parmæ, cuius nunquam ſatis laudatæ inſtitutiones illius præcipue conſilijs, curiſque debentur. Tandem octogenarius ad laborum præmia euocatus eſt Parmę die 12. Maij 1672. edidit

Vitam Comitiſſæ Lucretiæ Scottæ. Placentiæ typis Ioannis Bazachij 1670. in 12.

HORATIVS TVRSELLINVS natione Italus, patria Romanus in ipſo adoleſcentiæ flore Societatem noſtram appetens aſſecutus eſt anno reparatæ ſalutis 1562. & cùm alijs, tùm Humanioribus potiſſimùm litteris excultus, illas per multos annos in Collegio Romano docuit. Seminarij Romani, Florentini etiam Collegij, ac Lauretani demum Rector fuit. Profeſſus eſt 4. vota anno à Chriſto nato 1578. Cùm autem animaduerteret Societati noſtræ valde neceſſarios eſſe homines politioribus diſciplinis eruditos, & ea re putaret ſacrificium ſe Deo gratum facturum, quòd munus non tam ſpecie, quàm re magnum amplecteretur, vltrò ſe in eo ſtudio conſeneſcere, ac mori paratum Patri noſtro Generali obtulit. Quod quidem quantum in ſe fuit egregiè præſtitit, inſigni cum bono huiuſmodi litterarum; ad 22. enim annos docuit, ac perrecturus erat quoad vita vireſque ſuppeterent. Exceſſit è viuis Romæ anno Chriſti 1599. die 6. Aprilis cùm ipſe ætatis annum ageret 54. Vir fuit ex vna parte planè innocens, mirificæ comitatis, qui neſciret de quoquam niſi benè mereri, ac benè loqui; religione, animi demiſſione, modeſtia, affabilitate, manſuetudine, cæteriſque virtutibus ſupra modum, amabilis, cuius, candidiſſimi animi imago in ipſis eius libris elucet. Ex altera verò parte pereruditus, laborioſus, factus cùm ad docendum maiore cum fructu, quàm pompa, tùm ad dicendum pereleganter, ac ſanè latinè; cuius linguæ obſeruationes ita tenuit, vt paucos habuiſſe pares exiſtimetur. Scripſit Turſellinus latinè

De Vita Sancti Franciſci Xauerij Libros 4. Romæ typis Gabianis 1594. in 8. poſtea cum auctario, libros ſex. Romæ typis Zannetti, 1596. in 4. mox Antuerpiæ 1596. in 8. demum cum alio *auctario Miraculorum* ex Relatione facta in Conciſtorio ſecreto coram S. D. N. Gregorio XV. Pont. Max. acceptorum Monachij apud Cornelium Leiſſerium 1627. in 16. Eam fecit Hiſpanicam Petrus Guzman, alii in alias linguas verterunt

Epiſtolarum eiuſdem Sancti Franciſci Xauerij lib. 4 quas in vnum corpus collegit, atque eleganter ex Hiſpano ſermone latinas fecit. Romæ apud Aloyſium Zannettum, 1596. in 4.

Lauretanæ Hiſtoriæ Libros 5. Romæ apud eundem 1597. Moguntiæ apud Balthaſarem Lippium 1598. & 1595. in 8.

Litteras annuas Societatis Ieſu 1593.

De Particulis latinæ Orationis. Romæ 1598. Moguntiæ apud Lippium 1599. iterum Romæ 1598. in 12.

Nomenclatorem vocum latinarum. Romæ apud Guilielmum Facciottum 1605. in 8.

Orationem Funebrem in morte Gregorij XIII. Pont. Max.

Varia Poëmata; & Tragædias Sacras

Reliquit præterea poſt ſe plura Opuſcula ex quibus in lucem hactenus prodiit;

Epitome Hiſtoriarum à Mundo condito Libris 10. Romæ primùm; deinde correctius, quamuis non ſine multis adhuc mendis, Coloniæ, ſumptibus Bern. Gualteri 1621. & rurſus 1627. in 12. Eam Epitomen tranſtulit Italicè cum Additamento ad hos vſque annos Ludouicus Aurelius Peruſiæ 1633. in 12.

* HORTENSIVS PALLAVICINVS natione Italus, patria Mediolanenſis, natus anno octauo ſæculi præterfluentis, Societati ſe addixit 1624. & votorum quatuor nuncupatione ſe ei obſtrinxit. Artem Eloquentiæ ſex annis profeſſus eſt, & totidem Philoſophiam naturalem, biennio moralem, Theologiam Scholaſticam octennio explicuit. Præpoſitus gu-

bernauit

bernauit Domum Profeſſam Mediolani, & nunc ibidem ſedulam proximis in miniſterijs Societatis nauat operam; edidit Latinè

Auſtriacos Cæſares Mariæ Annæ Auſtriacæ Hiſpaniarum Reginæ in Dotale auſpicium, exhibitos, partim vincta, partim ſoluta Oratione. Mediolani typis Ludouici Montij 1649. in 4.

Magnæ Deiparæ vitam Encomiaſticè, & Hiſtoricè deſcriptam. Mediolani typis Philippi Ghiſulphij 1657. tom. 2. in 12. Italice vulgauit

Encomia, ſeu Prærogatiuas nominis Ieſu. Mediolani typis ijſdem 1661. in 8.

Mariam Matrem Agonizantium centum exemplis demonſtratam. Mediolani typis ijſdem 1669. in 12.

HORTENSIVS SCAMACCA natione Siculus, patria Leontinus, Ioſephum fratrem ſuum germanum natu maiorem anno 1582. ad Societatem noſtram ſecutus eſt. Vir miri candoris, & prudentiſſimæ ſimplicitatis, omnibus diſciplinis benè inſtructus, ſed inſigniter Humanioribus eruditus; Græcè etiam, Hæbraicè, atque Arabicè egregie doctus, quatuor votorum profeſſus. Sacras olim Litteras cum laude eſt interpretatus. Domeſticæ diſciplinæ legum exactor ſibi fuit ſeueriſſimus. Paupertatem miro ſtudio coluit; nulla in cubiculo præter ſcripta, paucoſquè, quibus vtebatur libris ſupellectile. Summum erga Deum, Deiparamque amorem, aſſiduæ preces, accenſa colloquia de Diuinis rebus, & obortæ ſæpius inter differendum lacrymæ detegebant. Tandem octogenario ſex annis maior quieuit in Domino Panormi die 16. Februarij 1648. Edidit Italicè Externorum quaſi Collectorum nominibus, ſed ſub finem vitæ ſuo etiam nomine impreſſas ſecundò

Tragœdias 44. tomis 14. in 12. Panormi typis, & annis varijs nempe per Ioannem Baptiſtam Maringam 1632. & ſequentibus per Nicolaum Buam 1644. & alias

HVBERTVS LINTZ natione Germanus, patria Colonienſis, anno 1611. vicennis in Societatem ingreſſus, Matheſim, & Philoſophiam de moribus cum laude docuit. Obijt Selingenſtadij ad Mænum die 24. Decembris anno 1634. edidit

Canonem ſinuum accommodatum ad decempedam. Herbipoli typis Ioannis Volmari 1625. in 4.

* HVBERTVS MVGNIER natione Gallus, patria Ioinuillanus, diœceſis Catalaunenſis cooptatus in Societatem anno ſæculi decurrentis 16. ætatis ſuæ 18. vota quatuor ſolemni ritu concepit, Rhetoricam, & amæniores litteras docuit ſeptennio; tùm Philoſophiam, & multis annis Eccleſiaſten egit. Fuit etiam Pœnitentiarius Pontificius ad Baſilicam Vaticanam, & Sereniſſimo Principi Condæo à Sacris Confeſſionibus per plures annos, & Collegium Senonenſe gubernauit. Ad portum ſalutis æternæ applicuit (vt fas eſt ſperare) Rhemis die 25. Septembris 1651. Edidit Gallice

Veram Politicam Principis Chriſtiani. Pariſijs apud Sebaſtianum Picquet 1647. in 4.

* HVBERTVS VVILTHEIM natione Belga, natus Vitopoli in Ducatu Luxemburgenſi, anno ſæculi proximè euoluti 90. vicennis Deo ſe in Societate dicauit voluentis 10. & vota quatuor ſolemnia nuncupauit. Docuit Rhetoricam, Philoſophiam, & Theologiam Moralem. Vir animi excelſi, & ad gubernandum idonei. Rexit Collegia Luxemburgenſe, Namurcenſe, Leodienſe, Duacenſe ſecundùm, & ſecundum quoque totam Prouinciam Gallobelgicam; quo munere dum fungeretur, interfuit Congregationi Generali vndecimæ, Romæ. Magnitudini animi par fuit rerum agendarum peritia, eamquè ob cauſam magna fuit apud exteros auctoritate. Societatem velut optimam matrem tenerè amabat, eiuſque incrementis ita affici ſæpe viſus eſt, vt dulces præ gaudio lacrymas continere nequiuerit. Sancti P. N. non ſolùm cultor egregius, ſed, & imitator eſſe ſtuduit; eius cœleſtem prudentiam, & caritatem ſæpe animo voluens, alijſque ad exemplum proponens. Morbis, doloribusque quos acerrimos à calculo tulit, ſemper maior, donec deficientibus ſenſim viribus, ad ſuperos (vt ſperamus) abijt Luxemburgi die 15. Februarij 1665. Edidit Latinè

Monita, & Exempla gubernandi, à Chriſto, eiuſquè imitatore S. P. Ignatio relicta: Inſulis typis Ign. & Nicol. de Rache 1658. in 12. quæ Gallicè reddidit noſter Antonius Girard

HVGO ROTH natione Germanus, patria Auguſtanus, patritio ſanguine, vir fuit Latinè Græcè, & Hæbraicè doctus. Explicuit in Scholis Sacras Litteras, Theologiam moralem, & Philoſophiam. Diuerſa Collegia rexit; annis autem permultis Tironum Societatis, ac Patrum tertiæ Probationis in ſpiritualibus rebus magiſter fuit, in quo munere vitam poſuit, Eberſpergæ die 18. Februarij anno 1636. cum vixiſſet annos 66. in Societate 52. vota quatuor profeſſus ab anno 1604. Homo ſingularis prudentiæ, & mirificè ſolidarum virtutum; in cuius conſilijs, & actionibus, nihil vnquam fucatum apparuit: ſpiritu Sanctorum Patrum per aſſiduam illorum lectionem, imitationemquè repletus; ita Diuinæ voluntatis placitis conſecratus, nullo, vt vnquam aduerſo caſu turbaretur. Diſciplinæ religioſæ rigorem inter ſuos mira ſuauitate condiebat. Humilitatis profundiſſimæ fuit, qua Heroicas virtutum actiones ſolertiſſimè contegebat. Patientiæ ferreæ, qua morbos acutiſſimos, nullo doloris ſigno pertulit. Senſus ita frænabat, vt quondam, piæ actioni ſcenicæ coactus intereſſe, illam non viderit. Religioſam paupertatem dilexit tenerrimè, exquiſitiora omnia, quibus indigere pariter, & digniſſimus eſſe videbatur, peroſus. Senex denique fuit ſine vllo ſenii vitio, non moroſus, non querulus

Digitized by Google

lus, non obſequijs aliorum fouendus. Neque obſcura dedit argumenta, ſe vltimam ſuam horam præſciuiſſe. Scripſit latinè

Viam Regiam virtutis, & vitæ ſpiritualis, omnium religioſorum Inſtitutis accommodatam. Monachij formis Cornelij Leyſſerij 1639. in 8. Item ſub alieno nomine

Defenſionem Libri De Gemitu Columbæ Card. Bellarmini. Monachij 1631. in 8.

HVGO SEMPILIVS natione Scotus, patria Craigbaiſæus, vir placidiſſimis moribus, & multarum linguarum peritia inſtructus in Societatem adlectus in Prouincia Toletana anno ſalutis 1615. ætatis 21. votorum 4. profeſſionem emiſit. Mathematicis ſcientijs excellens, plurimis Procerum in Regia Philippi Regis Catholici fuit peracceptus, vbi & naturæ conceſſit die 29. Septembris 1654. edidit

De Mathematicis Diſciplinis Lib. xy. in quibus earum vtilitas, dignitas, natura, diuiſio explicantur. Antuerpiæ typis Plantinianis Ioannis Moretti 1635. Item

Experientiam Mathematicam, De Compoſitione, & diuiſione numerorum, linearum, quadratorum &c. Matriti ex typographia Regia 1642. in 8. parabat etiam

Dictionarium Mathematicum ordine Alphabetico, quo complecteretur, quidquid de qualibet dictione Mathematica ab antiquis, & recentioribus qualibet lingua Europæis nota, litteris traditum eſt, ſed morte præoccupatus non euulgauit.

HVMFREDVS LECIVS natione Anglus, patria Salopienſis, in Angliæ Vniuerſitatibus etiam tum Hæreticus, gradus litterarios ſuſcepit, cumque aliquando de Conſilijs Euangelicis concionem inſtituiſſet, ea dixit è Sanctorum Patrum ſententia, ob quæ grauia à Sectarijs perpeſſus eſt. Ergo abdicatis, quæ ibi habebat beneficijs, Orthodoxam Fidem amplexus, Romæ ad veræ Sapientiæ adeptionem incubuit in Collegio Anglicano, & anno Chriſti 1618. ætatis ſuæ 46. in Societatem noſtram cooptatus eſt. Demum in Anglicanam meſſem miſſus, multa collecta fruge, conſumptus in breui expleuit tempora multa, defunctus 18. Iunij anno ſalutis 1629. Scripſit Anglicè priuſquam ad Societatem veniret

Conſiderationes humiles Sereniſſimo Iacobo Regi Angliæ porrigendas circa Epiſtolam Regis præmonitoriam ad Principes Chriſtianos. Audomari 1609. Item

Triumphum Veritatis, Conſilia præſertim Euangelica propugnantem cum appendice de ſua ad Catholicam Fidem conuerſione. Duaci 1609. in 8.

HVMFREDVS VVODVVARDVS natione Anglus, Romæ in Societatem cooptatus anno 1577. ætatis 25. Mediolani diu ſacras litteras interpretatus eſt, mira vir eruditione, & ſcientia colendi Dei, ibidemque obijt die 30. Nouemb. 1587. Reliquit poſt ſe

Commentarios in Pſalmos, valde eruditos, qui Mediolani ſeruantur M.ſ. & præterea in Bibliotheca Collegij Romani exſtat eorum exemplum. Eum verò hic prætetire non debui cum recenſeatur ab Antonio Poſſeuino in Apparatu Sacro, Verbo, Dauid

HYACINTHVS HVRANDVS natione Italus, patria Romanus, ſed ducta ab Eburonibus origine, cuius Pater compoſita vxore Subdatarius diu fuit Vrbani VIII. Pont. Max. Societatem complexus eſt Romæ anno ſalutis 1625. ætatis 16. & litteras amæniores quadriennio in ea docuit. Dum Theologiæ nauaret operam incenſus ſtudio lucrandi Deo animas in Indijs, Miſſionem illam petiuit, & impetrauit anno Domini 1638. & delatus in Prouinciam Iaponiæ, Miſſioni Cocincinenſi applicatus eſt, ſed non licuit diu nobis eius feruore frui, nam in ipſo fere aditu illius Miſſionis euocatus à Deo eſt ad laborum ſtipendia die 10. Octobris 1647. Edidit dum adhuc in Italia degeret, Carmen heroicum inſcriptum

Muſarum Architectura in Templi Vrbeuetani deſcriptione. Vrbeueteri typis Rinaldi Riuk 1632. in 4. Item

Orationem in funere Pompeij Mangionij vtriuſque Signaturæ Decani habitam Romæ anno 1635. Romæ apud Paulum Maſottum in 4.

* HYACINTHVS DE MAGISTRIS natione Italus in Diœceſi Cremonenſi natus, Societati nomen dedit in Prouincia Veneta, anno ſæculi voluentis 26. ſuæ ætatis 21. & votorum 4. ſacramento ſolemni ſe obligauit. Poſt traditas ſeptennio litteras humaniores, & decurſa ſtudiorum ſpatia, ad lucra animarum nauigauit in Indiam Orientis Solis, & in Malabarica Prouincia multis annis operarium gnauum egit. Linguas Malabaricam, & Surianam exquiſitè addidicit, & ob ſingularem prudentiam, pietatem, & agendi dexteritatem ab Archiepiſcopo Cranganorenſi adlectus eſt in Socium, & Confeſſarium. Bis miſſus eſt ex illa Prouincia Procurator in Europam ad negotia, & interfuit Congregationi Generali vndecimæ Romæ cum iure ſuffragij. Ex Europa dein deſtinatus eſt à Præpoſito Generali R. P. N. Ioanne Paulo Oliua Viſitator in Braſiliam. Inde redux in Luſitaniam, tertiò tranſmiſit in Indiam, & demum Goæ in munere Inſtructoris Patrum tertiæ probationis, vir laborum pro Chriſto appetentiſſimus ex loco peregrinationis huius vitæ, in cæleſtem patriam vt ſperamus, emigrauit die 11. Nouembris 1668. Edidit Italice dum Romæ moraretur

Relationem de Chriſtianitate Madurenſi in India, & rebus geſtis Patrum Societatis Ieſu in Prouincia Malabarica, Romæ per Angelum Bernabò del Verme 1661. in 8. quam Gallicè reddidit noſter Iacobus de Machault. Pariſiis 1663.

* HYACINTHVS MANARA natione Italus, patria Cremonenſis natus anno ſæculi præterlapſi 97. Societati ſe inſeruit præterlabentis

bentis 26. iam tum Sacerdos, & vtriuſque Iuris doctorali laurea donatus. Rexit Collegia Balneocaballenſe, & Imolenſe, vir inſigniter pius, ſolitus ſingulis noctibus etiam hyeme, ſurgere ad matutinas preces recitandas, quando inaudiebat ſignum æris campani ad eas dari apud vicinos Patres Capucinos, ac præter horas Canonicas omnibus communes, adiungebat Officium de Sancto Antonio Patauino, quem ſingulari ſtudio colebat. Spiritualis Coadiutor pridem antea formatus, religioſè deceſſit Foroliuij die 29. Ianuarij 1662. Edidit Italicè librum, cui titulum fecit

Noctes Melanconicas, *in quo tractat de adiuuandis Condemnatis ad mortem*. Bononiæ 1658. Reliquit abſolutum aliud opus inſcriptum

Dies lætos, quo docet modum vitandi peccata in omni conuerſatione humana

HYACINTHVS PEREIRA natione Indus ex parentibus Luſitanis natus Malacæ anno ſæculi præteriti 98. Societati ſe addixit Goæ prætereuntis 15. & votorum 4. profeſſionem emiſit. Quadriennio docuit humaniores litteras; rexit Seminarium Goæ, & Collegium Dienſe, functus eſt officio Patris Neophytorum Goę & Miſſiones varias obiuit ad Septentrionalem Prouinciæ plagam, & diù in pagis Salſetanis. Demum Bazaini naturæ conceſſit die 23. Nouembris 1657. Scripſit

Annuas litteras ex Malabare anni 1621. impreſſas Italicè inter alias annuas. Romæ typis Corbelletti 1627. in 8.

IACOBVS ALBERTVS natione Hiſpanus, patria Biſaldinenſis in Catalaunia, acri vir ingenio, Philoſophiam, ac Theologiam Bilbili, ac Barcinone cum laude profeſſus eſt. Rexit Oſcanum Collegium, & Gandienſe, atque in hoc, magno ſui relicto deſiderio ob morum facilitatem, qua gratus erat omnibus, deceſſit die 26. Auguſti anno ſalutis 1638. ætatis ſuæ 47. initæ Societatis 31. votorum 4. Profeſſus: Edidit Hiſpanice

Concionem in Comœdias peſtem Regnorum, quam cùm Oſcæ habuiſſet in die Circumciſionis Domini, titulum illi ex die fecit

Circumciſionem Comœdiarum. Ilerdæ apud Margaritam Angladam 1629. in 4. Item

Epiſtolam ad Prouinciam Aragoniæ de obitu P. Ioſephi Calatayudi. Cæſarauguſtæ apud Didacum Dormer 1637. in 4.

IACOBVS ALVAREZ DE PAZ natione Hiſpanus, patria Toletanus, honeſto loco natus, humanioribus litteris, & Philoſophia in ſcholis noſtris excultus, annum agens 18. in Societatem cooptatus eſt anno ſalutis 1578. die 24 Februarij. In tirocinio tantum profecit in diuinarum rerum cognitione, vt meditationes nonnullas, quas tum conſcripſit, non indignas iudicarent Patres grauiſſimi, quas ſibi deſcriberent. Compluti ſtudia Theologiæ emenſus ex Moderatorum ſuorum voluntate nauigauit in Regnum Peruanum, quo in curſu, cùm multas pertulit difficultates alias animo æquo, tùm verò ſitim ex aquæ potabilis penuria immanem, quæ multos mortales extinxit. Limæ Philoſophiam, ac Theologiam ſumma cum laude doctrinæ explicuit: eodem tempore cæleſtium rerum contemplationi, & ſenſuum accuratiſſimæ cuſtodiæ intentus. Quitenſi Collegio Rector datus, Marthã, Mariamque docuit exemplo ſuo coniunctiſſimas eſſe ſorores: idemque præſtitit dum Cuſci, dum Limæ præfuit, dum Prouinciam Vniuerſam ſexennio gubernauit. Potoſij à Prætore, Senatu, Nobilitate, populoque frequentiſſimo obuiam Sancto (ſic loquebantur) progreſſis exceptus, poſt paulò lethali morbo occupatus eſt. Mox ipſe qui ſuæ quietis eum deſtinatum eſſe locum diù ante dixerat, quamuis dehortantibus Medicis, totius vitæ Confeſſionem inſtituit, & reliquis cupiuit inſtrui Sacramentis. Rectoris dein, quem aiebat eo in actu ſibi præeſſe, manum poſtulauit ad oſculum: & confectis cum eo negotijs grauibus, Eccleſiæ precibus agoni accommodatis voluit adiuuari. Vbi ad ſolemne carmen *Proficiſcere anima*, deuentum eſt negauit horam adeſſe proficiſcédi, verùm ſe tempori admoniturum; interim iubere cum Deo tantiſper ſecretò agere, cuius præſentiſſimam tunc opem ſentiret, qui cum ſuas delicias tunc haberet. Nec multo pòſt accenſo cereo, Chriſti de Cruce pendentis ſigillum tenerrimè per vulnera diſuauiatus placidiſſimè expirauit die 17. Ianuarij anno ſalutis 1620. ætatis ſuæ 60. Funus maximo omnium Ordinum concurſu procuratum eſt, applicata paſſim corpori Roſaria, impoſita oſcula, poſtulata ad venerationem lipſana, ob eius ſanctimoniæ opinionem. Poſtridie iuſta perſoluta ſunt, & de viri laudibus inſtituta Panegyris, quæ tanto populi ſtudio celebrata eſt, vt in vrbe frequentiſſima, quæque ad centum millia metallariorum argenti numerat, nullæ patuerint ea die officinæ. Sepulchrum eius pergunt ſupplicabundè venerari, & Sancti recentis (ſic aiunt) beneficia expoſcere, & ſpe ſæpè non irrita, vt luculentis exemplis palam conſtitit. Et vero non nemini probatiſſimæ virtutis viſus eſt, cum clariſſimis lucis, ac Beatitatis argumentis. Corpus eius hodieque incorruptum indumentis ſæpe omnibus tabefactis, barbam, capilloſque progenerat, tamquam ſpiraret, & neſcio quid liquoris à ſe profundit, quo inuolucra omnia imbuit, quem digiti etiam a corpore pridem reuulſi diſtillant. Vir fuit omni virtute ornatiſſimus, & quod ad mortificationem quidem ſui attinet ipſe ſe velut penicillo de-

deſcripſit in eo tractatu, quo virtutem illam explicuit. Senſus omnes cuſtodiebat diligentiſſimè. Victus illi tam tenuis fuit, vt meritò diceres eum quotidie ieiunare. Flagra & cilicia vel iam affecta ætate, atque valetudine frequens vſurpabat. Virginitatem ab omni, vel minus cautæ cogitationis næuo ſeruauit indemnem. Quotidie ſeſe ante ſacrificandum per Exhomologeſim expiabat. Votúm à pluribus annis conceperat, nullum ſe peccatum veniale de induſtria admiſſurum; nullum Scriptorem prophanum lecturum; nimirùm, cùm ſtudio Italicæ linguæ diſcendæ, quò libros Aſceticos eo ſermone conſcriptos poſſet intelligere, in principem Poetam incidiſſet, tanta vanarum imaginum confuſione, & ariditate deuotionis mulctatus eſt, vt deinceps omni huiuſmodi lectione abſtinere decreuerit. Diuinarum rerum contemplationi mirificè fuit addictus, ſæpe ſublimis a terra, & igneo quaſi fulgore toto corpore perfuſus, magna in luce conſpectus eſt. Viginti quinque & eo ampliùs annis tam arcta cum Deo mentis coniunctione deuinctus egit, vt nullis vnquam negotijs, cum gubernatione coniunctis contigerit eam vel minimum intercipi: hinc rebus omnibus promptus intereſſe, libros de profundiſſimis myſterijs ſumma facilitate dictare, ſuauiſſimis ſemper affectibus abundare excellentiſſimos formare conceptus de diuinis rebus; in ſumma Deo ſemper præſente fruebatur. Cùm de Diuinis attributis aliquando prælegeret, adeò extra ſe abreptus eſt, vt inter diſcipulorum manus debuerit ad cubiculum deferri. Alia die celebrantem viſus eſt Chriſtus ſuauiſſimè amplexari, & faſſus ipſe eſt affectus vehementia ſe tum propè fuiſſe confectum. Id cùm illi ſæpiùs etiam inter concionandum eueniret, publico abſtinere decreuit, quoad Dei monitu iuſſus eſt ſolitas publicè functiones obire. Lucubrationibus ipſius luculentum acceſſit diuinitùs pondus commendationis, quod viſus ſit inter ſcribendum cæleſti fulgore circumfundi, & ab adſtante quopiam, viri grauis ſpecie, quæ ſcribebat in aurem excipere. Prouinciæ adminiſtrationem à Deo iuſſus eſt admittere, & quæ de Medicorum conſilio, gemina ſibi erat cauteria inuſturus, miſſa facere, quoniam afflictationes valetudinis erat in officij moleſtias conuerſurus. Hæc de Sanctiſſimi viri moribus pauca delibaſſe ſufficiat: vitam ipſe ſuam delineauit in ſuis, quæ exſtant operibus, vndè plura petet, qui volet. Scripſit

De Vita ſpirituali, eiuſque perfectione lib.9. Lugduni apud Horatium Cardon 1608. & rurſum 1611. & Moguntiæ ſumptibus Antonij Hierati apud Balthaſſarem Lippium 1614. in folio.

Huius Operis Compendium, à R.D. Ioanne à Gorcum Præsbytero Syluaducenſe digeſtum, Excudit Antuerpiæ Hieronymus Verduſſius apud Hæredes Martini Nutij 1620. in 8.

De Exterminatione mali, & promotione boni lib.5. Lugduni apud Horatium Cardon 1013. Moguntiæ apud Lippium 1614. in folio.

De Inquiſitione Pacis, ſiue ſtudio Orationis lib.5. Lugduni apud Horatium Cardon 1617. in folio.

Ex ijs verò, quæ His tribus tomis continentur, aliqui tractatus ſeorſim editi ſunt nimirum

De vita religiosè inſtituenda, ſiue de Quotidiana virtutum exercitatione. Coloniæ apud Ioannem Kinchium 1613. & rurſum 1014. in 12. qui deinde ab Auctore recognitus, & valde auctus prodijt duobus tomulis, lib. 4. Lugduni apud Iacobum Cardon, & P. Cauellat, 1620. in 8.

Meditationes tripartitæ. Coloniæ apud Antonium Boetzerum 1620. in 4.

De Humilitate virtutum omnium fundamento

De virtutum adeptione. Coloniæ

Reliquit etiam affectum opus

De Sacerdotum inſtitutione

IACOBVS ANTONIVS MARTHA natione Italus, patria Treuiſinus, admiſſus in Societatem anno ſalutis 1568. ætatis 24. poſt gubernationem Collegij Brixienſis, vota quatuor profeſſus, in Orientis Solis Indiam ex obedientia profectus, anno 1583. magno zelo nec minore fructu multos annos poſuit in gentium illarum animis excolendis, feliciterque ceſſit è vita in reſidentia Malacenſi, die 15. Auguſti anno 1599. Scripſit

De quatuor Temporibus anni

IACOBVS BALDE natione Germanus, patria Enſishemianus, natus anno ſæculi voluentis 3. Deo ſe in Societate mancipauit 1624. & votorum quatuor ſacramento ſe obſtrinxit. Sexennio Rhetoricam, & litteras amæniores docuit, Eccleſiaſten egit multis annis, etiam in aula Sereniſsimi Electoris Bauariæ. Interea complura edidit Opuſcula vincta oratione, quæ per totam Europam maximi habita ſunt, ipſiſque Acatholicis etiam adeo placuerunt, vt publico typo eum *Horatium Germanum* nominare non dubitarint. Hinc primi Senatorum Norimbergenſium pro ipſius calamo certarunt; quem qui demum nactus eſt, argento incluſum tenuiſſe aiunt. Ipſe Pontifex Alexander VII. Vraniam ab ipſo extremis laboribus elaboratam, adeo approbauit, vt miſſa ad ipſum aurea effigie ſua, teſtari id minime ſit dedignatus. Hanc verò Iacobus Deiparę Virgini anathema appendit, vt palàm faceret cui Palladi ipſe labores ſuos conſecraret. Par famæ ex illis Poëmatibus vtilitas exſtitit, cùm hinc, ſe iſte Orthodoxam Fidem, alius contemptum humanarum rerum hauſiſſe animo profiterentur. Ipſe inter huiuſcemodi publicos, ſibiquè non ignotos plauſus, vnus ſe abijcere, amæna caritate omnes complecti, Cenſores ſuos æquiſſimo animo ferre, paratiſſimus ad ſpongiam, vbi ijs videretur laboribus ſuis inducen-

ducendam. Aetate demum ad meram vrgente, ſubtrahebat ſe hominibus, & plena ſuſpirijs cum Deo colloquia miſcebat. Ad extremum graui hectica conſumptus, cum propter debilitatem pedum ſacrificare non poſſet bino quotidie ſacrificio genibus innixus, ſpectante populo, & admirante interfuit. Decumbere dein compulſus, biduum delegit quo ſolus cum Deo negotiaretur, tractaretque iter æternitatis, quod demum inijt. Neoburgi 9. Auguſti 1668. Edidit

Batrachomyomachiam Homeri tuba Romana cantatam lib. 6. Heroico carmine: addita etiam ad verbum *latina interpretatione Homerici poëmatij, & vſu huius ſuæ lucubrationis ad humanæ vitæ commodum*. Ingolſtadij typis Georgij Hænlini 1637 in 12.

Edidit etiam ſuppreſſo ſuo nomine

Maximilianum Primum Auſtriacum, nouo ſcribendi genere, modo, ſententijs metro illigatis, modo in diffuſius dicendi genus ſparſis, affine Epidictico, res præclare geſtas eius Principis explicans. Ingolſtadij typis Georgij Hænlini 1631. in 8. & cum auctario Monachij 1639.

Carmen Panegyricum Henrico Ottoni Fuggero vellere aureo donato.

Hecatomben, ſeu *Oden nouam de vanitate mundi*, centum ſtrophis latinis totidemque Germanicis abſolutam. Monachij apud Nicolaum 1636. Eam deinceps alij quoque metris expreſſit in modum certaminis, ediditque hoc titulo

Poëma de vanitate Mundi. Monachij formis Leyſſerij 1638. in 16.

Templum Honoris à Romanis conditum, apertum virtute Ferdinandi III. nunc eidem Regi Romanorum coronato deſcriptum, dicatúmque a Collegio Ratisbonenſi Societatis Ieſu. Ingolſtadij typis Georgij Hænlini 1637. in 8.

Oden dictam Agathyrſum de Solatio Macilentorum. Monachij typis Cornelij Leyſſerij 1638. in 24. Germanicè panxit

Cantilenam de laudibus B. V. Mariæ. Præterea latinè edidit

Lyricorum libros 4. *Epodon I.* Monachij typis Leyſſerij 1643. in 12. recuſos Coloniæ apud Ioannem Buſæum 1646. & 1660.

Syluarum libros nouem. Monachij ijſdem typis 1643. & rurſus Coloniæ 1640. & 1660. in 12.

Heroica Genethliaca, Epithalamia, & alia. Coloniæ apud Ioannem Buſæum 1660. in 12.

Pœſim Oſcam, ſiue Drama Georgicum, de Belli malis, & Pacis bonis, carmine Anteiquo; Attellano, Oſco, Caſco. Monachij formis Lucæ Stratey 1617. in 4. rurſus Coloniæ 1660. in 12.

Medicinæ gloriam per ſatyras 22. cum Encomio Toruitatis, & Antagathirſi contra macros. Monachij 1643. & Coloniæ 1660. in 12.

De Vanitate Mundi, Agatyrſum, Olimpia Sacra, Leſſum, Templum honoris, Philomelam. Coloniæ apud eundem 1660. in 12.

Iephtiam, Tragœdiam. Ambergæ typis Georgij Haugenhoferi 1654. in 8. Coloniæ 1660. in 12.

Odas Parthenias de laudibus B. Mariæ Virginis. Monachii formis Lucæ Stranbij 1648. in 12.

Eclipſim Solarem anni 1654. Monachij, 1662. in 12.

Vraniam victricem, ſeu animæ Chriſtianæ certamina aduerſus illecebras quinque ſenſuum corporis ſui. Carmine Elegiaco Monachij typis Ioannis Vvilhelmi Schieli 1663. in 8.

Pæana Parthenium, ſiue Hymnum in honorem S. Vrſulæ, & Sociarum Martyrum. Coloniæ apud Ioannem Buſæum 1664. in 12.

IACOBVS des BANS, vide infra IACOBVS DESBANS

* IACOBVS BEAVFEZ natione Gallus, patria Tutellas Societati adſcriptus anno ſalutis 1617. ætatis 20. vota quatuor nuncupauit Philoſophiam ſexennio in ea profeſſus eſt; reliquam fere ætatem concionando exegit. Vir acri, vuidóque ingenio, ac ſemper ad dicendum publicè expedito. In Controuerſiarum tractatione egregiè verſatus eſt, vt vulgo Terror Hæreticorum haberetur. Demum in officio Caritatis, dum homini periculosè decumbenti Operam ſuam impendit, mortis cauſam contraxiſſe creditur, magnámque Fidei, quam toties propugnauit præclarè, & pietatis ſignificatione diem clauſit extremum Petracoræ, die 3. Octobris 1650. Edidit Gallicè

Collationem habitam Rupellæ cum Vincentio Caluiniſtarum Miniſtro in 8.

Diſſertationem de Eccleſia, ex Occaſione conuerſionis Viri Nobilis in 8.

In articulum IV. Confeſſionis Fidei Caluiniſtarum; in 8.

IACOBVS BERNARD natione Gallus, patria Rhedonenſis, Societatem amplexus Tornaci anno 1606. ætatis 17. facundus Eccleſiaſtes, varijs in locis per Prouinciam Gallobelgicam Conciones habuit annis 27. Demum Montibus Hannoniæ religiosè obijt die 22. Aprilis 1652. Edidit Gallicè

B. Virginem Mariam de Bona Volontate iuxta Montes Hannoniæ anno 1639.

Parabat Opus morale ſub titulo, *Ponyropolis, ſeu Ciuitatis impiorum oppoſitæ Ciuitati Dei*; ſed mors interceſſit.

IACOBVS BETZCOVIVS natione Bohemus, patria Citouienſis admiſſus in Societatem Pragæ anno ſalutis 1597. ætatis 18. Concionatorem, & Operarium multis annis egit, rexitque Collegium Crumlouienſe Coadiutor ſpiritualis. Migrauit ex hac vita Lintzij die 27. Iulij 1624. Tranſtulit compendio in ſermonem Bohemicum

Commentarium rerum in orbe geſtarum Laurentij Surij. Cæperat, & Sanctorum vitas ex eodem Surio lingua Bohemica donare, ſed eo morte ſublato illas abſoluit, ediditque Pater

ter Albertus Chanouuski, vt ſuo loco ſuperiùs expoſuimus.

IACOBVS BIDERMANNVS natione Germanus, gente Sueuus, patria Ehingenſis, Societatem iniit annos natus 16. anno ſalutis 1694. in eaque profeſſus eſt quatuor vota die 31. Iulij 1617. Vir magni ingenij, pariſque eruditionis, & doctrinæ. Humaniores litteras nouennio; Philoſophiam quinquennio; Theologiam octennio cum laude Dilingæ docuit; inde Romam euocatus Theologum Societatis, & Cenſorem librorum egit annis 17. Scripſit

Res à B. Ignatio Societatis Ieſu parente geſtas. Monachij typis Bergianis 1612. in 16. Dilingæ editione quinta auctius in 3. libros diſtinctos apud Vldaricum Rem 1621. Poſtremò noua recenſione facta prodiit cum hac Epigrapho:

Ignatius, ſiue de vita, & gloria S. Ignatij Loiolæ Societatis Ieſu Conditoris libri tres. Romæ formis Franciſci Corbelletti 1634. in 16.

Epigrammatum libros tres, Dilingæ apud Vldaricum Rem 1620. & rurſum cum recognitione, & auctario 1623. in 12. Demum cum nouo augmento Romæ apud Hæredem Zannetti 1628.

Herodiadem. Poëma Epicum lib. 3. Dilingæ apud Vdalricum Rem 1622 in 12.

Proluſiones Theologicas III. quibus Pontificis Romani dignitas aduerſus Hæreſim propugnata eſt. Dilingæ formis iiſdem 1624. in 12.

Narrationum ſelectarum lib. 3. ex Marco Tulio Cicerone volumen vnum Dilingæ iiſdem formis 1621. in 12.

Narrationum ſelectarum lib. 3. ex Seneca, Gellio, Plinio volumen II. Dilingæ 1622. in 12.

Agoniſticam lib. 3. pro Miraculis, quæ Buccinator Alpinus eiuſque tribules impiè, imperitèque criminantur. Dilingæ apud Iacobum Sermodi 1626. in 12,

Vbaldinum, ſiue de vita, & indole Antonij Mariæ Vbaldini Vrbinatis Monteæ Comitis Breuiarium. Romæ formis Hæredum Guil. Facciotti 1633. & Monachij apud Melchiorem Segen 1634. Antuerpiæ apud Ioannem Cnobbarum 1635. in 24. Eum Italicè reddidit Laurentius delle Pozze noſter

Heroum Epiſtolas libris 3. Romæ 1633. & Monachij formis Leyſſerianis 1634.

Heroidum Epiſtolas libris tribus. Romæ 1638. in 24.

Syluulas Hendecaſyllaborum libr. 3. Romæ 1634.

Delicias Sacras. Romæ formis Franciſci Caballi 1636. Antuerpiæ apud Ioannem Cnobbarum 1637. in 12.

Acroamatum Academicorum lib. 3.

Edidit præterea

Corollaria Philoſophica lib. 8. nempe

De Obiecto Logicæ. De Demonſtratione

De Principijs Phyſicis. De Phyſico locato. De Phyſico Extenſo. De Phyſico animato in genere. De Phyſico animato in ſpecie. Dilingæ formis Academicis in 4. Item

Opuſcula Theologica libris 10. videlicet

De Gratia. De Prædeſtinatione. De Conſcientia

De ſuffragijs. De Pœnitentia. De Cenſura

De Irregularitate. De Eleemoſyna. De Sponſalibus

De Matrimonij Impedimentis. Ibidem in 4.

Aduerte autem Epiſtolas Heroum, Epigrammata, & Herodiadem nuper anno 1634. fuiſſe Antuerpiæ apud Moretum typis pulcherrimis recuſa; quæ tamen Auctor quia plus mille locis mancæ ſunt, & imperfecta, pro ſpurijs haberi voluit.

Expectabantur etiam ab docto illius calamo

Satyricon. Lerna Rabularum lib. ſingulari.

Alcedonia Iuuenum lib. III. Fortuna Principum lib. 3. Vita Sancti Franciſci Xauerij lib. 3. Ioannis Ogilbæi Martyrium lib. 1. Comicæ tragædiæ Sacræ 10. atque alia plura.

Mors iſta molientem oppreſſit apoplexia, Romæ die 20. Auguſti 1639. Fuit vir ſuauiſſimis moribus, religioſæ diſciplinæ apprimè obſeruans, humilis, mitis, pius.

Poſt Obitum prodierunt poſthuma

Vtopia, ſeu Sales Muſici. Dilingæ operis Gaſpari Sutoris 1640. in 12.

Aloyſius ſiue Dei beneficia meritis B. Aloysij collata Vvolfgango ab, & in Aſch. Monachij formis Leyſſerij 1640. in 16.

Comico-Tragediæ Sacræ X. Partibus duabus. Monachij 1666. in 8.

* IACOBVS DE BILLY natione Gallus, patria Compendienſis, natus anno ſæculi præterfluentis ſecundo, Societati ſe adiunxit 1619. & votorum quatuor profeſſione ſe obligauit. Philoſophiam in ea docuit triennio, Matheſim ſeptennio, & conciones annis ampliùs 20. habuit. Rexit Collegia Catalaunenſe, Lingonenſe, & Senonenſe. Edidit hactenus Latinè

Nouam Geometriæ clauem Algebram Pariſijs apud Michaëlem Solij 1643. in 4.

Tabulas Lodoicæas de doctrina Eclypſeon. Diuione apud Petrum Paillat 1656. in 4

De Propoſitione Harmonica. Pariſijs 1658. in 4.

Tumulum Aſtrologiæ Iudiciariæ, quo demonſtratur ex ipſis Aſtrologorum principijs, quàm vana, & ridicula ſit iſtiuſmodi ſcientia. Gallicè. Pariſijs apud Michaëlem Soly 1659. in 4.

Diophantum Geometram, in quo per rationes Eucpdianas efficiuntur Problemata, quæ ille rationibus algebricis enodauit. Pariſijs 1660. in 4.

Opus Aſtronomicum, in quo ſiderum omnium Hypotheſes, & eorum motus, & omnium, quæ ad Aſtronomiam pertinent Theoremata, & Praxes expo-

exponuntur. Diuione apud Petr. Pallot 1661. in 4.

Criſin Aſtronomicam de motu Cometarum, vbi confutatur hypotheſis lineæ rectæ, & aperitur nouum ſyſtema Cometarum Diuione 1666. in 8.

Doctrinæ Analyticæ inuentum nouum. Toloſæ in folio in Commentarijs Diophanti ab Illuſtriſſimo Domino de Fermat compoſitis

* IACOBVS BOIREAV natione Gallus, patria Confluentinus Lemouicenſis diœceſis, in Societatem adlectus anno ſæculi labentis 25 ætatis 17. votorum quatuor nuncupatione obſtrictus ſexennium docuit Rhetoricam, & politiores litteras, & ab annis amplius 30. aut concionatur ad Catholicos, aut refellit Hæreticos verbo, & ſcriptis, eorumque intereſt Pſeudoſynodis ad confutandos, qui in ijs ſparguntur errores. Scripſit

Genethliacon, & Eidyllia Latino carmine in Delphinum nunc Regem Chriſtianiſſimum Ludouicum XIV. Burdigalæ apud Petrum de la Court 1638. in 8. Gallicè edidit

Vitam S. Clari Monachi Presbyteri, & Martyris, in qua pleraque controuerſiarum cum Hæreticis capita per occaſionem tractantur. Pariſijs apud Gaſpardum Meturas 1656. in 12.

Controuerſiarum libros 3. aduerſus Miniſtrum Caluinianum in Benearnia. Pali, & Ortheſij 1662. 63. & 64. in 4.

Conformitatem Eccleſiæ Romanæ hodiernæ cum priſca Eccleſia, ſumptis probationibus ex Sancto Auguſtino de Ciuitate Dei, &c. Burdigalæ apud Simonem Boë 1667. in 8.

IACOBVS BONFRERIVS natione Belga, patria Dionantenſis, natus anno 1573. Societatem 1592. ingreſſus: de quo ſic Franciſcus Suuertius in Athenis Belgicis: *Vir eſt non vulgari doctrina inſtructus, & varis virtutis ornamentis inſignitus. Eſt enim induſtriæ mirabilis, acerrimi ingenij, ſolidiſſimi iudicij, & incredibilis in rebus agendis prudentiæ*. Docuit in Aquicinctino Duacenſis Academiæ Collegio annis aliquot Philoſophiam, duobus Scholaſticam Theologiam, compluribus interpretatus eſt Diuinas Litteras, & Linguam Sanctam. Studiorum etiam ſupremus ibi moderator fuit, & Seminarij Scotorum Superior. Religioſè obijt in ſenectute bona, ſingularis eruditionis, atque exempli vir, Tornaci die 9. Maij 1642. Edidit inſigne opus

Pentateuchum Moyſis commentario illuſtratum, præmiſſis quæ ad totius Scripturæ intelligentiam manu ducant Præloquijs perutilibus. Antuerpiæ ex Officina Plantiniana 1625. in folio

In Ioſue, Iudices, & Ruth Commentarium, cui acceſſit

Onomaſticon Vrbiũ, & locorũ Sacræ Scripturæ. Pariſijs apud Sebaſt. Cramoisy 1631. in folio

In Libros Regum, & Paralipomenon Tomus II. Tornaci apud Adrianum Quinque 1643. in folio

Paratum reliquit tomum alterum, qui explicabat cæteros libros Hiſtoricos. *Eſdram, Nehemiam, Tobiam, Iudith, Eſtherem, Machabæos. Item Commentarios in Euangelia, Actus Apoſtolorum, & Epiſtolas S. Pauli*. Adornabat etiam Commentarium *in Pſalmos* iamque confecerat vſque *ad Pſalmum XXXIV.* quando maturum cœlo mors occupauit.

* IACOBVS BORDIER natione Gallus, patria Pariſinus, natus anno ſæculi fluentis 3. vicennis Societati ſe adiunxit anno 1624. Nancæi, & votorum quatuor profeſſionem emiſit. Prælegit in ea amæniores litteras, Philoſophiam, Theologiam vtramque Scholaſticam, & moralem cum laude, & admotus regimini gubernauit Collegia Turonenſe, Ambianenſe, Aurelianenſe, Domum Profeſſam Pariſienſem, & demum totam Prouinciam magna vbique commendatione prudentiæ, integritatis, & zeli in diſciplina religioſa promouenda. Fuit enim verò forma ſui gregis, & quos à principio tenerioris pietatis ſenſus intimè hauſerat, eos, & retinuit conſtanti animo, & perpetuis in dies acceſſionibus auxit. Placidus ſemper, ſuique nunquam abſimilis natiua quadam Oris, & ſermonis lenitate imperia, quando præerat, temperabat. Non defuit tamen manſuetudini ſua vis, vt quod ex prudentiæ legibus ſtatuerat, tenax deinceps in propoſito contra peruicaces conſtanter tueretur. Ad egenos ſubleuandos magnopere propenſus, id palàm fecit, quando oppreſſos lethali fame non vnos ad Ligerim populos, corrogata, atque emendicata non leui ſtipe, quaſi è tumulo ad vitam reuocauit. Demum vitam piè, ſanctèque actam pari exitu coronauit. Nihil illo decumbente æquius, aut è viuis diſcedente quietius, migrauitque ad meliorem vitam (vt fas eſt credere) Pariſijs in Domo profeſſa quam ſecundùm moderabatur, die 17. Auguſti 1672. edidit Gallicè

Introductionem ad Exercitia ſpiritualia 10. dierum. Pariſijs apud Florentium Lambert 1669. in 8. Recuſam Ibidem 1671.

IACOBVS BOVTONVS natione Gallus, patria Nannetenſis Philoſophiam ſexennio, Theologiam quinquennio docuit in Societate, quam duodeuicennis ingreſſus eſt anno 1610, & vota quatuor nuncupauit. Ad magnas naturæ dotes ita virtutem, & eruditionem adiunxit, vt in omnibus ſemper magnus exſtiterit, & doctrina eruditiſſimos quoſque in Scholis adæquarit. Verum non ſatis fuerunt Scholaſticæ occupationes, homini ad Apoſtolicos labores anhelanti: quare Americanarum Inſularum campum ſancta quadam importunitate à Superioribus (qui ægrè tanto viro carebant) exterſit. Eo in opere dum abſoluti Societatis Operarij partes omnes explet, & maiora ſuis viribus aggreditur, cœli ſolique malignitate aduerſante valetudini, Gallias repetere cogitur, vbi eas ſibi laureas in priuata

vita

vita promeruit patiendo, quas inter Apoſtolicos labores agendo fuiſſet conſecutus. Enimuero maximis in languoribus, quibus diu e-xabatur, patiens adeo exſtitit, vt prius morbum cognoſcere datum non fuerit, quàm fatiſcentibus viribus animaduerſum eſt eum ſatisfacere non poſſe pietati ſuæ quotidianæ in viſitanda ſæpius Beatiſſimæ Virginis imagine. Itaque doloribus coactus cedere, & Medicis ſe permittere breui ad cœleſtem (vt ſperamus) patriam euolauit Flexiæ die 17. Nouembris 1658. Edidit Gallice

Relationem ſtabilitæ à Gallis Sedis in Inſula Martiniana vna ex Antilus in America ab anno 1625. Pariſijs apud Sebaſt. Cramoiſy 1640. in 8.

* IACOBVS BOYMAN natione Germanus, patria Iulias, Societati adſcriptus anno à partu Virginis 1626. ætatis 21. indefeſſus in officijs varijs caritatis Operarius. Humaniora omnia profeſſus eſt, Scholis multis annis præfuit, politioris litteraturæ inſigniter peritus. Rexit cum laude Collegia Nouesij, Monaſterij Eiffliæ, & Aquiſgrani. In Conſcientijs pœnitentium dirigendis mirificè dexter, ſuauitati coniungebat efficaciam. Pios animi affectus, quos verbo, & typis alios docuerat, ipſe in graui, & extremo dyſenteriæ morbo ſedulo exercuit, & acerbiſſimos corporis dolores patientiſſimè tulit. Per aliquot dies ante obitum, Sacramentalem abſolutionem magna pietatis ſignificatione quotidie petiuit, ſuoſque dolores doloribus Chriſti patientis, meritiſque Deiparæ (cuius cultui tota vita addictiſſimus fuerat) vniri deſiderauit. Tandem conſuetis Eccleſiæ Sacramentis ritè communitus, Aquiſgrani finem viuendi inter mortales fecit die 20. Octobris 1669. magno ſui relicto deſiderio plurimis ciuium, quorum moderabatur conſcientias. Edidit primùm vernaculè

Cariſſima pro diebus Iouis, Veneris, & Sabbati. Coloniæ apud Vvilhelmum Freiſſen 1650. in 12. Poſtea latinè

Hebdomadam Amoris per ſeptem Cariſſima ritè digeſtam. Ibidem 1658. in 12. Item

Minutiores aliquot tractatus Latinè & Germanicè pro Sodalitate Eccleſiaſtica, quam dirigebat, v.g. *Artem Vitæ*; *Diem Salutis*; *Scientiam Sanctorum*; *Noſſe Mori*; *Tirocinium Virtutis*, & his ſimilia:

IACOBVS BROQVARDT natione Belga, patria Theonuillanus in Ducatu Luxemburgenſi vicennis in Societatem venit anno 1608. in eaque gradum Coadiutoris ſpiritualis ſortitus eſt. Vir multis eximijs virtutibus, ſed inſigni præſertim ſtudio in Deiparam ornatus, cuius cultum apud ſummos, infimoſque dici vix poteſt, quanto ardore promouerit. Sacellum illud Virginis Beatiſſimæ, cui à Conſolatione nomen eſt, extra pomærium Luxemburgi, non Belgio modo, ſed Exteris quoque Nationibus ob miraculorum frequentiam celeberrimum, illius fere vnius induſtria ſurrexit, ornatumque eſt, vt paſſim omnes ſibi perſuadeant eum manifeſta Deiparæ ope ad hoc opus perficiendum fuiſſe olim à peſte liberatum. Sed nec minor eius ſolicitudo domi fuit in expiandis pœnitentium conſcientijs, & in informandis dexteritas. Tandem acutiſſimis calculi doloribus probatus, & bonorum operum plenus à Deo ad præmia euocatus eſt, Luxemburgi die 14. Aprilis 1660. vertit latinè ex Gallico

Pedagogum Chriſtianum P. Philippi D'Oultreman. Luxemburgi typis Huberti Reuland 1629. recuſum cum Auctario Treuiris 1644. Germanicè reddidit

Teſtamentum Chriſtiani hominis Antonij Sucquet, cui addidit de ſuo varia pietatis exercitia. Luxemburgi 1625.

Veram Chriſtiani Philoſophiam, Meditationem mortis Caroli Muſart.

Libellū vnius è Noſtris inſcriptum Gallicè *Penſez y bien*

Media iuuandi animas Purgatorij à Noſtro Marco de Bonieres ſcripta. Luxemburgi apud Hubertum Reuland 1635.

Compendium Perfectionis Noſtri Achillis Gagliardi. Ibidem 1635.

Speculum perfectæ Communionis. Treuiris 1645.

Piam exercitationem erga Chriſtum Crucifixum. Ibidem.

Varios Libellos piorum Exercitiorum: *De Amore, & honore erga Deiparam*; *De Contritione*; *De præſentia Dei*; *De Amore Dei &c.* Luxemburgi per Hubertum Reuland 1625. De ſuo edidit Germanicè

Miracula, & Curationes admirandas, quæ Maria Conſolatrix afflictorum in Sacello ſuo iuxta Luxemburgum operari dignata eſt. Treuiris apud Hubertum Reuland 1640.

IACOBVS CANISIVS natione Belga, ex Oppido Calcaria Ducatus Cliuienſis, Petri Noſtri nepos, ingreſſus eſt Romæ in Societatem anno ſalutis 1606. ætatis 22. in ea poſt Humaniores litteras, Moralem Philoſophiam annos aliquot docuit. Profeſſus tria vota ſolemniter anno 1622. Vitæ ſuæ ex caritate prodigus Monachij ſe peſte afflatorum obſequijs, poſt Suecicum bellum addixit, cui malo ſuperſtes Lauretum pedes contendit exſoluturus votum, quod pro ſua incolumitate Soſpitatrici Virgini, Senatus Populuſque Monachienſis conceperat. Tandem Ingolſtadij cùm pridie ſanus viſus fuiſſet, & poſtero die mane ſacris operatus, repertus eſt mortuus die 27. Maij 1647. Scripſit

Fontem ſalutis, ſeu primum Sacramentorū omnium Baptiſmum. Coloniæ.

Meditationes ſacras de Chriſto, & B. Virgine Monachij 1628.

Hyperduliam Marianam à Ioanne Berchmanno exercitam. Monachij apud Melchiorem Segen 1636. in 16.

Edidit ſuo nomine Chriſtiani Thanatophraſti.

Artem

Artem Artium, ſeu de bono Mortis
Ex Italico vertit Latinè
Concionum P. Gregorij Maſtrilli tom. Coloniæ
Vitas Sanctorum à Petro Ribadeneyra ſcriptas Hiſpanicè fecit Latinas. Coloniæ apud Ioannem Kinchium, 1630. in folio. Acceſſit
Appendix, ſeu Vitæ Sanctorum Caroli Borromæi, Ignatij, Franciſci Xauerij, Philippi Nerai, B.B. Franciſci Borgiæ, Aloyſij Gonzagæ, Stanislai Koſtkæ.

* IACOBVS CATERVS natione Belga, patria Antuerpienſis natus anno ſæculi tranſacti 93. Societati ſe addixit vertentis 11. & vota quatuor ſolemnia profeſſus eſt. Docuit humaniores diſciplinas quadriennio; Conciones ſacras habuit decennio; Rexit Collegium Cortracenſe, migrauit ad Dominum, Bruxellis die 6. Aprilis 1657. Edidit
Virtutes Cardinales Ethicis emblematibus expreſſas. Antuerpiæ ex officina Plantiniana 1645. in 4. Item
Tacito ſuo nomine magnam partem à ſe compoſita
Acroamata nuptialia Balthaſari Moreto. Ibidem 1645. in 4. Item
Ideam publici honoris exhibiti Sereniſſimo Ferdinando Cardinali Infanti Hiſpaniarum, Brugas Flandrorum introeunti. Brugis 1635. in 4.

* IACOBVS CELLESIVS natione Italus, patria Piſtorienſis, natus anno ſæculi voluentis 19. Deo in ſua Societate ſe dedicauit 36. & vota quatuor ſolemni ritu concepit. Docuit Rhetoricam, & Philoſophiam; Rexit Collegia Interamnenſe, Maceratenſe, Maronitarum Romæ, & Seminarium Romanum cum laude prudentiæ, fuitque ſocius, laborum, atque curarum Prouincialis Romani, nunc Collegij Florentini clauum tenet. Edidit Italicè
Vitam P. Iulij Mancinelli Societatis Ieſu. Clementi IX. Pont. Max. dedicatam. Romæ apud Vareſium 1668. in 4. Tranſtulit Italicè
Hiſtoriam Belli Belgici conſcriptam à noſtro Angelo Gallucio Partibus II. Romæ ſumptibus Ignatij de Lazaris 167 .

* IACOBVS CHANNEVELLE natione Gallus, Diœceſis Abrincenſis in Normannia, natus anno ſæculi tranſeuntis 20. Societati ſe addixit 1641. & vota quatuor ſolemnia nuncupauit. Rhetoricam, & politiores litteras docuit ſeptennio, Philoſophiam annis 13. nunc Eccleſiaſten agit. Edidit
Accuratam totius Philoſophiæ Inſtitutionem iuxtà principia Ariſtotelis Tom. XII. in 12. Pariſijs apud Edmundum Martinum 1667.

IACOBVS CARIBDIVS natione Siculus, patria Mamertinus, claro genere natus. Is cùm Societatem penè puer amplexus eſſet anno ſalutis 1569. & præſtaret illuſtribus naturæ donis, euaſit inſignis Orator; Poëta, Philoſophus, Theologus. Philoſophiam Meſſanæ & Romæ docuit, & ſubinde etiam Theologiam, cuius doctoralia accepit inſignia. Præfuit tum alibi, tùm Meſſanæ Collegio ſexennium magna prudentia, ſed maiore etiam omnis virtutis exemplo. Obijt demum in natali ſuo ſolo die 6. Auguſti anno 1620. ætatis 65. ab inita Societate 51. à ſuſcepta profeſſione 4 votorum 31. habuit coram Sixto V. anno 1586.
Orationem de Paſſione Domini, quæ nuper cum alijs aliorum eiuſdem argumenti edita eſt Romæ typis Maſcardi 1641. in 12.

IACOBVS DE CODT natione Belga, patria Iprenſis, vir humanioris litteraturæ peritiſſimus, ſimulque ad res gerendas velut à natura factus. Societatem ingreſſus eſt anno Domini 1592. Rectorem egit Ipris, & Siluæducis, & Prouincialis demortui, cuique ſocius erat, egit Vicarium. Egregijs omninò virtutibus inſtructus fuit, ſui mundique contemptu inſigni, comitate erga omnes, modeſtia, pudicitia, oculorum continentia, ſilentij atque orationis ſtudio ſingulari. Is cùm Brugis operam ſolandis ægris militibus, qui è caſtris ad Sluſam poſitis deferebâtur impenderet, optauit in eo miniſterio mortem oppetere; votis annuit Deus, nam die S. Catharinæ ſacro ad populum verba facientem atrox inuaſit morbus, quo breui extinctus eſt animo ita comparato, vt ſi vitæ, mortiſque ipſi data eſſet optio, dubium ſe fore diceret vtrum poſthaberet. Obijt die 9. Decembris anno ſalutis 1621. ætatis ſuæ 49. ab inita Societate 29. à ſuſcepta 4. votorum profeſſione 11. Scripſit
Orationes & Poemata omnis generis. Gandaui.
Carmen Leoninum elegans, & argutum in Hæreticos ſuppreſſo nomine, cuius initium eſt
Norma Miniſtrorum, ceu ſimplex regula morum
Iuxta iter errorum, & ſine lege reformatorum
Item Leoninè luſit
De Iubal & Tubalcaim
De Aureo Vellere
De Iubilæo Illuſtriſſimi Domini Matthiæ Houij Archiepiſcopi Mechlinienſis.

IACOBVS COLENS natione Bohemus, patria Pilſnenſis natus annos 22. Societati ſe adiunxit anno ſalutis 1588. & vota 4. profeſſus eſt. Concionatorem egit annis circiter 20. & Collegium Crumlouienſe gubernauit. Doctrina, zelo, & pietate ſua multas non ſolum animas, ſed & familias integras hæreſis labe contaminatas ad Eccleſiæ Catholicæ gremium perduxit. E viuis exceſſit Pragæ, Calendis Auguſti 1633. Tranſtulit in linguam Bohemicam nonnulla opuſcula pia Cardinalis Bellarmini, ſub quo Rectore in Collegio Romano Theologiæ operam nauauerat. Videlicet
De Aſcenſione mentis in Deum. Recuſum Pragæ apud Ioannem Bilinum 1630.
De Gemitu Columbæ, & De Arte bene moriendi. Ibidem eiſdem typis
De Perfectione Spirituali Lucæ Pinelli.

Pragæ apud Caſparum Rangeſium 1608.

Meditationes de Septem Virtutibus Chriſti in ſeptem hebdomadæ dies diſtributas eiuſdem Pinelli. Ibidem.

Ludouici Bloſij Inſtructionem ad Perfectionis ſtudioſos. Ibidem

Vitas Sanctorum Ignatij, & Franciſci Xauerij. Ibidem

* IACOBVS CORET natione Belga, patria Valencenenſis, natus anno ſæculi præterlabentis 31. in Societatem ſe recepit 49. & votorum 4. nuncupatione ſe adſtrinxit. Rhetoricam,& amæniores litteras ſexennio in ea profeſſus eſt. Conciones habuit aliquamdiu in Gallia,& nunc pergit eas habere per Belgium magna frequentia Auditorum. Edidit Gallicè

Aſſociationem pro pia morte obeunda,præſidio Angelorum tutelarium. Cadomi apud Ioannem Cauelier 1663. iterum Inſulis 1665.

Vitam Annæ de Beauuais Ordinis S.Vrſulæ Inſulis apud Nicolaum Rache 1667. in 4.

Antidotum aduerſus peſtem corporis,& animæ. Xenium anni 1669. Triplex fœdus ſpirituale anni 1670. Inſulis apud eundem

Chriſtum patientem ad normam Meditationum explicatum. Inſulis apud eundem Rache 1670.

Praxim bene confitendi, & communicandi. Inſulis apud Nicolaum de Rache 1670. in 12.

Bonæ Pacis Strenam. Ibidem 1671. in 12.

Ioſephum maximè à Deo amatum.& maximè hominum amantem. Inſulis apud eundem 1672. in 8.

Philedonem retractum ab Hæreſi. Ibidem 1671. in 12.

IACOBVS CRVCIVS natione Italus, patria Nuceria, illa quæ in Vmbria eſt, plane puer propter egregiam indolem, cum primùm per ætatem licuit, admiſſus eſt in Societatem anno ſalutis 1560. ætatis 15. cui ab ipſo Sancto Ignatio fuerat deſtinatus. Mirabiles progreſſus fecit in omni genere ſtudiorum.Literas Humaniores, Romæ Philoſophiam, Mediolani Theologiam, admodum adoleſcens explicuit. Studia Romani Collegij moderatus eſt. Collegia varia, & Domos rexit, demum Aſſiſtens fuit Italiæ, & Præpoſiti Generalis Admonitor vſque ad ſuum obitum. Obijt Romæ anno ſalutis 1637. die 15. Decembris. Editæ ſunt ab alijs

Duæ Orationes Italicè ab ipſo dictæ, altera *Cremonæ in funere Philippi II. Regis Hiſpaniarum*, impreſſa Cremonæ 1598.

Altera Genuæ ad Senatum Genuenſem, *De vnione, ſeu de optima ratione gubernandi*. Genuæ 1601.

IACOBVS CRVICKELIVS natione Germanus, natus in Vvalradt Ducatus Iuliacenſis, 1591. Societatem ingreſſus 1610. die 23. Octobris, Coadiutorum formatorum vota edidit 1627. die 24. Auguſti. Docuit Humaniores litteras, Matheſim, & Ethicam. Naturæ conceſſit Aquiſgrani die 10. Februarij 1641. Edidit Treuiris Profeſſor Matheſeos

Triborarium annulare anno 1621.

IACOBVS CRVSIVS natione Germanus, patria Bambergenſis Societati adiunctus anno Domini 1568.ætatis 20. ſolemnem votorum trium profeſſionem emiſit. Rectoris officium nouennio; Magiſtri nouitiorum triennio cum laude ſuſtinuit. Sereniſsimæ Mariæ Annæ Bauaræ Archiduci Auſtriæ, quæ Ferdinandum III. Romanorum Imperatorem orbi terrarum dedit, à Sacris Confeſſionibus fuit, religioſi candoris, & regularis obſeruantię nomine commendatus. Senio tandem magis quàm morbo ad extremum reductus, Græcij Styriorum ceſſit è vita die 20. Februarij anno ſalutis 1617. ætatis 69. ab inita Societate 50. Sacramentis muniri voluit priuſquam ſenſibus deſtitueretur, & multa de felice Religioſorum ſtatu, multa de futura Beatitate locutus, aiebat ſe cupere diſſolui, vt Chriſtum Seruatorem, eiuſquè Matrem Virginem videret, & vnà B. P. Ignatij, per quem Deus tot bona Eccleſiæ ſuæ erat impertitus, conſpectu frueretur. Hæreticorum fuit indefeſſus oppugnator, quibus refellendis

Multa in vulgus ſparſit apta Schediaſmata typis expreſſa,inter quæ fuerunt:

Dialogus familiaris inter Acatholicum inueſtigantem veram Fidem, & Catholicum reſpondentem. Græcij 1592. in 12.

Fax ad veram Fidem prælucens.ſiue Inſtructio hominis ad Fidem Orthodoxam Græcij 1597. in 12.

De Veritate Corporis Chriſti in Eucbariſtia. Græcij 1599. in 12.

De Corruptione Sacræ Scripturæ facta à Luthero in rebus dogmaticis. Græcij 1602. in 12.

De Traditionibus. Ibidem 1605 in 12.

IACOBVS DAMIANVS natione Belga, patria Atrebas, Societati adſcriptus anno 1619. ætatis 20. Litteras Humaniores docuit annis ſeptem; nec vulgares in ijs progreſſus fecit,facili ſeu ad ſolutam, ſeu ad ligatam orationem ingenio. Præfuit etiam in ſcholis annos 6. & votorum 4. profeſſione ſe obligauit. Vir perſpicacis ad modum intelligentiæ, magnam ſpem fecerat multorum voluminum, ſed febri hectica conſumptus piè deceſſit in Tornacenſi Collegio die 16.Decembris 1650. Edidit

Synopſim Hiſtoriæ Societatis Ieſu primo ſæculo. Tornaci typis Adriani Quinque anno 1641. in folio, quam Gallicè reddidit Noſter Franciſcus Lahier typis eiſdem 1642.

Belli Germanici Decadem priorem, pro Ferdinandis II. & III. Cæſaribus, ab Deiparæ per eoſdem in exercituum ſuorum ſupremam Ducem electæ, geſti. Duaci typis Ioannis Serurier 1648. Carmine Epico.Recuſum Francofurti in Parnaſſo Societatis 1654. in 4.

Parabat plura, ſed mors calamum ſtitit.

IACOBVS DESBANS natione Gallus patria Campanus, Mauſomenſis, in Societatem anno 1609. ætatis 16,ingreſſus annos vndecim

decim magna nominis fama docuit Rhetoricam, & demum in Hiſpaniam, vt litteras Græcas in Regia Academia Madritenſi doceret loco P. Petauij tuuc infirmi miſſus eſt. Inde redux in Galliam, Molinis dum ibi regeret Collegium ad vitam meliorem migrauit, ſpiritualis Coadiutor pridem formatus die 14. Februarij 1649. Omnibus, quibus conuixit exemplo fuit; orationis, obedientiæ, & mortificationis aſſiduæ vſu conſpicuus; quibus accedebat innata morum ſuauitas, quâ mirum in modum ad amorem ſui omnes alliciebat. Scripſit

Paruum B. Virginis Sacellum Hieroglyphicum diſtinctum imaginibus Parthenio Sodali Sacrum. Muſſiponti apud Sebaſtianum Cramoiſy 1623.

De Glorioſo Heroicæ virtutis Regno. Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoiſy 1632. & Flexiæ 1635. in 8. apud Georgium Griueau. Item

Sacram Chriſti Domini Academiam. Latinè Pariſijs apud Sebaſtianum Chapellet 1633. in 8.

Clementem Alexandrinum notis illuſtrauit.

Reliquit paratum prælo opus ingens

De Apoſtolis. Et alterum *De Nabuchodonoſore, typo Pœnitentiæ.*

* IACOBVS DES HAYES natione Belga, patria Heurienſis in Ducatu Limburgenſi annos natus 23. acceſſit ad Societatem Tornaci 1638. & vota quatuor ſolemnia nuncupauit. Humaniores litteras pluribus annis profeſſus eſt; Miſſiones obiuit triennio in Bohemia, nunc in Miſſione Hamburgenſi annos aliquot verſatur. Scripſit perutile, & eò ſæpiùs recuſum

Compendium Controuerſiarum, ſub titulo *Ducis fidelis*. Leodij apud Guilielmum Streel 1669.

IACOBVS DHELIOT natione Gallus, patria Aginnenſis, admiſſus in Societatem anno ſalutis 1592. ætatis ſuæ 28. obijt Toloſæ die 26. Aprilis anno 1638. in gradu Coadiutoris Spiritualis conſtitutus. Magno Zelo lucrandarum Deo animarum æſtuabat; hinc erumpentes ex eo, auditi ſæpe gemitus, quòd Deum tam contemptim haberent mortales. Capite damnatis crebrò ad ſolatium, ſalutemquè animę datus eſt, quibus ferrum, quo perierunt, ſuis hortamentis commutauit in palmam, adeo validè eos animauit ad Chriſtianam patientiam. Scripſit materna Lingua

Summam Catechiſticam, *Odas in annua Feſta.* Præterea Latinè

Iambos mordaces in Caluiniſtam.

IACOBVS DINETVS natione Gallus, patria Molinenſis, natus annò ſæculi tranſacti 80. Societati ſe addixit tranſeuntis 4. & ſolemni votorum quatuor ſacramento ſe obſtrinxit. Egregius Concionator varijs in locis cum fructu auditus eſt. Rexit Collegia Aurelianenſe, Turonenſe, Rhedonenſe, & Pariſienſe, tum Prouinciam vtramque Franciæ, & Campaniæ. Poſtea Regibus Chriſtianiſſimis Ludouico XIII. & Ludouico XIV. à Sacris Confeſſionibus fuit. Et priori quidem morienti præſens adfuit, atque inter eius brachia Rex piiſſimè efflauit animam, poſtquàm iuſſiſſet cor ſuum poſt obitum in Pariſienſi Profeſſorum Societatis æde collocari in pignus ſui erga Societatem amoris; quod & factum deinde addito argenteo mauſoleo. Narrationem de felice Regis morte conſcribere cæperat P. Dinetus; ſed ex ipſius aduerſarijs eam contexuit noſter Antonius Girardus. Demum laborum mercede donandus religioſiſſimus Pater, rebus humanis exemptus eſt Pariſijs in Domo Profeſſorum die 22. Decembris 1653. Parauerat quidem typis

Vitas illuſtrium hominum comparatas; & *Opera Moralia imitatus Plutarchum*, ſed morte interueniente non emiſit.

IACOBVS DYCK natione Belga, Ruræmundanus, natus anno 1575. Societati aggregatus 1596. Rector fuit Collegij Traiectenſis triennio. Docuerat Litteras humaniores quinquennio, & multis annis œconomiæ domeſticæ curam geſſit in gradu Spiritualis Adiutoris conſtitutus. Obijt Gandaui ſexagenarius die 26. Maij anno 1625. Vertit ex Italico Flandricè

Exercitia interna virtutum Blaſij de Palma. Gandaui apud Manilium 1627. iterumque atque iterum Antuerpiæ apud Aertſens, & apud Cnobbaert.

Auctarium Caroli Muſart ad eundem librum, continens exercitium virtutum externum.

Detectionem Magni Cathay, ſeu Regnorum Tibet ex litteris P. Antony Andrada.

Menſam Regalem Chriſti Domini, ſeu *exercitia ſpiritualia ad digne Communicandum*. Gandaui, ac ſubinde Antuerpiæ apud Cnobbaer 1631.

Ex Hiſpanico autem vertit Latinè

Praxim, & Declarationem Exercitiorum Spiritualium S. Ignatij auctore Ludonico de Palma Societatis Ieſu, in Belgio, ac poſtea Viennæ Auſtriæ, recuſam 1635.

IACOBVS FERRAN natione Hiſpanus, patria Barcinonenſis, inuictæ conſtantiæ vir, & diuturna morbi vexatione probatus. Memorabilem de ſe victoriam etiamnum Tiro obtinuit, cùm in noſocomio abhorrentem impetum naturæ ab infirmi cuiuſdam pædore, & ſquallore, egregio facinore domuit, nimirum Sciſcitatus num excreſcentes nimium vngues ſibi vellet præſecari; illo annuente, dentibus illos ſuis, repetitis morſibus præſecuit. Obijt Barcinone anno ſalutis 1621. ætatis 39. ex quo venerat in Societatem 21. in qua votis quatuor ſolemnibus ante annos quinque ſe obligarat. Egregium Opus molitus eſt, cuiùs editionem mors immatura intercepit

De repudio Synagogæ, & Eccleſiæ cum Chriſto connubio

IACOBVS DE LA FVENTE natione

Hiſpanus, patria Toletanus, cooptatus in Societatem anno Domini 1591. ætatis ſuæ 16. vir ſi quis alius feruens, & Diuinæ gloriæ, ac ſalutis hominum zelo accenſus; quique operam ſuam eo promptiùs libentiùſque, quò tenuioribus impendebat. Murciæ Congregationem inſtituit cæcorum; alteramque Æthiopum. Compluti vero vnam Grammatiſtarum; quas ipſe omnes, aliaſque diligentiſſimè adminiſtrauit. Egenos cogebat in vnum aliquoties per annum, & per exhomologeſim expiatos corrogata ad id ſtipe, donabat: idem vinctis officium alternis impendebat: vnde illi iam paſſim Patris pauperum illuſtre nomen adhæſit. Capitis damnatos incredibile dictu eſt, quanto ſtudio, fructùque procuraret: quibus iuuandis Sacerdotum Sodalitium excitauit, è quo bini ſemper illis adeſſent. Ipſe verò ſimul atque ad eos venerat, in angulum aliquem ſecedens, ita ſe diuerberabat, vt illos ad pœnitentiam, voluntariam etiam flagellationem ſuo exemplo prouocaret. Miſſiones in vicina oppida frequens obibat, & quoquò venerat, inflammabat omnia. Inuehebatur in blaſphemos, & execratores pro concione ſolito vehementiùs, eoſque adductis iræ Diuinæ exemplis perterrefaciebat. Adibat crebrò Scholas elementariorum, & pueris Catechesim exponebat. Cùm tam multa tam præclara præſtaret, demiſſiſſimè de ſe ſentiebat. Vocem ſuam, modumquè dictionis ipſe per iocum eleuabat. Honeſtiores alijs conciones concedebat, rudium imbuendorum Chriſtianis elementis, & Confeſſione expiandorum partibus ſibi vindicatis. Orationi, & corporis caſtigationi fuit valde addictus; B. Virginis impenſe ſtudioſus, eam frequenter precibus, alloquijs, orationibus iaculatorijs interpellabat: Confraternitatem ipſius honori erexit appellatam Seruorum B. Virginis: multa ipſius in mortales beneficia ſingularibus plagulis excuſa, ſparſit in vulgus identidem, pietati aduerſus illam excitandæ: in ipſis reorum cuſtodijs, atque ergaſtulis, ipſius icones propoſuit, antequas vincti ſupplicarent. Creditus eſt tantæ in Diuinam Matrem pietatis tuliſſe hoc præmium, vt eximio animi candore præſtaret, quem ipſe quoque diligentiſſima ſui, ſenſuumquè cuſtodia tuebatur. Obijt vir egregius quatuor dudum vota profeſſus Madridij anno ſalutis 1616. die 19. Aprilis. Vertit Hiſpanicè

Catechiſmum Roberti Cardinalis Bellarmini, & eum exemplis illuſtrauit, in 8.

IACOBVS FRANCISCVS natione Lotharingus, patria Varanæus, in diœceſi Tullenſi, natus anno Chriſti 1574. Societati ſe adiunxit 1595. profeſſionem quatuor votorum emiſit 1614. Is cum à parente Catholico quidem, ſed conſanguineorum fraudibus illecto, miſſus fuiſſet ſtudiorum cauſa in Academiam Heidelbergenſem, tunc ab Hæreticis occupatam, odio doctrinæ peſtilentis, quæ ibi tradebatur, conuerſo itinere, & relictis Comitibus Bruntrutum primò, deinde Friburgum, mox longo itinere, ac pedes Lauſpergam contendit, atque ibi ſe Deo in Societate tradidit. Emenſis ea in Prouincia ſtudiorum ſpatijs, & prælecta Dilingæ Philoſophia redijt in Lotharingiam, docuitquè iterum Philoſophiam ad ottennium, Theologiam Moralem quadriennio, Scholaſticam ſeptennio, Sacram Scripturam interpretatus eſt nouennio, atque Muſſipontanæ Academiæ Cancellarius fuit penè quinquennio Theologiæ laurea Doctorali ornatus. Inde belli Lotharingici occaſione Rhemos appulſus, ſuperiorum ibi ſtudiorum, rerumque Spiritualium Præfectus, reliquum vitæ ſuauiter exegit, vſque ad diem 4. Decembris anni 1639. quò animam pijſſimè Deo reddidit. Morte iam imminente, & Noſtris de more circa lectulum ſe in genua prouoluentibus, indignum ſe dicebat tot Fratrum ſuorum præſentia, non ſine verecundia, Dei beneficium agnoſcens, quòd cùm tam multi per dies ſingulos, in bellis, in Noſocomijs, in ſuis ædibus, nullo planè præſente, vel adiuuante morerentur, ſibi morienti triginta ex noſtris adeſſent. Fuit ille Theologus acutiſſimus, Orationi vero ita deditus, vt præter pietatis exercitia, & lucubrationes Sancti Auguſtini nihil in delicijs habere videretur. Cùm Theatrales aliquando ludi darentur, ipſe ſe in templum clam proripiebat, vt orationi liberiùs, atque otioſiùs vacaret. Tam impensè Caſtimoniam amauit, vt à colloquijs mulierum prorſus abhorreret. Quo tempore Theologiam Scholaſticam prælegebat, diſcipulos hortabatur, vt in Sacram Scripturam grauiter incumberent, aiens, cætera ſtudia citò defloreſcere, nec ætatem ferre; ſolam Sacram Scripturam veræ pietatis alimentum eſſe, & ſenectutis Chriſtianæ ſolatium. Scripſit

De Cauſa ſalutis Infantium contra Infanticidium Gebennenſe. Muſſiponti apud Gaſparem Bernardum 1631. in 8.

Animæ ad Inferos damnatæ lamentationem, rhythmis Latinis, quos in gratiam Congregationis Rhemenſis edidit, è plurimis quos priuatæ pietatis cauſa conſcripſerat.

Commentaria in Pſalmum 118.

Euerſionem Fidei Caluinianæ.

Exercitia Serui B. Mariæ Virginis

* IACOBVS FRANCISCVS VIA natione Italus, patria Placentinus, natus anno ſæculi fluentis ſecundo, Deo ſe in Societate mancipauit 1618. & ſolemni votorum quatuor ſacramento obſtrinxit. Iuniores noſtros annis aliquot Rhetoricis inſtitutionibus erudiuit. Theologiam Moralem decennio profeſſus eſt; Rexit Collegia Balneocaballenſe, Imolenſe, Fauentinum, Foroliuienſe, & Ariminenſe iteratò. Apud Antiſtites varios Theologi munere cum laude perfunctus eſt; Bononiæ apud Cardinalem Nicolaum Ludouiſium Archiepiſcopum ſexennio; Fauentiæ apud Cardinalem Roſettum Epiſcopum quinquennio; Mutinæ

tinæ apud eius Vrbis Antiſtitem ſexennio. Deſijt viuere inter mortales Buxeti die 15. Nouembris 1671. Edidit felice vena complura Poemata

Epicædia, *Epithalamia*, *Aonidum plauſus gratulatorios, Volumineidem Lyricam*; & conſimilia, diuerſis annis, & locis; quæ ſi ſimul compingerentur iuſtum efficerent volumen. Præterea illius ſunt

Deciſionum Caſuum Conſcientiæ Congregationibus diœceſis Mutinenſis propoſitorum tomi duo, quorum primus editus eſt Mutinæ typis Caſſiani 1659. Poſterior ibidem 1660.

Parauerat prælo de Domo Lauretana complures tomos, multis libris ſingulos diſtinctos, & inſcriptos

Lauretum Lyricum; *Lauretum Epicum*; *Lauretum Elegiacum*; *Lauretum Bucolicum*; præterea *Bethelemiados libros ſex*; *& Epigrammatum Libros tres*. Sed morte ſuperueniente non licuit illis frui.

IACOBVS FVLIGATTVS natione Italus, patria Romanus, adoleſcens annos natus 18. Societati nomen dedit anno ſalutis 1595. & vota quatuor nuncupauit. Concionatorem egit varijs in Vrbibis annos aliquot ſed maximam ætatis partem tranſegit in Domo Profeſſa Romana, Operarius gnauus, & Præſes Congregationis B. Virginis Aſſumptæ, ad quam Optimates Vrbis tam Eccleſiaſtici quàm Sæculares permulti conueniunt. Vir ſuauiſſimis moribus, & apprimè religioſis ſeptuagenario maior ibidem abſoluit vitæ huius mortalis periodum die 12. Nouembris 1653. Scripſit Italicè

Vitam Roberti Cardinalis Bellarmini; Romæ apud Hæredes Bartholomæi Zannetti, 1624. in 4. & Mediolani in 8.

Vitam S. Eliſabethæ Reginæ Portugalliæ. Romæ ijſdem typis 1625. in 8.

Scripſit præterea etiam Italicè

Compendium Vitæ S. Franciſci Xauerij Indiarum Apoſtoli Societatis Ieſu. Romæ apud Bernardinum Tani 1637. in 8. Et ſub nomine Franciſci Roghi Italicè

Martyrium SS. Abundij, Abundantij, Marciani, & Ioannis ex antiquiſſimis M. ſs. Codicibus depromptum. Romæ apud Franciſcum Caballum 1638. in 8.

Vitam P. Bernardini Realini Carpenſis Societas Ieſu Viterbij 1644. in 8. quam Latinè tranſtulit noſter Alexander Baeruoëtius Belga. Antuerpiæ apud Cnobbarum 1646. in 12.

Vitam P. Petri Caniſii Societatis Ieſu. Romæ typis Manelphi 1649. in 8.

Epiſtolas Cardinalis Bellarmini, collegit, & vulgauit. Romæ typis Manelphi 1650. in 12.

IACOBVS GAVLTERIVS natione Gallus, patria Annonæenſis Societatem iniuit anno 1585. ætatis 23. & votorum quatuor profeſſionem emiſit. Vir magnarum partium in paruo corpore; doctus in paucis Superioribus Scholis præfuit annis 17. Philoſophiam bis, deinde controuerſias Fidei Turnoni, Scholaſticam Theologiam Lugduni explicuit, & Linguam Sanctam, hæreſeos accerrimus impugnator. Rexit etiam noſtros Gratianopoli, vbi & obijt die 14. Octobris 1636. ætatis 74. Scripſit Gallicè primum, tum Latinè cum varijs additamentis

Tabulam Chronographicam Status Eccleſiæ Catholicæ à Chriſto nato ad annum 1614. Lugduni apud Iacobum Rouſſinum 1609. & alibi ſæpe recuſam tum in Gallia, tum Coloniæ ſumptibus Petri Henningij 1616. in folio.

Gallicè præterea ſcripſit

Anatomiam Caluiniſmi, ſeu Dilemmata Catholica. Lugduni apud Petrum Rigault 1614. in 8.

Indicem Controuerſiarum ad omnia totius anni Euangelia accommodatum.

Elegantias quoque Aldi Manutij auctiores edidit, & è Latino Gallicè reddidit Duaci 1620. in 12. ſicut &

Hiſtoriam Iaponiorum Principum, qui Romam Legati miſſi ſunt

IACOBVS GEORGIVS natione Gallus, patria Bituricenſis, vir eruditè facundus, & qui cum plauſu in præcipuis quibuſquè Galliæ Vrbibus auditus eſt; In Societatem admiſſus in Prouincia Lugdunenſi anno ſalutis 1587. vota quatuor ſolemnia nuncupauit. Quinquennio docuit Rhetoricam, & amæniores litteras; triennio Philoſophiam; quadriennio Matheſim; & biennio Moralem Theologiam. Concionatorem egit annis 35. & demum ad laborum ſtipendia ex hac vita euocatus eſt Roannæ die 31. Decembris 1640. Scripſit Gallicè

Mauſoleum Henrici IV. Regis Chriſtianiſſimis memoriæ, Lugduni in Principe Templo erectum. Lugduni 1610.

Orationem funebrem Mareſcialli de Chaſtre.

Coronam gloriæ oblatam eiuſdem Mareſcialli filio

Solemnia officia ab Auenionenſi Collegio, adſcriptis in Sanctorum album Societatis noſtræ parentibus procurata.

IACOBVS GIPPENBVCH natione Germanus, natus Spiræ anno ſalutis 1612. Societatem ingreſſus eſt 1629, 11. Martij. In ea docuit Græcas, & Latinas litteras, Conciones habuit Latinè, & Germanicè; Confeſſarium multis annis egit, & Præfectum Chori Coloniæ peritiſſimus Muſices, Religioſè obijt in Sanctenſi Reſidentia die 3. Iulij 1664. Spiritualis Coadiutor pridem formatus. Edidit

Cantiones Muſicas IV. vocum, ad vſum ſodalitatum B. Virginis. Coloniæ typis Geeuenbochij 1642. in 8. Item

Pſalteriolum Harmonicum 4. vocibus, Latino-Germanicum, ſeu Cantiones per annum. Coloniæ typis ijſdem 1652. recuſum ibidem apud Vvilhelmum Freiſſen 1650.

Cantiones, & Motetta ſelectiſſima titulo

Phi-

Philareti, magno paſſim ſtudio exquiſita. Antuerpiæ, & Coloniæ in 4.

IACOBVS GORDONVS HVNTLÆVS natione Scotus, perilluſtri Sanguine, & qui Regium Scotiæ attingit, ortus Societatem Romæ ingreſſus eſt die 20. Septembris anni 1563. ætatis 22. atque in eâ Theologiæ Doctoratum anno 1569. & quatuor votorum profeſſionem anno 1570. ſuſcepit. Per annos propè quinquaginta docuit Philoſophiam, Theologiam Scholaſticam, Moralem, cuius fuit peritiſſimus, controuerſam, & expoſitiuam, Linguam quoque Sanctam maxima ſemper laude, & plauſu, Muſſiponti, Lutetiæ, Burdigalæ. Nuncium Apoſtolicum egit in Hibernia; Viceprouincialem in Aquitania; Chriſti confeſſorem in Anglia, & Scotia, vbi carceres, & vincula perpeſſus; Regia cognatione impunitatem virtuti largiente, euaſit, quam maluiſſet mortem obire. Daniam quoque, & Germaniam, ac reliquam fere Europam plerumque pedes homo id ætatis, nobilitatis, virtutis peragrauit, vt rem Catholicam præſertim in Scotia, cui Miſſioni diu præfuit, promoueret. Inter maxima, quibus plurimis claruit ornamenta potiſſima fuerunt,quæ à vera,ſolidàque virtute ducuntur. Candor animi eius, & ſimplicitas, in tanto doctrinæ lumine fuit prorſus admirabilis, eòque magis quod cum eximia ſua deſpicientia, cum comitate, & affabili iucundaque, vel in extrema ſenectute, morum grauitate, coniungebatur. Rapiebat in admirationem domeſticos, integerrimæ ſuæ vitæ, & virtutum maximarum documentis. Nihil vnquam in eius moribus, aut verbis vlli diſplicuit. Obedientiam tantoperè diligebat, vt nihil optatius, quàm, vt ſe Superiores liberrimè vterentur, neque ſecum precibus,ſed imperijs agerent, ne Obedientiæ pretio fraudaretur. Hinc tam accurata fuit legum noſtrarum obſeruatione, vt in tot per Scotiam, Hiberniam, Daniam, Germaniam itineribus, atque adeò in media hæreſi, vix credatur vnquam examen prætermiſiſſe conſcientiæ, ſeu matutinum, ſeu veſpertinum, nedum alia negligeret officia pietatis. Certe hora tota Socios præueniebat ad Orationem. In B. Virginem deuotiſſimo fuit affectu. Demum curam ſemper habuit magnam hominis interni, ex quo illi fructus conſtitit vitæ innocentiſſimæ, pacatiſſimèque traductæ. Vnum hoc in morte doluit, quod non in Scotia pro Chriſto in patibulo moreretur. Hoc tamen beneficii aſſecutus eſt, vt cum poſt aliquot hebdomadarum languorem, triduò ante Paraſceuem magnopere optaret eo die excedere, quo Chriſtus pro nobis obiiſſet, idque ipſum Deum rogaſſet, poſtquam Sacris Myſteriis inſtructus eſt, eo ipſo die, qui fuit 16. Aprilis 1620. placidiſſimè expirauit Lutetiæ Pariſiorum ætatis ſuæ anno 77. ab inita Societate 57.& 50. poſt editam quatuor votorum profeſſionem. Funus tanto hominum concurſu celebratum eſt, vt vix ſe mutuò pſallentes audirent, vix cadauer efferri poſſet. Edidit

Controuerſiarum Chriſtianæ Fidei Epitomen. Partibus 3. primam Auguſtoriti Pictonum ex prælo Antonii Meſnerii 1612. alteram partem Pariſiis apud Sebaſt. Cramoiſy in 4. Tertiam vnà cum duabus prioribus recuſam. Coloniæ apud Ioannem Kinkium 1620. in 8.

IACOBVS GORDONVS LESMORÆVS natione item Scotus, patria Aberdonenſis, Sacroſanctæ Theologiæ Doctor, & doctrina atque eruditione, innonentia & vitæ probitate priori omnino geminus. Admiſſus Pariſiis in Societatem anno 1573. ætatis 21. Scholaſticam Theologiam docuit. Toloſæ, ac Burdigalæ Rector Collegiorum fuit; & æuo grandis Ludouico XIII. Regi Chriſtianiſſimo à Confeſſionibus. Obiit Pariſiis 17. Nouembris 1641. ætatis ſuæ 88. ab inita Societate 68. totis 52. annis ab edita quatuor votorum profeſſione. Scripſit

Opus Chronologicum, annorum Seriem, Regnorum mutationes, & rerum toto orbe geſtarum memorabilium ſeriem, annumque à Mundi exordio ad noſtra vſque tempora complectens, tomis duobus. Pictauii apud Antonium Meſnerium 1613. & Coloniæ apud Ioannem Chrithium 1614. in folio, ſeorſim deinde edita, & ſæpius recuſa ſunt, quæ in hoc opere habentur

Opuſcula tria, Chronologicum, Hiſtoricum Geographicum, recenſita, & aucta tertiis curis, Coloniæ typis Bernardi Gualteri 1636.

Diatribam de Catholica veritate. Burdigalæ apud Petrum de la Cour 1623.in 12.

Biblia Sacra cum Commentarijs, ad ſenſum litteræ, & explicationem temporum, locorum omnium, quæ in Sacris litteris habent obſcuritatem Tomis III. Pariſijs apud Sebaſtianum, & Gabrielem Cramoiſy 1636. in folio.

De rebus Britanniæ nouis iuſtum volumen.

In nuptias Caroli Regis Britanniæ.

* IACOBVS GOVTOVLAS natione Gallus, patria Toloſas, Societati ſe aggregauit anno ſalutis 1607. ætatis 17. & in ea Rhetoricam, & amæniores litteras docuit ſexennium. Præfecturam Scholarum inferiorum geſſit annis omninò triginta, ſpiritualis Coadiutoris gradum ſortitus. Excelluit manſuetudine, ſtudioque diuini cultus, & ornatus templorum, cuius induſtrius curator exſtitit. Demum plenus dierum, ac bonorum operum deceſſit Auguſtoriti Pictonum, vbi ob ſuauitatem morum Exteris percharus fuerat, die 6. Decembris 1661. Edidit Latinè duobus Tomis

Vniuerſalem Hiſtoriam profanam, in certa capita per annorum decades digeſtam à Chriſto nato, ad annum 1640. cum Imperatorum, Regumque Franciæ iconibus. Pariſijs apud Dionyſium Bechet Pars I. 1561. in folio. Pars II. 1656. in folio.

IACOBVS GRANADVS natione Hiſpanus, patria Gaditanus, Vir omnium, quibus

conui-

conuixit opinione prudentia, doctrina, Sanctitate maximus, & meritò inter prima Societatis columina numerandus, vt pote, qui Theologiam, & Philoſophiā docuit per 30. annos, & Baptiſmi ſtolam nullo crimine vnquam defædatam, excellentibus etiam virtutibus exornauit. Anno ætatis 14. & poſt Chriſtum natum 1586. ingreſſus eſt Societatem, cuius ipſe diei memoriam quotannis, dum vixit, ita celebrauit, vt toto octiduo conſuetæ orationi adderet ſemihoram coram venerabili Euchariſtia multiplicaretquè alia pietatis officia. Paribus ſtudijs excipiebat annuum ſui Baptiſmi, nuncupationis item votorum, & initiationis ſacræ, ac demum profeſſionis ſuæ ſolemnis, recurſum. Omnes virtutum ſuarum actiones eò referebat, vt quoad homini fas erat, Deo dignè Sacrificaret. Nunquam vel inter occupationes grauiſſimas non præmiſit ſeſquihoram orationis, magno ſenſu pietatis, & vberibus ſæpe lacrymis irrigatæ. Gratias à ſacro prolixè agebat; eoq; tempore multa percipiebat dona cœlitus, quæ pro ſua ipſe animi demiſſione altiſſimo ſilentio premebat, niſi quod rudi concepta ſtylo ea Confeſſario exhiberet addens; *Ora pro me, & tace pro me*. Viſus certè nonnunquam eſt eo tempore tota facie coruſcare, & creditus eſt ibi ſuæ ſalutis reſponſum diuinitus accepiſſe. Primus in morem induxit Hiſpali, vt ſingulari quadam ſolemnitate Octaua Chriſti Corporis exigeretur: primus in Bætica noſtris obtinuit facultatem, quinta cuiuſque hebdomadæ feria Officium de Venerabili Sacramento recitandi. In Templi, & altaris ornatus erat ſanctè prodigus, omnibuſque officijs nihil ſe dignum Domino præſtare humillimè agnoſcebat. In Templi conſpectu aperto ſemper capite procedebat, & in itinere quouis eminùs loco conſpecto, templum oculis veſtigabat; tum detracto ſibi pileo pia prece loci Dominum venerabatur. Sub mortem denique allato viatico, huius Myſterij fidem publicè profeſſus eſt. B. Virginem impensè ſecundùm filium colebat; in cuius Roſarij recitatione tam ab ſe rapiebatur interdum, vt nec ad fores cubiculi pulſantem audiret, nec ad ſe intrantem animaduerteret. Immaculatam eius Conceptionem, & ſcripto luculenter, & verbo paſſim publicè priuatimque aſſeruit; cuius etiam Eccleſiaſtico officio celebrandæ, die quaque Sabbathi Noſtris per Bæticam impetrauit poteſtatem; auctorque fuit Granatenſi Eccleſiæ, vt ſimili cultu Mariæ nomen proſequeretur. Orationi erat tam addictus, vt ſemper oraret idem in menſa, qui in Miſſa, & recreatione qui in Oratione. Notabat ſingillatim diem atque horam, qua quoduis à Deo beneficium, aut melioris vitæ ſtudium concipiebat. Adiungebat quotidianam verberationem, nec rarò cruentam, aliaſque corporis vexationes; ſenſuum affectionumque mortificatione fuit tanta, vt ſupra imitationem fuiſſe videatur. Integrum volumen conſcripſit ijs ſingillatim adnotandis, quæ videre, audire, loqui deberet, à quibus abſtinere. Singulari ſtudio fauebat ijs, à quibus aduerſa patiebatur, vt iam paſſim conſtaret non aliud ipſum demerendi potentius inuentum eſſe. Zelo animarum flagrabat impenſius, quam ipſum paterentur in earum ſalutem incumbere docendi munus, fracta valetudo, & indoles aliquanto contractior. Obtinuit tamen rogando à Deo, vt inſignes nonnunquam facinoroſi ad ſe venirent, quos ad vitæ ſanctitatem informaret. At vbi à Scholis abſolutus eſt, ipſe Concionari, Confeſſiones excipere, Catecheſim pueris in ludis ſuis explicare, pauperes in foro exhortari: & quando non poterat aliud, cæterorum induſtriam ſuis orationibus adiuuabat, tanto ſtudio, vt cum omnibus ipſe vnus laboraret: & aliquando diuinitùs accepit neminem interiturum, pro quo lacrymas ipſe fudiſſet. Multa ſæpe occulta, multa diu pòſt futura, tamquam Diuiniore afflatus aura cognouit. Numinis in ſe ſuoſque beneficientia fretus ſæpe diuidebat in pauperes cibaria, quæ vſui erant domeſticis, & in tempore Socijs non ſine miraculi opinione prouidit. Scientiam eius credidere nonnulli humana maiorem eſſe, & cœlitus inditam non futilibus argumentis. Dictus à nonnemine de ſubſellis doctorum eſt, acumine ingenij ſubtilis, grauitate Seraphicus, claritate Angelicus. Ipſe verò doctrinæ ſuæ magnitudinem, omni qua poterat arte diſſimulabat; & quando cogebatur pro re nata publicè loqui, diſcipulum ſe magis exhibebat quàm Doctorem. Regebat Granatenſe Collegium, quando morbus eum lethalis inceſſit. Nuncio mortis ita eſt exhilaratus, vt elatis manibus diceret, *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi*. Omnium tunc virtutum ſpecimen egregium renouauit, cuius vel hoc vnum ad memoriam inſigne monumentum eſt, quòd ad vſque penultimum diem particulare, quod vocant, examen, diligenter obiuit. Sacramentis demum inſtructus placidiſſimè mortuus eſt Granatæ die 5. Ianuarij anno ſalutis 1632. cùm vixiſſet annos omnino 60. in Societate 46. à ſolemni profeſſione 30. Vultus illi ſerenior vita functo, quàm viuenti fuit, & caro poſt diem integrum, plane tractabilis. Mortem eius excepit communis omnium Ordinum luctus, Sanctum obijſſe clamantium. Funus nemo pene fuit ſummorum, infimorum, qui non celebrarit; pedes, manuſque ad venerationem oſculantium, & roſarijs cadauer attrectantium. Miracula per eius inuocationem patrata, & piorum hominum de ipſius gloria reuelationes vulgatæ mox ſunt; ſed vitæ ipſius mortiſquè ſanctitas pro omni miraculo eſt, qua nullam ſe vnquam conſtantiorem ſpectaſſe vir magnus, qui complures Sanctimonia claros cognorat affirmauit. Scripſit Granadus

De Immaculata Conceptione B. Virginis. Opus pium, & eruditum, quod poſtea ſuo loco inſertum eſt tom. 1. in 3. Partem

Commentarios in Summam Theologiam S. Tho-

S. Thomæ tomis 8. quorum tres primi complectuntur materiam totam Primæ partis. Hiſpali apud Franciſcum de Lyra 1623. in folio, & Muſſiponti apud Sebaſt. Cramoisy 1624. in 4.

Duo ſequentes abſoluunt vniuerſam Primam Secundæ. Hiſpali apud Franciſcum de Lyra 1631. in folio

Sextus ad Secundam ſecundæ tractat de Virtutibus Theologicis. Typis iiſdem eodemquè anno.

Duo reliqui explicant Tertiam partem

* IACOBVS GRANDAMICVS natione Gallus, patria Nannetenſis, natus anno ſæculi elapſi 88. Deo ſe in Societate mancipauit labentis 7. & votorum quatuor ſacramento ſolemni ſe adſtrinxit. Poſt traditas amæniores litteras, Philoſophiam docuit quinquennio, Theologiam ſexennio; Rexit Collegia Bituricenſe, Rhedonenſe, Turonenſe, Flexienſe ſecundò, Rothomagenſe; Viſitator luſtrauit totam Franciæ Prouinciam, & in Schola affectus inſtruxit Patres tertiæ probationis ſexennio. Vir fuit inter religioſiſſimos è Societate homines meritò recenſendus, in quo rediuiuas hac ætate noſtra, priſci æui virtutes, licuit admirari, Expertem fuci, & calliditatis omnis vitam ab initio profeſſus, toto ætatis ſuæ decurſu conſtanter tenuit. Nihil ipſo excogitari potuit ad omnem Societatis diſciplinam exactius, nihil ad normam accuratius compoſitum. Nemo illo aut modeſtiùs imperauit, cùm eſſet Superior, aut alacriùs Subditus obtemperauit. Eius amor in Societatem nuſquam ſe non prodebat, eaque erat humilitate, vt Viſitatoris munus ipſi à Præpoſito Generali Franciſco Piccolomineo impoſitum generoſiùs abdicauerit, quàm aſſumpſerat. Omni ſcientiarum genere bene excultus erat; ſed Mathematicas diſciplinas nouis de Virtute Magnetica lucubrationibus primus auxit, & impigram ſuam induſtriam in putandis temporum, motuùmque cœleſtium rationibus erudito cuique probauit. Litterarum amori par fuit, aut certe ſuperior aſſidua de rebus Diuinis meditandi contentio quam ipſe ſic intermiſit nunquam, vt matutinas penſi quotidiani preces flexis genibus perſoluentem, pacatiſſima ſuauiſſimaque mors inuenerit in Collegio Pariſienſi, die 12. Februarij, quo ad beatam, vti ſperamus, vitam emigrauit anno ſalutis 1672. ætatis ſuæ 84. religioſæ vitæ 63. Edidit Latinè

Nouam demonſtrationem immobilitatis Terræ petitam ex virtute Magnetica. Flexiæ apud Georgium Griuean 1645, in 4.

Tractatum Euangelicum de ſumma Dei gloria in Chriſto Ieſu. Pariſijs apud Franciſcum Muguet 1664. in 4.

De die ſupremo, & Natali Chriſti Quæſtionem Euangelicam. Fixæ Audecauorum typis Geruaſij Labonė 1661. in 4. Hoc opus poſtea auxit duobus alijs voluminibus, inſcripſitque

Chronologiam Chriſtianam. De Chriſto nato, & rebus geſtis ante, & poſt Natiuitatem. Editio ſecunda tribus voluminibus, Pariſijs apud Ioannem Henault 1668. in 4.

Rationem ſupputandarum Eclipſium Solis. Pariſijs iiſdem typis 1668. in 4.

Exſtat eiuſdem

Diſſertatio de Elipſi Solis notata à Pachymere in Hiſtoria de Michaële Palæologo, & Epilogiſmus accuratus defectionis Solis, quæ contigit anno Chriſti 1255. die 30. Decembris. In obſeruationibus ad Hiſtoriam Pachymeri factis à Noſtro Petro Poſſino lib. 4. cap. 3. & editis Romæ typis Barberinis 1666. in folio. Gallicè ſcripſit

Curſum Cometæ, qui apparuit annis 1664. & 1665. Pariſijs apud Cramoisy 1665. in 4.

IACOBVS GRASSETTVS natione Italus; patria Mutinenſis vndeuicennis in Societatem ſuſceptus, anno ſalutis 1597. votorum quatuor profeſsionem emiſit. Rhetoricam, & politiores litteras decennio explicuit, Theologiam Moralem Parmæ, & Arimini annis 20. Rexit Collegia Mirandulanum; & Ariminenſe; inſignis mundi, rerumquè omnium caducarum contemptor, virtutes omnes ita coluit, vt in vita communi nulla vnquam admiſſa diſpenſatione perfectus Religioſus haberetur. Singularis fuit eius obedientia, quà Superiorum voluntatem etiam præuenire ſatagebat. Monitus, vt conſcientiæ caſus prælegeret Parmæ, licet non plus haberet, quam duas horas ad ſe præparandum, illicò paruit, & magna alacritate opus in illa periſtaſi difficile, aggreſſus eſt. Orationi valde deditus fuit; exiguo cibo, & multa vigilia vitam traducebat, vt diutiùs Orationi, & ſtudio vacaret. Semper hilaris edomitas habere videbatur animi affectiones. Etiam ſenex in excipiendis Confeſsionibus præſertim pauperum adeo ſedulus fuit, vt in iuuene amplius nihil optaſſes. Denique in vltima ægritudine, editis multis patientiæ, aliarumquè virtutum ſpeciminibus, ab inculpata vita tranſiuit, vt fas eſt credere, ad Cœleſtem, Arimini die 2. Decembris 1656. Edidit Italicè

Vitam B. Catharinæ Bononienſis. Bononiæ apud Bartholomæum Cochi 1620. in 4. & priùs 1630.

Compendium vitæ B. Aloysij Gonzagæ. Mantuæ apud Oſannas 1619. & Latinè Monachij 1650.

Manuale Exercitiorum Spiritualium noſtri Thomæ Villacaſtin ex Hiſpanico fecit Italicum. Bononiæ 1621.

IACOBVS GRETSERVS natione Germanus, patria Marckdorfenſis, Acronianus, fortiſsimus Athleta, ac vigilantiſsimus veritatis defenſor, magnus Lutheranorum domitor, ac malleus Hæreticorum, & Calumniatorum Societatis terror, cui laus ingens eſt in Eccleſia Dei, cuius Scriptorum varietatem, multitudinem, eruditionem, iure miramur. Hæc illi ſcribunt Elogia grauiſsimi noſtræ ætatis viri Henricus Spondanus in Annalibus ſuis Præfat. ad

ad Lectorem, & anno 774. nu.3. Andreas Eudæmon-Ioannes confutat. Anticotoni cap. 1. Henricus Fitz-Simon Britannomach. l.1.c.11. & lib.2.cap.7. In Societatem ingreſſus eſt adoleſcens vix 17. annos natus, anno ſalutis 1577. Ingolſtadij primùm Philoſophiæ triennio, Theologiæ moralis ſeptennio, Scholaſticæ annis quatuordecim Profeſſor. Academiam illam annis 24. illuſtrauit, ea inter docendum perſpicuitate, vt merum Solem dicerent Ingenij doctrinæque ornamentis addidit ſtudium virtutis, orationis præſertim, quæ illi iugis inter litteras comes fuit. Animo fuit admodum demiſſo, ac modeſto, nec ferebat quidquam quod gloriam redoleret. Faceſſere iuſſit cùm ſtomacho à ſe quempiam è Socijs.qui ſcriptionis tàm multiplicis, ac doctrinæ nomine honorem illi eximium deferebat. Inſtiterant apud Ordinem noſtrum Ciues ipſius, vt Gretſerum penicillo expreſſum ſibi concederent, quem in Curia honoris ergò ſeruarent. Indignatus ille eſt, vbi reſciuit, monuitque tum demum illos ſuam imaginem habituros, ſi pictum in tabula aſinum haberent. Nepotem ſuum ex fratre in ſtudijs verſantem, nunquam voluit ad lautiorem conditionem promouere, ſed de communi quadra viuere. Cum tironibus, aut alioqui rudioribus erat illi frequens, & grata conuerſatio, omnes honore præueniebat. Interim familiares ad illum litteræ ex omni Europa, atque inde vſque ex India à viris etiam Principibus ſcribebantur, & Senatus Marckdorfenſis, quando corporis non potuit effigiem exorare, imaginem animi, omnia ipſius opera publico ære comparata, æterno monumento in Curia ſua ad poſteros ſeruanda repoſuit. Demortuorum curam egit ſemper eximiam, cum grati animi ſignificatione. Singulis Fundatorum noſtrorum præter debitas lege Societatis precationes, repetito quinquageſies roſario parentabat. Noſtrorum nomina in Diario deſcribebat, & multis eos ſuffragijs proſequebatur. Pari erat cura in viuentes ſibi omni officio demerendos; quorum ſi quem putaret à ſe læſum, veniam ſubmiſsè exorabat. Inter multiplices morbos, patientiæ laudem promeritus eſt, animo ſemper tranquillo. Vitæ ſatur, cùm ad æterna ſuſpiraret, Sacramentis ritè procuratus piè obdormiuit, Ingolſtadij die 29. Ianuarij anno Chriſti 1625. ſuo 63. initæ Societatis 48. varia contra Hæreticos opera elaborauit, quæ ſunt

De Sancta Cruce Tom.III. qui poſt alias editiones, demum 1616. Ingolſtadij ex typographio Ederiano prodierunt recogniti, locupletati, & vno volumine ſimul editi, adiunctis reliquis eius opuſculis, quæ ad Tractationem de Sancta Cruce pertinent, ſeorſim priùs editis, quale eſt, *De vino Myrrhato*, *& Vaſis Myrrhinis*, *Hortus Sanctæ Crucis*; *Florilegium de Cruce.*

De Sacris Peregrinationibus Lib. IV. anno 1606.

De Eccleſiaſticis Proceſſionibus Lib.II. eodem anno, & ſeparatim Coloniæ apud Mylium 1608. Vertit Germanicè Pater Conradus Vetter

De Voluntaria flagellorum, ſeu Diſciplinarum Cruce Lib. III. Ingolſtadij apud Georgium Vviller 1606. Vertit Germanicè P.Conradus Vetter. Prodierunt auctiùs Coloniæ eodem anno

Prædicans vapulans, & diſciplinatus, hoc eſt pro Libris De Diſciplinis, Apologetici Lib.III. aduerſus Lutheranum quemdam Prædicantem Ingolſtadii typis Adami Sartorij 1607. in 4. Primus horum Germanicè verſus eſt à P.Conrado Vetter

Epiſtola ad D.Petrum Steuartium, De Hiſtoria Ordinis Ieſuitici ab Haſenmullero edita 1693. Ingolſtadij apud Dauidem Sartorium in 4.

Hiſtoria Ordinis Ieſuitici conſcripta ab Haſenmullero edita à Policarpo Leyſſerio, *correcta, & refutata, cum apoendice Apologetica ex D.Thoma, & D.Bonauentura, contra Religioſorum Calumniatores.* Ingolſtadij typis Dauidis Sartorij 1593. in 4.

Apologia prima pro vita S. P. N. Ignatij Lib.V. contra Miſenum Caluiniſtam. Ingolſtadij apud Adamum Sartorium 1599. in 8.

Apologia ſecunda pro Vita S. P. N. Ignatij contra eundem Simonem Lithum-Miſenum Lib. V. 1601. Acceſſit *Aſſertio Apologiæ Gallicanæ ad Henricum IV. Regem Galliæ*, aduerſus eundem Miſenum eodem anno

Apologia tertia pro Vita Sancti P. N. Ignatij contra eundem Miſenum Lib. V. 1604. Acceſſit *Conſolatio pro Miſeno, ob Ieſuitas Galliæ publico Chriſtianiſſimi Regi Henrici IV. edicto vel firmatos, vel redditos*, eodem anno

Panegyricus Miſenicus, cui adiuncta ſunt hæc 5. opuſcula

Stigma frontis Miſenicæ

Honorarium Polycarpitum Lauſerianum ob recuſum Ieſuiticam Hiſtoriam

Demonſtratio quorundam fidei dogmatum, ex communibus notionibus, & loquendi formulis

Iudicium ſuper diſceptatione de norma, & normato in Rodulphum Cochlenium, & Bauium Alchymiſtam

Paracletus Lutheranus ad Lithum Caluiniſtam miſſus cum duabus Monſtrantijs, & Ludo Anagrammatico 1606.

Spicilegium pro tribus libellis de Diſciplinis cum libello de Cruce ſpirituali. Coloniæ 1607.

Epiſtola Græca Miſenicæ ad Iacobum Gretſerum Analyſis in ſua elementa, cum pharmacis ob Ieſuitarum in Gallias reuocationem irato, & meticuloſo Miſeno curando idoneis Acceſſit: *Admonitio, breuis de miraculoſis in Venerabili Euchariſtiæ Sacramento apparitionibus*, quas Lithus inſectatus eſt, vna cum Monſtrantijs Lutheranis 1605.

Apologeticus pro Societate Ieſu, contra

Gabrielem Lermæum Caluiniſtam 1600. in 8. Ingolſtadij, typis Sartorij

De modo agendi Ieſuitarum Lib. II. oppoſiti eiuſdem argumenti libello anonymo, & famoſo. Acceſſit *Vindiciatio locorum quorundam Tertullianicorum* à Franciſci Iunij Caluiniſtæ deprauationibus. Ingolſtadij ex typographia Adami Sartorij 1600. in 4.

De Iure, & more prohibendi libros noxios lib. II. 1603. Ingolſtadij typis Andreæ Angermarij

Labyrinthus Cretico-Hunnianus hoc eſt, Diſputatio de Hunnio Prædicante, Genioque Lutherano ſemetipſum contradictionibus implicante, & iugulante, in aliquot articulis Fidei 1602.

Reſponſum ad Theſes Hunnianas, I. e. Colloquio cum Pontificijs iucundo, vnà cum ſex Digreſſionibus contra eiuſdem Hunnij calumnias 1602.

Exercitationum Theologicarum Libri ſex Ingolſtadij apud Angermarium 1604.

Bauius & Mæuius, ſeu quis ſit Controuerſiarum Fidei index, & quæ norma 1605.

Orationes & Quæſtiones recitatæ, & diſputatæ in Theologica Doctorali inauguratione. Ingolſtadij 1606.

Conſiderationum ad Theologos Venetos, De Libertate, & Immunitate Eccleſiaſtica Lib. III. contra Fr. Marcum Antonium Capellum. Ingolſtadij typis Adami Sartorij 1607.

Controuerſiarum Roberti Bellarmini S. R. E. Cardinalis defenſio Tomis II. quibus aliqui *tractatus peculiares* additi ſunt. Ingolſtadij typis Adami Sartorij prior anno 1607. poſterior 1609. in folio.

Miſcellanea Theologica, in quibus iſta

I. *Virgidemia Volcianæ, hoc eſt Apologia pro Diſciplinis* contra Melchiorem Volcium Prædicantem

2. *Antiſtrena Polycarpica*

3. *Notæ ſuper Notas Petri Molinæi, in Epiſtolam Nyſſeno adſcriptam, de euntibus Hieroſolymam.*

4. *Examen Tractatus de Peregrinationibus,* ab eodem Molinæo editi

5. *Correctionis Notarum Cauſaboni in Epiſtolam Nyſſeni ad Euſtathiam*

6. *Satyra Miſenica Palinodica* commentariolo illuſtrata 1608.

Murices Catholicæ, & Germanicæ antiquitatis, hoc eſt, Demonſtrationes variorum Catholicæ Fidei dogmatum ex vulgaribus Germanorum loquendi, & ſentiendi modis, & formulis. Ingolſtadij typis Adami Sartorij 1608. in 4. Reddidit Germanicè P. Conradus Vetter, & *Lameiſen* indigitauit

Agoniſticum ſpirituale, de Diſciplinis, hoc eſt, *Apologia pro Prædicante vapulante,* contra Hailbrunnerum, & Zeæmannum Prædicantes Lutheranos

Veſpertilio hæreticopoliticus, ſub Bononienſis Epiſtolæ Italo-Latina velo, de perfectione, & excellentia Ieſuitici Ordinis antea deliteſcens, iam in lucem extractus. Ingolſtadij per Adamum Sartorium 1610. in 4.

Epiſtola Cnaptica Petri Cnaphæi Theopaſchitæ in Thoma Vvegelino Lutherano Prædicante reſuſcitati, Commentario illuſtrata, cum appendicibus ex Hypomnemate Vvegelino Cnaptis. Acceſſit

Pharetra Tertullianea contra Hæreticos

Petrus Cnaphæus, ſeu Fullo, in Thoma Vvegelino Lutherano Theopaſchita rediuiuus, hoc eſt, *Tractatus de Triſagio, contra Cnapticam illam additionem, Qui Crucifixus eſt pro nobis* 1608.

Relatio de Ieſuitarum ſtudijs abſtruſioribus; in gratiam Prædicantium Auguſtanorum aucta & recuſa, contra Ioannem Cambillion

Tranſtulit eam Germanicè P. Conradus Vetter 1609.

Furia Prædicantium Auguſtanorum ob refutatam relationem Cambillonicam. Vertit Germanicè P. Conradus Vetter 1610.

Lutherus Academicus 1610.

Paulus Bernriedenſis de rebus geſtis Gregorij VII. & Herlucæ Virginis; cum Apologia pro Illuſtriſſimo Cardinali Baronio contra Goldaſtum Caluiniſtam 1610.

Baſilicom Doron, ſeu Commentarius exegeticus in Sereniſſimi Magnæ Britanniæ Regis Iacobi Præfationem Monitoriam; & in Apologiam pro iuramento fidelitatis 1610.

Lixiuium Anonymo Fabulatori, ſeu vt vocant, *Nouellanti qui cædem Henrici IV. Regis Galliæ in Ieſuitas confert*, Vertit Germanicè P. Conradus Vetter 1610.

Podoniptron, ſeu Pedilauium, hoc eſt de more lauandi pedes Peregrinorum, & hoſpitum cum *Paralipomenis pro libris ſuis, De Sacris Peregrinationibus, & proceſſionibus*. Prodijt hic liber vnà cum Horto Sanctæ Crucis. Ingolſtadij typis Adami Sartorii 1610. in 4.

Commentariolus de Imperatorum, Regum, ac Principum Chriſtianorum in Sedem Apoſtolicam munificentia

Vindicatio Illuſtriſſimi Card. Bellarmini à criminationibus, & inſcitia Lutherani Magiſtelli Erneſti Zephirij. Ingolſtadii apud Sartorium 1611. in 4.

Iudicium Eraſmi Roterodami de nouo Euāgelio, eiuſque Euangeliſtis. Acceſſit ſimile iudicium Georgii Vvicellii 1611.

Summula Caſuum Conſcientiæ, De Sacramentis ex Luthero, Caluino, & Beza collecta. Ingolſtadii apud Adamum Sartorium 1611. in 4.

De funere Chriſtiano Lib. III. aduerſus Sectarios. Ingolſtadii apud Sartorium 1611. in 4. Acceſſere *Diſputationes II.* altera, *De Subterraneis animarum receptaculis* contra Sectarios: altera *De Statu Beatorum*

Gerardi Reicherſpergenſis in Bauaria Præpoſiti. de Henrico IV. & V. Imppp. & Gregorio VII. nonnulliſque conſequentibus Romanis

Pon-

Pontificibus, Syntagma. Cum refutatione Alogiarum Annæ Comnenæ in Alexiade, contra eundem Gregorium VII. Acceſſit *Retectio inſipientiæ, & falſimoniæ Goldaſtinæ in tertio Tomo Conſtitutionum Imperialium.* 1611.

Diui Bambergenſes, S. Henricus Imperator, S. Cunegundis Imperatrix, S. Otho Epiſcopus Bãbergenſis cum Notis, & aliis quibuſdam ad ipſos ſpectantibus 1611.

Repetitæ furiæ Prædicantium Auguſtanorum ob Relationem Cambilhonicam, denuò caſtigatæ. Eas Germanicè reddidit Pater Conradus Vetter 1612.

Athletica ſpiritualis legitima, & illegitima, Lib. II. aduerſus Zeæmannum Lutheranum Prædicantem 1612.

De Feſtis Lib. II. aduerſus Danæum, Dreſſerum, & Hoſpinianum 1612.

Auctarium ad Libros II. De Feſtis, ſeu Diſſertatio de Feſto Corporis Chriſti, & Euchariſtiæ cultu, aduerſus Rodulphi Hoſpiniani impietatem 1612.

Gratia Danieli Cramero Lutherano Prædicanti perſoluta, pro Paralipomenis ad Libros de Chriſtiano funere tranſmiſſis 1612.

Suppetiæ Luthero Academico miſſæ aduerſus Ioannem Forſterum Prædicantem Vvitebergenſem, vnà cum *Epimetro pro Opere, & Supplemento eiuſdem operis, de libris Hæreticis, & noxijs prohibendis* 1612.

Gemina aduerſus Melchiorem Guldinaſtum Caluinianum defenſio; Prior pro S. R. Orthodoxi, & Catholici Imperij auita Maieſtate; Poſterior complura monumenta pro Gregorio VII. alijſque Pontificibus Romanis exhibet. Ingolſtadii typis Andreæ Angermarii 1612. in 4.

Lucas Tudenſis, contra Albigenſes, & Succedanei aliquot Scriptores, contra Vvaldenſes, cum Notis, & Prologomenis 1612. Inſerti ſunt deinde Bibliothecæ magnæ Patrum Tomo XIII.

Arnaldi Brixienſis in Melchiore Goldaſto Caluiniſta redíuiui, vera deſcriptio, & imago. Ingolſtadii apud Andream Angermarium 1613. in 4.

Recognitio Lutheranorum, & Caluinianorum Prædicantium ex Sacro Romano Imperio. Ingolſtadii apud Angermarium 1613. in 4.

Parænesis ad Auguſtanæ Confeſſionis Academicos 1613.

Volumen Epiſtolarum Pontificiarum, præſertim Pauli I. & Adriani, ad Principes, & Reges Francorum Pipinum, & Carolum Magnum 1613.

Prædicans Heautontimorumenos, ſeu ſeptima de Diſciplinis ſcriptio contra Zeæmannum Lugodulum 1613.

Myſta Salmutienſis, ſeu myſterium iniquitatis à Philippo Mornæo Pleſſiaci Domino editum, nunc autem reuelatum 1614.

Trias Scriptorum contra Sectam Valdenſium Ebrordus Bethunienſis, Bernardus Abbas Fontis Calidi, & Hermengaudus 1614.

Notæ in Libros Hiſtoriarum Iacobi Auguſt Thuani

De Benedictionibus Lib. II. & Tertius De Maledictionibus, Ingolſtadii ex typographeio Ederiano apud Eliſabetham Angermariam 1615. in 4.

Caſtigatio Libelli famoſi aduerſus Illuſtriſsimum Card. Bellarminum. Eam vertit Germanicè P. Conradus Vetter 1615.

Admonitio ad Exteros, De Biblijs Tigurinis. Ingolſtadii typis Angermariæ 1615.

Defenſio eiuſdem Admonitionis, contra Tigurinum quemdam Sacramentarium. Ingolſtadii typis Angermariæ 1617. in 4.

Rationes cur Quinti Euangelici ità à carnis maceratione abhorreant.

Variorum Pontificum ad Petrum Cnapheũ Eutychianum Epiſtolæ 10. nunc primum Græco-latinæ. Acceſſerunt *Gregorij Acyndini, De Eſſentia, & operatione Dei Lib. II.* Ingolſtadii typis Angermariæ 1616.

Dormitorium Apoſtatarum deſtructum, pro D. Ioanne Piſtorio, Ingolſtadii apud Angermariam 1616. in 4.

Commentarius de Vita S. Vvalpurgæ.

De Eyſtettenſis Eccleſiæ Diuis Tutelaribus, S. Richardo, S. Vvillibaldo, S. Vvunibaldo, S. Vvalpurga, Commentarius Philippi Eyſtettenſis Epiſcopi vnà cum 2. *libris Obſeruationum, & Catalogo Epiſcoporum Eyſtettenſium* Ingolſtadij apud Angermariam 1617. in 4.

Fons olei Vvalpurgini apud Eyſtettenſes explicatus, & defenſus

Syntagma de Sacroſanctis Reliquijs S. R. Imperij.

Compelle intrare, hoc eſt, An heterodoxi ad fidem cogendi ſunt

Camarina Lutherana, & Caluiniana, de peccatis, & legibus

Contra Libellum famoſum, cuius inſcriptio eſt, *Monita priuata Societatis Ieſu, &c. lib.* 3. Apologetici, Ingolſtadij apud Eliſabetham Angermariam 1618. in 4.

Hiſtoria de Monialibus Rigenſibus in Liuonia, & Norimbergenſibus in Franconia.

Inauguratio Doctoralis, in qua de Lutheri Doctoratu, & Lutheranis Doctoribus diſſeritur celebrata Ingolſtadij die 2. Septembris 1609. excuſa Cracouiæ 1610.

Altera inauguratio ibidem celebrata die 9. *&* 10. *Iunij* 1614. *in qua diſquiritur, quid Lutherus de peccatis ſenſerit, & docuerit*

Vertit ex Græco, & Græcè Latinèque edidit

D. Gregorij Nyſſeni commentarium geminum in Pſalmorum inſcriptiones. Ingolſtadij typis Adami Sartorij 1600. in 4.

Eiuſdem Orationem contra fæneratores

Alteram de SS. Petro, & Paulo

Tres item alias *De Pauperibus amandis II. In ingreſſum Ieiunij Quadrageſimalis III. Contra fornicarios.* Ingolſtadij typis Ederianis 1417.

Anaſtaſij Sinaitæ Odegon ſeu viæ Ducem, contra Acephalos, & Seuerianos.

Eiuſdem Orationem de ſacra Synaxi, & de Non iudicando; & de Obliuione iniuriarum. Item

Quæſtiones, & reſponſiones 157. 1617. Ingolſtadij typis Ederianis in 4.

Calliſti Patriarchæ Conſtantinopolitani Orationem in Exaltationem S. Crucis.

Gregorij Mytylenæi Homiliam in Paſſionem Dominicam.

Theodori Abucaræ Epiſcopi Cariæ 42. *opuſcula contra varios Hæreticos* partim à ſe partim à Franciſco Turriano Latinè reddita Ingolſtadij 1606. in 4.

Hippolyti Thebani Chronicon, vel potius fragmentum Chronici. Exſtat tomo 3. Antiq: Lect. cum Notis

D. Gregorij Thaumaturgi XII. Anathematiſmos cum Notis. Extant ibidem.

Georgium Codinum Curopalatam, cum Commentarijs, obſeruationibus, & emendationibus.

Edidit præterea

Notas in Hiſtoriam Ioannis Cantacuzeni.

In Sermones Simeonis Iunioris Theologi.

In Dioptram Philippi Solitarij.

In Diſputationes II. Michaelis Glycæ

Euulgauit inſuper antea ineditum

Iacobi de Vitriaco Hiſtoriæ Orientalis Librum 3.

Claudij Iaij S. I. ſpeculum Præſulum.

Adamanni Scoto-Hiberni de Situ Terræ Sanctæ Lib. 3.

S. Bernardi opuſcula IV. & Vitam B. Bertholdi Abbatis Garſtenſis in Auſtria.

Vertit ex Gallico

Franciſci Montani Apologiam pro Societate Ieſu contra Philippicam Antonij Arnoldi, Aduocati Pariſienſis. Acceſsit

Appendix cõtra Anonymi Caluiniſtæ criminationes

Apologiam Societatis Ieſu in Gallia, ad Chriſtianiſsimum Galliæ, & Nauarræ Regem Henricum IV. *Scriptam Gallicè à Religioſis eiuſdem Societatis in Gallia.* Ingolſtadij apud Adamum Sartorium 1599. in 8. Acceſsit

Appendix Apologetica aduerſus Lutherani cuiuſdam rabulę conuitia, & mendacia

Ambianenſe colloquium inter Franciſcum Veronum S. I. & Hadrianum Hucherum, inſtitutum

Scripſit ad hæc

Inſtitutionum Grammaticarum Græcæ Linguæ lib. 3. cum Diſceptatione, *De Pronunciatione Linguæ Græcæ*

Rudimenta Linguæ Græcæ.

Nomenclatorem Latino-Græco-Germanicum, addito commentariolo *De Verbis Anomalis, & Defectiuis, & Phraſeologia*

Ad hæc collegit Libellum

De vita, & rebus geſtis B. Virginis in gratiam ſodalitatis B. Virginis.

Ex varijs Diſputationibus Philoſophicis, quas olim typis publicè propoſuit, has ſupereſſe, & perennare cupit

De Plantis

De Primo Motore

De Intelligentijs, & Dæmonibus

De Demonſtratione

De Topicis

Ex diſputationibus Theologicis Ingolſtadij habitis

De materia, & forma Euchariſtiæ

De ſpeciebus Euchariſtiæ

De matrimonio

De Iudice cauſarum matrimonialium; deque conuenientia Iuris Canonici, Ciuilis, & Theologiæ in legibus, & ſtatutis de Matrimonio.

De Myſterio Sanctiſſimæ Trinitatis, & proceſſione Spiritus Sancti ex Patre, & Filio, contra Hieremiam Patriarcham Conſtantinopolitanum

Nuper editus eſt Catalogus accuratus Omnium Operum P. Gretſeri ex ipſius autographo deſcriptus opera noſtri Georgij Heſeri. Monachij typis Lucæ Straub. 1674. in 4.

IACOBVS HACK natione Germanus, patria Iuliacenſis, Vndeuicennis Societati adſcriptus anno Chriſti 1598. in Prouincia Auſtriæ vota quatuor nuncupauit Olomucij. Eccleſiaſten plurimis annis cum fructu egit, & religiosè obijt Commotonij, die 12. Octobris 1634. Edidit Germanicè

Defenſionem Concionis P. Georgij Scherer Soc: Ieſu, pro vna, & vtraque ſpecie aduerſus M. Antonium Hegium Caluiniſtam. Olomucij apud Seramnium 1613.

Proluſionem, ſeu breuem informationem, an Paulus Toſſanus Theologiæ Heildelbergenſis Doctor, in diluendis mendacijs, quæ Nicolao Hegio. Iacobus Hack Soc: Ieſu obiecit, eiuſdem honorem ſufficienter defenderit nec ne? Olomucij apud eundem 1614.

Solidam reſponſionem ad 4. Quæſtiones, hoc tempore ſcitu neceſſarias. Contra Paulum Toſſanum Caluiniſtam. Olomucij apud Hæredem Georgij Handalij 1617.

IACOBVS HAVTINVS natione Belga, patria Inſulenſis, duodeuicenarius in Societatem venit anno 1617. in ea docuit Philoſophiam Duaci, præfuitquè Inſulis Iuniorum noſtrorum repetitionibus, tam Philoſophicarum Diſciplinarum, quàm humaniorum litterarum per annos 9. votorum quatuor profeſſione adſtrictus. Vir fuit indole ad virtutem facta, & erga proximos eximia caritate. Tria habuit in delitijs; amorem in Chriſtum, Diuàmque Virginem; ſingulare erga Angelos Cuſtodes ſtudium, & in Defunctos manes obſequium; quæ omnia libris impreſſis late etiam extra Europæ terminos extendit. Sibi quidem ita ſtudebat, vt prope continenti precandi vſu virtutem aleret, & frequenter per hebdomadam pœnitentiæ fonte maculas animi elueret. Hinc morbum vltimum trimeſtri ſpatio fortiter tulit, & & mortem piè obijt. Inſulis die 24. Decembris

bris 1671. Edidit tractatum

De Angelo Cuſtode, ſeu de mutuis Angeli Cuſtodis, & Angelici Clientis Officijs. Antuerpiæ apud Ioann: Cnobbaert 1620. in 16.

Rhetoricam Adoleſcentum ingenijs accommodatam. Duaci apud Ioannem Serurier in 8. quam poſtea auctam edidit Inſulis apud Nicolaum de Rache 1669. in 12.

Sacramentum Amoris Euchariſtiam, duobus libris expoſitum. Inſulis apud eundem 1650. in folio

Vitam P. Vincentij Carafæ Societatis Ieſu Præpoſiti Generalis ex Italico latinitate donauit Leodij apud Houium 1655. in 8.

Aduocatum Purgatorij Gallicè ſcriptum, latinum fecit, & illuſtrauit. Coloniæ apud Ioannem Buſæum 1659. in 12.

Patrocinium Defunctorum. Leodij apud Ioann. Mat. Houium 1664. in folio

Nouum opus de Nouiſſimis, Angelo Cuſtodi adſcriptum, non modò terrendis impijs, ſed & pacandis pijs accommodatum. Inſulis apud Nicolaum de Rache 1670. in 8.

* IACOBVS DE LA HAYE natione Gallus, patria Pariſinus, natus anno vndecenteſimo ſæculi proximè decurſi, Societati ſe adduxit currentis 16. & votorum quatuor ſolemnium profeſſione ſe ei adſtrinxit 24. Iunij, 1633. Docuit in ea humaniores diſciplinas, Philoſophiam, & Theologiam Scholaſticam atque annis aliquot Miſſionarium egit Conſtantinopoli, vbi cùm frater eius germanus legati Regis Chriſtianiſſimi munere apud Imperatorem Ottomannicum fungeretur, eo procurante creatus eſt ab Alexandro VII. Summo Pontifice Archiepiſcopus Nicænus. Scripſit dum inter nos viueret, tacito nomine, Gallicè

Reſponſionem ad librum, cui titulus eſt: Apologia Vniuerſitatis. Pariſijs 1643. in 8.

IACOBVS HIMIOBEN natione Germanus, ad Rhenum infra Bingium natus, anno Domini 1577. vicennis Societatem iniJt, atque in ea quatuor vota profeſſus complures annos Philoſophiam, & Theologiam moralem docuit Theologici Doctoratus laurea inſignitus

Concionem, ſeu Compendium Caſuum Patris Fillincij nono ſupplemento auxit, & edidit Herbipoli in 8. recuſum ibidem in 12. vbi, & ipſe religioſè mortuus eſt die 23. Nouembris 1642.

IACOBVS HONORATVS DVRANDVS natione Belga, patria Bruxellenſis, adoleſcens ad Societatem venit anno 1615. & in ea Philoſophicis, Mathematicis, Theologicis diſciplinis Louanij excultus, anno 1627. euocatus in Prouinciam Auſtriacam, Græcij Styrorum publicè Philoſophiam cum laude explicuit triennio; exinde Matheſim docuit ſeptennio; poſtea Theologiam moralem, & demum ibidem piè defunctus eſt die 28. Auguſti 1644. recudit

Elementa Euclidis à Chriſtophoro Grienbergero S. I. contracta quibus addidit

Breuem Trigonometriam planorum, cum tabulis ſinuum tangentium, & ſecantium ad partes radij 100000. per ſex prima ſcrupula. Græcij typis Vvidmanſtadij 1636. in 12.

Problema Mathematicum ex Architectonica militari de Mœnibus inferioribus, ſine falſabraga an ea infra horizontem an ſupra collocanda ſit: iiſdem typis, & anno in 4. Parabat

Machinicam Mathematicè, & Phyſicè demonſtratam, ſeu Tractatum, in quo Machinæ ad certam vniuerſalem, & omnibus communem regulam, & cauſam Phyſicam continentem reducuntur

IACOBVS DV IARDIN natione Belga, patria Inſulenſis natus anno 1585. Societatem ingreſſus anno 20. ætatis; Docuit in ea Repetentes noſtros, & Adoleſcentes externos pluribus annis litteras humaniores, in quibus excelluit. Leodij curam habuit Sodalitatis Litteratorum per annos ſeptem frequenti ſemper concione, quam ſibi deuinciebat, tum elaborato Orationis genere, ſtudioque honoris Magnæ Matris promouendi, quem præ ſe ferebat, tum ſuauiſſimis verſibus quibus Sodalium aures piè identidem oblectabat. Obijt Leodij 9. Nouembris 1633. Spiritualis Coadiutor pridem formatus. Edidit

Elegiarum de Chriſto, B. Virgine, & alijs lib. 3.

De Arte forenſi ad Iuriſperitos lib. 2. in 12. Monaſt. Vveſphaliæ 1636. & iterum Duaci typis viduæ Petri Telu

* IACOBVS IRSING natione Germanus, patria Marckdorfenſis Acrouianus, vicennis in Societatem adlectus eſt anno à partu Virginis 1615. & vota quatuor ſolemnia concepit. Rhetoricam, & amæniores litteras docuit annis 14. deinde Ethicam, & Theologiam moralem. Rexit Domum Oetinganam, vir rectus, integer, & morum ſuauitate omnibus amabilis. Pie deceſſit Auguſtæ Vindelicorum die 15. Iulij 1669. edidit

Hiſtoriam D. Virginis Oetinganæ. Monachij typis Leyſſerij 1643. in 8.

Panegyricum Maximiliano Bauaro poſt victoriam Pragenſem carmine heroico

Genethliacon Galaſſio, pro nuptijs

IACOBVS ISNARDVS natione Gallus, patria Aruernus, vir potens in agendo, & dicendo, adſcitus in Societatem anno ſalutis 1602. ætatis 15. profeſſionem emiſit votorum quatuor. Docuit humaniores litteras, & multis annis egit Eccleſiaſten. Rector Aquisſextijs ſæuiente peſte prius vitam quàm proximi curam reliquit die 28. Decembris anno 1629. Inter Hæreticos aliquamdiu verſatus Scripſit

Catecheſes Catholicas, &c. & viam a Samaria in Ieruſalem.

IACOBVS KELLERVS natione Germanus, patria Seckingenſis, Rauracus è diœceſi Conſtantienſi annos natus 20. venit ad Societatem anno Domini 1588. In ea politiores primum litteras, quibus inſigniter inſtructus

ctus fuit, tum Philoſophiam, ac Theologiam tam Moralem quam Scholaſticam cum approbatione publicè docuit. Regimini deinde admotus, Ratisbonenſi Collegio biennio præfuit Monacenſi vero totis continenter annis 16. iterumque ex interuallo tribus vitæ extremis, ob admirabilem prudentiam, & gubernandi dexteritatem, ſumma comitate, animiquè demiſſione temperatam omnibus mirè carus. Sereniſſimus Maximilianus Elector Bauariæ, eius conſilijs, operaquè in rebus grauiſſimis non raro eſt vſus. Sereniſſimus Albertus Electoris frater, ſuæ ſimulquè Sereniſſimæ coniugis conſcientiæ arbitrum habuit pluribus annis. Hæreticos, & Pſeudo-Politicos acerrimo ſtylo, & libris egregijs inſigniter exercuit. Certè præcipuus Palatinatus Neoburgi præco Iacobus Hailbrunner in publica diſputatione tam fortiter preſſus eſt, vt tantùm non obmutuerit, morbumque reipſa nocte illa contraxerit, vel ne cogeretur iterum in arenam deſcendere, callidè ſimularit. Bonis omnibus ſui relicto deſiderio mortalitatis debitum exoluit Monachij die 23. Februarij anno ſalutis 1631. ætatis 63. ab inita Societate 43. Fuit in eo ſingularis animi demiſſio, regularum in ſe, & in alijs cura irrequieta, in rebus arduis, quas plurimas ſuſcepit infracta magnanimitas; feſtiua morum comitas plena maieſtatis gratia temperata, effuſa in pauperes, & in Collegia egentiora caritas; in Deum Cæliteſque religio ſupra vires magna; Defunctorum animabus qua poterat pietate ſuffragabatur, ſed & ſpectabiles habuiſſe fama eſt mors eius Eccleſiæ hoſtibus læta, atque optabilis, bonis omnibus non parùm luctuoſa. Scripſit Latinè, & Germanicè

Tyrannicidium, ſeu ſcitum Catholicorum de Tyranni internecione aduerſus inimicas Caluinani Miniſtri calumnias in Societatem Ieſu iactatas. Monachij 1601. in 4. typis Nicolai Henrici

Papatum Catholicum, ſeu Demonſtrationem fundamentalem veritatis Eccleſiæ Catholicæ Romanæ contra Iacobum Hailbrunner Germaniæ tomis 2. Monachij per Nicolaum Henricum 1616. in folio

Compendium eiuſdem Operis. Ibidem eodem anno in 4.

Agoniam, ſeu ſudorem mortualem Iacobi Hailbrunneri, hoc eſt *Refutationem Hailbrunneri, qui extremam vnctionem inſectatus fuerat ſcripto libro*. Monachij iiſdem typis 1618. in 4. Germanicè

Panegyricum ad Sereniſſimum Maximilianum Electorem Bauariæ à bello Bohemico reducem. Monachij 1620. in 4.

Edidit præterea ſub nomine Iacobi Syluani

Faſciculum olidum L. floſculorum, id eſt abſurditates Prædicantium in Colloquio Ratisbonenſi 1604. in 4. ſub nomine Fabij Herciniani

Rhabarbarum, & Tubum Galilæanum pro Ludouico Camerario. Monachij 1625. in 4.

Suppreſſo nomine

Lituram Hiſpanicæ Cancellariæ. Monachij 1623.

Conſultationes cum Gloſſis. Monachij 1624. in 4.

Aiacem Volradi Belſsij Heidelbergenſis olim Cancellarij in ſpongiam incumbentem, ſiue Appendicem Cancellariæ Anhaltinæ. Monachij, 1624. in 4.

IACOBVS LAYNEZ natione Hiſpanus, patria ex Oppido Caſtellæ Almazan. Vir fuit omnibus numeris abſolutiſſimus, ingenio maximo, iudicio acerrimo, excellenti memoria, prudentia ſingulari, innocentia, & vitæ ſanctimonia admirandus, modeſta affabilitate, manſuetudine morum ſuauitate, ſupra quam dici poteſt amabilis. Primis litteris Seguntiæ, & Soriæ imbutus eſt; Dialecticis, ac Philoſophicis Compluti, vbi lauream etiam Magiſtralem eſt adeptus. Lutetiæ Pariſiorum ſeſe reformandum, ac veluti recoquendum alijs præceptoribus, & Philoſophis tradidit, vt quæ inchoata, & minùs perfecta ſibi videbantur expoliret, ac perficeret. Quibus ſtudijs abſolutis, ad Diuinas ſe ſcientias penitus dedit, maximaquè animi contentione in S. Theologiam incubuit, ſummuſquè Theologus euaſit: S.P.N. Ignatij conſtituendæ Societatis Socius inter primos, & adiutor fuit. Per Italiam pene totam Verbum Dei ingenti Auditorum concurſu, admiratione, fructu diſſeminauit. Inſtituendorum Collegiorum noſtrorum S. P. Ignatio ipſe auctor fuit; vtque multa præcipuis in Ciuitatibus Italiæ erigerentur Collegia, eius potiſsimum opera, atque labore perfectum. Sacram Cardinalium Dignitatem ei à Paulo IV. Pont. Max. oblatam repudiauit. Illo verò Pontifice mortuo, ac Sede Apoſtolica vacante, 12. Cardinales ex vniuerſo illo ſacro Collegio lectiſsimi in ipſum extra Conclaue Romæ agentem, ſua ſuffragia contulerunt, quo Pontifex Maximus fieret. S. Ignatio ad meliorem vitam tranſlato tum Vicarius, tum Præpoſitus Generalis Societatem octo annos, & dimidiatùm rexit; quo tempore mirabiliter eſt propagata. In Galliam anno ſalutis 1561. à Pio Quarto Pontifice Maximo cum Hippolyto Eſtenſi Cardinale Legato ad reſtinguendum ſi poſſet incendium ab Hæreticis excitatum; dimiſſus in publico totius Regni conuentu, Theodorum Bæzam, Petrum Martyrem, alioſque nefarios hæreticorum anteſignanos exultates in mendacio, maxima ſententiarum, & verborum grauitate, homo Hiſpanus, & Hoſpes repreſſit, frænauit, ac mutos reddidit. Ad Synodum Tridentinam ter profectus eſt à Paulo III. Iulio item III. & Pio IV. miſſus, & tamquam Sedis Apoſtolicæ Theologus, quid in Quæſtionibus propoſitis videretur grauiſsimè, doctiſsimèque diſputauit, & primum inter Theologos locum tenuit. Sub Pio verò IV. cùm Præpoſitus Societatis eſſet Generalis in-

ter

ter Patres, qui non ſolum conſulendi ius haberent, ſed etiam definiendi, & ſedit, & ſententiam tulit, tanta illius Sacri Conſeſſus approbatione, admiratione, acclamatione, vt omnium iudicio, & conſenſu Theologorum princeps, Arca vtriuſque Theologiæ prædicaretur. Concilio Tridentino feliciter abſoluto, Romam reuertit, vbi morbo ex immoderatis ſtudijs, vigilijs, laboribus contracto, curſum ſuum conſummauit, & maximo Noſtris, & alienis ſui deſiderio relicto ſanctiſſime mortuus eſt 19. Ianuarij anno ſalutis 1565. ætatis 53. Scripſit Iacobus Laynez, vel potiùs ſcribere aggreſſus eſt

De Prouidentia Libros XII. quos adumbratos tantùm atque inexpolitos reliquit

Prolegomenon in Vniuerſam Scripturam Lib. I.

De Trinitate Lib. III. magis elaboratos, ac perfectos. Scripſit prætereà

Indicem & tamquam ſyluam, & materiam omnium ferè *illuſtrium ſententiarum*, quæ paſſim apud ſanctos Auctores (quos omnes perlegerat) reperiuntur: qui quidem vice completiſſimi Theſauri, & quaſi omnium Doctorum promptuarium eſſe poteſt. Item

De Cambys.

De Vſuris.

De Pluralitate Beneficiorum.

De Fuco, & Ornatu mulierum.

De Regno Dei.

De Vſu Calicis, & alia permulta, quæ ad Fidei dogmata in Concilio Tridentino tractata, vel explicanda, vel confirmanda pertinent. Sed per grauiſſimas concionandi, Sacras literas interpretandi, diſputandi cum Hæreticis, peregrinandi, & gubernandi, ac perpetuas occupationes, hæc limare, & alia feliciſſimi ſui ingenij, atque exquiſitæ eruditionis monumenta relinquere Iacobo non licuit. Cæterùm ipſius lucubratio eſt

Doctrina Sacri Concilij Tridentini, De Sacramento Ordinis. Item

Dogmata & Decreta de Gratia, & Iuſtificatione, ipſi magna ſi non etiam ex omni parte debentur. Certe ſcripſiſſe ipſum *De Iuſtificatione* tractatum, qui verbatim inſertus fuit actis authenticis Concilij Tridentini, Auctor eſt Cardinalis Sfortia Pallauicinus in Hiſtoria Concilij Tridentini Libro VIII. cap. 11. n. 11. Extat quoque eius

Commentariolus ne Templa Hæreticis concedantur in Colloquio Poiſſiaco in Gallia ſcriptus. Item

Oratio, quam ibidem habuit, relata à Franciſco Sacchino, tom. 2. Hiſt. Soc. Ieſu l. 6. n. 32. & lib. 5. nu. 201. Item

Epiſtola ad Patres, & Fratres Societatis Ieſu, qui ſunt in India. De magnitudine ſuſcepti operis, & conſeruatione ſpiritus in illa Miſſione. Data Romæ 12. Decembris 1558. quæ tertia eſt inter litteras Præpoſitorum Generalium. Eandem alijs verbis ex Autographo Hiſpano fideliter latinè redditam recitat Sacchinus lib. 2. n. 188. Denique

Tabella breuis pro Concionatorum inſtructione, quam exhibet Antonius Poſſeuinus in Bibliotheca Sacra lib. 5. c. 41.

* IACOBVS LAMBERTVS natione Gallus, Matiſcone in Burgundiæ Ducatu natus anno ſæculi fluentis 3. Societatem amplexus eſt 1620. & votorum quatuor nuncupatione ſe obſtrinxit. Octennio profeſſus eſt Rhetoricam, & amæniores litteras, quadriennio Philoſophiā; In Concionibus ad populum annos duodeuiginti poſuit, magna ingenij, eruditionis, elegantiæ, & pietatis commendatione. Vir religioſæ paupertatis imprimis amans, & candore inſignis, Rexit Collegia Carpentoratenſe, & Viennenſe Allobrogum, in quo mortalis vitæ curriculum abſoluit penultimo die anni 1670. Edidit Gallicè

Philoſophiam Aulæ Sanctæ primum in 4. deinde auctam, & in tomos quatuor in 8. diuiſam, Lugduni apud Guilielmum Barbier 1656. & Pariſijs 1658. in 4.

Scientiam Animæ in honorem B. Virginis Conſecratæ. Lugduni apud Antonium Boiſſet, & Soc. 1665, in 4.

Scientiam Rationis Chriſtianæ, ſeu Logicam Chriſtianam: Lugduni apud Antonium Molin 1669. in 8.

De Maternitate Diuina, ſeu Prærogatiuis illius. Viennæ apud Claudium Baudran 1670. in 12.

Sanctorum Scientiam Moralem. Lugduni apud Benedictum Coral 1662. quatuor voluminibus in 8.

* IACOBVS LAMBERTVS alter, item Gallus, patria Pariſinus cooptatus in Societatem anno ſalutis 1632. ætatis ſuæ 18. tria vota ſolemnia profeſſus eſt, & Benefactoribus Societatis adſcriptus. Curam geſſit multis annis domeſticæ diſciplinæ in Domo Profeſſorum Pariſienſi, & Confeſſarium, atque catechiſtam in templo magna ſedulitate, & fructu egit. Infirma ſemper conflictatus valetudine, virtutum omnium ſpecimen dedit, ſed in primis eximiæ in ea toleranda patientiæ, quam placuit Deo coronare, ipſum ad ſe euocando. Pariſijs die 24. Maij 1670. Edidit Gallicè

Theſaurum Communionis Generalis. Pariſijs apud Sebaſtianum Picquet 1663. in 12.

Bonum Pauperem. 1663. Ibidem in 12.

IACOBVS LAMPVGNANVS natione Italus, patria Mediolanenſis, Deo ſe in Societate dedicauit Romæ anno ſalutis 1613. ætatis ſuæ 17. & vota quatuor ſolemnia nuncupauit. Vir fuit politioribus, & ſeuerioribus diſciplinis benè expolitus; in Collegio Romano diù humaniores Artes, ac poſtea Philoſophiam Viterbij, ac Romæ nouennio explicuit. Rexit Collegium Viterbienſe, & ex Tiburtino ad multorum annorum ſtipendia eſt euocatus die 3. Octobris 1654. Edidit

Orationem quam dixit ad S. D. N. Vrbanum

num VIII. *in Paraſceue* anni 1634. hac Epigraphe: *Ieſus inter tormenta Deus*. Romæ typis Franciſci Corbelletti 1634. in 4. Et nuper cum alijs eiuſdem argumenti recuſa eſt Romæ typis Maſcardi 1641. Idem Latine reddidit

Cantiones ſpirituales S. Franciſci Aſſinatis prout cum ipſius operibus editæ ſunt

IACOBVS LEDESMA natione Hiſpanus, patria ex Cuellar Caſtellæ Oppido. Vir fuit ingenij, & doctrinæ magnitudine nobiliſſimus. In Complutenſi Academia Philoſophicas, ac Theologicas ſcientias didicit; in Pariſienſi expoliuit; in Louanienſi perfecit, & ad faſtigium perduxit; in omni litterarum, ac diſciplinarum genere exquiſita quadam ratione excelluit. Grammaticen, Rhetoricen, Dialecticen, Philoſophiam ſiue de natura ſiue de moribus, Mathematicas ſcientias atque omnium Reginam Theologiam planè comprehenderat. Hac tanta rerum cognitione, ac ſupellectile inſtructus, inſtitutum vitæ ſuæ curſum Louinij anno ſalutis 1556. magna hominum admiratione abrupit: & quas habebat honoris, & dignitatis ſpes magnas abiecit, atque ex ſæcularium ſapientium Academijs, in Chriſti ſeſe Scholam tranſtulit, & diſcipulus noſtra in Societate factus eſt, vt ea diſceret myſteria atque intelligeret quæ Pater Cœleſtis ſapientibus, ac prudentibus abſcondit, & reuelat paruulis. Receptus in Sociorum numerum eſt pridie Calendas Octobris, annum ætatis agens tertium circiter, ac trigeſimum. Mox inde Romam iter inſtituit, quo in itinere miram erga ſe Dei non ſemel indulgentiam expertus eſt. Adfuit illi Deus primùm Coloniæ, mox Auguſtæ, dein Brixiæ poſtremò Romæ. Coloniæ, dum inſigne Carthuſianorum Cœnobium attentiùs luſtrat, cæpit ſacro illo ſilentio, vitæque ſolitudine affici, & Societatis Inſtitutum ceu nimis laborioſum, tantùm non damnare. Verùm ſuperuenit Leonardus Keſſelius, vir virtutibus, & mirabilium rerum effectione clarus; & Ledeſmam vltrò appellat. *Non hic ſunt omnia frater mi. Habet Chriſti Ieſu Regina ſponſa veſtitum aureum pulcherrima varietate diſtinctum. Et verè hi ſunt, & præter hos alij ſunt multi verè homines religioſi, quorum Deo ſunt accepta obſequia*. Idem Leonardus paulò poſt inambulanti per hortum Ledeſmæ, & de Caſtitate, ac perſeuerantia ſua ſollicito, factus obuius ex improuiſo, *Certus eſto* inquit, *abſque dubio Deus tibi Caſtitatis atque perſeuerantiæ dona concedet*. Mox Auguſtæ eadem dona flagitanti, ipſe Chriſtus Dominus apparuit, iuſſitque æquo animo eſſe; daturum ſe illi dixit, vt & caſtè, & vſque ad extremum ſpiritum in Societate perſeueraret. Brixiæ in duplici eadem cura defixo præbuit ſe videndam Dei Genitrix Virgo. Species erat ſole pulchrior, comites aderat tres Maria Magdalena, Catharina Martyr, & Senenſis. Dulciſſimè affatur Cœli Regina, nec modo pudicitiam, & perſeuerantiam pollicetur, ſed etiam rurſus ad vitæ finem ſuam ſe illi ſpeciem commodaturam. Comites vero dum ſenſim recedunt, ſuauiſſimè concinentes Caſtimoniam prædicabant hoc carmine: Quantum eſt donum Caſtitatis, quod Deus confert pietatis? Tot diuinis confirmatus promiſſis, in itinere ab Florentia Romam caſtitatem perpetuam B. Virgini vouit, quod id audierat à S. Ignatio factum, vbi primùm in ſolitudinem fugit. Denique vbi Romam venit à Lainio Generali Vicario menſa exceptus, prope extra ſe raptus cœleſtibus ſibi delicijs viſus eſt frui: mox anixia cogitatione pulſatum, num ſortiturus eſſet cœleſtis Philoſophiæ Magiſtrum a quo ita formaretur, vt animæ ſuæ ratio poſcebat: Lainius defixis in eum oculis, tacito nutu firmauit ſpondens ſe ei Magiſtrum fore, nec dubitaret quin Deus preſtò ſit futurus, vt apte, congruenterque inſtituat. Id cùm menſa remota verbo etiam Lainius confirmaſſet, ſedatis curis Ledeſma, totum ſe ad ponenda ſolida fundamenta contulit, cùm admirabile prius doctrinæ ſuæ ſpecimen exhibuiſſet, octo deinceps diebus de alijs atque alijs diſciplinis quotidie ampliùs horâ diſſerendo. Ex eo vix credas quanti fecerint eruditiſſimi quique Patres, cùm Iacobi Ledeſmæ ingenium, iudicium, doctrinam, (quem non diſcipulorum, ſed Præceptorum Magiſtrum appellabant) tum maxime humilitatem, obedientiam, caritatem, ſui contemptionem, aliorum æſtimationem, cæteraſquè virtutes, quæ in illo ſic eminebant, vt tantum ſapientiæ ſplendorem, quantus in ipſo erat clariſſimis ſanctimoniæ radijs ſuperare, & quodammodo obruere viderentur. Romæ controuerſas de Fide Quæſtiones contra hæreticos enodauit; Diuum Thomam explicauit; Romani Collegij ſtudijs præfuit: dubitationibus de moribus, & Conſcientiæ quæſtionibus reſpondit, atque in ipſo Iubilæi anno, qui Gregorio XIII. Pontifice Maximo celebratus eſt cùm maximus ex vniuerſi orbis Chriſtiani prouincijs Romam fieret concurſus, & ingens peregrinorum turba conflueret, ne Confeſſarij noſtri à Confeſſionibus audiendis diſtraherentur, & varijs conſcientiæ quæſtionibus diſſoluendis implicarentur, vnus Iacobus conſtitutus eſt, qui omnium vices obiret, & ſingulorum Peregrinorum dubitationibus ſatisfaceret; quod dum egregiè præſtat, & innumeri illum interrogant, & continuis conſultationibus fatigant; dum omnibus ſtudet reſpondere, nullumquè à ſe inauditum dimittere, nato in capite apoſtemate, breui vir optimus, & doctiſſimus, magno noſtrorum dolore ad tranquilliorem vitam tranſlatus eſt, anno eodem Iubilæi 1575. die 18. Nouembris ætatis verò plus minus 55. aut 56. cum 15. ante annos, tertio videlicet nonas Nouembris anni 1560. ſolemnia quatuor vota profeſſus eſſet. Multa ſcripſit

De Dialectica eiuſq; tradenda Methodo lib. 1.

Ethi-

Ethicen ſeu Philoſophiam, & Theologiam de Moribus tom 1.

Controuerſiarum quæſtionum contra hæreticos tom. 1. quæ tamen hactenus, quòd ſciam lucem non aſpexerunt. Exſtant vero

De Diuinis ſcripturis, quauis paſſim lingua non legendis: ſimul, & de Sacrificio Miſſæ, cæteriſque officijs in Eccleſia Chriſti, Hebræa tantum Græca, aut Latina lingua celebrandis aduerſus noſtræ ætatis Hæreticos, liber vnus. Coloniæ apud Maternum Cholinum 1570. in 8. & apud Geminum Calenium 1574.

Doctrina Chriſtiana. Hiſpanicè. &

De Modo Catechizandi, lingua vulgari Italice, quem Vincentius Caſtaniola in Græcam linguam vulgarem tranſtulit. Prodijt illa Romæ apud hæredes Antonij Bladij 1573. hæc vero ibidem typis Aloyſij Zannetti 1594.

Grammaticæ Inſtitutiones, Latinè Venetijs apud Michaelem Trameſinum 1569. in 8.

Tabula breuis totius ſummæ Theologiæ Sanctæ Thomæ, quam exhibet Antonius Poſſeuinus libro tertio Bibliothecicæ Selectæ cap. 7.

IACOBVS LEYSSENE natione Gallus, patria Lemouicenſis acceſſit ad Societatem anno 1605. ætatis 20. & votis 4. ſe adſtrinxit. Diſciplinas politiores, & Philoſophiam docuit, & Collegij Montalbanenſis habenas tenuit. Concionatorem egit multis annis, valuitque in alliciendis ad ſe, & Societatem Principum virorum animis ſuauitate verborum, & colloquijs omni humanitate conditis. Deſijt viuere inter mortales Toloſæ die vltimo Ianuarij, 1648. Edidit Gallicè

Orationes Funebres duas

IACOBVS LIBENVS natione Belga, patria Antuerpienſis, natus anno ſæculi voluentis ſecundo. Societatem inijt decimo nono, & votorum 4. profeſſionem emiſit. Sexennio docuit diſciplinas amæniores, Theologiam moralem quadriennio. Præfectum ſcholarum egit ſeptennio, Caſuum Conſcientiæ decennio. Rexit Collegium Mechlinenſe, fuitque Magiſter Tironum, modò in Domo Profeſſorum Antuerpienſi Operarius vacat culturæ animarum, Scripſit Tragædias tres de Ioſepho Patriarcha quarum

I. Ioſeph à fratribus venditus. Antuerpiæ typis Ioannis Cnobbari 1639. in 12.

II. Ioſeph à fratribus agnitus. Ibidem cum duobus Panegyricis de B. Virgine, & S. Catharina in 12.

III. Ioſeph Patri redditus. Ipris, typis Antonii de Backer 1656. in 8.

IACOBVS LOBBETIVS natione Belga, natus Leodii anno ſæculi tranſacti 92. Societati ſe addixit tranſeuntis 13. duos fratres germanos ſecutus, ambos muneribus geſtis in Societate claros, quibus non minorem ipſe à regendi peritia, & à ſacra eruditione laudem adeptus eſt. Profeſſionem votorum 4. emiſit. Philoſophiam Duaci ſexennio docuit. Collegia Tornacenſe, Montenſe, & Leodienſe iteratò, annis 17. gubernauit. Electus à Congregatione Prouinciæ ſuæ Romam adiuit ad Conuentum Procuratorum. Vir fuit ſingulari in Deum religione, quæ patuit in ſano dum ſacris operaretur, in ægrotante cùm Crucifixum Chriſtum (quem amorem ſuum vocitabat) identidem per lectulum manu quæritaret, & tenerrimè diſſuauiabatur. Temperantia inſigni erat, ita vt extra conſueta refectionis tempora nunquam aut ederet, aut biberet, Diſciplinæ domeſticæ acuratus obſeruator, nihil abſque Superiorum licentia agebat. Demum octogenarius dum adhuc libris ſcribendis, & Confeſſionibus in templo excipiendis vacaret, poſtquam ad mortem ſe per generalem peccatorum exhomologeſim diſpoſuerat, tactus paralyſi piè ex hac vita exceſſit Leodij die 18. Iunij 1672. Edidit opera varia varijs locis, & temporibus, quæ ſimul collecta in tomos ſeptem ſunt diſtributa, typis Ioannis Matthiæ Houij. Leodij anno 1667. in hunc modum

1. *Continet Quæſtiones Theologicas, Hiſtorias Morales in Euangelia Dominicarum ab Aduentu ad Pentecoſtem* 1667. in folio.

2. *Quæſtiones ſimiles in Euangelia Dominicarum poſt Pentecoſtem.* Eodem anno.

3. *Quæſtiones ſimiles in Euangelia feſtorum totius anni.* Eodem anno.

4. *Continet gloriam Sanctorum, ſiue Quæſtiones Morales in feſta Sanctorum totius anni. & De Patriarchis Sanctis Ordinum Religioſorum.* Ibidem.

5. Opuſcula moralia varia, ſcilicet

De peccato, eiuſque natura, pœnis, & remedijs.

Speculum Eccleſiaſticorum, & Religioſorum.

Viam Vitæ & Mortis.

De Sacra Domini Paſſione, & Religioſo Templorum cultu.

De Fortitudine, & Conſtantia Chriſtiana. Omnia 1667. in folio.

6. *Complectitur Tractatum, ſeu Concionum Aſceticarum de Virtutibus varijs partes tres.* Ibidem 1667.

7. *Continet Conciones in Euangelia Feriarum totius Quadrageſimæ.* Ibidem 1672. in folio.

* IACOBVS DE MACHAVLT natione Gallus, patria Pariſinus natus anno ſæculi emenſi vltimo, Societatem complexus eſt vertentis 17. & votorum 4. ſacramento ſolemni ſe adſtrinxit. Poſt traditas litteras amæniores Philoſophiam ſexennio profeſſus eſt. Rexit Collegia Alençonienſe, Aurelianenſe, & Cadomenſe & annis aliquot Eccleſiaſten egit, Superſtes adhuc in Collegio Pariſienſi. Edidit Gallicè

Theſaurum ingentium bonorum Euchariſtiæ depromptum ex Euangelijs Dominicarum, & Feſtorum præcipuorum. Pariſijs 1661. in 8.

Hebdomadam in honorem Sanctiſſimi Sacra-

cramenti. Pariſijs 1667. in 12.

Tractatum De Ratione Viſitandi Sanctiſſimum Sacramentum. Ibidem 1671. in 8.

Scripſit etiam Relationes varias Gallico idiomate

De Miſſionibus Paraquariæ, & alijs in America Meridionali. Pariſiis 1636.

De rebus Iaponicis. Ibidem 1646.

De Prouincijs Goana, Malabarica, & alijs. Ibidem 1651.

De Regno Cochincinenſi. Ibidem 1652.

De itinere 25. Religioſorum Societatis ad Miſſionem Indicam. Ibidem 1659.

De Miſſione Religioſorum Societatis in Perſide, Ibidem 1659. in 8.

De Regno Madurenſi, Tangorenſi &c. Ibidem 1603. in 8.

IACOBVS MALEBRANCQVE natione Belga, patria Audomarenſis Societatem ingreſſus anno ſalutis 1599. vndeuicennis, in ea diu humaniores litteras docuit. Concionatoris, Præfecti Scholarum, Directoris cœtuum Marianorum, munera cum laude geſſit. Perpetua morū facilitas, & candor animi ſemper æqualis amabilem domeſticis; & externis reddidere. Magnam erga Superiores reuerentiam, & pertinax ſtudium rerum antiquarum præ ſe tulit; Vndè & his aſſidua indagine perſequendis immortuus eſt. Tornaci die 5. Maij 1653. tria vota ſolemnia pridem antea profeſſus. Tranſtulit è Gallico Latinè

Congreſſus promeridianos, ſeu

Sermones Sympoſiacos Antonij Balinghem. Coloniæ apud Ioannem Kinckium anno 1620. in 8.

Conſolatoriam Ægrorum Scholam Stephani Binetti, Vbi nomen ſuum Epiſtolæ dedicatoriæ ſubiecit. Coloniæ 1629.

Edidit Hiſtoriæ à ſe elucubratæ latinè

De Morinis, & Morinorum rebus Tomos tres in 4. Tornaci typis Adriani Quinque annis 1639. 1647. & 1654.

Primus complectitur res geſtas ab anno ante Chriſtum 309. ad annum vſque poſt Chriſtum 1251.

Secundus à Pipino Rege 752. vſque ad Godefridum Bononiæ Morinicæ Comitem anno 1094.

Tertius à Godefrido vſque ad excidium Teruannæ 1557.

Publicæ luci adornatum reliquit quartum eiuſdem Hiſtoriæ tomum.

* IACOBVS MASENIVS natione Germanus, patria Dalenſis, Ducatus Iuliacenſis, natus anno ſæculi fluentis ſexto, Societati nomen dedit 1619. & vota 4. nuncupauit. Rhetoricam & manſuetiores litteras per annos fermè quatuordecim explicauit, Præfectum Scholarum, & Directorem Sodalitatis Marianæ varijs in locis egit. Superſtes hodie in Collegio Treuirenſi. Edidit latinè

Methodum Ioannis Semani (Anagrammaticè Maſeni) *Controuerſias Fidei ex Scriptura, & SS. Patres conciliandi*. Coloniæ apud Vvilhelmum Freiſſem 1652. in 4.

Raſtrum Horti Cruſiani pro defenſione bonorum Monaſticorum. Coloniæ apud Freiſſem 1653. in 4.

Artem nouam argutiarum Epigrammaticam, & Epigraphicam, & familiarium argutiarum fontes. Coloniæ apud Ioannem Kinckiū 1647. & iterum typis iiſdem 1662. in 12.

Paleſtram Eloquentiæ ligatæ tribus partibus Prima continet facilem Methodū ſcribendi quouis ſtylo Poëtico. Secunda Poëſim Elegiacam, Heroicam, Lyricam. Tertia Comico-Tragicam. Coloniæ typis ſecundis apud Ioannem Buſæū 1661. in 12.

Palaſtram Styli Romani. Ibidem 1659. in 8.

Exercitationes Oratorias. Ibidem 1660. in 12.

Speculum imaginum veritatis occultæ per ſymbola emblemata. Coloniæ apud Ioannem Antonium Kinckium recuſum, & auctum 1664. in 8.

Meditatam Concordiam Proteſtantium cum Catholicis ex Verbo Dei, Partibus III. Coloniæ editione ſecunda apud Buſæum 1662. & 1665. in 8. Item

Strenam Reformatorum, & Epidoron ad Caluiniſtam Herbonenſem in 8.

Gretſerum rediuiuum, ſeu Monita aurea Societati affictâ, & confutata. Coloniæ apud Buſæum 1661. in 4.

Aurum Sapientum, id eſt Artem diteſcendi abſque ſcelere. Coloniæ apud Vvilhelmū Freiſſem 1661. in 12.

Ducem Viæ per Exercitia ſpiritualia octiduana in communi, & propria Eccleſiaſticorum. Treuiris apud Reuland 1667. in 8.

Nouam praxim Orthodoxæ Fidei, intra octidui exercitationem ſacram diſcernendæ. Coloniæ apud Freiſſem in 8.

Hanc Germanico idiomate donauit Noſter Vvernerus Lotleij. Ibidem in 8.

Antiquitates, & Annales Treuirenſium poſt noſtrum Chriſtophorum Brovverum duobus tomis in folio. Leodij apud Mathiam Houium 1671.

* IACOBVS MASO natione Siculus, patria Siracuſanus Societati nomen dedit anno ſalutis 1641. ætatis 16. & votorum 4. profeſſionem in ea emiſit die 31. Iulij 1659. Docuit in ea Matheſim Romæ, Melitæ, & Panormi, & dum inter nos eſſet. Edidit Italicè

Sphærologiam, ſeu Curſus Mathematici Partem quartam, Panormi per Ioſephum Biſagnum 1661. in 4.

* IACOBVS MICALIA natione Italus, patria Peſchienſis in Apulia, ad Societatem ſe aggregauit Romæ anno ſæculi currentis 1628. ætatis 28. Poſt traditas humaniores literas egit Miſſionarium multis annis Temiſvarij in Illyrico dictionis Turcicæ, & Laureti munere Pœnitentiarij functus eſt, vbi & naturæ conceſſit, Spiritualis Coadiutor iam pridem

for-

formatus, Calendis Septembris 1654. Edidit

Dictionarium Illyrico-Italico-Latinum. Laureti apud Paulum, & Ioannem Baptiſtam Seraphinum 1649. in 8.

IACOBVS MIRAVET natione Hiſpanus, Aragonenſis, ex Oppido Canada Diœceſis Cæſarauguſtanæ ingreſſus in Societatem anno 1571. ætatis 22. vota 4. in ea nuncupauit. Rexit Collegia Gandienſe & Oſcanum, & in hoc poſtremo diem clauſit extremum die 13. Auguſti 1622. Vir humilitatis, & patientiæ, qui ne ob valetudinis infirmitatem otiaretur. Reddidit Hiſpanicè

Franciſci Coſteri Meditationes De Vita Chriſti.

IACOBVS MIRO natione Hiſpanus, patria Valentinus. Is cum ætate florens, litteriſque Latinis, & Græcis pereruditus ad Ariſtotelis explanationes in Academia Pariſienſi ſe accingeret, in Hieronymum Domeneccum municipem ſuum, qui Noſtris ibi tum præerat, incidit, à quo ad ſacras exercitationes admiſſus, continuò Societati ſe addixit anno ſalutis 1541. tanta ſui ipſius & rerum humanarum deſpicientia, vt quamuis & ætate, & diuitijs, & doctrinæ laude præſtaret, parentibus eſſet vnigena, & ſolus hæres, cuncta tamen hæc charitate Chriſti poſteriora duxerit, nullis perinde rebus impoſterum, vt ſui ipſius ſubmiſſionis ſtudio, & alienæ ſalutis addictus. Ergo mox à Domenecco ad animarum cauſas adhibitus, ea cum laude geſſit, vt ſuorum ſpecimen fructuum breui dederit, ac præter cæteros veterem quendam Religionis transfugam hominem perditiſſimum, ad ſui clauſtra Cœnobii, & per hunc alios poſtea ab errore graui dogmatis, ad ſanam mentem reduxit. Conimbricam anno vertente miſſus, Collegio quod ibi Ioannes Luſitaniæ Rex inſtituebat, primus ipſe Rector, necdum Sacerdos præfuit. Anno quarto, & quadrageſimo ſupra ſeſquimilleſimum à S.P.N. Ignatio Valentiam ad illius Collegii exordia formanda ire iuſſus eſt, illique primus etiam Rector præeſſe. Mira ibi ciuitatis approbatione, plauſuque in animarum lucra facienda incubuit, non operâ modò continuâ, ſed eò vitæ exemplo, vt cùm eò veniſſet Antonius Araozius ad S. Ignatium ſcripſerit, egregium ſe reperiſſe innocentiæ cultorem, quique apud eos ciues mira ſanctitatis opinione floreret. Anno ſubinde 1549. die 25. Martii Gandiæ ſimul cum Andrea Ouiedo quatuor ſolemnia vota profeſſus eſt, excipiente Araozio, & anno qui proximè ſecutus eſt, euocatus à S. Ignatio Romam venit cum Duce Gandiæ S. Franciſco Borgia, & aliis Patribus, de Conſtitutionibus quas Societati condiderat in commune deliberaturus. At biennio pòſt Luſitaniæ Prouincialis pro Simone Rodericio conſtitutus, eo modo res cœpit, quo Romæ ab Ignatio ſenſerat, ordinare. Eodem tempore ab Ioanne Rege ad Confeſſionum ſuarum officium poſtulatus, humilitatis illud ſtudio defugit, quòd diceret ſpecioſa illa munera diſciplinæ noſtræ parum quadrare; noſtræ vocationis eſſe noſocomia terendo, docendo infimam plebem, miniſteria humilia obeundo, iuuandis ſimul animis, noſtræ ſimul humilitati conſeruandæ inſiſtere: tantùmque effecit, vt bona Regis gratia id muneris declinarit, id quod ſecunda totius Aulæ admurmuratione celebratum eſt; quamuis Sancto Ignatio, non omnino probatum fuit tantum ſtudium ſubterfugiendi officii apud eũ Regem, cui plurimum debere Societatem intelligebat. Cæterum Miro in ſuæ Prouinciæ rectam adminiſtrationem ita vires omnes intendit, vt interea tamen ab euangelizando minimè ceſſaret; tam clarâ famâ ſcilicet, vt non nemo diceret, proxima ijs, quæ India de Xauerij ſanctitate ſentiret, Luſitaniam de Mironis virtute exiſtimare. Is in Archiepiſcopatu Eborenſi cum intereſſet concioni, quam pene omnem bonus Eccleſiaſtes in Societatis accuſatione ponebat, ſtomachantibus, & digredientibus multis, humilitate, ac modeſtia ſumma perſeuerauit; atque vbi deſcendit de ſuggeſtu Prædicator, coram populo Miro ad eum accedens, manum ſuppliciter ad exoſculandum popoſcit, porrectamquè ſumma reuerentia oſculatus eſt, quam profectò præclaram maledicti diluendi rationem ſpectatores, vel lacrymis comprobarunt. Anno 1554. cum in Oppidum Moram etiam tum Prouincialis excurriſſet, acris eum febris inceſſit. Ipſe vero qua fuit humilitate, in hoſpitali Domo decubuit in turba pauperum, vbi eum Cardinalis Henricus ælœceſim luſtrans cùm reperiſſet, multùm lætatus, atque commotus eſt humilitatis exemplo. Anno inſequente cùm inſtaret Miro, vt euoluto ſui muneris triennio ſibi ſuccederetur, Prouincialatu defunctus eſt, Ignatio annuente à quo non multo poſt ad Collegij Valentini rectionem admotus eſt, vbi ſe nihilo minùs induſtrium exhibuit, quàm fecerat hactenus in cauſis animarum. Inde rurſum in Luſitaniam, rurſumquè anno 1560. in Aragoniam, vt demortui Prouincialis munus tantiſper ſuſtineret, dum alius ſufficeretur, commigrauit, vnde in Luſitaniam denuò poſt annum conceſſit, ſuperintendens conſtitutus Conimbricenſis Collegij. Poſt hæc & Luſitaniæ rurſus Prouincialis fuit, & S. Franciſco Borgiæ Præpoſito Generali III. Aſſiſtens, cum quo in Hiſpaniam anno 1571. profectus, Luſitaniam pro Generali Viſitator inſpexit, vnde redux in Vrbem, tandem plenus annis, & meritis, die 25. Aug. anno ſalutis 1590. debitum humanitatis exſoluit. Vir ſane fuit, vti cæteris virtutibus ornatiſſimus, ita immitiſſima in ſe, ſuumquè corpus ſeueritate ſupra imitationem. Sæpe inediam biduo, triduoque extrahebat; ſæpe frigida paneque dumtaxat definiebat. Pro cilicio geſtabat aſſiduè Thoracem hirtis nodis intextum, aut ferri laminam crebris conciſam foraminibus, vndè extarent cuſpides intrò côuerſæ, quæ car-

Digitized by Google

carnes tam diriter laniabant, vt ne mentem diſtraherent inter ſacrificandum deponere cogeretur, quo tempore ſanguis concretus, & quæ fruſtratim adhereſcebat caro, aqua feruente detergebatur. Diu ferream lumbis accinctam catenam ita circumtulit, vt carne paulatim ſupercreſcente, non ſine vitæ periculo fuerit eximenda; magnam noctis partem inuigilabat orationi, & lectioni noui inſtrumenti, quod intermiſtis magnis affectibus, lacrymiſque vberibus verſabat. Omnis eius voluptas in rerum piarum tractatione erat. Semper in cubiculo flexis poplitibus eum ianitor, quoties accerſebat ad portam, deprehendebat; nec rarò etiam retruſum in angulum quempiam ſub menſa, quò ſe quamuis eſſet procero corpore, contrahebat ob Numinis reuerentiam. Quoties ſe ſuo poterat officio ſuffurari, inferebat in ſuum conclaue panis pauxillum,& aquæ iuſtum modum, eòque contentus victu, ſolidos aliquot dies exercitationi ſpiritus impendebat. Omnino is erat in ſe ipſum, qui debuerit à S. Ignatio coërceri, iuſſus attributo ſibi parere, quod ad corporis curam attineret. Euerhardo Mercuriano Præpoſito Generali IV. vtilem commodauit operam, cuius voluntate concinnauit

Summarium Conſtitutionum Societatis Ieſu. Item

Regulas Communes, &c.

Regulas Officiorum proprias eiuſdem Societatis, quas ab Congregatione Generali IV. approbatas,confirmataſque in manibus atque vſu habemus.

* IACOBVS MVNFORDVS natione Anglus, patria Norfolcienſis religioſæ vitæ rudimenta poſuit in Tirocinio Societatis Vvatenenſi, anno à partu Virginis 1626. ætatis ſuæ 21. & votorum quatuor ſacramentum ſolemne dixit. Rexit Collegium Leodienſe Anglorum, & aliud in Anglia, vtrumquè magna in ſuos caritate, & religioſarum virtutum exemplo. Vir fuit cum Deo per Orationem valde coniunctus, Diuini honoris appetens, ſalutiſquè animarum. Singularem erga animas in flammis piacularibus detentas pietatem exercuit; quibus quidquid boni operis agebat, partem ſatisfactoriam applicabat. Ardenti tenebatur deſiderio patiendi aliquid pro Chriſto, & conceſſum à Deo eſt pro voto, quod optabat. Nam paucis ante obitum annis Nordouici in Anglia proditus, captuſque à petulanti milite in carcerem facinoroſorum raptus eſt. Verùm prius indutum per ludibrium amictu ſacerdotali, & ornamenta ſacra haſtis ſuſpendentes, quaſi in triumpho cum armis, & ſclopetis per Vrbem circumducunt. Interea ipſe triumphabat animo, gaudebatquè, quod dignus habitus eſſet pro nomine Ieſu eam contumeliam pati, idque ipſum adeo prodebat hilaritate vultus, vt populus ſpectans, & alioquin ad inſolentiam procliuis, paſſim illius miſertus fuerit. Paucis poſt diebus nauigio impoſitus diem, ac noctem integrum duxit, colligatis arctè manibus, pedibuſque, tum ad portum maris Yarmutum ſiue oſtium Yari fluminis abductus eſt, triginta milliaribus Nordouico diſſitum. Verùm ciues Nordouicenſes in eo læſa ſua municipalia iura exiſtimantes, vinctum ſuum repetunt à ſe cuſtodiendum. Tum humaniùs multò habitus; conceſſum illi conclaue proprium, permiſſi accedere Catholici, à quibus cùm Breuiarium, & libros aliquos accepiſſet, conſcripſit ea occaſione libellum, quo quidquid Catholici afferunt, id Sacra Scriptura niti demonſtrabat. Elapſis in cuſtodia aliquot menſibus, facta eſt illi libertas eundi quò vellet, dummodo datis vadibus, ſe certis temporibus quoties Tribunalia aperiebantur, coram magiſtratu compariturum, ex pacto ſe ſiſteret. Id cùm ſæpiùs quamuis magno ſuo incommodo, quòd longiùs ob negotia abeſſet, ritè præſtitiſſet, tandem Accuſatore ampliùs non comparente, cùm probationes legitimæ de Sacerdotio deeſſent, ſententia Iudicis abſolutus, ac penitus liber dimiſſus eſt. Perrexit poſt hæc eandem vineam pro virili colere indefeſſus operarius, donec ad denarium vitæ cœleſtis accipiendum euocatus, Deo ſpiritum reddidit in ipſa Anglia die 9. Martij 1666. Scripſit vernaculo idiomate, tacito nomine

Admonitionem pro Viuis, vt orent pro Defunctis. Audomari 1641. in 12. Quam auctam, & locis ſcripturæ, ac Sanctorum Patrum munitam contra ſectarium quendam recudit Londini. Item

Vindicias,ſeu defenſiones Dialogorum Sancti Gregorij contra eundem Sectarium

De Iudice controuerſiarum cui titulum fecit. *Quæſtio Quæſtionum*. Gandaui 1658. in 4.

Latinè, & appoſito ſuo nomine edidit

Tractatum de miſericordia fidelibus defunctis exhibenda. Leodij apud Leonardum Streel 1647. in 12.

IACOBVS NAVARCHVS aliàs SCHIPMAN natione Belga, patria Honſcotanus in Flandria, inter primos Belgij Operarius adlectus in Societatem, profeſſionem emiſit votorum quatuor Louanij, anno ſalutis 1564. in manibus Euerhardi Mercuriani tunc Prouincialis. Obijt Antuerpiæ IV. nonas Maij 1576. ſcripſit

Epiſtolam Aſiaticam bene longam, de ſectis in Religione Orientalium populorum, in qua de Neſtorianis, de Iacobitis, de China, de magna Tangutia, de Tartaris, deque vicinis Regnis agit. Extat inter Epiſtolas Iaponicas, Louanij apud Rutgerum Velpium 1659. in 8. Item

Epiſtolam de Archiepiſcopo Armacano. Exſtat Ibidem

* IACOBVS NOVET natione Gallus, patria Cenomanenſis, natus anno ſæculi præterlabentis quinto Societati ſe adiunxit 23. & vota quatuor ſolemnia edidit. Poſt traditas octennio Rhetoricam, & amæniores litteras, Concionatorem egit magna laude, ac fructu an-

annis 25. Rexit Collegia Alenconienſe, & Attrebatenſe. Nunc in Domo Profeſſorum Pariſienſi operam nauat ſaluti proximorum. Edidit Gallicè Societatis nomine, ſed tacito ſuo, ſcitè ac ſolidè

Reſponſum ad famoſas Epiſtolas Prouinciales contra Theologiam moralem Ieſuitarum, ab Impoſtore quodam ſub nomine Montaltij editas, & Cenſura publica Romæ damnatas Pariſijs 1647. in 4.

Tractatum quinque libris diſtinctum, de reali præſentia Chriſti in Sanctiſſimo Sacramento, contra famoſum quemdam miniſtrum Caluinianum. Pariſijs apud Franc. Muguet 1667. in 4.

Tractatum de Deuotione erga Angelum Cuſtodem Pariſijs apud eundem 1661. in 12. & Italicè Bononiæ

Orationem funebrem de Henrico Principe Condæo. Diuione 1632. in 4. Latinè ſcripſit

Panegyricum Henrico Borbonio I. Principi dictum nomine Bituricenſis Academiæ, Biturigibus 1636. in 8.

Reſponſum ad librum Claudij miniſtri Caluiniſtici de Præſentia Chriſti in Sanctiſſimo Sacramento, per modum Epiſtolæ Pariſijs apud Muguet 1668. in 8.

Hominem Orationis, ſiue Tractatum complectentem totam œconomiam Meditationis, Orationis, & Contemplationis, duobus Tomis in plures Partes diuiſis. Pariſijs apud Franciſcum Muguet 1674. in 8.

IACOBVS OLSEVVSKI natione Polonus, gente Maſouita Societatem adoleſcens ingreſſus eſt anno ſalutis 1603. & vota quatuor ſolemnia nuncupauit. Academiam Vilnenſem docendo, & concionando mirè illuſtrauit. Docuit in ea Rhetoricam, Philoſophiam, & Theologiam Scholaſticam, cui ſoli explicandæ annos 12. impendit, & ſimul per annos aliquot Concionatorem ordinarium egit. Procancellarij etiam munere ibidem perfunctus eſt, Sacræ Theologiæ Doctor renunciatus. Dicendi copia, inueniendi facilitate, explicandi claritate, docendi ſubtilitate, ſummis quibuſque Theologis comparandus, præſertim quia tantis dotibus eximiam morum ſimplicitatem coniunxerat. Ad Conciones ordinarias Vilnæ habendas applicatus, omnium ad ſe amorem, atque admirationem rapuit. Summi quique viri ad eum audiendum confluebant, & inter damna eius diei numerabant ſi eum non audiuiſſent. Moliebatur editionem concionum in Dominicas, & feſta totius anni, ſed mors immatura inuidit poſteritati tantum theſaurum. In ipſo ætatis robore violenta febri correptus Vilnæ inter mortales viuere deſijt magno omnium ordinum dolore, die 5. Iunij 1634. Edidit in lucem

Conciones funebres complures; & alias varijs de argumentis, & annis Vilnæ typis Academicis in 4. Quæ omnes poſt mortem Auctoris recuſæ ſunt Vilnæ iiſdem typis 1645. in folio.

* IACOBVS PASINETTVS natione Italus, patria Brixienſis, natus anno ſalutis 1575. vicennis religioſæ vitæ tirocinium in Societate poſuit, & votorum quatuor ſolemni ſacramento ſe obligauit. Poſt traditas humaniores litteras, Theologiam moralem ſeptennio profeſſus eſt. Rexit varia Collegia ampliùs triginta annorum ſpatio magna laude prudentiæ vir apprimè religioſus. Octogenario maior quieuit in Domino Fauentiæ die 21. Iunij 1658. Edidit Italicè

Heptameron, ſiue iter ſeptem dierum ad ſapientiam, & Chriſtianam perfectionem. Bononiæ per Iacobum Montium 1658. in 8.

IACOBVS PERARD natione Gallus, patria Campanus in Societatem cooptatus anno ſalutis 1587. ætatis 20. vota quatuor profeſſus eſt. Vir doctus, religioſus, perhumanus, & prudens, qui Collegium Cadomenſe, Venetenſe, Rhedomenſe, & alia cum laude adminiſtrauit. Migrauit ex hac vita in Collegio Pariſienſi die 25. Decembris 1638. ſcripſit Latinè

Pacificum ad Epiſcopos, & Parochos, ſiue Apologiam pro Religioſis. Gallicè vero edidit

Trophæa Sanctorum, ſeu Conciones de Sanctis tom. 2. Pariſijs apud Michaelem Soli 1635. in 4.

Occupationem ſpiritualem, ſeu Conciones pro Dominicis per annum tom. 2. Pariſijs apud Sebaſt. Chappelet 1637. in 4.

Stromata ſpiritualia. Pariſijs apud Iulianum Tacquin 1638. in 8.

IACOBVS PINTO natione Sardus, patria Saſſaritanus ad Societatem adſcriptus anno ſalutis 1592. ætatis 16. votorum quatuor profeſſionem emiſit. Vir doctus, & in Turritana Vniuerſitate Diuinarum Scripturarum profeſſor multis annis. Rexit Collegium Saſſaritanum ſecundò, deinde Imperiale Madritenſe, atque eo in munere ad laborum præmia emigrauit, Vir eruditione, ac pietate ſingulari anno 1650. ſcripſit

De Chriſto Crucifixo tom. 2. quorum prior excuſus eſt Lugduni ſumptibus Claudij Landrè 1624. in folio

Secundus etiam Lugduni ſumptibus Claudij du Four 1644. in folio

Commentaria in Caput 14. Iſaiæ. Lugduni apud Petrum Proſt. 1648. in fol.

Duos alios tomos parauerat prælo, de Latitudine, & Longitudine Crucis Chriſti, ſed mors intercepit

* IACOBVS PLATELIVS natione Belga, Berſei in Arteſiæ ditione ad Scarpum amnem natus, anno fluentis ſæculi 8. Societatem complexus eſt 28. & votis quatuor ſolemnibus adſtrictus. Philoſophiam Duaci profeſſus eſt annis 11. Theologiam Scholaſticam octo, Vir omnibus ſcientijs inſigniter eruditus. Nunc dum hæc ſcribo anno 1674. Rector Collegium Duacenſe adminiſtrat.

Edidit

Syno-

Synopſim Curſus Theologici. Duaci typis Ioannis Patte 1654. Opus inſcriptum Philippo IV. Regi Catholico ab Henrico de Cerf. in folio

Inſpectionem interioris hominis menſtruam, & Hebdomadariam, Xenium anni 1670. Duaci apud Chriſtophorum Serrurier, eodem anno, & alias ſæpius.

Auctoritatem contra Prædeterminationem Phyſicam pro Scientia media, cum breui Hiſtoria complectente ortum, pugnas, & palmas eiuſdem ſcientiæ mediæ, ſub nomine Germani Philalethi. Duaci typis Ioannis Patte 1669. in 8. Item

Auctoritatem contra Phyſicam Prædeterminationem nouis ex ipſo Sacro Ordine Fratrum Prædicatorum petitis ſuffragijs ſtabilitam, &c. Duaci Typis Chriſtophori Serrurier 1673.

IACOBVS PONTANVS natione Bohemus, patria Bruggenſis, ſeu Pontanus, ſed in Germania educatus, in Societatem noſtram ingreſſus eſt anno 1563. ætatis ſuæ 21. in ea profeſſus eſt tria vota, die 23. Decembris 1589. Vir in humanioribus potiſsimùm litteris exercitatiſſimus, quiquè illarum ſtudium fere noſtræ Societatis in Germania primus annis 27. excoluit, & plurimos erudiuit diſcipulos, ac ſuo exemplo, & cohortatione, vt illas excolerent incitauit. Magnum certè nomen Societati, vel inter hoſtes eruditione ſua conciuit, qui eius in Latinitate ſermonem ita æſtimant hodiequè, vt publico nuper typo collectum ſuis Gymnaſijs eſſe pro Tullio voluerint. Iucunda morum elegantia domi, foriſquè carus fuit; tam ingenuo erga ſuos Moderatores candore, vt in extrema etiam ætate ſuam illis conſcientiam ad ſingula libelli capita aperiret. Caritatis, & ſubmiſſionis laude inſignis, qui ſe præ nemine haberet, neminem deſpiceret à nullo diffideret. Senio tandem ſuo, ſtudijſquè Dei cauſa ſuſceptis ſuccubuit Auguſtæ Vindelicorum die 25. Nouembris anno Chriſti 1626. ætatis 84. Religionis 63. Scripſit

Progymnaſmatum Latinitatis ſiue Dialogorum volum: 4. in quibus omnia fere, quæ in conſuetudinem, vſumque communem incidunt, puro latinoque ſermone complexus eſt ſæpiſſimè recuſa.

Inſtitutiones Poeticas lib. 3. ſæpe recuſas

Floridorum lib. 8. *hoc eſt carmina ſacra* ſæpe recuſa, quibus 4. editione Ingolſtadij typis Sartorij 1602. acceſſit

Hymnorum liber ſingularis in Ordines Cæleſtium

Comædias aliquot ſacras, quæ nondum prodierunt in lucem

Symbolarum lib. 17. *quibus Vniuerſum Virgilium illuſtrat*. Auguſtæ 1609. & Lugduni 1601. in folio

Tirocinium Poetices. Ingolſtadij 1604. in 8.

Parthenometrica id eſt *Meditationes, preces laudes in V. Matrem*, potiſſimùm ex Eccleſiaſticis Græcorum monumentis. Auguſtæ, apud Dauidem Francum 1606. in 12.

Colloquiorum Sacrorum libros 4. cum Notis. Acceſſerunt *faſciculi duo moralium ſententiarium, & ſimilitudinum* Auguſtæ apud Dauidem Francum 1609. in 8. Ingolſtadij apud Sartorium 1610.

Attica Bellaria Partibus III. Auguſtæ apud Andream Apergerum ab anno 1615. ad 1620. in 8.

Ethicorum Ouidianorum Lib. IV. Ingolſtadij 1617. in 8.

Commentarium in Metamorphoſim Ouidij Antuerpiæ 1618. in folio.

Commentarium in eiuſdem Ouidij Libros Triſtium, & de Ponto. Ingolſtadij typis Adami Sartorii 1610. in fol. Acceſſerunt

Hortuli ſententiarum ex Ouidio

Philocaliam; ſiue Excerpta è Sacris, & prophanis Auctoribus Lib. X. Auguſtæ 1626. in folio, typis Andreæ Apergeri

Præterea edidit à ſe è Græco in Latinum verſum

Ioannem Cantacuzenum, qui 4 libris bella inter Andronicum, & Nepotem ſuum geſta elegantiſſimè deſcripſit. Item

Theophylacti Simocattæ, Hiſtoriæ Mauritij Tiberij Imperatoris Lib. VIII. cum notis &

Georgij Phranzæ Chronicorum de vltimis Orientalis Imperij temporibus Lib. III. cum notis &

Georgij Trapezuntij Epiſtolam ad Ioannem Palæologum Imperatorem. Ingolſtadij typis Adami Sartorij 1604. in 4.

Philippi Solitarij Dioptra, ſeu regulam rei Chriſtianæ Lib. IV.

Nicolai Cabaſilæ de Vita in Chriſto lib. IV. & Orationem eiuſdem contra fœneratores.

Ioannis Carpathiorum Epiſcopi, Capita hortatoria, ſeu documenta ſpiritualia 291.

Philothæi Patriarchæ Conſtantinopolitani laudationem in Baſilium, Nazianzenum, & Chryſoſtomum

Michaelis Glycæ Diſputationes cum Notis

Simeonis Iunioris Orationes 23. Item

Simeonis Epiſcopi Theſſalonicenſis, De Diuino Templo, eius Miniſtris, & veſtibus; & de Miſſa, & Aſcetica

B. Cyrilli Alexandrini Commentaria in Prophetas Minores. Ingolſtadij apud Adamum Sartorium 1607.

Dialogos quoſdam *de Spiritu, & Carne.*

Ex his extant in Bibliotheca magna Patrum, Ioannes Carphathius tomo VII. Philippus Solitarius, & Michael Glicas tom. 12. p. r. vti & Simeon Iunior, Cabaſilas verò, & Philothæus tomo 14.

Reliquit poſthuma, quæ nondum prodierunt

Nicephori Gregoræ Opuſcula Græco-Latina

Homericorum librorum, ideſt, ſingulorum librorum ſynopſes, ſoluta Oratione Latina

Cri-

Gennadii Orationes ad Patres in Concil. Florentino Græco-latinas

Criterion hoc eſt *Iudicium de Scriptoribus antiquis & recentibus*

Hortulum trium Ordinum, Incipientium, Proficientium, & Perfectorum, ſiue Contemplantium ex Auctore Anonymo latinè

Areolas Aromatum, ideſt *Meditationes, preces, laudes diuinas, ex Græcis collectas Latinè*.

Forum Latinitatis, id eſt *Obſeruationum ex optimis Auctoribus Libros, cum Annotationibus*.

Commentarium in Thebaidem Statij.

Philocaliæ Librum XI.

Moratarum Scriptionum, quibus mores, ſeu ingenia, indoles, ſtudia, ſenſus, affectus naturæ in perſonis, tam fictis, quam veris exprimuntur. Lib. III.

Sermonum mutis rebus affictorum lib. 1.

Commentaria in lib. 3. priores faſtorum Ouidij

Commentariolos in aliquot veterum Poetarum, & Poetriarum Epitaphia.

Theſaurophylacion ſiue Arcam ſpiritualem id eſt, *Piarum conſiderationum Paſſionis Dominicæ, & S. Crucis lib.* 4. Item

Mariam verè Matrem eſſe noſtram omnia ex peruetuſto Codice Germanico ſelecta, & Latinè interpretata.

IACOBVS PVCHE, ſiue PVIG natione Hiſpanus, patria Ceruarienſis in Catalaunia, Societati vndeuicennis nomen dedit anno ſæculari 1600. & votis quatuor ſe adſtrinxit. Primus Ilerdæ, Grammaticæ ludum Societati aperuit, tanta cum Academiæ approbatione, & plauſu, vt hodiequè poſt tot annos ſuperet eius memoria. Secundum hæc Gandiæ Philoſophiam, Barcinone Theologiam complures annos pari commendatione tradidit, vt cùm auditorum inſuetam frequentiam ſedilia Scholæ quamuis amplæ non caperent, multi complicatis pallijs humi inſidentes ab ore dictantis exciperent ſcripto lectiones. Gubernauit Gandienſe Collegium triennio, Barcinonenſe bis, vtrumque cum laude. Anno 1639 profectus eſt Romam legatus à Prouincia Procurator triennali ritu, ac ſubinde Sardiniæ deſignatus eſt Prouincialis à Præpoſito Generali. Verùm morbo impeditus, & ſubſecutis mox rerum publicarum viciſſitudinibus Prouinciam illam adire prohibitus eſt, pro qua triennio turbatæ Catalaumniæ Collegia titulo Viſitatoris commendabili prudentia moderatus eſt. Doctoris Theologiæ inſignia iuſſu Præpoſiti Generalis Gandiæ capeſſiuit. Fuitquè tanta ſapientiæ eius atque integritatis exiſtimatio, vt pleriſquè conſultationibus ab vtriuſque Reip. Sacræ, & Profanæ Adminiſtratoribus adhiberetur. Mirificè quoque ad Conciones valuit, & annos complures in celeberrimis Vrbibus ad populum perfrequentem dixit; exſtantque eius aliquot Orationes typis publicatæ. Inter ea otia priuata ſi quæ ex interuallo nanciſcebatur, impendebat commentationi, & expediuerat iam vnum tomum Commentariorum in Machabæos, & elucubrationem alteram perutilem de Caſibus difficilioribus in mortis articulo, ſed prius quàm iſta in lucem exirent, ipſe luci ſubductus eſt Barcinone poſt Sacramenta ſuſcepta die 25. Ianuarij 1646. A puerò adamatam à ſe caſtimoniam accurata ſenſuum continentia, & multa corporis maceratione ad mortem vſque ſeruauit illibatam. Pietatis officia ſingulari ſtudio, atque attentione obibat. Regularum, & omnis diſciplinæ cultor fuit apprimè ſtudioſus, ſilentij, ſecretique, ac receſſus amans, denique Vir omnibus virtutum numeris abſolutus. Edidit

Concionem funebrem in obitu monialis cuiuſdam nobiliſſimæ ſimul, ac pijſſimæ

Conciones duas panegyricas de Inuentione alteram, alteram de Exaltatione S. Crucis.

Sub nomine Petri de Guiſcaredo

Librum de miraculis S. Crucis

Paratum reliquit opus Morale

De Caſibus difficilioribus in Articulo mortis occurrentibus. Item

Commentariorum in libros Machabeorum tomum 1.

IACOBVS RANSONIER natione Burgundus, natus anno ſæculari 1600. Societati nomen dedit Mechliniæ in Belgio die 17. Octobris 1619. & lucrandarum Deo animarum ſtudio ductus, nauigauit in Paraquariam Orbis occidui Prouinciam, ſub annum ſeruatoris 1625. ibique obijt circa annum 1630. magnitudine laborum in Miſſionibus illis ſuſceptorum confectus in flore ætatis. Scripſit

Annuas litteras Paraquariæ Societatis Ieſu anni 1626. & 1627. Antuerpiæ typis Ioannis Meurſi 1636. in 8.

* IACOBVS REISS natione Germanus, patria Thirhaimenſis in Bauaria, natus anno ſæculi labentis ſeptimo, Societati ſe addixit 1624. & votorum quatuor Profeſſione ſe ei adſtrinxit. Humaniores litteras profeſſus eſt annis quinque, & totidem Philoſophiam; Theologiam moralem biennio, Scholaſticam quinquennio explicuit. Adhuc puer in flumine ſæpiùs, & ab hernia quaſi miraculo liberatus eſt, & in Societate à Medicis depoſitus, ope S. P. N. Ignatij ſanitatem recuperauit. Quàm cupidus fuerit ſalutis animarum, teſtatur eius Indicæ Miſſionis deſiderium. In ægros ſingulari charitate emicuit. Demum ægritudine etiam ipſe tactus, & ſacris rite procuratis, è cuſtodia corporis eductus à Deo eſt Ratiſbone die 19. Aprilis 1664. Scripſit

Priuilegia morientium. Lucernæ 1655. in 24. Item

Ioſephinam Lucernenſem, ſeu, *Centum Elogia De S. Ioſepho*. Lucernæ 1655. in 8. & Conſtantiæ 1658. Sed hic liber vetitus eſt in Indice Romano, donec corrigatur.

IACO-

Digitized by Google

IACOBVS REM natione Germanus, patria Brigantinus in Sueuia, vir fama, & opinione ſanctitatis notiſſimus. Adoleſcens Dilingæ ſtuduit. Romam dein profectus, ibi annos 20. natus ſub S. Franciſco Borgia Præpoſito Generali ad Societatem venit die 20. Septembris anno ſalutis 1566. In prima probatione toto triduo per miniſtrantis incuriam ſine cibo relictus, inediam tacitus tolerauit; vltra etiam producturus, niſi forte fortuna Rector ſciſcitatus ecquid ſaperet cibus intellexiſſet nullum illi hactenus allatum eſſe. Cibi potuſque ſemper fuit parciſſimus; deliciarum alienus, communi menſa etiam in deteriori valetudine contentus. Lectione ſuper menſam pia præſertim Martyrologij ita paſcebatur, vt manantibus lacrymis neſciret quid ederet, biberetue. Corporis affligendi miro ardore flagrabat. Romæ per æſtus, religioni ſibi ducebat, natos in veſte vermiculos enecare, tametſi cauernulis iam in cutē factis graſſarentur, donec aduertentibus Socijs iuſſus eſt veſtē mutare. Oculorum cuſtos adeò fuit diligens, vt paucos ex vultu ſocios noſcitaret: idcircò ſcenicas haudfacilè ſpectabat actiones, niſi argumentum de nouiſſimis fuiſſet. Contemptor ſui alieno ſe obſequio rebatur indignum, cum ipſe prodigus eſſet ſui. Honores impensè fugiebat, nunquam de altero queri auditus. Totos 48. annos ab ipſo propè tirocinio Dilingæ, Monachij, & Ingolſtadij quidem 32. annis nullius adoleſcentis petulantia, contumacia, iniuria, vllum turbati animi veſtigium illi vnquam, expreſſit. Virginitatis florem intulit in ſepulchrum tantaque vitæ, ac morum innocentia ſemper fuit, vt vix idoneam abſolutioni materiam in Confeſſione obeunda ſuggereret. Amore in Beatiſſimam Dei Matrem eximio flagrauit, cuius honori amplificando Sodalitium inſtituit, cuius potiſſimum eſſet inſtitutum, pios de Virgine miſcere ſermones, quod ideò Colloquium appellauit. In eius Sodalitij Sacrario cùm intereſſet aliquando decantandis Virgineis elogijs quæ vſurpantur in Aede Lauretana, cupidus intelligere, ecquod illorum Encomium præ alijs Diuæ Matri placeret, cùm eò ventum eſſet, vt *Mater Admirabilis* prædicaretur, repentè ſpectabilis illi adfuit multo decora lumine eadem Mater benigniſſima, eoque ſe titulo gloriari ſignificauit; tum ille ex angulo, quem ſemper occupabat poſtremum, prorumpit in medium, & exclamat ſtupentibus Sodalibus, vt ingeminent tertiò voces illas *Mater Admirabilis*, cognouiſſe ſeſe quàm ſit gratum Virgini Matri, illud carmen. Sæpè Iacobus diuina quadam & velut prophetica luce perfuſus, futura, longè abſentia, atque aliter arcana pronunciauit certò vaticinio. Sæpè ad precandum prouocatus eſt ab pijs Manibus, quos expiatorius ignis caſtigat, tantò vehementiùs illis vrgentibus quò ſubſidio præſentiore egebant. Sæpè inter ſacra celebranda myſteria lacrymis perfundi viſus eſt, ſæpe à terra ſublimis eleuari. Obijt tandem æuo grauis, & meritis, Ingolſtadij die 12. Octobris anni 1618. pridem antea Coadiutor ſpiritualis formatus Scripſit

Directiones Mariani Colloquij in Collegio Conuictorum Ingolſtadij inſtituti, quas Director eiuſdem Colloquij curauit imprimi. Ingolſtadij 1623.

IACOBVS RHO, ſiue RAVDENSIS natione Italus, patria Mediolanenſis, patrem habuit Alexandrum I. C. ſuæ ætatis editis monumentis clariſſimum. Antiqua in gente Nobilitas, & opes honeſtæ. Adoleſcens nondum maturo ingenio, diù cum Grammaticis luctatus eſt; feliciùs Philoſophos audiuit, & Theologos, ſed Mathematicos feliciſſimè. Altero ſupra vigeſimum ætatis anno, Societatem ingreſſus anno ſalutis 1614. depoſito tirocinio, matheſim ſtatim profiteri Mediolani iuſſus, frequentiſſimum habuit auditorem. Mox Ioanni fratri anno 1617. ad Sinicam expeditionem ſuffectus, Romam venit, atque à Roberto Cardinali Bellarmino ſacris initiatus, cum Nicolao Trigautio, qui lectiſſimam Sociorum cohortem ducebat, in Orientem abijt. Abſoluto Goæ Theologiæ curriculo, Macaum delatus, ibi aliquamdiu ſubſtitit, quòd Xini præpotentis Colai (id ſummi Magiſtratus nomen eſt) nominis Chriſtiani hoſtis acerrimi opera eiectis Socijs, aditus in interiora Regni eſſet obſtructus. Sed oppido illi, ſalutaris fuit hominis commoratio, quòd ſub annum 1622. à Batauorum direptione opportunè tutatus eſt, paucis, qui Domi erant Ciuibus, tormentorum bellicorum tractationem edoctis. Ex illo moniti periculo Ciues, Oppidum ex eiuſdem deſcriptione mœnibus cinxere, quam operam Sebaſtianus Viera noſter, is qui ſanguinem poſtea pro Chriſto in Iaponia fudit, immortalis beneficij nomine cùm in Europam reuertiſſet, celebrabat; Hoc veluti edito parergo in Regnum ſe penetrauit, ac pertinaci ſtudio linguam, Litteraſque Gentis, adeo feliciter didicit, vt plurimos libros ediderit, circum latoquè per Prouincias Euangelio, iuſſus Peckini, quæ vrbs Regia eſt, ſubſiſtere, Calendarium Sinicum, quod Rex auebat emendari, collato cum P. Ioanne Adamo Sciall ſtudio, aliquot annorum improbo labore abſoluerit non omiſſa interim Euangelij procuratione. Itaquè Regi operam ſuam probauit, vt ei Socioque Adamo amplos vltrò detulerit Magiſtratus; quos cum illi pro ſuo Vitæ inſtituto ripudiaſſent, docuiſſentque ſe Fidei Chriſtianæ dilatandæ laborare, redditus illis annuos, & pecuniam quantam erigendo templo ſatis eſſe credidit, vltrò dedit, nec longe ſe à Dei Regno abeſſe, eiectis idolis, quamuis adorati Cœli nondum eierata ſuperſtitione monſtrauit. In hoc tam felici rerum curſu ad laborum præmia euocatus, obijt 5. Calen. Maias anno 1638. ætatis 48. Profeſſionis quatuor votorum 10. paucorum dierum morbo, qui nulla Medi-

Medicorum arte vinci potuit exſtinctus, magno Noſtrorum, & externorum Chriſtianorum luctu. Corpus celeberrima via Chriſtiano ritu elatum, proſequentibus plurimis Mandarinis, & Eunuchis Regijs ſepulchro Noſtro illatum eſt. Effigiem illius tamquam Viri ad poſterorum memoriam præſtantiſſimi coloribus exprimi curarunt Mandarini, quibus admirationi viuens fuerat. De viri huius laudatiſſimi fructuoſis laboribus, Apoſtolico ſpiritu, præſtanti virtute, morbo, morte, atque funere, qui plura cupit videre, ea poterit apud noſtrum Danielem Bartolum in ſua Hiſtoria Chinenſi lib. 4. Scripſit P. Iacobus collatâ operâ cum P. Ioann. Adamo Sciall

Pro reformatione Calendarij Sinenſis, ad centum, & quinquaginta libros, cum magna totius illius Regni admiratione. Scripſit item Italicè

De ſua nauigatione, & rebus Indicis Epiſtolas II. alteram ex Oceano, alteram Goæ datas, editas Mediolani 1620.

Sinice vero Scripſit, atque edidit

Explicationē Orationis Dominicæ, tomo vno ſat magno, ſtylo graui, ac pio inſcriptum Tien Ciu Kim Kiai

Explicationem ſalutationis Angelicæ. Conſimili ſtylo graui

De mortificatione, & Ieiunio tomos 4.

De Operibus miſericordiæ tomos 3.

Reddidit Lingua Sinica

Centum Monita Spiritualia S. Tereſiæ

Librum ſententiarum ex Sacra Scriptura, & Sanctis Patribus pro ſingulis diebus anni

Scripſit præterea Sinicè in Mathematicis,

Tabulas motus Solaris tomis 8.

Tabulas motus Lunaris tomis 8.

De menſura Cœli, & Terræ tomis 2.

De motu quinque Planetarum lib. 2. cum ſuis Tabulis

Compendium Reformationis Calendarij Sinici

Regulam proportionum.

Librum de Arithmetica.

* IACOBVS RINALDVS natione Gallus, patria Campanus, Rhemenſis diœceſis, Societati ſe adiunxit anno ſeculi præterlabentis 16. ætatis ſuæ 18. & votorum quatuor nuncupatione ſe obſtrinxit. Septennio docuit cum laude amæniores litteras, & annis totidem, Theologiam moralem ſubtiliter, & ſolidè explicuit. Sacram etiam Scripturam aliquamdiu eſt interpretatus. Tandem lenta paralyſi longo tempore exercitus, poſtquàm plurima, & probatiſſima generoſæ patientiæ præbuiſſet exempla, ad beatorum cætum, (vt fas eſt ſperare,) euolauit Altiſiodori die 28. Octobris 1665. Præter alios complures, quos vulgauit libellos, pleriſque vtiles, edidit Latinè librum complectentem vitas aliquot Sanctorum Gallorum, aut eorum, qui ſanctitate ſua Galliam illuſtrarunt, ex omnibus ferè Ordinibus tam Eccleſiaſticis, quàm Laicis compendio deſcriptas ſub hac Epigraphe

Lilia, ſeu Flores Galliæ Sanctæ. Diuione apud Petrum Palliot 1643. in 8.

IACOBVS SALESIVS natione Gallus, patria Aruernus, ex Oppido Leſou. A puero in Societatis diſciplina inſtructus, omnes bonas Artes ſemper in promptu habuit. E Billomenſi Alumnorum Seminario Societati noſtræ adſcriptus eſt, Calendis Nouembris anno ſalutis 1573. cùm annum expleſſet 17. ætatis Virduni poſuit Tirocinium, excultus haud mediocriter Latinis pariter, ac Græcis litteris; Hebraicæ quoque Linguæ non imperitus. Sacerdotio Pariſijs initiatus eſt 20. Aprilis 1585. ac Theologiæ Doctor renunciatus Muſſiponti anno 1588. In ea Vniuerſitate triennio Philoſophiam, Scholaſticam Theologiam biennio, ac Moralem deinceps publicè docuit: ſed ob valetudinis infirmitatem litterarum tractationem deponere coactus eſt. Ceterum præter eas, quas dixi, ſcientias, & linguas, omni litteratura politiore inſigniter erat inſtructus; Chaldaicæ Linguæ, Syriacæ, & modernorum Arabicæ peritus. Mathematica quoque diſciplina non leuiter imbutus. Didicerat plantarum naturas, vires, & facultates; facillimóque tranſgreſſu ferebatur in vnius cuiuſquè fruticis aut floſculi contemplatione in Deum, atque vna alios, quibus cum agebat rapiebat poſt ſe. Ornabat hanc eius comprehenſionem pertinax memoria, quæ prompta illi ſuggerebat, quidquid vel in vltima pueritia didicerat. Feliciſſimè promebat ex ea Sacræ Scripturæ, Patrumque ſententias, nulla vel vnius variatione dictionis, tanta fide, vt & libros, & capita, & minutiſſimas ſectiones ſine errore cieret. Nunquam improuiſo, vel adortus eſt ſectarios, vel ab illis impetitus, quin reſponſum illi eſſet ad manum. Eximia in illo modeſtia, manſuetudo, contemptio ſui per omnem vitam fuit, quam difficillimis in rebus ſæpe fecit teſtatam. Tenerrimo pietatis ſenſu, & velut exſtatico ferebatur in Deum. Inter meditandum Diuina nunquam aliò mente exerrabat. In omni colloquio ſermonem inferebat de Deo, Diuiniſuè rebus. Inſtituebat cætus, & quaſdam velut academias Sociorum, qui ſanctis ex condicto ſermonibus vniuerſam familiam ſæpè accendebant. Porro Sanctiſſimum Chriſti corpus eximia pietate, cultuque proſequebatur, nullàque de re libentius, ardentiuſque loquebatur. Inter ſacrificandum nullas patiebatur animi vagationes, totus in Myſterio, quod tractabat, & in alium penè hominem transformatus. Diuini Amoris, quo ardebat magnitudinem tot ille modis exprimebat, vt nunquam ſatisfacere ſibi videretur. Creber eius erat de Martyrio ſermo, non quaſi à Deo tantum expectaret munus, ſed quaſi cupidiſſimè appeteret. Præcipuo colebat honore Martyrum reliquias. Eximius fautor ſanguine partæ immortalitatis, ad quam eum ducebat Numinis prouidentia. Nam cum per

annum 1592. Turnone vbi alterum iam annum Theologiam docebat, Albenacum rei Catholicæ tuendæ cauſa profectus eſſet, tam ſtrenuè ibi munus adminiſtrauit, nequicquam frementibus Caluinianæ ſectæ magiſtris, vt ad Quadrageſimales anni conciones poſtulatus, nequierit ſuam pijs Catholicis operam denegare. Interea temporis occupata per fraudem Vrbe ab hoſtibus, Iacobus vnà cum Socio Guilielmo Saltamochio in manus Caluiniſtarium venit, die 6. Februarij in quem ſabbathum incidit. Poſt longam vexationem, atque inediam, homines videlicet humani iuſculum illi ex carne proponunt. Id cum ille reieciſſet, negans ſe ſaluis Eccleſiæ legibus veſci poſſe, diſputandi anſa inde nata eſt, qua ille arrepta tam acriter preſſit aduerſarios, vt verborum contumelias, & maledicta accerſere debuerint in auxilium. Conſpecto Saleſius rem non ratione, ſed iracundia ab his geri, vt iurgijs finem imponeret, librum de Sacramentis ab ſe olim ſcriptū illis offert, addens eo contineri quid ſentiat; videant equid habeant quod opponant. Ceterùm poſtridie Miniſtrorum oppreſſus maleuolentia, inter conciliandam ſuis percuſſoribus Diuinam clementiam, nunc Chriſti Seruatoris, nunc Stephani Protomartyris voce, vulnus laxato in humerum ſclopeto, accipit, quo ictu cum pronus in terram corruiſſet, Ieſum inclamans, ferro conficitur die 6. Februarij anni 1593. Scripſit

De ſeptem Sacramentis, Opus, quod Miniſtris inter diſputandum porrectum, ab eius morte, nec prece nec pretio recipi potuit.

IACOBVS SALIANVS natione Gallus patria Auenionenſis, natus anno à partu Virginis 1557. Societatem complexus eſt 1578. Diu litteras humaniores, Theologiam moralem, & Sacras Litteras docuit in Prouincia Lugdunenſi; rexit etiam Collegium Veſuntionenſe, & ſacras habuit Conciones; reliquum fere ætatis curſum, vel ſcribendo, vel audiendis pænitentium Confeſſionibus Pariſijs in Claromontano Collegio confecit; atque hic celebre illud opus Annalium Eccleſiaſticorum elucubrauit; vir vitæ integritate, atque indefeſſo labore conſpicuus, & vota quatuor ſolemnia iam inde ab anno 1599. Auenione profeſſus. Eluxerunt in eo per omnem vitam eximia modeſtia, manſuetudo, contemptio ſui; diſciplinæ religioſæ fuit perſtudioſus, & ad omnes Superiorum nutus ſemper intentus; doctum ſe & eruditum neſciebat, imò in tanta doctrinarum varietate doceri ſe etiam ab imperitis cupiebat. His adde Zelum ſalutis animarum, & diuini amoris, quo ſemper arſit; adde & ſtudium mortificationis, quod in eo mediocre non fuit. Tandem profligata tot laboribus, vigilijſque valetudine, ictus etiam apoplexia, octogenario maior inter brachia, gemituſquè Sociorum animam exhalauit. Pariſijs die 23. Ianuarij 1640. edidit

Annales Eccleſiaſticos Veteris Teſtamenti ab Orbe condito vſque ad Chriſti Domini mortem. *Tomis* 4. qui ab anno 1618. vſque ad annum 1624. prodierunt Lutetiæ Pariſiorum ex Officina Niuelliana; per Sebaſtianum Cramoiſy, & Coloniæ ſumptibus Antonij Hierati in folio

Epitomen eorundem Annalium. Pariſijs in folio apud Michaelem Soly 1635.

De Timore Dei libris 9. Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoiſy 1628. in 4. Hæc etiam Gallicè reddidit.

De Amore Dei libris 16. Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoiſy 1631. in 4. Scripſit Gallicè

Artem placendi Deo. Pariſijs apud Ioannem Branchu 1635 in 16. Denique edidit etiam

Enchiridion Chronologicum ſacræ, & prophanæ Hiſtoriæ, id eſt Annalium, ipſiuſque Epitomes illorum medullam. Coloniæ apud Ioannem Kinckium 1638. in 12.

* IACOBVS SCHARPE aliàs POLLARDVS natione Anglus, patria Eboracenſis, nobili certamine cum proprijs parentibus pro Deo memorabilis. Hic maturus ætate iam Sacerdos, & poſtquam Theologiam moralem ſacraſquè litteras in Collegio Anglorum Duaceno explicuiſſet, Societati noſtræ ſe adiunxit anno ſalutis 1608. & abſoluto Tirocinio, Miſſionem in Vineam Anglicanam magno ardore flagitauit, vt ſcilicet Patrem, ac Matrem, quos tenerè amabat, quorùmque hæres erat, infectos hæreſis labe ad Eccleſiæ gremium reduceret. Verùm profectus in Angliam tantùm abfuit, vt eos Chriſto lucrari potuerit, vt omnes machinas, & tentamenta adhibuerint ipſi, vt ad ſuam ſectam filiùm retraherent. Itaquè offerunt illicò hæreditatem amplam, vxorem, ſuppellectilem, aureorum ad tria millia, & alia; cumquè his non cederet ille, adiungunt preces, lacrymas, ploratus; diligentiſſimè cuſtodiebant ne fuga forte elaberetur, & interdiù quidem mater ab illius latere non diſcedebat, noctù verò Pater in eodem cubiculo cum filio cubare voluit. Doctiſſimos quoſque ſuæ ſectæ Miniſtros accerſebant, qui diſputando reluctantem conuincerent. Videre cogebatur ſæpiſſimè vtrumque Parentem (prout ipſemet ſcripſit ad ſuum Præpoſitum Generalem Claudium Aquauiuam) genibus in terra fixis, & elatis manibus, has voces miſerandum in modum eructantes: Miſerere noſtri filij mi, miſerere noſtri, Miſerere Genitoris, miſerere Genitricis, miſerere vberum iſtorum, quæ te lactauerunt; Vitam à nobis acceptam tu morte compenſabis? Hæc, & his ſimilia facile centies ingeminarunt; ſed cum nihil euincerent, tandem tradiderunt Magiſtratui, & Conſiliarijs Regijs, qui arcta cuſtodia diu incluſum, ne vlli Catholicorum pateret ad ipſum acceſſus, à quibus aliquid ſolatij, aut firmitatis in fide haurire poſſet, deinde à plurimis Pſeudo-

Euan-

Euangelij Miniſtris per diſceptationes continuas fruſtra vexatum, demum vnà cum alijs Sacerdotibus eiecerunt in exilium, atque ita glorioſa de Parentibus, & alijs reportata victoria in Belgium remeauit. Verùm non inde multò poſt, redux clanculum in Angliam ſeptemdecim ferme annos ſtrenue, atque vtiliter in Vinea illa laborauit, profeſſionem votorum quatuor emiſit; permultos ad Fidem Catholicam, atque inter hos quemdam magnę Nobilitatis Baronem perduxit, & demum ad ſui certaminis, & laborum præmia à ſupremo Agonotheta largienda migrauit, ibidem die 11. Nouembris 1630. Edidit hic inſignis Confeſſor Chriſti, præfixis ſui nominis initialibus litteris I. S. Anglicè

Examen Priuati ſpiritus Proteſtantium, quo confutatur hoc religionis ipſorum vnicum fundamentum, ex Sacra Scriptura, Sanctis Patribus. Euidentia rationis, atque Abſurdis exinde conſequentibus 1630. in 4.

IACOBVS SIMONIS natione Belga, patria Tornacenſis, Societatem ingreſſus anno 1597. ætatis 20. in ea vota quatuor nuncupauit. Fuit Superior Domus probationis Armenteriæ; & Seminarij B. Virginis Montibus. Vir in paucis religioſus, & ſalutis animarum ſtudioſiſſimus, annis facile quadraginta ſacer Orator dixit ad populum eo animi vigore, ſenſuque pietatis, vt proſtratas ætate deuexa vires ipſo labore reficere videretur, adeo alacrem, & promptum diuinæ gloriæ Zelus reddebat. Tandem ſeptuagenario maior mortalitatem exuit. Tornaci die 8. Octobris 1649. Edidit Gallicè

Vitam S. Vualdetrudis, & S. Vincentij Coniugis Comitum Hannonienſium cum Annotationibus

Bonum vſum Sacramenti Venerabilis Eucharistiæ, & SS. Miſſæ Sacrificij

Vitam S. Gisleni Episcopi Athenienſis cum Annotationibus. Vertit in Linguam Gallicam

Annuas Iaponicas annorum 1609. *&* 1610.

Adornabat prælo in gratiam Monialium

Methodum rite preces horarias perſoluendi, & Sanctiſſimum Miſſæ Sacrificium cum fructu audiendi. Sed morte ſuperueniente non emiſit

IACOBVS SIRMONDVS natione Gallus, patria Ricomagenſis, Rector olim Collegij Pariſienſis, vir totius Antiquitatis curioſus indagator, & Latinè, Græceque impensè doctus, & in omni pene litterarum genere exultiſſimus; qui humaniores litteras Theologicis admodum decorè coniunxit; qui infatigabili ſtudio penetralia quæque Bibliothecæ Vaticanæ perluſtrauit, qui inter noſtri ſæculi primos viros diſertos meritò eſt adnumerandus, quæ omnia ſunt Cardinalis Baronij de Sirmondo elogia, Annalium tom. 5. in Append. tom. 9. A. C. Dccc.xiv. Tomo 10. A. C. D.cccc. LVI. & in Append. Pag. 662. Editus in lucem eſt Iacobus anno ſuperioris ſæculi 59. cooptatus in Societatem 77. vota quatuor ſolemnia profeſſus 96. Scholas litteraturæ humanioris decennio tenuit ſingulari cum doctrinæ laude, atque in ijs diſcipulum habuit Franciſcum Saleſium Sanctorum faſtis poſtea adſcriptum. Romam euocatus à P. Claudio Aquauiua, ei à ſecretis ſexdecim annorum ſpatio fuit in conſcribendis litteris latinis ad omnes Germaniæ, & Galliæ Prouincias, quæ tunc ad vnam Aſſiſtentiam pertinebant; præſtititque id muneris tanta ſtyli facilitate, & grauitate, vt ſummè ſuo Generali ſatisfecerit. Magni illum dum Romæ degeret fecit grande illud Eccleſiæ decus Cardinalis Baronius, & præter elogia ſuperius commemorata, moriens, quaſi in pignus ſuæ erga eum beneuolentiæ, donauit illi effigiem æneam Chriſti è cruce pendentis, operis exquiſiti, quam ſemper per totam vitam Iacobus ſibi habuit cariſſimam. Eiuſdem Cardinalis auſpicijs Bibliothecam omnem Vaticanam diligentiſſimè luſtrauit, & redux in Galliam veteres pleraſque ibi quoquè acuratè inſpexit, produxitque in lucem multa magnorum virorum opera, quæ in tenebris, & puluere diutiſſimè iacuerant. Antiquarum inſcriptionum in nummis veterum peritia excelluit, vti palam faciunt, quæ tribus libellis in extrema ætate iam nonagenarius vulgauit. Defuncto P Mutio Vitelleſco Præpoſito Generali electus eſt à Comitijs ſuæ Prouinciæ licet 86. eſſet annorum, vt Congregationi Generali Romæ, & electioni noui Præpoſiti intereſſet. Vixit annis nonaginta, & tribus, ſed valetudine adeo vegeta, vt ieiunium quadrageſimale eodem rigore, quo iuuenis etiam ſenex obſeruarit. Diſciplinæ regularis, & in primis obedientiæ fuit cultor eximius, adeo vt his virtutibus veluti idea à Superioribus proponeretur iunioribus imitandus. Chriſtianiſsimo Regi Ludouico XIII. fuit à ſacris Confeſsionibus aliquot annos fere vſque ad obitum. Aulicis omnibus eo tempore venerabilis iuxta, & amabilis, propter religioſam morum ſuauitatem. Morti proximus gratias agebat ſingulares Deo, quòd in Societate, & inter fratrum ſuorum manus moreretur, & ſuſceptis ritè Eccleſiæ Sacramentis animam reddidit Creatori Pariſijs die 7. Octobris 1651. Plurima poſt ſe reliquit doctiſsimus Pater diuturni ſtudij inſignia monumenta; Multa priſcorum Auctorum opera, eruit, illuſtrauit ſuis notis, & edidit, nec pauca ſuo marte ipſe conſcripſit. Nos illa recenſebimus eo ordine quo typis excuſa ſunt Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoiſy

Goffridi Abbatis Vindocinenſis Sanctæ Priſcæ Cardinalis Epiſtolas, opuſcula, Sermones 1610. in 8.

Flodoardi Presbyteri Eccleſiæ Rhemenſis Canonici, Hiſtoriarum eiuſdem Eccleſiæ Lib. IV. 1611. in 8.

Magni Felicis Ennodij Ticinenſis Epiſcopi Ope-

Opera 1611. in 8.

S. Fulgentij Epiſcopi Ruſpenſis, De Veritate Prædeſtinationis, & Gratiæ cum alijs Opuſculis 1612. in 8.

Sancti Valeriani Epiſcopi Cameliensis Homilias 20. *& Epiſtolam ad Monachos*. 1612. in 8.

Petri Abbatis Cellenſis Epiſtolarum Lib. 9. Item

Alexandri III. Papæ ad Petrum, & alios Epiſtolas.1613. in 8.

C. Sollij Sidonij Apollinaris Aruernorum Epiſcopi Opera.1614. in 8.

Vitam S. Leonis Papæ IX. Lucorum ante Epiſcopi.1615. in 8.

Vitam S. Caroli Comitis Flandriæ Martyris. 1615. in 8.

S. Paſchaſij Radberti Abbatis Corbeienſis Opera.1617. in folio.

Idatij Epiſcopi Chronicon & Faſtos conſulares.1619. in 8.

Marcellini V. C. Comitis Illiriaci in Chronicon.1619. in 8.

Beati Eugenij Epiſcopi Toletani Opuſcula. 1619. in 8.

Anaſtaſij Bibliothecarij Sedis Apoſtolicæ Collectanea.1620. in 8.

Caroli Calui, & ſucceſſorum aliquot Regum Franciæ Capitula.1623. in 8.

Facundi Epiſcopi Hermianenſis Prouinciæ Africanæ pro defenſione trium Capitulorum Concilij Chalcedonenſis.1629. in 8.

Concilia Antiqua Galliæ in tres tomos ordine digeſta cum Epiſtolis Pontificum, & Principum Chriſtianorum.1629. in folio.

Opuſcula Dogmatica veterum V. Scriptorum. 1630. in 8.

Appendicem Codicis Theodoſiani nouis Conſtitutionibus cumulatiorem, cum Epiſtolis aliquot Veterum Conciliorum, & Pontificum Romanorum.1631. in 8.

S. Aurelij Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi Sermones nouos 40. 1631. in 8.

B. Theodoreti Epiſcopi Cyri Opera omnia Græco-Latina in 4. *Tomos diſtributa*, nunc primum edita.1632. in folio.

Teſtamentum Sancti Gregorij Nazianzeni Latinè reddidit, quod primum à Baronio ad calcem tomi 5. editum eſt Romæ, & alibi

S. Auiti Archiepiſcopi Viennenſis Opera. 1643. in 8.

S. Fulgentij librorum contra Fabianum excerpta.1643. in 8.

Euſebij Pamphili Cæſareæ Epiſcopi Opuſcula.1643. in 8.

Prædeſtinatum, ſeu Antiqui Scriptoris Anonymi Opuſculum contra hæreſim Prædeſtinatorum. 1643. in 8.

Hincmari Rhemenſis Archiepiſcopi Opera duobus Tomis.1645. in folio.

Theodulphi Epiſcopi Aurelianenſis Opera. 1646. in 8.

Rabani Archiepiſcopi Moguntini aduerſus Godeſchalchum. 1646. in 8.

Hiſtoriam Prædeſtinatianam 1648. in 8.

Amolonis Archiepiſcopi Lugdunenſis Epiſtolas.1649. in 8.

S. Auguſtini ſententias 1649. in 8.

Seruatij Lupi de tribus Quæſtionibus Librum.1650. in 8.

Ruffini Palæſtini de Fide.1650. in 8.

Marcelli, & Fauſtini Libellum precum. 1650. in 8.

Hucvſque veterum Auctorum Opera Notis à Iacobo illuſtrata. Extant autem in Bibliotheca magna Patrum tomo 5. par.1. Sidonius Apollinaris, & Par.III. S. Valerianus tomo 6. par.1. Ennodius tomo 9. par.2. Paſcaſius tomo 12. par.1. Goffridus & parte 2. Petrus Cellenſis.

Scripſit ipſe de ſuo ſequentia

Cenſuram Scripturæ Anonymi Scriptoris de Regionibus, & Eccleſijs Suburbicarijs. 1618. in 8.

Aduentoriam Cauſidico Diuionenſi aduerſus Amici ad amicum Epiſtolam, De Suburbarijs Regionibus, & Eccleſijs. 1620. in 8.

Propempticon CL. Salmaſio de Suburbicarijs 1622. in 8.

Antirrheticum De Canone Arauſicano.1633. in 8.

Antirrheticum II. De eodem Canone.1634. in 8.

Diſſertationem in qua Dionyſij Pariſienſis, & Dionyſij Areopagitæ diſcrimen oſtenditur. 1641. in 8.

Quæſtionem triplicem, De lege celebrandis. De Paragrapho duorum fratrum. De Codice Alarici Regis 1642. in 8.

Triplicem nummum.1650. in 8.

Antritiſtannos duos 1650. in 8.

Hiſtoriam publicæ Pœnitentiæ, & De Azymo. 1651. in 8.

Hi omnes Libri Pariſijs excuſi ſunt apud Sebaſtianum Cramoiſy. Præter hæc Inſcriptiones tam multas publici Iuris fecit, vt ex ijs iuſtum volumen confici poſſet. Sed eas alijs Scriptoribus edendas dedit, & maximè Iano Gruthero, vti teſtatur idem Grutherus in ſua præfatione, vbi illuſtre de Sirmondo interſerit elogium

IACOBVS STRATIVS natione Belga, patria Antuerpienſis, natus anno ſalutis 1559. in Societatem iuuenis venit cum ageret ætatis annum 21. In ea Rector adminiſtrauit Collegium Louanienſe annis 11. Brugenſe 10. Prouinciam quoque Flandro-Belgicam triennio, Vir pietate in paruo corpore magnus. Plurimi faciebat domeſticarum virtutum exempla, ideoquè Menologium Societatis labore maximo contexuit, quo in ſingulos anni dies, ex Hiſtorijs, & annuis Societatis ponit elogia mortuorum in Societate virtute aliqua inſignium. Fuit porrò Stratius inter nomina primæ notæ illius Prouinciæ merito adnumerandus. Nam præter diuturnæ gubernationis peritiam, illo

illo adnitente tradunt inſtitutas eſſe in Belgio Anticinerales preces,, & ſacras de Chriſto patiente per Quadrageſimam Meditationes. Miſſus è Prouincia Romam, ex amore paupertatis, & ſtudio ſui ipſius affligendi, pedes iter illud licet annis grauis eſt ingreſſus. Magni in omnibus exempli fuit, & erga Sacrificium incruentum tamquam omnium negotiorum (vti verè eſt) maximum, ſumma ſe cura præparabat. Hinc vt Virum Sanctum, & Magiſtrum vitæ ſpiritualis ſuſpexerunt multi, & tamen mortem ſe vehementer timere palam profitebatur, quam tamen ſanctè obijt Louanij die 7. Aprilis anno 1674. Edidit

Apologiam Catholicam aduerſus Cantilenam Gallicè editam in R. P. Petrum Cottonum. Brugis 1609. item

Meditationes latinas Liturgicas. Antuerpiæ apud Ioannem Cnobbarum. Flandricè vero

Declarationem præcipuorum articulorum antiquæ Romanæ Catholicæ Fidei, qui à Nouatoribus huius ſeculi in controuerſiam vocantur lib. 2. Antuerpiæ apud Hieronymum Verduſſium 1617.

De VII. Doloribus B. Virginis. Antuerpiæ apud Leiſteens 1622.

Demonſtrationem Fidei Catholicæ. Ibidem 1629.

Stimulos pietatis ad ſacrificium Miſſæ piè audiendum, & faciendum. Antuerpiæ apud Leſteens 1619. in 12. & apud Gaſparem Bellerum 1620. in 16.& Coloniæ 1632. in 12. Latinè & Flandricè

Donauit etiam Belgica, & Flandrorum lingua

Thomæ à Kempis Soliloquium animæ caſtigatum ad M.S.

Martini Becani priuilegia Caluiniſtarum. Ipris apud Franciſcum Beller 1612.

Roberti Bellarmini Artem bene moriendi. Antuerpiæ apud Leſteens 1620.

Georgij Coluenerij Sodalitatem Septem dolorum B.Virginis. Antuerpiæ 1622.

Ad pietatis argumentum edidit in minutis libellis

Praxim examinis particularis S. Patris Noſtri cum Commentariolis, & exemplis, Latinè, Gallicè, & Flandricè

Roſarium ex Bloſio *pro conformanda voluntate humana cum Diuina*

Officium paruum S.Ioſephi. Latinè adiunctum exercitijs deuotis S.Ioſephi editis Gallicè à Nicolao Montmorency Bruxellæ 1610. Parabat in effæta iam & vltra Iubilæum initæ Religionis ſenecta

Coronam Imperialem, vt vocabant, *De Roſario.*

Meditationum per viam Theologiæ Scholaſticæ tomos IV.

Opus de Horis Canonicis piè recitandis.

Denique congeſſerat

Menologium continens per ſingulos annos dies Elogia hominum Societatis noſtræ, qui cum laude virtutum è vita migrarunt tomis 12. & aſſeruantur M.ſs.Romæ in Archiuio generali Societatis.

IACOBVS SVSIVS natione Belga, patria Brugenſis admiſſus in Societatem anno ſalutis 1609. ætatis 21. Scholas humaniorum litterarum rexit quinquennio, & multis annis Eccleſiaſten cum fructu egit, in ſpiritualium Coadiutorium album relatus. Religioſe obiit Louanii die 9. Aprilis 1639. magno animarum bono flandricè reddidit,

Originem & miracula B. Virginis Mariæ Foyenſis, ſcripta Gallicè à Petro Bouillio. Louanij apud Henricum Haſtens 1624.

Inſtructionem animæ deuotæ ad Orationem mentalem per Thomam Villacaſtinum. Louanij apud Haſtens 1625. in 16. & Antuerpiæ 1638.

Alphonſi Rodriguez De Exercitio perfectionis Tomum tertium, Antuerpiæ apud Ioannem Cnobbarum 1628. in 8.

Vitam Ioannis Berchmans Societatis Ieſu per Virgilium Cepariun. Antuerpiæ apud Henricum Aertſium 1629.

Panegyricum S.P.N.Ignatio ab Eminentiſſimo Cardinali Ludouiſio dictum. Antuerpiæ ex officina Plantiniana Moretti 1631.

Litteras Indicas de Regno Cocincinenſi. Louanij apud Haſtens 1632.

Litteras Iaponicas annorum 1625.26.& 27. Antuerpiæ apud Ioannem Cnobbarum 1632.

Meditationum P.Ludouici de Ponte Partem IV.& V. Antuerpiæ apud Ioannem Cnobbarum. Habebat ſub manibus, ſed non edidit

Famiani ſtradæ Hiſtoriam de Bello Belgico

* IACOBVS SVVERTIVS natione Belga, patria Inſulenſis, natus anno ſæculi ineuntis primo Societati ſe addixit 1618. Multis annis humaniores litteras docuit. Vir feruidi ingenij, & ad omne genus caritatis incitati, quo non ſolum Sodales Deiparæ accendit ad pietatem, ſed varias Miſſiones cum fructu, obiuit, & ſontes plurimos in carceribus ad moriendum Chriſtiane iuuit. Præfuit triennium Montenſi Seminario, & ad tenerioris ætatis culturam ſpeciali cura ferebatur. In tolerandis morbi diuturni moleſtijs magno omnibus exemplo fuit, & in eo contentus cibis communibus nunquam extraordinarios expetiuit. Tandem maturus Cælo, ſpiritualis Coadiutor pridem formatus, naturæ conceſſit Tornaci die 8. Martij 1670. Edidit

Scholam inſtituendæ iuuentutis. Leodij apud Balduinũ Bronckart 1652. recuſam Montibus 1653.

IACOBVS SZAFARNIVS natione Polonus, patria ex Oppido Kuna anno ſalutis 1574. ætatis ſuæ 22. habitum noſtræ Religionis ſuſcepit, in qua litteris probe excultus Oratoriam aliquot annis cum laude docuit: deinde Concionatoris munus egregiè ſuſtinuit Vilnæ, Poſnaniæ, Lublini, Cracouiæ. In varijs Miſſio-

Miſſionibus maximo cum fructu verſatus eſt. Collegium Lublinenſe Rector gubernauit quadriennio. Vir grauis, prudens, ac diſertus, multiſque virtutibus ornatus. Demum longa tabe per triennalem morbum conſumptus Cracouiæ mortuus eſt die 27. Auguſti anno 1601. ætatis 49. Societatis 27. ab emiſſa profeſſione quatuor votorum 3. Vertit Polonicè

Vitam S. P. N. Ignatij, à Petro Ribadeneira Latine conſcriptam

* IACOBVS TIRAN natione Gallus, patria Delphinas, ſed origine Sabaudus, natus anno reparatæ ſalutis 1626. Chriſto ſua in Societate ſe dicauit 1643. & votorum quatuor profeſſione ſe adſtrinxit. Rhetoricam, & humaniores diſciplinas octennio docuit; Philoſophiam ſexennio; Theologiam Scholaſticam Lugduni quinquennio; inde euocatus Romam, ad Baſilicam Vaticanam Pœnitentiarij Apoſtolici, dum hæc ſcribo, fungitur officio. Edidit nuper latinè

Alphabetum Paſtorale, ſiue Selecta Concionum argumenta ex S. Scriptura ex SS. Patribus, ex rationibus Theologicis, ex rebus in Breuiario Romano contentis, &c. Tomis ſex in 8. quorum primus eſt iam in lucem editus; Lugduni apud Ioannem Certe 1675. Reliqui ſub prælo ibidem ſudant.

IACOBVS TIRINVS natione Belga patria Antuerpienſis natus anno ſalutis 1580. vicennis adſcitus in Societatem, magna virtutis commendatione in eadem vixit. Sacram Scripturam tribus annis interpretatus eſt; totidem annis Antuerpienſi Collegio vice-Rector præfuit; Domui vero profeſſæ Præpoſitus toto nouennio, & quadriennio Miſſioni Hollandicæ. Quatuor votorum profeſſione ſe obſtrinxit die 2. Iulij 1614. atq; anno mox inſequenti Congregationi Generali ſeptimæ ſatis iuuenis interfuit. Poſtea iterum electus eſt à Congregatione Prouinciali, vt ſuffragium ferret in Conuentu Procuratorum Romæ anno 1627. Demum multis præclare perfinctus officijs, & laboribus, obijt Antuerpiæ die 14. Iulij 1636. Edidit

Commentarium in totam Scripturam Sacram Veteris ac Noui Teſtamenti tom. III. Antuerpiæ apud Martinum Nutium 1632. in folio. Opus eſt calculis Chronologiæ diligentiſſimè ſubductum, & variarum materiarum accuratis indicibus illuſtratum.

IACOBVS TYRIVS natione Scotus, nobili genere, cum adhuc in patria puer, priuſquàm de Societate quidquam, vel fando accepiſſet, vitam agere optaſſet in cętu aliquo, vbi & Deo ſeruire, & ſaluti proximorum vacare poſſet, egreſſus ex Scotia in Belgium, didicit Louanij id in Societate commodè à ſe præſtari poſſe; quare illicò ſe Romam contulit, & ibi Societati nomen dedit die 19. Auguſti anno ſalutis 1563. ætatis ſuæ 20. Illud ſingulare de eo proditum memoriæ eſt, nempe cum adhuc Nouitius poſt aliqua experimenta (prout tunc moris erat) permitteretur ſtudijs vacare, nimiâ animi contentione in eâ incubuiſſet; nocte quadam apparuit illi Sanctus P. N. Ignatius, & grauiter increpitum, quod plus litteris, quàm pietati acquirendæ ſe impenderet, paternè hortatus eſt, vt litteris quidem operam daret, ſed non tanto ardore, vt ſpiritus exinde maneret oppreſſus. Quæ admonitio ita infixa per totam vitam eius inhæſit memoriæ, vt magno ei ſemper ſtimulo fuerit ad omnem perfectionem. Hinc euaſit ille in virum virtute præſtantem, & ſapientia atque prudentia clarum. Miſſus Pariſios profeſſionem votorũ 4. emiſit, atque ibi Philoſophiam, & mox Theologiam multis annis cum laude docuit, Noſtrorumque ſtudia moderatus eſt. Præfuit Socijs non ſemel, & à Congregatione Prouinciali Franciæ electus eſt, vt conuentui Procuratorum Romæ intereſſet anno 1590. cum iure ſuffragij. Poſteà à P. Claudio Præpoſito Generali adſcitus eſt in Aſſiſtentem pro Germania & Gallia, atq; in eodem munere paulò poſt à Congregatione Generali quinta confirmatus. Vixit ille ſemper coniunctiſſimus per orationem cum Deo; & qui ante obitum creditur à Chriſto fuiſſe monitus de hora exitus, & de æterna, quâ mox fruiturus eſſet felicitate. Obijt autem Romæ die 20. Martij anno 1597. ſcripſit ſub nomine Georgij Thomſoni.

De Antiquitate Eccleſiæ Scotiæ, breue, ſed doctum, ſcriptum quod Antonius Poſſeuinus ſuæ Bibliothecæ lib. 16. cap. 5. inſeruit, & eſſe Tyrij noſtri teſtatur Thomas Dempſterus in apparatu ad hiſtoriam Scoticam lib. 11. cap. 13. Huic libello, quem Baronem Fratrem ſuum Acatholicum in Scotia Iacobus tranſmiſerat cum Ioannes Knoxius Sectariorum in Scotia Coriphæus, rogatu Baronis reſponſum euulgaſſet, ſtrinxit Iacobus ſtatim calamum alio libello.

In Ioannem Knoxium, tanta argumentorum vi, ac pondere, vt multis etiam de nobilitate Scotiæ lectio illius fuerit ſaluti, prout refert Ioannes Leſleus Epiſcopus Roſſenſis volumine de rebus geſtis Scotorum l. 10. prope finem, vbi præclarum de noſtro Tyrio apponit elogium.

* IACOBVS VIGNIER natione Gallus, patria Barro-Sequanus in Burgundia nobili loco natus, cum parentum aſſenſum ad ineundam Societatem obtinere requiret, clam illis conſcenſo equo ad Tirocinium Nanceianum aufugit anno ſalutis 1620. ætatis ſuæ 17. Patefacta fuga indignatus Pater noluit repetere filium, ſed mater præ dolore paulo poſt extincta eſt. Quare perrexit ille alacriter, conſtanterque in ſuſcepto vitæ inſtituto, & humaniores litteras ſeptem annis Philoſophiam 4. & totidem Theologiam moralem publicè profeſſus eſt, & votis 4. ſolemnibus ſe obſtrinxit 1638. Rexit collegia Barrenſe, Ligonenſe, Senonenſe & Caluomentanum, & annos aliquot egit Eccleſiaſten; vbiq; pius, modeſtus, ſuauis, obſequens.

quens, otij inimicus, & regularum, diſciplinæque religioſæ obſeruantiſſimus. Vixit eo in statu multis annis, donec poſt immenſos ex calculo dolores, & multa diuturnæ patientiæ, aliarumque virtutum edita exempla, ſuſceptis ritè Eccleſiæ Sacramentis, ad meliorem vitam (vti cònfidimus) migrauit Diuione die 14. Decembris 1669. Multa ſcripſit & varia, ex quibus ingentia volumina poſſent confici; cum eſſet curioſus Antiquitatis inueſtigator, atque hiſtoriam Lingonenſis Vrbis ac Diœceſis accuratè compoſuit. Sed Edidit tantummodo Gallicè.

De pace animæ. Rhemis primo, tum Lugduni 1637. in 12.

Praxim pacis Animæ in vita S. Ludouici. Auguſtoduni 1642, in 8.

Chronicon Lingonenſe ex probationibus Decadis hiſtoricæ contextum. Lingonis 1645. in 8.

IACOBVS DE VILLEGAS natione Belga, patria Brugenſis ſed ex gente Hiſpanica oriundus, Societatem amplexus anno ſæculari 1600. ætatis 21. poſt quam Philoſophiæ & Iuri dediſſet operam Louanij. Vota 4. ſolemnia nuncupauit; Philoſophiam prælegit & Theologiam moralem annis 14. explicuit. Concionatoris quoque munere diu functus eſt, & religioſè deceſſit Traiecti die 5. Martij 1632. Edidit

Paruum Catechiſmum. Flandricè Traiecti & Leodij

Breuem regulam bonæ vitæ, ex Anglicana P. Roberti Soutuuelli reddidit Flandricè. Antuerpiæ apud Ioannem Crobbarum 1615.

* IACOBVS VVALLIVS natione Belga Cortraci natus anno ſæculi exacti poſtremo, Deo ſe in Societate dedicauit vertentis 17. & votorum 4. nuncupatione ſe obſtrinxit. Litteras amæniores docuit, & earum ſcholis annis pluribus præfuit. Miſſionarium etiam, & Concionatorem varijs in locis cum fructu egit. Alexandro VII. Summo Pontifici Poematum ſuorum libellos inſcripſit; quos ille & perbenigne accepit, & effigiem ſuam auro expreſſam Auctori dono miſit. Edidit hactenus.

Oliuam pacis Orbi Chriſtiano ad ſpem publicæ tranquillitatis prætenſam elegijs ſex. Antuerpiæ apud Ioannem Meurſium 1645. in 4.

Poematum libros nouem. Antuerpiæ typis Plantinianis 1656. in 8. & 1657. in 12.

Bonam & placidam mortem Sereniſſimi Infantis Cardinalis. Bruxellis typis Montmartianis 1642. in 4.

Elogium Natalis Rondinini S.D. Alexandro VII. ab Epiſtolis ad Principes. Antuerpiæ typis Plantinianis 1662. in 8.

Vitam & mortem glorioſam R. P. Cornelij Beudin Societatis Ieſu in Prouincia Mexicana à Barbaris in odium Fidei interfecti. Antuerpiæ typis Iacobi Meurſii 1654. in 8.

IACOBVS VVIECVS natione Polonus, patria Vagrouecenſis, pijs ac honeſtis parentibus natus, ad ſtudia litterarum à puero incubuit, Viennæ Auſtriæ Philoſophiæ magiſterio decoratus eſt, vnde Romam profectus adoleſcens ibi nomen Chriſto dedit ſua in Societate anno ſalutis 1555. Rudimentis vitæ perfectæ in Tirocinio poſitis, Latinis, Grecis atque Hebraicis litteris probè exultus, & ſcientiarum cognitione expolitus, Mathematicam ibi publicè docuit. Redux in Poloniam Doctor Theologiæ Pultouiæ creatus, & die 12. Iulij 1571. quatuor vota ſolemniter edidit. Sigiſmundum Batoreum Stephani Regis poſtulatu in Tranſiluania ad litteras, & pietatem inſtituit. Subinde Collegium Poſnanienſe primus Rector moderatus eſt toto ſeptennio, ac deinceps Vilnenſe, Claudiopolitanum Collegia; Domum profeſſam Cracouienſem nouennio gubernauit; triennio Vices Prouincialis obtinuit, ſic cùm ferè aliorum regimine occuparetur, à Concionis tamen munere nunquam ceſſauit. Vir æque ſingulari doctrina, atque admirandis animi dotibus, cum ſuauiſſima humanitate coniunctis inſignis, ad animarum quæſtum faciendum ſemper attentiſſimus. Senſu pietatis tenerrimo, ad omnem piarum rerum tractationem, atque in primis ſi Sanctorum hiſtorias audiret lacrymis perfundebatur. Attigit ad ſui ſtadij metam Craconiæ die 27. Iulij anno ſalutis 1597. ætatis ſuæ 57. maturus cælo, ſed multos adhuc annos (ſi ita libuiſſet Numini) vtilis patriæ futurus. Ex his 32. in Societate exegerat. In extremo actu vitæ S. Auguſtinum imitatus Pſalmus de pœnitentia ſibi prælegi mandauit, quos non ſine largo fletu meditabatur. Noctem vltimam ſuſceptis Sacramentis ſolidam orando tranſegit oculis in Chriſti Crucifixi effigiem defixis, manibus ad pietatem coniunctis. Obijt *magna ſanctitatis opinione.* Eius funus tantis piorum amicorum lacrymis cohoneſtatum eſt, vt Noſtris quoque lacrymæ defluerent. Scripſit

Defenſionem ſacroſancti ſacrificij Miſſæ aduerſus Franciſcum Stancanum Hereticum vaferrimum

De Purgatorio librum

Dialyſin aſſertionum Iacobi Hiemoieſij

De Diuinitate Chriſti Domini Noſtri & Spiritus Sancti, contra noſtri temporis Arianos

Multa præterea ſcripſit materna lingua ad refutandos Hereticos & Catholicos in fide confirmandos, ex quibus hæc ſunt.

Poſtilla maior, ſeu Conciones in Dominicis & Feſtis diebus per totum annum cum Apologia eiuſdem contra Gregorium Turnonium Sacramentarium.

Poſtilla minor, ſeu Conciones breuiores Dominicarum & feſtorum dierum per totum annum, His duabus poſtillis breui excuſsit omnibus Poſtillas Hæreticas è manibus. Poſnaniæ 1580. in 4.

Iudicium quorundam Catholicorum de confeſſione Sendomirienſi Hæreticorum Sacramentariorum

De Eccleſia Doctrina Catholica, cum reſpon-

ſponſione ad obiectiones Iacobi Niemoietij

Horarias preces B. M. Virginis. Polonicè vertit Cracouiæ in 12.

Vitam & Doctrinam Chriſti Saluatoris noſtri ex 4. Euangeliſtis à Ianſenio collectam Polonicè reddit.

Euangelia & Epiſtolas Dominicarum ac Feſtorum totius anni, ex editione vulgata, Item

Nouum teſtamentum additis argumentis Capitum, Annotationibus ad marginem, & hiſtoriis.

Pſalterium item Dauidicum, cum ſimilibus argumentis, & ſcholiis contra Hæreticos. Denique tranſtulit

Biblia vniuerſa iuxta vulgarem editionem mandante Gregorio XIII. Pont. Max. approbante Clemente VIII. quæ Iacobo ad meliorem vitam translato, edita ſunt iuſſu', ac ſumptibus Stanislai Karnkourski Gneſnenſis Archiepiſcopi, Primatis Poloniæ, Cracouiæ apud Lazarum 1599. Sic obuiam iuit Hæreticis, qui nihil habent antiquius, quam vt Sacras Scripturas tamquam communes Eccleſiæ fontes inficiant, deprauatiſq; translationibus corrumpant, vt qui ex illis biberint, venenum hauriant

IACOBOS alios vide ſuprà in nomine DIDACVS.

* IGNATIVS ANGELVCCIVS natione Italus, patria Belfortenſis in Piceno, natus anno ſæculi euoluti 85. Societati ſe applicuit Romæ voluentis primo, & votorum 4. profeſſionem emiſit. Docuit diſciplinas humaniores & Philoſophiam, & in aduerſa vt plurimùm valetudine cum laude vixit in Prouincia Neapolitana, & Tropeæ ad vitam tranſiuit morti non obnoxiam Calendis Decembris 1653. vertit in metrum Italicum ſub nomine Theodori Angelucci

Virgilij Heroica. Neapoli apud Hectorem Citonium 1649.

* IGNATIVS DE ARBIETO natione Hiſpanus patria Madritenſis Societati ſe adiunxit Limæ in Peruuio anno ſalutis 1601. ætatis 18. & votis 4. ſe adſtrinxit. Poſt traditas litteras humaniores, Philoſophiam docuit in Collegio Quitenſi, Theologiam multis annis, & magna cum æſtimatione doctrinæ in Limenſi, vbi fuit Magiſter Nouitiorum, & Rector variorum Collegiorum. Superſtes adhuc licet octogenario maior, ſcripſit duobus tomis qui Matriti recognoſcuntur idiomate Hiſpanico

Hiſtoriam Prouinciæ Peruanæ &

Vitas aliquot Illuſtrium virorum eiuſdem Prouinciæ

* IGNATIVS ARCAMONIVS natione Italus patria Barienſis in Apulia cooptatus in Societatem anno ſæculi fluentis 31. ætatis ſuæ 17. poſt decurſa Theologiæ ſtudia, magno zelo ad lucra animarum nauigauit in Indiam Orientalem, & Goæ votorum 4. Sacramento ſolemni ſe Deo obligauit 1651. Complures expeditiones ſacras ea in Prouincia obiuit, linguam Concannicam, ſeu Canarinam excellenter condidicit, & iam amplius 20. annis in Salſettanis pagis Chriſti cultum amplificat. Edidit lingua Concannicà pro Indigenarum inſtructione

Conciones pro feſtis in ſolemnitatibus totius anni à ſe compoſitas Racholii typis Collegii Societatis 1668. in 8.

IGNATIVS ARMANDVS natione Gallus, gente Delphinas, patria Vapincenſis anno ſuperioris ſæculi 79. ætatis ſuæ 17. Societati ſe addixit: 96. ſolemni profeſſione quatuor vota nuncupauit: Theologus acutiſſimus, docuit Philoſophiam annis duobus, Theologiam ſex. Rector fuit partim Turnoni, partim Pariſijs quater, vbi & Domui Profeſſæ præfuit ſemel, iterumque, Prouincię, denique Francię Prępoſitus Prouincialis ter fuit, & bis Campanię, quibus muneribus per interualla totis viginti annis perfunctus eſt; vno etiam anno Viſitatoris partes ſuſtinuit, Regi Chriſtianiſſimo Henrico IV. pergratus, cui in Metenſi Ciuitàte Societatis in Regnum Galliç reſtitutionem perſuaſit. Obiit Pariſiis die 8. Decembris anno 1638. Scripſit.

Epiſtolam contra Danielem Chamierum Caluinianę Doctrinę apud Allobroges Miniſtrum

Scripſit pręterea ſed non Edidit.

Paraphraſim in Epiſtolas omnes Apoſtolorum

Paraphraſim in Pſalmos. Habuit inſignem Orationem ad Henricum IV. Regem Chriſtianiſſimum pro Societatis innocentia, eiuſquè in Galliam reſtitutione, quam Gallicè vti habita eſt ſuę hiſtorię inſeruit Scipio Dupleix. Latinè reddidit, atque Edidit Iacobus Auguſtus Thuanus in ſua.

IGNATIVS BALSAMVS, alii BALSAMON vocant, natione Italus gente Apulus, honeſto loco natus. Neapolim ad ſtudia profectus ibi à P. Alphonſo Salmerone anno ſalutis 1561. die 5. Maij ætatis ſuæ 18. in Societatem admiſſus eſt, & ex Hercule vocatus Ignatius. Exacto Tirocinio. Ibidem primùm, mox Romæ, poſt Turnone in Gallia liberales artes docuit, ita vt Philoſophiam quadriennio, Theologiam Scholaſticam nouennio, Moralem quinquennio explicuerit, emiſſa profeſſione votorum quatuor 1584. Nouitijs præfuit Auènione, & Toloſæ annis 16. reliquam ætatem in præfectura rerum ſpiritualium Toloſæ conſumpſit; extremos vero annos 17. in Lemouicenſi Collegio. Vir fuit præſtanti ſanctimonia, deque Chriſtiana Eccleſia imprimis benè meritus. Præter communem Socijs horam matutinam, alteram ipſe veſperè orationi dabat, & aliquot ante exceſſum annis etiam tertiam; quamquam tota eius vita, iugis quædam erat oratio; ita nihil animo, niſi Deum, acceptàque ab eo beneficia verſabat, quibus Deo gratias habebat. Inter orandum

vbe-

vberibus perfundebatur lacrymis, oculis, ac toto vultu inflammabatur. Ad ſacrificandum peculiari ſe cura comparabat: & conſtans opinio fuit, dum rem Diuinam faceret ſublimem à terra viſum. Demiſsè de ſe omnino ſentiebat, & miro artificio præſtantes ſuas virtutes celabat; nihil vnquam dixiſſe notatus eſt, quod faceret in ſui commendationem. Annis ſingulis vnum Patrum monitorem adhibebat, qui ſe de quotidianis erratis admoneret. Vilia in culina, & triclinio munera, ſtatis diebus, grandis ætate homo alacriter obibat, aut certè ſecundæ menſæ aſſidentibus Socijs librum pium prælegebat. Ipſe ſibi priuatim omnia præſtabat obſequia, nullo ad id admiſſo adiutore. In amictu, & ſtrato obſoletiora ſectabatur, & aliquando correptus, quòd iuſſus nouam togam induere, fuiſſet in mora, precando obtinuit, vt ſibi vetus relinqueretur. Caſtimoniæ ſtudio intentam agebat ſenſuum cuſtodiam; & virginalis quidam eminebat in eius vultu pudor. Vlcus enatum in crure, ab alijs curari; ipſo pene extremo, quo obijt die, ab adminiſtris ſe tangi; ipſis ſpectantibus è lectulo conſurgere, recuſabat. Ad quemlibet obedientiæ nutum omnia abrumpebat; & accidit, vt ſacris veſtibus indutus prodiret ad ſacrificandum, cùm nomine Rectoris iuſſus abſtinere, illicò depoſuit veſtes, & animi ſumma æquitate domum conceſſit. Si cum primarijs viris colloquens ſignum audiuiſſet, quo ad Sacrum accerſebatur, mox veniam modeſtè precatus abſcedebat. Inuicta fuit patientia in vitæ incommodis, & morborum moleſtijs perferendis: nam confectum laboribus, & voluntaria vexatione corpuſculum, cùm duodeuiginti varij dolores aſſiduè multos iam annos torquerent, ipſe pio ioco benedictiones vocabat, vnum illud queri ſolitus, quòd per illos ab opere impediretur, cùm alioqui nemo eſſet à ceſſatione magis alienus. Accedebat ad reliquam macerationem, & ſextæ feriæ abſtinentiam bidui inedia quauis hebdomade; & vel in graui ſenio, quotidianum per Quadrageſimam ieiunium, nulla admiſſa indulgentia coluit, & ad ſomnum capiendum veſtitus incubuit. Admirabili fuit in Societatis Inſtitutum amore; vnde fiebat, vt omnes eius leges, ſanctioneſque perdiſceret, res geſtas perquireret, datis in diuerſas Prouincias litteris, eaſque referret in Commentarios. De his illi plurimus in familiari congreſſu ſermo, quo in alijs eandem flammam alebat. Obſeruatum eſt quotquot eo magiſtro Tirocinium poſuerunt, ferè tenuiſſe in propoſito conſtantiam; quibuſquè in Collegij rebus ſpiritualibus præeſſet omnium mirabilem inter ſe concordiam extitiſſe. Patres monebat in ipſis poſitum eſſe, vt ceteri ſint in officio, vt pote in quorum illi mores intendant. Non ſat puras ad ſacrificandum manus adferre putabat eum, qui legem de ſemihora explenda non dubitaret quotidie violare. Omnium quidem regularum, ſed ſilentij in primis obſeruantiam exigebat; negabatquè cæterarum ſatis obſeruantem fore, qui de facili violaret vnam, cum idem erga Deum amor ſit obſequendi omnibus, ratio vna; nec ſpirituales delicias, aut familiares cum Deo congreſſus guſtaturum, qui linguæ ſtatuto tempore potens non eſſet. Profectus noſtrorum ſummo deſiderio tenebatur, aſſerebatque è diuina magis gloria eſſe, vnum de Societate in ſpiritu iuuare, quàm multos externos: hinc autumnalibus ferijs, quando ſe noſtri ad exercitia comparabant, P. Ignatij vindemias adeſſe dictitabat. In externos tamen caritas ſe quoque illius effudit, & præcipuè per ſacras Commentationes plurimos omnium ordinum viros Deo eſt lucratus. Exercuit omnes Veneſini Comitatus Antiſtites, in iſque Archiepiſcopum Auenionenſem, & Pontificis Prolegatum, & multas Religioſorum familias. Pro Concione tametſi quod erat peregrinus, nullo dicebat apparatu verborum, fama tamen ſanctimoniæ, impetuque orationis, quo animi ſenſa promebat, frequentiſſimo Senatu tum Toloſæ, tum Aquis Sextijs auditus eſt. In Lemouicenſi tractatu id obtinuerat ſua comitate, atque agendi facilitate, vt eius conſilia paſſim expoſcerent, ex eius arbitrio, atque ſententia implicatas de conſcientia quæſtiones ſoluerent: quibuſuis demum populorum vulneribus Paſtores mederentur. His exornatus virtutibus vir minimè moroſæ ſanctitatis, ſed alacri ſemper, & erecto vultu, cùm per noctem de ſtrato ſurrexiſſet, pronus tota mole corporis in terram ruit, vnde illi morbus, & mors aduenit. Infirmitatis tempore nihil vnquam queſtus eſt, nihil ad remedium popoſcit: iacuit in humili lectulo, lanea dumtaxat culcitra vetuſtate duriſſima inſtrato, viliſſimo ſtragulo tectus, nec mollius quidpiam admiſit. Obijt Lemouicæ die altera Octobris anno ſalutis 1618. ætatis ſuæ 75. religionis 57. Funus eius frequentes è viris primoribus, cohoneſtarunt, ſanctitatis opinione; quæ apud Noſtros etiam tantùm valuit, vt ad venerationem quod quiſque rerum eius nactus eſſet aſſeruaret. Scripſit atque Edidit Gallicè

Inſtructionem de perfectione religioſa. Item

De vera recte orandi, & meditandi methodo: quæ Latinè reddita prodierunt Coloniæ apud Ioannem Kinchium 1612. in 12. & iterum apud eundem 1626. in 24. Scripſit Præterea

Aſcetica quædam alia Latinè, quæ & Gallico, & Belgico ſermone leguntur

* IGNATIVS BOMPLANVS natione Italus, patria Anconitanus, natus anno ſæculi voluentis 12. Deo ſe in Societate dicauit 27. & vota quatuor ſolemnia nuncupauit. Rhetoricam, & humaniores literas docuit annis duodeuiginti, & ex his maximam partem in Collegio Romano exegit, in quo etiam

Linguam Hebraicam profeſſus eſt annis ſeptem, & demum naturæ conceſſit Calendis Ianuarij 1675. Edidit

Elogia ſacra, *& Moralia*. Romæ typis Ioannis Petri Collinij 1651. in 12.

Hiſtoriam Pontificatus Gregorij XIII. Romæ typis Ignatij de Lazaris 1655. in 12.

Proluſiones Rhetoricas, *& Orationes*. Ibidem apud eundem 1662. in 12.

Modos varios, *& elegantes loquendi Latinè*. Romæ per Stephanum Caballum 1662. in 16.

Enchiridion Rhetoricum ex Cypriano Soario, & Aphtonio Sophiſta. Iiſdem typis, & anno in 16.

Subſidium Orationis Latinæ. Romæ typis Dragondelli 1671. in 12.

Hiſtoriam Chriſtianarum rerum, ab ortu Chriſti. Librum Primum. Romæ typis Dragondelli 1665. in 12.

Orationes funebres de Philippo IV. Rege Catholico. De Anna Auſtriaca Galliarum Regina; *Cardinali Palotta*; & alias diuerſis annis. Romæ Editas

Fodinam Paradiſi, ſeu Affectus ſacros de Deo, & Attributis ſuis. Italicè, & tacito nomine Romæ apud Vareſium 1672. in 24.

* IGNATIVS BRVNVS natione Hibernus, patria Vvaterfordienſis, natus anno ſæculi labentis 30. poſt operam ſtudijs Philoſophiæ nauatam Compoſtellæ, ad Societatem ibidem ſe aggregauit anno 1651. atque in ea ſolemni ritu vota quatuor concepit. Amæniores litteras, & Philoſophiam in Prouincia Caſtellana tradidit. Inde miſſus in Hiberniam, cultorem agri Dominici ibi aliquamdiu egit; tum negotiorum Miſſionis illius curam Pariſijs geſſit. Nunc Seminarium Hibernorum recenter erectum Pictauij adminiſtrat. Scripſit Librum idiomate Anglicano, præfixis loco nominis ſui litteris I. S.

De Eccleſia, quæ non errat, nec errare poteſt; ſeu *Reſponſum ad Concionem Andreæ Sall, Apoſtatæ à Fide Catholica*, obijcientis impudenter *Catholicis errores Eccleſiæ*. 1675. in 8.

IGNATIVS DERKENNIS natione Belga, patria Antuerpienſis, Vir præſtanti ingenio, & doctrina, natus anno ſuperioris ſæculi 98. Societati nomen dedit currentis 14. & vota quatuor ſolemnia emiſit. Politiores litteras, & Rhetoricam tradidit quadriennio, Matheſim biennio; Philoſophiam quadriennio; Theologiam Scholaſticam decennio Louanij, vbi etiam ſtudiorum Præfecturam geſſit. Rexit Collegia Iprenſe, & Louanienſe, vtrobiquè prælucens exemplo, nihil ſingulare admittens, & ſuauiſſimo præcipiendi tenore, obtinuit à ſubditis quidquid voluit. Iprenſem Vrbem bellis afflictam cùm dira peſtis inuaſiſſet, eaquè correptus vnus è Noſtris fuiſſet, qui Ciuibus ea laborantibus inſeruiuerat, ipſe Rector, vt alijs ſibi ſubiectis parceret, clam illis periculo generosè, ſe expoſuit, & ſeduló moribundos iuuit. Maxima quæque poterant expectari ab ipſius inſigni prudentia, rara doctrina, eximia virtute, quando placuit Diuinæ Prouidentiæ inopinato caſu illum humanis rebus eximere, & ad ſe euocare. Cùm enim in ſuburbanum prope Louanium, ægrotum Profeſſorem curaturus ſeceſſiſſet, lapſus repente ex alto, ſenilia membra collidit, & reuectus in Vrbem, ſumma qua vixerat moderatione animi mortem ſuperuenientem excepit, atque inter Sociorum circumfuſorum lacrymas animam meliori vita dignam, Deo reddidit Louanij die 29. Iunij 1656. Edidit

Poſitiones ſacras de Euchariſtia, rationibus illuſtratas, & Emblematis pulcherrimis ornatas. Antuerpiæ apud Ioannem Meurſium 1638. in folio. Item

De Deo vno, Trino, Creatore. Bruxellis typis Franciſci Toppens 1655. in 8.

Præter hæc cùm Louanij Theologiæ Cathedram moderaretur, & in lucem tunc primùm prodijſſet Cornelij Ianſenij Auguſtinus multas continens in ſe propoſitiones damnatas pridem à Sede Apoſtolica, vt declarauit Vrbanus VIII. in Bulla data anno 1642. pridie nonas Martij, & alias etiam, quas vt hæreticas, impias, blaſphemas, &c. damnauit poſtea Innocentius X. anno 1653. confirmauitque Alexander VII. primi in eiuſmodi Hæreſes tunc naſcentes ſtrinxerunt calamum noſter Ignatius, & illius tum Collega in Magiſterio Theologiæ P. Ioannes de Ionghe, edideruntquè ambo ſeparatim

Theſes Theologicas de Gratia, libero arbitrio, Prædeſtinatione &c. contra Cornelij Ianſenij Auguſtinum in ſex capita diuiſas Antuerpiæ apud Ioannem Meurſium 1641. in folio.

Et quamuis hæ Theſes poſtea, ſicut, & omnes alij libri tam pro Ianſenio, quàm contrà editi, prohibiti fuerint à S. Inquiſitione Romana anno 1631. eò quod tractaſſent materiam de Auxilijs aliàs prohibitam ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia, tamen Theſibus his, aut libris contra Ianſenium ſcriptis nulla eſt inuſta nota malæ, ſcandaloſæ, vel hæreticæ doctrinæ, quemadmodum liber ille Ianſenij à tribus ſummis Pontificibus eſt confixus.

* IGNATIVS FRANCISCVS PEINADO natione Hiſpanus, patria Argandenſis diœceſis Toletanæ, Societati nomen dedit anno huius ſeculi 47. ætatis ſuæ 15, & votorum quatuor profeſſionem emiſit. Philoſophiam Compluti quinquennio explicuit, & nunc Theologiam in ſextum annum ibidem profitetur. Edidit

Diſputationes in vniuersâ Ariſtotelis Logicâ. Compluti apud Mariam Fernandez 1671. in 4. Item

In Octo libros Phyſicorum Ariſtotelis. Compluti apud Franciſcum Garciam 1674. in 4.

* IGNATIVS GASTO PARDIES, natione Gallus, patria Palenſis, natus anno ſæculi præ-

præterlabentis 36. Deo ſe in Societate mancipauit 52. & ſolemne votorum Sacramentum dixit. Docuit pluribus annis amæniores litteras, Philoſophiam & Matheſim, quam dum in quintum annnm Pariſijs, euocatus eò ex Aquitania profitetur, vir magnæ expectationis, immaturo nobis funere, magno omnium dolore ſublatus eſt die 22. Aprilis anno 1673. Edidit.

Diſſertationem de natura, & motu Cometarum. Pariſijs apud Petrum du Cocque 1665. in 12.

Horologium Thaumanticum duplex Pariſijs apud Sebaſt. Cramoiſy 1662. in 4. Gallicè verò.

Tractatum de motu locali. Pariſijs apud Edmundum Martinum 1970. in 12.

Elementa Geometriæ. Pariſijs apud Sebaſtianum Mambre Cramoiſy 1671. in 12.

Tractatum de cognitione Brutorum Animantium. Ibidem 1672. in 12.

Epiſtolam Philoſophi ad Amicum Carteſij diſcipulum. Pariſijs apud Geruaſium Iolly 1672 in 12.

Miracula S. Franciſci Xauerij, ex Italico Danielis Bartoli Gallice reddita cum *Tractatu de fide miraculorum.* Pariſijs apud Michaelem le Petit 1972. in 12.

Parabat prælo *Statica*, ſeu *De varijs motuum ſpeciebus*, & alia plura, ſed ſpes iſtas nobis mors inopina præcidit.

* IGNATIVS GODVVINVS natione Anglus patria Somerſetenſis in Societatem adſcriptus anno ſalutis 1624. ætatis 22. vota 4. ſolemnia nuncupauit. Prælegit Theologiam Moralem & Controuerſas de Fide quæſtiones. In ipſa Anglia, & Hollandia vtiliter annis triginta laborauit, vir apprimè pius, & magno feruens zelo animarum, ad laborum mercedem emigrauit Londini die 26. Nouembris 1667. Edidit librum perutilem, quem inſcripſit.

Lapidem Lydium, quo quidquid nos inter & Hæreticos in fide controuertitur ex Sacra Scriptura decernitur. Leodij 1656. in 16. Item

Piam exercitationem Diuini Amoris. Ibidem & eodem anno.

IGNATIVS MARTINEZ natione Luſitanus patria ex oppido Couuea Diœceſis Conimbricenſis, ad noſtram ſe Societatem adiunxit 8. die Aprilis anno ſalutis 1547. Conimbricæ à Simone Rodericio admiſſus cùm 16. ageret annum ætatis, primus, qui poſt iacta noui Collegij fundamenta nomen dedit, quod illi Simon propterea variauit, in Ignatij Parentis Societatis venerationem, & ex Vaſco appellauit Ignatium, cui beata ſorte obtigit non vocabulum modò; ſed & præſtantes S. Patris participare virtutes. Hic Philoſophicis diſciplinis apprimè excultus, ac ſacræ Theologiæ Doctor, Conimbricæ primùm anno 1555. tum Eboræ primus in noua Academia, vertente anno Ariſtotelis libros explanauit, & curſum, quem vocant prælegendo confecit. Regi Sebaſtiano à ſacris confeſſionibus fuit. Poſteà Roma ex Congregatione Generali in patriam rediens, cùm Patauij linguam S. Antonij Patauini venerationis ergò fuiſſet oſculatus, ita repente immutatus eſt, vt ſpiritum & linguam induiſſe videretur. Igitur in Luſitaniam reuerſus, depoſito veteri Rhetorum more, cœpit concionari Apoſtolicè, tanto ſpiritu & fructu vt totam Luſitaniam commouerit. Totos exinde 16. annos pueris, pauperibus, rudibus, ſeruis, militibus chriſtiana doctrina imbuendis, & ad pietatem formandis magna caritate, magno ſpiritus ardore conſumpſit. Erat enim morum integritate, humilitate, ſui neglectu, ſæculi contemptione, Dei atque proximorum caritate ſuſpiciendus. Itaque omnibus Dominicis, atque feriatis diebus, ſemel atque iterum concionabatur ad plebem, & ad detentos in triremibus, eoſque verbis ardentibus ad deteſtationem peccatorom inflammabat. Quo genere dicendi infinitum eſſet recenſere quas populo Luſitano vtilitates comparuit. Ibat ab Domo ille vir in Academia Eborenſi coram Sebaſtiano Rege, & patruo Henrico Cardinale Doctor Theologus creatus, ibat ille, inquam, vir Doctor pauperum, cogebat in foro, in præſidijs, in triremibus multitudinem, ibi ſuo ſceptro, id eſt arundine venerandus incipiebat maximè canorus docere, quam ipſe arundinem tamquam ſuæ militiæ ſignum militare, adeo nunquam depoſuit, vt intulerit ſecum in ſepulchrum. Miſſus à Moderatoribus Conimbricam, vt Noſtris eſſet perfecti Oratoris exemplar, qui Chriſtum verbis annuntiaret, & moribus, nec aliam, quam Crucifixum, breui multorum gaudium extinctum eſt; nam prima Quadrageſimæ hebdomada in febrim incidit, quam ille confeſtim agnouit eſſe lethalem. Vrbs tota cum ipſo ægrotare viſa eſt, & fiebat ab Eccleſia, ſine intermiſſione ad Deum oratio pro eo. Ipſe tandem inter pia cum Chriſto & Deiparà Virgine colloquia ſuauiſſimè expirauit Conimbricæ die 28. Februarij, anno ſalutis 1598. propè ſeptuagenarius, cùm totos quinquaginta in Societate egiſſet, iam dudum 4. votis ſolemniter nuncupatis. Vir omnium iudicio inter Societatis heroas ſanctiſſimos recenſendus. Obtemperauit Maioribus ſumma fide; nunquam de præſidio, & ſtatione deceſſit in qua obedientia ipſum collocauit. Inueterata illi durities ad inediam & vapulationem. Corpus notatum aſſuetudine cilicij, & flagellorum occalluiſſe. Quotidie clàm ſe nudabat, & cædebat. Diebus ſingulis atque noctibus obſeruatum horas quinque ad meditandum habuiſſe Conimbricæ flexis genibus, immobili corporis firmitate. Iudicarunt Medici laborum defatigatione ſuccubuiſſe in mortem. Qui fuerit animorum ſenſus, oſtendit amor, & opinio; cùm mox ad vngues manuum, pedumque ſcindendos irruerint, & capillū barbæ, capitiſq; tondendum. Fleuit vnicè mortuum Ciuitas &

Academia, & raro ab antiqua memoria aliùs recenſeri poteſt, cuius in funere tot lacrymæ ex oculis ceciderint. Ad exequias tanta conuenit populi vis, vt nequierit cadauer, quà debuerat in templum inferri. Vbi alia illatum via primùm in conſpectum venit, tum verò gemitus audiri & lacrymæ; tum reliquiæ poſtulari, roſarijs, ſudariolis corpus attingi; oſculis venerabundè, tanto impetu, vt a ſatellitibus vix potuerit ne quis protereretur, compeſci. Sepulturæ denique clàm eſt mandatum incredibili concurſu, luctu, laude. Duodeuigeſimo poſt anno, puero bimulo nobiliſſimi Viri Emmanuelis de Cerda filio viſus reſtitutus eſt, admotà eius oculis ſchedà manu Ignatij olim conſcripta. Oſſa huius venerabilis viri ex primo & antiquo templo Collegij Conimbricenſis translata ſunt in nouam Capellam interiorem Collegii D. Antonio Luſitano dicatam; ac recondita requieſcunt ad parietem in loculamento, quod marmore tectum inſcriptum præfert nomen P. Ignatii. Inſigne elogium de eo texit Georgius Cardoſus in Agiologio ad diem 8. Februarii. Scripſit vir tantus

Tractatus IV. Luſitanicè valde pios, & vtiles.

Litanias de Sanctiſſimo Eucharistiæ Sacramento è Sacræ Scripturæ locis cōcinnauit. Auxit & recudit ſcriptam à Marco Georgio noſtro.

Doctrinam Chriſtianam Luſitanicè recuſam Vlyſſipone per Antonium Aluarez 1642. & alias ſæpè

Concionem habitam in die collocationis Sanctiſſimarum reliquiarum in Templo S. Rochi Vlyſſipone. Per Antonium Ribeirum 1588. in 8.

* IGNATIVS QVINTANADVENNAS natione Hiſpanus, patria Burgenſis cooptatus in Societatē anno ſæculi decurrentis 7. ætatis 18. profeſſionem emiſit votorum trium ſolemniū. Diu docuit humaniores litteras; Rexit Collegia Santanderenſe, & Villafrancæ, operarius feruens, multus in Miſſionibus, orationi & mortificationi addictus; ad immortalem vitam migrauit Valliſoleti die 5. Martii 1655. Edidit Hiſpanicè piſſimum librum

De Chriſto Crucifixo. Valliſoleti typis Antonii Ruiz 1653. in 4.

* IGNATIVS STAFFORDVS aliàs LE, natione Anglus patria Staffordienſis, adſcriptus Societati in Prouincia Caſtellana anno ſalutis 1618. ætatis ſuæ 10. vota 4. ſolemnia profeſſus eſt. Miſſus Vlyſſiponem, vt ſuæ nationis homines in ſpiritualibus iuuaret, Matheſim ibi in Collegio S. Antonii octennio prælegit, inde cum Marchione Montis Albani Prorege deſignato (cui fuit à ſacris confeſſionibus) tranſiuit in Braſiliam, & poſtea redux Vlyſſiponem, ibidem curſum peregrinationis huius vitæ abſoluit die 11. Februarii 1642. Edidit Hiſpanicè.

Hiſtoriam Cæleſtis vocationis, Miſſionum Apoſtolicarum, & glorioſæ mortis P. Marcelli Franciſci Maſtrilli filij Marchionis S. Marſani, Indici, Feliciſſimi, Societatis Ieſu. Vlyſſipone apud Antonium Aluarez 1639. in 4. Italicè traducta eadem prodiit Viterbii apud Bernardinum Diotallevi 1642. in 4.

* IGNATIVS DE ZVLETA natione Hiſpanus, patria Hiſpalenſis, Societatem amplexus anno ſæculi fluentis 41. ætatis 14. vota 4. ſolemnia nuncupauit. Humaniores litteras docuit; Philoſophiam Aſtigi, & Hiſpali profeſſus eſt; Concionandi munus multis annis Hiſpali & alibi cum laude exercuit, & inter Qualificatores S. Inquiſitionis ab anno 1663. eſt adlectus. Nunc Regi Catholico eſt à Concionibus & Matriti degit. Edidit hactenus.

Commentaria litteralia, & moralia in Epiſtolam Catholicam S. Iacobi Apoſtoli. Lugduni typis Horatii Boiſſat & ſoc: 1668. in folio. Paratos habet.

Concionum Panegyricarum de Chriſto Domino, B. Virgine, Sanctis aliquibus Tomos 11.

Ingolſtadienſe Collegium, quod eſt Prouinciæ Germaniæ Superioris ad Danubium in Bauaria ſitum, & à Sereniſſimis Bauariæ Ducibus munificentiſſimè fundatum, primordia ſuæ originis refert ad annum Domini 1548. quando Guilielmus Dux eius nominis 11. glo. mem: acerrimus Catholicæ Religionis vindex, vt ſuæ conſuleret ditioni aduerſus gliſcentes tunc temporis per Germaniam Hæreſes, à Paulo III. Pont. Max. tres de Societate Theologos poſtulauit, qui in Ingolſtadienſi Academia ſacrarum litterarum ſcientiam traderent. Miſſi itaque eò à S.P.N. Ignatio Alphonſus Salmeron, Claudius Iaius, & Petrus Caniſius, ea ſuæ doctrinæ atque virtutis præbuère ſpecimina, vt de fundando ibidem numeroſo Collegio ſtatim ſit cogitatum. Verùm ſuperueniente paulò poſt Sereniſſimi Guilielmi obitu, deuoluta ea cura eſt ad Sereniſſimum Albertum filium, & Succeſſorem, qui pari zelo, etſi propter bellum, quod tunc graſſabatur per Germaniam, aliquamdiù rem differre coactus fuerit, tamen ſub annum 1565. à S. Ignatio per litteras Socios viginti petiit, quibus Templum, Domum, ſumptuſquè vitæ neceſſarios affluenter eſſet ſuppeditaturus. Quocirca miſſi illicò ab vrbe Socii octodecim pedeſtri itinere, inchoarunt Collegium, quod auctum dein tum vectigalibus, tum numero Sociorum ab eodem Duce & à Sereniſſimis Succeſſoribus Guilielmo & Maximiliano, nunc ordinarie complectitur ad centum & triginta Socios, ex quibus Philoſophiam, Mathematicam, Ethicam, linguam Sanctam, Theologiam tum Scholaſticam tum Moralem docent Profeſſores nouem, præter ſenos alios, qui Rhetoricam & humaniores diſciplinas explicant, magno diſcipulorum concurſu, & Reip. bono. Edidit Collegium ſuo nomine.

Quinquennalia Sereniſſimo Ferdinando Archiduci Auſtriæ, Ingolſtadio, confectis quinquennio ſtudijs, abeunti oblata anno 1594. Ingolſtadij typis Vvolfgangi Ederi.

Plauſum Symbolicum Sereniſſimo Maximiliano Bauariæ Duci ad Septem viratum euecto. Ingolſtadij typis Gregorij Hænlin 1623. in folio.

Palmam Boicam Autumno vernantem, ſiue *Gratulationem Natalitiam Sereniſſimis Maximiliano S.R.I. Septemviro, Patri : Mariæ Annæ Matri : Ferdinando-Mariæ-Franciſco-Ignatio-Vvolfgango filio, pridie Calendas Nouembris anno Chriſti 1636. orto* Excuſam & recuſam. Ingolſtadij typis Gregorij Hænlini 1637. in 12.

Heliconem Chriſtianum Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Principi Ioanni Chriſtophoro, dum in Eyſtadianum Epiſcopum conſecraretur excitatum anno 1613. typis Andreæ Angermarij in 4.

Gloriam Bellicam Sereniſſimi, & Potentiſſimi Principis Maximiliani Bauariæ Ducis S.R.I. Archidapiferi, & Electoris Lib. XX. Ingolſtadij ex officina Gregorij Hænlini 1623. in 4.

* INICVS, ſeu ENNECVS DE LODOSA natione Hiſpanus, patria Pontireginenſis, primariæ Nobilitatis parentibus in Regno Nauarræ natus anno ſalutis 1606. Deo ſe in Societate mancipauit 1621. & votorum quatuor profeſſione ſe obſtrinxit 1639. Docuit humaniores diſciplinas, & Theologiam Moralem decennio explicuit. Vir magno ingenio, talentiſque à natura eximijs, ſed propter ægram, quâ continuò affligebatur valetudinem, non potuit munijs ſublimioribus occupari. Feruentiſſimus fuit cultor Deiparæ Virginis, cui tribuit coram Socijs, quod lætiſſimus mortem imminentem exſpectaret, cùm antea ſcrupulis timoratæ conſcientiæ anxius ab ea vehementer abhorreret. Tandem candore vitæ, & ſanctimonia commendabilis ad Beatorum cœtum (vt fas eſt credere) migrauit Pompeiopoli die 16. Septembris 1664. Edidit linguâ vernacula

Signum Prædeſtinationis eſſe cultum Sanctiſſimæ Virginis Mariæ. Pampilone apud Didacum de Zauela 1654. recuſum ibidem typis Gaſparis Martinez 1658. in 4.

INSVLENSE COLLEGIVM in Prouincia Gallo-Belgica, Vrbe Gallo-Flandriæ Metropoli, haud procul à Liſa fluuio ſitum, Ampliſſimi Senatus Inſulenſis monumentum inſigne, exſtrui cœptum anno ſalutis 1606. ex Senatus Conſulto, mira Ciuium conſenſione, ac lætitia, quatuor fermè annorum interuallo perfectum eſt. Tota Collegij, Templique moles in 4. areas aptè, & eleganter diſtributa conſurgit. Parte vna inſtitutæ ſunt quinque latinitatis palæſtræ, quibus Inſulana iuuentus virtutis, & litterarum ſtudijs informatur. Adiuncta fuerunt ſeptem ſub præſidio Beatiſſimæ Virginis Sodalitia, vt hiſce veluti ex fontibus pietas latè in populum manaret. Numerat Socios ordinarie circiter 56. & eſt Seminarium Noſtrorum Iuniorum Repetentium humaniores litteras, & Philoſophiam. Edidit

Diuam Reconciliationis, vulgò *Eſquermienſem, ſiue de eiuſdem Origine, antiquitate, Sodalitate, miraculis*. Inſulis typis Petri de Rache 1625.

Peregrinationem Eſquermienſem ſtationibus ſeptem in via, iuxta totidem D. Virginis Peregrinationes præcipuas illuſtratam. Inſulis typis iiſdem anno 1636.

Modum ritè obeundi Stationes ſeptem, Deiparæ doloribus erectas in Aede Primaria D. Petri. Typis eiuſdem Petri de Rache 1635.

Pſalterium D. Virginis à S. Bonauentura emendatum & Gallicè factum. Inſulis, iiſdem typis 1641.

Lytrum Animarum Purgatorij; ex opere excerptum, quod parabat tunc P. Iacobus Hautinus de Euchariſtia Duaci 1642. typis Ioannis Maiſseſſe

Peregrinum Paradiſi rebus ad Cæli iter neceſſarijs inſtructum Duce Angelo. Inſulis typis Petri de Rachè 1639.

Gratulationem ad Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. Franciſcum Gandauillanum Epiſcopum Tornacenſem. Inſulis 1648.

* IOANNES ADAMVS natione Gallus, patria Lemouix, natus anno ſæculi voluentis 8. Societati nomen dedit 1622. & votorũ 4. ſolemne ſacramentum dixit. Humaniores litteras, & Philoſophiam docuit ; Concionator magni nominis, in præcipuis Vrbibus Galliæ, atque adeò in Palatio Regio Pariſijs eo munere functus eſt annis fermè quadraginta. Rexit Collegium Sedanenſe in Prouincia Campaniæ, à qua electus eſt Procurator ad Vrbem ; nunc (dum hæc ſcribo) anno 1674. Domum Profeſſorum Burdigalæ Præpoſitus adminiſtrat. Edidit lingua Gallica

Caluinum à ſeipſo, & à S. Auguſtino profligatum. Pariſijs 1650. in 8.

Pſalmos Dauidis Latinè, & Gallicè, cum Canticis vndecim, quibus vtitur Eccleſia. Pariſijs 1651. in 12.

Fidelium Regulam ex Sacra Scriptura, & Sanctis Patribus depromptam. Pariſijs 1651. in 12.

Preces Catholicas Latinè, & Gallicè. Pariſijs 1651. in 8. & 12.

Reſponſum ad Epiſtolam D. Allij Miniſtri Charentonenſis Hæretici. Pariſijs apud Ioannem Fleuriam 1660. in 8.

IOANNES ADAMVS SCIALL, vel SCHALL (vti ſcribunt alij) natione Germanus, patria Colonienſis, magnum Sinenſis Miſſionis columen, Deo ſe in Societate dicauit Romæ anno ſalutis 1611. ætatis ſuæ 20. ibique emenſo Theologiæ curriculo, & Mathematicis diſciplinis oppidò excultus, vnà cum P. Nicolao Trigautio reuertente illuc ex Europa nauigauit ad Sinas, ſub annum 1620. & vota 4. Profeſſorum ibidem poſt octennium nuncupauit. Primi illius labores fuerunt ferè in Siganfu Metropoli Prouinciæ Scenſi, vbi poſt multa perpeſſu aſpera patienter tolerata, plurimos ad Chriſti caulam perduxit, Templumque elegans erexit, concurrentibus ad expenſas neceſſarias,

ceſſarias, non ſolùm Neophytis, ſed aliquibus etiam, quos ſibi ſua ſcientiâ in Mathematicis conciliauerat Ethnicis. Verùm cùm Aſtronomiæ imprimis peritus eſſet, iuſſu Imperatoris euocatus inde eſt ad Aulam Pekinenſem, vt emendaret Calendarium Sinenſe, præcipuè circa Eclipſes Solares, Lunares, motus Planetarum, & ſimilia, quod collato ſtudio quinquennali cum Noſtro Iacobo Rhò (cuius ſupra meminimus) & poſt huius obitum; ferè ſolus, editis Sinenſi lingua centum, & quinquaginta Libellis, adeo feliciter præſtitit, vt non modò magnam propterea ab Imperatore retulerit laudem, ſed ſupremus demum Mathematici Tribunalis Præfectus, ſeu (vt ibi loquuntur) Mandarinus, fuerit propterea creatus. Præfecturam illam 23. annorum ſpatio geſſit, & tribus Imperatoribus, vni Sinico, duobus Tartaris in pretio fuit; ſed præcipuè poſtremo Xum Chì appellato, genitori illius, qui nunc Imperium illud moderatur, apud quem tantâ valuit gratiâ, vt eum quantumuis renitentem magnifico titulo *Magiſtri Arcanorum Cæleſtium* diplomate ſuo exornarit, Præfecturam admittere ſuo iuſſu coegerit; Admonitorē denique ſuum, ſi quid circa adminiſtrationem Regni ſuggerendum occurreret, conſtituerit. Hinc aperti fuerunt ſemper illi aditus in intima Palatij penetralia, & quamuis Sinarum Reges rariſſimè ſe ſoleant populo præbere ſpectandos, tamen quater in anno, quamdiu vixit, ad ædes Ioannis Adami ſe conferre, luſtrare cubicula, inſidere lectulo, familiares cum ipſo in ſede peruetuſta miſcere ſermones; quin & de fructibus horti domeſtici aliquid deguſtare, Eccleſiam quoque coniunctam domui inſpicere, illius nitorem dilaudare non eſt dedignatus. Hinc ingens per totum Sinarum Imperium Legi Chriſtianorum accreuit æſtimatio; maximè poſtquam Imperator ſuo illam diplomate confirmaſſet, & licentiam liberè eam prædicandi conceſſiſſet. Hinc noſtri Patres, alijquè Præcones Euangelij per omnes prouincias tamquam fratres, vel Socij Ioannis Adami à Gubernatoribus honorificè habiti; Fidem vbique diſſeminare, & Templa Deo vero erigere ſunt permiſſi. Hinc denique tanta Neophytorum acceſſio facta eſt ad Ouile Chriſti, vt 14. annorum ſpatio, hoc eſt ab anno labentis ſæculi quinquageſimo vſque ad 64. ad centum, & amplius millia luſtralibus aquis baptiſmi fuerint abluti. Verùm quia placuit plerumque Deo, electos ſuos ſeruos, tamquam aurum probare in fornace afflictionis, permiſit quoque miris modis virtutem Patri Ioannis Adami exerceri. Enimuero defuncto Imperatore tam beneuolo, conſtituti ab ipſo quatuor Gubernatores Regni, dum filius impubes adoleſceret, cùm contra Religionem Chriſtianam inueterato ferrentur odio, faciles aures calumnijs, & criminationibus aduerſus ipſam, & P. Adamum præbuerunt. Quocirca anno Domini 1664. inſimulati Ioannes Adamus, & tres Socij Pekinenſes rebellionis, & prauæ legis diſſeminatæ per Sinas, & nominatim, quòd Chriſti patientis tamquam Dei Myſteria typis expreſſa, Ioannes Adamus defuncto Regi auſus offerre fuiſſet, citati ſunt omnes quatuor ad Tribunalia, coniecti in carceres ſquallidiſſimos, onerati catenis ferreis, & quidem nouenis ſinguli, nimirum ternis ad collum, ternis ad brachia, & totidem ad crura, atque ita tamquā facinoroſi, infames & impoſtores per ſex vel ſeptem menſes ad diuerſa Tribunalia, & ſubinde ad terna vno die à lictoribus inſolentibus ſunt raptati. Nec pepercerunt P. Adamo quantumuis ſeni, & ex paralyſi laboranti, imò cæteris aſperiùs habuerunt, & tandem tamquam Coryphæum nefariæ, (vt loquebantur) ſectæ, condemnarunt ad mortem, conſtrictis laqueo faucibus ſubeundam. Deinde quaſi id non ſufficeret propter crimen commentitium, omiſſi ritus ſuperſtitioſi in ſepultura vnius ex filijs Regis, iuſſerunt, conciſo membratim corpore, & lenta morte interfici. Verùm dum iſta agitantur adfuit Adiutor in opportunitatibus Deus, & varijs de Cœlo prodigijs dignatus eſt Ioannis Adami, & Sociorum innocentiam tutari. Et primò quidem Cometa minace, mox terræ mugitibus, & motibus adeo crebris, & horrendis, vt multæ per Vrbem domus corruerint; ipſe Rex adhuc tum puer, Aula, & Proceres è conclauibus trepidè exilientens, coacti ſint per dies aliquot in tentorijs militaribus ſe continere, denique, vt alia quoque portenta per Prouincias prætereamus, repentino incendio ipſum Regis Palatium conflagrauit, tanto terrore, vt quadringenta circiter conclauia flammis fuerint abſumpta, nec vllo pacto ignis vorax quantumuis ingenti aquæ copia ingeſta potuerit reſtingui. Hinc conterritus populus, ſucclamare cæpit, ſanguinem innocentem Ioannis Adami, & ſociorum cœlitùs vindicari. His etiam perterrefacti Quatuor Regni Adminiſtratores Socios tres Ioannis Adami, ſolutos vinculis poſt ſextum captiuitatis menſem iuſſerunt domum remitti, & paulò poſt ipſum quoque Ioannem reſciſſa mortis ſententia, & ab omni alia pœna liberum. Non tamen hic finis fuit vexandi inſignem hunc Chriſti Confeſſorem. Nam paucis ante obitum hebdomadibus, nouis calumnijs impetitus, iterum ad bina Tribunalia eſt accitus, & quia ob paralyſim, qua laborabat, vehi eò aliter non poterat, iacens in ſuo lecto impoſitus eſt aſſeri, atque ita à baiulis ad Tribunal deportatus. Tandem tot afflictationibus, atque ærumnis fractus, & bonam Confeſſionem confeſſus coram multis teſtibus, poſt ſuſcepta ritè Eccleſiæ myſteria, migrauit ad certaminis ſui Agonotheram Chriſtum, die 15. Auguſti 1666. ætatis ſuæ 75. Societatis initæ 55. & Sinenſis Miſſionis 44. Ante obitum miſit Epiſtolam ad Socios omnes in illa Miſſione, qua veniam ſuorum defectuum magna ani-

animi demiſſione flagitabat. Fuit enimverò inſigniter pius, & quæ Diuinum cultum ſpectant, magno ardore promouebat. Sæpiſſime cum lacrymis operabatur ſacris; nec occupationibus ab Aula Imperatoris, dum ſumma floreret gratia, ſinebat ſe abripi, quò minùs catecheſes, & adhortationes ad varia Neophytorum ſodalitia, quæ dirigebat, ſingulis hebdomadis inſtitueret. Salutis animarum quàm cupidus fuerit, illud argumento eſſe poterit, quòd cum duo Neophyti incluſi carcere ob criminis ſuſpicionē capitis damnati eſſent, nec eſſet modus eos adeundi ſine aliquo fictionis fuco propter inexorabilē duritiem excubitorū, Ioannes aſſumpto habitu carbonarij, & vultu fuligine denigrato, ſublatàque in humeros carbonum ſarcina, quaſi illos diuenditurus, palàm per Vrbem vociferando circumtulit, & hac pia fraude ad vinctos penetrans, tamquàm illis tempore perfrigido venditurus merces ſuas, Confeſſiones ipſorum excepit, & ad mortem ritè ſubeundam diſpoſuit. Edidit Ioannes lingua Sinenſi (cuius erat peritiſſimus) collato in pleriſque ſtudio cùm P. Iacobo Rhò centum, & quinquaginta libellos de Aſtronomia, Geometria, Arithmetica, alijſque Mathematicis diſciplinis, ex quibus delata ſunt abhinc biennio in Europam à noſtro Proſpero Intercetta Procuratore Sinenſi, volumina 14. in 4. & ab eodem oblata Sanctiſs. D.N. Clementi X. die 22. Decembris 1671. quæ Sanctitas Sua reponi iuſſit in Bibliotheca Vaticana. Horum primum continet

Libellos octo de Aſtronomia ad Imperatorem Sinicum ante incurſionem Tartarorum.

2. *Complectitur Libellos alios quatuor de Aſtronomia* ad Imperatorem Tartarum

3. *Principia Dimenſionum, & Diſceptationem Aſtronomicam Libellis ſeptem* ad eundem ſicut & ſequentia

4. *Vſum Sphæræ, Circini proportionalis, Teleſcopij &c. Libellis quinque.*

5. *Theoricam Solis, cum Tabulis Solaribus &c. Libellis quinque.*

6. *Vranomicam, cum omnibus Aſteriſmis, & Tabulis &c. Libellis octo.*

7. *Theoricam Lunæ, cum Tabulis Lunaribus &c. Libellis octo.*

8. *Theoricam Eclipſium cum examine Calculi, Libellis octo.*

9. *Tabulas Eclipſium, & vſum earum. Libellis nouem.*

10. *Theoricam quinque Planetarum. Libellis nouem.*

11. *Tabulas quinque Planetarum. Libellis vndecim.*

12. *Tabulas Sinuum, Tangentium, & Secantium. Libellis quinque.*

13. *Geometriam practicam, & Speculatiuā. Libellis decem.*

14. *Comparationem Aſtronomiæ Europeæ cum Sinenſi. Libellis quatuor.*

Præter hos Mathematicos edidit lingua Sinica Librum P. Leſſij;

De Prouidentia Dei. Item

De octo Beatitudinibus, &

Explicationem Imaginum vitæ Chriſti Domini, quam obtulit Imperatori Sinico. Imagines autem elegantiſſimè elaboratas, auro minióque illuſtratas (dignum Principe tantò donum) dederat Sereniſſimus Maximilianus Dux Bauariæ P. Nicolao Trigautio dum in Europa verſaretur, ad Imperatorem Sinarum deferendas

Denique ex Latinis litteris Ioannis Adami collecta eſt

Hiſtorica narratio, De initio & progreſſu Miſſionis Societatis Ieſu apud Sinenſes, excuſa Viennæ Auſtriæ, typis Matthæi Coſmerouij 1665. in 8.

IOANNES AGVERO natione Hiſpanus ex oppido Somo in Valle Tranſmerana propè Santanderium, admiſſus in Societatem anno ſalutis 1609. ætatis ſuæ 20. Salmanticà vbi ſtudebat, profectus in Indias, Tagallenſem linguam, quæ Manilæ Philippinarum celebris eſt excellenter didicit, viginti & quinque annos Indorum ſaluti in illis Inſulis ſe impendit, votorum quatuor profeſſionem ibidem edidit 1624. Reſidentiam Silanenſem rexit, & demum multis locupletatus meritis ad mercedem bonorum operum euocatus à Deo eſt Manilæ die 3. Septembris 1643. Tranſtulit in linguam Tangallenſem ex Hiſpanico Noſtri Ioannis Gonzalez de Loſada.

Tractatum de Animabus Purgatorij.

IOANNES ALARDVS natione Roxolanus, patria Leopolienſis in Societatem anno 1590. ætatis 29. iam tum Sacerdos ingreſſus, Rhetoricam docuit per octennium; multis annis Socius fuit Magiſtri Nouitiorum, & gradum ſpiritualis Coadiutoris obtinuit; Rexit Collegium Nieſuiſienſe, cuius Illuſtriſſimus fundator Nicolaus Radziuil Dux in Olyka &c. pro directione conſcientiæ ſuæ ad vltimum diem opera illius vti voluit, filioſque ſuos ab eodem litteris humanioribus erudiri. Vir fuit pietate, & eruditione inſignis, atque ibidem mortalitati ceſſit die 13. Martij 1641. Scripſit Polonicè

De miraculis in Aede Sancti Michaelis Archangeli propè Neſuiſium patratis. Vilnæ typis Academicis 1630. in 8.

Deuotionem Hebdomadariam ad Sanctum Michaelem, Latinè, & Polonicè. Ibidem eodem anno.

Vitam Nicolai Radiuilij Ducis Olykæ, & Neſuiſij. Reddidit Polonicè ex Latino

Opuſcula aliqua pia S. Auguſtini.

* IOANNES DE ALLOZA natione Peruanus, patria Limenſis, origine Hiſpanus, natus anno ſæculi tranſacti 98. vicennis Societati ſe addixit vertentis 18. & votorum 4. profeſſione ſe adſtrinxit. Docuit humaniores litteras & Theologiam Moralem; Rexit Vicario munere Domum probationis Limenſem,

in

in qua 30. annis magnæ virtutis exemplo operarius gnauus vixit, & inſignis cultor Deiparæ, migrauit ex hac vita cum opinione eximiæ ſanctitatis Limæ die 6. Nouembris 1665. Edidit Hiſpanicè in honorem Beatiſſimæ Virginis

Cælum Stellatum Mariæ, ſiue *Exempla 1022. De mirabilibus fauoribus B.Mariæ erga ſuos clientes, quot Stellas Aſtronomi numerant in cælis*, alludendo ad illud carmen noſtri Bernardi Bahuſij in ſuo Proteo; *Tot tibi ſunt Dotes Virgo, quot ſidera Cælo*. Cuius alterum perſimile aptè condidit: *Tu ſine væ Patris primi, Tu filia ſummi*. Matriti 1655. in folio. Edidit etiam

De Excellentijs Sancti Ioſephi. Matriti 1655. & iterum 1656. in 8.

Conniuium Diuini Amoris, ſiue *Deum hominum amantem Chriſtum in Eucharistiæ Sacramento latentem*. Lugduni 1665. in 12.

Flores Summarum, ſeù *Alphabetum Morale omnium ferè caſuum, qui Confeſſarijs contingere poſſunt*. Lugduni 1666.

IOANNES ALOYSIVS CONFALONERIVS natione Italus, patria Mediolanenſis Societatem Romæ ingreſſus anno ſalutis 1615. ætatis 15. profeſſionem quatuor votorum emiſit. Vir ingenio præſtans, & multiplice doctrina, Philoſophiam profeſſus eſt Peruſiæ, & Romæ ſexennio; Theologiam Scholaſticam Mediolani nouennio; Moralem biennio; & ſtudijs ibidem præfuit. Rexit Collegium Mediolanenſe, & aliquamdiu totam illam Prouinciam ſupplendo vices Prouincialis. Electus à Prouincia, vt intereſſet Congregationi Generali Decimæ, ab hac creatus eſt Aſſiſtens pro Italia, atque eo officio aliquamdiu accuratè functus ad vitam trãſijt à morte immunem, Romæ die 22 Ianuarij 1653. Vir mitiſſimus, & ſuauiſsimis moribus; de nullo vnquam auditus malè loqui; à diſcipulis ſuis vehementer amatus, apud Principes Viros magno in pretio, & nominatim apud Gubernatorem Mediolanenſem Marchionem Caraçenam, & Cardinalem Aſtallum (qui auditor illius in Philoſophia fuerat) & tamen horum gratiam nec litteris fouebat, nec frequenti acceſſu; ſed ſibi, ac ſtudijs, & Deo vacans, omnia præ æternis floci habebat. Parauerat typis ſed non Edidit

Arithmeticam ſpecioſam, ſiue *Algebram* cuius erat ſcientiſſimus. Edita eſt cum alijs aliorum eius

Oratio de Paſſione Domini quam anno 1636. habuit ad Vrbanum VIII. Romæ typis Maſcardi 1641. in 12. Item

Oratio de S. Spiritus aduentu, habita à Carolo Firenzola Pio ad Vrbanum VIII. Romæ typis Corbelletti 1628. in 4.

IOANNES ANDREAS ALBERTVS natione Italus, patria Nicienſis in Societatem cooptatus anno 1628. ætatis 17. Vota quatuor nuncupauit. Eloquentiam quinquennio profeſſus eſt. Oratorem ſacrum ad populum pro concione egit annis multis, & in celebrioribus Vrbibus per Italiam cum laude, & fructu. Ingenio fuit eximio, & memoriæ vi præcelluit. Tandem graſſante peſtifera lue per Italiam ipſe eadem contactus obijt Genuæ, die 4. Iulij 1657. Edidit Latinè

Vitas, & Elogia Patrum, Taurini apud Tiſnam, & Zanatam 1638. in 8. Italicè vulgauit

Orationem ad Sereniſſimum Ioann. Bapt. Lercarium Reip. Genuenſis Ducem 1643. cum Elogijs latinis in folio.

Theopiſten, ſeu *Vitam Paulæ Mariæ de Ieſu Centurione Carmelitæ Excalceatæ*. Genuæ apud Ioannem Dominicum Peri 1648. in 12.

Adelaidem, *Hiſtoriam Panegyricam* Ibidem 1649. in 12. & iterum Mediolani, apud Rauellatum 1650. in 12.

Eneadem, *Panegyricam dictam de Sancto Franciſco Xauerio*. Bononiæ per Carolum Zenerum 1650. in 12.

Panegyricam dictam de Venerabili Patre Camillo de Lellis Fundatore Miniſtrorum Infirmis. Genuæ per Ioannem Mariam Tarronum 1647. in 4.

Impietatem flagellatam à S. Zelo Eliæ. Genuæ apud Bened. Guaſcum 1655. in 12.

* IOANNES ANTONIVS CAPRINVS natione Italus, patria Aquilanus in Veſtinis, natus anno ſæculi voluentis 14. Societati nomen dedit 1631. Romæ, & votorum 4. profeſſione ſe adſtrinxit. Quadriennium docuit litteras amæniores; Philoſophiam Firmi, & Romæ. Rexit Collegium Peruſinum, Seminarium Romanum, Collegium Romanum, tum Prouinciam Romanam, & Neapolitanam adminiſtrauit, & modò Collegio Germanico Romæ præeſt. Conciones etiam frequentiſſimè habuit, & Miſſiones magno fructu animarum plurimas obiuit. Edidit ſuppreſſo nomine.

Apes Barberinas, ſiue *Vniuerſam Philoſophiam, ſub auſpicijs Apum Barberinarum propugnatam à Ioſepho Paulluccio* duobus Tomis in 12. comprehenſam, Romæ typis Ignatij de Lazaris 1654. Item

Proluſionem Academicam de motu trepidationis Terræ, mutato in illa centro grauitatis ſub nomine Ioannis Stephani Linicuski. Romæ 1653. in 8. Italicè Edidit

Meditationes de Paſſione Chriſti, & Doloribus B. Virginis Romæ typis Manelphi 1648. & iterum apud Ghezzium 1665. in 12.

IOANNES ANTONIVS MAZZARELLVS natione Italus, patria Romanus admiſſus in Societatem anno Domini 1576. ætatis 18. vota 4. profeſſus, docuit Philoſophiam naturalem, & Moralem annis vndecim; rexit Collegia Tiburtinum, & Setinum in quo naturæ conceſſit die 15. Decembris 1624. Habuit ad Clementem VIII. anno 1601

Orationem de Paſſione Domini quæ inter alias

alias eodem de argumento edita eſt Romæ typis Maſcardi 1641.

IOANNES ANTONIVS PARQVE. Vide infra in Ioann. Ant. Xarque

IOANNES ANTONIVS VALTRINVS natione italus, patria Romanus Societati adſcriptus anno ſalutis 1574. ætatis 18. tria vota ſolemnia profeſſus eſt. Docuit litteras humaniores, Theologiam Moralem, & Sacram Scripturam quinquennio interpretatus eſt in Collegio Romano. Vir candidi ingenii, multæque eruditionis, finem viuendi inter mortales fecit Laureti die vltimo Auguſti 1601 Scripſerat Adoleſcens dum Eloquentiam profiteretur ſibi, vt aiebat, & mutis

De re militari Veterum Romanorum lib. 7. ab ipſis etiam æmulis laudatos, quos olim ſibi ablatos, inuitus typis euulgatos inaudiuit. Coloniæ ſumptibus Arnoldi Milij 1597. in 8. Ad hæc

Annuas litteras Societatis Ieſu anni 1581. & 1582. ſuperiorum iuſſu conſcripſit. Item

Vitas BB. Aloyſii Gonzagæ, & Stanislai Koſtkæ, compendioſè, ſi non edidit, Italice tamen conſcripſit, vti, &

Inuentionem SS. Placidi, Eutichij, Victorini, Flauiæ, & Sociorum Martyrum.

Commentaria ipſius in Librum Iob. ſeruantur Romæ M. SS.

IOANNES ANTONIVS VELASQVEZ natione Hiſpanus, Matriti natus anno ſalutis 1585. ſed Abulenſi ex diœceſi oriundus, Societatem ingreſſus eſt Salmanticæ, die 17. Martij 1602. & votorum quatuor profeſſionem emiſit. Confectis in Societate ſtudijs, rexit Collegia Monfortenſe, Segobienſe, Abulenſe, Methymnenſe, Valliſoletanum S. Ambroſij, Salmanticenſe, in quo diu Sacram Scripturam cum laude expoſuit. Vir politiſſimi ingenij, nec minus humanioribus litteris, quàm ſacris excultus. Poſt hæc moderatus eſt totam Prouinciam, tum loco Prouincialis, tum vt Prouincialis ex officio. Miſſus quoque à Prouincia eſt Romam, vt intereſſet Congregationi Generali nonæ. Demum euocatus Madrium à Philippo IV. Rege Catholico, propter magnam de doctrina ipſius opinionem, ab eodem conſtitutus eſt Conſultor Congregationis ibidem erectæ de Immaculata Conceptione B. Virginis tuenda, eoquè in munere poſt aliquot annos magno operæ pretio tranſactos ibidem octogenario maior religioſè deceſſit die 6. Nouembris 1669. Cultor fuit eximius Deiparæ, eiuſque roſarium de genu quotidie, ante illius imaginem in Templo fere per horam recitare conſueuit, nec ab illius laudibus lingua, calamo, vel operibus vnquam ceſſabat. Priuſquam obiret ſcripſit ad fratrem ſuum maiorem natu, adhuc tum ſuperſtitem Salmanticæ, exſpectari à ſe mortem lætiſſimè ob fiduciam, quam in patrocinio Deiparæ Virginis habebat repoſitam. Concionandi talento permultum valuit, vt è ſuggeſtu à populo velut alter Ambroſius, vel Baſilius auditus fuerit. Morum porrò affabilitate, & prudentia ita cunctos ſibi conciliabat, vt multi Proceres tam Eccleſiaſtici, quàm ſæculares conſilij petendi cauſa in arduis negotijs ad ipſum confluxerint. Ipſe Rex Catholicus dexteritate illius, & ſapientia captus, iniunxit, vt ad ſe ſingulis hebdomadibus ſemel ſecretò accederet, admoneretquè quidquid pro bona Regni adminiſtratione iudicaret. Verùm ille, qua erat animi demiſſione, & fuga ſplendoris aulici, humillimè id honoris detrectauit, dicendo id homini Religioſo è Societate minimè conuenire. Scripſit doctiſſimus Pater

Commentarios in Epiſtolam D. Pauli ad Philippenſes, tomis 2. in fol. Prior, qui explicat duo priora capita, prodijt Lugduni ſumptibus Iacobi Cardon 1628. & 1632. Poſterior qui reliquum Epiſtolæ complectitur 1632. & 1634. vterque ſimul ibidem 1639. in fol. Venetijs 1646. Antuerpiæ 1650. & 1651. in fol.

Commentarius in Pſalmum C. lib. 5. Lugduni typis Proſt. 1637. in fol.

De Conceptione Immaculata B. Virginis. Valliſoleti apud Bartholom. Portales 1653. in fol. & Lugduni eodem anno.

De Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento. Valliſoleti typis ijſdem 1658. in fol.

De Maria Aduocata. Matriti typis Matthæi Fernandez. 1668. in folio. Hiſpanico idiomate Edidit

Rationes Regi Catholico exhibitas circa Breue Alexandri VII. de Celebratione feſti Immaculatæ Conceptionis. Matriti apud Franciſcum Nietum 1662. in folio.

IOANNES ANTONIS VSON natione Hiſpanus patria Darocenſis Diœceſ. Cæſarauguſtanæ admiſſus in Societatem anno ſalutis 1610. ætatis 16. vota quatuor profeſſus, docuit in ea Philoſophiam quadriennio, Thelogiam Compluti decennio; præſtantiſſimi Vir ingenij, & ſummæ expectationis, quam omnem mors intercidit, vnà cum vita Madriti die 22. Auguſti anno ſalutis 1638. Per menſem ante obitum, cum iam proſtratæ valetudinis ex phthyſi eſſet, ſtrato inſidens, quàm accuratiſſimè ſe ad mortem parauit per Exomologeſim generalem, & complures particulares, nec vllos alios ſermones audire voluit, quàm de æterna vita. Et cum conflictatus aliquando fuiſſet tentatione contra ſpem, tandem auditus eſt dicere: *Vicimus per Sanguinem Ieſu Chriſti*, atque ita ſumma omnium ædificatione, & pietatis ſignificatione placidiſſimè efflauit animam. Scripſit editurus, ſi vixiſſet.

Commentarios in 1. par. Summæ Theologiæ S. Tho. Dixit Hiſpanice Compluti, atque edidit

Sermonem in Anniuerſario Fr. Franciſci Ximenez Ciſneros Cardinalis Archiepiſcopi Toletani. Compluti per Ioannem de Villodas 1628. in 4.

Sermonem dictum Matriti in feſto B. Franciſci Borgiæ. Ibidem & ijdem typis 1634.

IOANNES ANTONIVS XARQVE, natione Hiſpanus, patria Albarracinenſis in Aragonia, Societati nomen dedit anno ſæculi labentis 14. nondum expleto ætatis 14. & vota 4. profeſſorum nuncupauit. Rexit Collegium Turiaſonenſe, & Vicario munere aliquamdiù Oſcenſe, ſed longè maximam vitæ partem traduxit in concionando, feruore maximo atque etiam fructu. Bis ſe obtulit victimam charitatis Deo in obſequio peſte infectorum, & ſemel quidem afflatus eſt lue, ſed ad longiores labores placuit Deo prodigum magnæ animæ virum comperendinare. In Miſſionibus per pagos, & oppida fuit indefeſſus; contra vitia, peccata, & inolitas prauas conſuetudines, Apoſtolico Spiritu vbique detonando; atque ad amorem Dei, & opera bona omnes ardenter excitando. Paupertatis ſanctæ in ſe fuit cultor eximius; nec in cubiculo aliam ſupellectilem habere voluit, niſi in carta Chriſtum Cruci affixum; erga Deiparam tenerrimo pietatis ferebatur affectu; ad eandem tanquam ad propitiatorium & aram miſericordiæ in proſperis, & aduerſis aſſiduè confugiebat, eiuſquè cultum per Vrbes, & oppida quocumque pergebat, ex intimis præcordijs propagabat. Hinc factum opinantur nonnulli, quaſi in præmium ſingularis huiuſmodi venerationis, vt ipſo die Viſitationis Beatiſſimæ Virginis euocatus à Deo ſit ad Illius, & Beatorum conſortium in Cœlis, Cæſaraugustæ 2. Iulij 1666. Vt vero pluribus, & longè diſſitis prodeſſet Vir Deo plenus edidit tomos 10. in 4. ſuper Pſalmum *Miſerere* ſub titulo.

Orator Chriſtianus Cæſaraugustæ annis 1657. & ſeq. apud Michaelē de Luna Idiomate Hiſpanico. Præterea

Vitas P. Antonij Ruiz de Montoya, & P. Ioſephi Cantalbini ex Societate inſignium operariorum in Paraquaria. Cæſaraugustæ ſub nomine ſui Fratris Franciſci Xarque, typis Michaelis de Luna 1662. in 4.

Auguſtum Planctum Vrbis Cæſaraugustanæ in exequijs Philippi IV. Regis Hiſpaniarum, ex mandato Magiſtratus ibidem.

Concionem Funebrem in obitu Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi D. Ioannis de Hozes Archiepiſcopi Tarraconenſis.

Orationes alias & Emblemata varia. Cæſaraugustæ.

Sacrum ſolamen huius temporis bellis, & calamitatibus publicis Domus Auſtriacæ, & Catholicæ Monarchiæ afflictæ. Etiam ſub nomine fratris ſui D. Franciſci Xarque. Valentiæ per Bernardum Nogues 1641. in 8.

IOANNES AQVAPONTANVS, ſeu vt eū patria lingua vocat Ioannes Pitſeus de Scriptoribus Angliæ, Bridgvvater, natione Anglus, gente Cambrobritannus ex Miniſtro Proteſtantico factus Catholicus, optimis beneficijs deſertis Rhemos ſe tranſtulit. Cætera ipſius adhuc in obſcuro ſunt. Meminit illius Ribadeneira Catalogo edito 1609. Edidit adiecto ſuo nomine ad calcem Præfationis, quamuis Soc. Ieſu nomen non addat, librum hoc titulo:

Concertatio Eccleſiæ Catholicæ in Anglia, impreſſa 1584. & recuſa cum inſigni auctario 1589. Auguſtæ Treuirorum per Henricum Bock in 4.

Promittit autem in *Apologia Martyrum*, quę habetur in tertia parte Cōcertationis, *Opus aliud contra ſex articulos*, ſeu *quæſtiones capitales, quas martyribus proponere ſolent*. Verùm in argumento totius operis recuſi cum auctario, ait addi ea editione: *Reſponſionem pro Catholicis ad perſecutores Anglos* aduerſus famoſum Libellum, qui titulo Iuſtitiæ Britannicæ, ab Hæreticis erat emiſſus, quæ meritò cenſeri poſſit, *Reſponſio ad ſex illius articulos*, vt proinde opus illud promiſſum expectari ampliùs non debeat. Edidit prætereà, vt refert Antonius Poſſeuinus.

Confutationem virulentæ diſputationis, quā Georgius Sohn conatus eſt docere, Pontificem Romanum eſſe Antichriſtum à Prophetis & Apoſtolis prædictum. Auguſtæ Treuirorum apud Henrium Bock 1589.

IOANNES ARGENTVS natione Italus, patria Mutinenſis, vir de Societate atque in primis de Tranſalpina, ſeu Aquilonari quàm optimè meritus. Cùm adoleſcens vix nomen Societatis noſſet, nullam cum eius hominibus conſuetudinem haberet, multa autem (vt hæc ſæcula ferunt) tum à Sodalibus, tum ab infimæ notæ viris, de eadem ſatis grauia audiret, quæ etſi ſuſpecta erant, nec in Religioſos homines cadere poſſe videbantur; tamen vel fucus ſermonis, vel auctoritas narrantis, reddebat falſa probabiliora veris, illumque interdum, ſi non credere, ſaltem hærere, & certa in dubium vocare penè cogebant. At cùm Diuino impellente Numine Societatem propriùs acceſſit, & hominibus illius familiariter vti cępit, ſtatim errore detecto veritatem aſpexit, & quàm innocens eſſet hęc Religio, quamque immeritò morſus tot ſuſtineret intellexit. Ergo animum ſtatim mutauit, & ex dubio certus, ex alieno intimus factus, Societatem eò ardentiùs amauit, quò certiùs ea, de quibus antea dubitabat falſa eſſe perſpexit, imò ijs virtutibus illam maximè excellere animaduertit, quarum contraria viriù ei potiſſimum antea didicerat adſcribi. Demum ſeſe ipſi Societati addixit anno ſalutis 1583. ætatis ſuæ 22. In qua poſt quam humaniores, & Philoſophicas Diſciplinas aliquamdiù profeſſus eſſet, & vota 4. nuncupaſſet, ſummis eſt muneribus, ſummis laboribus perfunctus. Trium in Italia Collegiorum Rector fuit; regebatquè eo tempore Patauinum quando agente eam cauſam Venetiis coram Principe Sereniſſimo, & frequente Senatu per luculentam orationem Doctore Cremonino, Societatis ibi ſcholæ clauſæ ſunt, coactæque Parmam tranſire. Verum non ita multò pòſt ex Italia eſt ipſe digreſſus. Anno 1603. adminiſtrabat Vice Prouincialis Tranſilua-

ſiluaniam, quando Moyſes ZeKelius Claudiopolim occupauit, à ciuibus eâ ſibi lege patefactam, vt poteſtatem faceret illis viciſſim Societatis Collegium diripiendi, vaſtandi, Patres eiiciendi, mactandi : id quod tam impiè ab illis, immaniterquè perfectum eſt, vt momento diruerint omnia; pulſarint, vulnerarint trucidarint. Ipſi etiam abſcedenti manibus eripere tentarint, ne quid ſecum efferret. Hæc cum ad diem 9. Iunij acta eſſent, non ita multo pòſt recepta à Cæſareis Ciuitate, Socij reſtituti ſunt, ad quos è Polonia reuertit Argentus, ſub idus Ianuarius 1604. Verùm cum cerneret parùm ſibi tutis licere conſiſtere, die 12. Iulij cum Socijs aliquot longo difficili, ac pleno periculis per Moldauiam itinere remeauit Craconiam, vbi à Rege perbenignè acceptus, à Nuntio Apoſtolico rogatus, ad frequentem Italorum concionem magna approbatione verba fecit. Sed rurſus per litteras à Præpoſito Generali reuertit actutum Claudiopolim & eius Collegii Rector, ac Tranſyluaniæ totius Vice Prouincialis deſignatur. Tunc enim verò patuit vel ipſis hoſtibus, ſi rectè vti vellent, quis ille vir eſſet, quem tam inclementer habuerant: nam ciues, qui ob eiectos Socios tenebantur in vinculis, plenus bonis nuncijs inuiſebat, deſertos à ſuis, paternam illis curam, beneuolentiamquè exhibebat, pollicentibus memores ſe fore ſemper acceptæ gratiæ, facturóſque vt poſteri grati ſint; denique ſua auctoritate perfecit, vt illi vinculis eximerentur, & redderentur ſuis. Sèd quod ab ingratis ſolet, præmium repenſum eſt, & qui tunc quotidie à Senatu velut Vrbis totius parens amantiſſimus ſalutabatur, ab eodem pòſt paulò nihil ſe læſum profitente, ceu inimiciſſimus tractatus fuit anno inſequente, qui fuit à Chriſto nato 1605. cū dominante Stephano Botzkaio, qui Principatum inuaſerat, Comitia Medieſini haberentur, in iiſquè fauente Arianis Caluiniſtis Principe, iam factum eſt decretum de Societate proſcribenda, Argentus per amicos factus certior, die 14. Decembris in pleno omnium ordinum conſenſu dicendi poſtulatâ facultate tam luculentè, fortiterque Societatis cauſam, atque innocentiam defendit, vt Aduerſarij præſente ipſo, & prouocante ne mutire quidem contra ſint auſi, ſeſe ex hominum conſpectu proripuerint, abſconderintquè: animos autem Procerum ita conuertit, vt eos decreti pœniteret, reſciſſoque Societatem ſuo ſtare loco permitterent, quamuis inuito Botzkaio; vt ex maioribus ſubſellijs nondeeſſent, qui ſponderent ſe nunquam Societati oblocuturos. Ceterum Botzkaius alia vſus occaſione, Societatem per vim, atque iniuriam Regno exturbauit; cùm vocato ad ſe in Hungariam Ioanne Argento, aliam haudeſſe cauſam eiectionis dixiſſet, niſi quòd ita Hæretici, quibus morem gerere vellet, expetebant. Cui Argentus infracto reſpondit animo, Principem oportere ſua cuique iura inuiolatata ſeruare, Innocentes haud quaquā exponere iniquorum libidini, ſed iuſtitiæ gladio tueri. Ille iterum, Metuere ſe, ne ſi aliorum culpâ nos de vita periclitari contingeret, Principum Chriſtianorum, quibus cordi eſſemus indignationem incurreret: omnino igitur ſtatuiſse, vt Societas Regno excederet. Vrſit intrepidus Argentus noſtram ſiue ſalutem, ſiue perniciem in eius manibus, ac voluntate poſitam eſſe; propoſitum nocendi ipſe poneret, alios quos timeret nullos reſtare. Sed ſurdo verba dedit. Botzkaio breui extincto, cum ſucceſſiſſet in Principatu Sigiſmundus Rakoczius, redijt ad illum quoque Argentus, vt Societatem, quam Archidux Matthias ipſi iam commendarat reſtitutam vellet. Is ad Comitia referendam rem dixit. Ea cum haberentur Claudiopoli anno ſalutis 1607. inſtitere vehementer Aduerſarij, ne ad Ciuitatem Argentus admitteretur; certi lapidatione rem expedire, ſi adſit. Admiſſus tamen ob Cæſaris reuerentiam orationem die 15. Iunij ad Ordines habuit, quâ Societatis innocentiam luce clariorem effecit. Cui cum hoſtes nequirent obſiſtere, clamoribus implere cæperunt, furere, tumultuari, & facto impetu Societatem exigere, boniſquè, ac fortunis exuere. Id tamen ſua conſtantiâ obtinuit, vt publico Principis, Regniquè Chirographo conſtaret, propter vnicam Religionis cauſam Societatem expelli. Poſtquam eiectus iterum Tranſiluania eſt, Auſtriam Prouincialis obtinuit; quo in munere nouis tempeſtatibus iactatus eſt, cùm enim per annum 1611. Paſſauienſis exercitus, duce Leopoldo Auſtriaco, Pragam ſubijſſet, Cæſarem Rudolphum aduerſus vim, atque arma tecturus, quidquid ibi diſcriminis imminuit Societati, ad Argentum maximè, qui aderat cùm imperio pertinuit. Anno proximo Poloniam, Lithuaniamque inſpecturus cum auctoritate Viſitatoris abiuit. Ibi cùm intelligeret multis Societatem, grauibuſque exagitari cenſuris, & libellis acerrimis lacerari, ſubijt animum vereri ne quid forte peccaretur à Socijs, ſaltē per imprudentiam quod anſam obtrectatoribus præberet; ſeneſcentique tum accidit in Polonia, quod in Italia iam acciderat adoleſcenti. Verùm competit re cominùs inſpecta, aut Religione à nobis diſſidere, qui obloquebantur, aut certè Societatem hauquaquam noſſe. Tum verò Poloniæ Regi Sigiſmundo III. per Epiſtolam accuratè conſcriptam, innocentiam Societatis, Aduerſariorum calumnias (quod in alijs quoq. Prouincijs, ac Regnis cum Principibus, ac Regibus nō inutiliter obſeruabat) repręſentauit vt noſtram rerum notitiam ex vero nactus, non facile ſe pateretur erroribus imbui, inceptumque à nobis pietatis curſum impediret. Hoc tempore Claudio Generali Præpoſito morte ſublato Romam contendit & in Societatis Comitijs, qnamuis ipſe non intereſſet 29. ſuffragijs ad Generalatum poſtulatus eſt. Ceterùm cum in Magiſtratum euectus fuiſſet Mutius Vitelleſcus dimiſſis Comitijs, Argentum Medio-

lanenſi primùm mox Prouinciæ præfecit Poloniæ. Vnde in Auſtriam Viſitator regreſſus Bohemicam ex ea ſecreuit; quà alteri commendata, per annos aliquot Auſtriam ipſe Prouinuincialis gubernauit, donec ætate, laboribuſque fractus ac fatiſcens in Italiam capiendæ quieti remeauit. Sed ea nequaquam diuturna fuit; nam Collegij Mutinenſis admotus gubernaculo, tandem laborum finem inuenit die 26. Nouembris anno ſalutis 1626. Vir fuit heroicis plane virtutibus ornatus. In omni munere, quod geſſit eam actionum, conatuumque regulam ſemper adhibuit, qua dirigeret ad maiorem Dei gloriam omnia: qua communi omnium, priuatoque ſingulorum bono plura ſpiritualia commoda adferret, qua ſummam Religioni noſtræ perfectionem pareret: omnem ſuam induſtriam collocauit, vt noſtræ Societatis homines, qua diligentia in propriam perfectionem incumbunt, cum eadem quoque aliorum ſe ſaluti impenderent. Certè cum ſub annum 1614. Vilnæ accepiſſet, quæ a Collegijs Romanis magno cum ſpirituali Romanæ plebis fructu Romæ fiebant in Miſſionibus per ipſam vrbem inſtitutis, eorum exemplo Socios excitauit Vilnenſes ad æmulationem; vt Vilnenſem Prouinciam inter ſe partiti, Dominicis diebus, quibus à ludo feriabantur eorum alij vicos, & plateas, alij Suburbia, reliqui vicinos Ciuitati pagos circumirent, vbique doctrinam Chriſtianam explicarent, pietatem plantarent, & conſtitit operæ fructus incredibilis. Societatis inſtituta ſeueriſſima cuſtodia tuebatur; nihil quod eorum labefactaret Sanctitatem, integritatemue diſſimulando tolerabat: imperauit non ſimplici vice, ne quid admitteretur eleemoſinæ, quod aliquam laborum noſtrorum compenſationis ſpeciem habere poſſe videretur: & magno in Polonia viro remiſit aliquando non contemnendam vim aureorum, quam ideo ſuſpicabatur ipſum miſiſſe; quia ferijs Paſchalibus è noſtris aliqui ipſius villas, atque arces obierant euangelizãdo. In ſe ipſum fuit immitis, & aſper, vrſi villoſo tergore vtebatur pro lecto; nec plus veſcebatur quam ſemel in die. Egregius contemptor honoris, commoditatum, mundi, ſui; multa illi cum Deo, multa cum Superis conuerſatio; & creditum eſt illi olim Pragæ Beatiſſimam Virginem; & S.P.N. Ignatium ſpectabiles adfuiſſe. Fortitudinem animi ipſius, atque prudentiam in agendo cum eximia moderatione coniunctam, ſatis ea declarant munera, quæ tot annis tantùm non ambitioſo Prouinciarum ſtudio geſſit: eo maxime nomine acceptus omnibus quod æqua lance maiorum promerita, & minorum penderet, vnus idemq. omnibus, rectus arbiter, & iuſtitiæ tenax. Caritatis in ſuos vnicum hoc exemplum dabo: cùm nullis rationibus poſſet vni Sociorum conſtantiam in vocatione perſuadere, nudato tergo ſuo plagis excarnificato; Vide ſis, inquit, hæc pro te feci, conſtantiam teneas. Scripſit.

Epiſtolam ad Sigiſmundum III. Poloniæ, & Sueciæ Regem, De ſtatu Societatis in Prouincijs Poloniæ, & Lithuaniæ. Cracouiæ ex officina Andreæ Petricouij 1615. in 4. & 1616. Demum tertia editione prodijt Cracouiæ typis Franciſci Cæſarij 1620. in 8. cum inſigni auctario, nempe

Proſcriptionis Societatis Ieſu ex Regno Bohemiæ, Morauiæ, Sileſiæ, Vngariæ, &

Duarum actionum, quas Auctor in Tranſyluania in ipſo generali omnium Ordinum Conuentu habuit 1605. & 1607.

IOANNES DE ARMENTA natione Hiſpanus, patria Cordubenſis, nondum expleto ætatis anno 14. Societatem amplexus anno ſalutis 1596. votorum quatuor profeſſione ſe adſtrinxit. Vir præſtanti ingenio ſpeculatiuis ſcientijs è Cathedra tradendis peridoneus fuiſſet, ſed eminuit in eo talentum concionandi, vt huic potiſſimum muneri Superiores cenſuerint applicandum. Quadraginta amplius annos ad populum è ſuggeſtu dixit in primarijs Bæticæ Ciuitatibus, & præterea in pagis Miſſiones obeundo, tantâ Auditorum frequentiâ, vt ſummo manè ad præoccupanda loca ne excluderetur, certatim populus confluxerit. Celebris fuit in Hiſpania Hæreticorum 36. reductio ad gremium Eccleſiæ Romanæ Ioannis noſtri potiſſimùm operâ. Detinebantur Gadibus in vinculis tot pyratæ Angli anno 1616. & iam capitis damnati decreuerant ſuis in erroribus obſtinatè mori. Verùm poſtulatâ Societatis operâ à Magiſtratu ad eorum inſtructionem, cùm miſſus ad eos fuiſſet Armenta, fuſis ille prius ad Deum precibus, tanta eloquentiæ vi, & rationum pondere omnes permouit, vt veritati agnitæ cuncti dederint manus, & eiurata hæreſi in Fide Eccleſiæ Catholicæ Romanæ mortem alacres ſubierint. Magnum hinc Armentæ per Bæticam nomen, & à Sacris Fidei Quæſitoribus adlectus eſt in Cenſorem, ſeù Qualificatorem Sancti Officij. Ad hæc gubernauit Collegia varia, Hiſpalenſe Anglorum, Sanlucarenſe, Vtrerenſe, Aſtigitanum, Malacenſe, Gaditanum, & à Prouincia miſſus eſt Romam vt Congregationi generali octauæ intereſſet. Fractus annis, & morbis multa inſignis tolerantiæ edidit ſpecimina. Erga cultum Deiparæ Virginis tenerrimo ſemper affectu fuit, & diſciplinæ religioſæ obſeruantia excelluit. Demum in Collegio Gaditano, quod tunc regebat finem viuendi inter mortales fecit, die 25. Septembris 1651.

Edidit Hiſpanicè

Diſcurſum de Stigmatibus S. Franciſci, quem habuit Hiſpali in eorumdem ſolemnitatis anno 1618.

Narrationem de Conuerſione Hæreticorum ad Fidem Catholicam per noſtros de Societate

Conciones varias.

IOANNES ARNBRVSTERVS natione Germanus, patria Franco è Moguntina diœceſi, Societati ſe dedit admodum iuuenis anno

anno

anno ſalutis 1572. Qui Spiræ Linguam Græcam, Poeſim, & politiores litteras (quibus ab initio delectatus eſt) aliquot annos profeſſus, atque in iiſdem ſtudijs mortuus eſt Spiræ 27. Martij anno ſalutis 1603. ætatis 50. Societatis 30. iam ante formatus in ſpiritualem Coadiutorem. Exſtat eius

Oliuetum Spirenſe, rogatu Canonicorum Spirenſium editum, & recuſum Francofurti in Parnaſſo Societatis 1654. in 4.

Decripſit etiam metro

Diuos 14. Auxiliares publico cultu celebres in Diœceſi Bambergenſi. Exſtat quoque ſine eius nomine

In mortem Danielis Archiepiſcopi Moguntini comploratio, Succeſſoris Vvolgangi gratulatio.

IOANNES ARNOVX, qui & ARNOS, & ARNVLPHVS à nonullis appellatur, natione Gallus, patria Riomenſis in Aruernis, cuius pietati, & eloquentiæ quantum debeat res Catholica in Gallijs, Europa nouit, & ſuſpicit. Societatem amplexus anno ſalutis 1592. ætatis 17. & vota quatuor profeſſus eſt. Docuit in ea Rhetoricam, Philoſophiam, & Theologiam Scholaſticam non ſine laude; concionandi laudem inter ſui ſæculi primos tulit. Domus Profeſſæ Gratiopolitanæ primùm, tum etiam Toloſanæ Præpoſitus adminiſtrationem hauit circiter ſeptennio. Ludouico XIII. Regi Chriſtianiſſimo à Concionibus, & Confeſſionibus fuit. Quod ipſe munus haud alia lege paſſus eſt ſibi imponi, quàm, vt ſibi liceret inſalutato, receptui ab Aula canere, ſi qua fieret vnquam mentio de illo ad Infulas euocando. Demum ad ſuos reuerſus, cùm Toloſanam Prouinciam Præpoſitus ipſe Prouincialis adminiſtraret obijt in Domino Toloſæ die 14. Maij anno ſalutis 1636. ſexagenario maior, exactis in Societate annis 44. Scripſit Gallicè

Aduerſus Carolum Molinæum.

De Immortalitate Animæ.

De Iuſtificatione contra Miniſtrum Aupret

Collationem Bibliorum cum articulis Caluiniſtarum ex Regis mandato.

Rabbinorum in exponendo Pentateucho modos in 12.

Confeſſionem Fidei Miniſtrorum conuictam falſitatis. Pariſijs apud Sebaſtianum Chappelet 1617. in 8.

Reſponſionem factam ſcripto Miniſtrorum Carentonij. Pariſijs apud Ioſephum Cottereau 1617. in 8.

Refutationem Tractatus Petri Molinæi de iuſta Dei Prouidentia. Pariſijs apud Nicolaum Touſant 1618. in 8.

Orationem funebrem Henrici IV. Regis Galliarum

Expeditionem Regis Ludouici XIII. in Bearniam. Quæ omnia in tres tomos digeſſit.

* IOANNES D'ARRAS natione Belga, Cameracenſis in ditione, natus anno ſæculi fluentis 8. Societati ſe adſcripſit 1627. & vota quatuor nuncupauit. Vir ſolida pietate, & doctrina præditus. Philoſopiam Duaci ſeptennio profeſſus eſt; Controuerſas de Fide quæſtiones, & Moralem Theologiam explicuit Audomari, vbi etiam in æde Cathedrali Canonicorum Confeſſiones toto decennio excepit, ab illius Vrbis Antiſtite, & Primoribus [illegible] magni habitus. In extremo illius morbo [illegible]ficè eluxit eius firmitas animi, atque conſtantia, qua ſine doloris indicio, paſſus ſibi eſt ferrum, & ignes admoueri, & mortem denique excepit Montibus 5. Nouembris 1666. Edidit

Practicam Tractatuum aliquot Mathematicorum Epitomen. Montibus apud Simeonem de la Roche 1664.

IOANNES ARTAL natione Hiſpanus, patria ex oppido de Segaren in Gotholaunia, Societatem complexus anno 1570. ætatis 18. vota quatuor profeſſus eſt. Docuit humaniores litteras, Philoſophiam, Theologiam, & Sacram Scripturam octennio eſt interpretatus. Rexit Collegium Turiaſonenſe, & octogenario maior quieuit in Domino, Valentiæ circa annum 1643. Parauerat typis Vir Doctiſſimus

Commentarios in Apocalypſim, in plures Pſalmos, in Epiſtolam Iacobi, & in aliquas Pauli Epiſtolas; Sed morte interueniente non edidit

IOANNES DE ATIENZA natione Hiſpanus, patria ex oppido Tordehumos, diœceſis Palentinæ, filius natu maior clariſſimi Licentiati Atienza in ſupremo Senatu Caſtellæ Conſiliarij, & ob libros ſuper Regias leges compoſitos notiſſimi, admiſſus in Societatem Salmanticæ anno ſalutis 1564. ætatis 18. votorum quatuor profeſſionem emiſit. De eo vir omni virtute conſpicuus Petrus de Anaſco in ſuis Aduerſarijs ſic ait: *Eum vt virum integerrimum conſidero, vt religioſiſſimum, vt humillimum, vt affabilem, vt eruditiſſimum, vt prudentiſſimum, vigilantiſſimùmque, & quod mihi in ipſo maximum, quid videtur, integritas quædam animi eſt, antiquitaſque ſingularis; qua omni illum tempore, omniquè occaſione affectum inuenias*. Is enimuero cùm clarum ſemper fuerit omnium virtutum exemplum, tum illæ maximè in eo elucebant, quibus inſtructum oportet eum eſſe, qui alijs regendis præeſſet, aſſidua atque intima cum Deo familiaritas, quam frequens precandi vſus, qui ei vacuis horis ſolemnis erat, teſtabatur; & internus in eos, quos regeret humanitatis affectus: documento erat ſincerus in ipſum amor priuatorum. In Caſtella Philoſophiam prælegit, rexitquè Domum Probationis Villagarcienſem, & Collegium Valliſoletanum, cui dum præeſſet, oranti aliquando, quod S. Franciſco Xauerio quoque accidiſſe legimus, traſmarini hominis ſpecies toto corporis pondere illius humeris incubuit, ſibi opem ferri po-

ſtulan-

ſtulantis: quæ cauſa fuit P. Ioanni Suario Prouinciali, cui rem aperuit, eum in Peruanas Oras tranſmittendi. Duodecim annos in ea Prouincia verſatus, eorum ſex Limano Collegio Rector, reliquos ſex Prouincialis munere omnibus præfuerat, cùm eo primùm perfunctus, Calendis Nouembris anno 1594. vel 95. vitæ quoque munus expleuit. Peruaſit illico Vrbem vniuerſam mæror: familiæ cunctæ Religioſorum, nullius poſtulatu funebri campanarum tinnitu mæſtitiam declararunt. Ipſe Archiepiſcopus cùm eo die diceret ad concionem, multo doloris ſenſu, & perhonorifica commemoratione, illius mortem proſecutus eſt. Nimirum prudentia, & vitæ ſanctimonia tantam ei conciliarant reuerentiam, vt non domeſticis tantùm, ſed externis etiam eſſet admirationi. Tanto animi robore, tamquè inuicta conſtantia fuit, vt nihil tam difficile, & arduum ei obiiceretur, quod non ille aggredi, & tranſigere feliciter auderet. Neque ſecundæ vnquam, neque aduerſæ res tranquilliſſimum illius animi ſtatum perturbarunt, vt vel inclementi vultu aliquando cerneretur. Scripſit

Litteras de Miſſionibus in Peruuio inſtitutis anno 1590. *&* 1591.

IOANNES AVGVSTINVS CONFALONERIVS natione Italus, patria Mediolanenſis, trium votorum profeſſus, vir ſeuera virtute, & Beatiſſimæ Virginis ſtudioſiſſimus, eiuſque honoris amplificandi cupidiſſimus. Societatem vicenarius anno ſalutis 1578. ingreſſus eſt. Zelo iuuandi proximos mirificè eluxit, ideòque expeditiones ſacras ad quæſtum animarum permultas ſuſcepit, laborioſas; etiam in grandi ſenio nunquam ſatur ærumnarum, nunquam fractus aduerſis in Dei cauſa. Non præteribat cuſtodias, non horrebat noſocomia, non inopes faſtidiebat. Vbi ſe conſuetis laboribus parem eſſe deſiiſſe animaduertit, mori cupiuit, ne grauis otio, atque inertia eſſet. Tanta fuit innocentia verborum, vt annis totis tricenis nunquam vllo mendaciunculo ſermonem aſperſerit. Tanto ſtudio Diuinæ commentationis, vt ſexaginta quos egit in Societate annis, conſuetæ ſpatium precationis, nequaquam contraxerit, ne dum neglexerit, imò, & veſperi meditandi per ſemihoram conſuetudinem, quam iam inde à Tirocinio hauſerat, ad extremam vſque ætatem retinuerit. Tanta inſuper diuexandi ſui corporis contentione, vt vel cum Quadrageſimalium concionum curriculum ardenter decurreret, tamen quotidie acriter ſe flagello concideret. In Beatiſſimam Dei Matrem, & Angelum ſuum tutelarem præcipua veneratione fuit, quorum conatus eſt cultum quàm potuit maximè amplificare. Spiritualium exercitiorum aliis explicandorum facultate præſtitit, vt videretur ipſum S. Ignatii ſpiritum iis, quos exercebat infundere. Inter hæc ſanctimoniæ decora, ita ſibi erat deſpicabilis, vt in ſupremo morbo velut inter ſpem, metumque identidem repeteret: *Hic Domine patientiam, & ibi miſericordiam*. Poſt inſigna tolerantiæ, modeſtiæ, pietatis aliarumquè virtutum documenra data præſentibus, & percepta religioſe Diuina Myſteria tranquille deceſſit Aronæ die 10. Aprilis 1639. ætatis ſuæ 81. incredibili ſui deſiderio poſt ſe relicto. Vultus mortuo ſerenus, & ridenti ſimilis; & cum totis 40 annis à ſuo in Societatem ingreſſu diebus ſabbathi caput aliquod ad vitam Deiparæ pertinens meditatus eſſet, quæ paulatim conceperat, & pio animi ſenſu deguſtauerat ſummatim ſuo commodo ſcripſit, atque aliorum ſuaſu deinde, vt pluribus prodeſſet, etiam publici iuris fecit, euulgata

Vita Beatiſſimæ Virginis Mariæ diſtincta capitibus ad meditandum. Mediolani 1620. & Dilingæ apud Vdalricum Rem 1621. in 16. Eandem quoque Italicè edidit 1621. Item

De Celebratione Miſſæ opuſculum. Mediolani 1620.

De Verbo Dei humanato, & in Bethlehem nato. Italice Mediolani 1624. Reliquit poſt ſe

Hiſtoriam Moralem ſui temporis, libris 2. *cui multa Sociorum exempla, & elogia addidit*

Hiſtoriam item Moralem de antiquis, & recentioribus exemplis.

IOANNES AZOR natione Hiſpanus, patria Murcianus, ex oppido Lorca à teneris (quod aiunt) vnguiculis, ſtudiis deditus, & in noſtra Religione, quam Compluti anno 1559. iniit, pene educatus, in omnibus honeſtis diſciplinis continenter verſatus eſt, quas etiam præclarè auditoribus enucleauit, & Compluti, Placentiæ, & Romæ Diuinas Litteras, & D. Thomæ Theologiam, ac Moralem multos annos profeſſus eſt magno ingenio, excellenti memoria, aſſidua lectione, & egregia Linguarum peritia Latinæ, Græcæ, Hebraicæ; hanc quoque Compluti aliquando profeſſus. Habuit omnis generis Hiſtoriarum notitiam, & in iis ſuo loco, ac tempore recenſendis miram felicitatem. Collegiorum Placentini, Ocanienſis, & Complutenſis Rector fuit. Romæ ſtudiorum Præfectum egit. Inter hæc tanta fuit animi demiſſione, tanta modeſtia in honorum inſignibus, tanta morum facilitate, & affabilitate in ſumma vitæ integritate, & ſeueriore diſciplina, tanta in inſigni humanarum rerum cognitione (id quod rarò vſuuenit) ſimplicitate, animi candore, atque in rebus agendis ingenuitate, vt idem ſemper oris, frontis, oculorum, atque animi ſenſus appararet. In tot grauiſſimis occupationibus, & ſtudiis, fuit piiſſimo erga Deum animo, cum eòque frequens illi erat conſuetudo. Tanta ducebatur, vel in culpis leuiſſimis religione, vt velut peſtem ſumma cura eas declinaret. Diuinorum beneficiorum, quæ animo tractabat identidem, recordatione ad lacrymas vſque perfundebatur. Demum ma-

gno doctis Viris, ac bonis omnibus relicto ſui deſiderio, annis grauis, laboribus fractus, vitam cum morte Romæ commutauit 19. Februarij anno ſalutis 1607. ab emiſſa profeſſione quatuor votorum 32. Scripſit

Inſtitutionum Moralium tomos 3. valde eruditos, quorum primum viuens edidit Romæ typis Alovſij Zannetti 1600. in folio. Reliqui duo poſthumi prodierunt, ſæpiuſque recuſi ſunt Romæ, Venetijs, Lugduni, Coloniæ, Ingolſtadij in folio. Scripſit etiam iuſſu

In Cantita Canticorum Commentaria, Hiſtoricum primum ſenſum deinde Allegoricum continentia

Exſtat Autographum eiuſdem in Archiuio Generali Romæ

De votis, quæ emittuntur in Societate, vnà cum expoſitione Conſtitutionis Gregorij X I I I. quæ incipit *Aſcendente Domino* in 4. cum eiuſdem exemplo manuſcripto in folio.

* IOANNES BAGOTIVS natione Gallus, gente Brito, patria Rhedonenſis Societatem amplexus anno ſalutis 1099. ætatis 19. Sed inde extractus iuſſu Regis Henrici IV. vt parenti amantiſſimo filij redderetur, demum deuictis omnibus a genitore oppoſitis obſtaculis iterum ad eandem redijt 1611. & votis 4. ſolemnibus ſe adſtrinxit. Vir fuit omni litteratura egregie excultus; humaniores litteras docuit triennio, Philoſophiam quinquennio, Theologiam totis 13. annis. Cenſorem librorum à Societate edendorum, & Theologum Præpoſiti Generalis egit Romæ triennio, & redux in Galliam Domum Profeſſam Pariſienſem Præpoſitus gubernauit. Otij oſor, ſtudij impendiò amans, adeout cum à quopiam ad quietem captandam inuitaretur feſtiue reſponderit ſatis quieturum in ſepulchro. Inſigniter pijs inuitabat omnes, quibus cum agebat, præcipuè ſcholaſticos ad pietatem, & ad cultum B. Virginis, vt multi præſtantes viri, atque etiam Præſules ex eius diſciplina prodierint. Deceſſit optimus Pater Septuagenario maior Pariſijs in ædibus Profeſſorum die 22. Auguſti 1664. Scripſit latine.

Apologeticum fidei duabus partibus comprehenſum, quarum primæ titulus eſt. *Inſtitutio Theologica de vera Religione* Secundæ.

Demonſtratio Dogmatum Chriſtianorum. Vtraque Pariſijs apud Nicolaum Buon &c. 1645. in folio.

Diſſertationes Thologicas de Pœnitentia. Pariſijs apud eundem 1646. in 8.

Libertatis, & Gratiæ defenſionem, aduerſus Caluinum & Pelagium in Cornelio Janſenio rediuiuos, ſub nomine Thomæ Auguſtini: Pariſiis apud Cramoſios 1653. in 4.

Defenſionem iuris Epiſcopalis, & libertatis, qua fideles gaudent in miſſis, & confeſſionibus de præcepto. Primum Gallicè adud Cramoſios 1655. in 8. Sed cùm hic liber ab Aduerſariis quibuſdam vellicaretur, latinitate donatus ab Auctore, & Romæ approbatus ibi excuſſus eſt typis Cameræ Apoſtolicæ 1659. in 8.

Reſponſionem ad eos, qui in ſupradictum librum. Scripſerunt.

Monita ad Catbolicos, vt de ſana Diuinæ gratiæ Doctrina iudicent. Pariſiis 1650. in 4. Gallice. Item tacito ſuo nomine.

Diſſertationem de veritate vnius Religionis Chriſtianæ. Pariſiis apud Dionyſium Bachet 1661. in 12.

IOANNES BAIOLIVS natione Gallus gente Vaſco Condomenſis in Societatem adſcriptus anno 1596. ætatis 26. in ea Philoſophiam & Moralem Theologiam, quatuor item vota ſolemnia profeſſus eſt. Vir Eccleſiaſtica eruditione excellens, zelo ſcientiæ coniuncto inſignis, Hereſis impugnator egregius, docendi, & concionandi talento præſtans, ad omnia Charitatis officia erga proximum promptus, multis exhauſtis pro Deo laboribus mortalitatem exuit Biterris die penultimo Martii 1650. Scripſit Gallice.

Pharū veritatis aduerſus Caluiniſtas. Toloſæ.

Sacram Aquitaniæ hiſtoriam. Caduci apud Ioan. Dalui 1644. in 4.

* IOANNES BAPTISTA ANDREANVS natione Italus patria Vrbeuetanus, natus anno ſæculi voluentis 4. Deo ſe in Societate dicauit 1623. & ſolemne 4. votorum Sacramentum dixit. Rhetoricam Romæ profeſſus eſt annis octo, Philoſophiam explicauit Vilnæ in Lithuania; vbi etiam Domum Profeſſam Varſauienſem Præpoſitus gubernauit, & duorum Regum Poloniæ Vladislai IV. & Ioannis Caſimiri Concionator linguâ Italicâ fuit. Redux in Italiam rexit Collegia Spoletinum & Firmanum, & in hoc etiam Theologiam Moralem docuit. Pòſtea in Domo Profeſſa Romana operari, ſeduli partes egit, & à ſacris confeſſionibus nonnullis Principibus fuit. Demum ſeptuagenario maior, dum hoc Anno Sancto 1675. die 5. Auguſti, ad aram ſacrum faceret, percuſſus apoplexia, paulò poſt conſecrationem Diuinæ Hoſtiæ, illicò obmutuit, & delatus ad lectum, ſacroque oleo delibutus, atque exinde omnis motus & ſenſus expers, ſub crepuſculum diei ſubſequentis piam animam Deo reddidit in Domo Profeſſa Romana, Vir fuit ſingularis modeſtiæ, eximiæ manſuetudinis, probatiſſimæ patientiæ in diuturnis, quos ſuſtinuerat morborum moleſtijs, humilitatis apprimè amans, Religioſæ diſciplinæ perquàm obſeruans, & ad omnia quæ Moderatores ei iniungebant, ſine excuſatione, aut mora promptus. Edidit in lucem.

Orationem de Chriſti Domini Cruciatibus, inſcriptam Paradiſum voluptatis euerſum, habitam in Sacello Pontificum. Vaticanò ad Vrbanum VIII. Pont. max: Romæ typis Corbelletti 1643. in 4. recuſam Vilnæ 1647.

Orationes binas de Spiritus S. aduentu habitas ad Vrbanum VIII. à Seminarij Romani Conuictoribus. Romæ typis Corbelletti 1641. & 1645. in 4.

Ora-

1572. die 5. Maii. Vir vt ad ſuum in ſpiritu profectum, ſic ad aliorum exemplum à Deo datus. Mira fuit in eo humanarum rerum deſpicientia, mira cœleſtium veneratio. Sacratiſſimum Ieſu nomen manantibus ferè præ affectu lacrymis cum ſumma ſuauitate proferebat, in cuius contemplanda vita totum ſuum ſtudium collocauerat, & verò collocare melius non poterat, quando ipſe fons eſt myſticus aſcendens è terra; quo irrigatur vniuerſa ſuperficies terræ. Pietati erga Ieſum adiungebatur, & pietas erga obſequentiſſimum Ieſu famulum Parentem noſtrum Ignatium, cuius quanti Sanctiones faceret, ſignificant aſſiduitas, qua librum Exercitiorum, Conſtitutionum, & Regularum Summarium euoluebat, ac induſtria inſuper qua bene, beateque viuendi præcepta ex iiſdem eruebat. Annos quadraginta & amplius vnico in die paſtu contentus fuit. Annos totidem in Collegio Romano Præfectus noſtris ad internum animi cultum datus, ita ſe geſſit, vt fæcundam deinde ſegetem in varias orbis Prouincias à ſe dimiſerit. Experientia docente dudum perceperat quantum detrimenti creent importuna negotia. Idcirco impedimentis huiuſcemodi omnibus valere iuſſis, tum ſe beatum reputabat, cùm quid rerum gereretur penitùs ignoraret; neque patiebatur vnquam deferri ad ſe niſi quod ad Dei Optimi Maximi gloriam, & ſalutem hominum pertinebat. Miſſus aliquando ad Rhetias Alpes, ibi ſubſtitit in ſumma inopia quamdiu Superioribus viſum fuit. Reuocabat poſtea identidem in animum rigentia frigora, ſqualentes campos, apertum vndequaque tugurium, viles paleas, & Quadrupedum potiùs, quàm bipedum apparatum. Vt quemadmodum alij delicias, & voluptates ſuas ſic ipſe cruces ſuas, quod opere, iam non poſſet, cogitatione ſaltem, ac deſiderio vſurparet. Eum ſibi præſcripſerat agendi ordinem, quem ægrè occurrens difficultas abrumperet. Amabat enim conſtantiam in vitæ curſu, quæ perpetuas occupationes ingerit, & otium neſcit. Quartam horæ partem, ac ſi Tironum vnus fuiſſet, in paranda meditatione impendebat; quartam item in Sacro præuidendo, ſæpiſſimè indicans præcipua duo noſtrorum Sacerdotum munera, præcipua quoque ſedulitate, ac diligentia eſſe obeunda. Et quamquam vix vllum tempus abſque oratione traducebat, matutinis tamen in officijs duas omnino reponebat horas, quibus continenter commentabatur cæleſtia, & ijs replebat pectus ardoribus, quos poſtmodum in colloquijs familiaribus euomebat. In quibus cùm caueret, nequid excideret ſibi, quod alicui ſalubre non eſſet, ita inſtituebat ſermonem, vt vel imprudens tempus abſumeret, quod ſibi aſſumpſerat ad dicendum. Cum haud ſemel fuiſſet admonitus, ne quæ dabat à prandio Alumnis ſuis inſtituta, tantum protraheret: ſuauiter arridens ignorantiam excuſabat, & præteruolantes accuſabat horas, quæ ſe de Deo verba facientem prolixitatis arguerent: Hoc porrò præ cæteris magni faciebat, quod quæ gerebat omnia, Præpoſiti Generalis ad nutum erant accommodata, cui quam libenter ſe ſubijceret, ex eo liquet, quod Deum Opt. Max. ob cuius amorem hominibus ſubiectus eſſet, nunquam prudens, quemadmodum ipſe aliquando teſtatus eſt, vel veniali offenderit noxa. Ingraueſcente ab annis deinde corpore haud raro inter ambulandum cadebat; at mirum! nullo incommodo ſuo. Acceptum referebat pius Senex Cuſtodi Angelo, ſine cuius præſidio nequaquam fieri potuiſſet, ne membrum aliquod tot in caſibus frangeret. Dixiſſes lacrymarum fontem in eo ſcaturire perpetuum, tam frequentes, tam copioſas effundebat, tum maximè cùm ea pertractabat, ad quæ iam pridem animus aſpirabat. Conabatur ille quidem conceſſam diuinitus gratiam tegere, & in peccatorum ſuorum ſarcinam id ipſum refundere. Sed fruſtra, nam qui viri virtutem norant, non alium quàm ardentiſſimum erga Superos amorem huiuſce rei cauſam deprehendebant. Vltimo affectus morbo lubens, volenſque flagellum accepit, ſeque ad multorum annorum tolerantiam promptiſsimum oſtendit paratus alioqui, vel pro momento è vita diſcedere, ſi ſtatutum ſic eſſet, & cùm hilari ſemper vultu, ac læta fronte viueret, mirari ſatis non poterat homines illos, qui cum ſe multis annis Religioni ſanctiſsimæ mancipaſſent, ad examen vltimum euocati conſcientiæ ſtimulis angerentur, & periculum detrectarent: indignum videlicet, nec ſine ſtomacho pronunciabat, mundo illos nuntium remiſiſſe, mundi tamen irretitos, vel extra mundum ipſum laqueis, ad ſummam felicitatem euolare non poſſe. Mortuus eſt plenus dierum & bonorum operum cùm incredibili tranquillitate Romæ die 20. Decembris anno 1639. ætatis 86. Societatis 68. à ſuſcepto gradu Spiritualis Coadiutoris 52. Edidit

Apparatum ad meditationes vitæ Domini noſtri Ieſu Chriſti, & de eadem meditationes. Item

Meditationes de votorum renouatione. Romæ apud Franciſcum Corbellettum 1631. in 8.

IOANNES BAPTISTA CYSATVS natione Germanus gente Heluetus, patria Lucernenſis natus anno ſalutis 1588. Societati ſe tradidit 1604. & vota 4. in ea profeſſus eſt. Indicā Miſſionem non ſemel ardenter expetiit, nec ſemel admiſſus, ſpe tamen ſuā excidit. Mathemata Ingolſtadij magnā cum commendatione docuit. Subinde Collegia Lucernenſe, Oenipontanum, & Eyſtadienſe Rector gubernauit, charitate, & prudentia laudabili. Demum Lucernæ patriæ ſuæ redditus inter varia librorum meditamenta denatus eſt die 3. Martij 1657. edidit itaquè.

Tabulam Coſmographicam Verſatilem qua ponit ob oculos Societatem Ieſu ita eſſe per terrarum orbem diſſeminatam, vt nulla non hora diei ab ea alicubi gentium Sacrificium

Deo immaculatum non offeratur. Edidit etiam

Mathematica Aſtronomica de Cometa anni 1618. Ingolſtadij typis Ederianis 1619. in 4.

* IOANNES BAPTISTA DAVILA natione Hiſpanus, patria Matritenſis, adſcriptus in Societatem anno ſæculi labentis 18. ætatis 20. vota 4. profeſſus, docuit in ea humaniores litteras, Philoſophiam, & annis 14. Linguas Hebræam, Syriacam, Chaldaicam; Vir valde eruditus, & apprimè religioſus, naturæ conceſſit Matriti die 8. maij anno 1664. Scripſit librum elegantibus verſibus Hiſpanicis decaſtichis editum ſub nomine Ioannis de Auila inſcriptum

Paſſio Hominis Dei. Lugdum 1661. in 4. Parauerat etiam typis Tomum teſte R. P. Fr. Petro de Alua in Militia de Immaculata Conceptione *De originali Mariæ Impeccabilitate*. Sed morte præoccupatus non edidit.

* IOANNES BAPTISTA ENGELGRAVE natione Belga, Antuerpiæ natus anno ſæculi fluentis primo, Societati ſe addixit 1619. & votorum quatuor Sacramentum ſolemne dixit. Rexit Collegium Brugenſe, & bis Prouinciam Flandrobelgicam adminiſtrauit. Romæ interfuit Congregationi nonæ Generali, poſtea dum Domum Profeſſam Antuerpiæ moderaretur ad laborum ſtipendia emigrauit ibidem die 3. Maij 1658. vir obſeruantiæ Religioſæ perquàm ſtudioſus, & paupertatis ſanctæ adeò amans, vt nec veſtes nouas nitentes induere voluerit, niſi priùs immerſas aquis, vt ſplendor omnis penitus aboleretur, nec in cubiculo elegantioris penicilli imagines manere paſſus ſit, nec denique in cibis etiam cùm afflicta eſſet valetudine ſingulare quidpiam permiſerit apponi. Edidit latinè

Meditationes per totum annum in omnes Dominicas, & Feſta. Antuerpiæ typis Hæredum Ioannis Cnobbari. 1658. in 4.

IOANNES BAPTISTA ESCARDVS natione Hiſpanus, patria Maioricenſis, Societatem amplexus eſt anno ſæculari 1600. ætatis ſuæ 19. & vota 4. ſolemnia nuncupauit. Verſatiſſimus fuit in humanis, diuiniſquè litteris, & in primis eloquentiæ laude floruit. Hanc per ſepennium cum plauſu Cæſarauguſtæ docuit; poſtea Euangelici præconis partes pluribus annis in præcipuis illius Prouinciæ Vrbibus magno animarum lucro egregiè ſuſtinuit. In Concionibus quippe exercuit imperium in Auditores ſuos, flectendo quocumque vellet, vt vix vlla Concio abiret ſine lacrymis, morumque mutatione. Id extinguendis odijs vis dicendi maximè eluxit, & in obeundis Miſſionibus per pagos, & oppida plane mira patrauit. Demum annis fractus, & laboribus, exceſſit ex hac vita Maioricæ circa annum 1652. Edidit Hiſpanicè.

Concionem in obitu Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi D. Balthaſaris Borgiæ Epiſcopi Maioricen. Maioricæ 1630. in 4. Item

Rhetoricam Chriſtianam, ſiue Ideam Concionatorum ad explicandum populo Verbum Dei. Opus dignum Zelo, pietate, & eruditione tanti viri. Maioricæ 1647. in 4.

IOANNES BAPTISTA FERRARIVS natione Italus, patria Senenſis, vir multi ingenij, & eruditione præſtans, adſcitus in Societatem anno ſalutis 1602. ætatis duodeuigeſimo, vota quatuor profeſſus, litteras amæniores docuit quadriennio, Linguam Sacram in Collegio Romano tradidit annis vndetriginta; demum Senis denatus, ad cœleſtem patriam (vt fas eſt credere) migrauit Calendis Februarij 1655. Edidit

Floram, ſeu de cultura florum libros 4. cum iconibus. Romæ apud Stephanum Paulinum 1633. in 4. recuſam Amſterodami apud Ioannem Sanſon 1646. in 4. & Italicè prodijt Romæ 1638. in 4. Præterea

Laudationem Marſilij Cagnati Medici in eius funere habitam. Romæ apud Maſcardum 1612. in 4.

Nomenclatorem Syriacum. Romæ apud Stephanum Paulinum 1622. in 4.

De Chriſti liberatoris obitu orationem habitam coram Gregorio XV. ipſo Paraſceues die. Romæ typis Alexandri Zannetti 1623. in 4. Ea cum alijs aliorum de eodem argumento excuſa eſt. Romæ typis Maſcardi 1641. in 12.

Orationes 25. Lugduni 1625. & mox additis 9. alijs Romæ, & Mediolani 1627. in 16. & rurſum 3. additis Romæ apud Facciottum 1635. in 24. his adde

Heſperides, ſiue malorum aureorum culturam, & vſum libris 4. Romæ typis Maſcardi 1646. in folio

Collocutiones. Senis apud Bonettos 1646. in 4.

* IOANNES BAPTISTA GANDVTIVS natione Italus, patria Romanus, natus anno ſæculi labentis ſecundo, Societati nomen dedit 1618. & votorum quatuor profeſſione ſe adſtrinxit. Multos annos Litteras amæniores Romæ docuit, & miſſus Parmam, iiſdem Sereniſſimum Ducem Rainutium II. & Principes illius fratres imbuit. Nunc eſt à ſacris Confeſſionibus Sereniſſimæ Duciſſæ illorum matri. Edidit

Deſcriptiones Poeticas ex probatioribus Poetis excerptas, & in ſuas claſſes ordine diſtributas. Parmæ typis Marij Vignæ 1666. in 12. Item

Deſcriptiones Oratorias ex probatioribus Auctoribus in ſuas claſſes ordine digeſtas. Parmæ typis iiſdem 1666. in 12. & iterum Ibidem cum auctario 1670.

IOANNES BAPTISTA GIATTINVS natione Siculus, patria Panormitanus, natus anno ſæculi voluentis primo, Societati nomen dedit 1615. die 13. Octobris, relicto ampliſſimo patrimonio, quod Romano deinde Collegio legauit, vnà cum Vincentio Patre ſuo, & ſorore lectiſſima Antonia. Ingenio

præſtanti, & ſtudio pertinaci, omnes omnino diſciplinas egregie aſſecutus, illaſdem alios etiam informauit. Rhetoricam in Panormitano Collegio docuit, litteras Græcas in Romano, ſicut, & Matheſim quinquennio, Philoſophiam nouennio, Theologiam moralem triennio, Scholaſticam octennio, & Studijs ſuperioribus ibidem annis tredecim moderatus eſt, vſque ad ſupremum diem. Vir præclare de ſummo illo doctrinarum in Societate Athenæo promeritus, quod annuo ſex aureorum millium prouentu auxit, ſuæque ſapientiæ ſplendore illuſtrauit. Adhibitus etiam à ſummis Pontificibus fuit cum alijs doctiſſimis viris ad Arabicas laminas explicandas, (nam polyglottus fuit) ac præter alias minus illuſtres linguas, eximie calluit Græcam, Hebraicam, Chaldaicam, Syriacam, Arabicam. Fuerunt quoque illi manus Dædaleæ, quibus omnia præſtare poterat, & etiam horologia rotis circumacta conflare. Inter ipſius virtutes enituit ſingulare ſtudium paupertatis, beneficentiſſimum ingenium, ardor ſalutis animorum, quo licet innumeris literariis curis vrgeretur, conciones frequenter habebat, & aures nunquam defeſſas dabat ijs, qui de ſuis ſe criminibus accuſabant. Vtque Catholicæ rei prodeſſet ſexagenario maior, atque editis in lucem ingenii ſui monimentis inclytus, alienum opus in Linguam Latinam vertendum ſuſcepit, non ſine Vrbis admiratione, Italicam videlicet Tridentini Concilij Hiſtoriam, à Sfortia Cardinali Pallauicino conſcriptam. Calculi demum doloribus confectus, obita totius vitæ exomologeſi, religioſiſſime deceſſit, in Collegio Romano, anno ætatis ſuæ 72. inſtaurati orbis 1672. die 19. Nouembris, ab emiſſione votorum quatuor 38. Edidit

Peroratıonem ſanguinis, Orationem à ſe in Sacello Vaticano coram Vrbano Octauo Pontifice Maximo habitam anno 1637. Romæ typis Franciſci Corbelletti, & poſtea cum alijs aliorum recuſam, ibidem 1641. in 12.

Tranſtulit è Græco

Cyrilli Alexandrini in Euangelium ſecundum Ioannem librum 5. & 6. aduectos Chio, quibus vſus eſt noſter Cornelius à Lapide, quos cùm antea ineditos pararet prælo, occupauit emittere in lucem alius, eoſdem vnde vnde nactus. Edidit præterea tacito ſuo nomine

Panærides Apes. Carmina in laudem Franciſci Cardinalis Barberini Romæ 1627.

Orationes Sacras 24. habitas ad ſummos Pontifices. & S. R. E. Cardinales, Romæ typis Ignatij de Lazaris 1661. in 12.

Logicam. Romæ typis Hæredum Corbelletti 1651. in 4.

Phyſicam. Ibidem, & ijſdem typis 1653. in 4.

Hiſtoriæ Tridentini Concilij, quam ex Italica Sfortiæ Cardinalis Pallauicini Latinam fecit, Tomos tres. Antuerpiæ typis Balthaſsari Moreti 1672. in 4.

Orationem habitam Panormi in Luſtratione ſtudiorum 1630.

Naſcenti Virgini Vniuerſitatis obſequia in Seminario Romano habita.

Primæ Innocentiæ reditum, habitum in eodem Seminario.

Galliambum in Laudem Magni Ducis Hetruriæ. Florentiæ.

Leonem Philoſophum, Tragediam. Romæ typis Heredum Corbelletti 1646. in 8.

Cafres, Tragædiam. Typis ijſdem 1649. in 8.

Antigonum, Tragædiam moralem. Ibidem 1661. in 8.

Ariadnem Auguſtam, Tragædiam. Romæ typis Ignatij de Lazaris 1662. in 4.

Epiſtolam de libello, cui titulus eſt Inclinationum Appendix. Romæ typis Hæredum Corbelletti 1650.

Relationem de magna Monarchia Sinarum ſcriptam Luſitano Idiomate à noſtro Aluaro Semedo, Italice reddidit. Romæ per Hermannum Scheus 1643. in 4. Reliquit ineditum

Volumen contra Hæreticos huius Temporis, quo proſecutus eſt Controuerſias Roberti Cardinalis Bellarmini. Item

Tractatum de Horologijs.

Nouam Ariſtotelis verſionem latinam aggreſſus fuerat, ſed non abſoluit.

Tragædias, & Comædias plurimas, quas ferè quot annis agunt Romani Seminarij Adoleſcentes.

* IOANNES BAPTISTA GRASSETTVS natione Italus, patria Matelicanus in Piceno, natus anno ſæculi præterfluentis nono, Deo ſe in Societate dicauit 1627. & votorum quatuor ſacramento ſe obſtrinxit. Poſt traditas literas humaniores, Philoſophiam quinquennio docuit; rexit Collegium Bituricenſe, & modò à multis annis Operarium ſedulum agit Romæ in Domo Profeſſorum. Edidit lingua Vernacula librum inſcriptum

Magiſter Diuinus in Cathedra Crucis, ſiue *Sermones De ſeptem Verbis Chriſti in Cruce prolatis*. Romæ typis Philippi Mariæ Mancini 1674. in 4.

Paratos habet Sermones de Euchariſtia pro omnibus Dominicis, & feſtis per annum.

* IOANNES BAPTISTA GVESNAY natione Gallus, natus Aquis Sextijs in Prouincia, anno ſæculi præteriti 85. Societati ſe applicuit prætereuntis primo, & votorum quatuor profeſſionem emiſit. Sexennio Philoſophiam tradidit, quadriennio Theologiam. Rexit Collegium Biſuntinum, Aueniouenſe, Arelatenſe, Viennenſe, & quinquennio præfuit Noſtris Maſſiliæ. Vir apprime religioſus, diſciplinæ amans, & obſeruans, diem clauſit extremum Aueniche 4 Nouembris 1658. Edidit

Magdalenam Maſſilienſem, ſeu de Aduentu Magdalenæ in Gallias, & appulſu Maſſiliam. Lugduni per Hieron. de la Garde 1643. in 4.

Maſſiliam Gentilem, & Chriſtianam, ſiue

Anne-

Annales Prouinciæ Maſſiliæ. Lugduni apud Antonium Cellier 1657. in folio

Ioannem Caſſianum illuſtratum. Lugduni apud Antonium Cellier 1652. in 4.

IOANNES BAPTISTA LABBE natione Germanus, gente Auſtriacus, patria Viennenſis, Matheſim docuit, & Theologiam Moralem dein multis annis ad populum pro concione, tum alibi, tum in Æde principe S. Stephani Viennæ dixit, magna approbatione donec ætate, & laboribus fatigatus ibidem obdormiuit in Domino, vir antiqui candoris, & virtutis die 23. Aprilis anno ſalutis 1633. ætatis 62. Societatis 24. à nuncupatis 4. votis ſolemnibus 18. Vulgauit Germanicè

Articulos aliquos Catholicæ Fidei per interrogationes explicatos, ex voluntate Eminentiſſimi Franciſci Cardinalis Dietrichſtain, ſuppreſſo ſuo nomine, Viennæ 1628. Item

Solamen ijs, qui nimium timent ſubitaneam, & improuiſam mortem. Viennæ 1632: Parabat edere

Concionum, quas Viennæ per annos 20. habuit, Tomos 7. ni mors occupaſſet

IOANNES BAPTISTA LANZAVECCHIA natione Italus, patria Alexandrinus in Inſubria, Societatem ingreſſus in Bætica anno ſalutis 1579. ætatis ſuæ 16. in ea ad 30. annos Philoſophiam Cordubæ, Theologiamque tanta cum laude, & nominis æſtimatione tractauit, vt doctiſſimi quique per vniuerſam Hiſpaniam eius dictata auidiſſimè conquirerent. Vir fuit clarus omninò naturæ dotibus; ſed Diuinæ Gratiæ muneribus longè clarior, & inter hæc ſui deſpicientia clariſſimus. Prenſari, viſitarique addoctiſſimis quibuſque, & grauiſſimis, ipſe defugere ſi poſſet; ſin minus certè neminem reuiſere, omnibus modeſtiam ipſius pro excuſatione admittentibus. Nunquam nouo amictu niſi iuſſus, aut pio dolo circumuentus, eſt vſus. Neminem abſentem, præſentemue verbo perſtrinxit. Eximiæ patientiæ ſpecimen ſupremo in morbo, quo annum ipſum diuexatus eſt, præbuit, nullo, niſi ab oratione, quam ſemper habuit familiarem, ſolatio quæſito. Obijt Cordubæ die 10. Februarij anno 1616. magno ſui deſiderio, & egregiæ ſanctimoniæ opinione poſt ſe relictis. Seruantur in illo Collegio multi ipſius Tractatus Theologici, quorum, qui eſt

De Incarnatione Verbi Diuini ab alio quopiam magna ex parte typis vulgatus eſt ſuppreſſo veri Auctoris nomine

IOANNES BAPTISTA DE MACHAVLT, ſiue MACHALTVS natione Gallus, patria Pariſinus ex familia Ordinis Senatorij, Societatē Romæ anno 1609. ætatis 18. complexus eſt. Vir non vulgari eruditione, Eloquentiam Lutetiæ profeſſus eſt. Niuernenſe Collegium, & Rothomagenſe Rector adminiſtrauit. Obijt Pontiſaræ die 22. Maij 1640. Emiſſa pridem antea votorum quatuor profeſſione. Edidit

S. Anſelmi Diſſertationem de felicitate Sanctorum. Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoiſy 1638. in 8.

Triumphum, quo Victor Rupella rediens Ludouicus XIII. Lutetiæ exceptus eſt. Gallicè apud Petrum Recollet 1629. in fol.

Vitam B. Ioannis de Montmirel Monachi. Ordinis Ciſtercienſis, quæ poſt obitum Auctoris edita eſt. Pariſijs typis Sebaſtiani Cramoiſy 1641. in 8. Gallicè

Geſta à PP. Societatis Ieſu in Regno Sinenſi annis 1625. & duobus ſequentibus. In Aethiopia 1624. & biennio ſequenti. In Regno Tibetano anno 1624. Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoiſy in 8.

Notationes in Hiſtoriam Iacobi Thuani, quæ huic adſcriptæ ſunt in priori Editione huius operis, fuerunt opus P. Ioannis de Machaut, de quo infrà ſuo loco

* IOANNES BAPTISTA MANNIVS natione Italus, patria Mutinenſis Societati nomen dedit anno ſæculi voluentis 25. ætatis 19. & vota quatuor ſolemnia nuncupauit. Operarius inſignis, & actuoſus; ad triginta, & octo annos Eccleſiaſten iam egit per Italiam in celebrioribus Vrbibus, & præterea in Sacello Auguſtiſſimæ Imperatricis Eleonoræ, Viennæ Auſtriæ, feruore magno, & fructu eximio. Per interualla etiam rexit Collegia Mutinenſe, Parmenſe, Mantuanum, Bononienſe, & modò Placentinum Rector adminiſtrat. Electus etiam à Prouincia in Procuratorem triennalem, Romæ Congregationi Procuratorum anno 1672. interfuit. Edidit Italicè

Quatuor maximas, ſeu Axiomata Chriſtianæ Philoſophiæ ex Conſideratione æternitatis deducta. Libellum mole exiguum. Sed fructu maximum, & ab anno 1643. Florentiæ, Romæ, Venetijs, Lucæ, & alibi vigeſies ſepties recuſum. Latinè redditus prodijt Duaci 1645. & Hiſpanicè translatus Romæ typis Vareſij 1671. excuſis ad ſex millia huius translationis exemplis, per Hiſpanias, & Indias diſtribuendis. Præterea Scripſit

Breuem inſtructionem de Exercitijs Chriſtianæ pietatis, quæ in templo Domus Profeſſæ Romanæ diebus Veneris pro bona morte obtinenda obeuntur. Romæ apud Maſcardum 1649. in 24. Venetijs 1662. & alibi

De Honore, & cultu debito ſacris imaginibus. Mutinæ typis Andreæ Caſſiani 1649. in 8.

Sacrum Trigeſimum, ſeu Conciones 30. de Purgatorio, ad ſuffragia pro Animabus illis implorandа. Venetijs apud Nicolaum Pezzanum 1666. in 4. Recuſas cum totidem Partibus Secundis. Bononiæ apud Riccardinum 1673. in folio

Varias, & veras imagines mortis ad peccatorem duri cordis. Venetijs apud Ioannem Iacobum Hertz 1669. in 8.

Mor-

Mortem exarmatam, & amaritudinem illius dulcedine temperatam per artem duplicem bene moriendi, & moribundos adiuuandi. Venetijs typis iiſdem 1669. in 8.

Carcerem æternum Inferni. Ibidem eodem anno in 8.

Imagines gloriæ Cœleſtis cum expoſitione, & exemplis. Ibidem 1670. in 8.

Tribunal intolerabile Dei iudicantis. Ibidem 1671. in 8.

Epitomen vitæ exemplaris Sereniſſimæ Mariæ Gonzagæ Ducis Mantuæ, & Monferrati. Viennæ typis Ioann. Bapt. Hacque 1669. in 4.

Congregationem nobilem, ac piam Dominarum Cruciferarum fundatam ab Auguſtiſſima Imperatrice Eleonora. Viennæ iiſdem typis, & anno in 8.

IOANNES BAPTISTA MARTIGNAC natione Gallus, patria Sebuſianus diœceſis Lugdunenſis, Societati adſcriptus anno ſalutis 1598. ætatis 17. vota quatuor profeſſus, Humaniores litteras ſeptennio docuit, tum Philoſophiam, & Sacras Litteras eſt interpretatus. Concionatorem multis annis egit. Vir doctus, & orationi deditus, deſijt inter mortales viuere Auguſtoduni, vbi regebat Collegium die 6. Ianuarij 1627. Edita eſt ſub illius nomine per errorem Typographi

Sylua radicum Hebraicarum ordine Alphabetico. Pariſijs apud Sebaſtianus Cramoisy 1622. in 8. Nam verus illius auctor fuit noſter Nicolaus Riqueil Rothomagenſis, qui obijt Rhemis 16. Octobris 1643.

IOANNES BAPTISTA MARTINENGVS natione Italus, patria Brixienſis, honeſtam vitamglorioſa morte coronauit dum die 6. Iulij anno ſalutis 1630. Bononiæ animam pro fratribus peſte afflatis, quorum ſe adſtrinxerat obſequio, poſuit, cum vixiſſet annos 41. in Societate verò 27. pridem quatuor vota profeſſus. Edidit Italicè præfixo nomine fratris ſui Comitis Marci Antonij Martinengi, opus

De Laudibus Beatiſſimæ Virginis inſcriptum, *Helice deuotis B. V. Deiparæ*.

IOANNES BAPTISTA MASCVLVS natione Italus, patria Neapolitanus, vir corpore puſillus, ſed ingenio, & eruditione magnus, & feliciſſimus inter cætera Poeta Lyricus, ingreſſus in Societatem anno 1598. ætatis 16. vota quatuor profeſſus eſt. Iuniores noſtros Scholaſticos laudabili exemplo annos 17. Rhetoricam docuit. Sacras Litteras, & Linguam Sanctam aliquamdiu explicuit. Magnam de ſe aliorum exiſtimationem mirificè cum ſui deſpicientia coniunxit; nunquam nouis, plerumque attritis veſtibus vſus. Clariſſimorum hominum, vt ſui laudes præcideret, colloquia deuitabat. Tandem graſſante lue in Collegio Neapolitano mortalitatem exuit die 20. Iulij 1656. ætatis ſuæ 74. Elogium inſigne de eo texit Laurentius Craſſus in ſuo opere de Hominibus litteratis Part. I. Scripſit Maſculus

Lyricorum, ſeu Odarum libros XV. Neapoli apud Dominicum Macaranum 1626. in 12. Acceſſit poſtmodùm lib. 16. aduerſus Hæreticos horum temporum

Veſuuianum incendium anni 1631. lib. 10. Neapoli apud Secundinum Ragogliolum 1634. in 4.

Encomia cœleſtium digeſta per ſingulos anni dies, vna cum veterum Faſtis, quibus Chriſtianæ Religionis præponuntur Faſti. Neapoli apud Frāciſcum Sauium 1638. in 4. Recuſa cum auctario. Neapoli 1643.

Encomiorum Tomum II. ſeu Encomia illuſtrium virorum, & fœminarum veteris hiſtoriæ ſacræ, vnà cum collatione Externorum, qui illis fuerunt Synchroni. Neapoli typis Ægidij Longi 1641. in 4.

Perſecutiones Eccleſiæ cruentæ. Neapoli apud Dominicum Maccaranum 1652. in 4.

Eruditarum lectionum veterum Sanctorum Patrum, cum ponderatione, & vſu Sententiarum ad Conciones tomos 4. quorum

I. Eſt ex operibus S. Hieronymi. Venetijs apud Sauionos 1646. in folio

II. Ex operibus S. Auguſtini. Neapoli apud Dominicum Macaranum 1652. in folio

III. Ex operibus S. Ambroſij. Neapoli apud Camillum Caballum 1656. in folio

IV. Ex operibus omnibus S. Gregorij Nazianzeni, & S. Baſilij Magni opus Poſthumum Neapoli apud Hæredes Roberti Molli 1660. in folio

IOANNES BAPTISTA MONTIVS, ſeu MONTANVS natione Italus, patria Ferrarienſis, Societatem ingreſſus anno ſalutis 1555. non multò poſt in Indiam, & porrò in Iaponiam anno 1562. opportunè ad albeſcentem ibi meſſem animarum ſubſidiarius nauigauit, ibique 25. annorum ſpatio tum Arimæ, tum Firandi, tum in Inſula Gotò, & præſertim in Bungenſi Regno impigrè laborauit, ſuſtinente molem corporis grandiorem, vt animi atque ſpiritus. Vberem collegit meſſem, adducto præter alios complures ad Eccleſiam Chriſti Principe Gotenſi Ludouico, & ſubinde Toſenſi quoque Rege Paulo, ſed qui fructus Euangelij eſt, ſæpe ignominiam crucis, per ludibria, per lapidationes expertus, primum quoque funeſtę perſecutionis impetū à Quabacondono, Imperatore perpeſſus. Firandi, virtutum, atque ærumnarum meritis ornatus occubuit die 7. Septembris anno 1587. ætatis ſuæ 58. Scripſit

Epiſtolas quinque de rebus Iaponicis ab anno 1564. vſque ad annum 1571. quæ Luſitanicè extant in volumine iuſſu Theotonij Archiepiſcopi Eborenſis edito. Et binæ earum latinè apud Ioannem Petrum Maffeium lib. 4. Epiſtolarum Iaponicarum

* IOANNES BAPTISTA NOCETVS natione Italus, patria Genuenſis, natus anno ſæcu-

ſæculi præterlapſi 86. Societati ſe adiunxit labentis 2. & vota quatuor ſolemnia nuncupauit. Docuit amæniores litteras, & Philoſophiam, & Sacram Scripturam ſexennio eſt interpretatus. Conciones ad populum ſæpe habuit; modò octogenario maior Genuæ in Domo Profeſſorum degit. Edidit Italicè

Cœleſte Ancile, ſiue *ſcutum veritatis contra Iacula mendacij*. Pariſijs apud Thomam la Carriera 1655. in 4. Item

Aſtrologiam optimam, Indifferentem, Peſſimam. Pariſijs typis Henrici Sara 1663. in 8.

IOANNES BAPTISTA PERVSCVS natione Italus, patria Romanus, qui iam vir Societatis iugum viuente etiamnum S. P. N. Ignatio ſubijt, cùm ſuaui Domini iugo ceruices, iam inde à florenti ætate ſubiecisſet ſub S. Philippi Nerei pia, ſanctaque diſciplina. Votis quatuor ab anno 1560. ſolemni ritu conceptis Romæ in manibus S. Franciſci Borgiæ, ita profeſſioni factis moribuſque reſpondit, vt meritò in numerum Patrum naſcentis Societatis referri poſſe videatur. Vir fuit præſtanti demiſſione animi, antiquæ atque euangelicæ ſimplicitatis cum pari tamen rerum gerendarum prudentia iunctæ. Annos ferè quinque, & viginti in Societate, quà Rectoris, quà localis, & Prouincialis Præpoſiti munus obiuit; gubernauit etiam aliquot Collegia, & in ijs Florentinum, Tres Domos Profeſſas, & Prouinciam Mediolanenſem. Tantæ erat in proximos caritatis, vt vir pene decrepitus ad ſupremam ægrotationem confeſſionibus audiendis multam operam daret aſſidue, & ad rudes in pagis iuuandos magna animi alacritate contenderet. Demum anno ſalutis 1598. die 18. Decembris in Romana Profeſſorum Domo, Profeſſus ipſe eius Prouinciæ antiquiſſimus, annos natus 73, vitam immortalem morte (vt fas eſt credere) conſecutus eſt. Scripſit S. Caroli Borromæi rogatu Italicè

Inſtructionem Confeſſariorum, & Sacerdotum. Vertit ex Hiſpanico in ſermonem Italicum, librum

Didaci Stellæ de contemptu mundanæ vanitatis. Denique poſtremo Italicè

Hiſtoricam Narrationem de Rege Mogor, & Regnorum Iaponiæ conuerſione, ex litteris annuis 1592. Romæ typis Zannetti 1597. in 8.

* IOANNES BAPTISTA PLENGG natione Germanus, gente Auſtriacus, patria Spitallo ad montem Pyrrhum natus anno ſæculi fluentis 20. Societati ſe applicuit 1636. & votorum quatuor ſacramento ſe obligauit. Prælegit in ea litteras humaniores, Ethicam, Philoſophiam, & Theologiam. Rexit Collegium Lincenſe, in quo modò operarium ſedulum agit. Edidit

Pias Conſiderationes ad declinandum à malo, & faciendum bonum cum iconibus Viæ vitæ æternæ noſtri Antonij Sucquet. Viennæ Auſtriæ typis Leopoldi Voigt 1672. in 4.

IOANNES BAPTISTA POSAREL natione Italus, patria Bergomenſis Societatem iniuit anno 1604. ætatis 21. in qua Theologiam, Philoſophiam moralem, & diuinas litteras, tum Græcij Styriorum, tum Viennæ Auſtriæ multos annos profeſſus, Sacroſanctæ Theologiæ Doctor renunciatus; Goritienſis Collegij Rector fuit, & Patrum, qui tertio anno probantur Inſtructor, vota quatuor profeſſus 1622. Iuuenis Philoſophicis imbutus diſciplinis eo fine Societati ſe aggregauit, vt ſalubriorem Philoſophiam, hoc eſt, vt aiebat ille, artem bene moriendi adiſceret, atq; in id potiſſimum opus quadraginta, & quatuor annorum ſpatio, tanta contentione incubuit, vt non facile præteriret diem, quo ſe per aliquam illius partem ſpeciali mortis recordatione ad ſupremum agonem non præpararet. Meditationi, & orationi ſingulariter addictus fuit; preces Canonicas, vt plurimùm de genibus ante Venerabile perſoluebat; poſt ſuam lectam ternis alijs Miſſis intereſſe ſolitus. Interiorem animi nitore, mortificationis, & flagellorum vſu conſeruabat, augebatque in dies. Paupertatis ſanctæ cultor eximius, remouebat à ſe ſuperflua, pauculis ijſque neceſſarijs tantùm rebus contentus. Tenerrimum ſemper alebat erga Deiparam Virginem affectum, eique certas per hebdomadam decernebat abſtinentias; deſtinatas euoluebat quotidie preces; ſpeciales eam honorandi inueniebat modos, atque, vt ab alijs idem fieret, dux erat, & auctor. Eiuſdem honori conſecrauit opus pium Coronæ duodecim ſtellarum. Contemptu ſui ſe delectans, honorifica declinabat, & cùm munus Rectoris cogente obedientia adijſſet, ſuadente ſubmiſſione per repetitas preces à Præpoſito Generali impetrauit, vt ab eo officio liberaretur. Iudicia non leuia ſunt ipſum diuinitus præſenſiſſe tempus mortis, quà letargo oppreſſus, ſed ſacramentis rite præmunitus oppetijt ipſo die B. Virgini immaculatè conceptæ ſacro, prout præſignauerat, Goritiæ die 8. Decembris 1648. Scripſit

Quadrigam Heroum errantium, ſiue de quatuor cauſis, quibus impediuntur Euangelici, ne Fidem Catholicam ſuſcipiant. Coloniæ apud Ioann. Kinchium 1631. in 8.

Coronam Stellarum Duodecim, ſiue De Excellentia Virginis duodenaria, eiuſque imitatione. Viennæ typis Georgij Gelbhaar 1638. in 4.

Suas de Philoſophia ſententias. Græcij ab Illuſtriſſimo D. Georgio Draskouitio, diſputationi propoſitas iuſtæ molis volumine vulgauit formatas in Theſes

* IOANNES BAPTISTA RAGON natione Gallus, patria Clamecij in diœceſi Altiſiodorenſi, natus anno ſæculi exacti 92. Societati nomen dedit vertentis 10. & vota quatuor ſolemnia concepit. Poſt traditas ſexennio amæniores litteras, Concionibus ad populum habendis applicatus, quadraginta duo-

duorum annorum ſpatio, eo munere magna laude, & fructu perſunctus eſt; tum guberna culis admotus, non intermiſſis concionibus, rexit Collegia Aurelianenſe, Rothomagenſe, Pariſienſe, & Prouinciam Aquitaniæ admi-niſtrauit. Electus à Congregatione Prouinciali Franciæ interfuit Congregationi Vndecimæ Generali, poſtea Domui Profeſſæ Pariſienſi præfuit, & tam ibi quàm alibi vbicumque præſedit, exactam regularum obſeruantiam exemplo, & monitis promouit. Die Virgini Conceptæ ſine labe ſacro, cum à prima luce vſque ad meridiem Confitentes in templo audiuiſſet, poſtridie incidit in aliquem defectum virium, quaſi apoplecticum, & die 11. eiuſdem menſis ex hac vita exceſſit (vti ſperare fas eſt) ad beatam anno 1670. ætatis 79. Edidit Gallice

Fœdus inter perfectiones Verbi Diuini, & infirmitates naturæ humanæ in myſterio Incarnationis, Pariſijs apud Franciſcum Muguet 1662. in 4.

Caluariam, ſiue *de Myſterijs Paſſionis Chriſti, Conciones 30.* Pariſijs apud eundem 1666, in 4.

Octauas duas Concionum de Sanctiſſimo Eucharistiæ Sacramento. Pariſijs apud Iacobum Henault 1668. in 8.

Centum exhortationes de virtutibus ad perfectionem Chriſtianam, & religioſam ſpectantibus, prælo paratas moriens reliquit, ſicut, &

De Martyribus Iaponienſibus, librum inſignem; ſed nondum in lucem prodierunt.

IOANNES BAPTISTA RICCIOLIVS natione Italus, patria Ferrarienſis, natus anno reparatæ ſalutis 1598. adoleſcens adhuc propoſitum ingrediendi Societatem voto firmauit nuncupato, ſi ope S. Ignatij Loyolæ ex nouem menſium ægritudine, qua decubuerat in lecto, conualeſceret, id quod feliciter conſecutus eſt. Reus igitur voti, & defunctus periculo gangrenæ, propter quod ſecari debuerat crus, tulit argenteam tibiam cum coxendice ad Templum Collegij Ferrarienſis, ſuſpendiquè curauit inter alia anathemata ſub icone S. Ignatij, & mox Societatem anno 1614. die 6. Octobris Nouellariæ ingreſſus eſt. Docuit in ea Poeſim, Rhetoricam, Philoſophiam, & per decennium Theologiam partim Bononiæ, partim Parmæ, vbi etiam ſtudiorum Præfecturam geſſit, emiſſa profeſſione votorum quatuor anno 1635. Bis in Congregatione Prouinciali electus eſt. vt Generalibus Comitijs Romæ intereſſet, ſed inualetudine impeditus committere ſe itineri non potuit. Vir omni ſcientiarum genere excellenter excultus, & magni nominis præſertim poſt editum Almageſtum, etiam ipſos apud Hæreticos, quorum aliqui libros illi ſuos dedicarunt. Verùm ea claritas nominis non labefactauit in modeſtiſſimo Patre ſtudium humilitatis. Vnde cùm nonnulla per errorem irrepſiſſent in ipſius Chronologiam, quæ, & Superioribus, & alijs diſplicuerunt, ideòque grauiter animaduerſum in ipſum fuerit, nihil ille rei acerbitate commotus, inflictam ſibi pœnitentiam religiosè ſubijt; imò gratias Deo egit, quod morti proximum eo velut ictu, infirmitatis ſuæ, quaſi tacto femore, commonuiſſet atque ita non multò poſt piè ex hac vita emigrauit Bononiæ, die 25. Iunii 1671. Edidit doctiſſimus Pater quamuis imbecilliſma vſus valetudine, & ægritudinibus diuerſis conflictata

Proſodiam Bononienſem. Bononiæ 1639. quam deinde recognitam, auctam, & duobus Tomis comprehenſam emiſit ſub titulo

Proſodiæ Reformatæ. Bononiæ typis hæredis Victorij Benatij 1655. in 8.

Crucis Geographicæ fabricam cum Tabula omnium Eclipſeon vſque ad annum 1700. Bononiæ typis Ferronij 1643. in folio.

Almageſtum nouum, Aſtronomiam veterem nouamque complectens, cuius pars prima duobus Tomis prægrandibus conſtans excuſa eſt, Bononiæ typis hæredum Victorij Benatij 1651. in folio.

Geographiæ, & Hydrographiæ reformatæ Libros duodecim. Bononiæ typis iiſdem 1661. in folio.

Aſtronomiæ reformatæ Tomos duos, quorum Prior *Obſernationes, hypotheſes, & fundamenta Tabularum*. Poſterior *præcepta pro vſu Tabularum, & ipſas Tabulas centum, & duas continet*. Bononiæ typis iiſdem 1665. in folio.

Vindicias Kalendarij Gregoriani aduerſus Franciſcum Laueram. Bononiæ typis iiſdem 1666. in folio.

Chronologiæ reformatæ Tomos tres, quarum *Primus continet doctrinam temporum*; Secundus *Chronicon magnum, & ſelectum*. Tertius *Catalogos perſonarum, rerumque inſignium*. Bononiæ typis hæredum Dominici Barberij 1669. in folio. In hanc editionem illapſi ſunt aliqui errores, qui tamen ab Auctore ante obitum opportunè ſunt emendati.

De Diſtinctionibus Entium in Deo, & Creaturis. Bononiæ typis Iacobi Monti 1669. in folio.

Euangelium vnicum ex ipſis verbis 4. Euangeliſtarum conflatum. Bononiæ typis hæredis Victorij Benatij 1667. in 12. in meditationes diſtributum, cum notis ad Hiſtoriam, ſenſumque litteralem pertinentibus.

De Immunitate ab errore tàm ſpeculatiuo, quàm practico Definitionum Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, in Canonizatione Sanctorum, Inſtitutione Feſtorum Eccleſiaſticorum, & Deciſione Dogmatum, quæ implicitè tantum in Verbo Dei ſcripto, vel tradito continentur. Bononiæ 1668. in 4.

Argumentum Phyſico-Mathematicum contra motum Terræ diurnum, & Apologiam pro eodem argumento, contra Syſtema Copernicanum. Venetijs 1669. Scripſit etiam

Veri-

Veritatem Definibilem Præſeruationis Deiparæ Virginis Mariæ à peccato Originali ex Conſtitutione Alexandri VII. Pont. Max. ſed hic liber quamuis ſit recognitus Romæ, & approbatus à Conſultoribus Sacræ Inquiſitionis, nondum eſt editus.

IOANNES BAPTISTA ROMANVS, ſiue ELIANVS natione Aegyptius, patria Alexandrinus. Is Religione Hebræus, Elias nomine ab auo materno Elia Aſchenatio puer inſtitutus, & in Germaniam ductus eſt. Mox adita Aegypto, Ieroſolyma, Conſtantinopoli, ingenio & memoria pollens præter Hebraicam, Latinamque linguam, Italicam, & Hiſpanicam, etiam Germanicam, Turcicam, Arabicam didicerat. Venetias appulſus, vt fratrem Chriſtiana Sacra complexum retraheret, à Ioanne Baptiſta Contareno clariſſimo viro deductus ad Andream Fruſium noſtrum, vt hominem Hebraicè perdoctum, ſanctumque vita conueniret: Hunc vt vidit Elias, ſingularem oris modeſtiam, & ſuauiſſimam grauitatem admirans, Angelum ſibi videre viſus eſt. Eius conſuetudine, & virtutum exemplis excitatus, oculos ad veritatem aperuit, & Sacro Euangeliſtæ Matthæi die anno 1551. tinctus eſt Baptiſmo, nomine Ioannis Baptiſtæ delecto. cognomentumque ex veteri nomine Elianus adſciuit. Nec multò poſt Sociorum magis, magiſque conſuetudine illectus, & Indicarum lectione litterarum incenſus, contendit à Fruſio, vt in Societatem ſeſe ipſum reciperet; quod Sancto Ignatio conſentiente ad multarum animarum remedium impetrauit. Anno 1561. Chriſtophoro Rodericio noſtro, qui à Summo Pontifice Pio IV. Nuntius Memphim legabatur ad Cophthorum Patriarcham additus eſt Socius ob linguarum, & nationum peritiam ſuper excellentem virtutem, & flagratiſſimam charitatem. Vix Alexandriæ Elianus apparuit, cùm oculos in eum ſibi notum conjecerunt Hebræi: & quia grauiſſimè oderant, quod non ſollùm ipſe ad Chriſtum tranſierat, ſed & fraudes eorum in lucem proferens, redarguenſque perfidiam, multos alios attrahebat. & magnam Romæ Thalmudicorum librorum vim incendendam curauerat, fictis criminibus exitium ei ſunt machinati. Auctor conſilij fuit Ioannis Baptiſtæ mater anus Hebræa, quæ inſtigare nunquam Iudæos deſtitit, quoad conſtituère omninò Ioanni Baptiſtæ, vel Chriſtum vel vitam eripere. Ergo raptum per vim ſiſtunt Iudici; proferunt tabulas, quibus appareret trecentos ſibi, ac viginti quinque ab eo aureos deberi: eum ne ſoluat, Iudæus cum ſit, ſimulare ſe Chriſtianum, id facilè conſtiturum ſi nudetur. Hinc illi certa mors impendebat, cùm Turcis ratum ſit, oportere ad ipſorum tranſire legem quiſquis ab ſua deſciſcat, cremari ſi recuſet. Mercatores Catholici contra niti; negare Iudæum, nolle Sacerdotem ſuum per contumeliam nudari; conferre in manum Iudici large munera, vt faueat. Interea Ioannes ad fundendum pro Chriſto Sanguinem ſe lætus comparabat. Dum vtrimque res acriter vrgetur, nec apparet, aut impendijs modum, aut periculis fore, clàm ſpecie mercatoris Ioannes educitur, & naui impoſitus propere in Italiam remittitur. Verùm illicò grauiſſima maris procella exceptus, fracto ad Cypri littora nauigio, multis vectoribus, nautiſque demerſis, ipſe ſemianimis, cruentuſque vulneribus, ſolo tectus indulio, ita enatauit, vt cùm apprehendere tellurem nequiret, prorſuſque deſperans clementiæ Dei ſeſe permitteret, vndis eiectum accurrens homo, nunquam ab eo ante, nec poſtea conſpectus arripuerit, tenueritque. Eo toto in diſcrimine, ita ſui compos fuit Elianus, ita memor inſtituti ſui, vt copioſam fecerit meſſem animarum. Demum recreatus, inſtauratuſque ab Archiepiſcopi Nicoſienſis Vicario, Romam repetijt incolumis, vbi Hebræam deinceps, Arabicamque linguam publicè explicuit. Iterùm verò iterumque in Aegyptum ad Maronitas in Syria, alioſque Orientales populos ab eodem Pio IV. & Gregorio XIII. Summis Pontificibus miſſus eſt, nunc cum Patre Thoma Razzio, iterum cum P. Ioanne Bruno. demum cum P. Franciſco Saſſo; vbi ſæpè in vitæ diſcrimen adductus eſt; atque interdum cùm ſibi intendi mortem cognouiſſet, furori cedere, & in loca ſe tutiora recipere coactus eſt. Ad extremum multis perfunctus laboribus, Romæ ceſſit è vita die 3. Martij anno ſalutis 1589. Vir omninò pietate, deſpicientia ſui, & in proximos caritate inſignis; multarum repertor artium, quibus peccantes arcerentur illecebra, ſeu pauperes inopia ſubleuarentur: ſic prorſus, vt cum in eoſdē dies intercidiſſet mors Cardinalis Alexandri Farneſij, vulgò diceretur duo fulcra paupertatis concidiſſe. Scripſit Italicè

Doctrinam Chriſtianam cum iconibus myſteriorum fidei, quæ in varias linguas translata eſt

Cathechiſmum lingua Hebræa, Arabica, Maronitica, quo Orientalium Hæreticorum errores refutantur, à Ioanne Bruno noſtro primum conſcriptum.

Concilium Tridentinum tranſtulit Arabicè

Octoginta Canones Concilij Niceni I. ex Arabico Codice, quem Alexandria Romam tulit in Latinum conuertit, vndè eos protulit Alphonſus Piſanus noſter.

IOANNES BAPTISTA ROSSI natione Italus, patria è Monteregali in Subalpinis ingreſſus in Societatem anno 1593. ætatis 16. votorum 4. profeſſionem emiſit, docuitque in ea Rhetoricam quadriennio, Philoſophiam ſeptennio; Ethicam biennio; Theologiam Scholaſticam annis duodecim; & Collegio Taurinenſi Rector præfuit. Euocatus Romam ad officium Cenſoris Generalis librorum à Societate edendorum, duodeuiginti annis eo munere, magna aſſiduitate, diligentia, & commenda-

mendatione virtutis perfunctus eſt. Vir fuit ſuauitate morum eximia, & ad informandos pietate homines præſertim Iuniores, quaſi vnicè factus. Principes tractabat dexterrimè, & apud multos Purpuratos magna valebat gratia. Diſciplinæ Religioſæ obſeruantiſſimus, tandem octogenario maior finem viuendi inter mortales fecit, in Collegio Romano die 6. Iunij 1656. Edidit ſub nomine Philomari de Euſebijs Theopolitani.

Lilium Virgineum oblatum de nouo Beatæ Virgini Mariæ. Mediolani 1611. Item appoſito ſuo nomine

Opuſcula ſpiritualia quatuor, quorum poſtremum proſequitur vitam, & merita Camilli de Lellis Fundatoris Ven. Ordinis Clericorum Miniſtrantium Infirmis. Romæ 1644. in folio.

Diſtinctiones ex Commentarijs S. Bonauenturæ in quatuor Libros ſententiarum, & Diſputationes De Potentia Obedientiali Tom. I. Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoiſy 1646. in folio.

Diſputationes De Potentia Obedientiali Creaturarum ad normã doctrinæ S. Bonauenturæ, Tomus II. Romæ typis Manelphi 1652. in folio.

Triumphum Diuinæ Gratiæ per B. Ioannem Columbinum Fundatorem Ven. Ordinis Ieſuatorum, ſeu *Vitam eiuſdem Beati*. Romæ typis iiſdem 1648. in 4.

Clypeum Caſtitatis ex armamentario Virginitatis promptus. Romæ typis hæredum Manelphi 1653. in 8.

IOANNES BAPTISTA SAINCT IVRE, natione Gallus, patria Metenſis Societatem anno 1604. ætatis 16. complexus eſt, & vota quatuor profeſſus. Vir inter ſummos Societatis Viros meritò reponendus, quam ille & vnicè amauit, & ſanctitate ſua plurimùm illuſtrauit. Rexit noſtros magna cum laude Ambiani ſecundùm; Aleconii, Aureliæ, Pariſiis in Domo probationis, vbi tirones noſtros primis religioſæ vitæ rudimentis ita inſtruxit, vt nihil ampliùs in eo potuerit deſiderari. Etenim illud à Deo acceperat, vt mira quadam ſolertia ad illius amorem omnes alliceret, & dono pollebat dignoſcendi interiores animi morbos, aptamquè cuiquè medicinam applicandi. Diuinæ gloriæ zelo flagrabat. Dominum Ieſum ardentiſsimè amabat, & ab omnibus amari pariter exoptabat. Id vt conſequeretur nec ſermonibus, nec ſcriptis vnquam pepercit. Sanctiſſimæ vitæ reſpondit ſimilis exitus, & ſacramentis omnibus ritè procuratus Sanctorum fine conquieuit Pariſiis in Domo profeſſorum die 30. Aprilis 1657. Scripſit Aſcetica varia Gallicè

De Cognitione, & Amore Ieſu Chriſti. Pariſiis apud Sebaſtianum Cramoiſy 1634. in 4. & iterum Ibidem 1656. in folio, & 1669. in 8.

De Homine ſpirituali. Ibidem iiſdem typis 1646. in 4.

De Homine Religioſo duobus Voluminibus. Pariſiis apud Dionyſium Bechet 1657. & 1658. in 4.

Modum Bene moriendi. Typis Cramoiſy 1640. in 8. & 1644. in 12.

Tres filias Iobi, ſiue de tribus virtutibus Theologicis. Pariſiis apud Ioannem Camuſat, 1646. in 8.

Ieſum Chriſtum docentem Homines. Pariſiis typis iiſdem 1650. in 12.

Librum Prædeſtinatorum. Typis iiſdem 1646. in fol.

Exercitia ſpiritualia. Typis iiſdem in 12.

Vitam D. de Renti. Pariſiis apud Petrum le Petit 1651. in 4.

Manuductionem ad præcipuas vitæ Chriſtianæ actiones. Typis iiſdem 1652. in 12.

Meditationes de præcipuis Fidei myſterijs duobus voluminibus. Typis iiſdem 1654. in 8.

S. Dorothei Opera Aſcetica, Gallicè reddita recognouit, & emendauit. Pariſiis apud Florentium Lambert in 8.

Sanctam occupationem Creaturarum. Typis eiſdem in 12.

IOANNES BAPTISTA SCHELLEMBERCH natione Germanus, patria Auguſtanus, admiſſus in Societatem anno ſalutis 1603 ætatis 17. maximam vitæ partem tranſegit in humanioribus litteris docendis, & in Sacris Confeſsionibus excipiendis, in vtroque munere ſedulus, & accuratus, Græcis, latiniſq; litteris bene imbutus, ſpiritualis Coadiutoris gradu donatus. Vir apprimè religioſus ſingulari veneratione proſequebatur Beatiſsimam Dei Parentem. Virtutem illius maximè probauit, manifeſtauitque morbus poſtremus, in quo conſtantiæ, patientiæ, & parati in Dei voluntatem animi luculenta dedit ſpecimina. Cùm extremo oleo inungendus eſſet à circumſtantibus magno demiſsionis ſenſu veniam erratorum, & offenſarum petiit, actis quantum per vires tunc licuit gratiis ob beneficia ſibi à Societate collata. Deceſsit demum catarrho oppreſſus Eberſpergæ, die 23. Ianuarii 1645. Edidit nomine Collegii Auguſtani libellum, quem inſcripſit

Senecam Chriſtianum collectis è Senecæ ſententiis ad mores inſtituto Chriſtianæ perfectionis formandos Auguſtæ 1637. in 24. Recuſum Romæ 1648. in 24.

Vitam S. Noberti. Auguſtæ 1645. in 8.

IOANNES BAPTISTA SCORTIA natione Italus patria Genuenſis Patritiæ ſtirpis, vir doctus & eruditus Societatem ingreſſus anno Domini 1572. ætatis 19. & vota 4. profeſſus eſt. Prælegit in ea Rhetoricam, Philoſophiam, Theologiam Moralem. Rexit Collegia Placentiæ & Genuæ vbi ſeptuagenario maior obijt 4. Aprilis 1627. Scripſit latinè.

De natura, & incremento Nili libros duos. Lugduni per Horatium Cardon 1617. in 8.

De Sacrificio Miſſæ. Libros quatuor Lugduni typis iiſdem in 4.

In Selectas Summorum Pontificum Conſtitutiones, Epitomas, & Thoremata. Lugduni Sumptibus Ludouici Proſt: 1625. in 4.

IOANNES BAPTISTA TIBERIVS natione Italus, patria Brixienſis, Bononiæ, ac Parmæ Theologiam Moralem annis 20. explicuit, vota 4. profeſſus, rexit Collegium Placentinum, & Domum probationis Nouellariæ, in qua diem clauſit extremum, dum Rector eſſet anno ſalutis 1630. die vltimo Iulij, natus annos 52. actis in Societate 27. Edidit latine.

Inſtructionem pro ordinandis. Parmę typis Anthæi Viothi 1624. in 16. & Cremonæ, ac Brixiæ; demum Ingolſtadij, 1633.

IOANNES BAPTISTA TROTTA natione Italus patria Populenſis in Regno Neapolitano ingreſſus eſt in Societatem anno 1605. agens ipſe ætatis duodevigeſimum, & vota 4. nuncupauit. Vir omni litteratura egregie ornatus Philoſophiam profeſſus eſt annis ſexdecim, Matheſim octo, Theologiam vndecim, tum Præfectus ſtudiorum, cùm peſtis graſſaretur Neapoli, contagioſa lue afflatus ſeptuagenario maior occubuit die 16. Iulij 1656. Edidit latinè.

Praxim Horologiorũ, per quam varia Horologiorum genera per nouas tabulas deſcribuntur. Neapoli apud Agidium Longum 1631. in 4. Item Italice.

Nouum horologium nocturnum è Stellis. Neapoli per Lucam Antonium de Fuſco 1651. in 8.

IOANNES BAPTISTA VELATVS natione Italus, patria Pedemontanus, ex Caſtello, cui nomen Creuacor, adoleſcens à S. P. N. Ignatio in Societatẽ Romę admiſſus eſt anno ſalutis 1547. & ad pietatem inſtitutus. Deinde bonis litteris excultus, litteras humaniores in Societate docuit. Rexit etiam Collegia varia annis 14. & Concionatoris munere perdiù functus eſt, vota 4. ſolemniter profeſſus. Demum in ſenectute bona propè octogenarius quieuit in pace Mediolani 26. Februarij anno ſalutis 1602. Mors pene improuiſa fuit non tamen ſine peculiari Dei prouidentia; nam Fratri apud eum proxime quieſcenti intempeſta nocte viſus eſt in ſomnis ipſe Pater ſacrum facere pulcherrimo atque albato miniſtrante iuuene, qui elatis à Sacerdote hoſtia & calice, ereptum e candelabro cereum fratri admiranti videbatur deferre, iubereque vt protinus exiliret Patri laturus opem agenti animam. Eo viſo euigilans Frater illico cura perculſus accurrit ad Patrem, cum morte luctantem inuenit; accurrunt tumultuosè acciti Patres, connixis omnibus in preces, & auxilia eius temporis animus è veſtigio euolauit. Scripſit Italicè

Introductionem ad vitam ſpiritualem, & perfectionem Chriſtianam pro ſingulis ſtatibus: coniugatorum, continentium, viduarum, Virginum, & Religioſorum cum practica ſpirituali communi omnibus. Recuſam cum auctario Brixiæ 1596. in 12.

IOANNES BAPTISTA VERAX natione Italus, patria Mediolanenſis Societati inſertus anno Domini 1597. ætatis 19. quinquennio Rhetoricam in ea docuit; Collegium Adiacenſe adminiſtrauit; tria vota profeſſus eſt, & annos plurimos in concionibus ad populum, & Miſſionibus obeundis exegit, ardenti in proximos cæritate flagrabat, eiuſquè præcipue opera inſtitutũ eſt ingenti lucro animarum Sodalitiũ in Domo Profeſſa Mediolanenſi, quod vocant Pœnitentiæ, prouecta iam ætate octogenaris naturæ conceſſit Mediolani die 5. Ianuarij 1660. Scripſit Italicè, atque edidit tacito ſuo nomine per Petrum Oſorium.

Modum facilem, atque vtilem viſitandi venerabile Eucharistia Sacramentum, dum publicæ venerationi expoſitum eſt. Mediolani 1652. apud Philippum Ghiſelphum

IOANNES BAPTISTA VILLAPANDVS natione Hiſpanus, patria Cordubenſis, 16. annorum adoleſcens Philoſophicis probè excultus, atque Mathematicis apprimè exercitatus noſtræ ſe Societati adiunxit anno à partu Virginis 1575. & votorum 4. profeſſionem edidit. Docuit in ea diſciplinas humaniores, & Mathematicas; & in ſacrarum litterarum ſtudio non mediocriter progreſſus, Hieronymo Prado in *Ezechielle illuſtrando & in Templo Salomonis deſcribendo*, per Architecturæ ſcientiam, qua plurimum excellebat, mutuas operas tradidit, & poſt Hieronymi mortem, in eo opere Regio perficiendo, in tres tomos diſtinguendo, ſplendiequè ſumptibus Regijs excudendo ſtrenuè laborauit. Ergo in 1. tomo quo 26. Prophetę Capita ab Hieronymo Prado elaborata continentur adiunxit.

Commentarios copioſos in 2. Capita ſequentia eiuſdem Prophetæ. Tom. 2. tractat.

De poſtrema Ezechielis Prophetæ viſione, quæ eſt Explanationum Pars ſecunda in qua Templi eiuſque vaſorum forma, tum Commentario tum Aeneis, quàm plurimis deſcriptionibus exprimitur. Romæ typis Ildephonſi Ciacconij, excudebat Carolus Vullietius 1604. Tomo tandem tertio edidit.

Apparatum Vrbis, & Templi Hieroſolymitani, in quo de Vrbe copioſiſſimè differit de Hebræorum ponderibus, numiſmatis, & menſuris diligentiſſime. Omnia ex ſtudio & opera cum Hieronymo Prado collatis. Romæ typis iiſdem.

Continuis tandem laboribus fractus, & magni operis mole veluti oppreſſus, peſtilenti morbo Romæ ſuccubuit annos natus ſex ſupra quinquaginta die 22. Maij anno 1608. Extat eius opera prolatus in lucem.

Remigij Rhemenſis in Epiſtolas Diui Pauli tractatus. Mognntiæ typis Ioannis Albini in folio 1614. inſertus etiam Bibliothecæ magnæ Patrum tomo 5. Parte 11.

IOANNES BAPTISTA VRSVS natione Italus patria Ebolitanus in Regno Neapoli-

politano in Societatem vndeuicennis ingreſſus anno 1584. in ea diu Rhetoricam cum laude profeſſus, Nolanum, Conſentinum, atque Aquilanum Collegia rexit, votis 4. emiſſis. Tunc tum aliquando profectus ad redimendos Chriſtianos, qui duram ibi ſeruitutem ſub Turcarum tyrannide ſeruiebant, cùm ibi præter ius, faſque diutius detineretur, coactus eſt iuſſu quoque ſuorum Moderatorum accedente fuga ſe inde ſubducere. Neapoli vtilem, vegetamque ſenectam diu proximorum commodo exercuit vbi & obijt. Cal Martij anno 1637. Edidit ſuppreſſo ſuo nomine.

Orationem, qua Lemenſium, & Caſtri Comites Fratres, vtriuſque Siciliæ Proreges in Collegio Neapolitano Societatis Ieſu excepit. Poſt obitum prodijt opus poſthumum hoc titulo

Inſcriptiones, Dedicationes, monumenta, Elogia buſtuaria. Neapoli typis Ioannis Dominici Montanari 1643. in folio.

IOANNES BAPTISTA VVENS, natione Belga, patria Antuerpienſis, ex Caniſiorum familia Societatem Romæ anno 1604. ætatis ſuæ 17. complexus, in ea compluribus annis, & concionatus eſt, & rexit Collegia Ruremundæ, Lyræ, Mechliniæ, Antuerpiæ, emiſſa votorum 4. profeſſione, & Patres probationis tertiæ inſtruxit. Vir vnicè amans religioſæ diſciplinæ, & cubiculi ſui. Nunquam viſus accedere ad ignem etiam in aſperrima hyeme, & ætate prouecta. Summo mane communem omnibus orationem horâ integrâ præuertebat, & vt ſacrificium Miſſæ maiori pietate perageret, quotidiana ſe ad illud exomologeſi præparabat, nec vllam temporis particulam ab oratione vel ſtudijs patiebatur elabi vacuam. Erga Beatiſſimam Virginem tenerrimo diuotionis affectu ferebatur, atque eius Conceptionis Immaculatæ Officium quotidie perſoluebat, in cuius myſterij honorem, eidem ſacellum perelegans Mechliniæ Rector dedicaturus, primumque lapidem poſiturus, præmiſſa ad id acri ſui ipſius flagellatione, cum iam opere vix inchoato lectionem inciperet, tanta repente lacrymarum vi, & teneritudine animi perfuſus eſt, vt voce intercluſa coactus ſit Sacerdotem ſibi alium ſubſtituere. Singulari zelo ſupra modum diligens erat & aſſiduus in Confeſſionibus ſæcularium excipiendis, etiam vſque ad vltimam vitæ diem, atque horam. Dum enim ex templo, vbi totum matutinum tempus ijs impendebat, ad cubiculum ſe conferret, precarios globulos de more ſuo voluens, Deiparamquè orans, repentè apoplexia tactus concidit, & poſt aliquale ſignum, ſacramentali abſolutione, oleòque ſacro munitus, in ipſo vbi conciderat loco ſuauiſſimè obijt. Bruxellæ die 14. Septembris 1657. Edidit

Commentarium Litteralem & Moralem in Ionam Prophetam per lectiones, ſiue Sermones exegeticos 60. diſtributum. Antuerpiæ apud Ioannem Meurſium 1640. in folio

Alium quoque in Apocalypſim parabat, ſed morte interueniente ſupremam manum non appoſuit.

IOANNES BAPTISTA ZOLA natione Italus, patria Brixienſis, in Societatem adlectus anno ſalutis 1593. ætatis 19. cum poſt Tirocinium humaniores diſciplinas quadriennio docuiſſet, Iaponiæ adeundæ deſiderio flagrans, auctoritate Maiorum anno 1602. in Luſitaniam, ſequente in Indiam profectus eſt, magnis virtutum omnium, humilitatis, caritatis, tolerantiæ documentis ſemeſtri nauigatione relictis. Studia Goæ & Macai pertexuit, & anno 1606. traiecit in concupitam Iaponiam vbi & vota 4. Profeſſus eſt. Cum ſocijs reliquis expulſus in exilium, Macaum repetijt; & reuerſus illicò in Iaponiam clam Ximabarcæ fuit, vbi per omne Chriſtiani, atque adeò Apoſtolici genus officij laborioſè verſatus eſt, animo affectam valetudinem ſuſtinente. Rector ibi Sociorum fuit poſt P. Petrum Paulum Nauarrum Chriſti præclarum Athletam. Incredibile dictu eſt quantopere vitam pro Chriſto profundere deſideraret. In eam rem ſuas illi preces polliciti per litteras è cuſtodia fuerant, is quem dixi P. Nauarrus, & P. Carolus Spinola, quorum ſcheda velut votorum ſuorum pignora, religioſè in breuiario ſeruabat. Nec ſua fefellit eum ſpes, nam cum per annum 25. immanis graſſaretur in Chriſtianum nomen, & imprimis in Euangelij præcones perſecutio, ipſe conſilium ſequutus Chriſtianorum, cedere tantiſper tempori volens, dum tutius ad ſuorum curam poſſet incumbere, in hoſtium manus die 22. Decembris incurrit, à quibus in cuſtodiam abreptus eſt; vbi cum ſeptimum iam menſem inter ærumnas duceret, die 20. Iulij anno ſalutis 1626. ad rogum Nangaſachi productus eſt, & cum alijs octo de Societate inter quos fuit P. Franciſcus Paciecus Iaponiæ Prouincialis conflagrauit, triumphum in igne exorſus ſempiternum. Agebat ætatis annum 52. religionis 33. Scripſit Iaponicè.

Tractatus aliquot Pios

IOANNES BARBA natione Sardus patria Saſſarenſis Societatem ingreſſus anno 1598 Concionator egregius, & qui commodum, magis Auditorum, quam ſuam ſpectaret commendationem. Cùm ætate, ac ingenio floreret magno omnium dolore extinctus eſt, Saſſari anno ſalutis 1614. vitæ ſuæ 31.

Oratoriam facultatem, quà claruit, editis ſcriptis celebrauit.

IOANNES BARTOLOTTVS natione Italus patria Bononienſis Societati ſe adiunxit anno ſalutis 1605. ætatis 26. iam tum Doctor Vtriuſque Iuris cui ſeptennio ante operam nauauerat. In Societate profeſſionem emiſit 4. votorum, Theologiam Moralem aliquamdiu docuit: rexit Collegium Mantuanum vbi & mortuus eſt die 11. Iulij anno 1622. Scripſit Italicè tacito ſuo nomine.

Vitam B. Alloyſij Gonzagæ è Societate Ieſu compendio Mantuæ apud Aurelium, & Ludoui-

douicum Oſannas 1619. in 8. eam tamen ſunt qui tribuant Iacobo Graſſetto noſtro. Prodijt eadem latinè reddita Monachij 1630.

IOANNES BERMVDES Æthiopiæ Patriarcha, accenſetur noſtræ Societatis ſcriptoribus ab Antonio de Leon. Verùm ex Nicolao Orlandino conſtat, illum non fuiſſe noſtrum. Idem conſtat ex hiſtoria Æthiopiæ manuſcripta noſtri Alphonſi Mendeſij Patriarchæ, qui multa de illo narrat creato Patriarcha à Paulo III. Pont. Max. & miſso in Æthiopiam anno 1539. priùſquam Societas à ſede Apoſtolica eſſet confirmata.

IOANNES BERNARDINVS FIDATVS natione Italus patria Caſſianus, Societatem ingreſſus anno 1619. ætatis 15. ſtudijs in ea Philoſophicis, & Theologicis nauauit operam, & Humaniores litteras aliquot annis profeſſus eſt. Dum inter nos eſſet, edidit

Tabulam Sinuum rectorum, & verſorum in partibus ſinus totius 10000000. Vna cum Iſagoge ad Architectonicam militarem, & Horologiorum deſcriptionem accommodata. Romæ typis Iacobi Facciotti 1636. in 8.

* IOANNES BERTHOLDVS natione Germanus, patria Tirolenſis, Diæceſeos Tridentinæ natus anno ſæculi præterfluentis ſexto, vicennis ſe in Societate Deo dicauit, & votorum 4. Sacramentum dixit. Poſt traditas litteras amæniores docuit Philoſophiam, & nouennio Theologiam in vniuerſitate Græcenſi, cuius etiam Cancellarius fuit. Rexit iteratò Collegia Græcenſe, & Viennenſe, & bis etiam Prouinciam Auſtriæ; Viſitator quoque & Vice Prouincialis Rhenanæ Superioris fuit, Vbique magna prudentiæ, & religioſæ obſeruantiæ commendatione. Interfuit Congregationi generali 11. in quà ſuffragia 27. tulit pro officio Aſſiſtentis Germaniæ. Demum ad laborum brauium euocatus in Domino religioſe deceſſit Viennæ die 24. Martij 1973. Edidit dum Theologiam profiteretur.

Aſſertionum Theologicarum volumina duo in 16. Viennæ Auſtriæ typis Matthæi Rictij 1652.

* IOANNES BESSONVS natione Gallus patria Piſcennenſis in Occitania Religioſæ vitæ Tirocinium poſuit in Societate anno ſæculi voluentis 6. ætatiis ſuæ 21. & vota 4. ſolemnia nuncupauit. Vir multa eruditione conſpicuus; ſeptennio docuit Rhetoricam, ſexennio ſacras litteras Toloſæ eſt interpretatus Rexit Collegia Cadurcenſe, Toloſanũ, & Domum Profeſſam ibidem, & totam Prouinciam aliquamdiù loco Prouincialis adminiſtrauit. Electus à Comitijs ſuæ Prouinciæ interfuit Congregationi Generali nonæ in Vrbe. Legum noſtrarum fuit in ſe obſeruantiſſimus, & ab alijs, dum præeſſet, exactor ſedulus. Demum octogenarius multis cumulatus bonis operibus, quieuit in Domino Toloſæ die 29. Ianuarij 1665. edidit.

In Canticum Canticorum Salomonis lucubrationes nouas & Scholia Toloſæ apud Arnoldum Colomerium 1646. in fol. Reliquit paratum proxime ad editionem, eruditum.

Commentarium in Pſalmos

IOANNES BIEGEISEN, natione Germanus, patria Altkirka, Diœceſis Baſileenſis, in Societatem noſtram adlectus eſt die 30. Iulij anno ſalutis 1607. cum expleſſet ipſe viuendo 20. Philoſophiam in Academia Molsheimenſi, Theologiam in Moguntina profeſſus eſt, Doctorali laurea decoratus, & votis 4. nuncupatis. Rector fuit Herbipolenſis Collegij, & debitum naturæ ſoluit Aſcaffemburgi die 19. Februarij 1636. Edidit Germanicè ſuppreſſo nomine

Emigrationem Prædicantiũ Haidelbergenſiũ.

* IOANNES BILSTEIN natione Belga, patria Veruienſis in Ducatu Limburgenſi, natus anno ſæculi euoluti 92. Societatem amplexus eſt Coloniæ voluentis 14. Docuit litteras amæniores, præfuit ſcholis, Aſcetæ ſpiritualis & perfecti numeros omnes impleuit; ad ardua quoque pro Dei honore, & ſalute animarum intrepidus, maximè id oſtendit in Academia Oſnaburgenſi recens erecta, vbi cariſſimus extitit Celſiſſimo Principi Epiſcopo Francirco Guiliemo Bauaro poſteà S.R.E. Cadinali multis Carminibus, & Dramantibus magno labore editis; habendis Synodis, & formandis Parochis. Poſtremos 20. ferè vitæ annos Coloniæ, licet tuſſi, alijſque morbis cõflictatus, tamen in pœnitentibus audiendis, peregrinis ſolandis, & parthenonibus excolendis, magnà omnium ædificatione traduxit. Mirè humilis, & demiſiſſimè de ſe ſentiens, perægrè adduci potuit vt libellos à ſe editos ſcripto notatos daret, dicendo ſatis ſibi eſſe ſi in Cœlo notati ſunt. Deiparæ, eiuſquè ſponſi cultor eximius; demum ſenio & febriculæ ſuccubuit, ſpiritualis Coadiutor pridem formatus & continuis ſuſpirijs ad cœleſtem patriam anhelans, Coloniæ die 6. Martij 1663. Præter minutiora è Gallico opuſcula latinè, & Germanicè traducta edidit à ſe compoſitum Germanicè & latinè libellum cum iconibus

In ſeptem Petitiones Dominicas & Salutationem Angelicam item Elogia SS. Virginum præcipua per annum. Coloniæ apud Vvorigen in 12. ipſius opera prodierunt.

Athenæum Chriſtianum Encyclopediæ à Carolo magno inſtitutum, & à Reuerendiſſimo Principe Franciſco Guilielmo Epiſcopo Oſnaburgenſi inſtauratum &c. Coloniæ apud Ioannem Kinchium 1632. in folio. Item

Ogmius Hercules oblatus eidem Oſnaburgenſi, Verdenſi inaugurato 1630. Oſnaburgi typis Martini Mannii 1631. in folio.

Catena aurea virtutum Epiſcopalium eidem electo Mendenſi. Ibidem apud Mannium 1632.

IOANNES BISSELIVS natione Germanus, patria Babenhuſanus in Sueuia Diœceſis Auguſtanæ natus anno ſæculi ineuntis primo

mo Societati ſe addixit 1621. & vota 4. profeſſus eſt. Poeſim & Rhetoricam docuit quinquennio, Ethicam quadriennio, Controuerſias de Fide biennio, & conciones habuit annis amplius 30. Superſtes etiamnum in Ambergenſi Collegio. Edidit collato cum duobus aliis ſtudio ſuppreſſo omnium nomine

Clientem Marianum elegys deſcriptum, quem cum quarta editione recuderet, auxit vnius libri acceſſione, & Theoclia Loyolæa, hoc eſt S. Ignatij Societatis Ieſu Fundatoris epiſtola 8. Elegijs abſoluta, qua mortales ad maiorem Dei gloriam in omnibus procurandam adhortatur. Monachij formis Leyſerianis 1644. in 12. Addidit Præfationi initiales ſui nominis caracteres I.B. Edidit præterea nomine Collegij Conſtantienſis.

Syluicaſtrium, ſeu Aureum Equitem, Illuſtriſſimo Principi Epiſcopo Conſtantienſi oblatum. Suo verò præſcripto nomine in lucem edidit

Icariam, qua deſcribit culto ſtylo iter quoddam ſuum, nominum confictorum velo vera obducens, Ingolſtadij formis Georgij Hænlini 1636. in 16.

Vernalia, ſeu de Laudibus veris 1638. & auctius editione altera Monachij 1640. in 16.

Phœnicem ſiue Concionem funebrem in obitu Sereniſſimi Ducis Bauariæ Franciſci Caroli Germaniæ, Monachii formis Leyſſerij 1640, in 4.

Delicias æſtatis. Carmine elegiaco intermixtis figuris Chalcographis. Monachij formis Nicolai Henrici 1644. in 12.

Argonauticon Americanorum, ſiue Hiſtoriam noſtri Petri de Victoria, & Sociorum Libris 15. ex Hiſpanico. Monachij formis Lucæ Straubij 1647. in 12.

De Peſtiferis peccatorum mortalium fructibus, exempla Tragica. Dilingæ formis Academicis 1652. in 8.

Illuſtrium ab Orbe condito Ruinarum Decadem primam. Ambergæ formis Georgij Haugenhoferi 1656. in 8.

Illuſtrium Ruinarum Decadem ſecundam. Ibidem 1657. in 8.

Illuſtrium Ruinarum Decadem tertiam duabus partibus, Ibidem 1658. in 8.

Illuſtrium Ruinarum Decadem quartam partibus quatuor. Dilingæ formis Academicis 1663. & 1664. in 8.

Palæſtina, ſeu Terra Sancta Topotheſiam, cum Tabellis Chronographicis. Ambergæ typis Haugengoferi 1659. in 8.

Reipublicæ Romanæ Veteris ortum, & interitum. Dilingæ formis Academicis 1664. in 8.

Digitum Dei humana corda tangentem per Doctrinas, & Exempla. Dilingæ typis iiſdem 1666. in 8. Germanicè

Antiquitatum Angelicarum Tubam Iambicam, Geſtorum Veteris Teſtamenti libris tribus deductum. Ambergæ typis Ioannis Berger 1669. in 12.

Antiquitatum Angelicarum Tubam Iambicam, Geſtorum Noui Teſtamenti libris tribus deductam. Ibidem eiſdem typis anno , & forma.

Icariam auſpicijs Vrbis Imperialis Heterodoxa recuſam. Allopoli ad Mænum 1667. in 12.

Palmam Boicam, ad Hiſtoriæ formam Sereniſſimi Ducis, & Electoris Ferdinandi Mariæ ortui gratulabundè ſcriptam nomine Collegij Ingolſtadienſis. Ingolſtadij 1636. in 8. & iterum 1637.

* IOANNES BLANKENFORT natione Germanus, patria Batbergenſis, diœceſis Oſnaburgenſis, natus anno ſæculi voluentis 19. Deo ſe in Societate conſecrauit 1638. Sexennio docuit manſuetiores litteras, Miſſiones varias vtiliter obiuit. Conciones Sacras aliquot annis habuit; vota quatuor ſolemnia emiſit. Rector Collegium Oſnaburgenſe gubernauit, nunc Monaſterienſe Vveſtphaliæ moderatur. Edidit Germanicè, & Latinè

Preces, & Exercitia ad ſtationes inter Monaſterium Vveſtphaliæ, & Telgetum. Monaſterij Vveſtphaliæ typis Theodori Raosfeld, 1660. in 12.

IOANNES BOLLANDVS natione Belga, patria Tulij Monte in Ducatu Limburgiæ natus 13. Auguſti anno ſalutis 1596. in Societatem anno ætatis 16. admiſſus litteras humaniores ſexennio docuit, atque ſtudijs Theologicis excultus Mechliniæ Scholis quinquennio præfuit, quo omni tempore ad Optimatum Sodalitatem latinè dixit. Anno 1630. profeſſionem votorum 4. emiſit, & cùm varias pro magna ingenij capacitate, meditaretur lucubrationes, defuncto ſub id temporis Heriberto Roſuueido, qui vaſtum opus de Vitis, & Geſtis Sanctorum molitus fuerat, eùmque in finem apparatum non exiguum vndique congregarat, delectus eſt à Superioribus Bollandus, qui in ſparta illa ornanda ei ſuccenturiatus ſuccederet. Commigrauit itaque Antuerpiam curaturus illic, & Sodalitatem latinam, & Confeſſionalem promiſcui ſexus Sedem, & ſubciſiuis horis de Actis Sanctorum ſcriptionem. Et quamuis duo priora ex his muneribus, quæ ille diligenter obibat, totum facile occuparent hominem, tamen qua erat magnitudine animi, auguſtiorem operis ſpeciem, quàm adumbrauerat Reſuueidus mente concipiens, inſtituto epiſtolari commercio cum Viris tota Europa litteratis, ſubſidia operis vndique conquiſiuit, obtinuitquè, vt latentia in Regionibus, etiam diſsitis Acta Sanctorum ad ſe transmitterentur. Nactus deinde vaſtiſſimi operis, quod deſignabat adiutorem P. Godefridum Henſchenium (de quo ſupra ſuo loco meminimus) emiſit in lucem primò Acta Sanctorum Ianuarii, tum Februarij, quinque tomis prægrandibus, qui omnium vbique eruditorum admirationem tenuerunt, & applau-

plauſum. Additus poſtea his tertius Socius Pater Daniel Papebrochius (de quo ſupra etiam egimus) cuius laus præcipua eſt in Martio, & Aprili. Porro licet doctrina hac Eccleſiaſtica, & ſcientia (vt ita dicam) Sanctorum Bollandus mirificè excelluerit, tamen non minùs virtutibus, & vita religioſiſſimè traducta eximius fuit. Officijs caritatis erga omnes, qui eius operam, aut coràm depoſcebant, aut per epiſtolas expetebant ſemper præſtò fuit. Orationis ſtudium enituit in eo conſtans, & ſedulum; & quod mirandum tot inter occupationes, quibus tantùm non obruebatur, ordinatiſſimum. Hinc in recitandis, horis Canonicis aptiora tempora ſubſequi tantillum, vel præuenire ducebat religioni. Ad ſacrum celebrandum apparabat ſe mentali oratione ſatis prolixa, & multa dein pietate agendis hoſpiti ſuo Diuino gratijs impendebat plerumque ſemihoram. Speciali ſenſu pietatis venerabatur B. Virginem, SS. Angelos, & Sanctos, quorum acta ſcribebat. Deiparam inſuper Sabbatino ieiunio ſingulis hebdomadis per omnem vitam conſtanter colebat. In corpus ſuum pie crudelis fuit; caſtigabat illud longo ex horridis pilis cilicio, per modum tunicæ brachijs truncæ ad genua defluente; præterea contexto æneis filamentis flagello, funiculiſquè nodoſis, atque inſerto ferreo aculeo aſperis, nec non acutiſſimis armillis, quæ omnia crebro vſu attrita, & ſanguine elicito rubentia poſt obitum circa lectum reperta ſunt. Superiorum ſuorum obſeruantiſſimus exſtitit, eorumquè auctoritatem in omnibus apud ſubditos ſartam tectam curabat pro viribus conſeruare. Multis, grauibuſque morbis diu conflictabatur, calculo, hernia, aſthmate, & alijs, ex quibus ſubinde acutiſſimis cruciabatur doloribus, ita vt ſæpiſſimè noctu quinies, vel ſexies etiam hyeme de ſtrato illi ſurgendum fuerit, quæ tamen omnia inuictà ille patientià tolerauit. Demum annis grauis, laboribus fractus, Synptomate apoplectico correptus, ita tamen, vt accedentes agnoſceret, & Sacramenta Eccleſia magna pietatis ſignificatione perceperit, inter preces aſtantium expirans, tranſiuit (vt fas eſt ſperare) ad Sanctorum cætum, de quibus bene meritus ſcribendo fuerat, Antuerpiæ die 12. Septembris 1665. Quanti porro ab omnibus etiam externis amaretur, coleretur, & æſtimaretur, poſt mortem patuit, quando in pleriſque Ordinibus Religioſis tamquam de ſingulis bene merito ſolemniter illi parentatum eſt. RR. PP. Dominicani, Franciſcani, Carmelitæ Antuerpiæ per triduum in ſuis ſinguli Templis exequias illius celebrarunt. Venerabilis Abbas Præmonſtatenſium Pontificalibus indutus, inſigni cum apparatu, concentuquè muſico ſacrum pro illo fecit. Denique Romæ Reuerendiſſimus Pater Generalis Carmelitarum in Templo S. Mariæ Tranſpontinæ funebre ſacrum ſolemni ritu pro illo obtulit, & per omnia Ordinis ſui Monaſteria quaquauerſus diſperſa idem fieri mandauit. Edidit Bollandus duobus Tomis Vaſtis in folio

Acta Sanctorum omnium, quæ in toto Orbe coluntur menſis Ianuarij. Antuerpiæ, typis Iacobi Meurſij 1643. Item

Acta Sanctorum menſis Februarij Tomis tribus in folio. Ibidem apud eundem 1647.

Acta Sanctorum menſis Martij, in quibus ſuam habuit ille partem cum Godefrido Henſchenio, & Daniele Papebrochio. Prodierunt poſt illius obitum Antuerpiæ ijſdem typis 1668. tomis tribus in folio

Pridem antea, varia ediderat carmina, & orationes, ſed tacito ferè, vel alieno nomine. Latinè vero ex Italico vertit

Litteras annuas Iaponiæ annorum 1628. & duorum ſubſequentium. Antuerpiæ apud Ioannem Meurſium 1638. in 8. Edidit etiam ſeparatim

Vitam S. Liborij Epiſcopi calculo laborantium Patroni. Antuerpiæ apud Meurſios 1648. in 8.

Breuem notitiam Italiæ ex Actis Sanctorum Ianuarij, & Februarij. Antuerpiæ apud Meurſium 1648. in 8.

Poſt obitum prodierunt aliæ

Breues notitiæ triplicis Status Eccleſiaſtici. Monaſtici & Sæcularis excerptæ ex Actis Sanctorum vulgatis à Bollando, & Socijs. Antuerpiæ 1648. apud Meurſium in 8.

* IOANNES BOLTHE natione Germanus, patria Monaſterienſis in Vveſtphalia, cooptatus Coloniæ in Societatem anno ſæculi labentis 7. ætatis ſuæ 24. Philoſophiam in ea docuit, vota quatuor profeſſus eſt; Eccleſiaſten lingua Latina ad altiores ſcholas, & ſodales Parthenios Eccleſiaſticos diu egit; Confeſſarius in Templo, & Catechiſta ſtrenuus, ægrorum etiam lue infectorum Viſitator ſedulus, egentium præcipue ſtudioſorum, & ad ſupplicia condemnatorum conſolator aſſiduus; plurium Acatholicorum ad Fidem Catholicam ductor feruens; demum annis, & laboribus confectus, poſt egregia patientiæ, & pietatis in morbo edita documenta, ex hac vita ad meliorem (vt ſperamus) commigrauit Coloniæ die 28. Martij 1658. Edidit varios pios libellos

De quinque Columnis contritionis; Coloniæ typis Petri Brachel 1628 in 12.

Speculum ex ſpeculis, ſeu Mores Cleri ex SS. Patribus Latinè Coloniæ 1644. in 12.

Scalam Iacob docentem pia in cælum deſideria. Coloniæ 1627. in 12.

Iter vitæ, ſeu Orationem Dominicam explicatam. Ibidem 1637. in 12.

Sacram Fœderum normam. Ibidem 1638. in 12.

Laureolam SS. Ignatij, & Xauerij. Ibidem 1639. in 12.

Manna abſconditum S. Euchariſtiæ. Ibidem 1650. in 12.

Bor-

Digitized by Google

Borromæum rediuiuum, ſeu Canones Clericales. Ibidem 1642. in 12.

Auream Clauem Paradiſi, ſeu virtutes 12. *Chriſtianas*. Sub nomine Petri Colertij Coloniæ 1643. in 12.

IOANNES BONIFACIVS natione Hiſpanus, patria ex Oppido del Caſtana, diœceſis Salmantinæ, annum agens vitæ 19. poſt ſtudium artium, & Iuris Canonici ad Societatis Inſtitutum ſe applicauit Salmanticæ anno ſalutis 1557. & cùm ingenio, atque eruditione præſtaret, & in ſplendidioribus diſciplinis laudate ſe poſſet exercere, non vulgi trutina, ſed prudentium virorum ſtatera rem æſtimans maluit ſe ad pueros moribus informandos, litteriſquè erudiendos dimittere, quàm ſpecioſa, minùſque vtilia ſectari. Quam ob rem ex quadraginta, & nouem annis, quos in Societate traduxit, plus quàm quadraginta vſque ad mortem docendis pueris impendit magna caritate, magna induſtria, magno fructu; eius enim opera, atque inſtitutione, factum eſt, vt ex illius diſcipulis ſupra mille, & ducentos teſte Ioſepho Velaſquio Carmelitano, reiecta ſæculi vanitate, habitum Sacrarum Religionum induerint; alijquè præterea multi vitam Chriſtiano homine dignam traduxerint, magno Reipublicæ bono. Profeſſionem emiſit votorum trium ſolemnium, & tandem ſeptuagenarius inter Tirones Villagarciæ quaſi Tiro in ſuis colloquijs, mortificationibus, alijſque virtutibus magna omnium ædificatione defunctus eſt die 4. Martij 1606. Scripſit Bonifacius

Chriſtiani pueri Inſtitutiones, adoleſcentiæquè perfugium. Burgis apud Philippum Iantam 1588. in 8. *Cum libri vnius, & rerum acceſſione plurimarum*, poſt aliam editionem priorem. Prodijt deinde etiam Ingolſtadij apud Ioannem Hertſay 1607.

De ſapiente fructuoſo Epiſtolares libros 5. Acceſſit liber *Epiſtolaris de recta Inſtitutione*, Poſt alias editiones Ingolſtadij apud Andream Angermarium 1606. in 8.

Epiſtolas, & Orationes varias

Hiſtoriam Virginalem De B. Mariæ ſemper Virginis Vita, & Miraculis. Pariſijs apud Michaelem Sonnium 1605. Coloniæ apud Gualterum 1628.

* IOANNES BONNETVS natione Gallus, patria Toloſas Societatem amplexus anno ſalutis 1599. ætatis 15. vota quatuor profeſſus, complures annos docuit in ea Theologiam moralem magna cum auctoritate, & exiſtimatione. Conciones habuit ad populum, pietatis, & ſolidæ doctrinæ plenas. Rexit Collegium Xantonenſe, & electus à Prouinciali conuentu, Congregationi Generali Octauæ interfuit; vir antiquæ probitatis, & multæ orationis, mira ſecuritate, & fiducia in Deum; non ſine odore ſanctitatis obijt. Pictauij die 28. Februarij 1654. Scripſit Gallicè edidítquè

Imaginem Sacram vitæ, & Doctrinæ Ieſu Chriſti, ſiue *Commentarios Paraphraſticos quatuor Euangeliorum*. Pictauij typis Meſnerijs 1634. in 4.

IOANNES BORDESIVS natione Gallus, patria Burdegalenſis adſcitus in Societatem anno Domini 1577. ætatis ſuæ 17. vir incredibili ingenio, & non humanioribus ſolùm, ac Philoſophicis, Theologiciſquè litteris, ſed omnium artium peritia inſtructus; nam, & Aſtrologiam eximie calluit, Muſicam, Arithmeticam, Coſmographiam, Medicam, Picturam; plantarum quoque naturas, vireſquè herbarum; & pleraque Mechanicorum; Rhetoricam Mediolani primùm, deinde in Gallia docuit; hic etiam Philoſophiam, ac Theologiam, cum laude profeſſus eſt. Auſcitanum, & Aginnenſe Collegia Rector gubernauit. Sed virtutum eius ornamenta longe fuerunt etiam illuſtriora. Incredibilis in eo humilitas vt neminem præ ſe aſpernaretur; nulli ſe ipſe præhaberet, ruſticanorum hominum congreſſui, caſis, cibo aſſuetus; Diuini cultus promouendi incredibili ſtudio tenebatur. Nulli ſe labori, qui poſſet huic ſtudio commodare, ſubtrahebat. Canadenſem ipſe Miſſionem, primus interprete apud Regem P. Petro Cottono procurauit: inſtitutam impetrato ab aliquot noſtrorum ſubſidio ab Vazatenſi Epiſcopo promouit; ſuam illi operam, ſi Deo ſic fuiſſet viſum, addixerat. Sed nihilo hic præſtitit minùs, quam ibi feciſſet difficillimis Miſſionibus, & expeditionibus ſuſceptis. Angeriacum, quod eſt oppidum apud Xantonas fœdo hæreticorum grege refertum, cùm anno 1608. veniſſet, illud ſenticetum ita excoluit, vt noua propemodum ſoli facies videretur. Totos deinceps annos decem in Bearnenſi duriſſima regione, per maximam rerum omniũ difficultatem, tamquam ignotus in Orbis angulo, per omnem temporum inclementiam, pedes locis aſperrimis iter corripiens, ſæpe ſub dio pernoctans, verſatus eſt, vt interdicto ſibi otio, & quiete, omniquè oblectamento ingenti animi fortitudine perduraret. Hic eum conſpicatus Adurenſis Epiſcopus, D. Philippus Coſpeau vir doctrina, & pietate celeberrimus, vili tectum lacerna, vix bene ad retinendam vitam paſtum, Apoſtolico more circumcurſantem, exclamauit, ò verè Virum Apoſtolicum, qui hac in ætate ſexagenaria, animo eſt in Dei obſequium tam vegeto! ſæpe nocturnis excitus vocibus, ad ægros, ad ſaucios in compitis iacentes excurrit immemor ſui, & in Noſocomium perlatos corporis, animique præſidijs recreauit. Nec ſemel ſua ſibi calceamenta detraxit, quibus inopum pedes confoueret. Afflictos recreabat alloquio; vlceroſos curabat, ſtrumas, ſcabiem, vomicas ingenti caritate tractabat. Frequentes habebat Conciones, & cum Hæreticorum anteſignanis congrediebatur, eo euentu, vt omnibus obſtrueret ora, nec iam auderet quiſquam cum ipſo in arenam deſcendere, niſi aliena veſte ſe diſſimularet; ſicque igno-

tus

tus illos proliceret, fuit ibi ad Hæreticorum tribunal aliquando pertractus, conuitijs penitus ac probris, tota Benearnia proſcriptus, vno vix gradu à martyrio diſiunctus. Obedientiæ tam fuit ſtudioſus, vt ad nutum Superiorum nihil illi eſſet difficile, nihil humile, nihil loci, temporiſue diſtractione inſuperabile. Quanto B. Virg. amore teneretur, vel illud argumento eſt, quòd illius peruigilia traducebat inſomnis, confeſſionibus audiendis; quòd eius memoriam animis hominum nitebatur paſſim inſerere; quòd Senatorios etiam viros liberiore ſermone de Parthenijs ſodalibus obloquentes, non ſit veritus generosè compeſcere; quod ædem ipſius Saranziéſem religione iuxta, ac antiquitate nobilem, ſed poſtremis bellis profligatam, quando aliter vindicare non potuit, contexta ab vltima origine hiſtoria decorauit. Tandem longa hydrope confectus, ſanctè obijt inter Ciuium, & Canonicorum officia in Oppido S. Mariæ, haud Olorone procul in Benearnia die 2. Aprilis anno ſalutis 1620. ætatis 61. Religionis 42. iam dudum in ea quatuor votis ſolemniter adſtrictus. Tanta fuit ad nuntium mortis eius populi concurſatio propter ſanctimoniæ opinionem, vt occludi fores oportuerit aduerſus vim multitudinis. Diu Ciues inter Canonicoſquè certatum eſt, vtris exportandum ad funus cadauer cederet, nec componi lis potuit, niſi vtriſquè ſuccollandi vices darentur. Scripſit Gallicè librum inſcriptum

Veri abuſus pratenſorum abuſuum Miſſæ, pro Reſponſo ad B. Deloque Miniſtrum Caſtelli Geloux. Burdigalæ per Millanges 1598. in 8. Item tacito ſuo nomine

Contra Et cætera Pleſis Mornaij Caluiniſtæ, vbi ab iſto Caluiniſta, contra S. Euchariſtiam, & Miſſæ Sacrificium adferri falſa, & truncata oſtendit graphicè. Toloſæ typis Colomerij 1600. in 8.

De Sacrificio Miſſæ, contra Caluinum

IOANNES BOVRGHESIVS natione Belga, patria Malbodienſis Societati duodeuicennis adſcriptus Tornaci anno ſalutis 1591. tirocinium abſoluit Romæ, & ibidem ſtudia Philoſophiæ, & Theologiæ emenſus eſt. Profeſſionem quatuor votorum emiſit; fuitquè vir præſtanti eruditione, & præcipuis quibuſquè muneribus omnino par. Poſt traditam ſex annis Philoſophiam, & totidem Theologiam Scholaſticam, & Moralem, bis rexit Collegium Valencennenſe annis vndecim; Malbodienſe tribus; Audomaropolitanum annis quinque, inſtruxit biennio Patres tertiæ probationis, bis à Comitijs Prouinciæ electus eſt, vt adiret Romam, primò ad Congregationem Procuratorum, poſtea ad Generalem Octauam. Inter cæteras eius virtutes eluxit perpetua quædam teneritas in Deum, & Cælites omnes, quorum memoriam quamuis ſtudijs, negotijſquè diſtentus cura diligenti fouit. Hinc in rem diuinam peragendam multò maximè intentus fuit, & in itineribus nihil æque cordi habuit, quàm quotidianum Miſſæ Sacrificium, frequentem S. Euchariſtiæ memoriam cuius aſpectu mirificè recreabatur. Octogenarius Malbodij religiosè quieuit die 29. Martij 1653. Edidit in lucem varia his titulis.

Societas Ieſu Deiparæ Virgini Sacra, ſiue de patrocinio, & cultu Deiparæ Virginis ad homines eiuſdem Societatis. Duaci typis Balthaſaris Belleri 1620. in 12.

De Bono Sodalitatis Parthenicæ, & officio boni Sodalis, Erga Deiparam Patronam, lib. 2. Antuerpiæ apud Martinum Nutium, & fratres 1622. in 12.

Vitæ, Paſſionis, & mortis Ieſu Chriſti myſteria pijs meditationibus, & aſpirationibus expoſita cum iconibus. Antuerpiæ typis Henrici Aertſij 1622. & Coloniæ 1624. ſine iconibus in 12.

Exercitationes in 15. Myſteria Roſarij Deiparæ Virginis Mariæ cum imaginibus. Antuerpiæ, & Coloniæ

Inſtitutiones Chriſtianæ pietatis, ſeu de contemptu mundi. Duaci typis Iacobi Mairesse 1634. in 8.

De Humilitate Chriſtiana, aduerſus Stoicorum decreta, & Paradoxa Duaci apud Balthaſarem Bellerum 1633. in 8.

Cato maior Chriſtianus, ſiue De Senectute Chriſtiana Libellus. Ibidem eodemque anno excuſum in 8.

De Iubilæo Societatis Ieſu, Librum Paræneticum anno ſæculari eiuſdem. Duaci typis Bartholomæi Bordon 1640. in 8.

Aeternitatis trutina Chriſtianis moribus, & actionibus expendendis accommodata. Duaci typis Viduæ Petri Auroij 1637. in 8.

Peregrinus Chriſtianus moralis. Valencenis apud Ioannem Boucher 1649. in 8.

Hiſtoria, & Harmonia Euangelica tabulis & quæſtionibus explicata. Montibus typis Vvadræi 1644. in folio.

De continentia Chriſtiana aduerſus Epicureos huius temporis, Impios Lutheri, & Caluini aſſeclas. Duaci typis Balthaſaris Belleri 1638. in 4.

Lælius emendatus, ſeu de Amicitia Chriſtiana. Duaci typis iiſdem 1637. in 8.

IOANNES BRANTVS natione Polonus, patria Poſnanienſis Societati noſtræ ſe applicuit anno ſalutis 1571. ætatis 18. Romæ ſtudijs Theologiæ confectis, biennio in ſummo conſcientiæ Prætorio (, quod Sacram Pœnitentiariam vocant) ad D. Petri Confeſſarium egit. Inde reuerſus in Poloniam, diu humaniores diſciplinas, Diuinæ Scripturæ oracula, controuerſas Fidei quæſtiones, Poſnaniæ, Vilnæque expoſuit, hic Theologali laurea donatus. Pultouienſi, & Leopolienſi Collegijs præfuit. Vir fuit florentis ingenij, & ob ſuauitatem conuerſationis omnibus mirificè carus, artis muſicæ in paucis peritus.

Obijt Leopoli extremo Decembri, anno ſalutis 1601. ætatis 49. Societatis initæ 31. vota 4. pridem profeſſus, magno & virtutum religioſarum exemplo, & ſui apud omnes deſiderio relicto. Adfuit funeri tanta celebritas, quantam ſe multis retro annis nō vidiſſe Ciuitas teſtata eſt. Clerus conuenit vniuerſus, certatimque humeros feretro ſuppoſuerunt. Illuſtriſſimus Archiepiſcopus publica oratione tum defunctum, tum Societatem laudauit. Edidit in lucem Pater Ioannes Brantus contra Hæreticos

Diſputationem Theologicam De Iuſtificatione peccatoris contra nouum, vanum. ac pernicioſum iuſtitiæ imputatiuæ figmentum, in Theſes diſtributam. Poſnaniæ 1591. Scripſit item varia

Poemata Latina, & Polonica, quibus numeros adiecit muſicos, & in Polonia hodieque vſurpantur. Edidit etiam Polonicè

Concionem in funere Illuſtriſs. D. Georgij Chodkievvicz Capitanei Ducatus Samogitiæ. Vilnæ 1596. in 4.

IOANNES DE BREBEVF natione Gallus, Normannus, Diœceſis Baiocenſis, ingreſſus in Societatem anno ſalutis 1617. ætatis 23. traiecit in Cannadam ſeptentrionalem Americæ regionem, vbi labores Apoſtolicos viginti circiter annorum, in vinea illa ſpinis, & vepribus barbariei obſita exantlatos glorioſa morte pro Chriſto coronauit. Sexennium ibi præfuerat noſtris, laborum ſemper Dei cauſa appetens, ſpiritualis Coadiutor formatus. Tandem irruentibus hoſtibus barbaris in locum, vbi degebat, ſimul cum P. Gabriele Lallemant capti ambo denudati, ſudibus & baculis membratim cæſi, etiam vnguibus euulſis, itaut nulla pars corporis à plaga eſſet immunis. Tum P. Ioanni præciſæ manus, contuſum lapidibus os, inſertis in fauces flammis lingua vſtulata P. Gabrieli infixæ ſubulæ, & aculei ferrei, vtrique ſub alas, & renes admotæ candentes ſecures; ignita collaria collo circumdata, ſic vt quilibet corporis motus nouum afferret cruciatum. Ad hæc picatis, reſinatiſque corticibus cinctos, circumdederunt medios, & admoto igne ambos vndique ambuſſerunt. Inter hæc tormenta tam atrocia Ioannes rupis inſtar immotus, ſilentio primùm, perinde ac ſi ſenſuum expers eſſet, pertulit omnia. Tum verò quaſi rediens in ſe, prædicare cæpit infidelibus, & fidelibus Chriſtianis, qui circumſtabant ipſum Sociumque commiſerantes, quæ opportuna loco, & tempori iudicabat. Sed carnifices ne loqui vlterius de Deo poſſet; os illi circulo conſtrinxerunt, labra concerpſerunt, nares deformi vulnere truncarunt. Sub hæc ludibrio Sacri baptiſmatis, aqua feruenti iterum atque iterum ambo perfuſi ſunt. Priuſquam ad palū alligarentur ad quem excruciandi erant, ambo flexis genibus pignus, & inſtrumentum ſalutis ſuæ ſtipitem venerati amplexati, & deoſculati ſunt. Tandem P. Ioanni detracta pellis, quæ caluam tegit; abſciſſi pedes, coxæ carnibus ad oſſa vſque decerptis ſpoliatæ; altera mandibula bipertito ſecuris ictu diffiſſa. Ambobus carnes in feminibus, ſuris, brachiorum toris direptæ, fruſtatim & leuiter igne toſtæ, in ipſorum conſpectu à barbaris voratæ ſunt. Plagæ carnium reuulſarum admotis candentibus ferramentis exaſperatæ, diſciſſum pectus, & exceptus ſanguis, atque etiamnum calens auidè ab illis hauſtus eſt. Cor etiam ſpirantibus euulſum, & ne iterum Deum cuius cauſa hæc tolerabant, inter tormenta inuocare poſſent, vtrique ingeſtis in ora flammatis tædis, linguæ adultæ ſunt. Sic ex hac vita mortali, per immanes cruciatus excedentes, ad coronas in cælo triumphales euolarunt. Porrò de virtutibus planè Heroicis P. Ioannis, zelo animarum, ſtudio perfectionis, aſſiduitate orationis, martyrij cupiditate, humilitatis denique, obedientiæ, manſuetudinis, caritatis, caſtitatis, paupertatis, & his ſimilium exemplis, qui plura cupit, legere ea poterit in tomo De Mortibus illuſtribus eorum, qui de Societate in odium Fidei occiſi ſunt, ad annū Domini 1649. quo illi glorioſe ambo occubuerunt, & Ioannes quidem 16. Martij, alter poſtridie. Nos iſta inde decerpſimus. Scripſit Ioannes

Relationem Geſtorum à PP. Societatis Ieſu apud Hurones in noua Francia annis 1634. & 1635. Gallicè. Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoiſy eiſdem annis in 12.

* IOANNES BRISACIER natione Gallus patria Bleſenſis, natus anno ſæculi fluentis 3. ad Societatem ſe aggregauit 1619. Lugduni, & tirocinium poſuit Auenione. Humaniores litteras, & Philoſophiam docuit, profeſſionem votorum 4. emiſit. Conciones ſacras ad populum habuit: Miſſionem Caſtrenſem in Prouincia Franciæ obiuit magno animo, nec minore fructu, adeo vt morti proximus dixerit, ſe omnes vitæ ante actæ annos pro nihilo ducere præ illis, quos in laboribus Caſtrenſibus conſumpſerat. Erat enim animo ad pericula intrepido, & ad omnia expedito, ſiue in foſſis, ſiue in acie, ſiue in pellibus laborandum eſſet; ſæpè miſeris vitam, mulierculis honorem, Templis ſeruauit debitam reuerentiam. Semel Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum à nefario milite in terram abiectam, nihil ſibi à furioſo, & armato metuens reuerenter collegit. Rexit Collegia Aquenſe, & Bleſenſe; Viſitator luſtrauit bipartitam Luſitaniæ Prouinciam, & ſuboffenſum Regis animum reddidit placatum. Redux in Franciam Collegium Rothomagenſe & Domum Profeſſam Pariſienſem gubernauit, poſtea denuo ad labores Caſtrenſes redijt, ſed cùm amplius ferendis non eſſet vitæ illius militaris incommodis, ætate ingraueſcente, iterum Bleſas ſe recepit, Vbi deficientibus ſenſim viribus, poſt ſuſcepta religiosè Eccleſiæ Sacramenta ad laborum præmia emigrauit die 10. Septembris 1668. non ſine magno mœrore ciuium, qui exi-

eximium Vrbis ſuæ decus ſe in eo amiſiſſe doluerunt. Scripſit Idiomate Gallico

Ianſeniſmum confuſum in Aduocato Domini Callagani. Pariſiis apud Florentinum Lambert 1651. in 4. Item.

Innocentiam, & veritatem recognitas in probationibus inuincibilibus malæ fidei D. Callagani, quod ſeruiret pro reſponſo ad librum ipſius inſcriptum. *Innocentia, & veritas defenſæ* Pariſijs 1653. in 4.

IOANNES BRISSELIVS natione Belga patria Louanienſis, cooptatus in Societatem Tornaci anno ſalutis 1602. ætatis 20. Eloquentiam annos aliquot Antuerpiæ cum laude docuit: potiſſimam vitæ partem egit Romæ Præpoſito Generali ab Epiſtolis ad Prouincias Septentrionales, vbi & votorum 4. profeſſionem emiſit, & demum anno ſalutis 1634. ad diem 12. Martii mortalitatis debitum perſoluit. Vir fuit placidis moribus, & amabilis ob coniunctā cum diſciplinæ ſeuerioris obſeruantia ſuauitatem. E Belgico latinas fecit

Meditationes Sacras Caroli Scribani. Antuerpiæ apud Martinum Nutium, & hæredes 1615. in 8.

IOANNES BROSSARDVS natione Gallus, patria Tutellenſis apud Lemouicenſes, adſcriptus Societati anno Domini 1580. ætatis 20. poſt traditas humaniores diſciplinas & Philoſophiam, Collegio Biterrenſi præfuit, & Camberienſi ſecundùm. Fuit etiam Turnoni ſtudiorum præfectus. Obijt Roannæ, ſpiritualis Coadiutor pridem formatus, die 10. Ianuarij anno 1636. Edidit

Librum contra Chamerium Miniſtrum, qui cum antea diſputauerat. Turnoni apud Claudium Michaelem.

* IOANNES BRVEIL natione Gallus, patria Pariſinus admiſſus in Societatem anno reparatæ ſalutis 1624. ætatis 22. in ea ſeruiuit Deo in domeſticis officijs Coadiutoris Temporalis cum laude diligentiæ, humilitatis, obedientiæ, & caritatis. Vixit aliquamdiù Romæ in officio Adiutoris P. Aſſiſtentis pro Gallia. Reuerſum inde in Galliam, & vacantem exercitijs ſpiritualibus S. P. N. Ignatij Diuione vbi Æedituum agebat, morbus corripuit, & Cœlo (vt fas eſt ſperare) tranſmiſit die 27. Aprilis 1670. Cùm Architecturæ, & graphidos peritus in paucis eſſet, Edidit tacito ſuo nomine, & triplice volumine, idiomate Gallico

Perſpectiuam practicam, Pictoribus, Inciſoribus, ſculptoribus, Architectis neceſſariam. Pariſijs apud Melchiorē Tauernier 1642. in 4.

Eiuſdem partem ſecundum Pariſijs apud viduam Franciſci l'Anglois 1647. in 4.

Eiuſdem par. 3. typis iiſdem 1649. in 4. Itē.

Artem vniuerſalem fortificationum. Pariſijs apud Iacobum du Boueil 1665. in 4.

IOANNES BVCELLENVS natione Italus patria Brixienſis, Societati nomen dedit Græcij in Prouincia Auſtriæ anno Domini 1617. ætatis 17. & vota 4. nuncupauit. Eloquentiam docuit pluribus annis & Noſtros adoleſcentes & externos; tum iuſſus Tirones noſtros ad Societatis normam formare, Domus probationis ad S. Annæ, Viennæ decennio Rector fuit. Gubernauit etiam Collegia Poſonij, & Caſſouiæ, & demum totam Prouinciam Auſtriæ magna cum prudentia, & caritate, ſuauiter, fortiterquè exigendo obſeruantiam regularem ad normam Inſtituti, cuius imprimis peritus erat. Magnæ, & prope continuæ erat coniunctionis cum Deo per orationem, cui vt plus indulgeret per ſolidos 30. annos quotidie horam ſurgendi præueniebat, eoque æſtu intendebat, vt affectus ſæpè in voces erumperent, & tranſeuntes ante fores cubiculi inflammarent. Miſſæ ſacrificium ita obibat, vt audientibus pietatem ingigneret, & è ſæcularibus complures eam horam opperirentur, qua, vt aiebant illi, Sanctus ille ſenex ad aras faceret. Horas Canonicas, vt plurimulùm ante Ven. Sacramentum humi poſtratus recitabat. Annua S.P. N. Exarcitia pridiano ieiunio auſpicabatur, è quibus ſemper ſe ipſo maior videbatur prodire. Sermo illi omnis, mentem in Deo fixam animumque Diuino amore inflammatum loquebatur, & tum ſæculares, tum ex noſtris complures ingenuè faſſi ſunt ſe ex eius colloquijs mirum quantum in Diuinum amorem fuiſſe excitatos. Quantus verò Amator Dei, tantus extitit oſor ſui. Hinc nihil conceſſit ſenſui, quod neceſſitas non exigeret. Corpus ſuum vt iumentum grandis anima tractauit duriter, & omni afflictationum genere ſubegit. Audita sūt à vicinis quotidiana flagra, obſeruatæ humi cubationes, abſtinentiæ, ieiunia, & etiam in minimis continua ſui mortificatio. Lectus illi durus; apparatus eius vilis, ſedes vnica; eàmque ſine omni ſuſtentaculo. In ipſo Triclinio, & alijs conſeſſibus obſeruatus eſt, per ampliùs 30. annos nunquam ſe reclinaſſe. Nulla vnquam licet omnibus conſueta, contra manuum frigus, hyberno tempore admiſit munimenta; nihil in cibis delicatum, nihil in habitatione commoditatum, nullum etiam in ſupremo Prouinciæ magiſtratu, vel in vltimo ſenio paſſus eſt ſibi præſtari à Fratribus laicis obſequium; quare & ipſe ſibi aquam aſportabat, ipſe cubiculum verrebat. Vir iam ſæpiùs Rectoris, atque etiam Præpoſiti Prouinciæ munere perfunctus, bibliothecæ curam ſuſcepit, in eaque libros quot hebdomadis, & ipſum bibliothecæ ſolum ſcopis emundabat. Itinera pedes confecit etiam in Magiſtratu conſtitutus, cùm tamen alijs ſollicitè de commoditate aliqua prouideret. Ipſe vultus, oculi geſtus, inceſſus, verba modeſtiſſima prodebant animi demiſſionem, quà etiam Potentiorum animos ſibi conciliabat. Fuit aliquando è ſubditis, qui eum indignè tractaret, ſed modeſtè ſilentem, & prope mutum, id ſolummodò dicentem, ſe & hæc, & peiora mereri. Mira &

prodigijs affinia de cœleſtibus fauoribus illi exhibitis narrantur, ſed hæc forte ab alijs tradentur typis. Tandem vitam ſanctam ſeptuagenarius ſimili concluſit exitu Viennæ die 13. Nouembris 1669. magno ſui relicto deſiderio & apud omnes viri perfecti nomine. Edidit.

Officinam Epithetorum appellatiuorum, & nominum propriorum, Viennæ typis Matthæi Formicæ 1637. in 12. Reddidit ex Italico Latinè, & ſuppreſſo ſuo nomine vulgauit

Chriſtophori Borri relationem de Cocincina. Viennæ apud Michaelem Rictium 1633. in 8.

Achillis Gagliardi Compendium Chriſtianæ perfectionis. Typis eiſdem eodem anno in 16.

Martini Roa de ſtatu Animarum Purgatorij. Ibidem eodem anno in 16.

2. *Gregorij Ferrarij Vitam ſpiritualem deſcriptam per ſpiritum ſanctum Pſalmo* 17. Viennæ typis Matthæi Formicæ 1637. in 8.

1. *Praxim meditandi Myſteria Chriſti Domini Noſtri, B. Virginis, & Sanctorum*. Iiſdem typis, & anno in 16.

Vincentij Carafæ Faſciculum Myrrhæ de V. Chriſti vulneribus Viennæ

Franciſci Cerealis Presbyteri Cremonenſis Ideam Sacerdotum. Viennæ 1642. in 8.

Gregorii Ferrarij ſelectos affectus Sponſi Cœleſtis, & Animæ deuotæ excerptos ex Canticis. Viennæ typis Matthiæ Coſmerouij 1651. in 8. Edidit appoſito ſuo nominè

Meditationes de Paſſione Chriſti, opus prodromum. Viennæ typis iiſdem 1655. in 8.

Cæcum Hierichuntinum. Iiſdem typis, & anno

Aſceticarum conſiderationum Tomum 1. *de Deo Creante, ſeu Creatione, fine, medijs*. Viennæ typis Coſmerouij 1666. in folio

Aſceticarum conſiderationum Tomum 2. *de Triplice peccato Luciferi, Adami, Caini*; Ibidem typis iiſdem 1667. in folio

Aſceticarum conſiderationum Tomum 3. *de ſecundo modo Orandi*. Viennæ iiſdem typis 1668. in folio

Aſceticarum conſiderationum Tomum 4. *in duos libros bipertitum De creaturæ ad pœnitentiam diſpoſitione, Morte, Inferno, &c.* Ibidem 1669. in fol.

Aſceticarum conſiderationum Tomum 5. *poſthumum, De Chriſto Duce, & deuotione erga Deiparam*. Iiſdem typis 1671. in fol.

Plures Tomos paratos habebat, ſed mors intercellit.

* IOANNES DE BVRGOS natione Mexicanus, patria Angelopolitanus, parentibus nobilitate, & opulentia conſpicuis, & origine Hiſpanis, Societati ſe adiunxit anno ſalutis 1612. ætatis 18. & profeſſione votorum quatuor ſe adſtrinxit Miſſionarium diu egit; rexit Collegium Valliſoletanum, Queretarenſe, & Mexicanum S. Annæ. Vir Sacra eruditione clarus, & Sacræ Inquiſitioni à Cenſuris, ſeu Qualificator. Pro ſua quæ fertur in Deiparam pietate. Edidit Hiſpanicè

Diſcurſus Panegyricos de Domo Lauretana, cum auctario ad hiſtoriam Turſellini vſque ad annum 1659. Madriti typis Ioſephi Fernandez de Buondia 1671. in folio

IOANNES BVSAEVS natione Belga, patria Nouiomagenſis adoleſcens in ipſo ætatis flore annum agens 16. Calendis Iulij anno ſalutis 1563. Societatem noſtram complexus eſt. Deinde ad noſtrum Inſtitutum informatus primum litteras humaniores, ac Philoſophicas docuit, tum Romæ Theologiam didicit, in qua eos fecit progreſſus, quos poſtea docendo, & ſcribendo oſtendit. Nam, & Sacram Scripturam, & Theologiam, quæ via, & ratione philoſophatur, & Quæſtiones de moribus annos ferè 22. Moguntiæ profeſſus eſt, innocentiæ, prudentiæ virtutumque religioſarum opinione clarus. Iuuentutem Moguntinam ad omnem pietatem, præſertim Deiparæ cultum, annis benè multis in Congregatione eidem Dei Matri ſacra, ſingulari Vrbis, patriæquè emolumento formauit aſſiduè: ſimul domeſticorum profectum ſpiritualis magiſter ſeduló promouit. Incredibilem animi candorem cum eximia eruditione coniunxit. Extrema ætate quamuis fractus laboribus inuſitato capitis dolore torqueretur, ſe tamen totum ad ſtudia pietatis promouenda contulit, tum aliorum fœtus illuſtrando, tum ex peregrino Idiomate Latinos faciendo, tum proprios etiam conſcribendo, donec tandem morbo confectus obijt magno ſui deſiderio relicto Moguntiæ 30. Maij anno Chriſti 1611. ſuo 64. Religionis 48. Profeſſionis 4. votorum 28. Edidit quæ ſequuntur

Diſputationem Theologicam, de Ieiunio, & delectu ciborum aduerſus Chemnitium, & cæteros nouatores Moguntiæ apud Gaſparem Behem 1581.

Diſputationem de Perſona Chriſti aduerſus Vbiquetarios Ibidem 1583. in 4.

Diſputationem Apologeticam pro Calendario Gregoriano aduerſus Iacobum Herbrandum Doctorem Lutheranum Tubingenſem. Ibidem 1585. in 4.

Diſputationem de Deſcenſu Chriſti ad Inferos, aduerſus decretum libri Concordiæ Lutheranorum. Coloniæ 1585. in 4.

Apodixin Theologicam pro ritu orandi Roſarium Beatiſsimæ Mariæ Virginis 20. propoſitionibus comprehenſam. Moguntiæ 1587.

Roſarij Hiperaſpiſtem, hoc eſt depulſionem cauillationum, quibus Caluiniſta quidam Heidelbergenſis eiuſmodi Apodixin obſcurare fruſtra conatus eſt. Herbipoli 1588.

Apologiam Diſputationis de Perſona Chriſti cauillationibus Stephani Gerlachij Vbiquiſtæ oppoſitam Moguntiæ 1588. in 4. & 1609. in 4.

Refutationem duplicem cauillationum à Stephano

phano eodem Apologetico obiectarum. Moguntiæ 1591. 1594. & 1596.

Reſponſionem ad Theſes Theologorum Lutheranorum Marpurgenſium de Miſſa Pontificia, & Cœnæ Dominicæ profanatione. Moguntiæ apud Gaſparem Behem 1588.

Diſputationem Theologicam de Baptiſmi neceſſitate, & de Baptiſmo Conſtantini Magni. Moguntiæ 1589.

Paradoxa 30. *Gaſparis Schuuenckfeldij Hæreſiarchæ de toto Chriſto Deo, & Homine*, in ſtatera Sacræ Scripturæ, Sanctorum Patrum, & rationis expenſa, & cum Vbiquetariorum dogmate collata. Moguntiæ apud Henricum Breem 1595. in 4. Ac hæc in lucem emiſit

Petri Bleſenſis Bathonienſis in Anglia Archidiaconi opera correcta, & notationibus illuſtrata. Moguntiæ typis Ioannis Albini 1600. relata ſunt in Bibliothecam Patrum Tomo 12. Parte 2.

Ioannis Trithemij opera de Eccleſiaſticis Scriptoribus. Et vtriuſque Appendicem Moguntiæ 1602. & 1606.

Anaſtaſij S. R. E. Bibliothecarij hiſtoriam de Vitis Summorum Pontificium, vſque ad Nicolaum I. adiectis duabus alijs Vitis ex Guilielmo Bibliothecario cum varijs lectionibus Mſs. Cod. Moguntiæ typis Albini 1602. Acceſſit

Luidtprandi Ticinenſis Diaconi (vel potius alterius) opuſculum de Vitis Summorum Pontificum. Item

Abbonis Floriacenſis Epitomen de Vitis Pontificum ex Anaſtaſij hiſtoria excerpta. Moguntiæ 1602.

Hincmari Rhemenſis Epiſcopi Epiſtolas nonnullas nunquam editas, *cum Notis breuibus*. Acceſſit

Vita S. Vuigberti Socij S. Bonifacij Archiepiſcopi Moguntini, & B. Auperti Bingionum Ducis auctore S. Hildegarde Moguntiæ 1602. Exſtat eius Hinimarus in Bibliotheca Patrum Tomo 9. Parte 2.

Ioannis Trithemij Opera pia, & ſpiritualia omnia. Moguntiæ typis Ioannis Albini 1605. in folio

Paralipomena opuſculorum Petri Bleſenſis, & Ioannis Trithemij aliorumque. Moguntiæ typis Balthaſaris Lippij 1605. in 8.

Edidit præterea de ſuo

Enchiridion piarum meditationum in omnes Dominicas, Sanctorum Feſta Chriſti Paſſionem. &c. Moguntiæ typis Balthaſaris Lippij 1605. in 12. Duaci à Balthaſare Bellero 1619. & 1626. in 16. & alibi ſæpe recuſum

Modum rectè meditandi de rebus Diuinis Moguntiæ 1606.

Panarium hoc eſt *Arcam medicam, varijs diuinæ Scripturæ, priſcorumque Patrum Antidotis aduerſus animi morbos inſtructam*. Moguntiæ apud Ioannem Albinum 1608. in 4.

Viridarium Chriſtianarum virtutum, ex Sacroſanctæ Scripturæ, Sanctorumque Patrum Sententijs conſtructum. Concionatoribus longe vtiliſſimum. Moguntiæ apud Ioannem Albinum 1610. in 8.

De Statibus hominum. Opus poſthumum Moguntiæ apud Ioannem Albinum 1613. in 4.

Idem Pater Ioannes Buſæus ex Italica lingua in Latinam vertit varias

Litteras Indicas Iaponicas, Chinenſes datas ab anno 1591. *vſque ad* 1600. Moguntiæ Coloniæ, & alibi impreſſas

Vincentij Bruni meditationum tomos 4. &

Tractatum de Sacramento Pœnitentiæ. Coloniæ 1598.

Fuluij Androtij Opuſcula de Frequenti Communione, & de Paſſione Domini; illud Moguntiæ apud Ioannem Albinum 1598. hoc Coloniæ per Arnoldum Mylium 1603. Vtrumque ſimul recuſum, Coloniæ per Petrum Henningium 1612. in 12.

Lucæ Penelli Meditationes de S. Euchariſtiæ Sacramento. Coloniæ 1600. in 12,

Eiuſdem de Vita Chriſti, & B. Virginis. Ibidem 1601.

Gaſparis Loartis de 15. *Myſterijs Roſarij*

Franciſci Ariæ de Imitatione B. Virginis Tractatus. Coloniæ per Arnoldum Mylium 1602. in 12.

De Profectu ſpirituali

De Diffidentia ſui, &

De Mortificatione. Coloniæ per Arnoldum Mylium 1603. in 12.

Bartholomæi Riccij Inſtructionem meditandi.

Roberti Cardinalis Bellarmini Reſponſionem ad Doctorem Theologum de Cenſuris contra Venetos

Stimulum virtutum Guilielmi Baldeſani. Moguntiæ 1595.

* IOANNES DE BVSSIERES natione Gallus, patria Belloiacenſis in diœceſi Lugdunenſi, natus anno ſæculi præterfluentis ſeptimo, Societati ſe adiunxit 1631. & vota 4. ſolemnia concepit. Rhetoricam, & humaniores litteras profeſſus eſt annis vndecim. Scholis præfuit ſeptennio. Vtriuſque Iuris Doctorali laurea ante ingreſſum in Societatem inſignitus. Rexit Noſtros Matiſconæ, & in Domo 3. probat. Lugduni, modò ſuperſtes in Collegio Lugdunenſi, & in Hiſtorijs verſatiſſimus edidit

Deſcriptiones Poëticas carmine Gallico Lugduni per Ioannem Demenez 1648. in 4.

Rheam liberatam, Poëma Latinum typis Iiſdem 1650. in 12.

Scanderbergum Poema Latinum, cui in ſecunda editione adiuncta ſunt

Idyllia, Eclogas, &c. Lugduni per Ioann. Girin. 1662. in 12.

Floſculos Hiſtoriarum ſæpius recuſos. Lugduni apud Deuenet 1659. Editio 4.

Hiſtoriam Francicam tomis 4. in 12. 1660. Auctam, & recuſam duobus tomis in 4. Lugduni 1671.

Baſi-

Baſilicam Lugdunenſem. Ibidem per Barbier 1662. in fol.

Hiſtoriarum hortum Gallicè duobus voluminibus in 12. Lugduni per Ioannem Girin 1668.

Meditationes pias in ſingulos anni dies, Gallicè Tomis 4. in 12. Lugduni typis iiſdem 1669.

Conciones P. Ioann. Pauli Oliuæ Generalis habitas in Palatio Apoſtolico, ex Italico Latinè redditas duobus Tomis in 4. typis iiſdem 1665.

Concionum eiuſdem Tomum 3. Moguntiæ apud Ioannem BaptiſtamSchonueſer 1668. in 4.

Vitam S. Ignatij de Loyola. Gallicè Lugduni apud Antonium Molin 1670. in 12.

Vitam S. Franciſci Xauerij, Gallicè iiſdem typis anno, & forma

IOANNES BVZELINVS natione Belga, patria Cameracenſis Societatem ingreſſus anno 1590. ætatis 19. Vir egregia ſuauitate morum, ſacrarum Hiſtoriarum, atque annalium callentiſſimus; diligentiſſimus inueſtigator Antiquitatis. Multa parantem mors occupauit Inſulis 18. Cal. Nouembris anno ſalutis 1629. ætatis 55. Religionis 36. à ſuſcepto ſpiritualis Coadiutoris gradu 16. Edidit in lucem Latinè

Triumphum, quo Sancti Martyres Victor & Socij, ab Vrbe Roma Inſulas inuecti ſunt, & in Templo Societatis Ieſu collocati. Inſulis apud Petrum de Rache 1612. in 8.

Annales Gallo-flandriæ ab annis pluſquam 1300. Duaci typis Marci Vvion 1624. in fol.

Gallo-Flandriam, ſiue Gallo-flandriæ deſcriptionem, eiuſque antiquitates Sacras, & prophanas. Ibidem 1625.

IOANNES CACHETVS natione Lotharingus, patria Nouo-Caſtrenſis in Diœceſi Tullenſi in Societatem adſcitus eſt anno 1630. ætatis ſuæ 16. Humaniores diſciplinas aliquamdiu profeſſus in Coadiutorum ſpiritualium gradum adſcriptus eſt. Vir fuit compoſitis valde moribus, manſuetudine, ac patientia ſingulari, iudicio ſolido, ingenio facili, & quibuſuis facultatibus pari; ſed corpore tam infirmo, vt cùm ad ſuperiores diſciplinas, natus videretur, coactus in amæniorum ſtudio ſubſiſtere, Philoſophiam Chriſtianam vberiore prouentu, quàm ſi ſpeculando profeſſus eſſet, doloribus æquo animo perferendis, exercuit. Continuo pene capitis dolore, reſpirandi difficultate, torminibus, ſtranguria, calculo, membrorum omnium imbecillitate laborabat. In ſummis illis cruciatibus aiebat, nulla re ſe vehementius angi, ne quod verbum minùs religioſum, ſibi per impatientiam excideret. Poſt tertium diem cum litteras S. Franciſci de Sales manu ſcriptas corpori applicuiſſet, eodem ferè temporis, ac loci veſtigio calculum non mediocrem eiecit. Demum poſt multa patientiæ documenta ad omnium præmia migrauit Muſſiponti die 22. Decembris 1634. Scripſit Gallicè, & edidit

De horrore peccati. Muſſiponti typis Gaſparis Bernardi 1634. in 4.

Vitam S. Iſidori. Muſſiponti in 12.

Vitam S. Ioſephi Canonici Regularis Ordinis Præmonſtratenſis. Muſſiponti apud Gaſparem Bernardum 1632. in 12.

Gallicè interpretatus eſt ex Hiſpanico.

Nicolai Arnaya Collationes Spirituales. Pariſijs apud Sebaſtianum Chappellet 1630. in 4.

Ex Italico autem

Vitam Ioannis Berckmanni Societatis Ieſu à Virgilio Cepario ſcriptam. Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoiſy 1630. in 8.

Vitæ Beati Franciſci Borgiæ Compendium. Muſſiponti in 12.

IOANNES CAILLET natione Belga, patria Duacenſis ingreſſus in Societatem anno 1605. ætatis 28. Græcas litteras aliquamdiu profeſſus eſt, & ſpiritualium Coadiutorum albo adſcriptus. Vir fuit magnæ ſui deſpicientiæ, eximiæ in ſuperiores obſeruantiæ, rari in perfecta Regularum, etiam minimarum obſeruatione exempli. Obijt Duaci 4. Septembris 1628. natus annos 51. Scripſit

Sex Tomos, quibus illuſtria Sanctorum Virorum exempla, & facta lectiſſima per ſingulos anni dies digeruntur

* IOANNES CAMACHIVS natione Hiſpanus, patria Gaditanus, natus anno ſæculi ineuntis primo Societatem amplexus eſt 1617. & emenſis in Bœtica ſtudiorum ſpatijs, ad animarum lucra nauigauit ad Indos in Americam, & votorum quatuor profeſſionem edidit Quiti in Regno nouo 1636. Theologiam ibi multis annis explicuit, & Conciones ad Hiſpanos habuit, & demum ibidem multa bonorum operum fruge cumulatus, ad laborum mercedem à Deo euocatus eſt die 20. Iunij 1664. Edidit Latinè

De Vita ſpirituali perfectè inſtituenda compendium ex operibus P. Iacobi Aluarez de Paz. Valentiæ 1650. in 4

IOANNES CAMEROTA natione Italus, patria Grauinenſis in Apulia ex patritio ſtemmate Genuenſi Adornorum, vti affirmant Ioannes Hieronymus Mari Antiſtes Altamuranus, & Carolus Pintus in Carminibus ſuis præfixis libro de Sacramentis, Domitij Camerotæ, qui fuit germanus frater noſtri Ioannis. Natus eſt Ioannes anno ſalutis 1559. & Deo ſe in Societate dicauit 8. Octobris 1572. & votorum quatuor profeſſionem emiſit. Vir fuit omni litterarum genere egregiè inſtructus; quiquè diu Philoſophicas, ac Theologicas cathedras Neapoli moderatus, ſtudiorum quoque Præfecturam ibidem geſſit; Electus à Conuentu Prouinciali, Congregationi Generali Sextæ interfuit Romæ, cum iure ſuffragij. Subinde Theologum Præpoſiti Genera-

neralis, ac Cenſorem librorum à Societatis Scriptoribus imprimendorum annos facile viginti egit. Rexit olim in Prouincia Neapolitana Collegium Coſentinum; & in ſenili ætate Vice-Præpoſitus Domũ Profeſſam Romanam, ex qua vir religioſiſſimus, & multarum palmarum, migrauit ad Dominum die 7. Februarij 1644. Edidit ſuppreſſo nomine

Catalogum quorundam de Societate Ieſu, qui pro fide, vel pietate ſunt interfecti ab anno 1549. *vſque ad annum* 1603. Neapoli apud Tarquinium Longum, & Cracouiæ apud Nicolaum Lob, vtrobique 1606. Item Italicè

Odas ſpirituales cum adiũctis modis muſicis pro Doctrinæ Chriſtianæ ſtudio promouendo.

IOANNES CANÆVS, ſeu CANAYE natione Gallus, patria Pariſienſis, Societatem anno 1611. ætatis ſuæ 17. iniuit, & vota quatuor nuncupauit. Per omnia Societatis miniſteria virtutis ſuæ exempla præclara dedit. Docuit litteras humaniores; Conciones ad populum habuit. Rector Collegij Molinenſi, & Bleſenſi præfuit. Miſſionarium egit in Caſtris Chriſtianiſſimi Regis annis 22. tam indefeſſo labore, & tanto militum bono, vt ſingularem propterea à viris Principibus, ipſoque Rege laudem ſit conſecutus. Septuagenario quippe maior viſus eſt cum militibus excubias agere, ne eius opera indigerent in articulo mortis, omnium inuigilans ſaluti, eoſque in periculis diu, noctuque comitans. Demum plurimis defunctus laboribus, ad æterna ſtipendia euocatus obijt Rothomagi die 26. Februarij 1670. Scripſit Gallicè

Elogium Ludouici XIII. Regis Chriſtianiſſimi de capta Rupella. Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoiſy 1629.

Reddidit præterea Gallicè collectas à ſe in vnum, atque edidit

Sanctorum Patrum multas Epiſtolas de Vanitate mundi. Typis iiſdem 1628. in 8.

Ipſius etiam ſunt carmina aliqua in libro, qui inſcribitur

Triumphus de Rupella capta 1629.

IOANNES CANISIVS natione Belga, patria Neomagenſis, magni Petri Caniſij non degener pronepos, admiſſus in Societatem Romæ anno ſalutis 1597. ætatis 28. Tirocinium abſoluit Treuiris. Hic cum Moralis Theologiæ Magiſter eſſet, ad Ciues Concionator, auditorque Confeſſionum pene aſſiduus, reſidui tamen temporis aliquid nanciſci ſolebat, vt ad agreſtes excurreret. Biennium verſatus eſt in Caſtris Regijs Belgicis; frequenter conſeruit manus cum hæretico, & vbicumque fors tulit, vt in hoc hominum incideret genus, acri eos animo ſemper exagitauit. qua ex acie, vt copijs inſtructior ſemper redibat, ita paratior induſtrijs ad hoſtes impugnandos. Obijt Vvinoci-bergis anno ſalutis 1613. ætatis ſuæ 42. ab ingreſſu in Societatem 16. Scripſit

Volumen contra Hæreticos

* IOANNES CARDENAS natione Hiſpanus, patria Hiſpalenſis, Societatem amplexus anno ſæculi labentis 27. ætatis ſuæ 15. votorum quatuor nuncupatione ſe obſtrinxit. Philoſophiam ſexennio profeſſus eſt. Rexit Collegium Marcenenſe tertiò, & Domum probationis Hiſpalenſem; tum totã Prouinciam Boeticã Domum Profeſſorum Hiſpali moderatur. Edidit pro ſua pietate in Beatiſſimam Virginem, Tractatum inſcriptum

Geminum ſidus Mariani Diadematis, ſiue Duplex Diſputatio de Infinita dignitate Matris Dei, atque de eius Gratia habituali infinita ſimpliciter. Hiſpali 1660. in folio. Item

Criſim Theologicam bipartitam, ſiue Diſputationes ſelectas ex Morali Theologia in duas partes, diſtinctas, Lugduni ſumptibus Laurentij Arnaud, & Petri Borde 1670. in folio

Edidit etiam Hiſpanicè

Vitam Ven. Virginis Damianæ, quæ vixit, & obijt Marienæ. Hiſpali typis Ioannis Cabezas 1675. in 4.

IOANNES CAROLVS DE LA FAILLE natione Belga, patria Antuerpienſis, natus anno 1597. Societatem ingreſſus eſt cùm annum ageret 16. & vota quatuor emiſit. Vir magni ingenij, & cùm cæteras diſciplinas, tum verò egregiè Mathematicas triennio ſub Gregorio à S. Vincentio hauſit, quas in Collegio Dolano apud Sequanos primùm ſexennio; dein Louanij biennio, demum in Academia Regia Madritenſi ab ipſo eius exordio multis annis profeſſus eſt. Illum Erycius Puteanus in vindicijs circuli Vrbaniani, *Clariſſimum* vocat *Profeſſorem Regium, qui non doctrinam modò omnem, ſed & probitatem diuina mente complexus ſit*. Illi dum Matriti degeret, Rex Catholicus Philippus IV. Filium ſuum Sereniſſimum Ioannem Auſtriacum Mathematicis inſtitutionibus imbuendum dedit, quo in munere vſquè adeò Sereniſſimo Psincipi fecit ſatis, vt poſtea ipſum ſecum voluerit comitem, quocumque pergebat, ſiue in Siciliam, ſiue in Gotholauniam, vt eas tamquam Prorex gubernaret, ſiue quando Neapolim profectus eſt claſſis, & Exercitus Regij Ductor ſupremus. Hinc defuncto P. Ioanni Barcinone die 4. Nouembris 1652. poſt vnde quadraginta annos vitæ Religioſæ ſingulari innocentia, & accurata regularum obſeruantia traductos, iuſſit Sereniſſimus apponi ſuo nomine hoc Epitaphium Magiſtro ſuo

R.P. Ioanni Carolo de la Faille
Antuerpiano, Societatis Ieſu Sacerdoti
Religioſæ vitæ innocentia,
Et Mathematicis diſciplinis inclyto,
Sæculi noſtri Archytæ,
Qui obijt Barcinone pridie Non. Nouembris
Anni MDCLII.
Seren. Princeps D. Ioannes Auſtriacus
Gotholaniæ pro Rege Gubernator
Magiſtro ſuo incomparabili.
H. M. P. C.

Edi-

Edidit Ioannes Carolus

Theoremata de Centro grauitatis partium Circuli, & Eclipſis. Antuerpiæ ex officina Ioannis Meurſij 1632.

Theſes Mechanicas. Dolæ circa annum 1625.

* IOANNES CAROLVS HORVVARDVS natione Germanus, gente Boius, patria Monacenſis, ſuſceptus ibidem in Societatem anno ſæculi voluentis 30. ætatis ſuæ 19. vota quatuor profeſſus eſt. Miſſus in Auſtriam docuit Græcij Philoſophiam, & Theologiam, tum Scholaſticam, tum Moralem, & Sacras litteras eſt interpretatus magna commendatione doctrinæ, & virtutis. Deceſſit Viennæ die 14. Ianuarij 1655. Edidit

Elucubrationes Philoſophicas de Corpore Naturali, eiuſque paſſionibus. Græcij typis Academicis 1647. in 16.

IOANNES CHEVALIER natione Gallus, patria Perticenſis in Diœceſi Sagienſi anno 1627. ætatis 17. in Societatem ingreſſus vota quatuor nuncupauit. Docuit humaniores litteras, & Philoſophiam, & Concionatorem annis aliquot egit. Miſſus in Inſulas Americæ religioſe obijt in illa S. Chriſtophori, die 31. Octobris 1649. Huic per errorem tribuitur

Proluſio Poetica, cuius alter de quo mox mox agetur, eſt auctor

Hic vero edidit

Reſponſionem Eccleſiaſtici cuiuſdam ad Religioſam Ordinis Fontis Ebraldi cum apologia eius Ordinis. Pariſijs per Michaelem Goli 1641. Item Gallicè reddidit e latino

Vitam B. Roberti Arbreſſellenſis Fundatoris Ordinis Fontis Ebraldi. Flexiæ typis Georgij Grriueaum 1647. in 8.

* IOANNES CHEVALIER alter natione Gallus, patria Burgundo-Sequanus Diœceſis Biſuntinæ, vicennis Societatem amplexus eſt anno ſæculi voluentis 7. Virginitatis ſeruandæ cauſa. Rhetoricam & amæniores litteras ſeptennio profeſſus eſt, & cùm natus ad muſas ſuauiores videretur, has totis 30. annis, quibus Scholarum Præfecturam geſſit in Flexienſi Collegio identidem excoluit. Verùm præcipua illius cura fuit perfectæ virtutis ſtudium, ad cuius metam omnibus viribus conabatur pertingere, prout conſtat ex eiuſdem autographis poſt obitum repertis. Amore diuino ita æſtuabat, vt ardorem ferre non valens exclamarit non rarò, O amor! O faces! O incendia pectoris! Nec otioſus erat amor ille, ſed foràs erumpebat ignis, qui ardebat intus, & proximos inflammauit. Nam ſæpiùs excurrens ad pagos adiacentes, ſingulari fructu enitebatur vbique diſcordias comprimere, inimicos inter ſe conciliare; ſacrilegos & vitiorum immerſos cæno, ad pœnitentiam excitare; ad hæc Noſocomia, & carceres frequenter inuiſebat, & quidquid vacui temporis ab officio nanciſcebatur, totum in huiuſcemodi operibus caritatis collocabat. Miro amore proſequebatur Chriſtum Dominum, eiuſque ſacram Paſſionem & in S. Euchariſtia præſentiam. Beatiſſimam Virginem (quam Matris ſuæ nomine appellare ſolebat) tenerrimo colebat affectu, & rumor non varius fuit; Hanc ſe illi ſæpiùs ſpectabilem exhibuiſſe certè conſtat multas ipſum à Deipara gratias ſingulares pro infirmis, & alijs impetraſſe. Ab illa etiam obtinuiſſe creditur florem Virginitatis, quam à puero illibatam ſeruauit. Quin, & ab Angelo Cuſtode nocte quadam, renes ſibi fune veluti cingi ſenſit tam arctè, vt in clamores eruperit, profuiſsèque id ſibi contra carnis illecebras cognouit. Obedientiæ, paupertatis, humilitatis fuit cultor inſignis; S. Patris Ignatij Filius digniſſimus, & in eo etiam imitator egregius, quod cùm tot donis à Deo illuſtratus fuerit, ea tamen diligenter ſtuduerit occultare, quod inter virtutes S.P.N. poſtrema non fuit. Biennio ante obitum totus fuit in ſeria conſideratione mortis, & præparatione ad hanc, prout patuit ex ſermonibus familiaribus aſſiduè de ea habitis. Tandem ardentioribus Diuini amoris ignibus ſuccenſus, & varijs morbis attritus, poſt ſuſcepta ritè Eccleſiæ Sacramenta inter oſcula pendentis è cruce Chriſti placidiſſimè animam ſuo Creatori reddidit Flexiæ, die 4. Decembris 1644. Spiritualis Coadiutor pridem antea formatus. Edidit

Heroicas Panegyres ad Ludouicum XIII. Regem Chriſtianiſſimum capta Rupella. Flexiæ apud Geruaſium Laboë 1629. in 4.

Lyrica ad Patres Societatis Ieſu in oram Canadenſem tranſmittentes. Flexiæ apud Georgium Griuean 1635. in 4.

Carmen Encomiaſticum de S. Martino Turonenſium Epiſcopo. Flexiæ iiſdem typis 1636. in 4.

Proluſionem Poeticam. ſiue libros ſingulares Carminum Heroicorum Lyricorum variorum Epigrammatum. Flexiæ typis iiſdem 1638. in 8. Quæ recognita, & multum aucta prodierunt iterum ex eadem officina Georgij Griueau hoc titulo

Polyhymnia, ſiue variorum Carminum libri ſeptem. Flexiæ 1647.

IOANNES CIERMANS natione Belga, patria Siluæducenſis iuuenis ad Societatem venit anno 1619. Quatuor vota profeſſus anno 1636. 12. Maij. Matheſim aliquot annis docuit Louanij, & Antuerpiæ; & impetrata à Superioribus facultate eundi ad Sinas, obijt in Luſitania anno Domini 1648. Ab eo editus eſt

Annus Poſitionum Mathematicarum, quas defendit Perill. D. D. Philippus Iacobus Vnuerzagt Baro de Ebenfurt. Louanij 1641. in folio.

IOANNES CLOMETOVVSKI natione Polonus, ad Societatem ſe applicuit anno 1018. ætatis 21. & vota 4. ſolemnia profeſſus eſt. Docuit in ea humaniores litteras, Matheſim, linguam Sanctam. Rexit Collegium Lubli-

Lublinenſe quinquennio, & in eodem piè defunctus eſt die 18. Ianuarij 1641. Vertit Polonicè

Hieremiæ Drexelij Conſiderationes De Aeternitate.

Eiuſdem Zodiacum Chriſtianum

Franciſci Stanislai Phœnicij, Mariæ Mancipium, quod opuſculum in meliorem, ſimul methodum redegit, & acceſſione aliqua locupletauit. Lublini 1632. in 16.

* IOANNES COLVMBI natione Gallus Manuaſcæ in Prouincia natus anno ſæculi exacti 92. acceſſit ad Societatem voluentis 8. & votorum 4. ſacramento ſolemni ſe adſtrinxit. Vir omnis generis eruditione inſigniter inſtructus, docuit Rhetoricam, Philoſophiã, Theologiam vtramque Scholaſticam, & Moralem, & ſacras litteras eſt interpretatus. Octogenario maior adhuc ſuperſtes in Collegio Lugdunenſi quamuis multa ſcripſerit, Parat tamen prælo plura; Edidit hactenus

Virginem Romigeriam, ſeu Manueſcenſem. Lugduni per Ioannem Gautherin 1638. in 4.

De Rebus geſtis Epiſcoporum Valentinorum, & Dienſium Libros 4. Typis iiſdem, & anno in 4.

De Rebus geſtis Epiſcoporum Viuarienſium Libros 4. Ibidem per Iacobum Cauier 1651. in 4.

De Rebus geſtis Epiſcoporum Vaſionenſium Libros 4. Typis iiſdem 1656. in 4.

De Manueſca Vrbe Prouinciæ libros tres. Typis iiſdem 1663. in 12.

Guilielmum Iuniorem Comitem Folcalquerij. Iiſdem typis, & anno in 12.

Eoſdem libros omnes iterum edidit vno volumine in folio. Lugduni ſumptibus Ioannis Baptiſtæ de Ville anno 1668. quibus adiũxit eodem in volumine ſequentes

De rebus geſtis Epiſcoporum Siſtaricenſiũ Libros 4.

Diſſertationem de Carthuſianorum initijs.

Appendicem ad libros De Rebus geſtis Epiſcoporum Valentinorum, & Dienſium

Noctes Blancalandanas. Opus varium in tres partes diuiſum.

Appendicem ad Noctes Blancalandanas.

Diſſertatiunculam de incorruptione corporis Philibertæ à Sabaudiæ Duciſſæ Nemoreſij,

De Gente Simianæa libros 4. quæ omnia in memorato Tomo continentur ſub titulo *Ioannis Columbi Opuſcula varia* 1668. in folio. Præterea edidit

Commentarium in Sacram Scripturam à Geneſi vſque ad finem librorum Regum. Tom. I. Lugduni ſumptibus Philippi Borde 1656. in folio

Sequentur breui Deo fauentè, quatuor alij in reliquos libros omnes Veteris, ac Noui Teſtamenti.

IOANNES CONARIVS natione Polonus, patria Pyſdicenſis, quod Poloniæ Maioris Oppidum eſt, ad Societatem ſe applicuit anno Chriſti 1565. Poſnanienſis Collegij Rectorem 20. Gymnaſij Præfectum plurimis annis egit; Concionatorem ferè perpetuum; quibus adminiſtrandis muneribus vniuerſi Cleri, Nobilitatis, cæterorumquè Ordinum animos ita ſibi deuinxerat, nihil vt apud eos eſſet, toto Regno carius, nihil gratioſius, honoratiuſue. Facile nequeat iniri numerus pacificationum, quarum arbiter feliciſſimus fuit, & quidem grauiſſimis in rebus primarios viros inter, & Conuentus periculosè diſſidentes. Quidquid ferè Dynaſtarum ad Catholicos ex Hæreticis redijt tota regione, id eius induſtriæ acceptum eſt ferendum, quam in recenſionem veniunt, & Oppida ipſa quædam integra, quæ cum ſuis Satrapis Eccleſiæ reſtituit Extremam porro vitæ clauſulam egit apud Poſnanienſem Antiſtitem Andream Opalinſki, qui eum ſibi à Confeſſionibus præfectum legerat, vbi cum die quodam Sacris religioſiſſime vt ſolebat operatus, curru veheretur, inter decurrendum Marianum Roſarium, pene ſine ſenſu animam exhalauit, anno Chriſti 1614. ætatis ſuæ 74. quàm in Societatem venerat 50. Profeſſionis trium votorum 44. Eius obitu indoluere vniuerſi Ordines acerbiùs quam dici poteſt; ſed Nobilitas omnium grauiſſimè, cuius illæ voces diù auditæ ſunt, luctuoſum hunc annum duris calamitatibus ſibi accidiſſe, ſed eius viri occaſu probis viris nihil contingere potuiſſe calamitoſius. Magno doloris ſenſu parentatum illi ab Epiſcopo, & ab vniuerſa Ciuitate eſt. Prodierunt in lucem aliorum opera ipſo propemodum inſcio eius

Conciones aliquot Funebres

IOANNES CONTRI natione Italus, patria Lucenſis, Societati ſe adiunxit in Prouincia Veneta anno ſalutis 1614. ætatis 16. & vota quatuor nuncupauit Romæ. Eloquentiam quadriennio docuit, & in cenſu Concionatorum inter primos ſui temporis meritò eſt adnumeratus; dixit quippe magno plauſu, & fructu ad populum quoad vixit in præcipuis Vrbibus Italiæ. Neapoli immaturo nobis funere ſublatus eſt die 27. Ianuarij 1643. Edidit Italicè

Concionem à ſe habitam Lucæ in Palatio Reipublicæ, de Conſeruatione Libertatis 1632.

* IOANNES CORDIER natione Gallus, patria Rhemenſis in Campania, Societati ſe addixit anno huius ſæculi vndeuigeſimo ætatis ſuæ 21. & votorum quatuor profeſſionem edidit. Humaniores diſciplinas, & Rhetoricam nouennio explicuit, Philoſophiam biennio, Theologiam de Moribus triennio. Rexit Collegia Catalaunenſe, Diuionenſe, Domum probationis Nancæianam, & demum totam Prouinciam Campaniæ. Electus à Comitijs Prouinciæ Romam adijt ad Congregationem Procuratorum. Demum in ſenectute bona religiosè deceſſit, Diuione die 12. Nouembris 1673. Edidit Gallicè

Familiam Sanctam, ſeu de officio eorum

qui familiam componunt. Tribus Tomis in 4. Pariſijs apud Claudium Sonnium 1643. Recuſam Lugduni 1653.& iterum Pariſijs 1666. & Italicè Maceratæ 1674.

IOANNES DE CORDVBA MESSIA natione Peruanus, patria Limenſis vir egregiè doctus, admiſſus in Societatem anno Domini 1601. ætatis 16. vota 4. ſolemnia nuncupauit. Philoſophiam, & Theologiam profeſſus, Cenſor fuit S. Inquiſitionis. Gubernauit etiam Noſtros in Collegijs Guamangano, Piſcano, Callaenſi. Concionator, & Operarius Indorum & Hiſpanorum in ſpiritualibus; migrauit ex hac vita Limæ 19. Ianuarij 1655. Præfuit complures annos celeberrimæ Sodalitati, cuius emolumento edidit

Volumen Regularum, & monitorum ſpiritualium.

* IOANNES DE CORDOVA alter natione Hiſpanus, patria Abulenſis Societati adſcriptus anno ſæculi prælerlabentis 17. ætatis ſuæ 15. profeſſionem emiſit 4. votorum. Theologiam Moralem docuit, & ampliùs 20. annos Verbi Diuini præconem egit ſingulari zelo, & magno emolumento animarum. Mortalitatem exuit in Collegio Lucronienſi die 8. Octobris 1655. Edidit

Catenam in libros Regum in duos Tomos diuiſam. Lugduni 1652. Moriens reliquit duos alios, quibus idem inſtitutum proſequebatur.

IOANNES COSTANVS natione Gallus, patria Toloſas in Societate, quam adijt anno 1583. ætatis 15. Humaniores primum diſciplinas omnes, mox Philoſophiam, ſubinde Moralem Theologiam, & Expoſitiuam docuit, & totos circiter 30. annos concionatus eſt. Demum plenus dierum, ac bonorum operum obiit. Burdigalæ die 22. Martij 1635. Scripſit Gallicè

Vitam S. Frontonis Apoſtoli Petrochoriorum. Parabat

Commentarium in Ieremiam, & Prophetas Minores, ſed morte præoccupatus nõ vulgauit

IOANNES COVILLONIVS natione Belga, patria Inſulenſis, honeſtis ortus parentibus, vir ſi quis alius candidus, ſincerus, pius, eruditus, qui anno 1549. Franciſci Stradæ concionibus, & alloquio Petri Fabri commotus, Louanij ſe Noſtris adiunxit, iam tum pereruditus, & Græci ſermonis interpres. Mox cum Fabro in Luſitaniam profectus in Collegio Conimbricenſi, ac deinde etiam in Romano itemquè Lugduni in Gallia, & Ingolſtadij in Germania Philoſophicas atque Theologicas diſciplinas profeſſus eſt; atque hic quidem, doctrinę vbertate, & præſtantia, & inducta acriter diſputandi conſuetudine, maximas Academiæ vtilitates peperit. Certè doctrina eius tanti æſtimata hic fuit, vt cum Albertus Bauariæ Dux, poſtulante Zacharia Delphino Legato Apoſtolico, Oratorem ſimul, & Theologum miſerit ad Synodum Tridentinam anno 1562. vbi cum alijs Patribus ſententiam dixit. Inde reuerſus, Collegio Dilingano, quod Auguſtanus Cardinalis moliebatur iuſſus eſt præeſſe. Demum cùm multa ſingularis innocentiæ, & obedientiæ paſſim documenta præbuiſſet, acuta vi morbi celeriter quidem oppreſſus eſt, tamen obitus ſui diem nec vni, neç ſemel prædixit. Obijt Romæ anno 1581. die 17. Auguſti. Apponam Elogium, quo Academia Ingolſtadienſis Couillonium noſtrũ ornauit, nempe

Ioannes Couillonius Societatis Ieſu Sacræ Theologiæ Doctor, natus Inſulis nobili Flandriæ Ciuitate, & maximorum ingeniorum matre, vnus ex primis Societatis Patribus fuit, qui Chriſto Ingolſtadij ſeruierunt. Multa illi laus ex diligentia, ex doctrina, ex candore dicti, & facti. Maior, quòd, qui alijs fuit maximus, & primus, vltimus ſibi ſemper videbatur, & minimus. Vir in ſumma ſimplicitate ſumme prudens; Nihil in vita quærebat magis quam quietis ſolitudinem, pacem à turbis mundi. Emiſſus tamen è ſuis, & quaſi Dei manu in diuerſas meſses Galliæ, Italiæ, Luſitaniæ, Flandriæ, cum fructu magno plurimorum. Nec minore cum dignitate, ac laude in Tridentino Concilio fuit, Sereniſſimi Ducis Bauariæ Legatus. Tandem ſenex moritur Romæ, cùm è Pœnitentiarijs, qui ad Diui Petri obeunt Summi Pontificis vicariam operam, vnus cenſeretur. Tam ſcitè conſcientias hominum tractare nouerat, vt maximus peccator dixerit malle ſe lancinari à Couillonio, quàm ſanari ab alio Edidit

Affectiones, ſeu Concluſiones deductas ex Epiſtola priore D. Pauli ad Corinthios. Romæ typis Antonij Bladij 1554. vbi eam interpretatus eſt

Quæſtiones item in Pſalmos reliquit, quos Ingolſtadij explicuit.

* IOANNES COVRBOVLES natione Gallus, patria Arueruus, natus anno ſæculi fluentis 27. Societati nomen dedit 1642. & votorum quatuor ſacramentum ſolemne dixit Rethoricam, & amæniores diſciplinas profeſſus in ea eſt ſeptennio, Philoſophiam quadriennio, Theologiam Scholaſticam ſexennio, & Concionatoris munere iam aliquot annis fungitur. Edidit

Defenſionem Opinionum Phyſico-Mathematicarum P. Antonij Lalouuera. Toloſæ apud Franciſcum Boude 1666. in 8.

Diſputationem bipartitam, de Phyſica Prædeterminatione, iuxta veram D. Thomæ doctrinam. Toloſæ typis ijſdem 1668. in 8.

* IOANNES CRASSET natione Gallus, patria Dieppenſis, vicennis Societatem amplexus eſt anno ſalutis 1638. & votis quatuor ſolemnibus ſe adſtrinxit. Humaniores litteras, & Philoſophiam profeſſus eſt; nunc Concionatorem ab aliquot annis maximo fructu Auditorum agit. Edidit hactenus Gallicè

Methodum Orationis. Pariſijs apud Steph. Michelet 1672. in 12. & tacito ſuo nomine

Pul-

Pulchram mortem expreſſam perſona Iuuenis cuiuſdam deuoti erga B. Virginem. Pariſijs apud Franciſcum Muguet 1668. in 12.

Motiua religionis, eiſdem typis in 4.

Meditationes in ſingulos anni dies. Pariſijs apud Stephanum Michalet 1673. in 12. volum: 2.

Conſiderationes ſupra præcipuas vitæ Actiones. Ibidem typis eiſdem 1675. in 12.

IOANNES CROMBECIVS natione Belga, patria Duacenas, natus anno 1563. in Societatem ingreſſus 1582. quatuor in ea vota profeſſus 1599. Omnia penè Societatis munia cum laude obiuit. Humaniora docuit quadriennio; Scholarum Præfectum, itemquè Spiritus, atque Eccleſiaſten egit annis compluribus. Collegio Leodienſi Rector præfuit 7. bis Audomarenſi annis 11. In corpore affligendo fuit immodicus; B. Virginis, & Sacræ Euchariſtiæ cultui valde deditus. Caſtimoniæ ſingularis, quam ſibi à Cœlo ſeruatam fuiſſe grata memoria prædicabat, nimirum cùm omnes ad vnum, quibus puer cohabitabat, Socij à Veteratore quodam illecti, blanditijs eam prodegiſſent, ipſe muneribus, illecebriſquè contemptis intactus euaſerat. Obijt Audomari die 2. Octobris anno ſalutis 1626. Edidit

De ſtudio Perfectionis libros duos. Antuerpiæ typis Ioachini Trognœſij 1613. in 4. & Moguntiæ 1614. in 8. Eoſdem quoquè Gallicè, ipſe interpretatus eſt.

Aſcenſum Moyſis in montem, hoc eſt *Tractatum de Oratione*. Audomari typis Gheubels 1618. in 8.

Reliquit moriens paratos prælo *Tomos tres in Pſalmos*, qui exſtant in Bibliotheca Collegij Audomarenſis

IOANNES CRVSIVS natione Germanus, patria Bremenſis, natus Societati anno 1620. ætatis ſuæ 21. Hic miſſus à parentibus Hæreticis Coloniam Iuris addiſcendi cauſa, ſenſim ex conſuetudine Noſtrorum, & Fidem ſanam, & poſtea ipſam quoquè Societatem amptexus eſt, atque in ea docuit & litteras humaniores, & linguam Sanctam. Excelluit præcipuè ſcientia Iuris, vti fidem faciunt, & libri ab eo conſcripti, & variæ lucubrationes Mſs. pro iuribus Societatis propugnandis. Profeſſionem edidit votorum quatuor. Orationi apprimè deditus, etiam inter confertiſſimas occupationes negotiorum nihil de ordinario penſo omittebat. Antiqua, & innocente ſimplicitate erat, fideli memoria, profundo ingenio, facili, & prompta in omnes caritate. Obſeruantiæ Regularis amans, vocationis Religioſæ plurimùm æſtimans, ad quam varios ſtudioſos Iuris etiam Heterodoxos verbo, & exemplo perduxit. Magno Zelo animarum præditus ad vicina Coloniæ oppida excurrebat catecheſeos cauſa etiam hyeme gelida, & annis pluribus. Patientiæ inſignis monumenta edidit plurima, & olim captus ab Exercitu hæretico, & in morbis varijs, quibus fuit vehementer afflictus, & maximè in poſtremo, in quo coniunctiſſimus cum Diuina voluntate, & ſacris myſterijs munitus præeuntem orando ſacerdotem ad vltimum vſque ſpiritum proſecutus piè expirauit Burenæ die 13. Iunij 1662. Edidit

Aſtri inextincti à Gaſpare Scioppio, & Fr. Romano Hay Benedictino, in Orbem euulgati Eclipſim, ſeu deliquium. Coloniæ apud Hæredes Bernardi Gualteri 1649. in 4.

Aulæ Eccleſiaſticæ, & Horti Cruſiani ſubuerſionem, ſiue Fr. Romani Hay; aliorumquè Commentorum diſcuſſionem. Coloniæ apud Iodocum Kalckouium 1653. duobus Tomis in 4.

IOANNES CVELLAR natione Hiſpanus, patria Segouienſis, Societatem ingreſſus anno Domini 1618. ætatis 16. confectis in ea Philoſophiæ, & Theologiæ ſtudijs, Iuuenis magnæ expectationis curſum vitæ breui abſoluit Salmanticæ, die 20. Septembris 1635. Reliquit poſt ſe paratum prælo, & dignum publica luce multorum calculo

Commentarium in 4. prima Capita Euangelij ſecundum Ioannem

* IOANNES CVVIEKALSKI natione Polonus, patria Roxolanus cooptatus in Societatem anno ſalutis 1637. ætatis 18. votorum quatuor ſolemnium profeſſione ſe obſtrinxit. Octennium docuit Poëſim, & Rhetoricam, præfuit Scholis; Teologiam Moralem aliquamdiu explicuit: Concionatoris munere à 16. iam annis fungitur fructu non mediocri. Edidit multos

Panegyricos, Genethliaca, Orationes funebres, & conſimilia tum vinctà, tum ſolutà Oratione, varijs locis, & annis. Item

Odarum Libellum, vbi tota Cracouia deſcripta eſt, & Magiſtratui Cracouienſi conſecrata.

* IOANNES CZIMMERMAN natione Bohemus, patria Pragenſis, natus anno ſæculi voluentis 32. Societati ſe applicuit 1649. & vota quatuor nuncupauit. Docuit in ea manſuetiores litteras, linguam Sacram, Matheſim, & pluribus annis Concionatorem egit, agitque. Edidit Opuſcula varia Mathematica

Diſcurſum Aſtronomicum de loco, magnitudine, & materia noui Cometæ Olomucij typis Viti Ettelij 1661.

Solem Siderum Principem propoſitionibus Aſtronomicis illuſtratum. Ibidem iiſdem typis, & anno in 12

Geometricæ de varijs Altimetriæ inſtrumentis Anacryſis. Ibidem iiſdem typis 1662.

IOANNES DARDE natione Gallus, patria Vindocinenſis Societatem anno 1618. ætatis 23. ingreſſus, à teneris annis præſentiſſimam Deiparæ Virginis opem expertus, toto dein tempore vitæ eam impenſiſſimè coluit. Dum Philoſophiæ operam adhuc ſecularis nauaret, & forte à condiſcipulo dictata magiſtri acciperet, coorta repente tempeſtate, & tonante cœlo Ioannes illicò conuerſus ad pre-

ces, hortatus eſt Socium, vt ipſe quoque præſidium Beatiſſimæ Virginis imploraret. Quod cùm per riſum alter negligeret, ſubito fulmine intrante per feneſtram vidit illum afflatum, & in cineres redactum. Eo prodigio perculſus Ioannes, de religioſa vita in Societate ad quam ſe ſenſerat anteà vocari, impenſiùs deliberare cœpit, & quia carnis ſtimulos vehementes admodum paſſus fuerat, precibus ardentiſſimis donum Caſtitatis hominibus de Societate neceſſarium à B. Virgine poſtulauit, viſuſquè ſibi dein cœleſti oſtento id obtinuiſſe, atq; in Societatem ſe recipiens, religioſiſſime in ea varijs in miniſterijs vixit. Vota ſpiritualium Coadiutorum emiſit, & piè defunctus Pariſijs eſt in Domo probationis die 17. Aprilis 1641. Reddidit Gallicè

Hiſtoriam Regni Iaponiæ annorum 1621. *&* 1622. Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoiſy 1627.

Hiſtoriam Aethiopicam, Malabaricam &c. Ibidem 1628.

Compendium P. Ludouici de Ponte, additis dumtaxat initialibus ſui nominis Elementis P. L. D.

IOANNES DAVID natione Belga, patria Cortacenſis. Is magni nominis, & Sanctæ vitæ Curionem egerat Cortraci, iamquè ab Hæreticis tertiò in exilium actus fuerat, quando ad Societatem acceſſit. Ipſe Domi ſuæ ne matris quidem admiſſo contubernio, multa morum ſeueritate temporibus illis calamitoſiſſimis omnia dirigebat. Viliſſimo, & duriſſimo ſtrato vtebatur, penes quod iacebat loculus ſepulchralis mortis monitor; idemquè lectus, ſi quando paleæ illæ quotidianæ videbantur molliores. Acceſſit, ergo ad Tirociniū omni virtute inſtructiſſimus, in eoquè verſabatur etiam tum cùm Cortracenſes eius opera deſtituti Societatem ad ſe aduocarunt. Ergo miſſus illuc Dauid cum Socijs aliquot, octonos ibi annos familiam duxit; inde Bruxellis, Gandaui, atque iterum Cortracicum laude noſtris præfuit. Gandaui concionibus ſuis effecit, vt imagines Sanctorum paſſim per Vrbem ab Iconomachis deturbatæ, publico, priuatoque ære reponerentur. Cum demum fractus laboribus ad quietem aliquam captandam conceſſiſſet Antuerpiam, ibiquè luculenta omnium virtutum exempla præbuiſſet, ſanctè defunctus eſt die 9. Auguſti anno ſalutis 1613. ætatis ſuæ 67. Societatis initæ 32. Profeſſionis quatuor votorum 22. Edidit

Veridicum Chriſtianum. Antuerpiæ ex officina Plantiniana 1601. & auctiùs 1606. in 4. quem & Belgicè reddidit

Occaſionis typum ſic inſcriptum, *Occaſio arrepta, neglecta; huius incommoda, illius commoda*. Ibidem 1603. & 1605. auctum

Dramate Heroico, paris augmenti, cui titulus *Occaſio*. in 4.

Paradiſum Sponſi, & Sponſæ Lib. II. in quorum altero eſt *Meſſis Myrrhæ, & Aromatum ex Myſterijs Paſſionis Chriſti colligenda*: in altero

Pancarpium Marianum, vt in B. Virginis odorem curramus. Antuerpiæ ex officina Plantiniana apud Ioannem Moretum 1607. & 1618. in 8.

Specula 12. Deum aliquando videre deſideranti concinnata. Antuerpiæ 1610. in 8. typis Plantinianis Ioannis Moreti.

Et hæc quidem omnia cum iconibus prodiere ex officina Plantiniana latinè, qua lingua ſcripſit etiam librum hoc titulo

Amputandum Putabam, quę radix, ſtirps, & germen eſt malorum, Antuerpiæ apud Trognæſium 1612.

Belgicè verò ſcripſit plura opuſcula opportunè ad refutationem Hæreticorum acris, & faceti ingenij ſalibus, & iocoſis ſarcaſmis, nimirum

Extinctiorium fumoſæ facis Hollandiæ 1602.

Aluearium aduerſus Philippum Aldegundum Caluinianum, qui peſtilentiſſimum librum ſcripſerat hoc titulo *Aluearium Romanæ Eccleſiæ*

Hæreticum Araneum, ex cuius natura, & indole vniuerſa hæreſeos oeconomia, & technæ demonſtrantur. Eum latinè vertit P. Theodorus Petreius Carthuſianus. Coloniæ apud Ioannem Kinckium 1609. in 12.

Sordidas Hæreticorum Sponſas duas, ſeu Hiſtoriam Eccleſiæ Hæreticæ. Vranopoli 1608.

Saluos conductus. Ibidem 1610.

Reſpiraculum pro bulliente Muſto Nouatorum. Ipris apud Bellerum 1610.

Excubias vigiles ad cauendum ab Ariolis, Incantantibus, & maleficis. Syluæducis apud Schefferum 1619.

Hos etiam ad pietatem, & mores formandos libellos Belgicè vno anno 1607. Edidit nempè

Horologium Paſſionis.

Præſidium aduerſus lapſum tentationum.

Igniarium.

Exhortationem in profeſſione.

Iubilum Amantis Animæ.

Fugam ſpiritualem.

Spirituale Alphabetum.

Sortem vel Sortilegium Sacræ Sapientiæ, ſub nomine anagrammatico Donaes Indinau

Viridarium Rituum, ac Ceremoniarum Eccleſiæ, cui adiecit *Oeconomum Chriſtianum, cum Spongia vitiorum*. Antuerpiæ apud Ioachimum Trognæſium 1608. in 8.

Catholicum Sanctorum cultum. Antuerpiæ apud Hieronymum Verduſſen 1612.

Lapidem lydium, ſeu Hortulum deliciarum animæ ad perfectionem contendentis, quem latinè reddidit Theodorus Petreius, Carthuſianus, Coloniæ apud Ioannem Kinckium 1610. in 12. Denique

Petri Simonis Tiletani, Epiſcopi Iprenſis opera recenſuit, & edidit Antuerpiæ typis Plan-

Plantinianis apud Ioannem Moretum anno 1609.

IOANNES DAVXIRON natione Gallus genere Sequanus, Palmenſis, Societatem complexus eſt anno 1608. ætatis 17. & vota 4. in ea nuncupauit. Docuit Rhetoricam. Philoſophiam ſexennio, Theologiam tum Moralem tum Scholaſticam; vir omnibus diſciplinis inſigniter excultus. Deſijt inter mortales viuere die 5. Aprilis, Dolæ in Burgundia anno 1635. Edidit tum latinè tum Gallicè.

Moralem Philoſophiam ſub hiſtoria Lyderici. Lugduni in 8.

IOANNES DECKERIVS natione Belga patria Haesbrouckanus, magni vir ingenij, & ſtudij indefeſſi, raræ probitatis & innocentiæ. Dedit Philoſophiæ operam ſub P. Leonardo Leſſio, & concepto ibi Societatis deſiderio vnà cum Roberto Sotuello inclytò poſtea Chriſti teſte; eiuſdem tunc propoſiti Socio, ac condiſcipulo, Romam Societatem petiturus contendit, vbi à Claudio Aquauiua recens in præpoſitum Generalem electo admiſſus, Neapolim ad Tirociniũ, ac porrò ad Theologiæ ſtudium miſſus eſt. Romam confectis ſtudijs reuerſus, ſacris ibi ordinibus initiatus eſt. Mox repetito Belgio, Duaci Philoſophiam, accuratiore illa tractationis ratione primus tradidit. Docuit ibidem cum laude ſcholaſticam Theologiam, itidemque Louanij: vnde profectus Græcium, florentiſſimæ illius Academiæ Cancellarius fuit. Mox Olomucenſis Collegij regimini adhibitus, poſtquam eo officio defunctus eſt, Græcium remigrauit, atque ibi vitæ curſum abſoluit, die 10. Ianuarij anno ſalutis 1619. ætatis ſuæ 59. religionis 41. à ſuſcepta quatuor votorum profeſſione 27. Vir fuit non magis ingenio, eruditione, monumentis magnus, quã ſuauitate morũ, demiſſione animi ſui deſpicientia ſingularis. In actione omni circumſpectus, fixos ſemper humi oculos, manus ad modeſtiam compoſitas, virginali prorſus verecundia habebat; ſic illam nempè gloriam ad extremum vſque ſpiritum illibatam ſeruauit. Superioribus ſuis vel imitanda Tironibus ſimplicitate paruit. In venerabilem Euchariſtiam tanto adore ferebatur, vt ſemper ad aram ſummam ſacrificaret, æger autem quotidie communicaret. De rebus à ſe geſtis, omnino magnis, nunquam loquebatur; pronas in ſe laudantium voluntates omni conatu refugiebat. Orantis ſenſus is fuit, vt crebrò plena Deo mens efferretur, & ſpiritus vbertatem ſuſpirijs, vocibuſque lacrymabundo ſimilibus teſtaretur Enimuerò iam inde ab initio tam faciles habuit lacrymas, tamque in promptu, vt Neapoli cubiculum illi peculiare dare oportuerit, vt habenas illis ſine arbitro permitteret. In familiari ſermone nihil niſi pium, vel ab facta antiquitate petitum tractabat, grata quadam, & modeſtafeſtiuitate, itaut nemini vnquam grauis eſſet. Nihil in victu admiſit eximium, ne in affecta quidem, & morbis obnoxia ætate, ac ne vinum quidem poſcebat, ſi quando per miniſtri incuriam defuiſſet, ſed frigida tum leuabat ſitim. Domi nihil agebat aliud, quàm orare, aut libros, quos moliebatur elimare. Erat enim Sacrarum litterarum, & Theologiæ, omnigenæ eruditionis, atque eloquentiæ nomine clariſſimus. In extremo morbo dixiſſes eum dolorum ſuorum ſpectatorem eſſe, non latorem, ita nihil ad illorum magnitudinem mouebatur mortis incredibili deſiderio tenebatur; cuius etiam non vanis argumentis creditur habuiſſe præſagium. Nam die Præſentationi B. Virginis ſacro, cum ſacrificium peregiſſet ad miniſtrum conuerſus, iam ego te, inquit, Frater mi, manu-mitto, nec enim poſt hac ad ſacrum mihi eſt miniſtraturus. Dictum factum; nam ob grauem pedis tumorem, ad vltimum vitæ in cubiculo coactus eſt deliteſcere. Maturè ſacramentis procuratus inter illa verba, *veni Domine Ieſu, veni* addens *venio* placidiſſimè expirauit. Paulò ante accitos ad ſe duos adoleſcentes Belgas, Gerlacum, & Gobellinum, hortatus eſt, vt iſthic ſua ſtudia proſequerentur, nec patriam quod meditabantur repeterent; & tergiuerſantibus illis, prænunciauit alteri fore, vt in patrio ſepulchro minimè conderetur; alteri poſt multas in Belgio calamitates, ſponte ſua venturum in Germaniam extorrem; vtrumque labentibus annis euenit, illo in Hiſpania defuncto, hoc verò malis exagitato in Germaniam regreſſo. Scripſit Deckerius.

Exercitium Chriſtianæ pietatis.

Orationem Panegyricam in exequijs Sereniſſimæ Mariæ Annæ Archiducis Auſtriæ vxoris Sereniſſimi Ferdinandi eius, qui poſtea Imperium II. huius nominis obtinuit, Græcij dictam. Anno ſalutis 1616. Græcij in 4.

Velificationem, ſeu Theoremata de Anno Ortus, ac mortis Domini; deque vniuerſa Ieſu Chriſti in carne Oeconomia à Laurentio Suslyga ſub Ioannis Deckerij præſidio in diſputationem adducta, Græcij apud Georgium Vvidmanſtadium 1605. Acceſſit

Tabula Chronographica à capta per Pompeium Ieroſolyma, vſque ad deletam à Tito Vrbem, ac templum cum notis ad Opticam Theſium. Ibidem

Hoc opuſculum ab Antonio Poſſeuino in Apparatu Sacro, verbo Palæſtinum Conciliũ, & verbo, Temporis rationem, & verbo Laurentius Suslyga, alijſque paſſim Scriptoribus celebratum, cum in manus veniſſet Eminentiſſimi Annalium Scriptoris Cardinalis Baronij, ſuæque ſententiæ non omni ex parte conſentiens deprehendiſſet, Tom. 12. Annalium in Appendice, vel in recentioribus editionibus tom. 1. in Apparatu num. 129. acrionibus auctorem verbis perſtrinxit, quàm fortaſſe facturus fuerat, ſi eius doctrinæ eruditioniſque magnitudinem; & ſinceriſſimum ingenij candorem perpectum habuiſſet. Nimirum qui, & in veſtibulo primo ſui libri, verbis S. Auguſtini poſtulat, ſicubi deprehendatur errare, reuocari

cari

cari ab errore, & paratus ſit etiam, vt ad calcem Prologi Galeati profitetur, gratiam monenti habere, & cantata palinodia herbam veritati porrigere, ſi quis indicauerit veriora. Cæterum is fuit Deckerius, qui opus longè eruditiſſimum, & 40. annorum ſtudio comparatum, multorumque votis ad lucem petitum æquiſſimo ſemper animo tulerit ab alijs impediri; frequenterque dixiſſe fertur, ſe ad primum Superiorum ſuorum nutum, citra perturbationem, tot annorum lucubrationes paratum eſſe flammis abolere. Seruatur illud opus Græcij, & Louanij dum illud quiſpiam obſtetricante manu educat in doctorum hominum conſpectum: quorum vt leniam, vel potius accendam deſideria, ecce operis totius deſcriptionem

Theologicarum Diſſertationum mixtim, & Chronologicarũ in Chriſti Theanthropi natalem, ſeu de primario, ac palmari diuinæ, ac humanæ Chronographiæ vinculo, qui eſt annus ortus, ac mortis Domini, atque vniuerſa Ieſu Chriſti Oeconomia. Tomo 3.

Panopliæ totius operis in ſeptem diſtributa Sectiones, quæ eſt velut eius veſtigium: eius

Pars 2. Tabulam exhibet Chronographicam in qua Aeræ comprimis illuſtres, & Epochæ continentur, à capta per Pompeium Ieroſolyme, vſque ad incenſam, & deletam à Tito Cæſare Vrbem, ac Templum, ſepultamquè legem, ac triumphatam Synagogam: ac demum ad annum vſque Aeræ Chriſti 476. quo in Auguſtulo Romanum perijt Imperium

Pars 3. Periochen exhibens, & de articulatione totius Hodæporici Ieſu Chriſti Mediatoris noſtri Dei per annos menſes, & dies. Iam vero

Tomi 1.

Liber 1. *Hypotheſes continet, & Canones Iſagogicos Chronologiæ.*

Liber 2. *Aeras exhibet ſeculares, & capitales*

Liber 3. *De methodo Cyclorum differit, & de computo Eccleſiaſtico, deque multiplici Aera Chriſti*

Liber 4. *Continet Auguſtæa*

Liber 5. *Complectitur Herodiana*

Tomi 2.

Lib. 1. *De anno Mortis diſputat, & Reſurrectionis Ieſu Chriſti, deque menſe, & die.*

Lib. 2. *De eodem partim argumento, partim de die, menſe, & feria ediſſerit Natalis Domini.*

Lib. 3. *Infantiam comprehendit Saluatoris.*

Lib. 4. *Vaticinium explanat Iſaiæ cap. vi. & vij. de duobus Regibus Damaſci, & Samariæ vita ſpoliatis, & Regno antequam Emanuel fandi compos euaderet.*

Lib. 5. *De anno Baptiſmi diſceptat, de quadriennali Chriſti Cathedra, & Prædicatione, alijſque huc attinentibus.*

Lib. 6. *Annum contemplatur, & menſem ante diem Dominicæ Paſſionis.*

Tomi 3.

Lib. 1. *Tractat de Cæſaribus à Iulio Cæſare, Pompeio, & Auguſto, vſque ad Auguſtulum.*

Lib. 2. *Notas continet in Tabulas Conſulum, & Faſtorum.*

Lib. 3. *Præſides exequitur Syriæ, & Iudæa.*

Lib. 4. *Stirpem Antipatri recenſet, & Herodiadas.*

Lib. 5. *Catalogum complectitur omnium Summorum Pontificum, ſeu Sacerdotum veteris legis.*

Lib. 6. *De Pontificibus diſputat Eccleſiæ Chriſti à Sancto Petro vſque ad Simplicium, ſub quo Romanum cecidit Imperium.*

Lib. 7. *Calendarium exponit Hebræorum, & diſputationes de menſe conditi mundi, & ferijs Aequinoctijs, & Solſtitijs.*

Lib. 8. *Annotationes continet in menſes Hebræorum Græcorum, & Aegyptiorum Diſputationes de Feſto Paſchæ, & Pentecoſtes, alijſque feſtis partim Chriſtianorum, partim Iudæorum.*

Lib. 9. *Analogias & Antitheſes habet Chriſti & Moyſis. Primi & Secundi Adami, Ionæ & Noſtri Redemptoris, & Animaduerſiones in Hodæporicon, ſeu Vitam Chriſti.*

Lib. 10. *De Ioſepho Flauio, Cæſarienſi Euſebio, Hegeſippo, Deque Chronologia Beroſi, Metaſtenis, Manethonis, & Philonis diiudicat.*

Lib. 11. *Anacephalæoſim continet rerum geſtarum à Conſulatu Ciceronis, vſque ad extinctum Herodem Infanticidam, anno 43. Iuliano.*

Lib. 12. *Reliqua proſequitur exinde ab Archelai Tetrarchia, vſque ad deletam Ieroſolymam anno 115. Iuliano, Aera Chriſtianorum 70. à Paſſione Domini 40. Veſpaſiano Auguſto, & Tito Veſpaſiano Coſs.*

Præter hæc ſuperſunt plurimæ aliæ Deckerij lucubrationes, tum Theologicæ, tum Chronologicæ luce digniſſimæ, quas inter ſunt ferè, quæ difficillimas attingunt ex Sacra Scriptura Quæſtiones. Item

Vindiciæ Pontificatus Zachariæ, eiuſque in Sancta Sanctorum ingreſſus 24. Septembris, feſto expiationis, & Vindiciæ ortus, & obitus Chriſti Saluatoris

Diadema Marianum, octo propoſitionibus, ceu Stellis contextum, quibus tota Deiparæ vita elucidatur.

Epilogiſmus annorum à Conditu Orbis vſque ad Chriſtum, cum Notationibus.

Eiuſdem Epilogiſmi fuſior explicatio.

Tabula expanſa Ephemeriarum eiuſque explicatio & vſus.

Orationes denique variæ, & Problemata.

IOANNES DERIENNES natione Gallus, patria Deppenſis, Societatem anno 1612. ætatis 21. amplexus vota 4. profeſſus eſt. Philoſophiam in ea docuit quadriennio, Mathematicis

maticas diſciplinas, quarum erat peritiſſimus Lutetiæ multo tempore, Flexiæ vero ad extremam vſque ægritudinem explicuit. Inter cæteras illius virtutes eluxerunt accurata Regularum etiam minimarum obſeruatio; Charitas erga proximos mirè ſollicita, & ingenioſa in corrogandis pro illis eleemoſynis, præſertim ad alendos egentiores Scholaſticos. Huic non impar fuit zelus animarum, quo fractus licet ætate, & viribus, tamen aſſiduè Confeſſiones Scholaſticorum excipiebat. Inter hæc correptus morbo, cuius dolores acutiſſimos pacato ſemper animo ſuſtinuit, poſt plurima virtutum exempla,& ſuſcepta Eccleſiæ Sacramenta placidiſſimè expirauit. Flexiæ 5. Iunij 1662. Scripſit

Tabula Canorienſes, ſeu Doctrinam Luminarium practicam. Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoiſy.

Aphoriſmos Phyſicos. Flexiæ apud Georgium Giureau 1646. in 8.

Examen pro Confeſſionibus iuniori ætati accommodatum. Pariſijs apud Petrum de Brede 1655. in 24. reliquit moriens

Tractatum de Algebra, à multis expetitum, & qui fortè ſuo tempore videbit lucem.

IOANNES DESHAYES natione Gallus patria Portu-Gratiæ, Diœceſis Rothomagenſis Societati adſcriptus anno ſalutis 1617. ætatis ſuæ 18. votorum 4. profeſſionem edidit. Rhetoricam & litteras humaniores docuit, & Concionatoris munere magna laude functus eſt. Obijt Pariſiis die 22. Nouembris anno 1636. Scripſit Gallicè.

Sacra Cantica & alia quædam.

IOANNES DE DICASTILLO ex parentibus Hiſpanis natus Neapoli anno ſalutis 1585. in Societatem anno ſæculari 1600. ingreſſus eſt, repudiata conſtanter dignitate inſignis Abbatiæ, in qua Patruo ſucceſſor cum facultate Summi Pontificis deſtinabatur. In Societate vota 4. nuncupauit Rhetoricam, Philoſophiam, ac viginti quinque annis Theologiá Toleti, Murciæ, & Viennæ docuit. Indicam profectionem dum peteret, deſigſiabatur Aethiopiæ Patriarcha, ſed eo conſilio euerſo, Aulæ Regis conceſſus, in Auſtriam profectus eſt, vt à Sacris Confeſſionibus eſſet Illuſtriſſimæ Comitiſſæ Ciruelenſi quæ Sereniſſimæ Mariæ ſponſæ Imperatoris Ferdinandi III. Præfecta cubiculo fuit. Ibi Imperatrici quoque à Concionibus fuit, multaque memoratu digna geſſit, recti ſemper tenax, & de puluere aulico nihili ſibi adſpergi paſſus. Subinde Dilinganæ Academiæ Cancellarius, & Ingolſtadij ſtudiorum Præfectus, non minore virtutis, quàm doctrinæ fama muneribus illis perfungitur. Nihil admittebat quod non omnes haberent, & vnico per diem cibatu contentus, nihil veſperi ſumebat in cœnam. Tenera illi erga obedientiam etiam aſpera imperantem veneratio; prolixa in horas plures erga Sanctiſſimam Euchariſtiam religio; ſicut & erga Cœli Reginam multis argumentis conteſtata. Denique cupiens diſſolui, & eſſe cum Chriſto deceſſit Ingolſtadij, die 6. Martij 1653. Edidit.

De Iuſtitia, & iure, tomos 2. Antuerpiæ typis Trognæſianis 1651. in fol.

De ſacrametis tom.3. Antuerpiæ ijſdem typis, & primum anno 1646. ſecundum, & tertium 1652. in folio.

De Iuramento, & Cenſuris Tractatus duos Poſthumos, Antuerpiæ apud Ioannem Meurſium 1662. in folio.

IOANNES DOMINICVS CANDELA natione Siculus, patria ex Oppido S. Philadelphi ingreſſus in Societatem anno ſalutis 1563. ætatis 22. qui poſtquam per 20. annos Concionatoris partes egit, ac trium Collegiorum,& Profeſſæ Domus Panormitanæ curam habuit, & Nouitiis formandis operam impendit, Prouinciæ Siciliæ præfuit. Obijt demum Catanæ cum eximia probitatis laude die 24. Auguſti anno 1606. profeſſionis 4. votorum 39. Scripſit Italicè

De Virginitate librum in tres tractatus diſtinctum videlicet

De Bono Virginitatis Diſcurſus 14. Panormi apud Ioannem Baptiſtam Maringum 1599. in 4.

De ſtatu Virginitatis.

De moribus Virginum. Panormi apud eundem 1599.

* IOANNES DOMINICVS GABIANI natione Italus, patria Nicienſis natus anno ſæculi labentis 23. Chriſto ſua in Societate ſe dedicauit Romæ 1649. & decurſis feliciter ſtudiorum ſpatijs in Collegio Romano, incenſus deſiderio lucri-faciendi Deo animas in Indijs, quamuis infirmæ alioqui valetudinis eſſet ardentibus precibus miſſionem Sinenſem petijt, impetrauitque, & vnà cum P. Martinio Procuratore anno 1656. eò per multa diſcrimina nauigauit, profeſſionemque votorum 4. ibi emiſit. Poſt aliquot annorum labores in colenda illa vinea fructuosè impenſos, exorta ſæuiſſima perſecutionis procella in omnes Euangelij præcones, anno 1664. ipſe quoque cum alijs primò Pekinum accitus, deinde Cantonium ad Auſtralem plagam relegatus, atque illic in cuſtodiam cum cæteris compactus, non pauca ijs in itineribus, & in carcere perpeſſus aſpera ſuſtinuit; donec ſingulari benignitate Imperatoris, magis magiſque in dies fauentis aliquibus è noſtris, qui detenti fuerant Pekini, anno 1670. die 8. Septembris omnes è cuſtodia non ſolùm liberati, ſed ex ijs aliqui Pekinum aduocati, reliqui honorificè nauigijs ex publico ſubminiſtratis ad aliquot centenas leucas ſinguli, ſuis Eccleſijs ſunt reſtituti, & declaratum Decreto publico Tribunalis ſupremi, legem Chriſtianam eſſe bonam & ſanctam. Redditi itaque omnes ſuis ſedibus cum inexplicabili gaudio Chriſtianorum per to-

totum Regnum, redditus, & P. Gabianus ſuo gregi pergit illum Chriſtianis inſtitutis excolere, & dum eſſet cum alijs in cuſtodia Cantonienſi compoſuit latinè hiſtoriam.

De Incrementis Sinicæ Eccleſiæ à Tartaro oppugnatæ vſque ad annum 1667. quæ tranſmiſſa in Europam excuſa eſt. Viennæ Auſtriæ typis Ludouici Voigt. 1673. in 4.

IOANNES DOMINICVS OTTONELLVS natione Italus patria Fananenſis, ditionis Mutinenſis, inſertus Societati Romæ anno Domini 1603. ætatis 20. votorum 4. profeſſionem emiſit. Rhetoricam, & humaniores litteras docuit, rexit Collegia Recinetenſe, & Firmanum; ſed maximam vitæ partem traduxit Florentiæ, Concionator feruens, operarius inſignis, zelo animarum præditus, diſciplinæ religioſæ amans, atque obſeruans. Auctor Congregationis ſub inuocatione B. Mariæ Virginis conuerſantis cum Ieſu filio ſuo, & Ioſeph; ſponſo à Sede Apoſtolica Indulgentijs ſpecialibus ornatæ. Demum ibidem in ſenectute bona octogenario maior ad meliorem vitam (vt ſperamus) migrauit die 14. Martij 1670. Scripſit Italicè

Memoriale ad ſpectatores Theatralium obſcænitarum nomine anagrammatico Odomenigici Lelonati Florentiæ, apud Sarmartellos 1640. in 24.

Reſponſum ad quæſtionem, quid mali habet adire domum perſonæ parum modeſtæ ad conuerſationem. Florentiæ apud Lucam Franciskinum 1645. in 4. Recuſum ibidem 1646.

Monita, & caſus conſcientiæ de pericoloſa conuerſatione. Ibidem, & eiſdẽ typis 1646. in 4.

De Chriſtiana moderatione Theatri to. 5. in 4. *Quorum 1. agit de qualitate Comædiarum 2. De ſolutione nodorum in Comædijs. 3. De Spectatoribus Comædiarum. 4. De monitis pro recitandibus 5. Continent ſupplicationẽ ad Principes Supremos ne permittant Comædias obſcænas. His adiunxit interrogatorium & reſponſa circa Comædias Comædorum huius temporis*. Florentiæ diuerſis tipographis & annis 1646. vſque ad 1661. in 4.

De ſancta Conuerſatione Ieſu Mariæ, & Ioſeph: cum Floriferio de multiplici genere conuerſationum ex S. Scriptura & SS. Patribus latinè Florentiæ apud Ioann. Antonium de Bonardii 1652. in 4.

De anguſtijs peccatoris ex vicina morte afflicti nomine anagrammatico. Florentiæ iiſdem typis 1655. in 4.

De Chriſtana ſpe, qua abutitur peccator in vita, ideoque affligitur vicinus morti. Iiſdẽ 1659. in 4.

De Chriſtiana caritate, qua abutitur peccator in vita. Ibidem 1657. in 4.

De Pœnitentia, qua abutitur peccator in vita Ibidem 1660. in 4.

De miſericordia Diuina, qua abutitur peccator. Ibidem 1663. in 4.

De Theſauris Ieſu Chriſti, quibus abutitur peccator. Ibidem 1662. in 4.

De deuotione erga B. Virginem, qua abutitur peccator. Ibidem 1669. in 4.

Magiſterium ſpirituale ad peragenda exercitia ſpiritualia S.P.N. Ignatij. Florentiæ ijſdem typis 1669. in 4.

De Pictura & ſculptura, atque vſu & abuſu illarum. Ibidem typis eiuſdem Bonardi 1652. in 4.

Didaſcaliam, ſeu Doctrinam Comicam Hieronymi Bartholomæi tacito ſuo nomine. Florentiæ, ex Typographia noua 1658. in 4.

Parœneſim ad luſores cartis, vel aleis vt abſtineant. Florentiæ typis Landi anno 1659. in 4.

* IOANNES DORISY natione Gallus patria Moſomenſis, Diœceſeos Rhemenſis in Societatem aſcitus anno à partu Virginis 1606. ætatis 21. vota 4. nuncupauit, & poſt traditas diſciplinas humaniores, Philoſophiam repetitis curſibus docuit per decennium, Theologiam de moribus annis 13. Vir magna eruditione conſpicuus, multiſque virtutibus clarus finem viuẽdi inter mortales fecit Pariſijs die 12. Martij 1657. Edidit latinè.

Quæſtiones curioſas de ventorum origine, de Acceſſu, & receſſu maris Pariſiis apud Georgium Ieſſe 1646. in 8.

Vindicias S. Auguſtini aduerſus Pſeudo-Auguſtinum Cornelij Ianſenij. Gallicè Ibidem & iiſdem typis 1656. in 4.

Refutationem Catechiſmi de Gratia ex ſola doctrina S. Auguſtini Pariſijs apud Florentinum Lambert. 1651. in 12.

Refutationem compendioſam eiuſdem Catechiſmi de Gratia ex ipſo S. Auguſtino. Pariſijs 1651. in 12.

Praxim Confeſſionis Sacramentalis exceptam ex S. Auguſtino Pariſijs apud Dionyſium Bechet 1652. in 12.

* IOANNES DRACHOVIVS natione Bohemus patria Trebonenſis, Societati adſcriptus anno ſæculi Superioris 94. ætatis ſuæ 17. Docuit in ea litteras Græcas, & Latinas; præfuit ſcholis; Superior in Miſſionibus, Concionator, & Confeſſarius multis annis, & ſpiritualis Coadiutor religioſè deceſſit Brunæ die 24. Maij 1644. Edidit.

Grammaticam linguæ Bohemicæ diſcentibus opportunam

IOANNES DVRÆVS natione Scotus patria Fifenſis, viuebat Pariſijs in Collegio Claramontano Societatis, anno ſalutis 1582. iam tum presbyter, & Theologus; cumque laudant à doctrina, & eloquentia Poſſeuimus in apparatu ſacro, & Dauid Camerarius Scotus de Statu hominis lib. 2. Obijt in Scotia die 20. Octobris 1668. Scripſit opus doctum & elegans hoc titulo.

Confutatio Reſponſionis Guilielmi Vvhitakeri ad Rationes decem, quibus fretus Edmundus Campianus Societatis Ieſu Theologus certamen Eccleſiæ Anglicanæ Miniſtris obtulit in cauſa Fidei. Pariſijs apud Thomam Brume-

nium

nium 1582. in 8. & Ingolſtadij ex Typographia Dauidis Sartorij 1585. in 8.

* IOANNES ELIAS MADAO natione Sardus, patria Biſenſis Calaritanæ Diœceſeos cooptatus in Societatem anno reparatæ ſalutis 1622. ætatis ſuæ 18. votorum 4. profeſſione ſe adſtrinxit; & poſt traditas litteras humaniores docuit Philoſophiam, & Theologiam tum Scholaſticam, tum Moralē, & Diuinæ Scripturæ oracula eſt interpretatus. Rexit Collegium Calaritanum, & electus ad id à ſua Prouincia Congregationi Procuratorum interfuit Romæ. Vir religioſus, & diſciplinæ amans, deſijt inter mortales viuere Calari die 21. Decembris 1662 Scripſit latinè, quæ de mandato Archiepiſcopi Calaritani Hiſpano Idiomate donata eſt

Summam Theologiæ Moralis Calari 1653. in 4. & in 8.

IOANNES ENGELBERTVS OLIVERIVS natione Belga, Arduennas, Baſtoniæ natus anno ſalutis 1588. Societati ſe applicuit in Prouincia Rhenana poſt auditam Philoſophiam, & iuriſprudentiam anno 1612. & vota 4. emiſit Moguntiæ 1630. Concionatorem egit multis annis, & Creutzenaci Sociorum Moderator denatus eſt die 8. Octobris 1631. Ante ingreſſum Societatis Coloniæ vertit latinè ac edidit

Ioannis Dominici Candelæ librum de Virginitate.

IOANNES ERARDVS FVLLONIVS natione Belga, patria Leodienſis, Societatem ingreſſus anno 1625. ætatis 17. votis 4. ſolemnibus ſe illigauit. Vir ergregià dicendi facultate præditus, ideoque quamuis eſſet ingenio ſubtili, & ad omnes diſciplinas publicè tradendas idoneo, tamen ad miniſterium Oratoris ſacri præcipuè ſe applicuit atq; in eo totos 30. annos ingenti Auditorum plauſu, & non mediocri cum Societatis exiſtimatione verſatus eſt. Rexit Collegium Huenſe, & cùm Tornacenſis pariter clauo admotus eſſet, dum graſſante per vrbem peſtilentia ſaluti Sociorum publico contagio expoſitorum, ſæpius eos inuiſendo, & conſolando conſulit, lue peſtifera ipſe quoque ictus occubuit, magno ſuorum & Ciuium mœrore die 25. Octobris 1668. Edidit

Vitam S. Odæ Viduæ Leodii 1641. Gallicè

Tractatum S. Ioannis Chryſoſtomi, Quod nemo læditur niſi à ſe ipſo vertit Gallicè.

Bellorum Cauſas. latinè, Namurci & Coloniæ 1646. Gallicè fuſius Leodii apud Balduinum Bronckart 1648. in 8.

Ionam typum Hominis à Deo fugientis. Tornaci apud Viduam Quinque 1653.

Bonam voluntatem Optimæ conſentientem Leodii apud Houium 1667.

Compendium hiſtoriæ Leodienſis. Leodii apud Houium 1655.

Commentarios Hiſtoricos, & morales ad duos libros Machabæorum, duobus tomis Leodii apud Houium 1660. & 1664. in fol.

IOANNES ERHARDVS VEL REINARDVS ZIEGLERVS, natione Germanus patria Nemes, natus Oedikhouij in Diœceſi Spirenſi anno ſalutis 1569. Societatem ingreſſus eſt die 24. Martij anno 1588. Ariſtotelem in Academia Moguntina publicè explicuit. Diſciplinas Mathematicas, quibus fuit ornatiſſimus, annis aliquot ibidem tradidit, vt acutiſſimæ Theoriæ laude clarus, ita practica ſolertia peritiſſimis artificibus annumerandus. Poſtquam Diuum quoque Thomam Aquinatem Theologiæ Doctoratu inſignitus eandem in Academia profeſſus eſſet, Moguntinum Collegium, & Aſchaffenburgenſe Rector adminiſtrauit, Archiepiſcopis tribus Electoribus Moguntinis Ioanni Suiccardo, Georgio Friderico, & Anſelmo Caſimiro ab anno 1612. vſque ad 1636. quo die 24. Iulij Moguntiæ diem extremum obijt, à Sacris Confeſſionibus fuit. Ob raram ingenij felicitatem, & inſignem in rebus gerendis prudentiam Imperio Romano notus, ipſi quoque Cæſari Ferdinando II. & S.D.N. Vrbano VIII. Pontifici Maximo acceptus. Edidit ſua cura.

Opera omnia Chriſtophori Clauij, ab ipſo Auctore recognita, 5. tomis in folio comprehenſa, typis Moguntinis 1612.

Scripſit vero Idiomate materno, tacito nomine.

Libellum, ſub titulo; *Pronifional vidimus*, ſeu *Rubricarum* contra Concionem, quam Matthias Hoë Prædicans Aulicus Electoris Saxoniæ Lipſiæ habuit in Conuentu Proteſtantium anno 1631. quo demonſtrat errores, & calumnias ab ipſo in Cæſarem, & Catholicos effuſas.

Tractatum, cui titulus *Recepiſſe*, contra eiuſdem Prædicantis reſponſum, in quo eidem retorquet iniurioſas querelas. Prodijt ſub nomine Ioannis Oedikhouij Nemetis.

Conciones binas funebres alteram in Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Moguntini Ioannis Suiccardi, alteram in Georgij Friderici itidem Archiepiſcopi Electorum exequijs habitas, lingua patria

IOANNES ESTIOTTVS, natione Gallus, patria Diuionenſis anno 1607. ætatis 17. Societatem ingreſſus, votorum 4. profeſſionem emiſit in Prouincia Aquitaniç. Multis annis Romæ fuit Summi Pontificis in Vaticano Pœnitentiarius & redux demum in Prouinciam ſuam octogenario maior corporis vinculis ſolutus eſt Engoliſmæ die 21. Ianuarij anno 1671. Tranſtulit in Latinam linguam

Apologiam Ludouici Richeomi contra Seruinum.

* IOANNES EVERARDVS NIDARDVS S. R. E. Cardinalis, Societatis noſtræ decus eximium, natione Germanus, gente Auſtriacus, nobilibus parentibus natus in Arce Falkenſteinenſi Superioris Auſtriæ, anno reparatæ ſalutis 1607. die 8. Decembris, Immaculatæ Conceptioni Deiparæ Virginis ſacro. Exactis ætatis ſuæ annis viginti, & duobus, Chriſto in ſua Societate ſe dedicauit, die 5.

Octobris 1631. & votorum quatuor profeſſionem in eadem emiſit die 8. Septembris Beatiſſimæ Virgini ſimiliter conſecrato 1648. Emenſis feliciter ſtudiorum ſpatijs, in Academia Græcenſi publicè docuit Ethicam, Philoſophiam, & Sacros Canones; deſignatus etiam fuerat ad profitendam Theologiam Scholaſticam, & Polemicam; ſed euocatus inde eſt ab Auguſtiſſimo Imperatore Ferdinando III. vt Sereniſſimæ Filiæ ſuæ Mariæ Annæ primùm, deinde etiam Sereniſſimi Filij Leopoldi, (qui nunc Romani Imperij clauum tenet) conſcientias regeret, & ſimul bonis litteris imbueret. Poſtea voluit idem Auguſtiſſimus Imperator, vt eandem Sereniſſimam Mariam Annam in Hiſpaniam tanquam Confeſſarius comitaretur, Regi Catholico Philippo IV. coniugio copulandam. Eo in munere ita ſe geſſit in Hiſpania, eaque doctrinæ, ac prudentiæ commendatione, vt non ſolùm Reginæ, ſed & ipſi Regi Catholico ſummè ſatisfecerit. Quamobrem Rex, & frequentiſſimis concilijs Theologicis illum intereſſe voluit, & prætereа ad Dignitatem quoque Cardinalitiam anno Domini 1665, ipſum nominare ſtatuit, prouexiſſetque re ipſa, niſi ipſe P. Ioannes Euerardus flexis genibus coram ſua Maieſtate deprecatus id quam enixiſſimè fuiſſet. Nec multò poſt ſublato e viuis Philippo IV. glorioſæ memoriæ, cùm fortè vacaſſet officium Inquiſitoris Generalis in Hiſpania, eadem Regina Maria Anna, iam Tutrix Filij ſui Caroli Secundi Regis, & Gubernatrix Regnorum eius, hoc illi munus committere decreuit; & quia renuebat Ioannes Euerardus id admittere propter votum, quo ſe obſtingunt omnes Profeſſi ex Societate de non admittenda Dignitate aliqua extra Societatem, niſi imperio Summi Pontificis coacti, effecit ſua Maieſtas, vt Alexander VII. Pont. Max. præceptum imponeret Patri Ioanni Euerardo in virtute Sanctæ obedientiæ, vt Officium illud ſine vlla tergiuerſatione, aut mora, ſuſciperet atque adminiſtraret. Verba Sereniſſimæ Reginæ prout referuntur in Decreto ad Præſidem Caſtellæ dato, ad diem 22. Septembris anno 1666. huiuſmodi fuere ex Hiſpanico translata. *Propter diuturnam notitiam, quam habeo de virtute, doctrina, ac egregijs dotibus Ioannis Euerardi Nidhardi mei Confeſſarij, deſideraui inducere illum ad ſuſcipiendam in ſe Officium Inquiſitoris Generalis huius Monarchiæ; & quamuis Ille aſſenſum non præbuerit, imò ſæpius ſe ab eo admittendo excuſauerit; nihilominùs conſiderans, quòd non poſſit diutiùs ſtare hoc Officium ſine idoneo Adminiſtratore, qui illud impleat, iudicaui conueniens fore ad obſequium Dei, ac Domini noſtri, nec non Regis Filij mei, & ad commune bonum huius Coronæ, eligere, ac nominare prædictum Ioannem Euerardum Nidhardum Confeſſarium meum in Generalem Inquiſitorem, eò quod videam ipſum ornatum tanta ſufficientia, zelo, applicatione, & commodi ſui minimè cupidum.* Hæc illa. Ex Hiſpania porrò Romam profectus Religioſiſſimus Præſul anno Domini 1669. deſignatus Orator Extraordinarius Sereniſſimæ Reginæ ad Clementem IX. Pont. Max., paulò pòſt, Ordinarij Oratoris ad S. D. N. Clementem X. munus ſuſcepit, & vt pro dignitate eo decentiùs fungeretur, Archiepiſcopali etiam infula à ſua Sanctitate eſt inſignitus, aſsignato illi titulo Archiepiſcopi Edeſſeni in Syria. Poſt hæc poſtulante eadem Sereniſsima Regina adlectus eſt à S. D. N. Clemente Decimo in Sacrum Collegium Cardinalium, die 22. Februarij 1672. & mox à ſua Sanctitate publicè renuntiatus ad diem 16. Maij eodem anno. Ita nimirum placuit Deo Opt. Max. ſeruum ſuum quantumuis pro ſuo humilitatis ſtudio renitentem, inter proſpera, & aduerſa plurima, quæ ipſe inuicto animi robore conſtanter ſuſtinuit, ad ſupremum Senatum Eccleſiæ Catholicæ prouehere. Scripſit Sapientiſsimus iuxta, & Religioſiſsimus Cardinalis priùs iuſſu Philippi IV. Regis Catholici.

Reſponſionem ad libellum ſupplicem R. Patris Magiſtri Fr. Ioannis Martinez de Prado Prouincialis electi Prouinciæ Hiſpaniæ Ordinis Prædicatorum, oblatum ſuæ Maieſtati, negantis à ſui Ordinis Prædicatoribus pronunciari poſſe conſuetum illud in Hiſpania elogium: laudetur Sanctiſſimum Altaris Sacramentum, & Immaculata Deiparæ Virginis Conceptio. Quæ reſponſio cùm latinè à ſuo Auctore fuiſſet compoſita, mox Hiſpano idiomate donata eſt, & ſecundis typis iuſſu eiuſdem Regis excuſa Madriti apud Ioſephum Fernandez de Buendia 1663. in folio. Poſtea cùm Hiſpanicæ editionis exemplum delatum fuiſſet in Belgium, ibi in linguam Latinam iterum traductum eſt, à quodam Parthenophilo Latini autographi inſcio, & Duaci impreſſum typis Ioannis Serrurier 1664. Denique rurſus Coloniæ recuſum eſt ad calcem operis P. Theodori Moreti, De Conceptione Immaculata Beatiſsimæ Virginis, apud Viduam Ioannis Buſæi 1671. in folio, vt ſileam alias editiones, & traductiones in varias linguas, quæ iam vndecies diuerſis in locis prodierunt.

Edidit etiam dum in Hiſpania degeret iuſſu Eiuſdem Regis Catholici.

Examen Iuridicum quatuor Propoſitionum, quorumdam Auctorum Anonymorum, aduerſantium Bullæ Alexandri VII. in fauorem Immaculatæ Conceptionis Dei Matris. Madriti apud Didacum Diaz à Camera 1665. in 4.

Scripſit quoque alium Tomum propediem, Deo fauente, edendum, cui titulus eſt *Sacra Sacri Myſterij Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis Apotheoſis*. Item dum Romæ commoratur inter aſsiduas Legationis ſuæ occupationes, horis ſubciſiuis, iuſto volumine compoſuit:

Informationem, ſiue Allegationem Theologicam pro tuendo, & retinendo Iuramento, eiuſdemque Formula Vniuerſitatis Neapolitanæ, de cre-

credenda, tenenda, & profitenda Immaculata Conceptione Deiparæ Virginis Quæ informatio poſita iam in manibus S. D. N. Clementis X. breui lucem ſperatur aſpectura.

Ad hæc Tomum alium apparat *In Canticum Canticorum Salomonis* in quo oſtendit Canticum illud Diuinum in ſenſu literali ſaltem ſecundario, *De Immaculata Conceptione Deiparæ Virginis* eſſe intelligendum. Et hæc præter alia varia Opuſcula Theologica, & ſpiritualia, quæ ſi Deus vitam dederit, & Occupationes permittent, ſuo tempore in publicum prodibunt.

IOANNES EVSEBIVS NIEREMBERGIVS natione Hiſpanus, patria Matritenſis, Germanis parentibus, Patre Tirolenſi, matre Bauara, natus anno 1590. Salmanticæ Mundi ſpem pro Chriſto contemnens, Societatem amplexus eſt anno 1614. cùm ibi Iuris prudentiæ operam daret. Ante ingreſſum cùm anceps animi de ſtatu vitæ deligendo lumen poſtulaſſet à Dei Matre, ad quam in omnibus ſpeciali fiducia confugere iam tum ſolebat, illuxit menti inter orandum radius, quo manifeſtè cognouit voluntatem Dei eſſe, vt in Societatem ſe reciperet, idquè Beatiſſima Virgo interiori quadam allocutione ipſi ſignificauit. Miſſus itaque Salmantica Villagarciam ad tirocinium, ſtatim certamen memorabile cum proprio parente pro tuenda Dei vocatione ſubijt. Hic enim ereptum ſibi inſcio clamitans filium, quaſi fraudibus Patrum ſeductum, omnia Matriti queſtubus impleuit, ſed præcipuè apud Magnates, & Nuntium Apoſtolicum, vt huius deinde iuſſu, eductus ſit Tiro quantumuis lacrymans, & reſtitutus parenti, vt in ædibus paternis vocatio certiùs exploraretur. Ibi igitur ad dies aliquot velut in cuſtodia detentus, blanditijs, promiſſis, ſuſpirijs, & iniecta ſpe magnarum in ſæculo dignitatum & opum allectus, & probatus, cùm inuictus ad hæc omnia conſiſteret nouitij animus, ceſſit tandem genitor, permiſſuſquè Ioannes Tirocinium proſequi Matriti, vbi ſub peritiſſimo rerum ſpiritualium Magiſtro Franciſco Aguado ingentes ad omnem virtutem progreſſus fecit. Altas imprimis radices egit in deſpicientia ſui, addictus coquo ad officia infima culinæ, per menſes 14. & ſi forte foras exeundum eſſet, lacernatus, nudo capite, vel galero obſoleto tectus prodibat. Iuſſus à connouitio, cui parere debebat, nihil loqui donec moneretur, ita obediuit, vt per viginti dies nullum verbum dixerit, niſi in Sacramentali confeſſione. Emiſſis votis bienni, ita ſtudio ſcientiarum ſe tradidit, vt de ſtudio Orationis, mortificationis, cæterarumquè virtutum nihil remiſerit. Quaternas quotidie horas dum Scholaſticus eſſet, ſeptenas poſtea orationi, & contemplationi dabat; nam ſomno, non niſi ternas, vel quaternas tribuebat, vt diutiùs vacaret Deo. In affligendo corpore, raro plane exemplo fuit; flagris aculeatis quotidie ſe cædebat vſque ad ſanguinem; cilicio ſe totum ſæpe veſtiebat; ſæpe catenulas ferreas cuſpidibus rigentes pectori, brachijs cruribus ad ſtringebat, vt quocumque ſe verteret dolorem ſentiret. Calceis etiam lapillos, ciceres, & alia idgenus immittebat, vt plantas cruciaret; lectum non habebat niſi in ſpeciem, vt auſteritatem ſuam tegeret; nam ſuper tabula, aut ſcabello nixus, ſomnum ad duas, vel tres horas duntaxat capiebat, niſi cùm ægrotaret. In peruigilijs feſtorum Beatiſſimæ Virginis ſolo pane, & frigida ſe reficiebat. Et cum tam ſeuerus in ſe eſſet, erga alios tamen blandus, comis, & caritate plenus fuit. In Miſſionibus per montes Toletanos ſæpiùs excurrit ad animarum lucra; in Regijs Scholis Matriti Cathedram de Hiſtoria naturali annis 14. cum laude tenuit, & Sacram Scripturam triennio eſt interpretatus. Tot libros ſcripſit, vt mirum ſit ſuperfuiſſe illi tempus ad confeſſiones pœnitentium excipiendas, tum in templo, tum domi; & tamen adeo aſſiduus in eo munere extitit, vt ægrè capi poſſit, quomodo tot volumina in omni ferè ſcientiarum genere elucubrare potuerit, niſi dicamus, quod aliqui ſenſerunt, infuſas illi fuiſſe diuinitus ſcientias. Confluebant ad illum magno numero filij ſpirituales, Equites, Senatores, Proceres, Prælati, & ex altero ſexu non paucæ primariæ, quas inter eminuit Sereniſſima Princeps Mantuana, cuius conſcientiæ directionem ex voluntate Regis Catholici Philippi IV. dum Matriti degebat, Ioannes Euſebius in ſe ſuſcepit. Sexdecim annis ante obitum placuit Deo patientiam huius ſerui ſui velut aurum in camino infirmitatis probare, cruciatibus fermè continuis, itaut ſubinde vix verbum potuerit formare, aut ſuis manibus ad ſcribendum vti. In omnibus tamen gratias agebat ille pro his Deo, tamquam beneficijs, & demum præſignata mortis ſuæ die, emigrauit ex hac vita ad Societatem (vt fas eſt credere) ciuium ſupernorum Matriti die 7. Aprilis 1658. dudum ante emiſſa profeſſione votorum quatuor. Funus maximo populi concurſu celebratum à ſummis, medijs, infimis, certatim manus demortui deoſculantibus, & aliquid ex lipſanis auferre cupientibus Septimo poſt obitum die ſolemnes exequiæ cum muſico concentu perſolutæ eidem ſunt rogatu, & ſumptu Excellentiſſimi D. Chriſtophori Creſpi Vice Cancellarij Regni Aragoniæ, & poſtea vnius ex ſex viris regiminis totius Monarchiæ, cui P. Euſebius fuerat à Sacris Confeſſionibus, & ſummè carus. Multa narrantur de eo mira, & vires naturæ excedentia, quæ qui noſſe cupit videre poterit in eius vita præfixa poſthumis tomis de operibus Parthenicis, & de Hieromiliſſa Bibliotheca ex quibus nos hæc pauca excerpſimus. Multa valde ſcripſit Ven. Pater, tum Latino, tum Vernaculo ſermone, quæ in alias quoque linguas ſunt tranſfuſa, & à permultis auidè lectitantur.

Opera eius latina ſunt

De Arte Voluntatis Libri 7. quibus in editione Lugdunenſi adiunxit

Panegyricam narrationem de tribus martyribus Societatis Ieſu, qui anno Chriſtiano 1628. *in Paraquariæ Prouincia Vruai paſſi ſunt*. Lugduni 1621. in 8.

De Adoratione in Spiritu, & veritate Lib. IV. Antuerpiæ 1631. recuſus Lugduni 1659.

Sigalion, ſiue ſapientia Miſtica Lib. VIII. Matriti in typographia Regia 1629. in 8. & iterum Lugduni 1642.

*Hiſtoria Naturæ maximè peregrinæ lib.*16. Antuerpiæ typis Plantinianis Moreti 1635. in folio.

*De Origine Sacræ Scripturæ Lib.*5. Lugduni apud Petrum Proſt 1641. in folio.

Stromata Scripturæ Sacræ, in quibus enarrantur vitæ variorum cum gnomoglyphica, & Sigalione recuſo. Lugduni 1642. in folio.

Doctrinæ Aſceticæ, ſeu ſpiritualium Inſtitutionum Pandectæ iuxta Religioſa inſtituta maximè Ordinum Mendicantium, & Conſtitutiones Societatis Ieſu. Lugduni 1643. in folio.

Theopoliticus, ſiue breuis elucidatio, & rationale diuinorum operum, & prouidentia humanorum. Antuerpiæ typis Plantinianis 1641. in 8.

Homiliæ Catenatæ ex vetuſtis Patribus SS. Doctoribus, & eruditis Scriptoribus. Lugduni 1646. in folio.

Trophæa Mariana, ſeu de Victrice miſericordia Deiparæ. Antuerpiæ apud hæredes Cnobbari 1655. in folio.

Opera Pathenica de eximia, & omnimoda puritate Matris Dei, & Conceptione eiuſdem Immaculata. Lugduni apud Claudium Bomgeat 1659. in folio.

Doctor Euangelicus ex varijs Auctoris opuſculis concinnatus, videlicet *De Lege Gratiæ*. 2. *De Caritate Chriſtiana*. 3. *De amore inimicorum*. 4. *De lumine myſtico*. 5. *De ſale myſtico*. 6. *De virtute exempli*. 7. *De arte voluntatis*. 8. *Hiſtoria de tribus Martyribus* 9. *Theopoliticus*. 10. *De Adoratione in ſpiritu, & veritate*. Horum pleraque ſeorſim antea typis fuerunt excuſa. Lugduni per Franciſcum Comba 1659. in folio.

Hieromeliſſa Bibliotheca. De Doctrina Euangelij, Imitatione Chriſti, & Perfectione ſpirituali. Lugduni ſumplibus Horatij Boiſſat, & Georgij Remeus 1661. in folio.

Succus prudentiæ Sacro-Politicæ. Lugduni 1659. in 12.

Silua Catechiſtica. Lugduni anno 1661. in 4.

Syllogæ Axiomatum, & Inſtitutionum Spiritualem Chriſtianæ Philoſophiæ. Lugduni 1661. in 4.

Virgo Victoriata, ſeu de Patrocinio Beatæ Virginis. Lugduni 1660.

Pſalmos Salomonicos, è Græco latinè tranſtulit, & notis illuſtrauit. Hiſpanica lingua edidit

Opera, & Dies ſiue Manuale Principum, vbi virtutum omnium naturas explicuit *Theologicè & Ethicè*, Matriti 1627. Recuſum ibidem 1641. in 4. vnà cum *Centuria Dictaminum prudentium.*

De Affectu & amore erga Mariam Virginem Matrem Ieſu. Matriti 1630. in 16.

De Affectu, & Amore erga Ieſum. Matriti 1630. in 16.

De Alimento Diuini Amoris. Ibid. 1630. in 12.

De Cupiditate ſancta Gratiæ, & meritorum Ibidem eodem anno in 16.

De Deuotione erga animas Purgatorij. Ibidem 1630. in 16.

De Vita Diuina, ſeu Regio, & compendioſo itinere perfectionis. Matriti typis Regijs 1633. cum auctario 1635. in 8.

Praxim Catechiſmi Romani, & Doctrinæ Chriſtianæ. Matriti per Didacum Diaz de la Carrera 1640. in 4. Quem ſæpius recuſum iuſſerunt varij per Hiſpaniam Epiſcopi in Eccleſijs ſuis publicè legi, etiam inter Miſſarum ſolemnia loco Concionis, quando illa non haberetur

Occultam Philoſophiam de Antipathia, & ſympathia. Matriti ex typographia Regia 1663. in 8.

Curioſam Philoſophiam cum Proluſione ad naturalem Philoſophiam. Ibidem eiſdem typis 1634. in 4.

De Aeſtimatione, & pretio Diuinæ Gratiæ. Matriti typis Ioannes Sanchez 1638. in 4.

De Pulchritudine Dei. Typis iiſdem 1641. in 4.

Prodigium Diuini Amoris. Iiſdem typis, & anno in 4.

Flores Spirituales. Matriti 1638. in 16. Italicè Bononiæ 1666. in 12.

Flammas Amoris diuini. Ibidem 1640. in 4.

De Perfectione Religioſa, ſcrupulis, & conſilijs ſpiritualibus. Matriti 1642. in 16.

De Cauſis & remedijs malorum publicorum Matriti 1642. in 4.

Dictamina, & axiomata ex operibus eius collecta. Matriti 1647. in 12.

Epiſtolas 76. *ſpirituales*, collegit Emanuel de Faria Eques Luſitanus, & edidit, Matriti 1649.

De Conſtantia in Virtute. Matriti 1647. in 4.

Monita ſpiritualia de Conformitate Voluntatis humanæ cum diuina. Matriti, & Gallicè Pariſijs 1664. in 8.

De diſcrimine inter temporale & æternum. Matriti ſæpius & latinè 1654. in 24. Italicè Venetijs 1656.

De deuotione erga S. Michaelem Archangelum. Matriti 1643. in 4. Italicè Venetijs 1672. in 12.

Vi-

Vitam P. Marcelli Maſtrilli. Matriti 1640. in 4.

Vitas Virorum Illuſtrium Soc. Ieſu Tom. 4. Matriti 1643. in folio.

De Gloria S. Ignatij, & S. Franciſci Xauerij Matriti 1645. in folio.

Vitam S. Franciſci de Borgia, ſeorſim diſtincto Tomo cum aliquot opuſculis eiuſdem ineditis. Matriti 1645. in folio.

Profectionem ad Aeternitatem, & Præparationem ad mortem.

Rudimenta ſpiritus erga Sanctiſſimum Sacramentum.

Deuotionarium.

Librum Vitæ.

De Antro Toletano eruditum, & amœnum ſcripſit tractatum, ſed qui furto ſublatus eſt Auctori.

* IOANNES FABRITIVS natione Germanus, patria Fiſchelenſis in Diœceſi Colonienſi, Societati ſe addixit anno ſæculi decurrentis 11. ætatis 16. Docuit Humaniora omnia. Conciones habuit; præfuit Noſtris Bonnæ, & Santis; Coadiutoribus ſpiritualibus adſcriptus, religioſè obijt monaſterij Vveſtphaliæ die 26. Septembris 1656. Edidit Germanicè accuratum, & vtilem libellum

De Peccato graui Detractionis, varijs quæſtionibus illuſtratum. Coloniæ apud Guilielmum Freiſſem 1645. in 12.

IOANNES FALCONERVS natione Anglus, patria Dorceſtrenſis poſt annos aliquot ſtudiorum in Collegio Anglicano Romæ Societatem ingreſſus eſt anno 1604. ætatis ſuæ 32. Ibidem Pœnitentiarius fuit ad Baſilicam Vaticanam, & votorum 4. profeſſionem emiſit. In vinea Anglicana operarium gnauum annos ampliùs 30. egit; Vir mitiſſimæ indolis, & ſuauiſſimis moribus, vt numquam perturbati animi ſignum viſus fuerit edere. Paupertatis in ſe fuit oppidò ſtudioſus, vt nulla in re ſibi duplicia voluerit retinere, at in pauperes, & egenos fuit inſigniter miſericors, atque his eleemoſynas ſibi datas largè communicabat. Demum octogenario maior ad laborum brauium emigrauit in Anglia die 7. Iulij 1657. Scripſit lingua patria præfixis litteris B.D.

Refutationem errorum Ioannis Thraski Puritano-Iudæi. Audomari 1618. in 4. Item

Vitam B. Virginis. Ibidem 1632. in 12.

Vitam S. Annæ. M. ſs.

Vertit verò Anglicè & ſuo nomine edidit

Vitam Sanctæ Vvenefredæ. Ibidem 1635. in 8.

Vitam S. Catharinæ Suecicæ. Ibidem 1635. in 18.

Faſciculum Myrrhæ de Paſſione Domini. 1632. in 12. Præſcriptis litteris I. F. Societatis Ieſu. Item

Speculum Conſcientiæ pro quotidiano Conſcientiæ examine. Audomari 1632. in 18.

IOANNES FALCO natione Germanus patria Magdeburgenſis in Societatem anno 1603. ætatis ſuæ 20. ingreſſus in ea magno virtutum omnium exemplo vixit, ad annum vſque 1626. quo Moguntiæ die 24. Sept. eximia ſanctitatis opinione deceſſit, vota 4. diu antea profeſſus, Arſit in eo dum vixit indefeſſus Diuini honoris tuendi, proferendique zelus, vt non raro ſenas, ſeptenaſuè vna die conciones haberet in Templis omnibus & Sacellis Vrbanis. Excurrebat in pagos ſolo pane, & caſeo ad victum inſtructus, & feruentiſſimo ſpiritu exhortationes cathechiſmos, conciones pro captu Auditoris habebat. Frequens ad Moniales frequens domi ad noſtros, etiam ſuper menſa dicebat, nunquam feſſus, nunquam ſatur, vbi aliqua ſe frugis faciendæ ſpes oſtenderet. Hauriebat, hos ſpiritus ex oratione, continebat mortificatione, vtrique impenſiſſimè deditus. In illa mirificè æſtuabat, adeoquè accendebatur in Dei amorem, vt diceret ſe mille corda optare, quibus illum amaret. Nunquam ille ſacrum omittere, quantacumquè neceſſitate; confiteri quotidie ne quid humanæ labis amori ſuo intercederet, Hanc verò ſcilicet mortificationem, ita in omni actione continuam exercuit, vt nullam ſui corporis, nullam exiſtimationis aut famæ duceret rationem. Voto ſpoponderat nunquam ſe ſuo ſenſui in cibo potuue obſecuturum, ſoli ſeruiturum neceſſitati. Carnem vexabat frequente cilicio, & flagellatione, quam ſemper concioni præmittebat. Macerabat ſe longa inedia, tenui duroque victu, ſolo ſi potuiſſet viuere ſpiritu contentus Erat in omni vita comis, affabilis, patiens manſuetus, cæterùm nec humana iudicia morabatur, nec oblocutiones, nec in os ſibi coram ingeſtas ſugillationes, quò minùs ſtrenuè ſuo muneri ſatisfaceret. Ipſe interim nulli moleſtus eſſe, nullum lædere verbo vel facto, de nullo queri, aliorum incurioſiſſimus, ſibi ſuiſque rebus attentus, & in regularum ſuarum obſeruationem ſtudioſiſſimè intentus. Principio cuiuſque menſis Rectori ſe ſiſtebat, & de genibus ſe illi promittebat pariturum quidquid imperaſſet. Aiunt eum quotidie ſolitum calceos imponere capiti, ceu dignum ſe profiteretur, qui pedibus omnium ſubeſſet. Erat illi quidem ingenium acre, & in promptu conſiliū, religioſa tamen ſimplicitate agebat cum omnibus. Nullum illi pauperum, diuitumque diſcrimen, nullum ſerui, & liberi ad confeſſiones excipiendas erat; nulla perſonarum acceptio. Erat in Noſocomijs aſſiduus, eodemque circumuagantes cogebat pauperes, quos ad pietatem erudiebat, & ſacros Rhythmos decantantes ſupplicabundè circumducebat. Nimirum valebat gratia in pangēdis Germanicè ſacris hymnis, quibus honorem Cælitum promoueret. Conſcripſit vir Sanctus lingua vernacula ſuppreſſo ſuo nomine

Memoriale Diuini Amoris

Manuductionem ad Fidem Catholicam integra-

Mox P. Coſmo Turriano adhæſit, & Balthaſarem Gagum, & P. Gaſparem Vilelam, mox etiam P. Ludouicum Froës ſecutus, quæ de ſingulis alibi narrata ſunt, habuit ipſe communia. Erat Ioannes orationi apprimè addictus, quam bis minimum quotidie longam vſurpabat; cæteriſque ex præſcripto legum noſtrarum pietatis exercitamentis accuratè ſatisfaciebat: reliquum quod erat temporis miniſterio Noſocomij, Catecheſi puerorum, & rudium, inſtructioni Gentilium reſponſioni ad quæſtiones dubias, confutationi Bonziorum impendebat. Addebat ad hæc ſtudium congerendi, atque conſcribendi Iaponicè, quæ gentibus illis eſſent profutura; quæ tamen illis flamma inuidit; nam Firandi vna cum Domo illæ quoque lucubrationes ipſius igne abſumptæ ſunt, id quod ille tamen animo æquiſſimo tolerauit. Anno 1594. Firandi Templum Virgini ſine macula conceptæ exſtruxit, duos Bonzios, vnum quempiam è Palatinis Regi in paucis gratioſum, centumque alios & quinquaginta Chriſto lucri fecit. Inde facta excurſione per loca vicina, nobilem feminam, & ex clientibus ipſius centum quinquaginta, & è Bonziorum gente vnum primarium crebrâ diſputatione conſtrictum, conuertit ad Fidem. In hæc incendebat cùm fractum incommodis, laborioſæ magis quam vitæ diuturnæ, macie exhauſtum, tuſſi, & pectoris dolore concuſſum Firandi febris inceſſit, initio leuis vt Socijs videbatur, reipſa lethalis, vt ipſe augurabatur. Igitur die Natali Præcurſoris Dominici ſacro ſe viatico præmuniuit; poſtridie ſub noctem quam ſibi fore poſtremam aſſerebat, conceſſit ad lectum, & ea in colloquijs de Chriſti cruciatibus tranſacta, mane diei 26. Iunij anno ſalutis 1567. inter repetenda Ieſu, ac Mariæ dulciſſima nomina, ſanctam animam exhalauit. Neophytorum is fuit ſenſus, & mæror, qui filiorum in ſuauiſſimum parentem affectum, & ſingularem ſanctimoniæ ipſius opinionem teſtaretur. De magnitudine virtutum ipſius luculenta dedere teſtimonia viri grauiſſimi. Melchior Nunnius præpoſitus Prouincialis mirabatur ſtudium mortificationis, vitæ contemptum ſummam in aduerſis hilaritatem. Xauerius tanti fecit eum nomine tenerrimæ, & lacrymarum facilitate nutritæ pietatis, vt Cangoximæ puellam excitaturus ab inferis Ioannem vna ſecum orando parare viam ad miraculi patrationem voluerit. Humilitate tam fuit inſigni, vt quidquid præclarè gerebat, in litteris, quas dabat in Indiam atque Europam, aliorum omnia promeritis adſcriberet. Sacerdotes ſumma reuerentia proſequebatur, nec coram ipſis niſi iuſſus loquebatur, quamuis idiomatis notitia & cæteris ornamentis præ alijs abundaret. Illuſtrabat humilitatem magnitudo animi, atque conſtantia, qua cum opportunum eſſet, vitia carpebat, & quando S. Xauerius Apoſtolico ſpiritu Reges, Bonzioſque perſtringebat, ob legis naturalis turpiter ſceleſteq; violatam ſæpius ſinceritatem; ipſe pari libertate & ſpiritu, nihil impendentem mortem veritus, eadem illa repetebat. Illum tamquam verum Apoſtolum illarum gentium laudibus celebrat Giorgius Cardoſus in ſuo Agiologio ad diem 26. Iunij Scripſit Ioannes.

Epiſtolas octauas de rebus Iaponicis ab anno 1551. vſque ad 1566.

Grammaticam linguæ Iaponicæ.

Dictionarium Iaponicum duplex.

* IOANNES FERRANDVS natione Gallus patria Anicienſis in Velaunis, natus anno ſæculi decurſi 86. Societatem repudiatis Eccleſiaſticis beneficijs ſibi delatis, amplexus eſt currentis 4. & profeſſione 4. votorum ſe adſtrinxit. Rhetoricam, & humaniores litteras docuit decennio; ſacram ſcripturam triennio explicuit, & Theologiam Moralem aliquamdiu profeſſus eſt. Rexit Collegium Ebredunenſe, & deſignatus à Propoſito Generali ad gubernaculum Carpentoracenſis precibus eiicit ne onus ſubiret. Demum octogenario maior ad meliorem vitam (vti ſperare fas eſt) tranſijt Lugduni die 30. Octobris 1672. Edidit latinè

Diſquiſitionem Reliquiarum, ſiue de ſuſpecta earundem Reliquiarum in diuerſis locis multitudine. Lugduni apud Lauren. Aniſſon 1647. in 4.

S. Ferrandum rediuiuum, ſeu Vitam S. Hectoris Fulgentij Ferrandi. Lugduni apud Guiliemum Barbier. 1650. in 4.

Epinicion pro lilijs aureis Franciæ, aduerſus Ioannem Iacobum Chiffletium, Apes pro lilijs ſufficere audentem. Lugduni ſumptibus Horatij Boiſſat & ſoc. 1663. in 4.

Epinicion ſecundum pro ijſdem lilijs Lugduni apud Io. Barbier 1671. in 4.

Animaduerſioni Chiffletianæ, animaduerſionem cum fœnore repenſam. Diuione apud Palliot in 4.

Pro Laborantibus in partu, de pietate erga S. Ignatium. Gallicè Diuione apud Philippum Zan.

Pro animabus Purgatorij iuuandis. De pietate erga S. Franciſcum Xauerium. Gallicè. Ibidem, & typis iiſdem.

IOANNES FERRER natione Hiſpanus, gente Catalaunus, patria ex oppido Tremp Diœceſis Vrgelenſis Societati ſe adoleſcens adiunxit annos natus 16. cum ageretur à nato Chriſto Seruatore 1574. Doctoralem Theologiæ lauream Gandiæ ſuſcepit, exinde Philoſophiam Valentiæ docuit, Barcinone Theologiam. Inter S. Inquiſitionis Cenſores adlectus fuit. Concionibus ad populum habendis operam impendit. Collegiorum Vrgellenſis, & Barcinonenſis Rector fuit. Comitem de Eril deſignatum Sardiniæ Proregem ſecutus à Sacris Confeſſionibus eſt, & inde redux in Hiſpaniam in ſenectute bona quieuit in Domino Barcinone die 20. Nouembris 1636. In Sardinia habuit, quam in lucem edidit

Orationem in exequijs Philippi III. Hiſpania-

nlarum Regis Catholici Caiari celebratis. Item Hiſpanicè

Memoriale aliquorum Tractatuum ſpiritualium

Libellos duos pios addito nomine Doctoris Fructuoſi Epiſcopi Videl.

* IOANNES FERRIER natione Gallus, patria Ruthenenſis, natus anno ſæculi fluentis 14. Societati nomen dedit 1632. & votorum quatuor ſolemni ſacramento ſe adſtrinxit. Poſt traditas publicè litteras amœniores, Philoſophiam quadriennio profeſſus eſt; Theologiam Scholaſticam totis annis duodecim, Moralem duobus. Rexit Collegium Toloſanum magna commendatione prudentiæ, & doctrinæ. Poſtea adlectus à Chriſtianiſsimo Rege Ludouico XIV. in arbitrum ſuæ conſcientiæ, ſeu Confeſſarium, magna Maieſtatis ſuæ approbatione munus illud vſque ad mortem exercuit. Duobus, vel tribus ante obitum annis ægritudinibus varijs conflictatus eſt, ſed præcipuè lenta febricula, quæ ſenſim ſine ſenſu vitales deſpaſcens vires, nec vllis cedens medicamentis, tandem dilectum Deo, & hominibus virum, magno multorum dolore penitus abſumpſit. Durantibus morbis inuictam animi fortitudinem, conſtantiam inſignem, conſenſionem voluntatis ſuæ cum Diuina ſummam, & patientiam demonſtrauit planè heroicam. Præſentiens diſcrimen ſibi imminens, ardenter expetijt poſtrema ſacrorum præſidia, & ſummæ pietatis ſignificatione ſuſcepit. Nec alias vllas admittens cogitationes, quàm de Deo, paulò ante migrationem dixit ſuo Confeſſario, ſe nec vitam, nec mortem, nec dolorum diminutionem petere, ſed tantummodo Diuinæ voluntatis in ſe executionem, atque ita vſque ad extremum anhelitum ſemper ſibi præſens, & identidem ingeminans: *Fiat voluntas tua Domine. Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*, emiſit ſpiritum, Pariſijs in Domo Profeſſorum, die 29. Octobris anno 1674. Edidit Latinè

Reſponſionem ad obiectiones Vincentianas, ſiue argumenta, quibus Vincentius Baronius ex Ordine Prædicatorum Scientiam mediam impugnat. Toloſæ 1668. in 8.

Theologiæ Tomum 1. de Deo vno, iuxta S. Auguſtini, & S. Thomæ principia. Toloſæ 1668. Parabat reliquos, ſed mors ſuperuenit

Gallicè Edidit

Sententias inſigniorum Caſiſtarum ſuper probabilitate opinionum in re morali. Toloſæ, & Pariſijs 1654.

Ianſeniſmum Bulla Innocentij X. damnatum, ſeu Refutationem libelli, in quo contendunt Ianſeniſtæ Propoſitiones Ianſenij non eſſe damnatas eo ſenſu, quo ab illis defenduntur. Toloſæ apud Ioannem Boude 1654. in 4. Suppreſſo nomine

Admonitionem ad Arnaldum ſuper Epiſtola ab eo edita contra ſacerdotem, qui Ianſeniſtis adhærentem abſoluere in Confeſſione noluit. Toloſæ typis iiſdem 1655. in 4.

Reſponſionem ad alteram Epiſtolam Arnaldi. Ibidem 1656. in 4.

De Immortalitate animæ, & vera Fortitudine. Pariſijs apud Iacobum Le Gras 1660. in 4.

De Chriſti Pulchritudine. Pariſijs apud Florentium Lambert 1657. in 12.

Relationem eorum, quæ geſta ſunt in negotio Ianſeniſtarum, anno 1663. Pariſijs apud Franciſcum Muguet 1664. in 4.

Submiſſionem apparentem Ianſeniſtarum ad deciſionem Eccleſiæ. Toloſæ, & Pariſijs 1667.

Refutationem libelli publicati à diſcipulis Ianſeniſtarum contra librum de Submiſſione apparenti Ianſeniſtarum. Toloſæ 1667.

IOANNES FLOYDVS natione Anglus, patria Cantabrigienſis, poſt ſtudia Romæ in Collegio Anglicano cœpta Societati ſe addixit ibidem anno ſalutis 1592. ætatis 20. Miſſus poſtmodum in Angliam, captus in carcerem coniectus, & poſt annum in exilium pulſus eſt. Docuit Theologiam annos complures in Collegio Anglorum Louanienſi; vbi, & ſtudijs diu præfuit. Conciones diu habuit Audomari ad Anglos magno cum ſenſu pietatis, & fructu. Contra Hæreticos, quos egregiè exagitauit varios, & perutiles ſcripſit libros, & demum annis grauis per exercitia ſpiritualia S.P. Ignatij morti ſe accinxit, quam paulò pòſt die 16. Septembris 1649. Audomaropoli oppetiuit, ætatis 77. Societatis initæ 57. à votis 4. nuncupatis 41. Scripſit Latinè contra M. Antonium de Dominis Epiſcopum Spalatenſem, Apoſtatam à Fide ſub nomine Annoſi Fidelis Verimontani

Synopſim Apoſtaſiæ Marci Antonij de Dominis ex ipſiuſmet libro delineatam. Antuerpiæ typis Nutii 1617. in 8.

Detectionem Hypocriſis Marci Antonij de Dominis. Antuerpiæ typis Plantinianis Moreti 1619. in 8.

Cenſuram X. librorum de Repub. Eccleſiaſtica M. Antonij de Dominis, Coloniæ 1621. in 8.

Anglicè Edidit

Contra Guilielmum Craſhanu Miniſtrum Caluiniſticum. Audomari 1612. in 4.

Contra Eduardum Hobbium Equitem Auratum de Purgatorio. Audomari 1613. in 4.

Contra Nouatores librum inſcriptum Deus, & Rex. Audomari 1620.

Verbum Conſolationis ad Catholicos in Anglia. Ibidem 1623. in 4.

Reſponſum ad Replicam Franciſci Viti miniſtri Caluiniani circa 9. articulos à Iacobo Rege propoſitos Noſtro Ioanni Percæo. Ibidem 1625.

Eccleſiam ingenij humani debellatricem contra Chillinuuorthum Apoſtatam à Fide. Audomari 1633. in 4.

Summam totalem de ſalute in Romana

Eccleſia contra eundem. Audomari 1639. in 4.

Impoſturam pietatis Puritanæ. Ibidem 1639. in 12.

De Præſentia reali Chriſti in Euchariſtia. Ibidem 1624. in 8.

Syntagma de imaginibus non manu factis, deque alijs à S. Luca pictis, & alia quædam opuſcula

Tranſtulit Anglicè ex Latino, & Hiſpanico.

Meditationes S. Auguſtini. Audomari 1621. in 16.

De Sacrificio Miſſæ. Antonij Molinæ Carthuſiani. Ibidem 1623. in 16.

IOANNES FOLLÆVS natione Belga, patria Leodienſis, Societatem ingreſſus in Prouincia Rheni, Coloniæ diu vixit, & ſodales Angelicos B. Virginis rexit. Vir ſinceri pectoris, ac piæ mentis, manuale paruum inſtructionibus, precibus, regulis inſtructum aptiſſimis, vt iuuentuti deuotio Chriſtiana inſtelletur confecit, titulo

Leges, ſeu Libellus ſodalitatis Angelicæ, cuius ipſe præcipuus fuit in Rheni Prouincia promotor, ac Magiſter maximo cum fructu, vnde ipſo viuo, & mortuo, idem Libellus perſæpe repetitis typis Gualtheri, & aliorum recuſus eſt Coloniæ, & alibi. Neque Sodalium, aut ſtudioſorum eſt quiſpiam, cuius non manibus teratur. Porro auctor ipſe poſt multos varijs locis exantlatos pro Deo, ac proximo labores, grandis natu religioſè deceſſit Erfurti.

IOANNES FRANCISCVS natione Gallus, patria Burgundo-Sequanus, ex oppido S. Claudij diœceſis Lugdunenſis, natus anno ſæculi decurſi 82. Societatem amplexus eſt currentis 5. & votorum quatuor nexu ſe adſtrinxit. Philoſophiam quinquennio, Matheſim decennio profeſſus eſt, & annis 13. ſtudiorum Præfecturam geſſit. Rexit Collegia Alenconij, Ambiani, Niuerni annis 13. & rerum ſpiritualium Præfectus fuit 11. vir ſuauiſſimis moribus, eximiè obediens, animarum zelo ita feruens, vt etiam peſte afflatis cum vitæ periculo inſeruiuerit. Patiens in morbis, & in omni vita æquabilis, ad humillima quæque, & abiectiſſima promptè ſe dimittebat. Demum, vt ſanctè vixerat ita in Domino conquieuit Rhedonis 20. Ianuarii 1668. Scripſit Gallicè

Scientiam Geographiæ. Rhedonis apud Petrum Hollandum 1652. in 8.

Scientiam Aquarum. Ibidem, & typis eiſdem 1653. in 4.

De Sphæra. Typis ijſdem 1655. in 4.

Chronologiam in 4. partes diuiſam. Typis ijſdem 1655. in 4.

De influxibus ſiderum. Ibidem 1660. in 4.

De quantitate. Pariſijs apud Florentium Lambert: 1655. in 4.

IOANNES FRANCISCVS ARALDVS natione Italus, patria Callienſis in Vmbria admiſſus in Societatem anno ſalutis 1551. ætatis 29. Vir ſpectatæ virtutis, & antiqui officij, cuius virtus multorum nobis in Vrbe Neapolitana benignitatem, ac beneuolentiam conciliauit. De alacri eius obedientia, hoc vnum ſpecimen memoriæ proditum inuenio, quod cum inter primos de Societate Neapolim ad ponenda Collegij fundamenta duce, ac Rectore Andrea Ouiedo, (qui poſtmodum Æthiopiæ Patriarcha deceſſit,) anno ſalutis 1552. veniſſet, & in adoleſcentulo, quem in Scholis habebat diſcipulum coercendo, exclamaſſet voce contentius, contraque Ignatij Sancti P. N. præſcriptum, ſontem, haud expectato lorario, ſuis ipſe manibus verberaſſet, iuſſus eſt in pœnam, de terra cibum ſumere, nec niſi frigida leuare ſitim. Primò ille ſuam valetudinem, per eos dies morbo tentatam excuſauit. Deinde cùm Ouiedus eum hortatus eſſet, vt alacriter pareret, ſibique perſuaderet, frigidæ poculum ſalutis ſibi calicem, & medicinæ fore, paruit, ac firmior exinde viribus, & robuſtior factus eſt. Tantum in alacri obedientia latet boni. Reliquam deinceps ætatem ad annos octo ſupra quadraginta ibidem exegit per omnem virtutem, tantus otij oſor, & hoſtis, vt ſuo calamo, quo ad characteres vtebatur aptiſſimo multa conſcripſerit, tum ſua, tum aliena induſtria volumina, quæ hodièque ſeruantur in Profeſſorum Domo, in qua anno 1599. die 10. Maij Araldus obijt; Edidit iam olim

Compendium Doctrinæ Chriſtianæ. Neapoli.

IOANNES FRANCISCVS CARETTONIVS natione Italus, patria Romanus, Societatem amplexus anno Domini 1575. ætatis 19. votorum quatuor profeſſionem emiſit. Docuit litteras humaniores, ſed longè maximam vitæ partem duxit in Domo Profeſſa Romana, vbi multis annis Congregationem Beatiſsimæ Virginis Aſſumptæ, quæ eſt Nobilium ac Prælatorum, magna cum approbatione direxit, & ibidem ſeptuagenario maior religioſè obijt die 21. Iulii anno 1639. Edi permiſit orationẽ à ſe habitã ad Clem. VIII. anno 1595. quæ cum aliis eiuſdem argumenti poſtea recuſa eſt Romæ 1641. in 12.

Orationem de Chriſti morte. Item

Annuas litteras Societatis 1592.

IOANNES FREYRE natione Luſitanus patria Vlyſſiponenſis adſcitus in Societatem anno 1596. ætatis 14. votis 4. ſolemnibus ſe obligauit. Rhetoricam Conimbricæ cum laude docuit, & ibidem Sacram Scripturam eſt interpretatus, ſubrogatus in Cathedram Alphonſi Mendez Patriarchæ Æthiopiæ; cùm verò tenui eſſet valetudine, & continenter in lectionem incumberet, ſuccubuit oneri, & ad vitam tranſiuit morti non obnoxiam Conimbricæ die 25. Iulii 1620. Reliquit moriens imperfectum, qui poſtea editus eſt

Commentarium in ſeptem priora capita libri Iudi-

Iudicum. Vlyſſipone apud Gregorium Rodericum 1640. in 4. Item Scripſit

Vitam P. Franciſci Suarez Granatenſis, quæ tomo eiuſdem de Angelis præfixa eſt. Lugduni 1621. in fol.

IOANNES FRIDERICVS RORICH natione Germanus natus Coloniæ Agrippinæ adoleſcens ingreſſus in Societatem anno Domini 1599. ætatis ſuæ 17. vota 4. in ea profeſſus eſt. Cùm humaniores litteras Fuldæ prælegeret, contentione ſtudiorum valetudinem afflixit, quæ deinde nunquam reſtitui potuit. Cócionatus tamen eſt cum inſigni eruditionis, prudentiæ, & facundiæ laude, quam præcipuè tulit in Comitijs Electoralibus Francofurtenſibus anno 1619. quibus electus eſt Imperator Ferdinandus II. Defunctus eſt Monaſterij Vveſtphaliæ vitio pectoris & pulmonum in florenti ætate confectus die 14. Decembris 1633. Edidit Germanicè

Lucernam Euangelicam, De Communione ſub vtraque ſpecie.

Apologiam eiuſdem Lucernæ. Contra Balthaſarem Mentzerum.

De vſu Cœmeteriorum. Contra eundem Mentzerum.

Concionem funebrem in exequijs Illuſtriſſimæ D. Sabinæ Catharinæ Comitiſſæ, ac Dominæ Friſiæ Orientalis, & Ritbergæ habitam 1618.

Concionem funebrem alteram in exequijs Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Principis D. Theodori Epiſcopi Paderbornenſis, habitam anno 1618.

IOANNES FRIDERICVS XELDRE Almagri in Hiſpania, Germano Patre natus in Societatem Compluti admiſſus eſt anno ſalutis 1588. ætatis 22. cum priùs ibi Magiſterij Artium Lauream accepiſſet. Euaſit inſignis Theologus, & in rebus moralibus doctiſſimus, quippe qui 16. annorũ ſpatio vtramque Theologiam profeſſus fuerat. Deſijt viuere inter mortales. Matriti die 6. Ianuarij 1625. Edidit

Conſiderationes ad lucrandas Indulgentias. Scripſit

Commentarios in Eccleſiaſticum, quos prælo mors intempeſtiua ſubduxit.

* IOANNES FROES natione Luſitanus patria Portalegrenſis Societatem ingreſſus anno ſalutis 1698. ætatis 17. vota 4. ſolemnia profeſſus eſt in Sinis, vbi 14. annorum ſpatio vineam illam Domini feruentiſſimus Operarius ad extremum vſque ſpiritum ſtrenuè excoluit. Ex illis præfuit nouennio Noſtris in Reſidentijs; Tirones inſtruxit biennio, Orationi, & afflictationi corporis ſui apprimè deditus. Magno ſui relicto deſiderio ad ſtipendia laborum euolauit in Ciuitate Hancheu die 11. Iulij 1638. Chriſtiani per ſeptem dies ceremonias exequiales defuncto celebrarunt, & magno planctu iacturam ſui Patris luxerunt. Ducenti ex ipſius ſupplicationis ritu ad quinque milliaria cadauer comitati ſunt ad ſepulturam, & cùm tranſirent per portam Vrbis, milites cuſtodes quantumuis Ethnici, flexo poplite ſarcophagum omnes venerati ſunt, elata voce illum titulo Sancti Patris honorantes. Edidit librum Sinenſi lingua

De adiuuandis Chriſtianis morti proximis. Item.

De Paſſione Chriſti Domini cum Litanijs de eadem, & Orationibus de quinque Sacratiſſimis vulneribus, quibus maximè delectantur Chriſtiani.

IOANNES GABRIEL BISCIOLA natione Italus, patria Mutinenſis annum agens 17. cum fratre Lelio Biſciola natu minore à S.P.N. Ignatio in Societatem admiſſus eſt anno ſalutis 1555. menſe Februario. Poſtea humanioribus, Philoſophicis, atque Theologicis litteris eruditus profeſſionem emiſit 4. votorum 1571. & aliquot Collegijs præfectus præclara religionis, modeſtiæ, prudentiæ vbique documenta præbuit, ſeque verum Ignatij filium præſtitit. Obijt Ferrariæ 8. Ianuarij anno 1613. Scripſit

Epitomen 10. Tomorum Annalium Cardinalis Baronij magno labore, iudicio, ac Reipub. bono. Nam cum breuitate perſpicuitatem coniunxit, & ſelectiſſima quæque, & ad Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ cognitionem vtiliſſima, ita decerpſit, collegit, & in vnũ opus redegit, vt viri eruditi, qui à lectione *Annalium Cardinalis Baronij* propter earum immenſitatem penè deterrebantur, facillimè poſſint opus ingens in compendium contractum abſque temporis iactura percurrere. Prodijt Lugduni apud Ioannem Pilehotte 1602. Venetijs apud Antonium Franciſcum eodem anno in 4.

Vertit etiam Italicè.

Martyrologium Romanum.

* IOANNES GALLOIS natione Gallus, patria Caluomontanus natus anno ſæculi fluentis 13. Acceſſit ad Societatem 1629. & vota ſolemnia 4. nuncupauit. Sexennio docuit in ea Rhetoricam, & amæniores litteras quadriennio, Philoſophiam, Theologiam Scholaſticam octennio, Moralem biennio magna doctrinæ commendatione. Superſtes adhuc edidit Gallicè

De Sãctitate Sacerdotij. Diuione 1662. in 8.

IOANNES GAMANS natione Iuliacenſis, patria Nieuenarius natus anno Chriſti 1606. Societatem anno 1623. ingreſſus Treuiris, in caſtris verſatus annos complures in Belgio, & Germania inſtruendis ad Dei timorem militibus vtiliter intentus. Interea Sanctorum M.ſs. vitas vt è latebris Bibliothecarum proferret in lucem, ſingulari diligentia, & induſtria adlaborauit, nonnullas quoque egregiè diſcuſſit, & notationibus Hiſtoricis illuſtrauit, quas videre eſt in Tom. 1. & 2. Vitarum Sanctorum à Ioanne Bollando editarum. Profeſſionem 4. votorum emiſit. Antuerpiæ 26. Decembris 1641. Poſtea translatus in Prouinciam Superioris Rheni. Operarium ſedulum nunc in ea agit. Scripſit

Commentarium de S. Theatilde Virgine Ab-

batiſſa, quem Ioannes Bollandus, edidit in Appendice ad diem 13. Ianuarii. Item

De B. Godefrido Cappenbergenſi ad diem 30. Ianuarij

IOANNES GANS natione Germanus, patria Herbipolenſis, adoleſcens in Societatem adlectus anno 1610. ætatis ſuæ 19. in Philoſophicis, ac Theologicis diſciplinis probe exercitatus, nec non Mathematicis, quas publicè biennio profeſſus eſt, concionandi præcipuè laude excelluit: quod munus cùm annos complures Græcij, & Viennæ in templo principe D. Stephani obiuiſſet à Sereniſſimo Hungariæ, & Bohemiæ Rege Ferdinando III. in aciem aduerſus Suecos prodeunte in Concionatorem adſcitus eſt; cuius partes ſimul, & Confeſſarij poſtquàm is ad Imperij ſceptra euectus eſt annis 22. vſque ad illius obitum ſuſtinuit. Cauſas in Aula promouendas nullas ſuſcepit, niſi, vel Dei cultum, vel Religionem ſaperent. Eo auctore promotus eſt potiſſimum Immaculatæ Conceptionis Deiparæ cultus, erecta eidem in foro Viennenſi ab Auguſtiſſimo Cæſare ſtatua, & inductis Vniuerſitatibus in Regnis hæreditarijs, ac Prouincijs ad iuramentum pro defenſione piæ ſententiæ. Vir fuit eximiæ in proximos caritatis, quam cùm non potuerit in Sinas, extremoſque Orbis margines, vti olim enixe flagitauerat, extendere, vbicumquè vixit ſemper exercuit in ſummos, & imos, quorum extinguebat odia, conciliabat amicitias, tollebat vitia, & ærumnas qua licuit ſubleuabat. Septuagenario maior migrauit ad remuneratorem bonorum operum Viennæ in Domo Profeſſa die 11. Martij anno ſalutis 1662. ab emiſſa profeſſione votorum quatuor 34. Edidit Germanicè

Concionem Funebrem, quam in Exequiis Illuſtriſſimi D. Rudolphi Baronis de Paar habuit Græcij anno 1626.

Concionem Panegyricam habitam in Conſecratione Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi D. Antonij Epiſcopi Viennenſis 1631.

Ophthalmiam Lutheranam, ſiue de mutatione Confeſſionis Auguſtanæ facta à Theologis Saxonicis, Viennæ 1631.

Conſiderationes 10. *plagarum Aegypti, quomodo iiſdem Dei Filius in Paſſione plagatus ſit*. Viennæ apud Michaelem Rictium 1633. Eaſdem Latinè reddidit.

Imaginem mortis delineatam ex capite 12. *Eccleſiaſtæ*. Viennæ apud Viduam Rictij 1635. Item

Gynæceum Auſtriacum, ſeu vitas Sereniſſimarum de Domo Auſtriaca Heroinarum, quæ excellentiore aliqua virtutis laude floruerunt.

Atque hæc quidem Germanicè. Latinè vero Edidit

Quinquatria Mariana, ſeu Quatuor diſcurſus Concionatorios de quauis quinque ſolemnitatum Deiparæ cum tribus de Sancto Aegidio Abbate, quos Græcij dixit ad populum. Viennæ 1635. in 8.

Arboretum Genealogicum, exhibens omnes Principes, qui linea recta à Rudolpho I. Imperatore Auſtriaco deſcendunt. Coloniæ apud Ioannem Kinkium 1638. in folio

* IOANNES GARNERIVS natione Gallus, patria Pariſinus, natus anno ſæculi voluentis 12. Chriſto in Societate ſua ſe dedicauit 1628. & ſolemni votorum quatuor ſacramento ſe obſtrinxit. Vir ſeuerioribus, & amœnioribus diſciplinis egregiè excultus, Rhetoricam, & humaniores litteras docuit quinquennio, Philoſophiam decennio, Theologiam totis 20. annis profeſſus eſt, & etiamnum profitetur in Collegio Pariſienſi. Edidit hactenus

Organi Philoſophiæ Rudimenta. Pariſijs apud Edmundum Martinum 1651. in 8.

Theſes de Philoſophia Morali; Typis iiſdem 1651. in 8.

Regulas Fidei Catholicæ de Gratia Dei per Ieſum Chriſtum. Biturigibus 1655. in 4.

Iuliani Eclanenſis Epiſcopi Libellum Miſſum ad Sedem Apoſtolicam notis illuſtratum. Pariſijs apud Sebaſt. Mabre Cramoiſy 1668. in 8.

Mary Mercatoris antiquiſſimi, & æqualis S. Auguſtino, Opera in duos Tomos diuiſa, cum notis, & diſſertationibus Garnerij. Prior continet, quæ ad hæreſim Pelagianam pertinent. Secundus, quæ ad Neſtorianam ſpectant. Pariſijs apud Sebaſt. Mabre Cramoiſy 1673. in folio. Opera contra Hæreſes horum temporum valde opportuna

* IOANNES GAVDIN natione Gallus, patria Picto, natus anno reparatæ ſalutis 1617. Societati ſe addixit 1633. & in ea commendabili virtutis exemplo, viginti, & quatuor annos in erudienda iuuentute humanioribus litteris exegit. Nunc dum hæc ſcribo anno 1674. Præfectum Scholarum in Collegio Lemouicenſi agit. Edidit

Epigrammatum libros 3. Lemouicis apud Martialem Barbou 1661. in 12.

Dictionarium Gallicum, & Latinum. Ibidem in 4.

Theſaurum Vocum, & Locutionum Latinarum, quibus Gallicæ, & Græcæ pariter reſpondent. Ibidem in 4.

IOANNES GEORGIVS VOGLERVS, vide ſuprà in GEORGIVS VOGLERVS, nam ita frequentius appellabatur.

IOANNES GERARDI, aliàs TOMSONVS natione Anglus, patria Darbienſis, domo nobilis, & opulentus, ex Collegio Anglorum Romæ factus Societatis Ieſu anno ſalutis 1588. ætatis 24. diu in Anglia fructuosè laborauit. Eam, vt tutius ingrederetur, belli tempore, quando portus omnes obſepti erant militibus, & exploratoribus, curauit ſe noctu ex nauigio ad id conducto in Gallia, deponi in littus, tum perſonam induens aucupis, ac ſi accipitrem perdidiſſet, hunc per agros, & Siluas, & vias inuias, obuios quoſcum-

cumque percunctando inueſtigabat, donec in Vrbem remotam à mari, & à ſuſpicionis periculo penetraſſet. Multos per Angliam ex nobilibus, & primarijs familijs ad Catholicæ Eccleſiæ gremium perduxit. Miro quippe flagrabat Dei zelo, & de rebus æternis ſermones aptiſſimè ſerebat. Semel quæſitus ab Apparitoribus, qui certò ſciebant illum latere in domo cuiuſdam nobilis Catholici, integrum quatriduum ieiunus fermè, & inſomnis, in anguſtiſſima latebra ſub camimo, in quo ignis ardebat, coactus eſt deliteſcere; nec in latibulum, aut cibum, aut potum propter diſcurrentes ſuſquè deque continuò ſatellites, licuit inferre. Poſtea comprehenſus, & de vno carcere in alium abductus, tandem in Arcem Londinenſem compactus eſt, ter quæſtionibus, ac tormentis immanibus excruciatus; & ſemel quidem ad quinas horas continenter tanta acerbitate, vt præ doloris vehementia, defectionem animi ſæpiùs ſit perpeſſus. Hoc tempore reſpirans à torturis, quaternas, vel quinas horas cæleſtium rerum commentationi quotidie dabat, & cùm Sanctum Miſſæ Sacrificium (erga quod magno pietatis ſenſu ferebatur) eo loci offerre non poſſet ſaltem, quo licuit modo, recitando omnes illius orationes quas memoriter tenebat. & communione ſpirituali ſe reficiebat. Recuperato deinde artuum à tormentis conuulſorum vſu, mirabili fiducia in Deum, per funem è ſuperiori Arcis parte, trans foſſam, & murum, quibus illa cingitur, à fidis Catholicis alligatum, ſe dimiſit, euaſitquè magno, & Cuſtodum ſtupore, & amicorum gaudio. Liberatus, rurſus animo imperterrito ad lucra redijt animarum, multoſquè heterodoxos ad Fidem conuertit; aliquos, ex ipſa Aula Regis Iacobi Chriſto lucratus eſt. Plurimis vtriuſque ſexus auctor fuit, vt ſpretis mundi illecebris Religioſæ vitæ inſtituta capeſſerent. Verùm paucis poſt annis erumpente conſpiratione puluerariа, cùm inter primos edicto Regio nominatim proſcriptus eſſet Gerardus, tamquam machinator, & Architectus nefarij illius facinoris (cuius tamen penitus inconſcius erat) ne ſuæ cauſa paterentur alij, apud quos latebat extrema quæque ſi apud ipſos caparetur, cedendum tantiſper tempori ratus, clam Regno exceſſit, Romam petijt, ibique Pœnitentiarij ad Vaticanum munere aliquamdiu perfunctus eſt. Rector deinde, & Magiſter Nouitiorum, tirocinium Anglorum Leodij octennio gubernauit, & Patres poſtea tertiæ probationis quadriennio inſtruxit, emiſſa profeſſione votorum quatuor anno 1609. propter eminentem virtutem, & alia egregia Dei dona, quamuis non niſi Morali Theologiæ ante ingreſſum in Societatem operem dediſſet. Tandem iterum euocatus Romam, poſtquam Confeſſarij munus in Collegio Anglicano per decennium ferme magno iuuentutis illius bono ſuſtinuiſſet, claro virtutum prælucens omnibus exemplo, cum eximia Sanctitatis opinione deceſſit, ibidem 27. Iulij 1637. Plura de Heroicis huius viri virtutibus recenſent noſter Bartolus in hiſtoria ſua de Anglia, & Henricus Morus in ſua de Miſſione Anglicana. Tranſtulit P. Gerardi ex latino Anglicè

Exhortationem Ieſu Chriſti ad animam fidelem, Auctore Lanſpergio Londini 1598. & Audomari 1610. Item ex Italico

Pugnam ſpiritualem, tacito ſuo nomine Londini, Rothomagi anno 1613. Duaci, & alibi.

Plura moliebatur, quæ mors intercidit.

IOANNES GIBBONVS natione Anglus, patria Vvellenſis, natus anno ſalutis 1544. Romæ in Collegio Germanico per ſeptennium Philoſophiæ, & Theologiæ nauauit operam, & in vtraque Lauream doctoralem ibidem adeptus 1576. propter inſignem probitatem, & ſcientiam à Gregorio XIII. Pontifice Maximo Canonicatu Bonnenſi in Vbijs donatus eſt; ſed omnibus diuitijs, & honoribus Chriſti ignobilitatem, & paupertatem prætulit, & anno 1578. Societatem noſtram ingreſſus eſt Treuiris, vbi & Theologiæ Profeſſor, & Præfectus ſtudiorum, & Rector Collegij fuit, atque in eo munere extremum diem clauſit in Monaſterio Himmelrodenſi (quo ſalutatum amicos Monachos venerat) die 3. Decembris anno ſalutis 1589. Vir fuit verè humilis, ſuauis moribus, zelo, ac caritate feruens; regendi, vt in Societate peritiſſimus, qui amari cuperet, timeret timeri; non dominationem, & ſeruos, ſed Rectorem, & Socios cogitaret. Scripſit

Diſputationem de Sanctis

Confutationem virulentæ diſputationis Georgij Schon. Caluiniani, Profeſſoris in Academia Heidelbergenſi, qui conatus erat docere Pontificem Romanum eſſe verum Antichriſtum

Diſputationem de Communione Eucbariſtiæ ſub vna ſpecie. Treuiris 1584.

Concertationem Eccleſiæ Catholicæ in Anglia, aduerſus Caluino-Papiſtas, & Puritanos ſub Eliſabetha Regina in tres partes diuiſam magna ex parte ipſe compoſuit, Auguſtæ Treuirorum 1583. quam auxit poſtea Ioannes Aquapontanus, dicauitquè Archiepiſcopo, & Electori Treuirenſi 1584.

IOANNES GIRARD natione Gallus, patria Eberonenſis, diœceſeos Metenſis in Lotharingia, natus anno Domini 1570. Societati ſe addixit 1588. & vota ſpiritualium Coadiutorum nuncupauit. Docuit omnes inferiores Scholas, Philoſophiam, & Theologiam Moralem. Vir eximia pietate, quæ potiſſimum in tradendis Chriſtianæ vitæ rudimentis, & viſitandis captiuis eluxit. Deſijt viuere inter mortales Pontiſalij in Burgundiæ Comitatu die 29. Septembris 1634. edita ſunt, hæc ab eo opuſcula

Odæ, & Cantica ſpiritualia

Inſtructio Catechiſtica ad faciendas fructuoſè Confeſſiones

Correctio fraterna ad blaſphemantes.

De magnis B. Mariæ Virginis, meritis, eique inſeruiendi methodo.

Inſtructio, qua iuuari poſſint, qui doctrinam Chriſtianam docent.

Inſtructio ad orandum Deum.

Inſtructio ad Confeſſiones tum faciendas, tum excipiendas.

Inſtructio pro accedentibus ad Sacram Synaxim.

Alia plurima eiuſdem rationis edidit, quæ omnia proſtant. Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoiſy.

IOANNES GONDINVS natione Hiſpanus, gente Aragonius, patria Munebregenſis Compluti applicuit animum ad Societatem anno ſalutis 1589. ætatis 20. in qua litterarum confectis ſtudijs Philoſophiam iterum, ac tertiò explicuit, Sacram quoque doctrinam tractaturus, niſi ſuaſiſſet excellentia concionandi aliò ſuas cogitationes conuertere. Igitur cæteris omnibus expeditus, vniuerſam illam Prouinciam annis ſexdecim peruagatus, ſacris eam expeditionibus excoluit. Murciæ, quo tempore ſe votis quatuor ſolemnibus obſtrinxit, ab Epiſcopo publica de ipſius laudibus ad populum oratio inſtituta eſt. Mira pollebat facultate dicendi, facundia cum tanta venuſtate coniuncta, vt nunquam fatigaret Auditorem, tanta facilitate temperata, vt obſcuriſſima Fidei myſteria, vel popularibus aptaret ingenijs. Magna efficacitate ſermonis vitia coarguebat, virtutem prædicabat, atque ad generales peccatorum Confeſſiones inſtituendas plurimùm adhortabatur, incredibili prorſus emolumento plurimorum. Bellum illi fuit implacabile pro Sacrarum Aedium, Sacramentorumque veneratione, aduerſus prophanas veſtimentorum nouitates, comædias; choreaſque, minùs quam par erat pudicas, atque omnes hominum periculis obnoxias promiſcuè congreſsiones, in qua cauſa multa omninò tulit, fecitque, ſudauit, & alſit. Sanctâ hanc dicendi libertatem viſus eſt Deus oſtento probare, cùm ex ore dicentis ad populum, lucis radius non ſemel emicare conſpectus eſt. Confitentibus tam aſſiduam dabat operam, vt in hoc labore noctes ſæpè diebus coniungeret, negligens cœnæ; atque ſomni, à quo ne opprimeretur inter auſcultandum leniter interdum inambulabat. Omninò conſtans opinio eſt non habuiſſe hanc ætatem in illis Oris virum, qui pluribus, grauioribuſque laboribus ſit defunctus in animarum procuratione, vt niſi robuſtiore quadam vi cœlitus confirmaretur, nullo modo par illis eſſe poſſe crederetur. Excurrebat ad cuſtodias, ad noſodochia, ad ludos elementariorum, & omnibus ſuam operam ad propriam ſalutem ingerebat. Exibat in oppida circumpoſita, & nullo frigoris æſtuſue diſcrimine diſcurrebat. Semper de Deo. Diuiniſque rebus publicè, priuatim cum Socijs, cum externis tractabat, ſuauitate faciliſſima, qua cæterorum animos ad virtutis amorem, atque animarum procurationem, ſeu tacita quadam contagione rapiebat. Fidem propemodum excedit quantam frugem ex perditiſſimo genere mortalium, aurigarum, agazonum, cauponum collegerit. Trahebant efficacitatem eius miniſteria ab heroicarum virtutum, quibus floruit excellentia; fuit enim vitæ ſi quis alius inculpatæ, caſtigatiſſimæ conſcientiæ, & religioſi inſtituti obſeruatione præcipua, atque adeò ſanctimoniæ nota clariſſimus. Quotidianas labeculas quotidiana confeſſione tergebat, veritus, vt aiebat, ne ſuis malefactis animarum negotium corrumperet. Quidquid nanciſcebatur otij, id omne in tractatione cum Deo conſumebat. Quaqua noctis hora illum conueniſſes, coram Crucifixi Seruatoris imagine, quam vnicam habebat ſupellectilem, deprecantem, inueniſſes. Orationi comes mortificatio ad parem modum accedebat, quotidiana verberatio, prope quotidiana ſetoſæ veſtis geſtatio. Somnus exiguus, & in duro ſtrato, in aſſere, aut quidquid durius occurriſſet. Cibus parabilis, & omnibus communis, ſed contractiore menſura. Veſtitus religiosè pauper. Vix ea, ſine quibus ægrè vita ducitur, accipiebat, doctior pati penuriam, quàm abundare. Hac ſui tractatione fouebat Angelicam illam puritatem, qua ſanctitatis exiſtimationem paſſim colligebat, quam ipſam non raró admirabilibus ſupra naturæ conditionem euentis Deus firmabat. Sed vt admirere diuina iudicia, & in ſeruorum ſuorum laboribus iuſta mercede donandis Dei miram diſpenſationem, virum hunc per tot Apoſtolicæ virtutis inſigna exercitum, tot animarum ſpolijs glorioſum, tanto diuini honoris proferendi ſtudio nobilitatum inglorio ad ſpeciem fine voluit occumbere, & ſtellam hanc fulgentiſſimam quaſi ſub ſignaculo claudere. Nam appetitus maleficio dementis ſtatu deturbatus eſt, & violentas manus ſibi intentans, tantum ſe non interemit à quo exerrantis animi æſtu recreatus vehementer quid in ſe ipſe deſignaſſet admiratus eſt. Sed reualeſcente vi mali, cùm medicamentis fatigatus, nullum cibi genus appeteret, admitteretue inedia tandem extabuit, nullius præter extremam vnctionem capax Sacramenti, Toleti die ſecunda Iulij anno ſalutis 1629. ætatis ſuæ 60. ab inita Societate 41. à ſuſcepta votorum quatuor profeſſione 20. Scripſit Hiſpanicè ſubſtituto Laurentij Gondini fratris ſui nomine

Directorium ſpirituale ad viuendum, & moriendum in gratia, & amicitia Dei, illique perfectè ſeruiendum. Ceterùm Italicè tranſlatus hic liber, & Romæ impreſſus apud Franciſcum Caballum 1629. in 16. nomen ſui Auctoris præfert.

IOANNES GONTERIVS natione Italus,

lus, gente Pedemontanus, patria Taurinenſis, ſed à teneris annis in Gallia educatus, & in Academia Pariſienſi liberaliter inſtitutus, ibique Baccalaureus creatus Societati ſe adjunxit anno ſalutis 1584. ætatis 22. atque in ea primus Biterrenſe rexit Collegium, nec aliter quàm parens erexit. Omnem propemodum ætatem in concionandi munus impendit, quod in præcipuis Galliæ Ciuitatibus, tanta facundia, doctrina, ſpiritu, atque adeo Diuino quodam genere eloquentiæ præſtitit, tanta ad pietatem animis inſerendam efficacitate ad conuincendos hæreticos vehementia, vt parem illi noſtra memoria fuiſſe neminem facile omnes concedant. Nihil ille probandum accipere, quod non euinceret, nihil refutandum, quod non euerteret. Formidabant hæretici oris eius maieſtatem, & dicendi vim, & iam vulgò Malleus hæreticorum appellabatur. Fuit præterea incredibili animi magnitudine, & integritate vitæ laudabilis. Catholici illum omnes, Reges etiam, & Principes, quos mirabili in agendo prudentia ſibi deuinciebat, verebantur, pluſque illum vnum, quam omnes alios timuiſſent offendere. Incredibiles labores pertulit, vitæ diſcrimina ſæpenumero adiuit, ac pene ab hæreticis captus, Diuinæ prouidentiæ beneficio non ſemel liberatus eſt. Eius virtutes longum eſſet numerare; conati ſunt eas adumbrare nonnulli ex amicis, editis libris. Illud omitti non debet, Deum eius integritatem, animique innocentiam in exanimi corpore videri voluiſſe declarare; ſiquidem tanta fuit eius oris venuſtas, vt ſubridenti quàm mortuo ſimilior videretur, & intuendi pulcherrimam illam ſpeciem ſatietas capere neminem poſſet. Permulti ex primarijs pignus aliquod ex eius ſupellectile ad viri memoriam, & reliquias popoſcerunt. Vaticinio affine fuit, quod P. Claudio Syretto, ſeptem ſe annos Deo in Societate ſeruiuiſſe dicenti reſpondit, totidem vbi annos addidiſſet, optata Rachele potiturum, nam prædictioni ad vnguem reſpondit euentus. Obijt denique Pariſijs die 6. Nouembris anno ſalutis 1616. ab emiſſa votorum 4. profeſſione 15. Edidit Gallicè ſub nomine Philothei Baccalaurei Pariſienſis tractatus aliquot in Miniſtrum Du Moulin nempe

Correctionem fraternam factam M. Du Moulin Miniſtro Pontis Charentonij. in qua tractatur *De neceſſitate Baptiſmi, & de Limbis.*

Proceſſum Correctionis fraternæ, eidem Miniſtro Du Moulin in quo agitur *de ſigno Crucis*

Reſponſionem Epiſtolarem ad Nobilem circa vſum imaginum Rothomagi, & Pariſiis 1608. in 8.

Epiſtolam alteram ad eundem Nobilem de Sacra Euchariſtia, Pariſijs apud Claudium Chappelet 1608. in 8.

Orationem funebrem Caroli à Lotharingia Mayennæ Ducis. Ibidem 1612. in 8.

De Iudice Controuerſiarum. Ibid. 1616. in 8.

Lapidem Lydium, ſeu veram methodum educendi ab errore deceptos prætextu Reformationis. Partibus III. Ibidem 1615. in 8.

Veram Rationem terminandi Controuerſias de Religione. Ibidem 168. in 8.

Reformationem Libelli, quo continetur Colloquium P. Gonterij cum miniſtro. Ibidem 1609. in 8.

Epiſtolam ad Regem de Conuerſione Illuſtris fœminæ ad veram religionem. Ibidem 1609. in 8.

Declarationem errorum noſtri temporis. Rhotomagi apud Romanum Beauuais 1610.

Correctionem fraternam factam Gilberto Primeros Miniſtro, Burdigalæ apud Simonem Millanges 1615. in 8.

Integram Ruinam Confeſſionis Fidei Miniſtrorum - Cadomi apud Carolum Macè 1616.

Patefactionem ſubtilitatum, quæ fiunt in diſputationibus Fidei cum nulla poteſt reddi ſolida ratio. Pariſijs apud Claudium Chappelet 1613. in 8.

Conſequentias religionis reformatæ. Lugduni apud Petrum Rigaud. 16010. in 12.

Integram Refutationem errorum huius ſæculi. Carolopoli apud Claudium Vaſard 1613. in 8.

Veram narrationem Diſputationis in cauſa Fidei oblatæ ab vno Concionatore Societatis Ieſu (Gonterius ipſe is fuit) *Lutheranis concionatoribus, ea honoraria conditione, vt ſolius ſcripturæ, etiam, vt ab ijs verſa, ac detruncata eſt, tamquam Iudicis auctoritate ſtaretur, ac nihilominus detrectata.* Hanc Antonius Preuoſtel latinam fecit

Meditationum volumen, de ſtimulis afficacibus ad peccatricem animam reducendam.

Epiſtolam doctam, & elegantem ad Henricum Quartum Regem Chriſtianiſſimum de Diſputatione habita cum Molinæo. Eam recitat Rodolphus Bottereus lib. 16. ſui Commentarij

IOANNES GONZALEZ DE LOSADA natione Hiſpanus, patria de la Puebla de Sanabrio Diœceſis Aſturienſis Societatem complexus anno ſalutis 1587. ætatis 20. ſolemnem quatuor votorum profeſſorum edidit. Vir fuit pijſſimus, orationi valdè deditus, cubiculi cuſtos aſſiduus, paupertatis apprimè amans, veſtes ſuas attritas, vel diſſutas manu ſua reficiebat. Rexit complura Collegia in Caſtellana Prouincia, & in Salmanticenſi Collegio magno omnium virtutum exemplo noſtrorũ Confeſſionibus excipiendis præfectus floruit, atque ibidem deceſſit die 30. Octobris 1617. Edidit Hiſpanicè

Catechiſmum puerorum. Salmanticæ apud Antonium Ramirez 1613. in 16.

De Statu animarum Purgatorij, & modo eas iuuandi. Ibid. 1617. in 16.

De Sancto Miſſæ Sacrificio. Salmanticæ 1613. in 8.

De Sanctiſſimo Sacramento, & Spirituali Com-

Communione. Ibidem 1613. in 16.

De modo audiendi Sacrum cum fructu. Ibidem apud Suſannam Muñoz Viduam 1613. in 16.

De modo recitandi horas Canonicas. Ibidem apud eundem 1614. in 16. Præter alia pia opuſcula, quæ magno paſſim fructu lectitantur.

IOANNES A GOVDA natione Belga patria Vltraiectinus, parentibus patritijs natus anno 1571. poſt quinquennium in vrbe patria humanioribus litteris impenſum, Societatem Tornaci ingreſſus eſt anno 1588. in qua Philoſophia, ac Theologia excultus anno 1598. Sacerdotio initiatus eſt, & anno 1607. quatuor votis ſolemniter adſtrictus. Docuit præter mitiores diſciplinas, Philoſophiam, & Moralem Theologiam, reliquum ætatis, quod potiſſimum fuit, totos 25. annos concionibus impendit, tanta dicendi facilitate, ac venuſtate, vt celeberrimi nominis Eccleſiaſtes haberetur; ſed tanta ſimul efficacitate diſputandi, vt ex merito Hæreticorum malleus, Chriſtianorum munus, audiret. Ornauit autem hanc artem dicendi ſplendore virtutum maximarum; mortificatione ſic fuit exercitus, vt mortuus magis quam mortificatus videri poſſet. Sed auſteritatem ita condiebat hilaritate ſermonis, vt cùm maximè ſeriò ageret, iocari videretur; qua ſcilicet arte ſuas à ſe laudes auertebat. Eximia ſui demiſſione cedebat omnibus, & qui omnium ſtudijs celebrabatur, ipſe ſibi vni diſplicebat, & ad omnia ſeſe rebatur inidoneum. Res ſuas altiſſimo ſilentio premebat: ab alijs commemoratas eleuabat ſi poſſet, ſi non poſſet Deo auctori tribuebat. Quærentibus ecquando in lucem editurus eſſet ſuas Conciones, iucunde reſpondebat iam dudum editas eſſe, indicans ſe nihil ſuum proferre, ſed ex libris haurire omnia: cum alioqui plurima proferret ex ſe, noua, docta, inaudita. Nihil ſibi tribuendum exiſtimabat in Societate, ſiue ob ſua, ſiue ob familiæ ſuæ in eam promerita, nihil eximium præ alijs appetebat. Superiorum nutus omnes promptiſſima obedientia captabat. Eos ſuſpiciebat, vt Chriſti Vicarios, honorabat vt Dominos, amabat vt Patres, audiebat vt Doctores. Pa[illegible]tatis ſtudio nihil fuit illi in cubiculo li[illegible], nihil ſupellectilis, imaginum, orna[illegible]; quale reperiebat cubiculum, cum in illud primum intraret, tale relinquebat cùm emigraret, re nulla in eo permutata. Calamo vno totos decem annos vſus eſt. Silentij magnus amator fuit, nunquam prior illud ſoluere ſolitus, niſi neceſſitas imperaret, aut caritas. Nunquam ex eius ore verbum proceſſit, ſeu publicè pro concione, ſeu priuatim, quod merito quemquam offenderet. Omnibus contra conſilio adeſſe, atque vbi poterat etiam auxilio. Dexterrimè iuuabat ad vltimam luctam, tum eos qui morbo, tum eos qui ſententia Magiſtratus conficiebantur. Orationi, meditationi [illegible] intendebat. Feruorem autem guſtumque prodebat ſæpè erumpentibus ſuſpirijs, & familiaribus ad Deum aſpirationibus. Singulari erga Ven. Euchariſtiæ Sacramentum erat affectu; hinc illud magna quadam maieſtate tractabat. Magno habebat in pretio quid quid ſacrum erat, cæremonias, ritus, indulgentias, & harum quidem pretia ijs animabus plurimum impendebat, quæ in flammis purgantibus reliquum perſoluunt debiti ſui, nam erga eas tenerrimè afficiebatur. Virginem Beatiſſimam impenſo ſtudio complectebatur ad cuius cultum ſua omnia referebat: cuius honori ab anno ætatis 7. ad vſque finem vitæ, ſabbatinum ieiuniũ dedicauit; ſabbatinas conciones impendit. Quæ tria & optaſſe, & rogaſſe Deum dicitur, vt non lentè mori, ſed celeriter, die aliquo Mariano, atque inter labores ſibi contingeret, plenè eſt conſequutus vix integro vnius horæ quadrante ſanus, & mortuus, & mortuus die ſabbatino, & medijs laboribus immortuus eſt, fractus concionibus per aduentum habitis die 28. Decembris (ſabbatum fuit) anno ſalutis 1630. dum ſumpto cum cæteris prandio menſæ finem, & gratias præſtolatur, de repentè linquitur animo, & ſacro mox oleo inunctus placidiſſimè expirauit. Perculit caſus tum domeſticos, tum externos; ſummos, infimos, ſæcualares, Eccleſiaſticos, Religioſos, adeoque Bruxellam, vbi deceſſit, vniuerſam. Funus tam inſolenti hominum frequentia celebratum eſt, vt noſtris adducendam pompam vix tranſitus panderetur. Stylum patrio ſermone, zelo Domus Dei ardens ſtrinxit in Miniſtros peſtilentis cathedræ in Hollandia; ſunt autem edita quæ ſequuntur.

Pro Tranſubſtantiatione in Euchariſtia, contra calumnias Fràciſci, eiuſque filij Samuelis, Lanſpergij Roterodami ex Medicis corporum ſectæ Caluinianæ Miniſtrorum. Antuerpiæ typis Hieronymi verduſſis 1609. in 8.

Victoria eiuſdem tranſubſtantiationis contra eoſdem. Ibidem 1611. in 8.

Inquiſitio Roterodamenſis

Examen Franciſci Gommari Vvtenbogardi & Danielis Caſtellani hæreticorum miniſtrorum.

Aduerſus Henricum Brand Miniſtrum Zirixeum in Zelandia, pro propoſitionibus P. Fràciſci Coſteri Societatis Ieſu. Antuerpiæ apud Hieronymum Verduſſen 1611. in 8.

Contra Henricum Bocxboren Apoſtatam hæreticum pro ijſdem propoſitionibus.

Contra eiuſdem Bocxboren, & Guilielmum Perkinſonum, & Ioannem Bogardum Miniſtros, pro cultu, & inuocatione Sanctorum. Typis Verduſſij 1611. in 8.

Aduerſus Michaelem Hogium, pro conſultatione de Fide capeſſenda. Leonardi Leſſij Societatis Ieſu. Antuerpiæ typis Plantinianis 1612. in 8.

Contra eiuſdem calumnias, & mendacia oris obturatio. Typis iiſdem 1613. in 8.

Demonſtratio 150. mendaciorum Bocxbor-

nij

vij ex Decano, & Paſtore Thenenſi Miniſtri Bredani. Antuerpiæ apud Verduſſium 1610. in 8. 1611. iterumque 1614.

Pro conſultatione Leſſiana aduerſus Michaelem Hogium pars 2. Antuerpiæ 1612. & Bruxellæ 1613. in 8.

Reſponſio ad Veredarium, & Somniatorem Bocxhornium. Antuerpiæ apud Verduſſen 1611. & 1614.

Colloquium inter Bocxhornium, & Paſtorem Haghæ prope Bredam, D. Petrum de Tornaco

Examen de officio, & Auctoritate magiſtratus Chriſtiani in rebus Fidei Eccleſiaſticis

Breuis explicatio myſterij Sacroſanctæ Euchariſtiæ. Syluæ-Ducis apud Schefferum 1612,

Refutatio pugnæ oblatæ Catholicis, à quatuor Miniſtris Caluinianis, qui ſtatim à capta per Hæreticos Vrbe eò conuolauerant; Antuerpiæ apud Aertſens 1630. Tacito Auctoris nomine.

IOANNES GRAVIVS natione Belga, patria Louanienſis admiſſus in Societatem anno ſalutis 1569. ætatis 19. ſtudijs Theologiæ nauauit operam in Collegio Romano 1574.

S. Auguſtini opera, & præcipuè Additamentum Epiſtolarum ex Vrbe tranſmiſſum, vnà cum Theologis Louanienſibus expendit, & recenſuit, vt Auctor eſt Antonius Poſſeuinus.

IOANNES GILLOTIVS natione Gallus, patria Arnetenſis in Ducatu Burgundiæ, Societatem amplexus eſt anno 1605. ætatis 17. Euaſit Concionator egregius, & tanta præditus caritate, vt peſte laborantibus ſuam operam vltrò addixerit, à qua cùm Deus illum ſoſpitem atque incolumem poſt innumera pericula ſeruaſſet, eam calamitatem poſteris legendam tradidit. Vir plenus Zelo animarum, & vota quatuor profeſſus ad laborum mercedem à Deo euocatus eſt Gratianopoli die 3. Septembris 1647. Edidit

Orationem habitam in funere Illuſtriſſimi Coneſtabilis de Montmorency.

Lugdunum lue affectum, & refectum, ſiue Narrationem rerum Lugduni geſtarum ab Auguſto anni 1628. ad Octobrem 1629. Lugduni per Franciſcum de la Bottine 1619. in 8. Latinè, & Gallicè

* IOANNES GRISEL natione Gallus, patria Rothomagenſis Societati aggregatus anno ſæculi labentis 18. ætatis ſuæ 17. votorum quatuor profeſſione ſe adſtrinxit. Concionandi laude floruit annis 25. Rexit Collegium Aurelianenſe; migrauit ad Dominum die 22. Ianuarij 1657. Edidit Gallicè

Myſterium Hominis Dei. Pariſijs apud Dionyſium Bechet 1654. in folio

Conciones de Aduentu. Pariſijs typis iiſdem 1655. in 8.

Conciones in Dominicas, & Feſta per annum. Iiſdem typis, & anno in 8.

Conciones Quadrageſimales opus Poſthumum. Ibidem iiſdem typis 1658. in 8.

Orationem funebrem Ducis de Bellagarde. Diuione apud Petrum Petiet 1617. in 4.

* IOANNES GROTHAVS natione Germanus, patria Bechemenſis in Vveſtphalia, natus anno ſæculi prætefluentis primo, Societatem vicennis ingreſſus eſt, & vota 4. ſolemnia nuncupauit. Tradidit in ea manſuetiores litteras, Philoſophiam, Matheſim, & Ethicam apud Vbios, & ibidem cum eximio eruditionis encomio Sacram Scripturam eſt interpretatus. Adſcitus in Confeſſarium à Celſiſſimo Principe, & Epiſcopo Paderbornenſi Ferdinando de Furſtemberg, verum exemplar veterum Religioſorum, & ſolidarum virtutum dum in illius Aula Neuhuſii degeret, ſe exhibuit. Eminuit in eo inſignis humilitas, & abiectio ſui ipſius demittentis ſe vltrò ad infima Aulæ ſeruitia, purgando ſcopis immunda loca, deferendo ligna ad hypocauſtum, reſpuendo carpenti commoditatem, etiam quando cœlo pluuio, iter erat faciendum cum Principe, & his conſimilia magna cum admiratione Aulæ, & commendatione virtutis in illo. Eluxit etiam effuſa in omnes Caritas, ſed præſertim in egenos, quibus, & reliquias menſarum aulicarum, cum facultate diligenter colligebat, & ſub religioſa veſte tectas deferebat, & indumenta præterea, nec non culcitras, ex plumis auium culinarium ſuis ipſe manibus aptabat. Paupertatis in ſe ipſo mirum in modum amans, quidquid in victu, veſtitu vel habitatione ſingulare quid ſaperet, non admittebat, quamuis viribus pœne fatiſcentibus perpetuò langueret. Lectum etiam fermè exoſus, humi, vel dura in culcitra plerumque proſtratus, pauculas ſomno horas dabat, ad legendum, vel orandum à media nocte conſurgens. Conuiuia adire cum ſuo Principe imò, & ipſius Principis menſam quoad licuit declinabat. Quàm peritus fuerit in Matheſi, Hiſtorijs, Chronologia luculenter oſtendit Ratisbonæ in Comitijs Imperialibus, ad quæ ſuum Principem ſequutus, cum ibi ageretur de Ephemiridibus Gregorianis tota Germania recipiendis, illarum æquitatem ita dilucidè petitis ex Hiſtoria, & Aſtronomia momentis illuſtrauit, vt nihil vltra diſquirendum fuerit, cuiciſſetquè omninò niſi pertinacia ha[illegible]rum obſtitiſſet. Demum annis gra[illegible] & multa fruge bonorum operum cumul[illegible] ex hac vita exceſſit Neuhuſij die 28. Aprilis 1669. Quanti porro illum æſtimarit Princeps ſuus, tum aliàs ſæpe oſtendit, tum maximè quando extremæ illius vnctioni, & luctæ intereſſe voluit, & exequias defuncto ſolemnes, tum Neuhuſij, tum Paderbornæ cum ſuo Clero celebrauit.

Edidit Vernacula lingua vir pro bono animarum admodum laborioſus

Doctrinæ Chriſtianæ centum Quæſtiones. Coloniæ apud Freiſſem 1647. in 1[illegible]. Auctas, & recuſas octies in Bauaria, & alibi

 Ti-

Vitam Chriſtianam nonaginta Quæſtionibus explicatam Ibidem 1649.

Roſarium, ſeu Pſalterium B. Virginis cum facili modo meditandi myſteria. Coloniæ apud Ouerradt 1649. in 16.

Myſteria Fidei compendio demonſtrata in Sacrificio Miſſæ cum figuris. Latinè, Germanicè, & latiue recuſa, Apud eundem 1649. in 18.

Cor humanum triplice diſciplina eruditum. Apud eundem 1655. in 16.

Auxiliares Sanctos quatuordecim. Coloniæ 1646. in 16.

Dictionarium minus pro Scholis Grammaticæ, maius pro ſuperioribus, maximum pro vſu Philoſophorum. Coloniæ

Hiſtoriam Sodalitij Vrſulani, Coloniæ in templo eiuſdem reformati. Coloniæ 1645.

Suffraganeos Colonienſes, ſub nomine D. Heiſter. Coloniæ, & recuſus ibidem 1670.

IOANNES GRVZEVVSkI natus in Ruſſia Alba, parente Samogita Societatem ingreſſus anno 1595. ætatis 15. & emiſſis in ea votis quatuor Philoſophiam, ac Theologiam, tum Moralem, tum Scholaſticam diu profeſſus, Doctoris etiam inſignia capeſſiuit, Collegio, & Academiæ Vilnenſi bis Rector, Domibus Profeſſis Varſauienſi, & Vilnenſi Præpoſitus præfuit. Concionibus eruditis ſimul, & zelo ardentibus per plures annos copioſum fructum animarum, & Societati magnam exiſtimationem comparauit. Dum Prouinciam Lithuaniæ regeret, interfuit Congregationi Generali octauæ, Romæ, & redux in Prouinciam ſanctiſſime obijt Varſauiæ die 12. Auguſti 1646. Vir fuit magnæ perfectionis, caritate in ſubditos, zelo erga proximos, candore in agendo, coniunctione aſſidua cum Deo, ſeueritate in ſe ipſum ſingulariter eximius. Conſueti alijs induſij vice, tela ſemicilicina vtebatur ſolo collari, & manicis lineis aſſutis ne ab aliis aduerteretur. Grauiſſimus Societatis Sacerdos manu ſua teſtatum ſub iuramento reliquit, ſe poſt diuturnam familiaremque cum ipſo conſuetudinem, nullum peccatum veniale in externis illius actionibus notare potuiſſe. In vltimo aliquot menſium morbo incredibilem neglectum ſui, æquanimitatem inter dolores, conformitatem voluntatis cum Diuina conſtantiſſimè retinuit. Contemplationem S. P. Noſtri ad amorem ſpiritualem excitandum, ita animo impreſſerat, vt ſermonem de eo inchoatum, præ lacrymis, & ſuſpirijs abrumpere coactus fuerit. Scripſerat quidem tres Tomos *De vnione cum Deo myſtica*, ſed cum typis eos daturus eſſet mutauit titulum, & inſcripſit

De vltima, & maxima Hominis mutatione, ſiue de myſtica cum Deo vnione. Lib. primi Pars prior. Vilnæ typis Academicis 1641. in 4.

Libri I. Pars poſterior, ſcilicet *de Fortitudine, & Iuſtitia*. Vilnæ typis iiſdem 1644. in 4.

IOANNES GVILIELMVS CALAVERONVS natione Italus, gente Pedemontanus, domo Cairenſis, Societati nomen dedit anno ſalutis 1604. ætatis 17. & vota quatuor in ea emiſit. Vir egregiè doctus, Rhetoricam quinquennio, Philoſophiam ſexennio, Theologiam Scholaſticam octennio in vniuerſitate Mediolanenſi cum laude profeſſus eſt. Sacras etiam litteras biennium, & matheſim tantundem ibidem explicuit, & Studiorum præfecturam diu geſſit. Collegium Mediolanenſe gubernauit, & ſubinde totam illam Prouinciam. In Comitijs Prouincialibus electus, vt Romæ Congregationi Generali octauæ intereſſet, in hac Secretarij munere defunctus eſt. Amans fuit admodum Religioſæ diſciplinæ, & cuſtos illius accuratus in ſe, atque in alijs dum præeſſet. Senio confectus facilem ſibi à Deo ex hac vita petebat exitum, & voti videtur compos factus; nam cum manè ſacris operatus fuiſſet, inuentus eſt à meridie in cubiculo exanimis, oranti ſimilis, & breuiarium tenens manu, quod argumento eſt placidiſſima morte occupatum dum horas Canonicas perſolueret. Contigit id in Domo Profeſſorum Mediolani die 19. Iulij 1665. Edidit ſub nomine Franciſci Sanbenedicti collectoris

Orationum Tomum I. Mediolani apud Pandolphum Malateſtam 1625. in 8.

Ad Hiſtoriam Mediolanenſem Triſtani Chalchi recenſitam, & recuſam 1627. Mediolani addidit tacito ſuo nomine

Epitomes, Notas, Indices. Ipſæ autem Epitomæ in vnum colectæ ſeorſim quoque prodiere.

IOANNES GVILIELMVS STEGHIVS natione Belga, patria Pragenſis, natus anno ſalutis 1605. Societati ſe addixit Mechliniæ 1622. Vir magno animarum zelo, ſtudioque iuuandi proximos, & ſpeciatim Doctrinæ Chriſtianæ in rudioribus promouendæ. Spiritualis Coadiutor formatus naturæ conceſſit Burgis S. Vvinoci die 9. Februarij 1648. Edidit lingua Belgica.

Conſiliarium ſpiritualem. Ipris typis Philippi Sobelij 1643. Item

Catechiſmum imaginibus illuſtratum, pro ijs, qui litteras ignorant. Antuerpiæ typis Cnobbari 1647.

* IOANNES GVILLEMINOT natione Gallus, patria Monbarræus, diœceſis Lingonenſis, natus anno ſæculi voluentis 14. Societati ſe adiunxit 1631. & votorum quatuor profeſſionem emiſit. Rhetoricam, & amæniores litteras docuit nouennio; Philoſophiam ſeptennio, Theologiam annis vndenis, Doctor eiuſdem, & Academiæ Muſſipontanæ Cancellarius. Rexit Collegium Caluomontanum, modo Muſſiponti ſtudia moderatur.

Edi-

Edidit hactenus

Selectas ex Philoſophia quæſtiones. quibus Recentiorum Philoſophorum doctrina Ariſtotelicæ contraria refellitur, & Ariſtotelica illuſtratur. Pariſijs apud Iacobum Nenaubt 1671. Tomis duobus in 8.

IOANNES HAFFENECKER natione Germanus; gente Auſtriacus, patria Viennenſis, adſcriptus Societati anno ſalutis 1622. ætatis 17. vota quatuor nuncupauit. Philoſophiæ, & Theologiæ ſtudijs bene excultus, Concionatoris partes ſuſcepit, atque eo in muneremuncere annos vndeuiginti cum laude exegit. Singularibus ſiquidem naturæ, gratiæque dotibus ad id inſtructus, cùm per plures Cathedras per Prouinciam id exercuiſſet, à Sereniſſimo Leopoldo Guilielmo Archiduce Auſtriæ in ſuum Eccleſiaſten adſcitus eſt, eumque per Caſtra tùm in Germania, tum in Belgio, magno ſemper plauſu, nec minori cum fructu animarum eſt comitatus. Et ne ab hominum laudibus ipſe detrimentum caperet, ſingulari ſemper dimiſſione animi ſe tuebatur. Rexit Collegia Clangenfurtenſe, Paſſauienſe, Græcenſe, atque in eo officio ad brauium emigrauit. Græcij die 29. Septembris anno 1659. Edidit Germanicè

Orationem funebrem dictam in Exequijs Ferdinandi II. Imperatoris Auguſti habitis Lincij Metropoli Superioris Auſtriæ die 26. Martij anno 1637.

IOANNES HAIVS natione Scotus, patria Dalgattienſis, diœceſis Aberdonenſis, ingreſſus in Societatem anno 1566. Romæ tirocinium poſuit, atque in ea votorum 4. profeſſionem edidit. Vir indefeſſi ſupra vires laboris in Hæreticis confutandis; acer diſputator; peritiſſimus artium, & eloquentiæ; in omnibus ferè diſciplinis apprimè verſatus. In Polonia, Belgio, & Gallia, potiſſimum Turnoni Theologiam, Mathematicas, & linguam ſacram docuit. In Germania Argentorati cum Pappe, & Ioanne Sturmio ſectariorum anteſignanis diſputauit. Muſſipontanæ Academiæ noſtræ Cancellarius fuit. Vbi ſexagenario maior die 21. Maij anno 1607. obijt, quo anno, & Carolus III. Lotharingiæ Dux de Noſtris benemeritus deceſſit. Laudem habuit Haius inter cæteras virtutes, exactiſſimæ obedientiæ. Fuit autem per omnẽ vitam abſtemius. Scripſit Scoticè

Interrogationes ad Sectarios Prædicantes, quas Michael Coyſſardus Gallicas fecit Virduni apud Ioannem Vvapij 1583.

Gallicè verò ſcripſit

Apologiam illarum Interrogationum.

Antimonium ad Reſponſa Bezæ. Turnonij apud Claudium Michaelem 1588. in 8.

Diſputationem Lib. II. contra Miniſtrum Anonymum Nemanſenſem. Lugduni apud Ioannem Pilehotte 1584. in 4.

Scholia breuia in Bibliothecam Sanctam Sixti Senenſis. Lugduni apud FF. de Gabiano

Collegit, ac vertit Latinè

Iaponicas, ac Peruanas Sociorum Epiſtolas, Editas Antuerpiæ typis Nutij 1605. in 8.

Reliquit, & *Helleborum Ioanni Serrano Caluiniano*, ei qui poſt Marſilium, & Cornarium Platonis opera vertit, quod Romæ aſſeruatur in Archiuio Generali Societatis inter M.ſs.

IOANNES HAIVS, ſiue DE LA HAYE SERVIVS natione Belga, gente Hanno, patria Seruius, quod municipium tractus Athenſis eſt. Vir inter maximè illuſtria Societatis Belgicæ lumina, quem Louanij ac Duaci Philoſophiam, & ſacras litteras profeſſum, gubernandi munus diù habuit occupatum; multæ verò, atque eximiæ virtutes toto Belgio Principum admouerunt beneuolentiæ. Illi certè ſuæ initia, & præſentem ſplendorem debet Duacenſe Collegium. In rebus anguſtiſſimis erat eius incredibilis in Deum fiducia, nixa egregia vitæ innocentia, ardentiſſimo Diuinæ gloriæ ſtudio, iugi cum Deo per aſſiduas preces conſuetudine, vt auderet aggredi, & conficere quidlibet feliciter. Cùm numeroſiſſimam familiam Duacenſem nullis firmatam vectigalibus adminiſtraret, nullam vnquam auditus eſt intuliſſe mentionem anguſtiarum rei familiaris, id modò cauſatus, ſilentij ſui argumentum percunctantibus Præſidibus, non ſolere Dei beneficientiam ſuis alumnis, ſi in ipſo confidant, deeſſe. Tam erat inſigni modeſtia, atque humilitate, vir aliàs litterarum, & negotiorum bene callens, & in tractandis hominum ingenijs exercitatiſſimus, vt epiſtolas non daret ad viros graues, quin priùs dediſſet Præfecto rerum ſpiritualium excutiendas. Summa reuerentia Superiorum iuſſu accipiebat, ſumma conſtantia exequebatur. Amore paupertatis ne caſu quidem inuentam aciculam in ſuos vſus niſi probante Superiori conuertiſſet. Nunquam ille ad Sacrum niſi diligenter, otioſeque comparatus, vel in grauiſſimis occupationibus accedebat. In cubiculo ſacras obibat ſtationes venerabundus affixis per diuerſos angulos imaginibus. Societatem tenerrimo affectu complectebatur, nec ſatis ſibi facere poſſe videbatur agendis Deo gratijs, quod ſe ad illam vocaſſet, cuius illi ſenſus fuit tenerior circa mortem, vt vix ſatis poſſet eum depromere. Obijt Duaci die 14. Ianuarij anni 1614. ætatis ſuæ 74. initæ Societatis 49. ab emiſſa profeſſione 4. votorum 39. Scripſit

Quaternionem Euangeliſtarum, ſeu Euangelicæ Hiſtoriæ diſpoſitionem ipſis Euangeliſtarum verbis ordinata ſerie, diſtributam Duaci apud Balthaſſarem Bellerum 1607. in 4.

Apparatum Euangelicum, quo ea diſquiruntur, & illuſtrantur, quæ de Euangelio, & Euangeliſtis tam vniuerſe, quam ſigillatim poſſunt diſputari. Duaci apud Laurentium Kellamum 1611. in 4.

Triumphum veritatis ordinati Euangelij quadriga inuecta, Sanctorum PP. exercitu ſtipata, Duaci typis Balthaſſaris Belleri 1609. in folio. Eſt hoc opus *Concordia quadam Euangeliſtarum* cum SS. Patrum Græcorum, Latinorumque in eandem ſententijs in modum Catenæ Patrum concinnatis; addidit ſuas notationes inſtar breuis Commentarij.

* IOANNES HAMMERVS natione Germanus gente Saxo, patria Goslarienſis, Societatem ingreſſus anno Domini 1566. ætatis 19. Humaniora complures annos cum laude docuit; Conciones ad populum maximo fructu habuit, primus Hildeſienſe Collegium à Sereniſſimo Erneſto Bauaro Archiepiſcopo Colonienſi, & Epiſcopo Hildeſienſi erectum inter Hœreticos Spiritualis Coadiutor feliciter gubernauit. Ibidem poſt multos labores diem clauſit extremum 30. Maij 1606. Edidit ſub nomine Anagrammatico Hermanni Ioſema,

Prædicanticum Latinum Rhythmis Germanicis terſis, & acutis magno plauſu per Germaniam exceptum, & recuſum ſæpius Herbipoli, Moguntiæ, Coloniæ, Monaſterij, & iterum Coloniæ 1651. ita ſolidum, vt fruſtra hactenus Prædicantes ſectarij in eo refutando deſudarint

Declarationem Miſſæ, modum Confitendi, & alia ſimilia ad pietatem excitandam: Moguntiæ 1625. in 12. & alibi.

IOANNES HARLEMIVS, qui & Guilielmi more patriæ ſuæ à parentis nomine & Vvilhelmi cognominatus eſt, natione Belga, gente Batauus, domo Harlemius, vnde illi vulgo appellatio altera. Is Sacræ Theologiæ licentiatus, Collegij primùm Atrebatenſis apud Louanienſes alumnus, & inde in Societatem ingreſſus in Collegio Louanienſi Diuinas Scripturas, & Hebraicam linguam profeſſus eſt, in eàque Robertum Bellarminium S. R.E. poſtea Cardinalem inſtituit. Rector eiuſdem Collegij deinceps fuit, & per Belgium Vice Prouincialis. Vir ſumma eruditione, qui diuino quo præcellebat ingenio, linguarum latinæ, Græcæ, Hebraicæ, Chaldaicæ, Syriacæ, atque Arabicæ difficultates ſuperauerat, & Theologicorum myſteriorum intima penetrauerat. Ea ad hæc vitæ puritate, & morum ſuauitate ornatus, ea animi ad iuuandos quoſcumque promptitudine, ea denique in Deum pietate præditus, vt ſummæ voluptatis loco eſſet eius frui alloquio, ſacriſque ſimul & doctis ſermonibus refici. Flagrantis cæleſti amoris igne animæ corpuſculum, lœmicus, Deo operante ignis ſoluit, vt cùm à corporis miſerijs, tum à mundi, qui eo dignus non erat, malis libera ad cœleſtem dilecti Thalamum tranſiret. Deceſſit Louanij anno ſalutis 1578. Calendis Octobris paulò quadragenario maior, traductis in Societate annis 12. & poſt editam profeſſionem 4. votorum anno 7. Certum eſt moribundo viſos Angelos cùm inter recitandas litanias interrogaret preſentes num, & ipſi eos viderent; aiebatque ab ſuo Angelo cuſtode ſe vocari. Dum animam autem efflaret, inſolitum lumen circa eum conſpectum eſt. De Sacris Biblijs Regijs Antuerpiæ typis Plantini editis optimè meritus eſt, nam adlectus in Cenſorum numerum omnia recognouit, & ſua auctoritate, manuque probauit. Concinnauit

Indicem Biblicum breuitate exiguum vtilitate maximum & cum Biblijs Regijs & ſeorſim excuſum Antuerpiæ typis Plantini, qui iam paſſim Biblijs vulgatæ editionis adiungitur

Varias item lectiones in latinis Biblijs vulgatæ editionis ex M. ſs. collegit, & ad textum Hebraicum, Chaldaicum, Græcum, atque Syriacum doctiſſimè examinauit, & diſcuſſit, leguntur in apparatu Bibliorum Regiorum.

* IOANNES HARSCHER natione Germanus patria Ratholdi-Cellenſis diæceſeos Conſtantienſis in Societatem admiſſus anno ſæculi præterfluentis 21. ætatis 18. Profeſſis votorum 4. adſcriptus docuit humaniores litteras Philoſophiam, & controuerſas de Fide quæſtiones cum laude, vir acris ingenij, ſed valetudinis ſemper afflictæ, qua demum fractus ſuccubuit, Friburgi Briſgoiæ die 12. Octobris 1650 Edidit

Parallela Euangelicorum, & trium priorum ſæculorum, quibus ad fontes ſuos referuntur dogmata Lutherana, & Caluiniana, Friburgi Heluetiorum apud Guilielmum Darbellei 1646. in 12.

Parallela quarti, & quinti ſæculi Ibidem 1645. in 12.

Parallela ſexti & ſeptimi ſæculi. Ibidem eiuſdem anno, & forma

Refutauit etiam Caſtigationem Harſcherianam Chriſtophori Luthadi Prædicantis Bernenſis, ſed morte præoccupatus refutationem non edidit. Verùm aliam edidit & Harſcherum egregie defendit Admodum R. D. Iacobus Scheuler in ſuo Hercule Catholico Friburgi Heluetiorum anno 1651. in 4.

IOANNES HASIVS natione Belga patria Siluæducenſis die 14. Ianuarij anno ſalutis 1562. Coloniæ noſtris adſcriptus eſt. Hic in Prouincia Rheni ſtrenuum ſe Societati miniſtrum exhibuit, nam Coloniæ ter Philoſophiæ docendæ laborem ſubiuit. Inde Eccleſiaſten annis aliquot egit. Tum Doctor creatus Herbipoli Theologiam profeſſus eſt. Tribus Præpoſitis Prouincialibus adiunctus Conſiliarius, & comes obeundæ Prouinciæ, aſſiduum atque vtilem laborem impendit. Rectoris officium Embricæ Cliuorum, Prouincialis ſemel obiuit. Animi magnitudine tanta præditus, vt Embrica ab Hæreticis cedere iuſſus, neque minis neque terroribus, neque hoſtium exercitu ſe de mentis conſtantia deduci paſſus ſit, perſtiteritque Hæreticis inuitis, ac frementibus in Ciuitate. Dicendi & vitia caſtigandi libertate fuit ſingularis. Adulatores, & ſimulatores peſſime perſequebatur; eò tutiùs, quò magis erat reli-

gioſa obſeruantia, & doctrina conſpicuus. Obijt Embricæ octauo Calend. Aprilis anno ſalutis 1624. ætatis 81. Religionis 62. à ſuſcepta votorum 4. ſolemni profeſſione 53. Scripſit vel perfecit potiùs

Opus Petri Buſæi, qui Catechiſmum P. Petri Caniſij SS. Patrum auctoritatibus locupletauit

Cæſaris Heiſterbachenſis exempla illuſtrauit, & vt viſiones, quæ in illis referuntur confirmaret bene longam præfationem adiecit

Chronologiæ, quæ paſſim in patente folio per Germaniam magna cum laude circumfertur, ipſe quoque auctor eſt,

Adornabat etiam editionem meliorem Chronici Mariani Scoti ad vetera exemplaria comparati.

IOANNES HAVLETTVS VEL HOVVLETTVS natione Anglus ex Rutlandia Louanij in Societatem admiſſus anno 1571. ætatis 24. iam Philoſophiæ laurea decoratus, Duaci Theologiæ nauauit operam, ac porro decem annos docuit Grammaticam, Rhetoricam, Græcam linguam, & Hebræam, Mathematicam, Ethicam, quæſtiones de conſcientia, in Belgio, & Germania. Miſſus demum ex Vrbe in Poloniam, vt in Tranſyluanica miſſione operam collocaret, biennio poſtquam eò venit Vilnæ deceſſit die 17. Septembris anno 1589. Permiſit ſuo nomine in lucem exire.

Libellum, quo 9. Rationes continentur, ob quas Catholici in Anglia conuenticulis, ſeu publicis precibus Hæreticorum renuunt intereſſe quod tamen opus Roberti Perſonii eſt

* IOANNES HEIM natione Germanus, patria Biſchopsheimienſis in diœceſi Herbipolenſi, cooptatus in Societatem anno ſalutis 1618. ætatis 19. vota 4. emiſit. Philoſophiam, & Theologiam multis annis profeſſus eſt, & Coloniæ Eccleſiaſten in ſumma Æde Metropolitana egit. Vir magni ingenij, limati iudicij, prudens, humilis, religioſus, apoplexia tactus, & triduo cum morte luctatus, tandem ſuccubuit Coloniæ die 13. Octobris 1662. Edidit inter alia minutiora Germanicè.

Regulam Theodoſij Imperatoris pro terminandis horum temporum controuerſijs per ſacras Scripturas ſecundum explicationes priſcorum intellectas. Coloniæ apud Vvilhelmum Freiſſem 1652. in 12. Item

Concionem in funere Ferdinandi Archiepiſcopi, & Electoris Colonienſis habitam de eius vita, & virtutibus. Coloniæ.

* IOANNES HENNIG, natione Polonus, gente Pruthenus, patria Gedanenſis natus anno ſæculi voluentis 11. Societati ſe addixit 1628. & vota 4. ſolemnia nuncupauit. Poſt traditas quadriennio manſuetiores litteras, Philoſophiam profeſſus eſt quinquennio, Theologiam Scholaſticam octennio, Polemicam de controuerſijs biennio, Sacram etiam ſcripturam explicuit biennio; ſtudijs ſexennio præfuit; Eccleſiaſten aliquandiù egit; Collegium Gedanenſe rexit ſuperſtes modo Cracouiæ edidit lingua Germanica.

Trutinam ſeu Reſponſa contra Doctorem Ioannem Boccarum ad capitales interrogationes de Scriptura. Gedani 1668. in 4.

IOANNES HENRICVS AVBERIVS, natione Gallus, patria Borbonius, Societati adſcriptus anno ſæculi ineuntis primo, ætatis 30. vir in humanioribus litteris, quas viginti annorum ſpatio docuit egregiè verſatus, tria vota profeſſus. Morum ſuauitate fuit mirabili, gratus omnibus tam domeſticis, quàm externis; Magnatibus præſertim, quibus fuit à ſacris confeſsionibus. Sed horum amorem conciliare imprimis ſtudebat vniuerſæ Societati, quam vt parentem vnicè diligebat. Octogenariam ætatem pia morte concluſit Cygnus hic, cantu poëtico, & erudita ſuauitate amabilis Auſcis die 27. Nouembris 1652. Edidit

Miſſum Poëticum, ſeu *varia Carmina, nempe Elegias, Poemata Epica Lyrica*. Toloſæ typis Colomerij 1617. in 4.

Tragædium Cyrum carmine Heroico, cui acceſsit Pſalmi 117. *Paraphraſis Elegiaca*. Iidē typis 1619. in 4.

Iter Sereniſſimi Principis Condæi. Ibidem

De Diua Virgine Garazonia. Ibidem in 4.

Vota pro ſalute Regis. Ibidem typis Colomerii 1620. in 4.

Delphini Genethliacon. Ibidem 1638. in 8. & Pariſiis 1639. in 4.

Lucatæ Triumphum. Recuſum Francofurti in Parnaſſo Societatis 1954. in 4.

IOANNES HERBETIVS Lotharingus, patria Stanuenſis, diœceſeos Virdunenſis, admiſſus in Societatem Coloniæ anno ſalutis 1556. ætatis 20. docuit annis pluribus Rhetoricam, & humanieres litteras Coloniæ, Treuiris, Louanij, & Duaci; Conciones etiam aliquamdiù habuit, vixitque anno Domini 1556, Scripſit dum inter Nos eſſet

De Oratoria libros 5. Pariſijs typis Ioannis Ruellij 1574. in 4.

IOANNES HERINGSDORF, natione Germanus Niekercæ in Vveſtphalia natus anno Domini 1606. Societatem ingreſſus anno 1629. 19. Septembris votorum 4. profeſſionem emiſit. Docuit in ea litteras Græcas, & latinas & miſſionarium egit magno zelo multis annis. Naturæ conceſſit Paterbornæ die 20. Februarij 1665. Collegit ex antiquis, & nouis etiam diuerſarum nationum melodijs, ediditque Germanicè, & Latinè, ſuo nomine omiſſo

Pſalteriolum Cantionum Catholicarum 1633. Coloniæ & alibi ſæpiùs recuſum.

* IOANNES HERMANNI natione Polonus, patria Caſſubienſis, diœceſeos Poſnanienſis, natus anno ſæculi fluentis 23, Societatem amplexus eſt 1644. & votorum quatuor profeſſionem edidit. Humaniores litteras docuit triennio, Philoſophiam quinquennio, matheſim biennio, Theologiam Scholaſticam Poſnaniæ & Leopoli ſexennio; linguam ſanctam,

ctam, & litteras ſacras aliquamdiù explicuit, & Conciones Cracouiæ Germanicas habuit. Nunc Romæ negotia curat Prouinciæ Poloniæ. Edidit latine

Delicias Regum, ſeu Panem Euchariſticum è Chriſti & Eccleſiæ ſenſu frequentandum. Romæ typis Vareſij 1671. in 12.

IOANNES HERTINGIVS natione Germanus, patria Groſſendorfenſis in ditione Fuldenſi, adſcitus in Societatem anno ſalutis 1583. ætatis 19. ob ſingularem industriam iuuentutis bonis litteris informandæ diutiſſimè in ſcholaſtico puluere veſatus eſt. Inde ad Conciones eductus; poſtea ſingulari fructu ruſticanorum animos Catechiſmo imbuendos ſuſcepit, quam in meſſem traducebat quam plurimos poterat domeſticorum. Quidquid illi fuit vacui temporis, in transferendis de latino in Germanicum libris ponebat, vt ille iam vulgò diceretur Hamum, quo animas caperet, de manibus haud vnquam deponere. Eum decumbentem cùm Sereniſſimus Archidux Leopoldus inuiſiſſet, viri ſanctitate magnopere recreatus, mirificè illum prædicauit. Obijt Molshemij anno ſalutis 1614. ætatis ſuæ 50. Religionis aditæ 31. à ſuſcepto gradu Spirituali Coadiutori

Libros plures eleganti ſtylo Germanicè, è latino reddidit.

* IOANNES HEVIN natione Gallus patria Picto, Societati adſcriptus anno ſalutis 1609. ætatis 16. vota 4. profeſſus Philoſophiam explicuit, & Concionatorijs laboribus diù fructuosè ſe impendit. Mortalitatis exuuias in florenti ætate poſuit Burdigalæ die 8. Septembris 1632. Edidit contra Miniſtrum Caluinianum Gallicè

Idolum confractum & de Adoratione Imaginum Burdigalæ apud Guilielmum Milangium 1630. in 8.

IOANNES HEVMONT natione Lotharingus admiſſus in Societatem anno ſæculari 1600. ætatis 24. in Auſtria. Vir Religioſæ vitæ maturitate, & exquiſita in omni ſcientiarum genere peritia, præclaris ad Societatis munera talentis ornatus, humaniora, Rhetoricam, Linguam ſacram ſemel iterumque Græcij Styrorum Philoſophiam docuerat, & iam Theologiam erat aggreſſus, cum acerrimo viſcerum tormine ad extrema deductus, ſpectabili tolerantiæ exemplo in acerbiſſimo morbo exhibito, pie obijt Græcij die 25. Ianuarij anno ſalutis 1617. ætatis 41. Religionis 17. Edita eſt

Oratio, quam in funere Sereniſſimæ Archiducis Mariæ Bauaræ Matris Ferdinandi II. Imperatoris dixit Græcii die 31. Maii 1608. Extat ea in Parentalibus eidem Principi à Collegio Græcenſi poſitis

Famam poſthumam, de virtutibus Heroicis eiuſdem Sereniſſimæ Mariæ Emblemate vario digeſſit, concinnauit, expoſuit, Græcij Styriæ, typis Georgij Vvidmanſtadij 1609. in folio

IOANNES HIERONIMVS BAIOLIVS natione Gallus, patria Condommenſis, Vaſco, Ioannis (de quo ſupra dictum eſt) germanus frater, ingreſſus Societatem anno 1604. ætatis 16. & ipſe pietate, ac doctrina conſpicuus Philoſophiam docuit octennio, Theologiam Scholaſticam ſexennio, Moralem ſeptennio, emiſſa votorum 4. profeſſione. Multam vbicumque verſatus eſt operam nauauit ſaluti animarum, ſed Petracorę præſertim, vbi maius Parthenium indefeſſa cura ſtudioque mirifico adminiſtrauit. Corporis ſui afflictationi valde deditus, & aſſiduo maximè ieiunio ſenſim conſumptus, obijt vti vixerat ſanctiſſimè Petracoræ die 20. Nouembris 1653. Edidit latinè ſuppreſſo ſuo nomine, ſed additis in calce dedicationis initialibus notis hoc modo I. H. B. S. I.

Annales Congregationum Beatiſſimæ Virginis Mariæ collectos ex annalibus Societatis Ieſu.

IOANNES HIERONYMVS KINICH origine Germanus, natus Venetijs anno ſalutis 1582. Romæ in Societatem cooptatus eſt 4. Martij 1607. iam tum Philoſophiæ Magiſter, & Iuris vtriuſque Doctor, linguarumque multarum inſigniter peritus. Hebraicam, & Arabicam docuit in Collegio Romano annis quinque; Dilingæ, Ingolſtadij, Pragæ, Viennæ, eandem profeſſus eſt vna cum Matheſi annis quindecim. Tria vota ſolemnia nuncupauit, & operarius ſedulus in templo Viennæ deceſſit die 17. Februarij anno 1646. Scripſit breuem

Methodum faciendi Horologia Horizontalia Italica per numeros, quem Italicè vulgauit D. Ioannes Franciſcus Palmerius, Senis apud Herculem & Agamemnonem Gori 1620. in 8.

IOANNES HIERONYMVS SOPRANIS natione Italus, patria Genuenſis, vir eximia doctrina præditus, & Philoſophiam Theologiam, ac Sacras olim literas interpretatus. Societatem vicennis amplexus eſt Romæ anno ſalutis 1592. & votorum quatuor profeſſione ſe obſtrinxit. Admirabilis eluxit in hoc viro Diuinæ Prouidentiæ ratio, cùm enim inſigni floreret exiſtimatione doctrinæ, eaque in dies magis ac magis increbreſceret, paſſus eſt illum Deus mente exerrare vno in obiecto, cætera rectiſſime, cordatiſſimeque ſapientem & in hac vitæ obſcuritate continuit annos plures, donec tandem ſibi reſtitutus, & ſtudijs in Collegio Romano Præfectus, demum piè deceſſit Viterbij die 11. Nouembris anno ſalutis 1629. ætatis 57. Societatis 37. Edidit Italicè ſuppreſſo ſuo nomine

Compendium vitæ S. Franciſci Xauerij Societatis Ieſu. Romæ apud Hæredes Bartholomæi Zannetti 1632. in 8.

Appendicem ad opus Morale Vincentij Filliucij impreſſam cum operibus Filliucij. Coloniæ per Antonium Hieratum 1626. in folio in qua ſunt tractatus proprij P. Sopranis.

De Penſionibus. De Spolijs Clericorum.

De Alienatione rerum Eccleſiaſticarum.

Sche-

Schematiſmus de irregularitate, in quo ſub vnum aſpectum proponitur, quidquid ad difficilem hanc materiam ſpectat.

Poſt illius obitum opera P. Fabij Ambroſij Spinulæ editus eſt illius.

Commentarius in Dauidem, complectens ex I. & II. libro Regum fortunatum Dauidici Regni partem vna cum Digreſſionibus

De re veſtiaria Hebræorũ, & de Funeribus. Lugduni Sumptibus Laurentij Aniſſon 1643. in folio. Item

Oratio de Paſſione Domini habita ad Paulum 5. anno 1610. Edita cum alijs eiuſdem argumenti Romæ typis Maſcardi 1641. in 12. Extat in Archiuio Societatis Romæ eiuſdem Tractatus M.ſs.

In Bullam Gregorij 15. De electione Romani Pontificis.

IOANNES HOFERVS natione Germanus, Lutheranis parentibus in Miſnia natus, & Lutheranis ob naturæ dotes olim carus, cùm à Theologis Electoralibus Saxoniæ anno 1624. accepiſſet refutandas controuerſias Patris Chriſtophori Mayr, inter affrictum difficultatum ad lydium veritatis lapidem, primum ſcintillas quaſdam elicere viſus eſt; mox profundiùs in operis lucubrationem immerſus, vidit increſcere lumen, cuius aſpectu, cum rubore ſuum agnouit errorem. Eum tamen diſſimulata veritate, in biennium vſque fouit; quo lapſo cùm repoſitæ à Catholicis lucubrationi vellet refundendo iterũ obuiam ire, aſpexit non dubiorũ modò, ſed et ſcrupulorum retibus ſe vndique circumſeptum. Nititur, ſed incaſſum, apud ſapientiores errorum ſeminatores auxilium inuenire; nam eorum reſponſa perplexum animum in vlteriorem labyrinthum intruſerunt. Inter hæc commodùm incidit in Bellarmini controuerſias, lucem cum tenebris, veritatem cum errore confert, agnitam veritatem amplectitur; matre vidua relicta, & Rectoratu Spandonienſi, in Auſtriam conceſſit, atque ibi Catholicam Fidem profeſſus, non multò poſt Societatem quoque noſtram complexus eſt anno 1633. ætatis 31. In ea emenſis Theologiæ Scholaſticæ ſtudijs, docuit quadriennio linguam ſanctam, & à Sereniſſimo Principe Chriſtiano Brandeburgico olim Adminiſtratore Magdeburgenſi, qui per eius Vrbis excidium in poteſtatem Cæſaris Ferdinandi II. venerat, & à P. Ioanne ad ſuſcipiendam Fidem Orthodoxam validè permotus fuerat, in conſcientiæ ſuæ arbitrum adlectus, per decennium eo munere functus eſt, eiuſque Aulam tum verbo, tum Religioſæ ſuæ vitæ exemplo ita formauit vt modeſtia morum, & pietate in Deum, cum bene conſtitutis Aſcetarum Cœnobijs illa concertaret. Tandem obijt optimus Pater Pragæ Cal. Septembris 1646. Scripſit

Conuerſionis ſuæ ad Fidem Catholicam Hiſtoriam ad Sereniſſimum Electorem Saxoniæ. Viennæ typis Georgij Gelbhaar 1630. in 4.

Vocationem ſuam ad Eccleſiam Catholicam à calamo Heretico Friderici Vvinchen vindicatam. Viennæ apud Matthæum Formicam 1631. in 4.

Reſponſionem ad Cenſuram à Chriſtophoro Bulæo editam, contra ipſius vocationem ad Eccleſiam. Viennæ typis Michaelis Rictij 1633. in 4.

Hæc ille ante ingreſſum in Societatem, poſtea molientem alia mors anteuertit.

IOANNES HOLONIVS LOTHARINGVS, patria Siuerianus, Societati adiunctus Coloniæ anno ſalutis 1558. ætatis ſuæ 15. in Germania ſuperiori manſuetioris litteraturæ laude plurimum claruit, vbi 26. annos Eloquentiam profeſſus eſt, & ſexennium deinde Dialecticam, & Scholis 20. præfuit. Demum operarius ſedulus in templo, & octogenarius, & tria vota ſolemnia dudum profeſſus migrauit ad Dominum Auguſtæ die 12. Iunij 1622. Edidit

Orationem funebrem dictam à ſe in exequijs D. Martini Eiſengreinij. Ingolſtadij typis Danielis Sartorij 1578.

IOANNES HORRION natione Belga, gente Eburo, diœceſis Leodienſis, ingreſſus in Societatem ſedecennis anno 1591. & vota 4. profeſſus eſt. Is cum magnos feciſſet in Poeſi, & in Oratoria facultate progreſſus, Moguntiæ Philoſophiam, ac deinde etiam ibi, & Paderbornæ Theologiam Scholaſticam, & Sacram Scripturam cum approbatione multis annis docuit. Deſijt inter mortales viuere Coloniæ die 21. Auguſti 1641. Ex Italico Virgilij Ceparij latinè conſcripſit tacito ſuo nomine

Vitam B. Aloyſij Gonzagæ Societatis Ieſu. Coloniæ apud Bernardum Gualterum 1608. Ex Hiſpanico verò conuertit

Commentarium Prudentij Sandoualij de Sanctis Leandro, Iſidoro, Florentio. Extat in Sideribus Chriſtophori Brovveri noſtri.

Eius quoque lucubratio eſt

Panegyricus de Natali Academiæ Paderbornenſis eius fundatori oblatus anno 1616. Paderbornæ typis Matthæi Pontani. Recuſus Amſtelodami ad calcem libri Illuſtriſs. Epiſcopi Paderbornenſis 1672. in 4.

Præterea edidit

Titi Liuij Patauini Hiſtoriarum Librum xxxiij. in Bibliotheca Eccleſiæ Cathedralis Bambergæ M.ſs. primum repertum accuratè cum caſtigationibus, & notis nomine Gymnaſij Paderbornenſis Humaniorum litterarum ad Theodorum Epiſcopum Academiæ Fundatorem. Paderbonæ anno 1607. typis Pontani in 8.

Idem liber de eiuſdem Patris exemplari mendosè excerptus, paulò ante Romæ fuerat editus cum notis Antonij Querengi.

IOANNES HVBERVS, vel VBERVS natione Germanus, patria Franco, Herbipolenſis, in Societatem ingreſſus eſt Romæ anno ſalutis 1583. ætatis 26. & vota 4. nuncupauit.

Is

Is cum ſubſidiarius in Poloniam è Germania miſſus eſſet Theologiam ibi Moralem; Religioniſque Controuerſias triennium docuit; Seminarijs octo annos, duobus per vices Collegijs Braunſpergenſi, & Gedanenſi ſeptem annos præfuit; fructuoſum Concionatorem, & quidem iucundum ipſis etiam Hæreticis, annum egit decimum tertium. Obijt Gedani anno 1612. ætatis 54. à ſuſcepta Societate 28. Edidit Germanicè

De Controuerſijs Fidei varios Libellos, nempè

De Cœna Caluiniſtica.

De Cœna Lutherana.

De eo quod Libri Sacri non omnes inueniantur.

Demonſtrationem defectus Bibliorum, prout Braunſpergæ edita ſunt, Braunſpergæ apud Georgium Schonfels 1604. in 4.

De Eccleſia. Ibidem 1609. in 4.

De Indice Controuerſiarum. Ibidem 1611. in 4.

De Libero Arbitrio. Ibidem 1611. in 4.

* IOANNES HVGO AVDOENVS Gente Cambro-Britannus, ex Inſula Mona, decurſis Romæ Philoſophiæ, & Theologiæ ſtudijs in Collegio Anglicano, Societati ſe addixit in Anglia anno Domini 1648. ætatis 33. & in Belgio Vvatenis religioſæ vitæ poſuit tirocinium. Remiſſus in Angliam gnauum ibi operarium agit inter Cambro-Britannos ab annis amplius viginti. Edidit Anglicè tacito ſuo nomine, Tractatum ad permouendos Sectarios, & Politicos opportunum

De Grauitate Peccati mortalis, præſertim Hæreſis, ſub titulo *Verbum Conſcientiæ*. Londini 1668. Item

Cathechiſmum lingua Cambro-Britannica, ex Anglicana translatum. Londini 1668. Item lingua Cambro-Britannica

Clauem Paradiſi, ſeu Libellum precum, & variarum inſtructionum ſpiritualium. Londini 1670. in 12.

IOANNES IACKNOVVICZ natione Lithuanus in Societatem ingreſſus anno 1609. ætatis 20. vota quatuor profeſſus eſt. Concionatorem Lithuanicum multis annis ingenti cum fructu auditorum egit. Rexit Seminarium Pontificium, & Diœceſanum Vilnæ, Collegia Smolenſcenſe, Croſenſe, & Domum Profeſſam Vilnenſem. Verùm inter quæcumque munera inſtructioni rudium cupidiſſimè ſe impendit, dicendo palàm, ſibi eum In finem religioſæ vocationis, & profectus in ſtudijs gratiam à Deo collatam fuiſſe. Quocirca operari erga proximum obſequia ad vltimum vſque vitæ annum ardentiſſimè ſuſcipiebat, & conſtantiſſimè exequebatur, ſiue infirmi inuiſendi eſſent, ſiue pauperes iuuandi, ſiue populo in templo confitenti aures forent commodandæ. Poſt peractum Præpoſiti officium, Moſco Vilnam obtinente, ad Collegium ibidem tranſijt, & in extrema Regionis vaſtitate, ad prima Grammaticæ rudimenta docenda ſe demiſit, demirantibus ipſis hoſtibus Schiſmaticis, & illius diſciplinæ ſuos filios ſubmittentibus. Sub tempus peſtiferæ luis, ter obſequijs ea infectorum ſponte ſua ſe expoſuit. Tanta ſui deſpicientia eminuit; vt in ætate morbis, anniſque fracta, & ferè octogenarius nullius obſequia in ſuo cubiculo admiſerit. Demùm religioſiſſimè vti vixerat, ita deceſſit. Vilnæ die 11. Aprilis 1668. Edidit Polonicè

Sacrificium Chriſti cruentum, ſeu libellum *De Paſſione Domini* 1626.

Libellum de Paſſione Domini, in illa verba, Candidus, & Rubicundus. 1637.

Vias Saluatoris noſtri in pueritia, & iuuentute. 1639.

Sanguineas Domini Redemptoris noſtri vias. 1634.

Vias Domini laborioſas, ſeu De Apparitionibus poſt Reſurrectionem. 1639.

Ieſum Crucifixum ſub varijs ſimilitudinibus ex Sacra Scriptura petitis. 1639.

Libellum De Doloribus Beatæ Virginis. 1639.

Inſtitutionem Cathechiſticam. 1639.

Inſtitutiones Confraternitatis Vilnenſis Sancti Ioſephi, & Nicodemi cum libello precatorio, qui inſcribitur *Facula ardens.* 1630.

Officia De Verbo Incarnato, De Virgine portante Chriſtum, De Ioſepho, De Angelo Cuſtode.

Officium de S. Caſimiro. Polonicè, & Latinè 1636.

Lithuanicè ſcripſit

Euangelia aucta in vſum Concionatorum. 1637.

Inſtitutiones & Cantiones pro Confraternitate S. Iſidori. 1639.

Cantiones Catechiſticas. 1638.

Libellum precatorium pro Confraternitate Vilnenſi Corporis Chriſti. 1630.

Denique vertit Polonicè

Martini Becani Purgatorium Caluiniſticum. 1639. Item

Deum Caluiniſticum. 1640.

IOANNES IACOBVS CVRTZIVS natione Bohemus, patria Pragenſis, prænobili loco natus. Is poſtquam pro Ferdinando II. Romanorum Imperatore, ad Principes Italiæ, Reges Galliæ, & Poloniæ, atque apud Turcarum Imperatorem Legati munere functus eſt, ſpretis rebus humanis Chriſti humilitatem in Societate complexus eſt anno 1626. ætatis 41. Peracto Romæ Tirocinio, & Theologicis ſtudijs excultus, Profeſſis quatuor votorum eſt adſcriptus, atque in Eccleſiaſten inſignem ardentem, & fructuoſum euaſit. Addebant pondus verbis religioſæ virtutes, quæ ex illius vultu, & agendi modo ſpirabant. Rexit Collegium Lincenſe, Pater magis quam ſuperior. Maxima quæque cum ei in Ordine decernerentur, pertinacis podagræ doloribus

in

in annos plures lecto affixus eſt; ſed hic ei fuit Theatrum virtutum. Magna illi cum Deo communicatio, à qua ne remitteret, quotidie cum celebrare ipſe non poſſet, ſacro Epulo refici ſe curauit. Cum ſe inuiſentibus ita agebat, vt à Deo nunquam auocaretur. Acres dolores pijs ſalibus, & facetijs condiebat, vt magis ijs delectari, quam affligi videretur. Hoc morbo detentus egit Præfectum ſpiritus, ſeſequè verè, vt Pater in filios effundebat, & omnium affectus occupabat. Quàm verò in ſæculo eminuerat, tam ſe in Religione depreſſit, nullam ſanguinis ſui memoriam fieri paſſus, vilibus contentus, meliora deprecans, contemni, & deſpici appetens piiſſimè obijt Viennæ die 31. Octobris 1645. Tranſtulit Italicè è Latino Guilielmi Lamormaini,

Ferdinandi II. Romani Imperatoris Virtutes. Viennæ 1638. in 4.

IOANNES IACOBVS ROCHER natione Gallus, patria Anicienſis, natus anno ſalutis 1562. Societatem ingreſſus eſt 1595. iam tum Canonicus, atque in ea docuit quinquennio Philoſophiam; Quæſtiones de Conſcientia, Linguam Hebraicam, & Sacras Litteras quadriennio, Theologiam triennio. Rexit Collegium Ruthenenſe, & Conciones habuit aliquot annos, votorum quatuor profeſſus. Eximia eluxit in eo pietas in Deum; carceres, & Hoſpitales Domos frequentiſſimè adibat; Hæreticorum Miniſtros ſæpe fudit, & elingues reddidit. Nullum fere diſciplinæ genus extitit, in quo non fuerit apprimè verſatus. Tandem pleuritidie correptus occubuit Cadurci die 18. Martij 1632. magno domeſticorum, & externorum dolore, qui eum, vt ſanctum palam publicabant. Edidit Gallicè librum pro Parochis vtiliſſimum rogatu Epiſcopi Cadurcenſis, quem inſcipſit

Manuale Sacerdotum.

* IOANNES IACQVINOTIVS natione Gallus, patria Diuionenſis, Deo ſe in Societate ſacrauit anno à partu Virginis 1623. ætatis ſuæ 17. & votorum quatuor ſolemne Sacramentum dixit. Rhetoricam, & amæniores litteras docuit ſeptennio. Rexit Collegia Catalaunenſe, & Nanceianum. Vir ſolidæ virtutis, e ſuggeſtu poſt luculentam Concionem habitam de morte in lectum decidens, paucis poſt diebus, vinculis corporis ſolutus ad Superos, vt ſperare fas eſt, abijt Catalauni die 16. Martij 1653. Edidit Gallicè

Gloriam S. Ioſeph Diuione apud Perrum Palliot 1645. in 4.

Sertum ſacrum contextum ex pijs affectibus erga Ieſum. Catalauni typis Germani Nobilis 1646. & Nancæi 1652. in 8.

Compendium Vitæ S. Ioſephi. Typis Antonij Charlet 1650. in 8.

* IOANNES IAHODA natione Germanus, gente Morauus, patria Cremſirienſis, natus anno ſæculi labentis 23. Societati ſe addixit 1640. & vota quatuor in ea nuncupauit. Eloquentiam, & amæniores litteras docuit ſeptennio, Linguam Sacram octennio, Controuerſias de Fide aliquamdiu explicuit, & Concionator latinus in Academia Pragenſi annis 12. fuit. Rexit Collegium Giczinenſe, ſuperſtes adhuc, edidit

Allocutiones ſacras ſuper Euangelia Dominicarum totius anni. Pragæ typis Vniuerſitatis 1659. in 4.

Allocutiones ſacras ſuper Feſta ſolemnia totius anni. Pragæ typis iiſdem 1667. in 4.

Spicilegium Suadæ, ſiue *Orationes varias à ſe habitas*. Pragæ typis iiſdem ſub nomine ſuorum diſcipulorum 1667. in 12.

IOANNES DV IARDIN natione Belga, patria Duacenſis, Societatem anno 1582. ætatis 17. ingreſſus, Eccleſiaſten egit annis multis vir placidiſſimis moribus, & religioſa ſimplicitate commendabilis. Aduitor ſpiritualis ab anno 1600. Moderatorum obſeruantiſſimus, & Caſtimoniæ amator eximius. Religioſè deceſſit Valencenis die 16. Iulij 1644. Edidit

Manuale præcipuarum conſiderationum

Manuale de peccato mortali. Reddidit etiam Gallicè

Tractatus aliquot P. Iacobi Aluarez de Paz

De Exercitio virtutum, & extirpatione vitiorum. Duaci 1625. in 12. Item

De Pugna, & Victoria contra Tentationes. Ibidem 1627. in 12.

Meditationes. Ibidem 1626. in 8. & alios

* IOANNES DE IONGHE natione Belga, patria Dunkerkanus, natus anno ſæculi euoluti 95. Societatem complexus eſt voluentis 12. & votis quatuor ſolemnibus ſe illigauit. Vir egregiè doctus, politiores litteras quadriennio profeſſus eſt; Philoſophiam quinquennio; Theologiam de moribus etiam quinquennio, ſed Scholaſticam totis annis 14. Louanij explicuit magna commendatione eruditionis, cui non minora coniunxit virtutum decora. Eluxerunt ſiquidem in eo ſingularis animi demiſſio; eximia erga Superiores obedientia, paupertatis ſanctæ amor luculentus, & ex eo appetentia veſtitus vilioris, & rerum conſimilium. Ab omni corporis refectione extra ſtatuta tempora conſtanter ſe abſtinebat, quamtumuis ſiti inter calores æſtiuos vrgeretur, ſed quod permirum fuit in tantæ doctrinæ Viro, permiſit Deus, vt per multos annos in decliui ætate ſcrupulis, & conſcientiæ quaſi carnificina torqueretur ad maioris virtutis exercitium, donec maturus cœlo, & recuperata animi ſerenitate, ſuſceptis ritè Eccleſiæ Sacramentis placidiſſime expirauit, Antuerpiæ die 11. Martij 1669. Dum Theologiam traderet Louanij, excuſuſquè tum primum eſſet Cornelij Ianſenij Auguſtinus, multis prauis ſcatens dogmatibus, primi illum impugnare cœperunt P. de Ionghe, & illius

tunc in eadem exedra collega Ignatius Derkennis, prout ſuperiùs de eo retulimus, atque edidit tunc noſter de Ionghe iuſto libro in folio

Theſes Theologicas de Gratia, Libero arbitrio, Prædeſtinatione, &c. contra Cornelij Ianſenij Auguſtinum in ſex capita diuiſas. Antuerpiæ apud Ioannem Meurſium 1641. Item

Theſes Theologicas Apologeticas priorum, & Miſcellaneas aduerſus Doctrinam Cornelij Ianſenij. Antuerpiæ iiſdem typis anno, & forma. Et quamuis Theſes hæ ſtatim ab Vrbano Octauo Pontifice Maximo ſimul cum alijs libris, ab vtraque parte editis, prohibitæ fuerint in decreto S. Inquiſitionis anno 1641. eò quod tractarent materiã de Auxilijs aliàs prohibitam ſine licentia ſpeciali S. Sedis Apoſtolicæ, nulla tamen his Theſibus inuſta eſt nota prauæ doctrinæ, aut aliàs damnatæ, ſicut confixus eſt liber Cornelij Ianſenij primùm ab Vrbano Octauo per Bullam editam anno 1642 poſtea ab Innocentio X. anno 1653. damnando aliquas illius libri propoſitiones tamquam hæreticas, blaſphemas, impias, ſcandaloſas, &c. quæ omnia confirmauit Alexander VIII. Diplomate edito 17. Calendas Nouembris 1656.

IOANNES ISFORDING natione Germanus, patria Monaſterienſis, vir magna prudentia, & Noſtros gubernandi peritia præſtans, annos complures Collegia Molshemenſe, & Paſſauienſe Rector gubernauit, & vtrùmque liberalitate Sereniſſimi Archiducis Auſtriæ Leopoldi cui gratus imprimis fuit, à fundamentis exædificauit. Obijt Paſſauij grandæuus die 24. Aprilis anno 1639. ætatis 73. Societatis 48. à ſuſcepto Coadiutoris ſpiritualis gradu 40. Edidit tacito ſuo nomine

Elementa Chriſtianæ perfectionis, à Thoma de Kempis 4. libris de Imitatione Chriſti olim comprehenſa, nunc yſdem verbis nouo ordine per locos communes digeſta. Dilingæ apud Iacobum Sermodi 1626. in 16.

* IOANNES KEYNESIVS aliàs NEOPORTVS natione Anglus, patria Somerſetenſis abſolutis in Seminario Audomarenſi humanioribus ſtudijs, profectus Valliſoletum, ibi dum Philoſophiæ operam nauaret Societati nomen dedit anno ſæculi labentis 45. ætatis 21. & votorum quatuor nuncupatione ſe adſtrinxit. Philoſophiam docuit Compoſtellæ, Theologiam Scholaſticam per annos nouem Salmanticæ, Valliſoleti, & Pompeiopoli; præfuitque ſtudijs in Collegio Anglicano Leodij. Ibi contracto periculoſo morbo in obſequio ſpirituali militum Anglorum, qui lue peſtifera laborabant, confirmandæ valetudinis cauſa miſſus in Angliam, Rectoris noſtrorum Londini munere perfunctus eſt. Edidit Anglicè libellum contra Doctorem Hæreticum Stillingfletum, qui Romanam Eccleſiam Idololatriæ accuſauerat in ſuo opere, à pugna cum ſe ipſo inſcriptum

Stillingfletus contra Stillingfletum. Londini 1671. Item

Appendicem ad præcedentem Tractatum, qua conuincitur Stillingfletus Idololatriæ ex conceſſis ab ipſo. Ibidem in 8.

Item tertium contra eundem, ſub epigraphe:

Stillingfletus adhuc contra Stillingfletum. Ibidem 1675. quo euidenter adhuc ſibimet contradicere demonſtratur. Edidit etiam

Rationabilem & breuem viam conuincendi quoſcumque diſſentientes à vera Religione abſque vlla diſputatione. Londini 1674. in 12.

* IOANNES KREIHING natione Belga, patria Dauenterienſis Societatem amplexus in Prouincia Rhenana anno ſalutis 1616. ætatis 21. vota quatuor in ea profeſſus eſt. Vir magno ingenio, acri iudicio, omni genere doctrinæ excultus, Linguarum Græcæ, & Hebraicæ peritus. Rexit Collegia Bambergenſe, & Erfurtenſe, & Eminentiſſimo Electori Moguntino Ioanni Philippo à ſacris Confeſſionibus fuit aliquamdiù. Demùm virtutibus non paucis, nec vulgaribus ornatus ad omnium præmia emigrauit. Herbipoli die 27. Aprilis 1670. Edidit

Poematum Apoſcholaſmaticorum, ſeu otioſarum exercitationum Libros ſex, nimirum. *Epigrammatum Libros III. Elegiarum II. Miſcellaneorum Librum I.* Francofurti apud Ioannem Guilielmum Ammonium 1657. in 12.

Emblemata Ethico-Politica, carmine explicata. Antuerpiæ apud Iacobum Meurſium 1641. in 8. Edidit etiam idiomate Germanico

Theologiam Laicorum de Ieiunio. Ingolſtadij 1653. in 12.

* IOANNES KVVIATKIEVVICZ natione Polonus ex ea Poloniæ parte, quæ Minor appellatur, natus anno ſæculi præterlabentis 30. Societati ſe adiunxit 1645. & votorum 4. profeſſionem emiſit. Docuit Rhetoricam quà Externos, quà Noſtros Iuniores annis 10. Philoſophiam, Mathematicam, Ethicam, Theologiam Moralem annis aliquot, Conciones etiam multis annis habuit. Superſtes modò in Iaroslauienſi Collegio. Edidit latino carmine

Supplicem libellum pro Deo ad animam peccatricem, ſeu Rationes æternas contra omne noxarum genus. Caliſsij 1669. in 24.

Vmbras minores in funere Sereniſs. Principis Poloniæ Sigiſmundi filij Vladiſlai IV. Carmine Heroico in folio.

Phœnicem Rhetorum, ſeu Rarioris Atticiſmi ſpecies. Cracouiæ typis Schederianis 1672. in 12.

Suadam Ciuilem. Caliſſij typis Collegij Societatis 1672. in 12.

Faſcinum à Luthero, & alijs Hæreſiarchis, tot Prouincijs iniectum. Gedani 1672. in 12.

Panegyricos complures, varijs in locis, & annis editos.

IO-

* IOANNES Vander LAEN natione Belga, patria Amſtelodamenſis cooptatus in Societatem anno ſalutis 1635. ætatis ſuæ 17. vota 4. profeſſus eſt. Poſt traditas litteras humaniores, Miſſionarium in Hollandia gnauum egit annis duodeuiginti, vbi etiam multa fruge collecta ad laborum præmia emigrauit; Harlemi die 10. Iulij 1669. Edidit ſub nomine Leonardi Van Saenen contra Euerardum Schafferum Hereticum

Vindicias Tabulæ Fidei, noſtri Iacobi Stratij 1653. Item

Regulam fundamentalem Fidei 1661.

IOANNES LANS natione Belga, gente Hanno, patria Athenſis, vir eruditione, & doctrina liberali, præcipuè autem ſcientia Dei colendi excellens. Is ætate iam prouectior Humanioribus, Philoſophicis, Theologicis diſciplinis eruditus, Iuris etiam Conſultus, & Bononiæ Doctor renunciatus, Societatem anno ſalutis 1585. Vilnæ complexus eſt. In ea Poſnaniæ, & Iaroslauiæ, tum externos, tum Noſtros ad eloquentiam annis aliquot inſtituit, eique labori immortuus eſt Iaroslauiæ anno 1591. ætatis ſuæ 50. Scripſit ſuppreſſo nomine Orationem pro Societate hoc titulo

Equitis Poloni pro Societatis Ieſu Clericis Oratio prima in ficti Equitis Poloni in Ieſuitas Actionem Primam

IOANNES LANTZ natione Germanus, patria Tettnangenſis ad lacum Acronianum, ingreſſus eſt in Societatem annos natus 25. in eaque annos circiter quinquaginta egit, Coadiutoribus ſpiritualibus adſcriptus. Docuit diu in Academia Ingolſtadienſi Mathematicam, & Linguam Sacram. Obijt Monachij 1638. Edidit

Inſtitutionem Arithmeticarum lib. 4. cum Appendice fractionum Arithmeticarum: & altera de vtriuſque Calendarij Canonibus, & veris Epactarum æquandarum fundamentis. Monachii vna atque altera editione apud Nicolaum Henricum 1616. & 1619. in 8.

Elementorum Euclidis libros 4. noua interpretatione donatos. Ingolſtadij typis Ederianis 1617. in 8.

* IOANNES LAVAL natione Gallus, patria Lemouicenſis, vicennis Societati ſe adſcripſit anno ſæculi voluentis 22. & in ea ſexennium docuit humaniores diſciplinas; Rexit Collegium Tutellenſe, & modò in Lemouicenſi Collegio promouet ſalutem animarum. Edidit Gallicè

Axiomata fundamentalia ſtatus ſpiritualis. Pariſiis 1658. in 8.

* IOANNES LAVRENTIVS LVCCHESINVS natione Italus, patria Lucenſis, natus anno ſæculi fluentis 38. Societati nomen dedit 1652. & ſolemne votorum 4. ſacramentum dixit. Docuit in ea politiores litteras, & Philoſophiam. Nunc Eloquentiam in Collegio Romano ab annis ſeptem Orator diſertus profitetur. Edidit Poëmata varia, & orationes nempe

Orationem, & Carmina de Sanctiſs. D.N. Clemente X. Pont. Max. dicta in Collegio Romano Romæ typis Tinaſsij 1670. in 4.

Genethliacon de Delphino Chriſtianiſſimi Regis Ludouici XIV. Filio. Romæ typis Ignatij de Lazaris 1662. in 4.

In Lunam nubibus tectam, Carmen extemporale, dum feſtiui ignes exhiberentur ab Antonio Card. Barberino ob natum eundem Delphinum. Romæ iiſdem typis & anno in 4.

In victoriam Caſimiri Regis Poloniæ, & Sueciæ de Moſchis relatam. Carmen. Romæ typis Vareſii 1662. in 4.

In Triumphalem Equitatum Principis Præneſtini Maphæi Barberini. Carmen. Ibidem typis iiſdem 1663. in 4.

In Victoriam Reip. Venetæ de Claſſe Turcarum Epinicium. Romæ typis Ignatii de Lazaris 1663. in 8.

Compendium Vitæ Admirabilis S. Roſæ de S. Maria. Latinè, ſuppreſſo ſuo nomine. Romæ typis Tinaſsii 1665. in 24. & rurſum, ibidem 1672. in 12. Recuſum Auenione, Viennæ, Græcii, Cracouiæ, Lublini, Vilnæ, editione octaua, & in varias linguas Gallicam, Hiſpanicam, Polonicam, & Indicam translatum

In Iridem quæ ſupra Vaticanum effulſit, die qua coronatus eſt Clemens IX. Pont. Max. Carmen ex temporale traditum die ſubſequente eidem Pontifici. Romæ typis Tinaſsii 1671. in 4.

Syluarum Librum primum, ſeu Exercitationes Oratorias, & Poeticas. Romæ ſumptibus Tinaſsii 1671. in 12.

Specimen Carminis Didaſcalici, & Satyras. Ibidem 1672. in 12. Vulgauit typis

Chriſtum Iudicem, Tragœdiam Noſtri Stephani Tuccij. Ibidem 1673. in 8.

Adornat prælo volumina complura, quæ iam affecta habet. Vnum De Oratoriis Paradoxis. Alterum Carminum Heroicorum. Aliud De Chriſto Libris 12. Carminum. Item Contra Hæreticos recentiores. Compendium Hiſtoriæ Chriſtianæ, necnon alia ſi Deus vitam conceſſerit.

IOANNES LEDESMA natione Americanus patria Mexicanus nobilibus & inſigniter pijs parentibus Hiſpanis natus, Societatem anno ſalutis 1590. ætatis ſuæ 15. ingreſſus, ab ipſo ſtatim initio magna virtutis iecit fundamenta, quibus deinceps excelſum prorſus faſtigium impoſuit, auctis ſemper proceſſibus ætatis conſentaneis. Tirocinium poſuit ſub Patre Gregorio Lopez viro præſtanti virtute, qui tironibus eum ceu abſolutum exemplar proponebat. In ſtudiorum decurſu prout ſcientia prouehebatur magis ac magis, ita ad eandem menſuram intendebat, virtutes ſuas. Euaſit autem ad ſummum doctrinæ culmen tantamque apud omnes auctoritatem, vt difficillimis in rebus ex ipſius ſententia fere decer-

neretur. Sæpè conſultus à Senatu Regio, à Præſulibus, à Sacra Inquiſitione; atque adeo inde vſque ab Hiſpania, Peruuia, Sinis, de iure, iniuriaue cótractuum interrogatus fuit. Certe vir doctiſſimus P. Didacus de Santiſteuan non dubitauit in Cathedra citare Ledeſmam, Magiſter diſcipulum, cùm eadem in Exedra Theologiam vterque, veteranus ille ante meridiem, hic à meridie Nouitius Profeſſor explicaret. Sed virtutum ipſius ſummam perſtringamus. Atque humilitate quidem adeo excelluit, vt omnis eius vita pulcherrimis fuerit eius virtutis diſtincta documentis. Inter plurima primæ commendationis officia, vno maxime gloriabatur, quod nimirum ageret ædituum ad S. Gregorij, cùm illi Seminario grandæuus præeſſet: ipſe enim ſuis ibi manibus componebat omnia; altaria purgare pulueribus, propetaſmata affigere, & refigere, pauimentum verrere, atque veſtibulum, publicè inter Diuina myſteria accendere funalia, & ellychnia emunctorio detergere: quibus ipſi adeo nihil decedebat exiſtimationis apud cordatos homines, vt paſſim nihil fuiſſe diceretur in celebritatibus ad S. Gregorij pulchrius ipſo Ledeſma, per eas humilitatis induſtrias maximè ſpectabili. Crebrò ſacrificanti ſolemniter ſuo diſcipulo cuipiam, aſſiſtebat ipſe pro Subdiacono. Omnes noſtros qui ea in Vrbe decedebant, ſuis humeris efferebat ad tumulum. Grata illi erat conſuetudo cum abiectis, cum indigentibus, cum Indis, eoque acceptior, quò erat abiectior eorum conditio. Macerationi ſui apprimè deditus fuit. Tam inclementer ſe flagellabat, vt omnia circum ſanguine aſpergeret parietes, libros, menſas. Cilicio ferrato totum pene pectus, ac tergum circumdabat. Duris aſſeribus imponebat membra labore feſſa ad ſomnum. Cibi tam parcus erat, vt ſemper ieiunaret. Omnes cælites colebat ille quidem, ſed Noſtrorum dies natales teneriore quodam ſenſu pietatis, ornatu comptiore, & inſignibus virtutum actionibus ſupra quàm alias celebrabat. Sed peculiaris ipſi videri poteſt, fuiſſe amor & miſeratio in pauperes Indos, quos verè opprobrium hominum, & abiectionem plebis eſſe dixeris, ſi quàm aduerſa fortuna iactentur quam ſint cæteris contemptui, attenderis. In hos tanto repiebatur affectu, vt ipſorum ſaluti, defenſioni, commodis; præ quam materna ſollicitudine conſuleret. Non illum inclementia temporis, non obſcuritas noctis, non loci longinquitas, non ætas, non morbus vnquam impediuit, quin ad omnes ipſorum neceſſitates accurreret. Nemo fuiſſet auſus Indum laceſſere, vellicare, vexare coram Ledeſma; & quod maximè mirum eſt, ab ijs ipſis, in quo erat profuſe miſericors, non raró ſannis exceptus, nunquam indignari viſus eſt, aut ab ſuo in illos officio deterreri. Quo tempore Mexicū aquarū eluuione laborabat ipſe quotidie, poſt Theologicam lectionē per incredibilem ſolis æſtum, ieiunus cymba vectabat ad ſuos Indos annonam. In peſte quæ triennio toto eandem Vrbem, & in ea potiſſimum calamitoſam Indorum gentem attriuit, totus in illorum auxilium ſepoſitis tantiſper curis alijs, incubuit; & onuſtus cibarijs, ac medicamentis, quotidie ipſorum gurguſtia perreptabat, interituris quamplurimis inedia, niſi ipſe pauiſſet. Hæc opera caritatis, quæ ſupra imitationem videri poterant, longo adhuc interuallo impendendis ſpiritualibus auxilijs ſuperabat. Hæc nimirum cura naſcentem diem excipiebat, hæc claudebat occidentem. Iuſſerat autem in ipſa Theologiæ cathedra ſe moneri, ſi qua neceſſitas animi cuipiam Indorum ingruiſſet; & mox vel ad extremam Vrbem opitulaturus accurrebat. Deducta per has virtutes ætate, cum hydropi curando medicorum iuſſu ad propinquas Thermas Pennolenſes conceſſiſſet, ibi mortem, quam præſagiſſe viſus eſt, pro ſalute inuenit die 12 Octobris anno 1637. ætatis 63. initæ Societatis 48. in qua ante annos 30. Romæ, cum eò Socius Procuratori Prouinciæ Mexicanæ veniſſet, quatuor eſſet vota profeſſus. Parentarunt illi Clerus Metropoliticus, Regularis ordo vniuerſus, Senatus Vrbis, frequens Nobilitas. Solemnes exequias inſtituerunt ternæ Sodalitates, ipſius encomijs circum templum appenſis. Edidit Hiſpanicè

Concionem de SS. Euchariſtia habitam Mexici in gratiarum actionem pro liberata ab Hollandorum inſidijs claſſe Hiſpanica. Mexici Reliquit

Commentariorum in S. Thomam, & aliarum lucubrationum tom. 14. quos Congregatio Prouinciæ poſtulauit excudi; cum ipſe oblatis impendijs, addictiſque ab Horatio Cardon gratuitis operis viuens induci nequiuerit, vt permitteret tametſi ſummam doctrina laudem docta totos 30. annos Philoſophia ac Theologia comparaſſet

IOANNES LEONIVS natione Belga gente Eburo, patria Leodienſis admiſſus Romæ in Societatem anno ſalutis 1558. vir erga Beatiſſimam Virginem Mariam pijſſimus, ad cuius honorem primus Sodalitatem Romæ anno 1563. deinde Pariſijs ita inſtituit, vt ad omnia fere Societatis Collegia per totum Terrarum orbem diſperſa penetrauit non ſine omnium Partheniorum incredibili fructu. Diem ſuum obiuit Taurini 19. Nouembris 1584. Edidit in lucem

Regulas Sodalitatis B. Mariæ Virginis, à ſummis Pontificibus iam tum approbatas

IOANNES LEVRECHON, natione Lotharingus patria Barroducæus, in diœceſi Tullenſi anno 1609. ingreſſus eſt in Societatem annum agens ætatis 18. Quatuor votorum profeſſionem anno 1625. emiſit. Docuit ſexennio Philoſophiam, decennio Mathematicam, Theologiam etiam tam Scholaſticam, quam Moralem, ſacraſque litteras aliquot annis explicuit. Rexit Collegium Barroducæum, & Sereniſſimo Duci Lotharingiæ multis annis à ſa-

ſacris Confeſſionibus fuit. Vir omni genere ſcientiæ apprime ornatus, & ſingulari pietatis humilitatis, ſimplicitatis, & obedientiæ vbicumque vixit, laude cumulatus. Ante ingreſſum in Societatem non vulgare argumentum futuræ olim virtutis in ea dedit, quando inaudito à parentibus experimento probatus, vt à propoſito dimouerent, perſtitit immotus. Eò ſiquidem venit mater, vt ſicam intentaret vni ex Patribus tamquam ſeductori, & raptori filij Pater vero filium litigando repetiturus, cum Profeſſor eſſet medicinæ in Vniuerſitate Muſſipontana, abdicauit ſe officio, & in Barrenſem Vrbem patriam ſuam remigrauit, vt inde ad Pariſienſem Curiam cauſam euocaret, quamuis non ſine graui offenſione Sereniſſimi Ducis Lotharingiæ; perfecitque tandem, vt decreto Sereniſſimi ſubductus Nouitius è tirocinio Nancæiano ad Conuentum Patrum Minimorum traductus fuerit. Ibi per menſem quaſi in ſequeſtro poſitus, retento tamen habitu Societatis, quem nunquam exuere voluit, & alternis ferme diebus examine iuridico à Deputatis ſuper vocatione ſua interrogatus ſic ſatisfecit, vt per ſententiam Iudicum, redditus ſuo iuri, ac Societati fuerit. Nanceio tamen ad vitandam vlteriorem perſecutionem parentum miſſus fuit ad Tornacenſem Nouitiatum, & poſt multos annos, ita genitorem ſibi, ac Societati reconciliauit, vt ab eo fuerit etiam teſtamento ſcriptus hæres. Hanc nimirum conſtantiæ ſuæ palmam retulit. Nec illud omittendum illuſtre caritatis Trophæum quando vni ex noſtris peſte afflato, Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ adminiſtrauit. Tandem plenus dierum & bonorum operum prope octogenarius migrauit ad Dominum Muſſiponti die 17. Ianuarij 1670. Edidit Gallicè tacito ſuo nomine.

Hilaria Mathemathica, ex varijs Geometriæ, Mechanicæ, Coſmographiæ, Opticæ, & aliarum huiuſmodi artium problematis contexta. Muſſiponti apud Hanſelet 1624. in 8.

Selectas propoſitiones ex tota ſparſim Mathematica propoſitas, in ſolemni feſto SS. Ignatij, & Franciſci Xauerij. Muſſiponti, apud Sebaſtianum Cramoiſy 1622. in 4.

Rationem facillimam deſcribendi quàm plurima, & omnis generis Horologia breuiſſimo tempore, ex Opticæ principijs demonſtratam. Muſſiponti typis Melchioris Bernardi 1618.

Praxim quorundam Horologiorum, & Cylindri. Muſſiponti apud Carolum Mercatorem 1616. in 8.

De Cometa anni 1618. Muſſiponti typis iiſdem 1618. in 8. vertit Gallicè.

Epiſtolam R. P. N. Generalis Mutij Vitelleſchi, de Iubileo Societatis Item

Ferdinandi II. *Imperatoris virtutes, Latine prius editas à P. Guilielmo Lamormaini noſtro*.

* IOANNES LEVRENIVS natione Germanus patria Iuliacenſis, ex Oppido Randenraidt, Societati ſe inſeruit anno ſæculi decurrentis 27. ætatis 18. & vota 4 profeſſus eſt. Rhetoricam, & manſuetiores litteras annos aliquot docuit, & Præfecturam Studiorum geſſit. Rexit Collegia Aquiſgranenſe, & Confluentinum, atque ex hoc euocatus eſt ad brauium laborum die III. Decembris 1656. Poëta facilis, & felix varia edidit Carmina, atque inter ea nomine Collegij Colonienſis.

Auroram in Leone, in inauguratione Sereniſſimi Maximiliani Henrici Bauari Coadiutoris Archiepiſcopi Colonienſis, Coloniæ 1643. in fol. Item

Vitam S. Seruatij Epiſcopi Traiectenſis, cum officio. Cuius quoque beneficia in ſe commemorat. Coloniæ apud Henricum Hulting 1649. in 12.

* IOANNES LIPPAY natione Hungarus, patria Poſonienſis natus anno ſalutis 1606. Societatem inijt 1624. & in numerum Profeſſorum 4. vota adſcitus eſt. Docuit humaniores litteras, & Linguá Sacram annis pluribus Græcij, & Viennæ. Rexit Collegia Iaurini, Vnguarini, Trenchinij, & Seminaria Hungarica Viennæ & Tirnauiæ. Poſtulatu Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Fratis ſui, complures annos exegit in ipſius Aula, ſed ita religioſè, vt nihil ei pulueris Aulici adhæſerit; nihil omnino ſuperflui admiſerit. Chriſtianam pietatem ita fouit adhortationibus, vt inuitaret exemplis. Statas enim quotidie plures horas Diuinis accuratè impendebat, in Aulicis turbis nunquam turbatus. Ita ſe applicabat alienis bonis, vt nunquam deeſſet ſuis. Varijs per vices morbis exercitus, id didicit, vt demum omnes ſimul ſine querela, & æquo animo toleraret. Facto enim velut agmine, irruerunt in eum, hydrops, typanites, calculus, arena, podagra, cordis palpitatio; quos omnes cum ſolatio ex Diuina voluntate in ſe impleta ſuſtinuit. Demũ gratijs actis Deo pro beneficio vocationis, Superioribus pro paterna cura, adſtantibus pro vltima caritate, & poſtulata erratorum ſuorum venia, plenus ſpei & amoris in Deum, animam reddidit Creatori Trenchinij die 2. Iunij 1666. Edidit Hungarico Idiomate

Calendarium Oeconomicum Poſonij. 1662. in 4.

De Inſitionibus, & Seminatione. Ibidem 1663.

De fructibus diuerſiſſimis producendis. Ibidem 1666.

IOANNES LORINVS natione Gallus patria Auenionenſis natus eſt anno 1559. & florenti ætate annos 16. natus Societatem amplexus, votorum 4. profeſſionem emiſit. Vir fuit apprimè doctus, & qui Philoſophiam Romæ, Theologiam & litteras ſacras Lutetiæ, Mediolani, Romæ cum laude profeſſus eſt, & diu Theologum Præpoſiti Generalis, ac librorum à Noſtræ Societatis hominibus imprimendorum Cenſorem egit, vegetiſſima ſenectute florens. Demum in Gallias ex Vrbe reuerſus

vita functus eſt Dolæ die 26. Martij 1634. Eum non immeritò Henricus Fitzimon noſter in Britannomachia appellat, *Alterum Longinum Caſſium, legendi aſſiduitate, Spirantem Bibliothecam, Ambulans Muſæum, & inter Scriptores Solertiſſimos accuratiſſimum*. Verùm haud minora fuerunt in eo ornamenta virtutum. Ingens,imprimis Diuinæ gloriæ ſtudium, in conſilijs ad eam promouendam capeſſendis excelſus, erectuſque animus; in vrgendis perficiendiſque cæptis etiam ſedulitas maior. Colendæ Deiparæ ſtudium ingens, eiuſque in alijs excitandis cupido. Nihil omiſit operæ, vt immaculatam eius Conceptionem Italię,Hiſpaniæ, Galliæque vniuerſæ perſuaderet; coque adnitente Dolana Academia ſanciuit nequis apud ſe Doctorali laurea ornaretur, qui eam de Conceptione ſententiam, dum nihil aliud definiret Eccleſia, propugnaturum ſe iuratus non promitteret. Auenione, Dolæ, alijſque locis quamplurimis in morem induxit, vt ad æris Campani ſignum excitarentur ſub veſperam Ciues, ad preces pro defunctis fundendas. Effecit etiam, vt quot hebdomadis ad Iudæos Auenione verba fierent; eaque ratione multos ad lucem Euangelij ſequendam induxit. Ad decrepitam vſque ætatem ſe traxit ad conſcientiæ Tribunal, oſor otij, vt ſe impenderet commodis animarum. Ad hæc ſumma erat morum facilitate, candore ſummo, religioſiſſima paupertate,& in vitæ communis,diſciplinęque obſeruatione conſtantia incredibili. Affligendi corporis ſtudium ſupra ferè quam ſatis fovet. Ad ipſius funus tamquam viri celeberrimi, concurſus ingens factus eſt omnium ordinum. Edidit in lucem

Commentarios in Leuiticum, altera editione nimirum Antuerpienſi apud Petrum, & Ioannem Belleros 1620. Caſtigatiores

In Numeros

In Deuteronomium tom. II. quorum prior continet capita 17. Lugduni apud Iacobum Cardon, & Petrum Cauellat 1625. poſterior reliqua ad finem vſque libri Lugduni per Iacobum Cardon 1629. in folio.

In librum Pſalmorum tom. III. quorum ſinguli vnam explicant quinquagenam. Poſt Lugdunenſem editionem, Coloniæ per Antonium Hierat 1619. in fol.

In Eccleſiaſten, & Pſalmum 63. per Horatium Cardon 1606. in 4.

In Sapientiam Salomonis Moguntiæ apud Balthaſarem Lippium 1608. poſt editionem Lugdunenſem apud Horatium Cardon 1607. in 4. Hæc duo poſtrema in folio iunctim recuſa ſunt

In Actus Apoſtolorum. Lugduni per Horatium Cardon 1605. & rurſum correctius & locupletius tum apud illum tum Coloniæ per Antonium Hierat 1609. in fol.

In Catholicas III. *B. Ioannis &* II. *B. Petri Epiſtolas*. Lugduni per Horatium Cardon 1609. in folio.

In Epiſtolas B. Iacobi & B. Iudæ. Lugduni 1619. & Moguntiæ per viduam Ioannis Crithii 1622. in fol.

Edita quoque ſunt ipſo inuito

Commentaria in Ariſtotelis Logicam, quæ olim in Scholis tradidit. Coloniæ apud Petrum Cholinum 1620. in 4.

Reliquit verò prælo paratos

Aduerſariorum,ſeu Miſcellaneorum to. III.

IOANNES LVCENA natione Luſitanus patria ex Oppido Tancoſo diœceſis Viſenſis in Collegio noſtro Conimbricenſi 15. annos natus ad Societatem admiſſus eſt ipſo die Natalitio D. N. Ieſu Chriſti anno ſalutis 1565. deinde Philoſophicis, atque Theologicis litteris excultus eſt, magnamque bonarum artium ſcientiam conſecutus, Ariſtotelicas diſciplinas Eborenſi in Academia profeſſus eſt. Sed cùm alijs rebus Lucena excelluit, tum maximè oratoria facultate. Itaque de loco ſuperiori verba faciens ad populum, admirabili hominum concurſu, plauſu, fructuque audiebatur. Certe finem dicendi cum aliquando faceret, ab vniuerſo conſeſſu publice acclamatum eſt, vt vlterius progrederetur. Aliàs ad ipſius orationem, qua in odia, ſimultateſque inuehebatur, quatuor viri nobiles extemplo in gratiam redierunt. Quin & illa ipſa oratio cùm à milite qui eam ex ore dicentis exceperat, legeretur, præſentibus duobus, qui claritate generis ſuas inimicitias pertinaciùs roborabant, tanta eos vi perculit, vt repente amicitiam redintegrarint. Igitur in concionandi munere 20. annos maxima cum laude poſuit, & ad extremum vſque ſpiritum perſeuerauit, quem in D. Rochi Profeſſa Domo Vlyſſiponenſi piè, ſanctèque effudit die 11. Octobris anno ſalutis 1600. ætatis 51. quatuor dudum vota profeſſus. Vir fuit omnibus ornatus virtutibus, ſed potiſſimum patientia, animi ſubmiſſione, lacrymarum dono, & in aduerſarios caritate. Hæc illum ſapientia,& virtutum decora, ſplendidum in primis apud Regni Proceres,& gratioſum faciebant. Scripſit, materna, atque eleganti lingua.

De Vita S. Franciſci Xauerij Societatis Ieſu, deque rebus ipſo viuente à Noſtris in India geſtis lib. 10. Vlyſſipone apud Petrum Craasbeck 1600. in fol. Quos Ludouicus Manſonius Italicè reddidit 1613. in 4.

Hiſpanice verò Alphonſus Sandoual 1619 in 4.

IOANNES LVDOVICVS DE LA CERDA natione Hiſpanus, patria Toletanus adoleſcentulus Toleti admiſſus eſt in Societatem, ipſo S. Franciſci die ſacro anno noſtræ ſalutis 1574. qui humanioribus, Philoſophicis, atque Theologicis litteris excultus totum ſe erudiendæ Iuuentuti impendit; eloquentiæ ac Poeticæ in Carpetanis totis quinquaginta annis aſſiduus profeſſor, dum ætas, & vires fuerunt. Sed vel in decliui ſenio totus in libris fuit vir multę lectionis, atque indefeſſi ſtudij, Candoris

doris autem & Religioſæ ſimplicitatis laude ſingularis. Magno in honore apud omnes etiam Principes fuit, ob excellentiam eruditionis, adeò vt Eminentiſſimus Cardinalis Franciſcus Barberinus cùm Legatum à Latere ageret in Hiſpania, dignatus fuerit ipſum ſpeciatim officioſiſſimè inuiſere, idque iuſſu Caie bat) Vrbani VIII. Pont. Max. Patrui ſui. Deceſſit optimus Pater Octogenario maior Madriti die 6. Maij 1643. tria vota ſolemnia dudum antea profeſſus. Edidit accuratos & doctis viris maximè probatos

Commentarios in omnia opera P. Virgilij Maronis tom. III. quorum I continet Bucolica & Georgica II. ſex priores libros Æneidos III. ſex reliquos libros Æneidos argumentis explicationibus & notis illuſtratos ſimul Lugduni 1617. in fol. prius tamen ſeorſim excuſos. Præterea

Q. Septimij Florentis Tertulliani opera Argumentis, explicationibus, & notis illuſtrata, tom. I. Lutetiæ Pariſiorum per Michaelem Sonnium 1624. in fol. tom. II.

Anniuerſaria Sacra, quibus fax præfertur ad intelligentiam multorum ſcriptorum ſacrorum. Acceſſit

Pſalterium Salomonis Græcolatinum, cum Scholijs &

Tertulliani libri de Pallio Commentarius auctior. Lugduni per Ludouicum Proſt, 1626. in fol.

De Excellentia Cæleſtium Spirituum, imprimis *De Angeli Cuſtodis Miniſterio.* Pariſijs apud Sebaſt Cramoiſy 1631. in 8.

Calepini ſupplementum ex Gloſſis Iſidori complectens dictiones illas, quæ peculiarem habent difficultatem, adornatum à Ioanne Ludouico de la Cerda, ad calcem Calepini editi Lugduni ſumptibus Phil. Borde & Laurentij Arnaud 1663. in fol.

Orationem ab eo habitam in funere Mariæ Auguſtæ Fundatricis Collegij Imperialis Madritenſis. Teſte D. Nicolao Antonio in ſua Bibliotheca.

Grammaticam artem Antonij Nebriſſenſis ſiue Compendium illius in vſum puerorum à noſtro Cerda elaboratum. vti auctor eſt Idem D. Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hiſpana.

IOANNES DE LVGO S.R.E. Cardinalis, Societatis noſtræ ſingulare decus, & Sacri Senatus Vaticani non exiguum ornamentum, natione Hiſpanus, patria Hiſpalenſis, (vt ipſe dictitare ſolebat) à ſtabili paternò ibi domicilio, nam natus eſt Matriti, quò parens illius Ioannes de Lugo antiquæ vir Nobilitatis profectus fuerat, vt comitijs Regni nomine Ciuitatis ſuæ Hiſpalenſis intereſſet, ibique duxit in vxorem clariſſimi generis Tereſiam de Quiroga lectiſſimam feminam. His parentibus ortus eſt Ioannes noſter anno ſalutis 1583. die 25. Nouembris S. Cahtarinæ ſacra, quam propterea tamquam aduocatam ſuam, ſpeciali cultu per omnem deinde vitam eſt veneratus. Ab ipſis fere incunabilis ea fuit facilitate ingenij, vt vel triennis potuerit & libros, & litteras manu exaratas legere. Decennis attonſus ab Epiſcopo eſt, & Clericali militiæ adſcriptus, nec multò poſt penſione Eccleſiaſtica annua ducentorum ducatorum à Rege Catholico donatus, quam ad profeſſionem vſque ſolemnem in Societate anno 1618. emiſſam retinuit. Theſes ex Logica annos natus 14. publicè propugnauit, tum Salmanticam à parente miſſus vna cum fratre ſuo maiore natu Franciſco (de quo ſupra egimus) vt ſtudijs legum vterque ibi nauaret operam. Primis vitæ ſuæ annis cognomen aſſumpſerat maternum (more in Hiſpania à multis ſecundogenitis vſurpato) & Ioannes de Quiroga eſt appellatus; Sed poſtquam Franciſcus ſenior Deo ſe in Societate conſecrauit, paternum cognomen reſumpſit, nec vnquam poſtea commutauit. Quin & exemplo Fratris permotus etiam ipſe, præſertim poſt peracta accuratè exercitia ſpiritualia S.P.N. Ignatij ſtatuit Societati ſe quoque adſcribere, & tandem petita prius à ſuo Genitore binis litteris licentia, quamuis non obtenta, perruptis obicibus exequutus eſt anno 1603. die 6. Iulij. In Tirocinio omnes boni Nouitij impleuit numeros, & in humilibus officijs culinæ, cellæ penuariæ, triclinij, anagnoſtæ ad menſam & conſimilibus fundamenta iecit futuræ olim in Eccleſia Dei celſitatis. Piloſophiam inchoatam in ſæculo abſoluit inter Noſtros Pompeiopoli; Theologiam audiuit Salmanticæ, vtrobique ſummi cum ſpecimine ingenij. Interea loci moritur Genitor Hiſpali, relicta hæreditate opulenta duobus filijs iam Deo in Societate mancipatis. Quare mittitur Ioannes à Superioribus, vt de illa cognoſcat, & de conſenſu Fratris ſui de eadem diſponat ad Dei gloriam. Diſpoſuit itaque donando omnia Deo in pios vſus, & diſpertiendo inter duo Collegia Hiſpali, & Salmanticæ. Abſolutis de more ſtudijs, nullam vnquam propenſionem animi monſtrare voluit ad vnam occupationem potiùs quam ad aliam licet ſubinde interrogatus, ſed tamquam argillam in manu figuli, ſic ſe conſtituit in arbitrio Superiorum. Quinque annis Philoſophiam profeſſus eſt, & totidem explicabat Valliſoleti Theologiam, quando à Præpoſito Generali Mutio Vitelleſco euocatus eſt Romam, ad eam in Collegio Romano proſequendam. Et quamuis principio non defuerint, qui eum hortarentur, vt ſe ab hoc itinere excuſaret obtentu valetudinis, inter quos fuit ipſe Prouincialis Caſtellæ, tamen conſultus ſuper eo Ven. vir P. Ludouicus de Ponte, tunc temporis Præfectus ibi ſtudiorum, & Confeſſarius P. Ioannis, re mature perpenſa auctor ei fuit, vt ſtatim obtemperaret, dicendo. *Magnam eſſe Prouidentiam Dei, nec Nos ſatis eam intelligere, ideòquè iret ſine replica.* Paruit igitur atque in viam ſe dedit menſe Martio anni 1621. & per Galliam ſuperatis non leuibus in itinere periculis, incolumis peruenit Romam

mam ſub exordium Iunij ſubſequentis. Ibi 20. annorum ſpatio tenuit Cathedram Theologiæ in Collegio Romano, tanta nominis celebritate, vt ipſius dictata ab amanuenſibus excepta, in alias quoque Prouincias fuerint tranſmiſſa. Erat quippe in ſeligendis melioribus ſententiis præſtantis iudicii; in explicandis iiſdem eximiæ claritatis; & cum perſpicuitate, quod rarum eſt, coniungebat congruam breuitatem. Sed, vt litteris, ita etiam prælucebat omnibus virtutũ exemplo, & intentus ſuis officiis, & ſtudijs, alijs curis non ſe implicabat. Non Cardinales, non Legatos etiam Hiſpanos, niſi rariſſimè inuiſebat, nec Conciſtorium vnquam vidit, niſi quando introductus eſt ad accipiendum à Sanctiſsimo purpureum galerum. Quin ad ſcripta ſua edenda typis, nunquam animum applicuit niſi obedientiæ impulſu, & iuſſus à Præpoſito Generali, & tunc ſolus ſine ſocio, ſine amanuenſi, vel alio adminiculo diſpoſuit ad prælum omnia. Poſt excuſos Tomos 3. cùm iudicaretur expedire, vt primum Tomum de Iuſtitia, & Iure Summo Pontifici Vrbano Octauo dedicaret, ea occaſione neceſſe habuit adire ſuam Sanctitatem, quam nunquam antea fuerat allocutus. Delectatus Pontifex & libro, & prudentia, & doctrina Patris, ſæpius poſtmodum operà illius vſus eſt, & accedentem ad ſe perbenignè audire viſus; denique nec præmonitum, nec vel leuiſſimè quidpiam ſimile ſuſpicantem, declarauit Cardinalem die 14. Decembris 1643. ſub meridiem. Erat tunc forte P. Ioannes cum cæteris Patribus in triclinio, prandebatque, ſed parciſſimè more ſuo, quando allatus de promotione nuntius, & mox ſubmiſſus à Cardinali Franciſco Barberino currus cum litteris, quibus euocabatur ſtatim ad Pontificem, attonito ſimilem reddiderunt. Paruit tamen, iuitque, ſed nec nuncianti honorarium (vt moris eſt) dare voluit, eò quod rem ſibi non gratam detuliſſet; nec vacationẽ à Scholis, aut alia lætitia ſigna in Collegio Romano edenda iudicauit, & rhedam, qua vectus eſt, ſuum feretrum appellauit ad ſepulchrum. Perducto ad Palatium occurrerunt Miniſtri Pontificij, vt veſtitu nouo de more induerent. Verùm ipſe prius ſibi aiebat alloquendum Summum Pontificem, eo quod voto Societatis prohiberetur admittere eam dignitatem. Reſponderunt Miniſtri, iam diſpenſaſſe Pontificem ſuper eo voto. Subiunxit tunc P. ſapientiſſime; Diſpenſationem omnem relinquere hominem in ſua libertate, ſe autem ſi in ſua libertate res relinquatur, proteſtari ſe minimè conſenſurum. Quocirca introductus ad Sanctiſſimum, cùm hæc humiliter S. Sanctitati expoſuiſſet, tandem demiſſe quæſiuit, an Sanctitas Sua in virtute S. Obedientiæ, id ipſi præciperet? Reſpondit Pontifex. *Ita omninò præceptum formale, & formaliſſimum vobis imponimus*, quo dicto humilis Pater obedienter acquieuit, capitque Sanctiſſimo rubrum pileum imponenti reuerenter ſuppoſuit. Verùm purpura indutus, humilitatem religioſam non dimiſit. Socium de Societate ſemper penes ſe habere voluit, veluti actionum ſuarum teſtem. Manſuetus, comis, affabilis, & ſemper ſui ſimilis. Nunquam viſus eſt cuiquam iraſci, nec vnquam permiſit ſe à famulis, aut manè veſtiri, aut veſpere exui. Orationi deſtinata in Societate tempora, etiam Cardinalis accuratè obſeruabat. Sacrum quotidie quoad per valetudinem licuit, celebrabat; & poſt illud ſæpe horam in gratiarum actione tranſigebat. Ad Exercitia Spiritualia in Domo aliqua Societatis obeunda quotannis ſecedebat, dum ſanus eſſet. Ornatus Palatij ſimplex ſine aulæis; nec admittebat, quod Cardinalem religioſum minùs decebat. Familiam ordinatiſſime compoſuit, vt Regularis cænobij ſimilitudinem haberet. Hinc tres ex illa aſſumpti ad Infulas Epiſcopales, plures in Canonicos, & ad Dignitates in Cathedralibus. Congregationes ingrediebatur S. Officij, Concilij Tridentini, atque Examinis Epiſcoporum, fuit Protector Ordinis B. Mariæ de Mercède, tam Calceatorum, quam Excalceatorum; Protector, & Patronus Vniuerſitatis Complutenſis, tamquam Cardinalis tituli S. Balbinæ. Protector Eccleſiæ Metropolitanæ Limenſis, Electus ab Archiepiſcopo, & Capitulo loci; denique Pauperum verè Pater extitit, in quos de facultatibus (quibus non valde abundanter inſtructus erat) ſupra mille aureos quotãnis erogabat, quibuſq; corticẽ Peruanũ non leuis pretij contra febres benigne, & liberaliter diſtribuebat. In deuexa ætate cruciari cœpit acutiſſimis doloribus calculi; quos tamen ille inſigni patientia ſuſtinebat. Moriens accepta facultate condendi teſtamentum, paupertatis ſuæ hæredem ſcripſit Domum Profeſſam Romanam, & munitus vltimis ſacramentis à Cardinali Sfortia Pallauicino ſuo olim in Theologia dilectiſſimo diſcipulo, & benedictione Pontificia, inter preces Noſtrorum circumflectentium, animam Deo reddidit die 20. Auguſti 1660. Sepeliri cupiuerat ad pedes ſui S. Parentis Ignatij, vbi Epitaphium ei poſuit Domus Profeſſa in hunc modum.

D. O. M.

Ioanni Cardinali de Lugo
Societatis Ieſu Theologo Eminentiſſimo
Domus Profeſſorum Romana hæres
vt vbi fuerat Theſaurus eius, ibi eſſet Cor eius
Prope Corpus Sancti Ignatij
Ex eius ſuprema voluntate
Monumentum. P.
Obijt anno ſalutis 1660. ætatis LXXVII.

Edidit ſapientiſſimus Cardinalis tomos 7. Theologicos videlicet

De Incarnatione Dominica. Lugduni ſumptibus Iacobi Proſt 1633. in fol. & Ibidem 1653. apud Phil. Borde

De

De Sacramentis in genere, & de Ven: Eucharistiæ Sacramento, & Sacrificio. Lugduni apud Hæred: Proſt: 1636. in fol.

De Virtute, & Sacramento Pœnitentiæ. Ibidem, & iiſdem typis 1638. in fol. & rurſus 1644. & 1651. apud P. in fol.

De Iuſtitia, & Iure Tomos duos. Ibidem 1642. & 1652. in folio.

De virtute Diuinæ Fidei. Ibidem 1646, in fol. & 1656.

Reſponſorum Moralium lib. ſex. Lugduni ſumptibus Philippi Borde, & Sociorum 1651. in fol. & iterum 1660. in folio. Item

Notas in Priuilegia viuæ vocis oraculo conceſſa Societati. Romæ 1645. in 12.

Tranſtulit Iuuenis in ſermonem Hiſpanicum ex Italico

Vitam B. Aloyſij Gonzagæ.

* IOANNES DE MACHAVLT, ſeu MACHALDVS natione Gallus, patria Pariſinus, Deo ſe in Societate dicauit anno ſalutis 1579. ætatis 18. & votorum quatuor profeſſionem emiſit. Vir ſingularis eruditionis, Latinæ, & Græcæ linguæ peritiſſimus, Rhetoricam Pariſijs plures annos magna cum laude profeſſus eſt. Poſtea dum Collegium Rothomagenſe regeret, in communi procella qua multi de Societate è Gallia eiecti ſunt, delatus ipſe in Belgium, annos aliquot coram Sereniſſimis Archiducibus Alberto, & Iſabella celeberrimas habuit Conciones. Exinde Muſſipontanum Collegium, & Academiam Doctorali Theologiæ laurea inſignitus adminiſtrauit; poſtmodum, etiam Claromontanum Pariſijs, quod ſua induſtria magnam partem exædificauit. Deſignatus, etiam fuerat Prouincialis Campaniæ, ſed mors anteuertit. Porrò operarius vbicumque vixit, indefeſſus fuit, & cùm Rectorem Muſſiponti ageret, quamuis multis diſtrictus occupationibus, tamen à Quadrageſimali verbi Diuini prædicatione non deſtitit. Denique multis póſt annis dum per vernum ieiunium in celebri Pariſiorum Paræcia Eccleſiaſten ageret, reuerſus domum concidit in cubiculo, & poſt paucas horas ad laborum præmia euolauit die 15. Martij 1619. Edidit latinè ſub nomine Ioannis Galli I. C.

Notationes in Hiſtoriam Ioannis Thuani, quæ in priori editione huius Bibliothecæ Ioanni Baptiſtæ de Machault per errorem fuerunt adſcriptæ.

IOANNES MAGIRVS natione Germanus, patria Confluentinus ad Rhenum. Hic ætatis initio propoſitum Societatis ineundæ conceperat, ſed eo per alienas curas, vt fit, frigeſcente, ecce frater ipſius germanus vita non diu ante functus, illi per quietem apparet, leuitatem, & morum licentiam exprobrat, ſacrum è Chriſti latere manantem cruorem manu exceptum in faciem coniectat, vide, inquit, ne hic ſanguis incaſſum pro te effuſus ſit. Quo ille monito ictus, conſtantiam opima hæreditate relicta, ad Religionem attulit, & Societati partim docendo, partim Miſſionibus obeundis bonam operam nauauit. In Æde principe Spirenſi ipſos 17. annos Eccleſiaſten cum approbatione egit; Seminario præfuit ſingulari cura. Inter hæc febri correptus, vbi ad extrema venit, cœleſti Chriſti Saluatoris, itemquè S. Ignatij oblata ſpecie, ita recreatus eſt, vt pluſquam humano gaudio delibutus febres ſe longe ſanitati anteferre diceret. Deniquè Sacramentis ritè perceptis Socios ad obedientiam hortatus, Chriſtiquè ſacris vulneribus pijſſimè ſalutatis, commigrauit Spiræ die 8. Septembris anno ſalutis 1609. ætatis 51. ex quo fuerat Societatis adſcriptus 28. dudum quatuor vota profeſſus. Scripſit

Breuem admonitionem in Epiſtolarem diſceptationem Ioannis Magiri Ieſuitæ, & Dauidis Barei Caluiniſtæ Heidelbergenſis. Moguntiæ apud Ioannem Albinum 1604. in 4. vna cum animaduerſionibus Ioannis Mulhuſini in diſputationem eiuſdem Paræi.

IOAANNES MAIOR natione Belga, patria Atrebas, admiſſus in Societatem anno ſalutis 1559. ætatis 17. Concionatorem egit multis annis, tria vota ſolemnia profeſſus. Edidit à ſe emendatum, Exemplis, ac notis auctum

Magnum ſpeculum Exemplorum. Anonymi, ſepius Duaci euulgatum, & Coloniæ ab anno 1603. Obijt Duaci die 8. Septembris anno 1608.

IOANNES MALAVALETTE (non NICOLAVS, vti per errorem in priori editione huius operis vocatus eſt) natione Gallus, patria Aramonenſis in Occitania prope Nemauſum, Societati ſe adiunxit anno 1606. ætatis 16. & votorum quatuor profeſſionem emiſit Viennæ Allobrogum 4. Octobris 1628. Poſt traditas diſciplinas humaniores, Philoſophiam docuit ſexennio, Theologiam Moralem biennio, Conciones habuit aliquot annis, & mortalis eſſe deſijt Lugduni die 19. Auguſti 1643. Scripſit Idiomate vernaculo

Manuale veritatis Catholicæ Religionis, ex ipſis Aduerſariorum ſcriptis, ac libris contextum. Quod in Germanicam, & Belgicam linguam etiam extat tranſlatum.

IOANNES MALDONATVS natione Hiſpanus, *natus in ea parte Hiſpaniæ quæ dicitur Magiſtratus S. Iacobi, in Aedibus Reginæ*, prout ipſe expreſſit Chirographo ſuo, quod hodie Romæ in tabulario generali Societatis conſeruatur, vulgò appellatur locus iſte *las Caſſas de la Reyna*, & eſt Oppidum prope Lerenam in Prouincia Extremaduræ pertinens ad ditionem magni Magiſtri Militum S. Iacobi. Hic igitur ille nobili genere natus anno ſalutis 1534. primam ætatem in Academia Salmanticenſi egit doctiſſimis, & celeberrimis Præceptoribus vſus, præcipuè Dominico Soto, & Franciſco Toleto, qui poſtea S. R. Eccleſiæ Cardinalis fuit. Profeſſus quoque ibi

aliquandiu eſt Philoſophiam, & Theologiam, & litteras Græcas, prout ipſe eodem in ſcripto teſtatum reliquit, antequam veniret ad Societatem, cui ſe Salmanticæ quidem conſecrauit, non tamen ibi habitum Religioſum induit, ſed Romæ die 10. Auguſti anno 1562. vbi etiam Sacerdotio initiatus eſt, anno ſequenti, prout ex ſyngrapha ipſius conſtat. Inde dum Collegij noſtri Pariſienſis Scholæ primùm aperiuntur ſingulari Dei conſilio, & inſtinctu Lutetiam eſt miſſus anno 1563. ſuperſtite etiam tum Caluino, vt magnis eloquentiæ, ingenij, doctrinæ viribus exultantem, & quaſi triumphantem, paucis adhuc reſiſtentibus Caluiniſmum reprimeret. Igitur primus ille Sociorum ex illa celebri Pariſienſis Academiæ ſpecula bellicum cecinit, in campum deſcendit, in aciem prodijt, manum cum hoſte conſeruit. Ibi Philoſophiam primùm, ac deinde totos decem annos Theologiam profeſſus eſt, magna celebritate ingentiquè Auditorum concurſu, & fructu: vt vox ipſius ex illo celebri Theatro per vniuerſam Galliam quàm latiſsimè exaudiretur, & vix doctus eſſet quiſpiam, Epiſcopus, Abbas, Concionator, Parochus, qui non ad eius Scholam ventitaret: ne ipſi quidem Caluiniſtæ, & Caluiniſtarum Miniſtri ipſius prælectionibus abſtinerent. Duabus quotidie tribuſue horis ante, ſubſellia certatim implebant, quàm ludum ille ingrederetur, ne excluderentur. Sæpe in aperto, atque adeo in vijs publicis docere coactus eſt ob multitudinem Auditorum, quos nullæ exedræ capiebant, frementibus Hæreticis, obſtupeſcentibus Catholicis. Sub annum 1570. Pictauium vna cum 9. Socijs miſſus, lectiones ibi Latinas, Conciones Gallicas habuit; ſed cum ſedem non poſſet figere, compreſſis in diſputatione ſectarijs, regreſſus eſt. Excurrit & in Lotharingiam, eaquè occaſione rurſus ad Sedanum cum Hæreticis congreſſus eſt, de quo certamine Genebrardus ſic ait; *Ioannes Maldonatus Capellum, Holinum, Loqueum, & 20. alios Miniſtros Caluiniſtas primum diſſerendo, deinde declamitando proſtrauit: nam in declamationes diſputationem commutandam Miniſtri cenſuerant, quod eius vim ſyllogiſticam non poſſent depellere.* Additque *Lanneum, & Henricum Pennetericum Miniſtros, qui aderant fuiſſe conuerſos.* Cùm ergo in ijs ſe locis verſari videret, vbi Hæreſes vigerent plurimùm, varijque errores in dies increbreſcerent, priſcos illos Sanctoſque Patres imitatus, in id mamaximè docendo incubuit, vt Lutheri, Zuinglij, Caluini, aliorumquè huius ſæculi Hæreticorum nefariam, & ſceleratam doctrinam conuelleret, veram, & orthodoxam Fidem corroboraret. In quo ſanè profecit plurimum; nam ex eius Schola prodierunt viri eruditi quàm plurimi, & vix quiſpiam poſtea fuit in Gallia, qui cùm eius auditor eſſe non potuiſſet, quæ in ſcholis dictauerat ſibi domi deſcripta non haberet. Tradidit ille primùm totam Theologiam compendio annis 4. iterùm eandem vberius tradere aggreſſus cùm iam procul eſſet progreſſus, alieniſſimo ſanè tempore, ab Hoſtibus varijs calumnijs appetitus eſt: nam, & Præſidem Montibrunenſem S. Andreæ moribundum circumueniſſe, & poſteros eius fortunis euertiſſe, perſuadendo illi, vt ſua omnia Societati legaret, dicebatur, Seductor ſimul, & prædo nuncupatus; & à nonnullis Lutetiæ zelo præpoſtero, hæreſis eſt accerſitus; verùm ab hac eum iniuria vindicauit Summi Pontificis Gregorij XIII. auctoritate Petrus Gondius Pariſienſis Antiſtes; ab illa verò publico Senatus Conſulto liberatus eſt. Verùm quamuis ſic eius innocentia publicè ſatis teſtata foret, ſatius tamen fore putauit, ſi paucorum æmulationi, præſertim ingraueſcente ætate, viribuſque labefactatis, cederet, lucemquè illam hominum fugeret, & non ſuo tantum ſæculo, ſed futuris etiam ſcribendo ſeruiret. Quamobrem in Collegio noſtro Bituricenſi abditus, totum ſe ad Sacræ Scripturæ expoſitionem conuertit. Cùm autem inſtituiſſet primùm in quatuor Euangelia Commentarios ſcribere, per aliquot noctes viſus eſt ſibi videre quendam, qui vt ſtrenuè cæptum opus proſequeretur, exhortabatur, fore enim, vt illud ex ſententia perficeret, ſed operi parum diu ſuperuicturum, atque cùm hæc diceret, intento digito certam aliquam ventris partem illi ſignabat. Hoc viſum quamquam pro ſomni ludibrio habitum, comprobauit euentus; nam à Gregorio XIII. Pontifice Maximo è Gallia in Vrbem accerſitus, vt operam ſuam præſtaret ad editionem Græcam 70. Interpretum, quam parabat, non diu Romæ ſuperſtes fuit. Ibi lucubrationem illam ſuam abſoluit, & Claudio Aquauiuæ recens in Præpoſitum Generalem electo, ad diem 21. Decembris anno 1582. obtulit, ac ſecundum id acerrimus eum dolor inceſſit ea corporis parte, quæ tantò iam priùs illi fuerat per nocturnam ſignata viſionem. Eo autem in dies magis magiſquè inualeſcente, tandem priorum laborum præmia à Deo conſequutus, Romæ ceſſit è vita à noſocomio, dum eum ad paratam excitaret cænulam, mortuus in lectulo inuentus, ætatis vix dum anno 50. ſalutis verò 1583. ineunte, peruigilio Epiphaniarum. Monet me locus, vt quoniam hoc etiam ad Maldonatum pertinet, Hieronymi Soriani faciam mentionem. Hunc ad Societatem Ioannis Maldonati exemplum excitauit. Nam cùm in Hiſpanijs, & vitæ conſuetudine, & ſtudiorum ſimilitudine, iam ab adoleſcentia coniuncti inter ſe fuiſſent; conuenerat inter eos, vt qui prior perfectioris vitæ genus amplecteretur, is alterum ad ſui imitationem traheret. Roma igitur Maldonatus veteris pactionis memor à Soriano, quem in Hiſpanijs reliquerat, per litteras promiſſa repetit. Is de ſtatu hominis amiciſſimi certior factus, nihil habuit antiquius, quam, vt idem iter, can-

eandemque viam ingrederetur. Vixit Hieronymus in Societate magna humilitatis, caritatis, & ceterarum laude virtutum; tanto in B. Virginem ſtudio, ac fiducia, vt nihil non, quod illam rogaſſet, impetraret, vt miraculi nomen nonnulla huiuſmodi euenta obtinuerint. Docuit Neapoli cum approbatione Theologiam, tum Nolæ formandis Tironibus præfuit. Demum Cirinolano Collegio, quod Comes S. Angeli per ipſius induſtriam inſtituebat, datus Superior, diuino propemodum conſilio factum putes, vt Maldonatum, quem ſequi non dubitauit in vita eundem quoque ſequeretur in morte; paucis enim menſibus poſt Maldonati obitum ad diem nempe 3. Iulij, quaſi amici monitis iterum ad meliorem vitam vocatus, tanta occubuit animi alacritate, vt videretur, cuius exemplo in terris vulgarem vitam cum religioſa mutarat, eiuſdem in cœlo precibus religioſam cum cœleſti mutaſſe. Sed, vt de Maldonato ſemel abſoluam, fuit is vir multis à Deo, magniſque donis cumulatus, ingenij ſubtilis, iudicij admirabilis, memoriæ excellentis, diligentiæ incredibilis, indefeſſi ſtudij, laboris ſupra corporis vires aſſidui, quę cum initio firmæ eſſent, paulatim tamen lectione, ſcriptioneque continua exhauſtæ ſunt. Nullum enim probatum in Theologia, Græcum, Latinumue auctorem prætermiſit quin totum peruolutarit, legeritque diligenter, ac notarit. Hinc eximiam eius reconditam eruditionem, ſummam in docendo grauitatem, prudentiam, modeſtiam, quæ omnes ad ſe facile raperet, & ſtudio veritatis incenderet, doctarum linguarum peritiam, in concertatoria Theologia efficacitatem, præſtantiſſimum ingenium, eximiamque doctrinam, quam Gallia, atque Europa vniuerſa ſuſpiciat, omnes paſſim ſcriptores deprædicant. Io. Mariana Præfat. in ſua ſcholia in S. Scripturam, Genebrardus in Chronol. A.C. 1583. Serarius in Mineruali L. II. cap. 17. Florim: Remond. de Orig. Hæres: l. 5. cap. 2. num. 6. Ant: Poſſeu: in Appar. Sac: V. Sixtus Senenſis, Fran. de Valle to: 1. Concionat. Euangel: in Elog: Pacenſi. Lud. Richeom. in luttis funebr: Henrici IV. ad Regin: matrem num. 41. Steph. Paſchaſius L. IV. Epiſtol. Hermannus Langeuelt in Vita Martini Delrio pag. 7. Franc. Suuertius in Athenis Belgic. in Franc. Balduino. Franc Agricola in Dedicat. Euang. S. Io. Baptiſtę Daniel à Ieſu in Apolog: pro Catholicis in Anglia cap. 7. n. 3. Andreas Sauſſaius in ſupplemento Martyrologij Gallic: ad diem 5. Ianuarij. Verum hæc Dona alijs longe maioribus obſcurabantur. Virtus enim fuit in eo tam eximia, vt ſit potiùs ſanctitas appellanda. Magna in eo rerum humanarum deſpicientia; magna laudis, & auræ popularis contemptio; humilitas & modeſtia incredibilis, vt tam doctus doctum ſe neſciret; tam in ore hominum poſitus homines ſperneret; tam apud Principes Præſules, primarios Viros gratus, & honoratus, vt homo externus à Sereniſſimo Lotharingiæ Duce, imo ab ipſo Rege Galliarum Carolo ad Conciones in Domo Regia adhibitus, maiorem in modum eorum aditum, conſpectumque declinaret: vt id etiam nonnulli tribuerent moroſitati, dum ne inuitatus quidem ad eos accederet. Ad hæc ardens, & iuge orationis & meditationis diuinarum rerum ſtudium, quo fiebat vt minimi etiam floſculi aſpectus, ita ſublimes, præſtanteſque eius menti ſuppeditaret conceptiones, vt ijs ipſe non tantum Dei amore incenderetur, ſed Socios pariter ſi qui forte adeſſent, eodem igne correptos inflammaret. Summa in cibo, potuque parcitas; paupertatis Euangelicæ rigida obſeruatio, vt qui præter cæteros nihil haberet retineretue, cùm ex vno loco in alium abiret, niſi veſtem, quam humeris geſtaret, vilem potiùs, quam ſimplicem, & aliqua ſuarum lucubrationum aduerſaria. In ſumma vir fuit mundo, ſibique crucifixus; & vt ſtaret ſemper in procinctu quietus, & ſecurus, paratus ad mortem, eam ſibi quinquies quotidie ponebat ob oculos, indagabatque nunquid ſibi eſſet in conſcientia, quod in hora mortis eum angere poſſet, atque affligere, & ſi quid reperiſſet, illicò deponebat. Præclaro illum celebrat elogio Georgius Cardoſus in ſuo Agiologio ad diem 6. Ianuarij exiſtimans illum fuiſſe natione Luſitanum, ſed per errorem, cùm ipſiuſmet Chirographo ſuperius relato, conſtet fuiſſe Hiſpanum. Scripſit Vir hic admirabilis erudituſſimos

Commentarios in 4. Euangeliſtas in 11. to. diuiſos, qui in Lotharingiæ præclara Academia Muſſipontana apud Stephanum Mercatorē anno 1596. primum, & deinceps paſſim in Gallia, Italia, & Germania editi ſunt. In ijs genus dicendi breue eſt (vt interpretem decet) ſed lucidum, & perſpicuum, elegans peracutum, & ad docendum, ac conuincendum Hæreticos aptum imprimis ac robuſtum. Scripſit etiam

Commentarios in Prophetas 4. Ieremiā, Baruch, Ezechielem, & Danielem, quibus acceſſit

Expoſitio Pſalmi 109. &

Epiſtola de Collatione Sedanenſi cum Caluinianis. Quæ poſt aliam editionem Lugdunenſem per Horatium Cardon 1609. prodierunt ſimul Moguntiæ per Ioannem Kinkium typis Reinhardi Eltz. 1611. in 4.

Diſputationem de Fide. Moguntiæ typis Ioannis Albini 1600.

Librum de Dæmonibus.

Alia multa præſtantiſſimi ſui ingenij nobis reliquit monumenta, ſed ea non dum typis excuſa ſunt, vel etiam interciderunt, quod de Diuinis eius Commentarijs in Pſalmos teſtatur Sylueſter Maurolycus lib. 5. Oceani Religionum. Nam

Summa caſuum conſcientiæ, quæ tamquam hauſtà e ſcriptis & doctrina Maldonati, & collecta per Martinum Codognat Minimum pro-

dijt Lugduni apud Hæredes Guilielmi Rouilij 1604. Venetijs etiam & alibi, partus ſuppoſititius eſt, erroribus ſcatens, Maldonato prorſus indignus, & meritò ab Apoſtolica ſede damnatus. Similiter

Diſputationum ac Controuerſiarũ deciſarum circa 7. Eccleſiæ Romanæ Sacramenta tom. II. in 4. Lugduni ſine typographi nomine 1614. vulgati ſub Maldonati nomine, nec illius nec vllius de Societate ſunt, & ſuos etiam errores continent.

IOANNES MANS natione Belga Zierikſeæ in Zelandorum inſulis natus cùm Brugis Rectorem ageret, animam egit in glorioſo miniſterio lue contagioſa infectorum die 28. Nouembris Anno Domini 1621. Societatis initæ 30. ex quibus totos 28. apud Brugenſes traduxit, promptus & indefeſſi zeli ad ſalutem animarum operarius, & vota 4. dudum antea profeſſus. Vertit in vernaculam Flandrorum linguam

Meditationum P. Ludouici de Ponte tom. I. *&* II. Ipris apud Franciſcum Belletum 1616.

IOANNES MARIA CAMPORI natione Italus, patria ex Apenninorum tractu, qui Hetruriam ſeiungit ab Inſubria, & vulgò Carfagnana appellatur, Eminentiſſimi Cardinalis Campori Fratris Filius, cooptatus in Societatem Romæ anno ſalutis 1592. & quinquennio poſt à Præpoſito Generali Claudio Aquauiua, nec ſine peculiari quodam inſtitutu Dei, miſſus in Orientalem Indiam, & Reuerendiſſimo Patri ac Domino Franciſco Rozio Archiepiſcopo Cranganorenſi Socius adhæſit, & profeſſionem votorum 4. Cocini emiſit, ob morum ſuauitatem, plurimaſquè virtutes, tum ipſi Antiſtiti, tum cæteris omnibus mirè carus. Romæ proficiſcenti Frater è noſtris Coadiutor temporalis, qui in Maronitarum Collegio agebat, Deiparæ Virginis imaginem illi dedit; addiditque fore, vt ſi illi ſupplicaſſet, perfacile linguam Chaldaicam, Syriacamque perdiſceret. Nec infeliciter poſtmodum reſpondit euentus. Quin adeo cùm ſe penitus cultui Virginis addixiſſet, multa per eam beneficia diuinitus accepit, & mortis articulum prædixiſſe eſt creditus; nam paulo priùs maiore ſolito diligentia ad orationem ſeſe, atque alia ſpiritus exercitia conuerterat, & totius vitæ errata per exhomologeſim correxerat, animo ſe ad mortem comparandi, quando inter dormiendum ſubitò extinctus eſt, omnibus improuiſis Cranganore anno ſalutis 1621. Eius ſpiritus mox à digreſſu è corpore adijt Antiſtitem dormientem, & brachio arreptum expergefecit inclamans ſemel iterumque *Domine Archiepiſcope.* Excitatus Antiſtes cum neminem videret, famulos aduocauit, ſciſcitatuſque eſt vbinam eſſet P. Ioannes Maria. Illis negantibus quemquam hominum eſſe domum ingreſſum, Antiſtes crucifixo inter brachia ſuper pectus accepto, in ſomnum ſe compoſuit, quem reliqua tamen nocte nullum capere potuit. Mane comperto inopinato Patrem obijſſe, in lacrymas & ſuſpiria inſolabiliter, vnà cum domeſticis omnibus atque externis ſolutus eſt, optimi cariſſimique capitis deſiderio. Conuertit è Chaldæo in latinum

Breuiarium Eccleſiæ Thomæorum in Malabre, ex quo de S. Thomæ Apoſtoli apud Sinas prædicatione nonnulla recitat noſter Nicolaus Trigautius, de Chriſtiana expeditione apud Sinas lib. I. cap. II.

Romæ iuuenis priuſquam Sacerdos eſſet, compoſuit

Hymnum de Venerabili Euchariſtia, quem multi docti Patres negabant ſine ſpeciali Dei auxilio fieri potuiſſe. Item eod. fere tempore.

Sacrorum Canticorum Myſteria omnia Beatiſſimæ Virgini applicuit, modum interpretandi Ruperti Abbatis non infeliciter ſecutus. Hos verò eius labores prodijſſe non conſtat.

IOANNES MARIA FREYLIN natione Italus patria Villanouanus in Pedemontio in Societatem anno 1606. ingreſſus, natus ipſe annos 15. in Americam ad lucrandas Deo animas nondum Sacris initiatus profectus in Peruana Prouincia reliquum vitæ tempus traſegit, & in ea vota 4. profeſſus eſt Limæ 1626. Operarius Indorum & Hiſpanorum vſque ad mortem, quam piè obijt in Truxellenſi Collegio die 6. Februarij 1655. Scripſit Hiſpanicè, quæ tacito auctoris nomine prodierunt

Elogia Clarorum virorum de Societate Ieſu ex Prouincia Peruana. Hiſpali typis Franciſci de Lyra 1630. in 4.

Scripſit etiam, ſed non edidit, quod ſciam.

Vitam P. Didaci Martinez Societatis Ieſu, viri clariſſimi virtute conſpicui, qui Limæ paucos ante annos diem clauſit.

IOANNES MARIANA natione Hiſpanus patria Talabricenſis in Carpetanis, Diœceſis Toletanæ, adoleſcentulus 17. annos natus, cum litteris Compluti operam daret, nuncium mundo remiſit, ſeque Societati noſtræ dicauit, admittente Hieronymo Natali Commiſſario, anno ſalutis 1554. Calendis Ianuarijs. Deinde maximo ingenio, peracri iudicio, ſingulari memoria, multorum annorum ſtudio, omne diſciplinarum genus diligentiſſimè excoluit, & ad S. Theologiam, raram omnium liberalium artium, & Hiſtoriæ tum Eccleſiaſticæ, tum prophanæ cognitionem, & præterea Latinæ, Græcæ, atque Hebraicæ linguæ peritiam adiunxit. Romam profectus anno 1561. non dum Sacris initiatus Sacras ibi literas interpretari cœpit; vbi etiam proximo verno ieiunio Sacerdos eſt factus. Exacto quadriennio in Siciliam commigrauit, ibique biennio profeſſus eſt. Anno 1569. Pariſios conceſſit & magna nominis celebritate in illa Academia D. Thomam Aquinatem quinquennio eſt interpretatus. Erat enim in inueniendo acutus, in iudicando ſeuerus, in diſponendo diſtinctus, perſpicuus in explicando, acer in diſputando. Sed morbis impeditus coactus eſt ſtudiorum cur-

curſum vel interrumpere, vel remittere, & animum ad ſtudia leniora transferre. Itaque in Hiſpaniam anno 1574. rediit, & Toleti continenter ad vltimam vſque ſenectutem commoratus eſt, ea doctrinæ fama, vt nullus omnium crederetur eſſe,qui eum exæquaret. Multis magniſquè in rebus eius adhibuit operam Sacræ Inquiſitionis Tribunal. Ipſe viciſſim multa perpeſſus aduerſa admirabili animi ęquitate, & omnium virtutum documento ſe malis ſuperiorem eſſe probauit. Exercitam ſenectutem Toleti produxit vſque ad diem 17. Februarij anni Domini 1624. quo tandem piè deceſſit prope nonagenarius; doctoratu Theologiæ & quatuor votorum ſolemni profeſſione iam olim ornatus. Fuit apud viros Principes apprimè gratioſus, & ab externis paſſim ſcientiæ nomine viſebatur,conſulebaturque. Paupertatis amator eximius nihil vnquam ſingulare vlla in re admiſit; rarà abſtinentia, & in ſuis ærumnis conſtantia incredibili. Tanta conſcientiæ curâ, vt eam quotidiana Confeſſione expiaret. Caſtitatis cultor ſtudioſiſſimus, cuius aliquis effectus eſſe potuerit,quod mortuo manus fuerint ita tractabiles, ac ſi viueret. Eius vitam, & res geſtas ſcripſit Thomas Thomaius de Vargas Hiſtoriographus Regius. Scripſit Mariana latinè, & Hiſpanice diſerto grauique ſtylo.

Hiſtoriæ de rebus Hiſpaniæ lib. 20. Toleti typis Petri Roderici 1592. in fol. cui decem libros alios poſtmodum adiunxit, vt ad noſtra vſque tempora libris 30. vnaque Appendice, vniuerſam Hiſpaniæ Hiſtoriam abſoluat, de qua ſic Cardinalis Baronius ad A.C. 688.to.7. Annalium Eccleſiaſticorum loquitur, *Senſit atque ſugillauit veritatis amator, & pietatis optimus cultor, qui erudito ſtylo poſtremam manum appoſuit rerum Hiſpanicarum hiſtoriæ, Hiſpanus & ipſe, ſed affectu priuato carens* Ioannes Mariana, *dignus Profeſſor Societatis Ieſu*. Et tom. 5. ait illum Res Hiſpanicas accuratiſſimè perſecutum.

Scripſit præterea Latinè

De Rege & Regis Inſtitutione Lib.III. Toleti apud Petrum Rodericium 1599. in 4.

De Ponderibus & Menſuris. Toleti apud Thomam Guſmanium 1599. in 4.

Tractatus vij. tum Hiſtoricos, tum Theologicos, nimirum

De Aduentu B. Iacobi Apoſtoli in Hiſpaniam,

Pro Editione vulgata SS. Bibliorum.

De Spectaculis.

De Monetæ mutatione.

De Die mortis Chriſti, & anno.

De Annis Arabum cum annis noſtris comparatis.

De Morte, & Immortalitate Lib.III. Coloniæ per Antonium Hieratum 1609. in folio. In tractatu De Monetæ Mutatione cùm acrius corruptelam ſui temporis perſtrinxiſſet, grauè in ſe conciuit procellam, & tractatus ipſe poſtulante Catholici Regis Oratore, à Summo Pontifice Paulo V. tantiſper ſuſpenſus eſt,donec inuidia, & cum ea tempeſtas conquieuit, docueruntque poſteriora tempora, veri rectique amantem fuiſſe Marianam.

Eruit è tenebris, notiſque illuſtrauit, ac proemio ornauit

Lucæ Tridentis Epiſcopi, De altera vita fideique controuerſijs, aduerſus Albingenſium errores Lib.III. qui extant tom.3. Bibliothecæ Magnæ Patrum,& ſeorſim excuſi. Ingolſtadij typis Ederianis 1612. in 4.

Bibliothecam Photij in Epitomen redegit, & latinas fecit *B. Cyrilli Alexandrini Epiſcopi Heortaſticas Homilias*,quæ duo tamen lucē non aſpiciunt. Edidit demum

Scholia breuia in vetus, ac nouum Teſtamentum, vbi etiam *Prouerbia Salomonis, Eccleſiaſten, & Cantica Canticorum*, Elegiaco carmine reddidit Antuerpiæ.

Circumfertur præterea Hiſpanicè, Gallicè, Italicè, & Latinè excuſus

Diſcurſus De Erroribus, qui in forma gubernationis Societatis Ieſu occurrunt, conſtans 20.Capitibus Burdigalæ per Ioannem de Bordeos 1625.in 8. & alibi. Sed is clam illi ſubductus à maleuolo quopiam ad conciliandam Societati inuidiam, extruſus in lucem eſt: adiectis etiam fortaſſe non paucis, vt pronum eſt exiſtimare, ab ipſius obſeruationibus,atque animo alienis.

* IOANNES MARIA VICECOMES natione Italus, patria Mediolanenſis ex Illuſtriſſima Vicecomitum familia natus anno ſæculi fluentis 12. Deo ſe in Societate dicauit 1626. & votorum 4. ſacramento ſolemni ſe obſtrinxit. Eloquentiam in ea annis 11. profeſſus eſt,Philoſophiam quadriennio; Theologiam Scholaſticam Mediolani ſeptennio; vbi & ſtudijs altioribus quadriennio præfuit. Rexit ibidem Domum Profeſſorum, & à Prouincia miſſus eſt Romā ad Congregationem Procuratorum. Nunc Genuæ in Collegio vacat culturæ animarum. Edidit Italicè

Vitam ſeu memorabilia aliqua de virtutibus P. Antonij Iulij Brignole de Societate Ieſu. Mediolani apud Ludouicum Monzam 1666. in 12. quam latinè reddidit noſter Franciſcus l'Hermitte Antuerpiæ 1671. in 8. Parat prælo

Vitam P. Octauij Bonini ex Societate Ieſu.

IOANNES MARIE, vide infra in PETRO MARIE ita enim vocabatur

IOANNES MARTINEZ natione Hiſpanus, patria Fuenteueſunenſis Diœceſos Cordubenſis Societati adiunctus anno ſalutis 1564. ætatis ſuæ 21. in album Coadiutorum ſpiritualium relatus præclaro exemplo 40. annos erudiendæ iuuentuti impendit, & operarium præterea in templo egit. Vir inſigniter pius naturæ conceſſit circa annum 1607. Edidit ſub nomine Ioannis Sanchez

Artem Grammaticæ.

IOANNES MARTINEZ DE RIPALDA natione Hiſpanus, gente Nauarrus, Domo Pampilonenſis vbi Societatem anno ſalutis 1609. die 5. Maij annos natus dumtaxat 14. capeſsiuit & vota 4. nuncupauit. Studijs confectis Philoſophiam docuit Montforti, Theologiam Salmanticæ tanta nominis fama vt paucos ad eum diem ibi habuerit Societas, quorum & viua vox & prælectiones maiori in pretio fuerint habitæ. Fuit enim ſubtilis admodum in diſputando, ſolidiſſimus in opinionibus è Cathedra propugnandis, in manuſcriptis acutus valde, & clarus. Sanctos Patres Auguſtinum præſertim, & Aquinatem continuo euoluebat, præditusque memoria feliciſſima quaſi paratos habebat ad omnia quæ proponebantur. Plurimum etiam excelluit in Theologia Morali, & ex tempore fundatiſſimè reſpondebat ad caſus conſcientiæ, varijs ex locis ob doctrinæ famam ad ſe delatos. Inde Matritum euocatus, in Regalibus ſtudijs Imperialis Collegij Moralis diſciplinæ interpretem egit, & Supremo Senatui S. Inquiſitionis à Cenſuris, & Comiti Duci de Oliuarez à ſacris Confeſſionibus aliquamdiu fuit. Vir apprimè Religioſus, & innocentiſſimæ vitæ laude inſignis, mortalem hanc vitam deſeruit donandus laborum mercede immortali, Matriti die 26. Aprilis 1648. Edidit

De Ente ſupernaturali to. 1. vnum in locum congeſtis omnibus docteque explicatis, quæ certum in Theologia tractationis locum non habent. Burdigalæ apud Guilielmum Millangium 1634. fol.

Breuem explicationem litteræ Magiſtri ſententiarum, cum quæſtionibus, quæ circa ipſam moueri poſſunt. Lugduni apud Gabr. Boiſſat 1636. in 8. Editio recognita & aucta

De Ente ſupernaturali tom. II. Lugduni apud Petrum Proſt & Soc. 1645. in fol.

De Ente ſupernaturali tom. III. aduerſus articulos olim à Pio V. & Gregorio XIII. & nouiſſime ab Vrbano VIII. damnatos Coloniæ apud Cornelium Egmundum 1648. in fol, & rurſus, cum alijs duobus tomis Lugduni 1663.

De Fide, Spe, & Charitate tomus poſthumus Lugduni ſumptibus Philippi Borde, & Sociorum 1651. in fol.

IOANNES MARTINI natione Belga patria Antuerpienſis Societati adſcriptus anno Domini 1613. ætatis 19. & præclaris naturæ, atque gratiæ dotibus ornatus, cùm magnam de ſe ſpem concitaſſet, corporis vinculis ſolutus eſt, prout valetudinarius optauerat infra octauam Corporis Chriſti in ſua patria die 4. Iunij 1625. Edidit lingua Flandrica

Vitas SS. Patrum N.N. Ignatij, & Xauerij in compendium feliciter redactas. Mechliniæ apud Iaye in 12.

* IOANNES MARTINONVS natione Gallus, gente Aruernus, patria Briuatenſis Theologiæ Magiſter celebris, Societatem amplexus eſt anno ſæculi voluentis 3. ætatis ſuæ duodeuigeſimo, & votorum 4. nexu ſe adſtrinxit. Philoſophiam biennio profeſſus eſt; Theologiam totis 20. annis in Collegio Burdigalenſi ſumma nominis exiſtimatione. Sed non minùs virtute, quàm doctrina excelluit. Fuit enim rigidæ paupertatis, obedientiæ exactæ, demiſſionis animi ſingularis, & officioſiſſimæ erga omnes caritatis. Neminem vnquam auditus eſt compellare aſperius; molliſſimos ad ſe aditus præbebat omnibus, etiam tenuiſſimis hominibus, operamque aſſiduam dabat audiendis pauperum Confeſſionibus; Precationi maiorem in modum addictus, veſtibus indui ſolitus vilibus, & attritis etiam ſenex, cubiculo vſus eſt incommodo, neque alio igne quàm communi omnibus voluit calefieri. Cùm elaboratiſſimas de controuerſia celeberrima quæſtiones miſiſſet aliò, illæque caſu intercidiſſent, æquiſſimo id tulit animo, dicendo vnam ſalutem æternam ſibi cordi eſſe, ceterorum omnium iacturam ſe flocci facere. Studijs vſque eò inſtitit, vt oculorum pene lumen amiſerit, ac demum erudito labori immortuus ſit Burdigalæ die 5. Februarij 1662. Theologiam vniuerſam quinque tomis pertractauit, clarè, breuiter, & accuratè, relatis optima fide, nec minore ſolertia diſcuſſis Doctorum ſententijs videlicet.

De Deo & Angelis. Burdigale apud Guilelmum Millangium 1644. in fol.

De Incarnatione & Sacramentis. Iiſdem typis 1646. in fol.

De Pœnitentia, & reliquis Sacramentis. Ibidem 1646. in fol.

De Fide, Spe, & Charitate, Iuſtitia, & iure. Tomus poſthumus, Pictauij apud Ioannem Flotiau 1663. in fol.

De Beatitudine, Actibus Humanis, Peccatis, Legibus & Gratia. Pariſijs apud Sebaſtianu Cramoiſy 1663. in fol.

Vulgauit etiam ſub nomine anagrammatico Antonini Moraines opus grauiſſimum cum hac Epigraphe

Anti-Ianſenius hoc eſt, Selectæ diſputationes de Hæreſi Pelagiana, Semi-Pelagiana; deque varijs ſtatibus humanæ naturæ, & de gratia Chriſti Saluatoris, in quibus vera de illis doctrina proponitur, & Cornelij Ianſenij Iprenſis falſa dogmata refutantur. Lutetiæ Pariſiorum apud Sebaſtianum Cramoiſy 1652. in fol. Hoc opus vtiliſsimus, communique eruditorum approbatione, ac non nullorum Præſulum Elogijs ornatum variis partibus auctum, & ſecundæ editioni paratum moriens reliquit.

IOANNES De MATTOS natione Luſitanus, patria Vlyſsiponenſis in Societatem adſcitus anno ſalutis 1598. ætatis 17. votorum 4. profeſsionem emiſit. Poſt traditas humaniores litteras, Philoſophiam docuit annis 4. Theologiam Scholaſticam duodecim Conimbricæ, & Eboræ Doctoralibus in vtraque inſignibus ornatus. Rexit Collegia Vlyſsiponenſe, & Eborenſe

renſe atque ex hoc ad munus Aſſiſtentis Romæ à Præpoſito Generali eſt euocatus, functuſque eo officio eſt vſque ad Congregationem Generalem octauam, quà abſoluta creatus eſt, Viſitator Luſitaniæ. Eo in munere dum optimi Superioris partes magna caritate & zelo regularis obſeruantiæ exequitur, ad mercedem laborum ex hac vita emigrauit Olyſsipone die 7. Decembris 1648. Paratos habebat ad prælum tomos duos Theologiæ Moralis

De Iudicijs humanis, alterum

De Iudicijs Diuinis, ſed morte præcupatus neutrum Edidit

IOANNES MAVTASIVS natione Gallus patria Feoetinenſis, Diœceſeos Lemouicenſis, vir eloquentia clarus, & Oratoriam artem diu docuit, & plurimas concionando ciuitates excoluit. Societatem vicennis ingreſſus eſt anno ſalutis 1613. & vota 4. nuncupauit. Primus Rupellenſe Collegium rexit, quod dum ſecundò adminiſtrat ad meliorem vitam euocatus eſt die 29 Martij 1639. Dixit Burdigalæ atque edidit

Panegyricum Ludouico XIII. Regi Chriſtianiſſimo in ſtudiorum inſtauratione, 1621. Item

Panegyricum SS. Ignatio & Franciſco Xauerio recens in numerum Sanctorum relatis anno 1623. Burdigalæ apud Petrum de la Court 1622. in 8.

IOANNES MENDEZ natione Hiſpanus, patria Hiſpalenſis admiſſus in Societatem anno ſæculi proximè elapſi 95. ætatis 17. Ariſtotelem Fregenali & Cordubæ explicuit, Theologiam Moralem & Scholaſticam Hiſpali annis 20. vbi & S. Inquiſitioni à Cenſuris, ſeu (vt vocant) Qualificator fuit, emiſſa profeſſione votorum 4. anno 1602. Rexit Collegia Fregenalenſe, Conceptionis Hiſpali, & primarium Hiſpalenſe, in quo diem clauſit extremum 30. Nouembris 1650. Parauerat prælo ſed non Edidit

Quæſtiones ex Theologia Scholaſtica, hoc ſæculo celebriores, & delibatas ex doctrina S. Thomæ, & Scoti, vt plurimum in concordiam vocata.

Oeconomiam, ſeu, domeſticam adminiſtrationem, tripartitam in Coniugalem, Filialem, & Seruilem.

Explicationem Bullæ Cruciatæ. Item *Bullæ in Cœna Domini legi ſolitæ*

Tractatum de Eccleſiaſticis Cenſuris ac pænis

Ducem Religioſorum hominum. Hiſpanicè.

* IOANNES MEERBEECK natione Belga patria Antuerpienſis, natus anno ſæculi præteriti 92. Societati ſe addixit prætereuntis 11. & votorum 4 nuncupatione ſe obſtrinxit. Humaniores litteras docuit externos quadriennio, Noſtros Iuniores octennio; Ad ſodales latinè verba fecit; legum ordinis noſtri; & muneris ſui apprimè obſeruans, Superiorum reuerens, in excitandis ad omnem pietatem adoleſcentibus aſsiduus, quorum multos ad ſectanda Chriſti conſilia Religioſis in Ordinibus varijs permouit. Demum morti vicinus ad hanc per generalem peccatorum Exomologeſim ſe diſpoſuit, & piè obijt Antuerpiæ die 8. Septembris 1670. Edidit

Meditationes varias pro triduana recollectione & pro Exercitijs ſpiritualibus S. P. Ignatij. Additamentum ad Annonam ſpiritualem noſtri Michaelis Cuuelier recuſum Antuerpiæ typis Michaelis Cnobbartij 1668. in 8.

IOANNES MOCQVETIVS natione Lotharingus patria Noui-Pontius, ad Societatem anno Domini 1595. iuuenis acceſsit natus annos 21. iam tum Magiſter Artium & Baccalaureus Theologiæ. Tirocinium poſuit Lanspergæ; Philoſophiam docuit ſexennio, Theologiam Scholaſticam annis 13. in Ingolſtadienſi Academia, in qua Sacræ Thologiæ Doctor fuit, & 4. ſolemnibus votis iam inde vſque ab 28. die Octobris anni 1612. obligatus. Ad hæc linguarum non ſolum latinæ, Græcæ, & Hebraicæ ſed & vernacularum variarum Italicæ, Hiſpanicæ, Gallicæ, Germanicæ, atque herbarum, ſtirpium ſcientiſsimus, vt in his ætatem omnem triuiſſe videri poſſet. His ornamentis in notitiam Principum maximorum venit, à quibus velut oraculum conſulebatur. Rexit Collegia Delinganum, Oenipontanum, ſed exemplo magis quàm verbo, & ſumma integritate, ſui ipſius oſor, nihil ſibi aduerſus leges noſtras, receptoſue mores indulgebat. Orationi eadem vel maiore contentione quàm ſtudijs incumbebat; cuius tamen patens, facilis & iucundus. Initium ægritudinis cui ſuccubuit, à catarrho immedicabili traxit, quo fractus animam inter preces circumſiſtentium placidiſsimè exhalauit Oeniponti die 19. Ianuarij 1642. Edidit

De ſponſalibus, & Matrimonio. Dilingæ 1611. in 12.

Methodum Gonterianam, ſeu Modum cum Hæreticis ex ſolo Dei verbo diſputandi à Ioanne Gonterio noſtro conſcriptam à Calumnijs vindicauit. Ingolſtadij typis Ederianis 1618. in 4.

IOANNES DE MONCADA natione Hiſpanus patria Matritenſis Societatem iniuit anno Domini 1598. ætatis 15. & vota 4. profeſſus eſt. Sacras litteras octo annis eſt interpretatus. Collegium Huetenſe Rector adminiſtrauit, & Religioſè deceſsit Toleti die 14. Nouembris 1638. Parauerat typis ſed morte præoccupatus non euulgauit

Commentarios in Epiſtolam B. Iudæ Apoſtoli.

IOANNES DE MONCEAVX natione Belga Hannatenſis Societati adſcriptus anno ſalutis 1589. ætatis 21. vota 4. profeſſus. Placidiſsimis moribus egregiam adiunxit vitæ innocentiam, amans in paucis Religioſæ diſciplinæ, & caritatis mutuæ perſtudioſus. Vita ceſsit Namurci die 28. Octobris 1651. Conſcripſit Gallicè

Antidotum peccati ſiue Tractatum de Pænitentia

tentia Chriſtiana. Leodij typis Ioannis Ovuerx 1624. in 12. Item

Vitam & res geſtas S. Adilæ cuius corpus requieſcit in Orpio, magno Diœceſis Namurcenſis pago, vbi quondam ipſa Coenobio monialium ſanctiſſimè præfuit.

IOANNES DE MOLTALVO natione Hiſpanus patria Villatobenſis Diœceſeos Toletanæ Societatem amplexus anno Domini 1592. ætatis 19. votis 4. adſtrictus, Thologiam docuit annis 12. Rexit Domum probationis Villaregienſem, Collegia Complutenſe, & bis Matritenſe, & ſemel totam Prouinciam, magna vbique commendatione prudentiæ, integritatis, caritatis & zeli. Diſciplinæ religioſe obſeruantiſſimus, ſui, & ſuorum commodorum negligens; Romam miſſus ad Congregationem Procuratorum, à viſendis admirandis Romanæ magnitudinis monumentis, ſtudio ſeſe coercendi, abſtinuit; Supremæ Inquiſitioni in Hiſpania à cenſuris ſeu Qualificator fuit. Demum plenus dierum, & bonorum operum, migrauit ad omnium Remuneratorem Matriti die 13. Auguſti 1639. Scripſit Hiſpanicè

Epiſtolam ad Rectores Prouinciæ Toletanæ De morte P. Hieronymi de Florentia Societatis Ieſu 1633.

* IOANNES MONTEIRO natione Luſitanus, ex Oppido Meiamfrio Diœceſis Portuenſis, natus anno ſæculi labentis 3. Societati nomen dedit 1620. & votorum 4. profeſſionem emiſit. Studijs non dum abſolutis nauigauit in Indiam ad lucra animarum. Goæ fuit Magiſter Nouitiorum, Macai docuit Philoſophiam triennio, Theologiam biennio, fuit Rector ſeminarij ibidem non intermiſſo concionandi labore. Anno 1636. penetrauit in Sinas & multis annis vineam illam laborioſiſſimè, & fructuoſiſſimè coluit, magno rei Chriſtianæ incremento. Præfuit ibidem Noſtris in Reſidentijs, & demum multa collecta fruge migrauit ad Dominum poſt annum 1648. compoſuit lingua Sinenſi & impreſſit

Compendium legis Diuinæ Item

De vero & falſo cultu Dei, in quo agit de Adoratione.

IOANNES DE MONTEMAIOR, natione Hiſpanus, patria ex oppido Ceniceros Diœceſis Calaguritanæ, natus 10. Iulij anno 1565. Vir planè magnus, non doctrina modò; ſed prudentia quoque, & gubernandi peritia, animi magnitudine & omnimoda virtute. Philoſophiam docuit Abulæ, Theologiam Salmanticæ, Valliſoleti, Cordubæ. Rector ſexennio præfuit Collegio Cordubenſi, cuius rem familiarem vehementer auxit, Villagarzienſi annos 12. Aliquamdiu Tironibus formandis operam dedit; Bis Domum Profeſſam Valliſoletanum gubernauit, ter Collegium Salmanticenſe, bis Caſtellanam Prouinciam. Bis generali Societis Congregationi interfuit; & non vni dignus Summo Magiſtratu viſus eſt, aliquot ſuffragijs ad eum poſtulatus. Iuſſus olim fuerat à Claudio Aquauiua Præpoſito Generali Summam Theologiæ typis adornare, iamque aliquam partem affecerat, ſed mole negotiorum obrutus, nunquam potuit abſoluere. Obijt Salmanticæ 13. Martij 1641. nonagenario maior, & antiquiſſimus Profeſſorum Societatis, cui obſtrictū ſemper erit Salmanticenſe Collegium, quòd illius potiſsimùm operà Sereniſsima Regina Margareta Auſtriaca, eiuſque coniux Philippus III. Rex Catholicus, glorioſæ ambo memoriæ, ſuſceperint in ſe fundationem dotationemque illius Collegij in maximum Reipub. Chriſtianæ emolumentum. Edidit per occaſionem varios tractatus doctiſsimus Pater, videlicet.

De Statutis Hiſpaniæ circa deſcendentes ex genere maculato.

De Ordine iudiciario aliquando in Societate ſeruando.

De modo licito liberandi ære alieno Illuſtriſſimam Domum Almirantis Caſtellæ.

De bonis quæ Noſtri Societati donarunt, an ſi dimittantur ſint reſtituenda.

Reſponſio ad 5. Calumnias in Societatem Salmanticæ iactas.

De Matrimonio Sereniſſimi Principis Vualliæ cum Sereniſſima Infante Hiſpaniæ. in 4.

De Iure Societatis Ieſu ad Legatum à Sereniſſima Regina ei relictum in Codicillo ſine ſolemnitate Tabellionis.

De Iure Regis Catholici ad concedendam licitè Religioſis facultatem exportandi aromata ex India Orientali non ſolutis vectigalibus, quæ ſolui ſolent.

De Cenſu conſtituto cum onere non redimendi, niſi moneta argentea, vtrum aliquando moneta ærea poſſit redimi? Scripſit alia plura luce digniſſima, ſed eam à prælo nondum acceperunt.

* IOANNES MORAVVSKI natione Polonus, ex ea Regni parte quæ Minor Polonia appellatur, Societati nomen dedit anno ſæculi decurrentis 51. ætatis ſuæ 18. & ſolemne votorum quatuor ſacramentum dixit. Docuit humaniores litteras, Philoſophiam, Mathematicam, Ethicam, Controuerſias, & Scholaſticam Theologiam iam annis octo profeſſus eſt Poſnaniæ. Edidit hactenus

Principia totius Philoſophiæ per Quæſtiones de Ente in communi explicata: Poſnaniæ 1666. in 4. Item

Palæſtram Chriſtianæ pietatis, ſiue Sodalitatem Marianam ſanctè viuendi, & moriendi documentis inſtructam. Poſnaniæ 1669. in 12.

Quæſtiones de Verbo Incarnato, & Admirabili Virgine Matre. Leſnæ typis Michaelis Buck 1671. in 8.

Orationes de Deo vno, & Trino. Caliſſis 1674. in 8.

IOANNES MOSQVERA natione Hiſpanus, gente Gallæcus, Romæ multis annis in officio amanuenſis nauauit operam Præpoſito Generali Claudio Aquauiuæ in deſcriben-

bendis litteris ad Prouincias Hiſpaniæ, Adiutor temporalis. Remiſſus in Hiſpaniam deceſſit Granatæ die 4. Auguſti 1610. Vertit Hiſpanicè ex Italico

Relationem de adeptione Imperij paterni Principis Demetrij Ducis Moſcouiæ anno 1605. Pinciæ apud Andream de Mercham 1606. in 8. & Matriti 1609. in 8.

IOANNES MOTET natione Gallus, patria Brianſonenſis in Delphinatu, ingreſſus in Societatem anno ſalutis 1609. natus ipſe annos 19. in ea Profeſſorum ordini adſcriptus eſt, nuncupatis quatuor votis anno 1626. Humaniores diu litteras docuit, diu concionatus eſt. Collegium Diuionenſe Rector obtinuit. Romæ Congregationi Generali x. interfuit cum iure ſuffragii, & Prouinciam Campaniæ tempore Congregationis 11. Vice Prouincialis adminiſtrauit. Vir apprime Religioſus viuere inter mortales deſijt Muſſiponti die 15. Decembris 1662. Edidit

Certamen honoris ad felicem ingreſſum Illuſtriſſimæ Duciſſæ de la Valette in Vrbem Metenſem in fol.

IOANNES MVLHVSINVS natione Germanus, gente Thuringus, patria Mulhuſio Ciuitate Imperiali vnde illi nomen adhæſit cum alioqui *Spitznaes* vocaretur. Natus honeſtis parentibus, ſed in hæreſi educatus; Romæ ad Eccleſiam acceſſit, cùm Papam videret eſſe hominem, quem ſui monſtrum infandum deſcripſerant. Mox etiam Societatem noſtram complexus eſt die 24. Iunij anno ſalutis 1585. Sacræ Theologiæ Doctor poſt traditam Philoſophiam, Summam Doctoris Angelici annis 8. Moguntiæ profeſſus eſt, Collegio Treuirenſi cum poteſtate præfectum, ſubita apoplexia tactum mors immatura abſtulit, prudentia, caritateque, iam ciuitati notum die 18. Septembris anno Domini 1609. Edidit pro Catholica Religione contra Dauidem Pareum Heidelbergenſem Theologiæ Profeſſorem;

Speculum miſeriarum Dauidis Parei.

Cenſuram Diſputationis I. Dauidis Parei De Sacrarum Scripturarum Auctoritate Diuina, & Canonica, additis notis, & animaduerſionibus, cum Vindicatione Cenſuræ Moguntinæ, & Diſcuſſione exegeſeos eiuſdem Parei. Moguntiæ apud Ioannem Albinum 1604. in 4.

Auctarium ſpeculi miſeriarum eiuſdem Caluiniſtæ. Moguntiæ apud Balthaſarem Lippium 1606. in 8.

Diſputationem De Libero Arbitrio contra Hæreticos. Moguntiæ 1601.

* IOANNES MVLMAN natione Germanus, patria Lipſienſis in Saxonia, natus parentibus Hæreticis anno ſæculari 1600. cùm adultior relicta patria veniſſet Coloniam ſtudiorum cauſa, ibi, & Fidem Orthodoxam cum bonis artibus hauſit, & poſtea Societatem noſtram complexus eſt, anno à partu Virginis 1620. In ea diſciplinas Philoſophicas, & Theologicas explicuit, & vota 4. profeſſus eſt. Linguas peregrinas varias, Italicam, Hiſpanicam, Gallicam ſuo marte condidicit, ideòque ab Illuſtriſſimo Principe Hadamarienſi, vt a Confeſſionibus ſibi eſſet expetitus, quamuis continuis ferè podagræ, chiragræ, & gonagræ doloribus conflictaretur, aſthmatis etiam, & apoplexiæ ſymptomata ſubinde pateretur, omnia tamen religioſa patientia generoſe ſuſtinuit; vſque ad diem 10. Februarij 1651. quo Hadamariæ apoſtemate extinctus eſt, Vir vita longiore dignus ob raram eruditionem cum virtutibus inſignibus ſociatam. Edidit latine diſputationem.

De Miſſis priuatis contra Calixtum Caluiniſtam. Monaſterij Vveſtphaliæ typis Bernardi Raesfeldij 1647. in 4.

De Calice Euchariſtico contra eundem &

De libris Machabæorum contra Scheiblerum. Ibidem 1648. in 8.

De Purgatorio contra Calixtum, & Sectarios. Typis iiſdem 1648. in 8. Vertit ex Hiſpanico Latinè

Ideam Principis Chriſtiano-Politici centum ſymbolis emblematicis expreſſam per Excellentiſſimum D. Didacum Saauedram. Bruxellis 1649. in fol. deinde Coloniæ apud Conſtantinum Munnich 1650. in 12.

IOANNES MVNNOZ DE GALVEZ natione Hiſpanus ex Aguilar, diœceſis Cordubenſis, Societati ſe adiunxit anno ſalutis 1583. ætatis 19. Votorum quatuor profeſſionem emiſit, rexitquè Collegium Hiſpalenſe, & alia in Bœtica annis duodeuiginti, & demum Prouinciam illam Præpoſitus adminiſtrauit. Mortalitatem exuit Carmonæ die 17. Decembris 1631. Scripſit Hiſpanicè

Epiſtolam ad Superiores in Prouincia Bœtica de morte, & Virtutibus P. Didaci Ruiz de Monteya Societatis Ieſu. Hiſpali 1632.

IOANNES MVRBACHIVS natione Germanus, Edidit

Iſocratis Phraſeologiam Græcolatinam in 8.

IOANNES NADASI natione Hungarus, patria Tyrnauienſis, natus anno ſæculi præterlabentis 14. Societati nomen dedit Græcij 1633. & vota quatuor ſolemnia nuncupauit. Docuit Rhetoricam, Philoſophiam, Theologiam Moralem, & Polemicam de Controuerſiis Fidei, & euocatus Romam ad componendas annuas litteras Societatis, aliquot annis eo munere functus eſt. Duobus Præpoſitis Generalibus Goſvvino Nickel, & Ioanni Paulo Oliuæ fuit ab Epiſtolis latinis ad Prouincias Aſſiſtentiæ Germaniæ. Poſtea redux in Prouinciam ſuam egit aliquamdiu Patrem ſpiritualem in Collegio Viennenſi. Nunc Auguſtiſſimæ Eleonoræ Imperatrici, Ferdinandi III. Imperatoris Viduæ relictæ, eſt à ſacris Confeſſionibus in Domo Profeſſa Viennenſi. Edidit ad excitandam, & fouendam pietatem libellos complures, & aliquos quidem tacito ſuo nomine, alios appoſito; ſcilicet

Mariam Matrem Agonizantium. Græcij typis Vvidmanſtadij 1640. in 16. Recuſum Monachij, Viennæ, & redditum Bohemicè, & Hungaricè Tyrnauiæ 1648.

Ieſu, & Mariæ Clientem. Poſonij 1643.

Annum Sanctiſſimæ Trinitatis cultui ſacrum, pro omnibus Dominicis anni. Poſonij 1650. in 24.

Annum morientium, & mortuorum ſolatio ſacrum pro omnibus Ferijs Secundis, Tyrnauiæ 1650.

Annum Angelicum pro omnibus Ferijs Tertijs. Antuerpiæ 1653.

Annum Pueri Dei Ieſu pro ſingulis Ferijs Quartis per annum. Antuerpiæ 1653.

Annum Euchariſticum pro ſingulis Ferijs Quintis. Tyrnauiæ 1651.

Annum Crucifixi Dei Ieſu pro Ferijs Sextis. Viennæ 1650.

Annum Marianum pro ſingulis Sabbatis Viennæ 1650.

Annum Aeternitatis ſiue documenta morientium, & mortuorum. Viennæ 1650. qui ſimul cum ſeptem præcedentibus recuſus eſt, Pragæ 1663. in 4. ſub titulo

Annus Hebdomadarum Cœleſtium.

Annum meditationum Cordis in ſingulos anni dies. Romæ 1659. in 12.

Annum Cœleſtem. Coloniæ 1667: editione 4. in 12. & Bononiæ 1673.

Annum Dierum Illuſtrium Societatis, ſeu Mortes Illuſtres. Romæ 1657. in 8.

Annum Dierum memorabilium Societatis Antuerpiæ 1665. in 4.

Annales Marianos Societatis Ieſu è domeſticis Exemplis. Romæ 1658. in 4.

Annum Ioannis, ſiue de Sanctis nomine Ioannis appellatis. Pragæ 1664.

Menſem I. Diuini Amoris. Romæ 1662. in 16.

Menſem II. Diuini Amoris, Ibidem 1663. in 16.

Menſem III. Diuini Amoris. Ibidem 1663. in 16.

Menſem IV. Diuini Amoris, ſeu Theophilum Marianum. Romæ 1664. in 16.

Menſem V. Diuini Amoris, ſeu Seraphinum. Pragæ 1666.

Menſem VI. Diuini Amoris, ſeu Aurum ignitum. Viennæ 1672. & iterum 1673. in 16.

Hebdomadam meditandæ æternitatis in ſingulos Hebdomadæ dies. Romæ 1664. Cum auctario Viennæ 1673. editio 9. in 24. Decima in 18.

Hebdomadam SS. Ignatij, & Xauerij cultui, & imitationi Sacrum. Coloniæ 1668.

Diurnum Diuini Amoris. Romæ 1660. & Pragæ 1668.

Diurnum Quotidianæ virtutis. Pragæ 1659.

Diem S. Ioſeph Sacrum. Romæ 1656.

Incitamenta cultus Beatiſsimæ Virginis per Exempla domeſtica. Græcij 1651.

De Imitatione Dei libros 3. Romæ 1657.

Flammas Sancti Amoris, ſeu Aſpirationes Theologicas. Ingolſtadij 1656.

Hortos, flores, & Coronas cœleſtes. Viennæ 1657.

Pretioſas Occupationes morientium è Societate Ieſu. Romæ 1657. in 4.

Orationem de S. Iuone, ſub titulo Pandectæ Porphyrogenitæ. Romæ 1642.

Roſas Cœleſtes. Dilingæ 1654.

Lilia Cœleſtia. Viennæ 1655.

Aulam Cœleſtem, ſeu Praxim colendi Omnes Sanctos. Viennæ 1663.

Horas Marianas Angelicas, ſeu de Salutatione Angelica. Viennæ 1670 & 1674.

Annuas litteras Societatis Annorum 1650, & 4. ſequentium. Dilingæ 1658.

Reges Hungariæ à S. Stephano vſque ad Ferdinandum III. Poſonij 1637. in fol.

Vitam S. Emerici. Poſonij 1644. in folio

Mariam Portam Sanctam æternitatis. Vngaricè. Poſonij 1645.

Pharetram Spiritus, Vngaricè. Ibid. 1649.

Mortes illuſtres aliquorum de Societate ab anno 1647. Romæ typis Vareſij 1657. in folio.

Heroas & Victimas Caritatis Societatis Ieſu ab anno 1647. Romæ apud Vareſiũ 1648. in 4.

IOANNES NIESS natione Germanus, gente Sueuus, patria Holzenſis, Vir in humanioribus litteris inſigniter verſatus, annos natus 20. venit ad Societatem anno ſalutis 1604. & in ea gradum Coadiutoris ſpiritualis occupauit die 31. Iulij anno ſalutis 1618. Obijt diem Halæ die 13. Nouembris anno 1634. ætatis 51. Societatis initæ 30. Docuerat annis 15. Rhetoricam, & in ſocco maximè excelluit, penè ſupra Plautum, & Terentium feſtiuus, ſed in eo victor quòd virtutem doceret per luſum, atque etiam perſuaderet. Rarò prodibat in ſcenam iuuentus eius exercita magiſterio ſine lacrymis commotæ plebis. Cetera vir Superiorum obſeruantiſſimus, æqualibus obſequioſus, ſui pene obliuiſcens, regularum, ac nominatim ſilentij cuſtos accuratus, Beatiſſimæ Virginis cultor eximius. Præ omnibus altiſſima in eo emicuit animi depreſſio, adeo, vt immoriturus doloribus, quos aqua intercus acutiſſimos infligebat, indigniſſimum ſe aſſereret caritatis officijs, quæ alij exhibebant, etiam communibus, & pene ad ſingula lacrymans ſe velut inutile pondus, tã del çatè haberi deplorabat. Edidit librum hoc titulo

Alphabetum Chriſti, ſeu virtutes præcipuas, quæ adoleſcentes adornant; cui reſpondet

Alphabetum Diaboli, ſeu vitia præcipua, quæ adoleſcentes perdunt vtrumque Imaginibus exornatum. Monachij apud Raphaelem Sadelerum formis Bergianis 1619. in 12. Poſtea recuſum ſæpiùs alibi cum auctario. Dilingæ apud Vdalricum Rem 1624. & 1627. editione ſexta, & in hac quidem editione. Edidit pro Appendice

Carmen de æternis Beatorũ gaudijs, & alterũ

De

De æternis Inferorum ſuppliciis. Quæ ſeorſim prius ediderat, vtrumque valde patheticum

Alterum edidit opuſculum, quod inſcribitur

Adoleſcens Europæus ab Indo moribus Chriſtianis informatus, vbi Vitam Michaelis Ayatumii adoleſcentis in Philippinis nati, & denati repræſentat. Dilingæ ſumptibus Caſpari Sutoris 1629. in 12. Edidit præterea

Occaſum linguæ Latinæ

Reliquias B. Virginis

Librum Epigrammatum, Item

Calendarium Thomæum, ſeu ſententias diſtributas in ſingulos anni dies ex libro Thomæ a Kempis de Imitatione Chriſti; tacito ſuo nomine 1625.

IOANNES OGILBEVS natione Scotus, nobili genere natus, litteris operam dedit in Belgio in ſuæ gentis Seminario, donec in Societatem anno 1597. ætatis 17. adſcriptus eſt. Græcij Styrorum Philoſophiæ, ac Theologiæ ſpatia emenſus, auctoritate ſuorum Moderatorum in Scotiam remiſſus eſt, vt ſuis popularibus qua qua poſſet ope ſuccurreret ad ſalutem. Magna enim ſpes erat fructus faciendi vberrimi, cùm eſſet ipſe viuace ingenio, & peracri, ſed pulcherrimis virtutibus exculto. Diuini Numinis erat reuerentiſſimus, Maiorum obſeruantiſſimus, æqualibus amabilis, iucundus, officioſus, incredibili animarum zelo incenſus; ſubmiſſione, & animi modeſtia cunctis ſubiectus; Martyrij impensè ſitiens. Inſinuauit ſe ille, qua erat induſtria, in Regnu Scotiæ, quamuis teneretur arctè per excubias obſeratum, & dignum operæ ſe fructum fecit; donec per octobrem anni 1614. euocatus ad aliquorum conuerſionem Glaguam venit; ſed ab vno illorum, viro aliàs nobiliſſimo, copioſiſſimoque proditus, in manus hoſtium venit. Hominem immerentem tundunt, trahunt, vexant, cædunt, barbam vellunt, faciem lacerant, indignis modis habent, ſpoliant, & extrema omnia minantes in cuſtodiam compingunt. Sæpe examinatus, ſæpe quæſtioni ſubiectus, nouendiali peruigilio, quod ſtylis, acubus, vellicationibus ſuſtinebatur, intentato per ocreas ferreas crurifragio, propoſita etiam libertate, & lautis muneribus, opimo Sacerdotio, nobili coniuge, Regis beneuolentia tentatus, incredibili fortitudine, & reuocata Martyrum priſcorum libertate, ita hoſtes ſuos confudit, vt qui erat inter ipſos Princeps Archiepiſcopus Glaſcuenſis aſſereret ingenti ſe auro redempturum ſi poſſet, ne quid cum illo negotij ſuſcepiſſet; Tandem reus Maieſtatis pronuntiatus, ſi Miſſas dixiſſet, qui non neminem ad Fidē Catholicam perduxiſſet, qui alia Romanæ Eccleſiæ munera obiuiſſet. Pridie quàm extremo ſupplicio ſubiectus eſſet, lotis pedibus ad ſuas, vt aiebat, nuptias, qui aderant inuitauit. Noctem illam tumultuantes inter ſtodes, moleſtam habuit. Fuit tamen ea ipſa nocte Vir nobilis Catholicus, qui pro ſua pietate inuiſens vinctum, clàm ei certam ex carcere elabendi viam ſe aperturum adpromiſit, ſi egredi vellet. Sed Chriſti Athleta ardens deſiderio moriendi pro Domino, arctè complexus hominem, & gratias agens pro oblato, vt æſtimabat beneficio, nullo modo id admiſit, ſanctè teſtatus, nihil magis ſe metuere, ne hæc toties concupita à ſe occaſio fundendi pro Chriſto vitam, quouis modo ſibi e manibus eriperetur. Poſtridie, breui detritoque ſuccinctus pallio ſub axilla, producitur per populum frequentiſsimum; profeſſus ſe ſuam mortem eius auctoribus omnibus condonare, patibulum exoſculatur, carnificem complectitur. Tum gradus conſcendens; Catholicorum, ſi qui clàm adeſſent, preces expoſcit. B. Virginem, & Cælites inuocat alios, ſpem ſuam in ſanguinis à Chriſto fuſi meritis collocatam aſſerit. Hæc, & his affinia proferentem, adſtans de grege Caluini Miniſtellus interpellat, promittens iterum nomine Archiepiſcopi memorati, & coram populo, vitam, libertatem, honores, coniugem ipſius Archiepiſcopi filiam, cum opima dote, dummodo nuntium Romanæ religioni remitteret. Tum Pater, elicere cupiens claram confeſsionem cauſæ ob quam capitis damnatus fuerat, ſubiunxit. Et non habebor nihilominùs reus (inquit) læſæ Maieſtatis, ſi hoc agam? Nequaquam, ſucclamat populus; deſcende, deſcende Domine Ogilbeè. Iterum Pater: ergo ſolius religionis nomine hic ſiſtor reus? Ita, ſolius religionis, reſpondit populus. Bene ſe habet, ſubiunxit Ogilbeus, ſolius ergo religionis nomine condemnor, pro qua ſi centum haberem vitas, lubens volenſque omnes profunderem, quare vnam quam habeo, nil moror rapite, nam mihi meam religionem nunquam eripietis. His dictis vrgente Miniſtello, & indignante, de ſcala eſt deturbatus, grataquè Deo victima pependit. Tum populus magna vociferatione condolere, execrari ſuorum immanitatem, rogare Deum, vt populo innoxio, in ipſorum capita ſanguinis inſontis vindictam conuertat. Mox fune reſecto corpus concidit, quod per carnificem, & pollinctores in infami ſontium loco humatum eſt. Hæc Glaſguæ geſta ſunt ad diem 10. Martij anno 1615. Scripſit inuictus Athleta Chriſti

Relationem incarcerationis ſuæ, & quæ vſque ad octiduum ante mortem geſta ſecum ſunt. Acceſſit à Concaptiuis conſcriptum ipſius *Martyrium*. Duaci, Ingolſtadij, Olomucij, Moguntiæ, & alibi, nouiſſimè Romæ inter mortes illuſtres Virorum de Societate Ieſu, typis Vareſij 1657. in fol. ad annum Chriſti 1615.

* IOANNES OHNEBERGER natione Germanus, gente Sueuus, patria Bleſſenſis, natus anno ſæculi præterfluentis vigeſimo, Societatem complexus eſt 1643. Docuit ſeptennio humaniores litteras; Concionatorem, & Miſ-

Miſſionarium egit iam annis vndeuiginti. Præfuit Noſtris in Miſſione Bockenhemij annis ſeptem, & magno zelo, promouens ibidem ſalutem animarum, euocatus demum à Deo eſt ex loco peregrinationis ſuæ die 2. Iunij, hoc anno Iubilæi 1675. Edidit idiomate Germanico

Breue, & Bonum, hoc eſt, *Breuem, & dilucidam Inſtitutionem defendendi Fidem Catholicam contra Hæreticos* 1657. in 24. recuſam cum auctario Herbipoli 1660. & hactenus duodecies eſt impreſſa. Edidit etiam

Viatorem Euangelicum. Friburgi Briſgoyę, & Molshemij translatum dein in linguam Gallicam à Prænobili D. Richardo de Blaynes

IOANNES OLIVA natione Gallus, patria Cadurcenſis, in Societatem anno 1602. ætatis 18. ingreſſus, in ſpiritualium Coadiutorum ordine conſtitutus, concionibus habendis ſe impendit, multis annis in Prouincia Aquitaniæ; & in Domo Profeſſa Burdegalenſi viuebat 1636. & paulò poſt videtur deceſſiſſe. Vertit è latino Gallicè

Caroli Scribani Amorem Diuinum.

IOANNES ORANVS natione Belga, patria Leodienſis, natus anno Domini 1543. Societatem Coloniæ ingreſſus eſt 1559. & vota quatuor profeſſus. Vir fuit virtute, litteris, prudentia, & rerum agendarum peritia inſignis; qui Theologiam Lutetiæ Pariſiorum profeſſus eſt, & aliquot Collegiorum Noſtrorum Rector, & Belgicæ Prouinciæ Vice-Prouincialis fuit. Anno ſalutis 1603. pridie Calendas Iunias piè vita defunctus eſt Montibus Hannoniæ. Tranſtulit eleganti ſtylo, in Latinam linguam ex Hiſpanica librum

Petri Ribadeneiræ De Principe Chriſtiano aduerſus Nicolaum Macchiauellum cæteroſquè huius temporis Politicos. Antuerpiæ apud Ioachimum Trognæſium, 1613. in 4. Coloniæ, Moguntiæ, & alibi. Item Scripſit

Breuem pro Societatis innocentia defenſionem. Aduerſus Lugduno-Batauos

Litteras Iaponicas, Mogorenicas, & Chinenſes.

IOANNES OSORIVS natione Hiſpanus, ex oppido Saſamone Diœceſis Burgenſis, prout ipſe ſcriptum reliquit in Codice admiſſorum, cùm adoleſcentulus 16. annos natus Societati ſeſe tradidit Salmanticæ, anno ſalutis 1558. in qua grauiores diſciplinas didicit, & profeſſus eſt. Ariſtotelem nondum Sacerdos eſt interpretatus, Theologiam Moralem diu tradidit, rexitque Collegium Numantinum, ſeu Sorianum; vtilem atque aſsiduam in Concionibus ad populum habendis operam poſuit, & vt ſtylo poſteris prodeſſet, ſicut præſentibus voce profuerat, in lucem emiſit

Concionum tomos 5. qui in Hiſpania, in Belgio, Antuerpiæ, in Gallia Pariſijs, in Germania Coloniæ, in Italia Venetijs inde vſque ab anno 1594. prodierunt. Tomum 6. abſolutum & prælo paratum reliquit. Ipſe denique in Collegio noſtro Methymnenſi, curſu huius vitę feliciter confecto, migrauit ad Dominum anno ſalutis 1594. ætatis 52. Societatis 36. Profeſsionis quatuor votorum 17.

* IOANNES DE PARYS natione Belga patria Antuerpienſis in Societatem cooptatus anno Domini 1608. ætatis 23. Concionatoris officium per annos 40. magno zelo exercuit; diù domeſticæ diſciplinæ curam geſsit; & in gradum ſpiritualium Coadiutorum eſt adſcriptus. Ob ſingularem manſuetudinem, & mores placidos vel in decliui ætate, à domeſticis omnibus vocatus & habitus, Delicium, & amor Domus. Nunquam de vllo auditus queri, Superiores adeò obſeruabat, vt coram ipſis, niſi bis terue iuſſus caput non operiret. Paupertatis ſanctæ tam tenax, vt in defuncti cubiculo, nihil quod vel vnius aſsis pretium æquaret reperire fuerit. Rigore magno in ſe vſus eſt; & obtenta à Moderatoribus facultate, quotidie ſæuiebat flagellis in corpuſculum, præter armillas, cilicia, & cingula cuſpidata, quibus brachia, pectus, latera interdiù diuexabat, Morti vicinus ad hanc pijs ſuſpirijs, & continuis precibus ad Chriſtum Dominum, eiuſque Matrem, cuius ſtudioſiſſimus per omnem vitam fuerat, ſe diſpoſuit, atque ita plenus dierum, ac bonorum operum octogenario maior ſpiritum reddidit Creatori, Antuerpiæ die 23. Martij 1670. Edidit latinè

Margaritam Euangelicam, ſeu, vitam Chriſti ex 4. Euangeliis ordinatè deſcriptam. Antuerpiæ typis Cornelij Vvoons 1657. in 4. Recuſam ibidem cum auctario 1660.

* IOANNES PAVLINVS, natione Germanus, patria Neoburgenſis in Palatinatu, Diœceſis Auguſtanæ, annos natus 24. Societati ſe adiunxit anno ſalutis 1628. & votorum 4. nuncupatione ſe obligauit. Docuit Rhetoricam & Controuerſas de fide quæſtiones. Conciones aliquot annis habuit; Rexit Collegium Tridentinum, Vir ſpectatæ virtutis & zeli pro diſciplina Religioſa, cuius ſemper fuit accuratus obſeruator, & cuſtos; rerum humanarum contemptor egregius; demum Monachij, vbi operarium multis annis ſtrenuum egerat, piè vti vixerat, eceſsit die 13. Aprilis 1671. Edidit latinè

Vitam Dominici Anſalonis, Nobilis Mamertini. Tridenti 1642. in 12.

Vitam P. Bernardi Colnagi Societatis Ieſu. Monachij 166. in 8.

Pia colloquia cum Chriſto vulnerato. Monachij 1668. in 12.

Philothea hoc eſt animam Deo charam in ſacra Comœdia decantatam, & exegeſibus ornatam Monachij 1669. in 18.

Bellum Tartaricum in China. Germanicè Monachij 16. in 12.

Miracula. Franciſci Xauerij Potami. Germanicè ibidem 1657. in 12.

* IOANES PAVLVS CHIARANDAVS

DAVS natione Siculus, patriâ Platientis, natus anno ſæculi prætcrlabentis XIII. Societatem amplexus eſt 1631. & ſolemne votorum 4. ſacramentum dixit, Philoſophiam biennio, Theologiam Scholaſticam ſeptennio, Moralem nouennio, profeſſus eſt. Collegio Platienſi ſecundùm præfuit, & Sacro Tribunali S. Inquiſitionis à Cenſuris eſt. Edidit Italicè

Platiam priſcam Vrbem, & Recentem, Sacram & Nobilem. Meſſanæ apud Hæredes Petr. Brea 1654. in 4.

IOANNES PAVLVS FARNESIVS natione Italus patria Romanus, ex antiquiſſima nobiliſſimaque Ducum Laterenſium familia oriundus, admodum iuuenis annorum 16. ad Societatem acceſſit Romæ, anno huius ſæculi 19. Iunij, 20. in eaque diſciplinis omnibus excultus, Philoſophiam docuit, & Theologiam Moralem, votorum 4. emiſſione obſtrictus. Longa corporis inualetudine conflictatus, & in camino patientiæ probatus, ad requiem (vt ſperare fas eſt) cæleſtem tranſijt Romæ die 7. Martij 1666. Edita eſt eius

Oratio habita ad S.D.N. Vrbanum VIII. ipſo Paraſceues die inſcripta, Agni occiſi fortitudo. Romæ apud Vitalem Maſcardum 1638. in 4. Et iterum recuſa cum alijs eiuſdem argumenti typis iiſdem 1641. in 12.

IORNNES PAVLVS FONS natione Hiſpanus gente Catalaunus, ex oppido Piera diœceſis Barcinonenſis ad Societatem acceſſit anno ſalutis 1594. Calend. Aprilis ætatis ſuæ 18. Fuit in ea ſtrenuiſsimus miles, & ad dicendum velut à natura factus; fulgurabat, tonabat, ciebat lacrymas, frequentiſsimè concioni prorſus dominabatur. Nunquam non apte ad profliganda vitia, inferendas virtutes, odia extinguenda dicebat, indignum Societatis homine ratus ad aures dicere, ac tantùm titillare. Extra Quadrageſimam pagos percurrebat, & omnium vndique vitiorum fibras eradicabat. Poſtrema qua Barcinone concionatus eſt Quadrageſima, vna fuit eademque oenopalarum, meretricum, pellicum expoſtulatio, ſua lucra ſibi per ipſius conciones decedere. Idem illi ſtudium erat per priuata colloquia ducendi homines ad ſalutem, idem euentus. Nihil erat tam arduum quod ipſe, ſi ad Dei gloriam pertinuiſſet, non animosè ſuſciperet, conſtanterque ad exitum promoueret. His ſtudijs obruebat acutiſſimos capitis dolores, quibus aſsiduè torquebatur. Addebat inſuper publicas, priuataſque in corpus ſuum animaduerſiones, nulla prope valetudinis ducta ratione. Fuit præcipua in SS. Ignatium, & Xauerium religione, ſed in Beatiſsimam Virginem tam ſingulari, vt piiſsimo ſe voto obligarit, eius pietatis in homines propagandæ, atque omni ope propugnandæ. Denique vt verbo abſoluam, quis quãtuſque fuerit Fontius, ſatis ſit dicere, nullam omni vita labem ab eo mortalem fuiſſe contractam. Poſt graueolentis morbi moleſtias patienter toleratas, maiorumque cruciatuũ cupiditatem excitatam, Sacramentis inſtructus inter dulciſsima cum bono Ieſu colloquia conquieuit Barcinone die 29. Iunij anno Chriſti 1622. ætatis 46. à ſuſcepta voti quarti profeſſione 4. Edidit Hiſpanicè

Regulas Gubernationis Eccleſiaſticæ & ſæcularis in libellum S. Bonauenturæ De ſex alis Seraphim. Barcinone apud Sebaſtianum Monteuad 1622. in 4.

Vitas SS. Ignatij & Franciſci Xauerij compendio ex Italica vita translatas. Barcinone apud Stephanum Liberos 1622. in 16.

Concionem funebrem Maioricæ habitam de Laudibus Sereniſſimæ Margaretæ Reginæ Hiſpaniæ

Hiſtoriam & vitam Ven. Matris Angelæ Margaretæ Fundatricis Religioſarum Capucinarum in Hiſpania aliarumque filiarum eius vſque ad annum 1622. Barcinone typis Mariæ Dexen 1649. in 4.

IOANNES PAVLVS GRIMALDVS natione Italus, patria Neapolitanus ad Societatem venit anno ſalutis 1581. ætatis 17. & vota 4. profeſsus eſt. Rexit Collegium Salernitanum; Conciones & ſacras Lectiones in templo multis annis habuit, & alia multa miniſteria obiuit. Vir domeſticæ diſciplinæ accuratione conſpicuus, in ſenectute bona migrauit ad Dominum; Neapoli die 25. Ianuarij 1641. Edidit Italicè

Vitam S. Rugerij Epiſcopi Cannenſis, & Confeſſoris cum notis. Neapoli apud Tarquinium Longum 1607. in 4.

* IOANNES PAVLVS OLIVA natione Italus, patria Genuenſis, Patritiæ Familiæ, Auũ & Auunculum habuit Sereniſsimos Duces illius Reipublicæ. Editus in lucem anno ſæculari 1600. die 4. Octobris ab ineunte ætate Chriſto in ſua Societate ſe dedicauit anno 1616. & ſolemni votorum 4. ſacramento ſe adſtrinxit 1633. Litteras Humaniores aliquot annis profeſſus eſt, tum Socius Magiſtri Nouitiorum Romæ diu fuit. Viſitatori Siciliæ P. Franciſco Piccolomineo, tunc Secretario Societatis, datus eſt comes itinerũ, & curarum particeps. Domũ probationis Romanã decennio rexit; & Collegium Germanicum in Vrbe iteratò adminiſtrauit. Interea loci, Conciones Romæ habere cœpit ab anno 1629. & ſubinde per Italiam, tanta Auditorum approbatione vt à 4. Summis Pontificibus Innocentio X. Alexandro VII. Clemente IX. & Clemente X. (quem Deus Eccleſiæ diù ſeruet incolumen) in Concionatorem S. Palatij Apoſtolici fuerit adlectus. Huic officio cùm vacaret à Congregatione Prouinciali Romana nominatus eſt, vt Comitijs Generalibus Ordinis intereſſet paulò poſt cogendis, in quibus cum R. P. Goſvvinus Nickel Præpoſitus Generalis ob ſenij grauitatem & varias corporis infirmitates, auxiliarem operam Vicarij ſibi adiungi poſtulaſſet. Congregatio Generalis accepta poteſtate ab Alexandro VII. Pont. Max. deligendi Vicarium cum iure ſucceſsio-

ceſsio-

ceſsionis, magna conſenſione ſuffragantium elegit ad id muneris die 7. Iulij 1661. in feſto Pentecoſtes, R. P. Ioannem Paulum Oliuam qui quamuis viuente P. Goſvvino, titulo duntaxat Vicarij, Societatem adminiſtraret, plenum tamen regiminis ius, etiam tunc ei competebat, & defuncto mox P. Goſvvino etiam titulus Præpoſiti adiectus. Plura in præſentiarum de eo dicere, vetat illius modeſtia, erit tempus quando id licebit. Edidit in lucem hactenus

Conciones 70. habitas in Sacro Palatio Apoſtolico ſub Innocentio X. & Alexandro VII. to. 1. Romæ per Franciſcum Monetam, & Vitalem Maſcardum 1659. in folio. Has latine reddidit noſter Ioannes de Buſſieres (de quo ſupra meminimus) duobus voluminibus. Lugduni 1665. in 4.

Conciones alias 32. ſub eodem Alexandro VII. habitas in Palatio Apoſt. tomo 2. Romæ typis Iacobi Dragondelli 1664. in folio. Has etiam latinitate donauit idem Ioannes de Buſſieres. Moguntiæ 1668. in 4.

Conciones 48. habitas in eodem Palatio Apoſtolico ſub Clemente IX. & Clemente X. tom. 3. Romæ ſumptibus Ignatij de Lazzaris 1674. in folio.

Sermones 40. habitos in varijs locis Sacris Vrbis. Romæ typis Vareſij 1670. in 4. Hos Gallice vertit idem Ioannes de Buſſieres. Lugduni 1674. in 4.

Additamenta Sermonum 16. ad prædictos 40. in varijs Vrbis locis. Romæ apud Ignatium de Lazzaris anno Iubilæi. 1675. in 4.

Sermones ſeu Adhortationes domeſticas 58. habitas in varijs domicilijs Societatis Romæ, in partes ſeu Tomos quinque diſtributos. Romæ apud Vareſium annis 1670. 1671. & 1675. in 8. Horum tres tomos iam tranſtulit in latinam linguam noſter Iacobus Boſch Germanus, Conſtantienſis diœceſis, votorum 4. Profeſſus & modo in Vrbe degens, & excuſi ſunt Pragæ typis Academicis hoc anno 1675. paratque prælo reliquos.

Ad hæc ſcripſit quoque R. P. N. ad totam Societatem

Epiſtolas varias Paræneticas, de varijs argumentis, ad Religioſum ſtatum pertinentibus. Romæ typis Vareſij. 1666. 1671. & 1672. in 8.

Paratos præterea typis habet.

Sermonum domeſticorum, tomum ſextum, & latinè elaboratos

Commentarios in Geneſim; *In Canticum Canticorum.*

In Eſdram; *In Nehemiam*; *Miſcellanea in Scripturam Sacram & complura alia*, quæ pridem elucubrauit, priuſquam totius Societatis gubernacula capeſſeret, & quæ ſuo tempore in lucem quoque prodire poterunt.

* IOANNES DE PAYVA natione Luſitanus, patria Vlyſsiponenſis, Societati adſcriptus anno ſalutis 1660. ætatis ſuæ 54. Operarius modò in Domo Profeſſorum Vlyſsipone, nauat operam miniſterijs Societatis. Edidit Luſitanicè ſub nomine Ioannis de Britto,

Compendium Cæremoniarum quæ obſeruari debent in celebranda Miſſa. Vlyſsipone typis Dominici Carneiri 1671. in 4.

* IOANNES DE PEDROZA natione Luſitanus patria Conimbricenſis, in Societatem adſcriptus anno ſæculi præterfluentis 31. ætatis ſuæ 17. nondum abſoluto ſtudiorũ curriculo, nauigauit in Indiam ad lucra animarum, ibique multos annos in vinea Salſetana impigrè laborauit; Linguam Concanicam, ſeu Canarinam perfectè addidicit; paræciam annis 17. adminiſtrauit, rexit Collegium Racholenſe; & Domum probationis Goæ gubernauit. Demũ in Domo Profeſſa Goana operarius ad laborum præmia emigrauit menſe Maij 1672. Edidit idiomate Concannico.

Soliloquiorum Diuinorum libellum. Racholi typis Collegij paratum habebat alium, *De Inſtructione ad Sacramentalem Confeſſionem ritè peragendam*. Sed morte præoccupatus non vulgauit.

IOANNES PELECYVS natione Germanus, gente Sueuus, Domo Vlmenſis, Societatem noſtram ingreſſus eſt Romæ die 3. Maij anno ſalutis 1567. in ea Philoſophiam nouem annos, Theologiam 15. profeſſus eſt. Oetingenſi Domui præfuit annis 4. tertiæ Noſtrorum probationi totos 14. quos magis quam verbo, ſolidarum virtutum exemplo, ad omnem inſtituti noſtri rationem ſedulò informauit. Ad populum complures annos pro concione varijs in locis dixit; Viribus per ætatem conſumptis, ad idoneos animis libellos ſcribendos ſe conuertit. Beatiſſimæ Virginis Mariæ quam vnicè diligebat, litanias extremo ſacro oleo delibutus ſibi recitari voluit, ijſque, & alijs ad ſupremam luctam pertinentibus ritè abſolutis, honoratiſſimis laboribus confectam vitam clauſit Monachij vltima die anni 1623. ætatis 78. poſt aditam Societatem 57. a ſuſceptione quatuor votorum profeſſione 32. Scripſit varias diſputationes publicè propoſitas nimirum

De Originali hominis iuſtitia, & iniuſtitia. Dilingæ apud Ioannem Mayr 1587.

De Sacramentis nouæ legis. Ibidem 1588.

De Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, & Sacrificio. 1588.

De Fidei virtute 1589.

De Beatiſſimæ Mariæ Virginis vita ad publicam diſputationem propoſita 1590.

De Eccleſia Chriſti militante in Terris. 1590.

De Deo, qua is ex creaturis à nobis cognoſcitur 1590.

De Iuſtificatione hominis iniuſti coram Deo. 1591.

De Caritatis virtute. 1591.

De Spei virtute 1591. Omnia apud eundem Ioannem Mayr. Edidit præter hæc alia

alia quorum hæc eſt ſeries,

Malum ſummi mali, ſiue de Infinita grauitate peccati mortalis. Lib. 5. Monachij formis Bergianis 1615. in 12.

De humanorum affectuum, morborumquè cura lib. 2. Ibidem 1617. in 12.

Turris Babel, Vniuerſitas iniquitatis, ſiue De mortifero linguæ humanæ veneno, eiuſquè præſenti remedio lib. 2. Ibidem 1620. in 12.

De Officio hominis Religioſi lib. 3. Monachij apud Nicolaum Henricum 1622. in 8.

IOANNES PERLINVS natione Hiſpanus, patria Madritanus, cùm ab ineunte ætate vix quatuordecim expletis annis 1588. Deo ſe in Societate noſtra conſecraſſet, ingenij ſui felicitate, & indefeſſo ſtudio perfecit, vt in omni litterarum genere præclarus euaderet; Humaniore litteratura, in Hiſtoriæ cognitione, Græcæ, hæbraicæque linguæ peritia, Philoſophia, Iuris vtriuſque ſcientia, ac Regina omnium Theologia, quam ipſe complures annos in Regno Peruano, Limæ, Cuſci, Quiti, in Hiſpania Murciæ, Compluti, Matriti profeſſus eſt. Demum in Germaniam accerſitus, Coloniæ Agrippinæ Doctor renunciatus, eandem in illa inſigni Academia, non ſine eximia omnium approbatione profeſſus eſt. Obijt Dunkercæ dum adornaret reditum in Hiſpaniam die 31. Octobris 1638. ab emiſſa profeſſione quatuor votorum 34. Edidit

Apologiam Scholaſticam, ſiue Controuerſiam Theologicam, pro Magnæ Matris ab Originali debito immunitate. Lugduni per Iacobum, Andream, & Matthæum Proſt 1630. in 4.

Sacrum Conniuium, ſiue de frequentia, & vſu Eucharistiæ. Coloniæ apud Ioannem Kinkium 1632. in 4.

IOANNES PERPEZATIVS natione Gallus, patria Briuatenſis, diæceſeos Sanfloranæ, Societati adſcriptus anno ſalutis 1596. ætatis 18. Auenione, profeſſionem votorum 4. emiſit Flexiæ 1616. Docuit multos annos humaniores litteras, Linguam Sanctam, & quadriennio interpretatus eſt Sacram Scripturam in Prouincia Franciæ. Naturæ conceſſit Biturigibus die 5. Iunij 1629. Vertit è Gallico ſermone in Latinum

Apologeticam reſponſionem Ludouici Richeomi aduerſus Anticotoni, & Sociorum Criminationes. Lugduni apud Horatium Cardon 1611. in 8.

IOANNES PERSEVS aliàs FISHERVS natione Anglus, patria Dunelmenſis, ex familia Hæretica natus, ſingulari Dei beneficio cùm adoleſcens 15. annorum eſſet, non paucis difficultatum obſtaculis ſuperatis, in Galliam transfretauit. Ibi Rhemos primùm, deinde Romam petiit, vbi in Collegio Anglicano ſub R. P. Mutio Vitelleſco tunc illius Rectore, ſtudia proſequutus, & ſacris Ordinibus ex diſpenſatione Pontificis ante legitimam ætatem eſt initiatus. Ad hos dum ſe per ſacras commentationes S. Ignatij præpararet, ſenſit ſe identidem à Deo impelli ad inſtitutum Societatis, & quamuis ardenti teneretur deſiderio quantociùs in Angliam remeandi, tum ad procurandam Parentum ſuorum conuerſionem, tum ad martyrium pro Chriſto ſubeundum, tamen vtrumquè ſperans ſe in Societate conſecuturum, vocationi Diuinæ manus dedit, & ad Tyrocinium Tornaci auſpicandum ſeſe contulit anno 1594. Ibi cùm valetudine afflicta eſſet: nondum euoluto biennio, viſum eſt Superioribus ad hanc recuperandam, eum in Angliam deſtinare, & quia tempora admodum periculoſa erant, maioris ſecuritatis cauſa, per Hollandiam. Verùm comprehenſus Fliſſingæ à militibus Anglis hæreticis, agnituſquè pro Sacerdote, horrendum in modum tortus eſt, atque inde abductus in Angliam, Londini in tetrum carcerem, quem Brigittæ fontes appellant, eſt detruſus; vbi pro lecto pauimentum habuit lateribus ſtratum, & modico ſtramine conſperſum. Hinc tamen poſt ſeptem menſes nocte concubia per regulas dimiſſus eſt, & liber euadens, ad vota Scholaſticorum à Superioribus eſt admiſſus, pergenſquè ad ſanguine ſibi iunctos, & Matrem, & ſororem, & affines alios Eccleſiæ Catholicæ reconciliauit. Poſt hæc dum Catholicis in fide confirmandis, & reducendis Hæreticis egregiam varijs in locis nauat operam, iterum captus, & coniectus in vincula, poſt decem circiter menſes, rogatu Legati Regis Hiſpaniarum in exilium pulſus eſt, & in Belgium tranſmittens, præfuit ibi aliquamdiu Noſtris in munere Vice-Præfecti Miſſionis, & deinde Sacram Scripturam Louanij explicuit. Verùm cum nec carceres, nec tormenta formidaret, generoſus Athleta Chriſti, rurſus impetrata à Maioribus facultate, traiecit in Angliam, vbi tertiò, & quartò, iterum comprehenſus, & in cuſtodiam compactus eſt. Nec in carceribus ipſis ſine lucro multarum animarum Chriſto, & Eccleſiæ adiunctarum fuit. Nam accedentes ad ſe non paucos Nobiles conſilij cauſa, & fama doctrinæ permotos ad caſtra Chriſti feliciter perduxit, & inter eos Illuſtriſſimam D. Comitiſſam Ducis Buckingamiæ Matrem, qui cum ſumma gratia floreret apud Iacobum Regem, ab eo obtinuit, vt libero è carcere apud Matrem ſuam, ei degere liceret. Quin, & ipſe Rex de rebus Fidei controuerſis, audire ipſum coràm diſſerentem non eſt dedignatus, propoſuitquè ei ſcripto inſuper capita, quæ Suam Maieſtatem retinebant, quo minùs Romanæ Fidei manus daret, iubendo, vt ad ſingula reſponderet. Et quamuis Pater breui temporis interuallo ad ſingula ſoli diſſimè reſponſum repoſuerit, non tamen aſſecutus eſt à Rege aſſenſum, quem optabat. Poſt obitum Comitiſſæ iterum carceri mancipatus, iterum deprecatione Sereniſſimæ Reginæ Angliæ Henriettæ Mariæ libertati reſtitutus, denuò culturæ animarum nauiter ſe impendit, donec tandem

ta,

fractus annis, & laboribus, quatrum Confeſſor Domini in vinculis, ærumnoſam hanc vitam cum cœleſti (vt ſperamus) commutauit, Londini die 3. Decembris 1641. & ab emiſſa profeſſione votorum quatuor 33. Scripſit Anglicè

Tractatum de Fide. Opus inſigne, & perutile. Londini 1600. & deinde notis auctum Audomari 1614 in 8. Item

Defenſionem eiuſdem Tractatus de Fide contra duos Miniſtros Vrottorum, & Vitum, qui eum impugnabant. Audomari 1612. in 4.

Librum, quo prouocat Proteſtantes ad oſtendendam continuam ſuorum Prædicantium Succeſſionem à temporibus Chriſti prout Catholici oſtendunt de ſuis. Audomari 1612.

Reſponſionem ad nouem Articulos controuerſos ipſi à Sereniſſimo Rege Iacobo, in priuato Colloquio propoſitos. *Audomari 1625.*

IOANNES LE PESSIER natione Belga, patria Tornacenſis, natus anno 1596. Societatem 1611. ingreſſus, vota quatuor ſolemnia nuncupauit; Humaniores litteras, Philoſophiam, Matheſim, diu Duaci profeſſus, rexit Collegia Cameracenſe, Duacenſe, deinde totam Prouinciam Gallo Belgicam modeſta vigili, accurataque prudentia. Ab ipſo Tirocinij ſui limine animum adiecit ad religioſam perfectionem ſeriò capeſſendam, nec vnquam in eo ſtudio remiſit. Vaſto fuit, & capace ſcientiarum omnium ingenio, & Mathematica quædam problemata in praxim primus edidit, quæ hodie cum admiratione ſpectantur. Philoſophiæ profeſſor Sodalitatem omnium Sanctorum adminiſtrandam ſuſcepit, & qua ſolertia in excolendis ad pietatem animis Iuuenum valeret palàm oſtendit. In exhortationibus quippe ſuis, primas Fidei, perfectioniſquè veritates pia eloquentia explicare, & neruosè ſolebat inculcare, ita vt adminiſtrationem illius Sodalitij ſuas pias delicias appellauerit. Ab illis ad Noſtrorum regimen abſtractus, domeſticos ſuo ducebat exemplo, & prudenti vigilantia ad virtutis ſtudium incitabat. Frequentes habebat cum Deo ſeceſſus, & admotus ad gubernacula Prouinciæ eò contulit ſuas primas curas, vt Socios omnes ad quærendam ſemper maiorem Dei gloriam impelleret. Ipſe ſe priùs conceptis verbis obſtrinxerat voto, nihil vnquam ſe acturum, quod Diuinæ gloriæ repugnaret, imò ſemper acturum quidquid ex maiore Dei gloria futurum iudicaret. Vel in poſtremo morbo, & deficiente natura, tantæ tamen erat coniunctionis cum Deo, vt ſexageſies ante meridiem in holocauſtum Diuinæ gloriæ ſe offerret. Quantam porrò Inſtituti Societatis haberet peritiam palam fecit Romæ in Comitijs generalibus Ordinis, in quibus ita toti Congregationi ſuam probauit prudentiam, & virtutem, vt ſuffragia aliquot pro Generalatu, & 20. pro munere Aſſiſtentis Germaniæ retulerit. Reuertentem Roma occupauit catarrhus, qui itineris incommodis exaſperatus, venam ei rupit in pectore, & poſt aliquot reiectiones ſanguinis, materiam ſubminiſtrauit febri hecticæ, quæ ſenſim vitalem depaſta ſuccum, tandem maturè munitum vltimis Eccleſiæ præſidijs, & tenentem altera manu Chriſti effigiem, altera ardentem cereum, inter pia cum Chriſto colloquia tranſmiſit cœlo, Tornaci in Domo Probationis die 17. Octobris 1646. Edidit

Incitationem ad amplexum Crucis ex libello de Imitatione Chriſti contextam. Duaci apud Balthaſarem Bellerum 1628.

Endologiam morbi tempore in qua ſuauiſſimi affectus ad mulcendam quamlibet ægritudinem continentur. Duaci apud Iacobum Mairesse 1642.

Inſtitutionem ad mortem ſanctè obeundam. Opus poſthumum Leodij apud Houium 1646. in 8.

Scripſit Paraphraſim horarum Canonicarum Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, & Completorij, ſed non edidit. Item

Parauerat tres quæſtiones Quodlibeticas de Luna totidem orationibus Academicis explicatas anno 1625.

I. *Sit ne Luna Orbis habitabilis, huic noſtro, quem incolimus ſimilis?*

II. *Sint ne in Luna Montes, & Cauitates, & quanto illi terreſtribus excelſiores ſint, hæ verò quanto profundiores?*

III. *Qualis ſit Lunaris Regio? quæ in ea dierum, ac noctium vices? cæterarum anni tempeſtatum, quales denique eſſent incolæ, ſi qui ibi eſſent, ſeu homines, ſeu alia animalia?* verùm hæc, & alia inſuper mors ſuppreſſit

IOANNES PETRVS MAFFÆIVS natione Italus, patria Bergomas. Vir ſi quis alius noſtro ſæculo Latinè, Italicèque ſcribendi peritus. Cùm Iuuenes aliquot Nobiliſſimos Liguriæ in Ciuitate Genuenſi inſtituiſſet, & ad eloquentiam conformaſſet, Romam venit, & ſe in Probationis Domum ad Societatis noſtræ regulam formandum tradidit, anno ſalutis 1565. Auguſti 26. ætatis circiter 30. In ea tria vota ſolemnia profeſſus eſt, Romæ die 25. Martij 1571. vixitque vſque ad annum 1603. quo Tibure ad diem 20. Octobris obijt. Scripſit pereleganti ſtylo

Hiſtoriarum Indicarum Lib. XVI. Eos vertit Italicè Franciſcus Serdonatus 1589. in 4. & alius quiſpiam Hiſpanicè

Selectarum Epiſtolarum ex India Lib. IV.

De Vita S.P.N. Loyolæ Lib. III. quæ ſeorſim ſæpius edita, vno collecta volumine prodierunt Coloniæ ex officina Birckmannica per Arnoldum Mylium 1589. in fol.

Reddidit etiam latinè

Commentarium de rebus Indicis, Emanuelis Acoſtæ

Epiſtolarum de rebus Indicis Lib. I. De rebus Iaponicis Lib. I. quæ ſimul prodierunt hac inſcriptione

Re-

Rerum à Societate Ieſu in Oriente geſtarum Volumen; quod poſt alias editiones locupletatum prodijt Coloniæ apud Geruinum Caleniũ 1574. in 8.

Italicè verò ſcripſit

Vitas 13. Sanctorum Confeſſorum, quibus deinceps 4. alias adiecit, *vt ſint omnino 17.* Brixiæ apud Vincentium Sabium 1595. & Romæ apud Zannettum 1601. in 4.

Reliquit Italicè, non edidit tamen

De Vita Gregorij XIII. Pont.Max.Lib.xiij. & latinè

Res geſtas Clementis VIII. Inchoatas, atque ob hæc eum Syluester Maurolycus Lib. V. Oceani Religionum, non ſolùm duorum Regum Sebaſtiani Luſitaniæ, & Philippi II. Hiſpaniæ, ſed duorum etiam Pontificum Hiſtoriographum nuncupat.

* IOANNES PETRVS PASCHALIS natione Italus, patria Capuanus, Societatem vicennis amplexus eſt anno ſæculi voluentis 29. & votorum 4. profeſſione ſe adſtrinxit. Poſt traditas in ea humaniores litteras, Philoſophiam docuit ſeptennio, Theologiam Scholaſticam biennio, Moralem annis 14. Bis rexit Collegium Capuanum, in quo nauat adhuc operam culturæ animarum. Scripſit Italicè

Compendium Hiſtoricum de Sacra Campanæ Vrbis antiquitate. Neapoli typis Lucæ Antonij de Fuſco 1666. in 4.

Parthenopes lacrymas morboſa contagione ſubactæ. Neapoli apud eundem 1667. in 4.

In Gentilitia Campanæ Vrbis inſignia interpretationem. Neapoli 1667. in 4.

Lectiones proprias Sanctorum pro Capuana Ciuitate, approbatas à S. Congregatione Rituum. Neapoli 1669.

IOANNES PETRVS TANIVS natione Italus, patria Romanus, admiſſus in Societatem Romæ anno ſalutis 1583. ætatis ſuæ 19. vota quatuor profeſſus eſt. Rhetoricam docuit quinquennio, & multis annis Concionatorem egit per Italiam cum approbatione & fructu. Religioſè deceſſit Taurini die 16. Octobris 1615. Edidit

Indicem in Horatium, qui paſſim circumfertur.

Reliquit etiam Italico ſermone conſcriptas

Vitas Eremitarum Moralibus obſeruationibus illuſtratas, Tomis XIII. comprehenſas, ſed eæ nondum lucem viderunt. Seruantur in Bibliotheca Domus Profeſſæ Mediolanenſis.

IOANNES PHELIPPÆVS natione Gallus, patria Andegauenſis, in Societatem anno 1594. ætatis 17. ingreſſus eſt, & vota quatuor nuncupauit. Vir reconditiore doctrina, in Sanctorum Patrum, & Conciliorum lectione admodum verſatus. Concionator, & Collegij Rothomagenſis aliquando Rector; deſijt inter mortales viuere, Pariſijs die 2. Auguſti 1643. Eius opera ſunt

Oſeas primus inter Prophetas commentarijs illuſtratus. Tom. 1. Pariſijs apud Sebaſt. Cramoiſy 1636. in fol.

Commentarij in 12. Prophetas minores Tom. 4. Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoiſy 1633. Gallicè edidit

Tractatum Aſceticum oſtendentem veram hominis felicitatem in ſolo Deo reperiri. Pariſijs apud Ioann. Camuſat 1637. in 4.

Opus Sanctorum. Pariſijs apud Adrianum Taupinart 1638. in 8.

* IOANNES PHILIPPVS DE MARINIS patria Tabbienſis in Liguria, Ditionis Genuenſis, Societati nomen dedit Romæ anno ſæculi fluentis 25. ætatis ſuæ 17. & emenſis ſtudiorum ſpatijs ad lucra animarum nauigauit in Indiam Orientalem anno 1638. vbi in Miſſione Tunchinenſi 14. annis nauiter laborauit; profeſſionem votorum 4. emiſit; rexit Collegium Macaenſe, & à Congregatione Prouinciali electus Procurator, Romam acceſſit; atque inde confectis negotijs, per Luſitaniam in Iaponiæ Prouinciam cum lecta Sociorum manu renauigauit, vbi modo dum hæc ſcribo 1674. Præpoſiti Prouincialis munere fungitur. Elucubrauit dum Romæ verſaretur, opus Italicè

De Miſſionibus Patrum Societatis Ieſu Prouinciæ Iaponiæ, & particulatim in Regno Tunchinenſi. Romæ typis Tinaſſij 1663. in 4. Recuſum Venetijs 1665. duobus tomulis in 12. Gallicè redditum Pariſijs anno 1666. in 4.

IOANNES DE PINA natione Hiſpanus, patria Madridienſis annos natus 20. Societati ſe addixit Compluti anno ſalutis 1602. & votorum 4. profeſſionem emiſit. Concionatoris munere functus eſt aliquot annis; Rexit Collegia Almonacidenſe, S. Clementis, Ocanienſe, Madridenſe, Domum probationis Villaregienſem, & demum Prouinciam Toletanam; quam dum adminiſtraret, Comitijs Generalibus Ordinis Romæ anno 1645. interfuit. Vir fuit diſciplinæ religioſæ in primis amans, & ab alijs dum præeſſet, exactor ſedulus. Lectionis auctorum prope incredibilis, nam quaſi omnes Sanctos Patres Græcos, & latinos à capite ad calcem perluſtrauit, & excerpta ex iis, alijſque in collectanea retulit, ita vt ſupra centum tomos quingentorum foliorum ſingulos ſua manu deſcriptos, eiuſcemodi collectionibus impleuerit. Demum annis grauis ad laborum mercedem ex hac vita migrauit Matriti die 29. Iulij 1657. Edidit in lucem

Commentarios in Eccleſiaſticum, tomis 5. in folio quorum

I. Complectitur X. prima capita. Lugduni per Iacobum, Andream, Matthæum Proſt. 1630.

II. Complectitur ſequentia X. capita. Ibidem 1634.

III. Extendit ſe vſque ad caput 31. Ibidem 1640.

IV. Explicat X. ſequentia vſque ad 41. duabus partibus 1646.

V. Proſequitur reliqua vſque ad finem, bipartitò etiam diuiſus. Ibidem 1648. Alia non pauca habebat Auctor hic præ manibus, nimirum

Parthenium ſiue de Laudibus Beatiſſ. Mariæ tomos duos

Commentarium in Eccleſiaſten tomis etiam duobus

Aſceticum in Regulas Societatis.

Aegyptum ſpoliatam, quo loca difficilia Sacræ Scripturæ ex Auctoribus profanis explicabantur.

Conciones Latinas in totam Quadrageſimam; ſed hæc molientem, & matutum cœlo mors demeſſuit.

IOANNES DE PINEDA natione Hiſpanus patria Hiſpalenſis, nobili, & opulento loco natus, vix ephebus, ætatis anno XIV. expleto, ſalutis 1572. ſæculo valedixit, & Chriſti vexillum ſecutus, Societati noſtræ nomen dedit, in qua & Philoſophicas litteras, & Theologicas præclare didicit, & profeſſus eſt; nam Ariſtotelem Granatæ, priuſquàm per ætatem Sacerdotio poſſet initiari triennium, & deinceps Hiſpali biennium feliciter expoluit; & D. Thomam Cordubæ biennium interpretatus eſt, & Sacros Diuinę Scripturæ fontes totos 18. tum Cordubæ, tum Hiſpali, tum demum Matriti patefecit. Vixit autem vſque ad decrepitam ætatem, ſemper in ſtudijs, ſemper bono Reipublicæ intentus; nam cum eſſet S. Inquiſitionis Conſultor deſignatus, in vnum ipſum fere incubuit onus vniuerſum caſtigandi quidquid vndique adferebatur librorum. Doctrinæ eius præſtantiam opera, quæ ſcripſit ſatis loquuntur, de ea Cenſor primæ eius lucubrationis ſic ait, *Opus quod fidei nihil habet aduerſum, & Eccleſiæ Catholicæ eſt vtiliſſimum, in quo elucet magnum & felix Auctoris ingenium, ſtupenda eruditio, trium linguarum peritia mirabilis; varia veterum Patrum lectio, & electio rara in eruendis, explicandiſque genuinis, & huc vſque non auditis Iobi ſenſibus, inaudita fæcunditas meraque dexteritas, vna cum modeſtia, pietate & religione ſingulari.* Eminuero floruit Pineda ab ipſa prima ætate ſua vſque ad vltimam, non virtute minùs, quam ſapientia. Paupertatem ita ſemper coluit, vt nihil præter ſupellectilem librariam ſcriptori ſane perneceſſariam, in cubiculo vnquam habuerit. Veſtitu tam vili atque attrito vtebatur, vt ne Tironi quidem ſit aptus, quem geſſit poſtremum, voluiſſetque ſi ſuo potuiſſet animo indulgere, pannoſus in publico incedere. Virginitatis decus quod incredibili ſui, ſenſuumque cuſtodia, multa corporis maceratione, inſomnia, laboribus cuſtodiebat, integrum obtinuit. Obedientiæ ſtudio quam ſemper habuit in amoribus, ætate iam annis, laboribuſque fatigata, ad omne ſignum quo ſocij conuocabantur, primus accurrebat. Humanarum rerum fuit inſignis contemptor, cuius ſuæ virtutis lineas in toto ſuo Commentario in Eccleſiaſten appoſitiſſimè deduxit. Honores dignitateſque non indiligentiùs quàm quærant alij, declinauit. Deferebat plurimum ſententiæ aliorum, conſulebatque non rarò in litterarijs rebus, quarum ipſe videri poterat oraculum, iuuenes etiam Scholaſticos noſtros aſſerens ab omnibus ſe aliquid condiſcere. Diuinæ augendæ gloriæ, ſuas actiones omnes, ſua ſtudia, ſuos labores impendit. In Sanctos erat religioſiſsime pius; quorum cum plurimorum ſacra pignora ſecum ex Vrbe retuliſſet, ſolemni ſupplicatione curauit illa in ornatiſsimum Templum inferri. In Beatiſſimam Virginem tenerrimo fuit, ac filiali prorſus affectu: cuius honori quantum ſtuduerit, vel Hiſpalis ipſa teſtis eſt in ea celebritate, qua Conceptus ipſius Immaculatus publicè ibi aſſertus eſt, meditabaturque extremam lucubrationem de Nominibus Matris Dei conſcribere, qua laborum ſuorum periodum concluderet, & ſuæ in eam deuotionis documentum exhiberet. In proximos ſingulari fuit caritate, quærebatque nouos ſemper modos, quibus poſſet calamitoſis mortalibus ſubuenire. Societatem ſuam vti dilexit tenerrimè, ita conſtantiſsimè non vna occaſione propugnauit. Præfuit Domui Profeſſæ, & Collegio, quod à fratre ſuo fundari curauerat Procurator, a Prouincia Bętica Romã miſſus eſt. Eũ anno 1627. Religioſiſsimus ordo Carthuſianorum in Capitulo ſuo Generali dato diplomate nominatim ſcripſit meritorũ ſuorum participem, *Addente* (verba ſunt diplomatis) *de gratia ſpeciali vt cum obitus veſter nuntiatus fuerit, iniungantur pro anima R. P. V. Miſſæ, orationes, aliaque pietatis opera per vniuerſum Ordinem exſoluenda, ſicut pro clariſſimis amicis noſtris facere conſueuimus. Addentes etiam perpetuum anniuerſarium per totum Ordinem noſtrum in Kalendarijs domorum ſingulariter deſcribendum.* Eborenſis Academia Pinedam cùm illac tranſiret, pleno Magiſtratu excepit, oratione ſalutauit, parieti ad memoriam inſcripſit. *Hic Pineda fuit.* A ſacro Inquiſitionis Tribunali in Hiſpania conſtitutus fuit Viſitator Generalis omnium Bibliothecarum in Hiſpania cum poteſtate ampliſsima extrahendi ex ijs quoſcumque libros iudicaret eximendos, prout conſtat ex diplomate Cardinalis de Zapata Supremi Inquiſitoris dato 12. Febr. 1628. Vixit vir religioſiſsimus annis 80. Societati 66. Deceſsit 6. Cal. Febru. Ann. partæ ſalutis 1637. Scripſit autem Pineda excellenti ingenio, magno iudicio, varia eruditione.

Commentarium in Iob. lib. 13. adiuncta ſingulis capitibus ſua Paraphraſi, quæ & longioris Commentarij ſummam continet. Abſoluit autem tomis II. quorum prior lib. 6. explicat Capita 17. Matriti 1597. Poſterior lib. 7. reliqua capita 27. 1601. ij ſubinde Coloniæ Venetijs alibi ſimul recuſi ſunt.

Salomonem prævium ad Commentarios ſci-

ſcilicet ſuos in Salomonem, ſiuè de rebus Salomonis Regis lib.8.

Commentarium in Eccleſiaſten lib. 1. tomis 11. diſtinctum Antuerpiæ, apud Ioannem, & Petrum Bellores 1620 in fol.

Prælectionem Item *Sacram in Cantica*, qua nomine Theologici Gymnaſii excepit Cardinalem de Queua Archiepiſcopum Hiſpalenſem, cum Collegium noſtrum inuiſeret

Sermonem de Immaculata Conceptione B.M. Virginis

Aduertentias ad priuilegium xi. Ioannis I. Regis Aragonum

Reſponſa ad quorundam aduerſus has aduertentias obtrectationes. Scripſit præterea Hiſpanicè

Memoriale Sanctitatis, & virtutum Ferdinandi III. Regis Primi Caſtellæ, & Legionis: pro quo Philippus IV. Hiſpaniarum Rex propriis illi litteris gratias egit, deſignauitque Pinedam Oratorem ſuum ad Summum Pontificem, vt eiuſdem Regis Canonizationem procuraret, niſi ætas, & alia priuata incommoda obſtitiſſent.

Sermonem habitum ad Miniſtros Iuſtitiæ.

Orationem Funebrem dictam. Hiſpali in Anglorum Seminario ad Exequias D. Luiſæ de Carauaial defunctæ Londini anno ſalutis 1614.

De C.Plinij loco inter eruditos controuerſo ex lib.7. cap.50. *Atque etiam morbus eſt aliquis per ſapientiam mori*. Et alia minutiora in gratiam amicorum concepta. Denique iuſſu S.Inquiſitionis digeſsit incredibili diligentia, & labore.

Indicem expurgatorium librorum. Opus vaſtæ molis, auctoritate eiuſdem S. Officii vulgatum ſemel atque iterum auctum, quem illi laborem Eminentiſsimus Cardinalis Antonius Zapata Supremus fidei Cenſor in Hiſpania, ſuo totiuſque Sancti Tribunalis nomine gratulatus eſt per accuratam Epiſtolam.

Reliquit denique poſthumum nec omninò expoſitum opus hoc titulo.

Inſtrumentum Domus Sapientiæ, ſeu Sacra ſuaue, ac varia ſupellex, Sanctis Scripturis apparandis, adornandis, inſtruendis, pro dignitate tractandis neceſſaria lib.14. expoſita.

IOANNES PLAZA natione Hiſpanus, patria ex Oppido Methymna Celi, natus honeſtis parentibus anno 1527. ſtudiorum cauſa miſſus Complutum, in curriculo liberalium Artium, non vulgaria dedit ingenij, & doctrinæ documenta. Sed quod caput eſt, iam tunc in puero ea ſe prodiderunt ſeuerioris animi ſigna, quæ ſtudiorum, & contubernij Socios in ſui admirationem conuerterent, & à procaci verborum licentia deterrerent. Ob id etiam carus in paucis fuit Bartholomæo de Torres poſtea Epiſcopo Canarienſi, qui in celebri Gymnaſio Seguntino magna ſapientię fama Theologiam profitebatur, cuius audiendi cauſa, peracto Philoſophiæ curriculo, ſedem ſtudiorum Seguntum Plaza tranſtulerat. Magna Collegij opportunitate, & Doctoris eruditione ſingulari mirum quantum in Theologia profecerit. Sub finem ſtudiorum iam optimo adoleſcenti æterna meditanti, de eligendo neceſſario vitæ genere ſollicitudo inceſſerat. Sed tandem hebdomadariæ vacationis die cæteris Collegij alumnis ad ruſticandum dilapſis, ipſe ſe domi continuit, vt remotis interpellationibus in eam deliberationem totus incumberet. Multa ergo dubia & incerta mente cogitanti, atque ex feneſtra liberiore Cælorum aſpectu perfruenti, ingens lacrymarum vis ex interna quadam, & inſolita animi voluptate repentè ſuboritur: inde tacito quodam monito, inſtinctuque Diuino animum ad Societatem ineundam vehementer impelli agnouit. Pius adoleſcens Diuinæ voluntatis nutu, nuntio rebus humanis ſpontè remiſſo, non multò poſt nomen Societati dedit. Sed qui ſtudio homilitatis Doctoratus inſigne recuſauerat, cogendus fuit Sociorum imperio, vt in ipſo pene aditu Religionis Doctoralem Theologię apicem ſuſciperet. Societatem Compluti ingreſſus anno 1553. ætatis ſuæ 26. iam Sacerdotio initiatus, tantam breui aſſecutus eſt ſpiritualium rerum cognitionem, vt nondum exacto biennio probationis, Tironibus Cordubæ præpoſitus, Magiſtrum agere cœperit: breuique tantum in ea tractatione animorum promouit, vt ab ipſis etiam Moderatoribus conſuleretur; & ſaluberrima quædam ipſe inſtituta procuderit, quę poſtmodum Societas vniuerſa recepit, & Tironibus, & eorum Magiſtris cuſtodienda præcepit. Anno 1557. à S.Franciſco Borgia ad quatuor votorum profeſſionem vocatus eſt, & vertente anno ab eodem pro ſe Romam miſſus, vt ſubrogando Præpoſito Generali cum iure ſuffragij adeſſet. Ab Vrbe redux Granatenſi Collegio datus eſt primò Rector, tum Superintendens, tenuitque eos Magiſtratus annos circiter 12. Dein Prouincialis munere perfunctus in Prouincia Bœtica, Viſitator in Peruanam anno 1574. miſſus eſt, multiſque in ea rebus ex Societatis diſciplina præclarè geſtis eodem munere Mexicum deſtinatus eſt. Deinde continuato labore Prouincialis Officium, multa Noſtrorum pariter, atque Externorum vtilitate ſuſtinuit ad annum vſque 1585. ex quo Magiſtratibus abdicatis, rerum ſpiritualium tractationi in Collegio Mexicano ſe totum impendit. Ita ſe verò Rectorum poteſtati permiſit, vt omnem ſui curam in eoſdem proieciſſe videretur. Tres integros annos antequam è vita diſcederet, proſtratus articulorum doloribus iacuit perpetuò affixus lecto, nec leuiter tractari poterat ſine magna doloris amplificatione. Ferebat ipſe omnia æquiſſimo animo, & quando acerbiſſimus erat morſus doloris, ſublatis in cætum oculis. *Tu Domine*, aiebat, *Tu verbera iniunge, ego interim Miſerere percurram*. Et quidem tantis illum incommodis Diuina

Maieſtas exercuit, vt meritò à multis diceretur Societati donatus, vt poſteris daretur exēplum patientiæ. Hoc autem tempore nihil in ſeruandis Eccleſiæ præceptis de ſua priſtina ſeueritate remiſit. Horariæ certe precationis penſum, etiamſi ad vertenda folia alienis manibus indigeret, ita perſeueranter exſoluit, vt ex minoribus horis quædam memoriter recitare auditus eſt die, qua ſacro vnctus eſt oleo. Tandem victus morbis, Sabbato circa mediam noctem illius diei, qui S. Thomæ Apoſtolo Sacer fuerat, è vita Mexici diſceſſit, anno ſalutis 1602. ætatis 75. initæ Societatis 49. & profeſſionis 44. Mexicanæ peregrinationis 26. Simulatque vulgatus eius obitus eſt, multitudo concurrit ſanctimoniæ viri fama excita; nec ſatis habebant roſaria appliculiſſe ori, impreſsiſſe oſcula manibus, ſed in fruſta & praſegmina conuolarunt nomine Reliquiarum. Octauo die repetitis à Congregatione Clericorum honoribus exequiarum, vitæ ſanctimoniam ipſius duo panegyriſtæ multis laudibus extulerunt. Plura de viri laudatiſsimi virtutibus alibi erit proferendi locus. Concinnauit Concilii Prouincialis Mexicani iuſſu

Catechiſmum, quo rudimenta Chriſtianæ religionis teneræ ætati traderentur.

Tractatus quoſdam alios impenſe laudatos Edidit, quorum adhuc argumentum non comperi

IOANNES POLANCVS natione Hiſpanus, patria Burgenſis; Humanioribus litteris excultus, & Philoſophicis etiam diſciplinis in Pariſienſi Academia eruditus, Romam venit, vbi Scriptor (vt vocant) Apoſtolicus factus, in ipſo iuuentutis flore, ab Iacobo Laynio exercitationibus ſpiritus formatus, animum appulit ad noſtram Societatem anno ſalutis 1541. Deinde Patauij S. Theologiæ dedit operam magno ingenio, graui iudicio, labore aſſiduo, quibus præſidijs eò euaſit, vt à graui illius ſæculi ſcriptore Guilielmo Eyſengrein in Catalogo Teſtium veritatis ad A.C. 1560. ex merito appelletur. *Vir doctrina, & eloquentia clarus, Orator facundus, Philoſophus grauis, Sacrarumquè litterarum ſcientia nemini ſecundus*. Poſtea Romam à S. P. Noſtro Ignatio reuocatus, poſt magnam Bononiæ, atque in Etruria factam frugem animorum, omnium per 9. annos conſiliorum, actionum, totius denique gubernationis præcipuus Miniſter illius, atque adiutor fuit. Et cùm eſſet publicus Societatis Secretarius, cui omnia committebantur arcana, concionibus, ſacriſquè lectionibus ſimul operam dabat; idemque, & Chriſtianæ Doctrinæ, & Procuratoris Generalis officium adminiſtrabat; nec tamen à Culina, triclinijquè muneribus erat immunis. Anno 1549. Sacro Annunciationis Angelicæ die, gradum ad ſolemnem quatuor votorum profeſſionem fecit Romæ; Eique Ignatius, cùm receſſum à negotijs aliquem ſub extrema vitæ ſpectaret, adminiſtrationem Societatis pene vni permiſit. Sancto viro in cœlum ſublato apud *Iacobum Lainium* (cuius etiam pro Hiſpaniæ Prouincijs Aſſiſtens fuit, & Admonitor, & Secretarius, vnaque diu Generalis Procurator; quicum etiam profectus in Gallias anno 1561. publice Pariſijs cum Sectariorum primarijs diſputauit, & cum eodem mox Tridentum progreſſus, inter Theologos peregit ſententiam, tam docta, & grauiter culta oratione, vt ex merito ferret approbationem; cùm dicerent vulgò, ea demum dignitate, ac maieſtate ſummas, ac diuiniſſimas res tractari æquum eſſe, & apud S. Franciſcum Borgiam, qui proximè in Generalatu Lainio ſucceſſerat, eundem locum tenuit. In gubernanda namque Societate illi Ioanne Polanco plus vtebantur nemine. Ille à ſecretis erat; ille omnium litteris, & conſultationibus reſpondebat, ille negotiorum, ille vel rei familiaris curam gerebat; vt vnus omnium ferè obire officia, & ſuis humeris vniuerſam quodammodo Societatem ſuſtinere videretur, exquiſita obedientia, diligentia ſingulari, rara patientia, atque modeſtia. Illud præterea ſæpenumero non abſque admiratione animaduertimus, in ipſo maximarum occupationum concurſu, eundem ſemper vultum, eandem ſemper in Ioanne Polanco frontem fuiſſe. Poſt obitum S. Patris Franciſci Borgiæ factus eſt Vicarius Generalis, præfuitquè Congregationi Generali, qua Pater Euerardus Mercurianus Præpoſitus creatus eſt, à quo miſſus in Siciliam, vt Prouinciam illam viſitaret, ſuo munere egregiè perfunctus Romam redijt: vbi haud multò poſt ex morbo decubuit, & optimè de Societate atque adeo de vniuerſa Eccleſia meritus, ſexagenario maior è vita deceſſit die 21. Decembris anno ſalutis 1577. Scripſit libellos pios, atque eruditos

Breue directorium ad Confeſſarij, & Confitentis munus rectè obeundum, quod anno 1554. primum editum, ſæpiùs deinde multis in locis recuſum fuit, Italicè redditum à Ioanne Maria Tartia prodijt Venetijs apud Damianum Zenarum 1579.

Doctrinam Chriſtianam, Italicè Venetijs per Franciſcum Pampazzettum 1570. in 16.

Methodum ad eos adiuuandos, qui moriuntur. Burgis apud Iuntas 1578.

De ſeptem Peccatis Mortalibus

De Humilitate item paulò ante mortem aptiſſime, ac luculenter Scripſit.

Exſtat quoque inter opuſcula pro Sodalitate B. Virginis, eius *De modo orandi, & pſallendi cum fructu*, libellus, vt Auctor eſt Antonius Poſſeuinus in Apparatu Sacro

Conſtitutiones Societatis Ieſu à S. P. N. Ignatio Hiſpanice conſcriptas Polancus latinas fecit, quam verſionem probauit Congregatio I. generalis, atque imprimi mandauit

Induſtrias etiam quaſdam edidit mandato, & ductu S. P. N. Ignatij, *ad vſum Doctrinamque*

namquè Operariorum noſtrorum, qui in Miſſionibus verſantur, vt refert Bernardus de Angelis, in Præfatione ad induſtrias P. Claudij Aquauiuæ.

Scripſit præterea Tractatum ſanè præclarum, quem exiſtimo non vidiſſe lucem, hoc titulo

Induſtriæ ad Vitam ſecundum triplicem conatum, Ad Deum eundi, ad noſtra exeundi, ad Deum redeundi.

Scriptum reliquit etiam latinè *Chronicon breue, ſeu Synopſim rerum geſtarum Societatis Ieſu ab initio vſque ad annum* 1549. in 8. Item

Hiſtoria Societatis ab illo anno 1549. *vſq; ad obitum S. P. Ignatij anno* 1556. tomos 3. in folio, qui Romæ in Societatis Archiuio inter Mſs. aſſeruantur

IOANNES PRÆPOSITVS natione Belga, patria Atrebas, vir egregiè doctus, & vaſtæ mentis in puſillo, nec optimè tornato corpuſculo. Quadriennio Philoſophiam Duaci docuit; Theologiam Scholaſticam totis 16. annis, partim Louanij, partim Duaci profeſſus; atque hic Studiorum quoque geſſit præfecturam, Doctor iam antea Theologiæ creatus. Inde Romam euocatus aliquot annis Cenſor, ſeu Reuiſor Librorum noſtrorum, cum alijs Præpoſiti Generalis Theologis fuit. Reuerſus poſtliminio in Belgium, dum ad ſcriptionem totus incumbit, Montibus Hannoniæ die 8. Iunij anno ſalutis 1634. vitam finiuit, ætatis 63. Societatis aditæ 42. emiſſæ profeſſionis quatuor votorum 25. Vir fuit plane inſignis, & tam fama doctrinæ, ſolertia, librisque in publicum datis, quàm ſtudio paupertatis, Superiorum cultu, Inſtitutiquè obſeruantia præclarus. Dum Sacramentis ad extremam luctam armaretur, Deum in Hoſtia Sacra coram teſtatus in hæc verba, plenus lacrymarum erupit: Domine Ieſu, ſi quid vnquam docui, ſi quid ſcripſi, quod Eccleſiæ tuæ ex vſu, & commodo eſſe poſſit, paratiſſimus ſum id omne meo ſanguine conſignare; ſi quid autem hæreticum, reuoco, ſi quid erroneum, temerarium, vanum, mordax, aut imprudens dixi, totum id reuoco, iterumquè reuoco. Edidit

Commentaria in Tertiam partem S. Thomæ, de Incarnatione Verbi Diuini, Sacramentis, & Cenſuris tom. 1. Duaci apud Gerardum Pattè 1629. in fol. Item

In primam Partem S. Thomæ de Deo vno, & trino, de Angelis, & Operibus ſex dierum tom. 1. Typis iiſdem Pattè 1631. in fol.

Denique *in Primam ſecundæ S. Thomæ*.

* IOANNES PRICIVS natione Anglus, patria Ceſtrienſis, Societatem amplexus Hiſpali anno ſæculari 1600. ætatis ſuæ 21. vota quatuor ſolemnia nuncupauit. Vir egregiè doctus Philoſophiam, & Theologiam profeſſus eſt Valliſoleti, & Louanij. Vineam Anglicanam multis annis laudabiliter excoluit, & ad Eccleſiæ Catholicæ gremium plurimos reduxit. Religioſæ Diſciplinæ amator, & cuſtos, & propter amabilem morum ſuauitatem, omnibus quibuſcum vixit carus. Exceſſit ex hac vita in Anglia die 27. Februarij 1645. Edidit Anglicè tacito ſuo nomine

Anti-Mortonum, ſiue Apologiam contra Thomam Mortonum Pſeudo-Epiſcopum Dunelmenſem 1640. in 4.

IOANNES RAMIREZ natione Belga, patria Traiectenſis ad Moſam, natus anno ſalutis 1595. Societatem inijt 1613. Docuit humaniores litteras, & multis annis ad populum pro concione dixit, ſpiritualis Coadiutoris in gradu conſtitutus. Mortalitatem exuit Aloſti die 28. Aprilis 1640. Euulgauit

Septem Exercitia cum nonnullis pijs Opuſculis. Louanii

IOANNES RAPHAEL COBENZL natione Germanus vel certè Italus, gente Carnus ex illuſtri Baronum familia, iuuenis in Societatẽ ſe recepit, in qua optimis diſciplinis inſtructus, Philoſophiam triennio, Theologiam tum Moralem, tum Scholaſticam octennio docuit, vtriuſque facultatis Doctoratu inſignitus. Collegium Clagenfurtenſe primum, mox etiam Græcenſe cum laude Rector gubernauit, vti & Domum Profeſſam Viennenſem, primus ab eius inſtitutione Præpoſitus; quam ſuo etiam obitu funeſtauit, nam acutiſſimis calculi doloribus oppreſſus, cùm iam antea iiſdem ſæpè cruciatus fuiſſet, & aliquando fuiſſet ab iis ereptus, inuocato in opem B. P. Franciſco Borgia, cuius ipſe erat obſeruantiſſimus, demum victus extinctuſque eſt, Viennæ die 28. Ianuarij anni ſalutis 1627. ætatis 55. Religionis 34. emiſſæ profeſſionis 4. votorũ 27. Vir fuit non ſapientia dumtaxat, quam in illo ſæpè Viennenſes Academici ſunt admirati, & gubernandi peritia, atque alijs naturæ dotibus: ſed præclaris etiam virtutibus ornatiſſimus. Multa illi in Deum, diuinaſque res pietas fuit, & ſenſus tenerrimus. Tempus ante meridianum pene ex integro illi dicarat. Conſueta cæteris hora orationi impenſa ſacrificabat, tum duobus alijs intererat ſacrificantibus. Præter penſum Canonicum, quotidie duplex aliud recitabat officium ſecundum Breuiarij Romani ritus, de Venerabili Euchariſtia, vel de Spiritu Sancto alterum, alterum de S. Barbara, cuius honori erat addictiſſimus. Templum, atque aram imprimis principem ad dies celebriores ipſemet exornabat, indefeſſus ad multas horas multitudini diuinam eſcam porrigebat, quo ſtudio ſe mirifice delectari aiebat. Prima ſemper illi cura fuit, ne quid Ædi Sacræ deeſſet, non munditie, non ornatus; non aptiſſimi Miniſtri. Et his quidem cum per dies ſolemniores diutiùs ſolito ad laborem incubuiſſent, ipſe ad menſam miniſtrabat; Domi quietem, & ſilentium colebat plurimùm; foris conuerſationem humilitate, modeſtia, prudentia temperabat. Externorum conſuetudinem, Magnatum imprimis, religioſæ tranquillitatis gratia declinabat, & diſſimulabat

quoad

quoad poſſet ſui generis claritatem. Egregium ſui contemptum, vel hoc vno facinore declarauit. Roma redux à Procuratione pro ſua Prouincia, ipſo Natali Domini die, hora ante meridiem nona, inuectus eſt Goritiam per medios ſuos populares, & agnatos, carro pagano, qui ſarcinulas vehebat, ceu triumphabundus inſidens, vno ſui deprimendi ſtudio ductus. Inde cùm in Sororia domo diuertiſſet, equi ferocientis calce læſus in pede, meritò id ſibi dicebat eueniſſe, nec dum ſatis ſuorum amori mortuo. Paupertatis amator erat eximius, eamquè volebat in victu, atq; in rebus omnibus elucere, ita tamen ne quid ſuis pateretur rerum deeſſe neceſſariarum, & in iis, quæ per leges Societatis extra ordinem concederentur, ſplendidus appareret. Ipſe ſibi ne in morbis quidem acutiſſimis permittebat eximium quidquam; communi menſæ modo contentus: ſi cuius eſu edulij ſuo morbo prohibebatur, aliud tamen nullum eius loco admittebat. In ægros cæteros, atque in hoſpites, magna amoris ſignificatione munificus erat, & largus. Societatem vehementer amabat eiuſquè inſtitutorum, atque omnis Religioſæ diſciplinæ tenaciſſimus erat, ad quam omni ope tuendam, promouendamque, quà beneficientia, quà medijs acrioribus, vti res ferebat connitebatur. Proceribus vtriuſque Reipublicæ carus fuit, & pretioſus. Opinio probitatis, atque adeo ſanctitatis eius, multum inde roborata eſt, quod mox ab obitu ſuo luce multa perfuſus abſenti procul Noſtro cuidam ad multa milliaria ſpectabilis apparuit clara die ſemel iterùmque hilari vultu aſpectuque amabili, cum viatorio ſcipione, petaſatus, tamquam accinctus ad iter, cumquè euanuiſſet ex oculis, miram dulcedinem, voluptatemque in animo illius poſt ſe reliquit. Scripſit

Epiſtolicam Velitationem in Triumuiros Auguſtanæ confeſſionis verbi Miniſtros Ioannem Schnelzigk, Simonem Mannum, & Bartholomæum Rulichium. *An ex Fide, quæ nihil recipiat quod ſcriptum non ſit, probari poſſit Baptiſmum ſub conſueta forma verborum adminiſtratum eſſe verum, & legitimum Chriſti Baptiſmum*. Olomucij typis Georgij Handelij 1615. in 4.

Librum in Concionem Simonis Mann, quam habuit 5. Nouembris anno 1615. Le Norma Fidei, & religionis. Olomucij typis Pauli Schramnſij 1617. in 4.

IOANNES REBELLVS Ferdinandi frater, natione Luſitanus, patria ex oppido Prato diœceſis Lamecenſis puer 15. tantum annos natus Societatem noſtram expetiuit, & complexus eſt 21. Iunij anno ſalutis 1558. Is ad omnem ſe virtutum diſciplinam mirum in modum exercuit; oratione excelluit, præſtitit mortificatione, caritate erga proximum fuit admirabili; Itaque totos ipſos pene 44. annos, quos in Societate vixit, audiendis confeſſionibus, concione commouendis populis ad pietatem, Congregationibus inſtituendis ſanctè vtiliterque traduxit. Animarum, quæ in Purgatorio culparum ſuarum pœnas exſoluunt, aſſiduus atque pius auxiliator fuit. Dominicæ paſſionis perpetuus meditator; Beatiſſimæ Virginis Mariæ addictiſſimus ſeruus, in cuius patrocinio acquieſcebat; in eaque colenda, laudibuſque prædicanda multus erat. Illi ſiquidem acceptum retulit, quod totis 30. annis nullum ſtimulum libidinis ſenſiſſet. Ex quo populos maxime hortabatur, vt pijs precibus, ieiunijs, eleemoſyniſque defunctorum in Chriſto animas à Purgatorij acerbiſſimis cruciatibus liberarent, & Chriſti Saluatoris in Cruce affixi memoriam perpetuò retinerent, & ad Sacratiſſimam Virginem tamquam ad portum, ſiue aſpirante, ſiue reſtante fortuna confugerent. Et vbicumque locorum poterat Sodalitates piorum hominum, ad hæc tria præſtanda inſtituit, & legibus informauit. Itaque eius opera pietas, orationis ſtudium, & in Deiparam deuotio in Luſitaniam mirificè eſt propagata. Sui deſpicientiam, & gloriæ popularis contemptum heroico plane facinore iam inde à primo Religionis tirocinio ſtabiliuit; ratus enim omnibus id ſolemne eſſe, quibus aperitur Societas, cubicularem lectulum in Collegium deferri iuſſit. At increpitus à Rectore, iuſſuſquè ſuis eum humeris domum referre, antequam admitteretur, paruit illicò, & baiuli in morem ceruice ſubijt onus, frequentibuſque vijs reportauit alijs exiſtens ſpectaculo, alijs ludibrio, nonnullis ad rerum humanarum deſpicientiam incitamento. Dum vixit, flagellatione in ſingulos dies vſus eſt interdum non incruenta; adeo, vt illi ſubducenda fuerint flagella, aculeatis conſerta hamulis, quibus ſe acrius quàm ferendo erat, vlcerabat. In Collegio Eborenſi, intempeſta nocte dormientibus cæteris, ipſe fune ad collum alligato, & pœnitentium amictu indutus, per ſcalam lapideam tribus, & viginti gradibus conſtantem, factus ſibimet carnifex aſcendebat, ſe ipſum flagris in ſingulis gradibus excrucians, dicenſquè more Præconum, qui reos mortis præcedere ſolent: Supplicium, quod Dominus Ieſus Ioanni Rebello infligi iubet ob commiſſa ab eo ſcelera multa. Spiritualia exercitia omnia, Orationis, pſalmodiæ, examinis Conſcientiæ, & quæcumque alia, eximia in Deum reuerentia, vel in ætate prouecta, morbiſque attrita flexis ſemper genibus, compoſitoque ad omnem modeſtiam corpore obibat. Moriturus conſtantiæ exemplo fuit. Nam cum illi crus fœde extumeſcens perſtringendum eſſet ære candenti, cæſimquè, ac punctim lancinandum, ne herpetis vitium in reliquum corpus proſerperet, dari ſibi poſtulauit in manus Chriſti morientis ſimulachrum, ab illius amplexu doloris ſolatia petiturus; cui affixus, & inhærens ferri, flammæque cruciamenta fortiter tolerauit,

lerauit, ſic exercitum probatumquè mors ſuſtulit, atque ad beatam vitam, vt ſperamus tranſtulit, Eboræ 14. Iulii anno ſalutis 1602. ætatis 60. Profeſſionis quatuor votorum 20. Scripſit Librum Hiſpanicè.

De Roſario (ſic enim vocant) *B. Virginis Mariæ*. Eboræ, typis Emmanuelis Lyrani 1599. in 8. Item

Dialogos duos de eadem B. Virgine

Commentarios ad Doctrinam Chriſtianam

Tractatum de Vita Chriſti. Vlyſſipone typis Franc. Lyra 1600. in folio

Alia præterea multa ſcripſit, quæ lucem non aſpexerunt

IOANNES RENAVDIANVS natione Gallus, patria Briuenſis diœceſeos Lemouicenſis anno 1588. ætatis 17. in Societatem ingreſſus, vota quatuor emiſit. Magiſter fuit Nouitiorum, Rector Collegiorum Petrocoricenſis, Pictauienſis, Burdigalenſis, Palenſis, Rupellenſis, & Prouincialis. Electus poſtea à Comitijs Prouinciæ interfuit Congregationi Generali Octauæ Romæ. Auſterus valdè, & aſper in ſe ipſum, etiam cum Prouinciam regebat, pedes illam, & ſæpe cilicio indutus obibat. In diuerſorijs licet feſſus, & madibus in genua ſe abijciebat ad horas Canonicas recitandas. Abrupto ſomno ſurgebat ad Diuinum Officium, & longa quotidie verberatione, flagris ferreis, aut æreis immitiſſimè ſe cædebat. Somnus illi breuis, & in palea, vel aſſere nudo captus. Oratio longa, & frequens, & ferè ſemper de genibus. Multa narrantur de illo, & mira ſupra naturæ vires, & quaſi cælitùs ab illo impetrata, quæ non ſunt huius loci. Vti vixerat ſanctè obijt Burdigalæ, calendis Auguſti, 1646. Scripſit librum cui titulus

Affectus animæ deuotæ, ex Pſalmodia Dauidica depromptí. Coloniæ apud Ioannem Crithium 1607. in 12. Prodijt prius tacito Auctoris nomine Lugduni per Horatium Cardon 1606. in 12. Item

Promptuarium prædicabile, in quo Diuina incentiua piorum affectuum è Sacris Litteris colliguntur. Auguſtoriti Pictonum per Anton. Meſnier anno, vt apparet in calce libri 1610. in 8. Præfert autem nomen Ioannis Theophili Francopolitæ

IOANNES RHETIVS natione Germanus, patria Colonienſis ex familia patritia Conſulari, Romam anno ſalutis 1554. profectus eſt iuuenis, viuente adhuc S. P. N. Ignatio. Deinde in Collegio Romano excultus, & grauioribus diſciplinis eruditus, redijt in patriam, vbi anno 1557. noui Collegij Regens conſtitutus, Oratoriæ tum facultatis potiſſimum profeſſione, pòſt etiam emiſſa profeſſione votorum quatuor, Theologiæ explicatione illud illuſtrauit. Inde ad primordia Treuirenſis, Moguntiniqúe ſtabilienda Collegij per interualla excurrit, & concionibus populum vehementer inflammauit ad pietatem, & tum ſingulari animi modeſtia, & lenitate, tum exquiſita ſolidaquè doctrina, hæreticorum conatus repreſſit, multumquè Catholicæ Religioni attulit adiumenti. Denique, tum in patria, tum apud Exteros Principes egregiè meritus, vbique ſe, & ſemper fortiſſimè aduerſariorum conatibus obiecit, illorumquè occulta, & pernicioſiſſima conſilia inueſtigauit, patefecit, & vt diſſiparentur, effecit. Sic vir maximè religioſus, ac pius ab Gerardo Deſchio Kempenſi inſano, miſerabili caſu Coloniæ in ipſo Collegio interfectus eſt, die 26. Octobris anno ſalutis 1574. vnà cum P. Leonardo Keſſelio, & P. Nicolao Fabro tanto Ciuitatis vniuerſæ mærore, ac luctu, vt cùm ipſo Sanctorum Apoſtolorum Simonis, & Iudæ feſto die, ſolemni pompa, Vniuerſitate, Clero, & Reip. Proceribus, cum incredibili populi frequentia in funera prodeuntibus terræ mandarentur, videre eſſet alios multis lacrymis, ſuſpirijs, atque gemitibus ſuum declarare dolorem, alios præ mæroris impotentia animi deliquium pati, alios edere vlulatus, & lamentabiles voces, quibus tam præſtantia Eccleſiæ lumina, ſummóſque ſibi ereptos viros funeſta vnius manu deflebant. Scripſit Ioannes Rhetius Manutiana Scholia ſecutus, ſuppreſſo ſuo nomine

Obſeruationes in Librum I. Epiſtolarum M. Tullij Ciceronis ad T. Pomponium Atticum.

IOANNES RHO Iacobi Frater (de quo ſupra egimus, natione Italus patria Mediolanenſis, vir culti ingenii, & rara facundia, latinè, Italiceque, natus anno ſalutis 1590. Societatem amplexus eſt, ſeculi vertentis 4. & vota 4. profeſſus eſt 1622. Ab ipſo Tirocinio ſeuerioris diſciplinæ tenorem arripuit, quem per omnem deinde vitam vſque ad vltimam ætatem conſtantiſsimè retinuit. Dum Philoſophiæ adhuc operam nauaret, tantam inter coætaneos eloquentiæ laudem eſt conſecutus, vt primus è Societate, non dum Sacerdos, ad tradendam publicè Rhetoricam in Braydenſi Collegio Mediolani fuerit adſcitus. Salutis animarum & ſpargendi pro Chriſto ſanguinis cupidiſsimus, ſæpiùs ſummo ardore inſtitit apud Præpoſitum Generalem Mutium Vitelleſcum pro Miſsione Indica; ſed viſus eſt vtilior futurus Italiæ, quam obeundo ſuis ſacris concionibus excoleret; & functus nauiter eſt eo munere 37. annorum ſpatio, ea dicendi copia, eruditione, & eloquentiæ fama, vt paucos ſua ætate habuerit ſibi pares. In eo etiam vel maximè laudandus, quod in tot itinerum, ſtudiorum, atque ętatis incommodis, nihil ſibi vnquam à Religioſa paupertate, aut communi vita aliorum indulſerit, aut vnum locum præ alio expetiuerit, ſed Superiorum curę atque arbitrio quocumque placeret mittere ad prædicandum, ſe totum permiſerit; Societatis inſtitutum tenerrimè dilexit, eamquè à commentitijs aliquorum fabulis egregiè

ſuo

ſuo ſtylo vindicauit, In decliui ætate admotus regimini, gubernauit primò Domum Profeſſam Mediolani, poſtea Prouincias Romanam, & Neapolitanam, magna vbique commendatione prudentiæ, & caritatis. Electus etiam eſt à Prouincia Mediolanenſi, vt Congregationi Generali octauæ intereſſet cum iure ſuffragij. Tandem laboribus,& annis confectus, poſt trimeſtrem morbum multarum virtutum exercitatione toleratum, vitam ſanctè concluſit, quam puram ab omni grauiori labe, & Virginem à Baptiſmo accuratiſſimè ſeruauerat, prout varijs non leuibus argumentis creditum eſt. Contigit id Romæ die 10. Septembris 1662. Edidit Italicè

Exameronem, ſiue Orationes Sacras ſuper Operibus ſex dierum Creationis Mundi. Venetijs apud Babam 1651. in 4.

Sabbatha Templi Ieſu Romæ, ſiue Exemplorum de B. Virgine Maria Centuriam primam. Romæ typis Ignatij de Lazaris 1655. in 4.

Exemplorum de B. Virgine Centuriam II. Ibidem 1656. in 4.

De S. Euchariſtia Orationes 30. Romæ typis iiſdem 1657. in 4.

Quadrageſimale I. Concionum ex quatuor ab ipſo compoſitis, & prælo paratis. Venetijs apud Babam 1652. in 4.

Quadrageſimale II. Concionum. Mediolani apud Hæred. Ghiſolphi 1670. in 4.

Orationes 10. diuerſis in locis, & annis habitas poſtea in vnum volumen collectas cum Diſſertatione de anno Sæculari. Bononię 1647. in 12.

Orationes Sacras ſupra Diuinam Scripturã, Partem III. De Patriarchis Veteris Teſtamenti. Mediolani apud Hæredes Ghiſolphi 1672. in 4.

Vitam S. Lidani Abbatis Protectoris Setiæ. Romæ typis Cameræ Apoſtolicæ anno 1641. in 4.

Actuum, & Affectuum virtutum Centuriam I. De Caritate. Centuriam II. De Fide. Romæ typis Corbelletti 1644. in 24.

Centuriam III. De Spe. Mediolani 1645. in 24.

Centuriam IV. De Patientia. Ibidèm 1667. in 24.

Centuriam V. De Paſſione Chriſti. Ibidem 1641. in 24.

Centuriam affectuum erga S. Euchariſtiam. Ibidem 1656. in 24.

Centuriam affectuum erga B. Virginem. Romæ 1658. in 24.

Martyrium trium Beatorum è Societate Ieſu Pauli, Ioannis, & Iacobi Iaponum Crucifixorum. Sub nomine Ioſephi Buſoni. Florentiæ apud Simonem Ciottum 1628. in 8.

Latinè edidit

Diſſertationem de Anno Sæculari Societatis Ieſu. Romæ typis Corbelletti 1639. in 4.

Interrogationes Apologeticas pro Societate ad Ioannem Baptiſtam Caſtaldum de S. Ignatio. Lugduni apud Petrum Proſt 1641. in 4.

Achatem ad D. Conſtantinum Caietanum pro S. Ignatio, & Societate Ieſu. Lugduni apud Philippum Borde 1644. in 4. Prohibitus eſt hic liber à Sac. Congreg. Indicis.

Varias virtutum Hiſtorias libris ſeptem. Lugduni apud Hæredes Petri Proſt 1644. in 4.

De Paſſione Domini cogitationes varias, ſiue Diſcurſus in totam Paſſionem Chriſti in 4. ſine nota loci vel temporis impreſſionis.

Elogium Ferdinando II. Auſtriaco Romanorum Imperatori verè Pio, verè Maximo. Romæ typis Franciſci Corbelletti; deinde Viennæ Auſtriæ typis Michaelis Rictij vtrobique anno eodem 1634.

Multa alia meditabatur, quæ mors præcidit. Sub prælo iam pridem eſt

Quadrageſimale tertium. Mediolani apud Carolum Andream Romenolum &

Pars quarta lectionum ſupra libros Regum. Ibidem apud Federicum Agnellum.

IOANNES DE RIBERA origine Hiſpanus,natus in Americæ Prouincia,quæ Noua Hiſpania dicitur. Is cum conſanguineæ cuiuſdam ſuæ ſpecioſiſſimæ formam vidiſſet morte repente tam defædatam, vt nemo ad eius aſpectum non exhorreſceret, ita commotus eſt, vt meditabundus abſceſſerit, illudquè ſibi identidem occinens, *fallax gratia, & vana eſt pulchritudo* animum ad Societatem noſtram conuerterit annos dumtaxat 17, natus. In Philippinas inde miſſus, Theologiam ibi tum Moralem, tum Scholaſticam profeſſus eſt; & Manilenſe Collegium Rector gubernauit. Reuocatus diu multumque à ſuis in Americam eſt, non importunis modo precibus, ſed extortis etiam à Præpoſito Generali ternis ad id Epiſtolis; ille tamen nunquam adduci potuit, vt rediret in Patriam, ne ſuo exemplo ſimilem alij reditum in Europam, aut vnde, vnde veniſſent molirentur. Vir fuit cùm in omni Theologia, tum verò in Morali longe doctiſſimus, cuius vnius reſponſis, tamquam oraculis Principes, Prælatique mox quieſcebant. Tanta prudentia, & agendi dexteritate, vt vnus ipſe viſus ſit omnium eſſe aptiſſimus, qui nauigaret ad Luſitanos in Indiam, & difficillimo tempore atque arctiſſimis rebus illorum expoſceret auxilia, ſine quibus eæ Inſulæ retineri non poterant, confecitque negotium ſpe, ac voto felicius, ſi frui licuiſſet quatuor roſtratis nauibus exoratis. Fructus earum haud alius fuit, quàm, vt ſummam Riberæ conſtantiam, animique magnitudinem oſtenderent, cum eas, vidit ſiccis oculis in Aurea Cherſoneſo ab Hollandis inflammari. Ab ea nauigatione difficillima redux, multis deinceps grauibuſque morbis diuexatus eſt, quos incredibili patientia tolerauit. Floruerunt in eo mirificè virtutes omnes, humilitas imprimis, qua vir tanti nominis,atque exiſtimationis infra omnes ſe dimittebat. Superio-

rum

rum dè quouis errato ſuo monitiones, ceu profectas à Deo ſubmiſſiſſime excipiebat: Indos, ac mancipia viliſſima prouocabat ad ſe mira comitate, atque eximia caritate complectebatur, ſi quid in ſuos, illi Dominos peccaſſent ad ipſum, veniæ impetrandæ cauſa perfugiebant. Aliorum promptè ſequebatur conſilia, licet eſſet ipſe doctiſſimus, crebròque illud vſurpabat, *Ibi ſalus, vbi multa conſilia*. Nullum vnquam, vel tum cùm alijs præeſſet cum imperio, Socij famuliùe miniſterium ad cubiculi, vel alios vſus admiſit. Concionatorem Auguſtiniani Ordinis, qui læſum ab alio Riberæ nomen pro concione, parabat ipſe pro concione defendere, obteſtatus eſt enixè ne faceret. Adeò ſui honoris parum erat ſollicitus. Orandi ſtudio tenebatur impensè, obibatque eas mentis exercitationes medio in conclaui ſtans rectus, aut genibus flexis ne quis ſopor obreperet. Sæpe noctes in oratione, & lacrymis ducebat; & cùm eas per morbi moleſtias haberet inſomnes, conſueta tamen cæteris hora è ſtrato ad orandum ſurgebat. Semper illi mens erat in Deum erecta, cum interim ſe accuſaret neglecti temporis, quod illi per morbos ſuppeteret ad contemplationem. Longos ſæpe ductus in ea trahebat quietiſſimæ vnionis cum Deo, illud identidem expers ferè ratiocinationis, vſurpans, *Domine quid me vis facere*? Humaniſſima ſua facilitate addebat animum omnibus ſe quaquà de re conueniendi; nec vlli quidquam negabat eorum, quæ præſtare poſſet. Coadiutores, tum temporales, tum ſpirituales ſingulari beneuolentia complectebatur, redeuntibus peregre omni caritatis obſequio occurrebat. Ante extremum morbum, cùm ſeceſſiſſet in villam valetudini curandæ, paucis diebus Barbarorum linguam addidicit, vt illos poſſet per Quadrageſimam confitentes audire, tanta ſua voluptate, quantam in Societate maximam vnquam eſſet expertus. Votorum ſuorum fuit obſeruantiſſimus. Nihil vnquam quamuis leuiſſimum dedit, accepitue, niſi facultatem ad id priùs obtinuiſſet. Supremis diebus quidquid piarum habebat Imaginum, quidquid ſcriptorum, (quæ ſanè multa habebat, fœtus ingenij atque induſtriæ ſuæ,) Superiori diſpenſanda commiſit, ne quid feciſſe ex ſuo arbitrio, aut indulſiſſe affectibus videretur. Caſtitatem Angelicam, & illibatam vſque ad mortem tenuit Virginitatem. Accidit iuueni ante initam Societatem, vt à nobiliſſima ſimul, ac ſpecioſiſſima fœmina, ſæpiùs de ſtupro fruſtra interpellatus, cum aliquando ſine arbitris deprehenſus vehementiùs ſollicitaretur tenereturque per veſtem, earum partem diuulſam impudicæ reliquerit in manibus, profugus, ne prodigeret caſtitatem. Eam deinceps tuebatur ſingulari modeſtia, oculorumque continentia tanta, vt per plateas incedens, niſi fuiſſet ab obuijs interpellatus, neminem ipſe diſcerneret. Ad eiuſdem virtutis cuſtodiam adhibebat ſingularem Sanctorum Angelorum, ac Michaelis imprimis, ſuique tutelaris cultum, & maiorem etiam præ illis in Reginam Virginum pietatem, de qua nunquam ſine lacrymis ad concionem verba faciebat. In ipſo morbo ſollicitè circumſpiciebat, ne iaceret indecore, ne qua pars corporis oculis pateſceret. Obedientiam ita coluit vt ipſius ductu multa ſupra vires aggrederetur, negans Religioſi hominis eſſe quid poſſis, non quid præcipiatur, magis attendere, illudque alacriter exhaurire. Ad extremum poſt exantlatos in Dei cauſa labores innumeros, diuturno, eoque acerbiſſimo morbo exercitus, & purgatus eſt. A planta pedis vſque ad verticem capitis non erat in eo ſanitas, ſed vlcus & plaga tumens, ſcabies & tubercula, tumoreſque intrinſeci, qui ſubinde animam ita illi intercludebant, vt propè excluderent; cogebaturque mutato ſemper ſitu quietis aliquam partem quæritare, quam nuſquam tamen inueniret. Et inter hæc gratias Deo identidem referebat, eiuſque ſe nutui totum permittebat; cui quò ſe perfectiùs accommodaret, Sancti Iobi Hiſtoriam ſibi curabat prælegi, quam tacito deinde animo reuoluebat. Recreatus autem à Deo eſt, ſuæ mortis, & ſecuturæ ſalutis prænunciatione certa, cuius ipſe omnem articulum temporis ſine errore ſignauit, aiens, decretum eſſe in diuino Prætorio, vt manè diei Dominicæ, qua Ven. Euchariſtiæ feſtum in Templo Societatis celebraretur, vnus eiuſdem Societatis iſthic moriatur vitæ ſempiternæ certiſſimo reſponſo accepto. Id ipſi adamuſſim euenit; obita morte tranquilliſſima Manilæ die 5. Iunij, media iam nocte in diem Dominicam ſequentem translata anno ſalutis 1622. ætatis ſuæ 57. ab inita Societate 40. ab emiſſis quatuor votis 23. Scripſit

Annuas literas Philiopinarũ à Iunio 1602. ad Iunium 1603. Editas Italicè Romæ 1605.

Reliquit etiam *Reſponſa Moralia*, quæ vt in lucem edantur optandum eſt.

IOANNES RISERIVS natione Belga gente Batauus, domo Amſtelodamenſis natus anno 1572. Societatem ingreſſus 1593. & vota quatuor nuncupauit. Antuerpienſi Collegio Vice Rector triennium præfuit; cæterùm maximam ætatis partem in Hollandica Miſſione egit, per annos 40. vbi magnis ſudoribus glorioſam Fidei Catholicæ operam nauauit, & inter frequentia capitis pericula plurimos Eccleſiæ Catholicæ lucrifecit. Demum ſenio confectus ad æternæ vitæ præmia ex cuſtodia corporis euolauit. Antuerpiæ die 16. Martij 1650. Edidit

Elogia ad Imagines Sanctorum virorum, & fœminarum Eremicolarum.

IOANNES RIVVLINVS natione Hungarus gente Tranſyluanus Societati adſcriptus anno ſalutis 1587. ætatis 19. ſpiritualium Coadiutorum vota emiſit. Vir in Deiparam Virginem affectu ſingulari, cuius etiam aſpe-

aſpectu creditur fuiſſe recreatus. Obijt Tirnauiæ die 2. Iulij anno 1628. Edidit tacito ſuo nomine

Faſciculum Laudum Beatæ Virginis Mariæ.

IOANNES ROBERTI natione Belga, gente Arduennas, Domo Andainus in Societatem anno 1592. ætatis ſuæ 23. in Prouincia Rhenana ingreſſus magnos in omni genere doctrinæ proceſſus habuit, & vota 4. profeſſus eſt. Sacræ Theologiæ Doctor eiuſque & Diuinarum Litterarum tum Duaci, tum Treuiris, Herbipoli, Moguntiæ interpres; Rector olim Collegij Paderbonenſis, Religioſo fine quieuit Namurci die 14. Februarij 1651. Edidit

Myſticas Ezechielis Quadrigas, hoc eſt Sancta quatuor Euangelia Hiſtoriarum, & Temporum ſerie vinculata. Græcè & Latinè. Moguntiæ 1615. in folio, typis Ioannis Albini

Theophridi Epternacenſis Abbatis 24. (qui ex vita migrauit anno Domini 1110.) *Flores Epitaphios Sanctorum Lib. IV.* primus luci aſſeruit, & Notis illuſtrauit. Luxemburgi apud Hubertum Reuland 1619. in 4.

Hiſtoriam Sancti Huberti Principis Aquitani, vltimi Tungrenſis, & primi Leodienſis Epiſcopi, eiuſque Vrbis Conditoris, Arduennæ Apoſtoli, cum Notis, & Paralipomenis ad Vitam & Quæſtionibus Hubertinis, quibus dubia circa vitam explicantur. Luxemburgi typis Huberti Reulandi 1621. in 4.

Vitam S. Lamberti, quam Gallicè vertit, & edidit Alardus le Roy noſter. Leodij apud Ioannem Tournay 1633. in 8.

Nathanaëlem Bartholomæum, ſeu Demonſtrationem qua probatur Nathanaëlem eſſe Bartholomæum Apoſtolum. Duaci apud Arnoldum Vvion 1619. in 4.

Legiam Catholicam, qua oſtenditur Leodienſes Epiſcopos ab vſque S. Materno S. Petri Diſcipulo, ſemper fuiſſe Catholicos Latinè; eam Gallicè eſt interpretatus Alardus le Roy.

Eiuſdem Elogia quinquaginta.

Elogia 50. Iuriſperitorum Sanctorum. Leodij typis Ioannis Ouvverx 1632. in 12.

Edidit præterea contra Hæreticos, & Hecebolios huius temporis nonnulla his titulis

Tractatus Noui de Magnetica vulnerum curatione, auctore Rodulpho Goclenio Breuis Anatome. Louanij typis Chriſtophori Flauij in 8. & Treuiris apud Henricum Bock 1615.

Goclenius Heautontimoroumenos, ideſt Curationis Magneticæ, & Vnguenti armarij Ruina. Luxemburgi typis Huberti Reuland 1618. in 8.

Metamorphoſis Magneticæ Caluino-Gocleniane. Leodij typis Ioannis Ouvverx 1618. in 8.

Goclenius Magus, ſerio delirus, Epiſtola. Duaci typis Arnoldi Vvion 1619. in 12.

Curationes Magneticæ, & Vnguenti Armarij Magica impoſtura aduerſus Diſputationem Ioannis Baptiſtæ Helmontij. Luxemburgi apud Hubertum Reuland 1621. in 8. & Coloniæ typis Ioannis Kinckij 1622. in 8.

Diſſertationem de ſuperſtitione. Treuiris apud Henr. Bock 1614. in 16.

Parallela SS. Miſſæ, & Cœnæ Hæreticæ, ipſo Præſide propoſita Diſputationi à Ioanne Eringo

Anglicanæ Eccleſiæ Reformatæ baſis, Impoſtura. Luxemburgi apud Reuland 1619.

Magia Fanatica, quæ tamen an iam prodierit non conſtat.

Scripſit præterea Gallicè

Conſiderationes ad Leodienſes pro retinenda Fide Catholica. Gallicè & Flandricè

Examen Confeſſionis Fidei Belgicæ Reformatorum

Edidit Auctoris Anonymi

Contemptum Mundi verſu Rhythmico. Luxemburgi apud Reuland 1618. in 8. Parabat plura, ſed mors præoccupauit.

IOANNES ROCCIA ſeu DE ROCHA natione Luſitanus patria Bracharenſis, admiſſus in Societatem anno Domini 1585. ætatis 19. nondum expleto tirocinio nauigauit in Indiam, & Sinas ingreſſus anno 1598. magno animarum zelo vſque ad mortem in vinea illa gnauiter laborauit. Gentis illius idioma excellenter calluit, plurimos Chriſto peperit, & optimis vitæ exemplis inſtruxit. Doctorem Paulum, magnum illud Chriſtianorum columen, aquis luſtralibus Baptiſmi tinxit, profeſſus ibidem vota 4. anno 1604. Gubernauit Reſidentiam Nanquinenſem, deinde totam illam Miſſionem, quo munere priuſquam defungeretur vitæ Apoſtolicę metam & coronam attigit ſub finem Martij 1623. Luxit eius mortem lugubri amictu tamquam ſui in Chriſto Patris idem Doctor Paulus cum tota familia. Eius encomiū ſuo inſeruit Agiologio Georgius Cardoſus ad diem 21. Iunij. Tranſtulit Sinicè lingua vulgari.

Doctrinam Chriſtianam à Marco Georgio noſtro digeſtam, & qua paſſim tota Luſitania vtitur

IOANNES RODERICVS GIRON qui & Roiz, & Giram, & Girao, ſcriptus inuenitur natione Luſitanus ex oppido Alcouche diœceſis Vlyſſiponenſis Societati inſertus anno ſalutis 1576. ætatis 17. profectus in Indiam 1583. multos annos exegit in Iaponia, vbi & linguam gentis perfectè condidicit, & Sacras conciones ad populum habuit ab anno 1593. Socius poſtea laborum Vice Prouincialis fuit per octennium, ſpiritualis Coadiutor formatus, obijt anno 1633. Scripſit

Litteras Iaponicas plurium annorum 1604. 5. 6. 9. 10 11. 12. & 25. Quarum aliquæ redditæ Italicè impreſſę ſunt Romæ typis Zannetti 1610. in 8. aliæ iiſdem typis 1615. in 8.

* IOANNES ROSENTHAL natione Germanus, patria Hertzogradenſis prope Aquiſgranum natus anno ſæculi præterlabentis

tis 1 2. Societati ſe addixit 1630. & vota 4. in illa nuncupauit. Docuit litteras Græcas, Latinas, Philoſophiam, Matheſim, & Eccleſiaſten egit Coloniæ in ſumma æde magna cum approbatione, & fructu. Miſſionarius dein ad oppidum S. Goaris, & Confeſſarius Sereniſſimi Principis Erneſti Lantgrauij Haſſiæ, omnes feruentis operarij partes expleuit. Præter inſignem eruditionem, & linguarum variarum peritiam, ab ipſo, marte ſuo acquiſitam, eluccebant in eo virtutes multæ inſignes, vtpote abſtinentia etiam in quotidianis ieiunijs; paupertas in voluntario rerum etiam neceſſariarum defectu; Caſtitas in mira ſenſuum cuſtodia; afflictatio corporis in perpetuo cilicio; obedientia in obſeruantia etiam nutuum cuiuſcumque Superioris; humilitas in obeundis palam vilibus operibus; zelus in frequenti flagitatu Indiarum; patientia in aduerſis; Aequanimitas in ferendis iniurijs varijs, & contumelijs. Nihil fere aliud die ac nocte credebatur agere, quam de Cœleſtibus meditari aut preces vocales decurrere, vt horis ſenis & quandoque octonis Creatori quotidie vacaret. Reliquo etiam tempore quidquid ageret, quocumque pergeret, meditabundus Deo coniungeretur. Tandem Romam cum memorato Principe Erneſto ad Alexandrum VII. Pont. Max. accedens, ibi poſt paucorum dierum febrim, Sacramentis omnibus ritè præmunitus innocentem animam reddidit Creatori die 15. Octobris 1655. Edidit Germanico idiomate

Concionum diebus Dominicis & feſtiuis tomos 11. in 4. Coloniæ apud Hermanum Mylium 1653.

Iuſtam querelam contra Prædicantem Caluiniſtam de Controuerſijs fidei. Ibidem & ijſdem typis 1656. in 8.

De ædificio ſupra Chriſtum. Coloniæ apud Hen: Kraft. 1653. in 4.

Exercitia & preces per totum annum ſub titulo *Bonum tempus*. Coloniæ apud Hermannum Mylium 1651. in 12.

Latine Edidit

Epiſtolam Irenicam, ad Iuuentutem Haſſiæ, ſuper Diſſenſionibus Doctorum quos audiunt. Coloniæ typis Kraft 1655.

IOANNES ROVSSELET natione Gallus patria Rhemenſis ad Societatem acceſſit anno ſalutis 1608. ætatis 17. qui poſt alias in ea laudabiliter obitas functiones, Rectorem egit Collegij Metenſis, & poſtea Antiſſiodorenſis, eoque in munere finem viuendi inter mortales fecit die penultimo Octobris 1636. votorum 4. pridem profeſſus. Tranſtulit è Gallico latinè ediditque ſub nomine Ioannis Campani

Tractatũ P. Stephani Bineti, nomine Franciſci à fonte publicati cuius hæc inſcriptio.

Vindiciæ Priuilegiorum & gratiarum quibus in Eccleſiaſtica Hierarchia Priuilegiarij, & Religioſi legitimè vtuntur ex SS. Concilijs, Patribus, Orthodoxis Doctoribus atque Theologis deſumpta. Herbipoli typis Ioannis Volmari 1626. in 12. Tranſtulit item

Teſtamentum hominis Chriſtiani, ab Antonio Sucquet compoſitum Muſſiponti apud Sebaſtianum Cramoiſy 1624. in 16.

IOANNES ROXAS, natione Hiſpanus patria Toletanus, Adoleſcens 17. annos natus Societatem noſtram ingreſſus eſt anno ſalutis 1569. & poſtea ad Religionem inſtitutus, & literis probè inſtructus, tum docendo, tum concionando, tum etiam gubernando bene meritus eſt de Societate. Fuit omnium virtutum genere ornatus; Summa in B. Virginem religione, cuius honori dies Sabbati ieiunio conſecrabat. Quot annis obſequia culinæ per hebdomadam continenter, ſæpiùs per interualla alia humilitatis officia obibat. Obedientiæ ſtudio nunquam patiebatur ſibi rationes explicari eorum quæ imperabantur, ſatis eſſe dicens id Deum velle interprete Moderatore. Deploratam vitio ſtomachi ſalutem cum aliquando recepiſſet S. P. N. Ignatij deprecatione, eodem tamen malo demum confectus occubuit Madridij 29. Settembris, anno Chriſti 1605. ætatis 53. Religionis 36. à ſuſcepta 4. votorum profeſſione 15. ex latina in Hiſpanicam linguam conuertit

Horatij Turſellini de Sacra Domo Lauretana libros. Matriti apud Petrum Madrigal 1609. in 4.

De vita & morte Chriſti Domini Noſtri, opus ingens habebat in manibus ac prælo ſubijcere cogitabat, quod illi mors feſtinata excuſſit

IOANNES RVBEVS Summi Pontificis ad S. Petri Pœnitentiarius, ita nominatur Auctor hiſtoriæ mortis Vrbani VII. Pontificis ab Andr. Victorello, in additione ſua ad vitam Vrbani VII. à Spondano in Annalibus ad annum Chriſti 1590. num. 10. & alijs, ſed per errorem. In ipſa relatione impreſſa (non ab ipſo, ſed ab aliquo alio) dicitur compoſita à R. P. Ioanne Petro Roſſi Ieſuita Pænitentiario. Sed verum nomen illius Pœnitentiarij eo anno fuit *Petrus Paulus Roſſi*, qui patria Romanus, Societati aggregatus eſt anno ſalutis 1576. ætatis 17. Sexennium docuit in ea humaniores litteras, & Pœnitentiarij munere fungebatur ad Vaticanum, eo tempore quo migrauit e vita Vrbanus VII. Pont. Max. ideoque ex officio, morienti adfuit. Rexit poſtea Collegium Tiburtinum & naturæ conceſſit Romæ in Collegio Romano die 4. Nouembris 1600. Hic igitur conſcripſit Italice

Relatione in della morte Vrbani VII. Pontificis Maximi, cui interfuit, impreſſam poſtea ab alio ſub nomine Ioannis Petri Roſſi Societatis Ieſu Pœnitentiarij ad S. Petrum, Romæ apud Ioannem Martinellum in 4.

IOANNES RYVVOCKI natione Prutenus in Societatem ingreſſus anno 1624. ætatis ſuæ 25. votorum 4. profeſſionem emiſit. Rhetoricam quadriennio in ea docuit, & annis

nis totidem in Academia Vilnenſi Controuerſias de Fide, & Diuinam Scripturam explicuit. Gubernauit Collegia Brunsbergenſe, Vilnenſe, Domum Profeſſam Varſauienſem, & bis illam Prouinciam. Vir valde ſpiritualis ab ipſo tirocinio, bellum ſibi ac ſuis propenſionibus indixerat, iam tunc nec muſcas nec culices, a facie vel manibus, ex ſtudio mortificationis abigere ſolitus. Per plures annos ante mortem, quamuis acutiſſimis doloribus vexatus, nunquam conſuetas corporis afflictationes intermiſit. Coram Sanctiſſimo Sacramento plures horas & præſertim eam, quæ poſt menſam religioſæ relaxationi concedi ſolet, orando, vel meditando conſumebat. Cum Prouincialis iter curru perageret, ſemper mentem & oculos, in imaginem Chriſti Crucifixi ante ſe pendentem defixos tenebat. Toto vitæ religioſæ tempore conſcientiam ab omni grauiori labe puram conſeruaſſe creditur. Ad extremum vitæ momentum, varijs modis licet æger, ſeſe communiuit & demum Sanctiſſimè obijt Varſauiæ die 6. Aprilis 1666. Edidit.

Pannegyricos 11. *quibus res geſtas Vladislai IV. Regis Poloniæ complexus eſt*. Vilnæ typis Academicis 1636. in folio.

Deductionem S. Caſimiri in Mauſolæum ipſi à Sigiſmundo III. Rege Poloniæ Vilnæ extructum. Vilnæ 1637. in folio.

Beneficentiam Regis in conferenda Theologo & Concionatori ſuo P. Matthiæ Caſimiro Sarbievski è Societate Ieſu, Laurea Theologica. Vilnæ 1639. in folio.

Iconem votorum in nuptijs Vladislai IV. Regis, & Ceciliæ Renatæ Auſtriacæ

Panegyricum Funebrem Alberti Radziuilij S. R. I. Principis Caſtellani Vilnenſis, Vilnæ 1636 in fol.

Arma Catholica pro Traditionibus & Purgatorio contra Anti-Bellarminum Ameſij Proteſtantis Franckorani. Vilnæ 1636. in fol.

Paræneſim ad Miniſtros Caluinianos, de Spiritu priuato ad Synodos non admittendo 1639. Vilnæ in 8.

Laurentalia Rigenſia contra Prædicantem Hæreticum. Vilnæ typis Academicis 1638. in 8.

Ideam magni Herois comprehenſam 13. Panegyricis, de rebus geſtis Leonis Sapieha Palatini Vilnenſis &c. Antuerpiæ apud Meurſium 1644. in 4.

Vitam Simonis Rudniski Epiſcopi Varmienſis. Brunsbergæ typis Gaſparis Vveintgartner. 1645. in 4.

Reliquit paratum prælo

Tractatum in Cantica Canticorum, Myſterijs Chriſti panegyricè explicata Item

Caluinum Angelomachum, ſeu Prælium Caluini aduerſus bonos Angelos.

IOANNES DE SALAS natione Hiſpanus, patria Gumielenſis de Yzan diœceſis Oxomenſis, anno ſalutis 15‹›3. natus eſt 3. Decembris, Latinas atque Græcas litteras Pintiæ. Ariſtotelicas etiam puer didicit, & die 7. Septembris anni 1569. noſter factus eſt, atque ad noſtri inſtituti regulam conformatus. Sacram Theologiam Salmanticæ audiuit, quam Philoſophiæ curſu Segouiæ prius explicato, Compoſtellæ, Barcinone, Salmanticæ, Pintiæ, ac Romæ denique, plurimos annos tradidit. Cenſorem etiam Generalem librorum Societatis, & Theologum Præpoſiti Generalis, aliquot annos Romæ egit. In Hiſpaniam reuerſus animum ad ſcribendum appulit, nunquam tamen à docendo vſquam ad mortem deſtitit. Nam quando obijt Salmanticæ Cathedram Veſpertinam regebat. Obijt autem ibi die 20. Septembris 1612. à ſuſcepta votorum 4. profeſſione 17. Vir fuit iudicio P. Claudij Aquauiuæ inter doctiſſimos totius Societatis, aſſiduæ lectionis librorum omnium, & fideliſſimæ memoriæ, ita vt omnium penè auctorum, & facultatum ipſe ſolus Bibliotheca eſſe videretur, & tamquam ſapientiæ oraculum, in dubijs paſſim à pluribus conſuleretur. Edidit

Diſputationum in Primam Secundæ Diui Thomæ, tomum 1. qui complectitur quæſtiones 48. priores. Barcinone apud Gabrielem Graells & Gerardum Dotil 1607. in fol.

Tomum 2. qui complectitur quæſtiones 41. vſque ad 89. incluſiuè. Barcinone apud Sebaſt. Marcuad & Laurent. Deu 1609. in fol.

Tomum 3. qui complectitur Tractatũ de Legibus à quæſtione 90. vſque 108. Lugduni apud Ioannem de Gabiano 1611. in fol.

Prodierunt in lucem poſthumi eius

Tractatus V. in Secundam Secundæ S. Thomæ nempe

De Emptione, & Venditione

De Vſuris; De Cenſibus; De Cambijs; De Ludo. Lugduni ſumptibus Horatij Cardon 1617. in 4.

Extat eiuſdem tomus Manuſcriptus *De Gratia, & Auxilijs* in folio in tabulario Societatis Romæ, edendus, quando licentia edendi ſimiles tractatus à S. Sede Apoſtolica concedetur

IOANNES SALISBVRIVS natione Anglus, gente Cambrobritannus, factus eſt Societatis noſtræ anno 1605. ætatis ſuæ 30. Iam tum Sacerdos, & operarius in Anglia, vbi diu, & feliciter deſudauit, & votorum quatuor profeſſionem Londini emiſit 1618. Multis annis Noſtrorum etiam in certo diſtrictu Superior fuit. Deſignatus Procurator Anglicanæ Prouinciæ in ipſo procinctu ad iter Romanum obijt in Anglia anno ſalutis 1625. Tranſtulit è Latino in Vvallicum, ſeu Cambro-britannicum ſermonem

Catechiſmum maiorem Roberti Cardinalis Bellarmini. Audomari 1618. in 8. Item

Alios libros pios

IOANNES SALLERVS natione Germanus, patria Tuzinganus, diœceſis Auguſtanæ ſuſceptus in Societatem anno ſalutis 1581. ætatis 18. profeſſionem edidit votorum qua-

quatuor. Philoſophiam docuit ſexennio, & totidem annis Theologiam Moralem. Auguſtæ Vindelicorum multos annos in Æde Principe cum magna laude concionatus, ab eximia quoque virtute commendationem accepit. Conciones ſuas flexis genibus ſcripſiſſe dicitur; & à B. Virgine Deipara in Templo veteris Capellæ Ratiſbonæ, ſuæ prædeſtinationis ad ſempiternam gloriam nuncium accepiſſe. Prophetiæ etiam dono claruiſſe creditus eſt. Obijt Monachij die 24. Martij anno 1630. Edidit lingua Germanica Auguſtæ anno 1607. tres libellos his titulis

Epiſtola Encyclica de Pietate Catholicorum ſe flagellantium. Lutheranus exulans, ſeu quàm procul Lutherani aberrent ab ſua Auguſtana Confeſſione Carolo V. Imperatori anno ſalutis 1530. *oblata. Controuerſia de Euchariſtia*

Reliquit præterea

Concionum Tomos aliquot. Hiſtoriam perſonarum Euagelicarum

Hiſtoriam Templi Oetingani

* IOANNES DE SANCTO ALBINO natione Gallus, nobili genere apud Borbonios ortus anno Domini 1587. ad Societatem acceſſit anno ſæculi vertentis ſexto, & vota 4. profeſſus eſt. Vir fuit placidiſſimo ingenio; Rhetoricam, & politiores diſciplinas tradidit decennio. Concionatorem egit octennio. Rexit Domum tertiæ probationis Lugduni. Septuagenario maior humanitatis debitum perſoluit Lugduni die 18. Octobris 1660. Edidit ſermone Gallico

Hiſtoriam Vrbis, & Eccleſiæ Lugdunenſis duobus tomis in folio. Lugduni ſumptibus Benedicti Coral 1658. Item

Paraphraſim in Iobum, & Eccleſiaſten Salomonis carmine Gallico. Lugduni typis iiſdem 1658. in fol.

IOANNES DE SANTIAGO, ſeu à SANCTO IACOBO natione Hiſpanus, patria Toletanus, Oratoriam facultatem Hiſpali docuit antequam ſe Societati addiceret, & in eam cooptatus anno ſalutis 1565. ætatis verò ſuæ 32. duodecim annos eandem profeſſus eſt, & tria vota ſolemnia emiſit. Fuit Græcis, Latiniſque litteris apprimè excultus, & qui Angliæ, Belgijque litteratis Prouincijs eruditiſſimorum virorum amicitia floruit, atque eruditione profecit. Sed multò tamen in pietatis, & diuinæ commentationis ſtudio prouectior fuit. Mortuus eſt Marcenæ, quæ Bœticæ Vrbs eſt die 13. Ianuarij anno ſalutis 1604. ætate iam ſeptuagenarius. Edidit librum

De Methodo Concionandi. Hiſpali apud Ioannem Leonium 1595.

De Arte Rhetorica lib. 4. typis iiſdem 1595.

De Conſcribendis Epiſtolis.

* IOANNES A S. MICHAELE, natione Hiſpanus, patria Matritenſis, Deo ſe in Societate deuouit in Prouincia Toletana anno ſalutis 1622. ætatis ſuæ 17. & nondum emenſis ſtudiorum ſpatijs, lucrandarum Deo animarum cauſa nauigauit in Americam, vbi, & Theologiam Mexici abſoluit, & votorum 4. profeſſionem emiſit, & in Concionatorem inſignem euaſit. Rexit Collegium Valliſoletanum in eodem Regno, & modò degit in Collegio Mexicano animarum ſaluti per miniſteria Societatis impensè addictus, & regularis obſeruantiæ imprimis amans. Mandauit ibi typis

Conciones varias à ſe habitas Mexici.

* IOANNES SCHVCKING natione Germanus, patria Darubdienſis in Vveſtphalia natus anno ſæculi tranſacti 96. adoleſcens adhuc dum Coloniæ operam Philoſophiæ daret, luculentum exhibuit ſpecimen abſolutiſſimæ virtutis, qua poſtea excelluit, adeo maturè grauis, prudenter modeſtus, verecundè caſtus, piè candidus, otij fugitans, ludorum negligens, laboris amans, cibi potuſquè abſtinens fuit, vt ſuo exemplo complures ad Societatem duxerit, quos ipſe præiuit anno ſæculi prætetlabentis 17. iam tum Artium, & Philoſophiæ Magiſter. Docuit in ea manſuetiores Litteras, Philoſophiam, Theologiam, tum Scholaſticam, tum Moralem, & ſolemne votorum quatuor ſacramentum dixit. Rexit Collegium Monaſterienſe in Vveſtphalia; eo tempore, quo frequentiſſimus erat ibi concurſus Legatorum, & Procerum Europæ ad conſtabiliendam pacem vniuerſalem, & oppidò ſatiſfecit. Fuit enim rara virtute, rationis ductum ſemper conſectans, ad Diuinã voluntatis normam ſe totum accommodans, Superiorum ad nutum reuerens, ad officium ſuum peruigil, in ſe rigidus, in alios benignus, commoditatum ſingularium oſor, & ſui ipſius in laboribus, in ieiunijs, in cilicijs, & alijs corporis aſperitatibus omnino victor. Meditationem matutinam per horam nullo nixus fulcro peragebat; conſcientiam quotidie exomologeſi expiabat, optimè alios in omni ſtatu ad congruam ipſis virtutem dirigebat. Electus à Prouincia Procurator ad Vrbem inſignes in itinere virtutes patefecit. Nullæ de incommodis, penuria, aut lapſibus in via auditæ ab illo querelæ; precũ illi aſſidua cura; Miſſæ quotidianæ ſtudium conſtans; fiducia in Deo, in Deipara, in ſuo Angelo Cuſtode, eximia; tolerantia in perferendis identidem doloribus calculi ſingularis. Redux in Prouinciam annis grauis, & laboribus fractus; Duſſeldorpij (quo recuperandæ valetudinis cauſa de Medicorum conſilio miſſus fuerat) ex ærumnoſa hac vita tranſiuit (prout ſperare fas eſt) ad cæleſtem die 18. Nouembris 1660. Edidit

Lucernam Viatorum, ſeu Fidei, Theſibus Theologicis. Monaſterij Vveſtphaliæ typis Raesfeldij 1647. in 4.

Mercurium Orthodoxum ad demonſtrandum Purgatorium, ex Iudæ Machabæi precibus, & Sacrificio. Ibidem 1649. in 12.

Inſtructionem Theologicam contra Scheiblerum.

blerum ; & Tremolienſes ſub nomine D. Rudolphi Batterman. Coloniæ typis Vvilhel. Freiſſein 1649. in 8.

Verbum abbreuiatum de Incarnatione Domini contra eoſdem. Monaſterij 1643.

IOANNES SEBASTIANVS natione Belga, patria Fontenſis, Hanno, Societatem ingreſſus duodeuicennis anno ſalutis 1604. Docuit in ea Philoſophiam, Duaci, ac Treuiris; deinde Theologiam Moralem Montibus Hanoniæ annos 15. vota quatuor profeſſus. Vir fuit antiqua ſimplicitate, & morum candore præditus, doctrina rerum Moralium excellens, vnde frequenter in dubijs Conſcientiam ſpectantibus, ab Archiepiſcopo Cameracenſi, & alijs vndique conſulebatur. Exceſſit ex hac vita Sacramentis ritè præmunitus, die 15. Februarij 1649. Reliquit paratos prælo, & iudicio Cenſorum dignos luce tomos tres

De Sacramentis in genere. De Baptiſmo Confirmatione, & Euchariſtia. De Extrema Vnctione, &c. Sed temporum iniquitate nondum prodierunt

IOANNES SEBASTIANVS PARRICIVS natione Hiſpanus, patria Darocenſis, è Regno Aragoniæ. Natus eſt parentibus Nobilibus, & opulentis anno 1546. & piè ab illis educatus, animam ipſe ſortitus bonam. Miſſus Complutum ad ſtudia, tantam morum maturitatem præ ſe tulit, vt paſſim nunc Seneca, nunc iuuenis ſenex vocaretur. Multus erat cum Patribus Societatis noſtræ, quorum illi conſuetudo rerum humanarum omnium ſenſim peperit deſpicientiam. Cùm ad vitam religioſam animum adieciſſet, aliquamdiu diſtractus ancipiti cogitatione demum inter legendum neſcio quid in Ludouici Granatenſis operibus omnia abrupit, & mox in Sociorum numerum admitti poſtulauit. Hæc enim illi familia præ alijs placuerat, quòd omnia ex æquo videret omnibus cedere, nec aliam quàm humilitatis veræquè virtutis haberi rationem. Admiſſus in Societatem eſt anno ſalutis 1566. die 6. Aprilis; ſtudijs iam Philoſophiæ confectis. Ab ipſo Tirocinio tantos fecit ad perfectionem progreſſus, vt iam tum appareret, qualis eſſet olim quantuſquè futurus. Doctoribus Ioanne Azorio, & Alphonſo Deza in eximium euaſit Theologum. Ipſe Naualcarneri habuit in Philoſophia diſcipulum Alphonſum Carillum, eum, qui luſtratis, adminiſtratiſquè diu in Germania Prouincijs; demum Romæ Aſſiſtens Hiſpaniæ mortuus eſt. Is tanti ſemper fecit Sebaſtianum Magiſtrum ſuum, vt eius videndi cauſa ſi liceret, in orbem extremum, vel nudis pedibus contenderet. Triennio docuit Ocaniæ Theologiam, tam ſecunda fama, vt auditum in diſputatione, maximi fecerit Franciſcus Suarius; ſolus ſe ipſe vili faciebat, aiebatquè nihil eſſe magis à vera Theologia alienum, quàm plauſu humano duci. Annos 28. natus Collegio Complutenſi datus eſt in Præfectum ſpiritus, raro, & inſolente exemplo, ſed eximia iam tum ſanctitatis opinio virum commendabat. Subinde vices obtinuit Rectoris in Ieſumontano ſeceſſu, & Ocanienſe Collegium Rector gubernauit; vnde tandem in Peruanam Prouinciam à P. Balthaſare de Piñas Procuratore abductus eſt. Simulatque Limam attigit, prægreſſa iam lateque ſparſa eius ſanctimoniæ fama, quatuor iuſſus eſt vota profiteri, & Potoſino Collegio Rector præeſſe. Tetendit illuc in ſumma paupertate per Montes aſperrimos, ſolo inſtructus breuiario, & lodicula, quam ſibi ad ſomnum capiendum humi ſubſterneret. Concionatus eſt Potoſij cum incredibili omnium approbatione, poſtulatuſque ad Quadrageſimale penſum Chuquiſacam, reiecto Præſidis Senatus Regij hoſpitio, ad publicam domum hoſpitalem diuertit, & Potoſio ſibi victum, ne grauis vlli eſſet repetebat; ſed ſi quid cupediarum, vt fit, à quopiam ſubmittebatur, id omne mox in pauperes digerebat. Excurrit hinc ſæpè in Valles Indorum ad frugem animarum faciendam, tanta in ſe ipſum inediæ ſecuritate, vt notam imprudentiæ poſſet ſubire, niſi corporis, & animi vires ſuppeterent, communi modo maiores. Limenſe deinde Collegium fere ſeptennio rexit, pari virtutum laude & exemplo. Mox Prouinciam gubernandam non ſine lacrymis excepit, ſilentij damnum ingemiſcens, obtinuitque eum Magiſtratum ſex annis, exemplo magis quam verbo ad omne officium ſubiectos impellens. In Viſitatione Prouinciæ circumferebat vile vellus arietis pro ſtrato; orabat horas minimum duodecim. Appulſus ad diuerſorium, tradebat catecheſim, concionabatur, excipiebat confeſſiones. Viliſſima ſupellectile vtebatur; ſuperflua omnia in egenos erogabat. Impensè cupiebat à Sacerdotibus honorari paupertatem tritarum reſartarumque veſtium, pullarum etiam ſeu ferruginearum non nunquam publico vſu. Præfuit ſubinde Limæ noſtris in Spiritu formandis decennio, & rurſum ex interuallo Prouinciæ gubernandæ humeros ſubmiſit, gubernauitque ſeptennio. Poſt hæc Viſitationem nouæ Hiſpaniæ deprecatus eſt; ſed Collegij Limenſis adminiſtrationem declinare denuo nequiuit. Hic fere curſus vitæ ipſius fuit. Sed breui comprehendi non poſſunt virtutes, quibus excelluit, inſignis mortificatio, altiſsima oratio, illuſtrationes, interna colloquia, perpetua Dei præſentia, profunda humilitas, patientia, manſuedo, rara prudentia, pœnitentia, amor Dei ardentiſsimus. Conferebat ſua omnia in diaria ad multorum Sanctorum exemplum; ex quo non nulla delibare operæ pretium eſt. Quotidie vtebatur cilicio, & diebus feſtis Quadruplici. Qua die concionaturus erat horam integram impendebat culinæ miniſterio ſaccum indutus; ſecundum concionem ſeptem Pſalmos Pœnitentiales genuflexus orabat; Ad 30. annos humi dormiuit: & quando Imperio Moderatorum coactus eſt,

ob ingraueſcentem ætatem culcitram adhibere, veſtitus ille ſemper incubuit. Surgebat hora prima poſt noctis medium, vel certè iam in ſenio hora ſecunda, & ſex minimum horas orationem ducebat, longiùs etiam ſi negotia permiſiſſent. Flagellabat ſe quotidie nec raró iterum ac tertiò. Officium ac Roſarium Deiparæ dependebat curuatis poplitibus in dies, & niſi prohibuiſſent curæ diuerſæ, Sabbato lances tergebat. Victus erat ferè qui ieiunantium; abſtinebatque ſeuerius diebus Veneris & Sabbati, crebrò pane, frigidaque contentus. Indulgebat ſibi interdum hoc animi ſolatium, vt ſacrum ad duas treſue horas extraheret, quo tempore lacrymis & multa pietate natabat. Nunquam præſentem Deum de memoria deponebat. Singulis ſe horis explorabat, num ad Dei maiorem gloriam omnia direxiſſet; in quo quoties ſe defeciſſe deprehendebat, toties de genibus orationem Dominicam, & Angelicam ſalutationem decies repetebat. Nihil niſi cœleſtia loquebatur, aut ſapiebat. Quidquid vana, aut quæ ſunt hominum ſapiebat, procul à ſuis ſenſibus arcebat. Nihil admiſit deliciarum vnquam, nihil eximium præ alijs, ne in afflicta quidem morbis, & exhauſta ſenectute virginitatem intaminatam perpetuò tenuit. Studio ſui mortificandi comprimendique tam fuit addictus, vt ſe ad limen triclinij pedibus ingredientium ſubſterneret, ea iam ætate grauis, vt ſine aliorum adminiculo non ſe poſſet à ſolo excitare. Ter exercitia ſpiritus quotannis obibat; diligentiùs autem præ temporibus alijs ab Aſcenſione Dominica ad Pentecoſten vt Spiritum Sanctum ad ſe inuitaret, largiuſque exciperet. Poſtremò anno cum ſe totis 40. diebus exercuiſſet, febre correptus ad lectum conceſſit, certus ad diem Sacroſanctæ Trinitati ſacrum mori. Obijt ea die vti præmonuerat, ſanctiſſimè, quæ incurrit in 21. Maij anno 1622. cùm haberet ipſe annos vitæ 76. & 56. Societatis. Obitum eius communis excepit luctus Noſtrorum, pauperum omnium. Funeri adfuerunt omnes Religioſorum familiæ, & Clerus Cathedralis, ac populus frequentiſſimus, vt vix poſſet cadauer efferri. Extulerunt illud Senatus vterque Eccleſiaſticus, & ſæcularis, comitantibus Epiſcopis Guamangæ, & Imperialis. Ad pedum manuumque oſcula, & ad veſtium diſtractionem tanta vis fuit, vt vix officio ſupremo fungi poſſent. Corpus conditorio cedrino incluſum fuit, & poſtridie repetita funebria pari frequentia. De gloria quam conſecutus ob ſua merita ſit, nonnemini reuelatum fuiſſe opinio conſtanter obtinuit: Sed enim viuentem adhuc Deus plurimis decorauit pietatis ornamentis. Multa ipſi abſentia, vel pòſt futura patefecit; Sic Proregum Peruanorum cuidam, quem ab improbo conſilio volebat auertere, mortem quam vnicus ipſius filius in Hiſpania obierat, inſinuauit, & Noſtros iuſſit extemplo Arauco excedere, quo tempore laura centum millium largitio aureorum ad fundandum ibi Collegium repræſentabatur, quod euerſum iri à Barbaris propediem eam Vrbem, vaſtatumque funditus vniuerſam Regionem diuinitùs præuiderat. Pertinaciſſimum Hæreticum rogo ab Sacra Inquiſitione addictum, quem nulla potuit vllius induſtria, vel facundia frangere, ipſe fuſa cum lacrymis prece ad mentem ſanam reuocauit. Sæpè inter orandum extaſim patiebatur, ſæpè ſublimis excitabatur à ſolo. Scientia diſcernendorum ſpirituum, & motionum animi valuit plurimùm. Dæmones expertus eſt hoſtes infeſtiſſimos, qui vel in corpus ipſius ſæuiebant interdum; quos ipſe tamen conſtantia ſemper & contemptu fregit. Demum quod donorum maximum eſt, tanta Dei caritate flagrauit, vt illius vehementia credatur extinctus. Scripſit vir hic admirabilis, & ſpiritu plenus Apoſtolico Hiſpanicè

De Bono, Excellentia, & Obligationibus Status Clericalis, & Sacerdotalis Lib. IV. Hiſpali per Matthiam Clauium 1615. in 4. Prodijt autem, & latinè

* IOANNES SIMCOCKES, aliàs MANERIVS natione Anglus, patria Londinenſis, natus anno ſæculi voluentis 9. abſolutis litterarũ humaniorum ſtudijs in Collegio Anglicano Audomari, Societati nomen dedit in Tirocinio Vvatenenſi; Theologiam audiuit in Collegio Romano. Philoſophiam docuit Peruſiæ; Præfecturam Studiorum per octennium geſſit in Collegio Anglicano Romæ, quod deinde Rector gubernauit emiſſa profeſſione quatuor votorum. Pœnitentiarius Pontificius fuit Laureti, poſtea miſſus in vineam Anglicanam, in nonum annum nunc illam colit. Edidit librum vtilem lingua vernacula, quem inſcripſit

Indagator indefeſſus, quo hortatur appoſitè Sectarios omnes ad indagandam Fidei veritatem. Londini 1670. in 8.

* IOANNES SIMON natione Gallus, patria Santo, natus anno ſæculi præterlapſi penultimo Societati ſe aggregauit labentis 17. Humaniores litteras annos aliquot profeſſus eſt. Collegio Engoliſmenſi tertium Rector præfuit, & nunc in eodem Collegio, ſpiritualium rerum præfectum agit. Edidit Gallicè librum ſæpiùs recuſum hoc titulo

Piæ affectiones, & praxes ad acquirendam perfectionem cum breui collectione exercitationum ægris, & agonizantibus congruentium. Pariſijs apud Petrum Recollet in 12.

IOANNES SOERIVS natione Luſitanus, patria Montemaior, Conimbricenſis diœceſis, annos natus 18. Conimbricæ ad Societatem acceſſit anno ſalutis 1584. & tirocinio vix expleto, Miſſionem impetrauit in Indiam; vndè porrò Sinenſi vineæ cultor deſignatus, Nancianum ſub ferias Natalitias anni 1595. ſocius P. Matthæo Riccio futurus peruenit. In ea ſede annos amplius 10. rem Chriſtianam procurauit, totumque aliquando triennium

ſine

ſine ſocio exegit. Sed tanta virtutis integritate, tam raro ſanctitatis exemplo, vt ab omnibus coleretur vulgò vt Sanctus; tanto ardore, contentioneque operandi ſupra vires grauibus morbis attritas, vt rem ibi Chriſtianam, multis de cauſis difficilem, ſupra ſpem euexerit, multoſque Chriſto aggregarit. Multa tulit perpeſſu aſpera; ſæpe vicinorum maleuolentia ad extremam redactus inopiam, nihil vnquam queſtus eſt, nunquam ſibi annonam poſtulauit augeri. Grauiſſimis morbis non ſemel conflictatus eſt; non ſemel etiam feruida Neophytorum cura, à parato iam funere reuocatus. Cum ergo defectus viribus febre ſæpiùs renouata, complorata iam a Medicis ſalute, precariò magis vitam trahere, morte velut indulgente, quam viuere videretur, conſilium fuit eum ad Macaenſe Collegium curandæ valetudini amandare; ſed omnem celeritatem morbus inualeſcens præuertit, & Auguſto menſe anni 1607. virum ſanctum annos natum 41. extinxit; quanto Neophytorum dolore ſatis declarauit lugubris ornatus, quem per eos dies multi geſtarunt. Noſtri lacrymas & omnem doloris ſenſum procul habuere quod noſtram conſtantiam dedecere luctus omnis argumenta, Sinæ ſibi perſuadeant. Amici tumulum ſuo, vt aiebant, Parenti, Doctorique compoſuerunt, & lugentium more quater flexere genua, quater monumentum capite pulſarunt. Ad Concionem vnus Patrum eius laudes explicuit, quas lacrymis, ſuſpirijs, crebroque gemitu, auditor decorauit. Scripſit Soerius in lectulo dum lentis febribus carperetur, conquieſcere, & otiari neſcius, idiomate Sinico libellum vtiliſſimum

Instructionem eius, qui ad Christianam legem aſpirat, ſiue Sanctæ legis compendium. Item Sinicè

Tractatum De Præceptis Decalogi.

* IOANNES SPENSERVS alias VINCENTIVS HAECLIFFE natione Anglus, patria Lincolnienſis Societati ſe adiunxit anno ſalutis 1627. ætatis ſuæ 26. & votorum 4. nexu ſe Deo adſtrinxit. Docuit in ea Theologiam Moralem, & Polemicam de Controuerſijs Fidei, & præterea Linguam Sanctam profeſſus eſt in Collegio Anglicano Leodij. Miſſus poſtea in vineam Anglicanam 20. circiter annorum ſpatio nauiter in ea laborauit, & multos verbo atque exemplo vitæ ſuæ, Chriſto genuit. Superior quoque noſtrorum in Reſidentia, virtute magis quàm auctoritate ſuis ſubditis præluxit. Demum annis, & laboribus confectus ad Remuneratorem omnium migrauit ibidem die 17. Ianuarij 1671. Edidit materna lingua opus perutile

De Sacra Scriptura perperàm ab Hæreticis huius temporis intellecta. Antuerpiæ 1655. in 8. Item

Quæſita 36. Miniſtris Hæreticis in Anglia propoſita. Londini in 8. Item

Libellum contra Atheos cui titulus

Aut Deus, aut Nihil. Londini in 8.

Schiſma detectum contra quoſdam Doctores Academiæ Cantabrigienſis. Londini in 8.

IOANNES STEPHANVS natione Gallus, patria Niuernenſis, admiſſus in Societatem anno ſalutis 1608. ætatis ſuæ 21. Vir Gallicanæ Hiſtoriæ peritiſſimus, Rexit Collegium Augenſe, & eſt idem cum Ioanne Stephano Taraut, de quo in priori editione huius Bibliothecæ, facta eſt mentio tamquam de diuerſo, Fuit in gradu Coadiutoris Spiritualis, & dum in Societate eſſet, Scripſit

Hiſtoriam Illuſtrium virorum Galliæ in omni genere laudis, ſiue inter arma, ſiue in toga

Præterea edidit Gallicè

Annalium Franciæ à Pharamundo vſque ad Ludouicum XII. Tom. I. Pariſijs apud Petrum Bellatine 1635. in fol.

* IOANNES STEPHANVS FERRARIVS natione Italus, patria Genuenſis, natus anno ſæculi præteriti 87. Societati ſe tradidit prætereuntis 2. & vota quatuor ſolemnia concepit. Docuit litteras humaniores; rexit Collegium Baſtienſe in Corſica, & Domum Profeſſorum Genuæ, vir expeditæ caritatis, & ad omnia erga proximos officia nunquam non præſtò. In triremibus, in Noſocomijs, in carceribus, & præſertim cum mulctandis morte, quibus ab indicto mortis nuntio, ad extremum vſque halitum mira caritate, noctu diuque comes aderat, & adiutor opportuniſſimus, vt vitam ſanctè finirent. Ad hæc in Miſſionibus emicuit mirificè eius feruor, quas in Inſulæ Corſicæ per plures annos fructu vberrimo obiuit. Quin etiam Indicam Miſſionem, & iuuenis, & ſenior à Præpoſitis Generalibus enixiſſimè flagitauit, licet non obtinuerit. Graſſante peſte voto ſe obſtrinxit impendendi ſe totum contactis lue, & vt illud impleret vehementiſſimè inſtitit apud Superiores, nec multò poſt ipſe etiam contraxit morbum, ex quo tranſiuit ad præmia meritorum die 20. Iulij 1657. in ſuburbano Domus Profeſſæ Genuenſis, die ipſa Veneris, qua, vt moreretur, precatus antea fuerat S. Franciſcum Xauerium, & impetrauit; Edidit Italicè

Ianuam ad æternitatem, ſiue *Præparationem ad bene moriendum.* Genuæ apud Ioannem Mariam Farronum 1646. in 8. Recuſam Venetijs cum auctario apud Guerilios ſæpiùs

Praxim Nouiſſimorum. Genuæ apud eundem 1656 in 8.

IOANNES STEPHANVS MENOCHIVS natione Italus, patria Papienſis, Iacobi Menochij Præſidis, & Iuriſconſulti celeberrimi, ac ſcriptis ſuis notiſſimi filius, Societatem die 25. Maij anno 1593. ætatis 17. ingreſſus, S. Scripturam, & Moralem Theologiam publicè in Collegio Mediolanenſi, vota quatuor profeſſus, docuit. Exinde in multis grauibuſque Societatis adminiſtrationibus verſatus, Collegium Cremonenſe ſemel, bis Romanum

manum Rector, bis Domum Profeſſam Mediolanenſem, bis etiam Genuenſem Præpoſitus, bis quoque Romanam Vice-Præpoſitus gubernauit. Prouincialis præfuit Mediolanenſi Prouinciæ, nec non Romanæ,& iteratò Venetæ,cuius etiam Viſitator extitit. A Congregatione Prouinciali Mediolanenſi electus eſt Procurator ad Vrbem, & in Congregatione octaua Generali creatus eſt Admonitor Præpoſiti Generalis Vincentij Carafæ, & in eodem munere erga P. Franciſcum Piccolomineum Generalem, à Congregatione 9. confirmatus. Vir fuit placidiſſimæ naturæ, ſuauiſſimæ ſimul, & eruditæ conuerſationis, contemptor ſui, & commodorum corporis, accuratus in cuſtodia diſciplinæ Regularis, manſuetus, humilis, amans paupertatis, obſeruantiſſimus obedientiæ, denique per omnia verus Societatis filius. Plenus dierum, ac bonorum operum, & octogenario maior, migrauit ex Domo Profeſſorum Romæ in regionem (vti confidimus) ſemper viuentium die 4. Februarij 1655. Scripſit Latinè eruditiſſimus Pater

Breuem explicationem ſenſus litteralis totius Sacræ Scripturæ Tomis II. in fol. editam primo Coloniæ apud Ioannem Kinckium 1630. Recuſam ſemel atque iterùm Pariſijs.

Hieropolitica, ſiue Inſtitutionis Politicæ è Sacris Scripturis depromptæ Libros 3. Lugduni apud Ludouicum Proſt. 1625. in 8.

Inſtitutionis Oeconomicæ ex Sacris litteris depromptæ libros 2. Lugduni apud Andream, & Iacobum Proſt. 1627. in 8.

De Republica Hebræorum Libros 8. Pariſijs typis Antonij Barbier 1648. in fol. Italicè Edidit

HiſtoriamSacram Vitæ Chriſti Tomis II. in 4. Romæ apud Hæredes Manelphi 1653.

Hiſtoriam Sacram de Actibus Apoſtolorum. Romæ typis Ignatij de Lazzaris 1654. in 4.

De Oeconomia Chriſtiana libros 8. Venetijs typis Babæ 1656. in 4.

Hiſtoriam Miſcellaneam Sacram ex varijs auctoribus collectam. Venetijs apud Paulum Balionum 1658. in 4.

Diatribas eruditas, quas Storeas ab Antiquorum Monachorum opere manuali, appellat Tomis VI. in 4 in quibus latè plura Sacræ Scripturæ loca explicantur; Quæſtiones amæniores ſoluuntur; Antiqui ritus recenſentur; & Hiſtoriæ variæ enarrantur. Horum primus tomus prodijt ſub nomine Ioannis Coronæo reliqui verò nomine Auctoris. Romæ typis Manelfij, & Caſoni ab anno 1646. vſque ad 1654.

IOANNES STEPHANVS TARAVT vide ſupra in IOANNE STEPHANO.

IOANNES STREINIVS natione Germanus, patria ex oppido Franconiæ Vvaldura, natus anno 1584. ſe dedit in Societatem anno 1604. die 22. Septembris & votorum 4. profeſſionem in ea edidit. Liberales Artes, Philoſophiam, Diuinas Litteras, Theologiam Scholaſticam, & Moralem, & Ius Canonicum Moguntiæ, Herbipoli, Bambergæ, Doctor Theologiæ annis pluribus cum laude tradidit, & Cancellarij munere in Academia Bambergenſi diu functus eſt. Hinc, carus multis Principibus, Bambergæ, & alibi, magnoque in pretio fuit. Vltimis vitæ temporibus, ſibi ac ſuæ ſaluti vacare permiſſus, extremum diem ritè munitus Sacramentis obijt Bambergæ 10. Februarij 1662. Edidit typis Germanicis

Hiſtoricam Relationem de miraculo Sanguinis Chriſti, qui Vvalduræ aſſeruatur. Herbipoli apud Stephanum Fleiſchman 1628. in 8.

Zodiacum Spiritualem, ſiue librum Planetarum Spiritualem. Herbipoli 1631. in 12.

Scalam Paradiſi. Herbipoli 1639.

Proceſſiones Sacras Vvalturnum. Moguntiæ 1657. in 12. Latinè edidit

Anatomiam Iuris vtriuſque. Coloniæ apud Iodocum Kalcouium 1658. in 4.

Commentarium in Regulam Iuris Pontificij. Coloniæ iiſdem typis 1659. in 4. Paratam habuerat

Chronologiam Omnium Ordinum Religioſorum, ſed mors interceſſit.

IOANNES SVFFREN natione Gallus, patria Salonenſis, in diœceſi Arelatenſi. Vir ob eximia naturæ, & gratiæ dona, æternæ memoriæ dignus, & externis iuxta, ac domeſticis cariſſimus; Societatem ingreſſus anno ſalutis 1580. ætatis ſuæ 15. vota quatuor ſolemnia nuncupauit 1603. Philoſophiam ſexennio Dolæ, & Auenione; hic etiam Theologiam ſeptennio profeſſus eſt; ſed cum ad dicendum quaſi à natura factus eſſet, ſimul atque Superiorum voluntate ad id muneris eſt applicatus, ſic vbique auditus eſt, vt nemo, eo facundior, nemo ad permouendos Auditorum animos potentior exiſteret; adeò, vt inter celeberrimos tota Gallia Concionatores numeratus fuerit, & iudicio multorum, etiam primas obtinuerit, præſertim ſi fructum ſpectes, & animorum motus in quibus concitandis feliciſſimus fuit. Addebat orationi vim atque impetum, modeſtia prope incredibilis, & ipſe corporis habitus atque oris compoſito auditorum animos ipſo aſpectu percellebat. Sub finem Concionum citandis motibus eloquentiæ fræna laxare ſolebat tanta plerumque vi, vt frequens auditor ſolueretur in lacrymas, vel tanto pudore ſuffunderetur, vt capite in veſtes demiſſo, de ſordibus animi confeſſione eluendis cogitaret. Ea demum erat inter concionandum prudentia, vt neminem vnquam verbo acriori læſerit, non Reges, non Principes, non Prælatos, aut Iudices, aut priuatorum quempiam acerbiùs perſtrinxerit; ſed in vitia, & Dæmonem, totus eius impetus fuerit. Hinc ſummus omnium in illum amor, & obſeruantia, vt qui Societatem alioquin

auerſabantur, ipſum exciperent, & in tanta rerum temporumque varietate, (quod eſt prorſus admirabile) nemo inuentus eſt, qui ei obloqueretur. Nominis eius claritudine mota Regina Maria Henrici IV. coniux, ſimul ac viro viduata, rerum potita eſt, eum ſibi à Sacris Concionibus, & Confeſſionibus delegit, quod ille munus viginti, & ſex annorum ſpatio præclarè ſuſtinuit. Quin, & ipſe Rex Ludouicus XIII. eum quoque adſciuit ſibi ad eadem officia, quibus toto quinquennio laudabiliter perfunctus eſt. Sed his officijs non vſus eſt ille ad ſplendorem, aut commoda ſua; quin adeo ſeuerus in ſe ipſum extitit, vt ad temperandam inclementiam, poteſtas Coadiutori temporali ſocio illius moderandi auſteritatem dari debuerit. Paupertatis Religioſæ fuit amantiſſimus, vnde penſionem annuam ſibi à Rege conſtitutam ad ſui ſuſtentationem, ne attingere quidem vnquam voluit, aut Miniſtris Regis de ſolutione illius ſyngrapham ſuam dare, adeò, vt neceſſe habuerint illi cum approbatione ſuæ Maieſtatis Procuratori Domus Profeſſæ illam numerare. Ad Confeſſiones in Templo noſtro excipiendas aduocatus illicò aduolabat, nullo potentiorum pauperumue diſcrimine, omnibus preſtò, omnibus idem ex æquo; inque eo munere adeo excelluit, vt nemo fere illum conuenerit, ſine notabili morum in melius mutatione. Erat illi cum Deo intima familiariſque coniunctio, ſpiritualibus ex præſcripto regularum noſtrarum Exercitationibus aſſiduè roborata, neque ſtatas meditandi, vel inquirendi in ſeſe horas vnquam omittebat, quamuis negotijs plurimis præpeditus eſſet. In Aula vixit tam ad amuſſim legum Societatis, vt ab Inſtructione P. Claudij Aquauiuæ pro Confeſſarijs Principum ne latum quidem vnguem diſceſſerit. In itineribus diuertebat ſemper, vbi domicilium Societatis non erat, apud Religioſos alios, vel certè Eccleſiaſticos honeſtiores, eodem cum illis victu & triclinio vtens, eorumque regulæ & diſciplinæ, quantum ferebat vitæ noſtræ ratio, ſe accommodans. Ad Aulam non ibat niſi accitus, & omnem negotiorum prophanorum tractationem à ſe reijciebat, hoc vno epiphonemate: Ad Principis conſcientiam id minime pertinere. Nullum prædicandi Verbi Diuini finem fecit, & inuitatus ad habendos Sermones in varijs Templis aut Cœnobijs Monialium, etiam dum Regis Concionator eſſet, nemini ſinebat ſuam operam deeſſe. Reginam ſecutus ex voluntate Regis extra Galliam, Bruxellæ in Curia dixit, & mirificè placuit. Londini vt Angelus Dei à Catholicis auditus eſt, nec paucos ibi ad Eccleſiæ Catholicæ gremium, etiam corrupti verbi proſeminatores Miniſtros perduxit. In aduerſis ferendis patientia inuicta fuit, nec defuit vberrima per morbos, per tot viarum incommoda, per Galliam, per Belgium, & Angliam illi ſeges. Coactus poſt diuturnos calculi dolores ſubire ſectionem, nullum gemitum auditus eſt edere, nec vllam vocem emittere præter illa verba identidem repetita: *Ita Pater quia ſic placitum fuit ante te.* Tandem annis grauis, dum in Anglia tempeſtiuitatem nauigandi cum Regina ad portum, quem Douer ſeu Doroberniam appellant, opperitur, tertiana tentari cœpit, ibique ingraueſcente morbo Sacramentis Eccleſiæ conſuetis ſe prouide ad mortē comparauit. Tum quatuor ac viginti horarum curſu, Vliſſingam Zelandiæ portum tenuit. Ibi totidem fere horis cum morte conflictatus vir Apoſtolicus, oculis in Crucifixi imaginem (quam manu tenebat) ſemper intentis, inter colloquia cum Deo placide conquieuit die 15. Septembris 1641. A Regina quæ maximi illum faciebat, inſolabiliter defletus eſt, eiuſque iuſſu corpus aromatibus delibutum, & loculo plumbeo incluſum, Lutetiam tranſuectum eſt ibique in Profeſſorum æde humatum. Edidit vir operæ inter tot occupationes, & diſcurſiones indefeſſæ, idiomate Gallico

Concionum Tomum I. in Dominicas 52. totius anni. Pariſijs apud Petrum Cheuallier 1622.

Concionum Tomum II. inſcriptum *Teſtamentum Patriarchæ Iacobi*. Ibidem & iiſdem typis 1623.

Annum Chriſtianum duobus tomis, ſeu ſex voluminibus in 4. Opus omnibus longè vtiliſſimum quo docentur ſingulas per annum actiones rectè inſtituere. Pariſijs typis Claudij Sannij 1641. Ibidem quartò recuſum

Supplementum anni Chriſtiani, quod vicem tenet ſexti voluminis. Ibidem 1649. in 4.

Monita Spiritualia. Iiſdem typis 1615. in 12.

Exercitia pietatis, iiſdem typis & eodem anno.

IOANNES SVRIVS natione Belga, patria Bethunienſis, plures annos qua pollebat Chriſtianæ eloquentiæ facultate, è ſuggeſtu Conciones cum feruore & fructu habuit, ad carceres, ad noſocomia, ad monaſteria ſuam induſtriam extendens. Obijt Tornaci die 17. Martii anno ſalutis 1631. initæ Societatis 49. quatuor olim vota profeſſus, Edidit

Moratæ Poeſeos volumina duo. Atrebati typis Guilielmi Riuerij 1617. in 8.

Inaures aureas volumen 3. variorum carminum

IOANNES SVVETNAMVS alias NICOLSONVS natione Anglus, patria Northamtonienſis Societati in Luſitania adſcriptus anno ſalutis 1606. ætatis 25. vir doctus & concionibus idoneus. Poſt varia munera in Seminarijs Anglorum ciſmarinis obita, laborauit in Anglicana vinea; ſed captus, & in exilium eiectus Laureti tandem cum Pœnitentiarium ageret pro lingua Anglicana, vita functus eſt die 4. Nouembris 1622. Scripſit Anglice præſcriptis litteris I. S. Societatis Ieſu

Peregrinationem Sanctæ Mariæ Magdalenæ ad Paradiſum. Audomari 1618. in 8. Item

Paradiſum voluptatis ſuper Litanias Lauretanas. Audomari 1620. Tranſtulit etiam ex Hiſpanico Anglicè

Antonij Molinæ Carthuſiani tractatum de Oratione mentali. Audomari 1617. Item

Franciſci Arias Exhortationem ad Profectum ſpiritualem & Dialogum de Contritione. Audomari 1617.

IOANNES SVVETVS natione Anglus patria Deuonienſis anno 1602. & deinceps Conuictor Collegii Anglorum Romæ, cùm exercitijs ſpiritualibus Neapoli iam Sacerdos anno 1608. dediſſet operam totos 12. dies, ductu Patris cuiuſdam Carmelitani excalceati vt Diuinam de vitæ ſuæ rationibus exploraret voluntatem, ſingulari impulſu eiuſdem illius Confeſſarij ſui ad Societatem animum aduertit. Fuit Pœnitentiarius Pontificis Romæ ad Vaticanum, & votorum 4. profeſſionem edidit. Vtilis euaſit Angliæ operarius & multorum in Chriſto filiorum parens. Affecto multis infirmitatibus corpore Audomarum ſe contulit, ibique piè obijt die 26. Februarij anno ſalutis 1632. Scripſit Anglicè

Manifeſtationem Apoſtaſiæ M. Antonij de Dominis Audomari 1617. in 4.

IOANNES DE SYLVA natione Luſitanus patria Vlyſſiponenſis admiſſus in Societatem Goæ anno ſalutis 1613. ætatis ſuæ 16. Litteras humaniores aliquamdiu docuit, & non multo poſt ex hac vita migrauit Ibidem die 31. Maij 1624. Scripſit

Annuas litteras Prouinciæ Goanæ anni 1623.

* IOANNES TANNER natione Bohemus, patria Pilſnenſis. Deo ſe in Societate dicauit anno à partu Virginis 1645. ætatis 22. & votorum 4. Profeſſionem emiſit. Docuit humaniores litteras, Ethicam, Philoſophiam, Theologiam tum Scholaſticam, tum Moralem, tum Polemicam annis compluribus & in Academia Olomucenſi Cancellarium egit; & Sacras litteras modò interpretatur Pragæ, vbi etiam Illuſtriſsimo Archiepiſcopo eſt à ſacris Confeſſionibus. Edidit latinè

Vitam Ven. Patris Alberti Chanouski. Coloniæ 1666 in 12. Item

Veſtigium Bohemiæ piæ ad eodem P. Alberto compoſitum, & Notis à P. Tanner illuſtratum. Pragæ 1659. in 12. Item tacito ſuo nomine

Fontem Marianum centum deuotionis riuulis irriguum cum Imaginibus Sanctorum, qui fuerunt cultores B. Virginis Latinè, & Bohemicè. Pragæ. 1653. in 18.

Trophæa S. Venceslai Regni Bohemiæ Patroni. Pragæ typis Vniuerſitatis 1661. in folio.

Veſtigia virtutis, & Nobilitatis Stenbergica. Pragæ typis iiſdem 1661. in fol.

Amphitheatrum gloriæ ſpectaculis Leonum Valdeſteiniorum adornatum. Pragæ typis iiſdem & anno in folio.

IOANNES TELLERVS natione Gallus Normannus, domo Nobilis, admiſſus in Societatem Romæ anno ſalutis 1562. ibi multis annis operarium egregium egit, vtpote vir maxime pius, & vere ſitiens ſalutis animarum, vt nunquam ſatur laborum vias omnes tentaret, experireturque, quo plurimos Chriſto lucrifaceret; in eaque re non vigilantiæ modo & ſedulitatis, ſed dexteritatis etiam ac felicitatis fuit raræ. Admirationem augebat robur ſpiritus in tabeſcente ſenſim corpuſculo, vt omnes admirarentur quemadmodum poſſet ſe ipſe, nedum tot labores ſuſtinere. Denique ingentem cunctis domeſticis pariter atque externis, relinquens mœrorem, vitâ, non tam morte erepta, quam caritate conſumpta, eò migrauit quo non ſolum præclara merita, ſed modo quodam ſeſe præmiſerat. Obijt Romæ 15. Cal. Octobris anno 1599. Duo præclara opera extremo vitæ ſuæ anno perduxit ad exitum, quorum altero, carcere detentos viuos, altero mortuos iuuaret. Dedit enim operam vt veſperi poſt ſalutationis Angelicæ ſignum, certo tinnitu homines ad faciendas pro ijs qui purgatorio carcere tenentur preces inuitarentur. Eum in finem ſingulos conuenit Vrbis Parochos, eamque rem tam ſalutarem ac piam ſtudioſè commendans, vt nomen ſuum in approbationem illius darent perpulit; tum collecta omnium nomina in libello ad Summum Pontificem Gregorium XIII. detulit, qui opere delectatus, certis etiam indulgentijs id vltro promouit. In viuorum auxilium nouam Sodalitatem admodum frequentem molitus eſt eorum, qui leuandam vinctorum inopiam, cauſas expediendas, curandos morbos, & alias neceſſitates tollendas ſuſciperent, quæ magnas hodieque miſeris hominibus adfert vtilitates, appellata Archiconfraternitas Caritatis.

Euulgauit quaſdam

Tabulas de caſibus conſcientiæ, non parùm vtiles. Item edidit ex Gallico Italicè

Hiſtoriam anni Iubilæi 1575. *à* Raphaele Riera conſcriptam Latinè. Maceratæ apud Sebaſtianum Martellini 1580. in 8.

Theatrum Animæ Chriſtianæ. Brixiæ 1603. Nam huius & alterius præcedentis libelli ipſe eſt auctor, cum nullus alius illius nominis fuerit ijs temporibus in Societate.

IOANNES TERRENTIVS natione Germanus diœceſis Conſtantienſis ante ingreſſum in Societatem, Medicus, Philoſophus, & Mathematicus tota Germania celebris, & multis Principibus ob inſignem peritiam medicandi & felicitatem, gratiſſimus; rebus ſæculi valere iuſſis, totum ſe Chriſto conſecrauit in Societate ſua, Romæ Calendis Nouembribus anno ſalutis 1611. ætatis ſuæ 35. & impetrata poſt paulo miſſione Indica, ad Sinas profectus vſque ad mortem in vinea illa fructuoſiſſimè laborauit. Ipſis Ethnicis in veneratio-

ne & amore fuit, ob raram rerum naturalium, & Mathematicarum ſcientiam; nam quocumque pergebat, ſeu cùm tranſibat per Indiam, Bengalam, Samatram, Cocincinam, aut ipſam Chinam, quam ferme totam peragrauit, naturas peregrinas plantarum, lapidum, animalium, & hominum diligenter obſeruabat, & ex his animaduerſionibus duos tomos ingentes confecerat, totumque opus Plinij Indici titulo inſigniuit. His nimirum veluti adminiculis vtebatur, ad inſinuandam facilius Chriſti fidem, & ſæpe Medicum agebat corporum, vt felicius procuraret ſalutem animarum. Hinc increbreſcente per Sinas illius fama, & de ſcientia quoque qua pollebat Aſtronomiæ, cum ex decreto Imperatoris Calendarium Sinicum multis ſcatens erroribus corrigendum eſſet, & Aſtronomiæ imprimis periti ad id conquirerentur, primus de Societate propoſitus Imperatori eſt Ioannes Terrentius, tamquam ad id maximè idoneus, adeoque iuſſu, & ſumptibus Regijs Pekinum eſt accitus. Huic igitur muneri, ex quo ingentes redundaturæ erant in Chriſtianam Religionem vtilitates, dum ſe nauiter accingit, placuit Deo ipſum ad Religioſæ vitæ, & laborum Apoſtolicorum præmia euocare die 13. Martij anno 1630. ſuffectis poſtea in ipſius locum Patribus Iacobo Rho, & Io: Adamo Schall, qui opus illud feliciſſimè maximo Reip. Chriſtianæ bono abſoluerunt. Encomiū de illo inſigne ſuo Hagiologio Luſitano inſeruit Georgius Cardoſus ad diem 13. Martij. Antequam ſe Societati traderet, digeſſerat & ſuis Notis illuſtrauerat

Theſaurum rerum medicarum nouæ Hiſpaniæ, ſeu Plantarum, Animalium, mineralium Mexicanorum Hiſtoriam à Nardo Antonio Rocco collectam & poſtea editam Romæ, typis Maſcardi 1630 & iterum Ibid. 1651. in fol.

Sinenſi lingua quatuor impreſſit libros Mathematicos, videlicet

De Angulis Sphæricis.

De menſuris Cæli, duobus voluminibus.

De Declinatione Eclipticæ ab Aequatore &

De Aſcenſionibus rectis.

Plinium Indicum morte præuentus non abſoluit.

IOANNES THEODORICI MACHERENTINVS, natione Belga ex oppido Macheren quod ditionis Luxemburgenſis ad Moſellam fluuium ſitum eſt, vbi prodijt in lucem anno ſalutis 1540. & inde nomen traxit, atque anno ſalutis 1563. die 8. Martij in Societatem Treuiris admiſſus eſt, qua in Ciuitate, & Coloniæ, item Fuldæ, Aquiſgrani & Spiræ, docendo Philoſophiam & Theologiam, concionando in Scholis ad diſcipulos, in templis etiam Cathedralibus ad populum; Confeſſiones ſacras audiendo, religioſa denique cum omni hominum conuerſatione, idoneum ſe Chriſti fidelemque miniſtrum præbuit. Meritò inter primas Collegij Fuldenſis columnas recenſetur, ad cuius initium cum alijs ponendum miſſus eſt; meritò Aquiſgranenſe illi acceptum refertur, cui in Miſſione egregia eloquentia, & præclaris virtutum exemplis occaſionem dedit, meritò etiam inter eos cenſendus, qui Treuirenſem populum, recens nefaria Caluini hæreſi aliquantùm perturbatum, non tantùm ad auitæ fidei normam, ſed etiam ad magnam pietatem ſua induſtria excitarunt. In ipſo laborum curriculo, acerbiſſimis herniæ doloribus repreſſus, Deum exoraſſe dicitur, non vt morbo defungeretur, ſed ne ex eo malo ſalus hominum ab ipſo procuranda aliquid caperet detrimenti, cui ita ſe dedidit, vt extremis 15. annis iam ſenex, & præter laceſſentem identidem herniam, aſthmate graui afflictus, nihil tamen cuiquam iuuenum concederet ijs functionibus obeundis quas Societas præſtare conſueuit. Tandem anno ſalutis 1610. die 7. Ianuarii contracto lethali morbo, vti iudicatum eſt, ex frigore quod Feſtis Natalitijs & Circumciſionis totos dies confeſſiones excipiendo pertulerat, tanta cum opinione ſanctitatis, Treueris deceſſit, vt non defuerint qui integro anno ſepulchrum eius floribus conſperſerint, & beatos ſe putauerint, ſi vel paucos capillos ex eius canitie nanciſcerentur. Agebat annum iàm vitæ ſeptuageſimum, Religionis 43. dudum 4. vota profeſſus. Scripſit pro eruditione Parochorum

Catechiſmum, Treuirenſis Archiepiſcopi auctoritate euulgatum & adiunctam cum recognitione & auctario

Praxim Catechiſticam. Auguſtæ Treuirorum typis Henrici Bock 1622 in 8.

Quis diues Saluus? Saluiani Maſſilienſis Presbyteri aduerſus auaritiam, ſub nomine Timothei ad Eccleſiam Catholicam, Epiſtolares lib. 4. in certa capita diſtinxit, Scholijs Marginalibus atque annotatione conſenſus ſanctorum Patrum illuſtrauit, Auguſtæ Treuirorum apud Henricum Bock 1609. in 4.

* IOANNES THVRIANVS natione Belga patria Dionatenſis, natus anno ſæculari 1600. Societati Noſtræ ſe applicuit 1618. & votorum 4. profeſſionem edidit. Sexennio docuit amæniores litteras; Eccleſiaſten egit annis ſeptendecim; Septuagenario maior mortalitatem exuit, Montibus Hannoniæ die 30. Maij hoc anno 1674. Edidit Gallicè

Hominem viatorem qui à terra ad Cælum contendit. Bruxellis 1651. in 4.

IOANNES TOLLENARIVS natione Belga patria Brugenſis, natus 11. die Auguſti anno 1582. Vicenarius Societatem amplexus eſt 1602. accepta prius Duaci Philoſophiæ laurea, & vota 4. nuncupauit. Vir moribus & doctrina ſpectabilis, & ad omnia Societatis munia quaſi à natura & gratia egregie formatus. Quæſtiones de Fide controuerſas triennio explicuit. Subinde à Scholis ad gubernationem euocatus, Domum Profeſſam Antuer-

pien-

pienſem tertiùm Præpoſitus decennio gubernauit. Procurator à Prouincia in Vrbem legatus eſt,& totam Prouinciam triennio adminiſtrauit. Magno ardebat zelo animarum, nec minore fuit contemptor ſui. Inter grauiora alienæ ſalutis negotia non minimum habuit, curam tradendi fructuoſe doctrinam Chriſtianam, adeo vt ad hanc quamuis defunctus Prouinciæ regendæ munere, ita ſe parabat ſicut alij ſolent ſe ad Conciones, accurateque de eo conſcripſerit regulas, toti dein Prouinciæ communicatas. In componendis ad mutuam concordiam animis diſſidentium, mirificè induſtrius fuit. In audiendis quorumcumque Confeſſionibus, nunquam etiam in ſuprema ac infirma ætate fatigabatur. Solitus quoque per tenebras (vt lateret) peſte infectas domos adire, præſertim quando Domui Profeſſorum præerat. Sæpe defeſſum ſeipſum atque affecta valetudine laborantem perdius ac pernox trahebat ad ægros, nulla ſui cura, nullo metu. Fuit, vt pauperis cadauer humeris ſublatum domo efferret, cùm feretrum in quo componeretur, inferri nequiret. Aſſiduè in corde, & in ore erant ipſi illæ voces: *Ad maiorem Dei Gloriam. In nomine Domini.* Nunquam ad arcenda à capite, manibus, pedibuſuè frigora tegumentis vtebatur; rarò frigidiſſima etiam hyeme, foco; auerſatus corporis commoda etiam in extremo morbò. Ven: Sacramenti cultor eximius fuit,idque in ſuis & alienis neceſſitatibus habuit pro aſylo. Sacroſanctam Hoſtiam ex infirmitate ſtomachi ab ægroto cum vomitu redditam,ipſe cum cęteris eiectamentis hauſit intrepidè. Erga B. Virginem ſingulari ferebatur pietate, & honoris ipſius amplificandi ſtudioſiſſimus fuit; id quod luculenter oſtendit id dirigendis Sodalitatibus, ſummo ornatu, fructu inſigni. Pauperum Pater, & verè Patronus audiebat, ita illorum cauſas formabat, commendabat, & lautiore congiario ab opulentiorum cauſis procurato, illarum actores remunerabatur. In ſupremo morbo inſignia dedit humilitatis, patientiæ, pietatis, ac fiduciæ in Deum documenta, & defunctus, à ſummis, & infimis; vehementer, profuſis lacrymis eſt deploratus. Auctor præcipuus & promotor fuit Imaginis primi ſęculi Societatis. Quā vero in pretio fuerit apud viros ſummos colligè ex litteris Alexandri VII. tunc Nuntij Apoſtolici ad Rhenum, qui ad quendam è noſtris Coloniæ commorantem, ſic ſcripſit. *Patrem Tollenarium decumbere, & cum periculo indoleo. Commentarium in Eccleſiaſten ante biennium ad me miſit proh! quam pium & elegans opus; Sæpiuſque ab illo tempore litteras dedit, pro quibus multa debeo eius humanitati; ſicuti virtutes ac doctrinam viri, vna cum innumeris alijs quotquot nouerunt, ſuſpexi. Indulgeat Deus Sanitatem, ac longiorem vitam, quam illum celebri ſcriptione ad Dei gloriam, & Societatis decus impēdere, vel didici vel diuinaui.* Simili in pretio etiam apud Vrbanum VIII. Pont. Max. fuit à quo poſt diuturnum colloquium, argenteo numiſmate effigie Pontificis inſignito in teſſeram beneuolentiæ, eſt donatus. Migrauit ex hac vita Sacramentis omnibus ritè procuratus Antuerpiæ die 11. Aprilis 1643. Pro defuncto litauerunt Eccleſiaſtici primarij etiam Epiſcopi, & primaria Litteratorum Sodalitas ſolemnia et iuſta decreuit, & lugubriter magno apparatu perſoluit. Multa bono publico molientem, & prælo parantem mors oppreſſit. Edidit autem

Speculum vanitatis, ſiue Eccleſiaſten elucidatum, ſtylo elaborato ſolutæ ligatæque orationis, Paraphraſibus, & moralibus ac pijs excurſionibus. Antuerpiæ typis Plantinianis Balthaſaris Moreti 1635. in 4.

Extat etiam vna

Ode perelegans in Epicithariſmate, quod Nobiles huius æui Poetæ appenderunt Matthiæ Caſimiro Sarbieuio, in Lyricorum eius poſtrema editione Antuerpienſi.

IOANNES DE TORRES natione Hiſpanus, patria Methymnenſis 15. annorum dumtaxat, ſe addixit Societati anno ſalutis 1562. & in ea longam ætatem honeſtis muneribus ex inſtituto exercuit in gradu ſpiritualis Coadiutoris, ipſis etiam Turcis, & Mauris, cùm ad redimendos captiuos in Africam nauigaſſet acceptus. Bis ſiquidem eo traiecit & Regi Feſſæ percarus fuit, in cuius Bibliotheca inuenit aureum illum libellum Thomæ à Kempis de Contemptu mundi. Obijt demum Methymnæ, longo conſumptus morbo exhibitis egregiæ patientiæ documentis die 10. Nouembris anno 1599. Scripſit Hiſpanicè volumen variæ eruditionis quo

Chriſtianam Principum Philoſophiam de Moribus Lib. 25. complexus eſt. Burgis apud Philippum de Iunta, & Ioannem Baptiſtam Vareſium 1596. in fol. Qui Theſaurus è Patribus & Philoſophis ſententias ſummo delectu quæſitas continet, & breui poſtea recuſus eſt, Barcinone 1597. & iterum Burgis 1602. Sæpè à Philippo II. Rege Catholico, lectus & laudatus, cuiuſque doctrinæ magna ex parte acceptam retulit optimam educationem filij ſui Philippi III.

IOANNES TSANDECK natione Germanus gente Carniolus, patria Vvaixelburgenſis anno ſalutis 1600. in Societatem Græcij, è Poeſi ingreſſus, fide ſeruata, curſuque feliciter conſummato, ibidem obiit ex peſte, quam confeſſiones infectæ Ciuitatis promiſcuè audiendo contraxit, die 8. Octobris anno 1624. Tranſtulit in linguam Carniolicam, collatis cum Illuſtriſſimo Epiſcopo Labatenſi operis, cuius auctoritate, tacito Patris nomine libri editi ſunt

Catechiſmum, & Euangelia per annum. Græcij typis Vvidmanſtadij 1612.

IOANNES TVLLENSIS natione Lotharingus, & à patria Tullenſis nuncupatus, in Societatem admiſſus Treuiris anno ſalutis

1568.

1568. ætatis ſuæ 17. Vir nihilo virtute quàm doctrina minor. Philoſophiæ ſtadium ter docendo confecit. Ethica Ariſtotelis, Quæſtiones de Conſcientia, & Controuerſias cum Hæreticis aliquot annis explicuit. Singulari fuit obſeruantia atque obedientia erga ſuos Superiores. Nihil vnquam in victu eximium ab alijs admiſit. Tam diligens ſenſuum ſuorum, atque oculorum imprimis cuſtos, vt totis 27. annis quibus Treuiris habitauit, nunquam de Odæo in templum inferne deſpexerit. Diuturno morbo, an magis ſenio demortuus eſt Treueris 15. Cal. Nouembris anno ſalutis 1625. ætatis 74. iam ab annis 32. vota 4. profeſſus. Carminũ Sacrorum libellos aliquot contexuit facili ac pio ſtylo, ſuaque manu deſcripſit, quo in genere excellunt, ac Treuiris aſſeruantur.

Liber de Imitatione Chriſti, ita metro elegiaco redditus, vt ab ſimplice Auctoris phraſi non recedat, & vnius tantum ſyllabæ eliſio intercurrat in libro quarto.

De Gemitu Columbæ. De Aſcenſione mentis in Deum. De Regno cælorum. De quatuor Nouiſſimis. Libellis ſingulis, Materia deſumpta eſt ex opuſculis Aſceticis Roberti Cardinalis Bellarmini.

Euangelia, & Epiſtolæ per Dominicas, Feſtoſquè anni dies paraphraſticè reddita. Item Paſſio Domini.

Elegiarum libri 5. in celebriora feſta Eccleſiæ.

De quatuor Nominibus inſignibus Filij Dei.

Quinque Confeſſores Societatis Ieſu, exemplo quinque Martyrum Franciſci Bencij.

Iubilus religioſus in Canonizatione SS. Ignatij, & Franciſci Xauerij, cum Proceſſione Treuirenſi, eodem tempore habita.

Quinque Demonſtrationes Mathematicæ.

Variæ acclamationes, & gratulationes ad diuerſos Magnates.

* IOANNES DV VALON natione Belga, patria Duacenus, cooptatus in Societatem anno a partu Virginis 1617. ætatis 20. votorum in ea 4. profeſſionem emiſit. Prælegit aliquot annis humaniores litteras, & Concionatorem in celebrioribus Prouinciæ Vrbibus annis circiter 30. egit. Vir magnæ virtutis, & exempli; ex hac vita demigrauit Cameraci die 4. Auguſti 1664. Scripſit Gallicè

Conſiderationes, & ſuſpiria animæ Deuotæ. Duaci apud Balthaſarem Bellerum 1658. in 4.

* IOANNES DE VASCONCELLOS natione Luſitanus, patria Lerienſis, nobili ſtirpe, & Patre Regio Senatore natus, Societati adſcriptus anno ſalutis 1607. ætatis 15 vota quatuor ſolemnia nuncupauit. Theologiam de moribus octennio profeſſus eſt, Rexit Collegia Brigantinum, Scalabitanum, Portuenſe, & Conimbricenſe, in quo vir regularis diſciplinæ cultor egregius, & zelator religioſe deceſſit die 21. Septembris 1661. Edidit Luſitanicè ſuo nomine alieno

Prodigioſam reſtaurationem Luſitaniæ. Vlyſſipone per Antonium Aluarez 1643. in 4.

IOANNES VBERVS, vide ſupra in IOANNE HVBERO.

IOANNES LE VENEVR natione Belga, patria Baſtonienſis, ingreſſus in Societatem anno ſalutis 1619. ætatis ſuæ 22. vota ſpiritualium Coadiutorum emiſit. Multis annis Miſſiones obiuit, Confeſſiones excepit, & alijs Societatis munijs functus eſt. Obijt circa annum 1646. Vertit ex Germanico Gallicè

Scholam Chriſtianam Nicolai Cuſani Noſtri.

IOANNES VIENOTVS PETIT natione Burgundus, patria Grayacenſis, Rector fuit Collegiorum Namurcenſis, & Tornacenſis, & Concionator è primis. Obijt Cameraci 14. Iunij anno 1637. ætatis 69. ab ingreſſu in Societatem 46. ab emiſſis quatuor votis 35. Vertit è Latino Gallicè

Appendicem Apologeticam ex D. Thoma, & D. Bonauentura, contra Calumniatores Religioſorum, quam Hiſtoriæ Ordinis Ieſuitici à ſe refutatæ addidit Iacobus Gretſerus. Leodij.

Concinnauit præterea in vſum Concionatorum

Indicem, ſeu locos communes in opus Petri Ribadeneiræ de Vitis Sanctorum. Coloniæ apud Kinckium 1635. in folio. Auxit

Indicem in Breuiarium Romanum à Ioanne Voello prius editum. Coloniæ apud Henricum Kraft 1641. in 12.

* IOANNES VILTOR natione Germanus; patria Spirenſis, natus anno ſæculi voluentis 19. Societati ſe adiunxit 1640. & poſt traditas litteras manſuetiores Eccleſiaſten egit multis annis Coloniæ in Capitolio. Edidit lingua Vernacula.

Epitomen Vitæ S. Franciſci Xauerij. Coloniæ apud Vvilhelmum Frieſſem 1665. in 12.

Conſiderationes in Antiphonas Salue Reginæ; & Alma Redemptoris. Ibidem 1667. & 70. in 18.

Indubitatas quatuor Maximas de æternitate ex latino P. Ioannis Manni. Ibidem 1668.

Hebdomadam Sacram S. P. N. Ignatij ex latino P. Ioannes Nadaſi. Ibidem 1670. in 16.

Piam Fraternitatem de Religioſis Societatis Ieſu Fratribus ex Belgico. Ibidem 1670.

* IOANNES VIGNIER natione Gallus, patria Campanus, diœceſis Lingonenſis, natus anno ſæculi elapſi 97. Societati ſe inſeruit labentis 14. & vota quatuor profeſſus eſt. Quinquennio docuit diſciplinas humaniores; ſeptennio Philoſophiam; qxinquennio Theologiam Scholaſticam, biennio Moralem. Rexit Collegium Cabilonenſe. Vir eximij candoris, & diſciplinæ Religioſæ peramans, mortalitatem exuit, Burgo-Breſſiani, die 17. Septembris 1651. Scripſit Gallicè

De Attributis Matris Dei. Lugduni ſumptibus Hieronymi de la Garde 1650. in 4.

IOANNES VILLALOBOS natione Hiſpanus, patria Zamorenſis, ante ingreſſum in Societatem, linguæ Græcæ Cathedram moderabatur Salmanticæ in Collegio Trilingui Profeſſor publicus. Societati ſe adiunxit anno ſalutis 1576. ætatis 21. atque in ea docuit aliquamdiu noſtros linguam Græcam, & litteras humaniores; Concionatorem etiam egit, & naturæ conceſſit Compoſtellæ die 7. Octobris 1593. Antequam Societatem iniret rogatu diſcipulorum edidit

Grammaticam Græcam, quam poſtea in Societate auxit, & recudit ſub titulo *Introductionis in linguam Græcam*. Salmanticæ apud Petrum Laſſum 1593. in 8.

IOANNES A VILLANOVA natione Hiſpanus è Regno Nauarræ, patria Socarrenſis, in Societatem ſe recepit anno Domini 1583. ætatis 17. & vota quatuor nuncupauit. Philoſophiam Turiaſonæ, Theologiam Bilbili, ac Cæſar Auguſtæ docuit; vtrobique Collegium gubernauit. S. Inquiſitionis Cenſor fuit. Vir fuit eximia humilitate, quique non dedignaretur, vel cum Socijs præerat, ad infima Grammaticæ rudimenta pueris tradenda deſcendere, in humanioribus alioqui litteris verſatiſſimus, quas per octennium magna laude tradiderat. Deceſſit cum fama non exigua ſanctitatis die 13. Nouembris 1635. Edidit

Elegias aliquas, & Epigrammata non inſulſa. Reliquit moriens volumen iuſtum Epiſtolarum eleganti ſtylo latino conſcriptum, & prælo aptum

IOANNES VINCARTIVS natione Belga, patria Inſulanus, natus anno ſæculi proxime euoluti 93. Societatem amplexus eſt voluentis 12. & votorum quatuor ſolemne ſacramentum dixit. Diſciplinis amænioribus, & Poetica præſertim facultate excellens, docuit litteras Græcas, Rhetoricam, & Poeſim, tum habendis Concionibus ad populum per annos triginta indefeſſus incubuit, pergitquè adhuc vel octogenarius dicere ad Sodales Beatiſsimæ Virginis Tornaci; Encomiaſtes illius haud vulgaris, & cuius laudibus proferendis, vel hoc nomine vires omnes merito addixit, quòd inſigni eius beneficio, ſcabritiem linguæ qua ante ingreſſum in Societatem laborabat, ipſam inuocando ſibi ſubito exemptam ſenſerit, vt admitti poſſet. Edidit hactenus

B. Virginis Cancellatæ Hiſtoriam, & Miracula. Inſulis typis Petri de Rache 1636. in folio.

Sacrarum Heroidum Epiſtolas Carmine Elegiaco cum Iconibus Emblematicis. Tornaci typis Adriani Quinque 1639. in 12.

Vitam & Documenta S. Ioannis Chryſoſtomi. Ibidem 1639. in 12.

De Cultu Deiparæ Libellum Charactere Ouidiano. Inſulis apud Nicolaum de Rache 1648. quod opuſculum Gallicè etiam vertit ſtylo vincto & ſoluto.

Vitas SS. Ioannis Eleemoſynarij, Climaci, & Damaſceni, cum documentis Moralibus. Duaci typis Ioannis Serrurier 1650.

Elogia Mariana, Ordine Alphabetico, SS. Patrum ſententijs, ac Moralibus documentis illuſtrata. Tornaci typis Viduæ Quinque 1667. in 4.

Paraphraſim Latino-Gallicam, Poeticam in Litanias Lauretanas, & pari Methodo

Expoſitionem Moralem in illa Sancti Iacobi verba: Omne gaudium exiſtimate fratres cum in varias tentationes incideritis. Tamquam præſentis ſæculi calamitatum opportunum remedium

IOANNES VIREAV natione Gallus, Burdigalenſis Diœceſis, admiſſus in Societatem anno ſuperioris ſæculi 77. ætatis 19. docuit aliquot annis litteras humaniores, & multis geſſit curam domeſticæ oeconomiæ, & diſciplinæ, functuſq. eſt munere Confeſſarij, ſpiritualium Coadiutorū albo adſcriptus. Octogenarius viuere deſijt inter mortales. Lutetiæ die 18. Octobris 1638. Reddidit Gallicè

Annuas litteras è Iaponia annorum 1625. 26. & 27. Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoiſy.

IOANNES VNCHALIVS, ſeu VVCHALIVS natione Roxolanus, ſeu Ruthenus, à patria Leopolitanus nuncupatus, Romæ iuuenis, atque artium Magiſter cum eſſet, ad noſtrum numerum adſcriptus eſt, anno ſalutis 1571. ætatis ſuæ 24. Expeditis ibi ſtudijs redux in Poloniam, partim externos, partim Noſtros annis 13. Rhetoricam docuit, eſtque habitus inter primos æui ſui Oratores. Socijs noſtris Leopoli 6. annis, Caliſſij 9. præfuit; Sed hæc illi poſterior moderatio euaſit difficillima ob generis omnis moleſtias, quæ in fundando illo Collegio exſorbendæ fuerunt; vexationes, direptiones bonorum, obtrectationes, calumniæ; ſed omnia mitigauit P. Vnchalius, ſua prudentia, & lenitate; viris Magnis, & Senatoribus perquam carus & venerabilis. Dum apud Epiſcopum Poſnanienſem verſatur, repentè in paralyſim incidit, & nemine aduertente decidit è ſella. Acciti extemplo Medici nihil opis adferre potuerunt. Trimeſtre ferè morbus tenuit vſque ad diem 12. Martij anno Domini 1608. ætatis ſuæ 61. initæ Religionis 37. profeſſionis 4. votorum 15. quo piè vita functus eſt, Radlini in pago Epiſcopi, qui ſuo eum tumulo inferre voluit, niſi Noſtris deprecatoribus ceſſiſſet. Vir fuit pius, modeſtus, æqui animi, in tolerandis iniuriis tam facilis, vt in prouerbium iam vertiſſet, iniuria ipſum aliqua, prouocare debere, qui ſibi vellet eum maximè demereri. Suauiſſimum quendam agendi modum cum Noſtris habuit, quorum in ſpiritu dirigendorum curam diù ſuſtinuit. Oratione vti multum præſtabat, ita plures in ea ponebat horas. Scripſit Polonicè

Meditationes Vitæ Chriſti, &

Me-

Meditationes de Beata Maria Virgine. Cracouiæ 1592. in 4.

Formam Vitæ Chriſtianæ adiunctis varijs precationibus, ſeu Catechiſmum Romanum, quem ſub alieno nomine edidit.

IOANNES VOELLVS natione Burgundus, patria Valmoncelotanus, Biſuntinæ diœceſis, adſcitus in Societatem anno ſalutis 1559. ætatis 18. Vir eruditus in paucis, eloquentiam apud ſuos, plurimos annos profeſſus, Lugduni, ac Dolæ Rector fuit, & tria vota ſolemnia emiſit. Vnum & quinquaginta annos in Societate, virtutum omnium donis apprimè excultus exegit, eius prudentiæ, caritatiſque fuit, nemo vt ad eum de ſuis rebus vnquam referret, qui non facti ſui fructum aliquem perciperet, tam interim demiſſum gerebat animum, vt ne verbum quidem ipſi aliquando excidiſſe quod oſtentationem ſaperet, quiſquam meminiſſet. Obijt Turnone die 10. Martij anno ſalutis 1610. Compoſuit & typis vulgauit

Artificium componendæ orationis &

De ratione conſcribendi Epiſtolas. Lugduni apud Ioannem Pilehotte 1588. Recuſum Brixiæ 1601. in 8.

De Horologijs Sciothericis. Turnoni apud Claudium Michaelem 1608.

De Oratore lib. 4. Lugduni *1610*. apud Pilehotte

Indicem in Breuiarium Romanum, ad Conciones formandas aptiſſimum. Moguntiæ apud Petrum Henningium 1614. in 12.

IOANNES VOLCKIVS natione Germanus Bauarus, patria Dachauienſis trium votorũ profeſſus, anno ſalutis *1563*. ætatis ſuæ 19. Societatem complexus eſt, in qua annos ipſos 50. per varia munia continenter ſe exercuit, & per quam fructuoſe. Iniuriarum & periculorum, quæ imminerent ab Hæreticorum fraude ac odio quaſi ad eum nihil pertinerent, erat inſita homini cotemptio tanta, quantum hoſtibus ſtudium nocendi, atque audacia; Veri & æqui religioſiſsimus æmulator pro vtroque pugnabat ſtudioſiſsimè, atque hoc ſæpe numero felicius, quod in eiuſmodi cauſa idonea erat libertas dicendi, & faciendi. Auguſtæ Vindelicorum tandem tridui dumtaxat morbo tentata leniter eius valetudine, integerrimis fruentem ſenſibus ad ſe in quietem Deus aduocauit die 29. Nouembris anno ſalutis 1613 Scripſit Germanicè.

De abominatione peccati

De Sacra Communione ex Ludouico de Ponte

Vitam P. Gonſalui Syluerij Martyris è Societate Ieſu, è latino Nicolai Godigni, transtulit Germanicè. Auguſtæ 1614.

IOANNES VREMANNVS natione Dalmata, Mathematicarum diſciplinarum bene peritus. Hunc Nicolaus Trigautius redux in Sinas ex Europa ægrè ab Claudio Generali Præpoſito impetratum ſecum auexit, & incolumem adduxit Macaum; vbi triennio præſtolatus occaſionem in Regni interiora ſeſe inſinuandi, Matheſim Noſtros interim docuit, ipſe viciſſim Sinenſem Aſtronomiam perdidicit. Cum autem crebris vexaretur ſtomachi doloribus, auræ victuique mutando Nancianum feſtinata profectione miſſus eſt; quo in itinere, vt periculi neſcio quid declinaret, triduum totum tempeſtate ſubfrigida in carina nauis delituit, pedibus in aquam demerſis, vnde morbum validiorem contraxit, quo breui confectus eſt. In eo morbo cùm vix hæreret oſſibus, nec ſine alterius ope ſe poſſet in latus conuertere, cruciatus ſuos temperabat dulciſſimis cum Chriſto Crucifixo colloquijs, cuius effigiem ſemper habebat ad manum. Sanctorum res geſtas identidem ſibi volebat recitari, interpoſitis Pſalmis Pœnitentialibus vt ſua ex illis ſenſa repetere poſſet, & miſcere ſermones. Flagrabat amore Diuino, ſtudioque proferendæ apud Sinas eius gloriæ; cui tamen cum non poſſet ſatisfacere, libenter ſe aiebat morem gerere Diuinæ voluntati. Sacrum ſigillum Indulgentijs inſigne, dextro brachio cùm illigaſſet, paulo poſt pronunciatis tertiò Sacroſanctis nominibus Ieſu, & Mariæ oculis in Crucifixum Dominum defixis ſpiritum ſuauiſsimè exhalauit, Nanciani in Sinis feria 4. poſt Paſcha quæ in diem 22. Aprilis incidit anno ſalutis *1620*. Cadauer poſtridie Nanchinum auectum in Sociorum ſepulchrum illatum eſt. Scripſit

Annuas Litteras Iaponiæ annorum 1615. *&* *1616*.

IOANNES VVAELS natione Belga, patria Haesbrouckanus in Flandria, Duaci Philoſophiæ ſtudijs abſolutis animum ad Societatem adiecit, à qua nullis ſuorum minis, blanditijsue ſe paſſus eſt auerti, quibus declinandis Romam abijt anno Domini 1588. ætatis ſuæ 21. ibique Sociorum numero eſt aggregatus. Inde poſtliminio reuerſus, Philoſophiam Duaci profeſſus eſt. Cæterum in Proximorum commoda vitam pene omnem, tum in Luſitania, tum in Belgio nauiter impendit. Erat ſpiritu magno, & zelo animarum raro, multus in habendis Concionibus, Confeſſionibus excipiendis, ſodalitatibus dirigendis, ſemper cum fructu, & laude. Ipſe confitebatur quotidie, & ad anteriora perfectionis ſe ſemper extendebat. Nullus illi niſi de rebus pijs ſermo, ſi alij fuiſſent illati, ad orandum ſe ipſe conuertebat. Superiores haud aliter quàm mortales quoſdam Angelos venerabatur; illorum ſollicitè nutus aucupabatur; ſæpe præueniebat, & poſtrema vitæ periodo nunquam ad quietem ſe componebat niſi a Superiore benedictionem impetraſſet; quem etiam biduo ante obitum rogauit, vt mori ſibi bona cum eius pace liceret. Paupertatem prorſus diligebat vt matrem; quam ne leuiſſimæ cuiuſuis rei diſpenſatione violaret, accuratè notabat, quid quantumquè Sacrorum numiſmatum, aut imaginum in pro-

ximo

ximos participabatur, ne quid ſupra præſcriptum daret. Calculi quo cruciabatur exectionem, quam diu expetierat, poſtquam trecentis redimi florenis oportere intellexit, omnino repudiauit. Grandioris pretij medicamenta dolebat ſuis malis præſcribi, optabatq; ab iis, vel abſtineri, vel certe emendicata pecunia cóparari. Cùm puluinar alterum in moleſtiæ leuamen petijſſet, nullumquè haberetur, ſuum arctè complexus lætiſſimo animi ſenſu exclamauit, *O Sancta Paupertas!* Caſtitatis ſtudioſus erat in paucis, vt qui eum norant caſtiſſimum virú innocentemquè vocarent. Cùm rara doctrina, & ingenio, egregiam copulauit ſimplicitatem. Conſcientiam ſuam, vel iam ſenex Tironis inſtar Superioribus explicabat, eorumquè admonitiones placidè, prompteque ſé corrigendi ſtudio excipiebat. Venerabatur e ſanctis præcipuè S. Ignatium parentem Noſtrum, B. Aloyſium cui aliquando conuixerat, & S. Catharinam Alexandrinam Martyrem, ſed primo loco Reginam Sanctorum, quam ſabbatino ieiunio colebat; ſecundum illam verò Sponſum eius Ioſephum proſequebatur, cuius honori promouendo, ſe per votum addixerat. Sodalitatem ad id alicubi inſtituit imagines erexit, lumina ad eas frequentia procurauit, laudes eius vbique deprædicauit, denique typis etiam vulgauit

Litanias de S. Ioſepho

Vitam finiuit in illa Apoſtoli voce. *Filioli diligite alterutrum* Dunckercæ die 8. Ianuarij anno ſalutis 1628. ætatis 61. Religionis 40. à ſuſcepta quatuor votorum profeſſione 23.

IOANNES VVALTERIVS VIRINGVS natione Belga, patria Louanienſis, Ioanne Viringo Doctore Medico, & Societatis Noſtræ amantiſſimo natus, in humanioribus litteris tradendis, in explicanda Theologia, in concionibus ad populum, in Hollandicæ vineæ cultura eximius operarius, & ad omnia promptus. In Friſia à perduellibus Dei Regiſque Catholici hoſtibus interceptus, & in carcerem retruſus, vincula ferrea non ante induit, quàm illa oſcularetur. Vnde cum per Catholicorum liberalitatem poſt menſes ſex liberatus educeretur, Vir primarius illas ipſas compedes pretio redemit, affirmans illas Sacri pignoris loco apud ſe ſeruandas, colendaſque. Mechliniam reuerſus, præcipuo ſtudio complecti cæpit inopes, quorum tuguria, multò quàm ædes locupletiorum, libentiùs adibat; nec vlli eum calculi dolores ab eo officij retardarunt. Gliſcentibus inter milites contagijs, catalogum ſibi multorum deſcripſerat, quos cum ſigillatim viſitaſſet de die, nocte ſæpe iterum, ac tertiò, eoſdem interuiſurus, indefeſſa caritate ſurgebat. Hauſta ab his ægritudine, ſerenari extemplo ſenſit animum inſolito modo, illatàque mortis mentione exhilareſcere; & aiebat Mori non timeo, quia bonum Dominum habeo. Inuſitato Martyrij deſiderio ſemper flagrabat, cuius recordatio, vel leuiter ingeſta magnos illi animos addebat, ad omnem medicamentorum acerbitatem, ad quam etiam non parum illum firmabat B. Virginis Mariæ memoria, cuius beneficio prædicabat ſe præſenti mortis periculo fuiſſe aliquando ereptum. Occubuit glorioſa morte per caritatis obſequia, contracta Mechliniæ ad diem 4. Decembris anno ſalutis 1622. ab ingreſſu in vitam mortalem 52. in Religioſam 33. quatuor dudum votis illigatus. Scripſit Vernacule

Aduerſus Ioannem Vvaleſium Hæreticum - Bruxellæ apud Oliuerium Bruuel 1609. & 1614.

Latinè verò

De Triplici Cœna Chriſti, Agni, Vulgari Eucharistica. Antuerpiæ apud Hæredes Martini Nutij, & Ioannem Meurſium 1617. in 4.

* IOANNES VVALTONVS natione Anglus, patria Lancaſtrenſis, poſt ſtudia in Seminario Audomarenſi, Societati nomen dedit Vvatenis anno à partu Virginis 1642. ætatis 20. & votorum 4. ſacramento ſe adſtrinxit. Miſſus in vineam Anglicanam iam annos ampliùs viginti in illius cultura exegit gnauus, & vtilis operarius. Scripſit Anglice

Reſponſum ad Calumnias Henrici Mori Doctoris Hæretici, quibus Idololatriæ crimen Catholicis aſſingit. Londini 1672. in 8.

* IOANNES VVARNERVS natione Anglus, patria Varuicenſis, iam Philoſophiam docuerat, & quadriennio ſacram Theologiam in Collegio Anglorum Duaceno, quando recepit ſe in Societatem, anno à partu Virginis 1663. exeunte Decembri, & ætatis ſuæ 35. & poſtea votorum quatuor nexu ſe Deo adſtrinxit. Theologiam, etiam in Societate, altero quadriennio profeſſus eſt Leodij; poſtea miſſus in vineam Domini Anglicanam hanc aliquamdiu nauiter coluit. Nunc negotiorum ſuæ Prouinciæ curam Pariſijs gerit. Edidit ante ingreſſum in Societatem, ſub nomine Ionæ Thamonis latinè

Vindicias Cenſuræ Duacenæ, ſeu Confutationem ſcripti cuiuſdam Thomæ Albij contra latam à S. Facultate Theologica Duacena, in 22. Propoſitiones eius Cenſuram, cui præfigitur Albianæ doctrinæ ſcopus, & alia quædam eius dogmata referuntur. Duaci. 1661. in 4.

IOANNES VVAZIN natione Germanus, patria Immeſtadienſis in Sueuia Societati adſcriptus anno ſalutis 1611. ætatis 17. in Prouincia Germaniæ Superioris, vota quatuor nuncupauit Monachij 1627. Vir præſtanti doctrina, & Concionandi munere excellens adeo, vt Euangelicæ tubæ nomen obtinuerit & magno fructu 30. annis id exercuerit. Miſſus in Bohemiam primus de Societate Vvratiſlauiam Hæreſi addictiſſimam intrauit, ibique Societati ſedem fixit, ſagace, & grato apud Cæſarem, ac Dynaſtas ingenio. Ibidem per annos 16. pro Eccleſia Catholica contra hy-

dram Hæreſis acerrimè depugnauit, & Collegio illi bis præfuit magna modeſtia, prudentia, & caritate. Denique ex eodem ad laborum præmia migrauit, die 8. Septembris 1653. Edidit lingua Germanica

Octo Corollas funebres, in exequijs Sereniſſimæ Mariæ Renatæ, Alberti Ducis Bauariæ filiæ exhibitas. Monachij 1630.

* IOANNES VVEYER natione Belga, patria Mechlinienſis, in Societatem adlectus anno ſæculi fluentis 17. ætatis ſuæ. 20. translatus inde in Prouinciam Bohemiæ; docuit Rhetoricam triennio, Ethicam biennio, Philoſophiam ſexennio, Theologiam Moralem quadriennio, Scholaſticam annis 12. Concionator latinus annis quinque, & ſexdecim Præfectus rerum ſpiritualium, emiſſa profeſſione votorum quatuor anno 1634. Vir inſigniter doctus è cuſtodia corporis eductus à Deo eſt Glacij calendis Febrarij, hoc anno 1675. Edidit latinè

Fontem Vitæ. Olomucij 1658. in 12. quem Germanice redditum, & auctum recudit Ingolſtadij 1660. & Vvratislauiæ 1666.

Theophilum ſe ſpiritu renouantem. Auguſtæ 1668. in 8.

Theophilum ſe renouantem, in recollectione ſemeſtri triduana. Auguſtæ 1668. in 8.

Viam Excellentiorem Charitatis, eiuſdemque exercitium actuale. Ingolſtadij typis Ioannis Oſtermayr 1670. in 4.

Affectus pios pro impetranda Bona morte Olomucij. 1670. in 12.

IOANNES VVIELEVVICKI natione Polonus, nobili familia, natus in Vvielevviez, pago Palatinatus Caliſſienſis, anno 1566. poſt humaniores litteras Poſnaniæ delibatas, Deo ſe in Societate dicauit Braunsbergæ, anno 1584. in qua triennio Philoſophiam, Theologiam de Moribus biennio explicauit, gubernauit bis Domum Profeſſam Cracouienſem ad Sanctæ Barbaræ annos 7. totidem annos fuit Rector in Collegijs Leopolienſi, Poſnanienſi, & Caliſſienſi; tribus præfuit in Reſidentijs Torunienſi, & Præmislienſi. Socialem operam præſtitit tribus Præpoſitis Prouinciæ itinerum, & conſiliorum conſors. Patres in tertia probatione inſtruxit. Romam, miſſus à Prouincia Procurator inuiſit, ſtudijs etiam Noſtrorum maioribus præfuit, & varijs in locis Eccleſiaſten cum laude, & bona fruge egit; Profeſſus quatuor vota anno 1615. Vir ob vitæ religioſæ ſeueritatem cum liberali comitate coniunctam, domeſticis, externiſque gratiſſimus, otij tantus oſor, vt vel in ætate deuexa non ſegnius, quàm iuuenum quilibet ad ſalutem animarum incumberet. Obijt Iaroslauiæ 24. Iulij anno 1639. Scripſit ex Latino Polonice

Thomæ de Kempis de Imitatione Chriſti Libros IV. ab Henrico Sommalio iuxta Autographum caſtigatos

Ad Petri Scargæ Tomum de Vitis Sanctorum collegit *Indicem*.

Poemata varia de rebus pijs, deque alijs Moralibus, & contra Hæreticos, ſub alieno nomine, lingua Vernacula vulgari.

IOANNES VVILHELMVS VVILTHEIM natione Belga, patria Luxemburgenſis, ingreſſus in Societatem anno 1612. ætatis ſuæ 18. votorum quatuor profeſſionem edidit. Vir magna ad ſcientias omnes capeſſendas facultate præditus; Philoſophiam Friburgi Briſgoiæ, Theologiam Moralem Luxemburgi publicè profeſſus, ſpiritualibus rebus fuit addictiſſimus. Religioſæ paupertatis adeo retinens, vt in defuncti cubiculo, non roſarium, non imago, vel aliud quidpiam repertum ſit, quod donandum reſeruaſſet. Cum Hiſtoriarum commentarios pararet, ſæpe res grauiſſimas in diſcipulorum thematis ſcribebat. Nullam temporis particulam ſine fructu elabi patiebatur, vitam agens inter libros, quaſi legendo, ſcribendoque non poſſet fatigari. Et ne ſtudendi aſſiduitas animum penitus abſorberet, penſum horarum Canonicarum, ſeruatis quoad licebat, publicæ recitationis temporibus diligenter perſoluebat. Caſtimoniæ amor effecit, vt inde à tenella ætate alterius ſexus non modo conſuetudinem, ſed etiam conſpectum fugeret. Obedientiam in eo omnibus numeris abſolutam Superiores probauere. Sed præcipua laus in eo charitatis fuit, ita ad omnium obſequia comiter ſeſe fingebat. Nondum ſacris initiatus poteſtatem à R. P. Generali impetrauerat nauigandi ad Sinas cum P. Nicolao Trigautio; ſed itineri iam accinctum aliæ litteræ in Belgio retinuere. Ita profectio illa impedita, ſed animus laborandi pro Deo, & proximo minimè retardatus. Quippe ad conciones ruri habendas, ſolandos pauperes, inuiſendos ægros, & ſimilia impiger fuit. Denique his maxime officijs intentum, & in lucra animarum ſtrenue incumbentem mors occupauit Luxemburgi, die 25. Martij 1636. Scripſit

De Rebus geſtis & honoribus S. Maximini Archiepiſcopi Treuirenſis Libros X. in quibus veterum aliquot Auctorum ſcripta promit.

Diſquiſitionum Antiquariarum Libros III. in quibus Veterum Romanorum monumenta toto Ducatu Luxemburgenſi ſparſa collegit. Reliquit etiam ex Mſ. erutam, & notis illuſtratam

Vitam S. Vulfilaici Stilitæ quondam propè Iuodium Luxemburgici Ducatus Oppidum

Præterea Paratum reliquit prælo

Gymnaſium ſtudioſæ Iuuentutis, quo ſententias Morales ex Græcis ſcriptoribus ſelectas colligit

Parabat *Hiſtoriam Cænobij S. Maximini* iamque ſex libros confecerat, cum mors manum de tabula tollere coegit

IOANNES VVINTERSHOVEN natione Belga, patria Vltraiectenſis, vir doctrina

na æque, ac virtute clarus. Natus eſt anno ſalutis 1571. excultuſque litteris humanioribus, & Iuris Ciuilis ſcientia in Hollandia; & tantum prudentia, ac rerum agendarum dexteritate valuit, vt aptus imprimis haberetur iamtum ante vitam Religioſam, qui ad Hollandos de pace acturus publico nomine mitteretur. S. P. N. Ignatij exercitationibus vocationem hauſit Societatis, quam deinde ingreſſus eſt, anno 1596. In Tirocinio monita ad vitam religioſè inſtituendam concepit, quibus reliquam omnem ætatem direxit. Philoſophiam inter iuuenes vir ipſe audiuit, magna in ſuos Profeſſores, quamuis eos annis excederet, obſeruantia; eandem poſt alijs ipſe tradidit & e diſcipulis ſuis plures centenis, ad vitam Religioſam adduxit. Præfuit Ruræmondenſi Collegio Rector, vbi de laboribus culinæ conquerentem Fratrem, ſuo ipſe exemplo, obito per dies aliquot coqui munere ad officium reduxit. Bruxellis etiam Rector fuit ſeſquiennio, donec importuna poſtmodum deprecatione dignitatis, miſſionem impetrauit. Societatem tenerrime amabat, & diſcruciabatur animo ſi quid à Noſtris commiſſum eſſet, quod eius exiſtimationi poſſet officere. Cùm Sacerdotes noſtros in tertia probatione inſtitueret, correptuſque morbo ad Cœlum aſpiraret, offerentibus precum ſuarum ſuppetias ad recuperandam ſalutem, Ita ne inquit, curſum meum in Cœlum ſatagitis impedire? quin promouete magis. Sciſcitantibus ecquid incómodè iaceret? Enimuero commodius inquit quam Ieſus meus in Cruce. Aqua roſea frontem mulcentibus; Ah! quam delicatum ſub ſpinoſo capite membrum! Iuniores Sacerdotes ſe viſentes rogabat, vt ſe aqua luſtrali aſpergerent; vnique eorum de tota vita confeſſus eſt, ac tandem placidè in Domino quieuit Mechliniæ anno ſalutis 1625. vota 4. dudum antea profeſſus. Cum Sereniſſimi Belgarum Principes Albertus & Iſabella Clara Eugenia Montes pietatis erexiſſent, ijque eſſent in inuidiam vocati de illorum voluntate Scripſit Pater

Libellum de Montibus pietatis. Edidit etiam

Theſes de concurſu Dei, quas varijs rationibus & auctoritatibus confirmauit.

* IOANNES VVITTFELDT natione Germanus patria Coſfeldienſis in Vveſtphalia natus anno ſæculi tranſacti 96. Societati ſe adiunxit vertentis 12. & vota 4. ſolemnia concepit. Docuit omnes claſſes litterarum Humaniorum; fuit ingenio facili cum mira vbertate dicendi in rem quamuis, magna morum ſuauitate, & Religioſa prudentia, colloquia ſemper in pium finem deflectebat. Tandem euocatus ad Cathedram ſummæ Aedis Monaſterienſis, vbi fere vixit, eadem hebdomada qua pro concione dixerat de morte, populari contagio intra triduum oppreſſus, ex hac vita emigrauit die 11. Nouembris 1634. omnibus Eccleſiæ Sacramentis ritè præmunitus. Mortis nuntium tam præſenti animo, tam læto vultu, ardenti deſiderio excepit, vt acceſſito Superiori veniam offenſarum vel à minimo Sociorum efflagitarit, addendo ſe cadauer permittere vel ſepeliendum in horto, vel in præterfluentem abijciendum. Edidit dum Theologiam Monaſterij doceret

Chriſtum Crucifixum prodigioſis naturæ typis excuſum. Monaſterij Vveſtphaliæ in 12. recuſum Aquiſgrani 1634. cum Regulis, & indulgentijs Sodalitatis.

IODOCVS ANDRIES natione Belga, patria Cortracenſis natus anno ſalutis 1588. die 15. Aprilis Societatem ingreſſus Tornaci 1606. die 2. Octobris, Profeſſionem 4. votorum emiſit Antuerpiæ 1633. 3. Maij. Vir fuit eximiæ virtutis, exemplum perfectionis religioſæ, & de quo olim Viſitator Belgij Henricus Scherenus, dum illam viſitaret Prouinciam, non vano augurio, quaſi præſagiendo dixit, iamtum apparere in eo magnæ ſemina Sanctitatis. Abſolutis ſtudijs, & applicatus à Maioribus ad habendas Conciones, tanto zelo indefeſſè eo munere functus eſt per annos prope 40. vt ſæpius bis in die, aliquando ter dixerit. Brugis cùm degeret inſtante ieiunio Quadrageſimali, aduerteretque deeſſe qui populo meditationes in Templo noſtro, de Chriſto patiente veſperi proponeret, ipſe ſe Superiori in ſupplementum obtulit, tametſi ſibi in principe Æde quotidie concionandum eſſet. Fuerunt ex Auditoribus perſonæ fide dignæ, quæ affirmarunt, vidiſſe ſe dum verba faceret eius vultum cœleſti luce circumfuſum, & aliquando quaſi ſtellam vertici inſidentem. Nec in vrbibus ſolum ſed in pagis quoque ſalutem animarum promouere vbique conatus eſt, erectis in illis tum Chriſti patientis, tum Matris Doloroſæ ſtationibus, quas & ipſe frequens obibat, vt alios ſuo exemplo ad id incitaret. Nec contentus hortari verbo, varia inſuper elucubrauit opuſcula, quibus & longe abſentes, & poſteri à peccatis abſtraherentur, & ad pietatis Chriſtianæ officia ſtimularentur. Erat autem in minores tractatus eiuſmodi propenſior, quod faciliùs poſſent diuulgari, & ſine faſtidio perlegi. Nec fefellit eum ſua in eo opinio. Nam certò conſtat libelli quem edidit *De perpetua Chriſti Cruce*, in ſolo Belgio, & anno non integro, quinquaginta circiter millia fuiſſe diuendita; Alterius verò *De perpetuo gladio Reginæ Martyrum* ſupra quindecim millia. Eiuſdem zeli & caritatis viſcera experti ſunt etiam Noſtri quotquot illo Confeſſario vel rerum ſpiritualium Prefecto vſi ſunt, eo enim munere perfunctus eſt in omnibus quibus habitauit locis, tanta ſedulitate & tanta facilitate exhibens ſe omnibus, & omnibus horis, ac ſi nihil aliud agendum habuiſſet, vt ſingulis reipſa fuerit viua idea caritatis. Sed non minor in eo obedientiæ laus fuit. Superiores ſiquidem, vt Dei Vicarios venerabatur promptus ad omnem illorum nutum, nec de vllo onere ab ipſis impoſito ſe vnquam excuſabat. Regularum, &

rerum omnium, quæ præſcribebantur tam obſeruans fuit, vt non ſit qui eum vel in minimo defuiſſe meminerit. Paupertatis Sanctæ ſtudioſus extitit, vt perpetuò viliſſima quæque ambiret, nec haberet in cubiculo quidquam ſingulare, niſi religioſum nitorem iuxta Regulam. Cùm quædam pia & opulenta fœmina, quæ illo vtebatur Confeſſario, miſerta ſenij, & laborum, quos ſubibat, obtuliſſet ſe ad conſtruendum cenſum annuum, centum circiter aureorum, qui eum quocumque pergeret ſequerentur, diſuaſit nec vllo modo admiſit. Caſtimoniæ tam amans fuit, vt virgo vſque ad obitum permanſerit. Huius virtutis quaſi comites tres inſeperabiles habuit, arctiſſimam cum Deo coniunctionem per orationem; profundam humilitatem; & ſeueram ſui corporis tractationem. Mentalem orationem adeo ſibi familiarem fecerat, vt continuo in Dei præſentia verſari, & diuinum quid in omni actione, & verbis ſpirare videretur. Ad hoſtiam incruentam Deo immolandam, quotidie ſe operoſiſſime præparabat, in ipſa autem liturgia ex abundantia conſolationis Diuinæ videbatur colliqueſcere, & in ſacra Communione hærebat diù, cum profundis ſuſpirijs & profluuio lacrymarum. Nihil tamen in eo enituit magis, quam profundiſſima humilitas, cum tanta eruditione & rerum geſtarum, virtutumque ſplendore coniuncta. Erubeſcebat inſtar virginis ad omnem vel minimam ſui laudem; in communi colloquio ſe tamquam omnium infimum gerebat; Fratribus Adiutoribus ſe vltro adiungebat; Lucubrationes ſuas iudicio aliorum pleniſſimè ſubmittebat; ſenior ſe Superiori obtulit, ad docendas denuò litteras humaniores. Cùm Mechliniæ concionaretur Tironibus ſe admiſcebat, & quaſi vnus ex illis vehebat lapides, ligna portabat. Cum benigniſſimus in omnes eſſet, in ſe vnum ſeueriſſimus ac quaſi tortor fuit. Dilacerabat tergum prolixis flagellationibus, & ſæpiùs de die repetitis, donec ſanguine copioſo totus maderet. Induſia vulnerum cruore tincta, ſecretò ſtudioſè eluebat, ne ſupplicia ſua linteario innoteſcerent. Horrido ſemper vtebatur cilicio, vel cingulo aculeato, quo accinctus ſingulis hebdomadis, dum foras concionaturus ibat, milliaria aliquot conficiebat. Dum Brugis per annos 15. Eccleſiaſten ageret, auditus eſt ſæpiùs media nocte ſurgere, & in ſe flagris atrociter ſæuire. Nunquam etiam frigidiſſima hyeme accedebat ad focum niſi tempore communis recreationis poſt menſam, quamuis præ frigore illi ſæpe finderentur manus. Fuit cùm per menſes integros ſemel duntaxat viginti quatuor horarum ſpatio potum ſumeret. Dum concionaretur per Quadrageſimam vel Aduentum quotidie, nunquam attingebat, quæ religioſa caritas eiuſmodi operarijs extra ordinem ſolet apponere. Demum annis grauis & febri hectica confectus receptis tempeſtiuè extremis Sacramentis, vbi amori ſuo, Crucifixum cum lacrymis oſculando non nihil indulſerat, elata dextera & alacri voce exclamans, in Cœlum! in Cœlum! ſanctè obijt, vti vixerat, Bruxellis die 21. Nouembris 1658. Edidit P. Iodocus varia opportunitate complures pias exercitationes, partim patentibus folijs adiuncta imagine, partim breuibus libellis, eò ſucceſsu vt eorum aliquot, duodecies & decies ſexies, vel repetito prælo prodierint. Huiuſmodi ſunt

Modus orandi pro neceſſitatibus patriæ; Latinè, & Flandricè Gandaui 1619. Auctus deinde varijs locis ſæpe prodijt.

Manus hominis, & dies hominis Chriſtiani. Latinè, Flandricè, Gallicè, Gandaui 1621.

Facilis modus lætam Mortem obtinendi. Latinè, Flandricè, Gandaui

Preces ad ſtationes Paſſionis, & ad 15. Myſteria B. Virginis, ac ſeptem eius dolores. Gandaui 1621. & deinceps alibi

Annulus æternitatis, tum in libellulo, tum in exporecta charta, Latinè, Gallicè, Flandricè, duodecies repetito prælo Gandaui 1621.

Memoria Paſſionis Domini, Latinè, Hiſpanicè, Gallicè, Flandricè, Louanij, & Brugis 1626.

Libellus de Amoris Dei actu, & Contritione. Latinè, & Flandricè Mechliniæ 1626.

Idem per Compendium ſub titulo. *Duæ claues cæli*, quæ ſeptem Linguis Latina, Hiſpanica, Italica, Gallica, Germanica, Anglica, Flandrica, in lucem prodiere, & ex illis ſupra centum, quinquaginta millia exemplarium diſtracta ſunt

Brugæ Marianæ. Flandricè Brugis 1634.

Dolores B. Virginis Mariæ. Mechliniæ 1627. & Brugis 1629.

Breuis exercitatio, ad promouendum Roſarium 12. ſtellarum Deiparæ. Flandricè Gandaui

De Gratia Iubilæi ſeruanda, augenda.

Facile certumque præſidium aduerſus omne peccatum. Brugis 1629. latinè, Hiſpanicè, Flandricè, Gallicè, Anglicè, multiplici prælo.

Commemoratio Animarum purgatorij. Flandricè. Item

Purgatorium Catholicè aſſertum cum incitamentis, ac methodo ſuffragandi. Brugis 1642. Antuerpiæ 1643. in 12.

Negotiatio ſpiritualis Mercaturæ, vt in vno anno tantum lucremur quantum decem, Latinè, Gallicè, Flandricè, varijs locis nouies repetito prælo. Ex his in vnum collegit aliqua ediditque ſub hoc titulo inſcripta

Fauſtus annus, menſis, hebdomas, dies, hora, Chriſtiani hominis. Brugis typis Nicolai Breygelij 1638. in 24. Poſt quinque eiuſdem libelli editiones prodijt ab Auctore recognitus, & auctior. Ibidem 1659. deinde noua omnibus auctior Monaſterij Vveſtphaliæ typis Raesfeldij 1643. in 12. Editi deinde alij

Supplex libellus pro Animabus Purgatorij. Antuerpiæ 1642. in 24. Gallicè ibidem 1649.

La-

Latinè Coloniæ typis Vvilhelmi Freiſſem 1650.

Perpetua Crux Chriſti à puncto Incarnationis ad extremum vitæ in 12. Antuerpiæ apud Cornelium Vvoons 1649. Latinè, Flandricè, Gallicè, Hiſpanicè, Italicè.

Perpetuum Sacrificium Crucis, & altaris. Ibidem in iiſdem linguis, & anno in 12.

Perpetua Crux vberiùs explicata. Ibidem iiſdem typis 1651. in 24.

Perpetuus gladius Reginæ Martyrum, Iiſdem typis 1650. & 1652. in 12. pluribus linguis ſæpiùs recuſus

Neceſſaria ad ſalutem ſcientia per icones 52. repræſentata. Autuerpiæ iiſdem typis 1654. Latinè, Belgicè, Gallicè in 12.

Tacitum pactum inter amatores Crucifixi. Antuerpiæ in 12.

Hæc, & alia tacito nomine maximo fructu euulgauit; pro concionibus frequentem illorum vſum, frequenter commendabat. Cùm Bruxellæ litteris humanioribus docendis operam daret, emiſit in lucem ſub Rhetorum, & Collegij ſui nomine

Lacrymas in obitum Sereniſſimæ Hiſpaniarum Reginæ Margaretæ cum oratione funebri ſub nomine Collegij Bruxellenſis Societatis Ieſu. Bruxellæ apud Velpium 1611.

IODOCVS COCCIVS natione Germanus patria Treuirenſis in Societatem cooptatus eſt 8. Septembris anno ſalutis 1598. ætatis ſuæ 17. litteraturæ politionis, & hiſtoriæ cognitione fuit inſtructus egregie. Treuirenſibus Academicis Ariſtotelem explicauit antequam in Molshemienſi Collegio Theologiæ Doctor & primus Academiæ Cancellarius Angelicum Doctorem D. Thomam profiteretur. Inde ad confeſſiones Sereniſſimi Archiducis Leopoldi adhibitus, ab illo bis ad Cœſarem legatus eſt. Vir fuit acri mente præditus, & qui multa ſimul ad Dei gloriam & hominum ſalutem indefeſſus expleret, lectionibus, concionibus domeſticis, Parthenijſque exhortationibus, excurſionibus, commentationibus priuatis ſemper intentus. Inter hæc magna ſui deſpicientia, amænitate morum, & comi modeſtia multum amabilis; ſingulari in B. Virginem Deiparam affectu, ad quam in omni difficultate etiam litteraria fidenter pro auxilio perfugiebat. Redux ab Aula Cœſarea, Rubeaci in Alſatia per dyſenteriam è vita ſublatus eſt die 25. Octobris 1622. Antequam extrema vnctione muniretur, elata ſupra vires voce, votorum quatuor formulam quam anno 1618. emiſerat, repetiuit, exultabundus, quod in ſancta Societate moreretur, tametſi inutilis, vti dicebat, in ea vixiſſet. Edidit ſub nomine Molshemenſis Academiæ.

Panegyricum eruditum, & Academica Inauguralia Sereniſſimo Archiduci Leopoldo Academiæ Molshemenſis Fundatori. Edidit etiam

Theologicarum Theſium libros 3. Poſthumum reliquit

Dagobertum Regem, Argentinenſis Epiſcopatus Fundatorem prauium notis illuſtratum. Molshemij typis Ioannis Harmanni 1623. in 4.

Edidit præterea in Academia Molshemenſis, ſuique Doctoratus Theologici promulgatione

Parallelon Bibliacum, Viſionum Ioannis Apocal. cap. 1. & Danielis cap. 10. Panegyrico Molshemenſi inſertum

Diſputationem tripartitam de arcano SS. Scripturæ ſenſu. Molshemij 1620. in 4.

Diſputationem bimembrem de vero & falſo Antichriſto. Ibidem 1621. in 4.

SS. Miſſæ ſacrificium per teſtes veritatis omni exceptione maiores ab Hæreticorum iniurijs vindicatum. Ibidem in 4.

Sanctorum item Alſatiæ hiſtoriam. Dagoberto ſuo prauio, & iam typis emiſſo in publicum magno opere ſucceſſuram.

IODOCVS DESMARETZ natione Belga, patria Antuerpienſis, ingreſſus in Societatem anno 1612. cum ageret ætatis annum ſecundum ſupra vigeſimum. Vir fuit latinis, Græciſque litteris egregiè inſtructus, quibus docendis plures annos contriuit & votorum 4. profeſſionem emiſit. Fuit Superior Seminarij B. Virginis Montibus. Obijt Rector Collegij Malbodienſis die 13. Decembris 1637. Edidit

Breuem Commentarium in Horatium repurgatum ab omni obſcœnitate in gratiam iuuentutis. Duaci typis Viduæ Marci Vvion. anno 1636. in 8. Parauerat ad prælum

Onomaſticon, quo vocabula Græca à latinis hactenus vſurpata explicantur. Sed mors anteuertit.

* IODOCVS KEDD natione Germanus patria Embricenſis in Cliuia, natus anno ſæculi proximè decurſi 97. Deo in Societate ſe deuouit currentis 17. & vota 4. profeſſus eſt. Docuit Diſciplinas manſuetiores, & Dialecticam, tum concionibus, & miſſionibus applicatus, reliquuam fere vitam in eis magno zelo exegit. Controuerſiarum de fide imprimis gnarus, contra Hæreticos, & voce & calamo egregiè depugnauit, à puero ſolitus, vel conſcenſo ſcabello, vel arboreto, acriter in Prædicantes cacodoxos concionando inuehi. Tandem metam vitæ mortalis attigit Viennæ Auſtriæ die 27. Martij 1657. Edidit quam plurimos libellos minutos Polemicos contra Acatholicos quorum præcipui ſunt qui ſequuntur latinè

Conſtantinus Magnus Romano-Catholicus.

Eccleſia Antiqua Romana Catholica.

Deductio Catholicæ Religionis ex Romanorum Imperatorum legibus Ciuilibus, Edictis, Reſcriptis &c. Viennæ Auſtriæ typis Matthei Rutij 1655. in 4.

Examen reformatæ Religionis. Ibidem, & Pragæ 1652. latinè

Paræneſis ad X. Verbi Miniſtros & 26. Miniſtellos. Viennæ in 4.

Idea

Idea cauſarum, cur Lutheraniſmus aliæque ſecta abyciendę, & ſola Religio Catholica amplectenda. Ingolſtadij apud Georgium Hänlein 1653. in 4.

Primi Reges Hungariæ Chriſtiani, Romano-Catholici. Viennæ typis Matthæi Ritij 1655. in 4.

Germanico idiomate edidit

Heliopolim, ſeu ſolis Ciuitatem, id eſt veræ Eccleſiæ demonſtrationem ad Sereniſſimum Ducem Holſatiæ. Coloniæ apud Kinchium 1649. in 4.

Speculum Religionis ad Lutheranos, Caluiniſtas, bis Germanicè, bis Belgicè 1648. Coloniæ, Aquiſgrani, Auguſtæ, & alibi recuſum

Maculas ignominiæ quibus Miniſtri Caluiniani ſuam Religionem deboneſtarunt. Coloniæ apud Freiſſem in 12.

Characterem Anti-Chriſti. Coloniæ & Aquiſgrani in 4.

Duplicem Confeſſionem Lutheri. Aquiſgrani in 4.

Titulos Caluiniſtarum declaratos ex poſtrema Confeſſione Lutheri. Aquiſgrani in 4.

Coronam honoris, qua Miniſtri Hollandiæ Catholicam veritatem coronarunt.

Stateram veritatis, qua Lutheranorum, Caluiniſtarum, Anabaptiſtarum rationes ponderantur. Coloniæ bis 1600. in 16.

Manuale Catholicum contra ſectas horum temporum. Coloniæ 1650. in 16.

Declarationem Fidei Romano-Catholicæ. Etiam Belgicè. Coloniæ, & Viennæ 1653. diſtracta ſuper quinque millia exemplorum

Perpetuam Miſeriam infidelium non poſſe ſaluari. Coloniæ 1650. in 12.

Purgatorium Prædicantium, ſeu Antiquo-nouum eorundem latinum. Coloniæ in 4. & iterum apud Freiſem ibidem 1651. in 12.

Cordis Motorem Chriſtianum decies, aut duodecies recuſum. Coloniæ, Viennæ, Ingolſtadij, Auguſtæ in 16.

Hortulum Sacræ Scripturæ pro Fide Romana-Catholica. Viennæ 1653. in 16.

Hortulum Paſſionis Chriſti, per modum precum. Ibidem in 16.

Epiſtolam ad Senatum Francofurtenſem, contra errores Prædicantis. Viennæ 1652. in 4. & 12.

Refutationem Reſponſi contra 10. *Prædicantes.* Pragæ 1652.

Informationem de Communione ſub vtraque. Viennæ 1652.

Vale Lutherici & Caluiniſtici officij Prædicandi abſque vocatione Viennæ 1652.

Speculum æternitatis. Ingolſtadij 1654. in 4.

Sex nodos textorios per modum dialogi, quo errores Caluiniſtarum lepidiſſimè irridentur, tractatulus ſummo plauſu exceptus, Germanicè & Belgice ter recuſus in 8. & in 12.

Pallium Reformatæ Religionis. Belgicè Amſtelodami, & alibi

Nouo-Euangelicorum torcular & prælum cordis. Coloniæ 12.

Cantum agreſtem Prædicantium. Belgicè Antuerpiæ in 4. & 12.

Octo conſiderationes circa veritatem & falſitatem Religionis

Simplicitatem Miniſtri Caluiniſtici Vveſalienſis in Schola Ieſuitarum eruditam. Coloniæ typis Kinchij 1649.

Reſponſum ad Calumnias Trevvmanni contra Societatem. Ibidem in 12.

Hæc præter alia complura minutiora.

IORDANVS CASCINI natione Siculus, patria Panormitanus, nobili loco natus anno ſalutis 1565. Societatem complexus 1587. vota quatuor profeſſus eſt, & magnis in ea muneribus perfunctus. Nam, & Domum probationis Rector, & bis Collegij, & Domus Profeſſæ Præpoſitus Panormi diu fuit, & Patrum tertiæ probationis inſtructor. Præterea Prouinciæ Siculæ iteratò, Venetæ ſemel gubernacula tenuit. Vir ſingulari morum facilitate prudentia, ſui contemptu, domeſticis, & externis, præſertim viris Principibus per quàm gratus. Dum Superior eſſet, eodem vultu, eadem hilaritate excipiebat omnes; quoſcumque poterat, conſilio, & opere ſubleuabat. Paupertatis Religioſæ amantiſſimus, vilis obſoletæque veſtis retinentiſſimus, non niſi clam ſibi ablatam dimittebat. Confeſſiones pauperum excipiebat perlibenter, ac perſæpe abluebat eorum pedes, ac veſtiebat. In conſilio dando mira prudentia fuit, & dono diſcernendorum ſpirituum videbatur præditus. Hinc à Proregibus, à Senatu, ab Archiepiſcopo præſertim ab Eminentiſsimo Card. Doria, eiuſquè Vicarijs perſæpe conſulebatur. In inuentione corporis S. Roſaliæ, tempore peſtilentiæ illius potiſſimum emicuit ſagacitas, & induſtria, vt propterea Pater patriæ quodammodo fuerit habitus. Ad extremum plenus dierum, ac bonorum operum, ad horum mercedem emigrauit Panormi die 21. Decembris 1635. Defuncto iuſta funebria Senatus Panormitanus ſuo nomine curauit celebrari. Edidit Italicè

De Vita, & Inuentione S. Roſaliæ Virginis Panormitanæ breuem narrationem Panormi apud Decium Cirillum 1631.

Paratos prælo reliquit, qui poſthumi prodierunt

De S. Roſalia Virgine Panormitana Lib. 3. Panormi apud Cirillos 1651. in fol.

IOSEPHVS ACOSTA natione Hiſpanus, patria Methymnenſis à puero ſe Religioni noſtræ addixit anno ſalutis 1553. nondum expleto ætatis ſuæ 14. Quatuor alios natu maiores fratres habuit in Societate, Hieronymum, Iacobum, Chriſtophorum, & Bernardinum, quorum poſtremus obijt Mexici 29. Maij anno 1615. ob eximiam virtutem cum inſigni doctrina coniunctam magno ſui deſiderio relicto. Vir fuit ingenio præſtanti, acri iudicio, labore

bore indefeſſo, facundia doctrinaque excellens, qui omne diſciplinarum genus didicit, & profeſſus eſt. Primus de Societate Ocaniæ Theologiam docuit; deinde in Occidentis ſolis Indiam nauigauit anno 1571. & Peruanam noſtræ Societatis Prouinciam Præpoſitus Prouincialis gubernauit. In Hiſpaniam reuerſus, rexit Domum Profeſſam Valliſoletanam, Interfuit Congregationi Generali quintæ, ex diſpenſatione ſpeciali cum iure ſuffragij. In Aragoniæ, & Bæticæ Prouincijs Viſitatoris partes egit, alijs etiam Regendi muneribus functus eſt. Demum Salmanticenſis Collegij noſtri habenas cùm teneret cum laude prudentiæ, integritatis, & doctrinæ, morbo oppreſſus mortalitatem exuit, die 15. Februarij anno fæculari 1600. ætatis ſuæ 60. Profeſſionis quatuor votorum 30. Scripſit

De Chriſto Reuelato Libros 9. Romæ apud Iacobum Tornierum 1590. in 4. & Lugduni apud Io. Baptiſtam Buyſſon 1592. Salmanticæ, & Venetijs

De Temporibus Nouiſſimis Lib. 4. Ibidem apud eoſdem ijſdem annis,

De natura Noui Orbis Libros 2. quos etiam Hiſpanice vertit, &

De Promulgatione Euangelij apud Barbaros, ſiue de procuranda Indorum ſalute Libros 6. Coloniæ apud Arnoldum Mylium 1596. in 8. & prius 1589. & 1595.

Hiſtoriæ naturalis, & Moralis Indiæ libros 7. 1590. in 4. & 1591. in 8. & 1610. in 4. Eos tranſtulit Italice Ioannes Paulus Gallutius 1596. in 4. & latinè Theodorus de Brij, inſeruitque parti 9. ſuæ Hiſtoriæ Occidentalis

Concionum Tomos 3. graui, & eleganti ſtylo Salmanticæ apud Ioannem, & Andream Renaut 1596. & ſequenti in 4. & Venetijs 1599. Coloniæ 1600. in 8.

Concilium Limenſe 3. digeſſit, & latinè conſcripſit.

* IOSEPHVS AGNELLVS natione Italus, patria Neapolitanus, natus anno ſæculi labentis 21. Deo ſe in Societate dicauit Romæ 1637. & votorum in ea 4. profeſſionem edidit. Theologiam Moralem docuit quinquennio. Pro concione dixit per quadrageſimam varijs in Vrbibus primarijs. Rexit Collegia Montis Politiani, Maceratæ, & Anconæ, vbi etiam munere Conſultoris Theologi functus eſt in tribunali S. Inquiſitionis. Nunc Romæ operarium agit in Domo Profeſſorum, & Congregationis RR. Sacerdotum curam gerit. Edidit Italicè

Catechiſmum annualem, accommodatum vſui Parochorum cum expoſitione Epiſtolarum, Euangeliorum, & aliorum quæ leguntur in Miſſis per totum annum. Tomis 2. in 4. Maceratæ typis Iacobi Philippi Pannelli 1637. qui nunc tertiò recuditur. Item tacito nomine ſuo

Hebdomadam conſecratam S. Ioſepho. Maceratæ typis Caroli Zenobi 1671. in 12.

Parata prælo habet varia, & in his

Socium Parochi, ſiue Diſcurſus pios ad detinendum populum in Dominicis, & diebus feſtiuis

Exercitia Spiritualia iuxta methodum Sancti P. N. Ignatij per 10. dies. Conciones per quadrageſimam, & Aduentum, & Alia.

IOSEPHVS ALDERETVS natione Hiſpanus, patria Malacitanus, cùm Ciuilis atque Canonici Iuris Doctor, & Humanarum atque Diuinarum litterarum cognitione ornatus eſſet, Cordubenſis Eccleſiæ Canonicus, magnamque Capituli, & totius Ciuitatis ſibi conciliaſſet beneuolentiam, ac Iudicis Hiſpalenſis Eccleſiæ officio functus, omnia arbitratus eſt, vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaceret. Quamobrem mundi vanitate reiecta ad Societatem noſtram tamquam ad portum conuolauit; in qua ad alias ſcientias Philoſophiæ, ac Sacræ Theologiæ cognitionem adiunxit. Vir pereruditus, modeſtus, humilis, & verus Societatis filius. Dum Granatenſi Collegio præeſſet Rector, fuit ab ergaſtulo corporis ſolutus die 12. Iunij anno ſalutis 1616. ætatis 56. Religioſæ vitæ 16. & 9. poſtquam Profeſſis quatuor votorum aggregatus eſt. Scripſit nomine ad calcem libri appoſito

Iuris allegationem pro omnimoda Societatis Ieſu, ac Regularium ab Ordinarij Hiſpalenſis iuriſdictione, libertate, & exemptione aſſerenda. Hiſpali per Clementem Hildagum 1605. in 4. Scripſit. Item

De Religioſa diſciplina tuenda Libros 3. Hiſpali apud Gabrielem Ramos 1615. in 4.

IOSEPHVS ALEMANNVS natione Italus, patria Mediolanenſis ineunte adoleſcentia ſe Societati dicauit anno ſalutis 1572. quem poſtea 4. fratres ſecuti ſunt natu minores exemplo ſingulari. Exiſtimatum eſt id datum à Deo Benedicti Alemanni Patris ipſorum meritis, quòd noſtros anno ſalutis 1564. exeunte, Mediolanum aduentantes, atque incertis ſedibus vagantes, & Hoſpitio benignè exceperit, & liberaliter diu aluerit. Ex hoſpitalitate ſcilicet illa conſecutus eſt à Domino tantam filijs ſuis remunerationem. Ioſephus ergo natu maximus poſt Artem dicendi, & Philoſophiam cum laude traditam, concionando, & gubernando ſuas partes in Societate egit. Deceſſit Aſti anno ſalutis 1630. ætatis 74. Profeſſionis quatuor votorum 38. Scripſit

Hiſtoriam Miraculoſæ Imaginis B. V. Mariæ, quæ nobilitauit vicum ad Ciuitatem Pedemontanam, quæ Montis Regalis dicitur vulgo Mondeui. Edidit prætereà Italicè

Orationem quam habuit ad Senatum Genuenſem in Dauidis Vaccari Ducis inauguratione. Reliquit

De Chriſtiana ſapientia ad Principes Gentiles Tom. 2. qui in Taurinenſi Collegio ſeruantur.

IOSEPHVS ANCHIETA natione Canarinus, ſeu ex Inſularum Fortunatarum vna, cui

cui nomen Tenerifa , natus anno reparatæ ſalutis 1533. patrem habuit Cantabrum , matrem indigenam, vtrumque honeſta inter ſuos, & florente fortuna . Domi latinis litteris vtcunque aſperſus , Conimbricam venit ad ſtudia , vbi ſuis æqualibus virtute præluxit ; ingenio ad omne ſcriptionis genus prompto, exactoque non ceſſit . Virginitatis ibi ſe voto adſtrinxit , & ſubinde in Societatem Ieſu , anno 1550. ætatis ſuæ 17. ſe dedit . Valetudinis gratia poſt triennium in Braſiliam miſſus totos ibi quatuor, & quadraginta annos traduxit, & ſeptennio egit Prouincialem Societatis . Demum laboribus magis quàm annis confectus obijt in Vico Reritiba , die 15. Iunij anno 1597. ætatis ſuæ 64. Vitam eius libris 5. latinè complexus eſt Sebaſtianus Beretarius ; Hiſpanicè Stephanus Paternina , & Ioann. Euſeb. Nierembergius, Gallicè Petrus d'Outreman; Luſitanicè , & fuſiùs , ex documentis authenticis , ſeu Proceſſibus eam compoſuit Simon de Vaſconcellos , Prouinciæ illius aliquando Præſes ; Italicè nobile elogium de eo contexuit Scipio Sgambatus impreſſum Neapoli, & Anconæ , quodque in alias dein linguas tranſfuſum eſt à varijs . Virtutes eius eximias , & admirabiles res geſtas multis , ac magnis encomijs celebrarunt quoque ſcriptores ſeculares, ac variorum Ordinum Religioſi, vti Georgius Cardoſus Sacerdos Vlyſſiponenſis in ſuo Agiologio Luſitano ad diem 9. Iunij , & apud illum Fr. Petrus Mar. in diet. Virg. fol. 135. Martinus Carillus in Annalibus Hiſpaniæ lib. 6. ad annum 1556. fol. 498. Fr. Elias à S. Tereſia in legatione Eccleſiæ triumphantis lib. 11. cap. 31. & alij . Quare cùm tam multi ſint , qui res ab illo mirabiliter ſupràque vires naturæ , geſtas , virtutes quoque inſignes atque Apoſtolico viro dignas litteris conſignarint , lectorem ad aliquem ex illis breuitatis ſtudio cenſuimus remittendum .

Scripſit Ioſephus

Artem Grammaticam linguæ Braſilicæ . In Luſitania Typis excuſam.

Dictionarium eiuſdem linguæ Braſilicæ.

Doctrinam Chriſtianam plenioremque Catechiſmum eadem lingua explicatum.

Dialogos de Religionis myſterijs ſcitu dignis.

Inſtitutionem ad interrogandos inter Confeſſionem pœnitentes.

Syntagma monitorum ad iuuandos moribundos .

Cantiones Sacras linguis Latina , Luſitanica , Hiſpanica , & Braſilica.

Drama ad Extirpanda Braſiliæ vitia.

Poema de Beatæ Virginis vita . Verſu Elegiaco quod ad bis mille & octingenta diſticha excurrit

Braſilicam Societatis Hiſtoriam , & Vitas clarorum Patrum , qui in Braſilia vixerunt . Sed hæc poſtrema in lucem prodijſſe non puto. Extant epiſtolæ eius duæ datæ anno 1560. impreſſæ in tertia parte Indicarum . Venetijs per Trameſinum 1562. Item. Altera data 1501. in quarta parte ibidem 1565.

* IOSEPHVS ANDRES natione Hiſpanus , patria Arizenſis in Aragonia Societati adſcriptus anno ſæculi fluentis 38. ætatis ſuæ 19. vota quatuor profeſſus eſt . Philoſophiam in ea docuit & annis 15. Theologiam Scholaſticam & Moralem Cæſarauguſtæ , primariæ Cathedræ ibidem moderator, & S. Inquiſitioni à Cenſuris eſt . Edidit librum inſcriptum

Decor Carmeli , ſeu Synopſis rerum, quibus S. Religio Carmelitarum decoratur. Cæſarauguſtæ typis Ioannis de Ybar 1669. in folio.

* IOSEPHVS ANTVRINVS natione Syrus , patria Aleppenſis ex Maronitis Montis Libani accolis , poſt nauatam ſtudijs operam in Collegio Maronitarum Romæ , Societati nomen dedit anno ſalutis 1643. ætatis 14. & litteras in ea humaniores docuit . Poſtea ſacris Concionibus habendis applicatus, felice ſucceſſu pluribus annis , per primarias Italiæ Ciuitates nunc eo munere fungitur, votorum 4. nuncupatione obligatus. Edidit redditam à ſe Italicè ex Gallico

Syriam Sanctam, ſiue *Breuem narrationem variorum euentuum in Syria.* Opus Ioſephi Beſſani Noſtri. Romæ apud Ioannem Caſonum 1662. in 4.

Chriſtianum in Templo , ſiue *De Reuerentia , quæ debetur Templis* ex Gallico Noſtri Thomæ le Blanc. Romæ typis Ignatij de Lazzaris 1656. in 12.

Zodiacum Spiritualem Noſtri Ioannis de Buſſiere. Romæ 1665. in 12.

Deum Solum ex Gallico Henrici Mariæ Boudon Bononiæ typis Antonij Piſarnis 1669, in 24. Edidit de ſuo Italice

Fidem ratione firmatam . Romæ typis Ignatij de Lazzaris 1671. in 16.

IOSEPHVS ARTIAGA vide inferiùs , PAVLVS IOSEPHVS ARTIAGA.

IOSEPHVS AVGVSTINVS natione Siculus , patria Panormitanus, Societatem anno 1590. ætatis 16. complexus in Sicilia , Romæ ſtudijs Philoſophiæ & Theologiæ nauauit operam , ibique ſexennio Philoſophiam cum laude profeſſus eſt . Inde Lugdunum, & Auenionem deſtinatus , Theologiam aliquamdiù docuit , ſed aduerſante valetudine Panormum repetere coactus , ibi in Gymnaſio noſtro tredecim annis Theologiam magnâ nominis celebritate explicuit , & Præfectum ſtudiorum annis vndeuiginti egit . Præterea Sac. Inquiſitionis Cenſor , atque Eminentiſſimi Ioannettini Cardinalis Doriæ Archiepiſcopi Panormitani auctoritate examinator Synodalis fuit. Sed quo pluris illum alij faciebant , eo ipſe ſe deprimebat magis ; nec ante adductus eſt , vt ſcientiæ ſuæ lumina litteris proderet , quàm Moderatorum iuſſu compulſus . Electus à Prouincia vt Romam ad Conuentum Procuratorum ex omnibus Prouincijs ſe conferret , vbi redijt, ad cæleſtem patriam ardentiùs aſpirare

cœpit,

cœpit,& paulo pòſt traductam religioſè atque ab omni grauiori noxa immunem vitam, (vti rerum illius maximè conſcij exiſtimarunt)conſimili exitu terminauit. Panormi die 29. Maij anno 1643. abemiſſa profeſſione 4.votorū 34. Edidit præſcripto nomine Decij Cyrilli.

Breuem notitiam eorum , quæ ſcitu ſunt neceſſaria Confeſſarÿs pro primo ingreſſu ad audiendas confeſſiones. Panormi typis Io:Baptiſtæ Maringi 1638. in 16.

Commentarios in Primam partem S.Thomæ duobus tomis,quorum Prior excuſus eſt Panormi 1637. Secundus 1643. typis Collegij Panormitani in folio.

* IOSEPHVS BESSONVS natione Gallus, patria Carpentoractenſis, in Societatem coöptatus anno ſæculi voluentis 23.ætatis ſuæ 16. vota quatuor nuncupauit. Rhetoricam & amæniores litteras nouennio profeſſus eſt,Philoſophiam biennio, Conciones pluribus annis, non ſine plauſu habuit. Rexit Collegium Nemauſenſe, poſtea in Aſiam ad Perſicas, & Armenias Miſſiones, quas pluſquam triennalibus votis expetiuerat, profectus eſt, vbi per annos aliquot in Syria, & modo Aleppi nauus Operarius, & aliquamdiù Superior noſtrorum, vineam illam Domini colit. Edidit Gallicè

Syriam Sanctam, ſiue *Miſſionem Patrum Societatis Ieſu in ea Regione.* Pariſijs apud Ioannem Henault 1660. in 8.

IOSEPHVS BLANCANVS natione Italus, patria Bononienſis, Societati aggregatus anno ſalutis 1592. ætatis 26. Mathematicarum in Gymnaſio Parmenſi, & alibi ad 20. annos Profeſſor, in quibus vix habuit ſuo æuo in Italia parem. Fuit in omnigena quoque ſcientia verſatiſſimus, Hiſtorias omnium gentium,Poetas omnes,GrecosLatinoſque,tam diligenter euoluerat,vt accuratiſſimè de omnibus iudicaret. Humanitate, & animi demiſſione tum Noſtris, tum externis mire carus erat, vt eos etiam ſibi haberet affectos, qui alioqui Societati parum bene vellent. Obijt Parmæ die 7.Iunij anno ſalutis 1624. tria olim vota ſolemnia profeſſus. Edidit

Ariſtotelis loca Mathematica ex vniuerſis eius operibus collecta, & explicata. Acceſſerunt *Diſſertatio de Mathematicarum natura, &*

Clarorum Mathematicorum Chronologia. Bononiæ apud Bartholomæum Cochiū 1615. in 4. Item

Sphæra Mundi , ſeu *Coſmographia demonſtratiua, ac facili Methodo tradita*. Acceſſere, *Breuis introductio ad Geographiam*

Apparatus ad Mathematicarum ſtudium,

Echometria , ideſt Geometrica traditio de Echo.Bononiæ typis Sebaſtiani Bonomij 1620. in 4. quibus acceſſit in editione poſthuma

Inſtrumentum ad Horologia deſcribenda; Mutinæ typis Iuliani Caſſiani 1635. in folio. Reliquit præterea

De Vocabulorum Italicorum Etymologus ,

IOSEPHVS BLONDVS natione Siculus, patria Agrigentinus in Societatem adſcriptus anno Domini 1552. ætatis 15. vota 4. profeſſus eſt Romæ 1582. Conciones diu habuit in Regno Neapolitano, vbi Ciuitatis Catacenſis ſtudia accendit ad fundandum ibi Collegium, quod poſtea nouennio rexit. Gubernauit etiam Collegia Neapolitanum, Lauretanum, Salernitanum, Bibonenſe. Prouincialis fuit Prouinciæ Mediolanenſis ſeptennio, Viſitator Neapolitanæ biennio, multis grauibuſque perfunctus muneribus, obijt Neapoli die 25. Iunij anno 1598. Scripſit librum

Meditationum ad iuuandos, & promouendos eos, qui in ſpiritu proficere cupiunt. Item

Spiritualia Exercitia S.P.N. Ignatij , in vſum Noſtrorum, Italice reddidit. Mediolani apud Pacificum Pontium 1587. in 12.

IOSEPHVS COPPONIVS natione Italus, patria Romanus Societatem complexus anno ſalutis 1603. ætatis ſuæ 19. votorum 4. profeſſione ſe obligauit. Multis annis Conciones habuit in præcipuis Vrbibus Italiæ, & demum Taurini curſum peregrinationis huius vitæ abſoluit die 10. Iulij 1643. Edidit Italice

Panegyricum S.Philippi Benicij. Florentiæ typis Maſſi & Laudi 1636. in 4.

IOSEPHVS CRESVVELLVS natione Anglus, patria Londinenſis, Vir magnis naturæ dotibus, egregia pietate, & rerum experientia inſignis. Exacto Philoſophiæ triennio in Collegio Anglorum Romæ, Societatem complexus eſt anno 1583. ætatis 25. relicto nomine Arthuri,quod adhuc geſſerat; labente tempore Rector eidem Collegio præfuit,atque inde per multos annos Vice-præfectus Anglicanæ Miſſionis in Hiſpania res præclaras geſſit, & qua erat apud duos Philippos II. & III. Reges Hiſpaniarum auctoritate, multa pro bono rei Catholicæ in Anglia ab ijſdem impetrauit. Anno dein 1614. Roma profectus in Belgium, ibidem rexit Vice-præfectus Miſſionem, & poſtremo Inſtructor exiſtens Patrum in tertia probatione Gandaui, piè obijt 19. Februarij 1623. à ſuſcepta profeſſione 4. votorum 24. Scripſit Latinè

De Vita Beata.

Anglicè ſub nomine Ioannis Pernij

Contra Edictum Reginæ Eliſabethæ aduerſus Catholicos, & latinè tacito nomine ſub titulo

ExemplarLitterarum miſſarum è Germania ad D.Guilielmum CeciliumConſiliarium Regium anno 1592. in 8.

Contra Edictum in Catholicos promulgatum anno 1610. Audomari 1611. in 4.

Meditationes inter recitandum Roſarium. Audomari 1610.

Scripſit Hiſpanicè

Martyrium P.Henrici Vvalpoli , aliorumque Martyrum Anglorum. Matriti 1596.quod poſtea Gallica lingua donatum prodijt 1597.

Anglicè, & Hiſpanicè. Scripſit ſuppreſſo nomine

Præparationem ad fructuoſe adminiſtranda Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ. Hiſpanice Mediolani 1604. in 4.

Tranſtulit ex latino in Anglicum, & Hiſpanicum præſcriptis Litteris N. T.

Librum Saluiani, Quis Diues ſaluus. Audomari 1618.

* IOSEPHVS FERNANDEZ natione Hiſpanus, patria Turiaſonenſis in Aragonia, natus anno ſæculi præterlabentis 17. Deo ſe in Societate mancipauit 1632. & ſolemne vototum quatuor ſacramentum dixit. Humanis, & Diuinis Litteris egregie inſtructus, Theologiam Moralem quadriennio explicuit; Eccleſiaſten egit in primarijs Prouinciæ Ciuitatibus magno plauſu, & fructu; Miſſiones obiuit in pagis, & Oppidis circumquaque inſigni zelo; Collegium Turiaſonenſe rexit, & Præpoſito Prouinciali comes itinerum, & conſors curarum aliquamdiu fuit. Vir apprime ſpiritualis, & qui ſatis amplum pro Chriſto patrimonium reliquerat, ad mercedem omnium à Deo eſt euocatus: Valentiæ, die 5. Octobr. anno 1674.

Edidit Hiſpanicè, &c.

Vitam Ven. P. Petri Clauer Operarij apud Indos inconfuſibilis, & indefeſſi: Cæſarauguſtæ typis Didaci Dormer 1666. in 4.

Tranſtulit ex latino Sermone in Hiſpanicum

Hortulum Marianum P. Franciſci de la Croix. Cæſarauguſtæ 1660. Item

Medullam Theologiæ Moralis P. Hermanni Buſenbaum. Ibidem typis Ioannis Ybar 1664.

IOSEPHVS FILERE natione Gallus, patria Lugdunenſis, Doctor vtriuſque Iuris, Societatem complexus eſt anno 1608. ætatis 22. & votorum 4. profeſſionem emiſit. Concionatorem multis annis egit, & viuere inter mortales deſijt Lugduni die 29. Auguſti 1658. Edidit Gallicè

Speculum ſine Macula, ad videndum Deum in omnibus creaturis. Lugduni typis Rigaut 1646. in 8.

Sapientem Abigailem, ſeu *Ideam Animæ ſtudioſæ.* Lugduni apud Philippum Borde 1641. in 8.

Deuotionem erga S. Ludouicum, ijſdem typis & anno in 8.

De bono Imperiorum, Vrbium, Domorum ſtatu, tribus tomis in 8. Lugduni apud Antonium Callier 1653.

Aulicũ Deo Vni & Trino ſepties in die laudem dicentem. Lugduni typis ijſdem 1655. in 12.

De pijs Puellarum, Vxorum, & Viduarum officijs. Ibidem apud Simonem Matheret 1656. in 12.

Hiſtorica Nobilis familiæ periſtromata, de coniugum, liberorum, & domeſticorum amore. Ijſdem typis anno & forma

B. Virginis & S. Ioſeph Coniugium, omnibus coniugibus omnium virtutum exemplar: Typis ijſdem anno & forma

Sanctorum qui Religioſos ordines fundarunt Elogia, & per illa ſtimuli virtutum. Ibidem 1657. in 12.

Charitatis in reos carcere detentos, vel ſupremo ſupplicio afficiendos Prærogatiuas. Ibidem 1657. in 12.

Prudentem temporis vſum, ſingulis diebus hebdomadis, & menſibus. Apud eundem Simonem Matheret 1657. in 12.

Felicitatem omnium Ordinum. Lugduni apud Antonium Cellier 1654. in 8.

* IOSEPHVS FOTIVS natione Italus patria Rhegynus in vlteriore Calabria, natus anno ſæculi labentis 6. vicennis Deo ſe in Societate dicauit Romæ 1626. & votorum 4. profeſſionem emiſit. Rhetoricam docuit quadriennio; Philoſophiam triennio; Theologiam Moralem etiam triennio, & Concionatorē aliquot annis egit. Ab annis amplius 24. Romæ in Domo Profeſſorum operarius, nunc, hoc eſt anno Iubilæi 1675. eandem Vice-Præpoſitus gubernat; & ſimul Congregationis de Bona Morte curam gerit, atque etiam Congregationis B. Virginis Aſſumptæ, quam frequentant Prælati & Optimates Romani. Edidit latinè

Informationem pro Ven. Seruo Dei Ignatio Azebedo, & Socijs in odium fidei interfectis ab Hæreticis: tamquam Procurator in cauſa Canonizationis. Romæ typis Vareſianis 1664. in 4.

Synopſim Vitæ, Virtutum, & Miraculorum Sancti Franciſci de Sales. Italicè, Romæ typis ijſdem 1662. in 8.

Vitam Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis compoſitam à Noſtro Virgilio Cepario, auxit ex proceſſibus Canonizationis, & recudit. Romæ per Bernabò. 1669. in 4.

Vertit Italice ex Gallico, ſuppreſſo ſuo nomine

Conuerſionem Boni Latronis, compoſitam à P. Stephano Bineto. Romæ typis Maſcardi anno 1638. in 12.

Conſolationem animarum afflictarum eiuſdem Auctoris. Romæ typis Corbelletti 1635. in 12.

Efficacia remedia contra peſtem. Eiuſdem Bineti. Romæ per Ignatium de Lazzaris 1658. in 12.

Reſponſionem ad poſtulata Magni Prælati de Hierarchia Eccleſiaſtica, eodem auctore. Florentiæ ſub nomine Ioſephi de Neri 1638. in 8.

De efficaciſſimis illecebris amoris Ieſu Chriſti, eodem auctore, Romæ typis Maſcardi 1643. in 12.

Perpetuum Gladium Reginæ Martyrum. auctore noſtro Iodoco Andries. Romæ per Ignatium de Lazzaris 1652. in 16.

Caſus, & Euentus Confeſſionis compoſitos à Noſtro Chriſtophoro de Vega ex Hiſpanico Romæ typis Fabij de Falco 1668. in 12.

Hiſto-

Hiſtoriam Sanctam compoſitam à Noſtro Nicolao Talono, traductam ſub nomine Academici Expoliti. Bononiæ per Carolum Zenerum 1649. in 12.

Epiſtolam Paræneticam R.P. Goſvvini Nickel de Paupertate. ex latino, Romæ typis Manelfi 1654. in 8.

Articulos Teſtamenti Duciſſæ Bullionij ſcriptos ab ipſa Duciſſa Gallicè. Romæ per Vareſum 1670. in 8.

* IOSEPHVS GIBALINVS natione Gallus, patria Gambalitanus, diœceſeos Mimatenſis, natus anno ſæculi euoluti 92. ad Societatem acceſſit voluentis 7. & votorum quatuor nuncupatione ſe obſtrinxit. Vir inter doctiſſimos huius æui, Philoſophiam ſexennio profeſſus eſt, Theologiam Scholaſticam octennio, Moralem decennio. Rexit Collegium Lugdunenſe, & Domum probationis ibidem. Magnam atque illimem doctrinam qua claruit, purioris vitæ ſanctitudine illuſtrauit. Hinc illum Primores Regni atque Optimates, in grauiſſimis negotijs identidem conſuluerunt, & vix quidquam magni momenti ad Eccleſiaſticam diſciplinam ſpectans, inconſulto illo perfectum eſt. Varias Sodalitates inſtituit; pluribus Ordinibus Religioſis in arctiorem diſciplinam reuocandis, ſuam operam impendit, & aliquibus etiam Regulas præſcripſit à Sede Apoſtolica poſtea approbatas. Erga Superiores ſuos fuit prompta ſemper, & ſubmiſſa obedientia, regularis obſeruantiæ tenaciſſimus, conſcientiæ verò adeo teneræ, vt quotidie ſacra exhomologeſi eam expiauerit. Tandem poſteaquàm ſexaginta, & quinque annos in Societate exegiſſet, octogenario maior ad laborum præmia ex hac vita migrauit Lugduni die 14. Decembris 1671. Edidit doctiſſimus Pater

Diſquiſitiones Canonicas de Clauſura Regulari. Lugduni ſumptibus hæredum Petri Proſt, & Soc. 1648. in 4.

De Irregularitate. Lugduni ſumptibus Philippi Borde 1652. in 4.

De Cenſuris. Ibid. & iiſdem typis 1655. in fol.

De Vſuris, & Commercijs duobus tomis atque iiſdem typis 1657. & 1658. in fol.

De Simonia. Lugduni ſumptibus Philippi Borde, & Soc. 1659. in 4.

De Scientia Canonica, & Hieropolitica tomis tribus. Ibidem 1670. in fol.

De Vniuerſa rerum humanarum Negotiatione. Typis iiſdem, & tribus Tomis 1663. in folio.

* IOSEPHVS GVARNIZVS natione Hiſpanus, patria Madritenſis, natus annos 15. Societati ſe addixit anno ſæculi prætерfluentis 30. & votorum quatuor profeſſione ſe obligauit. Docuit Philoſophiam, & nouennio Theologiam Toleti, vbi etiam corporis vinculis exſolutus ad vitam migrauit (vt fas eſt credere) meliorem die 15. Maij 1656. Eum ſuæ Bibliothecæ Hiſpanæ inſeruit Clariſſimus D. Nicolaus Antonius, quia edidit

Memoriale de vltimo ſtatu, quem tenet, vt definiatur pro dogmate Fidei, Pia opinio de Immaculata Conceptione B. Virginis Mariæ. Matriti 1652. in fol.

* IOSEPHVS à IVSTITIA natione Hiſpanus, patria Bilbilitanus in Aragonia, Societati aggregatus anno ſalutis 1629. ætatis ſuæ 16. vota quatuor ſolemnia nuncupauit. Poſt traditas litteras humaniores, & habitas annis aliquot Conciones ad populum, tranſiuit ad Indos Occidentis Solis, vbi multis annis in Regno Mexicano, ſtrenuam iuuandis animabus nauat etiamnum operam. Gubernauit ibidem Collegium Meridanum. Scripſit priuſquàm diſcederet ex Aragonia Hiſpanicè

Hiſtoriam de B. Virgine in Spelunca Sancta: quam poſt illius diſceſſum typis vulgauit Ioannes Marianus Arnau Presbyter, & Præpoſitus Sanctuarij. Valentiæ apud Bernardum Nogues 1655. in 4.

* IOSEPHVS LANDOLINA natione Siculus, patria Netinus, natus anno ſæculi labentis ſecundo Societati ſe aggregauit 1618. & ſolemni votorum quatuor ſacramento ſe adſtrinxit. Docuit amæniores diſciplinas; rexit Collegia Thermitanum, Caltaieronenſe, Netinum, Meſſanenſe: modo Panormi in Domo Profeſſorum operarius vacat culturæ animarum. Edidit tacito nomine Italicè

Mundum à Chriſto patiente refectum, ſiue Diſcurſus ſex de Paſſione Domini cum duobus alijs de S. Agatha, & S. Carolo Borromæo. Catanæ formis Vincentij Petronij 1652. in 12.

IOSEPHVS MALAVELETTVS natione Gallus, patria Occitanus, diœceſis Vticenſis, ingreſſus in Societatem anno 1597. ætatis 19. vota quatuor ſolemnia profeſſus eſt. Eloquentiam, & politiores litteras decennio cum laude docuit in Prouincia Franciæ, & Collegium Augenſe rexit. Conciones multis annis cum fructu habuit; & miſſus ad fouendam inter Hæreticos religionem Catholicam quinos & vicenos ſua induſtria Romanæ Eccleſiæ reſtituit. Demum multis ſtipendijs Religionis clarus, & Sacramentis munitus naturæ conceſſit in Collegio Cadomenſi, die 21. Februarii 1632. Scripſit

Controuerſiarum Epitomem. Pariſijs apud Sebaſtianum Chapelet 1623.

Occupationem Animæ Deuotæ in qua variæ ad vitam ſanctè inſtituendam praxes traduntur. Apud eundem 1631.

Vnitatem Eccleſiæ Catholicæ vnius Scripturæ Auctoritate ſtabilitam. Pariſijs typis iiſdem in 24.

* IOSEPHVS MARIA REQVESENS natione Siculus, patria Panormitanus, ex clariſſimis Requeſeniorum natalibus ortus, anno ſæculi voluentis 12. Deo ſe in Societate dicauit 1629. & vota quatuor ſolemnia nuncupauit.

Docuit Ethicam, & Philoſophiam Romæ, & Panormi annis ſeptem; Theologiam Scholaſticam, & Moralem annis 20. Panormi fuit Cenſor S. Inquiſitionis in Sicilia, & Curiæ Archiepiſcopalis Theologus, librorum Cenſor, & Examinator. Modo Romæ Theologum agit Præpoſiti Generalis, & Cenſorem librorum edendorum à Scriptoribus Societatis. Edidit volumen

Selectarum Diſputationum in Primam Secundæ S. Thomæ. Panormi typis Andreæ Colicchia 1659. in fol. Item

Orationem à ſe habitam in die Paraſceues in Sacello Vaticano, coram Innocentio X. Romæ 1648. in 4. Item

Additionem ad Quæſtiones ſelectas in 1. Secundæ S. Thomæ. Romæ typis Vareſij 1675. in 12.

* IOSEPHVS MARTIVS natione Siculus, patria Randaienſis, Societati aggregatus in Prouincia Neapolitana anno ſalutis 1634. ætatis 16. votorum quatuor profeſſionem edidit. Docuit Philoſophiam Parmæ, Theologiam Scholaſticam Bononiæ; Moralem Ferrariæ, vbi multis annis operarius degit, & Conciones Sacras ſæpius habuit. Edidit Italicè

Specimen primum Panegyricorum. Parmæ per Marium Vignam 1654. in 12.

IOSEPHVS MELCHIOR natione Italus, patria Mediolanenſis, Societatem amplexus in Prouincia Neapolitana anno Domini 1582. ætatis 19. poſt traditam decennio Rhetoricam in ea, & litteras humaniores, poſt explicatam aliquot annis Theologiam de moribus, poſt conciones diu ad populum habitas, & multa Religioſæ vitæ inſigna exempla, obeundo pedibus itinera ex amore paupertatis, quando mutandum erat domicilium, vota quatuor profeſſus, quieuit in Domino Aquilæ in Veſtinis die 19. Decembris 1616. Edidit

Orationem quam habuit in Inſtauratione ſtudiorum.

IOSEPHVS DE MONTIEL natione Gallus, diœceſis Lemouicenſis admiſſus in Societatem anno 1596. ætatis 18. Coadiutoris ſpiritualis in ea locum occupauit, quem multis egregiè geſtis muneribus preclare impleuit. Concionatorem compluribus annis egit, & dicenti ad populum fluebant interdum ex oculis lacrymæ, teneri in Deum affectus teſtes. Viuebat in Collegio Toloſano anno ſalutis 1622. Scripſit Gallicè

Vitam S. Radegundis Francorum Reginæ. Ruthenis apud Paulum Deſclaux 1627. in 8. Item

Summarium eiuſdem Vitæ.

* IOSEPHVS MORET natione Hiſpanus, gente Nauarrus, Pompeiopoli natus anno ſæculi præterlabentis 15. in Societatem ſe recepit 1629. poſtquam per tres menſes in ſæculari habitu interNoſtros vixiſſet, quouſque decimum, & quartum ætatis annum compleret. Profeſſionem edidit votorum quatuor. Philoſophiam explicuit triennio, Theologiam ſexennio, Conciones aliquamdiu cum fructu habuit; rexit Collegium Palentinum, quo munere dum fungeretur, expetitus eſt ab Ordinibus Regni Nauarræ, in Hiſtoricum ſuæ gentis, datis ſuper eo litteris ad Præpoſitum Generalem, qui aſſenſum præſtitit. Quare in eam ſpartam ornandam pluribus nunc annis nauiter incumbit, & vnà Collegium Pampilonenſe gubernauit. Edidit ſermone latino

De Obſidione fontis Rauiæ. Libros tres. Lugduni ſumptibus Ioannis Coronau 1656. in 24. Hiſpanicè vulgauit

Inueſtigationes Hiſtoricas Antiquitatum Regni Nauarræ. Pampelonæ apud Gaſparem Martinez 1665. in fol. Hic liber quaſi prodromus eſt duorum voluminum de Hiſtoria illius Regni, quæ magnam partem, nunc dicuntur abſoluta.

IOSEPHVS OLZINA natione Hiſpanus, patria Barcinonenſis Societati ſe applicuit anno Domini 1623. ætatis 16. & votorum 4. ſolemne ſacramentum dixit. Rhetoricam in ea quinquennio explicauit, Philoſophiam triennio, Theologiam decennio, & Concionatoris munere aliquamdiu perfunctus eſt. Religioſè deceſſit Barcinone, die 26. Septembris 1667. Edidit redditam à ſe Hiſpanicè

Vitam Ioannis Berckmans è Societate Ieſu. Valentiæ 1633. in 4.

De Immaculata Conceptione B. Virginis pro vltima illius definitione Barcinone 1653. in 4.

In Octo Libros Phyſicorum

Inſtitutionum Oratoriarum Libros 4. Barcinonæ typis Catharinæ Mateuad 1652. in 4. Editio ſecunda

* IOSEPHVS DE ORMAZA natione Hiſpanus, patria Salmanticenſis, Societatem ingreſſus anno ſalutis 1631. ætatis 15. votorum quatuor profeſſione ſe adſtrinxit. Philoſophiam & Theologiam in ea docuit annis 15. & pluribus Concionatoris munus obiuit. Edidit opus Concionatorium Hiſpanicè, inſcriptum

Granum Euangelij in terra Virgine Chriſto, Tomum primum. Matriti apud Hæredes Pauli del Val 1667. in fol. Item

Sapientem felicem, & Politicum infelicem, Partem ſecundam grani Euangelici. Segouiæ per Bernardum Heuadam 1672. in fol.

Conciones de diuerſis argumentis 31. Matriti typis Regijs 1671. in 4. Olim edidit

Cenſuram Eloquentiæ. Cæſarauguſtæ 1648. quæ breui recudetur ſub nomine veri auctoris. Edidit etiam

Theſaurum Manualem cum ſcholijs in Sacram Scripturam. Matriti per Viduam Franciſci Nieti 1674. Parat compoſitionem in Danielem iuſto volumine.

* IOSEPHVS DE OVDEAV natione Burgundo-ſequanus, patria Graiacenſis, cooptatus in Societatem anno ſæculi decurrentis

tis

tis 26. ætatis 19. gradû ſpiritualium Coadiutorum obtinuit. Rhetoricam, & amæniores litteras ſeptennio profeſſus eſt. Concionatorem multis annis egit, demum mortalitati debitum religioſe perſoluit Veſuntione die 25. Octobris 1668. Edidit Gallicè

Conciones Panegyricas, de Religioſorum Ordinum Inuentoribus. Pariſijs apud Dionyſium Thyerris 1664. in 8.

Rerum illuſtrium, ſeu De Inſignibus pœnis inflictis à Deo peccatori. Lugduni apud Antonium Cellier 1665. in 8.

Conciones Panegyricas ad ſingulos anni feſtiuos dies B. Virginis, eaſque binas. Lugduni typis iiſdem 1665. in 8.

Concionatorem Euangelicum, ſeu Conciones in vniuerſam Quadrageſimam, & Octauam Sanctiſſimi Sacramenti. Ibidem iiſdem typis, & anno in 8.

* IOSEPHVS PERDICARVS natione Siculus, patria Panormitanus, natus anno ſæculi fluentis vndeuigeſimo, Deo ſe in Societate conſecrauit 1635. & ſolemne votorum quatuor ſacramentum dixit. Eloquentiam Panormi profeſſus eſt; & multis deinceps annis Concionatorem per Italiam in celebrioribus Ciuitatibus egit. Edidit Italicè

Conciones Panegyricas à ſe habitas. Panormi typis Ioſephi Biſagni 1660. recuſas Romæ apud Tinaſſium 1665. in 4.

Sex Mundi dies, Dei Matris Ideam. Romæ apud Tinaſſium 1666. in 4.

Vitam Cæſaris Caietani Societatis Ieſu Nouitij. Panormi formis Petri de Iſola 1669. in 12. Latinè & Belgicè redditam, vulgauit Noſter Franciſcus l'Hermite Antuerpiæ 1670. in 8.

Orationem habitam in Exequijs Principis Catholicæ Prætoris Panormitani. Panormi per Nicolaum Bua 1654 in 4.

Vitam S. Euphemiæ Virginis, & Martyris. Panormi typis Petri de Iſola 1675. in 4.

* IOSEPHVS POLIZZIVS natione Siculus, patria Platienſis natus anno ſæculi voluentis tertio, Societatem amplexus eſt 1618. & votorum 4. nuncupatione ſe obligauit. Rhetoricam, & Politiores litteras docuit ſeptennio; Philoſophiam octennio, Theologiam Scholaſticam decennio, Moralem annis aliquot, Sacram Scripturam pro concione explicuit quadriennio in Templo Domus Profeſſorũ Panormi. Superſtes adhuc ibidem in Collegio, edidit.

Philoſophiæ abſolutiſſimæ Partem primam. Complectentem tractatus ad Logicam Ariſtotelis ſpectantes. Panormi typis Dominici Anſelmi 1671. in fol.

Philoſophiæ Partem 2. in libros de Phyſico auditu, de Cœlo, & de Generatione. Panormi typis Petri Camagna 1672. in fol.

Philoſophiæ Par. 3. De Anima, Metaphyſicam. Ibid. typis Auguſtini Boſij 1672. in fol.

IOSEPHVS RAGVSA natione Siculus patria ex Oppido Iuliana natus anno ſalutis 1561. ad Societatem acceſſit 1575. & votorum 4. profeſſionem edidit 1595. Vir de Societate optime meritus, ſumma ingenij laude, parique opinione integritatis. Docuit Philoſophiam Pariſijs, Theologiam vero Patauij, Meſſanæ, Panormi annis 14. In munere adhortandi plurimum valuit, acer & vehemens ad perſuadendum. Animis à ſcrupulorum moleſtijs liberandis dexterrimus erat; exactam viuendi rationem vſque ad extremum ſeruauit, adeo, vt vel horas Canonicas ſuis ſingulas recitaret temporibus; notaueratque in membranula ad memoriam quid ſingulis ſibi diebus atque horis factitandum eſſet. In conſilio dando tardus ac prudens, in difficultatibus aggrediendis vincendiſque conſtans. Fuit omnino grauibus & ſtudioſis moribus, æqui rectique amans, animo magno. Iuuenis in concionibus ſe exercuit. Rector, aliquando noſtris præfuit; octennio ſtudia moderatus eſt. Demum placide obijt Panormi die 25. Septembris anno ſalutis 1624. ætatis 64. Religionis 50. Edidit in lucem.

Commentariorum ac Diſquiſitionem in tertiam partem S. Thomæ tom. 1. quo Sacra Incarnati Verbi Myſteria pertractat. Lugduni per Horat. Cardon 1619. in fol.

Tomum 2. De Chriſto Domino per ſe, hoc eſt, De eius vnitate, officio, &c. Lugduni 1620. in folio.

IOSEPHVS SCAMMACCA Hortenſij Frater, natione Siculus, patria Leontinus, ab ineunte ætate in Societatem ingreſſus, in ea per omnes virtutis numeros ad cumulatiſſimam ſanctitatem euaſit. Nam cùm exactiſſimus eſſet regularum obſeruator, nihil vnquam niſi, quod Superioribus probaretur, admiſit. Virginitatis nitorem nulla vnquam corporis afflauit commotio, ne dùm labes aliqua temeraſſet, & quod admirabilius eſt, ipſa corporum pulchritudine conſpecta, in Deum efferebatur ardentiùs. Hauſtam in Baptiſmo ſanctitatem, nullum vnquam lethale crimen illi eripuit; tanta vitæ innocentia, vt crebrò, qui confitentem audiebant, nihil quod abſolui poſſet inuenirent. Semper habebat in ore Deum, ſemper in mente, nihil ſpirabat aliud à Deo, eius vnius amore mirificè inflammatus. Aptus nimirum erat amori Diuino, cœleſtique ſermocinationi, qui ſingulariſſimus erat in ſimplicitate Chriſtiana; cum qua tamen excellentem doctrinam copulauerat & zelum diuini honoris tuendi, amplificandique ſtudioſiſſimum. Et verò egregiè id præſtitit totis 45. annis, quibus Apoſtolico Spiritu concionatus eſt, quadrageſies Quadrageſimali confecto curriculo. In vitia, atque ea præſertim quę offenderent Rempublicam, nulla hominum quorumcumque ducta ratione, nulla formidine, nulla humanæ prudentiæ lege deterritus, inuehebatur ardenter, aiebatque Deum ſe quaſi impellentem, cuius gloriæ ſeruiebat, perſentiſcere. Viſa eſt non ſemel concionantis ipſius vertici inſidere columba, ſymbolum haud dubie eius Spiritus, quo tamquam Filius Dei agebatur.

batur. Viſus etiam illabi radius lucis è tholo templi, qui concionabundi vultum illuſtraret. In Cœlites omnes, ſed in Auguſtinum imprimis quem Doctorem Magnum appellare conſuerat, in Sanctas Agatham, & Roſaliam magno affectu ferebatur; de ijs eorumque rebus geſtis tenerrimo animi ſenſu loquebatur. Inſigne ad memoriam eſt, quod cùm optaſſet in Montem Peregrinum S. Roſaliæ veneratione inclytum deportari (cum neque poſſet ingredi pedibus, nec iumento vehi) deterritos ab incepto baiulos, ob vaſtitatem corporis eius & viæ longitudinem, iuſſit bono animo ſubire onus, fore ne ſub illo, quod metuebant fatiſcerent. His illi verbis erecti, mirabili facilitate hominem mole prægrandem, nihil fatigati, in editum montem ſella portatili ſubuexere, iterùmque deuexere, tamquam ponderis omnis expers eſſet. Sed B. Virgo Dei Mater præcipuis illi in amoribus fuit; nunquam ille ſuauiùs, nunquam copioſiùs, quàm de illa concionabatur. Arcuit illa malum Dœmonem aliquando ab ipſius acceſſu, cum pridie quam de Virginis laudibus erat dicturus, per noctem intempeſtam fores cubiculi pulſaſſet, verberibus illum excepturus, & Pater, de more iuſsiſſet intrare, ſi modo facultatem haberet: nam ea perſtrictus clauſula, & Virginis imperio, ab ingreſſu prohibitus eſt. Cùm iam ætate grauis multis perfunctus laboribus, ad complexum amantiſſimi Domini ſui ardentiùs aſpiraret, & omnis cibi appetitus elanguiſſet, nulla ceteroqui febre tentatus, adijt Prouincialem, & decumbendi petijt facultatem; veniſſe ſibi iam tempus quo mori vellet, hoc vnum ſibi tribueret gratiæ, ne quid ſibi medicamentorum, præter ea quæ ſuis filijs Societas parare conſueuit, pateretur adhiberi, præiturum ſibi P. Præpoſitum (is erat P. Iacobus Dominicus, geſtis in Societate Magiſtratibus ſat notus) mox ſeſe ſecuturū. Ad 20. ſic dies decubuit, nullo quidem vitæ deficientis indicio, niſi quod ipſe aſſerebat ſe velle mori; obnitentibus aiebat: Dominum conſueuiſſe ſuauiter diſponere omnia, idque iam ipſum in ſua morte præſtare. Tam ſecurus ſui agebat per eos dies, vt hoc etiam diſticho ſecum luſerit

Mors ſine febre venit, ſolum comitante Senecta,
Nec terret; Chriſtus nam mea vita iuuat.

Pridie Epiphaniarū cæpta eſt ſentiri febricula. Eam ipſe ventum ſecundū eſſe dicebat quo inueheretur in portū; hactenus ſe remis cucurriſſe, nunc velis remiſque curſurū. Dictabat interim amanuenſi velut otioſus Homilias in Euāgelium Incarnationis Dominicæ, *Miſſus eſt*, & poſtridie Epiphaniarum neſcio qua præter ſolitum hilaritate delibutus, poſtulauit à Medico vt cœleſti ſe viatico iuberet ad iter inſtrui; illoque annuente conuerſus ad Præfectum Templi, bene aduenéris, mi Pater, excepit, hoc me veſpere Sacratiſſimo D. N. Ieſu Chriſti corpore reficies, cras mane inunges, poſtmodum ibimus. Voluiſſet Dominum humi genuflexus accipere, ſed non permiſſus de lecto ſurgere. Omnes ſe illi ſuaque negotia priuatim cum Deo tractanda committebant, ipſe tamquam de ſalute certus ea ſuſcipiebat. Curauit ſibi è S. Auguſtini Soliloquijs non nulla prælegi, & tamquam contemptor mortis, agebat omnia. Pòſt datum Salutationis Angelicæ ſignum ad veſperam, cùm vellent illum ſacro oleo inungere, Cras, inquiebat, vngetis: illi vrgentibus, videri periculum eſſe, ne cras ſeriùs ſit; Obediamus, aiebat, igitur obediamus; & ego me citius expediam, quaſi mortem in ſua poteſtate haberet. Per noctem ſuauiſſima cum Deo colloquia miſcuit, cuius amore cùm magis magiſque langueret, cygnæa voce iterabat carmen illud Fulcite me floribus, ſtipate me malis, ac pauló poſt placidiſſimè ſine vllo doloris ſenſu, tertia fere poſt noctem mediam hora, ad diem 8. Ianuarij expirauit, anno ſalutis 1627. ætatis 77. Religionis 60. Sacerdotij 50 Magnus fuit, audito eius obitu, dolor vniuerſæ Ciuitatis, magnus omnium ordinum ad ſepulturam concurſus; direptæ illius veſtes ad venerationem; expreſſa ſtudiosè à pictoribus effigies, repetita illi ſeptimo die, volente Senatu, funebria publicis impendijs; inſtituta de laudibus ipſius Panegyris: Procerum, Religioſorum, Populi, tanta concio, vt ædes alioqui laxiſſima non caperet; cadauer ſeorſim compoſitum ad Aræ principis partem ſiniſtram. Signis ſequentibus ſanctimonia ipſius diuinitùs comprobata, quæ iuſto conſcripta volumine aſſeruantur. Scripſit ſua manu ac poſt ſe reliquit

Concionum ſuarum tomos plurimos, quos Bibliotheca Domus Profeſſæ Panormitanæ ceu Theſaurum diligenter aſſeruat. Omnino conſcripſit

Ad C. Volumina, de rebus Diuinis vincta ſolutaque oratione ex quibus

Homilias in Cantica Canticorū paucis, ante obitum horis dictauit. Scripſit etiam breuem

Demonſtrationem quod B. Agatha ſit patria Catanenſis quam operi ſuo inſeruit Petrus Carrere Agatheus, de Memorijs Hiſtoricis Vrbis Catanæ volum. 1. lib. 1.

* IOSEPHVS SIMONIS, natione Anglus patria Hamptonienſis poſt emenſa Philoſophiæ ſpatia Romæ in Collegio Anglorum, Societatis Tirocinium poſuit Leodij anno ſalutis 1619. ætatis ſuæ 25. & votorum 4. profeſſionem emiſit. Quinquennio docuit Rhetoricam & litteras amæniores magna laude Audomaropoli, Philoſophiam triennio; Theologiam Scholaſticam nouennio, in Collegio Leodienſi, & Sacram ſcripturam quinquennio ibidem eſt interpretatus. Rexit Collegia ſuæ nationis Romæ, Leodij, Londini, & demum totam Prouinciam Anglicanam. Ad Congregationem XI. Generalem miſſus eſt à ſua Prouincia cum iure ſuffragij, & vt Inſtructor direxit Patres tertiæ probationis in ſchola affectus. Vir fuit ab omni litteratura diuina & humana inſtructiſſimus,

muſ, cui comparandæ magno acrique ingenio, magnam, & pertinacem induſtriam ſemper coniunxit. Inſigni fuit animi fortitudine, ac conſtantia; religioſæ diſciplinæ imprimis tenax, & regularum obſeruantiſſimus; Animarum zelo flagrabat, & tempus quod inter lucubrationes alii Religioſæ relaxationi tribuebant, ipſe iuuandis proximis impendebat. Semper ſui & vbique ſimilis, virtute, ſcientia, prudentia, & induſtria vere magnus. Emigrauit ex hac vita ad æternæ felicitatis (vti ſperamus) coronam Londini die 23. Iulij 1671. Dum litteras humaniores Audomari profiteretur, compoſuit quaſdam Tragędias pro exercitatione illius iuuentutis, quæ magno cum plauſu ibi ſunt exhibitæ, & poſtea Romæ, & in Hiſpania ſæpiùs iteratæ. In ijs fuerunt

Zeno & Mercia Tragedia. Romæ typis Corbelletti 1648. in 8.

Quinque Tragedia. Leodij typis Houij 1656. in 12. præterea edidit

Reſponſum ad Concionem Doctoris Percij Hæretici, habitam coram Rege Angliæ. Londini 1663. Anglicè in 8.

IOSEPHVS SPVCCES natione Siculus patria Panormitanus, ingreſſus Societatem poſt alios quatuor Fratres ſuos anno huius ſæculi 15. ætatis ſuę 16. In ea Matheſim, Ethicam & ſexennio Philoſophiam docuit, Theologiam verò ſeptennio Panormi, emiſſa profeſſione quatuor votorum. Vir fuit acri ingenio, & tam in ſpeculandis ſubtiliſſimis quæſtionibus, quàm in agendis rebus grauiſſimis iudicio præcellenti. Panormi conſulebatur paſſim à Magiſtratibus, Eccleſiaſticis, Sæcularibus, & Proceribus Regni. In Hiſpaniam profectus, prælegit Theologiam Moralem in Collegio Matritenſi aliquot annis, fuitque Philippo IV. Regi Catholico à Sacris Concionibus, Supremæ Inquiſitionià Cenſuris & Conſilijs, ibique demum multis clarus virtutibus religiosè quieuit die 4. Ianuarii 1668. Edidit Italicè tacito ſuo nomine

Mercurium Panormũ, ſeu de Primo ingreſſu Admirãtų Caſtellæ ad Regni Siciliæ gubernationẽ. Panormi apud Decium Cyrillum 1641. in fol.

Diſcurſum de componenda Tragædia, editum in tomo 2. Tragædiarum Hortenſij Scamaccæ Panormi 1635.

Orationem funebrem habitam in Sacello Regio Panormi in Exequijs Ferdin. Henriquez Marchionis. Panormi 1936.

Vitas Sanctorum Panormitanorum. Panormi per Nicolaum Buam 1658.

Ad hæc meditabatur *Hiſtoriam Siculæ Societatis Ieſu*, & plura erudito illius calamo digna, ſed mors abrupit

* IOSEPHVS SVRINVS, ſeu, vt alij eum vocant, IOANNES IOSEPHVS SEVRIN natione Gallus, patria Burdigalenſis, claris parentibus, & ordinis Senatorij natus anno ſalutis 1600. Deo ſe in Societate conſecrauit 1616. & votorum 4. profeſſionem emiſit. Vir fuit excellentis ingenii, dicendi talento pro concione præditus, & in omni virtutum genere illuſtris. Sed eminebat in eo præclara pietas dono contemplationis non vulgari coniuncta; vnde exiſtebat eximia rerum Diuinarum intelligentia, & in quotidiano ſermone ſiue cum Noſtris, ſiue cum Externis, religioſa omnino, & ſancta ſuauitas. Elucebat præterea Crucis Chriſti, ignominiæque, ac propriæ confuſionis tantus amor, vt vehementi deſiderio, dum aſceticis commentationibus animum aliquando excoleret, diuinitus (vt creditur) idque non ſemel immiſſo inflammatus, ardentiſſimè à Deo expetierit, haberi ab hominibus pro inſano, ſeu mente capto; quod & reapſe tandem obtinuit, potionum à Magis dormienti iniectarum cùm Energumenis Iuliodunenſibus iuuandis incumberet, auxilio. Quo tempore (quod longiuſculum fuit) variis Dœmonum vexationibus obnoxius, interiores pœnas grauiſſimas expertus, & ad inſolitas interdum actiones externas compulſus eſt, quæ ſtultitiæ in eo opinionem plurimorum confirmarunt. Sed hæc ipſe omnia, ſummas Chriſti delicias vocabat, & pretioſa Diuini amoris inſignia. Neque propterea omiſit animarum iuuandarum verbis, & ſcriptis ſtudio vacare, idque ſemper cum fructu minimè pœnitendo. Certe his affinia legimus de aliquibus Sanctis, & nominatim in Vita S. Seuerini Abbatis de Vno qui cum gratia floreret eijciendi Dœmones ex Energumenorum corporibus, amore humilitatis, petiuit à Deo Energumenus fieri, & obtinuit. Quantà porro fuerit Ioſephus hic noſter in exiſtimatione virtutis apud omnes, luculenter patuit poſt eius obitum, qui contigit Burdigalæ die 22. Aprilis 1665. Nam tunc complures, etiam primæ notæ viri atque fœminæ, dari ſibi aliquid ex paupere illius ſupellectile, atque etiam ex capillis, aut alijs eiuſcemodi reculis quaſi ad reliquias, enixè poſtularunt. Et aſſeritur illarum rerum admotione, ſeu attactu ægros aliquos eſſe ſanatos, aliaque extraordinaria contigiſſe, quæ in eius vita, cum edita fuerit, legi poterunt. Scripſit vir religioſiſſimus multa Gallicè de rebus ſpiritualibus, ex quibus ipſo adhuc viuente, ſed inſcio, excuſi ſunt ab exteris, tacito veri Auctoris nomine; ſed per magno multorum fructu

Cathechiſmus ſpiritualis, continens præcipuos modos acquirendi perfectionem, duobus tomis in 12. Pariſijs apud Claudiũ Cramoiſy, 2. editione 1669. Hunc Italica lingua donauit noſter Matthæus Gherardellus Mutinenſis, & in Domo Profeſſa Rom. in præſentiarũ operarius, impreſſuſq; eſt Bononiæ appoſito nomine Ioſephi Surini, per Ioſephum Longum 1675. Item

Fundamenta vitæ ſpiritualis extracta ex libro de Imitatione Chriſti. Pariſijs apud Claudium Cramoiſy 1669. in 12. Hic etiam liber Italicè translatus eſt, ſed non dum excuſus.

* IOSEPHVS DE TAMAYO natione Hiſpanus, patria Hiſpalenſis, Societati nomen dedit Salmanticæ anno ſæculi fluentis 18. ætatis

tis ſuæ 17. & votorum 4. profeſſionem emiſit. Theologiam Moralem annis 12. explanauit; Miſſionarij munus annis octo obiuit, in comitatu fere Illuſtriſſimi Epiſcopi Oxomenſis, poſtea Archiepiſcopi Granatenſis D. Martini Carillo cui etiam examinator ad ſacros ordines fuit. Rexit Collegia Areualenſe,& Lucronienſe. Nauigans in Italiam;& captus à Mauris duriſſimam apud illos ſeruiuit ſeruitutem, ſed Chriſtianis concaptiuis Algerij, & Tituani admodum proficuam; nam in domo Conſulis Gallicani crexit Oratorium, in quo Sacramenta Eccleſiæ diſpenſabat, & ad conſtantiam in fide opportunis adhortationibus omnes animabat. Denique cum peſtis eo tempore Tituani ſerperet, ipſe ſolus in excipiendis morientium confeſſionibus, & miniſtrandis vltimis Eccleſiæ præſidijs, & humandis mortuorum cadaueribus præſtò fuit. Nunc Salmanticæ in Collegio, Patris ſpiritualis munere fungitur. Compoſuit,dum in captiuitate eſſet idiomate Hiſpano librum inſcriptum.

Iob patiens in vtraque fortuna. Granatæ 1647. Præterea tractatum.

Aduerſus errores Immanuelis Aboad Rabini Synagogæ Amſtelodamēſis, in libro inſcripto, Legis mentalis quam Deus vna cum ſcriptura tradidit Moyſi. Latinè Edidit

Expoſitiones Morales in Exameron libris 4. comprehenſas. Lugduni ſumptibus Horatij Boiſſat & Soc. 1663. in ſolio.

* IOSEPHVS TISSANIER natione Gallus patria Aginnenſis, in Societatem cooptatus anno ſæculi præterlabentis 34. ætatis ſuæ 16. Rhetoricam & politiores litteras nouennium profeſſus eſt, Philoſophiam quadriennium, & vota 4. ſolemnia nuncupauit Pictauij 1652. Tum zelo aggregandarum Chriſto animarum in Indijs incenſus, eò nauigauit, & Prouinciæ Iaponiæ applicatus vtiliter in Regno Tunchinenſi aliquamdiu laborauit. Inde tamen, eiectus cum omnibus alijs Patribus,à Rege Idolis addicto, Macaum rediit circa annum 1660. & inde miſſus in Regnum Siamenſe,ibi cum Noſtris quibus præeſt Superior,promouet ſalutem animarum. Scripſit Gallicè

Relationem ſui itineris, & rerum maximè memorabilium in Miſſione Tunchinenſi per annos aliquot geſtarum. Pariſijs apud Edmundum Martin 1663. in 8.

* IOSEPHVS ZARAGOZA natione Hiſpanus, patria Alcalenſis in Regno Valentino, natus anno ſæculi voluentis 27. Societatem amplexus eſt 51. & vota 4. ſolemnia concepit. Docuit Theologiam Scholaſticam in Collegijs Balearico, Barcinonenſi, & Valentino. Egit Eccleſiaſten, & S. Inquiſitioni eſt à Cenſuris. Nunc in Regia Academia Matritenſis Collegij Mathematicā profitetur, & nuperrimè à Sereniſs. Regina Gubernatrice Regni electus eſt, vt Sereniſs. Regem Mathematicis inſtruat diſciplinis. Edidit Hiſpanicè

Arithmeticam Vniuerſalem, & Algebram vulgarem, & Speciosam. Valentiæ apud Hieronymum Villagraſſa 1669. in 4.

Geometriam Speculatiuam, & Practicam Plani, & Solidi. Ibidem 1671. in 4.

Trigonometriam Hiſpanam. Maioricæ apud Franciſcum Oliuer 1672. in 4.

De Sphæra in communi, Cæleſti, Terraquea lib. 3. Matriti apud Franc. Nieto 1674. in 4.

Architecturam Militarem. Ibidem 1674. in 4. Latinè vulgauit

Euclidem Nono-antiquū ſingulari Methodo illuſtratū. Valentiæ apud Villagraſſa 1673. in 4.

Trigonometriam Hiſpanam; Reſolutionem omnium Triangulorum Plani, & Sphærici; Conſtructionem & vſum Sinuum, Tangentium, Secantium, & Logarithmorum. Valentiæ iiſdem typis 1673. in 4.

Geometriæ Magnæ in Minimis Partem I. in qua de Minimis in communi, Problema Catholicum reſoluitur. Toleti apud Franciſcum Calao 1674. in 4.

Geometriæ Magnæ in Minimis Partem II. De Planis. Ibidem 1674. in 4.

Geometriæ Magnæ in Minimis Partem III. Iiſdem typis, forma, & anno.

Multa alia prælo parata habet, quæ vita comite emittet.

* ISAACVS VANDER-MYE natione Belga patria Delphenſis natus anno ſæculi currentis tertio, Societati ſe addixit 1623. & votorum 4. profeſſionem emiſit. Poſt traditas litteras humaniores, concionatorem aliquamdiu egit, tū Miſſionarium in Hollandia, vbi ſpatio 25. annorum, vineam Domini nauiter coluit, & in eadem denatus demum eſt Delphis, die 7. Iunij 1656. Edidit tacito ſuo nomine.

Muſam Paræneticam. Roterodami typis Thomæ Theodori Celberti 1648. in 4.

IVLIANVS BALDINOTVS, natione Italus, patria Piſtorienſis admiſſus in Societatem Romæ anno ſalutis 1609. ætatis ſuæ 18. cùm in Romano Collegio Theologiæ daret operam, exercitijs ſpiritualibus, in alium repente virum, qui bono alioqui exemplo adhuc vixerat, euaſit, & Diuinæ gloriç zelo incitatus, poſtulauit atque obtinuit expeditionem ad Sinas ſub annum 1621. & cum ſtrenue in auxilium infidelium incubuiſſet per annos aliquot, obiit in Domino Macai anno ſalutis 1631. in flore ætatis. Scripſit

Breuem Relationem de ſuo itinere in Regnum Tunquim, Sinis Cocincinisque conterminum

IVLIANVS BOVCLERVS natione Gallus patria Cenomanus, Poeta peregregius, Societati ſe adiunxit anno ſalutis 1558. & in ea litteras humaniores Bellomi profeſſus eſt, Philoſophiam, & Theologiam Turnoni. In Hæreticos Concionator acerrimus, & primus Collegium Niuernenſe gubernauit. Laborum eius in reducendis Hæreticis, confirmandis Catholicis, qui nutabant, expiandis pluſquam quingentis, qui ſemel iterumque hæretica cœna polluti fuerant, fructus vberrimus, late expo-

exponitur in Hiſtoria Societatis part. 5. anno 1582. & ſequentibus. Mortuus eſt Camberii die 11. Iulii anni 1586. Multa ſcripſit ſed vna tantum extat eius

Diſputatio cum Petro Agar Miniſtro Delphinate.

IVLIANVS HAYNEVFVE natione Gallus, patria Lauallenſis, diœceſeos Cenomanenſis. Societatem anno 1608. ætatis 20. ingreſſus eſt, vir religioſus ac morum ſuauitate amabilis, & vota tria ſolemnia profeſſus. Fuit Rector, Magiſter Nouitiorum, vel Inſtructor, Coriſopiti, Rothomagi, & Pariſiis, annos circiter quadraginta; & inter ſanctiſſimos Societatis viros ſui æui merito numerandus. Per omnia ſiquidem Societatis munia circumductus, impreſſa in ſingulis exactæ virtutis veſtigia ſignauit. Diu Tironibus inſtituendis Magiſter adhibitus; eodē quo ferueبات Spiritu nouitiam ætatem incendebat, facto non minus quam oratione præpollens; ſomni parciſſimus; algoris patiens, totos quinquaginta annos foco abſtinuit, quamuis ſæpe ingraueſcente bruma prorſus obrigeſceret. Pro ſanctorum more in alios clemens, durus atque immiſericos ſibi ipſi; ea vitæ aſperitas, & ſanctimoniæ fama cum domo foràs exiiſſet, etiam Principum virorum veneratione excepta eſt. Crebri ad eum concurſus procurandæ conſcientiæ, ſalutiſque promouendæ cauſa; nemo fere non melior ex colloquio abibat. Adiuuabat dicentem, vultus liberalis, grauitaſque dictorum, oris ſermoniſque lenitate condita; nihil illo iubente modeſtius; placidus ſemper, ſuique nunquam abſimilis. Multas in oratione horas, ſiue publicè precaretur ſiue priuatim, inſumebat. Non tamen illa ſublimia orans ſequebatur, ſed ſolidis tritiſque veſtigiis inhærens, Euangelicis fere ſententiis animum paſcebat. Quotquot libros de omni genere meditandi protulit in lucem (edidit autem & bene multos & ſalutares) eos omnes ex S. Ignatii diſciplina ad componendos mores & edomandos naturæ ſenſus inſtruxit. In hæc ſtudia intentum, continuiſque laboribus feſſum, vigiliis etiam & crebra corporis afflictatione labefactatum valetudo aliàs firma paulatim deſtituit. Sed nemo iucundiùs moritur quàm qui iniucundè ſibi & auſterè vixit. Nihil optimo ſene & pluſquam ſeptuagenario, ſiue decumbente, ſiue ex hac vita diſcedente, quietius. Optauerant Principes viri extremis illius adeſſe. Expetitæ ex illius pauperrimo penu, veſtituque reliquiæ, gemmiſque præhabitæ; Nonnulla etiam non vano rumore circumlata miracula, quamuis nihil ille præclarius, quàm omnibus ſui deſiderium, nobis verò ad omnem memoriam domeſticum exemplum perfectæ cumulatæque virtutis reliquit. Obiit ſanctè ſicut vixerat Pariſiis in Domo profeſſorum die vltimo Ianuarii 1663. ætatis ſuæ 75. Societatis 55. Scripſit Latinè

Veritates practicas ex vita Domini Ieſu, Sanctorumque geſtis in ſingulos anni dies, quatuor voluminibus, quorum Primus continet Partem Hyemalem. Secundus Vernam. Tertius Aeſtiuam. Quartus Autumnalem. Rothomagi apud Richardum Lallemant 1652. in 4. recuſas Coloniæ, ſub titulo *Ephemeridis Eccleſiaſticæ Concionatorum &c.* apud Ioannem Buſæum 1665. in 4. Gallice edidit

De Ordine, Vita, & Morum. Pariſijs apud Cramoiſy 1640. tribus voluminibus in 4.

Principia Ordinis, Vitæ, & Morum. Iiſdem typis & anno in 4.

Meditationes in ſingulos anni dies. Iiſdem typis & anno 4. voluminibus in 4.

Compendium Superiorum Meditationum. Rothomagi 1655. quatuor volum. in 12.

Mundum Chriſto oppoſitum. Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoiſy 1647. in 4.

Exercitia ſpiritualia. Typis iiſd. 1655. in 4.

Spatioſam viam, qua pereunt multi. Ibidem 1646. in 4.

Reſponſiones ad Quæſita Vitæ ſpiritualis, iuxta tres vias Vitæ purgatiuæ, Illuminatiuæ, & Vnitiuæ; quarum volumen primum prodijt iiſdem typis 1663. in 4.

Secundum impreſſum poſt obitum, typis iiſdem 1665. in 4.

Tertium morte præoccupatus non abſoluit

* IVLIANVS MAVNOIR natione Gallus, gente Brito, diœceſis Rhedonenſis, natus anno ſæculi labentis 7. Societati ſe aggregauit 1625. & vota 4. ſolemnia nuncupauit. Poſt explicatas quadriennio litteras humaniores, totum ſe tradidit Miſſionibus obeundis in Aremorica inferiori, in quibus mirabili succeſſu & ſpiritu Apoſtolico laborat iam annis 33. Varia edidit lingua Aremorica ad excitandos ad pietatem ſuos populares ſcilicet

Cantica ſpiritualia. Coriſopiti apud Guilielmum le Blanck 1667. in 12.

Sacrum Chriſti Ieſu Collegium in quinque claſſes diuiſum cum Dictionario Grammatica, & Syntaxi linguæ Aremoricæ; Coriſopiti apud Ioannem Hardouin 1659. in 8.

IVLIANVS PERRAVLT natione Gallus, patria Nannetenſis ingreſſus in Societatem, Iuris vtriuſque licentia donatus anno 1633. ætatis 25. Multis annis diſciplinæ religioſæ & rei familiaris curam geſſit in gradu Coadiutoris ſpiritualis. Rebus humanis exemptus eſt Aurelijs 24. Nouembris 1647. Scripſit Gallicè

Relationem de Inſula Capitis Britonum in Noua Francia. Pariſijs apud Sebaſt: Cramoiſy anno 1634. & 35. in 12.

IVLIVS ALENIVS natione Italus, patria Brixienſis Deo ſe in Societate conſecrauit anno ſæculari 1600. ætatis ſuæ 18. in Prouincia Veneta, ex qua poſt decurſa Philoſophiæ ſtudia, & traditas aliquot annis humaniores litteras impulſus zelo lucrandarum Deo in India animarum, nondum ſacris initiatus nauigauit in Orientem & Macaum appulit 1610. Ibi poſt aliquod interuallum, & Matheſim docuit & Magiſter Tironum fuit, & mox in penetra-

lia Sinarum ſe inſinuans, totis 36. annis nouale illud Chriſti labore improbo, fructu maximo excoluit, & votorum 4. profeſſionem edidit. In Prouincia Xanſi primus ipſe Chriſti fidem prædicauit; per Prouinciam Fuchien, multas Eccleſias in primarijs Vrbibus erexit; & aliquot millia per lauacrum Baptiſmi Chriſto adiunxit. Præfuit Superior noſtris in varijs Reſidentijs annos 23. & toti Vice-Prouinciæ annis ſeptem. Demum plenus dierum & bonorum operum migrauit ad mercedem laborum menſe Auguſti 1649. Edidit lingua Sinenſi

Vitam Chriſti Saluatoris Noſtri octo Tomis diuiſam. Item

Librum in quo ſpeciatim agit de Chriſti Incarnatione. Item

Librum imaginum Vitæ Ieſu Chriſti ad exemplum Hieronymi Natalis, in quo vitæ, ac myſteria ligneis inſculpta laminis explicantur.

De Sacroſancto Miſſæ Sacrificio, in quo Sacrificium Miſſæ omneſque eius cæremoniæ explicantur duplice tomo. Item

Librum de Sacramento Pœnitentiæ. Librum Chriſtianis valde vtilem

De Origine Mundi, ex quo probat dari Deũ.

Dialogos in quibus refutat errores principales Sinenſium, & ſoluit dubia à Sinenſibus proponi ſolita

Dialogum Sancti Bernardi Inter animam, & corpus ſtylo poetico Sinico

De ſcientijs & ſtudijs Europæis

Theatrum Orbis diuiſum in quinque Libros in quibus res præcipuæ Europæ, & aliarum Orbis partium explicantur

Praxes Geometricas Libris 4.

Vitam P. Matthæi Riccij Viri Apoſt. in Sinis.

Vitam Doctoris Michaelis Tam Sinenſis virtutibus conſpicui.

Vitam Sinenſis iuuenis Cham Michaelis ex Prouincia Fochien probitatis eximiæ.

Ex his exſtant Romæ in Tabulario Societatis Generali duo volumina in folio characteribus Sinenſibus, *De Theatro Orbis ſeu Coſmographia.*

IVLIVS BELLINVS natione Italus, patria Goritienſis, admiſſus in Societatem anno ſalutis 1614. ætatis ſuæ 22. paucis annis in ea exactis, dum Theologiæ operam nauaret migrauit ex hac vita Goritiæ die 19. Nouembris anno 1619. Edidit priuſquam ad Societatem veniret.

Vitam & Mortem illuſtris Adoleſcentis Caroli Franciſci Breineri, liberi Baronis. Græcij typis Georgij Vvidmanſtadij 1613. in 4.

IVLIVS CAESAR BVLENGERVS natione Gallus, patria Lodunenſis; Vir in omni ſcientiarum genere verſatiſſimus, Theologiam quinquennio, Sacras litteras triennio interpretatus eſt, Doctorali laurea inſignis. Is cum ob grauem ſuorum nepotum impuberum neceſſitatem poſt 13. annos feceſſiſſet à Societate, & totis duodeuiginti annis ab ea abfuiſſet, illis compoſitis, cum poſſet ætatis ingraueſcentis prætendere infirmitatem, maluit tamen iugo religionis iterum collum ſubmittere. Igitur anno 1620. poſtliminio reuerſus ad Societatem, in ea tandem multis Religioſæ vitæ exemplis præbitis, quatuor votorum profeſſione ſuſcepta, ſeptuagenario maior deceſſit Cadurci per Auguſtum anni 1628. Scripſit

Hiſtoriam ſui temporis Libris 13. in folio. Lugduni 1619.

De Imperatore, & Imperio Romano lib. 12. *cum duplice Appendice.*

De Officijs Regni Galliæ, & Eccleſiæ Conſtãtinopolitanæ. Lugduni per Romiliũ 1618. in fol.

Opuſcula Tomis II. digeſta quorum Primus continet

De Inſtrumento Templorum. Lib. 3.

De Tota Ratione Diuinationis. Lib. 6.

De Oraculis, Sortibus, Augurijs, Auſpicijs, Ominibus, & Prodigijs, &c

De Terræ motu, & fulminibus. Lib. 6.

De Magia licita, & vetita. Lib. 3.

Tom. II. Continet

De Spolijs, Tropbæis, Arcubus, & Pompa Triumphali. Lib. I.

De Circo, Ludiſque Circenſibus. Lib. 1.

De Theatro. Lib. 2. *De Venatione Circi & Amphitheatri.* Lib. 2.

De Elephantis Tractatum. Per Pilehotte 1621. in folio.

Scripſit præterea

De Pictura. lib. 1. *De Ludis Antiquorũ.* lib. 1.

De Conuiuijs Lib. 4.

De Pictura, Plaſtice, Statuaria. Lib. 2.

Eclogas ad Arnobium, De Dijs Gentium. Toloſæ typis Colomerij 1612. in 8.

Diatribam ad Iſaaci Cauſaboni. Exercitationes aduerſus Card. Baronium. Lugduni apud Guihel. Bouilliũ 1617. in folio. Gallice edidit

Reſponſionem Catholicam Libro D. Pleſſei, De Inſtitutione Sanctiſſimi Sacramenti. Pariſijs apud Abelẽ Langlier 1599. in 8. Cõpoſuit etiã

De Sancta, & inuiolabili Regum Maieſtate. Lib. III.

IVLIVS CAESAR DE LA COVLTVRE natione Belga, patria Bruxellenſis cooptatus in Societatem in Belgio anno ſalutis 1614. ætatis 17. & inde miſſus ſubſidiarius in Bohemiam ibi docuit Rhetoricam Noſtros annis ſeptem, Theologiam Moralem, & Controuerſias ſexennio; rexit Collegia Nouodomenſe, & Vratiſlauienſe, & paulò pòſt ex loco peregrinationis euocatus eſt in cæleſtem (vt fas eſt ſperare) patriam, Vvartembergæ die 9. Auguſti 1651. votorum 4. pridem antea profeſſus. Vir fuit Orationi multum deditus; totas aliquando noctes tranſigebat in precibus, dolorum ex hemicrania, & calculo inſigniter patiens; ſupremum vitæ annũ inter tot morbos egit, vt miram habuerit patientiæ palæſtram, ad coronæ cæleſtis incrementum. Edidit

Demonſtrationes Catholicas, quod Lutherana Eccleſia diſſentiat in eſſentialibus fidei articulis, à Primitiua vera Apoſtolica Eccleſia.

Con-

Controuerſiarum Par.2.

Spectacula Chriſtianorum Heroum Ferdinando IV. Electo Romanorum Regi in applauſum à Collegio Pragenſi oblata. Pragæ typis Academicis 1653. in folio. Recuſa Viennæ in forma minori. Reliquit

Orationes varias à ſtylo & elegãtia multũ laudatas, quæ in Archiuio Pragenſi aſſeruãtur.

IVLIVS CAESAR DESTITVS natione Italus, patria Satrianenſis in Apulia in Societatem anno 1610. ætatis 16. ingreſſus eſt, in eaque bonis litteris expolitus, docuit Rhetoricam Exteros annis quinque; Noſtros Iuniores annis 12. & votorum 4. profeſſionem emiſit. Immaturo funere nobis ſublatus eſt in Collegio Neapolitano die 10. Iunij 1648. Edidit

Polyhymniam, ſiue *Syluarum Libros III.* Neapoli apud Iacobum Gaffarum 1644. in 8. Recuſam Francofurti in Parnaſſo Societatis 1654. in 4. Moliebatur

Faſtos ſæculares Societatis Ieſu, ſiue Rerum primo ſæculo memorabilium Commentarium, tributum in Libros III. omnium Ordinum Teſtibus illuſtratum, & prætèrea

Polyhiſtorem, ſiue Electorum ex omni Philologia Libros 10.

Sed morte præuentus non abſoluit.

IVLIVS CAESAR RECVPITVS natione Italus, patria Neapolitanus, cùm aditum ſibi in Societatem incredibili conſtantia aperuiſſet, partim eluſis, partim diſiectis artibus, quibus eum ſua mater ſatagebat abſtrahere, in ea ſe Deo conſecrauit anno ſuperioris ſæculi 95. ætatis ſuæ 14. & ſacramento poſtea quatuor votorum ſe ei adſtrinxit. Philoſophiam docuit ſexennio, Ethicam biennio, Theologiam decennio, & annis vndecim ſtudiorum Præfecturam in Collegio Neapolitano geſſit, cuius etiam Rector fuit. A Comitiis Prouinciæ electus eſt vt Romam ad Congregationem Generalem octauam ſe conferret vnà cum P. Vincentio Carafa, qui ab eadem Congregatione creatus eſt Præpoſitus Generalis. Sed inter maxima quibus eminuit ornamenta, fuerunt virtutum ſolidarum decora. Orationis ſtudium ſingulare; Pietas tenera in Deiparam Virginem; candor animi, & ſimplicitas cum inſigni doctrina mirum in modum fœderata. Demum annis grauis, & religioſæ vitæ meritis cumulatus ad Beatorum (vti ſperare fas eſt) conſortium emigrauit die 8. Augusti 1647. in Collegio Neapolitano, cuius olim benefactor larga donatione inſignis fuerat, & ob quam poſt obitum indicta ſunt pro illo, tanquam pro fundatore ſuffragia precum per totam Societatem. Edidit Italicè

Orationem Panegyricam de S. Thereſia habitam Neapoli in eius Beatificatione. Neapoli apud Iacobum Longum 1614. in 4.

De Veſuuiano incendio anni 1631. Nuntiũ. Neapoli apud Aegidium Longum 1632. in 4. Latinè

Panegyricas Conciones Italicè tom. 1. Neapoli typis Ioan. Domin. Montanari 1636. in fol.

Theologiam. Tractatum I. De Deo Vno Par. 1. Romæ apud Maſcardum 1636. in fol.

Theologiæ Tractatus I. Par. 2. Neapoli apud Octauium Beltramum 1642. in folio.

De Nouo in Vniuerſa Calabria Terræ motu congeminatus nuntius. Neapoli typis Franciſci Sauij 1638. in 4.

Vterque vero Nuntius ſimul recuſus eſt. Louanij typis Euerardi de Vvitte 1639. in 12.

De Signis Prædeſtinationis, & numero Prædeſtinatorum. Latinè. Neapoli typis Franciſci Sauij 1643. in 4. & Pariſijs 1644. in 4.

Panegyricarum Concionum Italicè. Tom. 2. Bononiæ typis Dozæ 1646. in 4.

Epigrammata de Chriſto, Beata Virgine, & Sanctis. Neapoli apud Caballum 1647.

Induſtrias ad bonam mortem obeundam. Neapoli apud Camillum Carillo 1642. in 4. Has cum abſoluiſſet, ipſe ſequenti die, quod alios docuerat, decedens, opere compleuit

Plura alia parata habebat, vel parabat prælo vt

Conciones 12. *de B. Virgine.*

Sanctum Saberium Tragœdiam. S. Vvenceslaum Tragœdiam

Summam Philoſophiæ

Theologiam Vniuerſam Tomis 10.

Commentarios, ſeu Notationes in Iſaiam Prophetam.

Sed mors hæc interrupit.

IVLIVS FATIVS natione Italus, patria Neapolitanus, à prima ætate ſæculi vanitate reiecta, inſtitutum noſtrum amplexus eſt anno ſalutis 1555. ætatis 18. ſuperſtite adhuc S.P.N. Ignatio, à quo ſtudiorum cauſa miſſus eſt in Luſitaniam, vbi diu vixit, & litteris inſtitutus eſt. In Italiam reuerſus, Domui Probationis S. Andreæ Romæ aliquamdiu præfuit, Genuenſe poſtea Collegium magna cum laude rexit, P. Euerardo Præpoſito Generali fuit à ſecretis, Sardiniæ, ac Siciliæ Viſitator. Tres etiam Prouincias Siciliam, Venetam, Neapolitanam rexit. Demum multa iam ſenectute, & laboribus fractus, in Collegium Montis Regalis Prouinciæ Siciliæ ſe recepit, cuius etiam adminiſtrationem ſuſceperat, cumquè multum, & ſpiritualem diſciplinam, & rem domeſticam promouiſſet, vehementi quinque dierum morbo conſumptus eſt, quo ſimul atque correptus eſt, ſibi eſſe moriendum ſenſit: prædixitquè non ſe è lecto viuum exſcenſurum. Tertio quàm eum morbus inuaſit die Confeſſionem generalem inſtituit, eius quam in Societate egerat ætatis. Qua peracta petijt à Confeſſario, vt libellum quem de iuuandis moribundis conſcripſerat, & Mortorium, ei nomen indiderat, identidem ſibi recitare ne grauaretur. Inde cum eum Archiepiſcopus, ipſius valde ſtudioſus inuiſiſſet, petijt Indulgentiæ conſequendæ cauſa, ſibi de ipſius manu Sacroſanctum Viaticum adminiſtrari; hanc enim poteſtatem habet hic Archiepiſcopus. Sa-

cro inunctus oleo gratias egit Patribus, miro ſenſu pietatis: reliquum tempus in lectione ſui Mortorij audienda, Chriſti Crucifixi imagine contemplanda, piiſque colloquijs magna cum animi ſui voluptate traduxit, illa ad extremum vſque ſpiritum verba ſubinde iterans: Inter brachia Domini mei, & viuere volo, & mori cupio; nunquam dicebat, *mei*, quin magno illud affectu iteraret ſæpius. Ita Nonis Ianuarij vir æque prudentiæ, ac magnæ ſanctimoniæ laude conſpicuus, emigrauit e corpore anno ſalutis 1596. ætatis 63. ab inita Societate 40. ab emiſſa quatuor votorum profeſſione 26. Poſtero die Archiepiſcopus in Æde noſtra, pro illius anima ſalutare obtulit Sacrificium, cum quo venerunt ſimul Ciues Patris amantiſſimi, cum Clero. Mortificationis ille in ſe cultor fuit egregius. Admirabili affectu pietatis erga Sanctiſs. Euchariſtiæ Sacramentum, ac B. Virginem, de cuius Laudibus, etiam extrema iam ætate librum conſcripſit, qui Myſteria continet dierum Sanctiſſimæ Matri dicatorum,, quem facultate iam à Præpoſito Generali impetrata, mirum eſt nondum in lucem exijſſe. Scripſit Italice Iulius librum

De Mortificatione noſtrarum paſſionum prauorumquè effectuum, qui in Latinam linguam translatus, prodijt Ingolſtadij typis Adami Sartorij 1598. in 12. alibi quoque, & alijs linguis recuſus. Reliquit etiam

Mortorium, ſeu libellum de iuuandis moribundis, &

Myſteria dierum B. V. Mariæ dicatorum

Meditationes, & *Exercitia ſpiritualia*, quæ Italicè prodierunt.

IVLIVS FIDES natione Italus, patria Brixienſis; iam Sacerdos, & grandis natu Societatem noſtram complexus eſt anno ſalutis 1567. cum alijs 40. Sacerdotibus, qui in Congregatione viuentes ſæculo renuntiarant, & in diſciplinam Societatis ſe tradiderant; è quorum numero Iulius fuit, qui nobilitate generis, vitæ exemplo Socios commouit, & Collegium Brixienſe, quod inde exortum eſt, ſuo patrimonio ſtabiliuit. Obijt Cremonæ menſe Martio anni 1609. tria vota ſolemnia pridem profeſſus. Scripſit antequam Societati ſe adiungeret Italica lingua

Poema pium, ac elegans cui nomen ab argumento eſt: *Odolympia*, quod eius propinqui ſuppreſſo nomine Societatis, *Iulij Fidei* retento, promulgarunt.

IVLIVS FVLIGATTVS natione Italus, patria Cæſennas, Romæ admiſſus in Societatem anno Domini 1569. ætatis 19. in ea litteras humaniores, & Matheſim in Collegio Romano docuit. Rexit Collegium Montis Sancti, & Reſidentiam Tuſculanam. A grauioribus ſtudijs inualetudine prohibitus, vt otium falleret, Sacras legebat Hiſtorias, vel Matheſim priuatim alios docebat, vel manuale aliquod opus exercebat. Vir ſuauis moribus, & rebus ſpiritualibus apprimè addictus, ſpiritualis Coadiutor ab anno 1584. Obijt Senis, die 2. Octobris 1633. ætatis 84. qua in ætate cum in animi deliquium repente incidiſſet, repertus eſt horrido cilicio recinctus. Scripſit Italice

De Horologijs Solaribus. Ferrariæ apud Victorinum Baluinum 1617. in 4.

IVLIVS MANCINELLVS natione Italus, patria Maceratenſis, nobili loco natus die 13. Octobris anno ſalutis 1537. ſimul, ac per ætatem licuit, ad omne bonarum artium genus applicatus, egregios habuit breui tempore progreſſus. Nec minus virtute quam ſcientia proceſſit, per lubricam adoleſcentiæ ætatem, vt iam tum ob morum grauitatem à petulantioribus nonnullis, Eremita per ludibrium vocaretur. Crebro vſurpabat Sacra Myſteria Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, Sanctorum res geſtas auidè legebat, & ſtudebat æmulari. Abhorruit ſemper ab ijs vitijs, quæ maxime ſequuntur eam ætatem, gaſtrimargia, & ſimulatione; quæ errata non poterat vera negatióne diluere, ea lubens ſupplicio expiabat. Sic prima ætate traducta innocenter, conſilium cepit vitæ religioſæ; cumque Laureti veniſſet in Societatis noſtræ cognitionem, ea præter cæteras familias arriſit. Exceptus hoſpitio tantiſper eſt ab Oliuerio Manaræo Rectore, donec firmaret animum per exercitia ſpiritus. In ijs obeundis tanto ſui mortificandi, comprimendiquè ſtudio exarſit, tanto rerum humanarum, & propriæ exiſtimationis faſtidio captus eſt, vt nihil cunctaretur nudus, ſi poteſtas fieret, laqueum collo indutus, cruce onuſtus, per publicas Ciuitatis ſuæ vias, ad pœnitentiam homines elata voce prouocare. Per eos dies laterem è pauimento exemptum toties impegit in pectus, dum brachium laſſaretur; & ex illo flagellis in ſe acriùs deſæuire inſtituit. Vocatus ad ianuam, ratus id quod erat, adeſſe de ſuis, qui ſe retraherent ab incepto, priùs in Sacellum ſeceſſit quam deſcenderet, & tribus ſe Religionis votis obſtrinxit quò fortiùs dimicaret. Vbi victor euaſit, in Sociorum adſcriptus eſt numerum, die 14. Maij, anni 1558. ætatis ſuæ 20. Per Tirocinij ſpatia cùm ſe ad ſolidam exerceret virtutem, diuina mentis illuſtratione cognouit, haud ſecus in homines diuina manare beneficia per Mariam, quam luminis huius quidquid eſt, à ſole deriuari in Orbem vniuerſum, cuius ſingulari auxilio magnarum iecit fundamenta virtutum. Romæ deinde Philoſophiæ dedit operam, & Magiſterij laurea donatus, etiam perdidicit Theologiam, & anno 1563. Sacerdotio initiatus eſt. Erat vero iam tum virtutis eius exiſtimatio tanta, vt magnum illud Septentrionis columen Petrus Caniſius, cùm à Conuentu Patrum, quo poſt Iacobum Lainium S. Franciſcus Borgia Generalis renunciatus eſt, rediret in Germaniam, ſpirituales ab illo nedum à Scholis abſoluto, exercitationes extorſerit, quibus animum in itinere occuparet, reſcripſeritquè è Germania

illas

illas admodum tibi fuiſſe ſalutares. Anno 1566. Romæ primus Nouitiorum Magiſter, & Rector conſtitutus eſt, & anno 1570. ad diem 24. Auguſti quatuor vota ſolemnia nuncupauit, & Florentino primùm Collegio, mox alijs, & alijs cum laude præfuit; ſed delatam vniuerſæ Prouinciæ adminiſtrationé humilitatis ſtudio repudiauit, & reliquam ætaté omné in laborioſiſſimo vitæ Apoſtolicæ munere,cum inſigni Dei gloria,continuit. Primus reuocauit in Vrbe, iam abolitam in compitis ad otioſos concionandi conſuetudinem. Ipſe pueros Chriſtianæ Fidei rudimentis imbuere,eorundé cantillantium agmini præire, atque præcinere, noſocomia, carceres frequentare, reos ad ſupplicium deducere; ipſas in proſtibulis lupas ad virtutem dicendo prouocare, tanta efficacitate, vt vna aliquando concione duodeuiginti abſtraxerit. Penetrabat ſe in ſtabula, in leprodochia, in graueolentiſſimos angiportus. Remiges in triremibus, ruſticos pagatim, mutos, ſurdos, & quo magis erat quiſquè aliorum deſtitutus ope; eò impenſiùs ipſe quæritabat. Nullus eum contagij metus reuocabat, quin, & in afflatorum peſtifera lue ſeruitium non ſemel ſe tradidit. Rogabat enixe Deum, vt perditiſſimos quoſquè hominum ſibi ſubmitteret expiandos: & habebat tam propitium Numen, vt multos interna quadam impulſione, alios morbis immiſſis, nonnullos voce per Sanctorũ imagines formata inſtigarit. Concionabatur magno ardore, & ſpiritu verè Apoſtolico in Templis, in plateis,in Monaſterijs,quoties erat occaſio,bis, ter, ſæpiùs in die. Omnia Temporis viarumque incommoda vincebat infractus,vſq; ad extremam ætatem. Luſtrauit,incredibili laborum tolerantia diœceſes per Italiam,Firmanam,Capuanam,Nepeſinam, Spoletanam, Aſculanam,Tolentinaté; Auximanam,Amelienſem;Raguſinã in Dalmatia,Conſtátinopolim,& conterminas Thraciæ,Græciæq; oras Vualachiam, Moldauiã,Boſniam excoluit; vbi plurima tulit dictu grauia, perpeſſu aſpera. Ruſſiam deinde,Poloniam,Sileſiã, Bohemiam, Morauiam, Vngariam, Auſtriam peragrauit, Sanctitatis vbique veſtigijs impreſſis. Sardiniam, & Baleares adnauigauit. Algerium, Africæ Vrbem adijt iam ſenio prope confectus, captiuis redimendis. In tot itineribus innumera euaſit pericula non ſine præſentis miraculi argumento. Extremos annos egit Neapoli, noſtris hominibus inſigne factus Apoſtolicæ virtutis exemplar. Sex menſes iacuit lecto affixus, & coactus eſt tandem opera ſocij, quam adhuc conſtanter recuſauerat indigere. Dæmonis, vt ſæpe aliàs, ita hoc etiam tempore tolerauit inſultus. Paulo priùs quàm è vita decederet, brachio arreptum raptauit per conclaue, ac demum ſub lectum detruſit, vbi ſemimortuus deprehenſus, retinebat in ea brachij parte veſtigia apprehenſoris, liuorem bullaſque ſanguineas. Demùm Sacramentis recreatus, cum ſumma animi vultuſque hilaritate, defatigatus magis, quàm ſaturatus,laboribus in Chriſti cauſa perferédis, pacatiſſimè expirauit, die 14. Aug. anno ſalutis 1618. ætatis 81. Societatis aditæ 61. quo ipſo die non paucis ante annis prædixerat ſe moriturũ. Ad funus ingens populi vis affluxit, tanto ſuauiandi,tangendi, vellicandi ſtudio, vt propè à diſcerptione cadauer abeſſet;veſtes omnes direptæ,capilli, & barba reciſa, ægrè ſubductũ violentiæ corpus. Tertio demũ die plumbeo impoſitum loculo inhumatum eſt. Sed paucos poſt menſes, poſtulatu Ciuitatis eductum pone aram maximam depoſitum eſt. Inſtituta vero à Decio Cardinali Caraffa Archiepiſcopo Neapolitano ſolemnis in virtutes, & præclare ab eo facta interrogatio, proceſſuſquè formati. De viri virtutibus dicere,integri voluminis res eſſet. Conſtat fuiſſe tam inſigni innocentia, vt nunquam lethali crimine eam violarit. In Deum tantis ferebatur affectibus, vt vel inuitus prorumperet in gemitus, impotens temperare. Multas orando horas traducebat genuflexus, magna diligentia ad id ſe comparabat: magna viciſſim Diuinæ beneuolentiæ documenta capiebat. Sæpe rapiebatur à terra ſublimis, & fuit cùm in conſpectu multorum, quibuſcum res pias tractabat,ad laqueare vſque conclauis,cum ipſo ſedili, quod inſederat ſubleuatus eſt. Sed in Sacro ſi vſpiam alibi diuina patiebatur. Hic ille gemere, ſuſpirare, vultu inflammari, & æſtuante pectore ne rumperetur,tam altùm mugire, vt Ædes vniuerſa perſonaret; vt cùm temperare nulla vi poſſet, priuatim Sacris operari deinceps coactus ſit. Hæc illi fortaſſe merces operis inſignis, quando Sacram Hoſtiam ab ægro quodam nauſeante ſtomacho regeſtam, ipſe conſtanter, vel abnuente natura cum toto reiectamento reſorbuit. In B. Virginem, ac Cœlites impenſe religioſus fuit. In ſe ipſo diuexando per flagella, per catenata cilicia, per liquatam ceram guttatim in ſua membra ſtillantem planè nimius, niſi diuino ſpiritu ageretur. Vilis illi plerumque, & attrita veſtis, ſupellex tenuiſſima: ipſa ſua ſcripta ſcholaſtica ſtudio paupertatis, dedit in alios diſpenſanda. De Caſtimonia prorſus admirabilis eius laus eſt, tot probata certaminibus, tot victorijs commendata. Eæ nimirum debebantur exactiſſimæ ipſius obedientiæ, cuius eſt victorias parere. Ad hæc, linguis loquebatur, probabat ſpiritus, dæmonia ejiciebat; ſanabat infirmos, quam multa, quam varia, futura præuidit, occulta patefecit, abſentia nunciauit! De Cœlitibus, deque alijs vita functis multa cognouit. Sæpe Chriſtum dominum, ſæpe Dei Matrem, aliquando SS. Ignatium, Borgiam, Agnetem, Cæciliam alioſquè ſpectauit, & allocutus eſt. Viuentis vitaque functi ea fuit apud omnes, quæ magnorum eſſe Sanctorum exiſtimatio conſueuit, & pro publicis illi decernendi honoribus, trium Ciuitatum apud Chriſti Vicarium vnus conatus, & ſtu-

ſtudium eſt. Vitam illius, & res geſtas iuſto volumine complexus eſt noſter Iacobus Celleſius, dedicauitq; Clementi IX. P.M. anno 1668. Scripſit Iulius tot inter alias occupationes permulta, quæ quamuis vulgata typis non ſint, digna tamen viſa ſunt, quorum hic ſyllabus contexatur ad Viri venerationem. Ea ſunt

De Modeſtia, decore, prudentia, in præcipuis operationibus noſtris temporalibus, & ſpiritualibus. Lib. V.

Tractatus de Modo intelligendi Prophetas. Inſtructio Epiſcoporum, Lib. IV. *Inſtructio Sacerdotum. Praxis Diuinæ illuminationis, & præſentiæ Dei*.

De Facie Dei ſecundum Sacras Scripturas. De Ieſu Chriſto Seraphico Crucifixo. De Paſſione Ieſu Chriſti. De Modo concipiendi Aeternitatem.

De Diuina ſapientia, & cognitione Dei per Meditationem.

De Sancto Timore Dei. Meditationes de Myſterijs Miſſæ. Meditationes de S. Euchariſtia. De Modo concipiendi conditionem ſtatus præſentis vitæ, & futuræ. De Ornatu hominis interioris.

De Modo recte faciendi quotidiana opera temporalia, & ſpiritualia. De Modo cognoſcendi ſe, & alios in omnibus rebus, Lib. IV. *Praxis itinerum terra marique. Explicatio aliquot Pſalmorum, & Cantici Te Deum laudamus.*

Concionum Tomi II. Narratio itinerum ſuorum per Turciam. & regiones ſeptentrionales. De Gemmis, vnionibus, vnicorni, balſamo, & ſimilibus, ex Sacra Scriptura, & per occaſionem de Gemmis medicamentis, &c. ex India allatis. De bono Regimine præſertim inter Religioſos.

De Modo bene eligendi in rebus occurrentibus. Inſtructiones pro ijs, qui eunt ad redimendos captiuos, inuiſunt carceres, Triremes. Inſtructiones pro Miſſionibus Societatis. Inſtructiones pro dandis Exercitijs ſpiritualibus in Societate.

Inſtructiones pro Confeſſarijs, pœnitentibus. Tractatus de Caſibus Conſcientiæ difficilioribus. Apprehenſio ſtatus Beatorum, per ſeptem figuras è Sacra Scriptura. De IV. Nouiſſimis ex Sacra Scriptura. De Amore Dei erga hominem, & hominis erga Deum.

De Senſis ſpiritualibus habitis in Miſſa. Hiſtoria vocationis ſuæ, & peregrinationis. Pædopædia, ſeu Inſtructio pro puero recte educando. Diurnale rerum cum ædificatione, quæ illi euenerunt ab anno 1583. vſque ad annum 1589. Imago Sacerdotis celebrantis, cum ſua explicatione, quæ complectitur præcipua beneficia ipſi à Deo collata.

IVLIVS MAZARINVS natione Siculus, patria Panormitanus, ſed Genua oriundus, adoleſcentulus in Sicilia noſtræ ſe Societati dicauit anno ſalutis 1559. ætatis 15. in qua, & excultus ad pietatem, & humanis atque Diuinis Litteris expolitus eſt. Deinde Philoſophiam Panormi, Pariſijs Theologiam docuit; Collegia Genuenſe, & Ferrarienſe Rector, Domum Profeſſam Panormitanam Præpoſitus adminiſtrauit. Studia erexit in Sicilia. In Valle Tellina, quam cum Prælato quodam luſtrauit, multa paſſus eſt ab Hæreticis incommoda. Vir fuit acuto, facili, prompto ad omnia ingenio; multa ſapientia, & cui ſub manu naſcebatur conſilium; oſor otij, laboris, & ſtudij amator ſingularis. Ad concionandum, & populum verborum copia, & elegantia retinendum tamquam à natura formatus. Itaque in præcipuis, ac celeberrimis Siciliæ atque Italiæ Ciuitatibus totos 40. annos de loco ſuperiore verba faciens, magno Auditorum concurſu, & plauſu; immortalem ſibi gloriam, & Societati decus comparauit; vt Bononiæ, vbi annos 16. continenter in D. Petronij Æde, maxima doctiſſimorum hominum approbatione auditus eſt; aſſerere multi non dubitarint, Societatem haud facilè reperturam, qui eius locum impleret. Demum in eadem Vrbe repentina ictus apoplexia, quatriduo extinctus eſt, die 22. Decemb. anno ſalutis 1622. ætatis 78. Religionis 64. Profeſſionis quatuor votorum 24. Scripſit Italice

In Pſalmum Dauidis L. Miſerere, &c. Diſcurſus (Sic enim vocat) *centum*. Romæ typis Zannetti 1600. in 4. Latinos opera Henrici Paludani Minoritæ, & Erneſti Cholini Vvirthij Canonici Colonieñ factos, in quibus ipſius Dauid lapſi, pœnitentis, & ſanctè efflореſcentis ſtatus, ac formas depinxit, & ad viuum expreſſit. Coloniæ 1611. in 4.

Diſcurſus ſuper Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Romæ typis Zannetti 1609. in 4.

Coloſſum Babylonium, tomis duobus quorum prior editus eſt Bononiæ apud Ioannem Roſſum 1619. in 4. Poſterior ipſo iam defuncto poſthumus prodijt Mediolani typis Pontijs & Piccalijs 1625. in 4.

Concionem Panegyricã in laudem S. Agathæ

Inſtructionem Concionatorum laudatam à R. P. N. Claudio Aquauiua Præpoſito Generali in extrema ſua Epiſtola eodem de argumento data ad omnes Prouincias anno 1613.

Sermonum Tomos quatuor ſuper Sermone Domini in Monte. Venetijs apud Ioannem Guerilium 1615. priores duos. Reliqui Bononiæ apud Hæredes Ioann. Roſſi 1618. in 4.

IVLIVS NIGRONIVS natione Italus, patria Genuenſis, vir non ſollum doctus, & ſapiens, vt pote, qui Societati adſcriptus anno ſalutis 1571. ætatis 18. plures annos cum magna ingenij, & eruditionis opinione, Rhetoricæ, Philoſophiæ, Theologiæ, publicè priuatimque tradendæ operam collocauit, & ſtudijs Mediolani præfuit. Collegia Veronenſe, Cremonenſe, Genuenſe rexit; Domum Profeſſam Genuenſem, & ter Mediolanenſem Præpoſitus gubernauit: Sed etiam pius valdè, ac religioſus, quiquè omnes ad Diuinarum rerum amorem ſtuderet pertrahere. Modeſtus imprimis, deque ſuis rebus ſubmiſsè ſentiens, & loquens, nullum carpere ſolitus, nullum acrius perſtringere, ſed vel excuſare ſi poſſet, vel pro ſuo munere ad officium reducere. Vnde, & Noſtris Sacerdotibus in-

ter-

tertia probatione formandis operam dare iuſſus eſt. Tantum ſui deſiderium moriens reliquit, vt oris eius ſpeciem coloribus expreſſam ad memoriam aſſeruari voluerint. Obijt Mediolani cum ibi Præpoſitum ageret die 17. Ianuarij anno ſalutis 1625. ætatis 71. ab inita Societate 53. à ſuſcepta quatuor votorum profeſſione 34. Edita eſt Italicè eius

Oratio dicta Mediolani in laudem B. Caroli Cardinalis Borromæi. die 3. Nouembris 1602.

Oratio Item altera dicta Genuæ, ad Senatum

De Recta gubernatione Reipublicæ in Lucæ Grimaldi Ducis inauguratione die 12. Aprilis 1605. vtraque ſimul prodijt Mediolani typis Pacifici Pontij, & Ioannis Baptiſtæ Piccagliæ 1610. in 4.

Latinè vero edidit

Orationes 25. Mediolani 1608. in 4. & recognitas. Moguntiæ typis Reinhardi Eltz 1610. in 8.

Regulas Communes Societatis Ieſu Commentarijs Aſceticis illuſtratas. Mediolani 1613. & recognitas atque auctas 1616. & Coloniæ apud Ioannem Kinckium 1617. in 4.

Tractatus Aſceticos 17. qui ſparſim prius editi, poſtea aucti, & in vnum collecti prodierunt. Coloniæ apud Ioannem Kinchium 1624. in 4.

Diſſertationem Moralem de librorum amatoriorum lectione, iunioribus maximè vitanda. Mediolani 1622. recognitam verò & auctam typis Ioannis Kinchij. Coloniæ 1630. in 12.

Diſſertationem ſubceſiuam De Caliga veterum. Dilingæ tertio ab Auctore recognitam & auctam apud Vldaricum Rem 1621. in 8.

Hiſtoricam diſſertationem De S. Ignatio Societatis Ieſu Fundatore, & B. Caietano Thianeo Inſtitutore Ordinis Clericorum Regularium. Opuſculum poſthumum. Coloniæ apud Ioannem Kinchium 1630. in 4. & Neapoli 1631. Edidit præterea, ſub nomine Anagrammatico Lucij Horingij

Diſſertationem de Aula, & Aulicifmi fuga Mediolani 1626. Item Italicè ſub nomine Pamphili Landi

Emblema Academiæ Parthemiæ Collegij Romani Societatis Ieſu cum explicatione. Romæ apud Zannettum 1694. in 4.

Extat Tractatus eiuſdem eruditus manu ſcriptus

De Mendicitate Domorum Profeſſarum Societatis Ieſu in 4. Romæ in Archiuio Generali Societatis.

* IVLIVS PALLAVICINVS natione Italus, patria Genuenſis, ſtirpis Patritiæ, Societati nomen dedit Romæ poſtquam in Seminario Romano ſtudijs humanioribus dediſſet operam, anno huius ſæculi 13. ætatis ſuæ 16. & vota 4. ſolemnia poſtea nuncupauit. Theologiam Moralem aliquamdiù docuit; ſed cùm propter infirmitatem oculorum in docendo progredi non poſſet, totum ſe iuuando proximo alijs modis impendit. Rexit Præpoſitus Domum Profeſſam Genuenſem, ad lucra animarum oppidò attentus, & graſſante ibidem lue peſtifera, cum ſe excipiendis confeſſionibus afflatorum expoſuiſſet, correptus etiam ipſe, caritatis victima glorioſe occubuit Ibidem die 11. Iulij anno 1657. Edidit Italicè ſuppreſſo ſuo nomine librum, vti teſtatur Raphael Soprani de Scriptoribus Liguribus, inſcriptum

Cinis Chriſtianus, ſiue Directio fidelium ſtatus ſæcularis ad conſequendam vitam æternam. Genuæ per Ioannem Mariam Tarronum, tribus paruis tomis in 12.

IVLIVS PRISCIANENSIS natione Italus, patria Florentinus, Romæ anno ſalutis 1559. ſedecennis in Societatem venit; vnde ſacris prius initiatus in Germaniam anno 1572. profectus quatuor ibi vota profeſſus eſt, & Ingolſtadij in Sacrarum Litterarum profeſſionem Theodoro Peltano ſucceſſit. Theologiam annos 20. docuit, totidemque Dilingæ Cancellarius Academiæ fuit, & hic etiā eius Collegij Rector. Nobiliſſima omnium fere Religionum Cænobia per Sueuiam, & Heluetiam in priſtinam diſciplinam reſtituit, auctorque Prælatis fuit, vt ſuos Dilingam, ad ſtudia litterarum, & pietatis mitterent, ex quo admirabilis hic fructus exſtitit ob quem à Religioſo ſcriptore Martino Merz in vita Vvilhelmi Rothenſis lib. 1. cap. 1. & c. 6. & lib. 3. cap. 10. appellatus eſt: *Præclarus Religioſorum & Monaſteriorum fautor, & promotor; vir cum primis pius & doctus, integræ vitæ, præclara doctrina, laudabilis & ſacræ Conuerſationis, diuturnum Dilinganæ Academiæ ornamentum; Coryphæus & Princeps fautor Monaſteriorum, & Religioſorum omnium parens*. Obijt Vir omni laude dignus, & candidiſſimi moris Dilingæ anno ſalutis 1607. ætatis 64. Religionis 48. Edidit

Regulas D. Auguſtini cum Commentarijs doctiſſimis Vmberti Generalis Magiſtri Ordinis Prædicatorum, & Hugonnis de S. Victore. Dilingæ

Circumferuntur adhuc hodie per pleraque Sueuiæ Monaſteria, cum magno fructu eius

Meditationes in Euangelia Dominicarum per annum & quotidianæ per Quadrageſimam.

IVLIVS SINIVS natione Italus, patria Forogiulienſis, admiſſus Romæ in Societatē anno à partu Virginis 1603. ætatis 21. ſpiritualis in ea Coadiutoris gradum obtinuit. Miſſiones annos aliquot fructuosè obiuit, & diſciplinæ domeſticæ diù curā geſſit. Obijt Anconæ die 4. Octobris anno 1626. Collegit, edíditque Italicè, tacito ſuo nomine

Deuotiones exerceri ſolitas in Sodalitate Opificum, inſtituta in Collegio Anconitano Societatis Ieſu. Anconæ apud Cœſarem Scocciopam 1621. in 24.

IVLIVS SOLIMANVS natione Italus, patria Firmanus, Societati adſcriptus Romæ anno ſalutis 1613. ætatis 18. votorum 4. profeſſionem emiſit. Rhetoricam docuit quadriennio;

nio, Philoſophiam Pragæ, Theologiam Firmi publicè explicuit, vir omni ſcientiarum genere excultus. Obijt Romæ 14. Maij anno 1639. ætatis 44. ab inita Societate 26. Edidit

Orationes aliquot, vnam *de S. Norberto*, alteram *de S. VVenceslao*; *duas in Studiorum inſtauratione recitatas*. Pragæ annis 1625. & 1626. quarum argumentum eſt *De Bohemorum ad eloquentiam ingenio*. Pragæ typis Pauli Seſſij 1626.

Elogia Ducum, Regum, Interregũ, qui Bohemiæ præfuerunt, addita ſingulorum effigie. Pragæ typis Pauli Seſſij 1629. in 4.

Sub nomine vero Collegij Pragenſis Edidit

Conſtantinum Victorem, Hilarem Tragædiam. Pragæ typis Seſſij 1627. in 8.

Bohemiam exorientem, Gentilem, Chriſtianam, piam, Bellicoſam, Regnantem, Imperantem, Auſtriacam, Ferdinando III. concinnatam. Pragæ typis iiſdem 1627. in fol.

* IVLIVS VASCVS natione Italus, patria Monteregalenſis in Pedemontio, natus anno ſæculi voluentis 40. Societati ſe addixit 1657. & votorum 4. ſacramentum ſolemne dixit. Rhetoricam in ea triennio explicuit. Philoſophiam Ticini tradidit, & nunc denuò illam Taurini profitetur. Edidit hactenus tacito ſuo nomine latinè

Orationem habitam in ſolemni inauguratione Nouarienſis Academiæ Principis D. Sylueſtri Menati. Nouariæ apud Caſciam 1664. in 4. Italicè verò

Niceam, feſtiuo cultu nitentem, ſeu *Relationem de aduentu Regiæ Celſitudinis Caroli Emmanuelis Ducis Sabaudiæ in illam*. Niceæ apud Romerum 1666. in 4.

Planſum Virtutum in Exequijs Taurini celebratis Illuſtriſſimi, & Excellentiſſimi Comitis Philippi Sammartini d'Agliè. Taurini apud Zopatam 1667 in 4.

Solemnitatem Auguſtæ Taurinorum, occaſione electionis Magni Apoſtoli Indiæ S. Franciſci Xauerij in Patronum. Taurini iiſdem typis 1668. in 4.

Hortos Heſperidum, ſeu Narrationem de apparatu Vniuerſitatis Braidenſis Mediolani, quando exceptus in ea eſt Eminentiſs. Cardinalis Vitalianus Vicecomes Borromæus, Mediolani apud Montiam 1668. in 4.

Triumphum Virginis Immaculatæ in ſua Conceptione celebrata in Regia Vrbe Ticinenſi. Mediolani apud Malateſtam 1672. in 4.

Parat typis, *Deſcriptionem Regij funeris Caroli Emmanuelis Secundi Sabaudiæ Ducis*. in folio.

IVLIVS VRSINVS natione Italus, patria Romanus ex nobiliſſima Comitum Petilianorum proſapia, ingreſſus in Societatem anno 1596. ætatis 22. cùm eam angelicis moribus, egregia ſui demiſſione, atque inſigni in Deum pietate illuſtraſſet, relicta de ſe ſingulari ſanctitatis opinione deceſſit, Florentiæ die 9. Decembris anno 1620. vota 4. ſolemnia profeſſus. Sunt qui affirmant ſe illum vidiſſe inter orandum multis cubitis ſublimem à terra. Scripſit Italicè

Vitam S. Franciſcæ Romanæ, quam Paulus V. Pont. Max. in ſanctorum numerum retulit anno ſalutis 1608. Romæ apud Bartholomeum Zannettum 1608. in 4.

IVSTVS RABVS natione Polonus patria Cracouienſi ex opulenta & peruetuſta Raborum familia. Is adoleſcens ab Hæreticis parentibus ipſe quoque Hæreticus VVittembergam, Lipſiam, Argentoratum, Gedanum, Academias Hæreticas ſtudiorum perfidiæque roborandæ cauſa, à ſuis eſt miſſus, quo in itinere Lutetiam Pariſiorum delatus, Ioannis Maldonati noſtri lectionibus de fidei controuerſijs auditis, factus Catholicus, Romam abijt, & vt aliorum quoque ſaluti conſuleret Societatem ingreſſus eſt anno ſalutis 1569. Quod autem multarum diſciplinarum egregiè peritus erat ab ipſo fere in Societatem ingreſſu ad docendum adhibitus eſt; & Lutetiæ primum mox Braunsbergæ, Vilnæ, Poſnaniæ, Lublini Claudiopoli, Rhetoricam, Sacram Scripturam Theologiam Moralem, & Controuerſam, totos 20. annos explicuit. Eccleſiaſten ſimul diu egit cum ingenti approbatione fructuque; Lublini certè Czechouicum Miniſtrum Arianum poſitis de Petri Primatu Theſibus ad certamen vocatum publicè ita exagitauit, atque ad infantiam redegit, vt prorſus obmutuerit. In Valachiam inſtituta miſſione poſtulatu Petri Principis Moldauiæ grauiſſimas moleſtias toto triennio conſtanti animo tolerauit. Exinde nauigauit in Sueciam, cum Sigiſmundo III. Poloniæ Rege cui à Concionibus erat & à Confeſſionibus, dicebatque quando ita res ferebat nõ Latinè ſolum Græcè, ac Polonicè, ſed expeditè quoque Germanicè, Italicè, & Gallicè. Redux è Suecia accerſitus eſt à Bernardo Cardinali Marcicioulo Archiepiſcopo Gneſnenſi, Regni Primate apud quem Confeſſarij, Concionatoris, Theologi partes ſic egit, vt in Aula ſe verum Societatis alumnum probaret. Ad extremum iam ſenio grauis, præfuit Collegio Cameneccenſi magno virtutum exemplo, vbi Hæreticis oppugnandis, Catholicisque fouendis ſe ſtrenue, ſcriptis etiã lucubrationibus impendit. Tandem cum fractis viribus ſacrificare iam amplius non poſſet, quotidie ſacro epulo paſcebatur; donec plenus dierum & meritorum ad Deum migrauit Cracouiæ Calendis Aprilis anno ſalutis 1612. prope ſeptuagenarius, expletis in Societate annis 43. & vota 4. profeſſus ab anno 1587. Edidit Polonicè

Antidiatribam, ſeu Refutationem Diatribæ qua Caluinianus quidam Miniſter, Euangelicos cum Catholicis componens, peſtifera dogmata ſpargebat in vulgus. Cracouiæ 1610. in 4.

Biblia ſacra Polonicè reddidit

LÆLIVS

LÆLIVS BISCIOLA natione Italus, patria Mutinenſis, puer admodum vnacum Ioanne Gabriele germano fratre natu maiore Societatem noſtram expetiuit, & demum anno ſalutis 1555. die 25. Martij à S. P. Noſtro Ignatio, Romæ admiſſus eſt. In Societate optimæ indolis ſpecimen dedit, & virtutibus, & diſciplinis egregiè excultus eſt. Itaque, & Græcas litteras, & Artem dicendi, & Quæſtiones de moribus, & Theologiam Scholaſticam, & Sacras litteras profeſſus eſt, & frequentibus populum concionibus, ad pietatem inflammauit, & propter prudentiam cum lenitate, & benignitate coniunctam, multis Collegijs noſtris præfectus eſt. Obijt demum grandi ætate Mediolani, die 10. Nouembris anno ſalutis 1629. ab emiſſa profeſſione quatuor votorum 51. Scripſit

Horarum ſubſecinarum, hoc eſt *Rerum in omni Philologiæ genere Excellentium tomos II. quorum prior continet, libros* 20. Ingolſtadij apud Adamum Sartorium. 1611. in fol. Poſterior continet lib. 17. Coloniæ apud Antonium Hierachum 1618. in folio

Obſeruationum Sacrarum. Libros 12.

Digreſſionum in Euangelia Matthæi, & Ioannis; item *in Epiſtolas Pauli ad Romanos, Galatas, & Hebræos. Lib. 4.*

Italicè quoque ſub nomine D. Pauli Bisciolæ fratris ſui, edidit

Dialogum de bono Peregrinationis.

Dialogum de bono Mortis.

Diſcurſus Chriſtianos, & Morales Tom. II.

Librum Comparationum, & ſimilitudinum pro Concionatoribus.

Diſcurſus tres ſuper Epiſtola Baruch Prophetæ, ad Hebræos captiuos in Babilonia. Comi per Balthaſarem Arcionem 1620. in 8.

LÆLIVS TOLOMEI natione Italus, patria Senenſis, patritiæ familiæ, poſthabitis Cruci Chriſti mundi illecebris, quibus abundabat, Societatem amplexus eſt, Neapoli anno ſalutis 1587. ætatis 22. & Iuris vtriuſque doctorali laurea, iam tum donatus, Profeſſionem votorum quatuor in ea edidit. Theologiam Moralem aliquamdiu docuit, tum concionibus habendis applicatus, primarias Italiæ Ciuitates fructuosè ſpargendo Verbum Dei obiuit. De inſigni illius eloquentia, doctrina, prudentia, & ſermonis affabilitate, nobile elogium texuit R. P. Fr. Iſidorus Vguergieri Azzolini Ven Ordinis Prædicatorum in Pompis Senenſibus tit. 15. num. 35. Migrauit ex hac vita, vbi eam ingreſſus fuerat, Senis, die 9. Nouembris 1652. Edidit Italicè

Concionem de S. Maria Magdalena, dictam Romæ anno ſalutis 1611. ibique impreſſam 1612.

Et ſuppreſſo nomine ſuo

Monita ad bene moriendum, data pro Concione Taurini, & excuſa Genuæ 1607.

Libellum de Deuotione erga S. Mariam Magdalenam

LÆVINVS SANDERVS natione Belga, patria Gandenſis, natus anno 1588. Societatem inijt 1607. & votorum quatuor profeſſionem emiſit. Docuit annos duodeuiginti Theologiam Moralem. Vir egregiè doctus, & apprimè Religioſus, denatus eſt in patrio ſolo Gandaui, die 5. Decembris 1643. Scripſit elegantes, & eruditas, nec ſine plauſu dictas Gandaui

Orationes in Laudem Beatiſſimæ Virginis Mariæ

LAMBERTVS AVER natione Germanus, patria Papembergenſis (vel, vt Sacchinus Hiſt. part. 4. lib. 1. aſſerit) Rutemburgenſis, ex Comitatu Tirolenſi, adoleſcens ſe Chriſto in Societate noſtra conſecrauit Ingolſtadij anno ſalutis 1551. inter primos nationis Germanicæ, qui Societati naſcenti nomen dederunt. Philoſophicas, & Theologicas ſcientias noſtro in Collegio Romano didicit, & vnus cum Benedicto Pererio delectus ex omni numero eſt, qui de Theologicis rebus Poſitiones in prima generali Congregatione anno 1558. publicè tueretur. Primus fuit Collegij Moguntini, anno 1561. inſtituti, Rector, vbi etiam votorum quatuor profeſſionem emiſit 1563. Danieli Archiepiſcopo atque Electori, fundatori, mirum in modum gratus. Erat enim vir humilis, deuotus, ſincerus, & omnibus virtutibus ornatus, in quo ſplendebat maximè ardens Dei gloriæ zelus, & ſingulare ad Hæreticos, vel frænandos, vel ad Fidem Catholicam conuertendos ſtudium, animique contentio. Ea propter Commendonus Pontificius per Septentrionis oras Legatus, eum vnà ſecum circumduxit; adiutore illo ad regendos familiæ mores, & in rebus Religionis, quas Hæretici reuocarent in controuerſiam, diſputatore vtens. Diſputauit in ea peregrinatione non rarò Lambertus cum Sectarijs; ſed apud Marchionem Brandeburgenſem inſigniter. Is vicina ex Academia, Theologos, quos cum Lamberto committeret, euocauit. Super menſam fere diſputabatur. Sed eos libris ſuccinctos, ex improuiſo, inermiſquè deprehenſus, ita redarguebat, vt identidem muti, & tamquam ſtupefacti ſe inuicem aſpectarent. Nimirum vibrabat ille grauia rationum tela, ineuitabili ictu; ita vt Marchio ipſe apud Legatum in diſceſſu profiteretur, relinqui ſe multis confixum aculeis, quos Ieſuita inieciſſet. Sed dum nomine Præpoſiti Prouincialis, Prouinciæ Rheni ad Congregationem Generalem proficiſcitur in qua Sancto Franciſco Borgiæ ſubrogatus eſt, anno 1573. Euerardus Mercurianus, magno omnium

do ſore, vix finita electione extinctus eſt, Romæ, in Domo Profeſſorum 4. Nonas Maij ætatis anno 40. Scripſit eruditas

Aſſertiones Theologicas ex Sacris Biblijs, & Controuerſiis, & Iure Canonico, & Theologia deſumptas, quarum aſſenſioni præſedit. Viennæ Auſtriæ. In Ædibus Collegij Cæſarei Soc. Ieſu 1560. in 4.

LAMBERTVS MOLÆVS natione Belga; patria Leodienſis, ingreſſus Societatem anno 1611. ætatis 17. profeſſionem in ea votorum quatuor edidit. Philoſophiam octennio docuit Duaci. Collegium Bethunienſe rexit; vir magno zelo, & prompta de omnibus bene merendi voluntate. Dum primariam Deiparæ Sodalitatem Leodij dirigeret, omnibus religioſæ vitæ officijs conſpicuus deceſſit, die 17. Septembris 1644. Edidit Gallice tacito ſuo nomine

Breuiarium, ſeu Praxim legendi vtiliter horas maximè pro Canonicis, & Monialibus lingua Latina ignaris. Leodij typis Ioannis Ouvverx. 1633. in 12.

LANCELLOTVS MARIN natione Gallus, patria Campanus, diœceſis Rhemenſis, Societati ſe adiunxit anno Domini 1584. ætatis 17. Domum Probationis Pariſienſem primus rexit, deinde Rothomagi idem præſtitit, vt per octennium Tirones ad omnem pietatem informarit, ſpiritualium Coadiutorum albo adſcriptus. Eius precibus atque curis acceptam referunt fundationem tirocinij Pariſienſis. Hic obijt Cadomi, die 10. Septembris 1630. Scripſit Gallicè

Breues in totum annum Meditationes, Rothomagi

LAVRENTIVS ANDERTONVS natione Anglus, patria Lancaſtrenſis, ad Societatem ſe aggregauit anno ſalutis 1604. ætatis ſuæ 28. & votorum quatuor profeſſionem emiſit. In vinea Anglicana quadraginta annorum ſpatio gnauiter, & fructuosè laborauit, a prudentia, doctrina, morum ſuauitate, alijſque virtutibus multùm commendatus, ideoque non paucis, etiam Heterodoxis pergratus. Noſtris in diſtrictu quodam diu præfuit; tandem calculi doloribus oppreſſus, ad laborum ſtipendia in Cœlum (vt ſperamus) inde euolauit, die 17. Aprilis 1643. Edidit Anglicè tacito ſuo nomine, libros de Controuerſijs inſcriptos

Funiculus triplex, quo Fidei capita demonſtrantur ex S. Scriptura, Expoſitione Patrum, & ipſorummet Proteſtantium. Audomari 1634. in 4.

Progenies, ſeu Origo Catholicorum, & Proteſtantium, quo continuata ſeries Catholicorum à Chriſto, Proteſtantium antiquitas nulla oſtenditur. Rothomagi typis Nicolai Courrant 1634. in 4.

Vnus Deus, vna Fides, præfixis litteris VV. B. 1625. in 8.

LAVRENTIVS ARTVRVS FAVNTEVS natione Anglus, patria Lancaſtrenſis, nobili genere ortus. Louanij cum verſaretur profugus è patria, ob intentatas ſibi propter Fidem perſecutiones, & ibi Logicæ nauaret operam, animum applicuit ad noſtram Societatem, in eamque anno ſalutis 1570. ætatis 18. admiſſus eſt. Poſtquam ibi Artem dicendi, ac Philoſophicas diſciplinas, Romæ verò Theologicas didicit, confectis ſtudijs in Poloniam miſſus, magnam toto in Regno Poloniæ exiſtimationem conſecutus eſt, ab inſigni vitæ, probitatis, & præclara eruditionis opinione commotam. Poſnaniæ triennio linguam Græcam profeſſus eſt; nouennio Theologiam Moralem, & Polemicam de Controuerſijs Fidei explicuit. Demum obijt doctiſſimus Pater Vilnæ, die 28. Februarij 1591. emiſſa paulo ante votorum quatuor profeſſione, cùm 21. annos ferme religiosè pieque in Societate exegiſſet. Lucubrationes, quæ ab ipſo litteris mandatæ prodierunt, in lucem, ſunt hæ:

De Chriſti in Terris Eccleſia; quænam, & apud quos exiſtat. Libri 3. Poſnaniæ per Ioannem Vvolrabum 1584. in 4.

Contra Antonium Sadeelem Caluiniſtam lib. 3.

Theſes de varijs Fidei controuerſiis, videlicet

De Chriſti Eccleſia

De D. Petri, & Romani Pontificis ſucceſſoris eius, in Eccleſia Chriſti Principatu

De Sanctorum inuocatione, & veneratione,

De Lutheranorum, & Caluiniſtarum oppugnatione, & Catholicæ Euchariſtiæ defenſione. Omnes Poſnaniæ typis Vvolrabi ab anno 1580. vſque ad 1590.

De Ordinatione, & vocatione Miniſtrorum Lutheranorum, & Caluiniſtarum eorumquè Sacramentis. Ibidem

Apologia Theſium de Inuocatione Sanctorum, contra Danielem Toſſanum Sacramentarium. Coloniæ typis Birchmanni 1590.

Apologia item Theſium oppugnationis Cœnæ Lutheranæ, & Caluinianæ, contra eundem Toſſanum. Typis Vvolrabi 1590.

Oratio habita in Synodo Petrocouienſi Prouinciali. De Cauſis, & Remedijs Hæreſeon. Edidit inſuper tacito ſuo nomine

Tractatum de Controuerſiis inter Ordinem Eccleſiaſticum, & ſæcularem in Polonia 1592. in 4.

LAVRENTIVS BARTILIVS natione Polonus, patria Tornauicenſis, Societati adſcriptus anno Domini 1585. ætatis 16. votorum quatuor profeſſione ſe obſtrinxit. Vir tam mitioribus, quàm ſeuerioribus diſciplinis inſigniter excultus, Philoſophiam, & Theologiam, tum Moralem, tum Polemicam diu profeſſus eſt. Gubernauit Tirocinium Vilnenſe & Collegium Pultouienſe annis 13. Inſtructor fuit Patrum in probatione tertia ſeptennio, tractandarum animarum, peritiſſimus magiſter. Tandem dum Prouincialem ageret

ret Lithuaniæ obiretque Prouinciam, deceſſit cum magna opinione ſanctitatis, Smolenſci, die 28. Auguſti 1635. Vir fuit abſolutæ perfectionis, cui idem ſemper fuit in omnibus caſibus vultus, & immutata in pijs exercitationibus per totam vitam conſtantia. Dum Prouinciam, aut Collegia regeret, non admittebat adiutorem, qui curaret cubiculum, dicendo, humilia officia nunquam eſſe deponenda. Monitus à quopiam, vt remitteret valetudinis cauſa aliquid de labore, neque ipſe per ſe exhortationes haberet ad Socios, cum Prouincialis eſſet, reſpondit: Vtique,ſtantem Imperatorem decet mori. In ſe perquam ſeuerus, corpus ſuum ieiunijs, flagelliſquè atterebat,in alios lenis, & ſuauis, licet exactam legum noſtrarum obſeruantiam, dum præerat, à ſingulis exigeret. Octiduo quo ante mortem celebrare nequiuit,ſingulis diebus Sacra Synaxi ſe refecit, die autem mortis cum ſedens in lecto Sacram hoſtiam ſumpſiſſet, inclinato capite verſus Chriſti Crucifixi effigiem per plures horas meditabundus hæſit, vetans ſe à quopiam interpellari, atque ita placidiſſimè efflauit animam. Edidit Latinè

Officia de S. Michaele Archangelo, Angelo cuſtode, & alijs Angelicis Spiritibus in 16.

Polonicè præterea

Modum recitandi Coronam B. Virginis

Modum rite Confitendi, & Communicandi

Alphabetum ſpirituale,

Officium probi pueri. Remedia con̄ Luxuriam.

Reliquit etiam conſcriptam: *Praxim omnium virtutum*, quæ licet edita non ſit, circumfertur tamen deſcripta,ad vſumTironum valde accommodata.

LAVRENTIVS BOIERVS natione Suecus, patria Stockolmenſis, Poeta Laureatus admiſſus in Societatem Cracouiæ, anno ſalutis 1587. ætatis 24.Rhetoricam & humaniores litteras nouennio in ea profeſſus eſt; Matheſim triennio, Controuerſias de Fide biennio, ſpiritualis Coadiutor formatus. Mortalitatē exuit Braunsbergæ die 13.Februarij 1619. Scripſit multa verſu, ſed ea aut ſuppreſſo nomine, aut alieno vulgauit. Extat inter alia eius Poemata

Carolo-Machia Lib. 3. Seu Victoria Auſpicys Sigiſmundi III. Regis Poloniæ de Carolo Sudermanniæ Duce anno 1605. in Liuonia relata. Vilnæ typis Academicis 1606. in 4. Item eius eſt

Pompa Caſimiriana, ideſt *Celebritas qua Imago Sancti Caſimiri* ex Vrbe Vilnæ illata eſt, Heroico poemate deſcripta. Brunsbergæ in 4.

* LAVRENTIVS LE BRVN natione Gallus, gente Brito, patria Nannetenſis,adlectus in Societatem anno à partu Virginis 1627. ætatis 20. vota 4. ſolemnia emiſit.Artem Eloquentiæ & amæniores diſciplinas aliquot annos profeſſus eſt, & Eccleſiaſten decennio egit; Collegio Conuictorum Pariſienſi, diu præfuit. Morti proximus feliciſſimum ſe dixit; quod Chriſtianus, quod ſeruus B. Virginis, quod filius Societatis moreretur. Migrauit ex hac vita ad meliorem (vti ſperare fas eſt) Pariſijs in Domo Profeſſorum Calendis Septembris 1663. Edidit Latinè

Adoleſcentiæ Sanctæ ſpeculum in Vita Alexandri Berty. Rothomagi 1646. in 12. Recuſum Pariſijs. *In Iuuentute Sancta* 1664.in 4.

Eccleſiaſten Salomonis, Poëtica Paraphraſi explicatum. Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoiſy 1653. in 8.

Eloquentiam Poëticam, ſeu Præcepta Poetica exemplis illuſtrata. Pariſijs apud eundem Cramoiſy 1655. in 4. quibus acceſſerunt,

Figuræ Poëticæ, ſeu loci communes eloquentiæ Poeticæ. Eodem volumine. Edidit etiam

Virgilium Chriſtianum, ſiue Poema Heroicum de S. Ignatio. Pariſijs apud Simonem Pigne 1660. in 4.

Iuuentutem Sanctam varijs opuſculis ad inſtitutionem Iuuentutis conſtantem. Pariſijs typis Cramoiſianis 1664. in 4.

* LAVRENTIVS DE CELLIERES natione Gallus, patria Sandeſiderienſis, in Velaunis, natus anno ſæculi voluentis 30. Deo ſe in Societate dicauit 1645. & votorum quatuor ſacramentum ſolemne dixit. Rhetoricam, & politiores litteras docuit in ea annis vndecim; Philoſophiam ſexennio; Matheſim quinquennio; ſuperſtes in Prouincia Lugdunenſi. Edidit hactenus

Artem Metricam, ſeu Verſuum condendorum. Lugduni apud Antonium Molin 1673. in 12.

LAVRENTIVS CHIFFLETIVS natione Gallus, patria Biſuntinus, in Sequanis, vir multiplici eruditione præſtans; annos natus 19. acceſſit ad Societatem anno ſalutis 1617. & vota quatuor profeſſos eſt. Humaniores litteras in ea quinquennio docuit; Philoſophiam biennio; & Sacras litteras, etiam biennio eſt interpretatus. Natus, ac factus videbatur ad prima pietatis ſemina in puerorum animis iacienda, vnde totus erigendis, & dirigendis, & fouendis Catechiſmis diu incubuit. Non tamen hic ſtetit eius ardor, & Zelus, ſed ad infirmos, ad milites, ad pauperes omnes latè ſe explicuit. Erga Beatiſſimam Virginem ſingulari ferebatur venerationis affectu, & eundem alijs omnibus accedentibus ad ſe imprimere conabatur. Septies per diem, pronum ſe ſternebat in terram, vt peccatoribus ſcelerum ſuorum veniam impetraret. His & alijs ornatus virtutibus, atque Eccleſiæ Sacramentis ritè communitus ſpiritum Deo reddidit Antuerpiæ, die 9. Iulij 1658.

Edidit Latinè, & Gallicè

Ideam præcipuorum actuum ad inuocandam miſericordiæ Matrem. Bruxellis Typis Lucæ Meerbeci 1640. in 16.

Tranſtulit ex Hiſpanico Ignatij Staffordi noſtri in Gallicum

Hiſtoriam miraculoſæ curationis, cœleſtis vocationis, Miſſionis Apoſtolicæ, & glorioſæ mortis P. Marcelli Franciſci Maſtrilli ex Soc. Ieſu. Duaci typis Balthaſaris Belleri 1640. in 8.

Panegyricas Epitomes præcipuarum laudum SS. Ignatij, & Xauerij, ex Italico Latinè redditas. Bruxellæ 1649. in 16,

Edidit Gallicè

Pſalterium B. Mariæ. Bruxellis 1654. in 12.

Doctrinam Chriſtianam. Antuerpiæ 1654. in 12.

Coronam Roſarum B. Virginis Antuerpiæ 1654. in 12.

Exercitia infirmorum. Ibidem 1654. in 12.

Praxim Deuotionis. Ibidem 1656. in 12.

Praxim Exercitij. Ibidem 1658. in 12.

Collectionem compendiariam, Operum ſpiritualium. Ibidem 1648. in 16.

Perfectam conſociationem Eccleſiæ militantis, & patientis. Tornaci apud Adrianum Quinquè 1642. in 12.

Catechiſmum primæ Communionis puerorum, qui in varias linguas verſus, latè diſſeminatus eſt 1647. in 12.

Grammaticam Gallicam. Antuerpiæ 1659. in 8.

Lapidem Lydium optimè inuocandi B. Virginem. Ibidem 1649. in 12.

Officium, & Actus inuocandi S. Ioſephum. Ibidem 1640. in 12.

Praxim examinis Conſcientiæ. Ibidem 1649. in 12.

Praxim bene Communicandi. Ibidem eodem anno, & forma

Methodum recitandi Roſarij. Pariſijs apud Seb. Cramoiſy 3636. in 8.

* LAVRENTIVS CHRYSOGONVS natione Dalmata, patria Spalatrenſis, natus annos 17. Societati ſe aggregauit anno ſalutis 1607. & Philoſophicis, ac Theologicis ſtudijs bene excultus, Eccleſiaſten egit emiſſa votorum quatuor profeſſione, & per 24. annos magno feruore, ac fructu ad populum dixit. Ardentiſſimus fuit Magnæ Matris amator, & cultor, & vbi occaſionem nanciſcebatur præſertim ad Sodalitates Parthenias, quas diu direxit, eiuſdem facundus panegyriſta fuit. Vir placidus moribus, comis affatu, genio religiosè amæno, & omnibus grato, laborum mercede donandus; Obijt Tergeſti, die 24. Martij 1650. Edidit in laudem D. Virginis

Mundum Marianum, ſeu Mariam ſpeculum Diuinitatis. Tom. 1. Viennæ typis Matthæi Coſmerouij 1646. in fol.

Mundi Mariani. Tom. 2. ſeu *Mariam ſpeculum Mundi Cœleſtis*. Patauij 1651. in folio

Adornabat, & tertium Tomum, ſed mors abſoluere non permiſit.

* LAVRENTIVS FINICHIARVS natione Siculus, patria Catanenſis Societati nomen dedit anno ſæculi labentis 25. ætatis ſuæ 16. & votis 4. ſolemnibus ſe adſtrinxit. Artem eloquentiæ Rhetores noſtros ſexennium docuit. Concionatoris munere multis annis functus eſt. Rexit Collegia Enneuſe, & Thermitanum; modo ſuperſtes in Collegio Catanenſi promouet ſalutem animarum. Edidit Italicè

Vitam, & res geſtas P. Bernardi Colnagi Societatis Ieſu. Panormi formis Ioſephi Biſagni 1653. in 4. Latinè reddidit Io. Paulinus noſter.

Laudes S. Georgij Martyris. Typis ijſdem 1658. in 4.

LAVRENTIVS FORERVS natione Germanus, gente Heluetius, patria Lucernenſis adoleſcens 20. natus annos Societatem complexus eſt, in qua per omnes ſcientiarum gradus ad inſignem doctrinam euaſit, ingenio, & iudicio præſtans, & vota 4. ſolemnia profeſſus. Philoſophiam ſexennio docuit, Theologiam Moralem triennio, Polemicam etiam ſexennio explicauit, & Academiæ Dilinganæ Cancellarius aliquot annis fuit. Rexit Collegium Lucernenſe, & Celſiſſimo Epiſcopo, ac Principi Auguſtano viginti, & ſeptem annis fuit à ſacris Confeſſionibus. Romam à Prouincia Procurator miſſus eſt, & poſtea Congregationi Generali octauæ elector interfuit. Vir Diuinæ gloriæ proferendæ maximè cupidus, & hæreſum profligandarum incredibili zelo ſuccenſus, à quibus confutandis calamo, quoad licuit per valetudinem nunquam ceſſauit, vt meritò Malleus Hæreticorum poſſit appellari. Hinc Sectarijs formidini, Catholicis amori, ipſis etiam Principibus, Imperatoribus, & Pontificibus in pretio fuit. Societatem vt matrem tenerrimè amabat. Deo addictiſſimus, otij hoſtis, etiam in ſenili ætate flagris à ſe non abſtinens, cum ſeptuaginta & octo expleſſet annos, facto vt ſolebat ſacro, dum paucas poſt horas ſtans, vt quidpiam elucubraret, apoplexia tactus ſubſedit, & occurrentibus domeſticis inter eorum manus expirauit, Ratisbonæ die 7. Ianuarij 1659. Operum quæ edidit ſyllabus eſt, qui ſequitur:

Symbolum, Catholicum, Lutheranum, Caluinianum, cum Apoſtolico collatum. Dilingæ 1622. in 4. apud Valerium Rem.

Vindiciæ ſymboli Lutherani aduerſus Melchiorem Nicolai Tubingenſem Profeſſorem. Dilingæ 1628. in 8.

Aranea Tubingenſis ſtylo veritatis deiecta. Ibidem apud Rem 1624. in 4.

Patrocinium votorum, contra Prædicantem Tubingenſem. Ibidem 1623. in 4.

Lutherus Thaumaturgus. Dilingæ 1624. in 8.

Septem Characteres Reformatorij Germaniæ Martini Lutheri. Ibidem 1626. in 8. Acceſſit

Auctarium contra Prædicantem Lutheranum fugitiuum ex Auſtria.

Bellum Vbiquiſticum vetus, & nouum, inter ipſos

ipſos Lutheranos bellatum. Ibidem 1627. in 12. apud Erhardum Lochner

Abſterſio Fuliginis contra Keslerum Prædicantem pro *Bello Vbiquiſtico*. Dilingæ apud Gaſparem Sutorem 1631. in 12.

Par nobile Fratrum, ſeu *Caſtigatio Thumnij*, *& Zeamanni*, *calumniantium Auguſtam Domum Auſtriacam*. Ibidem 1628. in 12. apud Lochner

Pupulæ Cataplaſma. Ibidem 1630.

Rubigo Keſtoriana. Ibidem 1631.

Notæ ſuper Concione Doctoris Noë Lutherani in Conuentu Principum Lipſienſi habita

Viridarium Philoſophicum, ſeu *Diſputationes de ſelectis in Philoſophia materys*. Dilingæ typis Vdalrici Rem 1624. in 4.

Anatomia Anatomiæ Societatis Ieſu, ſiue *Ant-Anatomia infamis libri*, cuius titulus eſt *Anatomia Societatis Ieſu*. Oenipontе apud Ioannem Gachium 1634. in 4.

Mantiſſa Ant-Anatomiæ Ieſuiticæ, *Oppoſita famoſis contra Societatem Ieſu libellis*, quorum tituli ſunt I. *Myſteria Patrum Societatis Ieſu*. II. *Conſultatio Fr. Iuniperi de Ancona Minoritæ*. III. *Fr. Ludouici Soteli relatio de Eccleſiæ Iaponicæ ſtatu*. Oenipontе apud Ioannem Gachium 1635. in 4.

Grammaticus Proteus, *Arcanorum Societatis Ieſu Dædalus*, *dedolatus*, *& genuino ſuo vultu repræſentatus*. Acceſſit

Auctarium animaduerſionum in Gaſparis Scioppij Eccleſiaſticam Aſtrologiam. Ingolſtadij apud Gregorium Henlin 1636. in 8.

Appendix ad Grammaticum Proteum; *Quid de relatione Alphonſi de Vargas ſit ſentiendum*. Ibidem eodem anno in 8.

Compoſitio pacis Auguſtanæ, *Quæſtionibus illuſtrata*, quæ ſub Iuriſconſultorum quorundam nomine prodijt. Dilingæ 1639. illi à nonnullis tributa eſt. Verùm ipſe in Appendice ad Grammaticum Proteum, negat ſe illius Authorem eſſe

Atque hæc quidem Latina, Germanica verò ſunt

Contra pupillam Saxonicam, ſub Epigraphe *Quis vitulo cecidit oculum?* ſed ficto nomine. Dilingæ 1624. in 4.

Defenſio eiuſdem ſcripti; ſub titulo *Id moueat Vaccæ riſum*. Ibidem 1630. in 4.

Contra defenſores Pupillæ Saxoniæ, Pars I. ſub titulo, *Nihil conducit oculis*. Ibidem apud Gaſparem Sutorem 1631. in 4.

Contra eoſdem Pars II. inſcripta *Ex nihilo nihil fit*. Dilingæ 1631. in 4. apud eundem

Oleum Nihili contra eoſdem 1638. in 4.

Apologeticus contra Libellum famoſum cui titulus duplex, nempe, *Flagellum Ieſuiticum*; *& Actio perduellionis in Ieſuitas*. Monachij 1633. in 4.

Anti-Melander, aduerſus Philoxenum Melandrum, Auctorem *Flagelli Ieſuitici*.

Alter item *Libellus* aduerſus eundem inſcriptus *Philoxeni Melandri Kunſt-Cammer*, ſeu *Technophylacium* Monachij apud Nicolaum Henricum 1633. in 4.

Catechiſmus P. Georgij Schorer recenſitus, *& auctus*. Dilingæ 1630.

Vita Ieſu Chriſti, *ex IV. Euangelijs explicata*, Pars I. Monachij apud Nicolaum Henricum 1637. in 8. Pars altera 1640.

Sub nomine Thomæ Viti edidit Latinè, & Germanicè

Laqueos Lutheranos. Dilingæ 1622. Eiuſdem ſunt etiam

Defenſio Catholicæ Eccleſiæ aduerſus Petri Molinæi librum de Nouitate Papatus

Refutatio II. Diſputationum Prædicantis Lutherani Tubingenſis contra Vindicias ſymboli Lutherani

Manupretium Oppugnati Manualis Floreriani, *Melchiori Nicolai Tubingenſi Prædicanti numeratum*, *& depenſum*. Dilingæ formis Academicis 1641. in 8.

Manuale Lutheranorum. Dilingæ ſine anno in 8.

Vmbella fatuo Lumini accenſa. Lucernæ 1650. in 8.

Colloquia contra Prædicantem Tigurinum. Lucernæ 1650. in 8.

Suſpiria Cordis ex Meditationibus vitæ Chriſti. Ambergæ 1654. in 8.

Anti-Molinæus, *contra Profeſſorem Sedanenſem Germanicè*. Dilingæ 1661. in 4.

Vita Chriſti Germanicè. Poſthuma Dilingæ 1661. in 8.

Eadem duobus Tomis. Dilingæ in 4.

Conciones de Vita Chriſti. Dilingæ 1661. in 4.

Antiquitas Papatus, *Partibus*, *ſeu Tomis tribus*. Dilingæ typis Academicis 1644. & 45. in 4. Germanicè

Quæſtio vexata, *vbinam Terrarum fuerit Eccleſia Proteſtantium ante Lutherum* Par. I. Ambergæ 1653. in 8. Par. II. Ingolſtadii 1655. in 8.

LAVRENTIVS GILENVS natione Gallus relatus à P. Ribadeneira inter Scriptores Gallos in Indice Catalogi Scriptorum 1609. ſed cuius patriæ, vel Prouinciæ fuerit non explicatur. Scripſit

De Vita Æterna.

LAVRENTIVS IAPON, ſiue LVSCVS illud à patria, hoc ab oculorum vitio nomen ſortitus, tenui fortuna, natus idiota, & litterarum rudis, audita Fidei prædicatione ab Oriente Apoſtolo Sancto Franciſco Xauerio, inter primos Amanguccij Baptiſmum ſuſcepit, & Magiſtrum ſuum conſtanter ſecutus, obtinuit tandem vt primus Iaponum in Societatem admitteretur anno ſalutis 1551. tricenario maior. Electus à Deo fuit ad multorum magnorumque hominum conuerſionem, & ad multa perpetienda pro Chriſti nomine. Nam clariorem ſenſim diuinarum rerum notitiam aſſecutus, non ſolùm Doctori ſuo primùm, deinde alijs atque alijs Europæis Noſtris Inter-

interpres fuit, ſed etiam ipſe ſua prædicatione, diſputationibuſque de Fide cum aduerſarijs inſtitutis, ingentem fecit animarum quæſtum. Gaſpari Vilelæ Socius fuit, & conſors ærumnarum, quas in Meacenſi excurſione ſuſtinuit ille per ingentes, opprobria, iniurias, lapidationes, famis, ac frigoris incommoda, & mortis haud ſemel intentata pericula. Egregium verò prudentiæ, feruoriſque ſui ſpecimen præbuit, quando anno 1561. Vilela Sacaium profecto ſemel iterumque, in Vrbem Meacenſem graui preſſam obſidione per hoſtiles cuneos penetrauit, vt Chriſti cultores, quos ibi genuerant ad conſtantiam Fidei roboraret, optimiſque inſtitutis aduerſus impendentes calamitates illam Eccleſiā temperauit, vindicato etiam templo, quod nobilis quidam Gentilis prætexta auctoritate Regia occupabat. Intentata rurſum Meaci fuit lis a Bonzijs Chriſtianæ Fidei, coram duobus Iudicibus Arti magicæ addictiſſimis, & iuratis rei Chriſtianæ hoſtibus, prouocato ad explicanda ſuæ doctrinæ capita Villela. Conſilium videbatur eſſe ex compoſito, vt ſublato Doctore concideret Eccleſia. Viſum igitur Neophytis haud quaquam dimittere Vilelam, cui Laurentium, ne cauſæ viderentur diffidere, ſubrogatum miſerant. Ille certus mori, ſpe plenus, tanto verborum & rationum pondere Chriſti cauſam egit, vt Iudices veritate conuicti Baptiſmum poſtularint. Fuit etiam cùm aduerſus Nizi Tozomiri celebrem Bonzium coram Nobunanga Imperatore Iaponiæ diſputans, tam validè conſtrinxit aduerſarium, vt pudore in rabiem verſo, acinacem Nobunangæ ſtrinxerit ad Laurentium perimendum. His alijſque plurimis cumulatus ornamentis, ætate grauis ad meritorum ſuorum capeſſenda præmia euolauit (vt ſperamus) in Cælum die 3. Ianuarij, anno ſalutis 1592. Plura de eo recenſet Noſter Daniel Bartolus in Hiſtoria Iaponiæ Libro II. & inſigni elogio eum proſequitur Georgius Cardoſus in ſuo Agiologio ad diem 20. Aprilis. Vertit Laurentius Iaponicè

Catechiſmum à P. Melchiore Nunnio conſcriptum

Epiſtola eius vna data ad Societatem Ieſu, Macao 4. Nonas Iunias 1560. Extat inter collectas in vnum volumen Epiſtolas Iaponicas.

* LAVRENTIVS MARTINIVS natione Italus, patria Piſtorienſis, natus anno ſæculi fluentis 8. Societati nomen dedit 1630. & votorum 4. profeſſione ſe adſtrinxit. Quinquennio docuit litteras humaniores. Rexit Collegia Recineti, & Aſculi ſecundùm, multis annis Romæ in Domo Profeſſorum, magna caritate, Religioſæ diſciplinæ curam geſſit, & operarium in templo egit. Nunc tertiò Collegium Aſculanum moderatur. Edidit Italicè

Nouenam in Honorem S.P.N. Ignatij. Romæ typis Iacobi Antonij Vareſij 1663. in 12. Recuſam Ferrariæ 1663.

Nouenam in Honorem S. Franciſci Xauerij. Romæ typis Ignatij de Lazzaris 1663. in 12. Recuſam Maceratæ 1668. & Latinè Græcij 1665.

Nouenam in Honorem S. Franciſci Borgiæ. Romæ apud Vareſium 1671. in 12.

Iuuenem Angelicum cum Nouem Obſeruationibus ſuper Vitam B. Aloyſij Gonzagæ. Romæ apud Vareſium 1669. in 12.

Iuuenem Seraphicum Polonum expreſſum in Nouem Obſeruationibus ſuper Vitam B. Staniſlai Koſtka. Romæ typis iiſdem 1671. in 12.

Hortum Florum, & fructuum virtutum quas exercuerunt varij Religioſi Societatis Ieſu. Romæ typis ijſdem 1672. in 8.

LAVRENTIVS MASELLVS natione Italus, patria Neapolitanus, in Societatem cooptatus anno ſalutis 1565. ætatis ſuæ 16. votorum 4. profeſſionem edidit. Docuit Theologiam Moralem, & Eccleſiaſten per Italiam annos amplius triginta magna nominis celebritate egit. Septuagenario maior in patrio ſolo religiosè denatus eſt Neapoli die penultimo Martij 1620. Scripſit Italicè volumen inſigne

De Vita B.V. Matris Dei. Tom. 2. Continens quidquid hactenus ad eius memoriam, & dignitatem apud graues Auctores reperiri potuit, cum

Vita S. Ioſephi Sponſi ipſius. Neapoli typis Ioannis Baptiſtæ Sottilis 1606. in 4.

Tractatum de Ven. Eucbariſtiæ Sacramento. Neapoli apud Ioannem Iacobum Gaulinum 1614. in 4.

Appendicem ad eundem Tractatum. Neapoli typis Tarquinij Longi 1616. in 4.

LAVRENTIVS MASONIVS natione Italus, patria è Regno Neapolis, natus die 27. Februarij anno 1556. Societatem ingreſſus eſt iam tum Sacerdos, & Sacrorum Canonum confectis ſtudijs, anno 1582. & in ea Philoſophiæ, ac Theologiæ nauauit operam, condiſcipulo B. Aloyſio Gonzaga, quem ſumma ſemper veneratione proſecutus eſt, & ad nuntium Beatificationis ipſius, indices lætitiæ lacrymas continere non potuit. Abſolutis ſtudijs nauigauit in Indiam anno 1588. ibique Malabarica, & Malayana lingua imbutus in Gentilium conuerſionem ſtrenuè incubuit. Anno 1591. Amboinum miſſus, Apoſtolicum planè feruorem, bonus Xauerij æmulator exercuit. Incredibiles ibi labores in animarum procuranda ſalute per inſignem tolerantiam exhauſit; opprobria, vincula, terræ mariſque quotidiana pericula, itinerum difficultates per montium latebras, & ſolitudines, famem, ſitim, nuditatem, inſomniam, & ærumnas alias innumeras ſuſtinuit; cùm eum premeret ſollicitudo omnium in ijs Inſulis Eccleſiarum. Totos 30. annos eas adminiſtrauit tanta ſanctimoniæ claritate, vt aliud illi nomen Hiſpani, quam Sancti Maſonij nullum inderent; nullum Indigenæ aliud quàm Sancti Laurentij. Ipſi adeoque

Hol-

Holiandi caritatis eius beneficientiam Ternate, quando ibi tenebantur in cuſtodia, experti, ſanctitatem eius deprædicabant, & Europæis munuſculis, libris, vino ad ſacrificandum proſequebantur. Cæterùm ab illis multa priùs aſpera perpeſſus eſt ob Fidei defenſionem, cùm anno 1605. inſtructiſſima claſſe Amboinum in poteſtatem acceperunt ea lege, vt impunè liceret omnibus eſſe Catholicis, & Sacra more maiorum adminiſtrare. Id præſtitit Laurentius in Hæreticorum oculis, tanto ſemper apparatu, ac ſolemnitate, quam ſi ea Inſula in Catholicorum fuiſſet dominatu. Verùm nec Deo Fidem ſectarij, nec ſeruant incorruptam mortalibus. Templa diruere, comminuere cruces, Sanctas imagines violare, denique ſacra temerare omnia. Quæ cum non æquo ferret animo Laurentius, in illos inſurrexit, arguit, libera voce caſtigauit, & prophanos ſeminiuerbios laceſſitos argumentorum robuſta vi, non ſemel compreſſit; qua illi infamia ſua irritati, probra primùm, dein maleficia regerere, ad extremum etiam in fædum carcerem virum ſanctum detruſerunt. Verùm arbitrati ſe nunquam habituros in officio Indigenas, dum ibi Pater Fidei præco exiſteret, ſemperque res nouas molituros, cum omnibus ijs finibus exigere decreuerunt. Imponunt hominem nauigio modico, nec ſatis firmo, ſine nauclero, aut vllo curſus gnaro, exiguo commeatu & aqua, aduerſo vento, pelago tumente. Ipſe Deo ſuo fretus, vectoribus ſolatio, iuxta fuit, & ſaluti: perpete ad Deum precatione, & iras maris compoſuit, & piratarum inſidias vitauit, piſcatorum indicio, quos alioquin conſtabat haud eſſe ſatis æquos in nomen Luſitanum, in portum Zebuanum inuectus. Vix ab eius itineris moleſtijs, Epiſcopi beneficentia recreatum, noua excepit nauigatio, noui labores: Manilam eundum fuit, & de amiſſa Amboino ſignificandum Gubernatori: nauis erat paruitate ſua haud patiens maris & ventorum: Sed Laurentius conſtantia vincebat omnia. Exceptus eſt à Gubernatore, habituſquè pro Sancto; à quo etiam claſſe comparata reuectus eſt ad Moluccas. Vbi copiæ in hoſtem explicatæ ſunt, quas ille Sacramentis inſtruxerat, promiſeratque certam victoriam, ſignum prætulit Chriſti Crucifixi. Breuem pugnam, & fere incruentam illuſtris excepit victoria. Ternate Inſula recepta eſt calendis Aprilis 1606. miles impoſitus, & orizæ vis magna ad victum. Sed ecce ad commeatus odorem innumerabilis ſoricum grex accurrit, qui fædè omnia depaſcebantur, nec poterat eam peſtem miles auertere. Ergo conuerſa ſunt ad Patrem omnium ſtudia, & aduerſus labem, eius imploratæ preces. Ille carmen ex ritu Eccleſiæ, & diras execrationes intentat, & ſic admirantibus omnibus malum penitus abegit. Hæc atque alia vitæ melioris exempla faciebant illi tantam auctoritatem, vt quoquo vellet publicis priuatiſquè ſermonibus omnes inflecteret: inſectabatur vitia, & grauiter percellebat; ſed oratione mellea, atque adeo ſine noxa, magno prouentu. Ceterùm cum ardor eius vnà militum Hiſpanorum, aut vnius etiam Prouinciæ procuratione contineri non poſſet, vſus eſt occaſione variarum expeditionum, quas Ternatenſis Gubernator inſtituit, ad inferendam Infidelibus lucem Euangelij, & ſalutem. Prima fuit in Tolum S. Franciſci Xauerij prædicatione nobilem; quam ille gentem poſtquam ſubmiſſa Regi eſt, & arce firmata, magno numero ad Eccleſiam adduxit. Cum autem Batauus valida claſſe eas Inſulas infeſtaret, & Prætor copias tutando Imperij capiti nudatis arcibus, contraheret; ipſe in ſpem futuræ ſobolis, virorum eius Regionis Principum liberos Pater in Seminario Ternate educandos abduxit: ibi Chriſtianis illos inſtituit elementis, litteras formare, legere, aptè ſaltare, canere docuit, & quidquid eſt artium bonarum in Republica, ſuo etiam in eorum alimenta contracto. Altera expeditio in Batachinum aduerſus Batauos ſuſcepta eſt: Ad eam Hiſpani profecturi Sacramentis ab illo primum procurati ſunt, tum in prælio omni ope adiuti. Ipſe vnus curare omnes; præſtò eſſe, vbi quiſque vulnus acceperat, omnium indigentiæ ſubueniebat. Bacianum excurrit aliàs, vt conſueta in mortales beneficia conferret. Interea Batauus Arcem improuiſus oppreſſit, & poſt acrem pugnam obtinuit. Pater in quem fere vnum erat hoſtis intentus, prodigio ſeruatus eſt. Adfuerat ipſi Deipara virgo per noctem, cuius erat nomini deuotiſſimus, & oſtenderat ſe hoſtem veſtigia eius iam pene prenſantem ita morari, vt præeuntem videret, & ſequeretur, nunquam tamen aſſequeretur. Reipſa cum Indigenæ Batauo victore diffugerent, ipſe in loco conſtitit immotus. Hoſtis fugientium ſecutus numerum, Patrem incautus præterijt: Pater illico ſe denſum in vepretum coniecit, & triduum impaſtus delituit: quo lapſo cum ſiti vehementius vrgeretur, repente prodijt latex è terra, qui mox iterum cum ſitim leuaſſet, reſorptus in terram eſt. Diuturnis huiuſmodi laboribus non tam fatigatus quàm exercitus, à Præſidibus ſuis iuſſus eſt ad quietem aliquam capiendam repetere Indiam, & quia non aderat opportunitas nauigij, iter Manila, vbi non deforet, inſtituere. Omnino graue vulnus animo per hoc imperium accepit, deſerturus innumeros, quos Chriſto per Euangelium genuerat, doctrina pauerat, fouerat, confirmarat filios. Verùm potior his omnibus obedientia fuit. Manilæ lætiſſimis animis exceptus eſt; rogatuſque ab Archiepiſcopo, & ab Philippinarum Prætore, atque ab vtroque Senatu P. Prouincialis, vt bono Reip. tum Moluccenſis, tum Philippinicæ, ac ſolatio omnium ſuo, Patrem ibi detineret. Accedebat ad eius Conſilij momentum occupaſſe Batauos claſſe fretum

tum Sincapuranum, qua curſus erat, ne quis vltro in Indiam, citroque commearet. Ipſe tamen ne deeſſe videretur obedientiæ contemptis periculis in Indiam meditabatur, donec per litteras conſultus Prouincialis Malabaricus ipſius arbitrio ire vellet, an manere, permiſit. Sed ne ſic ille quidem conquieuit, ratus eundi imperium non ſatis ea conceſſione vacuatum: cumque adornaret iter, nec ætati ſuæ affectæ, nec valetudini quidquam tribueret, per certa maris, & hoſtium pericula; rogatus, vt Rectoris, Patrumquè aliorum arbitratui daret æſtimandum, quid è Diuina gloria maiore foret, quando ipſi iam ſuus Prouincialis fecerat in vtrumquè poteſtatem, non repugnauit, & ex illorum ſententia ſedem Manilæ fixit: quam illi poſt etiam, tum Prouincialis, tum certior Præpoſitus Generalis ſua auctoritate firmauit. Id factum anno 1622. Ex illo vitam abſoluta illuſtrem ſanctimonia, vti erat olim exorſus hic pertexuit, vſque ad diem 19. Iulij anni 1631. quo magno dolore omnium ſublatus è viuis eſt 75. annos natus, exactis 49. in Societate, & 31. poſt quatuor vota ſolemni ritu concepta.

Atque hic quidem vitæ illius curſus fuit. Nunc pauca de virtutibus eius libanda, nam complecti omnia operoſum eſt, & vani conatus; quippe viri ſupra communem ſanctitatis modum procul euecti, & præſtantiſſimis Societatis heroibus ſuo merito permiſcendi. Paupertatis ſtudio, deteriora cæteris omnibus ad vſum ſibi depoſcebat; veſtes obſoletas, & reſartas ambiebat, nouas defugiebat; nihil in ſuppellectili, quod viliſſimum non eſſet habebat. Caſtimonia æmulari Angelos videri poterat, non ſibi ſolùm, ſed alijs etiam circumſpectè prouidus. Incredibili Zelo nitebatur ab omni libidinis contagione cunctos auertere. Virum nobilem, qui pertinaci ſollicitatione tentabat alterius thorum, admonuit, videret, ne quam alteri meditabatur labem honoris adferre, eam ipſe iuſto Dei iudicio acciperet domi ſuæ, nec multi fluxere menſes, cum infami ſuæ coniugis adulterio notatus eſt. De obedientia quid attinet dicere? eius nimirum ductu tot maria ſulcauit, tot adiuit labores vitam omnem impendit: & iam vix animam, in morte retinens poſt aliquot dierum ſilentium, iuſſus dicere, eſſet ne ſingulis præſentibus proprium, vti rogabatur, è Cœlo beneficium exoraturus, promptè reſpondit, certum eſt facturum, cum imperatum ſit. Sed admirationi fuit videre virum annis grauem, morbis afflictum, aſſuetum in Miſſionibus ſuo nutu vitam agere, nunc ad omnem vitæ communis rationem exactum, præ, vel ipſis Tironibus ad pauimentum verrendum, & quæuis alia miniſteria promptum, nec podagræ. nec alijs ab eo munere cruciatibus impediri. Nunquam eximius eſſe ſuſtinuit; non in victu, veſte, cæteris ab vllo Sociorum diuerſus, Aiebat delicatioribus edulijs deſueto nullum iam ſibi ſaporem elaborari; ceterum ſi quid illi commune cum cæteris porrigebatur, vel eo nomine non aſpernabatur, quod eſſet commune. Extremis annis cum immotus decumberet, vix niſi per imperium induci potuit, vt cupediarum aliquod admitteret. Ad publicas functiones prodibat, omnibus cano vertice, & ſereno vultu venerabilis, trahens pedes, & prono in pectus capite: & ſi Archiepiſcopus ad Collegium, vt fit ventitaret, ipſe obuiam cum cæteris progreſſus manum illi cernuus ad oſculum prenſabat. Humilitate Chriſtiana vere præſtitit omnis expers affectationis. Ducebat ſe ipſe poſtremum omnium: & preces ab eo poſcentibus; aiebat, ſe maximè indigere. Si quis diceret, vt fit, optare ſe tam in tuto ſuam ſalutem eſſe, quam ipſi eſſet in tuto ſua, abſit id enimuero, inquiebat, tibi, ſed ego mihi potiùs optem ſecuritatem tuam. Nihil vnquam dixit fecitue, quod faſtum oleret, aut arrogantiæ quidquam; poſtrema ſibi depoſcere, ea ſibi præ alijs deberi; Si quis eum celebraſſet, à virtute præſertim & ſanctitate, haud aliud quidquam ægriùs ferebat, cum ſe ipſe peccatorem profiteretur maximum, & probro dignum: hinc & perpetes illæ lacrymæ, quibus ſua crimina diluebat, non ſatis ſibi conſcius, vt aiebat, ſinceræ pœnitudinis, & doloris, quo ea terſiſſet. Cum agenti animam Superior diceret, ſe ad aras properare litaturum pro ipſo, videret, quid ſibi vellet exorari, reſpondit, dolorem de meis peccatis, & veram contritionem. Tolerantiæ & cum Diuina voluntate conſenſionis omnis eius vita fuit inſigniter plena, ſed in morbo nouiſſimo facta eſt acceſſio luculenta calculo, dyſuria, podagra vexatus immaniter, nec mouere ſe poterat, nec manibus vti: tuſſis quatiebat aſſidua: rheumata opprimebant: diuturna cubatio tergum illi plaga magna fœdarat: inter hæc nunquam queri, & interrogatus qui haberet, Gratiæ, inquiebat, ſint Deo, ſatis ægrè. Nihil illi fuit grauius, quam quod Deo non poſſet litare ad aras; id quod ſemper vel inter morborum cruciatus conſuerat. Leniuit hunc ſenſum dum potuit quotidiana communione, dumque ne illud quidem potuit, continua oratione. Eam ipſe dum vixit accuratè ſemper inſtituit iuxta leges Exercitiorũ S.P.N. Ignatij, omnium præ quouis Tirone diligens obſeruator. Obiuit dum valuit officia pietatis genuflexus, & ſuis ſingulas horis penſi Canonici partes recitabat. Omnino multus in orando ſemper fuit, & extra operandi neceſſitatem propemodum totus. Hinc illi magnum in affectiones animi erat imperium, quas cura peruigili ſanctè comprimebat. Addebat caſtigationis corporis quotidiana flagellatione, crebro horridoque cilicio, & gemino per hebdomadem ieiunio. Oderat otium impensè & quod erat temporis reliquum ab curanda ſalute mortalium, & orando, id Moralis Theologiæ Studio impendebat, aſſecutus ea ratione Excellen-

cellentem eius generis doctrinam. Per has artes euaſit ad excelſum faſtigiũ caritatis. Deum tenerrimo proſequebatur affectu, cumque eo ceu parente amantiſſime, ſuauiſſimeque agebat, eius honori nominique amplificando impensè ſemper ſtuduit, indefeſſus ad omnia quæ ad iuuandos homines valerent, ſed ad Confeſſiones imprimis domi foriſque audiendas, tàm promptus, tamque operæ pertinacis, vt ſatis explicari non poſſit: nec ſenio fractus abſtinuit, nec morbo preſſus. Eius vero myſterij tam erat reuerens, vt Sociorum quemlibet auditurus, vel æger è lecto conſurgeret, ne quidquam detereret Sacramento dignitatis. Indos amore peculiari vir Apoſtolicus complectebatur: nec animis illorum dumtaxat, ſed etiam corporibus ſuccurrebat. Multa perpeſſus eſt aſpera, dum illorum libertatem aduerſus violatorum iniurias tuetur, vna hac in re, vir aliàs mitiſſimus, acer: ſed tam prudenti, & tempeſtiua moderatione; vt nemini locum faceret obſeruantiæ prodigendæ. Ad extremum vt paucis complectar omnia de heroica viri virtute, poterat in eius factis expreſſa legi omnis conſtitutio Societatis, cuius nullam tot annis legem, vel facillimam viſus eſt præterire, vt mirum videri non debeat, tam eum fuiſſe malis ſpiritibus exoſum, vt ſæpè vexatũ, commolitumque coegerint dies complures affixum lecto hærere. Hunc vitæ curſum excepit pretioſa mors qualis ſanctorum: ad quam cum ſe tot comparaſſet annis, hoc etiam addidit extremis, vt bis quotidie mane ac veſpere maculas animi elueret per exhomologeſim, Sacramenta nouiſſima magna pietate ſuſcepit, & inter pronuncianda Ieſu, ac Mariæ nomina placidiſſimè expirauit. Funus elatum eſt magno concurſu, & ſanctimoniæ fama celebratum; manus, & pedes oſculis paſſim venerationis cauſa petiti, & à compluribus eius reliquiæ poſtulatæ. Scripſit

Annuas Litteras Amboino anni 1603.

LAVRENTIVS NICOLAI NORVEGVS non ſolùm nomine verùm, & patria; vnde illi nomen adhæſit, Doctor Theologiæ in Societatem venit; & Sacerdotio initiatus, in ea quatuor vota profeſſus eſt; in Belgio, Auſtria, Morauia, Bohemia, Suecia, Dania, varijs perſunctus laboribus, vel in extrema ſenecta nunquam fuit otioſus. Semper ille moliri aliquid legendo, ſcribendoque ad Hæreticorum Daniæ præſertim, ac Sueciæ conuerſionem. Semper ſui ſimilis, & idem in omni fortuna. Obijt Vilnæ die 5. Maij anno ſalutis 1622. ætatis 84. Religionis 59. Sacerdotij 60. Profeſſionis 4. votorum 47. Scripſit

Confeſſionem Chriſtianam de Via Domini, quam Populus Chriſtianus in Regnis, Daniæ, Noruegiæ, & Sueciæ plus annis 600. confeſſus eſt. Cracouiæ ex officina Lazari 1604. in 4.

Ipſi quoque tribuitur à nonnullis, quæ ſine nomine Auctoris prodijt

De Reformatione Religionis Chriſtianæ per Miniſtros Euangelicos introducta, Deliberatio à Studioſis Danis, & Noruegis propoſita Profeſſoribus Academiæ Haffnienſis die 1. Octob. 1602. Cracouiæ apud Nicolaum Lob altera editione in titulos & capita digeſta 1606. in 16.

LAVRENTIVS DELLE POZZE, ſeu DE PVTEIS natione Italus, patria Florentinus inſertus Societati anno Domini 1586. ætatis ſuæ 18. Spiritualis Coadiutoris in eum gradum obtinuit. Rexit Collegia Montis Politiani, & Tiburtinum, & octogenario maior ex patrio ſolo in cæleſtem patriam (vt ſperamus) migrauit. Florentiæ die 8. Iunij 1653. Tranſtulit Italicè

Litteras annuas è Iapone, Sinis, Goa, Aethiopia, annorum 1615. & quatuor deinceps ſequentium.

Et tacito ſuo nomine

Vbaldinum, ſeu Vitam Antonij Mariæ Vbaldini à Iacobo Bidermanno, Latinè ſcriptam. Romæ apud Facciottum 1635. in 24.

LAVRENTIVS SENGENSCHMIDT natione Germanus, gente Carniolus, Domo Labacenſis, Societatem duodeuicennis anno 1617. ingreſſus ſolemni votorum 4. profeſſione ſe obligauit. Vir promptiſſimi ingenij, Poeſim, Rhetoricam, Philoſophiam iteratò, Theologiam tum Scholaſticam, tum Moralem & Sacros Canones, Viennæ Auſtriæ, & Græcij Styriæ docuit. Tandem febri hectica correptus deſijt inter mortales viuere, Labaci Calendis Septembribus 1646. Edidit

Orationem quam habuit in Exequijs Eminentiſſimi Cardinalis Kleſelij Epiſcopi Viennenſis.

LAVRENTIVS SVSLYGA natione Polonus, patria Pultouienſis, Cracouiæ Magiſter Philoſophię, Græcij Baccalaureus Theologiæ creatus redijt in patriam cum Sereniſſima Conſtantia Auſtriaca Regina anno 1605. & in eadem ſe Societati noſtræ dicauit. In ea diù Concionatoris Optimi numeros expleuit; effecitque Lublini quod fieri haud poſſe credebatur, vt Arianorum, Lutheranorum, Caluiniſtarum Scholæ, Synagogæ, Miniſtri, ne quidquam obnitentibus Hæreticis Proceribus ex ea Vrbe proſcriberentur. Obijt Cracouiæ die 16. Aprilis 1640. votis 4. pridem adſtrictus. Ipſe eſt qui Præſide Ioanne Deckerio propoſuit Græcij publicæ diſputationi.

Velificationem, ſeu Theoremata de Anno Ortus, & Mortis Domini, deque vniuerſa Ieſu Chriſti in carne oeconomia. Græcij 1605.

Edidit præterea iam in Societatem ingreſſus Polonicè

Vitam Perilluſtris pientiſſimaque Matronæ Elizabethæ de Lizeuice-Sunianska, Marſchalci quondam Regni relictæ viduæ, Collegij Leopolienſis Societatis Ieſu fundatricis.

LAVRENTIVS VVVENS natione Belga, patria Neomagenſis, Societatem amplexus anno reparatæ ſalutis 1608. ætatis ſuæ vndeuigeſimo votorum 4. profeſſionem emi-

 ſit.

ſit. Vir animi excelſi, & ad maxima quæque natus multis annis pro concione dixit, haud minore ſpiritu quam eloquentia pari hominum plauſu fructuque, vt non immeritò inter celebres ſui temporis Eccleſiaſtas ſit habendus. Neque calamo minùs quam voce valuit, ſiue latino ſermone dicendum eſſet, ſiue patrio. Domi foriſque præcipua fuit auctoritate, quam ei prudentia, morumque grauitas humanitate temperata conciliabant. Heroicarum virtutum ſemper vixit ſtudioſiſſimus, & vultus ipſe neſcio quid Apoſtolicum ſpirabat. Actiones ſuas ita inſtituit, vt vel hoſtes ipſi Societatis cum ſuſpicerent, ac venerarentur, nedum reprehenderent in eo quidquam. Vir denique fuit egregijs naturæ, ac gratiæ dotibus præditus, & Petro Caniſio, tam ſanguine, quàm virtute cognatus. Rexit Antuerpienſe Collegium, & ibidem Profeſſorum Domui bis Præpoſitus præfuit, diſciplinæ Religioſæ in ſe ac alijs ſedulus exactor, ac tandem in eo munere mortem obijt die 2. Octobris anno 1641. ætatis 51. ab inita Societate 33. edidit

Orationem funebrem in parentalibus Petri Peckij Brabantiæ Cancellarij dictam Bruxellis. Louanij typis Haſtenianis. Item vertit Flandrice omiſſis varijs generis Orationibus

Imaginem primi ſæculi Societatis Ieſu. Antuerpiæ typis Plantinianis 1640. Præterea prælo adornabat

Conciones quas præcipuis in locis cum laude habuit.

LAVRENTIVS VVORTHINGTONVS natione Anglus, patria Lancaſtrenſis, viridi ætate in Societatem adlectus anno ſalutis 1598. in Prouincia Bætica tantum ſibi doctrinæ in ea comparauit ingenio & induſtria, vt per octennium in Hiſpania Cordubæ, & Hiſpali Philoſophiam, profeſſus fuerit. Inde in Angliam cùm tranſmiſiſſet anno 1612. ad popularium ſuorum ſalutem procurandam, comprehenſus Religionis cauſa, & in carcerem Londini coniectus, ea fuit pietatis, induſtria, vt in ipſa cuſtodia, conniuente Commentarienſi ſacellum erexerit, & vnà cum concaptiuis Catholicis, & altero Sacerdote de Societate incruentam hoſtiam quotidie Deo per aliquod tempus immolarit, & Sacramenta Eccleſiæ Catholicis quoque alijs eò accedentibus adminiſtrarit, & non paucos etiam Heterodoxos Romanæ Eccleſiæ reconciliarit. Verùm pulſus poſt annum ex Anglia in exilium, Louanij Noſtros in Collegio Anglicano Theologiam docuit, tum Romæ in Collegio Anglorum ſtudijs aliquamdiù præfuit, tandem in Auſtriam delatus Græcij Theologiam Moralem, & Sacras litteras explanauit anno Chriſti 1635. quamuis ætate grauis. Odoardo Brigantini Ducis poſtea Regis Luſitaniæ fratri cum Ferdinando III. Hungariæ, & Bohemiæ Rege ad Caſtra tendenti, comes à Confeſſionibus; & omni re ſacra addictus, ea geſſit quæ genuinum Societatis filium deceant, ſed Caſtrenſibus incommodis impar in ea ætate, breui confectus eſt, & Sacramentis pie inſtructus in Lotharingia diem clauſit extremum 19. Octobris anno ſalutis 1635. ætatis ſuæ 64. pridem quatuor vota profeſſus. Vir fuit ſimpliciſſimæ mentis cum religioſa prudentia coniunctæ; tenerrimo in B. Virginem totamquè eius parentelam affectionis: vnde illi paſſim erant in ore ea Sacra nomina, Ieſus, Maria, Ioſeph, Ioachim, Anna, totoſque dies roſaria voluendo traducebat, verè humilis, ſuiquè, & rerum humanarum contemptor. Tranſtulit Anglicè ex latino

Meditationes Franciſci Coſteri: De Vita, & Paſſione Chriſti: præſcriptis litteris R. V V. Duaci 1616.

* LAZARVS CATANEVS natione Italus, patria Sarzanenſis in Liguria; familia nobili, Deo ſe in Societate mancipauit Romæ anno ſalutis 1581. ætatis 21. & adepta precibus iteratis Miſſione ad Indos, eò nauigauit 1588. & primo quidem Goæ, mox in ora Piſcaria per biennium ſpiritus Apoſtolici rudimenta poſuit. Inde ab Alexandro Valignano Viſitatore miſſus ad Sinas anno 1594. profeſſionem votorum quatuor ibi emiſit, & quadraginta annorum ſpatio vineam illam operarius inconfuſibilis excoluit. Socius fuit Patris Matthei Riccij in adeunda Regia Pekinenſi, & in varijs Reſidentijs, ſicut, & in ora Piſcariæ præfuit Superior quaſi ſemper Noſtris. Plurimos Idolatras ad Chriſti Fidem perduxit; ſæpius falsò appetitus calumnijs, de rebellione, de læſa Maieſtate, & ſimilibus omnium victor euaſit, & per infamiam, ac bonam famam conſtanter Euangelium prædicauit. Biennio ante obitum fractus annis, & laboribus, tamquam aurum probatus eſt in camino diuturnæ infirmitatis, affixus perpetuò die noctuque ſedi, è qua mouere ſe non poterat, nunquam toto illo tempore audita eſt ex illius ore querela, vel gemitus etiam in doloribus acerbiſſimis, ſed vultus ſemper ſerenus, ac renidens monſtrabat internam imperturbatam animi tranquillitatem, & ſummam voluntatis cum Diuina coniunctionem. Tandem octogenarius in Ciuitate Hancheu ad laborum Apoſtolicorum præmia exceſſit ex hac vita, die 19. Ianuaris 1640. Compoſuit Sinenſi lingua cuius erat ſcientiſſimus complures libros, vt *De altera Vita. De Aſcenſione mentis in Deum*, & alios, ſed typis non vulgauit niſi vnum Neophytis, valde vtilem

De Contritione, ſeu dolore de peccatis.

LEO SANCTIVS natione Italus, patria Senenſis, vir omni litteratura ornatus, Societati nomen dedit anno ſæculi prætelabentis primo, ætatis ſuæ 17 & votorum quatuor nuncupatione ſe aſtrinxit. Poſt traditas humaniores litteras in Collegio Romano, Philoſophiam docuit ſexennio; Matheſim biennio, Theologiam Scholaſticam annis 14. & demum ſtudiorum ibidem præfecturam geſſit annis

annis nouem vſque ad obitum. Vir fuit ſummi ingenij, & eruditionis exquiſitæ, & has naturæ dotes animabat ſingulari religione, pietate, modeſtia. In acerbiſſimis calculorum quos patiebatur doloribus, non eſt auditus verbo, vel gemitu cruciatum leuare, & tamen defuncto exſectus eſt lapis è veſica ponderis vndecim vnciarum. Piè obijt in Collegio Romano, die 3. Februarij 1651. Laudat illum Iſidorus Vgurgierus Azzolinus in Pompis Senenſibus tit. 18. num. 119. aitque, *inter doctiſſimos viros ſui æui habitum*, & Hippolitus Marracius in Bibliotheca Mariana eum vocat, *virum ſui Ordinis ob ſcientiæ præſtantiam morumque innocentiam decus atque ornamentum ſingulare*. Edidit doctiſs. Pater

Orationes duas ad Peruſinos in ſtudiorum inſtauratione dictas annis 1609. *&* 1610. Peruſiæ apud Alexandrum Petrutium 1610. in 4.

Solarium Gregorianum, ſiue de Beneficijs quibus Gregorius XIII. Pont. Max. ſolis inſtar vniuerſum Terrarum orbem illuſtrauit. Laudationem dictam in Collegio Romano. Viterbij 1618. in 4.

Eroparthenica, ſiue laudes B. Virginis Conceptæ, Natæ, Elizabetham viſitantis, celebratas triplici laudatione Latinè, & Græcè, Oratoriè, atque Poëticè. Acceſſerunt. *Carmina Melo dramatica, actionibus Harmonice interiecta*. Romæ apud Franciſcum Caballum 1634. in 12.

Floridorum libros duos, quorum prior, *Præfationes ad Rhetoricam, & Philoſophiam pertinentes*, poſterior *opuſcula varia Oratoria, Epica, Dramatica*. Romæ typis Corbelletti 1635, & 36. in 12.

Edidit præterea tacito ſuo nomine

Encyclopædiam explicatam, defenſam centum Philoſophiæ aſſertionibus à Clemente de Clementibus. Romæ apud Maſcardum 1624. in fol.

Et Italicè ſuppreſſo etiam nomine

Gigantem actionem ſcenicam exhibitam in Seminario Romano. Romæ apud Franciſcum Corbellettum 1632. in 16. quæ typis iiſdem, recuſa prodijt anno 1637. in 12. ſub epigraphe *Dauidis* de nouo correcti *cum auctario Chororum, & aliorum Poematum Sacrorum*. Prodijt etiam nuper cum alijs, eius

Oratio de Paſſione Domini, habita ad Gregorium XV. anno 1621. Romæ typis Vitalis Maſcardi 1641. in 12. Edidit etiam

Floridorum ſertum, ſeu librum tertium. Opuſcula varia Præcurſoria, Panegyrica, Declamatoria complectentem. Romæ typis Hæredum Franciſci Corbelletti 1645. in 12.

Ioſeph Tragœdiam. Romæ 1646. in 12.

Philippum Tragœdiam. Opus poſthumum Romæ 1656. in 12.

Reliquit plura manuſcripta, & perfecta quæ aſſeruantur in Collegio Romano in quibus ſunt

De Mundo. Tomi quatuor

De Theologia Scholaſtica ex principijs D. Areopagitæ. Tomi 4.

Philoſophia per ſuppoſitiones expoſita.

In Cantica Canticorum.

De Somnijs, & alia.

LEODEGARIVS HERTENSTEIN natione Germanus, patria Lucernenſis, in Societatem adſcriptus anno ſalutis 1619. ætatis vndeuigeſimo vota 4. profeſſus eſt. Miniores litteras tradidit triennio; Philoſophiam ſexennio; Theologiam Scholaſticã quadriennio; Polemicam de Controuerſijs etiam quadriennio, & Eccleſiaſten annis aliquot egit. Vir ſolidorum in via Dei axiomatum, & exactæ ad amuſſim noſtri Inſtituti diſciplinæ. Extenuatus bile per totum corpus diffuſa, tortuſque doloribus magna patientiæ laude toleratis, migrauit ad vitam, vti confidimus, beatiorem Monachij die 4. Maij 1652. Edidit

Opus ſex dierum Philoſophica Diſputatione explicandum Theſibus 147. *copioſè comprehenſum*. Ingolſtadij typis Georgij Hænlini 1636. in 4.

LEONARDVS ALEMAY natione Gallus, patria Lemouicenſis Societatẽ anno 1610. ætatis 16. complexus eſt, in eaque euaſit Humanioris litteraturæ bene peritus, vtpotè qui Oratoriam Artem annis amplius duodecim profeſſus eſt, & diù præfuit ſtudijs claſſium inferiorum votorum 4. nuncupatione obſtrictus. Mortalitatis debitum exſoluit Burdigalę die 9. Aprilis 1650. Edidit

Parentalia Illuſtriſs. D. Gorguei Proto-Præſidis Burdigalen. Burdigalæ apud Petrum de la Court 1629. in 4.

Parentalia Eminentiſs. D. Cardinalis de Sourdis 1628.

Epithalamium D. Catharinæ.

* LEONARDVS DE ANNA natione Italus, patria Lupienſis, cooptatus in Societatem anno ſæculi voluentis 28. ætatis ſuæ 16. ſolemni votorum 4 ſacramento ſe adſtrinxit. Eloquentiam docuit quadriennio Externos, & Noſtros Rhetores biennio, Philoſophiã ſexennio, Theologiam Scholaſticam biennio, Moralem multis annis, & Sacras litteras quinquennio interpretatus eſt. Superſtes modo in Collegio Lupienſi vtilem plurimis nauat operam. Edidit Latinè

Vitam Ven. P. Bernardini Realini. Stabiis typis Iacobi Gaffari 1656. in 4.

Italicè tranſtulit ex latino

Sapientem Stultitiam, ſeu Vitam Sancti Simeonis Sali. Lupijs per Petrum Michaelem 1669. in 12.

LEONARDVS BACHIN natione Germanus, patria Græcenſis, penè à puero in Societatem adſcitus anno ſalutis 1618. vota 4. in ea nuncupauit. Poſt Humaniores litteras Senis in Tuſcia cum laude traditas, & ſtudia Theologica in Collegio Romano decurſa, Philoſophiam in Academia Viennenſi triennio explicuit, & biennio in Græcenſi, ſubinde

Theologiam vtramque Scholaſticam, & Moralem docuit, & Sacras litteras eſt interpretatus. Præfuit quoque ſtudijs Cancellarij officio in Academia Græcenſi, Vir ingenio perſpicace, & omni ſcientiarum genere expolitus. Gubernauit Collegia Goritiæ, Viennæ, & bis Domum Profeſſorum ibidem eximia prudentiæ, & caritatis commendatione. Auguſtiſſimæ Imperatrici Leopoldinæ Ferdinandi II. Coniugi ſecundæ fuit à Sacris Confeſſionibus, & vtrique apprime charus. Erat ſermone Eloquens, ac potens ad flectendum animos, ſiue patrio, ſiue Italico, ſiue Latino ſermone diceret; dicebat autem perfrequenter in ſummis feſtiuitatibus. A Comitijs Prouinciæ miſſus eſt Romam ad Congregationem Procuratorum, & cum aliis permultùm placeret, ſibi vni diſplicebat quamplurimum, ſeipſum pondus inutile, & vas tinniens ſolitus appellare. Patientia ſupremis annis fuit infracta, dum corpus morbis aſſiduis afflictaretur, & ipſe mortis ſententiam ad ſingula æris campani ſigna præſtolaretur. Tandem dum ſacras horas Canonicas recitaret, viuere inter mortales deſijt Græcij die 12. Aprilis 1665. Congeſſit compendio, & tacito ſuo nomine vulgauit

Coronam Anni Mariani, hoc eſt *Vitas duodecim Sodalium Marianorum*. Græcij typis Vvidmanſtadij 1636. in 12.

LEONARDVS BAGNVS natione Dalmata; ſeu potius Iſtrianus, patria Piſinenſis ingreſſus Societatem anno 1610. ætatis 17. vota quatuor profeſſus eſt. Docuit Viennæ Philoſophiam quadriennio, Theologiam Moralem octennio, Polemicam biennio, & Sacras litteras triennio explanauit. Rexit Collegia Fluminenſe, & Zagrabienſe. Magnæ fuit in rebus agendis prudentiæ, & in promouendis fortitudinis animi. Dum Romæ ſtudijs Theologicis operam nauaret, Miſſionem Indicam ardentibus votis expetiuit, impetrauitque; ſed dum itineri ſe accingeret obortis ex improuiſo impedimentis, Prouinciæ ſuæ eſt reſtitutus. Magna illi fuit cum Deo communicatio per orationem, & in perferendis occultis morbi quo affligebatur doloribus, non minor patientia. Poſt Deum magna Mater amori fuit illi, & venerationi. De hac frequentiſſima colloquia ſerebat, vt eius cultum omnibus, & potiſſimum teneræ Iuuentuti inſtillaret. Innocentem, & grauioris labis expertem vitam à puero duxiſſe opinati ſunt, qui eius animam, & arcana penitiùs tractarunt. Demùm ex ergaſtulo corporis ad vitam tranſijt (vti ſperare iuſtum eſt) Beatorum in Collegio Zagrabienſi, cui tunc præerat die 3. Octobris 1650. Concinnauit, & edidit ſuppreſſo ſuo nomine

Manuale Sodalitatis Immaculatæ Conceptionis B. Virginis Mariæ. Viennæ Auſtriæ in Cæſareo, & Academico Societatis Ieſu Collegio erectæ, & confirmatæ. Viennæ typis Georgij Gelbhaar 1625. in 16. & alibi

* LEONARDVS BERTON natione Belga, patria Namurcenſis, ad Societatem vicennis acceſſit anno ſalutis 1625. & votorum quatuor profeſſionem edidit. Philoſophiam docuit Duaci, & varijs in locis præfecturam ſcholarum geſſit, ſed cum infirma eſſet valetudine, non tam agendo, quàm patiendo virtutem excoluit. Poſtquam enim Marianos cœtus aliquot annis direxiſſet, cum multis, iiſque acerbis à vitiato pectore cruciatibus diu luctatus, tandem relicto domeſticis præclaro patientiæ exemplo confectus, occubuit Duaci, die 18. Octobris 1666. Scripſit Librum poſthumis typis editum, & inſcriptum

Via, veritas, & Vita, Chriſtus Demonſtratus. Duaci typis Balthaſaris Belleri 1667. in 4.

* LEONARDVS CHAMPEILS natione Gallus, patria Lemouix, Societati adiunctus anno ſæculi currentis 1609. ætatis 19. vota 4. emiſit. Docuit Philoſophiam, & Theologiam Moralem, multiſque annis operarium egit in Domo Profeſſorum Burdigalenſi, vbi etiam vitæ huius extremam periodum abſoluit, die 12. Aprilis 1669. Edidit Gallicè

Veritates Catholicas declaratas ex mente Patrum Primitiuæ Eccleſiæ. Pariſijs apud Ioannem Paſſe 1644. in 8.

* LEONARDVS CINNAMVS natione Italus, patria Neapolitanus, ſed origine Campanus, à prima adoleſcentia Societatem complexus anno ſalutis 1623. votis quatuor ſolemnibus ſe adſtrinxit, & incenſus ſtudio lucrandarum in Indijs animarum Deo, concepto vota hoc ſuum deſiderium roborauit: & demum expeditionem obtinuit. Miſſus itaque Goam, circa annum 1644. Operarium multo cum quæſtu animarum egit primùm in Miſſione Canarina, tum in Salſetana, deinde in Meſſurenſi, vbi ab annis circiter 20. vineam illam multo ſudore excolit, Noſtriſque ibidem diu præfuit. Priuſquam ex Europa diſcederet ſcripſit Italicè

De Vita, & Morte P. Marcelli Franciſci Maſtrilli, quæ poſtea edita eſt Viterbij per Diotalleuum 1645. in 4.

Edita ſunt etiam poſtea eiuſdem, ſub nomine Orlandi Cinnami

Poemata Lyrica Sacra Italica. Neapoli apud Antonium Fuſcum 1670. in 12. Item

Apophoreta Eloquentiæ. Ibidem iiſdem typis 1671.

Orationes; *& Prælectiones Latinæ*, Opera noſtri Ioannis Petri Paſchalis collectæ. Ibidem 1671. in 8.

In India. Edidit lingua Canarina, ſeu Malabarica, (cuius eſt ſcientiſſimus) pro inſtructione Neophytorum

Catechiſmum copioſiſſimum Myſteriorum principalium Noſtræ Fidei cum breui compendio eiuſdem Catechiſmi. Item

Vitas Sanctorum in eandem linguam à ſe conuerſas. Item

Apologiam pro Myſterijs noſtræ Fidei cum confutatione ſectarum, & ſuperſtitionum Gentilium Regni Meſſurenſis.

LEONARDVS CREDER natione Germanus, patria Velckirchenſis in Rhætia, Societatem iam Sacerdos, & S. Theologiæ Doctor amplexus anno ſalutis 1622. ætatis 28. votis quatuor ſolemnibus ſe obligauit. De Cathedris Concionalibus bene in ea meritus, quatuordecim annis Eccleſiaſten egit. Illud in eo ſingulare quod poſterioribus vitæ annis ſeſe, ad ſcholas inferiores docendas Superioribus obtulerit, & ad Scholaſticos pulueres voti compos factus reuerterit; donec morbi, & præſertim podagra, quibus frequenter exercebatur, poſt ſexennium Grammaticæ, & Poeſi tradendæ impenſum, ſuperſedere labore eiuſcemodi coegerunt. Quieuit tandem in Domino, Conſtantiæ, die 18. Septembris 1653. Tranſtulit ex Italico Latinè, & nomine ſuo preſſo edidit

Alphonſi Rodriguez Societatis Ieſu Exercitium Perfectionis Part. 2. & 3. continuato labore poſt Ioannem Tannemar, qui Tomum I. tranſtulerat. Item

Lernam malorum de Grauitate peccati Mortalis, P. Ariæ ex Hiſpanico Latinè vertit. Monachij 1648. in 12.

Theſaurum inexhauſtum bonorum quæ in Chriſto habemus, eiuſdem P. Ariæ, latinitate donauit, Monachij 1652. in folio.

LEONARDVS DE FRAYE natione Belga, patria Bruxellenſis, Societati adſcriptus anno Domini 1593. ætatis 33. quinquennio docuit litteras humaniores, tum multis annis, magno fructu militum Regis Catholici in Miſſione noſtra Caſtrenſi, & deinde etiam extrema vita Antuerpiæ ſtrenuum egit Operarium, ibique, animam Deo reddidit; die 6. Maij anno ſalutis 1625. Tranſcripſit Belgicè

Vitam B. Aloyſii Gonzagæ Soc. Ieſu à Virgilio Cepario deſcriptam. Antuerpiæ apud Gerardum Vvolchatium 1615. Item

Leonardi Leſſii Diſputationem de Antichriſto.

* LEONARDVS FRIZON natione Gallus, patria Petrocorius, natus anno ſæculi voluentis 28. Deo ſe in Societate conſecrauit 1644. & ſolemni votorum quatuor ſacramento ſe adſtrinxit. Artem Eloquentiæ, & humaniores litteras annis 15. profeſſus eſt; Sacram Scripturam, & linguam Sanctam triennio expoſuit. Nunc in Domo Probationis Burdegalenſis Socialem operam nauat Magiſtro Tironum. Edidit hactenus carmine vario

Syluarum Libros 4. Lutetiæ 1653. in 16.

Muſas Parthenias Libris 4. quibus acceſſit *Fidei Triumphus*. Pariſijs apud Florentinum Lambert 1657. in 12.

De Temporum noſtrorum rebus clariſſimis Poemata varia, Pictauij apud Ioannem Floriau 1661. in 12.

Corollaria Poëtica de eiſdẽ. Ibid. 1666. in 12.

Poematum Libros ſex. Lugduni apud Bartholomæum Riuiere 1666. in 12.

Orationes Panegyricas varias, inter Panegyricas ſelectas Patrum Societatis Ieſu. Ibidem 1667. in 12.

Conſolationem Heroicam Comiti à S. Paulo in obitu Ducis Longauillæi Parentis. Pariſijs typis Cramoiſianis 1663. in folio

Diui Franciſci Borgiæ, Solemnia Poëtica, tacito ſuo nomine, ſed quod expreſſit alterius Epiſtola dedicatoria, Pariſijs typis Cramoiſianis 1673. in 4.

Sacram Expeditionem, & Victoriam Polonicam. Ibidem 1674. in 4.

Odas in Regia natalitia Sereniſſimi Delphini Galliæ. Pariſijs apud Simonem Bernard 1674. in 4.

LEONARDVS GARZONIVS natione Italus, patria Venetus ex ordine Patritio adſcriptus eſt Societati iam grandis anno 1567. vna cum 40. Sacerdotibus Brixienſibus, de quibus in Iulio Fide ſupra memoraui, & in ea doctrinis bene excultus, primus ex nobiliſſimo illo Ordine quatuor vota profeſſus eſt. Eximia fuit in eo probitas morum, tamquè feruens aduerſus Deum Religio, atque animi ſubmiſſio, vt vſque Tiro videretur. Eapropter vti mirificè diligebatur ab omnibus, ita ſolidarum virtutum exemplo, tenerrimoquè ſenſu ad res Diuinas, ſodales ſuos plurimum ad perfectionis perſequendæ ſtudium excitabat. Naturæ conceſſit Venetijs, die 10. Martij 1592. Scripſit, ſed morte præuentus non euulgauit

Paraphraſim, & Commentarios in Cantica Canticorum; conatus eruere pro virili ex Hebræis vocibus diligenter expenſis, ſenſus omnes, qui obſeruantur in Sacris litteris, Diuinumquè in lectorum animis amorem accendere. Scripſit, & Italicè

De Magnetis lapidis natura, mirabilium effectuum, qui in eo obſeruantur cauſas Phyſicas adducens. Hunc cum legendum accepiſſet Ioannes Baptiſta Porta Neapolitanus, in poſtrema editione ſuæ Magiæ Naturalis adiecit. Leonardo demortuo, frater eius Conſtantinus librum ſuo afferturus Auctori accepit excudendum, auidè à multis expetitum, & crebrò à Nicolao Cabeo noſtro in eiuſdem argumenti opere commendatum.

* LEONARDVS LERCHENFELDT natione Germanus, patria Monacenſis, in Boiaria, natus anno ſæculi labentis 7. Societati nomen dedit 23. & profeſſionem edidit quatuor votorum. Poſt traditas litteras amæniores, Ethicam docuit ſeptennio. Rexit Domum tertiæ probationis Oetingæ Collegium Landishutanum, Reſidentiam Rotvveilanam, & maturus cælo, ceſſit ex hoc vita Halæ Calendis Iulij anno 1674. Edidit Germanicè

Exercitia ſpiritualia S. P. N. Ignatij, auctiùs declarata. Ingolſtadij 1645. in 8. & poſtea

ſtea copioſius Oeniponti 1667. in 8.

Horologium piarum Actionum tam quotidianum, quàm Hebdomadarium Latinè. Ingolſtadij 1645. Recuſum Viennæ 1654. in 12. & Germanicè auctius Oeniponti 1649. in 8.

LEONARDVS LESSIVS natione Belga, patria Brechtanus in Brabantia, tenui loco natus Calendis Octobris anno ſalutis 1554. Vbi primum adoleuit, à mercaturæ ſtudio cui deſtinabatur à parentibus, abſtractus, per occaſionem vacantis in Atrebatenſi Collegio Academiæ Louanienſis, Burſæ, vt vocant Brechtanæ, annos natus 13. eò ſe contulit, & humanioribus litteris, ac Philoſophia informatus, ad Societatem noſtram à P. Laurentio Nicolai Noruego adductus eſt, die 23. Iunij anno 1572. & ab ipſo ſtatim Tirocinio, magna illius virtutis, qua poſtea claruit, rudimenta poſuit haud mediocria; multus in obeundis domeſticis officijs, in compitis purgandis, in omnimoda ſui victoria referenda. Poſt vota nuncupata, iuſſus Duaci Philoſophiam publicè diſcipulis explicare, toto id ſeptennio magna cum approbatione præſtitit, habuitque nobilem illum Chriſti Martyrem, quo meritò gloriatur, auditorem P. Robertum Sotuellum. Hoc ipſo tempore Græcas litteras nullo doctore perdidicit; ſed memorabile eſt, quo infortunio, magna illi meritorum ſeges in reliquam vitam ſubnata eſt. Anno 1578. per tumultus patriæ Noſtri ea Vrbe expulſi ſunt; Leonardus in ea fuga, nocte ab exitu ſecunda, lectum ſortitus eſt in diuerſorio, vnde neſcio quid hauſit contagij, quod cum tibijs maximè inſediſſet, non rarò periculum ipſi lepræ creauit, & cùm nulla poſſet ope depelli ad vſquè vitæ exitum peſſimis cum modis exercuit. Euoluto ſeptennio Romam accitus eſt, vbi Franciſco Suario in Theologicis Doctore biennio eſt vſus: & iam tum Theologiæ aliis tradendæ idoneus eſt viſus: quam non multo poſt Louanii exorſus, totos 15. annos ſumma nominis claritudine docuit, & annis 17. ſequentibus Noſtrorum ſtudiis dirigendis præfuit. Miraculo autem eſt proximum, tam multa potuiſſe illum ſcribere, qui tot, ac tantis fractus doloribus, viribus propemodum diuturno labore exhauſtis, in carne videbatur, ſine carne ægram animam trahere. Interea parciſſimus erat temporis, laboris pertinax, vt inde potuerit per ius vtrumque, per Medicas Artes, per Mathematicas, per hiſtorias, & ſcientiarum alias excurrendo, Encyclopædiam conficere. Et erat illi par ingenium, fæcundum pectus, memoria ad admirationem prompta; vt de quauis propoſita materia ex tempore diſſereret aptiſſimè. Fuit illi cum Franciſco Suario, Gabriele Vaſquez, Ludouico Molina, aliiſquè huius notæ viris communicatio litterarum, qui eius in grauiſſimis quoque ſcientiarum negotiis iudicium exquirebant. Inter hæc decora ſapientiæ, tanta erat modeſtia, & animi demiſſione, vt ea quaqua poterat ope occultaret, nunquam de ſe ſuiſque rebus, niſi grauibus traheretur momentis, agebat. Vndique ab eo repetebantur, tamquam ab Oraculo reſponſa: ipſe verò dubiis in rebus, & maioris momenti negotiis, breuem dari ſibi moram poſtulabat, quo illa, teſte Deo, ſuaque conſcientia diſcuteret, & præuia oratione expediret. De ſua ſententia libens volenſque diſcedebat, quoties ab aliis valida, vel in ſpeciem, argumenta proferebantur. Obuium quemque ſalutatione præueniebat: omnes commendabat, ſe vnum, idque haud fictè damnabat, omnino ſe mortalium viliſſimum re verbiſque contendebat. Hinc ad ſuas laudes erubeſcere, atque alio mox dextrè ſermonem inclinare. Inter ſchedas quibus, quæ ſibi ſeruanda propoſuerat, inſcripſit, multa, & ne paſſim innoteſcerent Græcè fuerunt concepta. Septem capita continebat vna quædam (nam octauam abdiderat caracteribus ignotis) in hæc verba. I. Neminem vituperare. II. Ante ſtudium cor eleuare. III. Pro capiendo conſilio orare, Deus qui corda fidelium &c. Actiones noſtras. IV. In ſurgendo Orationem, Concede quæſumus, vſurpare. V. In rebus dubijs & perplexis, ad luminis Diuini fontem confugere. VI. Vbique impetum cohibere, & pacificè agere. VII. Modum in refectione ſeruare, & memorem eſſe cæleſtis voluptatis. Hæc ibi nec poterat ſe magis ille ad viuum exprimere. Adeo autem neminem vituperabat, vt potius omnes celebraret, & peteret etiam ab infimis, quod condiſceret. Certè ab Logices auditore poſtulauit haud pridem, vt ſi quando pulchri aliquid, vel in ſtudiis, vel in pietate conciperet mente, eius ſe faceret participem. Interrogatus aliquando ecquidnam homini Societatis pacem animi conciliaret, Humilitas, ait, & Obedientia. Ipſe ſibi vel in extrema ætate lectum ſternebat, cubiculum verrebat. Sæpe in triclinio defectus ſuos, etiam peculiares, cum rubore accuſabat, pœnas imperatas alacriter pendebat. In has aliquando voces, doloribus ſuis preſſus erupit: Et verò quis ego tandem ſum, quem ſibi Deus, vt patiatur, elegit? Item alias; Miror non rarò ad tantum certamen à Deo me tam imbellem athletam deſignatum eſſe; Herculem aliquem oportebat, ſed benedictus Deus in æternum. Cunctorum vna vox eſt, humili, ſuaui, ſeria, pia Leſſij conuerſatione ſeſe velut vi quadam magnetica attractos, lætiores, doctiores, ad virtutem promptiores effectos eſſe. Scholaſticorum è Noſtris quiſpiam S.P.N. Ignatij aliquid ab eo poſtulabat: carnis pauxillum Leſſius ex Vrbe attulerat. Iubet redire poſtridie viſurus interim ecquid ſibi ſuperſit. At iſtum verecundia ne rediret cohibuit. Exinde diebus aliquot obuius ei factus Leſſius, rogat cur ſe non reuiſiſſet? & è veſtigio ad cubiculum ſuum perducto, totam particulam ſubmiſſo prius oſculo honoratam, tradit, adijciens, melius ab

alijs

alijs eam, quàm ab ſe cultum iri. Diſceſſerat à Leſſio Sacerdos noſter, qui ſolatij capiendi gratia ad eum adierat, animo ac vultu vt videbatur, haud ſatis læto; Leſſium id tota nocte afflixit; donec ſummo diluculo quæſitum longa allocutione recreauit. Nocte media conſuerat è ſtrato ſurgere, & ventriculi morbum prolixa pulſatione diſpellere, mox vnam alteramue horam orando ducebat: Secundum quam aperta feneſtra ferebat oculos circum Collegium, eique à Deo bene precabatur. Societatem teneriſſimo amore complectebatur, ſola eius recordatione exiliebat gaudio, & crebrò grates agebat Deo, quòd ſpes omnes, quas ſibi mundus oſtendebat, abrupiſſet, totque iam annis in ea tam benignè, tam ſuauiter rexiſſet. Cenſebat deuotionem in Beatam Virginem, atque in Angelum Cuſtodem, ad perſeuerantiam in vocatione plurimum habere momenti: ideo Litanias Virgineas quotidie recitabat, vt in Societate perduraret; qua nihil accommodatius ad animarum ſubſidium à Deo datum eſſe mortalibus exiſtimabat, omneſquè, qui in ea permanerent, æternæ gloriæ eſſe oppignoratos. Iuſſus à Paulo V. Pont. Max. plurimis ſuis in Romanam Sedem meritis præmium depoſcere, ſuorum oblitus commodorum, vnam illi Matrem ſuam Societatem Ieſu commendauit. Cruciabatur animo, ſi quid intelligeret commiſſum, quod bono Societatis nomini officeret: ipſe exacta minimarum etiam regularum obſeruatione ſatagebat, ne quid in ſe tanta Matre indignum reperiretur. Leuiſſimas, etiam culpas contentione ſumma auerſabatur, atque ad peccati mentionem exhorreſcebat. Defectus tenuiſſimos, quos ſeſe in aliorum conſpectu admiſiſſe rebatur ex pectoris intimo deplorabat. Octo ante mortem diebus, cum de re quapiam coram alio queſtus ſibi eſſe videretur, toto ferè horæ quadrante, nullo admiſſo ſolatio, manantibus dolore lacrymis, ſe deprecabundus accuſauit. Nonne tu mihi, Deus meus, ſufficis, ne de minimo querar? Aliud nolo, ſolatium meum, tu es Deus meus. Cum obijceret quiſpiam non eſſe cur magnopere purgatorium formidaret; ipſe non ſine lacrymis cæpit de admirabilibus Dei Iudicijs diſſerere, facilè ſub ciborum ſapore ſenſualitatis aliquid delitеſcere; benè geſtis gloriam ſubrepere; cæteris in rebus curioſitatis quidpiam arridere; quorum non perfectè hominem deinde pæniteat: ſe quoque in iuuenili ætate forſan aliqua vanitate ductum fuiſſe: quibus ſatis demonſtrabat haud ſuppetere alia vnde ſibi magnopere metueret. Et re ipſa vix idoneam abſolutioni materiam in Confeſſionibus ſuppeditabat. Miſerabatur infeliciſſimam peccatorum ſortem, quos æterna ſupplicia manerent, quam, vt ipſi agnoſcerent, deſererentquè, crebrò Deum obteſtabatur. Candoris, ſimplicitatis, ſinceritatis amator erat, commendatorquè, ipſam mendacij, vel ſolam ſpeciem deteſtabatur: nunquam quo ſua ſe gereret, ambiguo, reſtrictoquè modo locutus. Angelicæ puritatis fuit æmulator inſignis: cui tuendæ cuſtodiam agebat ſenſuum attentiſſimam; & ad ipſam blandi hoſtis mentionem exhorreſcere videbatur. Faſſus autem illud de ſe aliquando eſt, cum ea ſtudia tractaret, quæ peccata præſertim illecebroſa, diſtinguunt, ſe ne primos quidem carnis motus ſenſiſſe. Paupertatem raro ſemper in pretio habuit. Nihil penes ſe patiebatur eſſe ſuperflui, nihil in cubiculo pictura, aliàue arte ſplendidum. Aiebat malle ſe moleſtiam aliquam cum paupertatis emolumento ſubire, quàm cum eiuſdem detrimento ſuis ſeruire commodis. Studioſè cauebat ne qui ſua cauſa ſumptus fierent. Itinera nonquàm commodè, ſed quam parcè faceret, attendebat. In omnibus memor ſe ſpiritu pauperem eſſe, cum ſuo etiam incommodo inopiam tolerabat. Aſſeres rogo iam adiudicatos ipſe ſibi deprecatus, ſedem ex ijs compegit, qua complures annos vſus eſt. Rogatus à quopiam Imagunculam non prius dedit, quàm Miniſter, diu quæſitus poteſtatem feciſſet. Vltimis vitæ ſuæ temporibus, de vitro à ſe confracto publicè in triclinio culpam ſuam enunciauit. Singulari fuit in ſuos Superiores obſeruantia, eorumquè imperijs exactiſſimè parebat. Colloquia ipſius erant Deo plena; ſeria, iucunda, docta, rerum diuinarum momentis grauia, pijs lacrymis ſæpe delibuta. Quoties vero Deum, Deique Myſteria auidius ſcrutabatur, ita Diuino amore colliqueſcebat, vt ſingultus, & lacrymas cohibere non poſſet. Poſtremis vitæ annis magis ſe, ac magis Diuinarum rerum tractationi dedit, ſemota cura ſcriptionis, quo ſe ad mortem diligentius compararet, niſi quod libellum de 50. Nominibus Dei conſcripſit, quem plurimi faciebat, deſtinaueratquè, ſi vita ſuperaſſet, libro altero Angelorum, alio Beatorum hominum perfectiones, alio Meditationes quaſdam, alio denique eximios ex Pſalmis verſus explicare. Libros Aſceticos Iacobi Aluarez de Paz, Ludouici de Ponte, alioſque ſimiles tractabat aſſidue: ſed Regularum Noſtrarum lectione recreabatur impenſius, quod ijs omnem perfectionem contineri, & omnem qui in cæteris Auctoribus eſt virtutis ſuccum quaſi exprimi diceret. Orationi plurimum temporis dabat, eaquè ſola iam ante annos plurimos, quæ conficere ſolebat itinera, traducebat; Litanias Lauretanas, quotidie recitabat honori Magnæ Matris, cuius Clientelam certiſſimam eſſe ſalutis arrham non ambigebat. Ab annis 30. Litanias adiungebat de Paſſione Dominica, atque ab annis 20. Iubilum S. Bernardi, vtrumquè nocte concubia, cùm è lecto ſurgebat. Litanias Sanctorum, vel cum Socijs reliquis, vel ſeorſim dicebat pro Angliæ ad Eccleſiam reuerſione. Vtilius ducebat paucas preces attentè, quàm curſim multas dicere: & eas quæ in vſu quotidiano

ſunt,

ſunt, quales ſunt menſæ benedictio, gratiarum actio, & huiuſmodi aliæ, conſideratè pronunciare, quam extraordinarias alias adſciſcere. Officium Canonicum, ne in ſummis quidem doloribus, ſi duos treſue dies extremos exceperis, omiſit. Ita totum diſtribuebat, vt Matutinum, & laudes Belgio, Horas rebus ſuis, Veſperas Hæreticorum Conuerſioni, Completorium Defunctis largiretur: horum namque iuuandorum ſtudio tanto tenebatur; vt illis vndique corrogaret ſuffragia, & ad id piaculare numiſma, non pendulum è Roſario dumtaxat, ſed alterum, etiam thoraci geſtaret inſutum. Officium quo attentius reuerentiùſquè perſolueret, Pſalmos frequenter meditabatur. Mirabatur id ab aliquibus deſultoriè percurri, vt ſpontaneis ſe precibus impendant. Sacrificabat quotidie, vel inter maximos cruciatus, vel certè ſi id non poterat, alteri Sacrificanti aderat, & cæleſti epulo communicabat. Nullis ante ſacrum negotijs locum dabat: ſemihora gratias poſt illud agebat. Interdiu ven. Euchariſtiam, vel tum cum alioqui decumberet ſæpiùs inuiſebat, Feria V. Litanias de illa pertexebat. Inter Cælites Angelum ſuum Tutelarem, Dionyſium Areopagitam, Leonardum, & Patriarcham ſuum Ignatium præcipua veneratione proſequebatur, & hunc quidem ſentiebat vitæ aſperitate nullis Religionum fundatoribus ceſſiſſe, niſi quòd rigorem poſterioribus annis temperarit, quo ſe plus vtilem exhiberet. Enimverò ſeueritatem hanc, nec ipſe Leonardus indiligenter æmulabatur, qui grauiſſimis morborum colicæ, calculi, herniæ duplicis, languentis ructantiſquè ſtomachi tormentis, voluntarias etiam flagellationes adijceret, & crebra ieiunia, niſi malis totam ipſius vitam meram inediam appellare. Totos 30 annos vnà cœnatione per diem, eaquè pertenui vixit; extra eam nihil vnquam potus admiſit. In cubiculi ſui pariete, hanc Epigraphen fixerat, Amor meus crucifixus eſt: & erat erga Chriſti paſſionem teneritudine animi inſigni. Vnde illi par ſtudium patienti & in aduerſis tolerantia tam robuſta, vt ipſe fateretur ſe ijs quæ patiebatur malis, parem haud futurum, niſi peculiari fuiſſet auxilio diuinitus adiutus; morte grauiora eſſe, & leuius illis fore incendium, quo viuus conflagraret. Incredibilis illi dolor erat in veſica leuanda, & cogebatur extremis temporibus plus centies diei noctiſque ſpatio ad eum cruciatum. Tormenti grauitatem, & animi ſimul æquitatem, ex Diuina voluntate perquam compoſiti, votum eius in ſcheda repertum adumbrat: ſic habet: *Beatiſſima Virgo: ſi dolores iſtos abſtuleris, voueo omnibus profeſtis tuis ieiunium in pane, & aqua; Roſarium in profeſto, & ipſo die; Horas Beatæ Virginis omnibus ſabbatis, niſi Superior, vel iuſta cauſa obſtiterit, & Feſtis Purificationis, Annunciationis, Præſentationis, Aſſumptionis, Natiuitatis, Conceptionis. Non cupio auferri, niſi ſit ad maiorem Dei gloriam, & meam ſalutem. Tenebor ſimul, atque aliquo modo conſtiterit. Si error, vel obliuio interuenerit, licebit proximo ſabbato inſtaurare.* Ingens Dei beneficium eas pœnas exiſtimabat; quibus ferendis aliorum quoque poſcebat preces ad auxiliũ à Deo exorandum. Accuſabat ſuam inertiam, quod ſine gemitu eas ferre non poſſet; & ſubinde miniſtrum rogabat, vt ſuam impatientiam (ſic aiebat) caſtigaret, cum interim generoſus eius animus omnibus eſſet admirationi. Vnum illi ſolamen in malis erat, Chriſtus Crucifixus. Par illi fortitudo fuit, & modeſtia, in exiſtimationis ſuæ diſpendio faciendo. Doctrinam ipſius de Auxilijs Diuinæ gratiæ notarant Academiæ Louanienſis, & Duacena, & paſſim toto Belgio proſcribebatur: ipſe tamen nihil commoueri eſt viſus. Eadem paulò pòſt à Sixto V. Pont. Max. anno Domini 1588. per Nuntium Apoſtolicum exempta cenſuræ, adeo non eſt factus inſolentior, vt aduerſarios etiam modeſtè excuſaret. Ad extremum victus malis poſt ſumpta Sacramenta piiſſimè expirauit. Louanij ad diem 25. Ianuarij anno ſalutis 1623. ætatis 69. Religionis 51. Sacerdotij 43. Profeſſionis quatuor votorum 33. ſtatim in capillos atque in omnia quæ habuerat in vſu, certatim à Noſtris alijſque inuaſum eſt, opinione ſanctitatis. Funus per honorifice celebratum eſt: cadaueri addita plumbea ætatis, vitæquè Epigraphe. Inciſa ipſius effigies in æs cum elogio luculento. Albertus Pius Belgarum Princeps ea erat de ipſo opinione, vt ad maximas quaſque difficultates examinãdas eum adhiberet. Iuſtus Lipſius V.C. alio ad Confeſſiones vti, dum vixit noluit, & in eius Opuſcula luculentũ, hoc illi ſcripſit elogiũ

Videſne, Lector, hoc opus? Sophia vides
Opus Sacrata. Quidquid illa condidit
A Condito Orbe, conditum bis libris habes:
Abyſſus ante, & pelagus hoc rerum fuit
Sed iſte lucem fecit, & compendium.
Sublimia hic videbis, & ſubtilia,
Humanaque hic videbis, & cæleſtia.
In pauca tibi, ſed vera verba conferam:
Philoſophus eſſe qui voles, lege hos libros.
Theologus eſſe qui voles, lege hos libros.

Iuſtus Ryckius Gand. Canon. hoc illum Epitaphio ornauit.

Leſſum *ſcribere,* Leſſio *parabam,*
Quo non doctior, atque temperatæ
Vitæ ſanctius Ordinem ſecutus
Alter Belgiacis refulſit Oris.
Cum me reſpiciens ſinera vultu
Virtus turbidulo; Quid occuparis,
Inquit, Rycquie, *verſibus minutis*
Dignum Leſſiadæ *parare* Leſſum?
Fruſtra funera, tam beata vexas.
Non eſt exigua cauendus ore.
Noſter Leſſiades, *poli Inquilinus*
Aſtrorum Incola, Numiniſque Conſors.
Si gratum Indigeti facis Nouello,
Has partes mihi tutius relinquas.

Non

Non grauabor, quamuis ſolito prolixior ſim, adſcribere etiam Stephani Emonerij, in Splendore veritatis, Aditu ad Diſputationem, atque adeo etiam omnium Doctorum de Leonardi Leſſij doctrina, & ſtylo iudicium. *Eius, inquit, mititas, & ſuauitas morum ſingularis, ſumma quæ in eo vbique ſe prodit, ſcriptionis nitela, & in difficultatibus quantumcumque implexis, ac, ſine rerum obſcuritate, ſiue Doctorum, vt fit, obſcuratione, tenebricoſis, limpiditas, & pelluciditas ſingularis; diffuſa rebus & ſucci pleniſſima, verbis ſubſtricta tractandi ratio, delectus ſententiarum, ſolidaque vbique doctrinæ cura inſignis, in penetrando, ac perſpiciendo difficultatis nodo acumen, & in diſſoluendo dexteritas, perpetua, & nunquam deſiderata eius fides in referendis, ac proponendis aduerſariorum ſententijs, modeſtiaque tanto viro digna in illis refellendis. Hoc enim qua erat, & intellectus luce, & voluntatis compoſitione ſemper retinuit, vt aduerſariorum ſententias ſumma fide referret, parique modeſtia, & lenitate reijceret. Et verò vix intra paucos annos prælum frequenti alterius vllius operis Theologici editione toties caluit, non exiguo argumento adamatæ à doctis Leſsij doctrinæ, eo ingenio, perſpicuitate, ac modeſtia traditæ.* A calamo Leſſij varia prodierunt, quæ Tomis II. complexus eſt Antuerpiæ typis Plantinianis Balthaſar Moretus 1626. & 1630. in folio. Continet autem

Tom.I. *De Iuſtitia, & Iure, cæteriſque Virtutibus Cardinalibus* Lib.IV. ad ſecundam ſecundæ D.Thomæ à quæſt.47. vſque ad 171. Hoc opus omnibus numeris abſolutum, impleuit Orbem terrarum fama, & fructu; Prodijt tum Louanij, tum Antuerpiæ ſepties feliciter, & ſemper auctum; primùm anno 1605. in quinta & ſequentibus editionibus acceſſit

Diſſertatio de Montibus Pietatis. Prodijt præterea ſæpè Pariſijs, ſæpè Lugduni, ſæpè alibi. Editioni Lugdunenſi anni 1630. acceſſit Theophili Raynaudi Noſtri

Appendix pro Leonardo Leſſio, De licito vſu Æquiuocationum, & mentalium reſtrictionum, aduerſus criminationes Ioannis Barneſij.

Tom.II. *Opuſcula varia*: nempè

De Perfectionibus moribuſque Diuinis. Lib XIV. Edidit illud ſeparatim Antuerpiæ, Moretus 1620. in 4. & appellari ſolet, *De Attributis Diuinis*.

De gratia efficaci, Decretis Diuinis, libertate arbitrij, & Præſcientia Dei conditionata, Diſput. Apologet.

De Prædeſtinatione, & Reprobatione Angelorum, & Hominum. Item de Prædeſtinatione Chriſti Diſputationes II.

De Summo Bono, & æterna Beatitudine Hominis. Lib.IV. ad 1.2. S.Thomæ. Editus fuit hic Tractatus Antuerpiæ typis Plantinianis 1613. & rurſum 1616. in 8.

De Prouidentia Numinis, & animi immortalitate, Lib.II. aduerſus Atheos, & Politicos. Ibidem iiſdem annis in 8.

Quæ Fides, & Religio ſit capeſſenda, Conſultationem cum Appendice, quâ Quæſtionibus quibuſdam, quæ ipſam Conſultationem ſpectant, reſpondetur. Antuerpiæ typis Plantinianis anno 1610.

Hæc Conſultatio à Thoma Saillio Noſtro Belgicè reddita, à Martino Chriſtophoro item noſtro Gallicè, deinceps ad varias linguas migrauit. Per hanc multi ſequioris Fidei errones in Sanctæ Matris Eccleſiæ gremiũ reducti ſunt. Hanc multi errorum Miniſtri ſcriptis libris oppugnarunt, & aduerſus illos propugnarunt, Latinè Hermannus Hugo, Belgicè Ioannes Gouda vterque noſter.

De Anti-Chriſto, & eius Præcurſoribus, Diſput. Apologet. II. Refutatur autem præfatio Monitoria, falſo (vt creditur) adſcripta Iacobo Magnæ Britanniæ Regi. Antuerpiæ typis Plantinianis 1611. in 8. Reddidit Flandricè Leonardus de Fraye noſter

Diſputat. de Statu Vitæ deligendo, & Religionis ingreſſu, Quæſtionibus 12. comprehenſam. Ibidem 1613. & 1617. in 8.

De Bono Status eorum, qui vouent, & colunt caſtitatem in ſæculo. Coloniæ prodijt apud Kinckium prius 1615. præferens nomen Leonis Hubertini à Sancto Dionyſio Sacræ Theologiæ Doctoris, varijs poſtea linguis donatus eſt.

Hygiaſticon, ſeu De vera ratione valetudinis bonæ, & vitæ vna cum ſenſuum, iudicij, & memoriæ integritate, ad extremam ſenectutem conſeruandæ. Subiungitur *Tractatus Ludouici Cornari Veneti eodem pertinens*, ex Italico in Latinum ſermonem ab ipſo Leſſio translatus. Antuerpiæ typis Plantinianis 1613. & 1614. Præcepta huius libelli adeò placuerunt Sereniſſimo Alberto Belgarum Principi, vt ea ad dies aliquot, experiundi gratia, accuratè obſeruauerit

Præter hæc decem opuſcula Tomo II. operum Leſſij contenta, prodijt eius lucubratiuncula ſub nomine alieno

Diſcuſſio Decreti Magni Concilij Lateranenſis. Moguntiæ typis Ioannis Albini 1613. in 8. Item poſt obitum prodierunt

De Beatitudine. De Actibus humanis.

De Incarnatione Verbi. De Sacramentis, & Cenſuris.

Prælectiones Theologicæ poſthumæ, cum variorum caſuum reſolutionibus. Omnes vno Tomo Louanij typis Cornelij Coeneſtenij anno 1645. in folio. Præterea opuſculum Aſceticum

Quinquaginta Conſiderationum de 50. Nominibus Dei vnà cum ipſius Leſsij vita. Bruxellæ apud Godefridum Schouartium 1640. in 12. & Pariſijs 1648. in 12. quod Flandricè vertit R.P. Henricus Felix Pallens Carthuſianus, Gallicè reddidit noſter Claudius Maillart ſæpius recuſum

Premuntur eiuſdem hactenus, quæ non-

 dum

dum lucem viderunt opuſcula

Notæ in Martini Nauarri Enchiridion

Notæ in Geneſim, & in Iſaiam

Notæ in Pſalterium

De Summo malo

De Perfectionibus Angelorum , & Hominum.

De Ven. Euchariſtia , & Virginis Matris prodigijs.

De Sacris ſublimibuſque meditationibus.

De Poteſtate Summi Pontificis , quod impreſſum quidem,ſed hactenus bonis cauſis ſuppreſſum eſt

Apologia pro Scriptoribus myſticæ Theologiæ, qui à Ludouico Bloſio citantur. Ad inſtructionem Candidatorum Myſticæ Theologiæ, cum Scholaſtica explicatione locutionum Myſticarum

Commentarios etiam habebat affectos in varias partes S.Thomæ , qui multorum in manibus ſunt.

LEONARDVS PATORNÆVS natione Gallus, patria Sequanus, Salinenſis, Societatem ingreſſus anno 1586. ætatis 17. Humanarum, Diuinarumque ſcientiarum, & Sacræ Scripturæ imprimis, quam multis annis docuit, armis inſtructus, Hæreſim ſæpiſſimè debellauit. Deceſſit cum magna ſignificatione pietatis Veſuntione anno 1639. die 17. Maij, votis 4. Profeſſorum iam pridem illigatus. Scripſit ſub alieno nomine

Declarationes aliquas multorum deductorum ad Eccleſiæ Caſtra.

LEONARDVS DE PENAFIEL Alphonſi frater, origine Hiſpanus, natione Peruanus, patria Riobambenſis ingreſſus in Societatem 1614. ætatis 17. vota 4. profeſſus, Philoſophiam Limæ, Theologiam Scholaſticam & Moralem Cuſci docuit eximia commendatione. Fuit Rector, & Magiſter Nouitiorum Limæ, & demum gubernauit totam illam Prouinciam, inſigni prudentia, zelo obſeruantiæ, & caritate. eo in munere dum viſitaret Collegium Chuquiſacæ mortalitatis vinculis ſolutus, ad ſuperos (vt ſperare fas eſt) migrauit die 2. Nouembris 1657. Vir fuit excellentis doctrinæ, & virtutis eximiæ, & merito inter prima illius Prouinciæ decora numerandus

Scripſit quatuor Tomos in folio de Theologia, ſcilicet

De Deo Vno. Lugduni 1663.

De Deo Vno, & Trino, Ibidem 1666.

De Virtute Diuinæ Fidei.

De Incarnatione.

LEONARDVS PERINVS natione Lotharingus, patria Stannæus in Diœceſi Virdunenſi, natus anno 1567. Societati ſe addixit 1586. Poſt artem dicendi quadriennio Muſſiponti, Philoſophiam Pariſijs altero quadriennio traditam; Sacras litteras biennio, Theologiam Scholaſticam octennio, Muſſiponti interpretatus eſt, vbi & ſeptennio Cancellarius Vniuerſitatis fuit, & ſubinde eiuſdem ſimul & Collegij in ea inſtituti Rector. Diu varijs in locis Sacras Conciones habuit. Eius eximiam caritatem, latè deprædicant Noſtri,quos bello Suecico ſuis ad Rhenum ſedibus eiectos,ipſe benigniſſimè excepit, liberaliſſimè habuit, & in omnes alioquiReligioſos profusè hoſpitalis. Lotharingis noſtris Muſſiponto cedere iuſſis, ipſi vni conceſſum ibi conſiſtere, titulo, vt vel ipſi aiebant Galli, ſanctitatis, qua clarebat. Fuit quippe vir abſolutæ virtutis, ad communem vitæ noſtræ normam, nullo in apice negligendam, incredibili ſtudio conſtanter attentus. Modeſtia rara, obedientia ad quæuis etiam ad extemporales Conciones miro ſucceſſu prompta. Cùm Theologiam doceret, ad tradendam Rhetoricam iuſſus lubens deſcendit, eoque munere per annos aliquot egregiè perfunctus, iterùm ad Conciones, tum ad Theologiam redijt. Per plures annos in cubiculo nunquàm ſedit, ſed ſtans & librum manu tenens legebat, atque in frigore quamuis acerrimo nudis erat manibus, ſi verò ſedendum quandoque erat, vt in ſcholis, & in triclinio, curabat impendiò, ne corpus fulcimentis, innitendo à tergo ſubleuaret. Vir quidam prudentiſſimus cui Leonardus ab adoleſcentia fuerat intimè perſpectus, quique illius Collega in ſcholis, Rector dein ac Prouincialis fuerat, eo demortuo non dubitauit aſſeueranter dicere, certum ſibi moraliter videri, eum tanta morum innocentia vixiſſe, vt non ſolum nullo vnquam peccato lethali ſe obſtrinxerit, ſed nè venialem quidem culpam paulo grauiorem deliberatè admiſerit. Demùm vti ſanctè vixerat, ita ſeptuagenario maior obijt Beſuntione die 10. Februarij anno 1638. Edidit Gallicè

Orationes funebres tres in Exequijs Sereniſs. Ducis Lotharingiæ Caroli III. & Caroli Card. Lotharingiæ filij ipſius dictas Nançei menſe Iulio 1608. Muſſiponti apud Melchiorem Berardum 1608. in 8. Latine verò

Pompam funebrem , & Iuſta eidem Carolo III. perſoluta æneis figuris expreſſa in folio expanſo. Opus imprimis laborioſum & latinitatis pleniſſimum

Thraſonica Pauli Verrij Caluiniſtæ. Muſſiponti apud Melchiorem Berardum 1619. in 8.

Vitam S. Nicolai Myrenſis Epiſcopi. Ibidem apud Hanzelet 1627. in 12.

Hilaria Muſſipontana ob relatos in Sanctorum Canonem S. Ignatium , & S. Franciſcum Xauerium. Muſſiponti apud Sebaſtianum Cramoiſy 1623. in 4.

Vita communis ſcitam Vrbanitatem , à Conuictoribus Flexienſibus ad Conuictum Muſſipontanum idiomate Gallico miſſam; latinitate donauit,& auctam *Appendice Conuiuali*, Conuictorum Muſſipontanorum nomine ad Flexienſes remiſit Muſſiponti apud Melchiorem Bernardum 1617.

* LEOPOLDVS MANCINVS natione Germanus, gente Boius, patria Vilshouienſis, diœceſeos Paſſauienſis, natus anno ſæculi præterlabentis ſexto, Deo ſe in Societate dicauit 1622. & ſolemni votorum quatuor ſacramento ſe adſtrinxit. Amæniores litteras ſeptennio docuit; quo tempore diſcipulos, non minùs pietate quàm doctrina imbuere conatus eſt, eliminatis prauis quibuſdam, quæ clàm irrepſerant morum corruptelis. Eccleſiaſten poſtmodum egit varijs ex Cathedris, dixitque pro concione per 22. annos, non minore fructu quàm laude; Cantilenas amatorias, ac turpes, quæ alicubi inualuerant inter mechanicos ſua induſtria penitus profligauit, ſubſtitutis earum loco alijs caſtis, ac pijs à ſe compoſitis, nam, & muſices quoque non vulgariter peritus fuit. Iuſſus dicere, coram Sereniſſimo Electore Maximiliano glor. me. ita placuit, vt per 12. deinde annos in Aula Cathedram tenuerit. Rexit Collegium Monachienſe, & à Sereniſſimo Electore Ferdinando Maria in arbitrum etiam Conſcientiæ ſuæ adlectus, vſque ad obitum ſuum eo munere perfunctus eſt, tanta cum approbatione ſuæ Serenitatis, vt & ægrotanti, & morienti plurimum indoluiſſe notatus fuerit. Nec quia Aulæ inſeruiebat omiſit alijs in templo promiſcue pœnitentibus etiam ruſticis aures in ſacro Tribunali accommodare; & omnibus mira dexteritate pro cuiuſque conditione, ſubminiſtrabat monita ſalutis. In victu porro, & corporis cultu, frugaliter valdè ſeſe habuit, nec ſubmiſſas ex aula de more dapes admiſit, nec quidquam fere ſingulare ad inſtaurandas ſenio, & laboribus attritas vires. Porrò in ipſa Aula quamuis ratione officij crebrò debuerit verſari, tamen nec negotijs Aulæ ſe implicari, nec fumis illius ſe eſt paſſus tingi; & quando vnà cum Sereniſſimo Electore (vt ſæpè contigit) foras neceſſe fuit exire, tempus omne quod poterat, aut precibus, aut lectioni ſacræ, aut piorum librorum ſcriptioni dabat. Demum fracta valetudine, & collabentibus viribus, poſtquam per generalem totius vitæ exomologeſim, & ſuſcepta vltima Eccleſiæ præſidia, ſe ritè ad tranſitum præparaſſet, inter Paſchales ferias Monachij ſpiritum Deo reddidit die 6. Aprilis 1673. Defunctum non dubitarunt, qui intimè eum nouerant hoc elogio ornare: fuiſſe nempè, Virum innocentem, & perfectionis Religioſæ ſtudioſum. Inter varia opuſcula, quæ elucubrabat in lucem dedit

Memoriale Paſſionis Chriſti, ſiue *Piam Paræneſim de Incruento Miſſæ Sacrificio*, Latinè, & Germanicè. Monachij formis Nicolai Henrici 1652. in 12.

Ideam Morientium, Chriſtum Crucifixum. Germanicè 1659. in 8.

Paſſionem Chriſti Nouo-Antiquam, id eſt, *Analecta Dominicæ Paſſionis ex compluribus Sacræ Scripturæ locis, cum Moralibus doctrinis intermixtis*. Tomis duobus. Monachij typis Schelli 1663. in folio.

Viridarium Morale Principis Chriſtiani. Monachij per Hermannum à Gelder 1671. in 12.

Enchiridion Aulicorum, ſeu Methodum Sacro-Profanum viuendi Chriſtianè in Aulis Principum. Monachij typis iiſdem 1671. in 12.

LIDANVS COLONELLVS natione Italus, patria Setinus; natus anno ſæculi præteriti 87. Societati nomen dedit prætereuntis quarto, & votorum 4. profeſſionem emiſit. Rhetoricam Noſtros docuit quinquennio; Magiſter Nouitiorum fuit ſeptennio, Inſtructor in tertia probatione ſexennio; Theologiam Moralem explicuit triennio, Rector fuit Firmi, & Florentiæ ſæpiùs annis 25. Demum octogenario annis ſeptem maior, antiquiſſimus Profeſſorum ſuæ Prouinciæ, & vir admodum ſpiritualis obdormiuit in Domino, Florentiæ die 6. Nouembris anno 1674.

Ediderat olim

Panegyricum de Laudibus Vrbis Florentiæ, carmine Heroico Florentiæ apud Bartholomæum Sarmartellum 1614. in 4.

LIVINVS DE CLERCQVE, ſiue CLERICVS natione Belga, gente Flander natus in Eſcha S. Liuini, Comitatus Aloſtani, anno 1597. ingreſſus Societatem anno 1615. ac in ea quatuor vota profeſſus, Græcas litteras annos aliquot docuit, & complures in Hollandica Miſſione verſatus eſt. Eccleſiaſten etiam varijs in locis diù egit, & demum ad laborum præmia ex hac vita emigrauit Cortraci die 22. Februarij 1652. Vir placidi ingenij, atque Exteris iuxta, & Noſtris apprime carus. Collegit ex Sancto Bonifacio alijſque & lingua Flandrica, & Gallica edidit præfixis initialibus nominis ſui litteris L. D. C.

Hiſtoriam & Vitam S. Liuini Martyris, & Archiepiſcopi Hiberniæ, & Flandriæ, & præſertim Gandauenſium Patroni.

* LOPIVS DE CASTILLA natione Peruanus, patria Limenſis admiſſus in Societatē anno ſæculi decurrentis 14. ætatis ſuæ 20. Maximam vitæ partem traduxit in Prouincia Paraquariæ, vbi & vota 4. nuncupauit & fuit Magiſter Nouitiorum, & rexit Collegium S. Michaelis, & operarium egit fructuosè, & diù, Indorum, Aethiopum, atqhe Hiſpanorum ſuperſtes etiamnum; Scripſit

Grammaticam & Vocabularium linguæ Angolanę pro faciliori inſtructione Aethiopum, qui ex Africa illuc tamquam mancipia deducuntur, vt in fide Chriſti erudiantur. in 8.

* LVBERTVS MIDDENDORFF natione Germanus, patria Bileueldienſis, in Comitatu Rauensbergienſi, annos natus 24. Societati ſe adiunxit anno ſæculi voluentis 31. Philoſophiam, & Matheſim, Coloniæ cum plauſu docuit, domi foriſquè omnibus gratus ob placidos mores atque eximiam in quoſuis

caritatem. Ingenio fuit practico, & ad ſtudia Mathematica peridoneo. Nullum in ea ſcientia librum legere cœpit, quem non penetraret; inuentor quoque ipſe multarum rerum futurus niſi præmatura mors, feruore ſtudiorum, vt creditur, accelerata, vitæ filum præcidiſſet. Phthiſi laborans, & pedum vſu deſtitutus, cùm Sacrificium ipſe offerre non poſſet, quotidie cæleſti pabulo ſe refecit, atque ad cæleſtia crebro anhelans deceſſit, Coloniæ die 24. Maij 1648. Edidit

Logarithmiam. Coloniæ apud Herman: Mylium 1647. in 12. Recuſam ibidem 1649. Item

Tabellam Horologiariam cuius, & Baculi in treſdecim palmos diſtinctione quolibet anni die, ex vmbra ſolari ad eleuationem poli grad. 51. ſeu Colonienſem, hora enunciari poſſet. Coloniæ 1648.

* LVCAS PAPROCKI natione Polonus, gente Maſouita ex Prouincia Dobrinienſi, Societatem amplexus anno ſæculi præterlabentis 24. ætatis ſuæ 16. votorum quatuor profeſſionem emiſit. Theologiam de moribus decennio explicuit, & ſcholarum Præfecturam quinquennio geſſit. Vir multæ eruditionis in rebus præſertim Poloniam ſpectantibus. Gubernauit Collegium Placenſe, ex quo ad vitam emigrauit (vti ſperamus) Beatorum. Die 17. Octobris 1657. Scripſit Polonicè multa ex quibus vulgauit typis

De Miraculoſis Gratijs in Templo aſſumptionis B. Virginis Mariæ Czervvinſci. Varſauiæ, apud Petrum Elort 1652. in 4.

De Origine ſtemmatis Grzymala. Ibidem in eodem libro

Reliquit prælo paratos libros. De alijs ſtemmatibus, & familijs Equeſtribus Prouinciæ Dobrinenſis.

LVCAS PINELLVS natione Italus, patria Molfenſis, in Regno Neapolitano, ex pueritia vix exceſſerat cum Societatem eſt ingreſſus anno reparatæ ſalutis 1562. in qua, & virtutes, & litteras imbibit, Theologiam cuius Doctoratu inſignis fuit, & Ingolſtadij. & Muſſiponti laudabiliter profeſſus eſt. Rexit poſteà Collegia Florentinum, & Peruſinum, & Domum profeſſam Panormitanam, & demum Præfectus ſtudiorum, & rerum ſpiritualium in Collegio Neapolitano, inde euocatus à Deo eſt ad laborum brauium, die 25. Auguſti 1607. votorum quatuor pridem antea Profeſſus, Scripſit Italicè

De Statu Animarum poſt hanc vitam Libros 2. qui latinè translati exſtant, Coloniæ apud Ioannem Henthemium 1605. in 12.

Gerſon, ſiue de religioſa Perfectione, & de obligatione, qua ad eam comparandam quilibet Religioſus tenetur Lib. 4. qui latinè exſtant, Coloniæ apud Balthaſarem Clypeum 1602. in 12. Hiſpanicè vertit Ioſephus Artiaga, Gallicè Franciſcus Solerius. Anglicè Thomas Euerardus Noſter. Belgicè Gilbertus Bahuſius Carthuſianus.

Meditationes aliquot Myſteriorum vitæ, & Paſſionis Domini Noſtri Ieſu Chriſti

Meditationes deuotiſſimas de B. Virgine Maria cum Iconibus. Brixiæ apud Petrum Mariam Marchetum 1599.

Meditationes breues de Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, & de Præparatione, ad Sanctam Communionem, deque alijs ad cultum tanti Myſterij pertinentibus. Ibidem eodem anno. Has omnes Latinè reddadit, atque edidit Ioannes Buſæus noſter, Coloniæ apud Arnoldum Mylium 1599. & 1603.

Meditationes Myſteriorum Roſarij cum Litanijs B. Virginis

Meditationes breues de peccatis mortalibus, quæ Latinè prodierunt, Coloniæ apud Ioannem Crithium 1607.

Meditationes de quatuor Nouiſſimis. Latinè impreſſit, Coloniæ apud Ioannes Honrlemius 1605.

De Miſſæ Sacrificio, eiuſquè fructibus. Latinè Coloniæ apud Crythium 1608.

De Sacramento Pœnitentiæ Lib. 4. cum tractatu de 5. vlneribus Chriſti Ibidem 1607.

Dialogum breuiſſimum de Sanctiſſima Communione, inter hominem mundanum, & ſpiritualem; cui acceſſit Tractatus breuis de Communione ſpirituali. Venetijs apud Paſinum Bruſidam 1602.

Drama ſpirituale, in quo conſiſtat plena huius vitæ felicitas

Opuſcula ſpiritualia ipſius omnia fuerunt in duos deinde tomos digeſta, Italice, Venetijs apud Ioannem Baptiſtam Ciottum 1604. Edidit præterea Latine eruditam

Diſputationem Theologicam, de ſtatu Animarum in altero ſæculo propoſitam Ingolſtadij 1577. Item alteram

Diſputationem de Chriſto Opt. Max. ac Matre eius Sanctiſſima. Ingolſtadij typis Vveiſſenhornijs 1577. & 1581. Item tertiam

Diſputationem de Eccleſia, propoſitam Muſſiponti 1580.

LVCAS VELLOSVS natione Luſitanus, patria Vlyſſiponenſis, adlectus in Societatem anno ſæculi labentis primo, ætatis ſuæ 16. Rhetoricam, & amæniores litteras docuit Conimbricæ ſexennio, & Sacram Scripturam ibidem octennio eſt interpretatus, vota quatuor profeſſus. Demum ibi etiam corporis vinculis ſolutus eſt, die 26. Iulij 1653. Edidit

Commentaria in Librum Iudith. tomum 1. Lugduni ſumptibus Laurentij Aniſſon: & Soc. 1649. in fol. Alium reliquit prælo dandum.

* LVCAS ZALVSKI natione Roxolanus, natus in Palatinatu Minſcenſi Albæ Ruſſiæ, Societati ſe applicuit anno ſæculi præterfluentis 20. ætatis ſuæ 16. & votorum quatuor ſolemne ſacramentum dixit. Docuit in ea humaniores litteras, Philoſophiam, Theologiam, tum Scholaſticam, tum Moralem,

lem, tum Polemicam, & Sacram Scripturam quoque eſt interpretatus. Miſſionarium egit quinquennio. Concionatorem annis octo ſupra viginti; Præfuit Superior Noſtris in Reſidentia, & demum Vilnæ in Domo Profeſſa, ad Cæleſtem patriam, vti confidimus, migrauit, die 20. Auguſti 1673. Scripſit vulgata ſub alieno nomine

De ſumptione Sacræ Euchariſtiæ ſub vtraque ſpecie. Vilnæ typis Academicis 1637. in folio

Compendium totius Philoſophiæ. Vilnæ typis Academicis 1640. in 4.

Panegyricum ſoluta, & vincta oratione de Sigiſmundo Denhoff S. Rom. Imp. Principe. Varſauiæ apud Petrum Elort 1646. in folio.

LVDOVICVS ALBRITIVS vide ſupra in Aloyſio Albritio, ita enim ille ſuum nomen ſcribebat Latinè

LVDOVICVS AB ALCASAR natione Hiſpanus, patria Hiſpalenſis, natus anno ſalutis 1554. nobilibus, & opulentis parentibus, ſingulare Diuinæ prouidentiæ miraculum in ſe ipſe infans expertus eſt: nondum enim annum ætatis expleuerat, cum argenteo nummo manu temerè in os iniecto, totis nouem menſibus fauces obſtructas habuit, paſtuſquè eſt lacte guttatim à domeſticis rei ignaris in os infuſo, ac per tenuem rimam qua cauatus patebat argenteus, demiſſo. Demum vehementiore tuſſi fauces conuulſæ argenteum expulerunt, ſupra quem caro paulatim circumadnata excreuerat. Is vbi adoleuit à teneris ſtatim annis, amplo patrimonio contempto, & reluctantibus quantumuis acerrimè parentibus, Societatem Ieſu amplexus eſt, anno 1569. atque in ea litteris, ac diſciplinis omnibus exquiſitè inſtructus, Ariſtotelem primum, deinde amplius 20. annos Cordubæ, & Hiſpali Sacras litteras interpretatus eſt. Sed ornamentum illud in eo fuit longe clariſſimum, quòd rem litterariam animi demiſſione ſic obruebat quaſi eam non attigiſſe plane videretur: qua quoque arte vſus eſt, cætero omni opprimendo decore, quo maxime potuiſſet clareſcere. Popularis auræ, & humani plauſus auidiſſimus contemptor, & perquam facetè interdum de bonis, quæ nobis peperit Chriſtus, alio quodam animi ſenſu loquebatur, nec à lacrymis, dum ſimilia loquebatur, temperabat. Obijt Hiſpali, die 16. Iunij 1613. ætatis 60. Proſecuta eſt Ciuitas eius mortem eximio ſenſu doloris, & cadauer ſuis humeris alij alijs ſuccedentes honeſtiores de Clero ſæculari, Regulariquè extulerunt. Edidit elaboratum annis prope 20. Opus cui titulum fecit

Veſtigatio Arcani ſenſus in Apocalypſi. Acceſſit

Opuſculum de Ponderibus, & menſuris. Antuerpiæ apud Ioannem Kerbergium 1614. in fol. & iterum. Ibidem 1619. & Lugduni 1616. in fol.

Poſthumum prodijt volumen alterum

In eas veteris Teſtamenti partes, quas reſpicit Apocalypſis nempe

Cantica Canticorum, Pſalmos complures, multa Danielis, aliorumque librorum capita lib. 5. Acceſſit Opuſculum *De malis medicis*. Lugduni apud Proſtios 1631. in fol.

LVDOVICVS ALMEIDA natione Luſitanus, cùm intentus mercaturæ, opum ſtudio Orientis maria percurſaret, Funaium Iaponiæ Vrbem delatus, ſtatuit S. Ignatij meditationibus, Noſtrorum opera, quos iam antea quoque cognouerat tantiſper vacare, exploraturus num bene tot diſcrimina, quot adibat, ponerentur. In eo ſancto otio Iaponam ſibi deinceps ſedem delegit, ac totum ſe, remquè ſuam bene lautam Chriſto, eiuſquè religioni propagandæ dicauit. Chirurgus erat non malus, Hac ope Iaponum ſuccurrere corporibus conſilium capit, vt ſic eorum animas lucrifaciat Redemptori. Certam mox pecuniam deſtinat, qua infantes alantur ſubducti matribus, quos barbara crudelitate conſueurant enecare, ſeu rei familiaris inopia, ſeu tædio educationis. Ad hæc valetudinario ſuam addicit operam, & dono planè cæleſti valetudines deſperatas ſæpe reſtituit. Verùm cum hæc omnia, pro eo vitæ perfectæ ſtudio quo flagrabat, modica viderentur, ſeſe ipſum ex integro Societati dedit anno ſalutis 1555. ætatis ſuæ 30. pecuniæque ſuæ fructibus Operariorum Chriſti in Iaponia multos annos difficultates ſuſtinuit. Illi certè vni Bungenſis Collegij debetur fundatio, atque aliarum fere ſedium Noſtrarum, qui ſuis eas facultatibus conſtabiliuit. Ex quo ſuæ virtutis, & Caritatis inprimis documentum dedit, nouis ſemper expeditionibus intentus, noua ſimul expertus incommoda, noua pericula, mirificè rem auxit Chriſtianam. Callebat apprimè mores Iaponum, & Inſtituta; agebat cum illis dexterrimè; quo facto ſibi gratiam Principum adiungebat. Optimo ſemper fuit exemplo, ardebatquè Zelo Diuini honoris proferendi. Multa paſſim templa excitauit: plurimos Eccleſiæ adiunxit; nomen ſuum magnis caritatis operibus poſteritati atque adeo etiam, quod potius eſt, æternitati commendauit egregiè. Facatæ Elephantiacum gentilem à Neophytis oblatum, adhibito futilis efficacitatis medicamine, quod, vel inuito extorſerant, præter ſuam ſpem incolumitati reſtituit. Vlcera, & plagas annorum iam 15. vitio deſperatas, paucis ſæpe diebus conſolidauit. Virum Nobilem tormentario puluere fortuitò accenſo ita ignis afflarat, vt aſſus vſtulata pelle videretur; cum à Medicis, qui curationem fruſtra tentarent, deſtitutum, triduo eduxit diſcrimine, breui reſtituit in integram ſanitatem. Omnino in morbos illi fuiſſe imperium diceres. Sed par illi propemodum erat in malos genios poteſtas, quos de corporibus hominum miſerè vexatorum fuſa ad Deum prece abigebat. Tanta erat

erat omnium erga ipſum beneuolentia, & veneratio, vt Apoſtolico more circumeuntem Eccleſias, agmine ſupplicabundi venientem ad ſe quique exciperent Cruce prælata, & decantata Catecheſi; abeuntem ſequerentur lacrymis, & pedum eius veſtigijs oſcula figerent, id quod conſpicati aliquando è Luſitanis aliqui nihil ſe memoria dignius toto ſuo itinere vidiſſe memorabant. Multa ipſe in ijs itineribus fortiter tulit, multa præclarè geſſit. Sæpè intentatam ſibi necem à Bonzijs, niſi obiectu ſuorum corporum Chriſtiani texiſſent, incurriſſet. Sed ipſe periculis omnibus maior, nihil præ illis appetebat. Demum cum triginta prolemodum annis Iaponenſem Chriſti vineam ſtrenue excoluiſſet, Amacuſæ in morbum incidit, qui fuit illi ſupremus. Cum decumberet opplebatur domus Neophytis venientibus ad oſcula pedum ipſius, largeque plorantibus: quos ipſe quando linguæ officio nequibat, blādo obtutu ſolabatur, atque in intimis ſe illos præcordijs geſtare ſignificabat. Obijt menſe Octobris anno 1583. ætatis circiter 60. Mortem ingens omnium dolor excepit: funus ſolemniter procuratum eſt. Scripſit Almeida

Epiſtolas treſdecim ex Iapone ab anno 1557. vſque ad 1576.

* LVDOVICVS ALVAREZ natione Luſitanus patria oppido S. Romani diœceſis Conimbricenſis, Societatem amplexus anno ſæculi fluentis 29. ætatis 14. vota in ea quatuor nuncupauit. Docuit Conimbricæ Rhetoricam & Philoſophiam, & Sacras litteras eſt interpretatus. Rector fuit Collegij Angrenſis, Portuenſis, Eborenſis, & modo, hoc eſt, anno 1675. Prouinciæ illius clauum tenet, inſigni talento ad concionandum præditus. Edidit lingua Luſitana

De Amore Sacro. Eboræ typis Academicis 1673. in 8. Item latina

Ioſephum Rachelis filium Illuſtrem. Lugduni typis Laurentij Arnaud & Petri Borde 1675. in folio.

Edita etiam eſt eiuſdem

Concio quam habuit coram Sacræ Fidei Quæſitoribus, ad Actum quem vocant Fidei. Eboræ 3. Aprilis 1672. in 4.

LVDOVICVS DE AZEVEDO natione Luſitanus, patria oppido Chaues contermino Gallæciæ adſcitus in Societatem anno ſalutis 1589. ætatis 16. abſolutis Goæ ſtudijs, fuit ibi Magiſter Nouitiorum, tum Rector Tanaenſis, poſtea miſſus in Aethiopiam vna cum P. Laurentio Romano, & alijs circa annum 1604. Strenuum ſe ibi Operarium ſpatio annorum vndetriginta præſtitit, emiſſa profeſſione quatuor votorum ibidem 1609. atque inde demum multis cumulatus meritis ad laborum præmia in cælum (vt ſperare fas eſt) euolauit die 22. Februarij 1634. fuit enim vt teſtatum de eo reliquit Patriarcha Aethiopiæ Alphonſus Mendez in ſua Hiſtoria M. ſ. de expeditione Aethiopiæ, omnibus ſemper in Aethiopia in oculis, & in corde, ob inſignem manſuetudinem, beneficentiam, & largitatem, quibus prompte, & hilariter illorum neceſſitatibus non tantùm ſpiritualibus, ſed & ſæpè corporalibus ſubueniebat, ſuppeditatis medicamentis ex India, & aliundè conquiſitis. Vtriuſque linguæ Aethiopicæ tam vulgaris, quam Biblicæ notitiam exactam comparauerat, & expeditiſſimè loquebatur. Numerari ægrè poterant multa animarum millia, quæ ex hæreſum tenebris, ad lumen Fidei Catholicæ extraxit, & quæ ex Ethnicis Agaorum ſuperſtitionibus ad Chriſti Eccleſiam aggregauit. Denique quamuis ætate, & morbis fractus, non ſolum voce populos illos, ſed & lucubrationibus ſcriptis erudire conatus eſt. Quare tranſtulit in linguam Chaldæam

Commentaria Franciſci Toleti in Epiſtolam S. Pauli ad Romanos, & Franciſci Riberæ in Epiſtolam S. Pauli ad Hebræos 1617.

Horas Canonicas, & Horas B. Virginis

Exorciſmos contra Tempeſtates

Annotationes imaginum Vitæ Chriſti Domini ab Hieronymo Natali noſtro factas. Item

Annotationes Imaginum Apoſtolorum, & Eremitarum 1625.

In Æthiopicum, ſeu Amaranum ſermonem, qui Curialis in Æthiopia eſt, tranſtulit

Teſtamentum nouum, illudquè vnà cum Ludouico Caldeira recenſuit. Item

Catechiſmum ex Luſitanico

Grammaticam à ſe priùs compoſitam, nouis curis recenſuit, illuſtrauitque

Pratum ſpirituale Concionum ſupra Symbolum Apoſtolorum pro Parochis digeſſit, materia deſumpta ex Roberti Cardinalis Bellarmini, Explicatione Symboli, & ex Catechiſmo Romano 1626.

LVDOVICVS BALLESTER natione Hiſpanus, patria Valentinus, Societatem Calendis Septembris, ingreſſus eſt anno Domini 1562. ætatis ſuæ 18. In ea multos annos Sacram linguam, & Sacras litteras Valentiæ explicuit. Sardiniam ſuis laboribus excoluit. Domui Tarraconenſi præfuit. Vir laboris amantiſſimus, qui ad diuinarum Scripturarum ſtudia conferebat, quidquid à meditationis contentione, atque ab alijs miniſterijs otij ſupererat. Detractionis, ac iurgij omnis quamuis leuiſſimi hoſtis infenſiſſimus, & opprimebat diſſidia, priùs in ſemine quam orirentur; mutus, & elinguis niſi cum de Deo colloquia miſcerentur. Nihil ſibi in victu veſtituque paſſus eſt, vel in ſenectute morbis afflicta indulgeri. Ardentiſſimis concionibus per compita paſſim inſtitutis, plebem inſtitit erudire, comitantibus dicentem lacrymis, gemitibus, ſuſpirijs, ſequente frequentia confeſſionum. Acerrimus erat, & pietatis augendæ procurator, & vitiorum exſcindendorum vindex; tentauitquè inſperato illo quidem, ſed felici ſucceſſu licentiam Bacchanaliorum, quæ prorſus erat in illa Vrbe effrænis, coërcere,

pro-

producto in compitalem concionem, hinc Cadauere, illinc è Cruce Chriſti pendentis effigie. Quam rem Antiochenus Patriarcha, Archiepiſcopus idem Valentinus, D. Ioannes de Ribera, nobilitate, prudentia, litteriſ, ac ſanctimonia clariſſimus tanti fecit, vt Ludouici per Vrbem tonantis imaginem curarit ſibi coloribus exprimi ad viri venerationem. In extrema ægritudine vim morbi, contractis ex diuturnitate iacendi vlceribus totiſquè artubus dolens, adeo patienter tulit, vt vegetus valenſquè videri poſſet. Medicis ſupremum vitæ diem adeſſe denunciantibus, rogatus vellétne Sacro oleo iniungi, placidè iuſſit in diem ab inde quintum differri. Tam ſecurus vitæ mortiſquè erat: & ſatius duxerunt Medici viri ſancti aſſeuerationi, quam ſuis Medicinæ legibus haberi fidem; eam quoque ratam euentus fecit. Suſceptis tempeſtiuè Sacramentis, læto animo, vultu ſereno, omnis timoris,, & ſollicitudinis expers, animam exhalauit. Valentiæ Cal. Maij anno ſalutis 1624. ætatis 82. Religionis 60. & ab emiſſa quatuor votorum profeſſione 45. Ad funus eius ingens concurſus factus eſt laudes ſanctitatemquè viri deprædicantium oſcula manibus figentium, admouentium Roſaria, inſperſos Cadaueri flores ad Reliquias colligentium. Edidit

Onomatographiam, ſeu deſcriptionem nominum varij, & peregrini idiomatis, quæ in latina vulgata editione Sacrorum Bibliorum occurrunt. Acceſſit

Hierologia, ſiue de Sacro ſermone lib. 4. quorum I. eſt de ſubſtantia Diuina. II. de ſubſtantia corporea inanimata. III. de ſubſtantia corporea vegetatiua. IV. de ſenſitiua. Lugduni per Horatium Cardon 1614.

LVDOVICVS BERTONIVS natione Italus, patria Firmanus, trium votorum in Societate profeſſus, Societatem vicenarius capeſſiuit anno ſalutis 1575. & omnes propemodum æquales in Tirocinio ad perfectionis, ſtudium ſtrenua contentione præuertit. Inchoato Philoſophiæ curriculo, ad propoſitam à Procuratore Peruano inter Indorum Infidelium nationes palmam in primis accurrit, & Limam emenſo Oceano attigit nondum Sacerdotio initiatus. Ibi poſthabita conficiendorum ſtudiorum cura, vt citius in albam iam meſſem intraret, Iuſidem obedientia viam monſtrante conceſſit, & Americanæ linguæ peritia, bene comparata, incredibile dictu eſt quantum in ſalute Indorum procuranda operæ poſuerit, quantumquè profecerit. Annis ibi compluribus actis, ingraueſcente podagra, primum Arequipam deinde Limam translatus eſt. Ceterum nulla, vel morbi vi, vel ætatis infirmitate ab audiendis aſſiduè Indorum atque Æthiopum Confeſſionibus arceri ſe vnquam paſſus eſt, & dum quoquo modo valuit ardentiſſimè ſemper ad eos concionari ſolitus eſt. Communi victu quoad per valetudinem licuit, mirificè delectatus eſt; dum non licuit, morbos eximia ſemper animi æquitate tolerauit. Diuina familiaritate ita vſus eſt, vt Deum ſemper præſentem intueri videretur; ſui apprime deſpiciens fuit, & in Humanarum rerum contemptione eo vſque prouectus, vt diceret, nihil ſibi poſſe, tam humile, tam abiectum imponi, quod non animo tranquillo, exciperet; paupertatem ita coluit, vt penes ſe nihil præter pios quoſdam libellos habuerit, & vno eodemque pallio, quod ex Europa attulerat, ad annos quadraginta vſus fuerit. Demum poſt annos circiter 44. in Indorum ſalute procuranda exactos; tanta virtutis opinione, vt vulgò Sanctus Ludouicus appellaretur, Obijt Limæ die 3. Auguſti anno ſalutis 1625. ætatis 73. Religionis aditæ 50. tria vota ſolemnia pridem profeſſus. Edidit lingua Hiſpanica

Artem breuem linguæ Aymaræ, ad introductionem artis, ſeu Grammaticæ copioſioris einſdem linguæ, cuius eſt vſus in Peruuio. Romæ apud Aloyſium Zannettum 1603. in 8.

Sermonarium, ſeu ſermones eadem lingua. Item

Vitam Chriſti, &

Tractatus alios apprimè pios

LVDOVICVS BROVART natione Belga, patria Arienſis, natus anno 1582. Societatem ingreſſus 1604. Theologiam Moralem in ea aliquamdiu docuit, tum totos triginta, & tres annos habendis per præcipuas Belgij Vrbes Concionibus exegit, non vulgari eloquentiæ laude, & votorum quatuor profeſſis adſcriptus. Eluxit in eo ſingularis totius corporis moderatio, mira ſermonis vrbanitas, aſſiduus in omnibus adiuuandis labor, vt norma quædam, & ſpeculum Religioſæ virtutis haberetur. In Deum, & Sacram Chriſti Humanitatem, in Virginem Deiparam, alioſquè Cælites aduocatos ſuos præcipuo ferebatur affectu. Sanctos verò menſtruæ ſortitionis, (erant ad trecentos, & plures) in litanias collectos quotidie inuocabat. De rebus Diuinis ſermonem in colloquijs appoſite inſerebat. nec vllum fere alloquebatur, quin prius dicenda particulatè deſignaſſet. Paupertatis amans in paucis, non aliter quàm ſi Tironum vnus eſſet, Superiores de rebus minimis adire ſolebat, eoſque impensè ad exemplum vſque colere. Verum primas in eo ſemper tenuit egregia quædam deſpicientia ſui, quæ ſibi vni diſplicebat plurimum, nec ſe appellari cum laude patiebatur. Hoc virtutum apparatu inſignem, tam noſtri, quam exteri ſuſpexere, quamdiu vixit, & luxere defunctum Cameraci, die 11. Octobris 1643.

Tranſtulit ex Latino Gallicè

Hortulum Marianum, Franciſci de la Croix noſtri. Duaci typis Balthaſaris Belleri, 1623. in 16.

LVDOVICVS BVSTVS natione Italus, patria Venetus in Societatem anno ſalutis 1604. ingreſſus, natus ipſe tum annos 16. votorum

torum quatuor profeſſionem in ea emiſit. Moralem Theologiam quadriennio profeſſus eſt, & Socios Rhegij Lepidi atque Arimini Rector gubernauit. Vir fuit egregiè pius Obedientiæ, & Regularum etiam minimarum, apprimè obſeruans, humilitatis admodum ſtudioſus; Diuini honoris amplificandi percupidus, orationi plurimum addictus, & iaculatorias aſpirationes frequenter vibrans. Magna voluptate de Diuinis rebus agebat, & cùm ægra valetudine eſſet, eam incredibili patientia, & ſumma voluntatis ſuæ cum Diuina conſenſione tolerabat. Piè obijt Arimini, die 26. Nouembris 1644. Edidit Latinè

Tractatus Aſcetici, De Mentis deſcenſu ad Hominis nihilum per ſcalam cognitionis ſui ipſius, Partem priorem; in qua procedit ex conſideratione eorum, quæ ſunt nota lumine Fidei. Bononiæ 1640.

Anatomiam Humani nihili hoc eſt *de mentis Deſcenſu ad Hominis nihilum per ſcalam cognitionis ſui*, Partem II.

LVDOVICVS CARDEIRA ſeu, vt aliqui eum vocant, CALDEIRA natione Luſitanus, patriam habuit, quam Veteres Pacem Iuliam, Recentiores Beiam appellant, Societatem amplexus eſt, Eboræ anno ſæculari 1600. annos natus 15. & confectis fermè ſtudiorum ſpatijs ad quæſtum animarum nauigauit in Indiam anno 1611. Inde in Æthiopiam 1623. vota quatuor profeſſus, & poſt multos annos in abluendis Æthiopibus ab erroribus vtiliſſimè impenſos, glorioſo ſuſpendio in odium Fidei, mortalis vitæ curriculum terminauit Tambenæ in Regno Tigræo, die 12. Aprilis 1648. vnà cum Socio P. Bruno Bruno, quorum res geſtas, & Beatam mortem fusè deſcribit P. Alegambe, inter Mortes illuſtres Patrum de Societate Ieſu, & Alphonſus Patriarcha in Hiſtoria M.ſs. Expeditionis Æthiopicæ lib. 4. cap. 12. Magnis planè à Deo ornatus fuit Ludouicus dotibus naturæ, & gratiæ, & vt verbis vtar memorati Patriarchæ erat: *Excellens Theologus, Mathematicus, Præceptor, Choraules, Organorum & cæterorum Inſtrumentorum pulſator peritus, graphicus characterum delineator, eximius Religioſus, facili ad omnia, & ad omnes indole, eaque de cauſa in omnium oculis habebatur.* Primus Abiſſinos Romanæ muſices numeros docuit, & intra breue tempus chorum in illis inſtituit. In India linguam Borealem illius Regionis perfectè didicerat, & in Æthiopia vtramque vulgarem, & Eccleſiaſticam, adeò ſcienter hauſit vt in Artem, quo facilius ab alijs addiſcerentur redegerit. Magno encomio eum celebrat Georgius Cardoſus, ad diem 00 Februarij ſub nomine Lud. Caldeiræ. Scripſit Æthiopicè

Calendarium Feſtorum mobilium, ſecundum Computum anni Aethiopici ad Romanum accommodati cum explicatione illius. Item lingua Amarana quæ in Æthiopia Curialis eſt,

Informationem de ieiunio

Teſtamentum nouum Amarana lingua, redditum à Ludouico Azeuedo, vnà cum ipſo recenſuit

LVDOVICVS CELLOTIVS natione Gallus, patria Pariſienſis ingreſſus in Societatem anno 1605. ætatis 17. vota quatuor profeſſus, Vir in litteris Hebraicis, Græcis, & Latinis, apprimè verſatus. Octennio docuit humaniores diſciplinas, & alio octennio Rhetoricam; ſeptennio explicuit Sacram Scripturam; Rexit Collegium Rothomagenſe, Flexienſe, & demum Prouinciam Franciæ magna laude prudentiæ, manſuetudinis, & caritatis. Paulò antè quàm in lethalem morbum incidit, cùm ex dolore tibiæ acerbiſſimo, quem ex lapſu contraxerat, lecto affixus hæreret, Chirurgis duriori manu, imò, & ferro, eius vulnera rimantibus, adeò robuſtæ in ætate licet effæta patientiæ ſpecimen dedit, vt in hac ſui quaſi laniena, ne quidem gemitum ederet, ſed perinde ſui corporis lacera fruſta, ac peregrini corporis fragmenta fixis oculis intueretur. Moriens magnum ſui reliquit deſiderium, præſertim in omnibus, qui eius ſinceritatem, candorem animi, & charitatem propiùs inſpexerant. Septuagenarius deceſſit in Collegio Pariſienſi, die 20. Octobris, 1658. Edidit librum

De Hierarchia, & Hierarchis Rothomagi apud Ioannem Boulenger 1641. in folio, qui prohibitus fuit à Sac. Congregatione donec corrigatur.

Opera Poëtica. Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoiſy 1630. in 8. *Tres autem Tragædias*, inde excerptas recudit vna cum aliorum è Societate Tragædijs, Antuerpiæ typis Ioannes Cnobbarus 1634. in 16. Eæ ſunt *S. Adrianus Martyr. Sapor admonitus*) *Choſroes*. Edidit prætereà

Panegyricos, & Orationes. Ibidem 1631. in 8.

Mauritiados Andegauenſis lib. 3. Carmine Heroico. Flexiæ apud Geruaſium Laboe, 1638. in 4. & Francofurti in Parnaſſo Societatis 1654. in 4.

Horarum ſubſeciuarum librum ſingularem ad veram librorum Franciſci Hallier de Hierarchia Eccleſiaſtica intelligentiam: Pariſiis apud Petrum Claudier 1648. in 4.

Hiſtoriam Gotteſchalci Prædeſtinatiani; & Accuratam Controuerſiæ per eum reuocatæ diſputationem. Pariſijs apud Cramoiſy 1655. in folio.

Concilium Duziacenſe primum, celebratum anno 971. cum alijs opuſculis vtriuſque Hincmari. Pariſiis typis iiſdem 1658. in 4.

LVDOVICVS CERQVERRA natione Luſitanus, patria Aluitenſis, ad Societatem acceſſit Eboræ annos natus 14. Anno Chriſti 1566. in qua cum ad Excellentem doctrinam euaſiſſet, Theologiam aliquot annis Eboræ profeſſus eſt, & Doctoris in ea facultate inſigni-

gnibus magno donatus apparatu. Demum poſtulatu Philippi II. Regis Catholici, & Præpoſiti Generalis Societatis Noſtræ permiſſu, Eboræ Tiberiecenſis Epiſcopus anno 1594. conſecratus eſt, vt Iaponenſem Eccleſiam aduerſus ingruentes procellas ſedulus Paſtor tueretur. Profectus ad illum crucis Epiſcopatum eſt Martio eiuſdem anni exeunte, Rege illi ad iter, ad Pontificalem apparatum, ſacram veſtem, argenteamque ſupellectilem ſuppeditante ſumptus. Macaum profectus, tantiſper ibi ſubſiſtere coactus eſt, dum detonuiſſet ſæua tempeſtas, quam in ſuos Taicoſama Iaponiæ Tyrannus exercebat. Anno demum 1598 vna cum Alexandro Valignano Societatis per eas Regiones Viſitatore, mari tranſmiſſo, Nangaſachum celebrem Iaponiæ Vrbem die 5. Auguſti peruenit: quo ipſo die Taicoſama perſecutor Eccleſiæ, qui morbo iam antea tenebatur, tam graui ſymptomate correptus eſt, vt haberetur ab omnibus pro deplorato. Eccleſiam illam eximia deinceps ſollicitudine, atque ædificatione gubernauit annis 16. magna ſapientiæ laude venerabilis; nec gregi ſolùm ſuo carus, ſed Ethnicis quoque Dynaſtis acceptus. Septem Iapones Sacris initiauit Ordinibus; quinque item minoribus. Ex illis quatuor inſtituit Parochos quibus, Eccleſias neceſſarijs inſtruxit apparatibus, & inſtitutis Sodalitatibus ornauit. In ſubditorum ſuorum mores, & vitam vigilantiſſimè excubabat; quos è contrario, fortiter etiam aduerſus aliorum iniurias tuebatur. Certè per Eccleſiaſticas Cenſuras Luſitanis interdixit, ne, quod antea conſueuerant, Iapones in mancipia aſportarent. Quotidie diſtribuebat in pauperes victum copioſè; ſed liberaliùs ſubueniebat priuatim nobilioribus, quos præſertim bona Fidei Confeſſio ſuis fortunis, & patria exturbarat, in eos irrogatas delinquentibus mulctas, & ſui ſigilli emolumenta deriuabat. Multis virtutum ornamentis reſplenduit: & imprimis innocentia tanta, vt vel in minimo Diuinum Numen offendere impensè formidaret. Hinc nullum, niſi Deo maturè conſulto negotium expediebat. Similis illi reuerentia fuit in Decreta ſummorum Pontificum, & Conciliorum. Imò erga Societatis Præpoſitos, & maximè Generalem, tanta ſemper obſeruantia fuit, quantam illi poſſent ſi ſibi ſubiectus fuiſſet, expectare. Caſtitatem amauit coluitquè ſtudioſè, & ſolitus erat dicere ſe quidquid illi aduerſaretur ſemper odio proſecutum fuiſſe. In omni actione religioſam grauitatem Prælato dignam præ ſe ferebat. Nihil vnquam loquebatur temere; nullum referebat de alijs, niſi perhonorificum ſermonem. Solandis afflictis quoduis negotium abrumpebat, & induebat facilitatem planè paternam. Adeo de ſe ſubmiſsè ſentiebat, vt cum eſſet omnibus doctrinæ ornamentis inſtructiſſimus, maturo iudicio, vaſta memoria; decreta tamen ſua prius cenſuræ ſubijceret aliorum, rogaretquè, vt liberrima criſi vterentur, quam ea foras vulgaret. Modeſtiæ documento omnium ſibi amores conciliabat, etiam illorum Ordinum Religioſorum, quos alioqui procul habuerat ab ea Prouincia, donec aditus illis per decreta Pontificum obſeratus aperiretur. Quam ex Religioſæ diſciplinæ diuturna exercitatione hauſerat virtutem, ad Epiſcopale munus cum attuliſſet, mirum quantam ſupremo illi apud Iaponenſes Neophytos loco attulerit dignitatem; prorſus, vt naſcentis olim Eccleſiæ incunabula repræſentaret. Domus eius Societatis Ordinem æmulata, orandi ſpatia datis ſignis partiebatur. Ipſe ne eſſet vnquam otioſus Clericis ſuis tametſi paucis, non raro de Conſcientiæ caſibus tempori accommodata prælegebat, vel eorum commodo ſcriptionem aliquam elucubrabat. His intentum curis ſuſtulit trimeſtris ægritudo, cui cauſam continuus ex ſponſæ ſuæ Eccleſiæ malis conceptus dolor, dediſſe creditur. Secundum hunc acceſſerat internus quidam inter humeros ſenſus, qui in geminum apoſtema dies ante obitum 15. erupit, quod cum omnia Artis medicæ præſidia eluſiſſet, Iaponenſis Eccleſiæ lumen incommodo ſane tempore extinxit, Nangaſachi, die 15. Februarij anno ſalutis 1614. ætatis 62. Religionis 48. Sacramentis ritè comparatus, ſui ad extremum vſque compos exceſſit, cùm ſæpe ſignificaſſet, terrena omnia iam ſibi diu viluiſſe, cupereque cum Apoſtolo diſſolui, & eſſe cum Chriſto, ſed vnam ſupereſſe curam, vt rudiorem ſuam Eccleſiam nouis præceptis erudiret: quam ad rem ſummi Pontificis, quem de multis conſuluerat, reſponſum præſtolabatur. Quo ſenſu iacturam omnes exceperint, ſatis teſtatum fecit incredibilis concurſus ad funus, publica comploratio, & pompa in iuſtis funebribus perſoluendis tanta, vt Europæum ſplendorem haud quaquam requireres. Scripſit pius Antiſtes

Mortem Glorioſam ſex Martyrum, qui anno Chriſti 1604. in Iaponia pro Fidei confeſſione paſſi ſunt.

Mortem Melchioris Bugendoni, & Damiani Caci, qui anno Chriſti 1605. Ibidem propter Fidei conſtantiam occiſi ſunt.

Litteras de rebus Iaponiæ ad Claudium Aquauiuam Præpoſitum Generalem Societatis Ieſu anno Chriſti 1613.

Manuale Caſuum Conſcientiæ, quod Iaponicè redditum, typis vulgatum eſt in vſum Parochorum. Item

Manuale ad Sacramenta Eccleſiæ miniſtranda ad vſum ſui Cleri ordinatum. Nangaſachi in Collegio Iaponico Societatis Ieſu. 1605. in 4.

* LVDOVICVS CONART natione Gallus, patria Pariſinus, admiſſus in Societatem anno ſæculi præterfluentis 30. ætatis 38. magno flagrans animarum zelo bis nauigauit in Inſulas Americæ, vbi multa dedit caritatis inde-

indefeſſæ monumenta ; nunquam tamen hæc clarius reſplenduit, quam cùm generoſo animo infectis labe contagioſa ſe expoſuit, atque in eo pietatis officio animam exhalauit in Inſula S. Chriſtophori die 8. Septembris 1648. duplici laurea (vt fas eſt cedere) coronandus, nempe & Viri Apoſtolici, & victimæ charitatis. Formatus fuerat in ſpiritualem Coadiutorem. Vertit Gallicè ex Hiſpanico

Vitam Georgij Lopez Solitarij in Noua Hiſpania. Pariſijs 1644. in 12. Item

Vitam P. Marcelli Maſtrilli Societatis Ieſu. Pariſijs 1646. in 12.

LVDOVICVS COVLON natione Gallus, patria Picto, ſuſceptus in Societatem anno ſalutis 1620. ætatis 15. Humanioris litteraturæ peritia pertinctus docuit in ea quinquennio Scholas inferiores, quadriennio Rhetoricam. Edidit dum in Societate eſſet

Homeri partem vnam Interlineari gloſſa interpretatam, Notiſque illuſtratam ad Scholarum Noſtrarum vſum.

* LVDOVICVS CRASIVS natione Belga, patria Grauelinganus, natus anno ſæculi elapſi 97. Societati ſe addixit labentis 14. & ex Belgio miſſus ſubſidiarius in Bohemiam, multis ibi annis nauiter laborauit docẽdo Ethicam, Philoſophiam, Theologiam ; & Sacras litteras ſeptennio eſt interpretatus. Fuit Cancellarius Vniuerſitatis Olomucenſis annis 11. Inſtructor Patrum tertiæ probationis annis quinque. Rexit Collegia Niſſenſe, Vratiſlauienſe, Glacienſe, & modo degit in Domo Profeſſa Pragenſi à Sacris Confeſſionibus Excellentiſſ. D. Burgrauio, ſeu Proregi Bohemiæ, vota 4. profeſſus ab anno 1633. Edidit Latinè

Librum vitæ, de Ieſu patiente, & Maria compatiente. Pragæ 1646. in 8. quem auctum, & imaginibus illuſtratum, meditatur recudere in folio, & parat plura.

LVDOVICVS CRESSOLIVS natione Gallus, patria Armoricus, honeſta, & nobili familia natus in Diœceſi Treconenſi. Admiſſus in Societatem fuit Lutetiæ anno 1588. natus annos 20. In grauioribus Philoſophiæ, & Theologiæ ſtudijs tantum profecit, vt eadem tradere alijs cum dignitate poſſet. Verùm cum ad amæniorem litteraturam videretur eſſe propenſior ; eam publicè iuſſus eſt profiteri, id quod varijs in Collegijs totos 10. annos non vulgari eruditionis opinione præſtitit. Anno 1619. Romam euocatus, Præpoſito Generali fuit ab Epiſtolis Latinis ad Prouincias Galliæ ſcribendis, quo in munere verſatus eſt cum inſigni humilitatis, ſuauiſſimæque conuerſationis exemplo, verſans ſubceſiuis horis SS. Patrum monumenta, eorumque reconditam ſapientiam, in vſum ſuum, & rei Chriſtianæ publicum delibans, vſque ad diem 11. Nouembris anni 1634. quo piè ſanctèque, vti vixerat, vita functus eſt cum omnium inſigni luctu ac mœrore. Vir fuit incomparabilis ingenij, ac doctrinæ, laboris patientiſſimus, qui nullam vitæ particulam otioſam relinqueret. Laudabat raro, vituperabat nunquam, nec obſeruantibus alijs, aut aliorum facta vel leuiſſimè carpentibus aurem, nedum iudicium accommodabat. In eo eluxit ſingularis quædam animi præſentia, ac iudicij vis ; tum tranquillitas, ac ſedatiſſima actio. Corpori natura tantum detraxerat, quantum ingenio indulſerat, lingua erat ad diſſerendum minus volubilis, exilis ipſa atque humilis ſtatura, defectis membris ſtrigoſiſque ; Sola frons lata atque eminens interioris animi ſpeciem præ ſe tulit. Denique ea fuit vbique viuendi eius ratio, vt cùm multis in locis verſatus eſſet, nemo vnquam inuentus ſit, qui eum ſibi moleſtum vlla in re ſenſerit, ſed inter diuerſiſſima ingenia, varioſque affectus, omnibus carus acceptuſque, vel difficillimis temporibus fuit. Scripſit

Orationes ad Henrici IV. Chriſtianiſſimi Regis funus cohoneſtandum cum illi Rhedonibus vrbe Armoricæ præcipua parentaretur, quæ nomine Collegij Rhedonenſis prodierunt

Inſtitutionem Catholicam P. Petri Cottoni è Gallico vertit Latinè extemporanea celeritate ; præſcripſitque prima ſui nominis elementa L. Cr. Moguntiæ per Petrum Henningium 1618. in 4.

Theatrum veterum Rhetorum, Oratorum, Declamatorum quos in Græcia nominabant Sophiſtas expoſitum lib. 5. in quibus omnis eorum diſciplina, & dicendi ac docendi ratio, moreſque produntur. Pariſijs per Sebaſtianum Cramoiſy 1620. in 8.

Vacationes Autumnales, ſiue de Perfecta Oratoris actione, & pronunciatione lib. 3. Ibidem eodem anno in 4. Acceſſit

Panegyricus Ludouico XIII. Galliæ, & Nauarræ Chriſtianiſſimo Regi votus in gratiarum actionem, pro Scholis reſtitutis Claromontani Collegij Societatis Ieſu in Academia Pariſienſi. Itemque alius aliæ gratiarum actiones exhibitæ eodem nomine.

Myſtagogum, de Sacrorum Hominum diſciplina. Opus varium, & Stromatis SS. Patrum & aliorum eruditione contextum, omnium certe laudibus celebratum. Ibidem 1629. in folio.

Anthologiam Sacram, ſeu De ſelectis piorum hominum virtutibus Decad. I. Ibidem 1632. in folio.

Virtutum Decad. II. Ibidem 1638. in folio.

LVDOVICVS CRVCIVS natione Luſitanus patria Vlyſſiponenſis Conimbricæ Societati nomen dedit die 2. Decembris anno Domini 1558. ætatis verò 16. homo ad Latinam eloquentiam, & ex temporalem natus, & Græcè Hebraicèque peritiſſimus, Poëta eximius, Concionator egregius, qui artem dicendi annos 12. profeſſus, Sacras deinde litteras aliquamdiu interpretatus, biennium Rhetoricæ tradendæ rurſus impendit. Demum lecto podagræ moleſtijs obnoxius, exceſſit è vita

Conim-

Conimbricæ die 18. Iulij anno 1604. Latino atque eleganti carmine feliciſſimè expreſſit, ac typis mandauit

Dauidis Pſalmos CL. Ingolſtadij 1597. Neapoli 1601. Mediolani 1604. Lugduni 1608. & alibi

Tragicas Comicaſque Actiones plures. Lugduni apud Horatium Cardon 1605. in 8.

Vitam Dominici Ioannis Coadiutoris temporalis è Societate Ieſu deſcripſit, quæ Mſ. ſeruatur in Tabulario noſtro Romano

LVDOVICVS DVLCEBENIVS, vide ſupra in Aloyſio Dulcebenio ita enim ille nomen ſuum Latinè ſcribebat

LVDOVICVS FERNANDEZ natione Luſitanus, patria Olyſſiponenſis Societatem complexus iam tum Sacerdos, & licentiatus in Artibus, anno ſalutis 1580. ætatis ſuæ 30. ad quæſtum animarum tranſmiſit in Indiam Orientis Solis, & ibi emiſit profeſſionem votorum quatuor. Præfuit Noſtris Bazaini, & multis annis Superior fuit Noſtrorum in Inſulis Molucis, ex quibus applicuit ad portum ſalutis (vti ſperare fas eſt) ſempiternæ circa annum 1609. Scripſit

Annuas litteras è Moluco Anni 1603.

LVDOVICVS FERRERIVS natione Hiſpanus patria Murcianus ex oppido Carauacca, adoleſcentulus 18. annorum cum eſſet, atque Humanioribus litteris nauaret operam cæleſti illuſtratus lumine res ſæculi prorſus abiecit, & Societatem noſtram anno ſalutis 1575. ingreſſus eſt, in qua primùm ad noſtrum Inſtitutum conformatus, tum grauioribus diſciplinis in Collegio Complutenſi expolitus eſt; vbi & in alijs etiam Collegijs noſtræ Societatis ſacris Confeſſionibus audiendis, domeſticis ad ſpiritualem profectum excitandis, externis ad pietatem omniſque virtutis ſtudium adducendis vtilem operam poſuit, & ſexagenario maior ad laborum mercedem ex hac vita migrauit Ocaniæ Anno Domini 1619. Tranſtulit ex Latina in Hiſpanicam linguam aureum.

Franciſci Coſteri libellum Sodalitatis B. Virginis Mariæ in quo Vitæ Chriſtianæ inſtitutiones traduntur. Matriti apud Ioannem de la Cueſta 1607. in 16.

Meditationes L. eiuſdem Coſteri, de eadem Beatiſſima Virgine, & totidem alias de Paſſione Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Scripſit ipſe præterea de ſuo Hiſpanicè

Tractatum de Oratione, & Meditatione. Matriti typis Regiis 1611. in 16.

Deuotionem de Actu Contritionis. Matriti apud Michaelem Serranceni 1614.

* LVDOVICVS FIGVEIRA natione Luſitanus, patria Almodouarenſis in diœceſi Eborenſi vndeuicenis Societati nomen dedit anno ſalutis 1592. & miſſus in Braſiliam, vineæ illius cultor egregius vſque ad mortem fuit. Anno 1606. magno zelo comitatus eſt Franciſcum Pintum ad prædicandum verbum Dei Tapoiis, Genti immani, & Anthropophagis Pernambucenſis territorii accolis, ſi forte Chriſto poſſent lucrifieri. Profecti ſunt ambo per ſyluas inuias, montes aſperrimos, ſaltus, & nemora, ſæpe nudis pedibus, nec alio cibo quam herbis ſylueſtribus identidem victitantes. Verum in ipſo regionis quaſi aditu, interfecto crudeliter à Barbaris Pinto in odium Fidei, quam prædicare aggreſſus fuerat, coactus eſt Figueira reuerti ad ſuos, nullo alio tunc operæ pretio, quam Apoſtolici laboris Chriſti cauſa ſuſcepti. Exinde gubernauit Collegium Pernambucenſe, & poſtea Noſtris ad Maragnonem magno Reſidentiæ illius bono præfuit; vnde in Luſitaniam nauigans ad conquirendos nouos pro tam vaſta vinea operarios, regreſſuſque cum ſelecta manu Sociorum quindecim, in ipſo oſtio Fluminis Amazonum ad Inſulam, quam Aroanſii incolunt, naufragium paſſus à Barbaris illis immaniter trucidatus eſt cum 13. ex Sociis, & interemptorum carnes ab incolis deuoratæ. Contigit ea cædes ineunte Iulio anni 1643. & ab emiſſa à Ludouico profeſſione 4. votorum 33. Edidit Ludouicus

Grammaticam linguæ Braſilicæ impreſſam Vlyſſipone in 12.

LVDOVICVS FLORIVS natione Italus, patria Frattenſis ex agro Peruſino Societatem anno 1610. ingreſſus eſt Romæ, ætatis 30. vtriuſque Iuris laurea iam tum ornatus. Maximam vitæ ſuæ partem exegit in Sicilia, vbi Procurationem illius Prouinciæ multis annis obiuit cum laude prudentiæ, ita tamen vt quidquid temporis ſuperfuerit ab officio, totum vel in excipiendis ſacris Confeſſionibus, quorumcumque de plebe hominum, vel in transferendis in Italicum Idioma piis opuſculis impenderit. Exceſſit ex hac vita Panormi in Septembri 1647. Scripſit Italicè

Tractatum De modo referendi in rationum libros, quidquid datum, & expenſum eſt. Panormi per Decium Cirillum 1636. in fol. Acceſſit

Exemplar libri ſui duplicis domeſtici cum ſuo diario. Reddidit ex latino Italicè

Hortulum Marianum Franciſci de la Croix noſtri. Panormi 1637. & Romæ typis Maſcardi 1641.

Gymnaſium Patientiæ noſtri Hieremiæ Drexelij. Panormi formis Decii Cirilli 1629. in 12.

Infernum Damnatorum Carcerem eiuſdem Drexelij. Romæ typis Maſcardi 1641. in 12.

Prodromum æternitatis eiuſdem Drexelij. Romæ 1642. in 12.

Tribunal Chriſti eiuſdem Drexelij. Romæ 1643. in 12.

Noë eiuſdem Drexelij. Ibidem 1644. in 12.

Amuſſim eiuſdem Drexelij. Ibidem 1645. in 12.

Ex Hiſpanica lingua in Italicam tranſtulit

Librum vitæ, Ieſum Crucifixum, Ioan. Euſebij Nierembergij. Panormi typis Petri Coppolæ 1648. in 12.

De Affectu, & amore erga Beatam Virginem. Eiuſdem ibidem 1653. in 12.

Soliloquia Diuina Bernardini de Villegas. Romæ 1640. in 16.

Labores Chriſti ex Luſitanico Fr. Thomæ à Ieſu Auguſtiniani. Romæ per Hermannum Scheus 1644. in 4.

Vitam P. Ioſephi Anchietæ Societatis Ieſu, ſcriptam à noſtro Stephano Paternina. Meſſanæ per Petrum Bream 1639. in 8.

Vertit præterea ex Hiſpanico Italicè quæ nondum ſunt edita

Vitam P. Balthaſaris Aluarez, Vitam P. Iacobi Laynez.

Compendium Vitæ P. Salmeronis.

Vitam S. Ignatij ſcriptam à P. Nierembergio.

Tractatum de Concionibus S. Franciſci Borgiæ.

LVDOVICVS FROES natione Luſitanus patria Beienſis, in diœceſi Eborenſi. Is anno 1548. nondum Sacerdos vnà cum Gaſpare Barzæo, & alijs de Societate viris inclytis ſoluit in Indiam. In naui multam caritati ſuæ materiam nactus, ſtrenuè cum Sociis eam exercuit, omnibus pro ſua cuique neceſſitate ſuccurrens, tum ſpiritualibus auxiliis, tum corporalibus, decerpens etiam de ſuo viatico, quod egenis daret. Goæ proſecutus ſtudia aliquamdiù, à Melchiorre Nunnio Prouinciali anno 1554. abductus, & ad ſalutem hominum procurandam Malacæ conſtitutus, annum ibi perutiliter poſuit, quo euoluto Goam ad ſua pertexenda ſtudia poſtliminio rediit. Iis abſolutis, repetita nauigatione, vnà cum Ioanne Baptiſta Montio, poſt multam iactationem, & crebra pericula, demum Iaponiam tenuit anno 1563. In Omurana ditione facta exſcenſio. Ibi primis diebus, quando linguæ imperitia non poterat aliud, Baptiſmi conferendi curam ſuſcepit, & breui ſupra 60. tinxit, nobiles omnes, vel Bonzios. In Firandi poſtmodum vicina profectus, Tacuſcimæ febri ardentiſſima æſtuauit, quo in languore dum iacet, ecce aliud incommodum ſuper aliud oritur: Iaponis vnius negligentia tugurium in quo iacebat, cum pluribus adiunctis Chriſtianorum ædibus vorax flamma vaſtauit. Pauxillum orizæ, & quidquid aliud ereptum incendio eſt, Ludouicus ſui negligens, in eos, qui damnum acceperant, partitus eſt. Sic morbo afflictus multa cadente niue, cum in proximum tugurium prorepſiſſet, ſtoream humi ſtratam pro lecto, duo ligna tunicæ obuoluta pro ceruicali habuit, & in cibum, ad febris leuamen ſcilicet, limaces, allia, cæpe. Verum ſuis adeſt in tribulationibus in opportunitate bonus Deus. Breui reualuit, ad grauiora deincpes toleranda ſeruatus. Meacum, Vrbem Iaponiæ Principem fine anni 1564. cum Ludouico Almeida profectus, ea maris, frigorum, valetudinis nondum benè firmatæ incommoda ſubiit, quæ longo illo in itinere, iniqua tempeſtate ſolemnia ſunt. Almeida Sacaii ad Chriſtianorum relicto ſolatium, ſolus ipſe perrexit; & Ozacæ qua tranſeundum fuit præſentiſſimum adiit vitæ diſcrimen, Bonzio Chriſtiani nominis hoſte capitali auctore, qui deſignatum ad cædem ſedulò veſtigabat. Domicilium illi tertiò mutandum fuit; nocte ac die in cæca latebra deliteſcendum; occulta demum ſemita clàm abſcedendum. Sic Meacum ſubiit exeunte Ianuario anni 1565. Ibi per excitatas bellorum turbas, interfectumque à perduellibus Daifuſamam Imperatorem, verſatus eſt, frequenter in mortibus, in exiliis, in ruinis incendiorum, ærumniſque aliis: nec vitaſſet extrema, niſi Neophytorum diligentia ſubueniſſet, indignus, vt de ſe ipſe ſcribit, pro nomine Ieſu contumeliam pati. Detonuit tandem illa tempeſtas; iuſſis abire in exilium Ludouico & Gaſpare Vilela, in quos maximè coniurarat infernus hoſtis. Hi dum Sacaium redeunt à Bonziis obuiam progreſſis laceſſiti ſannis, & opprobriis ſunt (nam militare præſidium additum à Gubernatore grauiores iniurias prohibebat) quæ Chriſti exules admirabili manſuetudine tolerabant. Sacaii digreſſo Vilela, quadriennium Ludouicus commoratus eſt. Multum ibi laboris exhauſit, corpore præſertim imbecillo, nec linguæ peritiam ſatiſdum adeptus. Sed adfuit Diuina vis, qua fretus multos nobiles, multoſque Bonzios conuertit: in Meacenſem interea Eccleſiam è vicino ſemper intentus, ſi qua ſe illam inſtaurandi occaſio aperiret; nec fruſtra fuit. Per ipſos Gentiles effectum eſt, nequidquam obnitentibus alijs, vt aditus patefieret, reuerſuſque illuc eſt Froes exeunte Martio anni 1569. Sed fraudibus Aduerſariorum eo breui adductus eſt, vt collectis ſarcinulis ocyus illorum ſe ſubducere furori debuerit, & toto biduo latitare, donec eorum qui vocarant patrocinio tegeretur. Ad Nobunangæ, qui occuparat Imperium, admiſſus colloquium, poſt aliquot de Europa, Indiaque quæſtiones, pro ſua innocentia ita perorauit, vt expreſſerit amplum diploma, quo ſedes ipſi ſtabilis in ea vrbe permittebatur, immunitas à vectigalibus, poteſtas quoquo libuiſſet excurrendi, pœnis propoſitis ſi quis obſtitiſſet. Sed noua breui procella excepit auctore Bonzio miro fraudum artifice, qui Patris interficiendi impunitatem dolo malo extorſit à Dairio ſummo Magiſtratu. Parum à morte Ludouicus tunc abfuit, quam ipſe lætiſſimus comparatoque iam ad eam animo expectabat. Verùm non eſt volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei donum. Seruatus ab hoc etiam diſcrimine eſt ad plures labores, quos Apoſtolico ſpiritu in difficillima illa Prouincia diu continuauit, donatus à Deo eximia linguæ Iaponicæ cognitione, vt prompte quidquid vellet, explicaret, tamque expedita curationum gratia, vt multos, quorum erat deplorata ſalus, virtute potius Diuina (vti credebatur) quàm Arte medicà, aut potionum efficacia, reſtituerit ſani.

ſanitati. Vixit in Iaponia difficillimis temporibus ad annum vſque 1597. quo pie Nangaſachi, poſt diuturni morbi patientiam, Sacramentis munitus in Domino menſe Iulio conquieuit, expletis in Societate 50. annis, atque ex ijs in Oriente 49. in Iaponia totis 34. Meminit illius magna cum laude Georgius Cardoſus in ſuo Agiologio ad diem 8. Ianuarij. Scripſit Froës,

Epiſtolas amplius quinquaginta de rebus Iaponicis ab anno Chriſti 1556. *vſque ad annum* 1586. quæ extant in Tomo Epiſtolarum Iaponenſium impreſſarum auctoritate Archiepiſcopi Eborenſis Theotonij de Braganza Eboræ per Emmanuelem de Lyra 1598. in fol. Præter aliquot alias de rebus Indicis, quæ extant apud alios, qui litteras Indicas in vnum corpus collegerunt. Item

Hiſtoricam Relationem de Legatione Regis Cinenſium ad Taicoſamam Regem Iaponum anno 1596. *inſtituta, & de horrificis prodigijs Legationem proxime antegreſſis*

Hiſtoricam Relationem de rebus per Iaponiam anno 1596. *à Patribus Societatis Ieſu durante perſecutione geſtis*

Hiſtoricam Relationem de glorioſa morte 26. *Crucifixorum pro Chriſto in Iaponia die* 5. *Februarij anno* 1597. *ſub Taicoſama Rege inter quos fuerunt tres è Societate Ieſu, ij qui Beatorum Catalogo ab Vrbano VIII. Pont. Max. adſcripti ſunt*. Hæ tres Relationes ex Italico Latinæ factæ prodierunt Moguntiæ typis Ioannis Albini 1599. in 8.

Narrationem mortis Quabacondoni, ſeu Taicoſamæ Imperatoris Iaponiæ. Denique

De Iaponum moribus, conſuetudinibus, inſtitutis, ritibus, cæteriſque quæ ad Iaponum naturam, ingenium, ac Religionem pertinent egregium volumen edidit. Sed opinor hoc opus, quod hoc titulo refertur haud eſſe ab Epiſtolis eius diuerſum.

LVDOVICVS GVERRERO natione Hiſpanus, patria Granatenſis ſuſceptus in Societatem anno ſalutis 1590. ætatis ſuæ 15. votorum 4. ſacramentum dixit. Poſt traditas Humaniores diſciplinas, Concionibus ad populum habendis ſalutariter occupatus eſt. Gubernauit Reſidentiam Giennenſem, & ſeptuagenario maior in patrio ſolo Granatæ denatus eſt 18. Auguſti 1653. Hiſpanicè vulgauit ſub nomine Hieronymi Velaſquez

Informationem Theologicam, & Iuridicam directam ad Illuſtriſſimum D. Franciſcum de Contreras, vt iubeat toto Regno tolli publica malarum mulierum proſtibula. Fuit hoc ſcriptum tam efficax, vt publico fuerint decreto proſcriptæ

LVDOVICVS GVZMAN natione Hiſpanus, patria ex Oſorno Caſtellæ Veteris Oppido, diœceſis Palentinæ. Adoleſcens ſe in Academia Complutenſi ad noſtram Societatem adiunxit anno ſalutis 1563. cum iam Philoſophiæ curriculo decurſo, ſacræ Theologiæ operam daret; quam poſtea in Societate didicit, atque excoluit. Abſolutis bonarum Artium ſtudijs Magiſter Nouitiorum factus eſt; quos eximio virtutis exemplo, ſingulari prudentia, præclara rerum ſpiritualium cognitione, atque induſtria ad perfectam Religionis formam inſtituit. Rectoris deinceps ſæpe munere, Prouincialis item Præpoſiti primum Bœticæ, tum etiam Toletanæ Prouinciæ ſemel atque iterum functus eſt, quo in munere vitam cum morte commutauit feliciter, Matriti die 10. Ianuarij anno ſalutis 1605. ætatis 61. Religionis 42. Vir fuit omni genere virtutum cumulatus, & numeris omnibus abſolutus. Humilitate, modeſtia, & affabilitate, Orationis aſſiduitate, turbidorum motuum mortificatione, ſui contemptu, ſilentio, manſuetudine, atque eodem ſemper tenore, & perpetua vitæ conſtantia excellens. Denique expreſſa quædam Sanctitatis imago. Superioris officium ægerrime admittebat: admiſſum mira in rebus gerendis prudentia, benignitate, caritate in ſubditos adminiſtrabat, vt eorum animos vel tum cum eos argueret ſibi deuinciret. Exemplo magis, quam imperio virtutem perſuadebat. Vilia culinæ miniſteria frequens obibat. Simul atque ſe abdicauerat adminiſtratione, ita ſe alijs attemperabat, vt nullis indicijs eum aliquando præfuiſſe agnoſceres. Animarum ſalute nihil habuit antiquius; cuius cauſa nulli labori parcebat. Hoc præcipue ſtudio ſcripſit Hiſtoriam Iaponicam, vt legentes excitaret ad ferendas ijs ſuppetias, qui eam vineam excolunt: cuius ipſe deſiderio cum iam olim flagraret, nunquam tamen impetrare potuit, vt eò mitteretur. Et cum fuiſſet P. Ignatio Azebedio Braſiliæ Prouinciali, quem cum Socijs Caluiniſtæ deprehenſum in mari peremerunt, inter alios additus, neſcio quo caſu retentus, opportunam fundendi pro Chriſto ſanguinis occaſionem amiſit: cuius iacturæ cum ſæpe mentionem non ſine ſenſu inferret, humilitatis inde materiam captabat, cum diceret ſe vnum fortaſſe futurum ex iis fuiſſe, qui animi imbecillitate perſtiterunt in Inſulis, & coronæ per vecordiam ſuam defuerunt. Paupertatem tam ſanctè amauit, vt quoties cubiculum iubebatur mutare, ne imaginem quidem vllam ſecum efferret. Præ alijs tamen virtutibus, ſingularis in eo eluxit obedientia, omnibus lineis perfecta, & ſtudium orandi tantum, vt horas minimùm duodenas quotidie impenderet orationi. Omnia ſua conſilia cum Deo communicabat. Ab illo ſibi vires & lumen, afflictis ſolamen repetebat, præmonebatque nonnunquam alios tempeſtatis ſecuturæ, & ſalutaribus ad eam conſiliis præmuniebat. Patientiæ, & manſuetudinis, cuius illuſtria multa dedit exempla, vnum hic ad ſpecimen producam. Graue illi crimen erat impoſitum: exiſtimauit Societas oportere dilui publica auctoritate calumniam. Ergo ab Apoſtolico Nun-

Nuntio impetrauit, vt ſuo vellet imperio in rem inquiri. Non minus 40. Teſtes in medium producti, qui Patris innocentiæ ſuffragarentur, cum inſigni infamia calumniatorum, quos ipſe grauiore ſupplicio ſua deprecatione liberauit. Sed breui pœnas Deo dedere omnes. At qui iuſſus fuerat inſtituere actionem, adeo ſe poſtmodum in Patris laudes explicabat, vt diceret nihil ſe minus ſanctitatis, & præclarorum in eo decorum inueniſſe, quam feciſſet in ijs, pro quibus in Sanctorum Canonum referendis ex Pontificis olim iuſſu inquiſiuiſſet. Quatriduo ſuam mortem aſſeueranter iminere prædixit. Sub vitæ exitum habuit ad Beatiſſimam Virginem dulciſſimam orationem, qua veterem ſuum in illam atque impenſum amorem profeſſus eſt, & Diuinæ tandem viſionis deſiderio accenſus feliciſſimè obdormiuit. Scripſit Hiſpanice

Rerum à Societate in India, Iaponia, & Sinis geſtarum Lib. 13. quibus initia, progreſſus, propagationem Chriſtianæ Religionis, tum cœteris in Regionibus comprehendit, tum maximè in Iaponenſi Regno, & Noſtrorum labores, Infidelium conuerſiones, Tyrannorum perſecutiones, crebra & magna miracula, profanos Idolorum ritus, varias & inter ſe diſcrepantes, ac ſuperſtitioſas ſectas, diuerſos hominum mores, & conſuetudines, facili ac ſincero ſtylo perſcribit Tom. II. Compluti typis Ioannis Gracian 1601. in folio.

LVDOVICVS HENRIQVEZ natione Hiſpanus, patria Legionenſis Societatem amplexus eſt anno ſalutis 1597. ætatis ſuæ 19. & relicto Maioratu cuius hæres erat, trium votorum ſolemni profeſſione poſt exactum tirocinij biennium, ſtatim Deo ſe obſtrinxit, & poſtea quartum nuncupauit 1614. Concionatorem egit multis annis in Vrbibus varijs, & demum diem extremum obijt, prout conſtat ex Catalogis defunctorum in Tabulario Romano Legione 20. Martij 1634. non ſerius vt quidam accuratus alioquin Scriptor, tradidit

Parauerat prælo

Hiſtoriam de Antechriſto. Sed morte præoccupatus non vulgauit

LVDOVICVS IACOBI natione Belga, patria Bruxellenſis, editus in lucem anno ſæculi elapſi 94. in Societatem admiſſus labentis 13. & ſpiritualis Coadiutoris gradum in ea conſecutus, per annos 40. Concionatorem egit. Diu etiam munus Præfecti ſpiritus obiuit, & in Miſſione Hollandica multis annis vtiliter verſatus eſt. Rexit Domum probationis Lyræ, & ſingulari Zelo animarum ductus, primus in Belgio, in Æde noſtra Cortraci, Inſtituit Congregationem Agoniæ Domini noſtri ex vtroque ſexu pro felice morte obtinenda, eiuſque confirmationem cum Indulgentia plenaria ab Alexandro VII. Pont. Max. impetrauit. Ipſe dein feliciſſima morte, vt ſperare nos iubet eius eximia pietas, vitam concluſit Cortraci, die 8. Decembris 1661. Reddidit Flandrice

Exercitia quotidiana Chriſtanorum P. Nicolai Cauſini. Antuerpiæ apud Henricum Aertſens 1631. Item

Speculum virginum in ſæculo Virginitatem vouentium. Antuerpiæ apud Ioannem Cnobbaert 1657. in 8.

Scripſit præterea

Vitas Alphonſi Rodriguez, & Benedicti Goes Coadiutorum Temporalium Societatis. Antuerpiæ apud Arnoldum Van Brahel 1659. in 12.

Ingreſſum in vitam æternam, ſeu piam præparationem ad felicem mortem. Antuerpiæ apud eundem 1661. in 12.

LVDOVICVS IANNINVS natione Gallus, patria Nantuanus, diœceſis Lugdunenſis, Societatem anno 1606. ætatis 16. complexus, votorum quatuor profeſſionem edidit. Poſt ſexennium claſſibus inferioribus impenſum, Rhetoricam annis 12. magna cum laude docuit, & Sacram Scripturam ſexennium explicuit. Fuit dein Præpoſito Generali ab Epiſtolis ad Aſſiſtentiam Franciæ annis 15. poſtea Collegium Camberienſe rexit, & demum octogenario maior, relicta de ſua inſigni virtute vbique exiſtimatione eximia, ad Religioſæ vitæ præmia migrauit Lugduni, die 22. Iulij 1672.

Latinè reddidit ex Italico

Epiſtolam Admodum R. P. N. Mutij Vitelleſchi Præpoſiti Generalis Societatis Ieſu de Anno ſæculari eiuſdem Societatis. Romæ 1639. in 8.

De Vita, & Inſtituto. S. Ignatij ex Italico P. Danielis Bartoli. Lugduni ſumptibus Laurentij Aniſſon 1665. in 4.

De Vita, & geſtis S. Franciſci Xauerij ex Italico eiuſdem Bartoli. Lugduni typis iiſdem 1666. in 4.

Aſiaticæ Hiſtoriæ. Partem 2. eiuſdem Bartoli. Lugduni ſumptibus Adami Deman 1667. in 4.

Aſiaticæ Hiſtoriæ. Partem 3. eiuſdem ibidem 1670. In 4.

Hiſtoriæ Europææ, Partem de Anglia, eiuſdem, Ibidem 1671. in 4.

Ex Hiſpanico latine tranſtulit

De inæſtimabili pretio Diuinæ Gratiæ, Ioannis Euſebij Nierembergij. Lugduni typis Petri Proſt 1647 in 8.

Prodigia Diuini erga homines amoris, eiuſdem Nierembergij. Lugduni apud Antonium Molin 1668. in 12.

De ſuo ſcripſit, & edidit

Rudimentum Concionatoris Chriſtiani. Lugduni apud Proſt 1642. in 12.

Diſciplinam virtutum, & Perfectionis Chriſtianæ, ex Alphonſo Rodriguez. Lugduni apud Boiſſat, & Aniſſon 1649. in 12.

Vitam P. Balthaſaris Aluarez contractam. Ibidem 1644. in 12.

Vi-

Vitam P. Bernardini Realini. Ibidem 1645. in 8.

Vitam Fratris Alphonſi Rodriguez. Ibidem 1648. in 12.

Coronam Auguſtiſſimæ Virginis Dei matris ex Gallico Franciſci Poiræi. Lugduni typis iiſdem 1645. in 12.

Tirocinium Sacræ Scripturæ ſenſu legitimo exponendæ. Lugduni apud Aniſſon 1667. in 12.

* LVDOVICVS IOBERT natione Gallus, patria Pariſinus, natus anno ſæculi voluentis 36. Societati nomen dedit 1652. & ſolemni votorum quatuor ſacramento ſe adſtrinxit. Rhetoricam, & humaniores diſciplinas magna laude docuit, annis 12. Nunc Concionatorem agit, in dilatando cultu Beatiſſimæ Virginis mirificè induſtrius. Edidit hactenus, ſed tacito ſuo nomine Gallicè

Deuotionem ſeruorum Matris Dei; Pariſijs apud Ioannem Henault 1668. in 24.

Praxes Deuotionis pro Feſtis 12. *B. Virginis*. Ibidem apud Simonem Bernard 1670. in 12. Habet prælo paratum

Annum Marianum. Opus ingens de Cultoribus B. V. Latinè

LVDOVICVS MÆRATIVS natione Gallus, patria Trecenſis, Societatem anno 1595. ætatis 17. ingreſſus eſt, & vota quatuor profeſſus. Vir ingenio, iudicio, doctrina, diſputandi acumine, explicandi facilitate, ac perſpicuitate cum paucis comparandus. Litteras humaniores per aliquot annos, & Philoſophiam non vulgari cum laude docuit: Sacram Theologiam Muſſiponti, Flexiæ, Lutetiæ, annos omnino 24. magna Auditorum frequentia, & admiratione profeſſus eſt. Rexit Collegium Bituricenſe, & Domum Profeſſam Pariſienſem, ad quam gubernandam ſecundùm à Præpoſito Generali deputatus, infimis precibus in affecta ætate id oneris eſt deprecatus. Vice Prouincialis adminiſtrauerat priùs totam Prouinciam, & à Comitijs Prouinciæ bis electus fuit, vt adiret Romam, ſemel ad Conuentum Procuratorum poſtea ad Congregationem Generalem Octauam. Fuit Conſcientiæ tenerrimæ, cautus admodum in ſermone ne quid ſupra limites veri exaggeraret, de nullo male ſentiebat, multòque minus ſiniſtrè loquebatur. Candore magno morum, & ſuauitate omnibus ſe amabilem præſtabat. Quotidie apud Confeſſarium peccata deponebat, vt Sacris operam puriùs daret, vel Sacram Synaxim ſumeret, cumfacere ipſe non poſſet. Multis ante obitum annis ægrotauit, quibus plurima merita ex patientia accumulauit, & demum Sacramentis Eccleſiæ ritè præmunitus ad brauium bene actæ vitæ euolauit Pariſijs in Domo Profeſſorum, die 19. Februarij 1664. ætatis ſuæ 87. Edidit magno plauſu excepta

Anagrammata in Regem Chriſtianiſſimum Ludouicum XIII. Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoiſy

Monoſticha, *Diſticha*, *& Polyſticha eidem Regi capta Rupella*, & exſtant in Palmis Regiis

Anagrammata cum 13. *Epigrammatis Cardinali Richelio.* Ea exſtant in Epinicijs Muſarum

Diſputationes in vniuerſam Theologicam Summam S. Thomæ tomis tribus. Ibidem 1633. in fol.

LVDOVICVS MAGNETIVS natione Gallus, patria Pariſienſis vicennis, Societatem complexus anno Chriſti 1595. votis quatuor ſe obligauit. Humaniores diſciplinas octennio docuit, vno Moralem Theologiam exinde Concionibus habendis Miſſionibuſque ſe impendit, Collegia Rhemenſe, Metenſe, Carolopolitanum adminiſtrauit, & demum Prouinciam Campaniæ. Permultis claruit virtutibus, ſed præcipuè humilitate, & contemptu ſui. Renunciatus Prouincialis dixit in ſe nihil eſſe prudentiæ, ſed ſapientium Conſultorum ope, ſe aliquid aſſecuturum, comparauitquè ſe ſimiæ in edito loco poſitæ vnde ſuam deformitatem omnium oculis exponeret, cum tamen aliorum iudicio Diuinæ ſapientiæ plenus eſſet. Paucis ante obitum annis dicebat ſe paratiſſimum eſſe ad Indicam Miſſionem. Suauiſſimum illi fuit inter orandum, cubiculi ſui aſſeres exoſculari, & allambere inſtar miſeri canis, coram Deo ſuo, ita enim de ſe loquebatur. Oratio illi frequens coram Ven. Sacramento, & clam reſtim collo appenſam geſtabat, qua ſe coram Deo dignum morte, & patibularium profitebatur. Poſtremis octo vitæ annis quotidianæ meditationis argumentum cum rei domeſticæ Adiutoribus audiebat. Manè quotidie cum daretur campana ſignum ſurgendi, flagro ſe cædebat per ſpatium Pſalmi Miſerere, donec in extrema ſenectute id ei vetitum à Superioribus fuit. In vltimo morbo nullum doloris ſignum edidit; nihil à Medico, vel Infirmario porrectum reſpuit. Demum octogenario maior plenus dierum, ac bonorum operum obdormiuit in Domino Muſſiponti, die 19. Aprilis 1657. Edidit

Paraphraſim Poeticam in omnes Dauidis Pſalmos, & Cantica Breuiarij Romani. Verſibus Heroicis, atque Elegiacis. Pariſijs apud Viduam Nicolai Buon 1633. in 12. ibidemque iterum ac tertio in 8.

* LVDOVICVS MAIMBOVRG natione Lotharingus, Nancæi natus anno ſæculi labentis 10. Societati ſe adſcripſit 26. & votorum 4. profeſſionem edidit. Eloquentiam, & amæniores litteras ſexennium docuit; Concionatoris munere in primarijs Vrbibus Galliæ fungitur iam annis 33. magno plauſu, & fructu.

Edidit hactenus

Panegyricos varios

1. *Dictum Ludouico XIII. Regi Chriſtianiſſimo, ob Galliam Virgini Conſecratam*. Rotho-

thomagi apud Ioannem de Boulenger 1640. in 8.

2. *De Galliæ Regum Excellentia.* Ibidem iiſdem typis, & anno.

In funere R.P.Nicolai Zappu Ordinis Sancti Auguſtini. Romæ typis Cameræ Apoſtolicæ 1638. in 4. Item Gallicè

Pacificam Methodum qua ſine Diſputatione Proteſtantes ad veram fidem de Euchariſtia reducantur. Pariſijs apud Sebaſtianum Mabre Cramoiſy 1670. in 12.

De Vero Dei Verbo. Pariſiis apud Cramoiſium 1671. in 12.

De Veritate Eccleſiæ. Ibidem eodem anno, & forma.

Conciones Quadrageſimales. Ibidem duobus tomis 1670. in 8.

Hiſtoriam Hæreſis Arianæ duobus Tomis Gallicè. Ibidem 1672. in 4.

Hiſtoriam Hæreſis Iconoclaſtarum, & De Tranſlatione Imperij ad Francos. Ibidem 1674. in 4.

LVDOVICVS MAKEBLIDIVS natione Belga, patria Poperinganus, quod nobile Flandrorum municipium eſt, natus anno 1564. ad diem ſextum Calendas Februarij, Societati ſe tradidit 1586. & Humanitatis, Philoſophiæ, Theologiæ ſtudia feliciter emenſus pietatis, & curandarum animarum ſtudijs ſe totum conſecrauit. Primus Rector Collegio naſcenti Bergis ac S. Vvinoci præfuit, tum Ipreníe ad ſex annos moderatus eſt. Poſt Antuerpiæ, & Gandaui Concionatorem, & Confeſſarium ſtrenuum, & feruidum ſe præſtitit. Ipſe demum ad Vineam Hollandicam excolendam miſſus, incredibili labore, & conſtantia pro conuertendis Hæreticis, & Catholicis confirmandis, atque ad omne pietatis exercitium erudiendis, per annos 29. deſudauit. Patribus ibidem in medio nationis prauæ, per multa ſparſis oppida, ad annos 8. magna omnium ſatisfactione præfuit, & velut ſpeculum pietatis, atque Apoſtolici zeli omnibus exemplo præluxit. In puerilibus Catechiſmis, in Confeſſionibus audiendis, in adeundis ægrotis, in omni genere hominum ad ſolidam, & dulcem pietatis deuotionem efformando, vir planè ſingularis. Quidquid ab actiuæ vitæ negotijs potuit ſibi bonarum horarum ſe ponere, meditando, de ſuperiore, vel pari loco exhortando, aſcetica lucubrando impendit. Demum annis confectus, & laboribus, ad horum mercedem migrauit Delphis in Hollandia die 17. Auguſti 1630. Edidit vernaculo ſtylo

Paradiſum Exercitationum ſpiritualium repetito ſæpius typo cum nouis augmentis, demum Antuerpiæ apud Hieronymum Verduſſen 1607.

Theſaurum Precationum

Artem virtutum, ſeu Perfectionis. Antuerpiæ apud Ioachimum Trognaſium 1611.

Montem ſpiritualium deliciarum. Ibidem typis Verduſſij 1618.

Breuem Exercitationem ad iuuandos moribundos. Typo & anno iiſdem. *Conſiliarium ægrorum & defunctorum.* Ibidem 1621.

Mercaturam Cæleſtem Deuotarum animarum. Antuerpiæ apud Ioannem Cnobbaert 1625.

Conuerſationem Cæleſtem. Ibidem eodem anno.

Vitam S. Ioſephi cum officio de eodem. Ibidem eodem anno.

Catechiſmum ad vſum Prouinciæ, & Suffraganearum Eccleſiarum Archiepiſcopi Mechlinienſis, ſeu Theſaurum doctrinæ Chriſtianæ minorem, ſiue Commentarijs in 40. circiter lectiones diſtributum, qui puerorum manibus teritur, & memoriæ mandatur, & centies ferè prælum ſubijt.

Maiorem Doctrinæ Chriſtianæ Theſaurum doctis Commentarijs illuſtratum per loca Sacræ Scripturæ, & SS. Patrum allegata non ſine exemplis ſuo loco opportunè appoſitis. Sæpius Antuerpiæ apud Trognæſium, & Verduſſen recuſum. Ex Gallico vertit Flandricè

Hiſtoriam Martyrum Iaponicorũ anni 1604. typis Verduſsij 1609.

LVDOVICVS MANSONIVS natione Siculus, patria Panormitanus inter illuſtres noſtræ Societatis viros merito collocandus. Adoleſcens annorum 14. Societati ſe adſcripſit in Sicilia anno ſalutis 1560. & decurſis partim illic partim Romæ ſtudiorum ſpatijs, Philoſophiam, & Theologiam Panormi, Romæ, & Mediolani docuit; Collegia Genuenſe, Mediolanenſe, Germanicum Romæ, & Romanum Rector adminiſtrauit. Præpoſitus Panormi, Vice-Præpoſitus Romæ, & Prouincijs Neapolitanæ, ac Mediolanenſi præfuit; Viſitauit Sardiniam; A Clemente VIII. Pont. Max. deſtinatus fuit Nuntius Sedis Apoſtolicæ in Hiberniam, cum poteſtate Legati de latere, & facultatibus ſpiritualibus ampliſſimis, etiam viſitandi quaſcumque Eccleſias, etiam Metropolitanas & Patriarchales, confecto ſuper ea re diplomate ad diem 19. Maij 1601. quamuis mutatis poſtea temporum rerumque conditionibus ea Legatio executioni data non eſt. Denique reuerſus in Siciliam, poſt multos lectionum Concionumque labores, Panormo Romã grauiſſimis de cauſis, rebuſque non ad Societatem modò, ſed ad Vrbis etiam Panormi, totiuſque Reipublicæ bonum pertinentibus euocatus, in Mamertina Domo, morbum, mortem, ſepulchrum, & quod egregia eius facinora ſperare iubent, cælum reperit die 2. Septembris anno ſalutis 1610. Reddidit ex Luſitanico Ioannis Lucenæ Italice

Vitam S. Franciſci Xauerij Societatis Ieſu, Orientis Apoſtoli. Romæ typis Zanetti 1613. in 4.

LVDOVICVS MOLINA natione Hiſpanus, patria Conchenſis, vix adoleſcentiam ingreſſus cum 18. eſſet annorum Chriſto nomen in Societate dedit, anno ſalutis 1553.

die

die 10. Auguſti, in qua Philoſophicas ac Theologicas litteras feliciter didicit, & feliciùs docuit, in Eborenſi Regni Luſitaniæ Academia, vbi per multos annos primas inter Theologos Profeſſores partes docendo tenuit, & Aquinatem Thomam eſt interpretatus, poſtea verò animum ad ſtylum conuertit. Vir fuit ſatis, & ob virtutem, & ob eximiam litterarum peritiam, omnibus notus & in pretio habitus. Duę in eo potiſſimum fulſere virtutes; Paupertas cum ſumma humilitate coniuncta. Nam cum ad 65. annos perueniſſet ætatis, & aſſiduo ſtudendi labore conſumptus eſſet, nunquam eſt paſſus aliquid vltra communem victum, veſtitumque ſibi dari. In cubiculo præter imaginem depictam, & libros nihil habuit præ quolibet fratrum. Breuiarium erat ita vetuſtate detritum, vt horæ minores vix in eo legi poſſent. Obedientia, & obſeruantia in Superiores, promptitudine ad communem conuictũ; & conſueta munera, nullus eum Tiro præiuiſſet. Nullo die prætermiſit interruptis tantiſper ſtudijs, librum Thomæ de Kempis, de Imitatione Chriſti delibare. Rogatus in extremo vitæ, num quos relinqueret libros abſolutos, & de illis quid fieri vellet; quaſi nihil ad ſe attinerent; Faciat, inquit de illis Societas pro ſuo arbitratu. Obijt vir religioſiſſimus & doctiſſimus Pater Matriti, non multo poſtquam ex Luſitania redierat die 12. Octobris anno ſalutis 1600. ætatis 65. Mors eius omnibus dolori fuit: nimirùm lucubrationes eius omnes Regij Auditores Concilij, Fidei Cenſores, cæterique Conſulti Iuris plurimi faciebant, dolebantque eius tam doctæ venæ caput præcidi. Cæterùm cùm non defuerint, qui Molinam acriore cenſura perſtrinxerint, eius doctrinam ſuo præiudicio damnatam in Ius ad ſummum Tribunal vocarint, ipſum acris ingenij nouatorem, & neſcio quibus alijs nominibus compellarint; operæ pretium quis de illo ſenſus ſit doctiſſimorum ex vno alteroue Scriptore externo omiſſis Noſtris Leonardo Leſſio, Ioanne Macherentino, Andræa Eudæmonioanne, Petro Iarrico, Valentino de Herice, Hieronymo Faſolo, Franciſco Garzia de Valle, Didaco de Baeza cognoſcere: De illo ſic ergo Silueſter Maurolycus lib. 5. Ocean. Relig. *Cuius eruditus*, inquit, *De Auxilijs partus, poſitus in fornace examinis Pontificij, & ſæpiùs igne probatus, deprehenſus eſt aurum omnibus numeris purgatiſſimum. Ipſe verò Molina in Theologia Morali tanta eſt auctoritatis, tantæque æſtimationis in Tribunalibus, & apud Iuriſtas, vt ſine adminiculo, aut copia aliorum Auctorum, adferat lumen veritati, deciſionem cauſis, terminum litigijs*. Laurentius Beyerlinck in opere Chronograph. ad A.C. 1599. tit. Viri Illuſtres. *Multiplice*, ait, *rerum ſcientia præcellens etiam doctiſſimos ſuæ ætatis, eam Theologiæ partem, quam maioribus difficultatum ſcopulis expoſitam longo vſu didiceras, elegantioris doctrinæ lumine penitus illuſtrauit*. Sunt qui exiſtimant, & typis etiam nuper impreſſerunt ſententiam illam P. Molinæ de Scientia Media, non fuiſſe approbatam à varijs Viris doctis, etiam de Societate, & nominatim, nec à Cardinali Bellarmino; nec à Gabriele Vaſquez, magnis Noſtri Ordinis nominibus. Sed quod ad Bellarminum attinet, contrarium euidenter conſtat ex authographo ipſius Cardinalis, quod aſſeruatur in Tabulario generali Societatis Romæ, de opinione Molinæ, oblato Clemente VIII. Pont. Max. in quo disertè affirmat Cardinalis, opinionem Molinæ De Scientia Media, videri ſibi veriorem. Sed nec illam à Vaſquez fuiſſe improbatam oſtendi poſſet ex varijs locis eiuſdem, præſertim in 1. Parte S. Thomæ ad quæſt. 14. Verùm non eſt inſtituti mei hæc enucleatiùs proſequi; præſtabunt id copioſè alij. Scripſit Ludouicus Molina perdoctos

Commentarios in Primam Partem D. Tho. tom. 2. Conchæ 1593. tum Lugduni Venetijs, & alibi recuſos

De Concordia Gratiæ, & Liberi Arbitrij, librum ſingularem. Antuerpiæ 1595. in 4.

Appendicem ad eandem Concordiam.

De Iuſtitia, & Iure. to. 6. partim Moguntiæ typis Lippij, partim Antuerpiæ typis Nutij excuſos. In ijs tantum eminet Ludouici ingenium, tanta Iuris Ciuilis comprehenſio, & diſpoſitio, vt mirum ſit hominem, qui in Theologicis ſtudijs ab adoleſcentia totam penè ætatem contriuit, tantam conſecutum fuiſſe Iuris ſcientiam, eamque tam exactè tradere potuiſſe. Reliquit etiam duos alios tomos ad Iuriſprudentiam pertinentes, ſed quos limare, & abſoluere, morte interceptus, non potuit.

LVDOVICVS DE LA PALMA natione Hiſpanus, patria Toletanus, Societatem amplexus anno ſalutis 1575. ætatis 16. vota 4. nuncupauit. Vir magno ingenio, & commendabili doctrina, ſed tam imbecilli ad Scholaſticos pulueres valetudine, vt inchoatum Philoſophiæ curſum coactus ſit abrumpere. Verùm præſtantiſſimæ prudentiæ laude, tam illuſtris, vt paucos habuerit ſuæ æuo pares, ſuperiorem forte vix vllum. Certè Petrus Ribadeneira, Vir expertus, & ſagax, regendæ Societati vniuerſæ etiam tum prope adoleſcentem cenſebat idoneum. Ergo Talabricæ primum Collegium, ac deinceps Domos probationis Villaregienſem, & Madritanam informandis Tironibus, ſemel iterùmque Complutenſe Collegium, Murcianum, Madritanum, ibidemque Profeſſorum Domum, bis Toletanam Prouinciam adminiſtrauit ingenti fama. Nempe cum ad altam mentem, qua præditus erat acceſſiſſet Inſtituti noſtri penitiſſima peritia, ex eaque ſuos ſuauiſſima efficacitate proueheret ad ſanctitatem, ſemper benignus, ac placidus, etiam cum corrigeret exerrantes, facilis exorari placarique; & ſi quid idoneæ excuſationis afferretur, diſſimulare, & parcere, exhortari, ac perſuadere, facundus, ac ve-

hemens, vitæ compoſitiſſimæ exemplo potenter eloquens, facile omnes laudis numeros adimplebat. Plurimos ferendo, fouendo, cunctando ſeruauit, qui ruebant præcipites; plurimos ad claram virtutem perduxit. Ipſe in ſe plurimo precandi ſtudio ſplendidiſſimos Diuinæ lucis radios deriuabat. Vultus illi ſemper idem, idem animus, nunquam triſtis, aut effuse læſus; nunquam ira concitatior, non impatientia dictorum, factorumque moleſtior. Lucebat in omni actione modeſtia, in ſui cultu paupertas; in cura neglectus, in ſubditorum indigentia tempeſtiua prouidentia, & liberalitas Religioſa. Erat ſuis moderatoribus audientiſſimus, promptus dare conſilia, atque accipere à quolibet, omnium horarum, actionum omnium, atque hominum homo; Nullum dedignari ob conditionis iniquitatem, vel ætatis, nullum à ſe mæſtum, inconſolabilemuè dimittere; nulli fortunam, aut ſplendorem, ac ne virtutem quidem inuidere, ſed gratari. Silentij, atque obſcuritatis amantior, neminem inuiſere, nulla ducere colloquia, niſi ratio popoſciſſet. Tanta per ætatem omnem innocentia, vt quam acceperat in Baptiſmo nunquam prodegerit. Deiparæ Virginis Cultor, atque amator eximius. Demum cùm ſuæ primum, & octogeſimum ætatis, ſextum, ac ſexageſimum Societatis annum ageret, antiquiſſimus Profeſſorum Toletanæ Prouinciæ, Sacramentis rite perceptis obdormiuit in Domino Madridij, die 20. Aprilis 1641. Funus à multis magniſque frequenti concurſu celebratum eſt. Edidit Hiſpanice

Hiſtoriam Sacræ Paſſionis Domini ex quatuor Euangelijs. Compluti apud Ioannem Ordunam 1624. in 4.

Viam ſpiritualem prout eam docet S.P. Ignatius in ſuo libro Exercitiorum Par. 1. 1626. in 4.

Praxim & declarationem breuem Viæ Spiritualis, quem libellum verè aureum latinè reddidit Iacobus Dyck noſter Antuerpiæ, Viennæ, Monachij editum. Italicè tranſtulit noſter Ludouicus Florius. Neapoli 1670. in 8.

Epiſtolam de Vita, & Morte P. Franciſci Porres Societatis Ieſu. Reddidit præterea Hiſpanicè

Medicum Religioſum Caroli Scribani. Matriti 1635.

Exercitium Mortis.

LVDOVICVS PINERVS, ſeu, vt Antonius Vaſconcellus in deſcrip. Luſit. pag. 485. eum vocat *Pinarius*, natione Luſitanus, patria Talabricenſis. Vir fuit vitæ integritate clarus, & Religioſæ ſeueritatis ſtudioſus. Noſtros in Inſula S. Michaelis, ſex annis gubernauit, & Viſitator Inſularum aliquot annis fuit. Obijt Sacramentis inſtructus inter Diuina colloquia Vlyſſipone anno ſalutis 1620. ætatis 60. Religionis ſuſceptæ 44. Profeſſionis quatuor votorum 23. Scripſit Hiſpanicè

Relationem rerum Iaponicarum ſub Imperatore Cuboſama ab anno 1612. *ad* 1615. Matriti typis Alphonſi de Balboa anno 1617. in folio.

LVDOVICVS DE PONTE natione Hiſpanus, patria Pincianus, ab ipſis incunabulis factus atque educatus ad pietatem. Natus eſt loco nobili, anno ſalutis 1554. die 10. Nouembris, & Societatem noſtram expetiuit annum agens vigeſimum, atque admiſſus eſt anno 1574. die 2. Decembris, cum iam Philoſophicis eſſet diſciplinis inſtructus, & duos annos in Sac. Theologiæ ſtudio vtiliter poſuiſſet. Multum ille quidem, ac diu ſecum luctatus eſt animo reciprocante, cùm affectus, & diuturna conſuetudo, eum traheret ad Sacrum Ordinem Prædicatorum. At ex aduerſo tanta motionum internarum efficacitate rurſum ad Societatem impellebatur, præſertim cùm cerneret fructum admirabilem, quem in mortalium ſalute procuranda, quotidie illa referret, vt reluctari non poſſet Deo incitanti. Exibat in agrum ibiquè laxatis animo habenis, in gemitus, & ſuſpiria ne diſrumperetur ſeſe profundebat. Vocabat in vota Deum, ne ſe pateretur ignarum eſſe ſuæ voluntatis, in tam ancipiti fluctuatione, quoniam ab ipſius vnius nutu pendere ſtatuerat. Sex ipſos menſes tenuit illa iactatio. Sed quoties ad Orationis quietem ſe componebat, atque in Diuino conſpectu expendebat res ſuas, ſemper hæc illi ſe cogitatio ingerebat; velle Deum, vt Societati Ieſu ſe adiungeret: cui ſe tum demum penitus addixit cum P. Martini Guttierez viri clariſſimæ ſanctitatis conciones audiſſet, & Franciſci Suarij modeſtiam in Theologica Diſputatione, cui præſidebat, exhibitam eſſet admiratus. Methymnæ Campi, poſuit Tirocinium Sanctitatis ſuæ Ludouicus, vbi tum ardebant omnia eo igne, quem P. Balthaſar Aluarez paulò ante accenderat. Ipſe in tam inſigni Palæſtra, adeò ſe ſtrenuè exercuit, vt tamquam in abſolutum perfectionis exemplar, in eum iam tum cæteri intuerentur. Subinde Maiorum iuſſu proſecutus eſt ſtudia litterarum, in quibus longo poſt ſe interuallo condiſcipulos omnes reliquit propter ardorem animi, promptum ingenium, acre iudicium. Sacerdotio initiatus anno ſalutis 1580. Ariſtotelis curſum (vt vocant) docendo Legione confecit, & Sacram etiam Theologiam profeſſus eſt acute, grauiter, & eruditè, æmulatus egregiè in publicis actibus, quam adamauerat in Franciſco Suario, moderationem. Sed cùm non minus vitæ integritate, ac Religione, quàm ingenio, ac doctrina excelleret, Magiſtri Nouitiorum, atque Rectoris partes, ſæpe ſubire iuſſus eſt, eaſque peregregiè ſuſtinuit. Sed tenui, vel potiùs nulla valetudine, qua ſemper conflictabatur coactus eſt abrumpere, & gubernandi, & docendi curſum, & animum ad ea ſcribenda transferre, quæ longo vſu, aſſidua meditatione, perpetua ſui mortificatione didicit, & non tam ex aliorum libris hauſit, quam in ſe ipſe expertus

pertus eſt. Nimirum, vt ſumma quædam capita virtutum eius delibem. Paupertatis amore veſtibus ſemper vſus eſt attritis; modica ſupellectile atque pertenui; cibis communibus, & niſi morbi prohiberet neceſſitas, in triclinio communi. Virginitatis decus ſeruauit intemeratum: virgineam in ore totoquè habitu corporis modeſtiam æmulatus. Superiores, etiam quos olim habuerat ſubditos, aut diſcipulos, mirificè obſeruabat, nihil illis inconſultis aggrediebatur, vel tum cum præerat alijs, habebat adiunctum quempiam cui in ſui ipſius tractatione auſcultaret; Erat in familiari ſermone ſuauiſſimus; placidus in omnes atque manſuetus, & tam ſui deſpiciens, vt cum ingenio, doctrina, prudentia valeret ad miraculum, infimis tamen quibuſque facile concederet; ſua ſubmitteret aliorum iudicio, & promptus ex eorum cenſura caſtigaret. Ornamenta animi ſui omni ſtudio contegebat; crebro ſe coram alijs in publico cænaculo de erratis accuſabat. Inflammatiſſima caritate ferebatur in Deum, in cuius ſemper præſentia verſabatur. Multam cum Deo familiaritatem contraxerat, quam ipſe diuturna oratione fouebat. Erga Ven. Euchariſtiam tanto erat affectu, vt integras ſæpe noctes coram illa tranſiret inſomnes, humi prouolutus; die frequentiſſimè ſalutaret; qua in re fruebatur liquidiſſima voluptate, nec rarò Diuinis illuſtrationibus irradiabatur. Tantis affectibus Diuina tractabat, aut verius patiebatur, vt ſibi videretur, interdum ob æſtus vehementiam de vita periclitari. Oranti aliquando, poſtulantique vires, ac lumen quibus fretus ex Diuino nutu ſalutem hominum aptè procuraret; Lux diuina, tam copioſè ſuperinfuſa eſt, vt impotens ſui ſurgeret ab oratione, & tamquam luminis vim declinaturus inambularet, ingeminaretquè, inter gemitus, & ſuſpiria: Non plus Domine, non plus; non tantum luminis; ſufficit, ſufficit: videbaturquè illi cubiculum viuis ignibus inflammari; ſeque atque animam ſuam exardeſcere; futurumque fuiſſe, vt vſura vita exueretur, niſi Deus impetum temperaſſet. Atque ex illo ſcribere aggreſſus eſt, & ſe proximorum auxilio, ſpiritu planè Apoſtolico impendere. Omnibus votis contenderat Miſſionem ad Indos impetrare, ſed quando ea conceſſa non fuit, plurimos ſuis adhortationibus eò promouit. Triginta ipſos annos, ita fuit in ſalutem hominum intentus, vt nunquam ab ea cura vacaret. Anno 1599. Villagarziæ exorauit, vt afflato rumpeſte ſeruitijs exponeretur, quo in munere verſatus eſt ſedulitate permagna. Pollebat eximia vi mentis ad motus animorum, diuerſoſquè ſpiritus diſtinguendos, potens verbo, & conſilio ad turbatos animos componendos; Arcanas conſulentium ſe cogitationes rimabatur diuinitus, nec ſine admiratione ipſorum cognoſcebat. Multa docebatur à Deo ſupra vulgarem modum. Allocutione ſola moleſtas animarum vexationes multis excuſſit; Corpus ſuum omni genere ſeueritatis, ita confecit. vt totos 36. annos cum morbis, cruciatibuſquè grauiſſimis ſit conflictatus, ea firmitate animi, ac tolerantia, quæ faceret omnibus admirationem. Certè Medici, ſine ambiguitate rebantur eum miraculo viuere; & viſos aiunt non ſemel Angelos fomentis, vnctionibus, aſperſionibus, vitam illi retinere fugientem. Vigeſimo ante obitum anno votum conceperat, nullum ſe animo deliberato peccatum, quantumuis tenue admiſſurum: nam nullum vnquam lethale crimen ſibi conſciuiſſe in comperto eſt. Ex eo tempore nihil in ipſo notari potuit, quod conſtaret eſſe capax reprehenſionis.. Vnus erat Confeſſarij labor, idoneam abſolutioni materiam in ipſo reperire. Multa ad hæc à Deo gratuita dona accepit. Præſtitit enim facilitate lacrymarum, gratia ſanitatum, ſpiritu Prophetiæ, prudentia ſupra humanam eximia. Sæpe toto coruſcare corpore viſus eſt; nonnunquam oranti globus clariſſimi fulgoris impendere: aliquando media in luce totus radiare, contremiſcente conclaui, & tignis in laqueari ſtridentibus. Mortis ſuæ diem, atque horam illum præſenſiſſe non ex vario coniectura eſt; nam, & Sacramentis feſtinato ſe muniri poſtulauit, & reſolutionis ſuæ tempus inſtare diſerte aſſeruit, & cum tribus horis ſcriptionem quandam vrſiſſet, ea abſoluta, tamquam functus officio, quo tenebatur in corpore, Nunc dimittis, inquit, ſeruum tuum Domine in pace. Demum inter dicendum, In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, placidiſſimè expirauit Valliſoleti, die 17. Februarij anno ſalutis 1624. ætatis 70. ab adita Societate 50. ab emiſſa profeſſione 4. votorum 21. Mortuo vultus quàm viuo ſerenior fuit: manus flexibiles, & tractabiles. Viſi frequentes Angeli cadauer ſtipare. Funus magno concurſu celebratum eſt, & venerationis ergò veſtes direptæ, capilli præciſi, exequiæ etiam ſolemnes inſtitutæ, adiuncta panegyri. Sepultus eſt eodem modo, quem Societas in ſanctorum virorum funeribus conſueuit adhibere, & poſt menſes omnino 19. ad diem 18. Septembris anno 1625. corpus digniorem in locum tranſlatum eſt, tabe quidem iam magna ex parte confectum, ſed quod pro miraculo fuit, nullo graueolentiæ veſtigio; cerebrum verò in exeſo iam cranio prorſus fuit illibatum. Multis à morte viſus eſt in claro lumine conſpicuus, quibus, vel immenſum gloriæ ſuæ pondus declarabat, vel ea viſitatione recreatos aliquo beneficio donabat. Cum alijs quoque atque aliis ornamentis inſignis conſpectus eſt, tum verò etiam aliquando cum peculiari Doctoris laureola, ac prærogatiua, propterea quòd inſpirante Deo, ſalutarem Eccleſiæ doctrinam in ſuis lucubrationibus propinaſſet. Poſt hæc increbreſcente fama ſanctitatis, & miraculorum, quæ Deus dignatus eſt meritis, & inuocatio-

catione Ven. P. Ludouici, ſæpius operari, ſupplicatum eſt Sedi Apoſtolicæ à Rege Catholico, non ſemel, aut bis, ſed pluries; nec non à multis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Capitulis Eccleſiarum, & Ciuitatibus Hiſpaniæ, vt Sancta Sedes illum referat in Album Beatorum, ac deinde Sanctorum, quod progreſſu temporis confidimus omnino obtinendum. Eius Vitam fuſe ſcriptam edidit noſter Franciſcus Cachupin. Scripſit porro materna lingua Ludouicus permulta, quæ Melchior Treuinnius noſter latinitate donauit, & alij Linguis alijs, ea ſunt:

Meditationes de præcipuis Fidei noſtræ Myſterijs Vitæ, ac Paſſionis Domini Noſtri Ieſu Chriſti, & Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Sanctorumque, & Euangeliorum occurrentium cum Orationis mentalis circa eadem praxi in ſex Partes tributæ. Coloniæ apud Ioannem Kinchium 1612. in 8.

Dux Spiritualis, in quo agitur de Oratione, Meditatione, & contemplatione. De viſitationibus Diuinis, gratuſquè extraordinariis

De mortificatione, Heroicis actionibus, ſiue operibus, quæ illas omnes comitantur Part. II. Ibidem 1613. in 8.

De Chriſtiana hominis perfectione in quolibet eius vitæ genere. Tomis 4. Ibidem 1615, duo priores. 1617. duo poſteriores in 4.

Vita P. Balthaſaris Aluarez Societatis Ieſu Religioſi. Ibidem 1616. in 8.

Latine poſt hæc ſcripſit Ludouicus, atque edidit

Expoſitionem Moralem, & Myſticam in Canticum Canticorum, quæ continet exhortationes, ſiue ſermones de omnibus Chriſtianæ Religionis Myſterijs, atque virtutibus. Tom. 2. Ibidem 1622. in fol.

Rurſum Hiſpanicè edidit Hiſpali per Andream Grande 1625. in 8.

Directorium ſpirituale, ad Confeſſionem, Communionem, & Sacrificium Miſſæ obeunda, ſeu de recto Sacramentorum vſu.

Reliquit etiam deſcriptam à ſe vſque ad ſuum obitum

Vitam lectiſſimæ, & admirandæ Virginis D. Marinæ de Eſcobar, cuius vitæ partem reliquam ab anno 1624. quo Ludouicus obijt vſque ad annum 1633. quo ad diem 9. Iunij deceſſit ipſa D. Marina, pertexuit P. Michael Orenna, qui Ludouico in gubernanda eius conſcientia ſucceſſit. Tandem typis impreſſa eſt hæc vita. Matriti per Franciſcum Nietum 1665. in folio.

LVDOVICVS RIBAS natione Hiſpanus, patria Valentinus, adoleſcens annorum 15. ad Societatem acceſſit anno ſalutis 1591. & in ea vota quatuor ſolemnia concepit. Philoſophiam Cæſarauguſtæ primùm, deinde eandem, & Theologiam, cuius facultatis Doctor fuit, Valentiæ plures annos, maximo plauſu explicuit; vbi, & Cenſor S. Inquiſitionis, & Rector Collegij, & Domus Profeſſæ Præpoſitus, demum Prouinciæ Aragoniæ Præpoſitus Prouincialis fuit. His in muneribus mira eius manſuetudo & efficacitas, ſimul copulatæ, enituere. Quamuis enim innata lenitate eſſet placidus, tamen vbi res poſcebat, non deerat illi fortitudo, & conſtantia ad executionem; ſilentij imprimis amator, ſeceſſus cultor, regulis, maiorumque voluntati fuit ſemper obſequentiſſimus, ſed quod magis eius obſeruatores in admirationem rapuit, fuit vniformis illius viuendi tenor. Habebat ſiquidem omnibus, ac ſingulis rebus agendis aſſignatas horas, quem ordinem, niſi graui de cauſa, nec multùm, nec parùm inuertebat. Sacrum facturus, longa ſe ad id præparabat oratione, & peractum ſimili concludebat. Agendo cum ſubdito, dum ſuperior eſſet, de tentationum victoria, vt ipſum animaret ad certandum viriliter, Noui, inquit, Religioſum virum, qui adhuc iuuenis tentatione carnis fatigatus, cùm ninxiſſet, ſe nudum in niuem proiecit, volutauitquè ſe in ea tam diu, donec omnis concupiſcentiæ ardor penitus extingueretur. Quo facto, ita omnes libidinis motus compreſſit, vt per multos deinde annos nulla carnis rebellio ei moleſtiam intulerit. Hoc tacito nomine de ſe narraſſe ipſum, ſubditus varijs ex argumentis perſuaſum habuit; ſed qua fuit inſigni humilitate, ſemet celaſſe. Tandem plenus dierum, ac bonorum operum ſancta morte ſupremum exhalauit ſpiritum, Valentiæ, die 3. Ianuarij 1647. Edidit

Summæ Theologiæ Tom. I. qui continet Apparatum, & ſeptem Tractatus de Deo. Lugduni per Petrum Proſt. 1647. in fol. Paratum reliquit etiam II. Tomum

De Altiſſimo S. Triadis Myſterio.

* LVDOVICVS RICCIVS natione Italus patria Romanus natus anno ſæculi fluentis ſexto, Societati ſeſe aggregauit 23. & votorum 4. Sacramento ſe obſtrinxit. Poſt traditas quinquennio amæniores litteras, Philoſophiam triennio, Theologiam de moribus nouennio profeſſus eſt. Rexit Collegia Tiferni, & Senis, vbi etiam corporis vinculis ſolutus eſt die 5. Nouembris anno Domini 1661. Edidit Italicè

Tractatum de Remedijs pro Conſcientijs ſcrupuloſis. Romæ per Ignatium de Lazzaris 1657. in 12.

LVDOVICVS RICHEOMVS natione Gallus, patria Dignienſis, genere nobilis, vir doctus, religioſus, diſertus, prudens, & vt quidam cum meritò vocat, Gallicanus Cicero, de quo vulgò iactabatur prouerbium, rectè ſcribendi coriphæus, Richeomus: Societatem Pariſijs amplexus eſt anno 1565. ætatis ſuæ 21. In ea primus Diuionenſe Collegium Rector adminiſtrauit, Prouinciam Lugdunenſem bis, ſemel Aquitanicam cum laude gubernauit; & primus pro Franciæ Prouincijs apud Præpoſitum generalem Aſſiſtens creatus eſt anno 1608. à Congregatione 6. Generali ipſo die

die S. Thomæ Aquinati ſacro, atque eo munere præclare ſeptennio functus eſt. Summo ſemper apud Proceres in honore fuit, imprimiſque apud Henricum IV. Galliæ, & Nauarræ Regem Chriſtianiſſimum, qui tanti libros illius faciebat, vt eos inter grauiores etiam Regni curas,aſſiduè ac ſtudioſe lectitarit, quodque fidem omnem fere ſuperat, ex ijs nonnullos memoriæ commendarit. Apologeticam quippe expoſtulationem, quam ſibi dicatam & ad ſe tranſmiſſam ab Auctore, per ſex ipſas horas in conclaui ſecreto ſemotis arbitris attente legit, relegitque non ſemel, fere totam ad verbum memoriter didicit, vnde poſtea validiſſima promebat argumenta ad repellendas extempló calumnias, quibus Societatis hoſtes noſtrum in Galliam reditum impedire conabantur. Ipſius eloquentiam libri ipſi teſtantur, eamque ne hoſtes quidem & calumniatores ipſi non mirari non poſſunt. Virtutes quibus eximie ornatus fuit vna fere humilitate ita obruit, vt vix obſeruari potuerint tenuia quædam veſtigia. Ea perſuaſit illi, vt Confeſſionum libros IV. S. Auguſtini imitatione,conſcriberet, quibus ea quæ in ſe vitioſa credebat palam fecit. Eius ſtudio iam octogenarius fere, & pedibus captus, deferri ſe curabat ad locum patinis tergendis deſtinatum, & trementibus digitis vile miniſterium lætus exercebat. Excellentiſſimæ virtutis eius præmium hoc tulit, vt caput illi radijs circumfuſum ſit viſum, Deo, quam ipſe ſibi faciebat, obſcuritatem illuſtrante. Erga Deum & res Diuinas incenſo ſemper animo fuit, nulla illi præterquam de Deo dulcis cogitatio, nullus ſermo gratus. Omnibus in rebus nutui Diuino, eodem ſemper animo & vultu ſe conformabat: eam ipſe dicebat veram eſſe pietatem. Inſtituti Societatis quàm amans eſſet,fidem faciunt tum Apologiæ quibus à calumnijs aduerſariorum, tàm ſtrenuè eam vindicauit, vt eis reſponſum regerere auſus ſit vnquam nemo; tum dulces repentinæque lacrymæ, in quas vel in publicis concionibus,vel in priuatis colloquijs domeſticiſq; cohortationibus totus diffluebat, incidente vel minima Societatis mentione. Obijt Burdigalæ die 15. Septembris anno ſalutis 1625. octogenario maior, ſexagenarius in Societate, quadragenarius votorum 4. profeſſus. Funus decorauit incredibilis hominum omnis generis concurſus, & præſertim ſupremæ Curiæ Burdigalenſis Senatores vniuerſi, qui cum ob forenſe iuſtitium in ſuburbanis villis agerent, audita eius morte ad Vrbem feſtini conuolarunt, vt eius exequias præſentiæ ſuæ luce cohoneſtarent. Scripſit materna lingua

Peregrinum Lauretanum, *& De Peregrinationis bono.* Latinum fecit Ioannes Haeſtein Carthuſianus

Defenſionem Peregrinationis aduerſus interpretem Epiſtolæ Gregorij Niſſeni cum Tractatu De ſacris Reliquijs

De ratione migrandi ad meliorem vitam

De Miraculis, Sanctis, atque Imaginibus

B. Virginem iuxta Crucem ſtantem.

Figuras Euchariſtiæ,ad Reginam Galliæ, & ad Delphinum

Catechiſmum Regium

Victoriam veritatis. Contra Pleſſæum

Epiſtolas ad Henricum IV. Galliæ Regem

Apologias aliquot pro Societate Ieſu aduerſus calumnias Hæreticorum, quarum vna ab Andrea Valladerio latinè reddita eſt; altera Franciſci Montani nomine inſcripta exijt, quam Iacobus Gretſerus latine interpretatus eſt; tertia Renati à Fonte nomen præfert,quarta Ludouici de Beaumont contra Seruinum Aduocatum Regium.

Idololatriam Hugonoticam lib. 8.

Prodierunt autem Lutetiæ apud Sebaſtianum Cramoiſy 1628. Opera ipſius pleraque Tomis duobus,quæ antea fuerant excuſa in vno. Sunt hæc Eriſtica tali ordine:

Diſcurſus de Miraculis, de Sanctis, de Imaginibus

*De Miſſa lib.*4. *Victoria Catholica.*

Idololatria Hugonotica. Pantheon Hugonoticum.

Reprehenſio Miniſtrorum. Diſcurſus de Peregrinationibus.

De Reliquijs. De Diuitijs; Immortalitas animæ.

Tabula votiua. Cathechiſmus regius.

In Tomo ſecundo ſunt hæc Aſcetica

Valedictio animæ deuotæ. Tabulæ ſacræ

Peregrinus Lauretanus. Pictura ſpiritualis.

Iudicium vniuerſale. Virgo ad pedem Crucis.

Suſpiria, & conſilia animæ Chriſtianæ. Academia honoris.

Bellum ſpirituale aduerſus tres hominis Aduerſarios.

Superſunt quæ Tomum tertium conflare poſſint

Apologiæ pro Societate iam ſupra recenſitæ.

Examen Anticotoni, & Parallela contra Petrum de la Mattaliere Aduocatum Pariſienſem Burdigalæ apud Ioan: Marcan 1613. in 8.

Planctus iuſtificationis pro Ieſuitis contra Seruinum ſub nomine Ludouici de Beaumantir 1615. in 4.

Conſolatio miſſa Reginæ in morte Henrici IV. Regis Galliæ altera editione Lugdunenſi 1611. recenſita

Horum autem pleraque in Latinum,& in alias linguas translata ſunt. His addendum

Epiſtolarum volumen eximium, in quo genere excelluit. Denique liber ſub nomine Felicis à Gratia

Vulpis Paſquini venatio, ſeu Refutatio Catechiſmi Ieſuitarum à Stephano Paſchaſio facti. Villafrancæ apud Hubertum Palletarium 1602. in 8.

LVDOVICVS ROGERIVS natione Italus, patria Aretinus, vir magni ingenij, qui cum ante initam Societatem, iuriſprudentiæ non

non exiguam primæ ætatis partem impendiſſet, in eam ingreſſus anno Domini 1578. ætatis ſuæ 21. ita profecit in alijs ſtudijs, vt Romæ Philoſophiam docendo, laudem tulerit. Septennium deinceps partim Euangelicè concionando, partim Theologiam Neapoli profitendo tranſegit; vnde in Poloniam miſſus anno 1599. Poſnaniæ Controuerſias fidei explicuit, & ſe murum pro Eccleſia Dei aduerſus eius hoſtes obiecit. Verùm haud diu ſuperſtes fuit, nam Pultouiam profectus, ſimul vt ſtudia ibi inſtauraret, ſimul vt pulmonum vitio auræ mutatione ſuccurreret, viuere deſiit exeunte anno 1602. magno apud omnes ſui relicto deſiderio, præſertim cum mortis felicitate non minorem admirationem, & vtilitatem, quam vitæ integritate, omnibus attuliſſet. Et cum animo præſente, & ſenſibus integris vſque ad vltimum ſpiritum vigeret, ita ſe in Societatem gratum, in S.P.N. Ignatium pium, inque alios Societatis noſtræ viros memorem vocibus ardentiſſimis declarauit, vt ſolus omnia verba religionis, ac pietatis occupaſſe videretur. Mortem certè adeo non timere videbatur, vt etiam vehementer expeteret, diceretque: O Mors quando venies? quam cito veniam, & apparebo? Nimirum virtute multa ſe contra formidinem mortis inſtruxerat; temporis dum viueret parcus, commodorum ſuorum omnino negligens, promouendæ Catholicæ Religionis inter Hæreticos ſtudioſiſſimus. Quâ causâ, magna virium, & animi contentione aggreſſus defenſionem Roberti Cardinalis Bellarmini ei tandem operi cum iam primum Tomum abſoluiſſet immortuus eſt, in ipſa Natalis Domini nocte anno ætatis 45. Scripſerat

Apologeticum pro Roberti Cardinalis Bellarmini Libris, De Tranſlatione Imperij ad Germanos lib. 3. aduerſus Mathæum Dreſſerum Hæreticum. Verum cum hic tali confutatione indignus ab omnibus iudicaretur, opus non edidit. Inde factus inſolentior Dreſſerus ſuam Declamationem recudit addita Notatione; Sed os illi triduana lucubratione obſtruxit Gaſpar Haſp, P.Rogerij Auditor, compendio erratorum eius ex Apologetico ſui Magiſtri deſumpto, editoque Poſnaniæ 1600. in 8.

Edidit autem Rogerius ſub nomine Rhetorum Poſnanienſium

Defenſionem pro libris de Purgatorio Card. Bellarmini, & Miniſtrum delirantem, ſeu Colloquium Rhetorum Poſnanienſium de Purgatorio. Poſnaniæ typis Ioannis Volrabi 1602. in 8.
Sub eius vero nomine, prodijt (ni fallor) poſterius

Defenſio Aduerſus Matthæum Dreſſerum Hæreticum pro operibus Roberti Cardinalis Bellarmini.

* LVDOVICVS DE SCHILDERE natione Belga, patria Brugenſis, natus anno ſæculi præterlabentis ſexto Societatem iniit 1624. & votis 4. ſe adſtrinxit. Poſt quinquennium Humanioribus litteris docendis impenſum, Philoſophiam tradidit ſexennio, Theologiam moralem biennio, Scholaſticam annis vndecim, & totidem eorundem ſtudiorum Præfecturam geſſit. Virum laudauerunt omnes quotquot nouere, virtutem hi, doctrinam illi, alii vtramque admirati; Theologi expeditam in rebus Theologicis ſcientiam; Prudentes Iuris in explanandis legibus ſolertiam; omnes ſublime ingenium cum profunda animi demiſſione coniunctum. Ab hac mentis demiſſione fluxere virtutes reliquæ, animi nitor, vitæ integritas, regularum obſeruantia, amor in Deum, caritas in proximos, in ſacro Tribunali aſſiduitas, in ægris inuiſendis ſollicitudo, in catecheſi pueris tradenda zelus, in aliis ad pietatem excitandis induſtria ſingularis. Paupertatis amans, nihil in veſtitu, cubiculo, aliiſue humanæ vitæ ſubſidijs ſplendidum, aut ſuperfluum admittebat. Quidquid a virtutum ſtudio temporis ei ſupererat, totum in acquirenda ſcientia collocabat. Demum maturus cælo, in patrio ſolo Brugis denatus eſt die 17. Iunii 1607. Edidit

De principiis ſeruandæ conſcientiæ Tractatus ſex.
Antuerpiæ apud Iacobum Meurſium 1664. in 8.

Synopſim Theologicam de Sacramentis Eccleſiæ. Louanii 1648. in fol.

LVDOVICVS DE TERO natione Hiſpanus, patria Cazorlanus, diœceſis Toletanæ Societati ſe adiunxit anno ſalutis 1603. ætatis 15. & profeſſionem votorum 4. edidit. Moderatus eſt prudenter, & religioſè Collegium Marcenenſe, Domum probationis Hiſpalenſem, Collegium ibidem, & Granatæ, & Vice Præpoſiti Prouincialis, totam Prouinciam Bæticam. Deſiit inter mortales viuere Granatæ die 18. Decembris 1648. Edidit Hiſpanicè

Epiſtolam de Morte, & virtutibus P. Ioannis de Pineda Societatis Ieſu 1637. in 4.
Scripſit etiam rogatu Eminentiſſimi Cardinalis de Sandoual opus eruditum

De Veritate miraculorum, & Reliquiarum SS. Vrgoanenſium

LVDOVICVS DE TERVEL natione Hiſpanus, patria Granatenſis ingreſſus in Societatem 1604. natus annos 14. Ad lucra animarum nauigauit in Americam, ad Prouinciam Peruanam nondum ſacris ordinibus initiatus. In ea emiſit profeſſionem votorum 4. & vſque ad decrepitam ætatem Operarium egit inconfuſibilem Indorum, atque Hiſpanorum. Rexit Collegium Cercadenſe, in quo octogenario maior adhuc (quoad ſcimus) degit, edidit

Grammaticam linguæ Tabaloſæ cuius eſt vſus in Peruuio, & paratum pridem habebat, ſi nondum vulgauerit, opus grande, & multæ eruditionis

De Indorum Idololatria

* LVDOVICVS DE VALDIVIA natio-

tione Hiſpanus, patria Granatenſis, Societatem die altera Aprilis, anno ſalutis 1581. ætatis 20. complexus, poſt nauatam Philoſophiæ, & Theologiæ operam miſſus eſt in Peruanam Prouinciam ad Indos Occidentis. Vbi Magiſtrum Nouitiorum egit triennio, poſtea Theologiam quadriennio profeſſus eſt. Anno 1593. ipſe cum P. Balthaſare Piña, & ſex alijs Socijs primam coloniam in Regnum Chilenſe deduxit, nauigatione à tempeſtatibus,& annonæ defectu prorſus laborioſa. Exſcenſione facta, omnibus prima cura fuit patriæ linguam condiſcere Indigenis iuuandis. Ludouicus Confeſſiones cæpit audire, 13. quàm eius rudimenta aggreſſus eſt die 28. etiam habere concionem; mox, & eorum idioma quos Huarpas vocant comprehendit, & ſubinde tertium Puelcienſium, quæ Allentiacenſis, & Milcaiacenſis appellatione diſtinguuntur. Quo experimento ſuo, aliorumque non paucorum, in eam ſententiam venit, vt crederet ſingulari dono Societatem noſtram à Deo auctam eſſe, quo Gentilium ætatis Noſtræ idiomata facillime complectatur. Vota 4. emiſit in Chile, & præfuit Noſtris digreſſo Pinna, duoque Collegia S. Iacobi, & Conceptionis extruxit. Eodem renauigare iuſſus eſt anno 1605. poſtulatu eius Prouinciæ Gubernatoris, & Peruuij Proregis; nec minùs fædas quàm priùs procellas expertus eſt, ſed animarum ſalute omnia ſunt illi leuiora. Bellum quoque Hiſpanis atrox, & diuturnum cum his populis Indorum fortiſſimis, ancipite ſæpe fortuna ducebatur, Barbaros adeundo ſummaque verborum, & animi lenitate cum ipſis agendo compoſuit,cuius concordiæ ſtabiliendæ cauſa cum in Hiſpaniā rediſſet, Catholici Regis voluntate, annuente etiam Claudio Aquauiua Præpoſito noſtro Generali, Regij Viſitatoris admiſſo munere, repudiato, qui offerebatur Epiſcopatu, rurſum in Chilen nauigauit. Auctoritate Regia vniuerſam Prouinciam inſpexit, ſupra decem Indorum millia iniqua ſeruitute exemit. Bellum quod offenſiuum appellabant, & Indis Hiſpaniſque perniciem, paucorum qui illud fouebant emolumento, afferebat,ſuſtulit; defenſiuum conſtituit. Tandem rebus ex ſententia confectis, repetita anno 1621. Hiſpania, Pinciam ſeceſſit, & in Collegio Valiſoletano ſtudia noſtrorum moderatus eſt ſexennio, tam præſente Theologicæ doctrinæ memoria, vt omnes in ſui admirationem conuerterit. Exinde in Domo Profeſſa eiuſdem Vrbis in ſalutem animarum ſenex indefeſſus ad mortem vſque incubuit, adeo fugiens honorum, dignitatum, & omnis ſplendoris Aulici, vt quamuis rogatus à Rege Regiiſque miniſtris, vt Indici in Curia Senatoris dignitatem admitteret, vel certè ab arcanis conſilijs eidem Senatui ad res Indicas moderandas eſſet, vtrumque demiſſiſſimè deprecatus fuerit. Ad extremum octogenario maior, & actis in Societate totis 63. annis, occupatus Catarrho, & certior periculi factus, gratulabundo ſimilis nuntium accepit, Sacramenta popoſcit, & inter pias lacrymas, atque inflammatiſſimas cum Chriſto, & Deipara allocutiones, ſpiritum Deo reddidit Valliſoleti in Collegio S. Ignatij die 5. Nouembris 1642. Eius vitam fuſe conſcripſit noſter Nierembergius tom. 1. de Viris illuſtribus. Fuit enim maximis naturæ, & gratiæ ornamentis præditus, & inter primos Religioſos heroas, qui Indias peragrarunt meritò recenſendus. Multa reliquit poſteritati, ad prælum ſcriptorum monumenta. Edidit vero

Artem, ſeu Grammaticam, Vocabularium, Doctrinam Chriſtianam, Confeſſionarium breue lingua Chilenſi. Limæ apud Franciſcum Cantum 1606. in 8.

Myſteriorum Fidei tomum 1. *eadem lingua*.

Grammaticas, Lexica, Catechiſmos, & Methodos confitendi, linguis Allentiacenſi, & Milcaiacenſi, quarum vſus in aliquot Prouincijs Regni Chilenſis eſt. Ibidem 1607. in 8.

Scripſit præterea, ſed non edidit typis.

De Caſibus reſeruatis in communi tom. 1.

De Caſibus reſeruatis in Societate tom. 1.

De Viris illuſtribus Societatis Ieſu tom. 1. Hiſpanicè.

Hiſtoriam Prouinciæ Caſtellanæ Societatis Ieſu tom. 1. Hiſpanicè.

LVDOVICVS VVAPY natione Lotharingus, patria Virdunenſis natus anno ſalutis 1586. annum ætatis agens 16. Societati ſe noſtræ addixit, & vota 4 nuncupauit. Humaniores litteras quadriennio, Philoſophiam triennio, nouennio Moralem Theologiam docuit, biennio præfuit Collegio conuictorum Muſſipontano, & dum noſtrorum Collegium ibidem adminiſtraret, euocatus à Deo eſt ad laborum præmia die 6. Nouembris 1638 Scripſit Gallicè ſuppreſſo nomine

Hilaria Muſſipontana ob relatos in Sanctorū Canonem SS. Ignatium, & Franciſcum Xauerium, quæ Leonardus Perinus noſter edidit Latinè Muſſiponti apud Sebaſtianum Cramoiſy 1623. in 4.

De Indulgentijs, ſiue de ratione lucrandi Indulgentias. Ibidem 1626. in 8. Tranſtulit vero Gallicè

Veram Philoſophiam Hominis Chriſtiani. Ibidem in 8.

Antony Gaudier Tractatum de amore Ieſu. Ibidem

LVISIVS TVRRIANVS ſiue TORRES natione Hiſpanus, patria Complutenſis, Societati adſcriptus eſt, Compluti anno reparatæ ſalutis 1582. die 27. Martij annum agens ætatis 20. & primus inter omnes certamine Philoſophico laureandos, ex more eius Vniuerſitatis deſignatus. Profeſſus eſt apud nos Philoſophiam, Theologiam moralem, & Scolaſticam 40. circiter annos. Primam Collegij noſtri Complutenſis Cathedram rexit ad 30. annos, magno omnium plauſu.

S. Inquiſitionis ſupremæ Qualificator fuit, & inter ætatis ſuæ viros tota Hiſpania doctiſſimos, habitus haudquaquam poſtremus. Obiit Matriti die 13. Februarij anno 1635. ab emiſſa 4. votorum profeſſione 36. Edidit

Diſputationem in Secundam Secundæ D. Thomæ De Fide, Spe, Caritate, & Prudentia. tom. 1. Lugduni per Horatium Cardon 1617. in fol.

De Iuſtitia tom. 1. Lugduni per Iacobum Cardon & Petrum Cauellat 1621. in fol.

Tractatum de Gratia in 16. Opuſcula diſtinctum, Lugduni per Ludouicum Proſt 1623. in 4.

Diuerſorum Opuſculorum Theologiæ tom. 1. Ibidem 1625. in 4.

Ex iis Opuſculis 9. pertinent ad Primam partem S. Thomæ; 3. ad Primam Secundæ, 2 ad Tertiam Partem. Poſtremo accedit quæſtio

An liceat Religioſis Cathedram ad docendum ambire?

De Trinitate, & Angelis.

De Pœnitentia, Cenſuris, & Irregularitate tom. 1.

Selectarum Diſputationum partes duas in quibus continetur

Cenſura Theologica per Dubiorum Centurias diſtributa. Lugduni per Iacobum Cardon 1634. in fol.

Summam Theologicam moralem Par. II. quorum prior eſt

De Virtutibus, & Vitijs. Poſterior *de Sacramentis, & Cenſuris.* Ibidem eodem anno 1634. in fol.

De Euchariſtia.

In Secundam Secundæ D. Thomæ tom. 3. & 4.

MADRIDIENSE COLLEGIVM in Hiſpania, Prouinciæ Toletanæ ad amnem Mançanares, tenuibus auſpicijs inchoatum anno ſalutis 1560. beneficentia lectiſſimæ fœminæ Eleonoræ Maſcareniæ, quam pro ſuo ſingulari in Societatem ſtudio, S.P.N. Ignatius Matrem Societatis ſolebat appellare. Poſtea apertæ ſcholæ anno 1572. quamuis non ſine graui certamine, repugnantibus initio Præſidibus Ciuitatis, Ludimagiſtrorum ad id temporis inductis opera, & multis inſtituto Societatis aſperſis calumnijs. Verùm cauſa delata ad Conſilium Regium, accurateque diſcuſſis omnibus, conſtitit de integritate Societatis, atque ita inſtitutæ tum claſſes quatuor Latini ſermonis, quibus deinde quinta Oratoriæ Artis acceſſit magno Iuuentutis in Regia illa Ciuitate, & capite Monarchiæ, bono. His deinde acceſſit Fundatrix munificentiſſima, Maria Auſtriaca Imperatrix Auguſtiſſima glor: mem: Caroli V. Imperatoris filia, Maximiliani II. Imperatoris coniux, duorum Imperatorum, & ſeptem Archiducum mater, quæ experta vbertatem fructuum, quos per Germaniam Societas cumulate produxerat, defungens vita Madriti anno 1603. Madritanum Collegium ſuum ex aſſe ſcripſit Hæredem, eamque ob cauſam Imperiale Collegium exinde eſt nuncupatum. Nec his contenta, ſumma pietas, & magnificentia Philippi IV. Regis Catholici, vt hæc Vrbs ſua Regia eſſet quoque veluti emporium ſcientiarum omnium, ſtudium Generale ſeu Athenæum in hoc Collegio erexit anno 1629. inſtitutis in eo vltra quinque litterarum humaniorum Claſſes iam fundatas, ſeptendecim variarum ſcientiarum Cathedris, & aduocatis ex diuerſis Europæ Regnis doctiſſimis quibuſque, & lectiſſimis de Societate magiſtris, qui eas in hoc Collegio explicarent. Aluit Collegium ex eo tempore, numeratque modo ordinariè ſupra centum ſubditos, & multos ſuppeditauit Eccleſiæ Dei viros, ſanctitate & omnis generis doctrina conſpicuos. Edidit Collegium ſuo nomine

Iuſta funebria Auguſtiſſimæ Mariæ Auſtriacæ, Sorori Philippi II. Regis Catholici, Coniugi Maximiliani II. Imperatoris, Fundatrici ſuæ ab eodem Collegio inſtituta. Matriti 1603. in 4.

Publicam lætitiam Madritanam, ſiue de collocatione Reliquiarum in Sacello B. Virginis Annuntiatæ.

MAGINVS PAGESIVS natione Hiſpanus, patria Biſbalenſis in Catalaunia ingreſſus in Societatem anno Domini 1607. ætatis 16. vota 4 profeſſus eſt, & in ea docuit Philoſophiam triennio, Theologiam annis 22. magno plauſu, eiuſdem facultatis Doctor. Orationi valde addictus, vnam horam antequam alij è ſomno excitarentur quotidie illi dabat: à gubernatione alienus, euicit deprecationibus ne magiſtratum in Societatem oblatum admittere cogeretur. Sub venialis noxæ pœna obligauerat ſe, in omnibus ſe electurum, quod è maiori Dei gloria iudicaret eſſe, idque non in ſubſtantia tantum (vt loquuntur Scholaſtici) ſed etiam in modo agendi. B. Virginis cultui apprime deditus, profeſtos eius dies, & ſabbatinos tranſigebat inedia. In ſupremo morbo, & morte præclara virtutum reliquit exempla, & ad omnium præmia migrauit ex hac vita Barcinone die 30. Ianuarii 1659. Elucubrauerat iuſſu maiorum, ſed morte præuentus typis non impreſſit

Curſum vniuerſæ Philoſophiæ.

MARCELLINVS BOMPAR natione Gallus, patria Ebredunenſis in Delphinatu, Societatem ingreſſus eſt anno ſalutis 1585. ætatis 29. in qua Coadiutoris ſpiritualis gradum obtinuit; enituère plurimæ, in eo maximæque Virtutes, Obedientia ſingularis, exactiſſima Re-

Religioſæ diſciplinæ obſeruantia, vitæ aſperitas, zelus animarum. Cùm humanioribus litteris, tum Latinæ imprimis linguæ facultate, perpolitus fuit. Deceſſit morbo ex peſtilente militum ægrotantium, quibus inſeruiebat halitu, contracto Anicij, die 5. Februarij anno ſalutis 1623. ætatis ſuæ 67. Religionis 38. Vertit ex Gallico Latinè

Ludouici Richcomi Demonſtrationem Idolatriæ Hugonoſticæ

Eiuſdem Tractatus tres aduerſus Caluini Sectatores

MARCELLVS AVGVSTINI natione Italus, patria Fanenſis, admiſſus in Societatem anno Domini 1587. ætatis ſuæ 21. Vota Spiritualium Coadiutorum emiſit. Docuit in ea humaniores litteras, & Theologiam Moralem, & Conciones aliquamdiu habuit. Octogenarius, quieuit in Domino Setiæ, die 16. Februarij 1646. Edidit Italice

Theatrum Continentiæ. Maceratæ apud Petrum Saluionium 1623. in 8.

MARCELLVS FRANCISCVS MASTRILLVS natione Italus, patria Nolanus, nobili loco natus anno 1603. Societatem Neapoli penè puer ingreſſus eſt, die 25. Martij anni 1618. in qua ſtudiorum curriculo confecto cùm inaudito prorſus prodigio à S. Franciſco Xauerio, qui ſe ſpectabilem obtulit ſpecie peregrinantis, fuiſſet ab imminente interitu vindicatus, die 3. Ianuarij 1634. iuſſuſquè ſe voto eundi in Indiam obligare, & gratiam poſtulare fundendi pro Chriſto ſanguinis, paulò poſt in Hiſpaniam, Luſitaniam, Indiam, magna totius Europæ expectatione quid tandem illo fieret, nauigauit. In eo curſu mirum dictu eſt, quàm habuerit aduerſum, humani generis hoſtem; quot artibus eum tentarit India prohibere. Sed habuit fauentem Xauerium, cuius patrocinio nauigationem eam præter omnium opinionem, eo ipſo anno 1635. confecit. Ipſe verò vectores, ita ad omnem pietatem exercuit, vt vna vox omnium fuerit, nullam vnquam è Luſitania nauim in Indias vela feciſſe, quæ tanta fuerit deuotione, quæ tanta Sacramentorum frequentia vſa. Goam inuectus eſt, die 8. Decembris eiuſdem anni, & decimo poſt die, Meliapore marmor famoſum, quod ad S. Thomæ Apoſtoli Feſtiuitatem rubeſcere quotannis ſolitum ab Hollandorum in Indias aduentu deſierat, tantum ſanguinei ſudoris, ab imo ad ſummum (quod fauſti ominis ſemper habitum eſt) totas 24. horas ſtillauit, vt multa lintea eo reſperſa ſint. Abijt Goa 19. Aprilis anni 1639. & Malacam Iulio menſe prætereuectus, inſequentibus Hollandis, coactus eſt à curſu quem Macaum direxerat, Manilam Vrbem Philippinarum principem diuertere in quam, die 31. Iulij ingreſſus eſt. Ibi dimiſſis Socijs, rogatu Prætoris, iuſſu Prouincialis ſubſtitit, vt paratam in Mindanaos, hoſtes Chriſtiano nomini infeſtiſſimos, claſſem comitaretur. Fuit ea expeditio mirè felix, & ſupra vota quam nemo omnium dubitauit auſpicijs P. Marcelli potiſſimùm ſtetiſſe. Adeo ille multa ſuis adhortationibus, orationibus, vaticinationibus etiam, & prodigijs moliebatur. Hic ille pilam ab hoſtibus maiore tormento euibratam innoxius pectore excepit, veſte dumtaxat leuiter perſtricta. Hic auditus eſt hoſtis infernus per lucos, cum ſe Pater acriter pro ſucceſſu pugnæ diuerberaret, furens clamare: Ad quid veniſti Marcelle? Quid quæris? Quis, malum, te huc aduexit? Ego te vita expellam, & ſic ponam rebus modum. Redijt Manilam triumphabunda Claſſis ſpolijs opimis, die 24. Maij, quarto poſt menſe quàm ſoluerat, & continuò P. Marcellus ad Iaponicum iter animum conuertit. Sæuiebat, vt cum maxime Imperator Iaponiæ Xogunus in Catholicos, & diligentiſſimis excubijs omnem præconibus Euangelij prohibebat acceſſum. Vetuerat etiam Hiſpaniæ Rex, ne Iaponum Catholicorum calamitates augeret, procul inde religioſos omnes arceri. Cæterùm Gubernatori prope diuinitus iniecta mens eſt, vt vellet ipſe, qui prohibebat alios, Patri Marcello expedire hoc iter. Ergo clam omnibus componit Funeam, Iaponicum nauigium exiguum, eamque mox diſſolutam, imponit grandiori naui, quam ſe ſimulat in Inſulam Formoſam deſtinare. Addit Nauclerum Iaponici littoris peritum, quem mortem, cuius erat reus condonata, alijſquè pollicitationibus ad fidam operam adigit, atque inſuper decem Iapones Chriſtianos, qui comitarentur. Tum palam habitu nauigioquè Sinico dimiſſum velut nauigaturum Macaum, noctu concubia transfert in paratam nauim dimittitque in Iaponiam 10. Iulij eius anni 1637. Vix autem, die 19. Septembris ad Saxumanum littus applicuit, gradumquè fecit in Regnum Fiungenſe, cum agnitus in portu Cuco, corruptis pecunia nonnullis fugæ quidem locum inuenit, atque in denſum ſe vepretum abdidit, verùm Socij à littoralibus deprehenſi excubijs, & pro Chriſtianis habiti, Nangaſachium ducti ſunt, quæſtioniquè ſubiecti, ſecum veniſſe P. Marcellum aperuerunt. Submiſſi, hoc indicio veſtigatores, Patrem, monſtrante, qui e loco, vbi deliteſcebat, excitatus eſt, fumo, deprehenderunt alta occupatum contemplatione, tantòque ſpiritus ardore ſuccenſum, vt oris maieſtate perterriti, non auderent in eum manus inijcere; donec ipſe decuſſatis ante pectus brachijs, placidiſſimo vultu iuberet. Ipſi tamen neſcio quid humano maius reueriti, modeſtiſſimè comprehenderunt: quo tempore tanto impetu terra mouit, vt omnes perterrefecerit. Die 5. Octobris Gubernatoribus Nangaſachij oblatus eſt, admirabili fulgore ſupra caput eius diffuſo. Interrogatus dixit, Neapolitanum ſe eſſe, veniſſe è Luſitania Goam, Malaca in Philippinas, inde in Iaponiam, vt Imperatori, ſi ſuperſtes eſſet, ſalutem adferret, & Chriſti Fidem; ad

id ſe miſſum à S. Franciſco Xauerio illo, qui primus e Societate in Iaponiam delatus, Franciſco Bungenſium Regi fuerat ſalutis interpres, qui tametſi vita præſente defunctus dudum eſſet, ſempiternam tamen ducit in Cælo, ſeque Neapoli prope mortuum vitæ reddiderat. Pilulas ſe quibuſdam e pulueribus confectas attuliſſe (erat è Lipſanis S. Xauerij) præſentiſſimæ virtutis aduerſus Imperatoris morbum; effigiem quoque Sancti ſui, quæ ſi quopiam Idolorum in fano collocetur, mira prodigia ſit patratura. Laudarunt illi quidem viri virtutem; ſed ne Imperatoris deeſſent imperijs, iuſſerunt illum ſubijci conſuetis tormentis. Suſpenſus primum eſt diuaricatis cruribus, capite deorſum in vas aquæ narium tenus depreſſo; funis contortus in gyros mole corporis celeri circumactione retextus, atroci cruciatu reſpirandi fere abſtulit facultatem. Poſtea ſcalis manualibus, ita eſt adalligatus, vt capite ſummo in gradu ſupinatò penderet: tum aquæ cyathos plus quadringentis nullo dato interuallo illi in faciem infuderunt, vt ſpiritum ægerrimè duceret; atque ex hoc cruciatu ſemimortuus euaſit. Cæterum hæc biduum animo infracto ſuſtinuit. Reductus in cuſtodiam ſocios Fidem eiuraſſe cognouit, quod illum omni tormento vehementius affecit. Grauiter eos increpuit, hortatuſque ad eam rurſus, vel ſanguine aſſerendam eſt. Poſt paucos dies ad ſupplicij locum eductus, omnibus exutus veſtibus candente ferro cæpit ad verenda vſtulari. Quam ille immodeſtiam non ferens; Ego quidem, inquit, omnia membra pænis pro meo Conditore addixi, ſed vos oportebat ab indecora iſta, & quam ne in belluas quidem, vel Barbari exercent, inhumanitate abſtinere. Coercuit iuſta expoſtulatio furorem, & aquæ tormentis illum iterum admouerunt, quibus ita exemptus eſt, vt vix animam retineret. Simulatque ſibi redditus eſt, ſententiam mortis excepit, vt in ſcrobem ſcilicet cingulo tenus, depreſſus; expers lucis, & auræ, pedibus tamdiù penderet, dum animam efflaret. Lætus excepit ſententiam, cæterùm aſſeruit ſe non in ſcrobe pendentem, ſed capite plexum moriturum. Die 14. Octobris productus eſt publicè iumento inſidens, funibus cateniſquè vinctus, os ferreo lupato denticulato ne fidem prædicaret, adſtrictus, dexterum caput abraſus, læuum minio pictus, probro inter Iapones grauiſſimo. Pone ferebatur ſententia capitis inſcripta vexillo, his verbis: Hoc ſupplicium decreuit magnus Xogun Imperator Iaponiæ per ſuos Gubernatores Fida Sacagibarim, Ebaba Gaburo, Sacmon, in hominem iſtum, propterea, quod venit ad prædicandam in his Iaponiæ Regnis legem exteram, aduerſus legem Xacæ, Amidæ, & aliorum Foroques: vt huius exemplo ſibi caueant alij. Demum funibus ad pectus vſque arctè circumligatus, vt diutiùs vitam extraheret, actis gratijs Gubernatoribus, quod ſe ſuiſſent comitati, in foſſam genuum tenus ſuſpenditur. Poſt vnius alteriuſque diei ſuſpendium interrogatur num quid expeteret? Nihil inquit, niſi vt meo me in paradiſo hic relinquatis. Pependit immotus in quartum vſque diem, nec illi ſanguis in caput, vt fit, vel in collum defluxit; quo veluti prodigio Gubernatores attoniti, depoſitum iubent gladio feriri, ne poſtero ſuperſtes, Sacrum Pagodi, neſcio cui, diem violaret. Ipſe nixus genibus cùm Patrem ſuum S. Franciſcum Xauerium, tamquam præſentem bis inclamaſſet acinacem collo excepit. Sed fuit ictus tam hebes, vt præter leuem ſtricturam, nil noxæ attulerit. Ingeminat carnifex altero acinace, ſed ille ante ictum manu elapſus eſt; nec prius animum reſumpſit percuſſor, quàm eum Pater iuſſit Gubernatorum obtemperare mandato: tum verò caput illi valido ictu demeſſuit: & rurſus Terra contremuit, vti principio fecerat. Incidit hic eius triumphus in diem 17. Octobris anni 1637. Cadauer carnifex gladijs conciſum flammis redegit in cineres, & cum omni Sacro inſtrumento diſcerpto præter pilulas, & S. Xauerij imaginem, quas Imperatori ſeruabant, proiecit in profluentem. Hic exitus fuit inuicti pugilis; quem fama inuſitatæ vocationis, & opinione virtutis orbis vterquè ſuſpexit. Certe priuſquam Europa excederet, quaqua tranſibat capillos, & quidquid vſu tractarat, vulgo in reliquias ſeruabant. Ipſi hoſpites cubicula, lectos, ſellas quibus erat vſus, ad venerationem adhibebant. Imo, & Catholicus Hiſpaniarum Rex cum inſolitis eum titulis coràm appellaſſet, faſſus eſt ſe occulto quodam fulgore ſanctitatis inductum, vt notabili eum reuerentia proſequeretur. Scripſit

Narrationem miraculi in ſe à S. Franciſco Xauerio Indiarum Apoſtolo patrati, quod auctoritate Franciſci Cardinalis Boncompagni Archiepiſcopi Neapolitani legitimè probatum eſt. Prodijt Italicè & Latinè Neapoli 1634. Hiſpanicè Matriti 1634. & Viennæ Auſtriæ 1635. Gallicè Luxemburgi 1635. in 8.

Iter ſuum ac 32. Sociorum in Indiam S. P. Franciſci Xauerij patrocinio feliciter peractum, ad Catholicam Hiſpaniarum Reginam tranſmiſſum. Prodijt Latinè Antuerpiæ typis Ioannis Meurſij 1638. in 8.

Hiſtoriam expeditionis ab Hiſpanis in Regem Mindanai ſuſceptæ anno 1637. Ea impreſſa eſt Hiſpanicè Hiſpali in folio.

MARCELLVS LAVRVS natione Italus, patria Catacenſis in Calabria, cooptatus in Societatem anno Domini 1620. ætatis ſuæ 16. vota 4. profeſſus eſt. Græcis & litteris Latinis apprimè excultus, Concionatoris munus multis annis cum laude ſuſtinuit. Mortalitatis vinculis ſolutus eſt in patrio ſolo Catacij die 12. Ianuarij 1651. Edidit

Concionem de Epiſtola B. Mariæ Virginis ad Meſſanenſes, habitam Meſſanæ, vbi & typis im-

impreſſa eſt Petri Breæ 1642.

Concionum Quadrageſimalium volumen 1. poſthumum. Venetijs apud Babam 1644. in 4.

MARCVS ANTONIVS CAPICIVS natione Italus, patria Neapolitanus, nobili loco natus, ad Societatem anno 1586. ætatis 17. acceſſit, & votorum 4. nuncupatione ſe obſtrinxit. In ea ſe diù concionando & gubernando exercuit. Collegij Barienſis tertium Rector fuit, aliàs etiam Beneuentani, Barolitani, Stabienſis. Oblatum Nicoterenſem Epiſcopatum repudiauit, & ſeptuagenario maior migrauit ad Dominnm. Neapoli die 18. Nouemb. 1640. Edidit Italicè

Orationem dictam Barij in Exequijs Sereniſſimæ Margaretæ Auſtriacæ Reginæ Hiſpaniarum. Bari per Antonium Pace 1617. in 4. Item

Diſcurſus de Excellentijs B. Virginis Mariæ Neapoli apud Secundinum Ronchaglionum 1630. in 4.

* MARCVS ANTONIVS DE FOIX natione Gallus, gente Vaſco, diœceſis Conſeranenſis, natus anno ſæculi fluentis 27. Societati ſe addixit 1643. & ſolemni votorum 4 ſacramento ſe adſtrinxit. Rhetoricam & amœniores diſciplinas ſexennio docuit, Philoſophiam triennio; Theologiam biennio. Nunc à decennio Eccleſiaſten agit. Edidit Gallicè

Reſponſionem ad poſtremas tricas Ianſeniſtarum, renuentium ſubſcribere Formulario. Toloſæ 1664. in 4.

Epiſtolam ad Auctorem Apologiæ pro Monialibus Portus Regij. Ibidem 1666. in 4.

* MARCVS ANTONIVS MAMBELLVS natione Italus, patria Foroliuienſis, Societatem amplexus anno ſalutis 1606. ætatis ſuæ 24. Spiritualium Coadiutorum albo in ea adſcriptus eſt. Varijs muneribus religiosè perfunctus è cuſtodia corporis eductus à Deo eſt Ferrariæ die 24. Octobris anno Domini 1644. Edidit Italicè ſub nomine Cinonij Academici Filergitæ

Obſeruationes circa linguam Italicam. Ferrariæ typis Ioſephi Gireni 1644. in 12.

MARCVS ANTONIVS OLIVA natione Italus, patria Brixienſis Societati aggregatus anno ſalutis 1575. ætatis 23. Coadiutoris Spiritualis in ea gradum obtinuit. Vir ad omne obſequium caritatis lingua & manu promptus, varijs Officijs Miniſtri, Procuratoris, & Confeſſarij perquàm religiosè functus eſt. Rexit Collegium Buxetanum & propè Buxetum obijt 22. Octobris 1629. Scripſit Italicè & opera D. Ioſephi Segala, ſuo nomine tacito edidit

Modum recitandi Coronam B. Virginis. Brixiæ 1610.

Appoſito ſuo nomine vulgauit

Compendium perfectionis Chriſtianæ. Senis apud Matthæum Florinum 1612. in 16.

MARCVS ANTONIVS PALVMBVS DE ASCANIO natione Italus, patria Neapolitanus, nobili familia natus, adoleſcens 15. annos natus ad Societatem acceſſit anno 1588. & in ea tantum profecit, vt Rhetoricam triennio, Philoſophiam ſexennio, Theologiam Scholaſticam nouennio, Moralem quinquennio, in Archiepiſcopatu Neapolitano explicauerit, & Sanctæ Inquiſitionis pro Archiepiſcopo Conſultorem egerit, emiſſa pridem profeſſione quatuor votorum. Septuagenario maior ictus apoplexia deceſſit Neapoli poſtridie Calendas Aprilis 1644. Edidit

In primam partem D. Thomæ Tomos II. Priori hic titulus eſt.

De Deo Trino, & Vno Commentarius Litteræ, & Doctrinæ, quæ in littera continetur Scholaſticum examen. Poſteriori vero hic alter eſt titulus

Doctrina & examen difficiliorum, quæ apud Theologos in controuerſiam veniunt ad Quæſtiones S. Thomæ in 1. Partem De Deo Trino & Vno Neapoli apud Aegidium Longum 1631. in folio recuſum apud eundem 1645. in folio.

MARCVS DE BONNIERES natione Belga, patria Atrebas ex Baronibus d'Auxi natus anno 1595. Societati nomen dedit 1612. & vota 4. profeſſus eſt. Munus illi præcipuum fuit è ſuggeſtu ad populum verba facere: Dici vix poteſt quantum dicendo valeret ad permouendos hominum animos, quàm multos ad meliorem frugem reuocauit, præſertim cùm ſuo ipſe exemplo præluceret, & vim orationi adderet. Domi in obeundis abiectiſſimis quibuſque miniſterijs frequens, foris in ſquallidis pauperum tuguriolis aſſiduus, quorum egeſtatem corrogata vndique ſtipe, velut ex officio ſubleuandam ſuſceperat. E viuis exceſſit Inſulis anno 1631. die 15. Decembris.

Edidit

Aduocatum Animarum Purgatorij. Inſulis.

MARCVS GARZONIVS natione Italus, patria Venetus, clariſſima familia Senatoria natus, Societati ſe adiunxit anno Domini 1591. ætatis 20. & vota 4. in ea nuncupauit. Poſt traditas Humaniores litteras, Philoſophiã docuit triennio, Theologiam ſeptennio. Parmæ bis Rector, Genuæ Præpoſitus, bis in Prouincia Veneta, ſeu Parmenſi Præpoſitus Prouincialis; in eo Magiſtratu, vita Parmæ functus eſt die 2. Octobris anno ſalutis 1630. Scripſit Italicè

Epiſtolam ad Reuerendiſs. P. Mutium Vitelleſchum Præpoſitum Generalem Societatis Ieſu, *De Dedicatione Sacelli S. Ignatij Fundatoris Societatis Ieſu facta in Eccleſia Metropolitana Bononienſi ab Eminentiſs. D. Ludouico Cardinali Ludouiſio*, cui adiunxit *Sacrum Panegyricum, quem de S. Ignatio idem Cardinalis tunc habuit*. Edita ſunt Bononiæ per Hæredes Victorij Bonacci 1629. in 4. Et rurſum Latinè reddita. Romæ per Hæredem Bartholomæi Zanetti 1630. in 8.

MARCVS GEORGIVS natione Luſitanus, patria Conimbricenſis, in eiuſdem Ciuitatis Collegio Societatem noſtram complexus eſt die 16. Martij anno ſalutis 1548. cùm iam egregiam Iuri Canonico operam nauaſſet, atque inter cæteros eius Academiæ Scholaſticos, ingenij, ſcientiæque opinione excelleret. Poſtea Doctoris Theologi gradum in Academia Eborenſi adeptus, S. Theologiam in eadem Academia profeſſus eſt. In Collegio vero S. Antonij Vlyſſiponenſi Quæſtiones de moribus ſapienter primus explicuit, innumeris penè Sacerdotibus. Vi dicendi, verboque Dei è ſuggeſtu enarrando eminuit. Romam miſſus eſt, vt apud S. Franciſcum Borgiam Præpoſitum Generalem, Procuratoris munus obiret, atque inde reuertens, piè admodum Eboræ exceſſit è vita, menſe Decembri anno Domini 1571. Profeſſionis 4. votorum 7. Atque hic vir tantus qua erat caritate, atque humilitate exiguum libellum, ſed peregregium, Luſitanicè ſcripſit

De Doctrina Chriſtiana ad puerorum, rudiumque inſtitutionem. Vlyſſipone apud Franciſcum Corream 1661. in 16. Recuſum cum iconibus myſteriorum noſtræ Fidei. Auguſtæ Vindelicorum 1616. in 8. & in varias linguas Orientales translatum.

MARCVS GILBERTVS DE VARENNES natione Gallus, patria Borbonienſis, Diœceſeos Auguſtodunenſis, natus anno 1591. Societati ſe adſcripſit 1610. & votorum quatuor profeſſionem edidit. Sexennium docuit amæniores litteras; Eccleſiaſten aliquot annis egit; Rexit Collegium Venetenſe, & Reſidentiam Pontiſarenſem; pietatem cum eruditione ſic coniunxit, vt omnibus gratus fuerit. Inter cæteras eius virtutes eminuit linguæ cura, hanc enim ſic temperabat, vt neminem verbo offenderit. Demigrauit ex hac vita ad meliorem (vt ſperamus) Rhedonis die 19. Maij 1660. Scripſit materna lingua

Regem Armorum, ſeu Artem formandi inſignia, ſeu Teſſeras Gentilitias Nobilium familiarum. Pariſijs apud Petrum Bellaine 1635. in folio.

MARCVS GONZALES natione Hiſpanus, patria Villanouenſis, Diœceſeos Abulenſis, Societatem ingreſſus eſt anno ſalutis 1605. ætatis 18. admotuſque Lucronij inſtituendis ad prima litterarum; & pietatis elementa pueris, Vir omni virtute, ſed humilitate imprimis, Paupertate, & obedientia inſignis, in gradu Coadiutoris temporalis totam vitam exegit. Artem formandi characteres omnis omninò generis, admirabili excellentia calluit, de qua certas conceperat regulas, quibus tota ea peritia contineretur, vt doctrina & methodo tradi poſſet, eas ipſe dum nitidiſſimè deſcriptas in æs curat incidi, iamque non paucæ laminę eſſent excuſæ ad metam laborũ peruenit tranſcriptus æternitati. Lucronij die 3. Iulij anno ſalutis 1628. Reliquit

Artem formandi characteres, ſeu ſcribendi ad regulas reuocatam nitidiſſima forma in æs inciſam.

* MARCVS LIMA natione Græcus, patria Retimenſis in Inſula Creta, admiſſus Romæ in Societatem anno ſæculi voluentis 25. ætatis 21. votorum 4. nuncupatione ſe obligauit. Theologiam Moralem docuit ſexennio, & multis annis pro natione Græca Pœnitentiarius in Æde Lauretana fuit. Mortalitatem exuit Recineti die 8. Aprilis 1664. Edidit lingua Græca vulgari

Breuem narrationem translationis Sacræ Domus Lauretanæ in Picenum, ſeu Compendium Hiſtoriæ Lauretanæ. Romæ typis Maſcardi anno 1648. in 12.

* MARCVS LOPEZ natione Hiſpanus, patria Madritenſis ſuſceptus in Societatem anno ſæculari 1600. ætatis 20. Humaniores in ea Litteras inſigni exemplo annis 20. docuit. Operarius poſtea & Miniſter in Domo Profeſſa Matritenſi, reliquo ferè vitæ tempore, atq; in gradu ſpiritualis Coadiutoris. Ibidem vitam mortalem cum immortali commutauit die 11. Ianuarij 1653. Illum Bibliothecæ Hiſpanæ inſeruit D. Nicolaus Antonius, quia ex Latino vertit Hiſpanicè

Relationem de Incarceratione, & Martyrio P. Ioannis Ogilbæi Scoti quam ipſe ſua manu ſcripſit in carcere Ciuitatis Glaſconiæ, octo diebus antequam ſubiret mortem, & à Concaptiuis continuatam in 8.

MARCVS PAVLVS LEO natione Italus, patria Romanus, in Societatem Iuris vtriuſque Doctor ingreſſus anno ſalutis 1629. ætatis 41. vota 3. ſolemnia in ea profeſſus eſt. Multis annis Procuratorem egit Prouinciæ Romanæ, Vir indole modeſta, prudens, & pius. Deſijt inter mortales viuere in Collegio Romano die 11. Octobris 1657. Ante ingreſſum in Societatem multos annos tranſegerat in negotijs ſpectantibus ad Sacram Pœnitentiariam Romanam, & poſtea edidit

Praxim ad Litteras Maioris Pœnitentiariæ. Romæ typis Ludouici Grignani 1644. in 4. Item

De auctoritate, & vſu Pallij Pontificij. Romæ typis iiſdem 1649. in 4.

MARCVS VANDEN TYMPEL natione Belga, patria Louanienſis, nobili familia natus die octaua Februarii anno ſalutis 1575. Societati ſe adiunxit 1595. & votorum 4. profeſſionem emiſit. Strenuum ſe in Societate operarium exhibuit; Concionatus enim eſt plus annis 30. Præfuit noſtris in Miſſione Hollandica annis 12. in Caſtrenſi 1. Obiit Louanii die 17. Maii anno 1636. Vertit Flandrice

Alphonſi Rodriguez De Exercitio Perfectionis Partem II. Antuerpiæ apud Ioannem Cnobbaert 1628. Imperfectas moriens reliquit

Conciones de B. Virgine Maria, de Feſtis, & San-

& Sanctis Societatis Ieſu.

* MARIANVS CELI natione Siculus, patria Meſſanenſis, natus anno ſæculi proximè elapſi 95. Societati ſe aggregauit labentis 12. & ſolemne votorum 4. ſacramentum dixit. Docuit Humaniores litteras, Philoſophiam, & Theologiam Moralem, & annis 13. Sacram Scripturam interpretatus eſt: ſuperſtes etiam nunc in Collegio Mamertino. Edidit lingua vernacula

Inſtructionem practicam pro adiuuandis cōdemnatis ad mortem. Peruſiæ apud Petrum Saluionium 1648. in 8.

MARIVS BETTINVS natione Italus, patria Bononienſis, Vir multiplici clarus doctrina, Societatem amplexus anno ſalutis 1595. ætatis 17. votis 4. ſe illigauit. Ethicam, & Mathematicam in Academia Parmenſi decennio profeſſus; Philoſophiam quoque ibidem docuit, & niſi afflicta valetudo impediuiſſet, multò plura maioraque præſtitiſſet. Naturæ demum ceſſit Bononiæ die 7. Nouembris 1657. edidit varia, quorum ſyllabus eſt

Rubenus Hilaro-Tragœdia Paſtoralis. Parmæ apud Antheum Viothum 1614. in 4. Adeò placuit hoc opus nouitate ſua, vt paucis annis ſæpiùs datum publicè fuerit in præcipuis Italiæ Vrbibus, in varias linguas translatū; Commentarijs ab erudito viro Dioniſio Ronsferto illuſtratum. Prodijt caſtigatus Bononiæ, & Lugduni.

Clodoneus, ſeu Ludouicus, Tragicum Syluiludium, totum conſtans formis metrorum nouis, ac ſtylo florido. Ibidem 1622. recuſum deinde ſæpiùs in Galliis, verſum Italicè, & Gallicè

Lycæum è moralibus Politicis, & Poëticis, Venetijs apud Euangeliſtam Deuchinum 1626. in 4. Prior operis pars ſoluta oratione perſcripta ſtatim, ac prodijt verſa eſt in Gallicum ſermonem. Pars poſterior complectitur

Vrbanitates Poëticas, in quibus varia ſunt ſpecimina Lyricæ Poeſeos Floridæ, ac venuſtæ ad bonos mores reformatæ. Sacrarū Heroidum Epiſtolæ, Paſtoralia, Piſcatoria, Venatoria, Sacri affectus, Choreæ, Cantica, &c. Prodijt hæc pars ſeorſim ab altera ſub titulo

Eutrapeliarum, ſeu Vrbanitatum Poëticarum Lib. 4. Venetijs 1626. Prodijt præterea excerptum ex ipſius Lycæo

Florilegium variorum Poematum, & Dramatum Paſtoralium Lib. 4. Lugduni apud Franciſcum de la Bottiere 1633. in 12. Editione 9.

Apiaria Philoſophiæ, Mathematicæ tomis 2. quibus acceſſit in fine

Euclides explicatus. Opus refertum nouis inuentis in omni genere Mathematicarum ſcientiarum. Bononiæ typis Ioannis Baptiſtæ Ferronij 1642. & 1645. in folio

Aerarium Philoſophiæ Mathematicæ in tres tomos diſtributum. Bononiæ typis ijſdem 1648. in 4.

Alia complura præ manibus habebat. Sed mors excuſſit

* MARIVS CLEMENS BARATTA natione Italus, patria Taurinenſis claritatem generis morum innocentia ſupergreſſus annum agens ætatis duodeuigeſimum, Deo ſe in Societate deuouit anno ſalutis 1611. & votis 4. ſe adſtrinxit. Politiores litteras diu docuit, Philoſophiam ſexennio. Præfuit Collegijs Nicienſi, & Taurinenſi, & in probatione tertia noſtros inſtruxit. Multis annis à Sacris Confeſſionibus fuit Sereniſſimo Principi Mauritio à Sabaudia vſque ad illius obitum, etiam cùm Cardinalis Romæ eſſet. Demum plenus dierum, ac bonorum operum ad vitam tranſijt mortis expertem Taurini, die 24. Februarij 1669. Edidit Italicè tacito ſuo nomine

Vitas Fratrum Coadiutorum temporaliū Societatis Ieſu. Taurini apud Ioannem Iacobum Ruſtis 1664. in 4

Compendium vitæ P. Bernardi Colnagi. Taurini apud Sinibaldum 1663.

MARIVS PACIVS natione Melitenſis, adoleſcens annorum 15. admiſſus in Societatem anno ſalutis 1593. vota quatuor in ea nuncupauit. Vir fuit litteraturæ multiplicis; Philoſophiam Panormi, Theologiam multos annos docuit in Collegio Mamertino, vbi etiam Academiæ litterariæ Præfectum egit. Rexit Collegia Mineenſe, Caltageronenſe, Drepanitanum, & Catanenſe, vbique noſtris ob candorem animi, morumque feſtiuam pietatem gratiſſimus. Apud Epiſcopum Catanenſem Theologi partes egregiè expleuit. Demum diuturno confectus morbo exceſſit ex hac vita Panormi, die 8. Martij 1643. Edidit Italicè, nomine ſuo Præfationi inſerto

Antiquitates Caltageronis Vrbis Siculæ. Neapoli apud Secundinum Roncaliolum 1631. in 4.

MARTINVS ANTONIVS DELRIO natione Belga, patria Antuerpienſis, ſed quod nomen indicat, Hiſpana origine, genere nobili Cleydaliæ, & Artzelaræ Toparcha natus. Ipſo pueritiæ exordio, vegetum, acre eius emicuit ingenium, ad literas aptum, atque incitatum, cui cùm acceſſiſſet contumax ſtudium, eo breui euaſit doctrinæ, vt annos 19. natus, plus minus, mille, & centum auctorum ſententias acri iudicio expenſas, congeſſerit in vnis aduerſarijs ad Senecam: quem ideo Iuſtus Lipſius æui noſtri miraculum appellans, negabat ſe ſcire, an ſint, non pauci eorum ſcriptorum, quos ille diligenter euolutos proferebat. Græcæ, Latinæque adiunxit linguas Hebraicam, & Chaldaicam: cùm diſertus etiam eſſet Flandricè, Hiſpanicè, Italicè, Gallicè, ac Germanicè. Poetarum, Oratorum, Hiſtoricorum quidquid toto Belgio erat, excuſſerat. In Philoſophia, Pariſijs audiuit Ioannem Maldonatum: Duaci dedit operam Iuriſprudentiæ; quam Louanij proſecutus, primam ibi Lauream 1570. decerpſit æta-

ætatis ſuæ circiter 20. ſuprema paucis poſt annis Salmanticæ per acres concertationes expreſſa. Poſt hæc in Belgium redux, in ſupremum Brabantiæ Senatum cooptatus eſt: ſed probitate, & doctrina ſuffragantibus altius euectus, Palatinis militibuſque Ius dicere; mox etiam Brabantiæ pro Cancellario eſſe, Regiumquè Fiſcum curare iuſſus eſt. Cæterùm haud diu placuit Martino, caduca, & crebris obnoxia periculis ſectari; quare impetrata in Hiſpaniam, neſcio cuius rei prætextu, profectione, Pinciæ in noſtram Societatem ſe dedit anno ſalutis 1580. ſuo 29. & quò maiores ſpes abruperat, eò grandiora iecit ab ipſo ſtatim Tirocinio, religioſæ humilitatis, abiectioniſquè, atque omnis virtutis fundamenta. Exacto biennio Philoſophiam naturalem iuſſus accuratiore ſtudio repetere, vir tot clarus magiſtratibus geſtis, tanta ſcientiarum varietate ad miraculum conſpicuus, poſt doctiſſimos libros in lucem editos, poſt adeptam in Iure Lauream, poſt ſcriptos Legum Commentarios, triennium non erubuit cum pueris, atque adoleſcentibus publico in ludo verſari, in quo magiſtrum habuit Ludouicum de Ponte ſanctitate, & libris editis poſtea clariſſimum. Regreſſus ex Hiſpania in Belgium partim Louanij, partim Moguntiæ, Sacrarum litterarum ſtudio, & Theologiæ ſe conſecrauit. Anno 1589. Duaci Philoſophiam ſumma ingenij laude docuit. Nec diu poſt Leodium euocatus. Moralem ibi Theologiam explicuit, quo tempore Iuſtum Lipſium V. C. ad partes noſtras, id eſt Eccleſiæ, & Dei defendendas adduxit. Lapſo quadriennio conceſſit Louanium, Sacras ibi litteras expoſiturus. Inde poſt annum ſæcularem 1600. quatuor iam votis ſolemnibus obſtrictus, Græcium abijt in Styriam; vbi Theologiæ Laurea eſt inſignitus, & triennio Diuinis exponendis ſcripturis impenſo, Salmanticam ad eandem tractationem conceſſit. Ceterùm ex Hiſpania denuo reuocatus in Belgium, cum terra marique iactatus Louanium æger, & calculi cruciatibus attritus attigiſſet, poſtridie nuncium mortis imminentis lætus accepit. Eam eſſe diem, dicens, cui ſe tanto tempore paraſſet: Sic vixiſſe, vt mori non timeret. Sacramentis inſtructus, ſed intentus cælo, Deo plenus, ſui ſecurus, mortiſquè ex æquo nec cupiens, nec metuens inter Sociorum manus placidiſſimè expirauit, die 19. Octobris anno ſalutis 1608. ætatis 58. Ereptus eſt rebus humanis cum ingenti bonorum luctu; fuit enim vir animi candore ſummo, vt quod ab eo dicebatur ſincerum, confirmatùmque omnes arbitrarentur. Nullus fuit eo vnquam magis integrè virtuti amicus, & honeſtati, vbicumque demum ea eſſet, in quocumque eſſet, In ipſis hoſtibus quidquid non illaudatum eſſet, ingenuè amplectebatur, & efferebat. Non opinionibus vulgi rapiebatur; in omnibus rationem ſequebatur ducem, cætera ſuſque deque habebat. Si reprehenderes non obloquebatur non excuſabat; Si laudares iuxta habebat. Ex hoſtibus etiam fructum capiebat: ex venenis parabat antidotum. Caſtimoniæ cuſtos ab ipſa prima adoleſcentia egregius, & acerrimus, oſor otii fuit. Veritatis, & Religionis vindex ſtrenuus, voce, ac ſtylo armatus, & velut in procinctu ſemper ad Dei honorem atque Eccleſiæ maieſtatem vindicandam. Viderunt non pauci in familiari congreſſu, conuictuquè, quoties homini, alioqui comi, & humano, aliqua Hæreticorum commemoratio, vel leuiſſima recordatio incidebat, toties ardere vultum, æſtuare animum, nihil aliud anhelare, quàm eos ad meliorem mentem reducere; quod vbi deſperaret, tum ſtylum ſtringere, ad cotem aſperare; Patrum auctoritatibus, & Theologorum rationibus iugulum petere, non hominum, ſed errorum. Ardentiſſimum ſuum in Deiparam amorem, quem eum lacte nutricis hauſit, ſcriptis libris luculenter expreſſit. Magno pietatis ſenſu dixit ad Sodales Parthenios Leodij, ſed docte, polite, enucleate. Qua in re adeo ſimul ſubmiſsè & non arroganter ſe habuit, vt quaſi elementarius ſenex, ſolicite, & obnixè Collegii Moderatorem conſuleret, quid præcipuè dicendum, aut quomodo dicendum eſſet, quamdiu, quàm concitate, aut remiſsè, exilius an elatius. Nimirum prima laus eius ſemper fuit, humillima obedientia, & obedientiſſima humilitas. Vitam eius Hermannus Langeueltius edidit. Antuerpiæ typis Plantinianis Moreti, quam hoc epitaphio clauſit

Subſiſte; tangis terminum: hic mors imperat.
Hoc Delrionis indicat tumulus tibi.
Marmor videre poſtulas? cælos vide.
Hoc Marmor illi eſt: orbis eſt buſtum: libri
Fauilla: fama publica eſt inſcriptio.
Lege, Hoſpes; & quod exprimas tibi elige.
Breui eſt eundũ: Nam hoſpes es. Quæras viã.

Elogia ipſius quæ exſtant apud ſcriptores operoſum foret recenſere. Opera eius pro omni encomio ſunt. Eorum hic ecce Catalogus:

In C. Solini Polyhiſtorem, Notæ. Antuerpiæ typis Plantini 1571. in 8. inſerta ſunt ſcholia breuia in Titi Liuij Epitomen.

In Claudianum Poetam, Notæ. Ibidem 1572. in 16. ſæpius recuſæ.

In Senecæ Tragædias, Aduerſaria. Ibidem 1574. quæ poſtea maturior Martinus recenſita, & altero tomo aucta, hac præſcriptione recudit.

Syntagma Tragædiæ Latinæ in tres partes diſtinctum. Antuerpiæ typis Plantinianis 1593. & 1594. in 4.

Miſcellanea in totum Ius Ciuile. Pariſijs typis Sonnij 1580. in 4.

Repetitio in L. Tranſigere C. de Tranſact: &c.

Commentarius multiplex in L. Contractus, de Reg. Iuris.

Et

Et hæc quidem edidit ante aditam Societatem, habebatque alia in Iure affecta, & prælo parata, vt in Miſcellaneis ipſe præfatur, ſed cum ſanctiore habitu ſanctius ſtudium aſſumpſit, muſis tantum non omnino valere iuſſis. Quæ autem in Societate ſcripſit, aut vulgauit ſunt ſequentia

Florida Mariana, ſiue de Laudibus Sanctiſſimæ Virginis Deiparæ, Panegyrici XIII. Antuerpiæ typis Plantinianis 1598.

Opus Marianum, ſeu de Laudibus, & virtutibus Mariæ Virginis Deiparæ in 4. Partes diuiſum.

Speculum Marianum.

Speculum caritatis, & patientiæ Ieſu, & Mariæ.

Polemica Mariana.

Florida Mariana, recuſa; Lugduni apud Horatium Cardon 1607. in 8.

Diſquiſitionum Magicarum, Lib. 6. in Tomos 3. diſtincti, ſæpius locupletati, & ſæpius editi, Louanij, Lugduni, Moguntiæ, Leodij, & alibi. Poſterioribus editionibus acceſſit. *Epiſtola Apologetica contra cuiuſdam ſugillationem.*

In Canticum Canticorum Salomonis, Commentarius litteralis, & Catena Myſtica. Ingolſtadij typis Adami Sartorij 1604. in fol. Pariſijs, & alibi

S. Orientij Epiſcopi Illiberitani Commonitorium emendatum, & Notulis illuſtratum. Antuerpiæ apud Ioachimum Trognæſium 1600. in 12. Extat etiam in Bibliotheca Patrum Tomo 5. Part. 3.

S. Althelmi Aenigmata, cum Notis. Extant Tomo 8. Bibliothecæ

De difficilioribus, & vtilioribus Sacræ Scripturæ locis, Tomo 3.

Vindiciæ Areopagiticæ, aduerſus Ioſephum Scaligerum. Antuerpiæ 1608. in 8.

Commentarius Litteralis in Threnos Ieremiæ. Lugduni per Horatium Cardon 1608. in 4.

Pharus Sacræ ſapientiæ, ſeu Commentarij, & Gloſſa litterales in Geneſim; magni operis, quod in totam Scripturam moliebatur. Pars 1. Ibidem eodem anno in 4.

Adagialia Sacra Veteris, & Noui Teſtamenti, Pars 2. Ibidem 1611. & 1613. in 4. Sed deſunt, quæ titulus promittit, Noui teſtamenti Adagialia, Auctore prius è viuis ſublato, quam ea daret, cui hæc etiam, quæ exſtant poſthuma ſunt

Prodiit ſub nomine Liberij Sangæ, editus à Delrio

Peniculus foriarum Elenchi Scaligeriani. Antuerpiæ, ſeu, vt ibi adſcribitur Merelloburgi Matthiacorum, apud Matthianos 1609. in 12. Et ſub nomine Anagrammatico, Rolandi Miritei Onatini

Commentarius rerum in Belgio geſtarum à Comite Fontano Petro Henriquez; addito tractatu de Tumultibus Belgicis. Madriti 1610. Hiſpanicè Coloniæ 1611. Latine in 4.

MARTINVS BECANVS natione Belga, patria Brabantus, ex Hiluarenbeca Campiniæ municipio oriundus, ad Societatem vicennis acceſſit anno Domini 1583. & votorum quatuor profeſſionem emiſit. Vir fuit magno ingenio, & ad omnem litteraturam nato, in Philoſophia, & Theologia clarus: illam quadriennium, hanc totos annos 22. Herbipoli, Moguntiæ, Viennæ Auſtriæ, rara cum admiratione, & conſtanti Auditorum applauſu Doctor, & Magiſter eximius explanauit è Cathedra. Celeberrimam eius famam reddidit facilis quædam in interpretando D. Thoma Aquinate, Fideiquè controuerſijs omnibus enodandis perſpicuitas, breuitas, & plena doctrinæ ſanæ ſoliditas, quam humaniſſima religioſæ modeſtiæ comitas exornabat, vt Matthias Imperator, Martinum tamquam abſolutiſſimum Theologum ad Viennenſem Academiam illuſtrandam euocarit. Demum Ferdinando II. Cæſari Auguſto factus à Confeſſionibus, triennio, quo munus ſuſtinuit, incredibile dictu eſt, quàm carus Palatinæ Nobilitati fuerit, eo maximè nomine, quod in tanta opportunitate agendi nequaquam pateretur ſe ad Politica negotia, atque ab ſuo Inſtituto aliena tractanda pertrahi. Interim ſumma Domeſticæ diſciplinæ obſeruantia, ſumma ſui deſpicientia, inſigni morum ſimplicitate cum ſpirituali prudentia temperata, omnibus erat exemplo, vt vel ſolo ſuo conſpectu cæteros componeret ad modeſtiam, & ſincerum animi candorem. Omnibus erat in amoribus, ob inſignem facilitatem ſuauitatemquè, ſolitus ipſos etiam Hæreticos honore præuenire, vt tali eos officio demereretur. Cum externis haud quaquam longos ſermones ducebat, vt ſui congreſſus deſiderium potius illis quam faſtidium relinqueret. Ipſe ſibi, vel cum Imperatoris confeſſionibus præeſſet, aquam è puteo haurire, ipſe ſibi in omnibus famulari, tandem acutiſſimis colicæ doloribus paucis diebus confectus obijt Viennæ 9. Cal. Februarii anno ſalutis 1624 ætatis 63. Religionis 41. cum magno Cæſaris, Noſtrorum, imo, & totius Reip. Chriſtianæ luctu, cui operam Hæreticis, Caluiniſtis præſertim confutandis, & refellendis, inſignem nauauit, vt ex merito Caluino-Maſtyx, & Caluiniſtarum Malleus ſit à non nemine nuncupatus. Edidit Becanus Opuſcula plurima, quæ varijs locis, ac temporibus ſeorſim edita, tandem comprehenſa tomis duobus prodierunt, Moguntiæ apud Antonium Stroheckerum 1630. 1631. in folio aucta Lucubrationibus aliquot poſthumis. Complectitur autem Tomus I.

Opuſcula Polemica, ſeu de Controuerſiis Fidei contra Hæreticos, quæ ſuperfluum eſt ſingillatim recenſere. Acceſſit

Tractatus de Iure, & Iuſtitia, antea non impreſſus. Prodijt præterea his duobus Tomis minime comprehenſa

Ana-

Analogia Veteris, & Noui Teſtamenti. Moguntiæ typis Ioannis Albini 1620. in 8. Item

De ſtatu Animarum poſt hanc vitam.

De Cenſuris Eccleſiaſticis.

De reſurrectione, &c.

Compendium Manualis (eius quod habetur inter opera Polemica Tom. II.) *Controuerſiarum huius temporis De Fide, ac Religione*, Vltimus Becani partus, in varijs Germaniæ, ac Belgii Prouinciis inſigni animarum lucro diuerſis formis excuſus.

MARTINVS BRESSERVS natione Belga, patria Boxtellanus Societatem vicennis iniit Romæ anno 1605. ætatis 18. & vota 4. profeſſus eſt. Theologiam Scholaſticam nouennio docuit: Rexit Collegia Cortraci, Louanij, Antuerpiæ, Brugis, vbique eximia commendatione prudentiæ, charitatis, & ſcientiæ. Ad Superos (vt ſperamus) abijt dum Brugis Rector eſſet die 14. Nouembris 1635. Editi ſunt poſthumi illius

De Conſcientia Libri 6. Antuerpiæ apud Viduam Ioannis Cnobbari 1638. in 4.

MARTINVS CRISTOPHORVS natione Gallus, patria Turonenſis admiſſus in Societatem anno ſalutis 1585. ætatis 17. votorum 4. profeſſionem edidit. Humaniores Philoſophicaſque diſciplinas profeſſus, Concionandi munus in Gallobelgica totos 10. annos maximo fructu ſuſtinuit; ſeueritate lenitati permiſta peccatorum animos, & de ſuggeſtu percellebat, & priuato in congreſſu Deo magis adſtringebat. Auidè ſitiit hæreticorum reductionem, quam per Miſſiones impigrè quoad potuit procurauit, nihil veritus inſidias quas ſibi inaudierat parari, ratus maximum pro Chriſto mori lucrum. Morti propinquus enixè rogauit valetudinarij miniſtrum, vt quādo iam de vitæ ſpe eſſet conclamatum, vnum hoc pietatis officium ſibi ne negaret, vt ſe ſcilicet flagris exciperet, quo mox purgatior Chriſto Iudici ſiſteretur. Ea vixit opinione, vt vir Eccleſiaſticus ſermone, & auctoritate pollens non dubitaret ad populum verba faciens, Virum verè Apoſtolicum, & fortem Fidei Orthodoxæ columnam, vocare. Obijt Cameraci anno 1615. ætatis 49. Religionis 25. Scripſit atque edidit

Libellum de Controuerſijs.

Conſultationem de Fide, ac Religione capeſſenda Leonardi Leſsij. Vertit Gallicè. Duaci 1610.

Vitam Sancti Franciſci Xauerij etiam vertit Gallicè ex latino Turſellini Duaci 1608.

* MARTINVS CLAIRE patria San-Valericius Diœceſis Ambianenſis natus anno ſæculi decurrentis 12. Societatem amplexus eſt 1629. & votorum quatuor profeſſionem edidit. Docuit litteras politiores. Conciones ſacras per quinquennium habuit. Rexit Collegia Niuernenſe, & nunc in Collegio Pariſienſi miniſterus Societatis nauat operam. Edidit tacito ſuo nomine, ſed ſubſcriptis litter. eius initialibus Epiſtolæ Dedicatoriæ:

Hymnos Eccleſiaſticos nouo cultu adornatos. Pariſiis typis Sebaſtiani Cramoiſy 1673. in 4.

* MARTINVS COENVELT natione Belga, patria Traiectenſis ad Moſam natus anno ſalutis 1573. Societati ſe adiunxit 1591. & vota tria ſolemnia profeſſus eſt. Societatem patrimonii ſui non exigui inſtituit hæredem; ob quod tria pro illo ſacrificia per totum ordinem ſunt indicta. Humaniora docuit nouennio; tum Concionatorem, & operarium per reliquum vitæ, indefeſſum egit. Præcipua illi cura fuit, infirmos inuiſere in Noſocomiis, vinctos in carceribus; milites in propugnaculis, quos pia quadam importunitate vrgebat ad ante actæ vitæ peccata in Sacramento pœnitentiæ exponenda, quibus & patientiſſimas aures præbebat vir deuexæ ætatis, etiam ſæuiente hyeme toto tempore matutino. Laureti quoque Pœnitentiarii munere functus eſt annis aliquot, vbi tenerum hauſit in Deiparam affectum, quem in alios quoque data occaſione ſtudioſè effudit. Eiuſdem Virginis beneficio ſingulare donum Virginitatis obtinuit, quam ad extremum vſque ſpiritum illibatam ſeruaſſe, illi cui arcana conſcientiæ reuelabat candide aſſeuerauit. Tandem in vltimam ſenectutem deflexa iam ætate, ad innocentis vitæ brauium euolauit, Antuerpiæ, die 29. Aprilis 1658. Pro ſua ſingulari erga Deiparam pietate, elucubrauit ſpiſſum opus de eius Excellentiis quod inſcripſit

Theatrum Excellentiarum SS. Deiparæ, ex conſociatione excellentiarum ſui Filij. Antuerpiæ apud Viduam Ioannis Cnobbari 1655. in fol.

MARTINVS COVVREVR natione Belga, patria Audomarenſis, vicennis Societatem anno 1599. ingreſſus vota quatuor in ea nuncupauit. Philoſophiam Duaci docuit, Theologiam de moribus Antuerpiæ explicuit. Admotus dein regimini, Antuerpiæ, Cameraci, & bis Audomari Rector fuit. Tertiæ probationis Patres annis pluribus inſtruxit, Romam ad Comitia Procuratorum ſemel legatus; Miſſionarius plane inſignis extitit. In his muneribus tanta inclaruit apud omnes virtutis fama, vt meritò vir Apoſtolicus, & Primorum Patrum ſpiritu plenus diceretur. Obedientiam imprimis colebat, qua maiorum placitis, non modò priuatus, ſed etiam Rector ſe egregiè accommodabat. Angelicæ caſtitatis erat cuſtos oculatiſſimus, vt omnes omninò occaſiones, quæ nitorem illius obſcurare poſſent, vigilanter præſcinderet. Religioſam paupertatem in victu cultuque corporis ſic amauit, vt omnibus incederet lætitiis, cum detrita veſte, & vilioribus cibis liceba vti. Inſigni animi demiſſione excelluit, ex qua, & demiſſiſſimè de ſe ſentiebat, & humilia ſemper appetebat, & denique ſe abiectæ fortunæ hominem, & in Collegio pauperum

S. Ber-

S. Bertini educatum fateri minimè dubitabat. In ſalutem proximorum incredibili ſemper zelo incubuit, cui vt robur adderet, votum concepit in feſto S. Franciſci Xauerii hac formula: *In poſterum me totum impendam quantum per obedientiam licebit, in Miſſiones, Catechiſmos, & in ægrorum, afflictorum, agonizantium, maximè pauperum curam, ſubſidium, & ſolatium, ſub patrocinio S. Franciſci Xauerij*. Exin quaſi laxatis habenis in omne officium caritatis, alacer excurrit; tanta vbique contentione animi, fructuque populorum, vt dubitari potuerit, an tot rebus perficiendis vnius hominis induſtria par eſſet. Per pagos ſæuiente bello diſcurrens, tres ſæpe, vel quatuor horas vna die concionabatur, & poſt diurnos labores ſolo pane, & aqua contentus, hyberno tempore non rarò ſuper paleas quieſcebat. Indicas etiam Miſſiones ardenter expetiit, & cum peſtis Audomari graſſaretur, id ſaltem à moderatoribus extorſit, vt eminùs cum iis ageret, qui adhuc ſani domibus infectis tenebantur. Poſtremo vitæ ſuæ anno cum forte in inſtauratione ſtudiorum Profeſſor ſecundæ Grammaticæ non adeſſet ipſe in abſentis locum iam grandæuus magna voluntate ſucceſſit. Verùm cùm corporis vires ardori mentis pares non eſſent, in febrim incidit, qua dein inualeſcente poſtulata prius ab omnibus venia erratorum, & ſuſceptis rite Sacramentis placidiſſimè expirauit, Audomaropoli Calendis Nouembris 1648. Edidit Gallicè

De Septem Signis Prædeſtinationis. Leodij

Varia pietatis Exercitia, quæ in vnum collecta iuſſit recudi Epiſcopus Audomarenſis

Item ſuppreſſo nomine ſuo

Exercitia Sodalitatis Huenſis

Catechiſmum, ſeu Summarium Doctrinæ Chriſtianæ in tres Partes diuiſum, quod auctoritate R.D.Lucæ Brugenſis Vicarij Audomarenſis S.V. editum iam paſſim docetur, & in Flandricam quoque linguam translatum eſt, & Latinè

Inſtructionem pro Catechizandis rudibus iuſſu Epiſcopi Audomarenſis editam Audomari 1639. in 8.

* MARTINVS DV CYGNE natione Belga, Audomaropoli natus anno ſæculi voluentis 19. Societati vndeuicennis ſe adſcripſit 1638. Vir fuit politioribus litteris apprimè excultus, & in ijs publicè tradendis indefeſſus otij fugitans, candore animi, vitæ integritate, ſui demiſſione, & obſequioſa in alios voluntate ſpectabilis. Poſt quinquennium docendo in claſſibus inferioribus impenſum. Rhetoricam varijs in locis annos 14. profeſſus magna cum laude eſt, adeo ſuis acceptus diſcipulis, vt hi arcana ſua atque adeo totius vitæ exhomologeſes apud eum fidentiſſimè depoſuerint. Quanto autem pietatis ſtudio teneras iuuenum mentes excoluerit, vel inde conijcias, quod amplius quingenti Luxemburgi, vbi diù docuit, ab eius inſtitutione ad Eccleſiaſticum ſtatum tranſierint, vt meritò Parens Religioſorum apud ſæculares audierit. E Rhetore, & Præfecto Studiorum Audomari, factus Rudimentarius Magiſter, palàm fecit quantæ humilitatis fuerit, & quam amans informandæ rectè primæ ætatis; ſanctè profeſſus ſe hac functione præ cæteris libentiſſimè diſtineri, reliquamque vitam eidem promptiſſimè impenſurum. Et verò totam impendit, nam quarto circiter die, quam ſcholam deſerere morbo coactus eſt, integris viribus pijſſimè vti vixerat defunctus eſt Audomari die 29. Martij anno 1669. in gradu Spiritualis Coadiutoris pridem antea conſtitutus. Edidit

Explanationem Rhetoricam Studioſæ iuuentuti accommodatam. Leodij apud Houiũ 1659. recuſam Audomari apud Carlier 1666.

Analyſim Rhetoricam omnium orationum Ciceronis. Duaci typis Belleri 1661.

Artem Poeticam in duos Libros diuiſam. Leodij typis Viduæ Balduini Bronckart 1664.

Artem Hiſtoricam. Audomari typis Ioachimi Carlier 1669.

Paratas reliquit Comædias 12. quibus morum honeſtatem eleganter & argutè complexus eſt.

* MARTINVS DE ESPARSA ARTIEDA natione Hiſpanus, gente Nauarrus ex Oppido Ezcaroz Pampilonenſis Diœceſis, natus anno ſæculi labentis ſexto, 29. Martij, Chriſto in ſua Societate ſe dedicauit 1621. & votorum 4. profeſſione ſe adſtrinxit. Decurſis Salmanticæ Studiorum ſpatiis, Philoſophiam Compoſtellæ profeſſus eſt; Theologiam Scholaſticam, partim Valliſoleti, partim Salmanticæ in Collegio Societatis, atque in illa Vniuerſitate annis 12. & inde Romam euocatus, eandem totidem annis in Collegio Romano magna laude explicuit. Præfuit etiam ſtudiis biennio Valliſoleti, & nunc Romæ ab annis 21. Theologum agit Præpoſiti Generalis, atque Cenſorem librorum à Societate edendorum: Eſt etiam Qualificator Sacræ Inquiſitionis Romanæ, & Conſultor Sacræ Congregationis Rituum. Edidit hactenus

De Immaculata Conceptione B. Mariæ Virginis deducta ex origine peccati originalis. Romę typis Corbelletti 1655. in folio, Recuſum ibidem deinde Maceratæ, Dilingæ & alibi

Curſum Theologicum libris decem, Romę typis Corbelletti, & Fabij de Falco, ſeorſim, poſtea in vnum corpus duobus Tomis compactum cum auctario. Lugduni ſumptibus Philippi Borde & Soc. 1666. in folio.

Epiſtolas S. Auguſtini in vnum faſciculum collectas, & ordinatè diſpoſitas. Monachii 1668. typis Mariæ Schelin in 16.

Appendicem ad Quæſtionem de vſu licito Opinionis probabilis. Romæ typis Cam. Apoſtolicæ 1669. in 4.

De Virtutibus Moralibus in communi.

Romæ typis Tinaſsij 1674. in 8.

MARTINVS FORNARIVS natione Italus, patria Brundusinus natus anno ſalutis 1547. Societati ſe addixit 1564. & vota 4. ſolemnia concepit. Poſt quadriennium in litteris humanioribus collocatum reliquo fermè vitæ tempore per annos circiter 24. maxima cum Auditorum vtilitate quæſtiones de officiis, ac moribus explicauit Patauij, Neapoli, Romæ, & hic demum in Domo profeſſorum maturus cælo, migrauit ad Dominum, die 27. Septembris 1612. Scripſit

Inſtitutionem Confeſſariorum, ea continentem, quæ ad praxim audiendi Confeſſiones pertinent. Romæ typis Zannetti 1601. Coloniæ apud Mylium. & Ingolſtadii apud Andream Angermarium 1608. in 12. Adiecit etiam Inſtructioni Sacerdotum Cardinalis Toleti

Annotationes, & Additionē de ſacro Ordine

MARTINVS DE FVNEZ natione Hiſpanus, patria Valliſoletanus, natus anno Domini 1560. ad Societatem Salmanticæ acceſsit 1577. & vota quatuor in ea nuncupauit. Vir egregiè doctus, qui octo annos Theologiam Scholaſticam in Academia Græcenſi docuit, & Mediolani moralem triennio, magna cum laude, moribus ornatus placidiſsimis, apprime pius, zelo animarum præditus, & Inſtituti noſtri obſeruantiſsimus. Is cū anno ſalutis 1611. ex Italia in Hiſpaniā proficiſcetur. Collibus in Hetruria nō longè Senis in Dominio Florentino, defunctus eſt, die 25. Februarii. Edidit

Diſputationem de Deo vno; itemque alteram

Diſputationem de Vitijs, & peccatis in genere. Græcii typis Vvidmanſtadii 1589.

Speculum Morale practicum in quo continetur medulla Caſuum Conſcientiæ Part. 3. Conſtantiæ apud Nicolaum Kalt 1598.

Methodum practicam vtendi libro Thomæ de Kempis de Imitatione Chriſti, Scripſit cum doceret Mediolani, rogatu Vicarii Generalis Domini Albergati, permiſitquè tacito auctoris nomine vulgari, cum Italicè reddidit, & impreſſit D. Bartholomęus Zucchius Mediolani 1603.

* MARTINVS GRINVS ex parentibus Anglis natus in Hibernia, & in Seminario Anglorum Audomarenſi educatus, Societati ſe aggregauit in Tirocinio Vvatenenſi anno ſæculi præterlabentis 38. ætatis ſuæ 21. & vota quatuor profeſſus eſt. Abſolutis ſtudijs miſſus in vineam Anglicanam egregiè ibi laborauit ſpatio duodecim annorum, multiſquè ſolatio, & auxilio in ſpiritualibus fuit. Euocatus inde ad informandos Tirones in Domo probationis Vvatenenſi, præclarè Magiſtri, & Rectoris munere ibi, quoad vixit, functus eſt. Sed vix exacto biennio, placuit Deo eum rude donare, & ad ſe euocare. Deceſſit ſi quidem ibidem, poſtridie Cal. Octobris 1667. Vir magni ingenii, Græci, & Latinis ſermonis peritiſſimus, diſciplinis Philoſophicis, Mathematicis, Theologicis, inſigniter excultus, in Hiſtoria apprimè verſatus, in controuerſiis de rebus Fidei cum Acatholicis luculenter inſtructus. In regimine ſingularem oſtendit prudentiam, cum mira ſuauitate coniunctam, vt omnium animos ſibi plurimùm deuinxerit, & Tirones ad ipſum tamquam ad matrem confugerint. Scripſit Anglice librum in quo reddit rationem

De Vita, & Doctrina Societatis Ieſu, contra Calumnias Maleuolorum Londini 1661. in 8. Parabat

Hiſtoriam Eccleſiæ Anglicanæ, à temporibus Henrici Regis VIII. iamquè tomum vnum prælo maturum confecerat. Sed mors immatura interceſſit.

MARTINVS L'HERMITTE natione Belga, patria Armenterienſis vndeuicennis, Societati adſcriptus Romæ 1615. in Theologicis diſciplinis Neapoli excultus, Pœnitentiarii munùs Laureti cum laude geſſit. Belgio redditus, Philoſophiam Duaci quadriennio, Matheſim ſeptennio, Theologiam Scholaſticam aliquamdiu explicuit, vota quatuor profeſſus, & Latinè ad Sodales Academicos pluribus annis dixit. Feruidæ indolis, & ad quæuis exequenda promptus, vbicumquè res, aut Superiorum nutus poſtularet. Præter conſuetas corporis macerationes, quas ſtatis temporibus vſurpabat, iniurias æquiſſimo animo ſemper tulit, & ſubinde laceſſitus ab externis recipiens ſeſe in cubiculum, orabat Dominum per viſcera, & vulnera, ne tribueret illis hoc peccatum. Ex frequenti cum Deo conſuetudine, prodibat ingens gloriæ Dei, & ſalutis animarum ſtudium, quod in cauſa Ianſeniſtarum maximè eluxit, à quibus cùm violari videret ſummorum Pontificum Decreta, & auctoritatem, præcipua Academiæ Duacenæ capita ſuo feruore in eoſdem accendit. Miſſionem Indicam pluries, & ardentibus precibus expetiuit. Legiones militum, per varias Vrbes ſub tempus Paſchale obibat alacer, & cibi cæterorùmque immemor cum illis à primo manè ad veſperam audiendis confeſſionibus, reconciliandis diſſidentibus, aut iungendis matrimonio pellicibus ieiunus perſeuerabat. Operarium indefeſſum in huiuſmodi lucra animarum incumbentem febris inuaſit, & non multo pòſt cælo (vt confidimus) tranſmiſit. Duaci die 6. Octobris 1652. Edidit Gallicè

Hiſtoriam Sanctorum Gallo-Flandriæ, cum ortu, progreſſu, & ſplendore Religionis Catholicæ in illa Prouincia. Duaci typis Bartholomæi Bardon 1638. in 4. Item

Hiſtoriam Ducum, & Duciſſarum Duacenſium. Duaci typis Belleri

Paratas ad prælum reliquit. *Annuas Societatis litteras annorum* 1621. 22. 23.

MARTINVS HINCZA natione Polonus è Boruſſia nobilibus ortus parentibus, ingreſſus

greſſus eſt in Societatem Romæ, quò ex Germania, vbi ſtuduerat Logicæ, in caloribus æſtiuis peruenit, admiſſuſque eſt, die 28. Iulii anno ſalutis 1613. Hauſtum eo in tirocinio genuinum Societatis ſpiritum, Sanctè ſeruauit vſque ad extremum diem. Præclaris à Deo talentis dotatus fuit. Eccleſiaſtes inſignis, & ardens flammas quas fouebat in pectore ſpargebat in auditores. Docuit Theologiam Moralem; præfuit Collegiis Gedanenſi, Torunenſi, Iaroslauienſi, & Cracouienſi ſecundùm; prætereà Domui probationis, Domibus Profeſſis Vilnæ, & Cracouiæ, & demum toti Prouinciæ Poloniæ etiam bis; magna prudentiæ, zeli, caritatis, & fortitudinis laude. Dum prouinciam adminiſtraret ſecundùm, ad laborum metam peruenit Poſnaniæ, die 23. Februarii 1667. ætatis 75. à ſuſcepta Profeſſione quatuor votorum 38. Edidit Polonicè libellum inſigniter pium, qui inſcribitur

Rex dolorum Ieſus Chriſtus adiuncta Piarum Ieſu, dum res diuina agitur, commemoratione. Lublini apud Paulum Conradum, & Cracouiæ 1631. & rurſum 1635. vbi, & Latinè conuerſus mox prodiit typis Franciſci Cæſarii 1636. in 8. Item Polonicè

Iubilum Angelorum, ſeu Contemplationes de Paſſione Domini. Cracouiæ apud Franciſcum Cæſarium 1636. in 8.

Laudem S. Crucis. Cracouiæ per Andream PetriKouium 1641. in 8.

Meditationes de Infantia Chriſti. Cracouiæ 1636. in 8.

Meditationes in Euangelia. Vilnæ 1642. in 4.

Vocem Domini ex Euangeliis Aduentus cum Doctrinis, & applicatione ad Sanctiſſimum Sacramentum. Vilnæ 1643. in 4.

Tranſtulit Polonicè ex Latino ſuppreſſo ſuo nomine

Panegyricum S. P. N. Ignatio dictum ab Eminentiſſimo Cardinali Ludouiſio. Cracouiæ apud PetriKouium 1630. in 8.

MARTINVS LASCIVS natione Polonus, patria Caliſſienſis, venit ad Societatem adoleſcens 19. annorum Calendis Februarii, 1570. In ea bonis litteris excultus. Concionatorem ad viginti annos egit. Rectorem Collegii Lublinenſis, & Leopolitani, Superiorem Reſidentiæ Torunienſis, Præpoſitum Domus Profeſſæ Cracouienſis, ad annos quindecim, ſemper cum laude. Vir fuit grauiſſimus in quo vigebat ſenile conſilium, prudentia, & morum ſancta quædam integritas, cum inſigni erga omnes caritate coniuncta. Hæreticos dicendo, ſcribendo, omni alia opera inſectatus eſt; Senatum Cracouienſem vniuerſum ad Eccleſiam traduxit, fecitquè, vt hæterodoxis omnis ad magiſtratum aditus decreto publico ea in Vrbe præcluderetur. Morem per horas 40. ſupplicandi publicis in neceſſitatibus primus in Polonia induxit. Multarum Virginum in lubrico verſantium, ſaluti conſuluit, & honeſtati, inſtituta per Sodales Miſericordiæ arca, quam S. Nicolai aptiſſima nomenclatura, vocauit, in quam quod Statis ſinguli temporibus voluiſſent, ad hoc opus, ſubſidii nomine conicerent. Sacrarum Virginum cætus plures, vel optimis legibus inſtituit, vel ad diſciplinæ Canonicæ vigorem reuocauit. Peſtilentia graſſante, ſuis quibus præerat, in tutiora dimiſſis,ipſe caput obiecit diſcrimini; quibus officiis ob inuit, apud ipſos etiam Sectarios viri Sancti opinionem, & venerationem. Torunienſes certè, cum eſſent noſtro, atque adeo Catholico etiam nomini infenſiſsimi, non prius noſtros Vrbe ſua exegerunt, quam inde Martinus Superiorum auctoritate reuocatus abſceſsit, ſeu virtutem eius reueriti, ſeu veriti prudentiam, ſeu admirati conſtantiam, qua applicatos ſuo lateri ſclopos infractus contempſit. Erat ille verborum parciſsimus, ſed multum iis auctoritatis, & conſilij ſuberat. Noſtros eximia dexteritate, & caritate tractabat, cumquè vnuſquiſque ſingularem eius in ſe amorem agnoſceret facile omnium ægritudines ipſe curabat. Infirmos omni ope ſolabatur, cibos ipſe coquere, & præbere, totas excubare noctes, graueolentem ipſorum animam fætoremquè, cùm cæteri non poſſent, ipſe ferre, complexu ſuo inter miniſtrandum conſtringere. In ſe ipſum interea ſeuerus fuit in primis, & flagellis ſe duriter proſcindebat. Homo prouectæ ætatis nihil, tametſi Moderatores indulgerent, admittebat ſingulare. Meditandi, & excutiendæ Conſcientiæ tempora, ſolo affixus,prono corpore peragebat. Sed hæc, & reliqua virtutum decora miro tegebat ſilentio, & vitæ rationem non admodum à communi abhorrentem ſequebatur. Extremo in morbo inter acerbas curationes, non gemitus, non ſignum fracti animi, vel impatientis vllum dedit. Obiit Cracouiæ, vbi Domui profeſſæ, tum præerat die 23. Maii anno ſalutis 1615. cum ex 64. annis vitæ Societati 44. dediſſet, & vota quatuor pridem antea emiſiſſet. Mortem eius conſternatio, & lacrymæ, totius Vrbis luctus, grauiſsima probitatis eius ab Epiſcopo viriſq; præcipuis Teſtificatio, publicæ laudationes, vtriuſque Cleri inſtructis Ordinibus, & Senatus frequentiſſimi ad funus conuentio conſecuta ſunt. Edidit Laſcius Polonicè ſuppreſſo ſuo nomine contra Hæreticorum inſaniam plura opuſcula inter quæ ſunt ſequentia

Summarium Catholicæ veritatis, & breue compendium omnium Controuerſiarum.

Reſponſio, ſeu Examen Matthiæ Roſenſieteri Miniſtri, qui Summarium prædictum refutare tentauit.

Criſis, ſeu Iudicium Catholicum, contra Danielem Mikolaievvski MiniſtrumCaluinianum

Miſſio Lutheri, & Zuinglij, primorum noſtri ſæculi Hereſiarcharum à Dæmone.

Meſſias Arianorum nouorum ſecundum Alcoranum Turcium. In hoc libello demonſtrat

nouos Arianos idem de Chriſto credere, quod docuit Mahometes in Alcorano

Medicamentum contra emplaſtrum Czechouicii Miniſtri Ariani Lublinenſis.

Perſpicilia contra ſpeculum Miniſtrorum conantium probare *ſuam perfidiam, eſſe veram Fidem antiquam.*

Secunda perſpicilia pro tenebroſis, & cæcis oculis Miniſtrorum, qui priora perſpicilia refutare tentarunt. Acceſsit

Lutheri diſputatio cum Dæmone.

Iudicium de Conterfeto, ſeu effigie nouorum Monachorum Ieſuitarum, in quo libro confutat *Actionem ficti Equitis in Ieſuitas.*

MARTINVS LATERNA natione Roxolanus, patria Drohobitenſis, honeſtis parentibus natus, ab ipſis incunabulis ad omnes bonas Artes propenſus fuit. In humanioribus ſtudiis felicitate memoriæ, & laboris aſsiduitate condiſcipulos ſuos omnes ſuperauit. Adoleſcens cùm per occaſionem Caliſio, vbi ſtudebat excurriſſet Braunsbergam Pruſsiæ Ciuitatem, vbi Societas ab Stanislao Cardinali Hoſio collocata medios inter Hæreticos, doctrinæ virtutiſque laude florebat, admiratus religioſam Noſtrorum viuendi rationem, & eorum frequentiam, qui noſtris auctoribus ad Sacram Euchariſtiæ menſam accedebant, magna Societatis ineundæ cupiditate cæpit flagrare. Igitur ad Rectorem Collegii Braunsbergenſis ſcribit ſoluta oratione litteras, ad Socios cæteros ligata, quibus, vt ſua ſe conſortione dignarentur, expetit. Excultus per Exercitia S. P. N. Ignatii Braunsbergæ ad Tirocinium ponendum admiſſus eſt, die 10. Maii, anno ſalutis 1571. Illo peracto ad Philoſophiæ deinceps Theologiæque admotus ſpatia, tantum profecit, vt Doctoralem Vilnæ lauream ex merito reportarit. In virtute etiam, vſque adeo progreſſus eſt, maximèque in omnium Regina Caritate, vt diu noctùque non ceſſaret, neque, vel concionibus habendis, vel confeſsionibus audiendis vnquam defatigaretur, dummodo piis ipſius conatibus peccatoris alicuius, ad meliorem frugem conuerſio reſponderet. Multum diùque non vulgari cum laude in Miſsionibus Apoſtolicis verſatus eſt infatigabili conſtantia. Triennio in Caſtris egit, cum Stephanus Poloniæ Rex aduerſus Moſcum pugnaret, cui tum à Concionibus latinis fuit, ſimul, & aulæ Regiæ à Polonicis. Multas eius Regni Ciuitates ſuis laboribus illuſtrauit. Cracouiam, Vilnam, Braunsbergam, Grodnam, ac demum Leopolim. Anno 1586. Romam voluntate Regis profectus, & confectis ad quæ iuerat negotiis reuerſus, eidem Regi quoad vixit Concionator adhæſit. Cracouiæ ad S. Barbaræ, Procuratoris Domeſtici munùs, vir tantus promptiſſimo obſequio adminiſtrauit. Inde Leopolienſi Reſidentiæ Præpoſitus, incredibile dictu eſt quanta ſibi Sociiſque beneuolentia eius Vrbis Archiepiſcopum, ac ciues vniuerſos conciliarit. Ibi cùm totis ſeptem annis magna omnium ſatisfactione concionatus eſſet, Sigiſmundum Regem iuſſus in Sueciam à Concionibus ſequi, deducente cum lacrymis Antiſtite, & frequente populo diſceſſit. In Sueciam contracto ex nauigationis moleſtiis morbo, corpore admodum infirmo appulit: vnde cum paulum reſpiraſſet, ſuadente Medico in Poloniam rediturus nauim Stegburgi, die 29. Septembris anno ſalutis 1598. conſcendit. Poſtridie captus à Militibus claſsis Caroli Sudermanniæ Ducis, Sigiſmundi Regis patrui, Hæreticis noſtroque nomini infenſiſsimis hoſtibus, rebus omnibus vnà cum cæteris vectoribus, quotquot Poloni erant, ſpoliatus eſt, & contumeliis in Romani Pontificis, Papiſtarumquè nomen per ſummam petulantiam iactatis, vexatus. At Martinus ſuarum eſſe partium ratus, Orthodoxam Fidem in tam præclara occaſione profiteri, Socios ad conſtantiam grauiſsima cæpit adhortatione firmare. Hinc odorati Sectarii eum non Catholicum duntaxat, ſed Sacerdotem, ſed Societatis alumnum eſſe, variis eum laceſſunt opprobriis, vexatumquè deſignant ad mortem. Fuit qui panem illi in os intruderet, per ludibrium ingerens vt mature comeſſet, abunde quod biberet, mox habiturus. Demum indumentis exutum, manibus fœdè laceratis, in ſcapham imponunt, & in altum prouecti demergunt in pelagus, die 30. Septembris, anno partæ ſalutis 1598. cum ex annis vitæ 45. Societati 27. impendiſſet. Leopolienſis Antiſtes, intellecta eius morte, præclara cum oratione publicè dilaudauit, & anno inſequente Stanislaus Niegozzeuius Regius Secretarius altera item oratione latinà cui titulum fecit *Laterna Poloniæ*, Martyrii gloriam illi aſſeruit. Verùm id multo præſtitit illuſtrius is, cui fortis Athleta certauit, qui ſpirituum ponderator eſt, benignus Deus. Laurentius Bieckovvski Nobilis Polonus, vir pius, comes iuerat Martino in Sueciam, vexatumque maris iactatione recrearat. Is anno 1602. à Tartaris in duram ſeruitutem abreptus eſt, & ne ſe fuga per noctem ſubduceret, manibus poſt tergum ad pedes reuinctis actus in globum, ſuſpendebatur è tigillo per ſubiectam foueam tranſmiſſo. Die 7. Iunii dum ſic penderet, Dei opem eo in diſcrimine ſubiit implorare, cum ecce videt hominem mirifica luce circumfuſum ad ſe accedere, alba quadriga velut ſuper Oceani fluctus inuectum, qui cùm ſe declaraſſet eſſe qui erat, Martinum Laternam, vinculis pendentem repente exſoluit, & in campo ad Leopolim, totis inde quinquaginta milliaribus conſtituit. Ille viſo attonitus, atque animi pendens veruſne euentus, an noctis eſſet ludibrium, hæſit incertus, donec illuxit viditquè ſe liberum, vinculis ante pedes dilapſis, tanto ab hoſtium Caſtris interuallo abeſſe. Rei huius ſeriem inciſa Romæ imago publica auctoritate per Iacobum Laurum, & publicè

ve-

venum propoſita, facit eſſe ſidei nequaquam fluxæ. Scripſit Laterna

Orationes II. funebres: alteram in exequijs D. Stephani I. Poloniæ Regis. Cracouiæ typis Andreæ Petrikouii 1588. Alteram

De præclaris in Eccleſiam, & Remp. meritis D. Valeriani Epiſcopi Vilnenſis. Polonice autem edidit

Citharam, vel Decachordum ſpirituale ſeu Librum precationum e Patribus, pijſque recentiorum Catholicorum libellis concinnatum. Cracouiæ cuſum, & recuſum

* MARTINVS MARTINIVS natione Germanus, patria Tridentinus, natus anno sæculi labentis 14. Societati nomen dedit Romæ 1631. die 8. Octobris, & emenſo in Collegio Romano Philoſophiæ curriculo, expetiuit atque obtinuit mitti ad lucra animarum in Sinis, & anno 1637. ſe in viam eò dedit. Illuc poſt quadrienniū cum ſe inſinuaſſet, ſchemate militis, diu ac nauiter in vinea illa laborauit, Reſidentiæ Noſtrorum in Ham-Cheu Superior fuit. Poſtea electus ab illa Vice Prouincia in Procuratorem mittendum Romam anno 1651. permulta in itinere incommoda perpeti neceſſe habuit; in quo Hollandica vectus naui, circum nauigatis Hibernia, & Inſulis Britannicis appulit in Noruegiam, & inde longo circuitu per Belgium, & Germaniam peruenit Romam, tertio poſt diſceſſum ex Sinis anno. In Vrbe expeditis feliciter ob quæ acceſſerat negotijs, & emiſſa Profeſſione votorum quatuor in manibus Præpoſiti Generalis, cum lecta ſeptemdecim Sociorum manu, per Luſitaniam remeauit in Orientem, & poſt biennium rurſus Macaum tenuit. Non pauca etiam in reditu perpeſſu aſpera ſubire debuit. Semel quippe à Piratis captus, & inhumaniter habitus cum Socijs; ſæpius periculoſis tempeſtatibus iactatus propiùs à morte abſuit. Septem ex Socijs vitæ illius Apoſtolicæ candidatos mors in itinere abripuit, ſed in his omnibus infracto ille ſemper animo perrexit, laborum pro Chriſto conſtanter appetens, & horum metam vnum reſpectans Deum. Sinis demum redditus, & antiquo ſuo diuerſoriolo multa moliri cæpit ad dilatandum Chriſti cultum in ſalutem animarum. In vicinis Oppidis noua erexit pietate Neophytorum Templa, erecta priùs conſtabiliuit, ornauitque, & plura, magno quo erat animo, meditantem, morbus primò, deinde mors quieſcere iuſſit. Ægritudinis incommoda inſigni ſemper patientia ſuperauit; ſæpiùs ingeminans fiat Domine quod lubet, cum ſeruo tuo. Dum decumberet, inuiſebatur crebrò à primarijs Mandarinis etiam Ethnicis apud quos ob eximiam prudentiam, doctrinam, & morum affabilitatem, non mediocri in honore fuit. Demùm poſtremis Eccleſiæ præſidijs ritè communitus, ad laborum brauium euolauit in Vrbe Hang Cheu, die 6. Iunij 1661. Edidit Latine opus laudatiſſimum longo ſtudio elaboratum videlicet

Atlantem Sinenſem, hoc eſt *Deſcriptionem Imperij Sinenſis vna cum Tabulis Geographicis ſingularum eius Prouinciarum*, quod Gallicè deinde verſum eſt. Amſtelodami typis Ioannis Bleau 1655. in folio. Item

Sinenſis Hiſtoriæ Decadem primam. Monachij typis Lucæ Straubij 1658. in 4.

De Bello Tartarico in Sinis. Romæ typis Ignatij de Lazzaris 1654. in 12.

Breuem Relationem de numero, & qualitate Chriſtianorum apud Sinas. Romæ ijſdem typis 1654. in 4.

Sinenſi idiomate compoſuit librum

De Exiſtentia, & attributis Dei, refutando Atheorum argumenta

De Immortalitate Animæ ex Latino Leonardi Leſsij. Item

De Amicitia, ex Cicerone, Seneca, Carolo Scribanio, & aliis

Contra Pythagoricam tranſmigrationem animarum.

* MARTINVS LA NAXA' natione Hiſpanus, patria Cæſarauguſtanus Societatem vicennis amplexus anno à partu Virginis 1625. vota 4. in ea nuncupauit. Præfuit Collegio Cæſarauguſtano, & Bilbilitano, & Pænitentiarii Apoſtolici munus ad Sacram Ædem Lauretanam quinquennio obiit. Superſtes in Collegio Cæſarauguſtano conciones habet, Confeſſiones excipit, & culturæ animarum ſe impendit. Edidit lingua Hiſpanica

De Excellentijs, fructibus, & Myſteriis Sacroſancti Miſſæ Sacrificij. Cæſarauguſtæ apud Dionyſium de Puyada 1648. qui Tractatus Italico idiomate donatus prodiit. Bononiæ 1658.

Induſtrias ad augenda merita bonorum operum. Murciæ apud Ioannem Fernandez 1642.

Contra noxia & feralia ſpectacula Agitationis Taurorum. Cæſarauguſtæ apud Dominicum de Puyada 1661.

Vitam S. Lucillæ Virginis, & Martyris, cuius corpus colitur Bilbili. Cæſarauguſtæ typis iiſdem 1654. in 4.

Vitam Ven. Doctoris Franciſci Garciæ de la Sierra. Cæſarauguſtæ typis iiſdem 1654. in 4.

De Statu perſecutionis Iaponicæ, & illuſtri morte P. Marcelli Maſtrilli. Ibidem typis Noſocomii Regii 1639.

Allegationes vtriuſque Iuris complures, pro tuenda Iuſtitia Collegiorum aliquot Aragoniæ, diuiſim editas.

MARTINVS OLAVIVS natione Hiſpanus, patria Cantaber ex Oppido Victoria, Vir fuit ingenio, iudicio, doctrina, eloquentia, diſputandi vi, argumentorum robore, atque efficacia cum paucis comparandus. Is cùm adoleſcens Dialecticæ nauaret operam Compluti, primus S.P.N. Ignatio Barcinone venienti, eleemoſynam eſt impertitus anno 1526. Compluto Pariſios conceſſit, in qua Academia ſapientiæ laude floruit, Philoſophiā

publi-

publicè profeſſus eſt, & inter Doctores Theologos primas doctrinæ, omnium opinione tenuit. Curiam deinceps Caroli V. Imperatoris ſecutus eſt, eiuſque domeſticis ſacris præfuit. Verum inita cum Petro Soto familiaritate ad retundendum Hæreticorum furorem, abeunte in Belgium Carolo, ipſe cum Soto in Germania ſubſtitit. Interim Otho Cardinalis Truchſes Dilingana Academia inſtituta doctiſſimos vndequaque viros accerſijt, quos inter facile primi fuere Olauius, & Sotus. Re tamen multis difficultatibus impedita, Olauius animum ad Noui Orbis Indias vertit, vt Ethnicos ad fidem adduceret; eaque de Cauſa Bibliothecam præmiſit Hiſpalim, tranſmiſſurus in Indias. Hæc eo meditante, intermiſſum Concilium Tridentinum Pontifice Iulio III. imperante, reuocatur; quò & Olauius ipſe, Cardinalis Othonis nomine, ſe contulit ibique multa præbuit ſuæ documenta doctrinæ. Sed cùm ad Indos ſuſcepta cogitatio recurreret, Romam ad Ioannem Polancum noſtrum veterem amicum ſcripſit, rogans vt ſe doceret, quem modum noſtri tenerent in vocandis ad Chriſtum Indis Orientis; eum velle ſequi, & ex eorum conſilijs moderari omnia. Hortatus eſt Polancus, vt priuſquam in Hiſpaniam abiret, ad Vrbem accederet coràm rem tantam meliùs tractaturus. Suſpicatus Olauius id ſuggeri, vt ſe ad Societatem ineundam pelliceret, ſtatuit in poſterum ab omni Noſtrorũ conſuetudine abſtinere. Verùm tantis cœpit conflictari animi difficultatibus, dubius præſtaretne proficiſci in Indiam, an in Religioſam ſe aliquam familiam recipere, vt ad deliberandum ſeceſſerit in Monaſterium Benaco ſitum in lacu, & toto Quadrageſimæ tempore, Deum per Orationem multamque corporis afflictationem conſuluerit, tandemquè ſtatuerit poſterius, hoc fore ſibi conducibilius. Sed quam familiam tot inter eligeret? Omnium legibus, & Inſtitutis expenſis pari ferebatur in omnes animo, vna excepta Societate à quâ ita abhorrebat, vt quoties Deo ſupplicabat, ſibi aperiret, quam potiſſimùm arriperet, vnam ſemper Societatem excluderet. Id ipſum cùm faceret, inter ſacrificandum ſacro glorioſæ Anaſtaſis die, & magno ardore animi cum lacrymis inſiſteret, Chriſti corpus in manibus ſuſtinens, ſenſit ſe à Deo totis tentari præcordiis, & interiore quadam huiuſmodi compellari voce; *Hic ego te volo; in hac tibi Societate Viuendum, & moriendum eſt: æquum eſt te meæ, non me tuæ obſequi voluntati durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.* Ad hæc ille ex imo pectore; *ò Domine* (inquit) *ſeruus Tuus ſum ego, ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ Societatis Ieſu.* Tam vehemens nimirum fuit inſtinctus S. Spiritus, vt continuo vouerit Societatem ſe initurum, & ſe ipſe non ſatis mirari poſſet, quanto ardore illud expeteret, quod paulo ante tanto horrore odioque defugerat. Tridentum igitur reuerſus, ſuum cum Iacobo Lainio, & Alphonſo Salmerone conſilium communicat, ac Romam ſubinde venit, vbi à S. Ignatio receptus anno ſalutis 1552. primo ſtatim Tirocinio ſuam Deo, & Societati virtutem in omni munerum humilitate probauit. Ab Ignatio autem, & ad omnem Religionis normam apprimè inſtitutus, & ad perfectionem mirum in modum accenſus eſt; vt celeriter Inſtitutorum adeptus ſcientiam, fuerit breui inter Profeſſos adſcriptus, & Romano præfectus Collegio, cui multum dignitatis, & nominis acquiſiuit. Nam anno mox ſequente primus Theologiam ſacram D. Thomæ Aquinatis in eo cæpit publicè profiteri. At biennio poſt Marcellus II. Pont. Max. duos ab Ignatio poſtulauit, quos apud ſe haberet Theologos, illiquè cum Lainio, Olauius attributus eſt. Sed Pontifice paucis diebus è viuis ſublato, in Collegij Romani gubernatione permanſit. Ceterùm cùm anno 1556. S. P. N. Ignatio parentaſſet, & Sanctiſſimi viri corpus Calendis Auguſti in ſepulchro condidiſſet, morbum contraxit, qui ei vitæ finem attulit. Cum morbus ingraueſceret, & morte appropinquante vox eum vireſquè deficerent, exaudiebatur intus cum Domino loqui. & immortuis vocibus illud identidem vſurpare: Non intres in iudicium cum ſeruo tuo Domine, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Nec ita multo poſt 16. Cal. Septembris Patrem ſuum ſequens, in cælum vocatus terram reliquit, & præmatura nobis morte ereptus eſt. Vir fuit ſingulari animi moderatione, humilitateque præditus, eò admirabiliore, quòd cum tanta doctrina eſſet coniuncta. De Societate ita ſentiebat, vt indigniſſimum ſe profiteretur, qui inter Angelos (ſic Societatis homines vocabat) verſaretur; vt qui ab eorum mortificatione, humilitate, puritate, in Deum ac proximos caritate lógiſſimè ſe abeſſe ſentiret. *O piam, aiebat, Sociorum familiam! me miſerum, qui eam nimis diù ignorans fugi: ſæpè etiam de eadem detraxi.* Certè quandiù is grauiter ægrotauit, iuges pro eo, ſuccedentibus ſibi ordine ſociis, interdiù noctuque fuſæ ſunt preces. Tantus erat omnium in ipſum amor, & ſtudium, tanta opinio ſanctitatis. In ſupremo tempore tantam præ ſe tulit oris hilaritatem, vt videretur inſigni aliquo præter ordinem Dei beneficio frui. Eum certè apparuit, illum alterum eſſe, quem moribundus ſignificarat S. Ignatius, cum ſibi ac ſocio benedictionem à Pontifice peti iuſſit. Scripſit Olauius præclaras

Aſſertiones de conditione, lapſu, & reparatione hominis. Et aliàs itidem collectas ex lectionibus quę in Collegio Societatis Ieſu Romano habitæ ſunt

Edita quoque in volumine Orationum Concilii Tridentini, viſitur eius

Oratio, quam in illo præclariſſimo Orbis Theatro dixit antequam Societati nomen daret.

Ex-

Extat denique etiam in Hiſtoria Societatis Ieſ. to. 1 lib. 15. n. 46.

Modeſta Reſponſio ad Decretum Pariſienſe à Sorbonicis Doctoribus contra Societatem Ieſu in ipſis ſuis initijs latum.

* MARTINVS OLZEVVSKI natione Polonus ex ea parte Regni, quæ maior appellatur natus anno ſæculi præterfluentis octauo, Societati ſe adiunxit 1622. & votorum 4. nuncupatione ſe adſtrinxit, Philoſophiam in ea profeſſus eſt ſexennio, Theologiam Scholaſticam nouennio. Studiis præfuit quinquennio, & totidem annis pro Concione ad populum dixit, ardenti zelo. Rexit Collegia Poſnanienſe, Iaroslauienſe, Cracouienſe, & demum totam Prouinciam adminiſtrauit, interfuitque Congregationi Generali XI. vt Elector. Vir fuit ad omnem religioſam modeſtiam compoſitus, virtutis ſolidæ, Inſtituti appri ne amans, magnarum à natura, & gratia partium, quas inſigni animi demiſſione contexit. Mortalitatis exuuias poſuit Poſnaniæ die penulti no Martii 1667. Philoſophiam, & Theologiam, quam prælegit luce omnium iudicio digniſſimam, humilitatis ſtudio quodam nodo ſepeliuit. Edidit tamen ſuppreſſo ſuo nomine libellum cui titulus

Iudicium Theologorum, Orbis aſſenſu meritò approbandum, in quo Exercitui confœderato, ac bonorum Eccleſiaſticorum inuaſori conſcientiam mouet.

* MARTINVS PEREGRINVS natione Italus, patria Mutinenſis, natus anno ſæculi voluentis 11. vicennis Societatem complexus eſt 1631. & ſolemni votorum 4 ſacramento ſe adſtrinxit. Poſt traditas humaniores litteras quadriennio, Philoſophiam profeſſus eſt triennio; Theologiam Moralem annis quindecim; Rexit Collegium Tiburtinum, & Pœnitentiarium Pontificium Laureti, & Romæ egit annis 11. Demum dum iterum in Collegio Romano quæſtiones de Conſcientia explicaret, morbo graui correptus, & Sacramentis ritè procuratus dies peregrinationis ſuę in hac vita abſoluit, die 29 Iunii 1675. Edidit Italicè

Diſcurſum de Contritione perfecta, & ſanctificante. Romæ per Mancinum. Editio ſecunda 1670. in 16. Item Latinè

De Reſurrectione Corporum Humanorum, probata Rationibus Naturalibus. Romæ typis Dragondelli 1674. in 12.

MARTINVS PEREZ DE VNANOA natione Hiſpanus, patria Valentinus, Societati inſertus eſt, die 4. Ianuarii anno ſalutis 1595. ætatis 15. In ea Philoſophiam, & ſubinde Theologiam, eius facultatis Doctor, totos quindecim annos Valentiæ docuit, & aliquot iterum Barcinone; Cenſor Sacræ Inquiſitionis in Regnis Aragoniæ fuit. Rector Collegia moderatus eſt Oſcenſe, Cæſarauguſtanum, & Valentinum, ſingula per ſexennium. Præpoſitus Domum Profeſſorum Valentinam, & demum totam illam Prouinciam adminiſtrauit. Bis Romam adiuit ſemel ad Congregationem Procuratorum, & iterum ad Generalem Octauam tamquam Prouincialis. Conſulebatur paſſim à multis, & per magni fiebat eius ſententia, a Præſulibus, à Sacra Inquiſitione, à Regijs Tribunalibus. In hoc auctoritatis velut culmine conſtitutus nihil tamen remittebat de ſtudio humilitatis, & contemptu ſui. Scopis verrebat Domum, vt Tiro, tergebat lances, inſeruiebat menſæ, & alia infima munia obibat frequens. Erga Societatem eiuſque incrementa tenerrimo amore fuit. Deiparæ Virginis cultui addictiſſimus, ſingula ſabbata ieiunio, & publica ſui diuerberatione tranſigebat, etiam cum Superior eſſet, protraxiſſetque vſque ad vltimum ſenium niſi Superiores abnuiſſent. Demum multis annis, & promeritis cumulatus deſijt inter mortales viuere Valentiæ in Domo Profeſſorum die 4. Martij 1660. ætatis 82. Societatis 66. à ſuſcepta profeſſione quatuor votorum 49. Edidit

De Deo Trino, & vno, ſeu de Ineffabili Sacroſanctæ Trinitatis Myſterio. Lugduni apud Claudium Du Four 1639. in folio

De mirabili Verbi Incarnati Myſterio. Lugduni ſumptibus Laurentii Durand 1643. in folio

De Sancto Matrimonij Sacramento. Lugduni ſumptibus Philippi Borde, & Sociorum 1654. in folio

Scripſit etiam de Sacramentis in genere, & de Sac. Euchariſtia, ſed typis non mandauit.

MARTINVS DE ROA natione Hiſpanus, patria Cordubenſis adoleſcentulus vix quindecim annos natus, ſæculo renunciauit, & Societatem noſtram expetiuit, admiſſuſquè anno ſalutis 1578. probatus, & humanioribus, ac diuinis litteris expolitus eſt. Poſtea cum magnas ex puerorum inſtitutione redundare vtilitates in Remp. animaduerteret totos 16. annos erudiendæ iuuentuti impendit, atque artem dicendi in noſtro Cordubenſi Collegio profeſſus eſt; vbi, & Sacras litteras poſtmodum interpretatus eſt. Gubernauit Rector Collegium Xereſanum, Aſtigitanum, Hiſpalenſe, Malacitanum, Cordubenſe; fuit Vice-Præpoſitus Domus Profeſſæ Hiſpalenſis, & Prouinciæ Bæticæ. V. Prouincialis, à qua etiam Romam Procurator miſſus eſt. Obijt demum Montellæ plenus dierum, & promeritorum, die 5. Aprilis anno ſalutis 1637. ab emiſſa quatuor votorum profeſſione 43. Scripſit Latinè

Singularium Sacræ Scripturæ, atque Externorum Auctorum lib. 5. quibus acceſſit *De die Natali Sacro, & prophano liber ſingularis & ſingularium lib. 6.* Lugduni auctiùs, & emendatiùs per Horatium Cardon 1604. in 8.

Singularium Sacræ Scripturæ volumen Alterum, Lugduni 1634.

Officia Sanctorũ Eccleſiæ Cordubenſis à Sede Apoſtolica approbata, & conceſſa.

De-

De Cordubæ in Hiſpania Bætica Principatu, & de auctoritate, & antiquitate SS. Martyrum Cordubenſium, ac de Cordubenſi Breuiario. Lugduni per Horatium Cardon 1617. in 4.

Orationem Panegyricam ad D. Franciſcum de Reynos Epiſcopum Cordubenſem

Commentarios in Habacuc Prophetam, & in Pſalmum II.

De Accentu, & recta in Græcis, Latinis, Barbaris pronuntiatione ſub nomine Ludouici Petri Franceſij

Hymnos aliquot, & Poemata. Reliquit etiam edendum

Supplementum Breuiarij Hiſpalenſis, Hiſpanicè edidit

Vitam Illuſtriſſimæ, ac Sanctiſſimæ Annæ de la Cruz. Comitiſſæ de Feria, quæ prius dictæ eſt Anna Ponze de Leon. Cordubæ apud Viduam Andreæ Barreræ 1604. & Hiſpali per Alphonſum Gamarium 1613. in 4.

Vitam D. Sanciæ de Carillo, non Sanctitate minus quàm genere nobiliſſimæ. Hiſpali iiſdem typis, & anno in 4.

Sanctorum Cordubenſium geſta, ſiue Florem Sanctorum. Ibidem eodem anno, & forma

Nobilium Bæticæ Vrbium Xereſii, Malacæ, Aſtigis antiquitatem Sanctorumque Hiſtorias. Tom. III.

De Antiquitate, vſu, Veneratione SS. Imaginum, & Reliquiarum, Hiſpali per Gabrielem Veiaranum 1613. in 12.

De ſtatu Animarum in Purgatorio. Hoc opuſculum Italicè reddidit Tiberius Putignanus. Latinè Ioan. Bucelleni noſter

De ſtatu Beatorum in Cælo; Puerorum in Lymbo; Damnatorum in Inferno; Vniuerſi huius poſt Reſurrectionem.

Officia, ſeu Beneficia S. Angeli Cuſtodis noſtri in nos 1633. Cordubæ per Saluatorem de Cea Teſa in 8. Italicè reddita à noſtro Franciſco Maria Lemmi, in Domo Profeſſa Romana nunc Operario, Romæ apud Vareſum 1671. in 8.

Antiquum S. Chriſtophori Monaſterium Cordubenſe illuſtratum

De Cordubæ in Vlteriori Hiſpania Principatu

Vertit ex Italico Hiſpanicè

Vitam S. Franciſcæ Romanæ, & ex Latino

Regulam S. Leandri ad Sororem B. Florentianam.

Edidit ad hæc ſub nomine D. Andreæ de Morales Senatoris Cordubenſis

Cordubenſis Reip. Officia pro Hiſpaniarum Rege Carolo V. Imperatore contra tumultuantes vulgo Communitates.

Reliquit deinde prælo aptam

Hiſtoriam Prouinciæ Bæticæ Societatis Ieſu.

MARTINVS SIBENIVS natione Germanus, patria Dalemenſis in Ducatu Iuliacenſi anno 1624. Societatem vicennis ingreſſus humaniores in ea litteras cum laude docuit; Operarius inſignis Monaſterii Vveſtphaliæ, & Coloniæ Eccleſiaſticorum ſodalitio præfuit, ingenio facundus, affabilis, ſerius iuxta, ac amænus, Religioſa hilaritate omnibus pergratus, otij fugitans, ſemper ferè, aut lectitans, aut ſcriptitans; Vnde multa è variis linguis tranſtulit opuſcula, tandem ex calculo, & redundantia ſanguinis ex ore, & naribus copioſè defluentis, præuia generali totius Vitæ Exhomologeſi, paulò ante vltimum morbum inſtituta, & munitus extremis Sacramentis ad Religioſæ vitæ brauium emigrauit, Coloniæ die 15. Octobris 1668. Edidit Latine ex Flandrico Hiſpanico, Gallico,

Vitam Diuinam, quam Ioannes Euſebius Nierembergius conſcripſit. Monaſterij Vveſtphaliæ typis Bernardi Raesfeldij 1642. in 12.

De Amore Ieſu, & Mariæ eiuſdem Nierembergij. Antuerpiæ apud Henricum Aertſens 1645. in 12.

Magnificentiam Mariæ, ex Gallico P. Barry Coloniæ 1649. in 16. Germanicè vertit

Centum Deuotiones erga Chriſtum, & Mariam P. Pauli Barrii. Coloniæ apud Guilhelmum Freiſſem. Quas auctas in ſingulos anni dies recudit Ibidem 1656. in 4.

Philagiæ Solitudinem, eiuſdem P. Barrii Coloniæ 1646. in 12.

Triduum eiuſdem P. Barry Ibidem 1648. in 12.

Marialogium P. Liræi. Ibidem 1649. in 12.

Praxim Præſentiæ Dei. P. Nierembergij. Ibidem 1649. in 12.

Vitas S. Roſaliæ, & P. Ioann. Franciſci Regis. Coloniæ apud Buſæum 1666. & 1667. in 12.

MARTINVS SMIGLECIVS natione Roxolanus, patria Leopolitanus, Adoleſcens Romæ Societatem noſtram amplexus eſt, anno ſalutis 1581. Deinde ingenio, ac iudicio, improboque ſtudio humanas, ac diuinas ſcientias didicit, & cum doctrina ſingulare virtutum omnium ſtudium, & morum eximiam quandam ſuauitatem copulauit. Remiſſus in Poloniam, cum per ætatem nondum Sacerdos eſſe poſſet Vilnæ Philoſophiam quadriennio profeſſus eſt magna cum laude; & Theologiam ſubinde decennio; Doctor eius facultatis ibidem creatus. Hic etiam cum publicè aliquando contra Caluini doctrinam diſputaſſet relatam victoriam prodigio Deus firmauit: nam homo hæreticus inde digreſſus, cum dira ſibi imprecatione facta iuraſſet Smiglecium cauſa cecidiſſe, mox vti ſibi fuerat imprecatus angi, & ſuffocari ſe ſenſit: cumque aſſidentium manu malum eſſet diſcuſſum, repetito periurio atque execratione, repentè arctatis faucibus extinctus eſt. Magna fuit Martino ſui deſpicientia, nec vllis honoribus, aut aliorum de ſe opinionibus tangebatur. Sermones pios in

in congreſſibus dextrè inſerebat, miſcebat, diſiectos reuocabat, ſine vllius offenſione. Tanto diuini amoris æſtu erat accenſus, vt ad ſolam Dei mentionem extra ſe rapi videretur, & vultu ipſo ſatis alioqui macilento,& exhauſto inflammari. Si in illud argumentum inter exhortandos ſocios, vt fit,delaberetur,neſciebat ad orationis inchoatæ ſeriem reuerti. Multis annis præfuit Collegiis Pultouienſi, Poſnanienſi, Caliſſienſi; & Domui Profeſſæ Cracouienſi cum laude lenitatis iuxtà, & ſeueritatis. Opperiebatur tempora molliſſima corrigendis ſuis, poſteaquam animi perturbatio reſediſſet. Aequitatem animi cùm multis in difficultatibus, tùm in longo moleſtóque morbo, quo confectus eſt, tenuit inconcuſſam. Nihil acerbum, aut intemperans illi quamuis ſenſim extabeſcenti, excidit. Morte denunciata, Deo ſe lubens,& Deiparæ patrocinio permiſit. Obijt Caliſsij ad diem 26. Iulij anno ſalutis 1618. ætatis 56. aditæ Societatis 38. ſuſceptæ in ea profeſſionis 4. votorum 21. Funus ipſius Religioſi alij ſua præſentia celebrarunt eumque pro concione laudarunt. Scripſit Martinus Polonicè

De Aeterna Chriſti Filij Dei Diuinitate contra Arianos, collecta atque inter ſe expenſa Sacra Scriptura Teſtimonia. His addita eſt

Reſponſio ad cuiuſdam Anabaptiſtæ ſcriptũ aduerſus librum P. Iacobi Vvuieci. Vilnę 1595. in 4.

Diſputationem Nouogrodenſem contra Arianos ſuſceptam

De Vſura, & de Tribus præcipuis Contractibus, nempè *De Venditione cum pacto de retrouendendo; De Cenſibus, & de Contractu Societatis.*

Abſurda Pſeudo-Synodi Torunenſis in qua Caluiniſtæ cum Lutheranis concordiam tentabant.

De Vno viſibili capite Eccleſiæ Dei. Atque hi omnes libri editi ſunt Vilnæ ab anno 1595. vſque ad 1600.

Latinè verò edidit

De Zacharia Prophetæ pro Chriſti Diuinitate illuſtri teſtimonio, aduerſus Fauſti Socini Anabaptiſtæ Cauillationes Vilnæ 1596. in 4.

Nodum Gordium, ſeu de Vocatione Miniſtrorum. Cracouiæ 1609. in 4.

Noua Monſtra Noui Arianiſmi. Niſſę 1612. in 4.

Verbum Caro Factum, ſeu *De Diuina Verbi Incarnati natura* contra nouos Arianos Cracouiæ 1613. in 4.

Refutationem vanæ diſſolutionis Nodi Gordii de Vocatione Miniſtrorum, contra Ioannem Volkelium Miniſtrum Arianum. Ibidem 1614. in 4.

De erroribus nouorum Arianorum. Lib. II. contra Valentinum Smalcium Arianum lib. 2. Acceſſit

Reſponſio ad Refutationem C. errorum Smalcio obiectorum. Ibidem 1615. in 4.

De Baptiſmo aduerſus Hieronymum Moſcorouium Arianum Lib. I. Ibidem eodem anno, & forma

De ordinatione Sacerdotum in Eccleſia Romana contra Iacobum Zaborouium Caluinianum Miniſtrum. Cracouiæ 1617.

De Notis Miniſtrorum. Lib. II. contra eundem 1617.

Vanam ſine Viribus iram Miniſtrorũ Euangelicorum. Coloniæ Agrippinæ apud Antoniũ Boetzerum 1611. in 16.

Refutationem Epicherematis, Miſſionem Euangelicorum Miniſtrorum propugnantis 1612.

Selectarum Diſputationum in Organum Ariſtotelis. Tom. II. Ingolſtadii 1618. in 4.

MARTINVS STEPHANVS natione Hiſpanus, patria ex Oppido Ceniceros Diœceſis Calaguritanæ ad Societatem acceſſit anno ætatis 26. & ſalutis humanæ 1581. & magna cum laude in eadem vixit, intentus rectæ noſtrorum Scholaſticorum inſtitutioni in Collegio Complutenſi. Rexit Reſidentiam Naualcarnerenſem, Collegia Seguritanum, & Toletanum, ſpiritualis Coadiutor ab anno 1590. Deceſſit Toleti anno Domini 1619. Edidit in lucem Hiſpanicè

Epitomen locupletiſſimi Apparatus, & pulcherrimæ Fabricæ Templi Salomonis. Compluti apud Ioannem Gratianum 1615. in 8.

MARTINVS VAVTHIER natione Lotharingus ex diœceſi Tullenſi Societati aggregatus anno Domini 1597. ætatis 25. in Prouincia Rhenana, vota 4. nuncupauit,& in eadem operam ſuam valdè probauit annis circiter 26. docendo Humaniores diſciplinas, Philoſophiam, Theologiam concionando Latinè & Germanicè, excurrendo ad varias Miſſiones, Confeſſiones excipiendo. Scholas etiam Superiores Præfecti munere gubernando. Obiit in excurſione Lotharingica, cùm ad quoſdam Religioſos, quos antea rebus ſpiritualibus excoluerat ex Collegio Treuirenſi euocatus eſſet; lethali morbo correptus ad vicinum Metenſe Collegium diuertit, ibique die 13. Octobris anno ſalutis 1622. ad præmium laborum ſuorum migrauit. Scripſit vtilem

Tractatum quo oſtendit Religionem Pontificiam eſſe Orthodoxam, non Idololatriam, & Philoſophiam Pontificiam eſſe ſcientiam veritatis, non altercandi ſtudium, aduerſus D. Danielem Rixingerum Medicum, & Philoſophum Lutheranum Argentinenſem. Auguſtæ Treuirorum apud Ægidium Immerdorf 1620. in 8.

MATTHÆVS BEMBVS natione Polonus, patria Poſnanienſis Societatem ingreſſus eſt anno ſalutis 1587. ætatis 20.& votorum in ea quatuor profeſſionem emiſit. Philoſophiã quadriennio, Theologiam octennio profeſſus eſt, Doctoralibus ornamentis Vilnæ inſignitus. Rexit triennio Collegium Poſnanienſe; præfuit altero triennio Domui Profeſſæ Cracouienſi, & vices demortui Prouincialis quadrimeſtri ſuſtinuit. Sigiſmundo III. Regi Poloniæ

loniæ fuit ab aulicis Concionibus & demum plenus dierum, & bonorum operum tranſiuit ad vitam morti non obnoxiam. Cracouiæ die penultima Iulii 1645. Scripſit Latine & Polonice multa. Latinorum hi tituli ſunt

Pax non Pax, ſeu Rationes aliquot, quibus Confœderationis Euangelicorum cum Catholicis pacem nullo modo veram eſſe pacem oſtenditur.

Pacatus impacatus ad examen vocatus, ſeu Examen reſponſionum, quibus ad rationes contra pacem Confœderationis reſpondere fruſtra conatus eſt.

Bellator Chriſtianus, hoc eſt ratio Chriſtianè, piè, feliciterque Bella, & apparandi, & gerendi, Summorum Imperatorum, Regum, & aliorum Chriſtianorum Ducum exemplis expreſſa, & notis breuibus illuſtrata. Cracouiæ, & Coloniæ typis BircKmanni vtrobique 1617

Paſtor Vigilans, ſeu Ars regendi Animas ex Epiſtolis potiſſimum D.Gregorij Magni excerpta, & eiuſdem exemplo Paſtoribus omnibus Eccleſiaſticis propoſita. Cracouiæ typis Andreæ Petricouii 1618. in 4.

Epos in Nupturientes Euangelicos Verbi Miniſtros, occaſione Epithalamiorū in nuptias Andreę Lucę Eccleſiaſtę Torunienſis, à Verſificatoribus Torunienſibus, ac Viadrinis eleganter, & Euangelicè nuper Scriptorum compoſitum, & præcipuè è Selectioribus hortorū Aonidum Torunienſium, & Viadrenſium Floſculis concinnatum

Monita ſalutaria data Anonymo Auctori ſcripti nuper editi cui falsò titulus inditus: Monita priuata Societatis Ieſu. Polonicè vero Scriptorum ſyllabus eſt iſte

Conciones Funebres. I. In Funere Andreæ de Brun Opalenski Epiſcopi Poſnanienſis habita 30. Ianuarij anno 1624. II. In Funere Adami Sardinoi de Czarnkovv Czarnkovvski Palatini Lancinienſis Maioris Poloniæ Generalis habita quinta Aprilis 1628. III. In Funere Andreæ Bobolæ Supremi cubiculi Regij Præfecti, quæ inſcripta eſt exemplar Viri Nobilis

Cometa ſeu Comminatio de Cælo ob incutiendum timorem, cautelam, & hominum admirationem

Breuis Relatio de nouo Collegio Patrum Societatis Ieſu Sancti Petri. Cracouiæ anno Domini 1625.

Defenſio Collegij Cracouienſis Patrum Societatis Ieſu, Ordinibus Regni in Comitijs generalibus Varſauienſibus anno Domini 1627. congregatis ad expendendum propoſita.

Perſuaſio Militaris, ſeu Rationes ob quas illuſtris Ordo Militaris Regni abſtinere debet ab exactionibus, & oneribus imponendis in bonis Eccleſiaſticis.

Ritus Armenorum, & Inuitatio præclara Armenæ gentis ad vnitatem in Fide, & Caritate cum Eccleſia Catholica Romana. Cracouię 1630. in 4.

Inuitatio ad Vnitatem Catholicam Ruthenorum Ritus Græci facta Leopoli pro Concione præſentibus Ioſepho Vvelamino Metropolitano Kiouienſi, Halicenſi, & totius Ruſſiæ, ac cæteris Epiſcopis, Eccleſiaſticiſque Ruthenis, qui ob Synodum de vnione celebrandam eò conuenerant anno Domini 1629. Cracouiæ in 4.

MATTHEVS DE COVROS natione Luſitanus, patria Vlyſſiponenſis, Societati aſcriptus anno ſalutis 1584. ætatis ſuæ 15. exacto in Luſitania tirocinio ad lucra animarum nauigauit in Indiam 1580. mox in Iaponiam, vbi ſemel iterumque fuit Præpoſitus Prouincialis, & Epiſcopatus Adminiſtrator toto nouennio, temporibus difficillimis, incredibilibus perfunctus laboribus. ſagaciſſimorum hominum, qui eum ad ſupplicia depoſcebant diligentiam, non ſine admirabili præſentiſſimaque, ac prodigio ſimillima Dei ope haud ſemel eluſit. Anno 1620. cum die quadam Nangaſachi ſe ad ſacrificandum indueret, repente conclamatur, vt fugiat; imminere ſcrutatores, ſed quid conſilij ne exterus homo prodatur ex vultu Iaponibus diſſimillimo? Sumptum ex deſperatione habuit ſucceſſum: inijcit ſe in ſellam manualem, quibus in Iaponia ſolæ vtuntur mulieres, & baiulis ſuccollantibus quid ferrent ignaris, elatus eſt pediſſequa pone velut heram deducente. Sed alij mox, & alij timores nati. Geruli illi, nec quò nec qua irent conſcij paſſim ſtare; ſciſcitari de Domo Neophyti, quo fuerant iuſſi tendere; & quiſque prætergredientium, vt libido erat, adire cominus, reducere ſiparium, viſurus ecqua portaretur. Incerti viarum conſiſtunt ad fores Viduæ. Illa mox progreſſa, inclamat vociferatione, vt ſe inde auferant actutum; aberraſſe à Domo: famula ſuperueniens errorem correctura, vocem intendere, obiurgare, iubere ſe ſequi. Sic demum quo ibatur, peruentum, ſed illicò nouum diſcrimen. Is qui Patrem excepit intempeſta nocte tractus in vincula eſt, & cùm nullum daret Patris indicium, extemplo per excubias occupati ſunt vici, ne qua euaderet. Latuit tamen Deo regente, donec die ſeptima clam elapſus eſt. Anno 1625. die 22. Decembris, quid illi contigerit ipſiuſmet verbis reddo. Qua die captus eſt inquit P. Ioannes Baptiſta Zola, ecce moneor inſtructos bombardis milites, Domum in qua eram, circumdare; & breui interuallo mihi Socius ſignificat, equites videri nonnullos ad nos contendere; Igitur raptim ego me induo, collo Roſarium inijcio, feſtino in vicum exire, ne domum, vbi diuerſabar reſciſcant, ſic ab ea iniuriam prohibiturus. Verum Hoſpes me ſtitit apprehenſum brachio, aſſerens equites illos, haud me ſpectare, quo pergant incompertum eſſe. Non explicem facile, quantum ea res me commouerit, nam incredibili animi mei lætitia, curuatis genibus me Domino obtuleram, pene certus fore propediem, vt in vinctorum pro Chriſto numerum admitterer. Equitibus prætergreſſis

ab

ab Chriſtianis deductus ſum in ſyluam. Ibi Matutinum officium exorſus ſum recitare, quod mihi fore vitæ poſtremum ominabar. Stabulum ibi erat ſtramento tectum promiſcui Iuris, in quod, quia pluebat, ſucceſſi, & ſtrato per humum fæno incubui. Mirifica me tum voluptas inceſſit, cùm Natalis Dominici peruigilio vidi me tali diuerſorio exceptum. Hic perſiſto in diem hodiernum, qui 10. Februarij eſt, non ſine moleſtia, quam reor affectæ iam ætati meæ grauem quempiam morbum conciliaturam. Sola me fouet, ſolaturquè ſpes, qua teneor fore, vt exorem, quod Deum votis omnibus oro, vt pro ipſo cum Socijs incendio peream. Hactenus de ſe ille. Sub anni rurſum 1626. finem, cùm omnis exploratorum ſolertia in ipſum vnum perueſtigandum incubuiſſet, diſpoſitis vndequaque attentiſſimis excubitoribus, ſubijt cum Dogico, atque vno famulo, clam omnibus in egeſtam ſibi ab hoſpite ſcrobem, quæ patebat in longum palmos duodenos, quaternos in latum, ſolis expers, & luminis, niſi quod ad cibationem, ad Officij Diuini recitationem, ad ſcriptionem Epiſtolarum accendebatur; nam diem reliquum agebant in tenebris. Cibaria porrigebantur anguſto foramine quanta ſcutellæ moles eſt, quod reducto propinqui tugurij, in quo ſenecio quidam operabatur, ſtramento, tantiſper aperiebatur, dum illa inferrentur. Tertia demum quaque luce, ad purgamentum aditus ad foſſam laxabatur. Victus erat pertenuis, propterea quod hoſpes, ne quid veſtigij ſignaret, nec piſces, nec aliud obſonij cultioris quidpiam auderet coëmere. Dies ipſos 35. in illa caligine delituit, niſi quod peruigilio, feſto, & Octaua Paſchatis ad Sacrum faciendum prodierit. Poſt illa nouam ſpecum paris dimenſionis hoſpes illi ingenioſa caritate defodit, in qua exeunte eius anni Septembri adhuc commorabatur. Hæc erat quàm altera commodior, quod oſtiolum ſtramentitijs ſcrutis, & malè compoſitis obrutum ſtoreis habebat, qua per noctis ſilentium prodibat ad ſacrificandum; diem agebat in foſſa ad malignam lucem, quam modica illapſam feneſtra ad lectionem ſcriptionemquè adhibebat. Fuit aliquando, vt tam repente occuparetur ab exploratore, vt antrum ſubeundi vix ſpatium haberet. Anno 1629. elapſus, è manibus indagatorum eſt arcta in latebra, qualem memorabatur olim S. Felix ſubiſſe araneo opere repente prætextam. Sed quoniam eas Ædes crebrò luſtrabant quæſitores, ne quando in eam latebram impingerent, viſum Chriſtianis eſt, Patrem in alias atque alias ædes tranſmittere. Semel iterùmque ea cauſa deliteſcendum ei fuit in loco tenebris horrido; ex quo morbum contraxit tam acerbum, vt in vitæ fuerit diſcrimen adductus, omnium inops medicamentorum, niſi quæ de cælo ſuppetebant. Anno 1630. gliſcebat Arijæ Bungondoni furor in vniuerſam Chriſtianorum nationem; non ille ætati parcere, non ſexui, aut conditioni; nouas pænarum facies excogitare, ad exſcindendum ſtirpitus nomen Chriſtianorum. Præſtò fuit in tanta neceſſitate P. Matthæus, etiam tum Prouincialis, & Pro-Epiſcopus, & ad officium omnes excitabat, certus ſi res tuliſſet in conſpectum ſe dare Tyrannorum. Verùm hoc eius conſilium Chriſtiani turbarunt, ne ope ſemel omni quam ab illo capiebant, exciderent. Igitur nauigio conſcenſo, nocturnis tectus tenebris abſceſſit. Vix bene ſoluerat à littore, ecce aduolant à Tono, ſeu Regulo, qui retrahant fugientem. Sed tenebricoſa nox ſequentes fefellit, & Patri opportunitatem fugæ dedit. Cæterùm cùm veſtigantium diligentiam mutatis ædibus aliquamdiu cluſiſſet, votis Chriſtianorum obſecutus, efferri ſe paſſus eſt corbe cannea quatuor ſuccolantibus, in arduum montem denſis impeditum vepretis. Sed illi vix bene progreſſi quantum patet equi curſura, Patrem humi deponunt craſſa ſubſtrata ſtorea, alteràque item ſtorea porrecta, qua ſibi ſuiſquè Dogico, ac famulo, pluuiam defenderet. Binis horis elapſis curriculo reuerti iterum iterumquè, quarto etiam, & quinto illa die ſedem illi variarunt, ne non deprehenſum in ædibus veſtigatores quæritarent proxima inter dumeta inter quæ pronum erat ſuſpicari illum ſe abdidiſſe. Modicum orizæ in cibationem adiunctum. Sic dies ſub tegetibus, & noctis dimidium non intermittente pluuia, tranſactum eſt. Tum verò duodeni venere robuſtis viribus Iuuenes, quibus erat propoſitum prærupti montis difficillimum iugum tranſcendere, atque in diuerſum Territorium deportare Patrem. Igitur arundineo rurſum qualo exceptum, ingenti cum difficultate per calles præcipites, tandem ad maris littus deponunt, impenetrabili dumeto tectum, & arbore denſa. Ibi ſedit hebdomade dierum, modico inſtructus orizæ demenſo, pluuijs expoſitus, quæ perpetes prope toto eo tempore fuere. Periculis ſubinde repetitis, & laboribus Chriſtiani Nangaſachenſis nauigio, in aliud Regnum trangreſſus eſt, eorum, à quibus recedebat, caritate robuſta mirificè recreatus. Dei benigna prouidentia non è manibus duntaxat perſequentium ereptus, verum à præſenti quoque morte, quam homini parum firmo tot incommoda poterant adferre, ſeruatus. Cæterùm his atque huiuſmodi grauioribus ærumnis attritus, cum deeſſet etiam aliquando, qui eum tecto reciperet, nec iam crederet ſe poſſe diu fallere veſtigatores, conſtituit ſe magiſtratui coràm Meaci ſiſtere: cum ecce inopinato rogatus ab homine leproſo, longule ab Vrbe, extra commeantium occurſus, in anguſto mapali tamquam arcto in carcere exceptus eſt. Ad extremum fatigatus, fractuſquè malis, & laborantis Eccleſiæ ſollicitudine oppreſſus, Sacramentis recreatus, prope Fuximam auidus ignis, & flammarum,

 pur-

purgatiſſimum ſpiritum placidè emiſit, die 29. Octobris anno ſalutis 1633. Iaponicæ ſuæ expeditionis 43. quam vno exilij anno, quo furente Taifuſama Macai ſubſtitit, interrupit. Scripſit Vir Apoſtolicus

Annuas litteras ex Iaponia anni 1603.

* MATTHÆVS DE LA CRVZ natione Mexicanus, origine Hiſpanus, natus Angelopoli anno ſalutis 1616. Societati ſe adiunxit 1631. & vota quatuor profeſſus eſt. Philoſophiam Mexici cum laude explanauit, & Sacras litteras interpretatus eſt, ſed propter inſigne talentum concionandi translatus à Cathedra ad ſuggeſtum concionalem, magno fructu nunc munere illo fungitur in Collegio Angelopolitano. Edidit Idiomate Hiſpanico

Hiſtoriam Apparitionis miraculoſæ B. Virginis Guadalupæ prope Mexicum. Item

Conciones complures, præter alia opuſcula amæna eruditionis.

* MATTHÆVS GALINDO natione Mexicanus, patria Mechoacanenſis, admiſſus in Societatem anno ſæculi labentis 26. ætatis 16. votorum quatuor profeſſionem edidit. Docuit in ea Rhetoricam, Philoſophiam, & Sacræ Scripturæ Interpretem egit. Rexit Collegium S. Ludouici Potoſi, & Angelopolitanum. Vir apprimè eruditus, ſed magis virtutibus religioſis excellens, vitæ mortalis periodum concluſit Mexici, die 9. Maij 1667. Ad Mexicanam iuuentutem latinis litteris erudiendam ſcripſit

Grammaticam, & Syntaxim Latinam duobus libellis. Mexici

Librum Emblematum, Hieroglyphicorum, & Carminum quibus exceptus eſt Prorex Marchio de Villena. Angelopoli 1639.

Concionem de Immaculata Conceptione Deiparæ. Mexici.

MATTHÆVS MAVRACH natione Hungarus, patria Poſonienſis, ſed origine Germanus ingreſſus Societatem anno 1600. ætatis 21. poſt traditas humaniores diſciplinas, Concionatorem, & operarium egit annis 15. circiter, domi foriſque in Miſſionibus, magna ſemper zeli, & innocentis vitæ commendatione, vt ſupra mille, & quingentas animas ab hæreſi ad Fidem Orthodoxam reduxerit. Demum fractus laboribus, ita ſolitudinem, qua cum Deo ageret adamauit, vt rarò extra conclaue niſi obedientia euocante prodierit. Deceſſit Poſonij, die 17. Februarij 1648. Edidit ſuppreſſo ſuo nomine libellum cui titulum fecit

Calepinulus; ex toto Calepino Synonima, Compoſita, Deriuatiua, Attributa cætera, quæ ad eandem rem ſpectant ſimul ſcripta. Viennæ typis Matthæi Formicæ 1630. in 12.

* MATTHÆVS DE MOYA natione Hiſpanus, patria Oppido Moral diœceſis Toletanæ, Societatem complexus anno huius ſæculi 26. ætatis ſuæ 15. votorum quatuor profeſſione ſe obſtrinxit. Philoſophiam docuit, & amplius viginti annos Theologiam Murciæ, Compluti, & Matriti in Collegio Imperiali; magna doctrinæ fama. Superſtes in eodem Collegio, adlectus nuper eſt à Sereniſſima Regina Maria Anna in Confeſſarium. Mandauit typis

Quæſtiones Selectas ex præcipuis Theologiæ Moralis tractatibus. Matriti ex Typographia Regia 1670. in fol.

MATTHÆVS RADERVS natione Germanus, patria Inichingenſis in Tiroli, anno ſalutis 1561. natus eſt, ac vicennis ſe Deo in Societate ſacrauit in qua, & humanioribus, & ſeuerioribus literis non minùs quam Religione excultus eſt annis 22. inſigni conſtantia Rhetoricam docuit, linguarum Atticæ, Romanæque peritiſſimus; doctiſſimis id ætatis viris Iuſto Lipſio, Martino Delrio, Velſero alijſque etiam à Fide vera alienis propter eminentem eruditionem admirandus. Certè à prima ætate, vſque ad vltimam ita muſis diu noctùque immerſus fuit, vt præter pietatis ſtudium, nihil ageret fere quam diſcere, docere, & ſcribere. Memoria ſemper fuit vegeta, etiam in fracto annis corpore, moribus verò innocentiſſimis, & amicabili agendi modo, omnibus ſe ſubmittens. Tria in Societate vota ſolemniter profeſſus eſt anno ſalutis 1601. Obijt verò diem ſuum Monachii, die 22. menſis Decembris anno 1634. ætatis 70. Societatis 53. Vir miro candore, & ſingulari patientia præditus. Scripſit

Commentarios in Martialem à ſe emendatum, auctos curis ſecundis, & tertijs. Moguntiæ per Kinchium 1627. in folio

Petri Siculi hiſtoriam de Manichæis à ſe conuerſam è Græco, & Notis illuſtratam. Ingolſtadij typis Sartorii 1604. in 4.

Extat ea etiam in Bibliotheca magna Patrum Tomo 9. Parte 2.

Acta Concilij Octaui Oecumenici Conſtantinopolitani IV. Græcè, & Latinè cum Notis. Ingolſtadij typis Sartorij 1604. in 4.

Viridarium Sanctorum ex Menæis Græcorum collectum, Annotationibus, & ſimilibus Hiſtorijs illuſtratum. Auguſtæ Vindelicorum apud Chriſtophorum Magnum 1604. in 8. Acceſſit

Syntagma de morientium ſtatu ex Mſs. Codicibus Latinè factum, notiſque illuſtratum

Viridarij Sanctorum Pars II. De ſimplice obedientia, & contemptu ſui. Monachij formis Bergianis 1614. in 8.

Viridarij Sanctorum Pars III. quæ continet Illuſtria Sanctorum exempla. Ibidem, anno, & forma ijſdem

Aulam Sanctam Theodoſii Iunioris Imperatoris, S. Pulcheriæ Sororis, & Eudoxiæ vxoris Augg. res geſtas complexam: è Græcis, & Latinis ſcriptoribus editis, & non editis concinnatam Monachij 1604. in 8.

Ioannis Climaci lib. ad Religioſum Paſtorem, qui eſt de Officio Cœnobiarchæ, translatum, & obſeruationibus illuſtratum Græcè &

Latinè. Auguſtæ apud Danielem Franeum 1606. in 8.

De Vita Petri Caniſii Societatis Ieſu lib.3. cum Appendice

De P. Theodorico Caniſio. Monachij 1614. in 8.

Chronicon Alexandrinum, idemque Aſtronomicum, & Eccleſiaſticum (vulgo *Siculum, vel faſti Siculi*) *Græcè cum Latina interpretatione* nunc integrè vulgatum. Monachij formis Annæ Bergiæ 1615. in 4.

Bauariam Sanctam Tom. III. cum Iconibus Sanctorum. Ibidem Tom. I. anno 1615. alter: 1624. Tertius 1627. in fol.

Bauariam Piam ibidem 1628. in folio

Q. Curtium Rufum Synopſibus, & argumentis illuſtratum Monachij 1615. in 12. & recognitum Coloniæ apud Ioannem Kinchium 1628. in folio

Ad Q. Curtij Rufi de Alexandro Magno Hiſtoriam, Proluſiones, librorum ſynopſes, Capitum argumenta Commentarios. Coloniæ, apud Ioannem Kinchium 1628. in fol.

S. Ioannis Scholaſtici, ſeu Climaci opera omnia ex Græco à ſe interpretata. Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoiſy 1633. in folio

Ad Senecæ Medeam Commentarios. Monachij apud Melchiorem Segen 1631. in 12. & ſimiliter reliquit prælo paratos

Commentarios ad Senecæ Troadem, & Thyeſten.

Auctarium ad lib. 5. Nicolai Trigautij de Chriſtianis apud Iaponios Triumphis, in quo exponit ſtatum Eccleſiæ Iaponicæ ab anno 1617. vſque ad 1620. Monachij 1623. in 4.

Quatuor Nouiſſima verſu dimetro Iambico acatalectico, & catalectico. Monachij 1629. in 32.

☞ Item Latinè vertit tribus Tomis in folio, notiſque illuſtrauit

Græcorum Menæa Græco-latinis euulganda. Addidit etiam. *Tomum ſingularem, ſeu Indicem Generalem Sanctorum omnium cuius cuius nationis, loci, conditionis*. Verùm illis vltimam manum non impoſuit morte præuentus, vti refert noſter Bollandus in Ianuario Tom. I. in Præfatione Generali folio 55.

MATTHÆVS RICCIVS natione Italus, patria Maceratenſis, nobili domo, natus eſt die 6. Octobris anno ſalutis 1552. Romæ Societatem amplexus eſt, die aſſumptæ in Cælum Virgini Sacro anno 1571. cùm triennium in Iuriſprudentiæ ludo poſuiſſet. Magiſtrum habuit in Tirocinio Alexandrum Valignanum, quo poſtmodum moderatore ad ſumma prouectus eſt. Nam Philoſophicis, & Theologicis ſtudijs Romæ abſolutis, impetrauit in Orientis Indiam Miſſionem, & ſuis inſalutatis, quos vt de via poſtremo recrearet alloquio rogabatur, illuc anno 1577. tetendit; Indiæ procuratore P. Martino de Sylua ductore Goam attigit, die 12. Septembris anni inſequentis. Quadriennio partim in retractandis Theologiæ ſtudijs, partim in explicandis eloquentiæ præceptis expenſo, accitus ab Alexandro Valignano Indiæ tum Viſitatore, Macaum eſt, vt ſi qua ſe via aperiret, in Sinarum Regnum ſubiret. Macaum appulit Auguſto menſe anni 1582. & admirabili Dei conſilio, anno vertente Septembri menſe clauſtra illa imperuia vnà cum P. Michaele Ruggerio penetrauit. Mox dexterrima cum omnibus agendi comitate, vitæque ſanctimonia ſummorum ſibi Magiſtratuum beneuolentiam adiunxit. Cæterùm, quod in ijs rebus, quæ ſunt in molem ſurrecturæ, vſuuenit, non parùm hoc exordio pugnarum Matthæo fuit multum tolerandum aduerſorum. Plebs Cantonienſis, quà in Vrbe conſederat, ferox in aduenas, omnibus illum iniurijs appetere, domum lapidatione quotidie infeſtare, & ad hæc, quod mirere apud Magiſtratum per calumniam hominem traducere, vt per apparitorem perturbate fuerit ad Tribunal accitus aliquando, & tamquam, qui corrumperet accepta beneficia increpitus; retentuſque velut in cuſtodia, donec innocentiæ ſuæ patrocinium fecit. Genio gentis obſeruato, quo ſuauius eos ad auditum veritatis, alliceret, Coſmographicam Orbis tabulam, Sphæras, Gnomones aliaque è Mathematicis legibus inſtrumenta, concinnauit; quæ in amicos Magiſtratus diſtributa, totoque peruagata Regno, eam ipſi exiſtimationē peperere, vt maximus ex vniuerſo terrarum orbe Aſtrologus haberetur. Sic paulatim firmata res, ſtetit illa quidem, & ſenſim prouecta eſt: ſed dubijs euentibus agitata, recreata ſubinde felicibus; mox aduerſis vexata, vt vni ſcilicet Deo tribueretur vniuerſa, à quo cum nocte quadam omni deſtitutus ſolatio Matthæus, & triſti rerum ſucceſſu fatigatus obdormiuiſſet, illa ſibi verba per quietem dicta percepit, quorum ſimillimis S. P. N. Ignatium olim confirmarat. *Ego in vtraque tibi Vrbe Regia propitius ero*. Nec vanum illud fuiſſe ſomniantis ludibrium, ſatis comprobauit fortunatiſſimus ſupra omnium expectationem in vtramquè Regiam ingreſſus, & ab ipſis Magiſtratibus domicilium figendi facta poteſtas. Pachinum, vbi ſedem Rex habet, die 24. Ianuarij anno 1601. peruenit, Europæis inſtructus muneribus, quæ Regi deſtinarat. In ea Vrbe conſedit varia ſæpe fortuna exercitus, ſed ea de ſe opinione excitata, quam Dominus ad Euangelij promulgationem ei conciliabat, quæ tanta fuit, iamquè admirabilis apud Gentem alioqui ſagaciſſimam, & exteros omnes ſolitam præ ſe deſpicere, atque in Barbaris numerare; vt eam non ſolùm ſperare nemo, ſed ne optare quidem auſus fuiſſet. Intra paucos illos annos, ex quo Regiam Vrbem attigerat, vna prope eaque continua occupatio cum hoſpitibus, qui ex omni parte ventitabant, detinebat; quibus ex more, quem violari nefas, cum viſitationis officium rependeret,

Digitized by

deret, hanc occupationem grauiùs, etiam duplicabat. Ad hæc ex vniuerſo Sinarum orbe, ad eum ignoti iuxta, ac noti ſcriptitabant, multa ſciſcitantes quibus cum reſponderet, næ ille onus maximum ſubibat. Præterea cum vniuerſæ præeſſet Miſſioni, Sociorum litteris reſpondere cogebatur, quos cùm ille amaret tenerrimè, faciebat id ſedulo, & prolixe. Nec tamen interea à familiari Neophytorum collocutione vnquam abſtinuit, cum illi eſſet ſolemne quo quiſque eſſet tenuior, eo diuturniore ab eo, colloquio detineri. His omnibus accedebat librorum ſcribendorum labor, Noſtris prælegendi aſſiduitas, quam ad extremum vſque ſpiritum, inter infinita negotia nunquam intermiſit. Sed nimirum ita ingenioſus erat in tempore diſpenſando, vt ad exercitia ſpiritualia, non ſolùm ſufficeret, ſed etiam redundaret neque enim ille ſtatis temporibus contentus, ſemper inueniebat quod neceſſarijs etiam negotijs ſuffuraretur. Hæc omnia Socios in eum rapiebant attonitos, dubios quid primum mirarentur, animùmne infatigabilem an corpus; nam ab illo nullus non labor aſſumebatur; ab hoc nullus recuſabatur. Hæc erant illi perpetua. Sed in annum 1610. alia plurima præter ordinem inciderunt, à quibus obrui potuit, non potuit fatigari. Itaque cum die quadam ab hoſpitum viſitatione feſſus, domum repetiſſet, in lectulum ſe abiecit, agnouitquè fatigationem eam ſibi eſſe lethalem. Sed adeo nihil eſt turbatus, vt ſciſcitanti è Socijs vni, quì haberet, reſponderit, ſe ea ipſa hora coarctari è duobus, nec ſatis ſcire quid optaret, æterna ne illa, quæ imminebant, præmia, an diuturniores in Chriſtiana illa expeditione labores. Sexto ægritudinis die, de vniuerſa prope vita confeſſus, Socium, qui eum audierat, tanta ſpiritus alacritate perfudit, nullam aliam, vt in vita ſua maiorem ſe ſenſiſſe prædicaret: tanta fuerat Patris innocentia, ſpiritusque ſuauitate delibutus. Poſtridie Sacrum Viaticum humi prouolutus teneras inter lacrymas accepit. Altero die inungi poſtremùm voluit, & Socijs poſcentibus monita ſalutaria diſpenſauit. Vni ſuas preces addixit, vt mortem illi in Societate obeundam exoraret; ideo quod nihil occurrere diceret melius atque iucundius quàm quod ipſe eo ipſo tempore præſentiret. Relinquo Vos (inquiebat) in oſtio ad magna merita patefacto; ſed non ſine multis periculis, vel laboribus adeunda. Rogatus qua ratione amorem illum ſuum in ſuos vellet remunerari, reſpondit, ea beneuolentia, quam venturis ex Europa Patribus ſemper oſtendetis: quam quidem decet haud eſſe vulgarem, ſed toties geminatam, vt quam ibi in vniuerſis inueniunt, hic in ſingulis deprehendant. Tum intermortuis pene vocibus auditus eſt ita fari. Ego P. Petrum Cottonum, qui apud Regem Galliæ degit, in Domino plurimùm amo; ad eum, tametſi ignotum, pro eo quod Dei gloriam promouit, hoc anno ſcribere, & gratulari ſtatueram, eumquè priuatim de noſtræ Miſſionis ſtatu reddere certiorem: nunc peto à vobis, vt quoniam mihi hoc præſtare omnino non licebit, me apud eum excuſetis. In eum fere modum ſuauiſſimè modò cum Noſtris, modò cum Neophytis collocutus, die 11. Maij, oculos velut ſopori permittens, placidiſſimè in Domino obdormiuit. Pachini, in Vrbe Sinarum Regia anno ſalutis 1610. ætatis 58. ex quibus Societati 38. Sinicæ expeditioni dedit 25. Neophyti primùm in lacrymas, mox in Patris laudem conuerſi, effigiem ſibi eius ad ſolatium coloribus exprimi curarunt, ſuum Patrem, ſuum Apoſtolum nuncupantes. Biduo toto iacuit exanime cadauer inſepultum in ſummo æſtu, vultu ſemper viuido, oris totius colore viuenti ſimilius quam vita functo. Certis coniecturis compertum eſt diem ſuæ mortis eum præſciſſe, & locum ſepulturæ decreto Regio ſibi datum iri. Eius effigiem Romæ Valerianus Regnartius Superiorum permiſſu in æs incidit anno 1615. cum illuſtri hypographe, quà narrat illum in vltima Sinarum, Fidem Chriſti primum inuexiſſe, & quinque fundatis Eccleſijs, magna ſanctimonia atque eruditionis fama diem obijſſe. Hinc illi à ſcriptoribus paſſim attributa Sanctitatis laus eſt, & Apoſtolicæ titulus virtutis. Scripſit Sanctus hic vir lingua Sinica

Coſmographicas, & Aſtrologicas præceptiones.

Geographicam orbis deſcriptionem ſemel iterumque recenſitam, & Commentarijs locupletatam.

Sex priores libros elementorum Euclidis cum Notis Chriſtophori Clauij.

Arithmeticam practicam Chriſtophori Clauij.

De Horologiis, Aſtrolabio, Sphæra, ex eodem Clauio.

Commentarium, de Elementis, quo vanitatem quinque elementorum confutat, noſtrorum quatuor veritatem ſtabilit, loca ſua ſingulis aſſignat, & figuris illuſtrat.

Catechiſmum ſecundis curis auctum.

Explicationem Doctrinæ Chriſtianæ ampliorem Ethnicis potiſſimum accommodatam, ſæpius recuſam.

Breuem de Amicitia Tractatum, quò congeſſit ea quæ Philoſophi Sacri Doctores, alijque probati ſcriptores de eo argumento tradiderunt; Opus apprimè acceptum, & ſæpiùs recuſum

Comentariolum de memoria, quæ locis, & imaginibus iuuetur.

Octo ſcriptiones de materijs Ethicis ad virtutem, & bonos mores inuitantibus, quæ ad Clauicordium Regi canerentur, vnde etiam Clauicordij cantilenas appellauit. Impreſſum fuit, hoc opuſculum Carminum Caractere, tum Europæo, tum Sinenſi

Paradoxa, ſeu morum præcepta Sinis antea in

inaudita, per collocutiones cum grauiſſimis Magiſtratibus inducta. Opus longe laudatiſſimum, & vtiliſſimum

Tractatus 25. de rebus Ethicis deque prauarum animi affectionum moderatione. Hos Sinæ *ſententias* appellant

Capita 22. de varijs rebus, de Beatitudine de Morte, &c.

Sacros Faſtos.

Tetrabiblion Sinenſe de moribus, Latina paraphraſi, & *Commentariolis* illuſtrauit

Suſciu, librum è præcipuis Sinenſium, Latinè vertit.

Calepinum Europæo Sinicum

Annuas litteras è Sinis annorum 1594. 1606. & 1607. quas binas poſteriores Latine reddiderunt Rhetores Antuerpienſes typis Plantinianis 1611. in 8. Denique reliquit

Commentarios ex quibus Nicolaus Trigautius ſuam expeditionem Chriſtianam apud Sinas elaborauit.

Ex his libris Sinenſibus exſtant tria volumina, in folio, Characteribus Sinenſibus impreſſa. *De Deo vero, de Amicitia, & alijs argumentis*. Romæ in Archiuio Generali Societatis, & nobile elogium de eo contexit Georgius Cardoſus in Agiologio Luſitano, ad diem 11. Maij. Et Fr. Elias de S. Tereſia Carmelita Excalceatus. Tom. 2. cap. 31. De legatione Eccleſiæ

* MATTHÆVS RVFFY natione Gallus, patria Apuiſſextijs in Prouincia, natus anno ſæculi præterlabentis 17. acceſſit ad Societatem 1633. & votorum quatuor profeſſionem emiſit. Vir multæ eruditionis, Rhetoricam, & amæniores diſciplinas docuit quinquennio, Philoſophiam triennio, Theologiam Scholaſticam octennio. Moralem triennio; linguam Sanctam biennio, & Sacram Scripturam triennio eſt interpretatus. Rexit Collegium Nemauſenſe, & nunc in Aquenſi nauat operam miniſterijs Societatis. Edidit

Proluſiones allegoricas, ſeu Orationes. Auenione apud Ioannem Prot. 1660. in 12.

* MATTHÆVS SAMBAR natione Hungarus, patria Varaſdinenſis, natus anno ſæculi voluentis 17. Vicennis Societati nomen dedit, & ſolemni votorum quatuor ſacramento ſe adſtrinxit. Rhetoricam, & amæniores litteras docuit, & Theologiam Polemicam de controuerſijs Fidei, triennio explicuit. Multis annis verſatus eſt in Miſſionibus Dacicis, & alijs, & Superior in Reſidentijs nouennio præfuit Noſtris. Nunc in Caſſouienſi Collegio promouet ſalutem animarum. Edidit Idiomate Hungarico

Nouitatem ſectæ Caluiniſticæ 1657.

Ocularia pro quodam Fuſci luminis Prædicante Hæretico 1658.

Lydium lapidem Ocularis Prædicantici 1659.

Tres ſalutares quæſtiones Fidei 1661.

De ſubſtantia Miſſæ, & Cæremonijs eiuſdem, cum applicatione ad Paſſionem Chriſti per Imagines, & Orationes Latino-Hungaricas, 1662.

Circulum ferreum ſuper os blaſphemi Prædicantis, 1664.

Excuſſionem ſummariæ reſponſionis factæ contra tres Quæſtiones 1666.

Apologiam pro tribus Quæſtionibus contra Blaſphemos 1667.

Apologiam pro Vetuſtate Fidei Catholicæ 1669.

Epitomen Pietatis Mariæ 1648.

MATTHÆVS SCHRICK natione Germanus, patria Aquiſgranenſis, cùm anno 1589. ætatis 22. Societatem ingreſſus eſſet, Philoſophiam in ea docuit magna commendatione: Collegijs Paderbonenſi, Aquiſgranenſi; Herbipolenſi præfuit, & vota quatuor nuncupauit. Demum octogenarius denatus eſt in natali ſolo Aquiſgrani, die 2. Martij 1646. Edidit tacito ſuo nomine

Locos Viſitatiores Sacræ Scripturæ pro aſtruenda veritate Catholica. Moguntiæ apud Hermannum Mereſium

Moliebatur aliud opus

Pro reducendis ad Ouile Chriſti Acatholicis lib. 3. quorum 1. continet *Adynata, & Aſyſtata, quæ è Nonatorum placitis ſequuntur*. II. explicat *Naturam, proprietates, & effecta Hæreſeos*. III. *Diſſoluit Decem præcipua conuerſionis impedimenta*

MATTHÆVS TABERNA natione Italus, patria Mediolanenſis, illuſtri familia, natus anno ſæculi voluentis 15. Societatem complexus eſt 1629. & votorum quatuor ſolemni ſacramento ſe adſtrinxit. Poſt traditam Rhetoricam, & humaniores litteras Eccleſiaſten egit per præcipuas Italiæ Vrbes magna auditorum frequentia iam ab annis circiter triginta, & in eodem munere adhuc pergit. Pridem edidit quam publicè dixit

Laudationem in funere Reuerendiſſimi Patris Fr. Gregorij Donati S. P. A. Magiſtri. Romæ typis Corbelletti 1642. in 4. Item

Laudationem Gregorij XIII. P. O. M. inſcriptam Draco Gregorianus habitam in Collegio Romano typis iiſdem 1643. in 4.

Orationem habitam in Coronatione Sereniſſimi Ducis Genuenſis Cæſaris Durazzij. Genuæ 1648. in 4.

* MATTHÆVS VARSAVIENSIS natione Polonus, natus *Varſauiæ*, patritia è familia anno ſalutis 1578. Deo ſe in Societate conſecrauit 1597. & votorum quatur nexu ſe adſtrinxit. Poſt traditas in ea humaniores litteras, linguam Hebraicam explicuit biennio; Controuerſias de Fide etiam biennio; Sacram Scripturam triennio, Concionatorem egit annis ampliùs 20. Inſtructorem Patrum in Tertia probatione annis aliquot, vbique non exigua laude. Demum ſeptuagenario maior quieuit in Domino Cracouiæ, die 7. Septembris 1652. Edidit Polonicè librum inſcriptum

Vox

Vox Salomonis, Tempus putationis aduenit ſenſu morali explanata. Cracouiæ typis Franciſci Cæſarij 1651. in 4.

* MATTHIAS DE BOCA-NEGRA natione Mexicanus, patria Angelopolitanus, ſed origine Hiſpanus, cooptatus in Societatem anno ſæculi labentis 1628. ætatis 16. votorum quatuor profeſſionem emiſit. Eccleſiaſten egit multis annis magno plauſu atque fructu. Migrauit ex hac vita ad meliorem vti confidimus Mexici 1668. Edidit lingua Hiſpanica, poſtulatu Proregis Mexicani

Iter ducis de Eſcalone, ſeu Hiſtoriam de itinere illius maritimo, & terreſtri. Mexici 1640. in 4.

Hiſtoriam Actus generalis S. Inquiſitionis, habiti Mexici 1652. Ibidem

Conciones complures quæ circumferuntur, & multorum manibus teruntur tanquam Ideæ. Ibidem

* MATTHIAS BORVLL natione Hiſpanus, patria Valentinus, natus anno ſæculi fluentis 15. Societati ſe addixit 1631. & votorum quatuor ſolemni ſacramento ſe adſtrinxit. Docuit in ea litteras humaniores, Philoſophiam, & annis omnino 15. Theologiam Scholaſticam. Gubernauit Collegium Valentinum, & Domum Profeſſorum Ibidem, vbi etiamnum degit, & miniſterijs Societatis vacat: Edidit hactenus

Diuinam Scientiam futurorum contingentium præcipuè Mediam, contra nouiſſimas impugnationes defenſam. Lugduni apud Philippum Borde 1656. in 4.

Tractatum de Voluntate Dei. Ibidem apud Io: Antonium Huguetam 1661. in 4.

De Miſterio Trinitatis. Ibidem 1662. in 4.

Tractatus duos de Eſſentia, & Attributis, & de Viſione Dei cum Proœmialibus Theologiæ. Ibidem apud Philippum Borde, & Socios 1664. in 4.

MATTHIAS CASIMIRVS SARBIEVIVS natione Polonus, gente Mazouita Prouinciæ Lithuaniæ, adlectus in Societatem anno Domini 1612. ætatis 17. vota quatuor ſolemnia concepit. Vir omni Scientiarum genere excellens, Rhetoricam, Philoſophiam, & Theologiam Vilnæ docuit cum laude. Doctorali laurea coram Sereniſſimo Poloniæ Rege Vladislao IV. qui ſuo illum annulo inaugurari voluit, decoratus, ad Regias Conciones adſcitus eſt. Obijt Varſauiæ, die 2. Aprilis 1640. ab inita Societate 28. Edidit

Lyricorum libros 3. Vilnæ primùm 1628. Mox Antuerpiæ apud Ioannem Cnobbarum: deinde *auctiores libro IV. & libro Epodon, atque vno Epigrammatum libro cum Epicitharisſmate Poetarum Belgarum in laudem Auctoris*. Recudit Antuerpiæ typis Plantinianis Balthaſar Moretus 1634. in 12.

Orationem de S. Caſimiro 1635.

Conciones in funere Ioannis Stanislai Sapiehæ Mariſchalci Lithuaniæ

Edidit nomine Collegij Croſenſis Carmine

Obſequium gratitudinis ab Appoline Croſenſi, Ioanni Carolo Chodkieuicz Palatino Vilnenſi. Vilnæ typis Academicis 1619. in 4.

Sacram Lithotheſim in prima Templi Collegij Croſenſis ab eodem fundati inchoatione. Ibidem 1621. in 4.

Honorem Sanctorum Reliquijs Vilnæ exhibitum. Vilnæ oratione ſoluta. Ibidem 1631. in 4.

Orationem qua Antiſtitem Vilnenſem nouum, Abrahamum Vvoynam nomine Collegij Vilnenſis excepit. Ibidem.

Reliquit poſt ſe

Concionum pro Dominicis, & Feſtis, quas habuit coram Vladislao IV. Rege Tomos IV.

Parabat etiam

De Dijs gentium libros IV. ſoluta oratione. De Perfecta Poeſi Lib. IV. proſa. Orationum librum I. (*Lechiados lib. XII. Heroico* carmine. *De Phyſico continuo lib. IV.*) *De Deo vno, & trino, & De Angelis ad I. partem S. Thomæ Aquinatis*, ſed mors interceſſit

MATTHIAS FABER natione Germanus, gente Bauarus, natus anno ſalutis 1586. ex Parocho in Neumarckt, Palatinatus Superioris, per diæceſim Aichſtadianam Viſitatore, Paſtor ad D. Mauritij Ingolſtadij, & Profeſſor ſimul, ac Procancellarius Vniuerſitatis de Catholica Religione in Palatinatu optimè meritus, grandis natu, & fama longe latèque notus, nuntio humanis rebus remiſſo Societatem noſtram Viennæ complexus eſt anno 1637. & votis quatuor ſolemnibus ſe adſtrinxit 1645. Quatuordecim annis quibus in Societate vixit poſt tirocinium, magno feruore, gratia, & auditorum fructu de ſacro ſuggeſtu dixit: ſed verbis pondus addidit religioſa eius vita, rerum humanarum contemptus, ſui depreſſio, & quod in omni eius actione elucebat, Diuinæ gloriæ promouendæ deſiderium. Repentina demum correptus ægritudine petiit maturè ſupremis Sacramentis muniri, & vt ſibi ſedenti atque induto veſte Societatis, pro qua, inquit, obtinenda diu laboraui, ſudaui, atque cum difficultate eam acquiſiui, (ſcilicet propter prouectam ætatem) liceret mori, atque ita compos voti effectus, ſedens, & ſibi ſemper præſens placidiſſimè animam reddidit Creatori Tyrnauiæ, die 26. Aprilis 1653. Ante ingreſſum in Societatem ediderat latinè

Concionum opus tripartitum, ſeu in tres tomos diſtributum. Ingolſtadij typis Hænlini, 1631. in folio Recuſum Antuerpiæ 1650. & Coloniæ 1659. tribus tomis in 4.

Controuerſias contra Altorfienſes Profeſſores

Poſt ingreſſum in Societatem edidit

Auctarium operis tripartiti Concionum de Tempore, & Sanctis. Græcij typis Vvidmanſtadij

ſtadij 1646. in folio. Antuerpiæ 1653. Coloniæ 1659. duobus tomis in 4. & alibi

MATTHIAS HAINAL natione Hungarus, patria Tyrnauienſis, Societati inſertus anno Domini 1598. ætatis 20. vota quatuor profeſſus eſt. Poſt traditas humaniores litteras, in varijs Miſſionibus ſaluti proximorum nauiter annis vndetriginta ſe impendit. Deceſſit Viennæ 28. Maij 1644. Edidit Hungaricè tacito ſuo nomine

Cor Ieſu Sacrum Imaginibus Rythmis, Orationibus expreſſum. Viennæ 1629.

MATTHIAS MAYRHOVIVS, ſeu MAYRHOFFER natione Germanus, patria Landishutanus in Bauaria, Societatem in Germania complexus eſt annos 19. natus, ſed Romæ tirocinium poſuit anno ſalutis 1567. & Philoſophicas, ac Theologicas ſcientias didicit, & feliciter Ingolſtadij docuit. Rector præfuit Academiæ Dilinganæ, & annis pluſquam viginti Collegio Monachienſi, Quatuor vota iam inde vſque ab anno 1588. profeſſus eſt. Egit in grandi ſenio Præfectum ſpiritus in primarijs Collegijs, honeſtiſſima ſemper lectione; & ſcriptione occupatus, otij oſor acerrimus, Tandem nonagenario maior, Vir multæ orationis, & mortificationis quieuit in Domino Monachij 7. Februarij 1641. Edidit in lucem

Diſputationes Theologicas de tribus peccatorum generibus Mortali, Veniali, Originali, aduerſus huius ſæculi Sectarios. Ingolſtadij, apud Dauidem Sartorium 1587.

De Rerum Dominio, & iuſtis Poſſeſſionibus. Ibidem 1588.

De Voto, & Iuramento. Ibidem 1589.

De Reſtitutione. Ibidem eodem anno

De Sacramento Euchariſtiæ, & Incarnationis Miſterio, vbi etiam Doctrina Vbiquiſtarum refellitur. Ibidem 1590.

Quatuor Flumina Paradiſi, ſiue præcipuos fontes ſcientiæ de Deo, qui ſunt Theologicus, Phyſicus, Ethicus, Hiſtoricus. Coloniæ

Piſcinam natatoriam ad quam manuducuntur illuminandi: Germanicè verò ſcripſit

Speculum Prædicantium. Ingolſtadij apud Adamum Sartorium 1600. in 4.

Apologiam pro ſpeculo Prædicantium, aduerſus Speculum Ieſuitarum. Ingolſtadij typis Ederianis 1601. in 4

Reddidit vero Germanicè ex Italico Lucæ Pinelli noſtri

Vitam B. Virginis. Auguſtæ, apud Chriſtoph. Mang. in 8. Ex Gallico Petri Cottoni

Deuotionem Caluiniſtarum. Ingolſtadij, typis Sartorij 1610. in 4.

* MATTHIAS NENNICHEN natione Germanus, gente Pruthenus, patria Allenſteinenſis, Societati adſcriptus, anno ſæculi præterlabentis 11. ætatis ſuæ 21. & votis quatuor adſtrictus. Concionator inſignis, & qui maximam vitæ partem in Prouincijs Auſtriæ, & Bohemiæ dicendo ad populum, & in Miſſionibus exegit. Deſijt inter mortales viuere Brunæ, die 4. Decembris 1656. Dum in confinibus Sileſiorum cum Hæreticis ageret, aduertit Traditiones Eccleſiæ flocci ab iis fieri, quare libellum controuerſiarum mire vtilem, pluriesquè recuſum typis impreſſit tacitò ſuo nomine ſub titulo

Dic vbi ſit ſcriptum? De auctoritate Traditionum. Item

Tractatum de Communione ſub vtraquè ſpecie. Glogouiæ 1626.

Gratulationem de inauguratione Ferdinandi II. in Regem Romanorum. Proſa, Carmine, & emblematis. Græcii typis Vvidmanſtadii 1619.

MATTHIAS PVTZIVS natione Belga, patria Marcoduro Menapiorum Oppido, diœceſis Colonienſis ortus; anno ſalutis 1586. die 4. Martii Societati nomen dedit atque in ea Rhetoricam, & litteras manſuetiores docuit. Sed immatura morte, die 22. Februarii anno 1595. Moguntiæ obiit phthiſi, Iuuenis fuit ingenio eximio, de quo ſufficiant, quæ ſupra in Henrico Puzzio eius germano fratre dicta ſunt. Ex Italico latinum fecit librum

Vincentij Bruni, de B. Virgine.

Eiuſdem Meditationes de Paſſione Domini quas tacito nomine poſthumas edidit Henricus Matthiæ frater

Altare Templi Moguntini carmine deſcripſit

* MATTHIAS RAM natione Germanus, patria Halenſis in Tiroli, Societati ſe addixit anno ſæculi currentis 41. ætatis ſuæ 18. & votorum quatuor profeſſionem edidit. Poſt litteras humaniores docuit Philoſophiam, tum reliquo vitæ tempore Theologiam, ita tamen, vt Eccleſiaſtæ Cathedram aliquando tenuerit, aures confitentibus incredibili conſtantia dederit, & vix vllo die pro ægrorum ſolatio per Vrbem non diſcurrerit. Hinc hauſta ab ægrotis maligna febri, dum decumberet, faſtidiens terram, cælum anhelare cæpit, & omnes morbi moleſtias generoſa patientia perferens, exſtimulatis inuiſentibus, verbo, & exemplo ad virtutum exercitium, piiſſimè efflauit animam. Dilingæ die 27. Februarii 1665. Edidit

Diſputationem Catholico-Romanam de Auctoritate Sacræ Scripturæ; Dilingæ 1664. in 4.

MATTHIAS DE SA' natione Luſitanus patria Bracharenſis Societatem anno 1582. ætatis 17. complexus, in ea Philoſophiam docuit; Rexitque Collegium Angrenſe, Syluenſe, Scalabitanum, Conimbricenſe; præfuit etiam Villauiçoſæ, & Inſulis vota 4. profeſſus 1602. Naturæ conceſſit in Natali ſolo Bracharæ die 3. Octobris 1636. Scripſit

Rerum ſpiritualium. Tom. 2.

* MATTHIAS DE SOVSA natione Luſitanus, patria Amarancenſis in Diœceſi Bracharenſi, Societatem ingreſſus eſt anno

 ſa-

ſalutis 1611. ætatis 15. Ex Luſitania tranſmiſit in Indiam, & ſtudia perfecit Goæ: multis annis operarium egit Bazaini, & alibi in Prouincia illa, & redux in Luſitaniam circa annum 1630. votorum 4. profeſſionem edidit. Rexit Collegium Scalabitanum; Fuit Procurator Prouinciæ ad Curiam Matritenſem, & demum dies peregrinationis in hac vita abſoluit Vlyſſipone 1.Iunij 1647. Scripſit teſte D. Nicolao Antonio in Bibliotheca Hiſpana

Compendium eorum, quæ geſta ſunt in Iaponia à fundatione illius Chriſtianitatis, quæ incepit anno 1549. & Relationem de Martyribus, qui paſſi ſunt annis 1629. & 1630. excerptam ex litteris PP. Societatis ibidem degentium 1633. in 4.

* MATTHIAS TANNER natione Bohemus, patria Pilſnenſis natus anno ſæculi fluentis 30. Societati ſe adſcripſit 1646. & votorum 4. nuncupatione ſe obligauit. Poſt traditas quadriennio amæniores litteras, Philoſophiam explicuit triennio, Theologiam Scholaſticam quadriennio, Polemicam de Controuerſijs, & Scripturam Sacram triennio; Rexit Collegium Neopragenſe, & Pragenſe ad Sanctum Clementem, & electus in ſua Prouincia Procurator ad Vrbem venit hoc anno 1675. Edidit libellum cui titulus

Cruentum Chriſti ſacrificium in incruento Miſſæ ſacrificio explicatum. Pragæ typis Vniuerſitatis 1669. in 12. Item

Sacrum Sapientiæ Senatum in applauſum Neo-baccalaureis erectum, tacito ſuo nomine Pragæ 1666. in 4.

Bohemicè vulgauit

Hiſtoriam Montis Olıueti in Morauia ad Stamburgam ſiti. Pragæ typis Vrbani Goliaſch 1666. in 12. & tacito ſuo nomine

Dialogum controuerſiſticum. An Coniugatus conſentiente etiam vxore ſuperſtite, Sacerdotium ſuſcipere poſſit. Pragæ typis Academicis 1669. in 8.

Iudicium graue à Domo Dei contra omnes impiè agentes in locis Sacris. Latinè, & mox Bohemicè. Pragæ typis iiſdem anno 1670. in 12.

Societatem Ieſu vſque ad ſanguinis, & vitæ profuſionem in Europa, Aſia, Africa, & America Militantem, ſiue Vitam, & Mortes eorum, qui in cauſa Fidei interfecti ſunt, cum Iconibus ſingulorum. Latinè, Pragæ typis Academicis 1675. in folio.

* MATTHIAS TLVCZYNSKI natione Polonus ex ea parte Regni, quæ Maior Polonia nuncupatur, Deo ſe in Societate dicauit anno ſæculi præterlabentis 30. ætatis ſuæ 24. & votorum 4. profeſſionem emiſit. Philoſophiam docuit quinquennio, Concionatorem etiam & Miſſionarium aliquandiu egit; Vir multiplice eruditione excultus, nunc in Collegio Cracouienſi miniſterijs Societatis vacat, edidit hactenus

Magnum Theſaurum variarum indulgentiarum. Latinè & Polonicè, Cracouiæ typis Schedelianis 1662. in 12.

Occupationem iucundam eſſentialiter ad ſalutem neceſſariam. Cracouiæ iiſdem typis anno & forma

Vitam P. Alberti Mecinski in odium Fidei in Iaponia interempti. Cracouiæ iiſdem typis anno & forma.

* MAVRITIVS NEOPORTVS natione Anglus, patria Somerſetenſis, poſt emenſa Philoſophiæ, ac Theologiæ ſpatia Romæ in Collegio Anglicano, Societati nomen dedit in tirocinio Vvatenenſi anno ſæculi voluentis 35. ætatis ſuæ 25. & ſolemni votorum 4. ſacramento ſe adſtrinxit. Rhetoricam & amæniores diſciplinas aliquot annis profeſſus eſt in Seminario Audomarenſi, miſſus exinde in vineam Anglicanam iam ab annis 30. eam nauiter colit, & noſtris Londini Rector præfuit. Edidit in lucem carmine Heroico librum inſcriptum

Votum Candidum, ſeu Poema gratulatorium Carolo II. Regi Angliæ dedicatum. Londini typis Neucomianis 1669. in 8. Et meditatur alia bene fauente Deo.

* MAXIMILIANVS LE DENT natione Belga, gente Flander, patria Vvinocibergenſis, natus anno ſæculi fluentis 19. Chriſto in ſua Societate ſe dicauit 1637. & votorum 4. profeſſionem emiſit. Poſt quadriennium humanioribus litteris docendis impenſum, Philoſophiam profeſſus eſt etiam quadriennio, Theologiam Scholaſticam Louanij ſeptennio, Moralem triennio, & Studijs etiam Superioribus triennio præfuit. Nunc dum hæc ſcribo 1674. Bruxellis eſt à Sacris Confeſſionibus Excellentiſs. Comiti de Monterey Gubernatori Belgij. Edidit Tractatum

De Attritione ex metu Gehennæ, eiuſque cum Sacramento ſufficientia. Louanij 1667. in 4.

Reſponſionem ad Epiſtolam Familiarem R.P. Lupi Ven. Ord. S. Auguſtini De Attritione. Mechliniæ typis Gisberti Lintzij anno 1668. in 4.

Reſponſionem ad Apologiam R.P. Franciſci Farnacques de eodem argumento. Mechliniæ typis Gisberti Lintzij 1669. in 4.

MAXIMILIANVS HABBEQVIVS natione Belga, patria Bruxellenſis natus anno 1580. admodum iuuenis Societatem ingreſſus 12. Decembris 1596. celeberrimus in ea Concionator euaſit, munere illo primis in Vrbibus Antuerpiæ, Bruxellæ, Brugis, plus annis 30. cum ſumma commendatione perfunctus. Inſigni fuit eruditione in Controuerſijs fidei, atque intelligentia Scripturarum Sanctarum; excelluit in Poeſi præſertim Lyrica; acer fuit in Hæreticos, quorum odia ab infantia ſuſtinuit, actus in exilium cum parentibus. Enituit in eo caſtimonia, pietas, animi demiſſio, ſtudium in Societatem, in quam adeo fuit beneficus,

ficus, vt ſuffragia Fundatoribus exhiberi ſolita fuerit conſecutus. Obijt Antuerpiæ die 8. Februarij anno Chriſti 1637. cum vixiſſet omnino annos 57. in Societate 41. profeſſus olim 4. vota poſtridie Calendas Iulias anno 1614. Ediderat non appoſito ſuo nomine

Væ Victis, & omnes in eo libello Odas Horatianas.

Odas omnes Lyricas; quæ viſuntur in prima editione *Amphitheatri honoris*. Caroli Bonarſcij 1605. in 4.

Triumphū S. S. Patribus Ignatio, & Franciſco, cum in Sanctorum album inſcripti eſſent ab Vrbe Bruxellenſi celebratum ſub alieno nomine. Bruxellæ apud Ioannem Piperman 1622. in 8.

Extat etiam in Epicitharíſmate Matthiæ Caſimiri Sarbieuij, vna eius

Ode in laudem eiuſdem Sarbieuij

Ode Item altera in Gentilitias Vrbani VIII. Pont. Max. Apes exſtat præfixa pijs Deſiderijs Hermanni Hugonis. Reliquit denique

Animaduerſiones in Pſeudo-Martyrologia Nouatorum ſub titulo, *De Finibus Hæreticorum & Catholicorum, ſeu Deſcenſus Auerni, & Aſcenſus Olympi*.

* MAXIMILIANVS HABERSACK natione Germanus, gente Franco, patria Herbipolenſis, natus anno ſæculi decurrentis 39. Societatis inſtitutum capeſſiuit 1655. & in eo votorum 4. ſacramentum ſolemne dixit. Docuit Humaniores litteras, Philoſophiam, Matheſim, Controuerſias de Fide, linguam ſanctam, & annos aliquot Concionatorem egit; Præmatura nobis morte ereptus religioſè obijt Moguntiæ 21. Martij hoc anno 1674. Edidit Germanicè tacito ſuo nomine

Refutationem motiuorum Andreæ Vvigandi Apoſtatæ. Moguntiæ typis Chriſtophori Kuckleri 1673. in 4.

* MAXIMILIANVS REICHENBERGER natione Bohemus, patria Pragenſis natus anno ſalutis 1613. Societati ſe adiunxit 1627. & vota 4. nuncupauit. Philoſophiam profeſſus eſt ſexennio, Theologiam Speculatiuam annis 18. Moralem quadriennio, & in foro conſcientiæ paſſim conſulitur à plurimis Pragæ. Edidit hactenus

Orationes quibus Ferdinandis III. & IV. Imperatoribus parentauit. Pragæ typis Academicis 1654. & 1657. in 4.

Panegyrim de S. Thoma de Villanoua. Pragæ iiſdem typis 1659.

Compendium Theologiæ circa Deum, Angelos, & Hominem. Pragæ typis Vniuerſitatis 1667. in folio

MAXIMILIANVS SANDÆVS natione Belga, patria Amſterodamenſis in Batauis, natus eſt anno ſalutis 1578. die 18. Aprilis ſtudia tractauit Groningæ, Coloniæ, Muſſiponti, Romæ, Humanitatis, Philoſophiæ, Iuriſprudentiæ, Theologiæ. In Societatem Romæ adſcriptus eſt die 21. Nouembris anno 1597. ſub nomine Maximiliani Vanderſant, & in Collegio Romano Theologiæ ſtudia abſoluit. Inde in Prouinciam Rhenanam miſſus, poſt Philoſophiæ curſum in Academia Herbipolenſi confectum, ibidem Theologiæ Doctor ſummam D. Thomæ complures annos præclare enucleauit. Tum Sacram Scripturam è Cathedra Moguntina cum expoſuiſſet, regendæ Iuuentuti Seminarij Epiſcopi Herbipolenſis præfectus eſt. Vir acri ingenio, multæ lectionis, & doctrinæ variæ. Poſt hæc Gothis Franconiam inuadentibus, Coloniam delatus, vitæ reſiduum ibidem tranſegit, non in otio, ſed in aſſidua, aut lectione, aut ſcriptione, aut publica dictione, aut directione Sodalitatis Marianæ, (quam ſuam ſpartam ſolebat appellare) aut in præfectura denique ſtudiorum ſuperiorum. Poſt obitum P. Mutii Vitelleſchi Præpoſiti Generalis, à ſua Prouincia delectus eſt, vt Romam adiret ad Comitia generalia Societatis, & interfuit electioni ſucceſſoris. Demum multis perfunctus muneribus, & laboribus ad omnium præmia migrauit ex hac vita. Coloniæ, die 21. Iunij 1656. Scripſiſſe perhibetur tot libros quot vixit annos, ſcilicet 78. quorum præcipui ſunt, qui ſequuntur

Opuſculum Theologicum de Omnipotentia eſſentiali Dei, facta hoc tempore litigioſa inter Caluiniſtas Hollandiæ. Herbipoli typis Conradi Schuuindlauff anno 1616.

Opus Theologicum de libro Vitæ, Mortis, Monumenti. Quorum quilibet celebratur in Sacra Scriptura. Herbipoli typis Conradi Schuuindlauff anno 1616.

Epiſtola ad Amicum Italum, de Diſſidio Proteſtantium Hollandorum in negotio Religionis. Herbipoli apud Conradum Schuuindlauff 1617.

Caſtigatio Conſcientiæ Ieſuiticæ cauteriatæ, confictæ in Hollandia. Ad Principem Orangiæ Mauritium, Comitem Naſſouiæ. Herbipoli, apud Conradum Schuuindlauff anno 1617.

Libellus de Iubilæo Lutherano contra Thema ſeculare, in quo motiua explicantur ob quæ deſerendam probatur Synagogam malignantium Sectariorum. Moguntiæ apud Ioannem Albinum anno 1618.

Demonſtratio ad Controuerſias Hollandicas prodroma; quod in Fide Proteſtantium Hollandorum non ſit ſalus. Ad Ordines Hollandiæ. Herbipoli apud Stephanum Fleiſmannum anno 1618.

Libellus de Donario Cordis Epiſcopi Herbipolenſis Iulij Franciæ Orientalis Ducis, Titulo Commentatio Academica, Latinè, & Germanicè. Herbipoli apud Stephanum Fleiſmannum anno 1618.

Diſceptatio Theologico-Politica de Rege Romanorum. Herbipoli apud Stephanum Fleiſmannum anno 1618.

Libri 4. Controuerſiarum Hollandicarum Titulo Hydrus Hollandicus. Herbipoli typis

Stephani Fleiſmanni, & Ioannis Volmari anno 1618. & 1619.

Admonitio de Cauteriata Ieſuitarum Conſcientia ad Examinatorē Caſtigationis Sandæanæ Hollandum Caluiniſtam. Herbipoli typis Ioannis Volmari anno 1619.

Libri 3. De Hyperbole Ieſuitica, & Caſtigatio prodiga Ieſuitæ uliueraiitatis in vocibus vniuerſalibus, eiectæ in Hollandia à Caluiniſta Batauo. Moguntiæ typis Ioannis Albini anno 1619.

Liber vnus, Conuenientiæ, ac Differentiæ in doctrina, De Prædeſtinatione Catholicorum, Gomariſtarum, & Arminianorum, ſeu Caluiniſtarum Hollandiæ Titulo Anacephalæoſis doctrinæ de Prædeſtinatione, Latinè & Germanicè. Herbipoli typis Stephani Fleiſmanni anno 1619.

Liber Conſiderationum 17. *De Synodi Dordrechtanæ in Hollandia celebratæ emolumentis ad Fidem Catholicam ſtabiliendam.* Herbipoli typis Ioannis Volmari anno 1620.

Volumen Commentationum Academicarum in quo, quantum obfuerit ſinceritati fidei, litteratorum ſuperbè ſapientium profanitas oſtenditur in omnibus penè Religionis Controuerſijs, contra Eraſmum, Scaligerum, Druſium, Caſaubonum, ſimileſquè noſtri temporis Grammaticos, Titulo Grammaticus profanus. Herbipoli typis Ioannis Volmari anno 1621.

Libellus De Iubilæo Clericali Canonicorum in Germania vſitato. Bambergæ apud Auguſtinum Crineſium anno 1624.

Libri tres de Morte in quibus Symbola mortis 145. *Commentationibus Theologicis ad mores accommodatis illuſtrantur. Ad Clerum Moguntinenſem. Titulo, Plato Chriſtianus.* Moguntiæ ſumptibus Hermanni Mylij typis Hermanni Mereſij anno 1624.

Libri quatuor Theologiæ variæ, quibus Theologiæ tum Profanæ, tum Sacræ Ortus, Progreſſiones, Partitio multiplex, Notiones & vtriuſque arcana, ac imagines diſquiruntur, & repræſentantur. Titulo Theologia varia. Moguntiæ ſumptibus Hermanni Mylij, typis Hermanni Mereſij anno 1624.

Libri ſex Theologiæ Symbolicæ, in quibus Doctrina De Deo Diuiniſque ſymbolo inuoluta deindeque explicata traditur, & Symbolica diſciplina ad artis Methodum reuocatur. Titulo Theologia Symbolica. Moguntiæ apud Ioannem Theobaldum Schonvvetter anno 1626.

Libri tres, Theologiæ Myſticæ in quibus doctrina De Deo Diuiniſque Contemplatiuorum Myſtica ad Artis normam ordine reducitur. Titulo Theologia Myſtica. Moguntiæ apud Ioannem Theobaldum Schonvvetter anno 1627.

Libellus de Vita, in quo Symbola Vitæ humanæ 127. *notulis Theologicis explicantur.* Francofurti apud Ioannem Theobaldū Schonvvetter anno 1627.

Libri ſex Theologiæ Iuridicæ, in quibus materia omnis de Contractibus humanis, ex Iure tum Pontificio, tum Cæſareo, Euangelijs Dominicalibus accommodatur, ex eiſque ſimilis obligatio inter Deum, ac hominem ad virtutem colendam ſtabilitur. Titulo, Theologia Iuridica, Iuriſconſultus Chriſtianus. Moguntiæ apud Ioannem Theobaldum Schonvvetter. Anno 1629.

Libellus de Mundo Fallaci, in quo 30. commentationibus Theologicis in varia materia, mundi fallacia detegitur, & quomodo cauenda ſit diſſeritur. Moguntiæ impenſis Ioannis Theobaldi Schonvvetteri anno 1631.

Libri 3. Theologiæ Medicæ. In quibus Principis, quà Eccleſiaſtici, quà Politici officia exemplo Medici declarantur: & de morbis à Chriſto humani generis Archiatro ſanatis, eorumque remedijs, ad mores accommodate diſſeritur. Titulo, Theologia Medica, Medicus Chriſtianus. Coloniæ apud Stephanum Breyelium. Anno 1635.

Libellus de Conſtantia Colonienſi in aſſerenda Religione Catholica, à S. Materno ad præſentem diem. Titulo, Elogium Conſtantiæ Colonienſis. Coloniæ apud Stephanum Breyelium. Anno 1635.

Libelli Theſium diuerſarum ex Philoſophia, & Theologia. Herbipoli, & Moguntiæ.

Auiarium Marianum, Orationes VII. ad Sodales B. Virginis in Feſtiuitatibus Deiparæ habitæ, deſumpta materia à ſex Auibus Virginis Symbolis, nempè Columba, Luſcinia, Cigno, Gallina, Phœnice, Pauo, & hæc tum in Purificatione, tum in Annunciatione. Francofurti typis Ioannis Theobaldi Schonvverteri anno 1627.

Maria Flos Myſticus, Orationes ſex ad Sodales in Feſtiuitatibus Deiparæ habitæ, deſumpta materia à floribus, & plantula, Virginis Symbolis: nimirum Roſa, Lilio, Viola, Heliotropio, Hyacintho, Olea. Moguntiæ apud Godefridum Schonvvetter anno 1629.

Maria Patrona, Orationes ſex ad Sodales in Feſtiuitatibus Deiparæ habitæ de Patrocinio Mariano in omni rerum genere, in quibus diſſeritur de Virgine, quatenus eſt Salus Infirmorum, Idea Perfectionis, Vellus Gedeonis, Patrona Viatorum, Patrona indulgentium, condens Teſtamentum omnibus proficuum, Aduocata Vniuerſalis. Moguntię impenſis Ioannis Theobaldi Schonvvetteri anno 1630.

Maria Gemma Myſtica. Orationes ſex ad Sodales in Feſtiuitatibus Deiparæ habitæ, deſumpta materia ex gemmis, Virginis Symbolis, ſcilicet *Iaſpide, Carbunculo, Smaragdo, Achate, Sapphiro, Margarita.* Moguntiæ impenſis Io: Theobaldi Schonvvetteri anno 1631.

Maria Luna-Myſtica. Orationes ſex ad Sodales in Feſtiuitatibus Deiparæ habitæ deſumpta materia à Luna, quæ varia Virginem, ſecundum diuerſa myſteria repræſentat, nimirum Luna noua, Eclipſata, Plena, Feſtinans, ac Modulans, Dominatrix, Bellatrix. Coloniæ apud Ioannem Kinckium anno 1634.

Libellus De Modo dedicandi ſe Deiparæ in Mancipium, eamque mancipij inſtar colendi titulo,

lo, *Mariæ Creaturarum Dominæ Mancipium*, *Latinè, & Germanicè*. Coloniæ apud Ioannem Kinckium anno 1634.

Libellus De Oratione Dominica piè, & affectuoſè recitanda, & circa illam quomodo multipliciter, meditandum, contemplandum, ſpeculandum, Titulo, Oratio Dominica multiplici Meditationum ſerto coronata. Latinè, & Germanicè. Coloniæ apud Ioannem Kinckium 1634.

Maria Sol Myſticus. Orationes ſex ad Sodales in Feſtiuitatibus Deiparæ habitæ deſumpta materia à Sole, qui varius Virginem ſecundum diuerſum materiam repræſentat, nempè, Sol Oriens Obſcuratus, Fæcundans, Gyrans, Meridianus, Exhilarans. Coloniæ apud Ioannem Kinckium anno 1636.

Maria Mundus Myſticus. Sermones ſeptem ad Sodales in Feſtiuitatibus Deiparæ habiti deſumpta materia à mundo eiuſque partibus, variè Virginem repræſentantibus. Sunt autem abyſſus, Cælum, Ignis, Aer, Aqua, Terra, Mundus. Coloniæ apud Ioannem Kinckium anno 1639.

Maria Pacificatrix mundi, ad Card. Martium Ginettum Vrbani VIII. & Sedis Apoſtolicæ Legatum, Pacificatoriæ Legationis Principem. Coloniæ apud Ioannem Kinckium anno 1630.

Epiſtola ad Amicum Veterem in Saxonia, De Fictitÿs litteris Ieſuitæ Colonienſis ſparſis per Belgium, & Germaniam, Latinè, & Belgicè. Antuerpiæ anno 1636.

Libellus de Salutatione Angelica fructuoſè recitanda, & circa illam quomodo multipliciter meditandum, ſpeculandum, contemplandum. Titulo, Salutatio Angelica, multiplici precularum, hymnorum, eudologiarum ſerto coronata. Coloniæ apud Ioannem Kinckium anno 1637.

Commentationes Parænetica de Litterato Chriſtiano, inſcripta, Pædia Academici Chriſtiani: Paleſtra Pietatis eruditæ: Grammaticus Chriſtianus eò quod materia deſumatur ex argumento Grammatico ad mores accommodato, ad Sereniſſimum, & Reuerendiſſimum Maximilianum Henricum vtriuſque Bauariç Ducem Principem iuuentutis. Coloniæ apud Ioannem Kinckium anno 1638.

Clauis Theologiæ Myſticæ, ſiue Onomaſticum vocabulorum, & Elucidarium locutionum obſcurarum, quibus Doctores Myſtici tum veteres, tum recentiores vtuntur ad proprium ſuæ diſciplinç ſenſum paucis manifeſtum. Cui adiunctum eſt

Iubilum Societatis Ieſu ſæculare, ob Theologiam Myſticam à Fundatore Ignatio, eiuſque Socÿs, primo conditæ Religionis ſæculo, excultam, & illuſtratam. Coloniç apud Gualterianos anno 1640.

Artifex Euangelicus; In quo ſunt Symbola ab Artificibus omnis generis deſumpta, ac delineata ingenio Auctorum tum Sacrorum, tum profanorum. Item ſimilitudines ad vſum concionatorum & litteraturæ politioris Profeſſorum. Cui adnectitur

Iubilum Societatis Ieſu Sæculare ob Artifices Euangelicos à Fundatore Ignatio eiuſque Socÿs, Eccleſiæ Catholicæ ad animarum ſubſidium aptatos, & ſubmiſſos. Coloniæ apud Ioannem Kinckium anno 1640.

Poſt hæc ab eodem edita ſunt ſequentia.

Admiranda Purgatorÿ, Sermonibus Sacris declarata, quibus adiungitur *Libellus ſupplex Animarum è Purgatorio ad Sodales Marianos*. Coloniæ apud Ioannem Kinckium 1643.

Maria Bona Fortuna Chriſtianorum Homilÿs decem exornata. Coloniæ apud Iodocum Kalcouium 1644.

Maria Aquila Myſtica, Sermonibus ſeptem ad Imperatorem Ferdinandum III. Coloniæ apud Ioannem Munich 1645.

Maria Magnes & Magnetiſmus Marianus, Diſſertationibus 6. Coloniæ apud Ioannem Kinckium 1645. in 12.

Maria Horologium Myſticum, ſeu Diſſertationes 4. de eadem. Coloniæ apud Petrum Metternich 1648. in 12.

Maria Stella Myſtica, ſeu Sermones 12. Analogia inter B. Virginem & Stellam. Coloniæ apud Freiſſem 1650. in 12.

Maria Mons Myſticus. Coloniæ apud eundem 1650. in 12.

Marianum Pentaphyllum. Ibidem 1653. in 11.

De Chriſto Crucifixo. Centuria I. Affectuum piorum, & operum erga Chriſti Paſſionem. Coloniæ apud Petrum Henningum anno 1644. in 12.

Centuria II. Seu Schola Affectuum, & operum piorum erga Chriſtum Crucifixum. Coloniæ apud Iodocum Kalcouen 1645. in 12.

Centuria III. Seu Gymnaſium Amantium, & colentium peculiariter Chriſtum Crucifixum. Coloniæ apud Andream Bingium 1646. in 12.

Centuria IV. Religio S. Franciſci, Amatrix, cultrix, imitatrix Chriſti Crucifixi. Coloniæ apud Ioannem Kinckium 1647. in 12.

Centuria V. Societas Ieſu Amatrix, cultrix, & imitatrix Chriſti Crucifixi. Antuerpiæ apud Viduam Cnobbari 1647. in 12.

Centuria VI. Aſceterium Amantium, colentium, imitantium Chriſtum Crucifixum. Coloniæ apud Ioannem Kinckium 1647. in 12.

Centuria VII. Paleſtra Amantium, colentium, imitantium Chriſtum Crucifixum. Coloniæ apud eundem 1647. in 12.

Centuria VIII. Paradiſus Amantium, colentium, imitantium Chriſtum Crucifixum. Coloniæ apud Freiſſem 1648. in 12.

Centuria IX. Theatrum Amantium, colentium, imitantium Chriſtum Crucifixum. Coloniæ apud Kinckium 1648. in 12.

Centuria X. Stoa, ſiue Porticus Amantium, colentium, imitantium Chriſtum Crucifixum. Coloniæ apud eundem 1649. in 12.

Eccleſia Militaris, ſeu Militia Chriſtiana; Tom. IV. diſpoſita. Coloniæ apud Iodocum Kalcouen 1651. in 4.

Architectura Chriſtiana. Coloniæ apud Fre-

Freiſſem anno 1652. in 8.

Prolegomena Theologiæ Scholaſticæ. Coloniæ 1653. in 4.

Staurophilorum Hiſtoriæ Libri 50. *tomis* 4. *diuiſi*. Coloniæ 1653. in 4.

Plura eiuſdem opuſcula breuitatis ſtudio prętermiſimus, quæ ſi lubet, videre poterit Lector in Indice librorum P.Sandæi impreſſo Coloniæ 1653. in 4.

MAXIMILIANVS SCHMIDT natione Germanus, patria Brigantinus, Diœceſeos Conſtantienſis, in Societatem anno 1606. ingreſſus eſt, cùm 16. haberet ætatis. Humaniores primum litteras, tum Philoſophiam, ac Theologiam cum plauſu docuit, ſolo ſuæ valetudinis detrimento; ob raram humanæ diuinæque ſapientiæ peritiam, ac Latinæ, natiuæque linguæ eloquentiam, quouis ſuggeſtu, ac Theatro dignam mirificè carus. Tandem phthiſi correptus præmaturè, obijt Herbipoli die 12. Auguſti 1625. Edidit

Mariam Victricem, ſeu Victorias ope Beatæ Mariæ Virginis reportatas.

Hyperduliam Marianam, ſeu cultum Beatæ Virginis exemplis demonſtratam.

Fauores Marianos Sancto Ignatio Loyolæ exhibitos.

Orationem panegyricam in Iubilo Eccleſiaſtico D. Sebaſtiani à Stauffenberg Canonici Herbipolenſis, & Bambergenſis.

Libellos Carminum Panegyricos diuerſis Magnatibus inſcriptos.

Theſium Philoſophicarum Centurias aliquot ac libellos ſelectiſſimos ex quibus ſunt

Pancarpium Sapientiæ, quod Sac. Romani Imperij Dapifer Iacobus Carolus Moguntiæ propugnauit anno 1618.

Septizonium Philoſophicum, ſeu Veritatum Peripateticarum moles, ſeptenis claſſibus, quaſi intercolumnijs inciſa, eductaque. Moguntiæ typis Ioannis Volmari 1618. in 4.

Veritatum Peripateticarũ Pentadecas Phyſica ex vniuerſo naturæ Theatro concinnata. Herbipoli typis Volmari in 4.

MECHLINIENSE COLLEGIVM in Flandro-Belgica Prouincia, Vrbe Sedis Archiepiſcopalis, & ſupremi Concilii Regii, (quod Parlamentum vocant) decoribus conſpicua, inchoatum fuit anno 1611. promouente illius exordia, pietate ſumma Sereniſſimi Archiducis Auſtriæ Alberti, qui Domum ampliſſimi fundi ad id donauit in qua olim, & Philippus I. Hiſpaniæ Rex, & ipſius Proauus, & Carolus V. Imperator, & Philippus II. habitaſſent. Progreſſu temporis exædificatum eſt Collegium eximia munificentia Archiepiſcopi Andreæ Creuſen, & in Eccleſia, reconditæ ſunt Reliquiæ S. Franciſci Xauerii multorum poſtea miraculorum Operatrices. Ipſum vero Templum magnificè conſtructum nuper inſigni beneficentia D. Mariæ Van Breuſeghen, Viduæ Antonij Loſſon, vt propterea per totam Societatem indicta fuerint quæ pro Fundatoribus dici ſolent ſuffragia. In Collegio, (quod ſimul eſt Domus Probationis) Tirones Societatis magno numero ſub vexillo crucis ad militiam Chriſti, & ad victorias de ſe ipſis reportandas, inſtituuntur, & ad Iuuentutem externam litteris, ac pietate imbuendam quinque Ludi ſunt aperti. Edidit Collegium

Emblematicam gratulationem Sereniſſimo Principi Cardinali Ferdinando Hiſpaniarum Infanti exhibitam cum in eam Vrbem inueheretur. Antuerpiæ typis Plantinianis Moreti 1635. in 4.

MELCHIOR DE CASTRO natione Hiſpanus, patria Hiſpalenſis, Societati adſcriptus anno Domini 1571. ætatis 15. vota quatuor ſolemnia nuncupauit. Vir ſingulari animi demiſſione, inſigni modeſtia miræ ſimplicitati coniuncta, admirabili doctrina. Theologiam Scholaſticam totos 20. & ampliùs annos profeſſus eſt, ex quo labore cum Hecticam Febrim contraxiſſet, magno omnium dolore exſtinctus eſt, Cordubæ anno 1599. Funus frequente Senatu Eccleſiaſtico ſuccollantibus aliorum Ordinum Religioſis, elatum eſt. Reliquit poſt ſe abſolutum

Tractatum de Beatitudine.

Logicas, & Phyſicas ipſius Commentationes alius quiſpiam ſuo nomine publicauit.

MELCHIOR DE LA CERDA natione Hiſpanus, patria ex oppido Cifuentes diœceſis Seguntinæ, adoleſcens vigeſimum annum agens, Iuriſprudentiæ ſtudiis quibus per quinquennium operam dederat, reiectis, ac ſæculi vanitatibus abdicatis, ſic Societatem noſtram ſuſcepit anno ſalutis 1570. die 13. Martii, vt ſe puerorum inſtituendorum vtilitati penitus dicaſſe videatur; itaque quadraginta, & vnum annos Hiſpali præcipuè, & Cordubæ, in erudienda, & ad eloquentiam formanda Iuuentute conſumpſit, vota quatuor profeſſus ab anno 1590. Obiit Hiſpali anno 1615. Scripſit

Apparatum Latini Sermonis Part. II. Hiſpali apud Rodericum Cabrerum 1598. in 4.

Vſum, & Exercitationem Demonſtrationis. Ibidem eodem anno in 4.

Campos Eloquentiæ, in cauſis, & numeratione partium, genere coniugatis, adiunctis longe latèque patentis volumen primum. In ſimilibus, comparatis, exemplis longe latèque patentis volumen ſecundum. Lugduni per Horatium Cardon 1614. in 8.

Seorſim editi ſunt teſte D. Nicolao Antonio

Conſolatio ad Hiſpanos propter Claſſem Hiſpanicam ſubmerſam, aliæque Relationes, & diſcurſus varij

* MELCHIOR CORNÆVS natione Germanus, gente Vveſtphalus, patria Brilonenſis, natus anno ſæculi præteriti 98. Vicennis Societati ſe adſcripſit prætereuntis 18. & vota quatuor ſolemnia emiſit. Rhetoricam, & Græcas litteras quadriennio profeſſus eſt, & irrum-

irrumpentibus in Germaniam Suecis, in Galliam profectus, Philoſophiam in Toloſana Prouincia ſeptennio explicuit. Redditus poſtea Germaniæ, Theologiam Scholaſticam & Polemicam quà Moguntiæ, quà Herbipoli magna laude doctrinę annos quindecim tradidit. Rexit Collegia Herbipolenſe, & Moguntinum, vbi ſimul Eccleſiaſtæ munere diebus Dominicis perfunctus eſt. Vir multarum palmarum, & Acatholicis imprimis formidabilis, quos ſcriptis libris compluribus egregiè exagitauit. Nec virtute minus eminuit quam eruditione. Sincerus candor, ſtudium Orationis, ſeuera ſui corporis etiam ſenilis tractatio, eum omnibus admirabilem reddiderunt. Poſtremis vitæ ſuæ annis, omnem vini vſum ſibi interdixit, dicendo ſe præ omnibus vitiis, palati, ventriſquè curam deteſtari. Erga S. Ioſephum peculiari amore, & Fiducia ferebatur. Paucis ante obitum horis, aſtantibus dixit. Hoc vnum nunc ſibi ſolatio eſſe, quòd in S. Romana Eccleſia, & quod in S. Societate Ieſu mortem oppeteret, atque ita placidiſſimè animam exhalauit. Moguntiæ, die 13. Martii anno 1665. Editi ſunt ab illo libri varii, plerique contra Hæreticos his titulis

Araneus Argentinus hoc eſt, Ioannes Georgius Dorſchæus Prædicans,&c. Scopis Theologicis deterſus. Mogūtiæ typis Nicolai Heil 1646. in 4.

Iudicium æquitatis delatum Academicis Argentinenſibus circa malam Fidem Dorſchaanam. Ibidem 1647. in 4.

Animaduerſiones in Anti-Becanum Ioannis Crocij Profeſſoris Caſſelenſis. Ibidem iiſdem typis anno, & forma

Criſis Anti-criſeos, ſeu examen indicij Ioannis Georgij Dorſchæi. Moguntiæ typis Nicolai Heil 1648. in 4.

Keras amatheias, ſiue Cornu Ignorantiæ Dorſchaanæ. Moguntiæ typis Eliæ Zinch 1649. in 4.

Keras amatheias, ſiue Cornu Ignorantiæ Dorſchaanæ continuatum. Ibidem 1650. in 4.

Miracula Eccleſiæ Catholicæ defenſa contra Prædicantem Argentinenſem. Moguntiæ typis Nicolai Heil 1652. in 4.

Quæſtio præſenti tempori opportuna, an verum ſit illud, aut Papiſta, aut non Chriſtianus. Moguntiæ iiſdem typis anno, & forma.

Iudicium Iniquitatis Dorſchæanæ repulſum, & vota Monaſtica vindicata. Eiſdem typis anno, & forma.

Ariſtoteles Rediuiuus Romano-Catholicus. Herbipoli typis Eliæ Mich. Zinch 1652. in 4.

Ariſtotelis Rediuiui Pars altera de Communione ſub vtraque ſpecie. Ibidem iiſdem typis anno, & forma.

Proteſtatio Fidei Catholicæ, Bambergicæ, Marcellianæ, vindicata. Herbipoli typis iiſdem 1653. in 4.

Probra improba, & breuis refutatio duorum virum Prædicantium Caluiniſtarum. Germanicè. Ibidem in 8.

Repulſio mendaciorū, & falſitatum, Danielis Saebs Prædicantis. Germanicè. Ibid. 1654. in 8.

Crimina læſæ veritatis à Ioanne Conrado Danbavvero commiſſa. Typis iiſdem anno, & forma.

Perſpicillum intellectuale eidem Donbavvero dono datum. Typis iiſdem 1656. in 4.

Tractatus de Eccleſia ex Gallico Franciſci Venoni verſus Germanicè. Ibidem 1656. in 8.

Curriculum Philoſophiæ Peripateticæ, vti nunc in Scholis decurri ſolet. Herbipoli typis Eliæ Mich. Zinch 1656. in 4.

Manes Lutheri, & Caluini iudicati. Herbipoli typis iiſdem anno, & forma.

Anti-Crocius, ſiue Animaduerſio Theologica iterata in Ioannem Crocium. Herbipoli eiſdem typis 1658. in 4.

Anima Separata Monogriſſi. Herbipoli typis Iacobi Hertz 1658. in 4.

Ens Rationis Luthero-Caluinicum, eiſdem typis 1659. in 4.

Pilati noui, & Cœna morticina Lutheriſtarum Ertfurtenſium. Ibidem 1659. in 4.

Murus papyraceus Purgatorij, contra Lutheriſtas Ertfurtenſes. Ibidem 1660. in 4.

Scriptum eſt purgatorium eſſe, & ſcriptum non eſt, Purgatorium non eſſe. Ibidem iiſdem typis anno, & forma.

Ariſtotelis Rediuiui Pars III. De Primatu Papæ cum Appendice &c. Herbipoli typis Eliæ Zinch 1660. in 4.

Hexameron Marianum Panegyricum, ſiue Adhortationes in ſex Feſta Deiparæ Virginis. Herbipoli typis Ioannis Baptiſtæ Schonvvetteri 1664. in 12.

MELCHIOR FIGVEREDVS, natione Indus, patria Goanus, ex parente Luſitano, Societati ſe inſeruit Goæ anno ſalutis 1554. ætatis ſuæ 25. & primam Euangelio diſſeminando dedit operam, in Molucis Inſulis multorum Brachmanum conuerſione inclytam. Poſtea Goæ Tironibus noſtris formandis præfuit, donec anno 1560. in Iaponiam nauigauit. Ibi totos ſeptenos, & tricenos annos, in ſalutem animarum impigritate maxima, quæſtu locupletiſſimo Tonorum, ſiue Procerum, Bonziorum, Doctorum, & promiſcuæ plebis incubuit, ſexcentis interea, (vt fieri aſſolet) obiectus contumeliis, percuſſionibus, periculis necis, ab Infidelibus, à latronibus intentatæ. Ad extremum fracta laboribus valetudine, nec ampliùs par operi Apoſtolico, geſto Collegii Funaienſis Rectoratu, patrii cæli experiendi cauſa Goam regreſſus, ibique cum morbis decennio, admirabili patientiæ exemplo conflictatus, multique meritis cumulatus, ad cæleſtem patriam emigrauit, die 3. Iulii 1607. Scripſit

Epiſtolas varias de rebus Iaponicis ab anno 1565. vſque ad 1576. quæ exſtant Luſitanicè in volumine iuſſu Archiepiſcopi Ebórenſis impreſſo. Eboræ per Emmanuelem de Lyra 1698. in fol.

MEL-

* MELCHIOR GVTTVVIRT natione Bohemus, patria Budvvicenſis, natus anno ſæculi præterlabentis 26. Societati ſe addixit 1644. & votorum quatuor ſolemni ſacramento ſe adſtrinxit. De Eloquentia, & diſciplinis amœnioribus, bene promeritus, vt qui annis amplius 17. eas profeſſus eſt. Præfuit etiam Scholis, & docuit Ethicam, ſuperſtes in Collegio Pragenſi edidit

De Virtutibus Cæſarum XIV. Auſtriacorum. Olomucii typis Ettelii 1649. in 8.

Tempe Bohemię, ſeu famoſiores effigies Deiparę Virginis, quę in Regno Bohemię miraculis clarent Pragæ typis Academicis 1665.

S. Vvenceslai Martyris, & Patroni Bohemiæ Virtutes. Olomucii typis Ettelii 1651. in 8.

Melchiſedecum, Panem, & vinum offerentem Poetico controuerſum. Pragis typis Vniuerſitatis 1669. in 4.

* MELCHIOR HANEL natione Germanus, gente Morauus, patria Cremſirienſis, natus anno à partu Virginis 1627. Societati nomen dedit 1647. & vota quatuor ſolemnia nuncupauit. Poſt traditas quadriennio humaniores litteras, docuit Matheſim, Ethicam, Philoſophiam, Theologiam Moralem, & Polemicam. Dixit ad Concionem aliquot annos Italicè, & præfuit Congregationi Italorum Pragæ, peritus apprimè linguarum Græcæ, Hebraicæ, Italicæ, & Hiſpanicæ, præter Latinam, & Vernaculam, fuitquè Magiſter Nouitiorum. Edidit

Manuale Precum Italicum, vſui futurum Congregationi Italicæ. Pragæ typis Academicis 1663. in 12.

Parabolas Hebraicas Rabbini Barachiæ Niedani latinè à ſe redditas Pragæ typis iiſdem 1661. in 8.

Vitam Franciſci Caietani Latinè redditam ex Italico Alphonſi Caietani. Pragæ typis iiſdem 1668. in 12.

Mirabilem Vitam Venerabilis Virginis Marinæ de Eſcobar Valliſoletanæ, ſcriptam Hiſpanicè à Ven. P. Ludouico de Ponte. Latinè reddidit. Pragæ typis Vniuerſitatis in Collegio Societatis 1672. in folio.

MELCHIOR INCHOFER natione Germanus, patria Viennenſis, admiſſus in Societatem Romæ anno ſalutis 1607. ætatis 23. profeſſionem in ea edidit votorum quatuor. Vir multiplici doctrina clarus. Iuriſprudentiæ dedit operam non pænitendam priuſquàm in Societatem veniret. In ea Philoſophiam, Matheſim, ac Theologiam, tum moralem, tum Scholaſticam diu Meſſanæ cum laude profeſſus eſt. Edidit in lucem opus doctum, hoc titulo

Epiſtola B. Mariæ Virginis ad Meſſanenſes veritas vindicata. Meſſanæ apud Petrum Bream 1630. in folio. Ob hoc opus cum ad S. Congregationem Indicis, à quibuſdam fuiſſet delatus, & Meſſanâ vocatus, coram S. Congregatione comparuiſſet, ea ſe moderatione geſſit, eamque facti ſui rationem reddidit, vt beneuolentiam omnium promeritus ſit, & eam de ſe apud omnes exiſtimationem pepererit, qua meritò videri poſſet hanc eius ad S. Congregationem vocationem, ipſi occaſionem fuiſſe maioris opinionis, & laudis in luce comparandæ. Quare S. Congregatio non ſolùm permiſit eidem dictū opus de nouo edere, mutato tamen iuſtis de cauſis titulo, in hunc modum: *Conieciatio ad Epiſtolam Beatiſſimæ Mariæ Virginis ad Meſſanenſes*, & quibuſdam magis explicatis, vti reipſa edidit Viterbij apud Ludouicum Grignanum 1633. in folio. Sed etiam demendi, & addendi ſi quæ viderentur liberam, & amplam facultatem dedit. Id quod decreto nomine, & auctoritate S. Congregationis adiunctis luculentis eiuſdem encomijs, ſuo Chirographo, teſtatus eſt verbis totidem ipſe S. Congregationis Secretarius Fr. Ioannes Baptiſta Marinus, Ordinis Prædicatorum 1. Maij 1634. Demum poſt multos annos Romæ tranſactos, naturæ conceſſit Mediolani, die 28. Septembris 1648. Alia eius Opera ſunt

Tractatus Syllepticus in quo quid de Terræ Soliſque Motu, vel Statione ſecundum Sacram Scripturam, & SS. Patres ſentiendum quaue certitudine alterutra ſententia tenenda ſit, oſtenditur. Romæ apud Grignanum 1633. in 4.

De Sacra Latinitate, hoc eſt, De varijs linguæ Latinæ myſterijs, ex origine, progreſſu, fine, cæteraque inſtituti ſui ratione, ad Euangelij prædicationem, Latinæ Eccleſiæ exaltationem, Romanique Imperij Maieſtatem ſpectantibus, Lib. 6. Meſſanæ per Placidum Reynum 1635. in 4. Monachii 1638. in 8.

Oratio Funebris Reuerendiſs. P. Fr. Nicolao Ridolphio Ordinis Prædicatorum S. P. A. Magiſtro Romæ apud Grignanum 1639. in 4.

Hiſtoria trium Magorum. Romæ apud Grignanum 1639.

Annalium Eccleſiaſticorum Regni Hungariæ Tom. I. Romæ typis Grignani 1644. in folio.

Alia quædam ipſius prodierunt ſub alienis nominibus R. P. E. L. &c. & ſub nomine Academici Vertumnij, adiectum Prælectionibus Ioannis Baptiſtæ Corteſij.

Poema in Laudem Medicinæ, & contra malos Medicos.

Parauerat prælo ſequentia: *Vitam Sancti Canuti Regis Daniæ Martyris.*

Martyrologium nouis notis illuſtratum tomis aliquot.

Eiuſdem Martyrologij Compendium.

Demonſtrationes Hiſtoricas, Chronologicas, Euangelicas.

Examen Thematum cæleſtium, variorum Aſtronomorum Veterum, & Recentiorum, vſque ad Tychonem: & facillima ratio ſupputandarum Eclipſium.

Theoricam Planetarum. Achiorē Chriſtianū.

Expo-

Expoſitiones in omnes Regulas Iuris in ſexto.

Ideam Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Hungariæ, aliquot voluminibus comprehendendæ.

Tractatum de Legibus ad normam vtriuſque Iuris aliquot opuſculis comprehenſum.

De Perſecutionibus Martyrum; De Defenſionibus Martyrum.

Libros Stromatum, de peregrinis, & curioſis doctrinis.

De more Dei in præmiando, & caſtigando, hæc omnia parabat. Sed mors præoccupauit.

MELCHIOR KNAB natione Germanus, patria Ratolpzellenſis, in diœceſi Conſtantienſi, maturus venit ad Societatem, iam licentiatus S. Theologiæ, & ætatis anno 36. ſalutis humanæ 1597. Sed diligentia ſua penſauit temporis damna. Docuit in ea Grammaticæ rudimenta; & Theologiam Moralem, annis 14. impiger ad ſalutem animarum, Concionatorem egit annis aliquot, & Confeſſarium in Templo aſſiduum, vota quatuor ſolemnia profeſſus. Quotidie præter Sacrum, quod ipſe faciebat, tria alia genibus connixus audiuit; ſibi rigidus, ſumma hyeme, remota culcitra plumea, ſtragulę laneæ in frigido cubiculo ſolebat indormire, & Religioſam diſciplinam conſtanter coluit. In tradendis Exercitijs S. P. N. Ignatij admodum dexter, Cænobitis plurimùm profuit. Poſtremo in morbo mirificè patiens, nulli moleſtus, Deo coniunctus, cæleſtia dudum ſuſpirans, deceſſit Eberſpergæ, die 15. Septembris 1638. Scripſit

Conſcientiæ amuſſim. Monachij 1622.

Arcam Auream. Ibidem 1628.

MELCHIOR NVNNIVS BARRETVS, quem NONIVM, & NVNNEZ alij appellant, natione Luſitanus, Domo Portuenſis, Ioannis Nunnij Barreti, qui deceſſit Æthiopiæ Patriarcha, germanus frater, parentes habuit locupletes, & familiæ nobilitate per Luſitaniam claros, qui præter hos duos, tertium etiam Alphonſum Barretum Societati dederunt, virum etiam ipſum robuſtiſſima virtute nobilem. Melchior ab ineunte ætate coluerat ſtudia litterarum Conimbricæ, iamquè in Iuris Pontificij diſciplina eos proceſſus fecerat, vt doctoratui capeſſendo proximus eſſet, cum per inſignia Sociorum exempla, & intimas animi à Deo motiones incitatus, Societatem à Simone Rodericio expetiuit; a quo cum iuſſus eſſet lauream priùs Doctoralem accipere, anno ſalutis 1543. in numerum Sociorum primus Scholaſticorum Conimbricenſium admiſſus eſt, cùm excelſam ſuam virtutem egregio facinore palam feciſſet. Nam quo, die Doctoris inſignibus ornatus eſt, grauiſſimo ſeptus Academicorum comitatu cum ad Collegium veniſſet, iuſſus eſt à Simone pallium deponere, vilem attritamquè lacernam aſſumere, & mediam per Vrbem, ſublatum humeris veruecem dono ferre Theologiæ Profeſſori, cuius patrocinio fuerat in Doctoratus actu vſus. Paruit ille promptiſſima conſtantia, & Profeſſorem attonitum ſpectaculi nouitate, docuit ſui tentandi, faſtuſque deprimendi gratia, more maiorum, id à ſe inſtitutum; quod proinde vellet boni conſulere. His fundamentis Melchior altiſſimum impoſuit Sanctitatis ædificium. Primum quidem toto conatu incubuit, ad Ioannem fratrem ſuum Societati lucrandum, haud infelici ſucceſſu. Mox cùm diſtincta in ſuos omnes gradus Societas eſſet, & ab Simone Rodericio propoſitum Conimbricenſibus Socijs, vt quem quiſque gradum adamaret ſcripto ederet, Melchior æquata in lance ad omnia ſe eſſe reſpondit: Si tamen Profeſſio plus aliquid dignitatis, aut gratiæ apud homines, aut commoditatis ferat, malle ſe adiutorum temporalium eſſe coquum, ſi plus afferat perfectæ virtutis, plus crucis, plus tolerantiæ dedecorum, iniuriarum, plus ærumnarum atque periculorum ad excolendam Domini vineam, & propagandam, ſe quidem talia cupere. Anno 1551. multis maximiſque defunctus in mari periculis Goam Orientalis Indiæ Metropolim, Septembri menſe peruenit; vbi concionibus ad populum habendis operam continuo ſuam explicuit. Anno vertente profecturus in Iaponiam S. Franciſcus Xauerius deſtinauit Bazainum, deſignauitquè Gaſpari Barzæo, quem Prouinciæ vniuerſæ præfecerat, ſi quid illi contingeret humanitus, ſucceſſorem. Ex ea deſignatione accitus Bazaino eſt, Gaſpare ſublato anno 1553. & quamuis vota Profeſſorum nondum conceperat, Sanctus Ignatius tamen, vt ea conciperet, admonuerat per litteras. Sed Melchior cùm ex Societate nullus eſſet, qui ſe profitentem exciperet, & Goanus deceſſiſſet Antiſtes, cæremoniam illam diſtulit non inuitus, eamquè moram maximo in lucro poſuit, quod diceret ſacrificium ſuæ Profeſſionis, Pœnitentiæ ſibi lacrymis interim expiandum. Incredibilem vero cæpit animo voluptatem, cum ad eum Societatis gradum ſilens ipſe lectus eſt ab Ignatio, non quod id quaſi honoris vocabulum ambitioſiùs expeteret, ſed quod aiebat ea Beati Viri lectione, indicioquè auctam ſibi ſpem eſſe diuinæ lectionis, prædeſtinationiſquè. Anno inſequente ne per mortem Xauerij conuertendorum ad Chriſtum Iaponum ſtudia Sociorum relangueſcerent, ſtatuit ipſe in Iaponiam, Indiæ tantiſper Prouincia alteri commiſſa proficiſci. Poſt multa pelagi incommoda, tempeſtateſquè cùm perueniſſet Malacam, coactus eſt opinione diutiùs ibi perſiſtere, nullam nactus in Iaponiam nauigandi opportunitatem. Ergo ad ſalutem Malacenſium conuerſus, quotidie ſemel, & iterum, veteri ex Inſtrumento, Nouoque, Sacras litteras ſtatuit explicare; diebus ſacris ante poſtque meridiem conciones habere; quarta quaque feria ad Ædem miſericordiæ dicere; ſexta Dauidi-

uidicos Pſalmos de Pœnitentia explicare. Suus quoque erat emendicandæ ſtipi dies. Suus valetudinario inuiſendo. Demum Aprili menſe anni 1555. Malaca progreſſus, defunctuſquè prædonum, ac maris periculis, Sancianum primum appulit, & locum, qui Xauerium morientem viderat, piè veneratus eſt. Inde in Vrbem Sinarum bis excurrit, tentaturus num quem poſſet cæcis illis Gentibus radium Euangelicæ lucis inferre. Verùm promulgandæ nouæ legis poteſtate, nondum facta, non tulit laboris fructum. Ceterùm cùm fluxiſſet iam illi biennium, irrito Iaponicæ nauigationis conſilio, decreuit in Indiam remeare. Sed litteris à Firandenſi Rege inuitatus, ne propagandæ Religionis occaſionem apud Iapones tanto quæſitam impendio, dimitteret, vela in Iaponiam conuertit. Verùm vbi Bungum appulſus, omnia bellorum tumultu inuenit afflicta, & Euangelicæ inidonea ſementi, nullo tanti laboris pretio facto, renauigauit in Indiam. Ibi cum ſucceſſiſſe ſibi deſignatum ab Ignatio Conſaluum Siluerium deprehendit, ſolemni profeſſione emiſſa, ad extremum annum 1557. Cocinum abijt ei domicilio præfuturus, ac poſt paulò Æthiopiæ, ſi forte in eam iter expediretur deſignatus eſt Prouincialis. Verùm impedito itinere Æthiopico, diu rexit Collegium Cocinenſe, & poſtea Prouinciam Indiæ aliquamdiu adminiſtrauit. Vir varia doctrina rerum Diuinarum pollens, magnique tota India nominis atque vſus. Tandem poſt multos terra, mariquè labores pro Chriſto exantlatos ad ſudorum præmia ex hac vita euolauit Goæ anno 1571. Scripſit

Epiſtolas ex Indijs, Sina, Iapone IV. quas, qui collegerunt Epiſtolas Indicas recitant. Digeſſit etiam

Catechiſmum

MELCHIOR TREVINNIVS natione Hiſpanus, gente Nauarrus, patria Geneuilanus, viginti, & 4. annos natus abſolutis Philoſophiæ, ac Theologiæ ſtudijs Sacerdos ad Societatem acceſſit Valliſoleti anno ſalutis 1578. die 20. Iunii, & vnius diei dumtaxat Tiro miſſus eſt ſubſequenti die, à ſuperioribus in Germaniam ad Prouinciam Auſtriç, vbi Tirocinium in Domo probationis Brunæ abſoluit. Humanioribus litteris leuiter tinctus fuit, ſed ſeuerioribus probè inſtructus. Docuit publicè Philoſophiam circiter ſexennio, Moralem Theologiã annis 14. Pragenſe Collegium ſexennio cùm laude rexit. Regum Hiſpaniç ad Cæſares Oratoribus plerumque à confeſſionibus fuit; Vir candidiſſimi moris, & priſcç probitatis, quique ad omnem virtutem cunctis prçibat exemplo: Cùm tibiam calcari leuiter fauciaſſet, humoribus eò prouocatis, poſt trimeſtrem ægrotationem perceptis rite Sacramentis piè defunctus eſt Pragæ, die 28. Septembris anno 1028. ætatis 77. Profeſſionis quatuor votorum 36. primus in Templum Domus Profeſſæ Pragenſis illatus e Socijs. Tranſtulit Latine ex Hiſpanico

Ludouici de Ponte opera penè omnia

Hiſtoriam de Cruce Carauacenſi ex Hiſpanico Ioannis de Robles *redegit in Compendium Latinum.* Auguſtæ 1619.

MELCHIOR DE VILLANVEVA natione Hiſpanus, patria Villa-Rubia diœceſis Toletanæ, Societatem complexus anno ſalutis 1568. ætatis 21. tria vota ſolemnia profeſſus eſt; multis annis Concionatorem egit, & cum magno pietatis ſtudio in Societate vixit, vtilis ad ſalutem proximorum. Deceſſit Toleti die 7. Iunij 1606. Scripſit Hiſpanicè librum inſignem

De Oratione Mentali. Toleti apud Petrum Rodriguez 1608. in 4.

METELLVS CARACCIOLVS natione Italus, patria Neapolitanus, clariſſimo ſanguine ortus. Vir doctiſſimæ ſimplicitatis, ſummus ſui rerumque fluxarum contemptor, Societatem anno 1593. ætatis 17. ingreſſus, & vota 4. ſolemnia profeſſus Sacras litteras interpretatus eſt, & ad populum pro concione diu dixit. Deſijt inter mortales viuere, Neapoli die 5. Decembris 1651. Parauerat prælo, ſed morte præuentus non edidit

Commentarios in Iſaiam Prophetam Tomis III.

MICHAEL ALFORDVS natione Anglus, patria Londinenſis, natus anno ſæculi proximè euoluti 87. Societati nomen dedit voluentis 7. in Belgio, decurſis priùs Philoſophiæ ſtudijs in Hiſpania, & Theologiæ nauauit operam in Collegio Societatis Louanienſi. Romæ quinquennio Pœnitentiarij Pontificij munere functus eſt ad Vaticanum & votorum quatuor profeſſionem emiſit. Miſſus in Angliam capitur Dorobernij, Magiſtratui ſiſtitur, Londinum abducitur, ſed interuentu Reginæ Mariæ Henriettæ liber dimiſſus eſt. Triginta & amplius annos vineam illam gnauus operarius impigre excoluit, & Rector Collegij (quod vocant) Immaculatæ Conceptionis diù præfuit. A Congregatione Prouinciæ habita in Anglia, bis delectus eſt vt adiret Romam, ſemel vt Procurator; altera vice vt Elector futuri Generalis in Congregatione nona. Tandem anno ſeculi currentis 52. tranſmittens denuò in Belgium, vt operi ſuo De Hiſtoria Eccleſiaſtica Anglicana ſupremam manum imponeret, lenta correptus febri ad brauium laborum euocatus à Deo eſt Audomaropoli die 11. Auguſti. Singulari veneratione ferebatur erga Sacra Chriſti vulnera, & quotidie viginti & duorum annorum ſpatio ante obitum, in vnum ex illis irrepere ſolebat mente, atque in illo per illum diem quaſi habitare. Vnde quatriduo ante exitum, quendam ex aſſiſtentibus rogauit, vt deficiente tunc quotidie memoria ſua quotidie ſuggereret, quodnam ex vulneribus ſibi ingrediendum eſſet, atque ita per vulnus in latere Chriſti ingreſſus eſt (vt fas eſt cre-

credere) in gaudia Domini. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ gentis ſuæ ad faciliorem confutationẽ Hæreticorum ſtudioſiſſimus,edidit in lucem

Britanniam illuſtratam, ſiue Lucij, Helenæ, Conſtantini patriam, & Fidem cum Appendice de tribus hodie controuerſis, De Paſchate Britannorum, De Clericorum Nuptijs,& num olim Britannia coluerit Romanam Eccleſiam. Antuerpiæ typis Chriſtophori legers 1641. in 4.

Annales Eccleſiaſticos Britannorum, Saxonum, & Anglorum à Chriſto nato vſque ad annum 1189. Tomis 4. comprehenſos opus multarum vigiliarum ad aſſerendam veram fidem Romanam ex Regum factis, & rebus Sanctorum geſtis in Britannia. Inſcripti ſunt his titulis

I. *Fides Regia Britannica, ſiue Annales Eccleſiæ Britannicæ per quinque prima ſæcula*. Leodij typis Ioannis Matthiæ Houij 1663. in folio.

II. *Fides Regia Anglo-Saxonica, ſiue Annales Eccleſiæ Anglo-Saxonicæ, ab anno Domini* 500. *vſque ad* 800. Leodii iiſdem typis anno, & forma.

III. *Fides Regia Anglicana, ſiue Annales Eccleſiæ Anglicanæ ab anno Domini* 800.*vſque* 1066. Ibidem iiſdem anno, & forma.

IV. *Fides Regia Anglicana, ſiue Annales Eccleſiæ Anglicanæ ab anno Domini* 1066. *ad* 1189. Ibidem iiſdem anno, & forma.

* MICHAEL DE ALMEIDA natione Luſitanus, patria Oppido Gouuea, adoleſcens 16. annos natus, Societati ſe applicuit Goæ, anno ſæculi labentis 23. ibique ſtudia omnia Humaniorum litterarum, Philoſophiæ, ac Theologiæ cum laude abſoluit, & poſtea profeſſionem votorum 4. emiſit. Operarius in Reſidentiis Salſettanis annis 13. Rector Collegii Racholenſis deinde Goani, poſtea Prouinciam totam adminiſtrauit. Eo defunctus Magiſtratu, iterum in vineam Salſetanam redijt, ibique annos amplius 66. natus in erudiendis Neophytis, & imbuendis pietate aliis nauiter laborat. Concannicum idioma, cuius ibi vſus eſt, excellenter didicit, atque ea in lingua Tomos V.Edidit typis Collegii Goani quorum

I. *Continet Explicationem Cathechiſmi ad populum erudiendum ſingulis anni diebus Dominicis.*

II. *Complectitur Narrationes Exemplorum, & miraculorum in confirmationem Myſteriorum Fidei, quæ in Cathechiſmo explicantur.*

III. IV. & V. *Continent Conciones pro diebus Feſtis Chriſti B.Virginis, & Sanctorum*. Goæ typis Collegii Societatis Ieſu 1658. in 8.

Præterea prælo parata habet opera alia eodem idiomate, nempè

Concionum omnium, quæ haberi ſolent toto anni tempore in Eccleſijs Salſetanis in diebus Feſtis. Tom.I.

Concionum, quæ haberi ſolent ibidem tempore Quadrageſimæ. Tomum alterum,

Vocabularium noſtri Benedicti Pereiræ in linguam Concanicam conuerſum.

* MICHAEL DE AVENDANO ESTENAGA natione Hiſpanus, patria Guipuzcoanus diœceſeos Pampilonenſis, editus in lucem anno ſæculi fluentis 18. Societati nomen dedit 1635. & profeſſionem votorum 4. emiſit. Poſt traditas humaniores litteras,Philoſophiam docuit quadriennio, Theologiam Scholaſticam annis 12. Rexit Collegia Compoſtellanũ, Legionenſe, Valliſoletanum S.Ambroſii,& in hoc nunc vacat miniſteriis Societatis. Edidit Hiſpanico idiomate

De Perfectione Status Religioſi. Valliſoleti apud Ioannem de Rueda 1674. in 4. & de eodem argumento duos alios Tomos ſimiles habet paratos lucem breui, Deo fauente, etiam aſpecturos. Vulgauit etiam typis latine

De Diuina Scientia, & De Prædeſtinatione duobus tomis in folio. In oppido S.Sebaſtiani apud Martinum de Vgante 1674. Et elaboratum iam habet alterum ac prelo paratum

De Fide, Iuſtificatione, & Merito.

MICHAEL CARDANEVS natione Germanus, gente Saxo, diœceſis Naumbergenſis, Vir Apoſtolici zeli, & feruoris, & conuincendis conuertendiſque Hæreticis ſingularem à Deo gratiam conſecutus, Societati vicennis ſe addixit Pragæ anno ſalutis 1561.& decurſis feliciter Philoſophiæ, ac Theologiæ ſtudiis, Viennæ Auſtriæ Concionatorem egit, tum datis ad Præpoſitum Generalem ardentiſſimis litteris, facultatem expreſſit tendendi in Saxoniam, ipſum Ducem cum Coniuge conueniendi, diſpiciendique, num quà pateret ad Catholicam Religionem in eas terras reuocandam via. Inſtructus eſt, idoneis ad rem litteris ab Sereniſſimo Bauariæ Duce Guilielmo, eiuſque auſpiciis in eam Prouinciam velut Bauari Principis Eccleſiaſtes ingreſſus eſt. Cæterùm cum ludi videret operam, primùm reuertit in Bauariam, vbi rem Catholicam paſſim, ſed Ratisbonæ imprimis egregiè promouit. Mox in Styriam tranſgreſſus Sereniſſ. Principe Carolo Archiduce flagitante, magnis laboribus, atque incommodis, nec ſine capitis periculo, Ciuitates aliquot in ſinceram Religionem reſtituit; buccinatores Hæreticos vndique exegit, Senatores Orthodoxos inſtituit; bonos Paſtores impoſuit. Purgatis Furſtenfeldia, & Hartſperga, dum paria molitur Petouii in febrim incidit, quæ reuectum Græcium, paucis diebus extinxit Cal. Iulii anno 1590. Scripſit

Opuſcula varia contra Hæreticos.

MICHAEL COYSSARDVS natione Gallus, gente Aruernus, patria Beſſanus in diœceſi Claromontana natus eſt 27. Septembris anno 1547. annum ætatis agens 15.in Societatem admiſſus eſt die 8.Septembris à P.Paſchaſio Broeto,vno ex primis Societatis decem viris, & primo per Gallias Prouinciali,ſuffra-

gante etiam Hieronymo Natali Commiſſario Generali. Vir fuit ad Humaniores litteras docendas, nec minùs ad gubernandum peraptus. Artem dicendi perdiù profeſſus eſt Pariſijs, vbi & ſtudiorum Præfectus fuit. Rexit non paucos annos Collegia Lugdunenſe, & Turnonium, primùſque Rector fuit Anicienſis, Biſuntini, & Viennenſis in Delphinatu; Denique Vice Prouincialis Præpoſiti officio ſapientiſſimè functus eſt anno 1594. difficillimis temporibus, & ſæua per Gallias in Societatem excitata tempeſtate. Fuit magna morum comitate, & humanitate præditus, indefeſſi laboris, vtpotè qui effæta etiam ætate octonas ſæpe horas continenter ieiunus Confeſſiones exciperet, Eccleſiæ ieiunia religiosè ſeruaret, excitatoris matutini diligentiam, vel media hyeme præuerteret, cibos peculiares à Superiore appoſitos præ communibus repudiaret. Cùm ex purulenta lue circa eas partes enata; quas oculis pudor ſubducit, acerrimos dolores cum præſenti vitæ periculo pateretur, maluit vitam perdere, quàm pudorem prodere. Sed diuina benignitas eum ſeruauit, nam voto B. Virgini nuncupato valetudini reſtitutus eſt. Quidquid otij nanciſcebatur, id pijs libellis ſcribendis, ægrotis inuiſendis, carceribus & noſocomiis adeundis tribuebat. Dicere ſolitus erat; nulla ſe ita cogitatione refici, ac mortis memoria: nolle ſibi porrò in extremo agone importuniùs obtrudi Dei ſeueritatem, quando Domino benigniſſimo à prima ætate ſine fuco ſeruierit. Obijt plenus dierum, ac meritorum Lugduni die 10. Iunii anno ſalutis 1623. ætatis 76. Religionis 62. Prohiberi non potuit, quin ipſius capillos, ac veſtes permulti carperent ad venerationem. Certè fuerunt, qui dicerent grauiſſimis ſe, & inueteratis animi moleſtijs, & tentationibus interpoſita P. Michaelis apud Deum gratia eſſe liberatos. Edidit vt rem litterariam amplificaret

Theſaurum Virgilij in locos communes digeſtum Poetices ſtudioſis perutilem. Lugduni, & Turnoni ſæpiùs

Tabulas Figurarum & Vitiorum Orationis, Virgilianis exemplis illuſtratas. Pariſiis, Turnoni, & Lugduni.

Commentarios in M. Tullij Partiones. Auditoribus ſuis olim Lutetiæ 1576. dictatos iuſſus eſt recognoſcere.

Litanias Lauretanas aliaſque in ſingulos hebdomadæ dies ad B. Virginis laudem, ex Sacra Scriptura ſanctiſque Patribus conflatas cum Notis muſicis in lucem emiſit. Pariſiis per Thomam Brumennium

Præterea vt turpibus cantilenis abrogatis honeſtæ ſuccederent, complexus eſt verſibus Gallicis facillimis leniter fluentibus, & ad modulos aptis.

Cathechiſmum totamque Doctrinam Chriſtianam Libris II. adiunctis Hymnis, & Canticis Spiritualibus à ſe Gallicè redditis, quæ cum muſicæ notis primum Lugduni, Ioannes Pilehotte 1591. deinde Antuerpiæ Ioachimus Trognæſius 1600. rurſumque Pilehotte 1601. excudit abſque notis verò alij, Toloſæ, Turnoni, Bruntrutri, Dolæ, Rothomagi 1609. Edidit quoque

Epiſtolam de Vtilitate, & Fructu canendi res pias.

Nicotij Dictionarium Gallico-Latinum infinitis propè Dictionibus locupletauit. Lugduni apud Ioannem Philehotte 1609.

Reddidit Gallicè ex Italico multos

Gaſparis Loartis libellos pios, eum Annotationibus excuſos Pariſiis, & Lugduni. Ex Scotico

Interrogationes ad Sectarios Prædicantes Ioannis Hay Scoti noſtri. Ex Latino

Summarium Conſtitutionum, Regulas communes Societatis Ieſu, & Epiſtolam S. P. N. Ignatij, De Obedientia. Item

Permulta Iaponica.

* MICHAEL CVVELIER natione Belga, natus Sonegi in Hannonia anno ſæculari 1600. Societati ſe addixit Mechliniæ 1618. & poſt traditas humaniores litteras deſtinatus in Prouinciam Rhenanam pro Saxonia, Theologiam in ea abſoluit, & votorum 4. profeſſionem emiſit. Docuit Matheſim, Ethicam, Philoſophiam, & adiunctus Sereniſſimo Principi Neoburgico Philippo Vvilhelmo, primùm à diſciplinis Mathematicis, deinde à Sacris Confeſſionibus, ſecutus illum eſt ad Cæſarem, ad Regem Poloniæ, & in Belgium ſemper religioſæ vitæ, & regularum, quoad licuit obſeruans. Demum tabe exhauſtus illuſtria humilitatis, patientiæ, reſignationis, pietatis ſolidæ, & amoris erga vocationem exempla poſt ſe reliquit, & iteratis vſque ad extremum ſpiritum voce ſemimortua actibus virtutum deceſſit Coloniæ die 10. Decembris 1651. Edidit latinè

Annonam Spiritualem, ſeu Meditationes ſuccinctas per anni Curſum. Coloniæ apud Ioannem Kinckium 1646. in 16. Recuſum ibidem, & Antuerpiæ cum auctario 1668.

Solitudinem Philagiam. Latinè ex Gallico noſtri Pauli Barrij. Monachii apud Nicolaum Henricum 1646. in 12.

Triduum einſdem P. Barrij. Monachii typis Lucæ Straub 1646.

Circum Perfectionis ex Gallico P. Suffrenij. Monachii apud Vvagner 1646. in 12.

Ideam Viri Apoſtolici Aulæ. Coloniȩ apud Kinckium 1650. in 16.

Viam Veritatis ad Vitam, ſeu Exercitia Spiritualia, ex Gallico noſtri Iuliani Haynouij. Coloniæ 1651. in 12. Recuſam correctiùs Antuerpiæ typis Cornelii Vvons 1652.

MICHAEL EISELINVS natione Germanus, patria Gamundianus in Sueuia, abſolutis Romæ in Collegio Germanico ſtudijs, & iam Sacræ Theologiæ Doctor, acceſſit ad Societatem anno ſalutis 1584. ætatis 26. & vo-

ta IV.

ta iv. ſolemnia emiſit. Philoſophiam in ea triennio Theologiam 21. annis profeſſus eſt Dilingæ & Ingolſtadij, ingenti plauſu atque fructu. Fractas porrò laboribus vires dum ex Medicorum conſilio, aëris mutatione inſtauratum pergit, ictus apoplexia propè Conſtantiam migrauit ad Dominum die 16. Nouembris 1613. Edidit

Diſputationes Theologicas de Diuina gratià.

* MICHAEL DE ELIZALDE natione Hiſpanus, patria Echalarenſis in Diœceſi Pampilonenſi, natus anno ſæculi voluentis 19. Societatem complexus eſt 1635. die 30. Aprilis, & votorum 4. Sacramento ſe adſtrinxit. Docuit humaniores litteras, Philoſophiam & decem annis Theologiam Scholaſticam partim Valliſoleti, partim Salmanticæ, partim Romæ; Vnde valetudinis inſtaurandæ cauſa miſſus Neapolim, ibi Collegium S. Franciſci Xauerij nuncupatum, gubernauit, & ſtudijs noſtrorum in Collegio maximo aliquamdiu præfuit. Redux inde in Hiſpaniam Valliſoleti præfecturam ſtudiorum aliquamdiu geſſit. Edidit dum Neapoli degeret

Formam veræ Religionis quærendæ & inueniendæ. Neapoli apud Hyacinthum Paſſarum 1662. in 4.

MICHAEL DE ESPINOSA natione Hiſpanus, patria Alquifenſis in diœceſi Guadixienſi ſeu Accicana, adoleſcens annorum 14. Societati ſe ſe tradidit anno ſæculari 1600. & vota 4. profeſſus eſt. Hiſpali Ariſtotelem, Granatæ S. Thomam Aquinatem annos quindenos eſt interpretatus tanto plauſu, vt Magiſter Magiſtrorum habitus fuerit & paſſim dictata eius expeterentur, & deſcriberentur. S. Inquiſitioni à Cenſuris, ſeu, vt vocant, Qualificator, fuit. Vir omnino humilis & religioſa puritate non minus quàm litteris conſpicuus; ſibi vni rigidus carnem domabat aſpero Cilicio, dormiebat ſuper aſſerem, & calceis lapillos inſerebat. Paupertatis ſtudio nihil vnquam admittebat ad corporis curam, quod lautitiam ſaperet aut elegantiam præ ſe ferret. In demortui cubiculo, nihil præter pauculas icunculas ad breuiarij diſcrimina à diſcipulo obtruſas in vniuerſo eius cenſu repertum eſt. Ieiunabat tres dies per hebdomadam, & interdiu inuiſebat crebrò Sanctiſſimum Sacramentum, à quo tamquam à fonte hauriebat amorem colligendi ſe in conclaui, vires ad labores, & tantam propoſitorum puritatem, vt morti proximus affirmarit ſe nihil in ſuis ſtudijs vel operibus alijs quæſiuiſſe præterquam Soli Diuinæ Maieſtati placere. Iuſſus fuerat à Superioribus in lucem dare ſuos in totam Theologiam Commentarios, ſed ſpes magnas, quæ de ijs conceptæ fuerant, mors immatura abrupit Granatæ die 23. Octobris 1630. Exequias defuncti celebrarunt ſigillatim Tribunalia vniuerſa, Religioſi ordines & Nobiles primarij, quia apud omnes fuerat in magna veneratione & opinione Sanctitatis reliquit idonea prælo

In Primam Partem S. Thomæ volumina duo

MICHAEL FERNANDEZ natione Hiſpanus, patria Toletanus ex Oppido Mora ingreſſus eſt Societatem anno ætatis 19. ſalutis verò 1561. Is Sanctiſſimæ Virginis Leocadiæ oſſa ex inferioris Germaniæ S. Gisleni Abbatia, iuſſu Gregorij XIII. Pont. Max. & Philippi II. Hiſpaniarum Regis Catholici in Hiſpaniam tranſtulit, ipſique Philippo Regi, & Gaſpari Quirogæ Cardinali Archiepiſcopo Toletano in manus Toleti tradidit. Profeſſus fuit 4. votorum, & poſt quadraginta in munere Confeſſarij nauiter impenſos annos, religioſè deceſſit Toleti in Septembri 1609. Conſcripſit materna lingua

Vitam, martyrium, & Hiſtoriam Translationis S. Leocadiæ Virginis, & Martyris è Belgio in Hiſpaniam. Toleti apud Petrum Rodriguez 1591. in 8.

* MICHAEL GINKIEVVICZ natione Polonus gente Samogita, natus annos 21. Societati ſe inſeruit anno ſæculi decurrentis 15. & profeſſionem iv. votorum edidit. Poſt explicatas in ſcholis diſciplinas humaniores, docuit Philoſophiam, Theologiam Scholaſticam, Moralem, Polemicam, & Sacras litteras eſt interpretatus, magna vbique commendatione doctrinæ, Pœnitentiarium Summi Pontificis Romæ ad Vaticanum Septennio egit. Rexit Collegia Neſuiſienſe, Vilnenſe, & Domos profeſſas Varſauiæ, & Vilnæ multa cum laude prudentiæ & caritatis. Conciones ſubinde ad populum habuit, tanta zeli Apoſtolici contentione, vt inter dicendum venam ſibi pectoris ruperit. Pro Sacro tribunali ad excipiendas fidelium Confeſſiones perdiu, quaſi cibi, & ſomni immemor excubabat. Demum laboribus & annis fractus, mortalitatem exuit in Vilnenſi Collegio quod tunc regebat die 4. Auguſti 1663. magna relicta apud omnes de ſua Sanctitate opinione, adeo vt Religioſi varii aliorum Ordinum non inuitati, vltrò ad corpus eius deferendum concurrerint, & ipſe Illuſtriſſimus Epiſcopus Vilnenſis cum Præſulibus ſuæ Eccleſiæ Pontificali ritu funus deduxerit, ſacriſque operatus fuerit, & poſtea ſub veſperam extorſerit à Vice-Rectore Collegij, vt eam noctem in defuncti cubiculo tranſigeret, eoque impetrato, ex veneratione Patris ad ſpondam lecti pernoctarit. Edidit Polonice tractatus aliquos, & conciones, nempe

Medicinam de Cælo contra morbos duplicis linguæ. Vilnæ typis Academicis 1649. in 4.

Conciones Funebres in exequijs Roſcialkovvski & Sophiæ de Druk. Vilnæ typis Academicis 1648. & 1649. in 4.

Latinè vulgauit

Rationes ſeptem ob quas Sacerdotes ſæculares

res

res obligantur ad vitam cum maiore virtute ducendam. Vilnæ 1651. in 8.

Reliquit paratas ad typos latine

Conciones in Pſalmum de Profundis, & in Epiſtolas Dominicales per annum

MICHAEL GOMEZ natione Hiſpanus gente Aragonius, ex oppido Villalonga haud Bilbili procul, Compluti ad Societatem acceſſit vndeuicennis anno Domini 1582. A tirocinio miſſus in Bæticam Philoſophicis ibi ſtudijs ac Theologicis imbutus eſt. Inde in Aragoniam redux Gandiæ explicuit Philoſophiam. Verùm cùm ſe ſentiret ad Philippinas à Deo trahi, profectionem eam petijt & impetrauit. Ibi Pictorum Inſulas per multa luſtrauit incommoda, & fidei lumine illuſtrauit. Manilæ ſubinde Ariſtotelem, & S.Thomam per annos 20. explanauit ab hominum conſuetudine prope ſemotus. Eluxit in eo paupertatis & obedientiæ ſtudium, ſed eximium præ omnibus Caſtitatis, cuius aſſertor, & cuſtos fuit oculatiſſimus. Obijt magna probitatis & doctrinæ opinione collecta Manilæ die 28. Decembris anno ſalutis 1622. ætatis 60. Religionis initæ 40. Profeſſionis 4. votorum 21. ſcripſit

Commentarios in vniuerſam Summam Theologiæ S. Thomæ Tom. IV. quorum cum ſecundus Romam fuiſſet allatus ad Cenſuram, iudicatus eſt, luce digniſſimus, & iuſſi quoque ſunt examinari cæteri, vt in lucem ederentur.

MICHAEL GRISIVS natione Belga, patria Antuerpienſis natus anno ſæculi exacti 95. tirocinium Societatis ingreſſus eſt currentis 14. & ſolemnem votorum 4. profeſſionem emiſit. Græcas litteras & latinas docuit ſexennio, & ſæpe diſcipulos adhortationibus pijs ad timorem Domini incitabat. Reliquum fere ætatis concionibus ad populum habendis, & Confeſſionibus excipiendis magno zelo exegit. Pluſquam vigeſies per Quadrageſimam dixit, atque vltimis vitæ ſuæ annis, quantumuis podagricus alacri tamen animo ad Cathedram concionatoriam, & ad Confeſſionum Tribunal, prout poterat baculo, & ſocij manu ſuffultus prorepebat. Monitus ne plus æquo laboraret, repoſuit, Hominem Societatis laborare oportere vſque ad defatigationem. Ingraueſcente porro malo, cum de Superiorum voluntate per aliquod tempus à Concionibus abſtinuiſſet, quaſi longioris quietis in hac vita impatiens, vltrò ſe ad inſtantem Quadrageſimam obtulit, obtentaque venia ſic eam expleuit, vt non tantum ad defatigationem laborarit, ſed paulo poſt ad quietem Cælitum (vt ſperamus) & laborum præmia tranſierit; mox enim ad dolores podagræ acceſſerunt, ſtomachi faſtidia, & reſpirandi difficultas, atque ita vir multis meritis cumulatus, regularis obſeruantiæ perquàm ſtudioſus, omnibus charus, & Sacramentis Eccleſiæ, quæ tempeſtiuè poſtulauerat, ritè præmunitus ex ærumnoſa hac vita ad Beatorum Sedes, vti par eſt credere, euolauit Bruxellis die 8. Iulij 1651. edidit tacito ſub nomine libellum hoc titulo

Honor S. Ignatio de Loyola Societatis Ieſu Fundatori, & S. Franciſco Xauerio Indiarum Apoſtolo per Gregorium XV. inter Diuos relatis; habitus à Patribus Domus Profeſſæ, & Collegij Societatis Ieſu Antuerpiæ die 24. Iulij 1622. Antuerpiæ ex Officina Plantiniana illo ipſo anno in 8.

MICHAEL HIERONYMVS natione Hiſpanus, patria Hiſpalenſis poſt quadriennium ſtudio legum atque Canonum impenſum, admiſſus Romæ in Societatem anno ſalutis 1580. ætatis ſuæ 26. Philoſophiam, & Theologiam audiuit in Collegio Romano, & vota 4. ſolemnia profeſſus eſt. Docuit Theologiam Moralem, & multis annis Romæ & per Italiam non ſine fructu concionatus, demum ſeptuagenario maior Romæ obijt 24. Decembris 1629. Edidit Italicè

Epiſtolam ſpiritualem de modo conſequendi perfectionem Religioſam ad Virginem Monialem. Florentiæ apud Bartholomæum Sarmartellum 1625. in 8. Item alteram

Epiſtolam de modo parandi ſe ad Profeſſionem Religioſam, ad Nouitiam. Romæ typis Zannetti 1625. in 8.

Diſcurſum de Excellentijs & Prærogatiuis S. Ioſephi. Ibidem 1627. in 8.

Conſiderationes idoneas ad ingenerandum affectum ad B. Virginem Mariam. Romæ apud Franciſcum Caballum 1627. in 8.

MICHAEL IVLIANVS natione Hiſpanus, patria Valentinus, nobili loco natus ad Societatem venit adoleſcens annorum 22. anno ſalutis 1579. In ea ſexennio gubernauit Collegium Gandienſe, triennio Ilerdenſe, ac triennio Balearium, magno ſui poſt ſe relicto deſiderio apud omnes, erat enim placidiſſimis moribus, & indole ſuauiſſima. Vixit ſemper cum magno virtutum exemplo, & obſeruantiæ religioſæ. Concionibus operam dedit magno fructu audientium, & Miſſionibus. Obedientiæ, humilitatis, & reuerentiæ in Superiores, & candoris in conſcientia ſua illis exponenda laudem tulit. Beatiſſimam Virginem eiuſque imprimis Immaculatam Conceptionem peculiari ſtudio coluit, eam præuenire ſolitus ieiunio pane & frigida definito, & obſeruare quidquid ab alijs ſcriptum ad eius cultum inueniebat. Omnes Magnæ Virginis feſtiuitates peculiaribus pietatis & mortificationis exercitijs celebrabat. In ſe fuit apprimè rigidus; dolebatque vnicè corporis infirmitate impediri ſe, ne pœnarum quod conceperat deſiderio ſatisfaceret. Pluribus annis ter hebdomadatim ieiunauit. Demum Sacramentis ritè perceptis diem ſuum obijt Valentiæ 3. Octobris anno ſalutis 1621. ætatis 64. Religionis 42. ab emiſſa votorum 4. profeſſione 23. Scripſit compendio cum Maioricæ Rector Collegij eſſet

Narra-

Narrationem vitæ & mortis Alphonſi Rodriguez Coadiutoris Temporalis Societatis Ieſu.

* MICHAEL KRASVSKI natione Polonus, è Volhinia, natus anno ſæculi præter fluentis XXI. Societati ſe addixit 1645. atque in ea Rhetoricam decennium profeſſus eſt; Conciones multis annis habuit, nunc in Præmislienſi Collegio præeſt Scholis, & Theologiam Moralem explicat, Edidit librum Lyrico carmine de laudibus B. Virginis hac Epigraphe

Regina Poloniæ, Virgo Mater Dei Maria, in Regno Poloniæ beneficentia prodigioſarum Imaginum tam pace, quam bello celeberrima. Caliſij typis Collegij Societatis Ieſu 1669. in 12.

MICHAEL LOSCHER natione Germanus, patria Salisburgenſis in Societatem ingreſſus anno 1582. ætatis 18. Spiritualis Coadiutoris gradum occupauit, inde vſque ab anno 1601. vir admodum Religioſus & in quo nihil ad ſummam accurationem diligentiamque deſiderares. Vndecim annos Rhetoricam & litteras politiores docuit; quinque ſupra viginti præfecturam gymnaſiorum laudatiſſime geſſit. Inſigni dexteritate multos libros in patriam linguam tranſtulit. Septuagenario maior mortalitati ceſſit Burghuſij die 30. Octobris 1636. Edidit tacito ſuo nomine translata Germanicè

Inſtructionem pro ijs qui Sacramenta Confeſſionis & Communionis ſæpe frequentant.

Lucæ Pinelli de Perfectione Religioſa lib. 4.

Alphonſi Rodriguez Tractatus 4.

Franciſci Arias de Mortificatione.

De Summo Bono, ſeu Felicitate æterna Compendiolum ex Leonardo Leſſio deſumptum

Scripſit verò ſuo ingenio, ediditque Germanice tacito ſuo nomine

Stimulum Peccatoris ſeu motiua 12. quibus oſtenditur, qua cura & ſtudio quiuis Chriſtianus peccatum vitare & ab eo ſe expedire debeat

Tractatum de integritate Confeſſionis

Tractatum de indigna Communione

Latinè vero edidit tacito etiam ſuo nomine

Inſtructionem Confeſſariorum deſumptum ex Ludouico de Ponte

Denique expreſſo ſuo nomine vulgauit

Chriſtianum Pelicanum, hoc eſt, Meditationes de Paſſione Chriſti Domini.

* MICHAEL MARCVS natione Hiſpanus, patria ex Oppido Villa Caſtin diœceſis Segouienſis, adſcriptus Societati anno ſalutis 1558. ætatis 16. vota 4. in ea profeſſus eſt. Docuit curſum Philoſophiæ & amplius 24. annos Theologiam Scholaſticam ferè Salmanticæ. Obijt circa annum 1601. Hunc Bibliothecæ Hiſpanæ inſeruit clariſſimus D. Nicolaus Antonius, quia ſcripſit

Hiſtoriam Fundationis Collegij Salmanticenſis Societatis Ieſu. Quam m. s. Ægydius Gonzalez Dauila teſtatur ſe vidiſſe.

* MICHAEL MAZOVVECKI natione Polonus, gente Mazouita Societatem vndeuicennis amplexus eſt anno ſæculi præter labentis 36. & votis 4. ſe adſtrinxit. Docuit in ea Rhetoricam, Philoſophiam, Theologiam Moralem; Inſtructor fuit Patrum in Probatione tertia & Rector Collegij Reſſelienſis, Procurator etiam ad Vrbem anno 1672. & modo dum hæc ſcribo 1674. Præpoſitus Domum Profeſſæ Varſauiæ adminiſtrat. Edidit libellum inſcriptum

Sacerdos orans, ſiue de Horis Canonicis ritè recitandis. Conſtantiæ ad Rhenum 1657. in 12.

Panegyricum Funebrem Alexandro Epiſcopo Vilnenſi. Vilnæ typis Academicis 1644. in 4. Præterea ſcripſit varias odas & elogia quæ alieno nomine prodierunt.

* MICHAEL NYON natione Gallus, patria Aurelianenſis natus anno ſæculi voluentis 27. Chriſto in Societate ſua ſe dedicauit 1649. Rhetoricam & Humaniores diſciplinas nouennio profeſſus eſt, Scholarum quinquennio Præfecturam geſſit. Concionatorem aliquot annis egit, & modo Rector Collegium Heſdinienſe gubernat. Edidit Gallicè

Commentaria Hiſtorica inchoata a D. Ribier quibus Præfationem & notas adiecit. Bleſis apud Iulium Notot 1665; & Pariſijs apud Ioannem 1665. duobus tomis in folio

MICHAEL DE PACE natione Luſitanus, patria Lamecenſis Societati ſe adſcripſit Goæ anno ſalutis 1606. ætatis 15. & in eadem varijs functus miniſterijs vixit vſque ad annum 1627. ſcripſit

Annuas Litteras ex Æthiopia anni 1619.

* MICHAEL PEXENFELDER natione Germanus, gente Bauarus, patria Amſtorffenſis diœceſis Paſſauienſis natus anno ſæculi voluentis 13. ad Societatem ſe aggregauit 1630. & in ea Rhetoricam atque humaniores litteras annis 22. profeſſus eſt. Vir multæ eruditionis. Edidit

Apparatum Eruditionis tam rerum, quam verborum per omnes artes & ſcientias. Norimbergæ Sumptibus Endterorum 1670. in 8. Item

Florum Biblicum, ſiue narrationes ex Hiſtoria Sacra veteris Teſtamenti ſelectas. Straubingæ typis Ioann. Chryſoſt. Haan 1672. in folio.

* MICHAEL RABARDEAV natione Gallus, patria Aurelianenſis, Societatem complexus anno ſalutis 1595. ætatis 23. vota 4. in ea nuncupauit. Philoſophiam quinquennio

nio profeſſus eſt; Theologiam Moralem ſeptennio. Rexit Collegia Bituricenſe, & Ambianenſe & ſeptuagenario ſeptem annis maior migrauit ex hac vita Lutetiæ die 24. Decembris 1649. Scripſit latinè librum ſub titulo

Optatus Gallus de cauendo Schiſmate, leni manu ſectus. Pariſijs apud Viduam Ioan. Camuſat 1641. in 4. ſed hic poſtea cenſoria virgula à Sacra Congregatione Romæ eſt notatus.

* MICHAEL RADAV natione Prutenus, patria Braunsbergenſis, Societati ſe addixit anno ſæculi præterfluentis 33. ætatis 16. & vota 4. ſolemni ritu concepit. Humaniores litteras & Philoſophiam in ea profeſſus eſt, & octennio Scholaſticam Theologiam. Concionatorem & Miſſionarium multis annis fructuoſè egit, & Noſtris præfuit Regiomonti, vbi rem Catholicam ſtrenuè promouit, accurrentibus etiam Heterodoxis ad ipſius conciones. Nunc Collegium Braunsbergenſe adminiſtrat. Edidit in lucem

Oratorem extemporaneum, ſeu Artis Oratoriæ breuiarium Amſtelodami apud Iacobum Meurs 1655. in 12 Recuſum Lipſiæ apud Chriſtianum Kirkerum 1664.

Orationes in laudem Benefactorum Collegij Vilnenſis, Cancellarij, & Protectorum Academiæ. Vilnæ typis Academicis 1640. in 4.

MICHAEL RVGGERIVS natione Italus, patria Grauinenſis, in Regno Neapolitano, cum eſſet Iuris Doctor, & multis grauibuſque in rebus, etiam gerenda Republica, Principi ſuo operam præſtitiſſet, quippe qui valebat experientia, prudentia, ac ſingulari iudicio, rebus humanis valere iuſſis, Societati ſe noſtræ addixit anno ſalutis 1572. ætatis ſuæ 29. & animarum lucrandarum ſtudio ad Orientis ſolis Indos anno 1577. vna cum Apoſtolicis illis Operarijs, Rudolpho Aquauiua, Matthæo Riccio, Nicolao Spinola, Franciſco Paſio nauigauit. Eò cùm primum appulit, quietis & otii impatiens, in oram Piſcariam rei Chriſtianæ procurandæ feſtinauit; vnde anno vertente ab Alexandro Valignano Viſitatore Macaum accitus, vt in Sinicarum litterarum, ſermoniſque ſtudium ſe totum impenderet, irrepturus ſi qua poſſet in illius Regni continentem, menſe Iulio peruenit & animosè deſignatum laborem aggreſſus eſt, tantumque improbo labore, quamuis ætate prouectior perfecit, vt breui tempore non incommode vteretur commercio gentis. Bis exinde quotannis ad Nundinas cum Luſitanis negotiatoribus ſubnauigabat in Cantonienſis Prouinciæ Metropolim, explorabatque ſedulus, num ab aliquo fortaſſe Magiſtratuum, Sedem in Regni parte quapiam poſſet eblandiri. Cœpit initio cum nonnullis illorum agere, & quamdam aperuit illi neceſſitudinem ſolertia, & in agendo comitas, qua præſtabat; cui cum accederet opinio virtutis & doctrinæ, ſtudiumque Sinenſium litterarum, quod euoluendis ipſorum libris præſeferebat, tantam illi quorundam gratiam conciliauit, vt attributis in ædibus quibus Legatos Siamenſes conſueuerunt accipere, rei faciendæ Diuinæ obtinuerit commoditatem. Sæpe tandem eundo, redeundoque, & delinitis per Europæa munuſcula Magiſtratibus, area Ædi Sacræ ac profanæ excitandæ in Vrbe Scianquino primus Sociorum obtinuit anno 1583. quam anno mox vertente exſtructam inſtruxit opportuna ſupellectile; quæ cum nouitatis Europææ quidpiam haberet, multos ad ſpectandum ciebat, quibus per eam occaſionem ſemper aliquid de Diuinis rebus Ruggerius ingerebat. Dum autem aliam aliubi atque aliam Sedem figendi aucupatur modum, multa coactus eſt ſubire incommoda, verbis etiam nonnullis male affectus, vinculorum minas intentatas euaſit. A Neophyto impoſtore coram Magiſtratibus, adulterij poſtulatus eſt, eo ipſo nimirum tempore, vt aiebant admiſſi, quo ſcilicet, tum longo abfuiſſe itinere conſtabat. Ideo reiecta calumnia pronunciatus eſt Ruggerius innocens; at impoſtor verberibus, alijſque ſupplicijs dirè mulctatus. Iam quò firmiores ageret radices Statio Sinica, Alexandro Valignano Viſitatori conſilium fuit à Summo Pontifice Legationem ad Sinarum Regem procurare. In eam rem miſſus in Europam Ruggerius, qui poſſet præ omnibus eam explicare, ceu primus expeditionis auctor, & explorator anno ſalutis 1588. difficili vſus nauigatione, & facto pene ad Inſulas Tertias naufragio, Olyſſipone tandem ſaluus exſcendit, & Matritum ad Philippum II. Hiſpaniæ Regem viſendum ſe contulit; à quo exceptus eſt inuſitatis tanto Principi humanitatis officijs. Poſteaquàm verò Romam venit, negotium interitu duorum triumue Pontificum impeditum primùm, mox etiam ita tractatum fuit, vt nullum deinceps operæ tantæ atque laboris pretium exſtiterit. Ruggerius verò fractus incommodis præſertim cùm ætas iam deuexa, quietis expoſceret aliquid, Salernum conceſſit, ibique quod vitæ fuit reliquum, cum documento virtutis exegit, defunctus die 11. Maij anno ſalutis 1607. Edidit Sinicè

Catechiſmum ſeu Doctrinam Chriſtianam collatis cum Matthæo Riccio operis digeſtam, in qua per dialogum Gentilis cum Patre Europæo, explicat myſteria Fidei, & refutat Sectas Sinicas. Eius Catechiſmi capita ſi quis videre deſiderat refert Antonius Poſſeuinus noſter in Bibliotheca Sacra lib. 9. cap. 28.

Veram relationem de Sanctiſſima lege Cælorum Domini 1581. vti refert Martinus Martinius in ſua Breui Relatione de Sinis §. 7.

Dialogum quoque, & vitas Sanctorum. Sinicè publicauit 1581.

Epiſto-

Epiſtolas demum aliquot è Sinis ab anno 1583 ad Socios ſcripſit, quæ à Collectoribus Indicarum litterarum referuntur

MICHAEL DE SALIN natione Lotharingus, diœceſis Tullenſis ſuſceptus in Societatem anno Domini 1600. ætatis 16. Concionatorem aliquot annis egit; Spiritualis Coadiutor & in ſenectute bona quieuit Flexiæ die 12. Iunij 1662. Reddidit è Latino Gallicè

Antonij de Gandier noſtri librum de perfecta Chriſti imitatione. Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoiſy 1630.

MICHAEL DE SAN ROMAN natione Hiſpanus, patria Palentinus in Caſtella Vetere annos natus 16. Societati ſe adſcripſit anno ſalutis 1588. & votorum 4. profeſſionem emiſit. Philoſophiam docuit & Theologiam Moralem. Legione, & Salmanticæ Rector noſtris præfuit & Præpoſitus Valliſoleti; in ſupremo Senatu Sacræ Inquiſitionis, & in Valliſoletano, Cenſoris functus eſt officio. Sed maximam ætatis partem in Concionibus, & Miſſionibus conſumpſit, ad quæ præclaro præditus talento fuit. Tandem plenus dierum ac bonorum operum, tranſiuit ad requiem (vti ſperare fas eſt) Beatorum. Matriti die 18. Aprilis 1648. Edidit

Expeditionum Spiritualium Societatis Ieſu lib. v. continentes modum agendi, & conuerſandi cum proximis, Confeſſiones audiendi &c. Lugduni apud Hæredes Gabrielis Boiſſat 1644 in folio

Orationem Panegyricam quam habuit in funere Ven. P. Ludouici de Ponte. Hiſpanicè Valliſoleti apud Viduam Franciſci de Corduba 1624 in 4.

* MICHAEL SENESCHALLVS natione Belga, patria Bappalmenſis, natus anno ſæculi fluentis 6. Deo ſe in Societate conſecrauit 1623. & votorum 4. ſolemne Sacramentum dixit. Magno vir ingenio & omnigenæ eruditionis laude cumulato. Rhetoricam & Humaniores litteras docuit triennio, Philoſophiam Duaci octennio, Matheſim biennio, linguam Hebræam, Sacram Scripturam, & Theologiam Scholaſticam annis duodecim ibidem explicuit, & Præfecturam ſtudiorum ſexennio geſſit. Demum caducam hanc vitam cum æterna ibidem commutauit die 27. Februarij 1673. Edidit latinè

Nobilem Agonem S. Florentij martyris Peruſini. Duaci typis Ioannis Serurier 1652. in 8.

Epiſtolam de vero anno, & die expugnatæ Conſtantinopoleos à Turcis. præfixam Calendario D. Ioannis d'Eſpieres Duaci 1657.

Reſolutionem Theologicam de non fundandis vectigalibus, quæ ab Eccleſiaſticis exigebantur. Duaci 1664.

Triadem Euangelicam; ſeu Quæſtionem triplicem de anno, menſe, die Chriſti nati, Baptizati, mortui. Leodij typis Houijs 1669. in 4.

Gallicè vulgauit tacito ſuo nomine

De deuotione erga B. Virginem Doloroſam. Duaci 1663.

MICHAEL SPEER natione Germanus, gente Boius, patria Monachienſis cooptatus in Societatem anno ſalutis 1612. ætatis 17. vota 4. ſolemnia nuncupauit. Philoſophiam docuit; Rexit Collegium Ratisbonenſe, eoque in munere & ſuauem alloquio, & circumſpectum cautione, & fortem in executione ſe exhibuit. Omnium votis deſtinabatur ad magna, quando ſtimulatus zelo adiuuandi attactos peſte, vltrò eos acceſſit, confitentem de noxis totius vitæ audiuit, & ipſe mox contagione afflatus pijſſimè occubuit, Ratisbonæ, die 22. Auguſti 1634. Edidit Germanicè ſuppreſſo ſuo nomine

Libellum ex Sanctis ex omni hominum genere collectis

* MICHAEL STAVDACHER natione Germanus, natus Halæ in Tiroli anno ſæculi labentis 13. Societatem complexus eſt 1629. & votis 4. ſe adſtrinxit, Rhetoricam docuit, & ſexennio Matheſim, triennio Philoſophiam, quadriennio Controuerſias de Fide & multis annis concionatorem egit, & demum ad laborum mercedem ex hac vita emigrauit, Eberſpergæ die 10. Nouembris 1672. Edidit latinè

Centum affectus Amoris Dei. Dilingæ typis Academicis 1647. in 8.

Concionum Partes II. Germanicè. Oeniponti in 4.

* MICHAEL VAN TRIEST natione Belga natus Antuerpiæ anno à partu Virginis 1602. Societati ſe addixit 1619. & votorum 4. nexu ſe obſtrinxit. Poſt traditas diſciplinas humaniores Theologiam Moralem annis XIV. profeſſus eſt, atque hinc conſultus frequenter à multis de caſibus conſcientiæ etiam à viris primarijs, qui ad ipſum tamquam ad oraculum accurrerunt. Cetera taciturnus, rarus in publico, ſed intentus ſtudijs, & ad magna quoque aptus, ſi quam habuit mentem ſanam, ſano in corpore habuiſſet. Sed placuit Deo eius iter ad Cælum ſepire ſpinis, & varijs corporis languoribus, Aſthmate, pleuritide, catarrhis, hydrope, hectica, ad exercitium ſcilicet patientiæ, & incrementum coronæ. Demum conſuetis Eccleſiæ myſterijs ritè communitus, ærumnoſam hanc vitam cum beata vt ſperamus commutauit die 18. Septembris 1668. Edidit tacito ſuo nomine

Compendium Reſolutionum practicarum caſuum R. P. D. Antonini Dianæ Clerici Reg. complectens omnes 12. partes, Opus omnibus Viris doctis & ipſi Dianæ mirificè probatum. Antuerpiæ apud Iacobum Meurſium 1660. editio vltima in 8.

MICHAEL TVRBAVI natione Hiſpanus, patria Ilerdenſis Societati adſcriptus anno Domini 1608. ætatis 15. vota 4. in ea nuncupauit. Philoſophiam Gerundæ, & Noſtros ibi

humaniora docuit; Sacras litteras Valentiæ explicuit; gubernauit Collegium Ilerdenſe, Taraconenſem probationis domum, & Barcinonenſe & Viſitator fuit Collegiorum in Gotholaunia 1645. Edidit ſub nomine Franciſci Ruiz

Certamen Gerundæ habitum in Canonizatione SS. Ignatij, & Franciſci Xauerij.

MICHAEL VASQVEZ DE PADILLA natione Hiſpanus, patria Hiſpalenſis à teneris annis ad portum Societatis appulſus anno ſalutis 1572. tantùm in doctrina profecit vt Magiſter euaſerit, Theologiam Scholaſticam Cordubæ, nondum Sacerdos ob ingenij præſtantiam iuſſus profiteri, ſatisfecit expectationi. Quamobrem Romam accitus eandem ibi Cathedram cum commendatione moderatus eſt; magna quoque Purpuratorum Patrum, aliorumque Virorum Principum gratia & beneuolentia vſus. Regreſſus in Hiſpaniam, doctrinæ ſuæ fulgore Salmanticam quoque & Granatam illuſtrauit, in S. Thomam propenſiſſime pius; S.P.N. Ignatium vt Parentem filius tenerrimè coluit, & B. Virgini Deiparæ impenſiſſimè deuotus fuit, eique creberrimè ſupplicabat. Inter virtutes præcipuam habuit obedientiam, cum magna humilitate coniunctam. Scriptioni intentum mors occupauit. Hiſpali die 25. Iulij anno 1624. ætatis 65. Religionis 50. à ſuſcepta ſolemni 4. votorum profeſſione 23. Edidit

Sermonem ſeu potius Tractatum de Auguſtiſſimo Sacroſanctæ Trinitatis myſterio. Lugduni per Horatium Cardon 1617. in 8.

Reliquit præterea prælo idoneos

Commentarios in Primam Partem S. Thomæ tom. 11. eruditione plenos qui fere prologomena Theologiæ duntaxat complectuntur

MICHAEL VVALPOLVS natione Anglus, patria Norfolcienſis, Frater P. Henrici Vvalpoli, qui Chriſti Teſtis fuit, aliorumque in Societate duorum. Romæ ex Anglorum Collegio ad Societatem acceſſit anno ſalutis 1593. ætatis 23. Vir fuit prudens ac doctus. Sociorum per totam Angliam Superior exſtitit, ſubinde Vice Præfectus eiuſdem Miſſionis in Hiſpania; vbi demum Hiſpali in Anglicano Seminario diem ſuum obijt ſub annum 1620. ab emiſſa votorum 4 profeſſione Londini 21. Scripſit Anglicè tacito ſuo nomine

Tractatum de ſubiectione Principum Deo & Eccleſiæ. Audomari 1608. in 4.

Admonitionem ad Catholicos Angliæ circa edictum Iacobi Regis Angliæ contra ipſos editum. Audomari 1610. in 4.

De Antichriſto contra Georgium Dounaum Miniſtrum Caluiniſticum Tom. 11. Ibidem 1613. & 1614. in 4.

Tranſtulit præterea ex latino Anglicè

Boetij libros de Conſolatione Philoſophiæ. Londini 1609. in 8.

Ex Hiſpanico autem, etiam tacito nomine

Vitam S. Ignatij de Loyola Fundatoris Societatis Ieſu. Audomari 1617. 1620. 1623. in 12.

MOGVNTINVM COLLEGIVM in Germania Rheno impoſitum ad confluentem Mœni in Vrbe Archiepiſcopali, fundatum anno ſalutis 1561. ab inclytæ memoriæ Archiepiſcopo, & Electore S.R.Imp. Daniele ex Prænobili proſapia Brendeliorum de Homberg, viro intemeratæ vitæ laude, & ſtudio conſeruandæ per Germaniam Catholicæ Religionis celeberrimo. Hic cum circumlatrantes vndique Hæreſes compeſcere cuperet, præſidium ex Societate à P. Iacobo Laynez tunc Præpoſito Generali ſibi petendum cenſuit, & impetrauit. Miſſi ſiquidem Socij xv. ſub Lamberto Auer primo illius Collegij Rectore, anno ſupra memorato in Decembri, Scholas 4. aperuerunt tanto Vrbis plauſu, & patriæ commodo, vt trecentos illico diſcipulos, infra anni ſpatium numerarint. Adiectæ dein lectiones Rhetorices, linguarum Græcæ, & Hebraicæ, poſtea etiam Philoſophiæ & Theologiæ, & denique Vniuerſitatis titulo Collegium eſt inſignitum. Auxerunt illius fabricam ſucceſſores prædicti Archiepiſcopi duo, ſimilis recordationis, Vvolfangus Camerarius de Vvormatia dictus à Dalberg & Ioannes Suicardus Cronbergius, vt his tribus munificentiſſimis & pijſſimis Principibus, debeat Collegium hoc, & ortum ſuum & incrementum. Numerat nunc ordinariè ſocios ampliùs quadraginta, & confluentem ad gymnaſium bonis litteris ac pietate copioſam informat iuuentutem. Edidit

Epicedion in triſtiſſimum obitum Danielis Archiepiſcopi & Electoris Moguntini. Moguntiæ typis Gaſpari Behem 1582. in 4.

Gratulationem Poeticam in feliciſſimam electionem Vvolfgangi Archiepiſcopi, & Electoris Moguntini. Moguntiæ typis ijſdem & anno in 4.

Exequias Vvolfgangi Archiepiſcopi, & Electoris Moguntini morte ſublati. Moguntiæ 1601. in 4.

Gratulationem Ioanni Adamo à Buken electo Archiepiſcopo, & Electori Moguntino. Moguntiæ typis Ioannis Albini 1601. in 4.

Munus Auguſtale Ferdinando II. Imp. Caſ. cùm Romanorum Regni corona inauguraretur conſecratum. Moguntiæ typis Ioannis Albini 1619. in 4.

Theatrum gloriæ Moguntiæ D. Anſelmo Caſimiro Electori & Archiepiſcopo Moguntino extructum. Moguntiæ

MOLSHEMIENSIS ACADEMIA ET COLLEGIVM in Alſatia Germaniæ Prouincia conſtitutum, ad Rhenanam Superiorem Societatis noſtræ Prouinciam pertinens, primordia ſua debet laudatiſſimæ memoriæ Principi S.R.I. Ioanni Epiſcopo Argentinenſi, & Lantgrauio Alſatiæ ex Illuſtriſſima Familia Comitum à Manderſcheidt, & Blanckenheim, qui cùm magno zelo aduerſus pernicioſa

cioſa dogmata Lutheri, ſalutis antidota pro grege ſuo quæreret, accedente conſenſu Reuerendiſſimi Capituli Argentinenſis anno Domini 1580. Collegium Societatis eo loci à fundamentis extruxit, prouentibus annuis dotauit, & per 20. annorum ſpatium operis ſui fructus vberrimos conſpexit. Auxerunt poſtea magnificè fabricam ſcholarum præſertim atque templi, duo Sereniſſimi illius Succeſſores Carolus à Lotharingia S.R.E. tunc Cardinalis, & Leopoldus Archidux Auſtriæ Ferdinandi II. Cæſaris germanus frater, quorum poſterior etiam ſtudia Philoſophiæ triennalis, ac Theologiæ, ſuppeditatis ſumptibus pro Profeſſoribus munificè fundauit, & impetratis ad id diplomatibus Summi Pontificis, atque Cæſaris, nomine, ac priuilegiis Vniuerſitatis Collegium inſigniuit, æternis ibi relictis benificentiæ ſuæ mirabilis monumentis. Complectitur hodie Collegium hoc Socios circiter triginta quatuor & in eo docentur ſcientiæ omnes, quæ à Societate tradi ſolent. Concurrit numeroſus Auditor, qui pietate, ac bonis artibus à Prælectoribus informatur. Emiſit in lucem

Panegyricum Sereniſſimo Leopoldo Archiduci Auſtriæ Fundatori ſuo Libris 4. diuiſum. Molshemii typis Ioannis Hartmanni 1618. in 4.

Inauguralia celebrata in Templi, & Academia Encænijs.

MONACHIENSE COLLEGIVM ad Iſaram amnem Bauariæ in Germaniæ Superioris Prouincia ſitum, à Sereniſſimo Duce Bauariæ Alberto accitis ad id Roma Sociis nouem anno à partu Virginis 1559. ſingulari pietate inchoatum, & ab eodem mox ampliori habitatione, & numero auctum, vertente anno; poſtea amplificarunt eiuſdem Sereniſſimi Succeſſores filius, & nepos, Guilielmus, & Maximilianus, extructis Collegio, Scholis, & Templo Magnifico, vt modo ordinariè ſuſtentet Socios ſupra ſeptuaginta, & in his tredecim Profeſſores variarum ſcientiarum, qui ijſdem ſuos diſcipulos magno Reipublicæ bono erudiunt. Edidit

Trophæa Bauarica S. Michaeli Archangelo in Templo, & Gymnaſio Societatis Ieſu dicata anno 1597. cum ſcilicet dedicaretur nobiliſſimum Templum à Guilielmo V. Bauariæ Duce exædificatum.

Funebria Sereniſſimo, & Reuerendiſſimo Principi Philippo Bauaro S.R.E. Card. Epiſcopo Ratisbonenſi. Monachii 1608. in 4.

Trophæa parallela priſcorum Boiorum Principum, & Maximiliani Electoris. Monachij Formis Nicolai Henrici 1623. in 4.

Mauſolæum Virtutis, & Honoris pijs manibus Sereniſs. Guilielmi V. Boiariæ Ducis. Ibidem 1626. in 4.

Epithalamium Sereniſſimis Maximiliano Bauaro Septemuiro, & Mariæ Annæ Auſtriacæ Ferdinandi II. Imp. filiæ. 1635.

Nabucodonoſorem in Theatrum productum in eorundem Sereniſſimorum Principum Nuptijs. 1635.

Famam Poſthumam ad Cunas Sereniſs. Principis Maximiliani Emanuelis Sereniſs. Ferdinandi Mariæ, & Henriettæ Adelaidis &c. Monachii Formis Lucæ Straubii 1662. in fol.

* MOYSES DV BOVRG natione Gallus, patria Sanctonenſis, natus anno ſæculi euoluti 98. Societati ſe tradidit voluentis 15. & votorum 4. nuncupatione ſe obligauit. Rhetoricam, & Humaniores litteras docuit quinquennio; Philoſophiam magna laude ſexennio. Concionatorem egit multis annis in præcipuis Vrbibus Aquitaniæ. Vir multæ eruditionis, & ſubtilis ingenii mortalitati ceſſit Lemouicis die 3. Martii 1662. Edidit Gallicè

Ianſeniſmum Fulmine ictum ab Innoc. X. & Hiſtoriam Ianſeniſmi. Burdigalæ 1658. in 12.

MVTIVS DE ANGELIS natione Italus, patria Spoletinus, vndeuicennis ad Societatem ſe aggregauit anno ſalutis 1577. Philoſophiæ, ac Sacræ Theologiæ ad 16. annos Romæ publicus Profeſſor, in quem tanquam in abſolutum doctrinæ, & religioſæ vitæ exemplum, omnium erant oculi coniecti. Erat ipſe dum viueret, mæſtorum ſolatium, & commune conſilio indigentium perfugium. Acre in eo fuit ingenium, & ad arguendum ſubtile, ac vehemens, & ad probandum promptum ac dilucidum. Porrò eos habuit proceſſus in doctrina, vt omnes profunditatem, firmitatem, perſpicuitatem mirarentur. Pari probitate parique vitæ ſanctimonia tantæ tamque admirabiles laudes compenſabantur, quam etiam ipſam à prima ætate in Scholarum noſtrarum hauſerat diſciplina. Accedebat ad egregiam illius pietatem vnà cum ſumma lenitate, comitas tanta, & tam grata humanitas, vt omnium animos quibuſcum ageret, arctiſſimis ſibi beneuolentiæ vinculis adſtringeret, neque ferè eſſet, qui non ſuo illum nomine dignum iudicaret. Abundauit præter excellentes animi dotes, hic vir omnium iudicio probatiſſimus, dono conſilij, vt ad eum non doctrinæ cauſa tantùm Auditores, Magiſtrique, ſed omnium etiam Ordinum Patres, fratreſque conſilij cauſa, & pietatis hauriendæ confluerent. Frequens erat illi in ore, cum Conſultoribus reſponderet, liberales eſſent erga Deum, Deum haud dubie futurum erga ipſos liberaliorem. His alijſque animi ornamentis, carus omnibus, communis omnium Pater, Frater, Magiſter, Amicus, Patronus, Nouembri menſe repentino vehementique morbo tridui extinctus eſt, Romæ anno ſalutis 1597. ætatis 39. Societatis 20. à ſuſcepta votorum 4. profeſſione 16. quo maior tam florentis, tamque frugiferæ ætatis iactura viſa eſt. Certè nemo ferè fuit, qui in eius funere non proprio ſe doloris ſenſu percuſſum ingemiſceret. Reliquit

Commentarios in omnes ferè libros Philoſophicos Ariſtotelis. Item

In Summam S. Thomæ

Notas in Epiſtolas D.Pauli, &
In Euangelium S.Matthæi, &
In Tomos Conciliorum.

MVTIVS VITELLESCVS natione Italus, patria Romanus, illuſtri familia, & antiqua oriundus, natus die 2. Decembris anno ſalutis 1563. adoleſcens adeo morum innocentia, & ſumma ad omnem doctrinam ingenij felicitate floruit, vt iam tum ad omnia ſumma deſtinaretur. Anno vndecimo ætatis ſenſit ſe vehementibus à Deo ſtimulis ad perfectionis ſtudium incitari, & ad vitam Religioſam in Societate Ieſu capeſſendam, ſed hoc ipſum diu ſinu fouit, texitque ſilentio, ne parentes offenderet, quos præuidebat acerrimè aduerſaturos. Poſt hæc dum Philoſophiæ operam in Collegio Romano daret, creſcentibus in dies igniculis pietatis, poſt ſacram Synaxim die S.Ioanni Euangeliſtæ Sacro, in Templo Domus Profeſſorum Societatis fecit ſua ſpontè votum perpetuæ caſtitatis; mox in Feſto Circumciſionis votum ingrediendi in Societatem, & pauló pòſt eodem anno votum concepit voluntariæ paupertatis, ſeu diſpenſandi ſua bona pauperibus, quando ea adiuiſſet; præterea omnem cogitationem de dignitatibus deponendi. Hæc poſtea cùm patefeciſſet Parentibus, vehementer illi repugnare, modis omnibus diſſuadere, eò quod in promotione filij ad Dignitates Eccleſiaſticas haberent ſpem erigendæ familiæ ſuæ aduerſis caſibus nonnihil tunc inclinatæ. Quocirca cùm nullo modo impetrare potuerit aſſenſum ad id ſiue Patris, ſiue Matris, ſed multis machinis vrgeretur ad deponendam omnem eiuſmodi deliberationem obediendum ratus Deo magis quam parentibus in ſequendis Chriſti conſiliis, oblato bis libello ſupplice Pont. Max. Gregorio XIII. & adhibitis magnæ auctoritatis deprecatoribus Purpuratis, & aliis, tandem poſt decem menſium conſtantem ſollicitationem obtinuit, quod tamdiù ambiuerat, iuſſitque Pontifex admitti in Societatem, ſuſcepta in ſe cura placandi parentes, eò quod vocatio à Deo eſſe videretur. Verùm cùm nec ſic acquieſceret Genitor, Mutius die Deiparæ Aſſumptæ Sacro pòſt expiationem conſcientiæ, & Sacram Communionem in Templo Domus Profeſſæ, quò matrem fuerat comitatus, clàm omnibus domeſticis, ſubduxit ſe, & rectà ad Domum probationis in Monte Quirinali perrexit, vbi ex voluntate Pontificis ſuſceptus èſt annos natus 20. & humanæ ſalutis anno 1583. ſolitus poſtea per totam vitam, quoad licuit per valetudinem, in peruigiliis Virginis Aſſumptæ, pro tanto beneficio ſuæ admiſſionis, publicè cædere ſe flagello in triclinio, & cum Præpoſitus Generalis Societatem gubernaret, vnum inſuper Nouitium in Societatem adlegere, quaſi ſuccidaneam ſibi hoſtiam futuram. In tirocinio porrò & ſtudiorum decurſu, mirum in modum auctæ ſunt in eo diuinæ dotes, & ex deſiderio patiendi mortem pro Chriſto, flagitauit ſæpè à Superioribus mitti in Angliam, vbi tunc dira ſæuiebat perſecutio in Catholicos. Philoſophiã Romæ, & ſubinde Theologiam cum laude docuit, & anno 1597. die 26. Aprilis votis 4. ſolemnibus ſe obſtrinxit. Sed cùm valetudo flacceſceret, à ſcholis ad regimen amotus, bis Collegium Anglorum Romæ, maximo iuuentutis illius, & nationis bono gubernauit; tum Collegium Neapolitanum, deinde Prouinciam Neapolitanam, poſtea etiam Romanam, donec in Congregatione Generali ſexta 1608. ſublectus eſt in Aſſiſtentem pro Italia. His in muneribus omnibus, mirificè ſibi conciliauit omnium animos, ob eximias quibus reſplenduit virtutes, adeoque omnium votis iam tum deſignatus eſt Succeſſor Patri Claudio; atque à P.Iulio Mancinello notæ ſanctitatis viro, ita pronunciatus, & tandem poſt obitum P. Claudij in Conuentu ſeptimo Generali electus eſt Præpoſitus totius Ordinis ſextus, die 15. Nouembris 1615. Triginta fermè annorum ſpatio Societatem ſapientiſſime adminiſtrauit, donec deficientibus viribus in affecta ætate, ſecutus exemplum S.P.N. Ignatii ipſe ſibi viuenti ſubſtituit Vicarium, cui totius Societatis gubernandæ habenas tradidit & poteſtatem. Sed non diu pòſt ſuperſtes fuit; nam paucos pòſt menſes correptus febri, & ingraueſcente morbo conſuetis Eccleſię Sacramentis, & Pontificia benedictione communitus, inter filiorum ſuorum circumfuſorum preces, & lacrymas, animam reddidit Creatori die 9. Februarii anno 1645. ætatis ſuæ 82. & Religionis 62. Funus cohoneſtarunt præſentia ſua permulti Nobiles; nonnulli Principes, & quod rarum fuit, omnium ferè Religioſorum Ordinum Generales, vel Vicarij Generales, qui cum Religioſorum ſuorum manipulis intereſſe exequiis voluerunt. Fuerat enim verò P.Mutius omnium in amoribus, iuueratque cunctos ad ſe accedentes conſilio, & auxilio, vt vulgò Angelus conſilij, & afflictorum perfugium fuerit appellatus. Prudentia excelluit ſingulari, ſagaciſſimo ingenio, memoria admirabili, facilitate vero morum, & ſuauitate tanta, vt eam adamarint Principes Viri, ſuſpexerint domeſtici, Externique quibus agendum cum illo fuerat. Videre meruit dum Societatis clauum tenebat, Beatos noſtros Ignatium & Xauerium in Sanctorum album ſolemni ritu relatos, deinde Aloyſium Gonzagam, Franciſcum Borgiam, & tres noſtros Iaponienſes Martyres Beatorum Faſtis adſcriptos. Præterea centeſimum à fundatione Societatis annum, ad agendas Deo gratias pro acceptis eo ſæculo beneficiis, curauit per totum Ordinem religioſè celebrari cum approbatione Summi Pontificis Vrbani VIII. qui etiam dignatus eſt benigniſſimè inuiſere Templum Societatis Romæ eam ob cauſam à nepote ſuo Antonio Cardinali Barberino magnificentiſſimè exornatum. In gubernanda porrò Societate duas partes coniunctu difficiles feliciſſimè copulauit;

lauit;

lauit; curam ſcilicet efficacem diſciplinæ, & ſuauiſſimam in ſubditis conſolandis caritatem; adeò vt verè in eo viguerint, & amor, ſed non emolliens, & rigor, ſed non exaſperans. Paupertatem ſanctam diligebat verè vt Matrem, ita vt interiora corporis tegumenta detrita, & togam reſartam cupiuerit geſtare, nec quidquam in Societatem permiſerit inuehi, quod illius nitorem offuſcaret. In egenos atque inopes tam prolixa fuit caritate, vt ſi quid ſibi eleemoſynæ obtigiſſet, cum illis prompte communicauerit, quandoque etiam iuſſerit ſumi mutuò quod illis largiretur. Puritatis Angelicæ cuſtos accuratiſſimus, nullam corporis partem, vel Sociis cubiculariis videndam reliquit, quamuis tempore morbi obediens illis mirificè fuerit: Cibi potuſque modiciſſimi per omnem ætatem ſemper fuit, & ad commune triclinium etiam Generalis, quoad licuit per valetudinem, ſemper acceſſit. Aures patientes cuilibet dabat, nec ob multitudinem negotiorum, quibus premebatur, vlli facilè alloquendi tempus corripuit. Nec infima laus eius fuit talentum dicendi pro concione; vox clara, canora, oris dignitas, magnam concionanti conciliabant gratiam, & dum Aſſiſtentis pro Italia munere perfungeretur, non rarò vices concionatoris morbo impediti, ſuppleuit in Templo cum ſummo Auditorum ſolatio. Vndè hanc illi præcellentiam inter cæteras egregias dotes meritò attribuit Andreas Victorellus apud Leonem Allatium in Apibus Vrbanis, his verbis: *In hoc placidiſſimi ingenij Viro mores candidos, vitam laudabiliter actam, humanitatem, pietatem, doctrinam, eloquentiam, variam multarum rerum cognitionem, & in rebus agendis ſolertiam agnoſcas. Si in Templis Diuina Myſteria perorantem, hominesque à vitijs reuocantem, & ad rerum cæleſtium amorem inflammantem audieris, alterum quaſi Cyprianum, aut Bernardum, aut Chryſoſtomum te audire præſtantiſſimæ Societatis iure Præpoſitum exiſtimabis.* Hæc ille. Scripſit religioſiſſimus Pater Epiſtolas aliquot Paræneticas ad Socios optimis præceptis refertas, nimirum

Ad Patres, & Fratres Societatis de Oratione, &c. 2. Ianuarij 1617.

Ad Superiores Societatis 4. Ianuarij 1617.

Ad Prouinciales & Patres Congregationum Prouincialium Societatis 7. Martij 1619. Hæ porro impreſſæ ſunt Romæ ſeorſim, & poſtea ſimul Antuerpię apud Ioannem Meurſiū 1635. in 8. Item

Ad Patres, & Fratres Societatis de anno ſeculari Societatis Romæ 15. Nouembris 1639. quam Ignatius Victor Hiſpanicè, Ludouicus Ianninus Noſtri Latinè tranſtulerunt Romæ; & Antuerpiæ apud Iacobum Meurſium 1665.

Edita quoque eſt cum aliis aliorum eiuſdem argumenti

Oratio de Paſſione Domini in die Paraſceues habita ad Greg. XIV. anno 1590. Romæ typis Vitalis Maſcardi 1641. in 12.

NEAPOLITANVM COLLEGIVM in Italia viuente S. P. N. Ignatio inchoatum anno reparatæ ſalutis 1551. primordia ſua, & incrementa magnam partem eximiæ pietati Hieronymi Vignes iuuenis honeſtiſſimi Neapoli ex Patre Hiſpano editi accepta refert. Hic Patauii quò ſtudiorum cauſa ſe contulerat Noſtrorum opera vſus à Sacris Confeſſionibus, redux in patriam omnem adhibuit conatum, vt eò quoque Noſtros introduceret. Quare primores aliquot Ciuitates, & imprimis Hectorem Pignatellum Montis Leonis Ducem, Ioannem Carafam Montorij Comitem, & alios impulit, vt litteris datis ad S. Ignatium, Concionatorem in proximam Quadrageſimam expoſcerent, cum quo de Collegio fundando conferre poſſent. Miſſus itaque eſt Alphonſus Salmeron, quo lubentiſſimè ad tempus deguſtato, ſed mox ad Concilium Tridentinum reuocato, datæ ſunt à Prorege Petro Toletano, à Duce Montis Leonis, ſeu Vibonenſi, aliiſque Proceribus Regni litteræ, tum ad Summum Pontificem, tum ad Cardinalem Carpenſem, tum ad S. Ignatium, vt hic ad iacienda Collegii initia aliquot è ſuis deſtinaret. Deſtinauit igitur ſub occaſum illius anni Sanctus Ignatius 12. Duce ac Rectore Andrea Ouiedo, qui poſtea Aethiopiæ Patriarcha fuit. Verùm creſcente mox numero Sociorum, cùm ædes ad habitationem conductæ, nimis anguſtæ eſſent, nec templum multitudinis eò confluentis ſatis capax, ſtudio imprimis opera, atque ære memorati Hieronymi Vignes in locum commodiorem migratum eſt anno 1554. & in præcordiis penè Vrbis domicilium comparatum. Progreſſu temporis cùm ad alendos Noſtros deficerent reditus, & graui ære alieno premeretur Collegium, excitauit Diuina Prouidentia ſummam pietatem lectiſſimæ Heroinæ Robertæ Carafæ Matalanenſium Ducis, vt expuncto omni ære alieno, Collegium annuis prouentibus idoneis ſtabiliret, ob quæ anno 1585. declarata eſt à P. Claudio Præpoſito Generali Fundatrix illius Collegij. Alit nunc Collegium ordinariè ad triginta ſupra centum Socios, ex quibus Prælectores 17. omne genus ſcientiarum, quæ in Societate tradi ſolent, diſcipulos mille circiter, & ducentos docent, & in 11. Sodalitijs B. Virginis Mariæ, eoſdem & alios pietatis exercitijs excolunt. Edidit in lucem

Carminum quibus excepit Excellentiſſimos Principes Fratres, Lemenſium, & Caſtri Comites vtriuſque Siciliæ Proreges Lib. IV. Neapoli apud Tarquinium Longum 1616. in 4.

NEO-

NEOBVRGENSE COLLEGIVM ſitum in Palatinatu Bauariæ ad Danubium in Germaniæ Superioris Prouincia, fundatum anno ſalutis 1617. à Sereniſſimo Principe Volfgango Guilielmo Comite Palatino Rheni, Duce Bauariæ, Iuliæ, Cliuiæ, Montium, & Neoburgi &c. fundationem auxit Sereniſſima eius coniux Magdalena Bauariæ vtriuſque Duciſſa. Suſtentat ordinarie Collegium ad viginti Socios, qui præter Humaniores litteras docent publice Dialecticam, & Theologiã Moralem. Edidit

Rugitum Leonis in funere Sereniſſimæ Magdalenæ Bauaræ Duciſſæ Neoburgicæ. Neoburgi 1629.

NICOLAVS ABRAMVS natione Lotharingus, patria Xarouallæus in diœceſi Tullenſi, natus anno ſalutis 1589. Societatem ingreſſus 1606. quatuor vota nuncupauit 1623. Poſt tractatas cum laude Humaniores diſciplinas, obitaſque inſigniores aliquot Miſſiones ad Hæreticorum conuerſionem, Sacras litteras interpretatus eſt in Academia Muſſipontana annis 17. & ibidem religioſo fine quieuit die 7. Septembris 1655. Scripſit

Notas in Nonni Panopolitani Paraphraſim Euangelij S. Ioannis. Pariſiis apud Sebaſtianum Cramoiſy 1622. in 8.

Commentarium in volumen 3. Orationum M. Tullij Ciceronis. Tom. 2. Ibid. 1631. in fol.

Commentarium Faciliorem in P. Virgilij Aeneidem. Muſſiponti apud Gaſparem Bernardum 1632. in 8. & Rothomagi apud Richardum l'Allemant 1633. in 8.

Pharum Veteris Teſtamenti, ſiue Sacrarum quæſtionum libros 15. quibus additi ſunt de Veritate, & mendacio Libri IV. Lutetiæ apud Ioannem Ioſt. & Maturinum Henault 1648. in fol.

Epitomen Rudimentorum linguæ Hebraicæ Latinis verſibus comprehenſam. Pariſijs apud Maturinum Henault 1645. in 4. Recuſum Diuione appoſito nomine Auctoris 1651. in 4.

Axiomata Vitæ Chriſtianæ. Muſſiponti apud Ioannem Guillore 1654. in 8.

Vitam P. Vincentij Caraſæ. Gallicè redditam ex Italico noſtri Danielis Bartoli. Lugduni 1652. Item

Hominem Litteratum, & Paupertatem contentam eiuſdem Bartoli. Muſſiponti apud Ioannem Guillore 1654. in 4.

NICOLAVS ALBERTI natione Germanus, patria Veitshocheimenſis, in Franconia annos natus 18. venit ad Societatem anno ſæculi præterlabentis 9. & vota 4. profeſſus eſt. Philoſophiam in ea docuit Herbipoli, vbi etiã poſt geſtum Molshemij tum Rectoris, tum Cancellarij munus, & actas cum celebritate Concionatoris partes, calculi doloribus exanimatus eſt, cùm illi Collegio Rector præeſſet 18 Ianuarij 1641. ætatis ſuæ 50. Edidit

Exercitium quotidianũ ſtudioſi adoleſcentis,
Libellos aliquot Carminũ.

Reddidit Germanicè

Manuale Controuerſiarum Martini Becani.

NICOLAVS ARNAYA natione Hiſpanus, patria Segouienſis, Societatem amplexus anno ſalutis 1577. ætatis 20. Vir fuit, qui noſtra ætate inter prima Societatis decora merito numeretur, & qui omnium Septentrionalis Americæ Regionum Pater appellari poſſet. Haud facilè reperias cui præter inſignem ſapientiam, tot virtutum ornamenta, Diuina bonitas contulerit: ea enim fuit vitæ ſanctimonia, vt vniuerſam illam Prouinciam illuſtrarit. Totos 30. annos varijs regendi muneribus fuit occupatus; Rector, Miſſionum Indicarum Viſitator, Tironum Magiſter, Prouincialis, quæ quemadmodum multa per incommoda atque ærumnas, ita cum ſumma prudentiæ, & Religionis laude geſſit, quam ipſa quoque Roma ſuſpexit, quando Procurator à Prouincia miſſus Congregationi ſeptimæ Generali interfuit. Fuit in hoc viro rerum diuinarum, & ſecretæ cum Deo cõſuetudinis ſtudium exaggeratum, mente quidem ſemper, ſed per noctem præcipue in cælo defixa, cuius multas horas, ac non raro ipſam totam ſomno ſubducebat, vt oraret, altiſſimè ſeſe in bonorum omnium fontem immergens, & tanta perfundebatur ſpiritus dulcedine; vt ea ex oculis, atque totius corporis oriſque habitu promicaret, præcipuè cùm Canonicis precibus, & Sacrificio vacaret: quo tempore frequenter obſeruatus eſt, erumpentes præ gaudio lacrymas coercere non poſſe. Piacularia grana, cereos agnos, Sanctorum imagines magno in pretio habebat. Sanctorum Patrum lectione mirificè recreabatur, ex ea cæleſtis in ſe vitæ documenta exprimebat, quæ deinde aliorum commodo in libros, quos conſcripſit transfundebat. Singularis illi erat in ſermone lenitas, morum modeſtia, linguæ moderatio, oculorum cuſtodia, quos humi defixos ſemper habebat. Animus ingens & vere magnus in religioſa humilitate, qua ſibi omnia infima depoſcebat firmatus. Nihil reformidabat arduum, aut difficile quod eſſet cum Dei gloria coniunctum. Ardebat flagrantiſſima caritate, & Diuini nominis inter Barbaros amplificandi immenſa cupiditate; Hinc mira eius in amplificanda catecheſi alacritas; ad miſerorum atque ægrotorum caſas frequens acceſſio; in eorum confeſſionibus excipiendis diligentia, in ferendis incommodis patientia, in ſubleuandis miſerijs ſollicita caritas, ac denique cum indigentis conſuetudo gratiſſima. In omnes erat placidus ac lenis; in ſe vnum atque in corpus ſuum ſeuerus & implacabilis; legum noſtrarum fuit obſeruantiſſimus, zeli ardentiſſimi, parcus verborum, cibi etiam parcior, modeſtia venerandus, vitiorum inſectator acerrimus, & quod cum his opus erat, patientiæ conſtantiæque infractæ. Illuſtre fuit, quod huius exhibuit ſpecimen, quando à Guandianenſi quodam Magiſtratu, vbi tunc ipſe Collegium regebat, neſcio qua ducto maleuolentia, eius nomine deforma-

forma-

formato, malorum etiam facinorum apud Proregem delatus eſt, & tam late pertinuit infamia, vt grauium conuictus ſcelerum, teneri apud exteras etiam Prouincias diceretur. Ille præter conſcientiæ teſtimonium nihil oppoſuit, niſi firmam in Deo conſtantiam, & ad Deum preces pro calumniatore. Sed enim cauſam honoris ſic egit Deus, vt & in vulgus conſtaret eius innocentia, & Magiſtratus ille coram multis arbitris recantaret, ſicque fieret bonæ opinionis acceſſio, vnde fuerat peſſima procurata. Tandem maturus cælo Sacramentis ſupremis inſtructus piè deceſſit, Mexici die 21. Martij anno ſalutis 1622, ætatis 65 Religionis 46. Profeſſionis 4. votorum 30. Scripſit Hiſpanicè

Compendium Meditationum Ludouici de Ponte. Matriti 1618, in 8.

Quod Italicè redditum à Tiberio Putignano prodijt Romæ 1620. Latinè à M. M.

Conferentias, ſeu Collationes Spirituales Tom. 3. Hiſpali apud Franciſcum de Lyra 1617. & 1618. in 4.

Praxim Exercitiorum Spiritualium S. P. N. Ignatij. Coloniæ.

Sermonem habitum Mexici in Canonizatione S. P. N. Ignatij, & S. Xauerij. Mexici 1622. in 4.

Tranſtulit ex Latino Hiſpanicè

Thomam de Kempis De Contemptu Mundi ſeu De Imitatione Chriſti Lib. 4. Matriti 1615.

* NICOLAVS AVANCINVS natione Germanus, patria Tirolenſis, Tridentinæ diœceſis, natus anno ſæculi fluentis 13. Societati nomen dedit Græcij Styrorum 1627. & votorum 4. profeſſione ſe adſtrinxit. Prælegit in ea Rhetoricam, Ethicam, Philoſophiam, Viennæ, Theologiam Moralem quadriennio ibidem, & ſexennio Scholaſticam, & ſtudijs præfuit ibidem annis 13. Rexit Collegia Paſſauienſe, Viennenſe, & Græcenſe. Electus à Prouincia miſſus eſt Romam ad Congregationem Procuratorum anno 1672. & nunc Viſitatorem agit Prouinciæ Bohemiæ. Vir multæ eruditionis, felice vena, vincta & ſoluta oratione edidit

Poeſeos Dramaticæ Partem 1. Viennæ apud Coſmerouium 1655.

Poeſeos Dramaticæ Partem 2. Viennæ apud Kurnem 1669.

Poeſeos Dramaticæ Partem 3. Ibidem typis Coſmerouij 1671.

Poeſeos Lyricæ Lib. 4. & vnum Epodon. Ibidem 1659.

Orationum Tom. 3. Viennæ apud Iacobū Kurner 1660. Recuſos Amſtelodami apud Ioannem Bleau 1661.

Vitam & Virtutes Sereniſſimi Archiducis Leopoldi Guilielmi. Antuerpiæ 1665.

Imperium Romano-Germanicum, ſiue Elogia 50. Cæſarum Germanorum. Viennæ apud Coſmerouium 1663.

Vitam Chriſti in Meditationes per ſingulos anni dies diſtributam. Ibidem 1665. & Amſtelodami 1667.

Pietatem Victricem, ſiue Flauium Conſtantinum Magnum. Tragædiam tacito nomine. Viennæ typis Coſmerouij 1659. in folio.

Tranſtulit Latine ex Italico

Compendium Vitæ, & miraculorum Sancti Franciſci Borgiæ Ducis Gandiæ, & Generalis Tertij Societatis Ieſu, à noſtro Scipione Sgambata compoſitum. Viennæ typis Coſmerouij 1671. Item libellum inſcriptum

Deus Solus, ſeu confœderatio inita ad honorem ſolius Dei promouendum. Auctore noſtro Ioſepho Anturino Viennæ typis iiſdem anno 1673.

* NICOLAVS BAILLY natione Gallus, patria Sezamenſis in Campania adlectus in Societatem anno ſæculi currentis 5. ætatis ſuæ 18. votorum 4, ſacramentum ſolemne dixit. Poſt traditam artem Oratoriam, & amæniores diſciplinas, Philoſophiam profeſſus eſt quadriennio, Theologiam de moribus quinquennio. Vir antiquæ probitatis, & Inſtituti Religioſi peramans. Collegerat elogia noſtrorum in Gallia vitæ ſanctimonia, & doctrina præſtantium ſed prælo ea ſubijcere parantem mors occupauit Cadomi die 28. Octobris 1657. Edidit Latinè

Hiſtoriam Vitæ R. P. Edmundi Augerij, Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoiſy 1652. in 8.

NICOLAVS BALDELLVS natione Italus, patria Cortonenſis in Hetruria, Societati ſe adiunxit anno ſalutis 1589. ætatis ſuę 16. & vota 4. nuncupauit. Vir egregiè doctus, Philoſophiam decennio, Theologiam Moralem ſexennio, Scholaſticam Romæ quadriennio explicuit. Gubernauit Collegium Peruſinum, & Sacræ Pœnitentiariæ Romanæ ad Vaticanum, tum Domum Profeſſam Romanam vbique magna commendatione, prudentiæ, & optimo virtutum exemplo. A Congregatione Prouinciali Romana electus eſt, vt intereſſet Congregationi Procuratorum ex omnibus Prouincijs cum iure ſuffragii. Obſeruans imprimis ſemper fuit religioſę diſciplinæ, & zelo non modico tenebatur ſalutis proximorum, tum per Miſſiones obitas in florenti ætate, tum aſſiduitate audiendi ſacras confeſſiones in prouecta. Humilia libenter ſemper amplexus eſt, ab omni ſpecie ambitionis alienus, quamuis multis Optimatibus Romæ in pretio fuerit, & percarus. In extrema ſenectute varijs oppreſſus morbis, & doloribus, eos inſigni patientia tolerauit, & demum ex hac vita Eccleſiæ Sacramentis ritè communitus, ad Beatorum (vt ſperamus) conſortium emigrauit. Romæ die 16. Decembris 1655. anno ætatis ſuæ octogeſimo tertio. Edidit

Diſputationum ex Morali Theologia. To. 2. quorum *Primus continet Lib. 5. De Humanis actionibus, De Vitijs, & Peccatis, De Vitijs Capitalibus, De Conſcientia, De Legibus.* Lug-

Lugduni per Boiſſat & Socios anno 1637. in folio.

Secundus continet Libros 4. De Fide, & Infidelitate, De Spe, & Caritate, De Adoratione, & Oratione, De Superſtitione, & Irreligioſitate. Ibidem 1644. in folio.

Reliquit moriens paratum prælo tomum tertium *De Iuramento, & Voto*, qui in Pinachotheca Domus Profeſſæ Romanæ aſſeruatur.

NICOLAVS BERZETTVS, natione Italus, patria Vercellenſis ex Illuſtri Familia, admiſſus Romæ in Societatem anno à partu Virginis 1595. ætatis 21. ſolemni 4. votorum nexu ſe adſtrinxit. Vir regendi arte præſtans, Magiſter & Rector Tironum Romæ ſecundò fuit. Gubernauit Collegia Neapoli & Romanum, tum Prouincias Romanam, Siculam, Neapolitanam magna vbique laude prudentiæ, & virtutum exemplo. Fuit compoſitis admodum animi motibus, & affectibus, manſuetus, humilis, religioſæ diſciplinæ obſeruantiſſimus. Sub occaſum vitæ laborauit iſchuria, eoque in morbo editis inſignibus documentis tolerantiæ, pietatis, & voluntatis ſuæ ad Diuinam in omnibus conformis, plenus dierum, ac bonorum operum, ad horum præmia (vt ſperare licet) euocatus à Deo eſt Romæ die 28. Martij 1644. ætatis ſuæ 70. Edidit Italicè ſub nomine Ioannis Alberti Buronzi

Praxim rectè meditandi. Romæ apud Bartholomæum Zannettum 1609. in 16. quæ latine reddita, vulgata eſt Coloniæ apud Kinckium 1658. Item tacito nomine

Breuem inſtructionem ad bene meditandum. Latine, Romæ typis Zannetti 1609. & Italicè typis Corbelletti 1628. in 16.

Et ſub nomine Anagrammatico Cleontis Torbizi Italice

Vitam S. Patritiæ Virginis. Romæ typis Corbelletti 1633. in 4.

Tranſtulit etiam Italicè

Ludouici de Ponte Ducem ſpiritualem

NICOLAVS BOBADILLA natione Hiſpanus, patria ex Oppido Bobadilla Palentinæ diœceſis, vnde nomen accepit, dictus alioqui Nicolaus Alphonſus vnus fuit ex decem primis Societatis noſtræ Patriarchis. Parentes habuit tenues, ſed pios, Franciſcum Alphonſum, & Catharinam Perez, ab iiſque ad probitatem educatus eſt. Annos nouem natus ſtudio ſe Grammaticæ impendit: ſubinde patre vita functo, Valliſoletum conceſſit ad Rhetoricam, Logicamque hauriendam. Complutum inde anno ætatis 18. abijt: & in S. Liberatæ, ſeu Catharinæ Collegio confecto Philoſophiæ curſu, gradum ex ea litterarium accepit. In Theologicis deinceps Medinam audiuit, qui Gabrielis Bielis doctrinam publicè proponebat. Valliſoletum reuerſus ſtudijs ibi colophonem impoſuit, & exinde Philoſophiam veſpertinis horis publicè docuit. Verùm incenſus cupiditate diſcendi, doctas præſertim linguas, Lutetiam Pariſiorum profectus eſt, & delatam ſibi Philoſophiæ Cathedram in Collegio Caluiaco occupauit. Verùm cùm ipſius conatibus aduerſaretur egeſtas, confugit ad S. Ignatium, qui multis in ea Academia adoleſcentibus re domeſtica deſtitutis, honeſtè & cum dignitate conſulebat. Adiutus S. Patris auxilio Nicolaus, non dubitauit cuius erat expertus benignitatem, eius inſtituta complecti; cui ſe proinde quintus Sociorum adiunxit. Exinde fuerunt illi communia, quæ Socijs omnibus, donec Venetias Romamque venerunt, accidere. Hoc ſingulare quod cùm reliqui Patres decreuiſſent, inſtitutum Chriſtianæ Doctrinæ pueris rudibuſque explicandæ, in eandem cum peculiari erga Summum Pontificem obedientia, Voti formulam concludendum, ipſi non placuit huic decreto aſſentiri; atque eam ob cauſam moderatius, quæ hodie vſurpatur à Profeſſis, adhibita eſt. Anno 1538. per Septembrem à Pontifice Paulo III. in Ænariam ab Vrbe miſſus eſt, Regni Neapolitani Inſulam, quæ Iſchia dicitur hodie, ad conciliandam pacem inter Ioannam Aragoniam, eiuſque coniugem Aſcanium Columnam, Tagliacotij Duces, cuius profectionis fructus fuerunt vberrimi. Cùm enim vir ardens vno loco ſe continere non poſſet, latè ſe fundebat eius induſtria. Caietæ pro Concione Dominicales per annum Epiſtolas explicuit, in Xenodochio victitans è corrogata ſtipe. Cum verò grauis eum febris inceſſiſſet, Neapolim ad commune Noſodochium Annunciatæ ſe recepit. His laboribus adeo confectus rediit ad Vrbem, vt quæ à Socijs reliquis deſtinata illi erat in Indiam profectio, eam S. Franciſco Xauerio permitteret compulſus fuerit. Nec ipſe tamen ab opere diu vacauit, nam anno 1540. rurſum à Paulo Pontifice Biſinianum in Regnum Neapolitanum ablegatus eſt, vt Vicariam præſtaret operam eius Vrbis Epiſcopo, quem ſuum Neapoli Nuncium eſſe iuſſerat. Anno ſequente reuocatus, Reginaldo Polo Cardinali Viterbij Legato tantiſper datus eſt, dum Moronus Nuncius expeditur in Germaniam, quem erat vnà cum Claudio Iaio ſecuturus, edita prius in Vrbe profeſſione ſolemni, quam nondum ediderat. Oeniponti morbo imbecillus ſubſiſtere coactus, cum Ferdinando Romanorum Rege, qui cùm liberis ſuis tunc ibi agebat, de rebus ſalutaribus multa contulit, intentiſſimus in cauſam animarum. Viennæ quò Regem ſecutus eſt, publicas Conciones Italicè, Latinèque, & Sacras Lectiones habuit; Confeſſionibus audiendis operam nauauit; ex Iudæorum & Turcarum impietate Catechumenos inſtituit, denique nihil quod ſui muneris videri poſſet, prætermiſit. Nobilem victoriam de Lutherano viro Nobili à quo fuerat in certamen vocatus, coram Rege plurimiſque Proceribus retulit, vnde eius doctrinæ fama longè lateque peruaſit. Inſtabat per id tempus Norimber-

rimbergæ Conuentus Imperij, vbi ne quid contra Religionem decerneretur, Epiſcopus Caſertanus Nuncius Apoſtolicus erat adfuturus. Is Bobadillam ſibi comitem adiunxit; cuius ſanè opera fuit multis breui tempore ſalutaris. Soluto conuentu Viennam remigrauit; vbi & à Rege, & à Curia cum honore exceptus, ad animorum defenſionem auidus redijt. Non diu Viennæ ſubſtiterat, cùm Spiram ad Conuentum alterum, cum Paſſauienſi Epiſcopo, quem eò Rex mittebat migrandum fuit. Ibi cùm ſua induſtria rem præclarè geſſiſſet, reducem Præſul ille ad res Eccleſiæ ſuæ conſtituendas, Rege annuente, abduxit. Hic cum Regis litteras accepiſſet, quibus ſuam de inſpiciendis Auſtriæ Cœnobijs, voluntatem ſignificabat, liberè reſcripſit ad Regem, caueret prorſus, ne quid in ea re fine Præſulum auctoritate tentaret, ne videlicet Monachorum diſciplina, vulgò deſpectui, & imperitiſſimo cuique ludibrio eſſet. Poſteà verò cùm ad Vormatiæ Conuentum ab eodem Rege velut Doctor vnus inuitaretur è ſuis, is Sedis Apoſtolicæ auctoritatem non dubitauit opponere, ſine qua ſibi non liceret ijs ſe cætibus admiſcere; mox tamen ad vnius Apoſtolici Nuncij nutum eò repentè cucurrit, adfuitque ingenti rei Chriſtianæ bono. Eadem libertate animi oblatam ab eodem Rege Epiſcopi Cathedram conſtantiſſimè recuſauit. Poſt hæc rurſum anno 1546. Conuentus Ratisbonam indictus eſt nec permiſſus Bobadilla deeſſe, nec ipſe paſſus eſt ſuam operam, vbi ſe dedit occaſio, deſiderari. Iam Cæſar frangendæ Sectariorum contumaciæ, apud quos nihil proderat lenitas, & manſuetudo, copias militares cogebat; quibus ne quid deforet ſpiritualis auxilij, Bobadilla ſine ceſſatione contendebat: intendebaturque eo ampliùs illi labor, & cura, quòd illum Cardinalis Farneſius Italorum noſocomio præfecit, & quotidianis prælijs, multi eò ſaucij in dies inferebantur. Ipſe quoque hic tentari cæptus morbo eſt, & in capite vulnus ab hoſtili manu accepit, haud dubiè niſi plagæ impetum petaſi craſſitudo retunderet, lethale. Pari Dei prouidentia peſtilentiæ vulnere ſaucius breui conualuit. Quamquam autem æger, & imbecillus, cum vix hæreret veſtigio, & genua ſubſiderent, nihil propemodum de laboris contentione detraxit, ne quid ægris de expectata caritate detraheret. Accedebat nocturnæ quietis aſperitas, quam in ipſa ſoli duritia, cum diurna veſte carpebat. Porrò cum integris & valentibus, nihil illi minùs laboris erat, aut ſollicitudinis. Ita eius præcordia caritas occupabat. E Caſtris cùm Ratisbonam ſe referret, repentè Graſſatores occurrunt, hominem ſpoliant, & acerbis plagis afficiunt; inhumaniùs forſitan tractaturi, niſi tribus Italis apparentibus, dum ad eos ſe conuertunt, ille nudus cum ſolo aufugiſſet indusio. Confecto Bello nequaquam quieuit Bobadilla, ſed modò hanc, modò illam curaturus Eccleſiæ partem, nunquam eodem loco conſiſtens, ſed tamquam verus Apoſtolus (vt de eo ſcripſit Viennenſis Antiſtes) cuncta pererrans, anno etiam 1547. nimijs ex laboribus ægrotauit. Sane magni ponderis apud Germaniæ Proceres & Antiſtites vox eius erat, ſed apud Romanorum Regem longè maximi. Anno inſequente cùm in Auguſtanis Comitijs libellus vulgaretur de Catholicæ Fidei doctrina & ritibus, quæ Germania tantiſper, dum Concilium Tridenti coactum ſtatueret, ſequeretur, vnde nomen libello factum eſt: *Interim*; Bobadilla, & dictis pariter, & ſcriptis ſe ſe conſtanter oppoſuit, cùm nec Catholicis ea moribus congruere viderentur, nec Cæſaris poſſent auctoritate conſtitui: eoque eſt aduerſando progreſſus, vt quamuis eſſet in Curia Principum pleriſque percarus, à Miniſtris tamen Imperatorijs iuſſus ſit ipſius Cæſaris nomine, è Germania faceſſere: quod ille ſanè numerauit in lucris, cum pro ſe cauſa ſtaret, & glorioſum ſibi duceret, magis Deo placere, quàm hominibus. Ergo in Italiam regreſſus eſt, & Iacobo Lainio in Siciliam profecto, eius ipſe partes Neapoli ſuſcepit implendas. Minorenſem quoque Diœceſim viciniſque Epiſcopatus, Policaſtrum item, Biſinianum, Roſſanum, ſemper ſtrenuus, ſemper ſui ſimilis biennio luſtrauit. Et Roſſani quidem venenum ei à perditis hominibus datum eſt, vt prodigij ſit inſtar habitum, quòd extremam perniciem effugerit. Verùm vt emerſit è morbo, eadem alacritate atque conſtantia ad caſtigandos improbos redijt. Anno 1551. Neapolim miſſu S. Ignatij redijt, & primam eò Sociorum coloniam ad Collegium fundandum deduxit. Anno 1553. Phaliſcum Epiſcopatum, Epiſcopo ipſo rogante luſtrauit. Inde in Picenum, Commiſſarij nomine ab Orthodoxæ fidei iudicibus deſtinatur, vt cunctos Hæreticorum, Iudæorumque libros collectos infami concremaret incendio; & Cardinali auctore Carpenſi, Lauretanum quoque Clerum inſpexit, quæ omnia haud exigua ab eo cum laude ſunt geſta. Tot tantaque decora magnis laboribus parta haud leuiter viſus eſt corrupiſſe Bobadilla, quando vita functo S. Ignatio, & ad Vicariam poteſtatem aſſumpto tantiſper Lainio, ægrè ſe ferre declarauit, quòd in partem eius gubernationis non accerſeretur, & è prioribus Societatis qui conuenerant ad Comitia Patribus, nonnullos in ſuam pertraxit ſententiam, non leuibus turbis excitatis. Verùm vbi lux illi redijt, agnouitque quantum in diſcrimen per ſuam imprudentiam adduxiſſet Societatem, nouis errorem benefactis correxit, Fulginium primùm, mox in Vallem-Tellinam ad Apoſtolicos labores miſſus. Ibi cùm fame, & ſiti, cum frigore, & nuditate, cum Hæreſi quoque & morum corruptela pugnandum illi fuit, & ab Hæretico Prætore citatus aliquando, interrogatuſque ecquid pro concione, fuiſſet auſus de Euchariſtia

docere, quamquam diſſuadentibus plurimis, promptè ſe ſtitit, nec minore coram illo ſpiritu, quam publicè fecerat, omnia repetiuit, animumque Prætoris ſua conſtantia fregit. Poſt annum in Illyriam Epidaurio, rogante Antiſtite conceſſit, & rupes illas incultas biennio circumcurſauit, ſi quid ex iјs poſſet bonæ frugis exprimere. Incredibile dictu eſt quàm indefeſſe ad opus incumberet per aſſiduas conciones, lectiones, aliaque omnia, vt hic etiam ſit ipſius valetudo magnitudine fatigationis tentata per febrim quartanam, quam cum diu non poſſet excutere, in Italiam redire compulſus eſt. Interea non licuit homini eſſe otioſo, qui totus ardebat ſtudio laborandi. A Guidone Sfortia Cardinali S. Floræ in Calabriam miſſus eſt, vt quædam ibi Syluestrinorum Monaſteria viſeret, qua facta opportunitate, Mellitum, & Catanzarium quoque percoluit. In ſumma ſequentibus annis totam propemodum Italiam, atque Siciliam crebris excurſionibus peruagatus, vbique reliquit ardoris ſui luculenta impreſſa veſtigia, ab omnibus paſſim cultus, vt Pater, propter ſanctitatis, & eruditionis exiſtimationem, ac venerandam canitiem; donec fatiſcentibus per ætatem, crebroſque morbos corporis viribus, Lauretanam ſibi quietis mortiſque ſedem, amore atque obſeruantia in Deiparam Virginem, elegit. Ibi poſtremus Sociorum S.P.N. Ignatij; die 23. Septembris anno ſalutis 1590. à confirmata Societate 50. prope octogenarius deceſſit. Poſt obitum ex illius manuſcriptis compertum eſt, ipſum conciones habuiſſe in 77 Archiepiſcopatibus & Epiſcopatibus per Italiam, Siciliam, Germaniam & Dalmatiam, in locis verò diuerſis 158. intra eoſdem. Scripſit

Speculum Chriſtianæ Conſcientiæ. Libris tribus

Paraphraſim in varios libros Sacræ Scripturæ manu propria. Pariſijs 1634. in 4. quæ aſſeruatur in Grammatophylacio Societatis Romæ. Item

Libellos complures de reſtituenda Religione in Germania, qui tamen non ſunt editi

Allegorias, & moralitates in totam Bibliam. ex optimis auctoribus

Lectiones XL. ſuper I. caput S. Lucæ

Lectiones XL. ſuper XIII. caput S. Ioannis

Lectiones XX. ſuper I. Pſalmum Beatus vir

Lectiones X. ſuper Pſalmum Miſerere mei Deus: & alia complura

NICOLAVS BOONARTIVS natione Belga, patria Bruxellenſis adſcitus in Societatem Treuiris, ætate vndeuicennis; anno ſalutis 1583. vota 4. profeſſus eſt 1599. Philoſophiam Duaci, Theologiam Louanij docuit, acumine, iudicio, memoria pari, rara dote in tanta ingenij ſublimitate, vt neſciam an vlli ætate ſua ceſſerit. Ceſſit è vita vir non doctrina magis quàm pietate magnus, Pinciæ dum in patriam rediret, & pararet in vniuerſam D. Thomæ Summam Commentarium anno 1610. die 9. Martij. Edi permiſit

Orationem Funebrem in exequijs Sereniſſimæ Gregoriæ Maximilianæ Caroli Archiducis Auſtriæ filiæ, Philippo III. Hiſpaniarum Regi deſponſæ, quam Bruxellis habuit coram Archiducibus Alberto, & Iſabella. Gallicè verò & Flandricè, ſuppreſſo vtrobique ſuo nomine

Apologiam breuem pro B. Virgine A Spricollis

Scripſit dum in Hiſpania verſaretur, elegans, & doctum opus in duas partes diuiſum, nondum tamen typis traditum in qua ſe non minùs Iuriſconſultum, quàm Theologum & in omni Hiſtoria & litteratura varium oſtendit. Inſcripſit

Mare non liberum, ſiue Demonſtratio Iuris Luſitanici ad Oceanum, & Commercium Indicum, contra Batauicam H. Grotij aſſertionem

NICOLAVS BVRENVS natione Belga, patria Gelder, Arnhemienſis, Societati adſcriptus anno Domini 1588. ætatis 19. Coadiutor formatus ſpiritualis anno dein 1619. ætatis 54. ærumnoſo morbo, eoque diuturno abſolutus eſt. Annos quippe XII. vitæ ſuæ poſtremos, tanto dexteri lateris dolore vexatus eſt; vt ſingulas penè noctes inſomnes duceret, ciborum nauſeam pateretur, torminibuſque diſtringeretur, quibus tamen haud ſe paſſus eſt impediri, ab audiendis aſſiduè Confeſſionibus, inuiſendis ægris, atque apud eos, cum opus eſſet, nocte ducenda. Cumque iam morbo fractus neque Concionibus, neque Catecheſi ſufficeret, quod ſuperfuit otij à Confeſſionibus, impendit in vertendos Flandricè pios libellos. Vertit ergo

Franciſci Arias Tractatum de Confeſſione & Communione. Antuerpiæ apud Ioachimum Trognæſium 1603.

Tractatum eiuſdem de Præſentia Dei. Antuerpiæ apud Guilielmum Leſteens 1619.

Fuluij Androtij de Frequenti Communione. Ibidem 1618.

Lucæ Pinelli de Sacrificij Miſſæ myſterio. Ibidem 1620.

Martini Becani titulos Caluiniſtarum. Ibidem 1618.

NICOLAVS CABEVS natione Italus, patria Ferrarienſis, Societatem amplexus anno ſalutis 1602. ætatis 17. vota 4. ſolemnia nuncupauit. Docuit in Academia Parmenſi Philoſophiam, Theologiam Moralem, & Mathematicas diſciplinas aliquot annis; poſtea Concionatorem egit per Italiam, magno animi ardore & fructu. Vir fuit candidiſſimis moribus; & Sereniſſimis Ducibus Ferdinando Mantuæ, & Franciſco Mutinæ, apprimè carus. Genuæ demum, quò miſſus fuerat, vt Matheſim iterum doceret, mortalitatem exuit die 30. Iunij 1650. Edidit

Philo-

Philoſophiam Magneticam in qua Magnetis natura penitus explicatur, & omnium quæ in hoc lapide cernuntur, cauſa propriæ adferuntur. Noua etiam Pyxis conſtruitur, quæ propriam Poli eleuationem cum ſuo meridiano vbique demonſtrat. Ferrariæ apud Franciſcum Succium 1639. in folio

Commentaria, & Quæſtiones in libros IV. Meteorologicorum Ariſtotelis Tomis 4. Romæ typis Corbelletti 1646. in folio

NICOLAVS CAVSSINVS natione Gallus, patria Trecenſis, Societatem anno 1596. ætatis 26. ingreſſus eſt, & votorum 4. profeſſionem emiſit. Vir ſingulari eruditione, & eloquentia, eximia morum probitate, & innocentia. Rhetoricam per multos annos Rothomagi, Flexiæ, & Pariſijs magna cum laude docuit; poſtea partes Concionatoris exercuit, & Regi Chriſtianiſſimo Ludouico XIII. à ſacris Confeſſionibus fuit. De hoc prædixit olim Henricus magnus ſagaciſſimus Princeps raram in eius vultu demiratus indolem, fore vt Nicolaus decori, & ſuo Regno, & toti Societati eſſet futurus. Et certè fuit; tum ob exquiſitam doctrinam, tum ob ſingulares virtutes quibus præfulſit, vt ab omnibus Angelus pacis dictus fuerit. Eluxerunt ſiquidem in illo eximia caritas erga pauperes, inuicta conſtantia in aduerſis; æqualis in proſperis animi ſtatus; prudentia tam inſignis, vt omnium horarum homo potuerit non immerito appellari. Tandem annis grauis, & multis meritis cumulatus, ad horum præmia migrauit ad Dominum Pariſijs in Domo Profeſſorum, die altero Iulij 1651. Edidit

Theſaurum Græcæ Poeſeos ex omnibus Poetis Græcis collectum. Pariſijs apud Romanum de Beauuais 1612. Moguntiæ 1614. in 8.

Electorum Symbolorum & Parabolarum Hiſtoricarum Syntagma ſeu de Symbolica Ægyptiorum Sapientia, & Polybiſtoris Symbolici lib. 12 Pariſijs typis iiſdem 1618. in 4. & Coloniæ apud Kinchium 1623.

Eloquentiæ Sacræ & Humanæ Parallela lib. 16. Flexiæ apud Sebaſt. Chappelet 1619. in folio, & auctius Coloniæ apud Ioannem Kinkium 1626. in 4.

Tragædias Sacras his titulis

Solyma. Nabucodonoſor. Felicitas. Theodoricus, Herminigildus actione oratoria ſcriptas. Pariſiis apud Sebaſt. Cramoiſij & Sebaſt. Chapelet 1620. & Coloniæ apud Kinckium 1621. in 12.

Ephebiam ſeu de Rege pubere, & Porticu Ladoicæa, quæ eſt Pompæ Regiæ Flexienſis Pars 2.

Vertit è Gallico Latinè

Iuſta Funebria, Henrico Magno Galliarum Regi à Ludouico Richeomo ſcripta. Antuerpiæ typis Hieronymi Verduſſij 1613. in 4.

Gallicè vero ſcripſit

Aulam Sanctam Tomis III. *ſæpiſſimè recuſam & ab Henrico Lamormaini* latinè redditam, ab alijs Italicè, Hiſpanicè, Luſitanicè, Germanicè, Anglicè tranſlatam

Diarium Chriſtianum ſeu Exercitia quotidiana Chriſtianorum. Pariſijs apud Chapelet 1628. & 1636. in 12. auctum. Flandricè verſum à Ludouico Iacobi; Latinè redditum à noſtro Antonio Rabe Pariſijs 1660.

Sapientiam Euangelicam, ſeu expoſitionem Euangeliorum Quadrageſimæ Ibidem editione 2. auctam 1636. in 12. Italicè reddidit noſter Sebaſtianus Bollatius

Triumphum pietatis & gloriam armorum Ludouici XIII. Regis Chriſtianiſſimi Ibidem 1629. in 8.

Impietatem Domitam à Lilijs, ſeu Hiſtoriam Saxoniæ à Carolo magno domitæ. Italicè redditam, Romæ typis Manelfi 1647. in 12.

Apologiam pro Religioſis Societatis Ieſu ad Reginam Regentem Pariſijs 1644. in 8. & in 4.

Rubum ardentem, Figuram incarnationis Dominicæ, ſeu diſcurſus 24. *ſuper myſterio Aduentus.* Pariſijs apud Ioan. du Bray 1647. in 4.

Reſponſionem ad Impietates Miniſtri Drelincourt. Pariſijs apud Chapelet 1632. in 8.

Spiritum S. Franciſci Saleſij. Pariſijs 1637. in 8.

Vitæ S. Iſabellæ Sororis S. Ludouici. Pariſijs in 12.

Reſponſionem ad obiecta Theologiæ Moralis. Pariſijs 1645. in 8.

Adeodatum, ſeu Elogium Ludouici XIV. Pariſijs 1638. in 4.

Epiſtolam ad virum nobilem de Horoſcopis. Pariſijs 1649. in 4.

Orationem Funebrem Catharinæ de Beauilliers. Pariſijs 1634. in 8.

Imperium Rationis ſupra Paſſiones. Traductum Italicè à noſtro Carolo Antonio Berando Bononiæ typis Caroli Zeneri 1649. in 12. Cum Hiſtoria Mariæ Stuardæ Reginæ Scotiæ Ibidem ab eodem P. Berardo Italicè reddita Bononiæ 1645.

Latinè etiam edidit

Angelum Pacis. Pariſijs 1650. in 12.

Regnum Dei ſeu Diſſertationes in libros Regum cum alijs Tractatibus. Pariſijs apud Ioannem de Bray 1650.

* NICOLAVS CICHOVIVS natione Polonus ex ea Regni parte quæ Maior Polonia appellatur, Societatem complexus anno ſalutis 1615. ætatis ſuæ 17. ſub initium vitæ Religioſæ, pro ſua animi demiſſione Coadiutoribus temporalibus petiuit adſcribi, & impetrauit; atque ita Marthæ ſorte contentus triennio functus eſt Ianitoris officio. Verùm cùm aduertiſſent Superiores maiora longe poſſe ab illius ingenio, & induſtria expectari, ſtudijs altioribus applicuerunt, in quibus ita excelluit, vt

Philoſophiam triennio Theologiam Scholaſticam quinquennio Poſnaniæ explicuerit, & Sacras litteras triennio, ſit interpretatus. Præfuit etiam ſtudijs altioribus biennio, & varias Miſſiones vtiliter obiuit, & votorum 4. profeſſionem emiſit. Perpetuus fuit Hæreticorum, & nominatim Arianæ hæreſis in Polonia renaſcentis Antagoniſta acerrimus, cætera vir valdè Religioſus, & apprimè humilis quieuit in Domino Cracouiæ die 27. Martij 1669. Edidit librum contra Arianos tanto emolumento Fidei Catholicæ, vt ex Regno Poloniæ publico Reipublicæ edicto, omnes Ariani etiam Nobiles ſint proſcripti, ſub pœna capitis, & amiſſionis omnium bonorum: libri titulus eſt

Credo Arianorum, ſeu Confeſſio Socinistarum, vel Samoſateniſtarum, vulgo *Arianorum*, cui adiecta eſt *Centuria argumentorum pro ſumma, & naturali Chriſti Diuinitate*. Cracouiæ typis Franciſci Cæſarij 1649. in 4.

Colloquium Kionienſe de Proceſſione Spiritus Sancti à Patre & Filio Cracouiæ 1649. in 8.

Speculum Infidelitatis Arianæ, in explicatione Symboli, & Sacræ Scripturæ. Polonicè Cracouiæ 1650. in 4.

Reſponſum Theologicum pro exemptione PP. Societatis Ieſu à ſoluendis Decimis. Romæ typis Corbelletti 1650. in 4.

Angelici Doctoris S. Thomæ ſententia de Immaculata Conceptione B. Virginis. Poſnaniæ typis Alberti Reguli 1650. in 4.

Tribunal Sanctorum Patrum Orientalium & Occidentalium, de Proceſſione Spiritus Sancti à Patre & Filio, & de Præminentia Romani Pontificis. Cracouiæ typis Hæredum Franciſci Cæſarij 1658. in 4.

Triumphum Sanctiſſimæ Trinitatis de Arianis Cracouiæ iiſdem typis 1660. in 4.

Speculum Samoſateniſtarum vulgò *Arianorum*. Ibidem 1661.

Rationes triginta quibus omnes ab contagio Arianorum conatur auertere Polonicè Ibidem 1652.

* NICOLAVS DE CONDE natione Lotharingus, patria Claromontanus in diœceſi Virdunenſi, inter ſummos ſui temporis Concionatores in Gallia numeratus, natus anno ſæculari 1600. in Societatem ſe recepit 1622. & votis 4. ſolemnibus ſe illigauit. Rhetoricam quadriennio, Philoſophiam triennio profeſſus eſt; reliquo vitæ tempore Eccleſiaſten egit per totam ferme Galliam magno fructu, & cum admiratione plurimorum. A multis habitus eſt vt prodigium ingenij, & memoria aliquid ſupra humanum habere videbatur, vt qui ſine ſcripto vllo, multorum annorum conciones a ſe habitas, animo retineret. Ad hæc vir omnium virtutum fuit. Paupertatis ſanctæ adeo amans, vt nullus in eius cubiculo liber viſus fuerit, præter Biblia Sacra, quæ flexis genibus quotidie legebat. Arctiſſimam cum Deo coniunctionem teſtabatur entheum eius pectus, quoties de Diuinis rebus verba faceret. Mira illi in ſurgendo mane conſtantia ad commune ſignum, quidquid præceſſiſſet itinerum aut laborum; mira inter externos ad menſam, & vbique abſtinentia. Vnius tantum pulmenti genus ſingulis refectionibus deguſtabat. Regularum, & diſciplinæ Religioſæ obſeruantiſſimus fuit; & ad ea maxime officia propenſus in quibus magis exercetur humilitas, & caritas; ideo ad miniſtrandum, ad legendum ſuper menſam, ad officia culinaria frequens ſe ſuperiori offerebat, & hos pios mores ad extremum vſque morbum conſtanter retinuit. Demum maturus Cælo, Diuione vbi ardentiſſimas magna laude habuerat conciones per aduentum, & Quadrageſimam, ad laborum ſtipendia euolauit die 5. Octobris 1654. Edidit Gallicè tacito ſuo nomine

Supplementum ad annum Chriſtianum, noſtri Ioannis Suffreni. Pariſijs apud Claudium Sonium 1649. in 4.

Orationem Funebrem de Ludouico XIII. Pariſijs habitam. Ibidem apud Petrum Moreau 1643. in 4.

Vitam P. Caroli à Lotharingia Societate Ieſu. Ibidem 1652. in 12.

NICOLAVS CVSANVS, natione Germanus, natus Cuſæ in agro Treuirenſi die 6. Nouembris anno 1574. Societatem ingreſſus eſt anno 1601. iam excultus Theologicis diſciplinis, quas etiam Baccalaureus creatus, in Imperiali S. Maximini Monaſterio Religioſis explicuerat, profeſſionem 4. votorum emiſit anno 1614. Vir plane egregius, & Societatis noſtræ genuinus alumnus. Abſoluto Tirocinij biennio miſſus Luxemburgum, infimam Grammaticam primus docuit anno non plus vno, nam mox foras ad oppida miſſus & pagos, inſtituendis rudibus totum ſe conſtantiſſimè impendit; etiam tum cùm mediam Grammaticam alterius vice docuit, & ante meridiem Conciones in Vrbe obtinuit; nam pomeridianis horis in agrum ſuburbanum animas Deo lucraturus ſtrenuè excurrebat. Ab hoc propoſito nulla vnquam pluuij cæli, frigoriſque incommoda, nulla prædonum, aliaue id generis à ſceleratis hominibus quantumuis magna pericula, nullæ moleſtiæ, quæ ſe in dies plurimæ obtulerunt, illum deterrere potuerunt. Faſſus eſt ille quidem Superiori, ſe quoties exeundum eſſet, toto corpore contremiſcere; ſed animi robore premens horrorem, tamquam ad epulas promptiſſimus egrediebatur. Pridie verò vt ſe compararet ad opus, erratorum ſuorum veniam à ſocijs in triclinio poſcebat, tergebat ollas, & flagello in ſe priuatim animaduertebat. Prodibat autem iuſta libellorum, roſariorum, aliarumque huiuſmodi piarum rerum ſarcina grauis, quæ pro re nata diuideret. Itinera condiebat continua oratione, niſi cum de via bubulculus aliquis, vel

opilio eſſet inſtruendus, quâ morâ ſimul etiam ſocium longius ſequentem opperiebatur. Temporis erat parciſſimus; cui remedio iumentum ſæpius admittebat pro ſocio, vt ſequi ſe poſſet; nam ipſe fere pedes ambulabat, niſi cum diuerſis locis eſſet vna die concio habenda, cælo præſertim pluuio. Si quandoque apud Nobiles, vbi diuertebat, menſa longius protraheretur, ille vbi vilioribus ſe cibis refecerat, ad ſacros labores ante ſecundas menſas exſurgebat. Sæpe contentione feſtinandi ab vno in alium locum, deficientibus viribus medio in luto collapſus eſt. Totos crebrò menſes ſola frigida, & pulte auenacea, aut atri panis offula, vel inſulſi fruſto caſei vitam duxit. Somnum in ſtramine capiebat, ſolo tectus pallio; per hyemem quidem tepidiore quodam loco, reliquo anno in horreo. Chirothecis nunquam totis 33. annis eſt vſus aduerſus hyemes, vt fit, niſi anno vitæ poſtremo, cum ex morbo grauiore reſpiraſſet. Hæc cum ageret toleraretque mortalium bono, haud quaquam tamen vitare potuit calumnias; nam & admiſſæ fornicationis, adeoque & Hæreſeos Vir innocentiſſimus poſtulatus eſt, ab improbis hominibus, quæ quamuis ipſi grauiora cæteris malis fuerunt: ardentem tamen eius zelum minimè potuerunt extinguere, qui finibus eius Prouinciæ contineri impatiens, in Lotharingiam Germanicam, vicinaſque ditiones ſe extendit, tam felici euentu, vt vno in Oppido affirmarit vir perhoneſtus, plus eum commodi attuliſſe octiduo, quam ab omni retrò memoria quotquot eò Parochi, quotquot Religioſi veniſſent. Decanus ruralis, qui aditum ei ad ſuam Parœciam negabat, cùm ſancta victus importunitate concionem ei permiſiſſet, dicentemque audiuiſſet, adeo ſuſpexit hominem, vt primus ei ſupplex acciderit ad Confeſſionem, magno ſuis omnibus exemplo prælucens. Lites optimo ſucceſſu paſſim dirimebat, iurandi & malè precandi morem peſſimum caſtigabat acerrimè, & multis in locis haud improſperè penitus excidit. Cultum Deiparæ Virginis vehementer amplificauit, duabus rebus vel maximè, reuocato Roſarij recitandi vſu, & eius Litanias ante cubitum ſimul orandi, in ijs Familijs, vbi diuerſabatur, inſtituto. Hæc cùm foris præſtaret, domi nihilo ſeciùs omnium dabat exempla virtutum. Orare vix aliter quam flexis genibus viſus, nulli vnquam fulcro nixus; ſenſu autem & affectu pietatis tanto, vt ſæpe in vberes lacrymas colliqueſceret: id quod ad menſam quoque non raro cùm ſacræ lectioni intenderet, eueniebat. Sanctiſſimi Nominis Ieſu honori ſic fuit affectus, vt non tantùm cum illud pronunciaret, ſed cum ſcriberet etiam, caput interim aperiret. Nunquam paſſus eſt aliorum quidquam exiſtimationi apud ſe detrahi, ſolitus omnia excuſare, vel in partem optimam interpretari. Nunquam ille cuiquam iraſci, nunquam ſtomachari, qui alioqui ad concionem acerrimus, ignem ſpirare videbatur. Omnibus ſuam operam quaquà poſſet in re ſemper habuit promptam. Sacras Miſſæ cœremonias ad ſtuporem vſque accuratè obſeruauit. Impiger ad imperia Superiorum; In omni rerum vſu prorſus pauper, detritas ſemper veſtes vſurpabat; nouas vt admitteret, haud facilis perſuaderi. Demiſſionis & humilitatis ſtudio, conſulebat in ambiguis etiam eos quos non neſciebat ſe eſſe doctrina inferiores. Fuit denique religioſæ diſciplinæ cuſtos ſedulus, & in vita ſua perfectiſſimam eius formam expreſſit, externis iuxtà, ac domeſticis hoc nomine venerabilis, & carus, vt nemo dubitaret eum cum Sanctiſſimis viris conferre, Noſtriſque omnibus, qui in Apoſtolicis Miſſionibus exercentur, tamquam perfectum eius vitæ quam 35. annis tranſegit exemplar proponere. Intentum caritatis officijs iuuandiſque per pagos inter cadauera moribundis, morbus, & mors occupauit, inſtructum priùs tamen Eccleſiæ Sacramentis, Luxemburgi die 20. Aprilis anno ſalutis *1636*. Edidit Gallicè, & Germanicè

Scholam Chriſtianam, in qua, & quæſtiones omnes Catechetica & controuerſi Fidei articuli explicantur. Placuit hoc opus vehementer omnibus, ſæpiuſque recuſum eſt. Reuerendiſſimus Maudaurenſis Antiſtes Suffraganeus Metenſis cum legiſſet, tota ea diœceſi præcepit loco concionum populo à Parochis recitari. Eam tranſtulit Gallicè Ioan. le Veneur noſter

Sapientiam Chriſtianam, qua Scholæ quaſi compendium eſt.

Ducem viæ quo confutantur errores Hæreticorum, & Fidei Catholicæ veritas probatur

NICOLAVS CYROVVSKI, natione Polonus, nobilibus in Maſouia parentibus natus, annum agens 17. ad Societatem venit anno Domini 1586. & confecto ſtudiorum curſu, traditiſque ſexennio humanioribus diſciplinis, in Moſcouiam ſecutus eſt militares copias Demetrij Ducis Moſcorum, quibus operam perutilem impendit. Collegia difficillimis temporibus Leopolienſe, Iaroslauienſe, Poſnanienſe annos XIII. rexit. Hic cum phthiſis toto anno exercuit; & tandem confecit die 13. Maij anno ſalutis *1625*. ætatis 56. Religionis 39. & poſt 16. quàm vota 4. conceperat. Singularis de illius ſanctitate opinio frequentem populum ad eius funus exciuit, creditumque vulgo eſt, exſpectatam diu votis omnibus pluuiam, quæ quo die elatus eſt, copioſa cecidit, ipſius meritis fuiſſe datam. Enimuero fuit in eo ſpectata humilitas, obedientia, mortificationis externæ, internæque ſtudium, zelus animarum, & perpes cum Deo per orationem familiaritas. Confeſſionibus audiendis ſtrenuam vbique nauauit operam. Eos quibus præ-

præfuit, lenitate multa, ſed iuſta ſeueritate temperata, ad officium excitabat. Miſſus à Superioribus ad Dæmonem ab Energumeno exturbandum, id Oratione, & ducto crucis ſigno perfecit. Ter minimum ſalutem in morbis ſupra naturæ vires ope Sanctorum Ignatij, Xauerij, Barbaræ, ac Bibianæ implorata recepit. In ſuprema ægrotatione, cum illi Medicus Orationis exercitio interdixiſſet, voce, oculis, lacrymis, conſuetos pietatis ſenſus erumpebat. Imo ſub illud tempus compoſuit, eos qui lucem poſtea aſpexerunt

Rythmos Polonicos, Diuino amori, veræque contritioni eliciendæ accommodatiſſimos

Edidit præterea Polonicè

Methodum Confeſſionum ritè peragendarum

NICOLAVS DVRAN. Vide NICOLAVS MASTRILLVS

* NICOLAVS ELFFEN natione Germanus, patria Trarbachenſis, Treuirenſis diœceſis, natus anno ſæculi voluentis 26. Societati nomen dedit 1644. & vota 4. ſolemni ritu concepit, docuit in ea manſuetiores litteras, & Philoſophiam; præfuit Scholis, & Concionatorem multis annis egit, agitque Coloniæ; edidit Latinè

Scintillam Cordis, ſiue exercitia ſpiritualia S.P.Ignatij fuſiùs explicata Coloniæ typis Petri Alſtorff.1670.in 12.

Germanicè vulgauit præter alia minutiora

Panem Paruulorum,& Cibum ſolidum. Coloniæ typis Hildeni 1665.in 12.

Latinè eundem vertit iiſdem typis 1665.& rurſum cum figuris Ibidem 1670.

NICOLAVS FOREST natione Gallus, patria Rhemenſis Societatem anno 1612. ingreſſus ætatis 17. poſt amœniores litteras traditas, Philoſophiam, & Matheſim ſeptennio docuit, poſtea Sacras litteras interpretatus eſt Rhemis. Edidit dum inter nos ageret, tacito nomine

De Circino Proportionis. Opuſcula Mathematica

NICOLAVS GODIGNVS, natione Luſitanus, patria Vlyſſiponenſis ad Societatem acceſſit Conimbricæ, annos XIV. natus, anno ſalutis 1573. & vota 4. ſolemnia nuncupauit. In ea ad magnam doctrinam euaſit, & Humaniores litteras ſexennio, Philoſophicas diſciplinas octennio, Theologicas ſeptennio, publicè cum laude profeſſus eſt. Poſtea Romam euocatus ad munus Cenſoris Generalis librorum à Societate edendorum, ad decennium eo perfunctus eſt & ibidem demum conceſſit naturæ die 7. Decembris anno 1616. ſcripſit

Vitam Gonzali Siluerię Societatis Ieſu Sacerdotis, in Vrbe Monomotapæ Martyrium paſſi die 15. Martij anni 1561. Lugduni apud Horatium Cardon 1612. in 8.

De Abaſſinorum rebus, deque Æthiopiæ Patriarchis Ioanne Nonio Barreto, & Andrea Ouiedo. lib.III. Ibidem & eiſdem typis 1615. in 8.

NICOLAVS HENARDVS natione Lotharingus, patria Tullenſis cùm multos annos morbis grauiter conflictaretur, ijs commodius curandis volens lubenſque à Societate dimiſſus eſt; quem cùm eo tempore Henricus Lotharingus Virdunenſis Antiſtes Vicarium ſuum eſſe iuſſiſſet, perpetuis pene concionibus dedit operam, & præclarè libertatem Eccleſiaſticam propugnauit, nihil veritus cum plurimorum odio, Nobiles quoſdam turbulentos graui anathemate percellere. Obtinuit deinde à Præpoſito Generali Societatis noſtræ, vt rurſum ad Ordinem admitteretur, Anno Domini 1604. vbi & Theologiam Moralem docuit, & cum laude concionatus eſt, & 4. vota profeſſus, collato in Rhemenſe Collegium cum facultate requiſita, opulento beneficio. Collegio tandem Augenſi Rector datus hydrope extinctus eſt anno ſalutis 1618. ætatis 52. Edidit Gallicè priuſquam ad Societatem rediret

Conciones Sacras in omnes Dominicas Aduentus, & feſtos dies 1600.

NICOLAVS IAVELLVS, natione Burgundo Sequanus, patria Dolanus natus anno ſalutis 1589. Societati aggregatus 1606. in qua 17. poſt annos ſolemnem edidit profeſſionem. Philoſophiam docuit quinquennio, Theologiam Moralem biennio; altero quinquennio Scholaſticam; Doctorali titulo decoratus. Nouitijs formandis ad Noſtrum Inſtitutum vndecim annis nauauit operam, & ſeptuagenario maior quieuit in Domino Veſuntione die 2. Martij 1667. Edidit tacito nomine redditum Gallicè

Guilielmi Baldeſani ſtimulum virtutum.

NICOLAVS KMICIC natione Roxolanus, ex Palatinatu Vitepſcenſi, nobili genere Societati adſcriptus Vilnæ, anno ſalutis 1617. ſuæ ætatis 16. in amœnioribus diſciplinis inſigniter profecerat, & cùm ſpem de ſe magnam apud omnes excitaſſet, in ipſo flore iuuentutis, & curſu ſtudij Theologici, mortifera tabe conſumptus ad vitam tranſiuit mortis neſciam, Vilnæ die 24. Februarij 1622. Edidit ſub alieno nomine

Ioſephatidos Lib. III. ſeu Martyrium B. Ioſephati Kuncevvicz Archiepiſcopi Polocenſis. Carmine Heroico. Vilnæ typis Academicis 1627.in 8.

Panegyricum D. Georgio Tyſzkievvicz Epiſcopo Samogitiæ cum in Epiſcopum Methonenſem, & Suffraganeum Vilnenſem inauguraretur. Ibidem typis Academicis 1638. in 4.

Ditby-

Dithyrambum, qui extat in Epicitharismate ad lyram Matthiæ Caſimiri Sarbjeuij

NICOLAVS LANCITIVS natione Lithuanus, natus Neſuiſij parentibus Hæreticis, cùm linguis Latinæ, Græcæ, atque Hebraicæ apud Caluinianos operam Vilnæ daret, ad Religionem Catholicam ſe conuertit, & ſimul etiam ad Societatem noſtram animum adiecit. Quare tirocinium ingreſſus Cracouiæ anno ſalutis 1592. ætatis ſuæ 17. illud Romæ abſoluit; vbi emenſis feliciter Theologiæ ſtudijs. P. Orlandino datus eſt adiutor in conquirendis pro hiſtoria Societatis litterarum monumentis. Inde Vilnam miſſus, Sacram linguam, Theologiam Moralem, & Polemicam, nec non Sacram Scripturam in Academia illa explicuit. Rexit Collegia Caliſſienſe, & Cracouienſe, cuius Scholas publicas contra oppugnatores per decennium Romæ egregiè defendit, cauſamque in Romana Rota euicit. Præpoſitus deinde Prouincialis Lithuaniæ, Prouinciam illam gubernauit, eoque defunctus munere noſtris Sacerdotibus in tertia probatione inſtruendis tum in Lithuania, tum in Bohemia diu operam dedit. Vir fuit Sapientia & virtute clariſſimus; apud Principes viros ſummæ auctoritatis, atque ad duas Congregationes Generales Societatis ſeptimam & octauam, à duabus Prouincijs Poloniæ & Lithuaniæ legatus. Quin & à Deo ſingularibus affectum fuiſſe donis, & gratijs, in curationibus morborum, prædictionibus euentuum, viſionibus rerum Cæleſtium, notitia ſecretorum cordis affirmant complures, qui illi conuixerunt. Ante mortem dolores ſemeſtris morbi grauiſſimos incredibili patientia tolerauit. In exulceratis tibijs ſcatentium vermium carnificinam altiſſimo ſilentio conſtanter diſſimulauit. Tandem ſingulari vultus atque animi quiete, coram Venerabili Euchariſtia rogatu illius allata, ex ærumnoſa hac vita ad Beatam (vt fas eſt credere) migrauit Caunæ die 16. Martij 1652. Edidit ſuppreſſo ſuo nomine

Gloriam S. Ignatij Societatis Ieſu Fundatoris. Cracouiæ apud Andream Petrikouium 1623. in 8. Vilnæ typis Academicis 1624. in 12. Antuerpiæ apud Henricum Aertſens 1628. in 24. Translatum eſt à quopiam in linguam Belgicam, & Ioanni Euſebio Nieremberg: materiam ſuggeſſit & modum ſimili titulo cum multa acceſſione ſcribendi vitam S. Ignatij Hiſpanicè. Scripſit ſub ſuo nomine

De Indicijs & gradibus profectus in virtutibus. Antuerpiæ apud Ioannem Meuricum 1641. in 8. Item

Opuſcula Spiritualia duobus Tomis, quorum prior complectitur decem diuerſos Tractatus. Poſterior vndecim. Antuerpiæ apud Iacobum Meurſium 1650. in folio. Parauerat & Tertium, ſed nondum prodijt. Edidit etiam Polonicè

Octo monita pro Nobilitate Polona; 1632.

* NICOLAVS LOMBARDVS, natione Gallus, patria Macerienſis ad Moſam in Campania, natus anno ſæculi elapſi 90. ad Societatem noſtram acceſſit labentis 8. & votorum 4. profeſſione ſe adſtrinxit. Rhetoricam, & diſciplinas amœniores decennio tradidit. Reliquo fere vitæ tempore Eccleſiaſten egit, & Operarium in Domo Profeſſorum Pariſijs vbi religioſe mortalitati ceſſit die 5. Maij 1646. Edidit latinè

Neemiam, & Eſdram Commentario litterali Morali & allegorico illuſtratos. Pariſijs apud Michaelem Solis 1643. in fol. Gallicè vero

Veram Exaltationem S. Crucis. Pariſijs apud Ioan. Camuſat 1637. in 8.

Pacificum Statum Chriſtiani in ſubmiſſione propria voluntatis. Ibidem eodem anno in 12.

Amorem victorem Tentationum. Ibidem 1637. in 8.

Mira Fidei Chriſtianæ. Ibidem apud Sebaſtianum Huè 1639. in 12.

Euſebij ad Polemarchum Epiſtolam circa Librum Arnoldi de frequenti Communione. Pariſijs apud Mathæum Henault 1644. in 4.

NICOLAVS LONGOBARDVS natione Siculus, patria Caltageronenſis, adſcitus in Societatem anno ſalutis 1582. ætatis 17. emenſis ſtudiorum ſpatijs, ad lucra animarum nauigauit in Orientem anno 1596. vbi magnus euaſit in Sinenſi Chriſti vinea Operarius, eiuſque totius Miſſionis poſt P. Matthæum Riccium Superior. Anno primum 1597. deſignatus eſt à P. Alexandro Valignano Viſitatore, qui ad Xauceanam Sedem in Regni eius continente, ſe conferret, ſocius P. Lazzaro Cataneo ibi futurus. In ea Domo per annos deinceps aliquot ſolus Sacerdos, ſubſtitit vno cum fratre, & nouus tamen ac ſolus, magnam Chriſtianæ rei meſſem in Eccleſiæ horrea intulit, non Vrbanis ſolum, paganiſque permultis, ſed Principibus etiam Matroniſque aliquot Chriſto aggregatis, qua in re nec periculis caruit, nec laboribus moleſtijſque. Anno 1606. ſedata pauld ante procella grauiſſima quam nefarij quidam concitarant in P. Cataneum, calumniati Regnum ab eo Sinicum affectari, deriuabantque in omnium Sociorum inuidiam, propria petitus calumnia Nicolaus, per ſubmiſſum libellum adulterij accuſatus eſt. Monitus hac ſe de cauſa euocandum à Præſide in Tribunal, occupauit ipſe prior, rogauitque ipſe Præſidem, vt in illud crimen ſuum diligenter inquireret, & pro veritate vti comperiſſet, pronunciaret. Præſes qui totam hanc actionem credebatur ipſe clàm adornaſſe, vt pro declaranda innocentia largitionis aliquid exprimeret, interrogauit eos ſeuerè, quorum libel-

libellus nomina præferebat, ipſamque adeò mulierem, quæ conſors criminis accerſebatur, nec interrogaſſe contentus etiam tormentis ſubiecit. Verùm nihil potuit ab illis de P. Longobardo exprimere, atque ad Patrem cupidus homo ſæpè ſubmittebat, qui nummos exigeret pro innocentiæ ſuæ declaratione. Sed ille ne obolum quidem vnum pendere voluit, ne quam è ſimili largitione criminis labem haud aliàs facilè diluendam admitteret. Quæ res Neophytis Ethnicisque permultis cùm innotuiſſet, conſtantiam vehementer admirati ſunt. Ergo vbi ſpes largitionis euanuit, de alijs aliter, de Nicolao Præſes pronunciauit, eum & hac calumnia liberum, & quolibet alio crimine, magna integritatis fama ſemper vixiſſe. Anno 1609. Auſtralibus in eo Regno noſtrorum domicilijs præfectus eſt, & mox anno ſequente P. Matthæus Riccius priusquam diem ſuum obiret Chirographo illum ſuo ſibi Succeſſorem, in Sociorum omnium eius expeditionis moderatione conſtituit. Duodecim annis functus eſt Nicolaus illo munere magna commendatione prudentiæ, cæterarumque virtutum exemplo: vnde quamuis iam ab anno 1599. in gradu ſpiritualis Coadiutoris fuiſſet conſtitutus, tamen creſcentibus in dies Viri Apoſtolici promeritis, & accedente peritia inſigni linguæ Sinenſis, iuſſus eſt à Præpoſito Generali Mutio Vitelleſco vota 4. ſolemnia emittere, & gradum Profeſſorum capeſſere, anno 1617. Plurimos ille poſtea Chriſto lucrifecit per varias Imperij Prouincias, nec vllus hactenus Sociorum Europæorum tam diuturno, ac improbo labore vineam illam Domini excoluit. Quinquaginta propè, & octo annos in ea exegit, nullum laborem, nullum periculum, animarum cauſa recuſans. In menſa nullo condimento vnquam vtebatur; ad ſomnum nulla culcitra; Eccleſiaſticum ieiunium, nec in ætate præcipite relaxabat, & quotidie in ſe quantumuis iam ſenex, flagris animaduertebat. In Reſidentijs Noſtrorum ferè ſemper Superior fuit; tandem plenus dierum, & nonagenario maior, ad laborum præmia in Cælum (vti confidimus) euolauit Pekini die 11. Decembris 1655. Vir non ſolum Chriſtianis ibi omnibus, ſed ipſis quoque Ethnicis venerabilis. Vnde & Imperator ad exequias illius dignius celebrandas, trecentorum circiter aureorum ſubſidium ſubmiſit. Scripſit Longobardus

Annuas litteras è Sinis anni 1598. quæ Moguntiæ typis Ioannis Albini 1601. Latinè prodierunt. Item

Libellum precum cum Officio funebri, ac ſepulturæ, Latino quidem ſermone, ſed charactere Sinico expreſſum.

Sinico verò idiomate edidit

Formulam examinandi Conſcientiam, & Confitendi, ſiue Exercitium quotidianum, Chriſtianorum vſibus valdè accommodatum.

Vitam Beatæ Virginis, & nonnullorum Sanctorum.

Librum De Anima eiusque potentijs.

Tractatum de Cauſis Terræmotus Pekinenſis anni 1624. quo libro magnam noſtris doctrinæ opinionem comparauit.

NICOLAVS MALAVELETTE. Vide ſupra in IOANNE MALAVELETTE, ita enim appellabatur.

* NICOLAVS MARIA PALLAVICINVS natione Italus, patria Genuenſis, Patritia ſtirpe, natus anno ſæculi labentis 21. Societatem complexus eſt Romæ 1638. & votorum 4. profeſſionem edidit. Poſt traditas litteras amæniores, Philoſophiam quinquennio docuit, Theologiam annis 14. in Collegio Romano, & Sacram Scripturam etiam quinquennio eſt interpretatus. Vir multiplice litteratura inſigniter excultus; modo Præfectum generalem ſtudiorum ibidem agit. Edidit hactenus Italicè

Gregorium Thaumaturgum, hoc eſt, *Vitam Sancti Gregorij Thaumaturgi*. Romæ typis Corbelletti 1649. in 8.

NICOLAVS MASTRILLVS natione Italus, patria Nolanus ingreſſus eſt in Societatem anno 1585. ætatis 15. cùm in Peruanam Prouinciam nauigaſſet pro Maſtrillo Duran appellatus, gentes illas Barbaras Apoſtolico ſpiritu excoluit, bis ibi Præpoſitus Prouincialis fuit, & ſemel Romam à Prouincia Procurator miſſus. Demum laboribus atque ætate confectus octogenario maior, in terram ſemper viuentium commigrauit. Limæ die 14. Februarij 1653. Edidit lingua Hiſpanica

Conciones in Regno Peruano excuſas, ſeorſim verò extat eius

Concio habita Limæ in Canonizatione (ſic ipſe inſcripſit) *S. Petri Nolaſci Fundatoris Ordinis S. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum*. Limæ 1632. Edidit præterea

Litteras annuas Prouinciæ Paraquariæ annorum 1626. *&* 1627. quas Iacobus Ranconier noſter Latinè ſcripſit, & Antuerpiæ edidit Ioannes Meurſius 1636. in 8.

NICOLAVS OBORSKI natione Polonus, nobilibus parentibus in Maſouia natus in Societatem noſtram ingreſſus eſt Romæ die 3. Octobris anno ſalutis 1602. ætatis ſuæ 26. Emenſo ibi antea Philoſophiæ curriculo, gubernauit Collegia Gedanenſe, Lublinenſe, & Leopolienſe, Domui etiam Probationis, & Conuictorum Collegio præfuit. Cùm autem Sanctiſs. D. N. Vrbanus VIII. poſt Paulum V. poſtulante Sigiſmundo III. Sereniſſimo Poloniæ Rege, & Statu Eccleſiaſtico Regni, in tribus Synodis Prouincialibus congregato, iuſſiſſet per omnes diœceſes auctoritate ſua inquiri, examinarique miracula à Deo per interceſſionem B. Stanislai Koſtka patrata, huic negotio P. Nicolaus, quæ ipſius erat perſpecta fides, & diligentia à Moderatoribus par iudicatus eſt. Is toto Regno conquiſita probataque non pauca, legitimè conſignata Romam miſit. Tandem ſeptuagenarius vin-

vinculis corporis ſolutus eſt, ſpiritualis Coadiutor pridem antea formatus, Cracouiæ die 12. Octobris 1646. Edidit Polonicè

Librum de Selectis quibuſdam miraculis à Deo per Innocationem B. Stanislai Koſtka Societatis Ieſu patratis. Cracouiæ 1630.

NICOLAVS ORLANDINVS natione Italus, patria Florentinus, ortus ſtirpe nobili, & indole bona, in Societatem venit adoleſcens anno ſalutis 1572. ætatis ſuæ 18. Multum in litteris ac pietate profecit, vt in vtroque poſtea Magiſterium cum laude geſſerit. Moribus ſuauibus, ingenio candido, compoſitus ad modeſtiam religioſæ diſciplinæ cuſtos perdiligens fuit, & vt in vita, ſic accuratus in ſtylo. In litterarum laude apprimè floruit, cultu latinæ limatæque orationis. Cùm verò exigua valetudo ſtudiorum labores non ferret, regendo Collegio Nolano primum, tum Neapoli Nouitiorum inſtitutioni præficitur. Ex eo munere poſt annum ſeptimum, ad ſcribendam Societatis hiſtoriam, euocatus in Vrbem anno 1598. quamuis valetudini diffideret, & longa ſtyli intercapedo terreret, arduam tamen Prouinciam libens accepit. Tantum ex obediendi ſtudio ſumebat animi ad conandum. Medio in curſu grauiſſimo implicitus morbo ſuccubuit. Iamque vitam eius omnes deſperauerant præter ipſum, qui cum tantum vſuræ lucis expeteret, dum Generalatum S. P. N. Ignatij, quem ſingulari pietate ob primorum memoriā Patrum ſcribebat, exequeretur, viſus eſt voti compos, effectus. Valetudinem enim recuperauit, opus intermiſſum repetijt, & proximè ad metam perduxit; tum rurſus languore proſtratus neceſſitati religioſè conceſſit, Romæ anno Domini 1606. die 17. Maij, à ſuſcepta profeſſione votorum 4. anno 11. Scripſit

Annuas Litteras Societatis Ieſu annorum 1583. duorumque ſequentium. Romæ in Collegio Societatis Ieſu 1585. & ſequentibus in 8.

Hiſtoriæ Societatis Ieſu Partem Primam, cui titulum inſcripſit *Ignatius*. Romæ typis Zannetti 1615. in folio. Antuerpiæ typis Nutij 1620. in fol. Coloniæ per Antonium Hieratum 1621. in 4.

Vitam Petri Fabri Societatis Ieſu, qui primus fuit è decem Socijs S. P. N. Ignatij. Lugduni apud Petrum Rigaud 1617. in 8.

Eam Italicè reddidit ſub Erminij Taciti nomine Terentius Alciatus noſter.

NICOLAVS PIMENTA natione Luſitanus, patria Scalabitanus diœceſis Vlyſſiponenſis, Societati inſertus anno ſalutis 1562. ætatis 16. poſt traditas quinquennio Humaniores litteras, Theologiam Scholaſticam partim Eboræ, partim Conimbricæ altero quinquennio profeſſus eſt, & Collegium Conimbricenſe per octennium gubernauit. Ex Luſitania miſſus à Prępoſito Generali Viſitator in Indiam Orientalem anno 1596. multis annis vtramque in ea Proninciam Goanam, & Malabaricam magna laude prudentiæ rexit, & demum ad laborum præmia ad Cæleſtem (vt confidimus, patriam commigrauit Goę die 6. Martij 1614. ab emiſſa profeſſione votorum 4. anno 28. Scripſit

Epiſtolas duas ad R. P. Claudium Aquauiuā Præpoſitum Generalem, quibus deſcribit Viſitationem, quam inſtituit anno 1599. & 1600. Edita ſunt Romæ primum Italicè ab Aloyſio Zannetto 1601. & 1602. in 8. & mox ibidem atque alibi latinè

NICOLAVS RACOVIVS SEV RAKOVVSKI natione Polonus ex Maſouia Societati ſe aggregauit Viennæ Auſtriæ anno ſalutis 1580. ætatis ſuæ 17. Philoſophiæ, ac Theologiæ ſtuduit Pragæ, Gracij, & Romæ. In Polonia docuit Philoſophiam, Theologiam Moralem, & Polemicam, & Sacras litteras explanauit. Multis annis Concionatorem egit Lublini naturæ conceſſit die 4. Ianuarij 1618. Edidit

Orationem in Funere Illuſtriſs. D. Guilielmi Vrſini Roſembergici dictam Pragæ anno 1593. ibique eodem anno impreſſam typis Georgij Nigrini in 4.

* NICOLAVS ROGERIVS natione Gallus, patria Fimæus, diœceſis Rhemenſis natus anno ſæculi voluentis ſecundo, Deo ſe in Societate conſecrauit 1619. & votorum 4. ſolemni ſacramento ſe adſtrinxit. Rhetoricam & politiores litteras octennio profeſſus eſt, Philoſophiam biennio; Theologiam Scholaſticam decennio. Rexit Collegium Barroducenſe, & iteratò Muſſipontanum. Prouinciam etiam Campaniæ ſecundùm magna commendatione prudentiæ, & integritatis adminiſtrauit Cōgregationi Generali vndecimę. Romę interfuit, & modò Collegium Rhemenſe moderatur. Edidit opuſculum præfixis ſui nominis litteris initialibus, cui titulus

Incarnatio Myſtica, ſeu Chriſti-formitas ex varijs S. Auguſtini, & S. Bernardi locis contexta, Muſſiponti apud Gaſparem Bernardum 1663. in 16.

Vitam P. Ludouici de Ponte, ex Hiſpanico P. Cachupini traduxit in Gallicum. Pariſijs apud Claudium Cramoiſy 1663. in 12.

NICOLAVS ROMÆVS natione Belga, patria Brugenſis natus die 20. Octobris anno ſalutis 1563. Societati ſe adiunxit 28. Martij anno 1594. Vir acri ingenio, & tenaci memoria. In patria humanitatis curſum confecit. Pariſijs Logicam, reliquam Philoſophiam Herbipoli, Iuris legumque peritiam Biturigibus, ac Pictauij condidicit. Theologiam Scholaſticam apud Nos Louanij audiuit. Eam quæ de Moribus, & Conſcientia diſputat, varijs in Collegijs nempè Leodij, Audomari, Siluæducis, Ipris, & Antuerpiæ per annos 14. docuit. Traiecti ad Moſam, & Ipris Rector, noſtris præfuit. Hollandicum agrum multis annis excoluit. Patres Noſtros pro tertia Probatione in ſpiritu inſtruxit. Calculi dolores

deinde & atrocem ſectionem mira conſtantia pertulit, cum diceret ſe nolle ſuum calculum cum omnibus Orientis adamantibus commutare. Tandem Brugis ad Cæleſtem patriam abijt die 20. Decembris anno Chriſti 1632. vota 4. profeſſus ab anno 1600. Edidit opus inſigne ſic inſcriptum

Ioannis Caluini Nouiodunenſis noua effigies centum coloribus ad viuum expreſſa, qua S.Thomæ Theologia tota ſtrictim attingitur; Caluini tota ferè fusè refutatur. Accedit *Digreſſio de Prædeſtinatione, & Iuſtificatione.* Item

Caluini Confeſſio ex equuleo. Antuerpiæ typis Hieronymi Verdufsij 1622. in folio.

NICOLAVS SALIVS natione Bohemus, patria Pragenſis in Societatem admiſſus anno Domini 1564. ætatis 21. tria vota ſolemnia profeſſus eſt, & diu cum laude cócionatus. Obijt Crumlouij die 3. Martij 1596. Scripſit

Vitam S.Procopij Abbatis, &

Vitam S.Ludmillæ, quas ſuis Tomis inſeruit Surius. Item

Vitam S.Vvenceslai Martyris.

NICOLAVS SARTORIVS natione Illyricus, ſeu Slauus, patria Sciſcienſis natus anno 1582. in Societatem 1595. ingreſſus vota 4. profeſſus eſt, & Rectorem Collegij Zagrabienſis iterato egit. Fuit etiam Pœnitentiarius Pontificius Romæ ad Vaticanum. Reliqua ferè vita Conciones ad populum habuit, eoque munere egregie functus eſt. Demum ex hac vita migrauit Zangrabiæ die 9. Martij 1653. Edidit tranſlatum à ſe Croaticè

Manuale Sodalitatis. Poſonij 1639.

Libellum Precum, & Chriſtianarum Exercitationum. Vtrumque ſuppreſſo nomine

* NICOLAVS DV SAVLT natione Gallus, patria Santo, natus anno ſeculari 1600. Deo ſe in Societate mancipauit 1617. & votorum 4. ſacramento ſe obſtrinxit. Docuit in ea Rhetoricam, Philoſophiam, Theologiam Moralem. Rexit Collegia Santonenſe, & Lemouicenſe. Grandi virtute, & fama ſanctitatis claruit, cuius vel maximè ſub ipſam mortem ſpecimen edidit, incredibili patientia dolores acerbiſſimos ex hydropiſi ſuſtinens, nec ſine quodam cæleſtis gaudij prægustu ex carcere corporis exceſſit, Burdigalæ die 12. Maij 1655. Conſcripſit lingua vernacula

Opera Spiritualia varia in duos tomos diſtributa, nempè

De Quærendo Deo per vias naturales, & ſupernaturales, Libris 3.

De Fiducia in Deum. Libris 4.

Vitam Dominæ de Neuillars. Lib.4.

Solidam Directionem ſecundum ſpiritum S.Ignatij Fundatoris Societatis Ieſu.

Tabellam Perfectionis extractam ex Vita S.Stephani de Muret Fundatoris Ordinis Grandmontani. Partibus 3.

Praxim Solidarum Virtutum ex Exemplis, & Conſilijs S.Tereſiæ. Par.2.

Inſtitutionem Spiritualem ad amandum, & ſeruiendum Deo. Par.5.

Hæc ſimul collecta duobus voluminibus excudit Sebaſtianus Cramoiſy Pariſijs 1651. in 4. Ex his duo priora *De Quærendo Deo, & De Fiducia in Deum.* Italicè reddidit noſter Matthæus Gherardellus, & Romæ typis excudit Tinaſſius 1665. & 1666. in 12. ſecundum latinè tranſtulit noſter Franciſcus Rouxus Coloniæ. Edidit etiam Nicolaus

Viam Salutis per Amorem Diuinum, &

Characteres Vitæ, & Virtutis. Pariſijs apud eundem Cramoiſy 1655. in 8. Ex his priorem Tractatum Italicè tranſtulit idem P. Gherardellus, & Venetijs impreſſit Baba 1660. in 12. Poſteriorē noſter Carolus Cantellus. Ibid.1659.

* NICOLAVS SCHATEN natione Germanus, gente Vveſtphalus, patria Noui-Caſtrenſis in diœceſi Monaſterienſi, natus anno ſæculi præterfluentis 8. Societati ſe addixit 1628. & vota 4. nuncupauit. Docuit in ea litteras Græcas, Hebraicas, Sacram Scripturam interpretatus eſt. Cum Miniſtris corrupti Euágelij ſæpè & feliciter in Miſſionibus congreſſus, egregiè illos exagitauit, ediditque contra ipſos Latinè

Diſputationem, & Iuſtam Defenſionem ſeptem Controuerſiarum. Antuerpiæ apud Cornelium Vvoons 1657. in 8.

NICOLAVS SERARIVS natione Lotharingus, patria Rambertillanus, quod oppidum in Metenſis Epiſcopi ditione eſt. Natus eſt honeſtis parentibus anno 1558. qui eum idcirco Nicolaum nominauerunt, quod ipſius Baptiſmus in diem S.Nicolao Mirenſi Epiſcopo ſacram incideret. Trimulum Deus è patria vaſtitate, flammiſque quas bellicus furor iniecerat ereptum, ac mox è curru, quo in fuga vectabatur excuſſum, ſeruauit incolumem, ſororcula eodem extincta caſu. Deleta patria primam ætatem egit ad Montem D.Romarici: Primas litteras Dummartini hauſit, magiſtro vſus homine imprimis diligente, apud quem biennium tranſegit. Inde Coloniam ad altiores diſciplinas miſſus, ſpatijs Philoſophiæ permenſis, Societati nomen dedit anno 1572. Poſito Tirocinio, Herbipoli ad Theologiam incubuit, qua abſoluta per omnes ferè humanarum diuinarumque facultatum gradus tanta felicitate paulatim docendo aſcendit, nulla vt eſſet earum doctrinarum in qua non laudem ferret. Primus in Academia Herbipolenſi, aliquot probatæ conditionis iuuenes, artium, & Philoſophiæ Magiſtros renuntiauit. Poſt Theologiam Scholaſticam ad Sacras litteras, quarum incredibili ardebat amore, totum ſe contulit, in quibus tradendis tùm Herbipoli, tùm Moguntiæ 20. propè annos cum mirifico plurimorum fructu, nominiſque ſui apud exteras gentes gloria collocauit. In ſuo ſtudio litterarum Dei Opt. Max. gloriam tanta contentione quæſiuit, quanta nemo facilè alius honores opeſuè ſectetur; atque vt ad id ſe aliosque excitaret, incredibile memoratu eſt, quo

quo ſenſu pietatis illud identidem verbũ doxologicum, quo Pſalmos claudimus ſit ſolitus vſurpare. Hoc illi priuatim publiceque operum omnium principium erat & finis: hoc ſi à Symphoniacis cani audiret ornatiùs, geſtire ſcilicet gaudio, ac triumphare quodammodo videbatur. Quam verò vberes illi ex eo cæleſteſque ſententiæ de adoranda illa Diuinitate affluerent, quamque eo voluendo inflammatum in dies Diuinæ gloriæ ſtudium in pectore gliſceret, non modò frequentibus, vbi ſe dabat occaſio, ſermonibus, ſed publicis etiam monumentis prodere olim ſtuduit. Iam verò cùm Germaniam ijs peſtibus conflictari intelligeret, quibus delendis, præter eximiam pietatem excellenti quoque doctrina ſit opus, incredibili in vtrumque ſtudio, & labore incubuit; ſic dictitans: Pro Hæreticis non modò orandum eſſe, ſed etiam ſtudendum. Caput autem omnium ſtudiorum, Sacras Litteras, vt verè ſunt, faciebat. Ad has explicandas, tuendas, ornandas, non diſputatricem modò illam Theologiam, verùm etiam omnium Philoſophorũ, Oratorum, Hiſtoricorum, atque adeò Poetarum lectionem conferebat. Itaque aiebat ſe multorum hominum miſerari vicem, qui cum hiſce veluti Ægypti ſpolijs, Dei arcam exornare poſſent, ætatem in ijs ſine fructu contererent. Cum his, eam Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, Syriacæ linguarum cognitionem copularat, quæ ipſis quoque aduerſarijs eius commendationem expreſſit. His ille quidem armis vincere hoſtem poterat, qui vt ſe vinci quoque ſineret admirabili candore animi morumque ſuauitate, qua & ſermones omnes temperabat, adniſus eſt. Id quod admirabilius inde quoque fit, quod feruidus natura, & niſi longa, atque acri meditatione ſe fregiſſet, ad iram eſſet procliuior. Certè exſtat publicè hominis heterodoxi elogium, qui eum *eruditiſſimum, & humaniſſimum Ieſuitam* appellat: nam Catholicorum de eo iudicia prolixum eſſet recenſere. Erit inſtar omnium Cæſar Cardinalis Baronius, qui cum Tom. 12. Annalium ad A. C. 1126. *Lucis iubar Eccleſiæ Germanicæ* dicere non dubitauit. Neque tamen hæc illum eruditionis, vel ardor, vel fama ab amore virtutum, quæ Deo conſecratum hominem decent, diſtrahebat. Erat in eo modeſtia virgineum in modum verecunda, ſtudium paupertatis perreligioſum, facilitas, quæ nullius non modò conſuetudinem, ſed ne diſciplinam quidem aſpernaretur. Ergo in aliorum congreſſionibus, ea doctrina, ac prudentia vir, ſecundas plerumque agebat, neque morabatur per quem proficeret, modò proficeret. Ad extremum conſumptis nimia animi contentione ſpiritibus, debilitatóque ſtomacho, octo dierum ſpatio vir cætera robuſtus, extinctus eſt, cum priùs & ſacra omnia obijſſet, & Socios conſueta ſua Doxologia conditionis humanæ grauiter admonuiſſet die 20. Maij anno ſalutis 1609. ætatis ſuæ 54. in Collegio Moguntino. Elatus eſt proſequentibus funus, non ſine lacrymis Academiæ Primoribus. Edidit Serarius varia ſubinde opuſcula, quæ in Tomos 3. collecta prodierunt Moguntiæ typis Ioannis Albini 1611. in folio. Continentur autem

Tomo I. Hiſtorica

Ioſuani Sacerdotes.

De Pœnitentia Salomonis.

Naaman Syrus, iam ſanus.

Trihæreſium, ſeu de Sectis Iudaicis. lib. 3.

Mineruał. Ioſ. Scaligero, & Ioanni Druſio lib. 5.

Rabbini. lib. 2.

Herodes.

De Apoſtolis, Diſputatio in 100. Aſſertiones tributa.

De S. Paulo, & Iuda Proditore.

S. Kilianus, cum Notationibus.

Par Sanctorum Comitum Godefridus Vveſtphalus, & Romaricus Auſtraſius.

Tomo II. Didactica

Protbyron Paulinum.

Symbolum Athanaſianum, Diſputationibus 3.

Diſputatio De Legibus.

De Extrema Vnctione.

De Catholicorum cum Hæreticis Matrimonio.

Tomo III. Polemica.

Contra Franciſcum Puccium Filidinum lib. 2.

Litaneutici. lib. 2.

De Sacris Eccleſiæ Catholicis Proceſſionibus. lib. 2.

Orationes Luthero-Turcicæ. lib. 6.

De Lutheri Magiſtro. lib. 2.

Apologia pro Lutheri Magiſtro Alegia.

Lutherus Theoſdotos remiſſus.

De Magiſtro Caluini.

Logi Apologetici, pro Luthero Diaboli diſcipulo.

Edidit præterea

Commentaria in Sacros libros, nempè

In Ioſue Tom. 2. Moguntiæ 1609.

In Iudices, & Ruth. Moguntiæ typis Balthaſaris Lippij 1609. in fol.

In Tobiam, Iudith, Eſther, Machabæos. Ibid. 1610. in fol.

In omnes Epiſtolas Canonicas Sanctorum Apoſtolorum Iacobi, Ioannis, Petri, & Iudæ Ibid. 1613. in fol.

Prolegomena Biblica. Ibidem eodem anno in folio.

In libros Regum Commentarium reliquit imperfectum.

De rebus Moguntiacis lib. 5. Ibidem 1604. in 4.

Epiſtolas S. Bonifacij Martyris primi Archiepiſcopi Moguntini Notis illuſtratas, quæ exſtant inſertæ Bibliothecæ Magnæ Patrum Tom. 8.

Quæſtiones de S. Nicolao.

Scripſit etiam Germanice

Noctilucium Lutheri.

Reliquit denique

De Paradiſo, & Epiſtolas Didacticas de rebus varijs.

NICOLAVS SVSIVS natione Belga, patria Brugenſis, Societati aggregatus anno ſalutis 1592. ætatis 20. Pluribus in locis cum laude, & fructu Rhetoricam ſeptennio docuit, & Theatra eruditis declamationibus exornauit. Fuit enim vir non vulgari inferiorum litterarum cognitione præſtantiſſimus, ſuoque merito quatuor votorum profeſſus. Obſeruantia verò in Superiores, atque obedientia fuit eximia. Vitam, labores, ſtudia, Deiparæ dicata ſemper voluit, totus in ea laudanda, viſenda, precibus proſequenda. Tanto pietatis ſenſu quotidie ſacrificabat, vt in adſtantes ea redundaret. Obijt Cortraci die 6. Februarij anno 1629. dum Romanarum rerum Hiſtoriam ab Vrbis exordio ad hæc vſque tempora continua narratione deducere eſſet aggreſſus. Edidit

Limam Ciceronianam, ſiue de Stylo librum ſingularem. Antuerpiæ apud Nutium 1621. in 8.

Diſceptationem quodlibeticam De Pulchritudine Beatæ Virginis Mariæ. Ibid. 1620.

Elegias Marianas. Anacreontaos luſus. Pendularia. Drama Comitum. Ibidem 1620. in 8.

Illi quoque tribuitur, quę Hermanni Langueltij nomen præfert.

Vita Martini Antonij del Rio Societatis Ieſu. Antuerpiæ typis Plantinianis 1609. in 4.

Commentarium in Florum parabat, qui videtur hæſiſſe in membranis.

NICOLAVS TALON natione Gallus, patria Molinenſis natus anno ſæculi præterlabentis 5. Chriſto in ſua Societate ſe dedicauit 1621. & votorum 4. ſacramentum ſolemne dixit. Rhetoricam, & politiores litteras profeſſus eſt, & ſacras Conciones diu habuit. Scripſit Gallicè culto ſtylo

Hiſtoriam Sanctam, eam nimirum quæ Pentateucho continetur libris 5. Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoiſy 1640. in 4. Italicè redditam à Noſtro Ioſepho Fotio. Bononiæ 1649. in 12.

Vitam Sancti Franciſci de Sales Epiſcopi Geneuenſis. Pariſijs apud Thomam Lozel 1640. in 4. Recuſam ibidem & alibi in folio.

Hiſtoriam Sanctam totius veteris Teſtamenti in IV. Partes diſtributam ſæpius editam Pariſijs, Lugduni, & alibi in 4. & in 8. & iterum Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoiſy 1655. duobus Tomis in folio

Hiſtoriam Sanctam Noui Teſtamenti reſpondentem 4. Euangelijs. Pariſijs apud Sebaſtianum Mambre Cramoiſy 1669. duobus Tom. in folio

Picturas Chriſtianas, quæ ſignris æneis ducentis, & totidem Expoſitionibus præcipua Fidei Chriſtianæ myſteria complectuntur. Pariſijs 1647. Tomis II. in 8.

Laudationem Funebrem Ludouici XIII. habitam Pariſijs 1644. in 4.

Deſcriptionem Pompæ factæ in funere Henrici Borbonij Principis Condæi Pariſijs in Collegio Societatis Ieſu. Pariſijs 1645. in 4.

Monita de Iubilæo & Generali Confeſſione. Pariſijs 1669. in 16.

Vitam S. Franciſci Borgiæ. Pariſijs apud Michaelem Lepetit 1671. in 12.

* NICOLAVS DEL TECHO, SIVE DV TOIT, natione Belga, patria Inſulenſis, natus anno ſæculi currentis XI. Societati ſe addixit 1630. & poſt traditas in Belgio Humaniores litteras, inde ad lucra animarum nauigauit in Americam; & in Prouincia Paraquariæ, edita profeſſione votorum 4. anno 1649. multis iam annis nauat operam Indorum ſaluti, maximè in Miſſionibus Parauà, & Vruguay, in quibus Superior præfuit Noſtris, & nunc eſt deſignatus Rector Collegij Aſſumptionis in eadem Prouincia. Scripſit latine

Hiſtoriam Prouinciæ Paraquariæ Societatis Ieſu quæ tranſmiſſa in Belgium edita eſt Leodij typis Matthiæ Nouij 1673. in folio

NICOLAVS TRIGAVLTIVS, natione Belga, patria Duacenſis, natus anno ſalutis 1577. Deo in Societate ſe dedicauit 1594. & cùm Oratoriam Gandaui docuiſſet, addiſceretque linguas peregrinas, & Coſmographiam calleret, inſigni propagandæ Religionis ſtudio, & multa pro Chriſto faciendi, patiendique, profectionem in Orientis Solis Indiam, quamuis parùm firmo, & laborum toleranti corpore eſſet, à P. Noſtro Generali Præpoſito tandem obtinuit. Abiit è patria anno 1606. & quamuis multis annis aduerſa vſus eſſet valetudine, tantas tamen vires repentè accepit, vt ſacciperio onuſtus, pedes, alacerque viam confecerit. Tantus ardor iuuandi Gentiles eum rapiebat, & in eo munere ſperabat ſe inuenturum corporis etiam firmitatem, quam non reperiebat in patria. In Luſitania dum tempus nauigandi præſtolatur, ſchedas excuſſit, è quibus vitam Gaſparis Barzæi contexuit. Nauim Olyſſipone conſcendit die 5. Februarii anno ſalutis 1607. quæ die X. Octobris Goam inuecta eſt. Inde aliquantò poſt porrò prouectus Macaum peruenit 1610. & mox in Sinenſe Regnum, quo deſtinabatur immiſſus eſt. Operam ibi per annos aliquot nauauit egregiam, in ſalutem illarum gentium, donec vrgentibus Chriſtianæ expeditionis negotiis, in Europam Procurator ablegatus eſt, vt coactis vndique auxiliaribus copiis, reuerteretur inſtructior ad meſſem animarum. Igitur remenſo in Indiam pelago, iuſtis ex cauſis decreuit terreſtre deinceps iter arripere, ex India delatus in Perſicum Sinum. Pe-

Peragrauit Perſiam, Arabiam deſertam, Turcici partem Imperii: quo in itinere labores immenſi, & præſentiſſima vitæ pericula fuerunt adeunda, cùm rapidiſſimi ſæpe amnes eſſent ſine cymba ſuperandi: & arentes atque infeſtæ belluis, feriſque hominibus ſolitudines, multa, ſæpe dies continuatis noctibus exiguo comitatu tranſmittendæ. Heliopoli internum mare conſcendit, & prætervectus Cyprum, Cretam, Zacynthum, denique in extrema poſitam Italia Hydruntem peruenit. Contractis Principum Catholicorum liberalitate ſubſidiis, & ſociis lectiſſimis auctus poſt triennium quàm in Europam venerat anno 1618. e Luſitania renauigauit in Orientem. Goam incolumis attigit, non paucis Sociorum ſepultis in mari. Ibi dum præſtolatur opportunitatem nauigandi, grauiſſimum morbum contraxit, quo fuerat propemodum ad extrema deductus, niſi benignus Deus ſuis eum Sinis ſeruatum voluiſſet. Soluit Goa die 20. Maii anno 1620. & Macaum bimeſtri nauigatione tenuit, ſuperatis aliquoties præſentis naufragii periculis. Ibi annua mora ducta, ſeptimo tandem poſt anno quàm in Europam abierat in Sinenſe Regnum iterum penetrauit, & Nanciani ſtudia de rebus Sinenſibus intermiſſa reſumpſit, Procuratoris ſimul partes in hoc Regno Sociorum adminiſtrans. Multas eius Regni Prouincias deinceps peruagatus eſt, Neophytis inuiſendis, augendiſque, & nouis etiam expeditionibus tentandis. Sortitus aliquando eſt tres ſimul procurandas Prouincias, quæ amplitudine ac frequentia nihil Hiſpaniæ cedant, vel Galliæ. In earum vna totos ſex menſes lecto decubuit, nec citra diſcrimen vitæ, ſolus & magna rerum neceſſariarum penuria preſſus, in vaſta barbarie, donec bono Deo placuit, vt reualeſceret. Sæpe in iis itineribus ſubiit intentata vitæ pericula, ſæpe proxime abfuit à naufragio. Sed vbique tutus incedit, quem Deus tuetur. Demum cum ſe totum ad res Sinicas conſcribendas contuliſſet, & aliquod iam feciſſet laboris ſui pretium, magno eius Miſſionis incommodo ſublatus è viuis eſt, die 14. Nouembris anno 1628. ab emiſſa votorum 4. profeſſione Romæ in manibus Præpoſiti Generalis XIII. Scripſit Nicolaus Trigautius

Vitam Gaſparis Barzai Belgæ e Societate Ieſu S. Xauerij in India Socij Lib. III. Antuerpiæ typis Trognæſianis 1610. in 8. & Coloniæ per Bernardum Gualterum 1611. in 12.

De Chriſtiana expeditione ad Sinas ſuſcepta ab Societate Ieſu Lib. V. Auguſtæ apud Chriſtophorum Mangium 1615. in 4. & auctos ab Auctore & recognitos Coloniæ per Gualterum 1617. in 8. tranſtulit eos Gallicè Franciſcus de Richebourg-Trigaut 1616. in 8. Hiſpanicè Edoardus Fernandez 1621. in 4.

De Chriſtianis apud Iaponios Triumphis ſiue de grauiſſima Ibidem perſecutione contra Fidem Chriſti exorta anno 1612. Libris V. Acceſſit *Auctarium Matthæi Raderi.* Monachii apud Michaelem Sadeler 1623. in 4.

Epiſtolam de ſua in Indiam nauigatione datam Goæ 24. Decembris 1607. quam refert Petrus Iarricus in Theſauro rerum Indicarum tom. 3. lib. 1. cap. 41. & Gallicè prodiit Lugduni apud Riuarid 1609.

Annuas litteras è Regno Sinarum annorum 1610. & 1611. Auguſtæ apud Mangium 1615. in 8. & annorum 1620. & 1621.

Rei Chriſtianæ apud Iaponios Commentarium, ex Annuis litteris Societatis Ieſu annorum 1609. & trium ſequentium collectum. Auguſtæ apud Mangium 1615. in 8.

Vocabularium Sinicum Tom. III. in quo Sinarum Characteres ad Noſtrorum elementorum ordinem ita reuocat, vt triduo poſſit à Sinis totum artificium intelligi, excuſum in Sinis. Idem autem parabat recudere auctius aliquot voluminum Decadibus.

Pentabiblion Sinenſe quod primæ atque adeo ſacræ auctoritatis apud illos eſt, *Latina Paraphraſi* explicuit.

Annales Regni Sinenſis Tomis 4. in folio iuſtæ magnitudinis parabat vno iam Tomo confecto. Item

Expeditionis Chriſtianæ continuationem, quæ tamen mors ipſius intercepit, verum impreſſit lingua Sinenſi Librum

De Computu Eccleſiaſtico per quem Chriſtiani Sinenſes indagare poſſunt feſta & Ieiunia Romanæ Eccleſiæ

* NICOLAVS VVYSING natione Heluetus, patria Lucernenſis, natus anno ſæculi voluentis primo Societati nomen dedit 1616 & votorum 4. ſolemni Sacramento ſe obligauit. Vir omni ſcientiarum genere peregregiè excultus. Philoſophiam profeſſus eſt quadriennio, Theologiam de moribus biennio, Polemicam de controuerſijs quadriennio, Scholaſticam decennio; Sacrarum litterarum Oracula interpretatus eſt quadriennio. Romam euocatus, Cenſorem egit Librorum à Societate edendorum, & Theologum Præpoſiti Generalis quinquennio. Rexit Collegium Dilinganum, & Domum Tertiæ probationis, Oetinganam; Demum Monachii ſolutus corporis vinculis ad cælum (vt confidimus) emigrauit die 22. Septembris 1672. Edidit in lucem

Diſputationem Theologicam de Hominum prædeſtinatione ad vitam æternam. Dilingæ typis Academicis 1644. in 8. Item

De ſcientia & voluntate Dei. Ibidem 1646.

De Arcano SS. Trinitatis myſterio. Ibidem 1645.

NICOLAVS ZVCCHIVS natione Italus, patria Parmenſis, natus anno ſæculi præteriti 86. die 16. Decembris, Chriſto ſe in ſua Socie-

Societate dicauit prætereuntis 2. & votorum 4. profeſſionem emiſit. Vir omni genere doctrinæ præſtans, docuit cum laude Rhetoricam, Philoſophiam, Matheſim, & Theologiam. In ſalutem deinde animarum plane impiger, conciones per reſiduum fere tempus habuit maximo auditorum fructu, & approbatione. Prouectior ætate gubernauit Collegium Romanum, tum Vaticanum Pœnitentiariæ Pontificiæ, & demum Domum Profeſſam Romanam, vbique non minus exemplo optimo virtutum, quam verbo promouens ſubditos ad ſtudium perfectionis. A Congregatione Prouinciali Romana electus eſt, vt intereſſet Generali IX. cum iure ſuffragii, & à Generali XI. conſtitutus eſt Admonitor Præpoſiti Generalis, & Vicarii. Poſt obitum Innocentii X. Pont. Max. delectus eſt à Sacro Collegio Cardinalium, vt in Conclaui, Sede vacante iis eſſet à Sacris Confeſſionibus, & poſtea ab Alexandro VII. in Concionatorem Apoſtolici Palatii eſt adſcitus. Septem circiter annis quoad per valetudinem licuit, eo munere eſt perfunctus; varijs Principibus & S.R.E. Cardinalibus ob eminentem virtutem & doctrinam apprimè carus. Fuit enimuerò cum Deo coniunctiſſimus; ſui & ſuorum commodorum negligens, atque in omnem nutum Superiorum ad ſupplendas vices aliorum impeditorum ex improuiſo, in quocumque Officio, ſiue Scholaſtico in exedris, ſiue Concionatorio in Templis, expeditus ac promptus. Admirabili plane dono dicendi ex tempore præditus fuit, adeo vt ſingulis ferme Dominicis à meridie dum ſanus eſſet, ſena vel ſeptena Cœnobia Monialium Romæ exhortationis cauſa adiens, obſeruatus ſit à ſociis in eorum ſingulis diuerſos planè ſermones habuiſſe, nihil penitus iterando in poſterioribus eorum, quæ in prioribus protulerat. Magno tenebatur zelo iuuandi cunctos, ſed præcipuè pauperes, ac calamitoſos, in quos erogabat, quæ de licentia Pontificia ex ſportula Palatii Apoſtolici, dum Concionator Palatinus erat in ſuos vſus expendere potuiſſet, nihil inde penitus decerpens ſibi. Patiens mirificè dolorum fuit, quos à podagra, Chiragra, calculo, dyſuria, frequenter tolerabat, & ſi quid acerbius ſubinde ab aliis ingeſtum fuiſſet, ſubiungebat placidiſſimè: hæc omnia in lucro ponenda eſſe. Singulari pietatis ſenſu ferebatur erga myſterium Immaculatæ Conceptionis Beatiſſimæ Virginis, & ſecundum hanc, erga cultum S. Franciſci Borgiæ cuius venerationem atque inuocationem plurimis ad ipſum ſpiritualis directionis cauſa accedentibus inſtillare conſueuit. Et placuit Deo hanc eius pietatem inſigni plane miraculo illuſtrare Romæ in Virgine Apollonia Caballa, quæ cum per ſeptennium laboraſſet herpete exedente in ſiniſtro latere, viſu horribili, & viribus naturæ (ex Medicorum iudicio) inſanabili, ſuppeditauit illi P. Zucchius imaginem quandam papyraceam cum particula ex veſte B. Franciſci Borgiæ, ſuadens vt eas applicaret vlceri; quas cum applicuiſſet adeo priſtinæ ſanitati ſtatim reſtituta eſt, vt ne veſtigium quidem vlceris, aut cicatrix illius remaneret. Hoc prodigium, examinari poſtea accuratiſſimè atque authenticè curauit S. Congregatio Rituum, cùm de B. Franciſco Borgia in Canonem Sanctorum referendo ageretur, & tamquam inſigne atque ſecundi generis (vt loquuntur) & concludentiſſimè probatum, ſuo decreto approbauit die x. Septembris 1668. Tandem annis grauis, vtpote octogenario maior, à multis habitus vt ſanctus, ad religioſæ vitæ brauium emigrauit Romæ in Domo Profeſſorum die 21. Maii 1670. Edidit Religioſiſſimus Pater, & in Mathematicis doctiſſimus

Nouam de Machinis Philoſophiam, in qua Paralogiſmis antiquis deletis explicantur machinarum vires. Romæ typis Hæredum Manelfi 1649. in 4. Recuſam cum auctario & annotationibus 20. Ibidem typis Vareſii 1669. in fol.

Opticam Philoſophiam experimentis & ratione in fundamentis conſtitutam Lugduni per Guil. Barbier 1652. in 4. Par. I.

Opticæ Philoſophiæ Par. II. Ibidem 1654. in 4.

Tacito nomine edidit opuſculum hoc titulo

Magno Amico non nemo ex Collegio Romano Societatis Ieſu experimenta vulgata non vacuum ſed plenum & Antiperiſtaſim ſtabilire. Romæ typis Grignani 1645. in 4. Italice edidit

Veras deuotiones quibus anima incitatur ad Chriſtiane viuendum. Romæ apud Franciſcum Caballum 1630. in 24.

Praxim veræ Deuotionis in exercitijs ſolitis Chriſtianis pietatis. Romæ typis Ignatii de Lazaris 1659. in 16.

Praxim veræ Deuotionis erga Infantem Ieſum, & Sanctiſſimam Virginem Matrem. Romæ typis iiſdem 1663. in 16.

Praxim Deuotionis erga Animas in Purgatorio Romæ typis iiſdem 1663. in 16.

Praxim Deuotionis erga feſtum Aſſumptionis B. Virginis. Ibidem 1666. in 16.

Praxim veræ Deuotionis ad celebrandam Nouenam ante feſta Natiuitatis, Paſſionis, Paſchatis, Pentecoſtes & alia per annum; Romæ per Ignatium de Lazaris 1666. in 16.

Sub nomine Horatij Vrbani edidit

Directionem Seruitutis Sanctiſſimo puero Ieſu, & Beatiſſimæ Virginis. Viterbij apud Auguſtinum Diſcipulum 1630. in 16.

* NONIVS DA CVNHA natione Luſitanus, patria Vlyſſiponenſis ex primaria Regni Nobilitate, Deo ſe in Societate mancipauit anno ſæculi fluentis 11. ætatis ſuæ 17. & votorum 4. ſacramento ſolemni ſe adſtrinxit. Theologiam Scholaſticam ſeptennio profeſſus

ſus eſt, Moralem quadriennio. Rexit Seminarium Hibernorum Vlyſſipone, & bis Collegium S. Antonij ibidem; præfuit quoque bis Collegio Conimbricenſi, & ſemel Domui Profeſſæ Vlyſſipone. Ter electus à Comitijs Prouinciæ, ſemel in Procuratorem bis in Electorem ad Congregationes Generales, octauam & vndecimam, & in octaua creatus eſt Aſſiſtens Præpoſiti Generalis pro Prouincijs Luſitaniæ. Vir fuit inſigni prudentia, magno zelo, Religioſæ diſciplinæ obſeruans admodum in ſe, & ab alijs quibus præerat, exactor ſedulus. Erga B. V. Deiparam ſingulari ferebatur ſenſu pietatis, atque in eius honorem Sacellum domeſticum in Collegio Conimbricenſi, conquiſitis eleemoſynis ab ipſo Rege Ioanne IV. & à ſuis Conſanguineis, perquàm eleganter curauit ornari; ſicut & aliud in cultum S. Antonij de Padua. Multis menſibus ante obitum, de præparatione ad mortem ſermones duntaxat ferebat; & maximam diei partem orando conſumebat. Demum viribus fatiſcens, quoties litare hoſtiam incruentam ipſe non poterat, cæleſti pane refici ſe curauit, atque ita maturus cælo, è cuſtodia corporis eductus à Deo eſt, Vlyſſipone die 14. Octobris 1674. Exequiis interfuere Magnates complures ex Ordinibus Ducum, Marchionum, Comitum; prætera ex Clero Antiſtites, & Religioſi aliarum familiarum plurimi. Hunc clariſſimus D. Nicolaus Antonius inſeruit ſuæ Bibliothecæ Hiſpanæ, quia edidit Luſitanicè

Vitam venerabilis P. Didaci Monteiri Societatis Ieſu, præfixam libro meditationum eiuſdem Patris. Romæ typis Angeli Bernabò 1671. in 8. Ediderat antea

Orationem Funebrem in exequijs D. Franciſci de Caſtro Epiſcopi Ægitanenſis & Inquiſitoris Generalis. Luſitanicè, Vlyſſipone ex Officina Craſbeckiana 1654. in 4.

OCTAVIANVS DE TVFO natione Italus, patria Neapolitanus nobili loco natus anno ſalutis 1578. Societati ſe applicuit 1594. Vir ingenio, ſtudio, eruditione eloquentia ad Concionē inſtructus. Is dum Marchionem S. Crucis Tierarcham claſſis Hiſpanicæ per maria, terraſque ſequitur à ſacris Confeſſionibus mortem Genuæ febri, eryſipelate, angina incurrit die 29. Decembris anno Chriſti 1639. ætatis ſuæ 51. Religionis aditæ 36. dudum 4. vota profeſſus. Edidit

Commentaria in Eccleſiaſticum, Lugduni ex Officina Rouilliana 1628. in folio, & Coloniæ 1629. in folio explicantem capita dumtaxat 18. Tomum II. vſque ad caput 24. mors intercepit miſſum alioqui ad prælum

OCTAVIVS CAIETANVS natione Siculus, patria Syracuſanus, nobiliſſima Comitum Sortini familia ortus, die 22. Aprilis anno 1566. in lucem venit; Cùm iuuenis oraret aliquando Syracuſis in templo noſtro, Chriſtum Dominum in altari Crucifixum conſpexit, qui quo propiùs accedebat, eo grandior fieri videbatur. Eo viſo commotus, Societatem expetiit, quam cum impetraſſet Meſſanæ ad diem 20. Maii anno 1582. vt grati animi ſignum exhiberet omnibus B. Virginis peruigilijs; Naſcentis quoque & Circumciſi Domini, Principum Apoſtolorum Petri, & Pauli aliorumque ſuorum Tutelarium, ac denique ſexta quaque hebdomadæ per Martium menſem feria, longa ſe flagellatione cruentabat. Dignum memoratu eſt, quòd illi per annum 1600. contigit Panormi. Interrogabat ſubobſcurè fœminam quandam de re arcana, vt neſcio quid retegeret, illa de grauiore quodam ſcelere, & quod occultiſſimè admiſerat rata inquiri, cùm nollet eius deponere conſuetudinem, Patrem de medio tollere conſtituit, ne per illum à vitio retraheretur. Ergo ſica clam inſtructa venit ad Templum, & poſt breuem cum Patre ſermonem, abeunti parat vulnus imponere. Sed ecce minitabundus in proximo altari ſe obijcit illi S. Ignatius, cuius tum quidem aſpectu deterrita eſt. Verùm poſtea quàm inde abſceſſit, inertiam ſuam cæpit incuſare, & fidentior ad deſignatam cædem reuertit, certa Patrem inter colloquendum ferire. At cum iam in procinctu ſtaret, ita viribus ſe ſenſit deſtitui, vt facinus aggredi haud quaquam poſſet. Ergo velut intemperijs quibuſdam incitata, ne tertius illi conatus, vti priores, euaneſcat Dæmonem prouocat, & illi facta ſui corporis ad libidinem copia, ad inferendam Octauio necem, quam ipſa, cum maximè vellet, non poſſet, opem depoſcit. Sed demùm coactus eſt ipſe quoque hoſtis infernus fateri imbecillitatem ſuam, cùm diceret, Ignatium non permittere, vt ſuis filijs quidquam noxæ infligat. Igitur mutato conſilio mulier perdita, honorem tentat corrumpere, cui vitam non valebat eripere. Paciſcitur cum Diabolo, vt forma liberali puellam, quam ad ſceleris conſortium induxerat, addixeratque ſtygio mancipatui, intempeſta nocte ad cubiculum Patris illatam, ibi relinquat. Vbi primùm luxit accurrit improba ad puellæ Domum, exploratura quo res euaſiſſet. Sed ecce deprehendit reuectam à Dæmone puellam, deformatam, atramque carbonis inſtar, membris etiam diſtortis, & furijs agitatam. Dæmon interrogatus aditum ſibi vllum patuiſſe negauit, obiectis vndequaque obicibus; nec aliud puella reſpondit quam Ignatius, Ignatius, Ignatius impedimento eſt, & au-

& auctor infortunij mei, ac paucis diebus infelicem animam expuit. At fœmina tragædiæ totius concitatrix, in ſe tandem reuerſa Diabolo renunciauit, & vitam vniuerſim prius à Patre Octauio expiatam correxit. Vir fuit Octauius magna morum innocentia, & vitæ integritate, corporis afflictationi apprimè deditus; nudis aſſeribus ad ſomnum incubare ſolitus, quando ſui quodammodo iuris erat. In victu, & omni corporis cultu perparcus; modeſtiæ & verecundiæ ſingularis; obediens vſque ad admirationem. Bis præfuit Rector Mamertino & Panormitano Collegijs; vbi Noſtrorum ſtudia plurimùm excitauit. Domum Profeſſorum Panormi etiam gubernauit magna integritatis & obſeruantiæ laude. Vbique ſpiritum deuotionis in noſtris hominibus mirum in modum promouit, eos etiam peculiari quadam beneuolentiæ ſignificatione proſecutus, quos ad pietatem videbat proniores. In eos contra, qui Religioſæ ſeueritatis diſciplinam auerſabantur, acrior inſurgebat. In negotijs, quæ cum Dei gloria coniuncta erant, exequendis efficax erat, & animi virilis, nullius contra nitentis auctoritatem reueritus. Laborauit multos annos in eruendis in lucem rebus geſtis Sanctorum Siciliæ, cui operi cum iam eſſet affectum immortuus eſt; tam exigua rerum creatarum cura, vt huius ipſius operis poſt acceptum mortis nuncium, non meminiſſet, vt cuiquam commendaret, donec illi fuit imperatum. Et videtur gratus fuiſſe Deo hic eius labor, vel ex eo, quod quadriennio ante mortem cùm periculoſo morbo decumberet, opere ſatis tum imperfecto, præter ſpem, & morbo ſimul, & Collegij quod regebat, cura liberatus eſt, viribuſque ita auctus, vt illud potuerit ad vmbilicum adducere. Illud etiam argumentum accedit, quod cum anno 1611. pridie Calen. Nouembris, Votiuum de Sanctis Angelis Sacrum faceret, vt illis ſucceſſum ſui laboris commendaret, pia quæ aderat matrona magnum vidit Angelorum numerum qui Patrem dum formam Confeſſionis generalis pronunciabat circumſiſtebant: aliosque atque alios ſe illis addere cæleſtes ſpiritus, prout in ſacro magis magiſque procedebat; imminente conſecratione, accedere Reginam Angelorum pluribus etiam Angelis ſtipatam, quæ ſinu gerebat velut Templi cuiuſdam vel Tabernaculi ſpeciem, ex quo ſub conſecratione formoſiſſimus prodibat infantulus. Sic adſtitiſſe omnes Sacrificio, donec ad Communionem Dominus arctè viſus eſt Octauij ſpiritum complecti. His ille auſpiciis, inter gubernationis aliaſque non leues curas, opus grande atque impeditum perurſit ad finem. In extremo morbo cùm Sociorum nonnulli, præter preces, & vota Reliquias etiam S. P. N. Ignatii, atque aliorum Cælitum ipſius incolumitati procurandæ adhiberent, Superiori ad ſe accerſito dixit, ea ſalutis quærendæ media ſuam conditionem excedere, præſertim cum ſibi viſus eſſet quieſcenti primum, mox etiam vigilanti S. Ignatius B. Virgini ſupplicare, ſuorumque illi vota pro ſua ſalute repræſentare: Sed Deiparam nutu indicaſſe, haud oportere vitam ſibi vltrà prorogare: fortaſſe propterea quod iam opus abſoluerat cui maturando fuerat olim reſtitutus in vitam. Ergo inter pia colloquia Sacramentis iam inſtructus, magnis in B. Virginem, & in Chriſti Domini Paſſionem exhibitis pietatis indiciis, ſuauiſſimè obdormiuit, Panormi die 8. Martii anno ſalutis 1620. ætatis ſuæ 54. Religionis 38. Profeſſionis 4. votorum 18. Eius effigies Romæ fuit Superiorum facultate in ære expreſſa cum epigraphe, qua genere, doctrina, & ſanctis moribus conſpicuus perhibetur. Edidit Octauius Italicè

Orationem Funebrem quam Panormi habuit *in Exequijs Philippi II. Regis Catholici* excuſam primum 1601. & recuſam Panormi per Ioannem Antonium de Franciſcis 1619 in 4.

Latinè vero dedit in vulgus ad virorum doctorum auxilia procuranda

Ideam Operis de Vitis Sanctorum Siculorum, famâue ſanctitatis illuſtrium quod dudum ipſe moliebatur. Adiecit

Martyrologium Siculum in ſingulos anni dies. Panormi apud Eraſmum Simeonem 1617. in 4. Opus verò ipſum poſteà prodiit duobus Tomis

De vitis Sanctorum Siculorum, ex antiquis Græcis, Latiniſque monumentis. Panormi apud Cyrillos 1657. in folio

De die Natali S. Nymphæ Virginis, & Martyris Panormitanæ. Panormi apud Ioannem Antonium de Franciſcis 1610. in 4 Item

De Sanctiſſimæ Deiparæ Cultu in Sicilia, ſiue Icones, & Origines illuſtrium eiuſdem Ædium Latinè Opuſculum poſthumum. Panormi apud Cyrillos 1657. & rurſum ibidem 1663. in 4. Italicè verò Ibidem apud Andream Calicchium 1664. in 4.

OCTAVIVS LANZAVECCHIA natione Italus, patria Alexandrinus in Inſubria, Vicennis Societatem amplexus eſt anno Domini 1615. & vota 4. nuncupauit. Rexit Collegium Caſtri noui, & quamdiu per valetudinem licuit, nullum non ſubiit laborem, quo totum ſe iuuandis proximis impenderet. Exinde graui podagra defixus, quod vnum præſtare potuit audiendis Confeſſionibus aſſiduam dabat Operam, & cum ſuis incedere pedibus non valeret, alienis manibus ad Sacrum Tribunal in templum deferri impetrauit. Inter acerbiſsimos dolores, quibus diu noctuque torquebatur, gratias Deo continenter agebat. Tandem maturus cælo, mortalitatem exuit Mediolani die 21. Martii 1668. Edidit tacito nomine breuem ſed elegantem

Narra-

Narrationem de vitâ & morte Federici Cardinalis Borromæi Archiepiſcopi Mediolanenſis. Mediolani 1623. in 12.

* OCTAVIVS TEDESCHIVS natione Siculus, patria Catanenſis, in ipſo ætatis florentis exordio, annum agens 14. Deo ſe in Societate conſecrauit, anno ſæculi præterlabentis 14. & votorum 4. Sacramentum ſolemne dixit. Eloquentiam Meſſanæ profeſſus eſt; ibidem & Catanæ Philoſophiam; Theologiam Scholaſticam Neti explicuit, & Moralem Syracuſis. Sacri deinde Eccleſiaſtis munere annis 15. perfunctus eſt, & ſeptuagenario maior in patrio ſolo Catanæ religiosè denatus eſt die 27. Iunij 1672. Edidit Idiomate Italico

Panegyricas Conciones, Sacras, & Morales. Catanæ apud Ioſephum Biſagnum 1666. in 4.

ODDO DE COMITIBVS, natione Italus, patria Romanus è prima Nobilitate, Ducis Polenſis filius, natus anno ſæculi tranſacti 98. Societatem amplexus eſt vertentis 12. & ſolemnem votorum 4. profeſſionem emiſit. In humanioribus diſciplinis ſeuerioribuſque excellit. Philoſophiam Romæ cum approbatione docuit; Theologiam Moralem quadriennio explicuit, & Sacrarum litterarum oracula annis vndecim eſt interpretatus. Rexit Collegia Pœnitentiariæ Pontificiæ ad Vaticanum, & Interamnenſe, & nunc à ſexdecim annis, ſub tribus Summis Pontificibus eſt Examinator Epiſcoporum coram Pontifice, & promouendorum ad Ordines in Palatio Cardinalis Vicarij. Edidit

Orationem inſcriptam Chriſtus patiens, Nonus Adam Sepulchro cordis inciſus, habitam in Paraſceue coram S.D.N. Vrbano VIII. anno Chriſti 1632. Romæ typis Francisci Corbelletti in 4. Recuſam cum alijs eiuſdem argumenti typis Maſcardi 1641. in 12.

Philoſophiam Tomulis IV. diſtinctam in quæſtiones & articulos methodo S. Thomæ inſcripſit autem hoc modo, ſuo nomine non adiecto

Summa quadripartita Quæſtionum Philoſophicarum quas pro laurea diſputandas propoſuit in Collegio Societatis Ieſu Ioannes Ambroſius Spinola. Romæ typis Franciſci Corbelletti 1634. in 16.

Syluas Rhetoricas Partibus tribus, quarum Pars prima continet Homerum per Allegoriam explicatum. Pars II. *Proſas Miſcellas*. Pars III. *Carmina Miſcella* Romæ typis Corbelletti anno 1646 in 12.

ODO DE GISSEY natione Gallus, genere Burgundus, patria Auguſtodunenſis ingreſſus in Societatem in Lugdunenſi Prouincia anno ſalutis 1589. ætatis 21 gradum in ea ſortitus eſt Coadiutoris Spiritualis. Docuit Moralem Theologiam, & Albenacenſem Reſidentiam gubernauit. In ſalutem proximorum per ſacras Conciones, & exomologeſes diligenter incubuit caritate in calamitoſos fuit inſigni, frequentiſſimus in cuſtodijs, & Noſocomijs, vt omnibus omni ope auxiliaretur. Contra Hæreticos fortis athleta, & complurium ex his ad fidem Catholicam ſecundum Deum præcipuus ductor. Hinc fama ſanctimoniæ viuenti parta, & mortuus vti Pater vbertim eſt deploratus. Naturæ conceſſit Toloſæ die 9. Martij 1643. Scripſit Gallicè

De Vita, & Martyrio P. Iacobi Saleſij, & ſocij ipſius Guilielmi Saltamochij è Societate Ieſu. Toloſæ per Raim. Colomiez 1627. in 16.

Hiſtoriam B. Virginis Anicienſis cum Catalogo Epiſcoporum Anicienſium.

Hiſtoriam B. Virginis Rupis Amatoris vulgo Roquemadour.

Hiſtoriam S. Vrſulæ & Sociarum.

Vitam S. Saturnini primi Epiſcopi Toloſani.

Vitam S. Rochi Confeſſoris.

Latinè vero ſcripſit

Summam Vitæ Sanctorum Eccleſiæ Anicienſis.

Hiſtoriam Toloſanam, quæ tamen excuſa nondum eſt.

ODO MALCOTIVS natione Belga, patria Bruxellenſis admiſſus in Societatem Tornaci anno ſalutis 1590. ætatis 18. votorum 4. profeſſionem edidit. Mathematicis diſciplinis, quas Romę docuit, vti & linguam Sanctam, probè inſtructus edi permiſit, ſuppreſſo tamen Auctoris nomine

Aſtrolabiorum, ſeu vtriuſque Planiſphærij vniuerſalis, & particularis vſum, per modum compendij traditum à Valeriano Regnartio. Romæ apud Zannettum 1610. in 4.

Mathematica problemata ipſius laudat Chriſtophorus Clauius libro VII. Geometriæ Practicæ Probl. III. Propoſ. 20.

Obijt Romæ die 14. Maij anno ſalutis 1615.

* OLIVARIVS BIENVILLE natione Gallus, patria Pariſinus natus anno ſæculi præterfluentis 3. Societati nomen dedit 1620. & votorum 4. edidit profeſſionem. Poſt traditas quinquennio humaniores litteras, Eccleſiaſten iam egit annis amplius 34. & Rector Collegia Altiſſiodorenſe, & Nanceranum gubernauit. Superſtes modo in Collegio Rhemenſi. Edidit Gallicè

Paradiſum Terreſtrem, ſeu Exercitia Spiritualia, quibus homo propiùs accedit ad felicem Statum Innocentiæ Originalis. Rhemis apud Ioannem Multeau 1670. in 8.

Octauam Sacroſanctæ Euchariſtiæ. Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoiſy 1671. in 8.

OLIVERIVS BONARTIVS natione Belga, patria Iprenſis, natus anno ſalutis 1570. Vicennis ſe Societati tradidit 1599. & vota 4. nuncupauit. Poſt quinquennium Litteris humanioribus docendis impenſum, Theologiam Moralem octen-

octennio profeſſus eſt, & multis annis miſſiones ſedulo & fructuosè obiuit. Obedientiæ manui ſe totum inſtar ſcipionis tradidit, Orationi ſingulariter addictus, ſuique contemptor inſignis exſtitit. Bimeſtri ante obitum deficientibus oculis rem Diuinam facere prohibitus, ad templum itabat quotidie, ibique flexis genibus & iunctis manibus aſſiduè Sacris myſterijs aderat. In cubiculo dein ſæpe ſuſpirans, nec de vlla re ſuauiùs, quàm de exceſſu ex mortali vita ad immortalem loquens, ad hanc demum migrauit Ipris die 23. Octobris 1655. Edidit in lucem

De Horis Canonicis Lib. III. Duaci typis Belleri 1634. in 8. & Antuerpiæ

Commentarium in Eccleſiaſticum. Antuerpię apud Ioannem Meurſium 1634. in folio. Item

Commentarium in Heſtherem, Litteralem, & Moralem, Coloniæ ſumptibus Cornelij ab Egmondt. 1647. in folio

De Sacroſancto Miſſæ Sacrificio. Antuerpiæ typis Cornelij Vvoons 1653. in 4.

OLOMVCENSE COLLEGIVM in Vrbe principe Morauiæ ſitum, ad Bohemicam ſpectans Prouinciam, à nunquam ſatis laudatæ memoriæ Epiſcopo Guilielmo Priſenouio, ſeu Pruſinovvski de Vviczkoua inchoatum, anno ſalutis 1566. Hic vt gregem ſuum tanquam Paſtor bonus contra circumvndique ſtrepentes illius temporis hæreſes cuſtodibus vigilibus communiret, cùm frequentem coloniam Noſtrorum propter penuriam Sociorum illo tempore à Prouinciali impetrare non potuerit, ſaltem duos quaſi commodato ſibi per Quadrageſimam dari poſtulauit; quos deinde pia vi, ac bono dolo apud ſe detinuit, nec ante deſtitit, datis tùm ad Summum Pontificem, tum ad Imperatorem Maximilianum II. ſuper eo litteris, quàm iuſtum Sociorum numerum in ædibus à ſe vſui noſtro accommodatis, rite conſtabiliuiſſet. Auxerunt fundationem Antiſtites illius Succeſſores. Sed præcipuè inclytæ memoriæ Franciſcus S. R. E. Cardinalis à Dietrichſtein, adauxitque ipſe Ferdinandus II. Imperator ex bonis caducis perduellium. Hinc docentur in hac Vniuerſitate Artes omnes & Scientiæ in alijs per Orbem Vniuerſitatibus à Societate tradi ſolitæ, magno Regionis illius bono, & in eo ordinariè ſuſtentantur Socij ad nonaginta. Edidit Collegium

Epithalamium Illuſtriſſimis Vvenceslao, Guilielmo Poppelio Baroni de Lobkouitz, &c. & Franciſcæ Margaretæ Comitiſſæ à Dietrichſtein. Olomucij 1616.

* ONVPHRIVS SALT. Hunc ſcriptorem clariſſimus D. Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hiſpana, Ieſuitarum Sodalem fuiſſe aſſerit, ſed quia nullum eius nominis in vllis Catalogis Hiſpaniæ vel Luſitaniæ, de Societate inuenire potui, donec id liqueat magis, Noſtris adnumerare non audeo.

ORGANTINVS Nicolao Trigaultio SOLDVS, Franciſco Sacchino GNECCVS dictus, ibi vero BRIXIENSIS ab Vrbe Italiæ quam natalem habuit, Societatem in Italia ſuperſtite S. P. N. Ignatio amplexus eſt, anno ſalutis 1556. cùm ætatis ageret ipſe 25. adduxitque duos ad eam ſecum germanos Fratres; Ioannem Antonium, & Ioannem Baptiſtam, matre vidua eos cum lætitia reddente, quæ etiam ſolebat prædicare Organtinum olim pro Chriſto multa paſſurum. Et ipſe quidem iam inde à prima pueritia ad Martyrij cupiditatem tacitis inſtinctibus pulſus, cum de Indijs nihil dum audiſſet, & ſecum, & inter pueros æquales ſolebat frequenter cum ſuſpirio dicere. O ſi daretur mihi aliquando pro Chriſto inter Turcas mori! B. Virgini Lauretanæ Societatem debebat. Hernia enim fœda laborans, cùm vouiſſet Lauretanam ſe Cellam adituram, ſi ſanaretur, & ſtatim mirè conualuiſſet, moxque voti ſoluendi cauſa Lauretum adiiſſet, ita comiter, ſanctèque ibi eſt tractatus à Patre in quem incidit, vt decreuerit vitam eandem ſequi: quod reuerſus Ferrariam, cumulatè præſtitit. Studijs in Romano Collegio operam dedit vnde Tuſculum primus anno 1559. miſſus eſt, qui ſedem ibi ſtabilem Societati collocaret. Subinde Miniſtrum Collegij Romani anno 1563. egit; agebatque Rectorem Lauretanum, cùm ſtudio lucrandarum Chriſto animarum, expeditionem Indicam à Præpoſito Generali Lainio primùm, tum à B. Borgia tam ardenter expetijt, vt negari non potuerit. Ergo 16. Calen. Aprilis anno 1567. Olyſſipone ſoluit, & 5. Idus Septembris Goam appulit. Inde vltra prouectus in Iaponiam cum P. Franciſco Caprali, poſt exſpectatam in Macaënſi Portu (vbi trium votorum profeſſionem die 30. Nouembris anno 1568. fecit) per ſeſquianni tædia tranſmiſſionem anno 1570. peruenit. Mox Meacum miſſus Sacaii aliquamdiu hæſit, interclusus bellis; donec tandem ad Regiam Meacenſem delatus, vitam ibi reliquam, quàm longa fuit, per omnem temporum varietatem, perpetuus ferè Sociorum Moderator exegit, præter vltimos vitæ tres annos: quibus illum ætas & valetudo iam grauior ad Nangaſachienſis Domus quietem reuocauit: quod habuit ille tempus ſolidum ad vitam ita claudendam, vti ſanctè traduxerat. Dubium certe videri poteſt, vtrum ille Iaponios, an magis amarent illum Iaponij; atque obſeruarent, nec Neophyti dumtaxat, ſed Ethnici quoque Reguli, & quotquot eo tempore vixerunt Imperatores, quamuis vt Gens illa priuſquam Chriſti doctrinam admittat ferox eſt, & auræ mutabilis, ab iiſdem illis Principibus à quibus habebatur in pretio, nec leues ſuſtinuit calamitates, nec vnum adijt vitæ diſcrimen. Anno certe 1588. cum Faxiba Quabacondonus, qui Nobunanga interempto occupauit Imperium, ſæ-

uum

uam in Chriſtianos, ac præſertim in Patres fidei præcones tota Iaponia perſecutionem moueret, occultum oportuit Organtinum deliteſcere, ad opem fidelibus adferendam, quamuis fuiſſet benigniſſimè initio ab eodem Tyranno habitus; noctes impendere ſacris laboribus; ad auroram aliò quàm ſecretiſſimè migrare: quo rerum articulo ſolabatur ſe ipſe Sanctorum priſcorum, & ſuorum hodièque in Anglia Sociorum exemplo, quibus audierat eſſe familiares huiuſmodi clandeſtinas expeditiones. Annis ſic Meaci compluribus clàm hæſit, inter præſentiſſima ſemper pericula, atque animum quodammodo portans in manibus, afflictam illam Eccleſiam ſuſtinebat. Taicoſama poſtmodum furente, atque in Chriſti puſillum gregem bacchante, ſub annum 1596. exeuntem, rogante illuſtri Neophyto Organtinum, vt ſe abderet alicubi dum deſæuiſſet procella, conſtanter reiecit conſilium Pater, profeſſus ſibi fore gloriæ, contumeliam & mortem pro Chriſti Doctrina quam prædicauerat, proque ſalute fidelium ſuſtinere: hæc ſe tam longinquis itineribus quæſiuiſſe; nedum vt latebris redemptam cupiat vitam, quam poſſit tam honeſtè profundere. Vrgentibus inde alijs vt ſe furori ſubducerent præcones Euangelij, in quos maximè gliſcebat Tyranni rabies; Quod ad alios quidem attinet, inquit Organtinus, ſequantur quod cuique placet: ego quid affectæ huic meæ ætati conueniat, probè noui. Viginti & amplius annis Chriſtianitatem Meacenſem vtcumque foueo & ſuſtento; & nunc cum tempus admonet, vt in publicum prodeam, me tam viliter conijciam in latebras? Abſit hoc à me probrum, ſic enim nec honori Diuino, nec vinculo quo Societati obſtringor ſatisfecero. Quocirca Deo propitio, cras diluculo me dabo in viam, vt in crucem agar, vel certè vt naribus mutiler atque auribus: aut vt mecum demum quidquid collibitum fuerit, tamquam cum promulgatore Euangelij exerceant. Sic poſtridie mœrentibus alijs, alijs mirantibus, omnibus laudantibus, in media ſeſe pericula intulit. Deus tamen cui dies omnes noſtri in numerato ſunt, in alia illum tempora ſeruauit indemnem. Ad has publicas virtutes priuata ſui ipſius demiſſio, & contemptus cum acceſſiſſet, eum domi, vulgòque carum & amabilem exhibebant. Poſtremò triennio labores pro animarum ſalute ſuſceptos continuæ orationis ſuauitate leniebat: maximèque tenebatur Dominicorum tormentorum contemplatione. Obijt Nangaſachii anno ſalutis 1609. ætatis 79. Religionis 56. Iaponicæ expeditionis 42. Mortem ac ſepulturam eius Neophyti magno doloris ſenſu, frequentibuſque lacrymis proſecuti ſunt. Illam magnis laudibus exornat Georgius Cardoſus in ſuo Agiologio ad diem 22. Aprilis & complures citat qui de illo agunt. Scripſit Organtinus

Epiſtolam ad Fratres Romani Collegij Datam Goæ 5. Cal. Ianuary 1568. Inter Epiſtolas de rebus Indicis. Pariſiis apud Michaelem Sannium 1572. in 8.

Epiſtolas varias ex Iaponia ab anno 1577. vſque ad 1588. quæ extant Luſitanicè in volumine edito auctoritate Eborenſis Archiepiſcopi Eboræ 1598. in folio

Annuas litteras è Iaponia annorum 1594. & 1595. Romæ apud Zannettum Italicè 1597. in 8.

OSVVALDVS COSCANVS natione Germanus, patria Halenſis in Tiroli, vndeuicennis acceſſit ad Societatem anno ſalutis 1599. & vota 4. in ea nuncupauit. Vir egregiè doctus. Rhetoricam triennio, Philoſophiam ſexennio, Theologiam Moralem annis 14. Ingolſtadii profeſſus eſt, magna nominis ſui & doctrinæ celebritate. Mirificè in eo eluxerunt deſpicientia ſui, pietas erga pauperes, zelus erga pœnitentes, Studium concordiæ cum aliis, munditics cubuculi, amor religioſæ paupertatis, & ſingularis cura Orationis. Solemne illi fuerat excurrere in vicinos pagos ad manipulos animarum colligendos. Hic dum anno 1637. pro concione ardenter facundeque diceret oppreſſus Catarrho, & Ingolſtadium relatus magna animi æquitate finem viuendi inter mortales fecit die 18. Ianuarii. Scripſit

Opuſculum de Conſcientia tractanda.

OSVVALDVS KRVGER natione Pruthenus, in Societatem anno 1618. ætatis 20. adſcitus, votorum 4. profeſſione in ea ſe adſtrinxit. Docuit Theologiam Moralem annis tribus & totidem linguam Sanctam; Matheſim verò in Academia Vilnenſi annis 14. & nouarum aliquarum artium auctor fuit. Vir apprimè laborioſus, tractandorum animorum peritus, acceptus vniuerſis. Neſuiſienſis Collegii gubernaculo admotus, Eccleſiam illius igne abſumptam ſuis induſtriis inſtaurauit, domeſticos magna tranquillitate, in religioſa diſciplina continuit. Euocatus Grodnam à Sereniſſimo Rege Caſimiro, itineri præmiſit confeſſionem generalem totius vitæ, ſenſerat enim inter ſacrificandum diuinitùs ſe commoneri, vt ſe ad mortem compararet. Grodnæ itaque febri correptus, intra octiduum religioſè deceſſit die 16. Maii 1665. Edidit

Theoremata & Problemata Mathematica, ex Opticis, Geometria, Aſtronomia, Sphæra, Elementari, Computo Eccleſiaſtico. Vilnæ typis Academicis 1633. in fol.

Arithmeticam. Ibidem 1635. in 12.

Catoptrocauſtica, ſiue Specula Vſtoria. Ibidem 1636. in 4.

Parallela Horoſcopa ſiue De Directione tormentorum. Ibid. 1636. in 4.

Calendarium Romanum. Ibidem 1637. in 4.

Centuriam Aſtronomicam, Ibidem 1639. in 8.

Theoremata De Oculo, Optica, Catoptrica, Catoptrocauſtica Ibidem 1641. in 24.

Theorocentrica, ſiue Mathematicas de Punctis, & Centris conſiderationes. Ibidem 1644. in 16.

Exegeſim Feſtiuitatis Paſchalis. Ibidem 1646. in 24.

Iridem ſiue De Coloribus apparentibus. Ibidem 1647. in 24.

Diſſertationem De vacuo. Ibidem 1648. in 24.

Oculum. Vilnæ 1642.

Horolographiam practicam, prælo parauerat, ſed non emiſit.

OTHO LADESOV natione Belga, patria Inſulenſis natus anno 1587. Societatem ingreſſus 1610. Spiritualis Coadiutoris in ea gradum occupauit. Humaniores litteras per quinquennium docuit; rexit Collegium Heſdinienſe foris iuxta ac domi gratus, quo in munere obijt die 7. menſis Maij anno 1630. Edidit

Occupationem quotidianam Adoleſcentis ſtudioſi. Montibus apud Claudium Henon 1629. in 16.

OTHO ZYLIVS natione Belga, patria Vltraiectinus, natus parentibus Catholicis in medio nationis Acatholicæ die 30. Auguſti anno 1588. Societatem ingreſſus eſt 1606. Hortatorem ad id conſilij perſæpè habuit ſuum tunc Louanij in ſtudio Philoſophiæ condiſcipulum, Cornelium Ianſenium, poſtea Epiſcopum Iprenſem, qui frequenter Societatem tunc temporis, magnis apud ipſum laudibus efferebat, quamuis poſtea ab ea mente deſciuerit. In Societate gubernauit Otho Collegia Syluæducenſe, & Gandenſe emiſſa profeſſione votorum 4. & in Comitijs ſuæ Prouinciæ electus eſt ad Congregationem Generalem Decimam, cui Romæ interfuit. Vir fuit politioris litteraturæ gnarus in paucis, moribus ſuauibus, conſilij boni, ideoque in pretio apud pleroſque tàm in Eccleſiaſtica, quàm in ſæculari dignitate conſtitutos. Rerum ſpiritualium cura illi magna ſemper fuit. Sicut & regularum etiam minimarum. In horarum Canonicarum penſo perſoluendo tempora obſeruabat accuratè, tardeque eas pronunciabat, dicendo id ſibi ad excitandos pietatis ſenſus imprimis conducere. Deiparam Virginem peculiari colebat veneratione, & Epithetis tenerrimum ſenſum conteſtantibus ſemper compellabat. Erga animas purgatricibus flammis addictas ſingulari commiſeratione ferebatur, & quotidie conceptis à ſe verbis merita Chriſti Domini, Sanctorum omnium, & quæ eo ipſo die operaturus eſſet ad earum refrigerationem Deo offerebat. Pœnitentes ſuos opportunis conſilijs ad perfectionis ſtudium ſedulò promouit. In Acatholicis ad Fidem Orthodoxam perducendis, induſtrius valdè & felix fuit, multoſque ſanguinis nobilitate claros, atque in his Principem Bipontinum Eccleſiæ Catholicæ aggregauit. Valetudine fuit ſemper ferè infirma, quàm tamen inſigni conſtantia patienter ferebat. Laborabat identidem eryſipelate, podagra, ſubinde etiam Ophtalamia, quam tamen inuocatione S. Geneſij Martyris, qui oculorum Patronus, & Curator audit, omninò depulit. Cæterùm non immemor quam incerta ſit mortalium vita, aliquoties per Generales exomologeſes ſe ad mortem quaſi præſentem ſumma accuratione præparabat. Vnde cùm Bruxellis (vbi diutiſſimè vixit) negotiorum cauſa ſe Antuerpiam contuliſſet, in reditu Mechliniæ pernoctans, & hemiplexia repentè tactus, ſuſceptis ritè Eccleſiæ Sacramentis, & circumſtantes Tirones ad perfectionis ſtudium cohortatus, inter oſcula crucifixi piam efflauit animam Mechliniæ die 13. Aug. 1656. Edidit conſcriptam à ſe

Hiſtoriam miraculorum B. Virginis Mariæ Syluæducenſis. Antuerpiæ typis Plantinianis Balthaſaris Moreti 1632. in 4.

Sub nomine verò Rhetorum diſcipulorum ſuorum

Ruræmondam illuſtratam. Louanii typis Io: Chriſtophori Flauii 1613.

Ex Græco latine reddidit

Vitam SS. Xenophontis, & Mariæ Coniugum, eorumque filiorum Ioannis, & Arcadij.

Vitam & Miracula SS. Cyri, & Ioannis Martyrum, quorum hæc 31. illa 26. Ianuarii reliquis Sanctorum Actis inſerta prodierunt,

Edidit etiam

Cameracum Obſidione liberatum, Carmine Epico ad Sereniſſimum Archiducem Leopoldum Guilielmum, Antuerpiæ typis Plantinianis 1650. in 4. & rurſus ibidem 1656. in 8. Recuſum Francofurti in Parnaſſo Societatis 1654. in 4.

Mardochæum triplicem, ſiue De Triplice Mardochæi Fortuna media, infima, ſumma, libros tres parabat, ſed morte interueniente non abſoluit.

PANCRATIVS KREVTLE natione Germanus, patria Holfeltenſis, diœceſeos Bambergenſis, natus anno ſalutis 1562. in Societatem ingreſſus eſt anno 1582. & in ea concionandi, docendique & alijs muneribus laudabiliter functus eſt vſque ad diem 12. Martij anno 1638. quo Herbipoli ſexennio ſeptuagenario maior obijt formatus ſpiritualis Coadiutor anno ſæculari 1600. Tranſtulit è Latino Henrici Lamormaini in Germanicum

Cathechiſmum Controuerſiarum Guilielmi Bailij noſtri. Viennæ Auſtriæ 1628.

Item

Item edidit ſuppreſſo nomine translatum à ſe ex Latino Germanicè

Hortulum Marianum Franciſci de la Croix. Herbipoli typis Volmari.

PASSAVIENSE COLLEGIVM in Germania ad confluentes Danubij Oeniqué alueos ſitum in Auſtriæ & Bauariæ confinio, ſpectanſque ad Auſtriacam Societatis Prouinciam, Parentem, Fundatoremque habuit inclytæ memoriæ Sereniſſimum Archiducem Auſtriæ Leopoldum, Sereniſſimorum Caroli, & Mariæ Archiducum filium, & Auguſtiſſimi Ferdinandi II. Imperatoris Germanum fratrem. Hic cum nemini, ne quidem Cæſari ipſi, ſuo fratri, cedere in propenſione erga Societatem, iucunde profiteretur, ſtatim atque Infulas Argentinenſis, & Paſſauienſis Eccleſiarum adeptus eſt, de fundando Collegio Paſſauij, vbi celebris erat Illuſtriſſimorum Canonicorum Senatus, cogitare cœpit, & ſuperatis feliciter obſtaculis non paucis, ſub annum Domini 1612. Scholis litterarum humaniorum initium dedit. Deinde aduertens quanto fructu Societas eo loci verſabatur, quamque expediret, vt Clerus quoque diœceſeos illius ſcientijs neceſſariis ad dirigendas Incolarum conſcientias imbueretur, impetrato Cœnobio peruetuſto Traunkirchenſi, ab Auguſtiſſimo ſuo fratre Ferdinando, & accedente approbatione Sedis Apoſtolicæ, auxit numerum Noſtrorum Sociorum, & ad ſex Humaniorum litterarum claſſes, quæ iam floreſcebant, adijci curauit Profeſſores Dialecticæ, Theologiæ moralis, & Sacrorum Canonum magno patriæ illius beneficio. Domicilium quoque habitationi Noſtrorum accommodatum; Idem Fundator ære ſuo, & magnificentia plane Regia à fundamentis extruxit. Degunt in eo, & in annexa illi Reſidentia Traunkirkenſi Socij ordinariè ſupra triginta. Edidit Collegium ſuo nomine

Templum Gratiarum pijs manibus Sereniſſimi Leopoldi Archiducis Auſtriæ Fundatoris ſui in ipſo Inferiarum die dicatum. Paſſauii apud Conradum Erosch 1633. in 4.

PATRITIVS ANDERSONVS natione Scotus, patria Elgenenſis, ingreſſus in Societatem Romæ anno ſalutis 1597. ætatis ſuæ 22. Theologicis, Philoſophicis, ac linguarum exactæ cognitioni, Mathematicas ſcientias ad ſtuporem vſque coniunxit. Circa annum 1620. in Scotiam profectus, carcerem, ludibria, fidicularum minas ſuſtinuit. Ex his demum liber Londini piè obdormiuit in Domino die 24. Septembris 1623. Scripſit Scoticè librum cui titulus eſt

Quomodo vnuſquiſque poſſit inuenire viam ſe ſaluandi &c. Ita refert Dauid Camerarius extremo libro 2. §. 10. De Statu Hominis &c.

PAVLVS ALBINIANVS DE RAIAS natione Hiſpanus, patria Valentinus, ſedecim annos natus in Societatem adſcitus eſt anno 1600. & in ea vota 4. profeſſus. Poſt traditas ſexennio Humaniores litteras, Theologiam Moralem Cæſarauguſtæ, Sacras litteras Valentiæ explicuit, & Sacræ Inquiſitionis Cenſor fuit. Rexit Collegium Valentinum, & Domum Profeſſorum ibidem Præpoſitus ſecundùm, & electus à Prouincia, duabus Congregationibus Generalibus nonæ, & decimæ in Vrbe interfuit. Vir admodum ſeruus, & Religioſus, hoſtis otij, librorum helluo, regularis obſeruantiæ zelo feruens, ſingularia in victu & veſtitu horrens; ſæpe culinam vel triclinium, etiam Præpoſitus adibat, vt ſua opera coqui, vel triclinarij leuaret onera. In morbis quos ſæpè paſſus eſt tantâ fuit patientiâ, vt nec ſuſpirium ederet, nec dolores enarrando exaggeraret, ſed marmoris inſtar, eorum ictus premebat ſilentio, Deoque litabat, paratus duriora adhuc pati, ſi ſic placeret ſuæ Diuinæ Maieſtati. His alijſque virtutibus clarus in ipſo natiuitatis Dominicæ peruigilio naſci meruit cælo, in Domo Profeſſa Valentina die 24. Decembris 1667. Scripſit Hiſpanicè

Lacrymas Cæſarauguſtanæ Ciuitatis, in obitu Philippi II. Hiſpaniarum Regis Catholici, addiditque *Orationem funebrem ſuam Latinè.* Cæſarauguſtæ apud Ioannem de Lanaia, & Quartanet 1621. in 4.

Aragoniam Geographicè delineauit

Horologium Animæ. Valentiæ typis Berardi Nogues 1653. in 8.

Latinè edidit

In Canticum Canticorum Salomonis Commentarium Litteralem in quo nuptiæ Verbi cum Eccleſia deſcribuntur. Genuæ typis Benedicti Guaſchi 1659. in folio. Tres alios tomos in idem Canticum reliquit paratos, &

Vitam Fratris Noſtri Ven. Alphonſi Rodriguez Societatis Ieſu. Compoſuerat quidem, ſed typis non vulgauit.

PAVLVS DE BARRY natione Gallus, nobili apud Occitanos genere, natus Leucatæ in Diœceſi Narbonenſi anno ſalutis 1587. ad Societatem ſe adiunxit 1605. & vota 4. ſolemnia nuncupauit. Philoſophiam quinquennio in ea docuit, rexitque Domum probationis Auenione, Collegia Aquenſe, Nemauſenſe, & demum totam Prouinciam Lugdunenſem. A Comitiis Prouinciæ deſtinatus eſt Romam ad Congregationem Procuratorum. Vir admodum pius, vti conteſtantur eius lucubrationes plurimæ, & obſeruantiæ religioſæ peramans, in ſenectute bona tranſiuit ad Dominum. Auenione die 28. Iulii 1661. Edidit Gallicè

Cælum Philagiæ apertum à centum pietatis operibus erga Deiparam. Lugduni apud viduam Claudii Rigaud 1636. in 12.

Blanditias Sacras, & ſuaues, quibus Philagia captat amorem Chriſti. Lugduni typis iiſdem 1638. in 12.

Sacrum Philagiæ cum ſanctis fœdus. Typis iiſdem in 12.

Philagiæ ſolitudinem, ſeu Exercitia Spiritualia. Ibid. in 8. Italicè vertit noſter Matthæus Gherardellus. Romæ & in Italia octies recuſa.

San-

Sancta Conſilia Philagiæ. Ibidem in 16.

Alimenta pietatis erga S.Ioſephum. Ibidem 1639. in 12.

De Beneficijs, & Cultu SS. Angelorum. Ibidem in 12.

Annum Sanctum duobus Tomis comprehenſum. Ibidem apud Philippum Borde 1653. in 4.

Magnificentiam Dei erga Matrem. Ibidem in 12.

Philagiæ Triduum, ſeu Recollectionem Triduanam. Ibidem 1644. in 12.

De Cultu, & Beneficijs S.Vrſulæ,& Sociorum. Ibidem in 12.

Praxim virtutum. Ibidem apud hæredes Proſtii in 8.

Praxim Perfectionis. Ibidem in 8.

Philagiæ Meditationes De Vita Chriſti, & Sanctorum in ſingulos anni dies Tom.3. Lugduni apud Philippum Borde 1649. in 8.

Meditationes De Deipara, in ſingulos eius feſtos dies, & octauas. Pariſiis apud Florentinum Lambert 1651. in 8.

Meditationum penum ſpirituale in ſingulos Sabbati dies &c. Lugduni apud Antonium Gellier 1652. in 8.

Meditationes in ſingulos anni dies in Euangelia cuiuſque hebdomadæ. Tom.3. Lugduni apud Petrum Cuſſet 1653. in 8.

Paulinum, & Alexim, illuſtres Deiparæ amantes, cum Diario inſigniorũ Deiparæ Clientum. Lugduni apud Philippum Borde 1656. in 8. Italicè Mediolani 1670. in 12.

Mortem Paulini,& Alexis cum varijs Epiſtolis, ac felice obitu centum Seruorum Dei. Lugduni typis iiſdem 1658. in 8. Italice verò Mediolani 1674 per P.Gherardellum.

Centum Illuſtres De Domo Dei in omni hominum Ordine. Lugduni apud eundẽ 1660. in 8.

Vitam S.Alexij cum idoneis reflexionibus. Auenione apud Ioannem Piot 1661. in 12.

Ex his complures libellos tranſtulerunt in linguam Latinam *Adamus Schirmbck, Michael Cuuelier, Martinus Sibenius*, in Italicam Franciſcus Sinibaldus, & alij ex Societate: Germanicè *Criſtophorus Schackner* Bauarus,& in alias linguas vernaculas alii.

* PAVLVS BELLIVS natione Siculus, patria Meſſanenſis, illuſtri familia natus anno ſæculi enoluti 88. Societatem complexus eſt voluentis 3. & votorum 4. nexu ſe adſtrinxit. Vir inſigni præditus prudentia, gubernauit Collegia Platienſe, Syracuſanum, Catanenſe, Drepanitanum, Seminarium Romanum, Domum Probationis Meſſanenſem, & à Prouincia Sicula miſſus eſt Romam ad Comitia Congregationis Generalis Decimæ. Innocentio X. Pont. Max. in pretio fuit, ob neceſſitudinem quæ interceſſit inter familiam Pamphiliam,& Iuſtinianæam, cui Bellia coniuncta erat. Erga Deiparam Virginem ſingulari flagrabat pietatis ſtudio, & in natali ſolo religiosè denatus eſt Meſſanæ die 15. Ianuarii 1658. Scripſit De Veritate Epiſtolæ à Deipara ad Meſſanenſes Miſſæ ſub titulo

Gloria Meſſanenſium. Meſſanæ typis hæredum Petri Breæ 1647. in folio.

Capellanum,& Eleemoſynarium Chriſti pro animabus Purgatorij ſub nomine Lælii Palumbi. Ibidem apud Iacobum Matthæum 1654. in 8.

* PAVLVS VANDENBERGHE natione Belga, patria Neomagenſis, natus anno ſæculi labentis 9. Societati ſe applicuit 1628. & vota 4. nuncupauit. Amæniores diſciplinas tradidit quinquennio; Præfectum Scholarum egit, Directorem Sodalitatum, Concionatorem per Prouinciam, modò ab annis amplius 20. ſaluti animarum ſe impendit, in Miſſione Hollandica, & maximè Leouardiæ, vbi Operarii gnaui partes obiit. Edidit Belgice

Cathechiſmum Controuerſiarum. Ruræmundæ 1666. Editione 5.

PAVLVS BOMBINVS natione Italus, patria Coſentinus, admiſſus in Societatem Romæ anno ſalutis 1592. ætatis 17. profeſſionem emiſit 4. votorum 1616. Prælegit in Collegio Romano Philoſophiam,& Sacram Scripturam, atque dum inter nos ageret. Edidit

Orationem in funere Margaretæ Auſtriacæ Hiſpaniarum Reginæ dictam Romæ, ibique impreſſam apud Zannettum 1611. in 4.

Orationem in Paraſceue habitam coram Paulo V. Pont. Max. Romæ apud Maſcardum, & apud Caballum 1612. in 4. & poſt cum aliis recuſam 1641. in 12.

Orationem in funere Coſmi II. Hetruriæ Ducis. Mantuæ apud Franciſcum Oſannum 1621. in 8.

Orationem in funere Philippi III. Hiſpaniarum Regis. Ibidem in 4.

Veſtigium Gymnaſij Romani, quali ornatu excepit venientem ad ſe *Scipionem Cardinalem Burgheſium.* Romæ apud Iacobum Maſcardum 1615. in 8.

Vitam & Martyrium Edmundi Campiani Societatis Ieſu. Primum in Belgio in 12. poſtea auctiorem Mantuę apud Oſannas 1620. in 8. ſub nomine Pompeii Muti

Orationem in diem Sanctum Pentecoſtes habitam in Sacello Pontificis. Romæ apud Maſcardum, & rurſus apud Caballum *1612.* in 4.

Preſſo verò Auctoris nomine alteram

Orationem De Aduentu Spiritus Sancti, habitam coram Summo Pontifice. Romę apud Maſcardum in 4.

Italicè ſuppreſſo etiam nomine

Vitam S.Ignatij de Loyola. Neapoli apud Lazzarum Scorrigium 1615. in 8. Auctam deinde ex proceſſibus pro Canonizatione inſtitutis, & ipſius Canonizationis narratione. Romæ typis Zannetti 1622. in 8. Rurſum tertia editione correctam & auctam, Neapoli apud Secundinum Roncagliolum anno 1627. in 8. Plura de Bombino Leo Allatius in Apibus Vrbanis refert.

PAV-

* PAVLVS CASATVS natione Italus, patria Placentinus, natus anno ſæculi præterfluentis 17. Deo ſe in Societate conſecrauit 1634. & vota 4. ſolemni ritu concepit. Docuit Philoſophiam ſexennio, Matheſim quadriennio, Theologiam Romæ altero quadriennio, vnde poſtulante Sereniſſima Regina Sueciæ Chriſtina à Præpoſito Generali Societatis Ieſu vt ad ſe duos de Societate Patres Italos in Sueciam mitteret, habitu diſſimulato, quibuscum de rebus Religionis ageret, delectus ad eam ſpartam P. Caſatus eſt, vna cum P. Franciſco Malines, & poſt crebra cum ſua Maieſtate, ſemotis arbitris, colloquia, ab eadem Romam ſumma cũ benignitate remiſſus eſt anno 1652. Fuit poſtea Præpoſitus iteratò Domus Profeſſæ Venetæ, Rector Collegii Parmenſis, vbi modo degit à Sacris Confeſſionibus Sereniſſimæ Duciſſæ Parmæ, ac Placentiæ. Edidit Latinè

Vacuum proſcriptum, ſiue Diſputationem Phyſicam, qua nullum eſſe in rerum natura vacuum oſtenditur. Genuæ per Ioannem Dominicum Peri 1649. in 4.

Terram Machinis motam, eiuſque grauitatem, & dimenſionem. Romæ typis Hæredum Corbelletti 1655, in folio.

Italicè vulgauit

Conſtructionem & vſum Circini proportionum. Bononiæ apud Io: Baptiſtam Ferronum 1664. in 4.

Orationem funebrem habitam in Exequijs D. Appij de Comitibus Ducis Polenſis. Parmæ per Marium Vignam 1666. in folio.

PAVLVS COMITOLVS natione Italus, patria Peruſinus, adoleſcens noſtræ ſe Societati addixit anno ſalutis 1559. ætatis 14. & cùm aliis diſciplinis omnibus tùm maximè Humanioribus, Latinis & Græcis eximiè fuit perpolitus. Itaque Rhetoricam tradidit, Sacras litteras eſt interpretatus; Quæſtiones de moribus publicè & priuatim explicauit. Obiit Peruſii die 18. Februarii anno ſalutis 1626. ætatis 81. Religionis 66. Profeſſionis 4. votorum emiſſæ 48. Edidit translatum à ſe eleganter è Græco in Latinum ſermonem

Catenam Illuſtrium Auctorum in librum Iob Lugduni 1586. auctam verò & recenſitam Venetiis apud Iolitos 1587. in 4.

Tractatum Apologeticum pro monitorio Sedis Apoſtolicæ ad Venetos.

Confutationem Libelli ſeptem Theologorum Venetorum aduerſus Interdictum Apoſtolicum.

Conſilia ſeu Reſponſa Moralia Lib. 7. Lugduni apud Cardon 1609. in 4.

Doctrinam De Contractu vniuerſo in tres Partes diſtributam. Ibidem 1615. in 4.

Italicè verò tacito ſuo nomine edidit

Centum & triginta Priuilegia B. Virginis. Peruſiæ apud Aloyſium Aluigium anno 1615. in 4.

PAVLVS DVEZIVS natione Belga, patria Leodius in Societatem ingreſſus eſt anno 1606. ætatis 21. & vota 4. ſolemnia emiſit. Humaniores diu litteras in ea docuit, diu concionatus eſt; Rector fuit Barroduci, Senonibus, & Theologico Magiſterio donatus quadriennio Muſſipontanam rexit Academiam, & Societatis Collegium in ea fundatum. Viuens ſæpè habuerat in Votis, ſimul atque Generali Exomologeſi peccata expiaſſet lethargo opprimi, & vita defungi. Exaudiuiſſe videtur vota Diuina prouidentia, nam pridie quam obiret, leui tactus morbo, Pœnitentiæ Sacramento vitæ totius maculas eluit, & poſtridie inexpugnabili ſomni neceſſitate oppreſſus obdormiuit (vti ſperare fas eſt) in Domino, Metis die 14. Aprilis 1644. Scripſit verſibus partim Gallicis, partim Latinis Libellum qui inſcribitur

Cantus Muſarum ad Henricum II. Sereniſſimum Lotharingiæ Ducem nomine Scholaſticorum, qui ſuprema Philoſophiæ Laurea donati fuerant. Muſſiponti typis Melchioris Bernardi 1615. in 8.

Commentarium breuem in Selectas Tibulli, & Propertij Elegias; Moſellam Auſonij. Item in Selecta Veterum, & Recentiorum Epigrammata. ibidem eodem anno. In Belgio quoque & in Gallia

Vertit ex Hiſpanico Gallicè

Alphonſi Rodriguez Exercitium Perfectionis Religioſæ Part. III. Pariſijs typis Nicolai Buon 1621. in 8. & ſæpius deinceps

* PAVLVS FRISCIA natione Siculus, patria Saccenſis, cùm ſextum & decimum ætatis annum attigiſſet, anno fluentis ſæculi 31. in Societatis noſtræ familiam eſt cooptatus, in eaque quarto obſtrictus voto, Diuinæ gloriæ & ſalutis hominum cauſa, cum in Sicilia, tùm in Corſica ſacris expeditionibus per ſexennium ſe impendit, & Concionatoris in Sicilia partes egit. Humaniores diſciplinas quadriennio docuit. Rexit Collegia Baſtienſe in Corſica, Saccenſe, Netinum, Catanenſe in Sicilia, & nunc Collegio Panormitano præeſt. Scripſit Italico idiomate

Vacationes animæ, quibus nonnullæ praeponuntur Meditationes ſecundum ſeriem ac methodum Exercitiorum Spiritualium S. P. N. Ignatij. Panormi typis Caroli Adami 1675. in 8.

PAVLVS GVLDIN natione Germanus, patria Sancto-Gallenſis honeſtis, ſed Hæreticis parentibus natus, die 12. Iunij anno 1577. & Habacuc vocatus, arti mechanicæ aurificis addictus fuit, quam dum perſequitur, Friſingæ ad fidem adductus fuit, & conſilio vitæ Religioſæ ſuſcepto, Priore Benedictinorum ſuadente, Societatem elegit, in quam Monachij anno 1597. pro Coadiutore temporali receptus, aſſumpto Pauli nomine ad annum vſque 1609. ea ſorte vixit. Cum ſe namque fortuitis occaſionibus prodidiſſet eximia eius indoles ad Matheſim, Romam voca-

vocatus, & Philoſophiæ operam, & Mathematicis dare iuſſus eſt, tametſi gradum illè priorem, ſua opinione tutiorem maluiſſet. Anno 1617. Græcium miſſus eſt, & biennium ibi Matheſim publicè docuit; vnde morbo vexatus, in Superiorem Germaniam deſtinatus ad valetudinem recuperandam, Viennam poſtea reuerſus eſt, vbi Matheſim etiam prælegit, & lue graſſante afflatorum obſequio ſe impendit. Tandem poſtliminio Græcium rediijt anno 1637. vbi dum ſubſeciuis horis ſuas contexit lucubrationes, ad laborum præmia emigrauit die 3. Nouembris 1643. Spiritualis Coadiutoris gradu pridem donatus. Edidit

Refutationem Elenchi Calendarij Gregoriani, à Sethο Caluiſio conſcripti, & opera Dauidis Origani editi Lib.V. Moguntiæ 1616. in 4. In hoc opere defenditur à calumnijs Calendarium Gregorianum, eiuſque editor & explicator Chriſtophorus Clauius; proponitur methodus temporis ciuilis, comprehendens regulas & tabulas ad inuenienda ea, quæ peti poſſunt pro Calendario, tum antiquo, tum nouo: componitur etiam Calendarium Iudaicum: reijciuntur Pſeudo-Calendaria Caluiniana. Acceſſit digreſſio de Aſtronomia Scaligeriana, & breue examen libelli poſthumi Ioſephi Scaligeri, de Æquinoctiorum anticipatione. Scripſit Item

Paralipomena ad Refutationem prædictam & producuntur in ijs 29. exempla Paſchatum ex S. Cyrillo Alexandrino nunquam antea edita. Moguntiæ

Problema Arithmeticum de rerum combinationibus, quo numerus dictionum ſeu coniunctionum diuerſarum quæ ex 23. Alphabeti litteris fieri poſſunt indagatur. Viennæ, Auſtriæ 1622.

Diſſertationem Phyſico-Mathematicam de motu Terræ ex mutatione Centri grauitatis ipſius proueniente. Ibidem eodem anno

Problema Geographicum de Diſcrepantia in numero, ac denominatione dierum, quam qui orbem terrarum contrarijs vijs circum nauigant & inter ſe, & cum ijs, qui in eodem loco conſiſtunt, experiuntur. Viennæ 1633.

Centrobaryca, ſeu de Centro grauitatis trium ſpecierum quantitatis continuæ Lib.I. Viennæ Auſtriæ 1635. in folio. Præmittit in hoc opere

Prolegomena de diſciplinarum Mathematicarum deſcriptione, Ordine, diuiſione. Inſerit ſubinde *Digreſſionem de Quadratura circuli, & linea Quadratice, & Annotationem ad Diſſertationem de Motu Terræ, ſupra recenſitam.* Acceſſit denique

Appendix quæ continet

Poteſtatum Geneſim, & Analyſim. Conſtructionem, Continuationem & vſum Tabularum Quadratorum numerorum, & Cuborum. Vſum earundem Tabularum pro virgis Stereometricis. Vſum Logarithmorum pro eadem re. Regulas ad conſtruendas acies militares. Compoſitionem & reſolutionem numerorum Polygonorum. Ipſas tabulas numerorum Quadratorum & Cuborum, à radicibus decies millibus, hoc eſt *ab* 1. *vſque ad* 10000. Edidit etiam

Centrobarycorum partem alteram, quæ continet Libros II. III. & IV. Viennæ apud Matthæum Coſmerouium 1641. in folio

Alia ſub manu habebat, ſed mors præoccupauit

PAVLVS HOFFÆVS natione Germanus, patria Bingenſis ad Rhenum in diœceſi Moguntina, magnum Societatis, & Germaniæ lumen de quo, & de Petro Caniſio vſurpabat Sapientiſſimus Bauariæ Dux Albertus, vt refert Andreas Brunner in Excubijs tutelaribus pag. 551. quod Eccleſia de principibus Apoſtolorum, *Petrus Caniſius, & Paulus Hoffæus, ipſi nos docuerunt legem tuam Domine.* Is cum Bingæ in patria ex editiſſima turri decideret, vouit ſe, ſi incolumis euaſiſſet, Societatem noſtram, vixdum natam, ingreſſurum, & illicò ſurrexit incolumis. Embricæ, Coloniæ, Romæ litteras Humanas Diuinaſque complexus, inter primos Collegij Germanici anno 1552. quod S. P. N. Ignatius moliebatur tunc in Vrbe, clientes adſcitus, triennio poſt ab eodem Societati tranſcriptus eſt. In Romano Collegio Miniſtrum egit ſub Rectore Sebaſtiano Romæo. Anno 1558. creatus Bononiæ Theologiæ Doctor, in Germaniam miſſus eſt, & ab inde triennio ad diem 16. Martij ſolemnem 4. votorum profeſſionem Pragæ emiſit; & paulo poſt Ioanni Victoriæ in regendis Viennæ ſtudijs ſubſtitutus, Ius etiam Diuinum ibi interpretatus eſt. Lapſo triennio vocatus Ingolſtadium, Nicolao Lanoio in Collegij Rectoratu ſucceſſit. Præfuit etiam noſtris Monachij, & totis 13. annis Germaniæ Superioris Prouinciam moderatus eſt; Principibus tum Auſtrijs, tum Boicis, ob virtutis & Sapientiæ opinionem ſingulari veneratione cultus. Quatuor Congregationes Generales adijt, ter ad electionem Præpoſiti Generalis. Anno 1581. quo Claudius Aquauiua ſuffectus Euerardo Mercuriano eſt, Hoffæus qui Prouincialis eò venerat, deſignatus pro Germania Aſſiſtens, Romæ ſubſtitit. Poſt annorum decadem eo munere defunctus, luſtrauit Viſitator Germaniam Superiorem, & Rhenanam Prouinciam. Vltima demum ſenecta rediјt Ingolſtadium ad onus gubernandi Collegij, quoad fractus, tantùm non ſub onere concidit. Emeritus tandem, annos extremos Deo totos, & patientiæ conſecrauit, quam in tanta varietate atque acerbitate morborum podagræ, chiragræ, calculi inſigniter probauit. Quo in

ſtatu

ſtatu corporis, ſæpius omnes præteritæ vitæ labes confeſſione deleuit: & quamuis perpes pene Chiragra digitorum vſum eriperet, per eos tamen dies quibus Confeſſionem chartæ, pro more, conſignare decreuerat, indulgentior fuit. Peracta ea confeſſione, vltimiſque Sacramentis & poſtulatis, & impetratis, Socios, poſtremum vt putabat, allocuturus, omnes inprimis orare veniam, vellent eſſe in ſe, quo ipſe in vniuerſos animo eſſet. Eos, deinde ad liberaliter Deo ſeruiendum hortatus, ſe ipſum abijciendo, omnes ad ſpem æternæ ſalutis erexit, poſtea bene omnibus precatus gratias egit, quod præſto fuiſſent Sacra percipienti. Commendari ſe denique etiam atque etiam voluit R. P. Generali, & P. Prouinciali, quibus inſeruiſſet, vti potuiſſet; grata haberent, quæ præſtitiſſet. Significauit etiam cupere ſe eos qui deinceps adfuturi eſſent ægrotanti, ſermonis eſſe modicos; decreſſe ſe reliquum, quod ſupereſſet, tempus cum Deo, Patronis ſuis, alijſque Cælitibus tranſigere. Sui ob vitæ errata doloris ſigna magna dedit. Inter alia fuit illud, quod Superiori propè aſſidenti dicere quàm demiſſiſſimè ſolebat, adeo ſe malum fuiſſe, vt meritò ſalutem deſperare poſſet, niſi tam clementem ſe habere Dominum nouiſſet. Quo etiam ſuum in omni vita parendi ſtudium teſtatum fecit, cum in morbo ita difficili, & acerbo nihil quidquam agere ne ſurgere quidem, aut Confeſſionem generalem iuſtituere vellet, abſque Superioris conſenſu. Quæ virtus præ alijs magnam illi ſanctimoniæ opinionem merito conciliauit apud Noſtros, qua inducti pro ſe quiſque ſuas illi peculiares difficultates, certo velut patrono commendarunt. Menſem fere integrum ita exegit, dum tandem die 17. Decembris anno ſalutis 1608. ætatis ferè 85. Religionis 54. Ingolſtadij, inter vota complexumque Sociorum vitam abſoluit. Sub eoſdem ferme dies, triduo antequam Hoffæus graui illo morbo corriperetur, obierat religioſiſſima fœmina Medici noſtri coniux, quæ ſupremo ſuo die Patri tria poma punica deſtinauerat; cui etiam ſimul atque migrauit ſe videndam obtulit, ſimilis eum ad ſe inuitanti. Poſt mortem peramæno vultu apparuit, & tamquam ſubridens, vt fere vocem ab eo expectares. Aliquot ante annos cùm Prouinciam obiret, & Collegij fundamenta Lucernæ moliretur, repentè morbo oppreſſus Auguſtam reportatus eſt ibique poſt Sacram vnctionem iam conclamatus, Sociorum votis ab ipſo mortis limine, quod creditur, reuocatus eſt. Nam P. Ioannes Raſtellus Anglus ad ædem Saluatoris octo paſſuum millia profectus, pro tam caro capite, ſuum ipſe deuouit, ſedulo Deum precatus, votum vti hoc ſuum ratum haberet. Et habuit ratum Deus, ſimul enim, ac Domum deuenit, decubuit, & occubuit; ſurrexit alter, pro quo fuit ille hoſtia piacularis. Dignum memoratu eſt quod anno 1600. euenit. Extemporaneum ſeni ſacellum excitatum erat, quo commodius ad ſacra vteretur, Bethlemum ſuum appellabat. Ibi oranti Dæmon ſaltabundus apparuit, iactans ſe quidpiam inexſpectatum moliri. Perterritus Pater triſti denunciatione, Deum anxiè pro auertenda à Collegio noxa precatur. Vix triduum abierat, cum veterem ſubruituri parietem è Socijs aliquot, ſubſidente ponticulo, cui inſtiterant, in ſubiectam ſcrobem corruunt; luxatus vero iam quaſſatione murus, ruinam traxit, qua duos Sociorum oppreſſit, alios grauiſſimè ſauciauit. In hoc ſuo Bethlemo quinquagenarius Sacerdos, honoris publici & plauſus fugiens, Sacras primitias more maiorum repetiuit. Mane ante horam à media nocte tertiam ſurgebat è ſtrato, & vſque ad ſextam ducebat meditationem, mox ſacro facto ſuccedebat ſacra lectio, ſcriptioque. Verborum ſemper parcus fuit, & cautus. Tam contumaci, & ſeuera victus abſtinentia fuit, vt illa vna infeſtam podagram vltra ſeptuageſimum annum à ſe procul habuerit. Cibos delicatos etiam in morbo auerſatus eſt; parabiles amauit, & alijs communes. Paupertatis religioſæ ſic amans fuit, vt ad res leuiſſimas poſceret facultatem. Cultu & pietate in Beatiſſimam Virginem, omnibus ipſius peruigilijs ieiunium religioſiſſimè ſeruauit; & quem ſenem non vllus facilè vnquam cantantem audijt, is ipſe paucis ante mortem diebus carmen de B. Virgine, præter omnem morem concinuit. Sæpe demortuorum animæ ad cubiculi fores auxilium ab illo flagitarunt: & ſuauiter Ingolſtadij noſtris adoleſcentibus exprobrauit aliquando, quod nonnunquam ſibi liberalius aliquid ſine Maiorum venia indulgerent; quæ poſt mortem ne flammis expiarent, ab ſe venirent ſuffragia poſtulatum. Edidit vir egregius, ſuppreſſo ſuo nomine, e Latino à ſe Germanice redditum

Catechiſmum Romanum

Et ſub nomine Theologorum Bauariæ

De Communione ſub vna tantum ſpecie,

Contra hunc libellum cum Smidelinus, & Cyriacus Spangebergius noxios edidiſſent Tractatus Hoffæus tacito nomine edidit Germanice iuſti voluminis

Librum quo Smidelinum & Spangebergium confutauit, anno 1565.

PAVLVS LE IEVNE, ſiue Iuuenis natione Gallus, patria Campanus, diœceſis Catalaunenſis Societatem anno 1614. ætatis 22. ingreſſus votorum 4. profeſſionem in ea emiſit. Poſt explicatam Rhetoricam, & amœniores litteras, nauigauit in Cannadam, ibique aliquamdiu fuit Superior Noſtrorum. Octodecim annorum ſpatio vineam illam ſenticetis plenam operarius impiger excoluit, & plurima egit ad Dei gloriam & Chriſti fidem dilatandam conducibilia. Reuocatus poſtea in Gal-

Galliam ad negotia Miſſionis illius promouenda, vbique virtutum ſuarum clara reliquit veſtigia, & omnibus carus, vitam ſanctam ſimili concluſit exitu Pariſijs die 7. Auguſti 1664. Plura de eo dabit Hiſtoria Canadenſis compoſita à P. Franciſco Creuxio. Edidit Gallice

Relationem geſtorum in noua Francia annorum 1632. & ſequentium vſque ad 1639. Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoiſy in 8. & Rothomagi 1638. in 8. Item

Exercitia Spiritualia. Pariſijs apud Florentinum Lambert recuſa 1669. in 8.

Epiſtolas Spirituales. Iiſdem typis 1665. in 8.

Deuotionem Electorum Ibidem 1665. in 24.

Solitudinem Mortis Ibidem 1669. in 8.

Solitudinem dierum X. ſuper Solidiſſimis Veritatibus, & Axiomatibus Euangelij. Pariſijs apud Florentinum Lambert ſæpius, ſed nouiſſime 1669. in 8.

PAVLVS IOSEPHVS DE ARRIAGA natione Hiſpanus, gente Cantaber, patria Vergarenſis, vel vt in omnibus Catalogis Prouinciæ Peruanæ refertur, patria Ocanienſis, Diœceſis Toletanæ. Is cùm Madridij litteris apud nos operam daret, egreſſus aliquando deambulatum in agrum, B. Virginis aſpectu, alloquioque dignatus eſt, iubentis vt ſibi in Societate filij ſui ſeruiret. Ergo admiſſus in eam Ocaniæ die 24. Februarij, anno ſalutis 1579. excellentiſſimum ſanctitatis magiſtrum, P. Ioannem Sebaſtianum nactus eſt, quo ductore breui, dedit illuſtria ſanctitatis, & zeli animarum indicia, cui ardori ſuo vt ſatisfaceret, paucis poſt annis in Peruanam Prouinciam nauigauit. Primis annis Rhetoricam ibi cum laude eximia docuit. Rector aliquot annis fuit Arequipenſis Collegij, & Limenſe totos 24. per interualla gubernauit. Miſſiones etiam inſtituit admodum fructuoſè. & à Prouincia demum Procurator deſignatus, Romam contendens, haud procul Hauana naufragio perijt anno ſalutis 1622. ætatis 60. aditæ Societatis 45. Peruanæ commorationis 38. Profeſſionis trium votorum ſolemnium 28. Vir fuit tantis, & tam illuſtribus à Deo donis cumulatus, vt P. Iacobus Aluarez de Paz, rerum ipſius omnium conſcius, dicere ſoleret, fore vt ſi illi eſſet ſuperſtes, in admirationem decorum ipſius vocaret orbem terrarum. Nos pauca de multis, tamquam de naufragio tabulas, colligamus. Spiritu paupertatis claruit imprimis, & in opulento Collegio, quod tamdiu adminiſtrauit, vel neceſſaria ſibi patiebatur deeſſe. Non ille lipſanothecam habere, non pictam tabulam, non quidquam aliud, niſi quod geſtabat; id verò erat detritum ſemper & reſartum, præ alijs viliſſimum. Calceis vtebatur, quos alij depoſuerant: & Romam olim profectus cum P. Didaco de Torres, eoſdem inde retulit in Orbem nouum, quos hinc extulerat, & aliquot etiam poſt annis illis vſus eſt. Veſtibus tam obſoletis amiciebatur, vt Socios propemodum puderet, nec eas illi niſi aſtu, facile ſubduxiſſes. Nauigationem ingreſſus eſt nullo admiſſo lecto, nulla veſte, præter eam qua erat accinctus. Iuſſus togam extimam admittere, eam deinde ex Portubello vna cum cultraria theca, quam ipſi quiſpiam per importunitatem obtruſerat, retro remiſit, laneam ſe togulam ſibi magis aptam inueniſſe renuncians. Pro lecto illi erat tormentum bellicum cui ſe applicabat, nimirum diu aſſuetus domi ſomnum capere, admoto ad arboris truncum corpore, aut ad lapidum ſtruem, ne quid capitali inimico ſuo (ſic ſomnum vocabat) indulgeret. Virginitatem, & primam ſimul innocentiam, quam hauſerat Sr. Baptiſmo, illibatam vſque ad finem ſeruauit. Deum ac Cælites animo præſentes ſemper habebat, horis ſingulis certa quadam precatione eos venerabatur. Angelum ſuum Tutelarem ſingulari ſtudio coluit: & inuocatum certa præſentem ope eſt expertus. Inuectus iumento in deuexam rupem, vnde nec ſe poſſet retrò recipere, nec porrò vrgere, admonuit familiariter Angelum ſuum, id eſſe temporis, quo amico ſibi ſit opus: vix dixerat, cum lapſa in præceps mula, ipſe ſoſpes in rupe collocatus eſt. Flumen quod aquis inflatum non audebat tranſmittere, inuocato eodem Angelo, traieciſſe repente ſe comperit. Petaſum vento abreptum, idem illi Angelus ad manum porrexit. Denſum per imbrem inceſſit aliquando ſiccus, & inter rura natantia ſicco calle. His beneficijs ne non eſſet gratus, Congregationem Limæ inſtituit ſub Angelorum Cuſtodum patrocinio, promiſſa etiam eorum ſinceris cultoribus puritatis integritate. Beatæ Virgini conſcriptis tabulis ſe manciparat; ſuumque mancipatum annuo donario Lauretum tranſmiſſo ſibi gratulabatur: in eandem ſeruitutem, quotquot poterat, diſtributis etiam tabellis inuitabat. Eiuſdem Virginis Officium ſemper orabat, eius ſolemnitates peculiari religione colebat, peruigilijs, & diebus Sabbati ità ieiunabat, vt à meridie veneris, ad vſque meridiem Dominicæ nihil guſtaret; idque totis 40. annis conſtanter præſtitit. Et cùm rogante importuniùs Epiſcopo Chuquiabenſi, bolum vnum ſemel ne illum offenderet, ſumpſiſſet; valido ſtomachi dolore cruciatus eſt, donec bolum illum reiecerit; mirantibus cunctis hominem viribus pollentem, nec alias male affectum, bolum vnum nequiſſe digerere. Arequipæ, & Limæ ſacellum in formam ædis Lauretanæ conſtruxit, vbi noctes ipſe dieſque hærebat: & Iouis ac Sabbati diebus conuocatos è Sodalitate primarios, ad Virginis cultum amplificandum eos hortabatur. Obedientiæ ſtudium vel hoc facto ſatis probauit; quod biduo non toto ad

iter

iter Romanum parandum dato, nulla ætatis, munerisue ſui ducta ratione, è veſtigio conſcendere paratus fuerit. Tantæ fuit humilitatis, vt oblatam 4. votorum profeſſionem repudiarit, ea vſus ratione, Viro Sancto, ac Societatis genuino amatore digniſſima: Nolle per ſuum exemplum aperiri aditum diſpenſationi Regularum, vt ab altera profeſſione pedetentim quæratur ad alteram tranſitio. Cæterum ille ſic erat in litteris verſatus, vt Philoſophiam, ac Theologiam non ſine laude tractarit. Contra vero Adiutorum munia præſtabat omnia, quoties eorum quiſpiam languebat, aut ad vires inſtaurandas exire iubebatur. Ocaniæ inter docendam Rhetoricam, toto quadriennio tergus veruecci quot Sabbatis cum lanio diripiebat, tam in id opus intentus, vt crederet lanius id eum ex priuati ratione officij factitare. In Europam ac retrò in Indiam renauigans, pulla in veſte cibos Noſtris, atque ægris publicum ad focum parabat. Dum Rector erat ludum litterarium pro magiſtris languentibus paſſim adibat, votumque conceperat, illi ſe muneri quoad per Superiores liciuiſſet per omnem vitam operam nauaturum. Ipſe lateres Domi fingere, iumenta foris inſternere; aulas Collegij tertio quoque die luſtrare, & ſi indigerent, euerrere; mancipijs domeſticis Euangelium explicare, feria v. Maioris Hebdomadæ duodenis Indis egentibus pedes lauare, tergere, ſuauiari, ipſos paſcere, & veſte per annum emendicata donare. Huius gentis incredibili amore tenebatur, eiuſque inſtitutioni ſe libenter totum addixiſſet; ſed ardorem illum ſuum altera cogitatione temperabat, quod ſe crederet per iuuentutis educationem nihilo minus profecturum. Cum ob linguæ ignorantiam mœſtus aliquando pergeret ad Miſſionem, quò deſtinabatur, ratus ſibi fructum domi perire, nec reſponſurum foris: inter orandum noctu vocem internam Dei increpantis excepit. Quid ad te? tu me ſequere; qua excitatus multum in ea expeditione, ac deinceps commodi mortalibus attulit. Certè plurimum valuit ad exſcindendam Idololatriam eius induſtria, & ſolertia. Sed reliquam etiam iuuentutem ita educauit, vt omnes Religioſorum Familias illis locupletarit, vni Societati ſupra centum adiunxerit. Dicebat ad populum magna ſpiritus vehementia, neglecto verborum ornatu, & tanta efficacitate, vt vnico ſæpe verbo, mirabiles motus excitaret. Vnum quempiam obduratiſſimi cordis hoc dicto emollijt: Quid tibi fecit Deus, mi homo, quod illum tam male tractas? Concionaturus aliquando in Æde principe de Chriſti Paſſione tanta obrutus eſt ariditate animi, ac mœſtitia, vt deſperaret ſe poſſe dicere; at vbi euaſit in pulpitum mutatus eſt illico, & incredibili ſuo, audientiumque motu Chriſti cruciatus expoſuit. Miſeris ſollicite ſubueniebat: nec ſemel induſium ſuum egentibus elargitus eſt, admonitis, vt accepturi pro eo mundius alterum, vertente hebdomada redirent. Negabat videlicet ſe ſibi temperare poſſe, quando aliorum cernebat indigentiam. Pluſquam 12. annis, dum Rhetoricam docuit, corrogauit per ſeptimanam, vt die Dominica cum ſuis diſcipulis cibos ad cuſtodias publicas deferret. Studioſos inopes complures alebat donec religioſo Inſtituto ſeſe aptarent. Quotidie cilicio, & flagello in ſe ſæuiebat. Cibi erat parciſſimus, & ad hæc biduo ſubinde triduoque prorſus abſtinebat. Dies noctesque orabat, nunquam otioſus. Suorum arcana diuinitùs doceri creditus eſt multis clariſque exemplis. Viſus eſt inter obunda exercitia ſpiritus ſublimis à terra: viſus magno fulgore mirificè coruſcare. Toto eo tempore, quo ſe illis excolebat, pane, & aqua ſubauſtera vitam tolerabat. Res Sacras eximia reuerentia tractabat. Arequipæ, cum ibi Rector eſſet, diebus feſtis à Sacro domeſtico excurrebat in Villam ſeſquimilliari diſſitam per altas arenas magno ſuo gaudio, vt ibi rurſum ſacrificaret, deriuato in ſe officio, quod alijs grauius accidere animaduertebat. In Sacro multis à Deo pijs motibus, ſenſiſque recreabatur: multas ipſe lacrymas reponebat; & iam ſulcos eæ duxerant ſua frequentia in eius vultu. Nunquam illi tempus deerat ad Sacras functiones; & Canonicum officium ſuis fere horis partitim exſoluebat. Lectioni ſpirituali media inter negotia tam accuratè intendebat, ac ſi illi ſoli vacaret. Societatem eiuſque inſtituta tenerè amabat, ſeruabatque exactè. Erat affabilis, mitis, patiens; nunquam querulus; nunquam immodicè iratus, omnibus acceptus. Tantæ erat apud Proregem, Archiepiſcopum, Senatum, omnes opinionis, vt nihil eo inconſulto ſtatuerent alicuius momenti grauioris. Neminem ſibi adeſſe moriturо alium voluit Archiepiſcopus præter ipſum. Ipſe autem procurandi homines ad mortem percallens; Noſtris grauius decumbentibus ſemper aduigilabat per noctem: demortuos autem ſuis manibus componebat, & piacularibus ſuffragijs proſequebatur; idque tam prouidè vt quo citius eo beneficio potirentur ſtatim à nocte media luſtricas preces exhiberet, ſolitus ad id officij ab Angelo, ſi forte altius obdormiſſet, excitari. Hic vir tot ornamentis clarus, cum tandem nauigaret in Hiſpaniam, fœda tempeſtate nauem iactante vectores magno ardore ſpiritus, ad conſtantiam in morte iam in oculis obuerſante, atque ad Exhomologeſim hortatus eſt. Ipſe expiatis omnibus in cameram ſe recepit, vbi genibus flexis acclinis malo, inter adorandum Crucifixum quem manu tenebat Spiritum ſanctè exhalauit: cæteri poſtea facto naufragio vndis occupati ſunt, paucis nando elapſis. Patris cadauer fluctibus è nauigio abſtractum, poſtridie quoque

fluitabat, Crucifixum fouens arcto complexu. Mortis ſuæ modum, atque articulum cum prænouiſſe fere exploratum eſt. Nonnullis etiam vectorum incolumitatem condixit raræ prænunciatione, & multa ſæpe alia vaticinatum fuiſſe certis euentibus conſtitit. Eius mortem, ſimul ac Limæ nunciata eſt, omnium ordinum luctus, & deprædicatio celebrauit. Scripſit autem

Rhetoris Chriſtiani Part. VII. Lugduni per Horatium Cardon 1619. in 12.

Directorium Spirituale

Præterea Hiſpanicè

Tractatum de Extirpatione Idololatriæ, & de medijs ad Conuerſionem Indorum aptiſſimis. Opus perutile Parochis, & Viſitatoribus Indorum 1621. in 4. Limæ apud Hieronymum Contreras.

Litteras quibus ſe quis B. Virginis Seruituti poſſit mancipare, & alios *Tractatus Spirituales*.

Ex Italico deinde tranſtulit Hiſpanicè

Lucæ Pinelli de Perfectione Religioſa Lib. IV. Matriti 1611.

Scripſit denique

De Beata Virgine: &

De Angelo Cuſtode: Item

Librum Exercitiorum Spiritualium, & Deuotionum, ad Inſtructionem eorum, qui in Seminarijs noſtris educantur. Verum hic ſolus, duobus illis deperditis, excuſus eſt

PAVLVS KVHN natione Polonus, patria Poſnanienſis in Societatem anno Domini 1623. ætatis 20. ingreſſus, vota 4. ſolemnia emiſit. Excelluit in litteris Humanioribus quas publice cum laude tractauit. Philoſophiam docuit ſexennio, & aliquamdiu Theologiam, quæ Controuerſias de fide explicat. Rexit Collegium Gedanenſe, & diem ſupremum huius vitæ clauſit Iaroslauiæ 23. Februarij 1640. Edidit ſub nomine Collegij Cracouienſis, & Societatis Ieſu

Trophæum Regale Potentiſſimo Poloniarum, & Suecarum Regi Vladislao IV. Cracouiam ipſo ſuæ Inaugurationis die ineunti. Anno 1623.

Immortales Gratias eidem Sereniſſimo Regi, Liberatori, Vindici, Seruatori, dum pacato Septentrione Victorem Exercitum in Amurathem Turcarum Imperatorem duceret 1634.

Arcum Pacis, nouo ſine Sanguine Triumphatori Vladislao IV. Sarmatiæ Monarchæ, ab expeditione Bellica in Amurathem Turcarum Imperatorem ſuſcepta feliciter, & auſpicato reduci a Societate Ieſu conſecratum 1635.

PAVLVS LAYMANNVS natione Germanus, patria Oenipontanus, Societatem adoleſcens annos natus 19. ingreſſus eſt, anno ſalutis 1594. & votorum 4. profeſſionem in ea edidit. Philoſophiam docuit ſexennio; Caſus conſcientiæ annis 16. Ius Canonicum (cuius fuit peritiſſimus) ſeptennio Ingolſtadij, Monachij, Dilingæ; Vir profundè doctus, & quod rarum eſt, modeſtiſſimus atque humillimus. In Iure Canonico tanti fiebat, vt eius dictata aliarum Academiarum Doctores ſæculares, etiam pretio ſibi curauerint deſcribi. Conſulebatur paſſim ex remotis locis, ſuper difficillimis rebus tamquam oraculum; Doli videbatur penitus expers, patiens laborum, animo extra ſpem metumque poſito, paratus omnibus obſequi, & ſui deſpicientia infra omnes ſe abijciens. Ad extremum Conſtantiæ peſte contactus eſt, quam ne forte alium inficeret, in ſeparatum locum confeſtim ſe ſe abdidit, dehortando alios ne ſua cauſa periculo contagionis ſe exponerent, & in hac animi demiſſione mortales deſeruit ſexagenarius die 13. Nouembris 1625. Edidit

Theologiam Moralem in Libros V. partitam. Monachij formis Nicolai Henrici 1625. in 4. & ibidem auctius 1626. in 4. & rurſum multò locupletius ibidem 1630. in folio præter editiones alibi alias.

Quæſtiones Canonicas de Prælatorum Eccleſiaſticorum electione, inſtitutione, & poteſtate ex Libro I. Decretalium Dilingæ apud Iacobum Sirmadi 1628. in 8.

Proceſſum Iuridicum contra Sagas. Coloniæ

Iuſtam defenſionem Sanctiſſimi Romani Pontificis, Auguſtiſſimi Cæſaris, S. R. E. Cardinalium, Epiſcoporum, Principum, & aliorum; demum minimæ Societatis Ieſu, in cauſa Monaſteriorum, & bonorum Eccleſiaſticorum vacantium. contra quoſdam à ſe ipſis delectos Iudices Dilingæ apud Gaſparem Sutorem 1631. in 4.

Contra hoc opus ſcripſit Fr. Romanus Hay Monachus, vt præfert titulus, Benedictinus, ex Monaſterio Oxenhuſano, librum cui titulum fecit *Aſtrum inextinctum*, cui cùm primum ſine Auctoris nomine à Gaſpare Scioppio prodijſſet, ſimul & alteri ſcriptioni famoſæ, vt vna fidelia duas abſtergeret maculas, oppoſuit Laymannus

Aſtrologiæ Eccleſiaſticæ, & Aſtri inextincti à Gaſpare Scioppio in lucem editi Cenſuram. Ibidem 1635. in 4.

Scripſit etiam ſuppreſſo ſuo nomine

Pacis compoſitionem inter Principes & Ordines Imperij Romani Catholicos, atque Auguſtanæ Confeſſioni adhærentes in Comitijs Auguſtæ 1555. editam aduerſus Commenta plurium Scriptorum Acatholicorum quæſtionibus illuſtratam. Dilingæ typis Gaſpari Sutoris 1629. in 4.

Poſt obitum editum eſt eiuſdem opus ſub titulo

Ius Canonicum , ſeu Commentaria in Libros Decretales. Dilingæ typis Academicis 1643. in 4. & *Repertorium* Ibidem 1644.

* S. PAVLVS MIKI natione Iapon , illuſtri ſanguine, parentem habuit Handaiudonum , bello ſtrenuum , Chriſti fide nobilem , & Imperatori Nobunangæ carum ; natus eſt anno Domini 1564. & quinquennis per Baptiſmum Chriſto aſſertus , in Societatem adſcribi petijt anno 1586. & impetrauit . Vndenos in ea annos exegit, magno ſuo, magno ſuorum popularium bono . Sectas Iaponum , & ſuperſtitiones excellenter calluit ; earumque buccinatores Bonzios , multis , acribuſque diſceptationibus fatigauit. Innumeros prope ad Chriſti caulam perduxit . Cum enim admirabili quam a natura acceperat facundiæ, multarum virtutum vim , atque efficaciam adiunxiſſet, dici vix poteſt , quam ſecunda vbique fama , & quantis animorum motibus auditus pro concione fuerit . Eminebant in eo exacta ad regulas noſtras diſciplina morum , profunda animi demiſſio , & ſui ipſius deſpicientia , corporis ad omnem modeſtiam egregia compoſitio , & inſigni facilitate temperata maturitas . Demum ingenti ardore obtulit ſe in holocauſtum Deo actus in crucem & lancea pectus tranſuerberatus , vnà cum Ioanne , & Iacobo Iaponibus item ex Societate , die 5. Februarij anno à partu Virginis 1597. quos poſtea Vrbanus VIII. Pont. Max. Sanctorum Martyrum Catalogo adſcripſit , anno 1627. & vt officio Eccleſiaſtico atque Miſſa coli poſſent ab omnibus de Societate , alijſque Sacerdotibus ad Societatis Eccleſias confluentibus in feſto die ipſorum v. Februarij benignè conceſſit. Conſcripſit hic S. Martyr Lingua Iaponica inſignes , & ſaluti ſuorum populorum peridoneos

Commentarios aduerſus Sectas Iaponum

PAVLVS PRINCEPS natione Italus , patria Neapolitanus , Societati aggregatus anno ſalutis 1582. ætatis 22. Spiritualis Coadiutoris gradum in ea ſortitus eſt . Multos annos iuuandis proximis in Templo Domus Profeſſæ Neapolitanæ , tum in Sacro Pœnitentiæ Tribunali , tum in explicanda Doctrina Chriſtiana vtiliter impendit , & demum ibidem religiosè obijt die 17. Aprilis anno 1613. Edidit Italice ſuppreſſo nomine

Tragediam de Angelo Cuſtode

Praxim præcipuorum Exercitiorum vitæ Spiritualis Neapoli apud Tarquinium Longum 1613. in 16. & ſub nomine Ioannis Laurentij Guadagni

Theſaurum Doctrinæ Chriſtianæ 1610. & adiuncta Parte III. Venetijs apud Ioannem Antonium Iulianum 1628. in 8.

* PAVLVS RAGVENEAV natione Gallus , patria Pariſinus, natus anno ſæculi præterfluentis octauo , ad Societatem ſe adiunxit 1626. & votorum 4. nuncupatione ſe obſtrinxit . Profectus in Americam ad lucra animarum anno 1644. multa ibi pro Chriſto egit , pertulitque in Miſſione Canadenſi per annos 25. & reuocatus in Galliam ad negotia illius Miſſionis procuranda nunc Pariſijs degit , edidítque Gallice

Relationes varias Annorum 1647. & quinque conſequentium Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoiſy 1649. & ſequentibus in 8.

Vitam Matris à S. Auguſtino Monialis Kebeci in noua Francia Pariſijs apud Florentinum Lambert 1671. in 8.

PAVLVS ROBERTVS natione Gallus, patria Picto, Societati ſe addixit anno ſalutis 1585. ætatis 19. & profeſſus tria vota ſolemnia in ea eſt . Poſt ſeptennium litteris amœnioribus docendis impenſum Theologiam Moralem decennio explicuit , & multis annis Eccleſiaſtem cum fructu egit . Septuagenario maior viuere inter mortales deſijt Aginni die 15. Februarij 1642. Edidit aliquot

Tractatus Controuerſiarum

Librum de Bono mortis

PAVLVS RODRIGVEZ , ſeu ROTERICIVS , natione Luſitanus , patria Bracharenſis in Societatem cooptatus anno Domini 1569. ætatis 14. votorum 4. Profeſſus Sacræ Theologiæ Doctor , & Diuinarum litterarum interpres annis XI. primùm Conimbricæ , tum Eboræ . Vir pietate , mortificatione , & ſui deſpicientia conſpicuus , præſertim in vltima ſenectute , videbat enim appropinquantem diem , ad quam religiosè ſe diſpoſuit , obijtque Conimbricæ 20. Maij 1653. Edidit

Triumphum veræ gloriæ vtriuſque Ioannis Baptiſtæ , & Euangeliſtæ. Portu apud Emmanuelem Cardoſo 1634. in folio. Paratum reliquit

Commentarium in Euangelia.

* PAVLVS ROSMER natione Belga , patria Traiectenſis, natus anno ſalutis 1605. Societati adſcriptus Moguntiæ 1627. votorum 4. profeſſionem edidit . In Auſtriacam Prouinciam translatus , docuit in ea Rhetoricam Græcas Litteras, Ethicam, Philoſophiam, & annis 16. Theologiam Scholaſticam , Viennæ , & Græcij , eximia ingenij , & doctrinæ commendatione. Hinc a primarijs Prouinciæ Proceribus in conſcientiæ arbitrum eſt delectus , & à Curionibus , atque ab Religioſorum Ordinum Cœnobitis varijs , in rebus dubijs paſſim conſultus . Sapientiam inſignem virtute non minore illuſtrauit. Naturam ſortitus acriorem , eam ad omnes moderationis leges compreſſit, in ſe ipſum durus , in alios comis , & affabilis ; Deo in Euchariſtia venerando peculiariter addictus ; nunquam eo inſalutato ad functiones Scholaſticas procedebat. Magnam Dei Matrem , & Chriſti Domini nutritium S. Ioſephum ſpeciali cultu conſtanter

ter proſequebatur, & S. Latronem Chriſti in Cruce ſocium ſibi pro felice morte obtinenda, in patronum delegit. Paupertatis ſanctæ amans, cubiculum vti acceperat poſt tredecim annos, moriens reliquit, nullo prorſus vel impedimento amoto, vel commoditate adiecta. Demum ad ſuperos (vt ſperamus) abijt Græcij die 8. Iunij 1664. Typis dedit materias, quas dictauerat

De Iuſtitia, & Iure. Græcij apud Vvidmanſtadium 1649. in 12.

Concluſiones ex vniuerſa Theologia ſuis rationibus inſtructas. Ibidem 1657. in 8.

De Sacramento & virtute Pœnitentiæ Ibidem 1656. in 8. & iterum 1662.

De Actibus Humanis Ibidem 1659.

De Deo Trino & Vno Ibidem 1663.

* PAVLVS SEGNERVS natione Italus, patria Antias in Latio, natus anno ſæculi præterlabentis 24. die 22. Martij, Societati nomen dedit 1637. die 2. Decembris & ſolemni votorum 4. ſacramento ſe adſtrinxit. Rhetoricam, & Humaniores litteras, quadriennio docuit, poſtea Concionibus Sacris applicatus, eas per primarias Italiæ Ciuitates magno fructu & auditorum concurſu, iam per annos amplius viginti habet, & Romæ bis per Quadragenos ſolemnis ieiunij verni dies, Eccleſiaſten egit. Miſſiones etiam in varijs Italiæ diœceſibus magno fructu obiuit. Edidit hactenus Italice

De Bello Belgico decadem Secundam Famiani Stradæ vulgari idiomate donatam. Romæ per Hæredes Corbelletti 1648 in 4.

Vitam P. Famiani Stradæ latinè conſcriptam præfixam editioni Decadis II. Romæ typis Ludouici Grignani 1650. in 16.

Panegyricos Sermones Sacros de Diuerſis, varijs in locis habitos Bononiæ per Iacobum Montium 1664. in 8.

Pœnitentem inſtructum ad Confeſſionem rectè inſtituendam Bononiæ apud Hæredes Bonacci 1669. in 12.

Confeſſarium inſtructum ad Sacramentum Pœnitentiæ rectè adminiſtrandum. Brixiæ per Iacobum Turlinum 1672. in 12.

Manna Animæ ſiue Exercitium Meditationum in ſingulos anni dies in 4. *Trimeſtria diuiſum*, quorum *Primum trimeſtre* prodijt Bononiæ per Ioſephum Longum 1673. in 12.

PAVLVS SHERLOGVS natione Hibernus, gente Menapienſis, patria Vvaterfordienſis, natus peruigilio Aſſumptæ Dei Genitricis anno ſalutis 1595. parentibus apprime Catholicis, in Hiſpaniam migrauit, Humanioribus diſciplinis iam probè inſtructus anno 1612. & Salmanticæ in Hibernorum Collegium admiſſus Societatem paulò poſt expetijt, & impetrauit pridie Calendas Octobris eiuſdem anni natus tum annos ſeptemdecim. Vir fuit inſigniter doctus, & votorum 4. profeſſus. Præfuit Compoſtellano, & Salmanticenſi Hibernorum Collegijs ad 20. annos: Controuerſias de Fide contra Hæreticos ſeptennio explicuit. Theologiam Scholaſticam, & Sacras litteras Salmanticæ aliquandiu docuit magna ſemper commendatione eruditionis. Hinc apud Sacros Quæſitores Fidei in Cenſorem doctrinæ eſt adlectus. Veterum Patrum lectioni perdius, & pernox, aſſiduè incumbebat, & multa alia reliquiſſet ingenij ſui monumenta, niſi aduerſa prohibitus fuiſſet valetudine, quam indicto quaſi corpori ſuo bello, quotidianis flagellationibus, cilicijs, alijſque aſperitatibus grauiter afflixit. Orationi deditiſſimus fuit, & B. Virginem impenſiſſimè colebat; in cuius peruigilijs acerrimo ieiunio, alijſque corporis pœnis ſæuire in ſe ſolitus erat. Sunt qui exiſtimant Diuinis interiorum illuſtrationibus inter orandum fuiſſe perfuſum, & ad pergendum alacriter in conſcribendis operibus, quæ præ manibus habebat cælitus animatum. Sed placuit tandem Deo ſolutum corporis vinculis ad laborum brauium euocare, Salmanticæ die 9. Auguſti 1646. Edidit Tom. 3. quorum Primus continet

Antiloquia in Salomonis Canticum Canticorum. Lugduni ex officina Iacobi Cardon 1633. & multo auctiora apud Iacobum, & Petrum Proſt 1640. in folio.

Tomus II. continet

Commentarium in duo priora Capita Cantici Canticorum, apud Iacobum Proſt 1637. in folio.

Tomus III. continet

Commentarium in reliqua Capita Cantici Canticorum. Ibidem apud Iacobum, & Petrum Proſt 1640. in folio. Scripſit etiam ſub nomine Leonardi Hiberni

Vindicias ſcientiæ mediæ. Lugduni apud Hæredes Petri Proſt 1644. in 4. Poſt obitum prodijt eiuſdem

Antiquitatum Hebraicarum Dioptra, ſeu De Hebræorum Republica, & Antiquitatibus Biblicis. Lugduni apud Philippum Borde, & Socios 1651. in folio.

* PAVLVS TAFFERNER natione Germanus, patria Clagenfurtenſis in Carinthia, natus anno ſæculi fluentis 8. in Societatem ſe recepit 1626. & votorum 4. ſacramentum ſolemne dixit. Diſciplinas Humaniores quadriennium explicuit. Rexit Collegium Styrenſe, modo in Domo Profeſſa Viennenſi vacat miniſteriis Societatis. Scripſit Latinè præfixis initialibus litteris ſui nominis P. T. S. I.

Cæſaream Legationem Vvalteri Comitis de Leſle ad Portam Ottomanicam. Viennæ typis Coſmerouij 1668. in 8.

PAVLVS VALLIVS natione Italus, patria Romanus, Societatem complexus anno ſalutis 1582. ætatis 21. votorum 4. profeſſionem in ea edidit. Philoſophiæ, ac Theologiæ in Collegio Romano Profeſſor; doctrina ac morum facilitate omnibus carus. Tractandorum ani

animorum apprimè peritus. Magna caritate, & labore promouebat iuuentutem ad omnem virtutem, ſtudiis ceterum ſemper addictus, & otij hoſtis iuratus. In ſupremo morbo commendatam fecit omnibus ſuam tolerantiam. Obiit Perusij die 26. Iunij anno ſalutis 1622. ætatis 61. initæ religionis 40. Edidit

In Ariſtotelis Logicam. Tom. II. Lugduni per Ludouicum Proſt 1622. in folio. Reliquos in vniuerſam Philoſophiam, mors Auctori interuenerit.

PAVLVS ZEHENTNER natione Germanus, patria Oenipontanus in Tiroli, iuuenis in Societatem ingreſſus anno 1606. ætatis 17. profeſſionem in ea votorum 4. emiſit; Sacras litteras, & Theologiam docuit; Sed cùm concionandi arte imprimis præſtaret, hanc diù apud Eleonoram Auguſtam Ferdinandi II. Cæſaris Viduam exercuit, ita vt annos omnino triginta variis in locis id muneris magno plauſu, & fructu obierit. Mortem ſibi inſtare ſentiens ſingulari ſe ad illam ſtudio diſpoſuit, lectione frequenti libri ſpiritualis, Patronorum iugi inuocatione, pijs colloquiis, altis ſuſpiriis, profuſis lacrymis, ardentiſſimis in Chriſtum Crucifixum affectibus. Id vnum à Superiore inſtanter petiit, vt ſibi deſerto lectulo, liceret humi mortem oppetere. Verùm eo negato, id ſaltem conſecutus eſt, quod ſæpè eo in morbo exoptauerat, vt infra octauam B. Virginis Natæ ſpiritum Deo redderet, atque ita Sacramentis omnibus ritè communitus animam placidè exhalauit. Milleſladii die 14. Septemb. 1648. Edidit Germanicè

Concionem funebrem in Exequijs Sereniſſimæ Mariæ Renatæ Bauaræ Alberti Ducis filiæ dictam. Monachii 1630. ibidemque impreſſam.

Latinè prætetea edidit

De Verme malæ Conſcientiæ. Lib. IV. Ibidem 1633. in 8. Item

Promontorium malæ Spei, ſeu Notam, & ſignum Reprobationis eſſe procraſtinationem Pœnitentiæ, Lib. IV.

* PETRVS DE ABARCA natione Hiſpanus, patria Iacetanus in Aragonia natus anno ſæculi voluentis 19. Deo ſe in Societate conſecrauit 1641. iam tum Philoſophiæ laurea inſignitus & vota 4. ſolemnia in illa emiſit. Vir eximiè doctus, Theologiam Scholaſticam, Moralem, Polemicam de Fidei controuerſiis annos amplius 25. profeſſus eſt, & modo, dum hæc ſcribo anno 1674. Salmanticæ Cathedram veſpertinam Theologiæ moderatur. Scripſit teſte clariſſimo D. Nicolao Antonio in Bibl. Hiſpana

Tractatus Theologicos de Scientia Dei, De Concordia, De Voluntate, De Prædeſtinatione, De Trinitate, De Incarnatione, De Perfectionibus Chriſti. Item

Hiſtoriam Regum Aragoniæ.

PETRVS ÆGIDIVS, ſeu GIL natione Hiſpanus ex oppido Catalauniæ Reus, diœceſis Tarraconenſis, natus annos 2?. ingreſſus eſt in Societatem 4. nonas Martii anno 1574. profeſſus iam antea Philoſophiam. In ea Doctoratu Theologico Gandiæ ſuſcepto, totos 20. annos Reginam illam ſcientiarum explicuit Barcinone: vbi & Collegium noſtrum tertiò gubernauit, ſemel Balearicum, ac demum Aragoniam Præpoſitus Prouincialis obtinuit. Cenſor Fidei deſignatus fuit ab Sacra Inquiſitione Barcinonenſi. Annis 40. quibus Barcinone ſubſtitit, Confeſſiones Proregum Epiſcoporumque omnium excepit, qui eius conſilio omnia, publica, priuata, gerebant. Tantum erat pietatis, ſapientiæ, & prudentiæ eius nomen. A primo Societatis ingreſſu, præclariſſimum fuit virtutum exemplar; atque ab Ordinis ſui inſtitutis ne latum crinem vnquam diſceſſit. Omnibus eius obeundis muneribus apprimè deditus fuit, ijs præſertim in quibus ditior demiſſionis, & laborum ſeges eſſet, quale eſt, plebeculam informare catecheſi; adire cuſtodias, triremes, noſocomia; pannoſis hominibus aurem præbere, adeſſe reis capitalibus, quæ adeò non habebat vilia, vt illis ſui copiam indulgentiùs, quàm nobilibus faceret monueratque Ianitorem, vt quoties ad ignoti cuiuſpiam mortalium opem è Noſtris incertus aliquis euocaretur, ſe præ alijs admoneret. Inter Principum fauores perpetuos, ſui ſemper tenax propoſiti, ſui iuris fuit: nec in ſe patiebatur quidquam ab eorum liberalitate deriuari, ne corripiendi eos libertatem videretur feciſſe venalem. Cum Maquedæ Dux ad Siciliæ adminiſtrationem admotus cum ſibi à Cõfeſſionibus eſſe voluiſſet, contendit, vt attritas, & laceras veſtes, nouis commutaret, priuſquam nauem conſcenderet. At Aegidius ingenuè profeſſus eſt, nunquam ſe illius Confeſſiones, niſi in eo veſtitu excepturum, & tam id religiosè ſeruauit, vt reſartam ſæpiùs togam non priùs poſuerit, quàm Duce in Sicilia vita functo, ipſe rediit Barcinonem. Nihil illi accidebat acerbius, quàm ad Principum menſas cogi, quas vt in itineribus declinaret, præibat vno die vel ſequebatur. Tandem cùm poſſet, vel leui nutu conſanguineorum ſuorum inopiã ſubleuare, nunquam quidquam innuit Proregibus, vndè poſſent eam egeſtatem, vel ſubodorari. In omnibus itineribus, quæ diuturna & iniquo tempore per Hiſpaniam, Galliam, Italiam inſtituit, lacerum palliolum fuit illi totos 30. annos pro arcendis pluuiis: galerus toties ab ipſomet reſartus, donec vetuſtate abijt in fruſta. Semper ille quidem, ſed eo potiſſimum tempore, quo Collegia regebat, aliorum ſe tegebat exuuijs, & eò iucundiùs, quò pannoſioribus. Innumera ſunt eius generis exempla, quibus non Principes modò, ſed viros etiam religioſiſſimos inſolita quadam admiratione commouit. In eo certè morbo, qui mortis illi cauſa fuit, quoties pretioſiora cernebat adhiberi pharmaca, qualia poſtulabat ætas, & morbi conditio, omnibus quibus pote-

poterat rationibus agebat, vt Medici imperarent viliora. Erat ſeueriſſimus ſuorum ſenſuum cuſtos: nullam tot annis fœminam de facie nouerat: ſe quoque ipſum attingere quodammodo horrebat. Agebat Deo gratias pro hebetata ſibi acie oculorum, ex quo multa commoda caſtimoniæ perſentiſceret. Obedientiæ ſeueritatem non exigebat magis à ſubditis, quam ipſe præſtabat. Ad primos Ianitoris, vel æditui nutus paratus, quoquo vocaretur, grauiſſimorum etiam occupationum filo abrupto. in gubernando benignitatis laude florebat, qua via ducebat ſubditos, quo maxime volebat: In ſubitis caſibus adeò nihil commouebatur, ac ſi omnes affectiones extirpaſſet. Vna æquitatis norma domeſticorum actiones examinabat: honeſtatis dumtaxat momenta ducebat grauiora. Demum factis, & exemplis ad ſuum cuique officium ipſe præibat. Societatem vnice diligebat ex animo; cui vt arctiùs hæreret, quotidiana inter ſacra, ſua vota renouabat. Inſtituti eius fuit tam tenax, vt nullis munerum, occupationum, ſenectutis oneribus ſe pateretur impediri ab eius miniſteriis impigrè obeũdis: atque adeo inter Prouinciæ curas, non minus diligenter catecheſi tradendæ, & Confeſſionibus audiendis vacabat, quàm ſi illud ageret vnum. Diuini cultus incrementum, quoquo poterat modo, procurabat, ſiue domeſticis ſuam nauaret operam, ſiue alios Clericos Sacris eccleſiæ ritibus informaret. Nec minore cura B. Virginis cultum, & venerationem augebat. Eius certæ pietati, ac diligentiæ debet Academia Barcinonenſis votum illud quo ſe obſtrinxit, propugnandi ſemper immaculati eius conceptus prærogatiuam. Familiaris eius ſermo religioſæ plenus ſimplicitatis, omnium, qui cum eo agebant capiebat voluntates. Nunquam aliud in ore habere, quam in corde: quod cum ipſe quoque de omnibus præſumeret, difficile adduci poterat, vt in eo defeciſſe quempiam crederet, niſi manifeſta ſigna probarent. In conſiliis ſententiam ex vno æquitatis arbitrio metiebatur: & tantam conſecutus eſt laudem, vt diceretur prudentiæ, & conſilij dono cæteris eminere. Denique quod in eo potiſſimum admirati ſunt omnes, fuit vitæ innocentia, continuato præclare geſtorum ductu contexta, pretioſiore ſemper actionum ſimilitudine, in tanta rerum varietate ad finem vſque deducta: vt quicunque eam diutiùs, & propiùs inſpexerunt, ſuſpexerint maximè, & grauiſſimis iudicijs inculcarint. Sæpè Antiſtites etiam Illuſtriſſimi, Patris ſanctimoniam ſingularem, & vitæ præſtantiam, conſtantiamque vix credibilem, digniſſimam eſſe, quæ vel dum ipſe viueret, ſanctorum ſumma gloria decoraretur. Vbi Prouinciæ reliquit habenas, magnis itineribus Barcinonem properauit, nullas viæ moleſtias nullos caniculæ æſtus moratus. Atque vbi appulit mox cum Ianitore tranſegit, & cum Præfectis carcerum, & Noſocomij [illegible] ſe in omnis laboris partem vocarent. Miniſtrum Collegij ſublatis manibus, additis etiam lacrymis exorauit, ne quid ſibi à communi victu diuerſum dari permitteret. Hæc ipſe animo deſtinabat, ſed iam ad metam laborum venerat. nam ex viæ difficultate morbum contraxit, quẽ cum diſſimulare diù non poſſet nono eius die, qui in 15. Septembris incidit, anno Chriſti 1622. ætatis 72. Religionis 49. ab emiſſis 4. votis 30. Barcinone ſuccubuit, magno ſui deſiderio tum Noſtris, tum Externis relicto, qui ſunt cum lacrymis eius funus ipſius proſequuti. Edidit Petrus Aegidius lingua Catalanica

Modum adiuuandi moribundos. Barcinone typis Ioannis Amello 1605. in 8.

Memoriale Mandatorum, & Animaduerſionum ad Parochos, & Confeſſarios ſuaſu Illuſtriſs. DD. Dymæ Lloris Epiſcopi Barcinonen.

De Vectigalibus & eorum Iure in Cataloniæ Principatu.

Officium Sanctorum Epiſcopatus Barcinonenſis, & Vrgellenſis

Tranſtulit præterea in Catalanicam linguam

Thomæ de Kempis, De Imitatione Chriſti, Lib. IV.

PETRVS ALAGONA natione Siculus, patria Syracuſanus, Societati adſcriptus anno ſalutis 1564. ætatis 15. votorum 4. nuncupatione ſe obſtrinxit. Philoſophiam, & Theologiam profeſſus eſt, & Romæ Pœnitentiariæ diù Rector fuit, & examini Epiſcoporum, atque ordinandorum Romæ annis circiter 30. præfuit. Obijt Romæ grandæuus die 19. Octobris anno ſalutis 1624. In compendium redegit, atque euulgauit

Manuale D. Martini Aſpilcuetæ Nauarri de Quæſtionibus Morum, & Conſcientiæ, cui poſteriore editione aucto, & recognito addidit

Compendium Commentarij eiuſdem Nauarri de Vſuris. Coloniæ apud Hermannum Mylium 1603. in 16.

Summam Theologicam S. Thomæ Aquinatis Doctoris Angelici. Poſt primam editionem correctiùs Herbipoli, typis Ioannis Volmari 1620. in 12.

Totum Ius Canonicum Tom. II. Romæ typis Zannetti 1622. & 1623. in 4.

PETRVS ALOIS natione Italus, patria Neapolitanus, Societatem anno ſæculari 1600. die 26. Septembris ætatis 15. ingreſſus votis 4. in ea ſe adſtrinxit, & Philoſophiam decennio Sacras Litteras Neapoli annis duodeuiginti cũ laude profeſſus eſt. Rexit etiam Collegium Lycienſe. Vir placidiſſimo ingenio, & qui cum morum grauitate iucundam, ſalibuſque reſperſam ad extremam vſque ſenectutem retinuit comitatem. Inſigne de eo texit encomium Laurentius Craſſus inter elogia virorum Litteratorum Par. 1. Tandem octogenario maior ad religioſæ vitæ præmia emigrauit. Neapoli poſtridie Kal. Iulij 1667. Edidit

Epigrammatum Centurias tres. Lugduni per Claudium du Four 1635. in 12.

Commentaria in Euangelia Quadrageſimæ. Tomis 3. Pariſijs apud Sebaſt.Cramoiſy 1658. in folio.

PETRVS DE ANASCO natione Peruanus, Hiſpano viro nobili patre, matre Peruana in vico Prouinciæ Chachapoiarum natus cum iuuenis 22.annorum grauiſſimo teneretur morbo, Beatiſſimam Virginem, quam impensè colebat,inuocauit; illa viſibili ſpecie mox adſtitit filium ſuum vlnis complexa, & ſuauiſſimis clientem ſuum verbis ſolata, ſoſpitatem pollicita, iuſſit vt per perfectæ vitæ rationes filio ſuo militaret in Societate Ieſu. Ille vbi conualuit Societatem Limæ complexus eſt anno ſalutis 1572.& abſolutiſſimo viuendi modo conuertit omnes in ſui admirationem. *Verùm* enimuerò iam inde à teneris vnguiculis aſpirabat ille iam tum ad faſtigium ſanctitatis, vſus familiaritate maxima Reginæ Cælorum. Quoties ob erratum ſuum aliquod ſtatuebant in eum animaduertere parentes, confugiebat ad ſuæ Dominæ patrocinium, & parentes illicò mitigatos experiebatur. Quotidie ante eundum ad ſcholas ipſam in ſuo Templo conſalutabat, Sabbatum eius honori ieiunando cõſecrabat,horum ſi quid neglexiſſet, aliquid ea die patiebatur aduerſi. Noctu ſeueriſſime ſe cædebat: interdiù in ſecreto cubiculo diutiſſimè orabat, Vernas & mancipia domeſtica vrgebat precibus, pretio, vt ſe alapis contunderent, & ponebat præmium illi, qui percuteret validiſſimè. Ipſe verò interea memoria alaparum Chriſto ſuo impactarum mirificè afficiebatur. Aiebat ſe quoties eius beneficij recordabatur, quod ægrotans à B. Virgine acceperat, toties eandem pulcherrimam, ſuauitatis, amoris, humilitatis, pleniſſimam mentis oculis intueri,ſicut corporis eam luminibus olim conſpexerat, animumque ſuum cæleſti quadam delibutum ſuauitate relinqui. In eius autem recordationem beneficij, ſexta quaque feria ſe diuerberabat, Sacrum Roſarium, & quidquid laudabiliter operabatur, in animi grati argumentum Deo dicabat. Pręclariſſimum ſemper exhibuit omniũ virtutum exemplum, ſed tres eminuere præ alijs, de quibus in ſuis ipſe aduerſarijs annotauit. *Tria hæc toto vitæ tempore mihi imprimis curanda ſunt, Obedientia pro cuius integritate ipſa mihi oratio, corona, ſacrum, quies, & ſomnus omittenda ſunt. Oratio, in quam quidquid reliqui temporis fuerit conferendum eſt. Annihilatio & contemptio mei ipſius, qua omnes meæ exercitationes, & cogitationes, coniunctæ cum rigida corporis caſtigatione, dirigendæ ſunt.* Somni parum capiebat, vt oraret prolixiùs. Orationem ita actioni iungebat, vt cùm manè illuceſceret, iam ille Templo, ac Sacriſtiæ neceſſaria paraſſet, euerriſſet impluuium, patellas mundaſſet, & deinde ægris, ſi qui domi erant, inſeruiuiſſet. In itineribus iam dextre Socios præuertebat,vt illis appellentibus iam ignem ipſe in diuerſorio accendiſſet, & cum vellent alii labores partiri, ipſe tamen ſemper anteueniret. Sæpè in Miſſionibus, quas multas, ac difficillimas inſtituit, putidiſſima Indorum vlcera curantem, ſaniem, & vermes abſtergentem incredibili caritate viderunt: nec ſemel vt reluctantem naturam comprimeret plenis patellis id genus ſordium haurientem; quam viri conſtantiam, atque animi robur vel Indi ipſi ſumma admiratione proſecuti ſunt. Nihil illi ſolemnius,quàm ſuauiari plagas, miſerrimis quibuſque adeſſe, cibos ingerere, condire, veſtes ſua manu conſuere. Spirituali Indorum bono nouem Regionis idiomata perdidicit, & ſic multa hominum millia ſine hoc peritura, ſeruauit. Ad Confeſſionem audiendam vocatus, dimiſſis omnibus accurrebat, ne qua fortè ſua mora, pœnitentis ardor refrigeſceret. In ſe ipſe quotidie flagris ſæuiebat,preces non aliter quam ſtans, flectenſue fundebat, Sociorum virtutes ſedulò obſeruabat ad imitationem, aiebatque ſui ſe maximè pudere, cùm illos conſideraret: rogabat Deum, adeò in ſuos famulos munificum, vt ſe illorum ſaltem reliquijs dignaretur. Certa fama fuit ipſi in Tucumania Tigrim canis inſtar cauda blandientem occurriſſe, quam manu demulſam innoxius à ſe dimiſerit. Quocumque accedebat, gratia ſanitatum ſequebatur. Vitam Apoſtolicis ornatam meritis feliciſſimo concluſit exitu, diuturno, moleſtoque morbo excoctus,quem vultu atque animo tranquillo tulit. Obijt in Tucumanis die 12. Aprilis anno ſalutis 1605. ætatis 55. Religionis 33. Tucumanæ expeditionis 15. à ſuſcepto gradu Coadiutoris ſpiritualis 17. Mortem eius excepit magnus omnium,ſed pręſertim Indorum, ſenſus doloris, ob parentis ſui vnici (ſic vocabant) iacturam. Funus ab omnibus Religioſis honorificè procuratum eſt. Scripſit varijs linguis Tucumanicis

Vocabularia, Catechiſmos, Confeſſionaria, ſeu Methodos ritè confitendi, Grammaticas.

PETRVS ANELLVS PERSICVS natione Italus, patria Maſſalubrenſis haud procul Neapoli Societatem 1587. ætatis 23. ingreſſus, Profeſſus eſt Moralem Theologiam multis annis, & Rector adminiſtrauit Collegia Maſſenſe, & Barolitanum Spiritualibus Coadiutoribus adſcriptus ab anno 1601. Eius opera præcipuè ampliſſimum Nobilium Virginum Aſceterium, ſub auſpicijs Auguſtiſſimæ Triados Neapoli excitatum eſt,& Regulis firmatum. Multas Regni Vrbes,ac Vicos expeditionibus Apoſtolicis luſtrauit, pedes obiuit, cibo emendicato vixit: Congregationes inſtituit; Facinoroſiſſimos homines ad tantam ſuorum ſcelerum pænitudinem adduxit frequenter, vt ea in propatulo explicare contenderent, vigeſies quinies per Quadrageſimam Eccleſiaſten egit. Demum fractus laboribus,laudem non mediocrem promeruit à tolerantia vlcerum, quibus in extrema ſenectute ſcatebat,

atque plenus dierum, ac bonorum operum migrauit ad omnium remuneratorem Deum in Collegio Maſſalubrenſi die 18. Martij 1644. Edidit

De primo, & præcipuo Sacerdotis officio. Libros III. Neapoli typis Franciſci Sauij 1639. in folio.

De Diuino, & Eccleſiaſtico Officio, ſeu de Horis Canonicis. Ibidem & typis iiſdem 1643. in 4.

Scripſit quoque Italicè, ſed tacito Auctoris nomine vulgauit Alius

Deſcriptionem Ciuitatis Maſſæ Lubrenſis. Typis iiſdem 1644. in 4.

PETRVS ANTONIVS SPINELLVS natione Italus, patria Neapolitanus, Caroli Ducis Seminaræ filius, natus eſt anno 1555. & ab ipſa vitæ rationalis aurora ad excellentem quam iam ſanctimoniam aſpirauit. Septennis Deo ſe vota virginitate ſacrauit. Octennis ſe lecto per hyemem nudus ſubducebat clam omnibus, vt B. Virginem recitato illius officio coleret. Duodennis Patrem per lacrymas inflexit, ne ſe vinculis coniugalibus, quæ illi iam tum moliebatur, implicaret. In calamitoſos adeo erat liberalis, vt cum aliud non ſuppeteret, detractum ſibi indulium clam illis proijceret. Rude famulitium domi Catecheticis præceptis informabat. Subinde ad ſtudia litterarum admotus, in egenos conuertebat decimas eius cenſus, quem ad vſus vitæ neceſſarios a Parentibus accipiebat; refragantique Oeconomo, & rei familiaris diſpendium repræſentanti, ſuggeſſit nullum locupletius ærarium eſſe Diuino: Hinc fiebat, vt ſæpe rationibus ſubductis aliquid ſupereſſet vltra ſummam, id quod vel ideo cedebat egenis. Per eam ætatem ad munditiam cordis tam ſedulò inuigilabat, vt affirmarent curioſiſſimi inſpectores, nihil ſe in illo deprehendere, quod eſſet culpæ affine. Decumbenti famulo viliſſima quæque præſtitit obſequia, haud quaquam paſſus ab illis ſe excludi. His proluſionibus ad Societatem formatus in eam ab Alphonſo Salmerone cooptatus eſt die 22. Martij anno 1573. & ſuis inſalutatis Nolam ad Tirocinium aduolauit. In primo ingreſſu ſigillum S. Crucis ligneum ſibi ad collum appendit, teſſeram vitæ ſuſceptæ, qua moneretur identidem, ne in arrepto conſilio langueret. Eam ipſam crucem exacto vitæ curſu intulit in ſepulchrum. Exibat Tiro ſine pallio, & obſonatorem onuſtus cophino ſequebatur, domum, quæ ille coemiſſet, baiulaturus. Lapides, & cæmenta ad fabricam, agens ante ſe iumentum, publicè conuehebat. Et quò erat vnumquodque munerum abiectius, eò alacrius ipſe ſubibat. Tranſlatus ad ſtudia, domi præibat exemplo cæteris ad omnem pietatem, ſuique deſpicientiam: frequens in communi cœnaculo pænas à ſe repetere; viuere mendicatò, humi ad aliorum pedes ſordida in lacerna cibum capere; Foras etiam egreſſus, per mediam Neapolim inter frequentes conſanguineos, Viros Principes in lacera veſte, ſcutica inſtructus, poſt aſinum triumphabundus inceſſit. Sodalitium eo tempore ſub Conceptæ Virginis inuocatione collegit longè celeberrimum. Neapoli Philoſophiam primum, & Theologiam, hanc etiam mox Romæ expoſuit, quo tempore viſus eſt aliquando ingens lucis radius ab ipſius in ſchola explicantis vultu promicare, atque inde in reliquum corpus deriuari. Exinde Socijs gubernandis addictus, Romano primum Collegio, dein Neapolitano Rector præfuit. Et hic quidem præter curas domeſticas, iterum ac tertio per hebdomadem inſtituendo, ſuſcepit Zingaros, fæcem plebis, ipſe pueros vicatim conuocare, ipſe labarum Catecheticum manu præferre, pios hymnos præcinere, in angiportus ſe cum agmine puerorum inijcere, Chriſtianæ rudimenta doctrinæ explicare. Bis Neapoli Profeſſorum Domum, bis ipſam Prouinciam Neapolitanam, ſemel Romam Præpoſitus Prouincialis gubernauit. Noſtros Sacerdotes Setiæ in tertia probatione inſtruxit. Poſt Claudij Præpoſiti Generalis obitum Romam venit ad Comitia, quibus erat ſucceſſor eligendus. Hic eum lethifer morbus inceſſit, & breui confecit; Ipſe rationibus ſuis pridem ſubductis omni pietatis exercitatione ſe ad obitum comparauit. Ad Deum eo tempore ſuauiſſima frequenter colloquia dirigebat. Paulo ante deceſſum ad Beatam æternitatem aſpirans, brachijs nunc expanſis, nunc ante pectus contractis, ſuſpirabat. Cum Deipara ſalutis ſuæ negotium tota ſemihora tranſegit, illud ingeminans: *O Domina mea, quæ docuiſti me à iuuentute mea, vſque in ſenectam, & ſenium ne derelinquas me.* Mox per tres horæ quadrantes, qui reliqui fuere, Angelos ad Dei laudes inuitauit, illis verbis: Laudate Dominum omnes virtutes eius, Laudate eum omnes Angeli eius: ac demum in illis verbis ſubuenite Angeli Dei, placida morte conquieuit, Romæ die 14. Decembris anno ſalutis 1615. ætatis 60. Societatis 42. Corpus ſeorſim à reliquis in ligneo conditorio compoſitum eſt ob clariſſimam, quam apud omnes collegerat ſanctitatis opinionem. Enimuerò vir fuit tenerrima in Deum, ac Cælites pietate. Venerabilis Euchariſtiæ reuerentiſſimus, quam cum aliquando Setiæ populo diuideret, toto vultu radiare conſpectus eſt, & inſignem ſpecie puellum in ciborio circumferre, ac Diuini quippiam odoris, è pectore ſpirare. Secundum Deum vnicè colebat Deiparam, & tamquam matrem habebat. Septies Lauretanam eius Aedem inuiſit, pedes aliquando, & victu mendicato. Animi in magnam matrem ſui monumentum poſteritati dedit; Opus illud egregium de ipſius laudibus, quod in manibus eſt. Sacra Sanctorum pignora crebrò, ac religiosè viſebat, & initurus quopiam iter, ab illis benedictionem, poſthabitis atque inſalutatis conſanguineis, expetebat. Indicam expeditionem impen-

impenſiſſimo ſtudio ambiuit, cuius conſequendæ ſpe deiectus, animum, cogitationeſque ad inueniendas in patria Indias conuertit. Paupertatis fuit, ſi quis vnquam ſtudioſiſſimus. Attritis reſartiſque veſtibus ſemper vtebatur. Veſtem vnam internam totos 18. annos ſæpius refectam geſtauit, calceos vnos totum quinquennium. Imagines Sanctorum rudiori formatas opere amabat, pretioſas apud ſe morari haud patiebatur. In graui annonæ caritate, ne quid Domui, cui præerat deficeret, conſuetas egentibus dari eleemoſynas duplicabat, peritiſſimus negotiator cum Deo. Suum pauperibus indutium, ſuum lecti ſtragulum diuidebat. Ciborum reliquias diligenter in vſus inopum aſſeruari imperabat, & eas ſuis ipſe manibus, vel tum cum Prouincialis eſſet, illis ad ianuam afferebat, ac diuidebat. A fratre ſuo S.R.E. Cardinali accerſitus aliquando quo tempore lancibus abluendis occupabatur, renunciauit, vt tantiſper, dum illo perfungeretur officio, expectaret. Tam demiſsè manſueteque cum omnibus agebat, vt nunquam diſtingueres diſcipulus eſſet, an Magiſter, Præſes, an ſubditus. Nunquam de quoquam niſi meliorem in partem loquebatur. Mira patientia tolerabat aduerſa: iamque opinio inualuerat oportere qui vellet à Spinello referre beneficium peculiare, maleficio ſingulari quopiam illi prius illato id prouocare. Caſtimoniam Virginalem, quam vouerat infans, illibatam Deo moriens repræſentauit. Illam vt tueretur ita ſenſus frænabat, vt nunquam fœminæ ſibi quamuis proximo ſanguinis vinculo coniunctæ, vultum intueretur. Vocabulis tenerioribus, licet aliàs honeſtis, ita abſtinebat, vt cum poſceret neceſſitas rem ſignificari mutuata ex alio idiomate nomina minùs obnoxia adſciſceret. Nulla illi dies immunis tranſijt à verberatione, aut cilicio. Ieiunabat per Aduentum, & quater hebdomadatim per annum, peruigilijs item omnibus B. Virginis, & Sanctorum Tutelarium, quos habebat complures vix quaternas horas dormiebat, & humi id quidem, vel nudo ſuper aſſere; quod ſi in lecto, culcitræ fartura ita vtebatur conglobata, vt nihil eſſet aſſere mollior; inſternebatque non rarò lapillos, aut alia ad tormentum. Tantus erat crucis, quam ſibi principio deſponderat, amator. Laudauit Spinellum publica panegyri Franciſcus Albertinus noſter, quæ exſtat impreſſa. Scripſit verò Spinellus volumen egregium de laudibus B. Virginis Deiparæ, ſic inſcriptum

Maria Deiparæ Thronus Dei. Neapoli typis Tarquinii Longi 1613. in fol. & Coloniæ apud Ioannem Gymnicum 1619 in 4. Acceſſit *Appendix* in qua continentur *Elogia Deiparæ ex Sacris litteris iuxta vitæ eius ſeriem digeſta*, quæ prius ſeorſim prodierant. Neapoli 1585. Romæ 1587. & 1595. ac denium in Belgio. Continet præterea *Tractatus IV. quorum primus eſt in Salutationem Angelicam*, is primùm Italico ſermone prodiit Neapoli 1602. Alter eſt *Exemplorum & miraculorum Deiparæ*. III. *De feſtis eius diebus, ac Templis*. IV. *De Virginibus, qui eam ſunt imitati.* Prodiit verò ſeorſim etiam Pars eius operis poſterior, quæ ferè practica eſt, inſcripta

Amor Deiparæ Virginis Mariæ, cui adiecta eſt *Breuis praxis Deuotionis erga Deiparam* Coloniæ apud Gymnicum 1620. in 12.

Scripſit quoque librum

De ſeptem Angelorum Principibus, cuius ipſe frequenter meminit in Deipara

Et ſub nomine Ariſtotelis de Benedictis collegit in libellum

Nomina Sanctorum, qui habentur in Martyrologio Romano.

Italicè verò ſuppreſſo nomine

Manuale Annotationum pro Doctrina Chriſtiana vtiliter tradenda.

PETRVS DE ARRVBAL natione Hiſpanus, patria ex Oppido Ceniceros Diœceſis Calagurritanæ, amplexus Societatem anno ſalutis 1579. ætatis 20. vota 4. profeſſus. Vir cui cùm fuerit diuinum ingenium, & doctrinæ magnitudo par, quam illi inflammata inexhauſto ſciendi ſtudio induſtria pepererat; Excellentior tamen his omnibus ſanctimonia omnibus virtutis calculis abſolutiſſima, ſuique deſpicientia, & humilitate ſpectatiſſima, ſummam attulit commendationem. Compluti, Salmanticæ, Romæ Sacram Theologiam ſumma cum laude explicuit; & ſententiam Societatis de Auxilus Diuinæ Gratiæ doctiſſimè corā Summo Pontifice propugnauit. Obiit Salmanticæ die 22. Septembris anno ſalutis 1608. Editi ſunt poſthumi

Commentariorum, ac Diſputationum in Primam Partem D. Thomæ Tom. II. quorum prior continet materiam *De Deo Vno. Diſputationibus 92.* Matriti apud Thomam Iuntram 1612. in folio.

Poſterior materiam *De Deo Trino, & De Angelis, Diſputationibus* 181. Ibidem 1622. in folio.

Materiam De Auxilijs Diuinæ Gratiæ; vbi licuerit per Sedem Apoſtolicam in promiſſis habemus.

PETRVS DE AVILES natione Hiſpanus, patria Cordubenſis à puero fere annorum 15. in Societatem adſcriptus anno Domini 1595. Cordubæ Ariſtotelem, ibidem & Hiſpali Theologiam Scholaſticam Profeſſor viginti annorum ſpatio explicuit, & S. Inquiſitionis Qualificator fuit deſignatus. Rector fuit Aſtigitani Collegij, & Cordubenſis iterato; Prouinciæ totius Præſes, Procurator & Elector ad Vrbem, tandem in ſenectute bona octogenario maior quieuit in Domino, Cordubæ die 6. Octobris 1664. Parauerat prælo, ſed non edidit

Commentarios in omnes partes ſummæ Theologiæ Sanctæ Thomæ. Edidit Hiſpanice

Apologiam pro Societate contra Ioannem del Eſpino Preſbyterum detentum in carcere S. Inquiſitionis Granatæ, in folio, ſine nota temporis vel loci impreſſionis.

PETRVS BARNAVDVS natione Gallus, patria Carolicenſis in Diœceſi Matiſconenſi natus, anno ſalutis 1575. Societati ſe adiunxit anno ſæculari 1600. & votorum 4. profeſſione ſe obligauit. Homo ſpectata doctrina & probitate, poſt Philoſophiæ octennio, Theologiæ Scholaſticæ ſeptennio cum laude exactum magiſterium, regimini admotus gubernauit Domum probationis Lugduni, & ibidem religioſe obijt Calendis Nouembribus 1640. Pro informandis externis ſcripſit facilem

Doctrinam Chriſtianam

PETRVS BENEDIT DE RADA, natione Hiſpanus, patria ex Oppido Caſeda diœceſis Pampilonenſis, Societati inſertus anno Domini 1593. ætatis 18. votis 4. ſe illigauit. Fuit Placentini Collegij Rector, & ibidem obijt die 3. Octobris anno 1629. ætatis 55. Religionis 30. Scripſit Hiſpanicè

Epiſtolam de morte & Virtutibus P. Roderici Nino Societatis Ieſu Rectoris Collegij Madridienſis 1637.

PETRVS BIARDVS natione Gallus, patria Gratianopolitanus cooptatus in Societatem anno 1580. ætatis 15. operarius magni zeli, atque adeo multarum palmarum quas in horridis, & inuijs Canadenſium Septentrionalis Americæ populorum Syluis primus legit. Extrema ibi omnia paſſus, nihil tamen inhumanum magis quam Hæreticos expertus eſt. Feritatis oblita gens barbara, integerrimi hominis innocentiam venerari diſcebat, cum ecce tibi ſanctitatis inimica Deumque neſciens Hæreſis cum Anglis Canadæ in oras irrupit; difficillimæ expeditionis ingens pretium fuit, exoſum inde abducere Ieſuitam. Habitus eſt in vinculis aliquamdiu, & vix tandem in Galliam nudus ab omni re miſſus. Interea verò dum integrum illi eſſet, ad noualia Canadæ redire, damnum ab Hæreticis illatum, ſanctè vltus eſt, reliquo vitæ tempore quæſiuit intenſiſſimis ſtudijs ad vitam illos a quibus ad necem adductus fuerat. Docuerat olim Theologiam Lugduni annis IX. non ſine laude. Reuerſus è Miſſione Caſtrenſi cum Auenionem diuertiſſet, & opportunitate temporis vſus ſeceſſiſſet in Nouitiatum in ipſis pene exercitiorum Spiritualium initijs ad Paradiſi contemplationem, vt credimus, euocatus eſt die 19. Nouembris anno 1622. Scripſit

Epiſtolam ad R. P. Præpoſitum Generalem, è Portu Regali in Noua Francia datam vltimo Ianuarij anno 1611. qua regionem illam deſcribit, & Patrum Societatis Ieſu in eam profectionem. Ea inſerta eſt annuis litteris Societatis Ieſu eius anni Prouinciæ Franciæ, ad finem.

Relationem expeditionis Anglorum in Canadam; ſuæque ab illis comprehenſionis. Item

Librum pro Auctoritate Pontificis contra Martinellum Miniſtrum: Gallicè vero edidit ſeorſim

Relationem Nouæ Franciæ & itineris Patrum Societatis Ieſu ad illam Lugduni apud Michaelem Muguet 1616. in 12.

PETRVS BIVERVS natione Hiſpanus, patria Matritenſis, natus anno ſalutis 1572. Societatem inijt 1593. & vota 4. in ea nuncupauit. Vir excellenti doctrina & arte concionandi præſtans. Rhetoricam, Philoſophiam, & Theologiam docuit. Miſſus in Belgium anno 1616. à Concionibus fuit Sereniſſimis Belgij Principibus Alberto, & Iſabellæ Claræ Eugeniæ, & Sereniſſimo Cardinali Infanti Ferdinando. Etiam à ſacris Confeſſionibus fuit Excellentiſſimo Marchioni Aytonæ dum Belgicas Prouincias pro Rege Catholico gubernaret. Redux in Hiſpaniam, rexit Collegium Matritenſe, eique muneri immortuus octogenario maior ad vitam tranſiuit morti non obnoxiam, die 26. Aprilis 1656. Vir admodum Religioſus & ſanctioris diſciplinæ in ſe ipſo peramans, atque ab alijs exigens. Edidit Hiſpanicè

Concionem Toleti habitam anno 1610. *in funere D. Mariæ de Sandoual*. Item aliam

Concionem habitam in Exequijs Alberti Pij, Archiducis Auſtriæ, Belgarum Principis. Antuerpiæ 1622. in 4.

Hymnum Triumphalem. Bruxellæ apud Hubertum Antonij 1625.

Orationem Panegyricam Marchioni de Sancta Cruce dictam ob liberatas ſine ſanguine Brugas, & pulſos e Flandria Batauos, qui hoſtiliter irruperant. Latine vero dedit typis

Emblemata in Pſalmum Miſerere, æri inſculpta in 8.

Sacrum Sanctuarium Crucis & patientiæ Crucifixorum & Cruciferorum Emblematicis imaginibus ornatum. Antuerpiæ typis Plantinianis Moreti 1634. in 4.

Oratorium piarum imaginum Immaculatæ Mariæ, & animæ creatæ ac Baptiſmo, Pœnitentiæ & Euchariſtia innouatæ. Iiſdem typis in 4.

De ſolemni Sapientiæ Conuiuio. Bruxellis typis Lucæ Merbecci 1639. in fol.

De Sacris priuilegijs, ac feſtis Magnæ Filiæ, Sponſæ, & Matris Dei argumenta ſelecta Concionum, quibus acceſſerunt Sanctiſſimus Ioachimus, Anna, & Ioſephus. Antuerpiæ apud Martinum Nutium 1638. in folio

De feſtis ſolemnibus Chriſti Domini, & Sacris priuilegijs omnium Apoſtolorum. Ibidem apud viduam Cnobbari 1640. in folio

Parauerat prælo *Virtutes Heroicas Marchionis*

chionis

chionis Aytonæ Gubernatoris Brigy cui fuit a Sacris Confeſſionibus, *& Stratagemata militaria & moralia*, ſed morte interueniente, non emiſit.

* PETRVS BOBYNET natione Gallus, patria Monlucenſis in Diœceſi Bituricenſi, natus anno ſæculi præteriti 93. Societati ſe applicuit prætereuntis 12. & votis quatuor ſolemnibus ſe adſtrinxit. Docuit Philoſophiam, & annis 20. Theologiam Moralem. Rexit Collegia Molinenſe, & Coriſopitenſe. Vir ſingulari pietate & erga Superiores obedientia, omnibus ſua Comitate & facilitate carus. Tandem diuturno rheumate, quod patientiſſimè tolerauit confectus, ex ærumnoſa hac vita, ad cæleſtem vti ſperare fas eſt migrauit. Aureliæ die 25. Iunij 1668. Scripſit Latinè

Delegationem Regularium ad Sacras Confeſſiones audiendas decem authenticis comprobatam. Pariſijs 1648. Gallicè edidit

Horologiographiam curioſam. Flexiæ apud Georgium Grineau 1644. in 8.

Horologiographiam ingenioſam. Pariſijs 1647. in 8.

Longimetriam induſtrioſam. Ibidem & eodem anno

Horologium Horologiorum vniuerſale. Ibidem 1649.

Horologium digitorum. Pariſijs apud Ioannem Henault, & iterum Aureliæ 1650. in 8.

Arcana Calendarij faciliora pro Curioſis. Coroſopiti apud Guilielmum le Blanc. 1665. in 8.

PETRVS BONVOISIN BELGA, Audomari natus anno 1573. Societatem inijt 1593. die 30. Octobris, & qua pollebat in rebus agendis induſtria non parum ei commodauit, Spiritualium Coadiutorum albo adſcriptus 1600. Obijt Tornaci 30. Decembris 1626. Edidit

Veram effigiem Charitatis Chriſtianæ ad viuum expreſſam à S. Paulo 1. Corinth. cap. 13. ſententijs & exemplis illuſtratam Audomari apud Carolum Boſcard 1621.

PETRVS BOVILLIVS natione Belga, patria Dionantenſis, ingreſſus in Societatem anno 1592. ætatis 17. vota 4. nuncupauit. Leodij, ac Dionanti Rector, pluribus locis, Concionator, litteras Latinas Græcaſque cum laude profeſſus eſt. A conſtanti in Deiparam Virginem pietate, & ab inuicta inter acutiſſimos ex calculo dolores patientia, plurimùm dilaudatus, diem clauſit extremum Valencenis die 22. Decembris 1641. Scripſit Latinè, & Gallicè

Hiſtoriam inuentionis & miraculorum B. Virginis Foyenſis. Duaci typis Marci Vvion 1620. in 8.

Extat quoque eius elegans

Ode Pindarica Græca & Latina præfixa operi Leonardi Leſſij. De Iuſtitia & Iure. Edidit præterea tacito ſuo nomine

Diuam Bonæ ſpei, ſeu originem & progreſſum deuotionis erga B. Virginem Bonæ ſpei iuxta Valencenas. Item

Diuam Miſericordiæ, iuxta Marchianos ad Pontem

PETRVS BOVRDIN natione Gallus, patria Molinenſis, natus anno ſæculi exacti 95. Societati ſe addixit vertentis 12. & votorum 4. profeſſionem emiſit; Rhetoricam ſeptennio profeſſus eſt; Matheſim verò in qua excelluit annis duodeuiginti, Flexiæ, & Pariſijs; litterarum ſtudio coniunxit amorem ſolidæ perfectionis, quem eximia humilitate, & Regularum accurata obſeruatione, aſſiduè fouebat. Ex lapſu contraxit morbum, quo demum ſuſceptis priùs ritè Eccleſiæ præſidijs, deceſſit Pariſijs die 27. Septembris 1653. Edidit Latinè

Prima Geometriæ tam Speculatiuæ, quam practicæ elementa. Pariſijs 1639. in 12. Gallicè verò

Introductionem ad Mathematicas diſciplinas tribus Partibus. Pariſijs 1643. in 12. Poſt obitum prodierunt Gallicè

Perſpectiua militaris. Pariſijs apud Simonem Benaud 1655. in 12.

Architectonica Militaris. Ibidem 1655. in 8.

Curſus Mathematicus. Ibidem 1661. in 8.

Optica in folio. Ibidem

PETRVS BRVN, natione Gallus, patria Petrocorienſis, admiſſus in Societatem anno ſalutis 1596. ætatis 19. poſt traditas amœniores litteras ſtudijs præfuit annos 16. & Concionatorem diu egit Spiritualium Coadiutorum votis adſtrictus. Obijt in Toloſana Prouincia haud procul Turnone in obſequio peſte infectorum menſe Auguſto anno 1629. Scripſit Gallicè

Inſtitutionem Chriſtianam

* PETRVS DEL BRVN natione Gallus, patria Cadurcenſis, natus anno ſæculi prætérlabentis v. Deo ſe in Societate deuouit 1625. & vota 4. ſolemnia concepit. Eloquentiam & politiores litteras ſeptennio profeſſus eſt; Philoſophiam octennio; & euocatus Romam Præpoſito Generali à Secretis in conſcribendis Epiſtolis ad Prouincias Galliæ decennio fuit. Reuerſus dein in Prouinciam Toloſanam modò in Collegio Albiēnſi vacat Societatis miniſterijs. Edidit hactenus

Commiſſuras Gallico-Latinas. Toloſæ typis Ioannis Boude 1641. in 8.

Apparatum magnum Gallico-Latinum, collectum ex Cicerone, & melioribus Auctoribus linguæ Latinæ. Toloſæ apud Ioannem Boude 1650. in 4. recuſum ibi & Pariſijs per Ioannem Henault 1660. & 1669. in 4.

Amai-

Amalthæum Ciceronianum. Toloſæ typis Ioannis Boude 1605. & ab eodem recuſum 1669.

* PETRVS BRVXELIVS natione Belga, patria Siluæducenſis, natus anno ſæculi labentis 12. ad Societatem ſe aggregauit 1636. & vota 4. nuncupauit. Poſt traditas manſuetiores litteras, Philoſophiam bis explicuit Coloniæ, & aliquamdiu Theologiam. Miſſionarium ſe egregium probauit in Ducatu Montenſi per octennium, vbi Heterodoxos voce, & calamo ſcite perſtrinxit. Vir candidi pectoris, orationi addictus, cauebat ſedulo ne aſceticis exercitationibus, vel pauculum temporis ſubtraheret, ideoque clepſydræ ſiſtebat curſum, quoties alijs occupationibus interrumpebatur. Naturæ conceſſit Hildeſij die 7. Maij 1664. Edidit Germanice

Anaſtaſiam pro D. Doctore Medico recens conuerſo contra Conſiſtorium Duisburgenſe. Coloniæ typis Pauli Metternick 1664. in 8.

* PETRVS DE BVGIS natione Gallus, patria Toloſas, natus anno ſæculi elapſi 90. Deo ſe in Societate conſecrauit labentis 6. & votis quatuor ſe illigauit. Vir omnium ſcientiarum genere excultus, humaniores litteras docuit triennio; Philoſophiam quadriennio; linguam Sanctam aliquamdiu, Theologiam annis 20. & præfuit ſtudijs altioribus, annos 14. Rexit Collegia Aginnenſe, Palenſe, & Burdegalenſe, in quo octogenario maior adhuc degit. Edidit

Tractatum de Myſterio Incarnationis 12. Libris comprehenſum. Lugduni ſumptibus Philippi Borde & Soc. 1668. in folio

De Adorando Trinitatis Myſterio Lib. 7. Lugduni apud Laurentium Arnaud & Soc. 1671 in 4.

PETRVS BVRGVNDVS natione Belga, patria ex Monte S. Gerardi, Oppido Flandriæ natus anno 1522. Panormi in Societatem adſcitus eſt anno 1559. Politiorem litteraturam multos annos docuit & anno 1572. trium votorum profeſſionem edidit: in quo demiſſio animi, caritaſque cum obedientia, & ſimplicitate certare videbantur. Nam præterquam quod perpetuo lectoris officio ſuper menſam fungeretur, & operam ſuam coquo ponebat quotidie in componendis ad focum lignis, ſcutellis eluendis, & aquam abluendis Patrum Fratrumque manibus, viginti gradus bonus ſenex ſæpe iterumque remetiens, curabat, à quo caritatis opere nunquam reuocari potuiſſet, niſi Superior ingemiſcens ſeni, paucis ante mortem diebus eo labore interdixiſſet. Obijt Treuiris die 30. Martij anno ſalutis 1598. ex Italico latinè reddidit

Didaci Stellæ Minoritæ de contemnendis Mundi vanitatibus Lib. III. Coloniæ per Arnoldum Mylium 1585. & ſæpe poſtea

PETRVS BVSÆVS, natione Belga, patria Nouiomagenſis, Societatem Coloniæ amplexus eſt anno ſalutis 1561. ætatis 21. vbi quoque profeſſionem votorum 4. emiſit 1568. Inde Viennam Auſtriæ miſſus in Academia publice Sacras litteras explicuit, & in Collegio linguam Sanctam docuit, præter alia munia quibus egregiè functus eſt. Fuit enim excellenter doctus & laurea doctorali Theologiæ inſignitus, pietate verò prudentia, & exemplo eximius. Vnicum erat perfugium domeſticis, & externis quidquid durum, aut perplexum incidiſſet, hinc omnium mœrore deceſſit Viennæ die 12. Aprilis 1587.

Opus Catechiſticum ſiue ſummam Doctrinæ Chriſtianæ P. Petri Caniſij Theologi Societatis Ieſu, præclaris Diuinæ Scripturæ teſtimonijs illuſtrauit, locupletauitque magna cum Reipublicæ vtilitate, opus enim hoc plurimum negotij exhibuit Hæreticis. Editum eſt Coloniæ 1569. in 4. & 1577. in folio

PETRVS CANISIVS natione Belga, patria Nouiomagenſis, à puero ſe dedit ſtudio pietatis. Cùm nata nondum eſſet Societas, fœmina quædam opinione ſanctitatis vulgo nota matrem eius admonuit, vt magna Petrum Filium cura educaret, quod breui Religio quædam Clericorum inſtituenda foret, quæ eximias Dei Eccleſiæ vtilitates eſſet allatura, in quam Religionem filius eius adſcriptus, vir apprime inſignis haberetur. Vaticinium ſeu præſenſionem fœminæ rei probauit euentus. Nam paulo poſt Societas inſtituta eſt, in eamque Petrus anno ſalutis 1543. P. Petri Fabri opera primus omnium Germanorum cooptatus, illam exemplo doctrina, præſtantis ingenij monumentis, recens natam mirum in medum illuſtrauit; Germaniam Superiorem primus Præpoſitus Prouincialis rexit, concionibus auxit; Hæreticos diſputationibus repreſſit; Catholicos confirmauit. Ex quo Hæretici Caniſium, *Canem Auſtriacum* per ignominiam appellabant, quod in Auſtria plurimùm verſaretur; ſed haud canem mutum, aut non valentem latrare, ſed qui latratu & morſu lupos paſſim graſſantes ab ouili Chriſti arceret. Epiſcopatum Viennenſem à Ferdinando Romanorum Rege ſibi oblatum, conſtanter repudiauit. Scripſit poſtulante eodem Ferdinando Rege

Summam Doctrinæ Chriſtianæ breuem quidem illam, ſed præclariſſimam, & quæ copioſæ Bibliothecæ inſtar ſit. Prodijt primùm à S.P.N. Ignatio probata, & Ferdinandi Regis munita diplomate, tacito alioqui auctoris nomine anno ſalutis 1554. primus omnium Societatis partus, poſt S. Patriarchæ noſtri Exercitia Spiritualia, ſæpius deinde

varijs

variijs locis, & linguis recuſa; demum recenſita ab Auctore, & multis locis aucta, excuſa eſt Antuerpiæ à Chriſtophoro Plantino 1574. cui acceſſit *Appendix de Hominis lapſu, & Iuſtificatione ſecundum ſententiam, & doctrinam Concilij Tridentini*. Hanc ſummam Petrus Buſæus, vt paulo ante monui, illuſtrauit adductis integrè teſtimonijs, quæ Caniſius in margine indicauerat, quaſi digitum in fontes intendens. Incredibilis autem extitit in Chriſti Eccleſia huius Catechiſmi fructus, cuius hoc vnum pignus do, quod eius lectione ſe fateatur Sereniſſimus Princeps VVolfgangus VVilhelmus Dux Neoburgicus inductum ad Orthodoxam fidem amplectendam. Eadem hæc ſumma in breuiorem formam contracta prodijt hac inſcriptione

Inſtitutiones Chriſtianæ pietatis, ſeu paruus Catechiſmus Catholicorum, qui omnibus prope linguis editus, paſſim in ſcholis ac templis edocetur. Antuerpiæ 1566. & 1589. ibi & alibi ſæpiſſime. Prodijt etiam

Summa Doctrinæ Chriſtianæ per Quæſtiones conſcripta. Item

Paruus Catechiſmus figuris ornatus: rurſum idem cum adiunctis, *Precibus horarum æternæ Dei Sapientiæ Ieſu Chriſti*. Mantuæ, Leodij, Dilingæ, Demum *Græcolatinus* Ingolſtadij, denique ſeorſim

Auctoritates Sacræ Scripturæ & Sanctorum Patrum in Catechiſmo contentæ Partibus 4. Coloniæ 1569. in 4.

Scripſit etiam Caniſius

Commentariorum de Verbi Dei corruptelis aduerſus nouos Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ conſarcinatores ſiue Centuriatores Magdeburgenſes Tomos II. quorum prior eſt

De S. Præcurſoris Domini Ioannis Baptiſtæ Hiſtoria Euangelica. Dilingæ apud Sebaldum Mayer 1571. in 4. Poſterior autem eſt.

De Beatiſſima Maria Virgine Lib. V. Ingolſtadij apud Dauidem Sartorium 1577. vterque autem Tomus plenior, atque ab Auctore recognitus, vno volumine prodijt typis Sartorij 1582. in folio. Ingens eſt opus & ſpiſſum in 6. libros diuiſum, in quo quidquid impij, ac peſtilentes nebulones mentiuntur, & ad deprauandas Scripturas, & Præcurſoris, & Dei Matris gloriam obſcurandam adferunt luculenter, grauiter, eruditeque confutatur. Scripſit ad hæc

Notas in Euangelicas Lectiones quæ per totum annum Dominicis, ac feſtis diebus in Eccleſia Catholica recitantur. Tomos II. Friburgi Heluetiorum apud Abraham, Gemperlinum 1591. & 93. in 4.

In extrema iam ætate alios libellos aureos edidit, videlicet

Exercitamenta Chriſtianæ pietatis, quibus ſubiunguntur, *Epiſtolæ & Euangelia totius anni cum Scholijs Caniſij*. Antuerpiæ typis Plantinianis in 12.

Manuale Catholicorum, in vſum piè precandi collectum. Ingolſtadij 1587. Antuerpiæ 1599. & alibi. Item

Enchiridion Itinerantium. Antuerpiæ 1599. in 12.

Palæſtram hominis Catholici. Duaci per Balthaſarem Bellerum 1599. in 12.

Practicam Catechiſmi. Coloniæ.

Et hæc quidem Latinè; Germanicè vero ſcripſit

Martyrologium. Dilingæ 1562. & 1574. in 4.

Conciones in 4. Dominicas Aduentus, & in Natalem Domini

Librum Precationum

Librum de Confeſſione, & Communione

Vitas SS. Beati, & Fridolini, qui fuerunt primi Heluetiorum Apoſtoli. Friburgi apud Abrahamum Gemperlin 1590. in 4.

Vitam & Exercitamenta pietatis B. Nicolai Eremitæ. Denique vt aliorum etiam lucubrationibus prodeſſet, euulgauit

Selectas Epiſtolas D. Hieronymi Lib. III. Louanij 1573. & deinceps. Antuerpiæ, Dilingæ, Pariſijs.

Leonis Papæ Opera Omnia. Coloniæ

Cyrilli Alexandrini opera Tom. II. Colonię edidit adhuc iuuenis.

Doctas Præfationes addidit quibuſdam tum Antiquorum, tum Recentiorum operibus & inter eas præcipuam *in Tractatum Andreæ Vegæ de Iuſtificatione*

Scripſit vlterius

Selectas preces ex quibus excerpta quædam auctoritate Legatorum Pontificiorum in Concilio Tridentino, recitabantur in publicis per Quadrageſimam Litanijs

Librum Confeſſionum Exemplo S. Auguſtini ex quo recitat fragmentum Spiritu Diuino plenum Ioannis Nieſs noſter, in Alphabeto Chriſti, verbo *Reuerentia*

Epiſtolas complures ad Laurentium Surium ſcripſit, quæ in Carthuſia Colonienſi aſſeruantur

Alias ad Epiſcopum Mindenſem, vnaque Ducem Brunſuicenſem, quæ alibi extant

Porro de Caniſij candore animi, puritate, humilitate, deuotione, orandi ſtudio, perfecta omnium humanorum affectuum mortificatione, ardore fidei, animarum zelo, indefeſſo labore & perpetua contentione qua Religionem Catholicam ſemper tueri, ornare, amplificare non deſtitit, cęteriſque eius ornamentis virtutum, multa dici poſſent quæ iuſtum volumen deſiderant. Legi poſſunt Matthæus Raderus, & Franciſcus Sacchinus Noſtri qui eius vitam, & res geſtas, proprijs voluminibus conſcripſerunt.

Quan-

Quantus demum fuerit Caniſius nihil magis oſtendit quàm clariſſimorum huius æui Scriptorum in eo celebrando conſenſus. Eſt videlicet Petrus Caniſius *Stanislao Cardinali Hoſio* Epiſtola ſua 150. & apud Reſcium in Epil. Miniſtromachiæ, Hæreticorum malleus, & nouus Auguſtæ Apoſtolus, non doctrina magis quam pietate inſignis, & ſi quiſquam alius, in controuerſijs exercitatus. Eſt *Stanislao Reſcio* in Vita Cardinalis Hoſij lib. 1. cap. 20. Vir doctiſſimus, & omnibus pietatis artibus inſtructiſſimus; ſtrenuus Eccleſiæ Dei contra Inferorum portas propugnator, & vtiliſſimus Ieſu Chriſti Seruus. *Cæſari Cardinali Baronio* Tom. I. annal. ad A.C. 9 Venerandus vir, cuius laus eſt in Euangelio per omnes Eccleſias. *Ferreolo Locrio* in Maria Auguſta lib. 1. cap. 7. & 25. & in Chron. Anaceph. A. C. 1577. Celeberrimus Theologus virulentæ illius Hydræ (Blaſphemorum in Deiparam) Hercules, qui nobili ſplendidus victoria glorioſum cecinit claſſico Triumphum; Eximius B. Virginis Encomiaſtes, Summus Mariani decoris aſſertor. *Sebaſtiano Verronio* in Chron. lib. 8. in Gregorio XIII. ante finem, Theologus toto orbe Chriſtiano notiſſimus, cuius opera Principes, Imperatores, Pontifices ſæpe vſi ſunt; qui ætatem quaſi quidam homo Dei, Eccleſiæ per Heluetiam Patriarcha, Fidei Catholicæ per Germaniam columna, indefeſſo labore, ac ſingulari ſanctitate exegit. *Auberto Miræo* in elog. ſcript. Belg. ſæculi ſui Hieronymus, ob dignam graui Theologo eloquentiam: *Eidem, & Laurentio Beyerlinck* in oper. Chronogr. A. C. 1597. tit. Viri illuſtr. Alter ſui ſæculi Auguſtinus, qui non ſecus ac ille. Olim Donatiſtas, Manichæos, Pelagianos, noſtri æui Nouatores, Lutheranos, Caluiniſtas, Anabaptiſtas oppugnauit. *Ioan. Creſelio* in ſuis Elog. Part. II. lumen, & columen Eccleſiæ Catholicæ, Vir Diuini propemodum ingenij & eruditionis incomparabilis, Philoſophus Eximius, Theologus profundus, & lectionis infinitæ, Orator valde eloquens, Eccleſiaſtes pariter grauis & iucundus. *Ioanni Tomeo Marnauitio* in Præfat. Sanct. Illyr. & *Henrico Sedulio* in Comm. Vitæ S. Franciſci cap. 3. num. 8. Magnus anteriori æuo Vir. *Dauidi Gregorio Cornero* in Præfat. Prompt. Deuot. & Vvolfgango Edero in Dedic. Tract. de Indulg. Ant. Cordub. Doctiſſimus, celeberrimus, incomparabilis Theologus, & de vniuerſa Catholica Chriſti Eccleſia ſane optimè meritus. *Franciſco Agricolæ* in Dedicat. Euangel. S. Ioan. Bapt. Celebratiſſimus Theologus *Ioanni Molano* de Canonicis lib. 2. cap. 25. Excellentiſſimus Theologus. *Andreæ Victorello* in Opere Ciaccon. ad Vitam Otton. Cardinalis Truchſes, Vir innocentis vitæ & doctrinæ Theologicæ fama illuſtris. *Guilielmo Eyſengrein* in Catal. teſt. verit. A.C. 1565. Vir cùm eloquentia, tum multarum rerum peritia & mirabili ingenij flumine præſtantiſſimus, Philoſophus clarus, Orator facundus, Theologus Sacrarum legum exercitatiſſimus. *Ioanni Engerdo* Tom. I. Acad. Ingolſt. par. 7. præter alia multa Pietatis & eruditionis, vitæque integritatis, omniſque virtutum generis illuſtre exemplum, fortis Eccleſiæ propugnator bene de religione meritus, lumen Doctorum Eccleſiaſticorum ampliſſimum & clariſſimum. *Andreæ Sauſaio* Appar. ad Martyrol. Gal. cap. 19. Vir permaximus, Eccleſiæ per Heluetiam Patriarcha, Religionis Catholicæ ſuo tempore columna. Obijt Friburgi apud Heluetios die 21. Decembris anni ſalutis 1597. ætatis 77. vbi magno in honore eſt corpus eius apud Catholicos omnes Heluetios, qui eius & viuentis voce, & ſcriptis, mortui precibus in Apoſtolica, & Romana fide confirmati ſunt. Cenotaphium atque elogium gratitudinis ergo, Ingolſtadienſe Collegium Theologicum Caniſio poſuit. Epitaphium verò bene merentis tumulo à Ioanne Vvildio V. C. hoc impoſitum Friburgi in D. Nicolai Eccleſia cernitur



D.O.M.

D. O. M.

VENERANDVS IN CHRISTO PATER

PETRVS CANISIVS THEOLOGVS

NOVIOMAGI NATVS
SOCIETATEM IESV
TERTIO A CONFIRMATIONE ILLIVS ANNO
INGRESSVS
AC SACERDOTIO INSIGNITVS
OB MAGNI SIMVL ET PLACIDI ANIMI PRÆSTANTIAM
A COLONIENSI ECCLESIA AD CAROLVM V. IMP.
AB OTTONE CARD. AVGVSTANO
AD S.CONCILIVM TRIDENT.
A FERDINANDO IMP. VVORMATIAM
CONTRA MELANCHTONEM HÆRETICVM,
A PIO IV. PONT. MAX. AD PRINCIPES GERMANIÆ
IN FIDE CONFIRMANDOS MISSVS
POSTQVAM ROMÆ, IN SICILIÆ, ET GERMANIÆ ACADEMIIS DOCVISSET
DIV APVD FERDINANDVM IMP.
ET PASSIM SVMMA LAVDE VERBVM DEI PRÆDICASSET
PRIMVS PROVINCIALIS SOC.
EIVSDEM IN GERMANIA
AB IPSO SOC. AVCTORE P. IGNATIO
DATVS FVISSET
SCRIPTISQVE FIDEM CATHOLICAM EGREGIE
ILLVSTRASSET
AVSPICIIS REVERENDI D. IOAN. FRANCISCI
EPISCOPI VERCELLENSIS NVNCII APOSTOLICI
FRIBVRGVM SEXAGENARIVS VENIT
COLLEGII SOCIETATIS FVNDAMENTA IECIT
MVLTA PRÆCLARA DOCVMENTA DEDIT
ET QVASI QVIDAM FRIBVRGENSIVM PATRONVS
ECCLESIÆ PER HELVETIAM PATRIARCHA
RELIGIONIS CATHOLICÆ SVO TEMPORE COLVMNA
TOTO CHRISTIANO ORBE NOTISSIMVS
FIDE, PRVDENTIA, INDEFESSO SCRIBENDI LABORE, ABSTINENTIA,
PERENNI GRAVITATE ANIMI PVRITATE
FLAGRANTISSIMO DEI AMORE
MVLTAQVE SANCTITATE CLARISSIMVS
MIGRAVIT AD CHRISTVM
FESTO S. THOMÆ APOSTOLI
MDXCVII. ANNO ÆTATIS LXXVII.

Huic Epitaphio ſequens Epigramma ſubiectum eſt

Obſcuro quæ fama rogo, quæ flamma ſuperſtes
Corda redaccendit viuidiore face?
Nempe nouum Cælo, placidumq; Caniſius Aſtrum
Iam propior Chriſto fulgurat igne nouo
Sic fundit flammas cui Sideris auctor, Ieſus:
Ipſa fides, radius, ſpes, iubar, ignis amor:

* PETRVS CASRÆVS natione Gallus, patria Rhedonenſis in Britannia Aremorica, natus Parente Supremæ Curiæ Rhedonenſis Senatore, anno ſæculi tranſacti 89. Deo ſe in Societate dicauit vertentis 8. & votorum 4. profeſſione ſe obſtrinxit. In ipſo Religionis Tirocinio, periculoſa ægritudine cùm laboraret, ex tumore inſolito in altero genu, agebatur de eo ad paternam domum remittendo, ſed obſtitit Prouincialis Bartholomæus Iacquinotius, qui plurimùm ob amabilitatem morum illum diligebat, atque ita adhibita diligenti Medicorum cura conualuit. Docuit in Societate Humaniores litteras, tum ſeptennio Philoſophiam, quadriennio Matheſim, in qua excelluit, & altero quadriennio Theologiam Scholaſticam. Regimini admotus gubernauit Collegia Metenſe, Diuionenſe, Nanceianum, & Domum ibidem probationis. & demum totam Prouinciam Campaniæ, magna laude prudentiæ, modeſtiæ, & integritatis. Electus ab illa Prouincia interfuit Congregationi Generali octauæ, Romæ, & ad nonam quoque atque decimam Congregationem tamquam Prouincialis acceſſit, atque ab hac in Aſſiſtentem Præpoſiti Generalis pro Gallia eſt conſtitutus. Vir mitiſſimi ingenij, obſeruantiſſimus religioſæ diſciplinæ, paupertatis apprimè ſtudioſus, Superiorum reuerentiſſimus, erga Sanctiſſimum Sacramentum, Deiparam Virginem, Sanctoſque Ignatium & Xauerium mira pietatis ſuauitate ferebatur. Puritatis dono adeo ſingulari præditus à Deo fuit, vt auditus ſit aliquando ingenuè fateri, ſe quamuis in puriſſimis hominibus in foro Pœnitentiæ aures præberet, nulla tamen vnquam carnis titillatione fuiſſe commotum. Redux Roma in Galliam poſt vndecimam Congregationem Generalem dum Prouinciam Campaniæ iteratò adminiſtraret, grauis annis & affectæ valetudinis, poſt biennium illius officij, liberationem ab eo enixè petijt, vt ſe ad mortem, prout diu exoptauerat, præpararet; qua obtenta paulo poſt ad laborum præmia euolauit Diuione die 20. Aprilis 1664. Scripſit doctè & accurate multa de diſciplinis Philoſophicis, Theologicis, Mathematicis, Phyſicis, quibus plurimum delectabatur, ſed nihil publici Iuris fecit præter

Demonſtrationem Phyſicam qua, ratio, menſura, modus, ac potentia accelerationis motus in naturali deſcenſu grauium determinatur. Pariſijs apud Iacobum da Bruil 1645. in 4.

PETRVS DES CHAMPSNEVFS, SEV DE CAMPIS NOVIS natione Gallus, patria Nannetenſis ingreſſus in Societatem anno 1621. vndeuicennis, profeſſionem in ea votorum 4. emiſit, docuitque Rhetoricam, Philoſophiam, & multis annis præfecturam geſſit ſcholarum in Collegio Pariſienſi, cuius quoque in Templo Operarium ſedulum & induſtrium diu egit, donec maturus cælo euocatus à Deo eſt ex loco peregrinationis vitæ huius ad cæleſtem (vti ſperamus) patriam die 20. Maij præſentis anni Iubilæi 1675. Edidit

Anthologiam Latino-Gallicarum Locutionum, Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoiſy 1635. in 8. recuſam ſub titulo

Manuductionis ad linguam Latinam. Ibidem 1644 in 8. & alias

Luciani Dialogos mortuorum, & varias homilias S. Chryſoſtomi Græcolatinas cum Notis Grammaticalibus. Pariſijs typis iiſdem 1640. in 8.

Axiomata Euangelica collecta ex Libris Canonicis noui Teſtamenti Gallicè typis iiſdem 1647. in 8. & iterum ibidem 1652.

Pſalmos Dauidicos, & Sacra Cantica in Romano Breuiario occurrentia cum breui, & litterali explanatione. Ibidem 1648. in 8.

Suſpiria Dauidica, via Purgatiuæ, illuminatiuæ, & vnitiuæ reſpondentia. Ibidem 1659. in 12.

Axiomata Euangelica Chriſti & Apoſtolorum verbis reſpondentia. Pariſiis typis iiſdem 1650. in 12.

PETRVS CHARLOT natione Gallus, patria Andegauenſis, Societatem complexus anno ſalutis 1590. ætatis ſuæ 23. ſpiritualium in ea Coadiutorum gradum ſortitus eſt & religioſe obiit. Pariſiis die IV. Aprilis anno 1625. Edidit

Exercitia vtiliſſima ad vitam ſecundum Dei præcepta inſtituendam. Pariſiis apud Sebaſtianum Chappelet 1625.

* PETRVS CHASTELAIN natione Gallus, patria Siluanectenſis, natus anno ſæculi præterfluentis VI. Societatis inſtitutum capeſſiuit 1624. & votis in ea 4. ſe illigauit. Profectus in Americam ſeptentrionalem ad lucra animarum, triginta ſex annos iam vineam illam nauiter colit. Edidit latine

Affectus animæ amantis Ieſum, ſeu Exercitium amoris pro tota hebdomada. Pariſiis apud Dionyſium Bechet 1648 in 4.

PETRVS CHIRINVS natione Hiſpanus, patria Oſſunenſis in Bætica diœceſis Hiſpalenſis, cùm Iuris vtriuſque ſtudiis operam nauaſſet, & magiſterii gradum eſſet adeptus, ſæculo renunciaturus, Religionem noſtram conſilio Auguſtiniani cuiuſdam, ex omnibus potiſſimum elegit, in eamque anno 1580. adſcri-

ſcriptus eſt. Deinde ad normam noſtri inſtituti conformatus, & Philoſophicis, & Theologicis diſciplinis eruditus, in Luſonias ſeu Philippinas Inſulas miſſus eſt, vbi xx. & amplius annos tum Superioris, tum operarii muneribus obeundis vtiliter operam poſuit. Plenus dierum & meritorum Manilæ obiit anno 1634. ætatis 78. Societatis 55. ab editis 4. votis 40. Is cum veniſſet in Vrbem à ſua Prouincia delectus Procurator, ibi in lucem edidit quam ſcripſit hiſpanicè egregiam

Hiſtoriam de Luſonijs, ſeu Philippinis Inſulis ac de Noſtrorum in illas aduentu, laboribus, fructu & Gentium illarum ad Chriſtum conuerſione. Romæ apud Stephanum Paulinum 1604. in 4.

* PETRVS DE COLINDRES natione Hiſpanus, patria Hiſpalenſis natus anno ſæculi euoluti 99. Societati ſe addixit voluentis 16. & vota 4. profeſſus in ea eſt. Docuit humaniores litteras. Concionatorem multis annis & operarium in Templo egit. Rexit Collegium Aſtigitanum, & in patrio ſolo Hiſpali denatus eſt die IV. Februarii 1668. Scripſit teſte R. P. Petro de Alua de militia Immaculatæ Conceptionis

Triumphum de Peccato Originali. Aſtigii 1641. in 4.

PETRVS COTTONVS natione Gallus, patria Foreſianus ex Diœceſi Lugdunenſi, natus eſt Nerondæ die 7. Martii anno 1564. cum illi Oppido pro Rege præeſſet Guichardus eius parens Cheneuouſii Toparcha. Hæreticos à prima ætate mirum quantum auerſatus eſt, ducto à parentibus probiſſime Catholicis eo ſalutari odio. Rodumnæ datus in diſciplinam Magiſtro, qui Caluinum clàm ſequebatur, vbi primum id ſubodoratus eſt, parentem admonuit, & mox ab illo abſtractus eſt. Adhæſit illi tamen impreſſa ab eo inſtitutore in Societatem noſtram auerſio tanta, vt occurſum etiam atque conſpectum noſtrum omni ope vitaret: & Pariſiis compulſus à Comitibus ſuis aliquando in aream ingredi Collegii, id pro magna noxa poſtridie confeſſus ſit. Operam Philoſophiæ dedit Pariſiis, Iuriſprudentiæ Biturigibus, magno vtrobique pietatis & innocentiæ exemplo. Studia deinde Taurini proſecutus eſt, vbi ab Angelo tutelari vetitus eſt in aquas lauandi ſui cauſa deſcendere, quæ occulto gurgite duos illa ipſa die iuuenes hauſerant. Interim vt fit in Noſtrorum ſenſim conſuetudinem adductus, dum de ſtatu vitæ deliberare cæpiſſet, illam ipſam præ aliis vitam elegit, quam tantopere diu fuerat auerſatus. Aronam igitur ad Tirocinium ponendum profectus eſt, adulto Septembri, anno ſalutis 1583. cum ageret xx. ætatis, & parentis molitiones, qui omni ſtudio conatus eſt eum abſtrahere, ſua conſtantia fregit. Tirocinio per omnia virtutum exempla peracto, Mediolanum ad Philoſophiam recolendam miſſus eſt, vbi præter virtutem, ingenii etiam ſui, & memoriæ vaſtitatem ad vſque miraculum patefecit. Hic à pia quadam Virgine, ad quam datus comes Patri è noſtris adierat, admonitus eſt, vt humilitati ſtuderet impensè, niſi vellet ſibi olim perniciem, & Societati adferre, quando magno Regi futurus eſſet in pretio. Monitum ceu Diuinitùs datum, habuit cordi, & ſtudioſius ex eo tempore ſe dedit humilitati. Romam vocatus ad Theologiam, à P. Nicolao Bobadilla vno ex decem primis Societatis Patribus, hoc Epiphonemate in primo complexu exceptus eſt, *Hic Gallus pluris erit quàm decem Hiſpani.* Poſt annum remiſſus in Galliam reliquum Theologiæ ſpatium Lugduni confecit. Morum illi ac Sermonis mira erat ſuauitas & moderatio, ſenſus de ſe ipſo nullus, de cæteris egregius. Nulli eſſe moleſtus, neminem à ſe triſtem dimittere, rerum alienarum minimè eſſe curioſus; loquendi de illis parciſſimus commodare omnibus prolixus. Nutus Superiorum illi eſſe pro imperiis, animum illis ſuum ſemper apertum habere, illos impensè obſeruare, & iiſdem carus viciſſim eſſe: Sibi vni hoſtis ac durus, paucas horas dormire, mediis crebrò noctibus ad orandum ſurgere. Erga Deum & Superos tenerrima pietate ferri, ſemper in Diuino conſpectu verſari. Venerabilem Euchariſtiam quotidie hora quarta diei ſalutare; ſacro ſemel intereſſe, iterum miniſtrare; Cuſtodem Angelum eximiè colere, ac ſemper habere præſentem. Hi mores illi Lugduni fuere. Cùm autem eluceret in eo magna dicendi gratia, Sacerdotio initiatus eſt, & iuſſus per Quadrageſimam anno 1592. publicè concionari, tanta id fecit commendatione, vt ex illo nunquam concionari deſierit, & omnino tricies & quinquies Quadrageſimalem concionum curſum abſoluerit, cum interim & conſcientiæ Quæſtiones Auenione biennio explicuerit, & aliis ſe Societatis miniſteriis ſtrenuè impenderit. Anno 1598. Aquas-Sextias ab Archiepiſcopo vocatus ad Conciones, cùm eſſet inuidia primarii Viri coactus medium Quadrageſimæ curſum abrumpere, nullo moleſtiæ ſigno eam accepit iniuriam, & ad oppidulum Auſanum profectus, operam ſuam ruſticis lætus impendit. Hic viſus haud ſemel eſt inter orandum radiato capite, totòque corpore miro circùm fulgore coruſcans, quo ipſo tempore primum cæpit inter orandum acerbiùs à Dæmone vexari diſſonis vocibus, fætoribus teterrimis, inſanis ſpectrorum ludificationibus, quas ipſe deſpiciendo hoſtem, conſtanterque orando ſuperabat: Gratianopolim anno ſequente inuitatus acceſſit, vbi in Domini Deſdiguierii adhuc hæretici familiaritatem venit, per quem demum innotuit Henrico IV. Regi. Multa hic bella cum vitiis, multa cum Hæreticis miniſtris ſuſcepit, & à Martyrio vix latum vnguem abfuit: nam ad-

miſſus ad ipſum opifex quidam mechanicus, velut conſulturus de fide, in fauces inuolauit, eliſurus animam, niſi ad obnitentis Cottoni ſtrepitum excitati Socius & famulus, accurriſſent. Nemauſi quoque cum in Miniſtros acriùs inueheretur, iamque plebis animos cæpiſſet ad fidem mollire, & famæ, & vitæ ſubiit haud vnum diſcrimen. Sed ille aduerſis omnibus ſuperior, adeo non ceſſit loco, quod illi voluiſſent, vt ſedem etiam ſtabilem ſibi ſuiſque ibi fixerit, ipſis inuitis. Hic in vna diſputationum cum Miniſtris ſuſceptarum omnes admirabilitate ſuæ memoriæ fecit attonitos: nam cum Miniſter plurimas Sanctorum auctoritates, contra Tranſubſtantiationem ex inopinato recitaſſet, quibus obrutum iri Cottonum exiſtimabat; Cottonus pauca prolocutus, omnes ab vltima ad primam retexuit, explicauitque & ſic diſputationem diremit. Gratianopolim reuocatus, atque inde Maſſiliam, mox Aquas-Sextias progreſſus, vbique mirabiles fecit motus animorum, & corruptiſſimorum quiqui erant, morum caſtigationes. Anno 1603. Aquis-Sextiis ad Regiam accitus eſt, volente Henrico IV. Rege Chriſtianiſſimo, qui Societati in Galliam reuocandæ ab exilio videbatur initium dare, & ab Deſdiguierio, homine licet Hæretico, quantum valeret concionando Cottonus, intellexerat. Venientem Rex arctè complexus, longo colloquio detinuit, auditumque aliquoties pro concione, cum ipſi mirificè, atque aulæ vniuerſæ placuiſſet, ad ſuas etiam Confeſſiones adhibuit. Adeo animum Regium illicò occupauit. Arelatenſem illi deſignarat aliquanto ſeriùs Archiepiſcopatum, niſi optimis modis Cottonus obſtitiſſet. Suo illum curru vexit ad templum Rex aliquando, & manu prehenſum, ſuggeſto vt concionaretur, admouit. Quos inter fauores adeo nihil eius animus inſolentior effectus eſt, vt gratia Regis vix aliàs vteretur, quàm vt altiùs illi de ritibus Eccleſiæ exiſtimationem rectam imprimeret, & quàmplurimos è Primarijs adduceret ad Chriſti caulas. Inter hæc proſpera, ne materia deforet tolerandi, cum aliquando ſub noctem Domum reueheretur, ſicarius carpento poſt tergum conſcenſo, altum illi vulnus per humerum ad pectus inflixit, quod ne lethale foret, B. Virgo gladio in diuerſa dimoto, effecit. Rex vbi cognouit dolore percitus, Regia Cottonum cura procurari iubet, & exquiſita diligentia in percuſſorem inquiri, dicebatque optandum potuiſſe videri hoc vulnus vt ipſe intelligeret quantum ab hominibus, & homines quantum ab ipſo Cottonus amaretur. Paucis diebus perſanatus, concioni ſe reddidit, & frequentibus appetitus calumnijs, tam æquo ac placido vultu inter ea diſcrimina, quàm ſolebat inter Sacra, verſabatur. Romanam Purpuram quam Rex illi magnis votis deſtinabat ita deprecatus eſt, vt Regi perſuaſerit, ne ſibi quidquam etiam impoſterum dignitatis Eccleſiaſticæ procuraret. Delphini tamen eum educationi præfecit anno 1608. quem in eam pietatem inſtituit, qua Regnum poſtea diu perfruitum eſt. Sæpe conatus eſt Aula excedere; ſed nunquam id bona Regis gratia potuit. Retinebat autem inter innumera Aulæ negotia tam immotam animi tranquillitatem, tantam Diuinis in rebus attentionem, vt Pater Bariſonus inde Romam regreſſus, nullum ſe diceret ex ea aula referre miraculum grandius, quàm illam Cottoni liberrimam occupationem. Anno 1609. mirabile à Deo donum conſecutus eſt, & in omnem deinceps vitam conſtans, vt nimirum vel inter dormiendum, expedita rationis exercitatione familiariter cum Deo ageret, atque oraret. Anno ſequente cùm Rex crudeli manu ſublatus eſſet, Cottonus inter pias lacrymas, & vota pro eius ſalute concepta, tanta fuit animi æquitate, vt nihil de inſtituto, ſiue meditandi, ſiue cum proximis agendi, ſiue libros ſcribendi mutauerit. Inſtitutio mox illi pueri Regis à Regina Matre concredita eſt, cui eſſet etiam à Confeſſionibus, atque à Concionibus. Hinc nouus in illum depluit nimbus calumniarum; ſed ſicut in rupem. Circumſpectabat ille ſemper num qua pateret via ad abitum ab Aula, quod *vitæ quietioris* incredibili deſiderio teneretur, ſed *nullam* ante annum 1617. aperire potuit. Tum demum bona Regis venia impetrata, Lugdunum abijt ad Tirocinium, ſui, vt aiebat, colligendi cauſa. Sed adeo non fuit illi hoc otium otioſum, vt cùm excurreret ſubinde in vicina, numerarit Socius, anni 1618. decurſu, illum 220. conciones habuiſſe publicas ad populum; tot verò priuatim ad religioſas Familias, vt ſe piguerit numerare. Anno 1621. Burdigalenſis Collegij Rector ſimul & Concionator, eſt conſtitutus, quo in munere quatuor à Deo donis eximijs auctus eſt. Primum fuit, Excellentiſſima de Diuino præſidio in aditu negotiorum fiducia, & demiſſiſſima Diuinæ prouidentiæ in eorum exitu veneratio. Alterum præclara de omnibus, quibus præerat exiſtimatio, vt iuniorum etiam monita, dicta, facta, quæ eſſent cum pietate coniuncta in rem ſuam ſemper conuerteret. Tertium honorifica ratio agendi cum ijs, qui humilitate ac religioſa moderatione eſſent laudabiles. Quarta, Gratia apud homines non vulgaris, magnaque in rebus ſuſceptis ſedulitas, quarum illam parabat ipſi ſanctitatis opinio, morum ſuauitas ſtudium omnibus gratificandi, hanc vero amor quo exarſerat, Eccleſiam, eiuſque gratia Societatem, viris meritiſque florentem videndi; in quod vnum videbatur omnia ſua ſtudia intendere. Anno 1623. Aquitaniæ Prouinciæ Præpoſitus eam ſumma cum laude adminiſtrauit. Aliquanto poſt Franciæ renunciatus Prouincialis, multis lacrymis, tum quietis ſuæ iacturam tum tempeſtatis, quam ſibi iſthic imminere, ac Societati Diuinitus acceperat, atrocitatem

tem deplorauit. Minas illi per id temporis multas aſpectabiliter Dæmon intentauit, ipſo mirante, quod adeò multum illi Deus licere, tunc vellet. Parauit ſe Cottonus ad tempeſtatem excipiendam, atque vnà ad mortem, obita generali totius vitæ Confeſſione, & Spiritualibus per octiduum exercitijs. Nec multò poſt allatus ex Italia liber à Societatis viro docto conſcriptus, Senatus decreto abolitus eſt, & mandata quædam Cottono allata, quæ ſuis omnibus ediceret obſeruanda, inter quæ ipſe febri tentatus, paucis diebus, Sacris omnibus procuratus placidiſſime expirauit. Pariſijs die 19. Martii anno ſalutis 1626. ætatis 63. Societatis 43: ſepultus eſt tanto concurſu hominum, vt exequiarum ordo teneri nequierit. Magnus fuit impetus manus eius, & pedes oſculandi, & Roſaria corpori ad venerationem admouendi, depoſcendique reliquias. Eadem qua deceſſit die, Nancæi mors eius per energumenam innotuit, eadem vel certepoſtera die Valentiæ multa ſe luce conſpicuum piæ matronæ oſtendit, tribuſque alijs Rodumnæ, & Luteriæ nonnullis, cum ſepeliretur. Vir enimuerò fuit Cottonus omnibus planè virtutibus ornatiſſimus, ſed eluxere inter alias, Fidei promouendæ ardor, & indefeſſum ſtudium; fiducia in Deo, caritas, & deuotio in Chriſtum hominem, cuius nomini negabat, ſe quidquam negare poſſe, quidquid peteretur; aſſidua oratio, & in mediis Aulæ tumultibus mentis in Diuina conſtans defixio; tanto in ſuas cogitationes imperio, vt non diſtraheretur, niſi quantum vellet, ſumma in Canonicis perſoluendis precibus attentio, & reuerentia, vt non aliter quam genuflexus, eas recitaret: Summa in ſacrificando pietas; & deuotio, ad quod ſe quotidiana exhomologeſi, ſeſquihoraria oratione, & prælectione Martyrologij comparabat; factum ſemihoraria gratiarum actione proſequebatur; caritas in proximos, quorum ſalutem indefeſſo labore ſemper procurauit. Societatem mirè propagauit, propugnauitque, Religioſis Ordinibus omnibus bene fecit, Hæreticos Eccleſiæ reſtituit. Omnibus omninò commodauit caſtitatem impensè coluit, & virginitatis decus ad extremum vſque obtinuit. Senſus frænabat accurata cuſtodia, & horrore quodam impuritatis, quam etiam in illis, qui ſe illa fæda ſent ex graueolentia neſcio qua, diſcernebat. Corporis domandi cura bis hebdomadatim ieiunabat, ter per Aduentum, quotidie per quadrageſimam, quamuis ſexagenario maior quotidianas haberet conciones. Amabat præterea impensè humilitatem, omnis obedientiæ parentem; æquitatem animi, patientiam, & ſeueritatem in ſe ipſum, quorum ſexcenta ſuppeterent exempla, ſi vacaret. Omitto etiam quæ futura prædixit, arcana peruidit, abſentia cognouit; omitto ſoſpitatem ab eo multis prodigioſè reſtitutam, ſiue dum viueret ſiue poſtquam defunctus eſt, & quæ ſunt alia huiuſmodi, ne quam oportet prolixior ſim.

Scripſit Cottonus Gallice

De Miſſæ Sacrificio; aduerſus Miniſtrum Gratianopolitanum. Pariſijs apud Laurentium Sonnium 1600. in 8.

Apologias pro Matre Dei, & Tractatum De Enormitate Peccati in Apologetico, quo continentur ſeptem Apologiæ. Auenione apud Iacobum Bramerau 1600. in 12.

Interiorem Deuotæ mentis occupationem Reginæ iuſſu auctius denuò editam, quæ in Italicum ab vno è Noſtris conuerſa prodijt. Neapoli apud Tarquinium Longum 1613. in 12.

Epiſtolas Apologeticas De Fide Catholica aduerſus Danielem Chamierium Delphinatem Caluinianæ Sectæ apud Allobroges Miniſtrum.

De modo agendi cum Hæreticis.

Geneuam Plagiariam, in quo opere oſtendit quænam Sacræ Scripturæ loca Caluiniani Geneuenſes in ſua verſione corruperint. Pariſijs apud Sebaſtianum Chappelet 1618. in folio.

Relapſum Geneuæ Plagiariæ. Lugduni apud Carolum Morellum 1620. in 4.

Inſtitutionem Catholicam Lib. IV. aduerſus Inſtitutiones Caluini. Ea Latinè verſa prodiit. Moguntiæ per Petrum Henningium 1618. in 4.

Acta Diſputationis cum Chamierio.

Epitomen eorumdem Actorum

Defenſionem Concilij Tridentini.

Epitomen Controuerſiarum.

Librum contra Miniſtrum Rigordum.

Defenſionem Inſtituti Societatis.

Societatis ſententiam De Tyrannicidio. Lugduni 1610.

Veritatem detectam de Henrico Ieſuita combuſto Antuerpiæ, vt Hæretici calumniabantur

Apologiam pro ſe ipſo contra Anti-Cottonum.

Concordiam vtriuſque Religionis, quod opus Romæ, non Patribus modo, ſed & Paulo V. Pont. Max. cùm placuiſſet, edi iuſſum.

Manuale precum. Flexiæ apud Iacobum Hebert 1624. in 12.

Meditationes De Vita & Paſſione Saluatoris Noſtri Ieſu Chriſti. Pariſiis apud Euſtachium Foſcant. Prodierunt latinè redditæ à M. M. Coloniæ apud Ioannem Crithium anno 1617. in 8.

Sermones de præcipuis Fidei myſterijs in formam meditationum redactos. Pariſijs apud Sebaſtianum Hurè 1617. in 8. Prodierunt etiam Latinè à M. M. Coloniæ eodem anno

Conciones in præcipuos dies Feſtos totius anni. Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoiſy

Deuotionem Caluiniſtarum, quam Germanicè reddidit Matthias Mayrhouius noſter. Ingolſtadij 1610. in 4.

Colloquium coram Henrico IV. Rege Chriſtianiſſimo habitum cum Rigordo Miniſtro. Pariſijs

ſijs apud Dionyſium L'Anglois 1614. in 12.

Orationes Deuotas &c. Pariſijs apud Sebaſtianum Hurè 1615. in 12.

Orationem funebrem de D. Villeregio habitam Lugduni. Ibidem apud Claudium Clariſt. 1618. in 8.

* PETRVS COVRCIER natione Gallus, patria Trecenſis natus anno ſæculi fluentis 8. Societati nomen dedit 1624. & votorum quatuor ſacramento ſe adſtrinxit. Vir multiplice eruditione conſpicuus, docuit in ea Rhetoricam triennio, Philoſophiam quadriennio, Matheſim ſexennio, Theologiam Scholaſticam quinquennio, Moralem triennio. Rexit Domum probationis Nanceianam, Collegium Senonenſe, & nunc dũ hæc ſcribo anno 1674. Prouinciam Campaniæ gubernat. Edidit

Aſtronomiam Practicam, ſeu Motuum Cæleſtium Praxes per Aſtrolabia quædam, quibus ſyderum loca, motus, defectus, facilè pro quolibet tempore cognoſcuntur. Nancæi 1653. & 1655. in 8.

Mariam negotium ſæculorum, ſiue rerum ad Dei Matrem ſpectantium Chronologicam Epitomen à primo mundi exordio vſque ad annum Christi 1660. Diuione apud Viduam Philiberti Chaune 1662. in folio.

De Sectione Superficiei Sphericæ per ſuperficiem Sphericam. Item

Cylindricæ per Cylindricam, & Conicæ per Conicam. Diuione 1662. in 4.

PETRVS DAGONELLVS natione Lotharingus, patria Liſolianus in diœceſi Tullenſi, ingreſſus in Societatem anno ſalutis 1605. ætatis 19. vota 4. in ea nuncupauit. Philoſophiam quadriennio explicuit, deinde in ſalutem proximorum miro ardore incubuit. Nancæi ad ægrotum accerſitus, & ab obuio familiari monitus illum quem adibat ex peſtilenti morbo decumbere, domum è veſtigio rediјt, atque vt ſuſpenſas ea obedientia habebat omnes vitæ ſuæ rationes, Superiori rem expoſuit, impetrauitque vt morbo laborantem liceret ſibi inuiſere. Inuiſit, confeſſionem excepit, inde à Noſtrorum congreſſu ſe abſtinuit, donec conſtaret nullum contagionis eſſe periculum. Ibidem ſeceſſit cum vno ex noſtris fratribus, quem lues inuaſerat, & cum eo in villa ſuburbana per 40. dies verſatus eſt. Pauperum amans, frequenter appetentibus ſolemnioribus anni diebus, mendicabula, quibus exitus viarum obſideri ſolent, congregabat ſimul, & ad Sacramenta deducebat. Ægros inuiſens, vlcera eorum tractabat, ſaniem abſtergebat, & cibum miniſtrabat. Annos natus ſexaginta tres, trigeſimoque à Philoſophia tradita anno à Superioribus obtinuit, vt pueros Grammaticæ elementa doceret, idque triennio toto preſtitit, nihil interim omittens quoad licuit, eorum quæ animarum cauſa ſolebat ſuſcipere. Septimo ante obitum anno votum conceperat, ſe quamdiu valeret, neque Miſſionibus per agros obeundis, neque vinctis in carcere inuiſendis, neque ægrotis in noſocomio conſolandis defuturum, quæ omnia accuratè, atque abundè præſtitit, ſed cumulatiſſimè vltimo vitæ ſuæ anno. Domi ad publicas pœnitentias, & ad vilia quæque miniſteria exemplo præibat. Paucis ante mortem menſibus, tempore vacationum autumnalium obtinuit, vt Ianitoris ordinarij munere fungeretur. Paupertatis ſanctæ adeò amans extitit, vt in defuncti ſupellectile nihil repertum fuerit, præter vilia conſpicilia, & ne Breuiarium quidem habebat, niſi commodatum. Demum ſanctè vti vixerat, ita obijt Muſſiponti die 7. Decembris 1650. Scripſit Gallicè

De Indulgentijs. Nancæi apud Iacobum Garnich 1626. in 8.

Monita Christiana ex operibus S. Franciſci de Sales excerpta. Pariſiis apud Sebaſtianum Cramoiſy 1631.

Doſitheum de Religioſa vocatione. Pariſiis typis iiſdem 1633. in 12.

Speculum Diuitum De Bono Diuitiarum vſu ad cælum promerendum. Pariſiis apud eundem Cramoiſy 1641. in 8. Nomen ſuum in calce dedicationis appoſuit

Latinè edidit

Officium Christiani in vſu Sacræ Communionis. Lugduni apud Claudium Proſt 1647. in 12.

Scalam Sanctorum. Pariſiis apud Sebaſt. Cramoiſy 1638. in 12.

* PETRVS DESNOVRICES natione Belga, patria Audomarenſis, Societati vndeuicennis ſe adſcripſit anno ſalutis 1621. & profeſſionem votorum 4. emiſit. Vir religioſæ admodum indolis, & promouendæ Dei gloriæ percupidus, cuius illuſtria dedit argumenta in concionibus per varias Vrbes per annos 12. & in Sodalitijs B. Virginis, & cura Scholarum, quibus per annos 20. præfuit, magno vbique fructu, & commendatione virtutis. Religiosè deceſſit Audomaropoli die 10. Octobris 1665. Edidit Gallicè

Vitas SS. Martyrum Florentij, Iuſtæ filiæ, & Fratrum S. Florentij ad Aquilam in Veſtinis pro Christo occiſorum collectas ex antiquis Eccleſiarum Italiæ M. ſs. Audomari typis Thomæ Geubels 1654.

Meditabatur opus Morale hoc titulo. *Flos rerum admirabilium* ad quod accurata diligentia materiam congeſſerat in tomos 24. qui cum alijs 12. Concionum tomis aſſeruantur.

PETRVS DIAZ natione Hiſpanus, patria ex oppido Lupiana Regni Toletani, vir excellentis Doctrinæ, & pari laude pietatis, omnique virtutum genere, inter illuſtres Societatis viros imprimis eminens. Ad Societatem acceſſit die 13. Ianuarij anno 1566. ætatis 20. cum ante biennium Magiſterio Philoſophiæ fuiſſet ornatus. Ab ipſo Tirocinio magna fuit illi ſemper cum Deo coniunctio, magnus Diuinarum rerum ſenſus, vt propterea aliud nihil mente, nihil ſermone tractaret. Sacris

cris

cris initiatus mox à S. Patre Franciſco Borgia Præpoſito Generali anno 1572. inter primos in Nouam Hiſpaniam, ſeu Mexicanum Regnum, miſſus eſt, vbi concionibus multum valuit, & gubernandi peritia, præſertim cum accederet opinio ſanctitatis. Præfuit Tirocinio, Collegijs Guadalaxarenſi, & Mexicano, Domui Profeſſæ Mexicanæ, & demum vniuerſæ Prouinciæ. Bis Procurator à Prouincia delectus in Vrbem venit. Sui contemptor, & ſuorum motuum compreſſor fuit egregius; obedientiæ, & auctoritatis tuendæ Præſidum ſtudioſus; cæleſtium rerum amori ſemper intentus; omnino in omni bonarum artium genere præſtans. Magna demum pietate, vti vixerat, ita vita defunctus eſt ingenti luctu, ſuique deſiderio poſt ſe tum Noſtris, tum Externis relicto Mexici die 12 Ianuarij anno ſalutis 1618. ætatis 73. Religionis 53. Profeſſionis 4. votorum 45. Scripſit

Literas de Miſſionibus per Indiam Occidentalem à Noſtris de Societate Inſtitutis per annos 1590. *&* 1591.

PETRVS EVLARD natione Belga, patria Arienſis natus anno ſalutis 1564. totis 24. annis ſeruiuit Noſtris pro miniſtro in Caſtrenſibus Miſſionibus, officio laborioſiſſimo. Obiit menſe Octobris anno 1636. ab inita Societate 51. à ſuſcepto gradu Spiritualis Coadiutoris 35. ſeptuagenario maior. Edidit

Exercitium Chriſtianæ pietatis, ſeu Libellum Sodalitatis B. Virginis. Louanij typis Bernardini Meſſij 1619. & 1620. in 12. & Coloniæ apud Burgenium 1630. in 12.

Concordantias Bibliorum Morales, & Hiſtoricas. Antuerpiæ apud Balthaſarem Moretum 1625. in 4. reliquit etiam

Theatrum Exemplorum ex Baronio ad mores formandos, Ordine Alphabetico in locos communes digeſtum.

PETRVS FABRICIVS natione Polonus in Pago Zadzin Maioris Poloniæ natus, Societatem complexus eſt anno ſalutis 1570. Rexit totis ferè annis 20. Collegia Pultouienſe Iaroslauienſe, Caliſſienſe, Domum vtramque tum Probationis, tum Profeſſorum Cracouiæ. Torunienſem Reſidentiam, frementibus vndique nequidquam Hæreticis primus diu tenuit: demum Prouinciæ Poloniæ Præpoſitus Prouincialis fuit. Aetate prouectior adhæſit ex imperio ſuorum Moderatorum Andreæ Opalinski Epiſcopo Poſnanienſi, & Paulo Vvolucki Epiſcopo Cuiauienſi. Vir fuit multæ orationis, coniunctioniſque cum Deo, nec minoris mortificationis, ſiue externæ, ſiue internæ, diſciplinæ religioſæ tàm in ſe, quàm in alijs tenaciſſimus. Zelo flagrabat animarum, & quocumque veniſſet vel de via, illicò concionibus, Confeſſionibuſque dabat operam, non ſine cumulato fructu. Mortuus eſt Vratislauiæ oppido Cuiauenſis Epiſcopi die 25. Nouembris anno ſalutis 1622. ſeptuagenario maior, exactis in Societate 52. annis, & à profeſſione 4. votorum 22. Tranſtulit in linguam Polonicam

Lucæ Pineli Meditationes de Euchariſtia. Cracouiæ 1604.

Thomæ de Kempis De Imitatione Chriſti. Lib. 4. ex recenſione Henrici Sommalii. Cracouiæ 1608.

Roberti Card. Bellarmini, Tractatus duos, alterum *De Gemitu Columbæ*. Ibidem 1621. Alterum *De ſeptem Verbis à Chriſto in Cruce prolatis*. Ibidem 1622.

PETRVS FELIX DE MOLINA natione Peruanus, patria ex Sancta cruce in Montanis, in Societatem cooptatus anno Domini 1610. ætatis 17. votorum 4 profeſſionem in ea edidit. Vir doctus & Philoſophiam Limæ profeſſus. Gubernauit Collegium S. Bernardi Cuſchi, & mortalitatem exuit anno 1631. Edidit commodo iuuentutis Peruanæ

Syntaxim Carmine Latino.

* PETRVS DE FLORES natione Hiſpanus, patria Lorancanus, diœceſis Toletanæ admiſſus in Societatem anno ſalutis 1574. ætatis 19. & in gradu Coadiutoris Temporalis varia obiuit munera. Religiosè obijt Toleti die 26. Auguſti 1619. Hunc clariſſimus D. Nicolaus Antonius ſuæ Bibliothecæ Hiſpanæ inſeruit, quia ſcripſit

Methodum Artis ſcribendi. Matriti apud Ludouicum Sanchez 1614. in 4.

PETRVS FONSECA natione Luſitanus, patria ex oppido Cortizada, aliàs Proenza à noua, in Prioratu Cretenſi, adoleſcens 20. annos natus 17. die Martij, anno ſalutis 1548. Societatem noſtram ingreſſus grauiores in ea diſciplinas diligenter didicit, & laudabiliter profeſſus eſt; primus qui Vniuerſitatis Conimbricenſis Philoſophia à Ioanne III. Luſitaniæ Rege Societati tradita, Ariſtotelem ibi explicuit anno 1555. iuſſus etiam poſtmodum à Superioribus, Commentarios de Philoſophia conſcribere. Fuit quippe vir eximio ingenio, acri iudicio, prudentia ſingulari. In gubernatione etiam excelluit. Itaque Conimbricenſis Collegii Rector, Domus Profeſſæ Vlyſſiponenſis Præpoſitus Societatis Romę ſub Euerardo Mercuriano Generali Aſſiſtens, denique Prouinciæ Luſitaniæ Viſitator fuit, ter Congregationi Generali interfuit. Quibus in muneribus multa prudenter conſtituit, multa tum ad domeſticos, tum ad externos vtilia, excogitauit, dixit, fecit, & ab alijs fieri curauit. Noſtris integritate vitæ erat exemplo, alienis admirationi, omnibus adiumento. Vlyſſipone Catechumenorum Domus, puellarum quarum pudicitia in lubrico, atque in diſcrimine verſabatur domicilium, Orphanorum item egentium perfugium, Monaſterium Sanctæ Marthæ, Seminarium Hibernorum, aliaque nonnulla publicæ pietatis opera, eius potiſſimum induſtria facta ſunt, & ſanctis legibus ſtabilita, ex quibus magna in Rempub. vniuerſam Luſitanam manat vtilitas. Vocauit ad auxilium

xilium exteris hominibus adferendum Patres de Societate Italos, Belgas, Hibernos, qua ope atque induſtria multos ad fidem conuertit. Pauperes toto Regno curauit publica auctoritate contineri, paſcique, ne vagarentur incerti paſſim, & otio torperent. Comœdos Regno excluſit. Mangones qui capta per fraudes ſeruitia pretio diſtrahebant, coercuit per Magiſtratus: quibus quam indecora ea nundinatio eſſet, atque impia commonſtrauit. Erat enim Fonſeca præſtanti vir auctoritate, & ad perrumpendas difficultates rarâ induſtria, magnanimitate, conſtantia. Quam ob rem Philippus II. Hiſpaniarum Rex Catholicus ipſum inter alios elegit, quos in Luſitaniæ Regno, quaſi Cenſores morumque reformatores eſſe voluit; Epiſcopumque Iaponis primo loco nominauit: atque inter Tutores conditi à Maria Emmanuelis Regis filia teſtamenti conſtituit. Et Gregorius XIII. Summus Pontifex vir admirabili rerum vſu, tanti Fonſecam fecit, vt multa ei committeret non ad Societatem modò pertinentia, ſed etiam ad vniuerſæ Eccleſiæ vtilitatem. Animi eius magnitudo, nulla difficultate territa, quidquid maximè arduum apparebat, aggrediendo facile reddebat. Et inter tantam molem negotiorum ſuis horis omnia faciebat, orare, preces recitare Canonicas, ſacrificare, ſtudere, componere. Ab omnibus pro conſilio quærebatur, ipſe ſumma animi demiſſione, ita conſilium dabat vt facile cuiuis aliter ſentienti concederet. Valuit in animis à mærore recreandis, conſcientia componenda, iuuandis afflictis plurimùm, mirâ ſemper comitate vſus, & modeſtia. Viſebat frequenter ægros. Nullum vnquam verbo offendit, aut violauit. Taciturnitatis laude eximius: aliorum lapſus, & quidquid premendum erat nunquam ille, ne apud vnicum quidem promere, ſi ſolus poterat emendare: quæ monuerat, vbi fuerant emendata, æterna obliuione obruebat: omnes ſolari, omnes complecti. Omnibus tàm Luſitanis, quàm Exteris, tàm Noſtris, quàm alijs erat commune perfugium. Cum autem anno ſalutis 1599. Congregatio Prouincialis celebraretur, euocatuſque ipſe Ebora Vlyſſiponem veniſſet, morbo ipſa in Congregatione grauiſſimo correptus eſt. In ea ægrotatione patientiæ, obedientiæ, & abnegationis ſuæ voluntatis exempla præbuit. Quidquid otij nanciſcebatur in oratione, & pijs cum Deo colloquijs ponebat. Præſcripta Pharmaca promptè hauriebat. Nullam aquæ ſtillam ne in ardentiſſima quidem ſiti, ſine Infirmarij venia admittebat. Erga fratres, qui valetudinem eius curabant, erat reuerentiſſimus, & gratiſſimus. Nuncium mortis pacato animo, & actis gratijs excepit. Mox Sacramenta poſtulauit, & allatam pro Viatico Sacroſanctam Euchariſtiam deuotè allocutus, gratias egit quod ſe ad Societatem ſuam vocaſſet, in eaque ad extremum ſeruaſſet, in qua tametſi haud inculpatè vixiſſet, ſperare ſe tamen de ipſius miſericordia ſalutem. Mox ea cum vberibus lacrymis percepta, erratorum ſuorum veniam ab adſtantibus primum, & per ipſos à reliqua familia, Prouincia, Societate, omnium preces expoſcens rogauit. Extremo deinde oleo inunctus eſt, ſui ſemper ad finem vſque compos, ſuauiſſimè tandem expirauit hora 5. matutina, vti Deum priùs ipſe rogauerat, vt Patrum ſacrificijs poſſet adiuuari die 4. Nouembris anno ſalutis 1599. Vixit annos 71. ex quibus 20. in ſæculo, reliquos exegit in Societate, in qua die 6. Aprilis anno 1564. ſolemnem 4. votorum ediderat profeſſionem. Mortem eius omnes Ordines luctu, lacrymiſque proſecuti ſunt tamquam communis omnium parentis, & qui aberant ab Vrbe Proceres, datis litteris ſuum animi ſenſum teſtati ſunt. Primus ille ex Societate fuit, qui ad conciliandam libertatem voluntatis humanæ cum Præſcientia Diuina, docuit in Scholis noſtris anno Domini 1566. ſententiam De Scientia Dei conditionata, ſiue Media, prout ipſe ſignificat in Metaphyc. tom. 3. lib. 6. cap. 2. q. 4. ſect. 8. Quam poſtea ſententiam Molina, Suarez, Gab. Vaſquez, Leſſius, Annatus, & alij plurimi ſuis ſcriptis illuſtrarunt. Scripſit Fonſeca

In Iſagogen Porphyrij

Dialecticam Lib. VIII. ſæpè excuſam Romę, Coloniæ, & alibi.

Metaphyſica Ariſtotelis, ex Græca lingua in Latinam feliciter tranſtulit, atque eruditis commentarijs illuſtrauit. Tom. IV. Eam tranſlationem tamquam elegantem, & dilucidam commendat Franciſcus Suarez in Indice 1. ad ſuam Metaphyſ. cap. 7. Prodierunt hi Commentarij, Romæ 1577. in 4. & ibidem 1580. Francofurti 1599. Coloniæ 1604. Eboræ 1604. in folio, & alibi.

PETRVS FRANCISCVS CHIFFLETIVS natione Gallus, gente Burgundo-Sequanus domo Biſuntinus Societatem complexus anno 1609. ætatis 17. vota in ea 4. nuncupauit. Vir in omni genere admodum eruditus, Philoſophiam, Linguam Sanctam, & ſacras litteras profeſſus, octogenario maior ſuperſtes adhuc in Collegio Diuionenſi. Edidit latinè, & Gallicè opuſculum

De Oblatione ſui. Gallicè verò

De Praxi quotidiana Diuini Amoris, & Deuotionis erga B. Virginem, Angelos, & Sanctos, Dolæ apud Antonium Binart 1629. in 16. Idem Latinè, Antuerpiæ typis Plantinianis 1631. in 8. Item

Fulgentij Feriandi Carthaginenſis Diaconi opera, iunctis Fulgentij, & Criſconij Epiſcoporum opuſculis cum Notis. Diuione apud Petrum Puliot 1649. in 4.

Scriptorum Veterum quinque opuſcula Alcuini, S. Fulgentij, Rabani Mauri, & Anonymi de damnatione Boringeri cum Notis. Diuione apud Philibertum Chauance 1656. in 4.

Manuale Solitariorum, ex Antiquorum Patrum Carthuſianorum cellis depromptum. Diuio-

Diuione typis iiſdem 1657. in 8.

De illuſtri genere S. Bernardi Clareuallenſis, cum Tractatu Odonis De Diogilo; Chronico Clareuallenſi; Vita S. Bernardi; Vita B. Petri Prioris in Iuliacenſi Parthenone; Tractatu Humberti Turritani Epiſcopi de Miraculis. Diuione eiſdem typis 1660. in 4.

Paulinum illuſtratum, ſiue Appendicem ad Opera, & res geſtas S. Paulini Epiſcopi. Ibidem 1662. in 4.

Hiſtoriam Regalis Monaſterij Trenorcienſis Gallicè ibidem 1664. in 4.

Victoris Vticenſis, & Vigilij Tapſenſis Opera Notis illuſtrata. Diuione typis iiſdem 1664. in 4.

Marij Auenticenſis Chronicon contulit in Tomum I. Rerum Francicarum Andreæ Ducheſnij, & non pauca in Vitas Sanctorum editas à Bollando, Henſchenio, necnon in libros Hermanni Crombach, Philippi Labbei, Samuelis Guichenoni, Stephani Baluſij, Lucæ Dacherij, & aliorum.

PETRVS FRANCISCVS PIOLTELLVS, natione Italus, patria Mediolanenſis Societati adſcriptus anno 1604. ætatis 17. votorum in ea 4. profeſſionem emiſit. Artem eloquentiæ quinquennio. Theologiam Moralem, pluribus annis docuit. Vir fuit ſingulari morum integritate, aſſiduo orationis ſtudio, egregia ſui ipſius deſpicientia, & in corpore caſtigando frequens. Poſtulata, & impetrata à Superioribus profectione in Corſicam, multos in ea vinea excolenda annos fructuosè poſuit, frequenteſque per aſperos illos montes Miſſiones inſtituit, magno lucro animarum. Rexit ibidem Collegium Baſtienſe & laboribus confectus migrauit inde ad ſudorum præmia die 26. Decembris 1646. Edidit Italicè

Remedia contra Peccatum & ſeptem vitia capitalia. Romæ apud Guilielmum Facciottum 1625. in 12.

* PETRVS FRANCISCVS TRESILEVS natione Gallus, gente Burgundo-Sequanus, patria Biſuntinus, natus anno ſæculi præterfluentis 16. Deo ſe in Societate deuouit Romæ 1639. & vota 4. nuncupauit. Philoſophiam ſeptennio profeſſus eſt. Theologiam Moralem annis vndecim in Prouincia Veneta, Placentiæ, Bononiæ, & Fauentiæ vbi modo degit. Edidit Italicè

Speculum in quo practicè videtur progreſſus animæ in amore Dei. Bononiæ per Ioannem Baptiſtam Ferronium 1664. in 16. Item

Religioſam Sacriſtanam, ſeu de virtutibus neceſſarijs Moniali quæ eo fungitur officio. Bononiæ typis iiſdem 1664. in 24.

PETRVS GAMBACVRTA natione Siculus, Domo Panormitanus Deo ſe in Societate annos natus 14. dedicauit anno Chriſti 1559. in qua tantum ingenij bonitate, & ſtudio profecit in litteris, vt publice Philoſophiam, ac Theologiam cæteraſque ſcientias tum in Sicilia, tum in Gallia, tum denique Romæ profiteretur. Vir ſummo conſilio, ac prudentia, quæ adeo ab omnibus admirationi habebantur, æſtimabanturque, vt eum Dynaſtæ quamplurimi, Præſules, Proreges ipſi, denique Vniuerſitates ſæpenumerò conſulerent, quid ſibi agendum in grauiſſimis quibuſque rebus cenſeret atque ſtatueret. Panormi, Collegium ac Domum Profeſſorum cum laude adminiſtrauit; moleſto grauique oppreſſus morbo, multis in eo perferentis animi declaratis indicijs, Deique voluntati ſe tradentis, naturæ conceſſit, Panormi Calendis Septembris anno ſalutis 1605. ætatis 61. editæ profeſſionis 4. votorum 16. Edidit

De Immunitate Eccleſiarum, in Conſtitutionem Gregorij XIV. lib. 8. Lugduni 1622.

Alia ſui ingenij & doctrinæ monumenta reliquit Petrus, quæ Panormi ſeruantur.

* PETRVS GAVLTRVCHE natione Gallus, patria Aurelianenſis, natus anno ſæculi labentis ſecundo, Societati nomen dedit 1624. & votorum 4. Sacramento ſolemni ſe adſtrinxit. Poſt traditas quinquennio humaniores litteras Philoſophiam profeſſus eſt annis 12. Matheſim quinque, Theologiam quatuordecim, & Præfectum ſtudiorum annis 20. egit, hodièque eo munere fungitur Cadomi. Edidit hactenus

Inſtitutionem totius Philoſophiæ cum introductione ad alias facultates. Cadomi typis Ioannis Cuuelier 1653. tomis 4. in 12. & alibi

Mathematicæ totius Inſtitutionem. Ibidem 1653. in 12.

Scopulos nouorum Dogmatum, ſeu Synopſim Propoſitionum, quas damnarunt Summi Pontifices, aduerſus nouorum temporum Nouatores. Cadomi typis iiſdem, ſemel iterumque.

Hiſtoriam Sanctam, explicatis ſimul controuerſijs fidei, Gallicè. Cadomi typis iiſdem iam ſepties editam.

Hiſtoriam Poëticam. Ibidem etiam ſepties impreſſam.

PETRVS GOMEZ natione Hiſpanus, patria Antiquerenſis, diœceſeos Hiſpalenſis prout conſtat ex antiquiſſimis Iaponiæ Catalogis, Societatem vndeuicennis ingreſſus in Luſitania anno ſalutis 1553. profeſſionem 4. votorum emiſit Olyſſipone 25. Ianuarij 1568. docuitque Philoſophiam octennio, Theologiam aliquamdiu & in Inſulis Tertiarijs inſigni zelo atque fructu Apoſtolici ſui ſpiritus rudimenta poſuit; poſtea miſſus in Iaponiam anno 1579. cuius culturam diu atque enixè poſtularat, vineam illam ſpinis incommodorum obſitam in ſummis temporum difficultatibus impigrè excoluit. Præfuit noſtris in Regno Bungenſi primùm; tum totius Iaponiæ Vice Prouincialis Præpoſitus anno 1590. quando Imperator Taicoſama acerrimus Eccleſiæ perſecutor in Chriſtianum nomen ſæuiebat; Eam præfecturam nouennio geſſit. Multos Iapones etiam Proceres ſalutaribus Baptiſmi aquis abluit, alios editis Iaponico idio-

mate libellis ad ſubeundum fortiter pro Chriſto Martyrium opportunè accendit. Denique quamplurimis terra, marique cum naufragio, perpeſſu aſperis exantlatis, & Paſtoris optimi partibus præclarè perfunctus, ad laborum præmia ibidem emigrauit 1600. Vir fuit virtutum planè eximiarum, inſigniter humilis, paupertatis amans, ſui oſor, in pœnitentiam, & corporis macerationem propenſus. Moderatoribus ſuis vſque adeo obtemperans, vt quemadmodum de eo ſcripſit Alexander Valignanus Viſitator Iaponiæ, ad Præpoſitum Generalem, ſuæ expers voluntatis videretur, vrgeretque aſſidue muneris quod gerebat Vice Prouincialis abdicationem. Illius meminit multa cum virtutum laude Georgius Cardoſus in ſuo Agiologio ad diem 1. Februarij. Scripſit Vir Apoſtolicus

Annuas litteras ex Iaponia annorum 1592. *&* 1593.

Epiſtolas de rebus Iaponicis complures ab anno 1572. *vſque ad* 1598. quæ habentur partim Luſitanicè in volumine de rebus Iaponicis edito Eboræ iuſſu Archiepiſcopi Theotonij 1598. partim Italicè impreſſo Romæ 1597.

Hiſtoriam mortis trium Martyrum è Societate, qui anno 1597. *in Iaponia cum alijs Cruci affixi ſunt*. Romæ typis Zannetti 1628. in 8.

Nonnulla de rebus Sinenſibus.

Scripſit præterea lingua & charactere Iaponico

De Excellentia, & vtilitate Martyrij; conditionibus ad illud neceſſarijs, intentione, præparatione, &c. quo plurimum Chriſtianos ad agonem illum animauit 1598.

* PETRVS GONZALEZ DE MENDOZA natione Hiſpanus, patria Madritenſis ex Marchionibus Guardienſibus & nobiliſſimo ſtemmate Ducum de Infantada, iam tum Eccleſiæ Toletanæ Canonicus Deo ſe in Societate mancipauit, anno ſalutis M.DC.IX. ætatis ſuæ XXXIII. & ſolemnem votorum IV. profeſſionem emiſit. Philoſophiam in ea profeſſus eſt, & Theologiam de Moribus. Rexit Collegia Toletanum, Complutenſe, Madritenſe, tum totam Prouinciam Toletanam; vt Viſitator etiam luſtrauit Bœticam. Romam euocatus ad munus Aſſiſtentis pro Hiſpania & Indijs Occidentalibus, aliquot annos eo perfunctus eſt. Demum redux in Hiſpaniam octogenarius migrauit ad Dominum. Madriti die IX. Februarij M.DC.LIX. Scripſit teſte R.P.Fr. Petro de Alua

Tractatum de Matrimonio contrahendo inter Sereniſſimam Infantem Hiſpaniæ Mariam, & Sereniſſimum Principem Vualliæ, Primogenitum Regis Angliæ. 1623. in folio. Item *Conciones Funebres tres; Primam in Exequijs Sereniſſimæ Margaritæ Reginæ Hiſpaniarum*. Toleti 1611. *Secundam in funere Sereniſſimi Philippi III. Regis Hiſpaniarum*. Ibidem 1621. *Tertiam in Exequijs Sereniſſimæ Iſabellæ Borboniæ Reginæ item Hiſpaniarum*. Romæ per Franciſcum Caballum 1645. in 4.

* PETRVS GORSIVS natione Gallus, patria Albienſis, natus anno ſæculi proximè exacti 90. Societati ſe applicuit vertentis 7. & vota 4. ſolemnia emiſit. Octennium profeſſus eſt Rhetoricam, & amœniores litteras, ſexennium Philoſophiam, Septennium Theologiam Moralem, & aliquot annis geſſit Præfecturam ſtudiorum. Vir vitæ innocentia ſpectabilis tantæque tum internæ tum externæ quietis, vt ſupra humana omnia potius, quem nulla res obturbaret, videretur. Naturæ conceſſit Biterris die 27. Aprilis 1661. Edidit Gallicè

Meditationes in omnes Dominicas, & feſta totius anni. Toloſæ apud Ioannem Baude 1643. in 16.

Explicationem breuem in Prouerbia Salomonis cum Notis ſuper locis obſcuris. Pariſijs apud Petrum Menardum 1654. in 8.

Explicationem ſimilem in Eccleſiaſticum cum Notis. Ibidem & iiſdem typis & anno in 8.

Explicationem conſimilem in Eccleſiaſten Salomonis. Ibidem 1655. in 8.

Explicationem in Sapientiam Salomonis. Eiſdem typis, & anno

Saluiani Epiſcopi Maſſilienſis Opera Gallicè reddita. Pariſijs apud Gaſparem Maturas 1655. in 4.

Thomæ à Kempis de Imitatione Chriſti. Gallicè verſum

Poeſim Piam Gallicè Toloſæ apud Colomerium 1655. in 12.

PETRVS GOVEVS DE VICTORIA, natione Hiſpanus, patria Hiſpalenſis, adoleſcens nondum expleto tertiodecimo ætatis anno (prout ipſe de ſe teſtatur) luſtrandæ Americæ percupidus, eò adnauigauit, & plurimis terra, marique defunctus periculis præſertim in mari Pacifico, & circumiectis regionibus, tandem tenuit Limam in Peruuio, & pertæſus rerum humanarum, in Societatem Ieſu tamquam in portum ſecuriſſimum ſe recepit, admiſſuſque eſt Limæ anno ſalutis 1597. die 19. Septembris. Reuerſus poſtea Hiſpalim circa annum 1610. multis annis vixit ea in Prouincia operarius, ſcripſitque Hiſpanicè, dum inter nos eſſet

Nauigationem & Naufragium ſuum in littore Peruano 1610. in 8. quam hiſtoriam Latinitate donauit noſter Ioannes Biſſelius impreſſitque ſub titulo *Argonauticon Americanorum* 1647. in 12.

PETRVS GVEVARA eſt idem qui PETRVS ALAGONA dictus GVEVARA à materna Familia, ſub quo nomine, ipſius iniuſſu prodierat in lucem

Manuale Nauarri in Compendium redactum,

ſtum; quod ipſe recognitum & auctum, ſub ſuo paterni ſanguinis nomine Petri Alagonæ vulgauit.

PETRVS GVSMANVS natione Hiſpanus, patria Abulenſis nobili genere ortus, adoleſcens Societatem amplexus eſt Salmanticæ, anno ſalutis 1577. ætatis 17. & vota 4. profeſſus eſt. Vir fuit prudentiſſimus, & egregijs virtutibus præditus. Rexit Segobienſe Collegium, & Abulenſe, quod patrimonio ſuo opulento auxit, auctorque fuit Eminentiſſimo Cardinali Archiepiſcopo Hiſpalenſi D. Didaco de Guſman ſuo conſanguineo, vt illud tamquam patronus dotaret, multumque vſus eſt idem Cardinalis Petri conſilijs, dum vixit. Obijt Salmanticæ die 6. Nouembris 1620. Scripſit Hiſpanicè

De Bono honeſti laboris, & malo otij, diſcurſus VIII. Matriti typis Regijs 1614. in 4.

Vertit prææterea Hiſpanicè ex Latino

Vitam S. P. Franciſci Xauerij Orientis Apoſtoli e Societate Ieſu ſcriptam ab Horatio Turſellino.

PETRVS HALLOIX ſiue HALLOSIVS natione Belga, patria Leodienſis Societatem anno 1592. ætatis 20. ingreſſus votorum 4. nuncupatione ſe obſtrinxit. Vir in Eloquentia, Hiſtoria, Græca, & Latina lingua eminens, ſumma & ingenij acrimonia, & iudicij præditus. Nec minor fuit in eo virtutum laus. Ab ipſo tirocinio carni edomandæ deditus, toto decennio cilicium à corpore vix remouit, donec illud iuſſu Superioris cum cingulo cilicino commutauit, quod etiam per annos integros diu noctuque non dimiſit. Iuſſus tandem à Patre Oliuerio Manaræo illud deponere ob inualetudinem, eius loco ſub mediam noctem ad orandum, & ſe flagellis cædendum ſurgebat: ſemper vſque ad ſeptuageſimum ætatis annum, quando ipſum attritæ vires, mitiores corporis afflictationes ſuſcipere compulerunt. Humi fere tantum, nec niſi quatuor aut quinque horas ſomno dabat. Ideóque quamuis grauiſſimè laboraret iam ſenex, tamen integra tempora rerum Diuinarum Meditationi & examini conſcientiæ deſtinata, flexis genibus impendebat. Nihil inchoabat inconſulto Deo, nec ſtudere incipiebat, niſi prius hymnum Veni Creator Spiritus pronuntiaſſet. Summus illi ardor fuit in colenda Sanctiſſima Trinitate, & tenerrimus in Ieſum, Sanctiſſimamque eius Matrem affectus. His & alijs virtutibus conſpicuum, Deus ad meritorum præmia euocauit Leodij in peruigilio feſti Sæcularis S. P. N. Ignatij XXX. Iulij 1656. Edidit

Triumphum Sacrum SS. Terentij & Socij Martyrum in translatione Sacrorum corporum ipſorum Atrebato Duacum in Templum Societatis Ieſu Duaci 1615. in 8.

Anthologiam Poeticam Græcolatinam. Antuerpiæ typis Nutianis 1617. in 8.

Vitam & documenta S. Iuſtini Philoſophi, & Martyris. Duaci typis Balthaſaris Belleri 1622. in 8.

Illuſtrium Eccleſiæ Orientalis Scriptorum, qui primo & ſecundo à Chriſto ſæculo vixerunt, vitas & documenta duobus Tomis. Duaci typis Petri Bogardi 1633. & 1636. in folio.

In his duobus Tomis, quæ ex Græcorum Meneis deſumpta ſunt, complura ipſe ex Græco interpretatus eſt.

Item S. Dionyſij Vita notis & quæſtionibus illuſtrata, quæ habetur tomo I. Scriptorum Eccleſiæ Orientalis, inde petita extat in Editione Operum S. Dionyſii facta poſtremo per Balthaſarem Corderium noſtrum, tom. II.

Tranſtulit & ex Italico in Latinum

Annuas litteras è Iaponia annorum 1609. & 1610. Item

Vitam Camilli de Lellis Fundatoris Clericorum miniſtrantium Infirmis. Antuerpiæ typis Moreti 1623. in 8. Edidit etiam

Origenem defenſum, ſiue Origenis Adamantij vitam virtutes, & documenta. Leodii typis Houiorum 1648. in folio. Verùm hic liber à S. Inquiſitione Romana certis de cauſis in album prohibitorum eſt relatus, donec corrigatur.

Plura parabat prælo, ſed mors interceſſit.

PETRVS DV HAMEAV natione Gallus, patria Perticenſis in Diœceſi Carnotenſi, natus anno 1589. Societati ſe adſcripſit 1606. & vota 4. nuncupauit. Vir indefeſſo ſtudio, in concionibus diſertus in paucis, in negotiis perſpicax & acer, in Confeſſionibus audiendis aſſiduus. Philoſophiam quadriennio prælegit, Collegio Molinenſi, & Alenconienſi Reſidentiæ præfuit. Ereptus eſt inopina morte, contracta peſtifera lue inter audiendas (vt creditum eſt) Confeſſiones, Molinis die 25. Iulij anno 1631. ætatis 42. ab inita Societate 25. Edidit Gallicè

Vitam Margaretæ à Lotharingia Ducis Alenconienſis. Pariſijs apud Cramoisy.

Illuſtrium LX. V. Cardinalium Galliæ res geſtas eleganti ſtylo conſcriptas poſt ſe reliquit.

PETRVS HAMERIVS, natione Belga, patria Montanus, natus anno ſalutis 1570. Societatem iniit 1589. & vota Spiritualium Coadiutorum emiſit. Docuit Humaniores litteras, & Sacram Scripturam eſt interpretatus. Conciones multis annis ad populum habuit. Obiitque Ipris die 24. Iulij 1640. Edidit

Quadrigam Pietatis. Ipris apud Franciſcum Beller 1610.

Conciones 40. de Aduentu, ſeu de Annunciatione B. Virginis, ſuper Miſſus eſt. Antuerpiæ ex Officina Plantiniana Moreti 1628. in 4.

Immortuus eſt aſſiduis lucubrationibus vir ſenex cum pararet

Menologium Sanctorum . in folio . Item

Conciones de S.P.N. Ignatio per eius Octauam

PETRVS HERNANDEZ DE OVALLE, natione Hiſpanus, patria Placentinus, edidit omiſſo Societatis nomine

Obligationum ex quibus tenemur colere Sanctos Angelos noſtros Cuſtodes . Part. II. Item

Aliquot alios Tractatus Spirituales

* PETRVS HIERONYMVS CONTINENTE natione Hiſpanus, patria Azuara in Aragonia, natus anno ſæculi præteriti 87. in Societatem ſe recepit prætereuntis 5. & votorum 4. profeſſionem emiſit. In ſalute animarum procuranda fuit oppidò induſtrius; ad carceres, ad noſocomia frequens adibat: aſſiduam Domi confitentibus, & foris in miſſionibus operam dabat; Præco Euangelij inſignis, perſpicuitate qua pollebat, res obſcuras, comparationibus, ſimilitudinibus, exemplis, ad vulgi captum dilucide explicabat. Tandem plenus dierum, ac bonorum operum, & maturus cælo obdormiuit in Domino Cæſarauguſtæ poſtridie Calendas Auguſti 1651. Poſt obitum prodijt illius opus idiomate Hiſpano

Prædicatio ſalubris & frugifera, vbi exhibentur motiua ad alliciendos peccatores in viam ſalutis æternæ. Cæſarauguſtæ typis Didaci Dormer 1652. in 4.

* PETRVS DE HORTIGOSA natione Hiſpanus, patria Ocanienſis Toletanæ diœceſis, Societatem amplexus anno Domini 1564. ætatis 17. vota 4. ſolemnia nuncupauit. Ad lucrandas Deo animas traiecit in Indiam Occidentis Solis, & primus de Societate Mexici Sacram Theologiam profeſſus eſt, multiſque annis eam ſpartam egregiè ornauit. Rexit etiam Collegium Mexicanum & concionatoris munere diù perfunctus eſt. Demum octogenario maior & religioſæ vitæ meritis cumulatus ad laborum brauium euolauit, Mexici die xi. Maij 1626. Moriens duos tomos prælo mandandos poſt ſe reliquit de ſelectis Theologiæ Quæſtionibus, qui in Collegio Mexicano conſeruantur. Scripſit latinè, & clara methodo

Concilij Mexicani Decreta, Seſſiones, & Canones, quibus condendis ipſe vnus ex præcipuis Theologis interfuit. Opus typis poſthumis excuſum eſt, ab Illuſtriſſimo D. Petro de Moia de Contreras Archiepiſcopo, & Prorege Mexicano, qui eius in Theologia diſcipulus fuerat. Mexici 1627. in folio

PETRVS HORTIZ, natione Hiſpanus, edidit

Quadrageſimale concionum ſuper Miſerere. Ita Poſſeuinus qui poterat illum noſſe, in Apparatu ſacro, ſed cuius prouinciæ fuerit in Hiſpania, aut vbi obierit, non explicat. Illius etiam meminit Fabianus Iuſtinianus ex Congregatione Oratorij, in Indice vniuerſali ſuper Pſalmum Miſerere; & cum plures fuerint in Hiſpania illius nominis, exiſtimamus Scriptorem illarum Concionum fuiſſe patria Hueteſem diœceſis Conchenſis, admiſſum Romæ, tum Sacerdotem, in Societatem anno 1568. die 27. Decembris, & obijſſe Matriti 1590. die 16. Iaanurij.

PETRVS HVGO, natione Heluetius, patria Lucernenſis, iuuenis annos natus 19. ſe dedit in Societatem anno ſalutis 1606. in qua ſolemnia 4. vota 1625. nuncupauit. Rhetoricam quadriennio, Philoſophiam quinquennio profeſſus eſt. Vir fuit laboris indefeſſi, zeli animarum planè eximij, triginta ſex annos continuos, ſemper & cum laude auditus eſt ex ſuggeſtu ad populum dicere, & Ambergæ in Superiori Palatinatu Superior, Catholicæ Religionis fundamenta iecit. Rexit etiam Collegium Friburgenſe in Heluetia, vbi ex inopinato oppreſſus Catharro, intra ſex horas ex mortali vita tranſiuit ad immortalem die 19. Decembris 1651. Edidit

Vitam Nicolai de Rupe Anachoretæ Subſyluani in Heluetia Friburgi Heluetiorum per Vvilhelmum Darbelloy 1636. in 12. Quæ recuſa, inſerta eſt à noſtro Godefredo Henſchenio Actis Sanctorum Martij Antuerpiæ 1668. in folio. Scripſit etiam

Apologiam vniuerſalem Catholicæ Romanæ Fidei Germanicè Friburgi 1651.

PETRVS HVRTADVS DE MENDOZA natione Hiſpanus, gente Cantaber domo Valmaſedanus, ætatis ſuæ 17. Chriſti M.D.XCV. anno die 12. Septembris Societatem Salmanticæ eſt amplexus, & in ea Philoſophiam Pompeiopoli, Theologiam Valliſoleti, & Salmanticæ per annos triginta cum laude docuit. Eius Indoles, & ingenium lucent in ſcriptis, quæ vulgauit; ea vix ſine titulo laudis à doctis huius ſæculi Scriptoribus citantur. Præfectum egit ſtudiorum in Collegio noſtro S. Ambroſij Valliſoletano, ac Salmanticenſi; & S. Inquiſitionis Cenſorem, ſeu, vt vocant, Qualificatorem. Vir fuit ingenio acerrimo, doctrina eximia, nec minus encomium ab integerrimis moribus, & regularis diſciplinæ obſeruantia promeritus. Quam teneræ in tanta eruditione conſcientiæ fuerit, id vnum argumento eſſe poterit, quod nunquam cubitum conceſſerit, quin priùs Sacramentali confeſſione ſe expiaret. Acciditque non ſemel, vt iter agens, perueniensque ad locum vbi Sacerdotis copiam non haberet, rurſus ſe viæ commiſerit, nonnullaſque leucas confecerit, donec ſe ad pedes Confeſſarij expetiti ſiſteret. Deſijt porro viuere inter mortales Matriti die x. Nouembris

bris 1651. funus cohoneſtarunt multi Dynaſtæ Hiſpaniæ & inter eos Comes de Lemos, cui fuerat à Sacris confeſſionibus, pulla veſte indutus, in ſignum mœroris ob iacturam tanti viri. Edidit

Commentarios in vniuerſam Philoſophiam, ſextò minimùm recuſos qui poſterioribus editionibus ab anno 1624. auctiores & correctiores prodierunt

Commentaria de Fide, Spe, & Charitate duobus Tomis Salmanticæ apud Hiacynthum Taberciel 1621. in fol.

De Incarnatione Verbi Diuini Tom. I. Antuerpiæ apud Martinum Nutium 1634. in folio

Parabat prælo *Tomum II. in III. Partem D. Thomæ* qui M.S. cuſtoditur in Collegio Salmanticenſi, & præterea

Commentarios in I. Partem, ſed illis mors ſuperſedere coëgit

PETRVS IARRICVS natione Gallus, pàtria Toloſas, Societatem ingreſſus anno Domini 1582. ætatis 17. votorum 4. profeſſionem edidit. Philoſophiam, & xv. continenter annos Theologiam Moralem in Academia Burdegalenſi prælegit. Virtutum omnium religioſarum exempla tum in vitæ decurſu luculenta, tum in ſupremo morbo exhibuit, & delata ad ipſum de morte imminente Medicorum ſententia, ſereno vultu, mente quieta nuncium excepit. Bene habet inclamans, *veni Ieſu Chriſte, & ſane non inexpectatus aduenies.* Obijt Xantonibus anno ſalutis 1616. ætatis 51. Scripſit Gallicè pereleganti ſtylo

Theſaurum rerum Indicarum Tom. III. Burdigalæ 1608. & ſequentibus, & Latinè M. Matthia Martinez interprete Coloniæ per Petrum Henningium 1615. in 8. In hoc opere Catholicæ Religionis, tam in India Orientali, quàm in alijs Regionibus Luſitanorum opera nuper detectis, ortus, progreſſus, incrementa, & maximè quæ à PP. Societatis Ieſu, in Fidei plantatione & propagatione ad annum vſque 1610. geſta, atque exantlata ſunt, recenſentur

PETRVS IOANNES PERPINIANVS, natione Hiſpanus, patria Valentinus ex Oppido Elche. Vir fuit ad eloquentiam natus. A prima ætate Deo ſe in Societate dicauit anno à partu Virginis 1551. ætatis ſuæ 21. & cùm ſcientias alias omnes, tum vero Artem dicendi mirabiliter complexus, & vſque adeo aſſecutus eſt, vt cum ſummis noſtri ſæculi Oratoribus conferri poſſe videatur. In Academijs celeberrimis Conimbricenſi, Romana, Pariſienſi, cum ingenti plauſu atque admiratione auditus eſt; omniumque diſertiſſimorum virorum eius æqualium conſenſu, primæ illi eloquentiæ partes deferebantur. Quod ne cui forte amori, non iudicio, amicitiæ non veritati datum eſſe videatur referam hic breuiter, quæ tres ſummi noſtri temporis Oratores, atque eloquentiæ lumina de Perpiniano ſcripta reliquerunt. Q. Marius Corradus in Epiſtola ad Perpinianum; *Marcellus*, inquit, *Frater meus omnino tibi vix vnum, aut alterum confert, plurimarum Artium ſcientia, ſplendore Orationis, acumine iudicij, & omnium elegantia, & grauitate ſtudiorum.* Paulus autem Manutius, Zerbino Ritio de obitu Perpiniani ita ſcribit. *Deceſſit alieniſſimo tempore, cùm ad eum ſalutaris doctrinæ dogmata, de loco Superiore oſtendentem, omnis omnium concurſus fieret, cùm Hæreticæ factionis inſidias patefaceret, impetum frangeret, tela retunderet, deceſſit, inquam, florenti adhuc ætate, nimis immatura morte, ſummo ingenio vir, incredibili ſcientiæ copia, maxima iam apud omnes bene ſentientes exiſtimatione, & auctoritate Perpinianus noſter.* M. vero Muretus: *Nullum noſtro tempore fuiſſe, ait, in quem illud de Neſtore elogium melius conueniat, cuius ex ore melle dulcior fluebat oratio.* Hæc illi: Omitto domeſtica Ioannis Bonifacij, Franciſci Bencij, Horatij Turſellini, Nicolai Orlandini, Franciſci Sacchini, & aliorum clariſſimorum Oratorum de Perpiniano iudicia, nihilo recitatis inferiora. Adoleſcens Perpinianus in Luſitania, cum primis dicendi laude floruit, & in Italiæ & Galliæ luce ſic excelluit, vt paucos haberet pares, ſuperiorem fortaſſe neminem. Hic vir tantus, Lutetiæ Pariſiorum par ingenio & virtuti ſuæ nactus Theatrum, in Religionis Catholicæ propugnatione, annos dumtaxat 36. natus, actis in Societate 15. non minore Catholicorum mœrore, quàm impiorum gaudio, ſpiritum exhalauit v. Calen. Nouembris anno 1566. Habuit, ſcripſitque ornatiſſimas atque elegantiſſimas Orationes 18. quæ in eloquentiæ ſtudioſorum gratiam. Perpiniano mortuo, Noſtrorum opera prodierunt in lucem. Eæ ſunt

De Laudibus S. Elizabethæ Luſitaniæ Reginæ III

De Societatis Ieſu Gymnaſijs.

In funere Ludouici Principis Luſitaniæ.

De Rhetorica diſcenda.

Ad Carolum Borromæum Cardinalem.

De Deo Trino, & Vno ad Pium IV. Pont. Max.

Ad Pium IV. cum Gymnaſium Societatis inuiſeret.

De Acuta dicendi arte recuperanda.

De retinenda vetere religione, ad Lugdunenſes.

De eodem argumento ad Pariſienſes V.

De Humana, ac Diuina Philoſophia.

De perfecta Chriſtiana Doctoris forma. Coloniæ 1575. Romæ, Leodij & alibi. Prodijt quoque eius

De Vita & Moribus B. Elizabethæ Luſitaniæ Reginæ Hiſtoria Coloniæ typis Bernardi Gualteri 1609. in 8.

* PETRVS IOSEPHVS D'ORLEANS natione Gallus, patria Bituris, natus anno ſæculi labentis 41. Societatem amplexus eſt 1659. atque in ea diſciplinas amœniores & Rhetoricam multis annis profeſſus eſt. Edidit hactenus

Carmen in Apotheoſi S. Franciſci de Sales. Pariſijs typis Sebaſtiani Mabre Cramoiſy 1667 in 4.

Car-

Carmen in Imaginem Victorij de Bouthellier Archiepiſcopi Turonenſis. Pariſijs typis eiſdem, & anno, in folio.

Panegyricum dictum Ludouico Magno, *Rhothomagi* apud Iacobum de Boullenger 1673. in 4.

Scripſit Gallicè culto ſtylo

Vitam B. Stanislai Koſtka, Pariſijs apud Stephanum Michalet 1672. in 12.

Meditationes ſupra veritates Euangelij, Pariſijs apud Sebaſtianum Mambre Cramoiſy 1672. in 12.

Praxes Chriſtianas pro ſolitis vitæ actionibus. Ibidem in 12.

* PETRVS IOSSET natione Gallus, patria Burdegalenſis in Societatem adſcriptus anno ſæculi præterfluentis ſeptimo, ætatis ſuæ 18. vota 4. in ea nuncupauit. Rhetoricam annis 14. profeſſus eſt. Sacras litteras aliquamdiu explicuit, & Miſſiones varias magno fructu obiuit. Vir fuit egregiæ probitatis, domeſticis pariter atque externis cariſſimus. Geminis horis circiter aliorum Meditationem matutinam anteuertere ſolitus, & præter alia corporis macerandi genera, perpetuo fere ieiunio ſe attenuabat. Defecit repentina, ſed non improuiſa morte Tutellæ poſt ſacrum peractum repertus in cubiculo ad oratorium abiectus, exanimis, die 1. Maij 1663. emiſit in lucem carmine epico

Franciados, ſiue Annalium Francicorum Tom. I. Rupellæ apud Stephanum de Rhoſne, 1640. in 4.

Annales Eccleſiaſticos Poëticis numeris illigatos. Pictauij apud Ioannem Floreau 1640. in 4.

Genethliacon Delphini Ludouici XIV. Rupellæ 1639. in 4.

Rhetoricam Poeticè deſcriptam. Lemouicis 1650. in 12.

PETRVS IVSTINELLVS, natione Italus, patria Brixienſis, honeſta atque opulenta Domo, matris diu ſterilis precibus ex voto conceptis impetratus, pelliculam ab vtroque pendentem humero, Stolæ Sacerdotalis in morem, ſecum extulit in lucem, futuræ initiationis (vt creditum eſt) omen. Ab infantia Deo deuotus fuit à Matre, & ipſe tam facili fuit ad omnem pietatem ingenio, vt ſanctimoniam videretur ab ipſo iam tum vbere ducere. Vix erat potens ingredi & iam domi corrogabat, quod partiretur in pauperes. Obſeruabat in Templo ac ſubinde exprimebat domi, ritus litantium Sacerdotum, atque ad populum perorantium. Nunquam ille ludicra, vt pueri ſolent, tractare, non ludos publicos ſpectare; ſed otium illud pia lectione domi traducere, & ad ſanctitatem ſe per exempla Sanctorum formare; multus ab illa vſque ætate in orando, atque in ſe macerando atque animi perturbationibus ritè componendis. Sæpe adibat Noſocomia, nec vllum viliſſimi obſequij genus tractare reformidabat. Quàm primum ſtudia cæpit in noſtro gymnaſio colere, ita virtutem iunxit, aliorumque iuuandorum contentionem, vt vtra excelleret vix dignoſceres. Colligebat domi ſuæ ſocios ætate pares, quos per Vrbem ſpargebat, vt pueros plebemque Catecheſi imbuerent, ipſe ſuas in eodem opere partes ita obibat, vt vehementia dicendi ad frequentiſſimum populum in adoleſcentulo id ætatis, & vitæ communis, omnibus faceret admirationem. Ab iſtis deinde concionibus, ibatur ad infirmorum curam, quibus recreandis hoc inuſitatum caritatis genus inuenit, vt inuitatis ſecum ſodalibus peritis muſica inſtrumenta tractare, eos ſono mulceret, & cantu. His ille ſtudijs parabatur à Deo in egregium vineæ ſuæ cultorem; cuius explorato per exercitia Spiritualia nutu anno 1600. ad tirocinium Societatis acceſſit, & ab ipſo ſtatim exordio ad abſolutiſſimam ſe virtutem exercuit, multus in omni genere ſui mortificandi, & in oratione tam ſui potens, vt nullis ſe cogitationibus alienis ab ea diſtrahi fateretur. Studiorum tempore nil de ſui deſpiciendi vexandique contentione remiſit: Sæpe laceris in veſtibus apparebat in publico, ſæpe culinæ officia omnia, ſua ſponte obibat. Quibus diebus feriabatur à ſcholis, accedebat infirmos, atque illis ablutis, cibum præſcindebat, in os inferebat, & pijs interim colloquijs animos paſcebat. Semper quidquid ageret, vbicumque verſaretur, Deum gerebat in oculis, eiuſque præſentiam modeſtiſſima totius corporis atque omnis actionis ſuæ compoſitione præ ſe portabat. Reuerentiſſimè agebat cum Profeſſoribus ſuis, neque vnquam coram illis iniuſſus caput operiebat, nunquam ab illorum opinationibus recedebat. In omni cum æqualibus congreſſu partes ſibi poſtremas ipſe, præterquam ad abiecta miniſteria, vendicabat. Nihil illo promptius ad obedientiam, teſtatus gaudere, ſe quod non penes amplius ſuæ, ſed alienæ voluntati obſecundare, & vel bonorum poſtulatorum repulſa accepta mirificè ſe geſtire. Amorem paupertatis tenuitas ſupellectilis ipſius omnis ſatis loquebatur. Gratiſſima atque amabiliſſima ſua conſuetudine cum inſigni coniuncta virtute, non ſolùm erat omnibus in amoribus, ſed etiam in veneratione, quippè qui omnes accenderet igne Diuino, dexterrimus in familiare colloquium pios inferre ſermones. Nec vacuas ſiuit abire ſucceſſiuas à Theologicis ſtudijs horas, quin pia moliretur opuſcula, bono mortalium, quibus eos ad Euchariſtiæ frequentiam, ad Caſtimoniæ amorem pelliceret, auerteret ab vſurpatione vocum obſcœnarum. Sacris initiatus primam hoſtiam litauit in Hoſpitali, vbi ſe primitias hauſiſſe ſpiritus aiebat. Prius autem quam ad aram accederet, erratorum veniam à ſuo Rectore

preca-

precatus, duodenis pauperibus pedes abluit, & venerabundus exemplo Seruatoris, exterſit. Sacram mox Euchariſtiam ſingulis infirmis ad lectum attulit, & iuſsis in ſua verba ſequi ad actum aliquem contritionis, eam reuerentiſſimè porrexit. Cæterùm cum omnes in illo virtutes admodum eſſent ſpectabiles; tum verò plurimum, ex qua cæteras ducebat, excelluit in aſſidua cum Deo conſuetudine, atque in omnia Diuina propenſiſſima pietate, quantumque prouehebatur per Scholaſtica ſtudia, in æterni Numinis cognitionem, eò etiam vehementiùs in eius amorem, perpete contemplatione rapiebatur, nitebaturque in eius complexum, ex cuiuſuis obiecti intuitione, quod ille ſtudium dicebat eſſe, ambulare cum Deo. Atque his artibus ad eam animi conſtantiam deuexerat, vt nec aduerſis, nec ſecundis euentibus, nec fortuitis vllis caſibus, vultum, nedum animum, variaret. Amabat ardentiſſimè Sacram Chriſti Seruatoris Humanitatem, eiuſque imitatione vehementer optabat aduerſis exerceri, & ſancta quadam inuidia tangebatur quoties audiebat quempiam virtutis ergo contumeliam pati. Impellebat illum hic amor ad inopes ægroſque tanta cum voluptate viſendos, quod in illis præſentiorem, quam in alijs Chriſtum ſuum cognoſceret. Nec fuit illi vana hæc exiſtimatio, nam cum aliquando fixiſſet obtutum in infirmum cæteris grauiùs affectum, ecce vultum eius repentè mutari, & inducta quadam Diuinitatis Maieſtate, prorſus Chriſtum lineamentis omnibus, qualis exprimi penicillo ſolet, referre; quo prodigio primùm ille hærere attonitus, tùm verò liquidiſſima voluptate perfundi. Secundùm Chriſtum veneratus eſt primùm Deiparam, cuius amorem, ceu primam ſalutis teſſeram, omnibus commendabat. Egit Miniſtrum Mediolani, ſocium Tironum Inſtitutoris Nouellariæ, Rectorem totis 13. annis Caſtilione; quibus in muneribus ita ſe geſſit, vt cùm anteactæ vitæ tenorem ſeruaret, longè fulgerent illuſtriùs in excelſo collocata loco eius exempla probitatis; ſubditis ſuis amabilitate morum, virtutis documento, paterna ſollicitudine gratiſſimus exiſtebat. Iubebat ſuos eſſe ad ſpiritualium negotiorum tractationem veloces, & alacres, ad ſæcularia lentos, & ſegnes, quo eodem inſtituto, & ipſe viuebat. Puerilem Catecheſim habebat inter primas curas, tantoque eam opere complectebatur, vt conuocaret ipſe vicatim oſtiatimque pueros, & ad templum ipſe perduceret. Tractabat mira dexteritate exercitia ſpiritualia S.P.N. Ignatij, valebatque gratia res Diuinas hominum animis imprimendi. Ad extremum cum anno 1630. peſtilentia popularetur Italiam Subalpinam, & Caſtilionem etiam inuaſiſſet, ipſe qui ſe poterat periculo ſubducere, in illud ſe vltrò coniecit, vt tàm inſigni caritatis officio præclarè actam vitam coronaret. Cùm ipſe in ægrorum obſequio peſtem quoque contraxiſſet, vetitis omnibus ad ſe accedere, ne cui luem afflaret, poſt Diuini corporis participationem placidiſſimè extinctus eſt die 31. Iulij ætatis ſuæ anno 51. profeſſionis 4. votorum 17. magno ſuorum externorumque luctu, qui niſi periculo fuiſſent prohibiti, frequentes erant ad funebria conuenturi. Fama fuit eius ſepulchro lucem, ſeu flammulam quandam incubuiſſe, indicem, vt credi voluerunt, eius ſanctitatis, quæ omnium erat commendatione celebrata; Nimirum tam multa Caſtilione, tàm præclara ad omnium ſalutem excogitarat, & geſſerat, vt minimè ex vano percrebuerit ea opinio. Ille primus inſtituit, & diù etiam per ſe ſuſtinuit morem bis feſtis diebus toto anno ſermocinandi, maximo quæſtu animarum. Primus induxit, vt in Hibernis pauperum fœminarum conuentibus, quos ibi Filozzos vocant, vbi magno numero ad ducenda fila ſe colligunt, pro fabulis, & inanibus affanijs, quæ denarrari conſueuerant Litaniæ B. Virginis, tum Sacræ hiſtoriæ recitarentur, ac ſubinde pijs ſermonibus tempus, & labor falleretur; cui fouendo operi partiebatur in illas metalla ſacra, imagines, libellos. Cum impia quædam Amuleta certis morborum generibus amoliendis inualeſcerent, ipſe illis exturbandis illicò ſalutares precationes aduerſus vnum quemque morborum concinnauit & libello complexus diſpertiuit in vulgus. Ipſe confecerat Indicem malorum, quæ illo in oppido plurimùm obtinebant, & ſingula ſuis concionibus adorſus, imploratiſque etiam Principum auxilijs, & aliorum Concionatorum conatibus, ea nitebatur extinguere. Narrantur non pauca prodigia, quæ viuens defunctuſque patrarit, quæ ſtudio breuitatis prætereo, alibi fortaſſe narraturus. Edidit in lucem vir egregius ſermone Italico

Modum vtiliter recipiendi Sacram Communionem.

Antidotum contra prauas conuerſationes, & impudica verba. Part. V. Mediolani 1612. in 16.

Triumphum Caſtitatis De Vitio Incontinentiæ. Lib. III. Mediolani 1610. in 16. & Romæ apud Maſcardum 1614. in 12.

Modum deuotè celebrandi Sacrum. Mediolani 1611. & auctiùs. Romæ apud Guilielmum Facciottum 1623. in 24.

Coronam variarum Salutationum B. Virginis. Mediolani 1613.

Ducem Angelicum ad Deuotionem B. Virginis. Bononiæ 1614.

Monile Virginum, & Caſtorum. Brixiæ 1617.

Stimulum Peccatoris ad amorem ſuæ ſalutis.

De Bona educatione.

De Felici morte.

De Deuotione erga B. Virginem.

Lumen Peccatoris vt conuertatur ad Deum. Bononiæ 1621.

Exercitium ſpirituale Chriſtiani hominis.

Dire-

Directorium Breue, & facile confitendi De peccatis præſertim generaliter.

Salutares Precationes aduerſus varia genera morborum.

Modum fructuoſè recitandi Officium Domini, B.Virginis, & aliud quoduis. Romæ typis Corbelletti 1628. in 24.

*PETRVS IVSTVS SAVTEL natione Gallus, Valentiæ Segalaunorum in Delphinatu natus anno ſæculi voluentis 13. Societati ſe addixit 1625. & Rhetoricam atque amæniores litteras annis 12. in ea profeſſus eſt. Vir fæcundi ingenij, morum ſuauitate inſignis, & ſpiritualium Coadiutorum albo adſcriptus. Vitæ huius periodum abſoluit Turnone die 8.Iulij 1662. Edidit

Diuæ Magdalenæ ignes Sacros, & pias lacrymas Epigrammatis, & Elogijs expreſſas. Lugduni apud Michaelem Duhan 1656.in 12.

Luſus Poëticos Allegoricos,ſiue Elegias oblectandis animis,& moribus informandis accommodatos. Lugduni ijſdem typis anno, & forma, & Pariſijs apud Ioannem Henault 1665. in 16.

Annum Sacrum Poëticum, in quo tot Sanctis Epigrammata aptantur, quot ſunt dies in anno. Pariſijs apud Ioannem Henault 1665. in 16.

PETRVS KLINCKART natione Germanus, ad Moſellam in Treuiris Bencaſtelli natus anno ſalutis 1582. Theologiæ curriculo Romæ confecto ex Collegio Germanico in Societatem Ieſu admiſſus anno 1611. & in Germaniam remiſſus Coloniæ, Monaſterij Vveſtphaliæ, Herbipoli, Badenæ, Treuiris, & alibi gnauum egit Eccleſiaſten,induſtriumque Catechiſtam, tria vota ſolemnia profeſſus. Tandem Creutzenaci, obijt die vltimo Octobris 1637. Catechiſticæ inſtitutioni promouendæ præcipuè intentus. Edidit Germanicè

Puerum Bethleemiticum, & Iubileum Natalitium, cantu, & rythmo eleganti. Coloniæ in 12.

Hortulum Cantionum Selectarum, in vſum totius anni. Herbipoli typis Volmari anno 1622. in 12. qui libellus à variis excerptus alibi recuſus eſt.

Cultum & Xenia Chriſti nati. Herbipoli typis Fleiſchmanni 1626. in 12.

Puerum item Chriſtianum iuſto volumine adornauit.

PETRVS LABBE natione Gallus,gente Aruernus, patria Claromontanus natus anno ſæculi elapſi 94. ad Societatem acceſſit labentis 12. & votorum 4. profeſſionem emiſit. Vir eruditione multiplice excultus, docuit Rhetoricam, & amæniores diſciplinas ſeptennio, Philoſophiam quinquennio, Theologiam Moralem triennio, Scholaſticam quinquennio & Sacras litteras etiam triennio eſt interpretatus. Rexit Collegia Arelatenſe, Gratianopolitanum, Lugdunenſe B.Virginis,& poſtea ibidem Sanctiſſimæ Trinitatis, necnon Domum probationis. Edidit hactenus

Carmen Panegyricum Ludouico XIII. Regi Chriſtianiſſimo pro capta Rupella.

Pro gemina Caſalis expugnatione.

Carmen Panegyricum pro Sacra Syndone Veſuntina.

Vitam, & Elogia Ludouici XIII. Regis, nouo LyriciCarminis modo. Lugduni apud Claudium Badieu 1634. in 4.

Edidit etiam collecta in vnum Tomum varij generis

Elogia Sacra, Theologica, Philoſophica, Regia, Eminentia, Illuſtria, Hiſtorica, Poetica, Miſcellanea. Gratianopoli apud Philippum Chacuys 1664.in 4. Item

Euſtachium, ſeu Placidum Heroem Chriſtianum, Poemate Epico cum adiunctis Panegyricis, Siluis, Eclogis Miſcellaneis &c. Lugduni apud Ioannem Thyoli,& Pariſijs 1673. in 12. Gallicè edidit

Actus Virtutum, Vitam Chriſti,& B.Virginis, Attributa Dei, digeſta in Orationes Vocales, & Mentales. Lugduni apud Iacobum 1673. in 16.

Elogia quinquaginta Veterum Eccleſiæ Patrum, & aliquorum Recentium. Lugduni 1674. in 12.

PETRVS LAMART natione Gallus, patria Auxonenſis in Ducatu Burgundiæ Societatem complexus anno ſalutis 1587. ætatis 19. vota 4. in ea nuncupauit. Septennio docuit Humaniores Litteras, quinquennio Philoſophiam, octennio Matheſim, triennio Theologiam de Moribus. Rexit Collegium Viennenſe ad Rhodanum; & ex hac vita emigrauit Dolæ die 19.Septembris 1636.Gallicos fecit libros

Roberti Cardinalis Bellarmini, De Aſcenſione mentis in Deum.

Iacobi Aluarez de Paz, De Vita religioſè inſtituenda.

PETRVS LANSELIVS natione Belga, patria Grauelinganus, Vir pius, & eruditus, magna pollens linguarum Orientalium peritia Græcæ, Hebrȩæ, Chaldaicæ, Syriacæ, Arabicæ. Ea propter cum præcipuas Germaniæ Bibliothecas luſtraſſet, & eximiæ eruditionis ſuæ argumenta omnibus doctis dediſſet, adſcitus iuſſu Philippi IV. Regis Hiſpaniarum Catholici, è Belgio, vt in Regia Madritenſi Academia linguas doceret, diem ibi ſupremum inuenit 16. Auguſti anno ſalutis 1632. ætatis 52. Societatis 44. tria vota ſolemnia profeſſus ab anno 1613. Recognouit,& emendauit.

Sancti Dionyſij Areopagitæ Opera, & Notis illuſtrauit, atque Apologia vindicauit. Pariſijs apud Michaelem Sonnium 1615.in folio.

Extat etiam Tomo I.Bibliothecæ magnæ Patrum. Edidit præterea

Biblia Sacra cum Notationibus Emanuelis Sà, & Scholijs Ioannis Marianæ, & vbi illi deficiunt

ficiunt ſuis. Antuerpiæ ex officina Plantiniana 1624. in folio.

Diſpunctionem Calumniarum, quæ S. Iuſtino Martyri inuruntur ab Iſaaco Cauſabono. Pariſiis apud Michaelem Sonnium 1615. in folio.

* PETRVS LESCALOPIERIVS natione Gallus; patria Pariſinus, natus anno ſæculi præterlabentis 8. Societati ſe adiunxit 1625. & vota 4. nuncupauit. Humaniores litteras octennio profeſſus eſt, Rhetoricam annis 12. & ſacras litteras annis iam 13. eſt interpretatus. In Collegio Diuionenſi viuere deſijt inter mortales die 6. Auguſti 1673. Edidit

Humanitatem Theologicam, in qua præter Libros Ciceronis De Natura Deorum illuſtratos, quidquid ſolo naturæ lumine de Deo percipi potuit ex omni antiquitate, in apertum profertur. Pariſijs 1660. in folio.

PETRVS LOYERTS, SEV LOHIERIVS natione Gallus, patria Britannus ex Britannia Armorica, admiſſus Pariſijs in Societatem anno ſalutis 1566. ætatis ſuæ 24. votorum 4. profeſſionem emiſit. Collegij Pariſienſis Vice-Rector fuit, Billomenſis Rector per ſeptennium, & altero ſeptennio Aquitanicæ Prouinciæ Præpoſitus Prouincialis, demum dum Toloſani etiam Collegij habenas moderaretur religioſe quieuit in Domino die 10. Auguſti 1593. Scripſit erudita

Commentaria in Apocalypſim, quæ tamen morte impeditus, emittere in lucē non potuit.

PETRVS LVDOVICVS natione Hiſpanus, patria Valentinus à puero ferè ſe noſtræ Societati ſacrauit anno Domini 1555. ætatis 16. & in Luſitaniam miſſus eſt, vbi omnes ſcientias feliciter didicit, & feliciter profeſſus eſt. Philoſophiam ſeptennio explicuit, & in Eborenſi Academia per 20. annos Diuū Thomam eſt interpretatus, ac Theologicæ Cathedræ præfuit, ibiq; ſanctè diu vixit, obijtq; die 9. Martij 1602. ab emiſſa profeſſione 4. votorum 25. Scripſit pereruuditos

Commentarios in Tertiam Partem D. Tho. De Incarnatione.

In Primam Partem De Angelis Tom. I. Quæ tamen typis nondum excuſa ſunt.

PETRVS MAILLART natione Belga, patria Iprenſis natus die 9. Februarij 1585. Societati ſe adiunxit 1608. & vota ſpiritualium Coadiutorū emiſit. Rector fuit Collegij Syluæducenſis triennio. In Hollandica Miſſione verſatus eſt annos 22. in qua etiam duros carceres pro Chriſto pertulit, & demum viuendi finem in hoc ſæculo fecit Roterodami die 12. Nouembris 1640. Edidit Flandricè tacito ſuo nomine

Clypeum inexpugnabilem, in quo continetur methodus diſputandi cum Hæreticis, ex Methodo Veroniana Hollandicæ Eccleſiæ accommodata. Item

Rhythmos Pios.

Vertit quoque Flandricè

Antonij Sucquet Teſtamentum Chriſtiani Hominis. Antuerpiæ typis Ioannis Cnobbart anno 1615.

* PETRVS MAMBRVN natione Gallus, patria Aruernus, diœceſis Claromontanæ natus anno ſæculi præterlabentis primo, vicennis ſe recepit in Societatem, & vota 4. ſolemnia nuncupauit. Summi vir ingenij, in ſeuerioribus diſciplinis, & amænioribus ex æquo verſatus. Rhetoricam quinquennio, Philoſophiam nouennio, Theologiam octennio, maioribus in Collegijs cum plauſu explicuit. Multa meditantem ad vtilitatem publicam, præſertim in Ariſtotele nouis Commentarijs dilucidando, mors manum de tabula coēgit tollere, ingenti omnium dolore. In ſupremo morbo virtutum omnium, ſed maximè pietatis in Deum, & B. Virginem, humilitatis, patientiæ, & æquanimitatis exempla rara edidit, & illuſtrem vitam illuſtriori morte concluſit. Flexiæ die vltimo Octobris 1661. Scripſit poēmate Epico

Conſtantinum, ſeu Idololatriam debellatam. Pariſijs apud Dionyſium Bechet 1658. in 4. Recuſum Amſtelodami 1659. in 12. Item

Eclogas & Libros 4. De Cultura animi. Flexiæ typis Geruaſii la Boē 1661. in 12.

Diſſertationem de Poemate Epico. Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoiſy 1655. in 4. quæ omnia vno volumine collecta prodierunt. Flexiæ typis Geruaſij la Boē anno 1661. in folio. Item

Doctrinam Peripateticam, typis ijſdem in 4.

PETRVS MARIE natione Gallus, patria Rothomagenſis natus anno ſæculi tranſacti 89. Societati ſe applicuit vertentis 16. & vota tria ſolemnia profeſſus eſt. Conciones habuit ad obitum vſque, dum enim verba faceret ad populum correptus morbo non diù ſuperfuit, ſed ad laborum mercedem emigrauit. Biturigibus die 21. Aprilis 1645. Scripſit Gallicè

Vias Dei in Sancta ſolitudine, ad reductionem peccatorum, & directionem Iuſtorum. Pariſijs apud Brayos 1638. in 8. Item

Scientiam Chriſti è Cruce pendentis. Pariſijs apud Claudium Gourault 1642. in 12.

PETRVS MARTINEZ natione Hiſpanus, patria Rodenas in Aragonia adlectus in Societatem anno Domini 1594. ætatis 18. votorum 4. profeſſione ſe adſtrinxit. Ad quæſtum animarum nauigauit in Inſulas Philippinas, vbi multis annis gnauum egit operarium in inſtructione, & cultura Indorum, vſque ad obitum, qui contigit Manilæ die 25. Iunij anno 1620. Scripſit

Litteras de Miſſionibus in India ad Occidentem à Noſtris inſtitutis annis 1590. & 1591.

PETRVS MASCARENIA natione Luſitanus, admiſſus in Societatem Goæ anno ſalutis 1557. agebat dein anno 1560. ſtrenuum Salſetanæ propè Goam vineæ Dominicæ cultorem

torem, vbi hominem duos iam annos paralyſi decumbentem, recitato ſuper eum Euangelio perſanauit. Biennio migrauit in Amboinum, vt vexatam ab Rege Ternatino Eccleſiam tueretur. Impigrè hic laborauit vſque ad annum 1568. quo deſtinatus in Regnum Celebum ſpe maiorem fecit frugem animarum. Sanguimi vaſtæ Inſulæ Regem, vnà cum Regina Palatiniſque Proceribus Sacro fonte luſtrauit. Multas tamen ab Ethnicis, Saraceniſque ærumnas perpeſſus eſt, nec ſimplex adijt vitæ diſcrimen. Fuit cum Montem vndique cuſtodijs occuparent, in quo ſciebant, tunc ipſum exiſtere, ſenſimque procedentes ad faſtigium penè conſtringerent, cùm Petrus ſpe iam abiecta euadendi, ad Deum perfugit, à quo recreatus, curſitando per ſalebras euaſit, tam recens, ac vegetus, vt ſe ipſe obſtupeſceret. Aliàs quæſitus ad necem, octo ipſos dies non alio cibo, quàm herbis agreſtibus vitam traxit, ab ipſis ſuis inueſtigatoribus, cùm in eum incidiſſent pro fera habitus, & derelictus, quem mox Chriſtiani repertum, iam inedia propè conſumptum domum retulerunt. Poſt multos vero ſudores, laboreſque non inutiliter collocatos, veneno ab Ethnicis propinato Martyrij Lauream conſecutus eſt in vna Molucarum Inſularum die 7. Ianuarij anno 1570. Sed Sacchinus mortem refert ad annum 1583. Res ab illo geſtas encomio celebrat Georgius Cardoſus in ſuo Agologio ad diem 7. Ianuarij. Scripſit

Epiſtolam de rebus Molucenſibus datam Ternate pridie nonas Martij 1569. quæ Latinè exſtat & Italicè.

PETRVS MATTHIAS natione Belga, patria Hanno-Montenſis Societati nomen dedit anno 1598. ætatis 23. & votorum 4. ſacramentum ſolemne dixit. Vir diſertus, & ſalutis animarum ſitiens per annos 24. primarijs in Vrbibus conciones habuit. Illuſtriſſimo Epiſcopo Namurcenſi per annos complures à Sacris Confeſſionibus fuit, & ob inſignes animi dotes apprimè carus; demum Apoplexia tactus deſijt viuere inter mortales. Namurci die 19. Iulij 1642. Edidit latinè

Tractatum De Paradiſo Cæleſti. Antuerpiæ typis Henrici Aertſens 1640. in 8. Gallicè vulgauit

Exercitium Amoris, ſeu De Stationibus Chriſti patientis. Inſulis 1626. & alibi ſæpiùs

Cœnaculum, ſeu De Virtutibus, quas Chriſtus in vltima Cœna exercuit, Obedientia, Humilitate, & Charitate 1631.

PETRVS MATVRVS natione Gallus, patria Aruernus ex Oppido Ambert in Societatem olim Luteriæ admiſſus initio Nouembris, anno ſalutis 1564. ætatis 19. Vir in litteris Hebraicis, Græcis, Latinis, apprimè verſatus librorumque tum Noſtrorum, tum externorum perdiligens, atque indefeſſus recognitor Lugduni ad typum. Diu litteras humaniores, & Theologiam Moralem docuit. In audiendis pœnitentium tum domi, tum foris Confeſſionibus, ſupra ætatis vires aſſiduus, tanta ſui deſpicientia ſpectabilis, vt vel quid nam eſſet inanis gloria ignorare videri potuerit. Ita neſcio qua mentis teneritudine colliqueſcebat totus cum SS. Trinitatis Myſterium recolebat (recolebat autem ſæpiſſimè maximè ſub diei exortum) vix vt vllus domi eſſet cuius non aliquando pietatem, ea in ſene pietas excitarit. In eiuſdem Sacroſanctæ Triados honorem, Symbolum quotidie D. Athanaſij magno permotus mentis ſenſu decurrebat, affirmabatque eo mortem ſibi placidiorem aduentare, quod ab ea in Sanctiſſimæ Trinitatis Domo (id enim Lugdunenſi Collegio nomen eſt) occuparetur. In Canonicum officium, tàm propenſo erat affectu, vt illud in qualibet ægritudine recitare, nunquam omiſerit. & ad vltimum vſque ſpiritum aliquid e pſalmis ſemper eluctari auditus eſt. Maturus ergo cælo, migrauit è vita Lugduni anno ſalutis 1611. ætatis 66. initæ Societatis 47. in qua Profeſſis votorum 4. annumeratus fuit

D. Antonini Archiepiſcopi Florentini Hiſtoriam collatione aliorum Auctorum locupletauit.

Ioannis Maldonati Commentarium in Euangelia eruditis Annotationibus illuſtrauit.

Antonium Rampelogum diligenter expurgauit.

Edmundi Campiani decem Rationes Gallicas fecit. Lugduni apud Pelehotte anno 1584. in 12.

PETRVS MAVCORPS natione Gallus, patria Vernouienſis in Diœceſi Ebroicenſi. Societatem anno 1615. ætatis 24. ingreſſus vota 4. in ea nuncupauit. Rhetoricam & humaniores litteras ſeptennium docuit. Collegium Cadomenſe gubernauit ſingulari vitæ innocentia; morum ſuauitate, obedientia, caritate præcelluit. In extremo morbo patientiam maximè ſuam probauit, & Sacramentis Eccleſiæ ritè præmunitus, ex loco peregrinationis in patriam cæleſtem commigrauit Alenconij die 4. Septembris 1649. Edidit Gallicè

Tractatus Theologicos De Summo Bono. Rothomagi apud Romanum le Beau 1641.

Paraphraſim in Iſaiam. Flexiæ apud Martinum Gayet 1635. in 8. & Pariſijs apud Camuſat 1644. in 12.

Paraphraſim in Iobum. Flexiæ iiſdem typis 1636. in 8. & Pariſijs apud Camuſat 1637. in 4.

Paraphraſim in Baruch, & 12. Prophetas Minores. Pariſijs apud Claudium le Beau 1647. in 12.

Tabulas Perfectionum Dei erutas ex doctrina Leonardi Leſſij Ibidem 1643. in 12.

* PETRVS DE MERCADO ex Prouincia Noui Regni in America, patria Riobambenſis in diœceſi Quitenſi, origine Hiſpa-

nus

nus,Societati adiunctus anno ſæculi fluentis 36. ætatis ſuæ 16. votorum 4. profeſſionem edidit. Rexit Domum probationis Tungenſem,& Collegium Hundenſe; Concionatorem egit multis annis. Edidit Hiſpano idiomate

Deſtructionem Idoli: Quid dicent? Matriti 1655. in 16.

Methodum operandi ex ſpiritu. Matriti 1655 & iterum 1672. in 16.

Verba Beatiſſimæ Virginis ex Euangelio. Matriti 1661. in 16.

Diarium Sacrum, ſeu modos ad habenda Bona feſta & Bonos dies. Ibidem in 16.

Occupationes Sacras Quadrageſimæ. Matriti 1667. in 16.

PETRVS MERCHAN natione Hiſpanus, patria ex Oppido Bæticæ Guillen adoleſcens Societati adſcriptus anno 1599. ætatis 17. vota 4. ſolemnia profeſſus eſt. Litteras humaniores ſplendidè docuit, & Cordubæ Sacras litteras interpretatus eſt, Græcarum, & Hebraicarum inſigniter peritus. Rexit Collegium Marchenenſe, & Moronenſe, & demum rebus humanis exemptus eſt Hiſpali die 25. Maij 1640. Concinnabat ad prælum

Lexicon Hebraicum quantum ex LXX. Interpretum, & vulgatæ editionis fontibus colligi poteſt. Sed morte præoccupatus non emiſit

PETRVS METOSCITA natione Cyprius, Maronita, hoc eſt, oriundus è Libano in Syria (qui populi Romanam agnoſcunt Eccleſiam, & Maronitæ dicuntur, quorum Romæ Collegium Gregorius XIII. Pont. Max. inſtituit) natus tamen in Cypro, Romæ educatus & in Societatem adſcitus anno Domini 1597. ætatis 27. Arabicas ibi litteras publicè docuit. A Paulo V. Pont.Max. miſſus Babylonem eſt non ſine multis incommodis. Demum Romæ vita functus eſt die 9. Februarij anno ſalutis 1625. edidit

Inſtitutiones linguæ Arabicæ. Romæ 1624. in 8.

Carmen quoque vnum *Ephæmiticum* præfixit Nomenclatori Syriaco Ioann. Baptiſtæ Ferrarij. Romæ 1622.

PETRVS MICHAEL cognomento BRILMAECKER natione Germanus, patria Colonienſis, natus eſt anno ſalutis 1542. & in Societatem ingreſſus anno 1558. die 19. Maij. Poſitis Religionis rudimentis, atque Philoſophicis eruditus Luteriam Pariſiorum miſſus eſt. P. Ioanne Maldonato Præceptore vſus, Sacræ Theologiæ operam nauauit, quem reddita vice Hebraicè docuit. In Societate Rhetoricen profeſſus eſt, deinde & Hebræas litteras, erat enim Germanica, Latina, Hebraica lingua facundus, Græca verò & Gallica mediocriter doctus. Cum eloquentia coniunctam habuit prudentiam, & quoddam excelſum animi robur. Itaque multis Germaniæ Principibus familiaris, & carus fuit, & legationibus ipſorum nomine præclare functus. Vir priuatim & publicè ad hominum vtilitatem natus. Rectorem egit Spiræ annos 6. Monaſterij Vveſtphaliæ 8. vbi ſola in Deum fiducia fretus, licet obolum non haberet, magnificum ædificium pro ſcholis cœpit, & perfecit; atque eadem animi magnitudine Templi noui fundamenta iecit. Erat vir valde humilis, eximia caritate, nullo faſtu, nullo ſupercilio, tempeſtiua comitate, ſimpliciſſimaque prudentia, quibus artibus non modò familiarium ſibi animos, ſed alienorum etiam à noſtro ordine & à ſincera fide aberrantium Societati beneuolentiam conciliauit, multumque in vetere Saxonia Societatis nomen illuſtrauit. Imbecillo quamuis corpore, & viribus defecto, nunquam tamen ceſſabat, ſemper noua remedia excogitabat, quibus vulnera, quæ inflixit Hæreſis ſanarentur. Eius inſtitutione & opera multi Hæretici ad Eccleſiam Catholicam redierunt. Stephanum Iſaacum (qui ex Iudæo malè Chriſtianus, ex Chriſtiano factus miniſter Caluiniſta, in cultum Sanctarum Imaginum eſt debacchatus) ſcriptis confutauit, ac fregit. Ioannem à Munſter Vveſtphalum auitâ nobilitate, & Grammatices cognitione inflatum, & ſtolidè concionantem, atque ad certamen prouocantem, Apologetico ſcripto repreſſit, & ſilere compulit. Ita ſcribendis libris diu labantem eius oræ tractum ſuſtentauit. Quæ res, vt à bonis ei beneuolentiam, ita à Religionis hoſtibus, quos vita, voce, & ſtylo vrgebat inexplicabile odium conciliauit, vt ſæpiùs ad necem, & vincula quæſitus ſit, ſemel etiam atque iterum ab illis circumuentus & per ſpeciem amicitiæ ad menſam inuitatus, inter epulas venenum incautus hauſit. Valida tum quidem amicis adhibentibus antidota, cum acerbiſſimo cruciatu hauſtam pharmaci peſtem eiecit, ita vt in præſens conualuerit vtcumque, ſed interim vi peſtifera viſceribus impreſſa ſubinde repullulante, acerbiſſimè cruciabatur. In hac ſalutis viciſſitudine, multos annos duxit Monaſterienſi Collegio præpoſitus. Medicorum iuſſu variæ biennio extremo tentatæ ſunt aquæ; ac ne tum quidem cum eſſet ad balneas in tam afflicta valetudine licuit eſſe otioſo. Fœminas tres curandæ valetudinis cauſa ibi degentes, Catholicis viris poſtulantibus ab Hæreſi traduxit ad Eccleſiam. Sereniſſimus Bauariæ Dux cùm eòdem veniſſet, ſæpiùs Patrem inuiſit, horaſque multas lecto aſſidens cum ſolo pijs colloquijs traduxit, & Medicis omnem curam ipſius ſollicitudinemque commendauit, ex quibus cum cognouiſſet nullam illi ſupereſſe ſalutis ſpem, & morbus in dies ingraueſceret, propria lectica Moguntiam curauit deportandum, vbi antiquo tandem veneno extinctus eſt, die 25. Auguſti anno ſalutis 1595. ætatis 53. ab inita Societate 37. ab emiſſa profeſſione 4. votorum 16. Scripſit P. Michaël partim Germanicè, partim Latinè

De Communione ſub altera tantùm ſpecie. Item

Sertum peccatorum. Coloniæ apud Quintelium 1561. in 12. Item

De Euchariſtiæ Sacramento Controuerſias per Dialogum, in quibus tractatur, De Corporis Chriſti præſentia, Panis & vini tranſubſtantiatione, vbiquitate, Sacrificio, Communicandi legitima ratione, & veneratione. Coloniæ apud Quintelium 1584. & 1603. in 8.

Catechiſmum.

Chriſtianam & ſolidam detectionem errorum Ioannis à Munſter.

Epiſtolam ad Amicum, qua tamquam ſpongia deterguntur Calumniæ Stephani Iſaaci, ex Iudæ Pſeudo-Chriſtiani.

Quiddiothecam pro Lippienſibus in Fide Catholica; libellum, qui multorum librorum loco de omnibus Chriſtianæ Fidei dogmatibus ita tractat, vt facile cognoſci poſſit, vbi ſit vera fides. Monaſterij Veſtphaliæ 1609. in 8.

Exceptionem Prodromi Caluiniani contra Ioannem à Munſter. Monaſterij Veſt: 1592.

PETRVS MIRALLIET natione Gallus, patria Rhegienſis in Prouincia, adlectus in Societatem anno ſalutis 1604. ætatis 18. votorum 4. Profeſſus. Vir eloquio præſtans, & non ſemel cum Hæreticis congreſſus; per annos 30. Concionatorem egit, & demum in bona ſenectute religioſe obijt Aquis-Sextijs die 29. Septembris 1664. Edidit

Aduerſus Dauidem Euſtachium Miniſtellum, quem improbè exultantem caſtigauit

PETRVS MONODVS natione Allobrox, patria Camberienſis in Societatem cooptatus anno Domini 1603. ætatis 17. votorum 4. profeſſionem emiſit. Rhetoricam, & amœniores litteras quinquennio docuit; Philoſophiam triennio. Rexit Collegium Taurinenſe; Vir fuit qui præter doctrinam, & morum comitatem, prudentiam, virtutem, multum etiam gratia valuit apud Sereniſſimos Sabaudiæ Principes. Sed alteram ſubinde fortunam expertus, eam haud minore animi robore quàm ſecundam tulit. Virtutem eius diuturnæ cuſtodiæ obſcuritas claram fecit, in ea ſiquidem ſingularem Diuini Numinis prouidentiam erga ſe venerabundus ſuſpexit, atque impenſiſſimè dilaudauit. Denique morbo correptus & Chriſtianis Sacris rite præmunitus, ex cuſtodia arcis Miolani, ſimul & corporis, in felicioris vitæ libertatem, vt ſperamus, euolauit, die vltimo Martij 1644. Scripſit Gallicè

Diſquiſitionem Hiſtoricam de Regijs coniunctionibus Sabaudiæ, & Galliæ cuius ille præcipuus eſt ſcopus, vt oſtendat Francorum Reges è Capeto ortos, nullis Regum Principumue familijs ſæpius, quam Sabaudienſi ſanguini fuiſſe coniunctos, addito ſingularum affinitatum breui elogio. Lugduni apud Rigaud 1621. in 4.

Amedeum Pacificum, ſeu de Eugenij IV. & Amedei Sabaudiæ Ducis in ſua obedientia nuncupati Felicis Papæ V. controuerſijs, Commentarium, in quo continetur accurata Concilij Baſileenſis Hiſtoria. Taurini apud Hæredes Dominici Tarini 1624. in 4. & Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoiſy 1626. Hunc Commentarium pene ad verbum deſcripſit, & ad calcem voluminis ſui 17. Annalium Eccleſiaſticorum adiecit Abrahamus Bzouius, vt quæ de Felice parùm rei conſentanea ſcripſerat, caſtigaret;

Eodem Hiſtoriographi nomine edidit Gallicè

Apologiam pro Sereniſſimis Sabaudiæ Principibus contra famoſum incerti auctoris libellum. Camberij apud Gotofredum Furnium 1631. Diſquirit autem de ijs omnibus controuerſijs, quæ Francos inter & Sabaudos vnquam exſtitere

Vertit è Gallico Latinè, & tacito nomine vulgauit

Bartholomæi Iacquinotij Artem vitæ ex Dei nutu in ſæculo inſtituendæ, ſed inſcripſit *Hermetem Chriſtianum*. Lugduni apud Horatium Cardon 1619. in 12.

Expectabantúr ab eiuſdem calamo

Elogium Caroli Emmanuelis Sabaudiæ Ducis.

Vita Margaretæ Sabaudiæ Marchioniſſæ Montis Ferrati.

Annales Sabaudiæ Eccleſiaſtici, & Ciuiles.

Hiſtoria Geneuenſis, & naſcentis in ea Ciuitate Hæreſis primordia.

De fauore Principum. Moliebatur etiam

Horologium Alphabeticum Verborum, rituum, & morum Eccleſiaſticorum, in quo Sacrorum miniſteriorum apparatus omnis, & diſciplina, à prima origine repetita, & cum exteris Religionibus, Moribuſque collata explicantur. Verùm hæc omnia mors interrupit. Edidit tamen tacito nomine

De Titulo Regio debito Domui Sabaudiæ ratione Regni Cypri. Taurini apud Ioannem Dominicum Tarinum 1633. in folio

PETRVS MORALES natione Hiſpanus, patria Valdepennenſis in Diœceſi Toletana, cùm in Academia Salmanticenſi, & in Regijs Senatibus diù Iuris vtriuſque deciſionibus ex profeſſo vacaſſet, & ab ineunte ætate cultui B. Virginis, & Sanctiſſimi eius Sponſi Ioſephi deditus impenſè fuiſſet, eorum ſuffragio; vt ipſe memorat, obtinuit, vt in Societatem Ieſu admitteretur, in quam annum agens 32. ingreſſus eſt anno ſalutis 1570. Profectus in Mexicanam Prouinciam, Theologiam ibi docuit & Collegiorum aliquot Rector fuit. Quatuor vota die 25. Februarij anno 1582. profeſſus eſt & circa annum 1603. Ibidem curriculum peregrinationis vitæ huius abſoluit. Scripſit Hiſpanice librum

De

De Reliquijs Sanctorum ex Europa in Nouam Hiſpaniam inuectis & magna pompa atque veneratione in Mexicana Ciuitate per Noſtros collocatis anno 1578. Mexici typis Antonij Richardi 1579. in 4.

Latinè vero edidit

In Caput I. Matthæi, De Chriſto Domino, Sanctiſſima Virgine Deipara, veroque eius dulciſſimo, & Virginali Sponſo Ioſepho Lib. V. Lugduni apud Horatium Cardon 1604. in fol. In hoc opere porro ſuum in Deiparam eiuſque Sponſum affectum latiſſimè explicat Auctor diligentiſſimus, & religioſiſſimus eò etiam libentius, lætiuſque, quod vt ipſe ait, in extrema ætatis meta, iubente obedientia, id aggrederetur

PETRVS DE MOREION natione Hiſpanus, patria Methymnenſis, nobiliſſimis natalibus ortus anno ſalutis 1562. Deo ſe in Societate deuouit 1577. & ardens zelo animarum nauigauit in Indiam nondum Sacerdotio initiatus anno 1586. & biennio poſt in Iaponiam, vbi votorum 4. Sacramento ſolemni ſe obſtrinxit. Amplius quinquaginta annorum ſpatio vineam illam operarius impiger excoluit, linguam gentis exquiſitè calluit. Conciones multis annis ad populum habuit, multa pro fide Chriſti egit, & magna pertulit, inſuper carceres & exilium expertus. Rexit Collegium Noſtrorum Meaci nouennio, & dum Ozacæ præeſſet, in Domum illam recepit Beatos Iacobum Quiſay, & Ioannem de Goto glorioſos poſtea Chriſti Martyres, quos apud ſe in ſpiritu inſtruxit, & laborum ſuorum, atque itinerum habuit Socios, vt non leuis gloria Magiſtro fuerit habuiſſe tales diſcipulos laureatos. Porro anno 1620. electus à Prouincia Iaponiæ Procurator venit Romam, inde in ſuam olim Prouinciam Caſtellæ miſſus, quamuis & prouectior ætas 60. amplius annorum, & patriæ amor, & Noſtrorum ibi caritas inuitarent ad quietem in ea Prouincia, tamen quaſi laborum pro Chriſto nondum ſatur, iterum ad Iaponiam ſeſe contulit, quam tamen, quia ob flammam perſecutionis tunc ſæuientis ingredi poſtea non licuit, Macai ſubſtitit, & Collegium ibi Rector gubernauit anno 1633. nec multo poſt inde ad laborum præmia videtur emigraſſe. Scripſit Hiſpanicè

Relationem perſecutionis Iaponicæ ab anno 1612. vſque ad 1615. Impreſſa eſt Romæ 1614. in 4. & 1617. in 8.

Relationem alteram de rebus Iaponicis & Sinenſibus ab anno 1615. vſque ad 1619. impreſſam 1621. in 4.

Relationem Martyrij, quod in Iaponia per ignem anno 1620. conſecuti ſunt IX. de Societate Ieſu, & XII. alij. Prodijt Italicè adiuncta Annuis Litteris anni 1625. Romæ 1632.

PETRVS MORIN, natione Gallus, patria Pariſienſis, Societatem iniuit Romæ die 22. Septembris anno 1584. ætatis 22. litteras Humaniores & Moralem Theologiam & tria ſolemniter vota in Societate profeſſus eſt. Fuit eius eruditio minimè vulgaris. Vltimo vitæ quinquennio morbis grauiſſimis affectus ſpecimen dedit omnibus æquitatis, & patientiæ clariſſimum. Tentatuſque leuiſſima febri poſt contractos continenti ſtudio neruos, ſuaui morte defunctus eſt, Pariſijs die ... Septembris anno partæ ſalutis 1625. ætatis 63. Religionis 40. Reddidit Gallicè

Petri Iuſtinelli Triumphum Caſtitatis de vitio Incontinentiæ Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoiſy

Hiſtoriam Martyrum Iaponenſium ab anno 1612. vſque ad 1620. Ibidem 1624.

Hiſtoriam rerum in Iaponia, & Sinis geſtarum. Ibidem eodem anno

Vitam Roberti Cardinalis Bellarmini. Ibidem 1625.

Antonij Sucquetij viam vitæ æternæ. Antuerpiæ per Henricum Aertſens. Scripſit etiam Gallicè

Vitam S. Ignatij de Loyola lib. 4. Pariſijs apud Sebaſt. Cramoiſy 1622. in 12.

PETRVS LE MOYNE natione Gallus, patria Caluomontanus in Diœceſi Lingonenſi, natus anno 1602. Societatem ingreſſus eſt Nancæi die 4. Octobris 1619. & vota 4. ſolemnia profeſſus. Philoſophiam in Diuionenſi Collegio docuit. Concionatorem multis annis fructuosè egit; Vir ad poëſim Gallicam natus, vt paucos hoc æuo in ea facultate habuerit pares. Soluta etiam oratione excelluit, vti eius lucubrationes editæ fidem faciunt. Non tamen his ita ſeſe tradidit, quin in proximorum ſalutem impensè incumberet. Extremam vitæ periodum ſingulari patientia inſignem reddidit, quando morbo vexatus importuno, dolores acerbos pacato animo ſuſtinuit, & omnibus Sacramentis ex vſu Eccleſiæ communitus piè obijt. Pariſiis in Domo Profeſſorum 22. Auguſti 1671. Scripſit Gallicè

Picturas Morales in quibus animi perturbationes exhibentur. Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoiſy 1640. in 4. Gallico carmine, ſed tacito ſuo nomine

Triumphum Ludouici XIII. debellata Rupella. Rhemis apud Nicolaum Conſtant 1629. in 4.

Galliam Sanctam, ſiue Soteria ob redditam Regi Chriſtianiſſimo ſanitatem. Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoiſy 1631. in 4.

Iconem Regis Alpes tranſeuntis. Ibidem 1639. in 4.

Encomium Illuſtriſſimi Principis Condæi. Ibidem.

Hymnos de Sapientia Diuina, Amore Diuino, &c. quibus præmittit diſcurſum de Poeſi. Pariſijs eiuſdem typis 1641. in 4.

Picturarum Moralium Partem II. Ibidem 1643. in 4.

Eleemoſynarium Sanctum, ſeu de Virtutibus Cardinalis Rupefocaldij. Ibidem 1645. in 4.

Mani-

Manifeſtum Apologeticum, pro doctrina Patrum Societatis Ieſu contra prætenſam doctrinam moralem Ieſuitarum. Ibidem 1644. in 4.& in 8.

Miniſtrum irreprehenſibilem. Pariſijs apud Mathurinum Henault.1645.

Porticum Mulierum fortium. Pariſijs apud Antonium de Semmauille 1647. cum Iconibus in folio,& alibi ſæpe.

Collectionem Carminum Theologicorum, Heroicorum, & Moralium. Pariſijs 1650. in 4.

Collectionem Lemmatum Heroicorum, & Moralium. Ibidem eodem anno & forma

De facultate Deuotionis. Pariſijs 1652. in 8.

De Modeſtia Christiana. Pariſijs apud Antonium de Sommauille 1656.in 4.

Diſſertatio de Poëmate Epico. Ibidem

Epiſtolas Heroicas & Morales. Ibidem 1657.in 4.

De Sancto Ludouico, ſeu Chriſti Corona recepta à Saracenis carmine Epico. Pariſijs 1658. in folio

De Arte Regnandi. Ibidem apud Cramoiſy 1665.in fol.

De Arte Symbolorum Heroicorum. Ibidem 1666.in 4.

Syllogen Symbolorum Heroicorum proſa & verſu Gallicis. Typis iiſdem 1666.in 4.

De Arte Hiſtorica. Ibidem in 8.

Opera Poëtica Gallica. Ibidem in 4.& in folio

Epiſtolas Morales Gallicas, verſibus ſeorſim antea editas, ſimul collectas. Pariſijs apud Stephanum Loyſon 1665.in 12.

PETRVS MVSSONIVS natione Gallus, patria Virdunenſis in Societatem adſcitus anno Chriſti 1576. ætatis 17. Eloquentiam per 24. annos multa cum laude docuit,& Præfecturam ſcholarum octennio geſſit, Coadiutorum Spiritualium albo adſcriptus. Deceſſit Aureliæ die 11.Octobris 1637. Edidit

Tragædiarum Tomum vnum. Flexiæ apud Sebaſt. Griuean 1621.

* PETRVS OXEA natione Hiſpanus, patria Traſmozenſis in Aragonia, natus anno ſæculi voluentis ſexto, Societatem amplexus eſt 25. & ſolemne votorum 4. Sacramentum dixit. Rhetoricam Cæſarauguſtæ magna cum laude profeſſus eſt quadriennio, Philoſophiam triennio, Theologiam Scholaſticam annis 20. Præfuit ibidem ſtudijs multis annis, & Collegium Rector adminiſtrauit. Electus à Prouincia in Procuratorem miſſus eſt Romam, & Conuentui Procuratorum interfuit. Nunc cum hæc ſcribo anno 1674. eidem Collegio ſecundùm moderatur. Edidit

Tractatum Scholaſticum de Virtute Fidei. Cæſarauguſtæ typis Michaelis de Luna 1661. in 4. Item

De Spe & Charitate. Typis iiſdem 1662. in 4. Item

Tractatum Moralem De Virtutibus Theologicis. Ibidem typis Auguſtini Verges 1670. in 4.

PETRVS DE OIEDA natione Hiſpanus, patria Marcenenſis in Bætica adlectus in Societatem anno 1591. ætatis 1.. profeſſionem votorum 4. emiſit. Concionator, & ſacrarum litterarum tum Cordubæ, tum Granatæ interpres eximius. Rector Collegij Hiſpalenſis, Conceptionis B. Virginis & S. Inquiſitionis Qualificator. Excelluit virtutibus omnibus, ſed imprimis inſigni in B.Virginem pietate,& in Societatem amore tenerrimo. Dum Corduba veniſſet Hiſpalim contra Societatis obtrectatores ſcripturus, paucis ibi diebus ſublatus eſt, anno ſalutis 1627. ætatis 51. ab inita Societate 36. vulgauit Hiſpanicè

Informationem Eccleſiaſticam in defenſionem Immaculatæ Conceptionis Deiparæ, Hiſpali apud Alphonſum Rodriguez Gamma in 4. De eodem argumento aliud volumen ingens perfectum poſt ſe reliquit.

Reliquit præterea

In Epiſtolas Canonicas Volumina II.&

Apologiam pro Societate Ieſu.

* PETRVS OLIVIER natione Gallus, patria Pictauienſis, editus in lucem anno ſæculi voluentis 22. Societati ſe adſcripſit 1641. & votorum 4. ſacramentum dixit. Docuit literas amœniores & Rhetoricam annis 20. Sacrorum oracula Bibliorum explicuit ſexennio. Superſtes modo in Collegio Pictauienſi, edidit typis

Diſſertationes Academicas, De Oratione, Hiſtoria,& Poëtica. Pariſijs apud Michaelem le Petit.1672.in 8.

* PETRVS DE ONNATE natione Hiſpanus, patria Valliſoletanus Deo ſe in Societate conſecrauit anno ſalutis 1586. ætatis 19. & lucrandarum Deo animarum ſtudio impulſus traiecit in Americam anno 1592. vbi in Prouincia Peruana duas diuerſas Indorum linguas perdidicit, vota 4 ſolemnia emiſit,& Magiſtrum Nouitiorum diu egit. Poſtea Paraquariæ Prouinciam gubernauit, & redux in Peruanam plenus dierum& bonorum operum ad mercedem omnium euolauit. Limæ die vltimo anni 1646. Elucubrauit

De Contractibus Tomos tres, quorum primus *eſt de Contractibus in genere* Romæ typis Franciſci Caballi 1646.in folio

II. de Contractibus lucratiuis. Typis iiſdem & anno in folio.

III. de Contractibus onerofis in duas partes diuiſus. Romæ apud Angelum Bernabò 1654.in folio

PETRVS D'OVTREMAN natione Belga, patria Valentianenſis Societatem vicennis anno 1611. ingreſſus vota 4. nuncupauit, & varijs in Vrbibus cum plauſu Condionatorem egit per annos complures, donec ingraueſcente ætate ad ſcribendum applicuit animum, zeli erga proximum ſemper retinens

non

non deſtitit iuuare omni ope quos poterat. Quanta porro de virtute eius fuerit exiſtimatio, patuit in funere celebrato Valencenis die 23. Aprilis 1656. & quod ipſe Senatus cum variis diuerſorum Ordinum Religioſorum Præſulibus ſua præſentia in Noſtro templo, & poſtea in Vrbico etiam ſacello, cohoneſtauit. Edidit Gallicè

Vitam Petri Eremitæ, qui Principibus Chriſtianis Belli ſacri auctor fuit, & Dux, cum tractatu de Poſterioribus Cruciatis ad recuperationem Terræ Sanctæ. Valentianis typis Ioannis Verulliet 1632. in 8.

Tabulas virorum Illuſtrium Societatis Ieſu expoſitas Duaci in Canonizatione SS. Ignatij & Franciſci Xauerij. Typis Balthaſaris Belleri 1622. in 8.

Hiſtoriam Vrbis, & Comitatus Valentianenſis; à Parente Henrico d'Outreman compoſitam, à ſe illuſtratam & auctam. Duaci typis Viduæ Marci Vvion 1639. in folio

Item latinè ſcripſit

De Vita & rebus geſtis à Balduino, & Henrico Imperatoribus Conſtantinopolitanis, ortu Valentianenſibus Belgis Lib. V. Quibus acceſſit

De Excidio Græcorum Liber ſingularis, complectens ea quæ Græcos inter & Turcas geſta ſunt, à recepta per ipſos Conſtantinopoli, ad hanc per Mahumetum expugnatam Tornaci 1643.

Amorem increatum, in Creaturas effuſum, ſiue Amorem Dei erga homines liberalem, patientem, purum, &c. Libris V. explicatum. Inſulis typis Ignatii de Roche 1652. in folio

Vertit Gallicè ex Latino Sebaſtiani Berettarii noſtri

Vitam P. Ioſephi Anchietæ, Duaci typis Marci Vvion 1619. in 8.

Faſciculum Myrrhæ, ſeu conſiderationes ſuper vulneribus Chriſti ex Italico Ludouici Siderei noſtri. Duaci typis Ioan. Serrurier 1640. in 12.

Tractatum de conformanda voluntate noſtra cum Diuina, cui adiuncta eſt, Vita R. P. Petri Caniſij noſtri ex Hiſpanico Ioann. Euſebii Nierembergii noſtri. Duaci iiſdem typis 1642. in 8.

PETRVS PAEZ natione Hiſpanus, nobili loco Olmedæ in Diœceſi Toletana natus, Stephani Paez noſtri, qui Mexicanam, & Peruanam Prouincias adminiſtrauit, conſobrinus, admiſſus in Societatem anno ſalutis 1582. ætatis 18. nondum Sacerdotio initiatus, ad lucra animarum nauigauit Goam 1588. Vir magnis in Dei cauſa perfunctus laboribus, & Apoſtolicæ virtutis gloria clarus. Cùm in Orientali verſaretur India, deſignatus eſt à Moderatoribus ſuis, vt cum P. Antonio Monſerrato ſuccederet in Patrum illorum labores, quos Andreas Ouiedus Patriarcha ſuperſtites in Æthiopia reliquerat, iamque in decrepitam vergebant ætatem. Abiere Goa poſtridie Calendas Februarias anno 1589. Dium appulſi veſtem aſſumunt Armeniam, qua tutius per Turcarum portus qui in Erythræo ſunt, ſubeant. Eo ſchemate cùm prodiret in publicum Petrus, vt itineri neceſſaria compararet, à pueris in Luſitana Ciuitate Armenos exoſa, tantùm non ſaxis obrutus eſt. Poſt menſtruam moram, ſpe nauigii nanciſcendi deiecti, Armuziam petunt, rati ſe faciliùs eo in portu nacturos opportunitatem. Inter quærendum, expectandumque lapſus hic annus eſt, nec ante peruigilium Natalis Domini conſcenderunt. Calendis Ianuarii ad Oram felicis Arabiæ fœdiſſima tempeſtate malo clauòque diſiectis, tantùm non extrema ſubiere. Reparato Nauigio dum repetunt curſum, ab Saracenis emiſſariis deprehenſi, qui per exploratores quinam ii eſſent, & quorſum cuperent, reſcierant, Dofarem Arabiæ vrbem abſtracti ſunt; & mox carceri mancipati, victu tam arcto, vt vix traherent vitam. Poſt dies V. ad Regem, itinere 25. dierum abducti incredibiles ærumnas tolerauerunt. Nudis pedibus per obſita ſpinis, & carduis loca, vectos camelis ductores ſequi compulſi, inedia prope conſumpti, tandem malis victi ſuccubuerunt, vt camelis imponi ne prorſus interirent, debuerint. In Oppidis, qua tranſitus fuit, ludibria & contumelias experti, deriſi, conſputati: à Rege demum Sultano Humar, qui Regiam in Oppido Emane habebat, arctæ cuſtodiæ traditi ſunt: iuſſis ab eo liberaliter haberi, ſatellites toto quadrimeſtri, quo ibi detenti ſunt, mucidi panis fruſtum dietim præbebant, quod vix vel extrema coacti fame poterant deguſtare. Poſt hæc à Baſſa Turcico petiti, cuius ſe viribus imparem Arabs iſte regulus ſciebat, Canam 15. dierum iter abducti ſunt. Baſſa examinatos arctius etiam ſeruari eos præcipit, & compingi in Ergaſtulum, vbi 30. iam à quadriennio tenebantur Chriſtiani Luſitani, atque Indi, qui ærumnis fatigati prope iam fidei nuncium remittere, quo leuarentur, decreuerant. Tum verò Patres Diuinæ in ſuos caritatis & prouidentiæ conſilia venerati, qui tam admirabili circuitione ad vinctos hoſce ſolandos, erigendoſque ſe ſubmiſiſſet, eos hortati confirmarunt in fide, expiarunt, ſaluberrimis monitis ad toleranda æquis animis aduerſa inſtituerunt. Eam de ſe ſanctitatis opinionem in ea ſeruitute excitarunt, vt Baſſæ vxor eâ commota, captiuos intueri voluerit; quorum deinde modeſtiam admirata, nihil non egit, donec illis à marito libertatem exorauit. At pene iam accinctis ad abitum, allatus de Patrum Goæ pretio atque exiſtimatione nuncius, Baſſam in ſua lucra more Turcarum intentum, repente mutauit, & xx. aureorum millia lytri nomine imperauit. Negantibus ſibi quidquam in mundo ſuppetere, vnde poſſent id auri pendere, vincula rurſus imponit & duos in diem exiguos panes dumtaxat attribuit, vt ve-

xati,

xati, repræſentarent, quod exigebat pretium. Cùm nihil licitari cerneret, nec de ſua multum libertate Patres ſollicitari, aureorum poſcit v. millia, æternùm ni dentur ſeruituros, atque vt arctiùs exprimat, compedes iniicit, collum ferro innectit, & catena trunco adalligat tam breuiter, vt caput non poſſent attollere; in arctam tetramque ſpecum detrudit, tam humilem, vt ſedentes laquear vertice ferirent. Sic xv. duxere dies, & cum nihil videret Turca mercedis offerri, vtrumque Triremi catenatum imponit ad ducendos remos. Vix triduo lapſo tactus de Cælo malus abſumptus eſt, ſed ſine hominum noxa. Bimeſtre laboribus hiſce perfunctos demum ſubmiſſi Goa qui mille aureos exhiberent, aſſeruerunt in libertatem, & menſe Decembri anni 1596. poſt ſeptennem ſeruitutem Goam reuexerunt. At Paëzius haud quaquam territus, aut malis, quæ fuerat perpeſſus, animo fractus, aliàs atque aliàs expeditiones inſtituit. In Cambaiam anno 1599. mox anno ſequente Dium profectus eſt. Verum hanc Miſſionem variis Dæmon impedire conatus eſt modis: nam Bazaino digreſſum bos calce tam validè percuſſit, vt decumbere debuerit Sociis interim antegreſſis, qua die ſecuturus, nauim ipſe conſcendit, atroci tempeſtate in portum repulſus eſt, quando iterum ſoluit, procella malum comminuit, & tantum non euertit nauigium, cum interea naues ſociæ feliciter prouehetentur. Sic iter hoc quidem hoſtis implicuit, at certè malo ſuo. Nam redintegrato Æthiopiæ iuuandæ conſilio, rurſus in eam delectus eſt expeditionem Pater Paëz, qui iam tum cùm eam antea tentauit, internam Diuinitùs vocem acceperat in hæc verba: Tu in Æthiopiam penetrabis, non item Socius tuus. Ergo Dii rurſus veſte mentitus Armenum, compoſito per Dienſem Præfectum negotio, nauim conſcendit die 22. Martii anno 1603. qua merces reuehebat Suachenſis Baſſæ famulus Turca, qui beneficiis delinitus, ſe pauperi Armeno patefacturum Æthiopiam receperat. Nullus vectorum erat præter ipſum Chriſtianus, nullus amicus, aut notus. Datus illi locus vt inopi inter aquæ amphoras, in tanta culicum copia, vt omnem diu noctuque quietem tollerent. Verùm à Baſſæ famulo paulo poſt illi melius proſpectum eſt, & in Turcica paſſim ditione ita res geſta, vt auctus etiam beneficijs, in Æthiopiam breui peruaſerit, pedes iter inſtituens, per confragroſos montes, inter perpetua latronum, leonum, aliarumque ferarum pericula. Bartam ergo primum Æthiopici Iuris Oppidum die x. Maij peruenit laſſus, & viæ incommodis prope confectus, præſertim cum præter panem biſcoctum, aqua maceratum, nihil eſcarum habuiſſet. Fremonam inde perrexit, vbi Andreæ Patriarchæ ſepulchrum eſt, & quinto die à Chriſtianis lætiſſimis expectantibus exceptus, miniſteria ſtatim ſolita Societatis aggreſſus eſt, eàque mira conſtantia & ſanctimonia totos 19. annos, emiſſa ibidem profeſſione 4. votorum per aduerſa, & ſecunda, cum incredibili fructu multorum exercuit, verè Pater Miſſionis Æthiopicæ, & diligens operarius in vinea Domini donec die 20. Maij anno ſalutis 1622. Gorgorræ inuitatus in gaudium Domini ſui, ſublatus è viuis eſt, vt ad verè, beatèque viuentes tranſiret. Suſceperat in ſe Templi exædificandi curam, cuius operis labor magna lethalis eius morbi cauſa fuit: cui accedebat indefeſſum Confeſſiones audiendi ſtudium; & elucubratio iuſti voluminis, quo copioſe de rebus diſſerit Æthiopicis, & nouitij cuiuſdam Scriptoris inſomnia, quæ vulgato per Europam de Æthiopia libro confinxit refutat. Ad hæc iter x. dierum quod iuſſu Imperatoris inſtituit per Quadrageſimam, ſolitis indulgens ieiunijs, vt ante ſolis occaſum more gentis non veſceretur, idque per æſtus, & torridos ſolis radios. Euocabatur ſcilicet ad confeſſionem Imperatoris excipiendam, qua totius vitæ commiſſa deteſtans, Romanæ iungebatur Eccleſiæ. Ea audita ſimul atque domum reuenit, morbo correptus eſt, & breui confectus, incredibili ſui deſiderio in omnium animis relicto, quorum commodis amantiſſime ſemper, & promptiſſimè ſeruierat. Ipſe Imperator, & luxit pulla veſte, & cibo abſtinuit, qua die nuncium eius mortis accepit, nec ſolatij quidquam, aut diſtractionis in animum admiſit, datiſque ad P. Antonium Fernandez litteris incredibilem dolorem ſuum teſtatus eſt, id quod plerique Æthiopiæ proceres vulnus ſuum explicantes, etiam fecerunt. Operæ pretium nec ab hoc inſtituto alienum erit, adſcribere partem litterarum, quas Sultan Seguedus (hoc Imperatori nomen) ad Prouincialem Indicæ Societatis noſtræ P. Ludouicum Cardoſum perſcripſit, in ijs ſic ait: *Venerandus P. Petrus Paëz perfectiſſimum prototypon pænitentiæ, & virtutis, pater animæ noſtræ, Sol reſplendentiſſimus, qui cunctus clariſſimis radijs veræ lucis illuminauit Æthiopiam, & diſiecit tenebras Eutychetis. Poſtquam ſol hic lucidiſſimus Eclipſatus eſt, & ab oculis noſtris euanuit, pro lætitia ſucceſſit in nobis mæror, pro gaudio planctus, neque is qualiſcumque ſed qualis Alexandriæ excepit obitum S. Marci, & Romæ iacturam SS. Petri, & Pauli Apoſtolorum Chriſti. Sed quid hic verba facimus de praſtantiſſimis virtutibus huius Apoſtoli, qui intus, & foris, in dictis factiſque nihil niſi humilitatem ſpirabat? Si charta hæc amplitudine cælum exæquaret, & atramentum mare, omnino impar nobis videretur capiendæ, vel minimæ partis bonitatis, & fructus tanti Patris. Os fuit noſtræ benedictionis, noſter Magiſter, noſter Apoſtolus, quantus quantus eſt laude dignus.* Hæc Imperator, qui cùm poſtmodum per Maium anni 1626. Templum Reſidentiæ noſtræ Gorgorranæ ſubijſſet, accurrit ad ſepulchrum Patris brachijs apertis, & illud diſſuauiatus, vberibus lacrymis irrigauit nec parciùs, quàm ſi tunc

illi

tui parens intereſſet, aut filius, cumque Patrum quiſpiam conaretur illum ad alia diuertere, ait, Haud ita, ſed ſine me meo amori ſatisfacere erga hunc Patrem, quem non Doctorem ſolum habui, ſed patrem & amicum fidum. In egreſſu dein Templi ita lacrymis oppreſſus eſt, vt ad eas temperandas ſecedere debuerit. Poſtridie ad Sacrum, Confeſſionem, Communionem acceſſit; cumque ſibi ſellam videret ad Euangelij latus ſupra Patris tumulum collocatam, eam retraxit ad ipſius pedes, in reuerentiæ teſtimonium, qua fuerat olim in viuentem, nunc etiam erat in vita functum. Mox digreſſus ſubmiſit elegantem tapetem, quem eius ſepulchro iuſſit inſterni, nec inde vnquam donec vetuſtate deficeret amoueri. Elogium illuſtre de eo texuit Georgius Cardoſus in ſuo Agiologio Luſitano, ad diem 20. Maij. Scripſit P. Petrus Paëz lingua Amarana, quæ curialis in Æthiopia & cæteris cultior eſt.

Tractatum de Abyſſinorum erroribus.

In eandem tranſtulit.

Doctrinam Chriſtianam; Scripſit prætereà.

Litteras de ſuo in Æthiopiam ingreſſu datas Fremonæ 24. Iulij 1603. Item alteras.

Litteras de morte Imperatoris. Datas 30. Iulij 1605. Recitat vtraſque Petrus Iarricus noſter Theſauro Rer. Indic. Tom. 3. lib. 1. cap. 32. & 36.

Annuas litteras ex Æthiopia anni 1617.

Hiſtoriam Æthiopiæ ab ipſo accuratè ſcriptam ſeruat Romæ Aſſiſtens Luſitaniæ Societatis Ieſu.

PETRVS PAVLVS FIORDELISIVS natione Italus, patria Tuſcanienſis admiſſus Romæ in Societatem anno Domini 1606. ætatis 19. Abſoluit ſtudia, docuit litteras humaniores; & in Collegio Firmano operarius obijt VII. Iulij 1622. edidit

Orationem habitam in funere Reuerendiſſimi D. Sempronij Epiſcopi Tiphernatis. Tipherni 1617.

PETRVS PAVLVS NAVARRVS, natione Italus, patria Lainenſis in Calabria, in Societatem venit anno ſalutis 1578. natus annos 18. & poſt ſex annos conſcendit in Indiam. Peruenit anno 1584. & initiatus Sacerdotio perrexit anno inſequente porrò in Iaponiam. Ibi tanto ſtudio incubuit ad gentis linguam perdiſcendam, vt breui potuerit ad populum verba facere, & libros conſcribere. Eccleſiam Amanguccienſem ab gentis Apoſtolo S. Franciſco Xauerio fundatam 4. annis rexit, magno ſui laboris compendio. Nangaſachi 4. ſolemnia vota anno 1601. emiſit. Inde Bungenſibus enixè flagitantibus datus eſt rei Sacræ Curator; quam ille curam totos egit annos XII. donec ſæuiente in Eccleſiam Daifuſama Imperatore anno 1614 ſedem mutare compulſus eſt. Verùm haud ita multò poſt eòdem reuerſus, vt erant calamitoſa tempora, geminatis ærumnis laboribuſque exceptus eſt. Vagabatur incertus mutata veſte, noctu per ſalebroſa Montium, nudis pedibus, quos laceros ſæpe & cruentos domum referebat. Noctes ipſas traducebat confitentibus audiendis. Si quem autem nutare cognouiſſet in fide, quouis poſthabito periculo, ad eum fulciendum accurrebat. Fallendis militibus, à quibus quærebatur, abdidit aliquando ſe in foueam, vbi in magnis incommodis complures delituit dies, deſertus quidem ille à mortalibus, at ab immortali Deo vberrimè recreatus. Inde ſe demum eripuit aſſumpto baiuli habitu, & ſtramineo galericulo tectus. Poſtremò cum eſſet annorum propè 60. in Regnum Fiunga, ſuperatis altiſſimorum iugis montium, maximiſque exantlatis laboribus profectus eſt. Poſt hæc Noſtris regendis, qui verſantur in Tacacu præpoſitus eſt; quo munere plus triennio cum excellentis laude caritatis perfunctus, in exploratorum manus Arimæ incidit, adulto Decembri anno 1621. & in cuſtodiam, ſed ferè liberam datus eſt. Tum verò vt ſe compararet ad mortem pro Chriſto, vt optabat, ſubeundam, geminare orationes, ac meditationes inſtituit; quot noctibus ſe diuerberabat, geſtabat continenter cilicium; denique vexabat ſuum corpus, quò plus roboris accederet ſpiritui. Tantus interea fiebat ad illum vndique Chriſtianorum concurſus, vt videretur in Eccleſiam carcer tranſiuiſſe. Vbi cognouit ſententiam in ſe latam incendij, credi non poteſt quantis inceſſerit lætitijs, quo ardore ſe Diuinis rebus tractarit. Calendis Nouembribus anni 1622. Sacro inter vberes lacrymas facto, & concione ad paucos, qui admiſſi fuerant Chriſtianos habita, poſt meridiem productus in arenam eſt, pallio indutus, Roſario de collo ſuſpenſo, & palum veneratus, cui erat alligandus, magna vultus, atque animi tranquillitate Socios gloriæ ſuæ erigens ad certamen, inter repetenda Ieſu & Mariæ ſalutaria nomina, flammis conſumptus eſt, Ximabaræ annum agens LXII. in Societate 44. Certamen illius nobile pro Chriſto fusè enarrat Paulus Gualterus in libro de Martyribus Calabriæ. cap. 85. Scripſit Chriſti pugil, quo erat zelo animarum Iaponicè

Multos libros in vſum Iaponum Chriſtianorum. Item

Apologiam Fidei Chriſtianæ, aduerſus calumnias Gentilium. Traduxit vero Iaponicè librum

Petri Antonij Spinelli noſtri, qui inſcribitur,

Thronus Dei Maria Deipara.

* PETRVS PAVLVS ROSSIVS, ſeu RVBEVS natione Italus, patria Romanus Societati adſcriptus anno Domini 1576. ætatis 17. ſexennium profeſſus eſt Humaniores litteras; Pœnitentiarij munere functus eſt ad Vaticanum quo tempore Vrbanus VII. Pont. Max. obijt; Rexit Collegium Tiburtinum, Spiritualis Coadiutor formatus; deceſſit demum in Collegio Romano die 4. Nouembris 1600. Conſcripſit Italicè

Relationem de morte Vrbani VII. cui interfuit; impreſſam Romæ apud Ioann: Martinellum in 4. & quæ ſub nomine Ioannis Rubei citatur à Victorello, Spondano, & alijs vt ſupra diximus in Ioanne Rubeo.

PETRVS PAZMANY S. R. E. Cardinalis, & Archiepiſcopus Strigonienſis, Hungariæ Primas, natione Hungarus, gente Tranſyluanus, patria Varadienſis, vetuſta nobilitate, ducto etiam ſanguine per Margaretam Maſſariam Matrem ſuam ex Marchionibus Maſſæ Italicis clarus, Societatem à prima ſtatim ætate complexus anno ſalutis 1587. tantos fecit progreſſus in litteris, vt in Academia Græcenſi ſumma cum approbatione Philoſophiam, ac Theologiam publicè docuerit, & profeſſionem 4. votorum anno 1607. emiſerit, ſed qui eius fuit zelus animarum, & iuuandæ patriæ, Miſſionibus per Hungariam obeundis ita ſe impendit, vt eximiam ſuæ virtutis & doctrinæ commendationem apud omnes quidem, ſed apud Franciſcum Cardinalem Forgaczium Archiepiſcopum Strigonienſem præcipuè, obtinuerit, qui propterea multum eius conſilijs, dum vixit, vſus eſt. Erat namque ingenio præſtantiſſimus, iudicio maturrimus, doctrinâ politiſſimus, eloquentia vberrimus, Theologia iuxta, cæteráque omni litteratura, etiam de pulpitis & prælo, dudum ſpectatiſſimus, rerum experimentis atque vſu exercitatiſſimus. Has in eo dotes cum agnouiſſent Hungarię Magnates, & Matthias Imperator Auguſtus, vita functo Forgaczio inuitum reluctantemque ab Apoſtolica Sede poſtularunt ad Infulas Strigonienſes, vt labanti per Hungariam Orthodoxæ Religioni humeros ſupponeret, quibus, nullos toto Regno magis idoneos, magis oneri pares eſſe cognoſcerent. Eas iuſſus admittere, ſpem quæ de ſe ipſo erat minimè paſſus eſt eſſe vacuam. Hæreſes, quod ante diu cœperat, & terrere perrexit, & perfidiam profligare, tum pro ſuggeſto publico in Templis, tum priuatis congreſſibus, tum ſcriptis lucubrationibus. Nobilitatem Pannoniæ potiſſimam tempeſtiua comitate, & ſui indulgentia, ac morum ſuauitate ad Orthodoxos reduxit. Cleri Hungarici, quam exactiſſimam formam inſtituit, legibus, cenſura, Synodis, diſciplina, repurgatione, morum ipſe integritate venerabilis, diſciplinæ rigore formidandus, honoris Diuini ſtudio feruidus. Ædificia Sacra Regijs pene expenſis inſtaurauit, aut excitauit; Ædem Cathedralem Tyrnauiæ, Cœnobium D. Claræ, & Societatis noſtræ Collegium Poſonij; Aſceterium Franciſcanum in Arcenoua. Demum ob meritorum magnitudinem, & ſpectatiſſimæ virtutis, poſtulante Ferdinando II. Auguſtiſſimæ memoriæ Imperatore, cui Pazmany ſummo erat in pretio, Romana purpura à S.D.N. Vrbano VIII. Pont. Max. donatus eſt XIII. Calendas Decembris anno 1629. quam ipſe è veteri Eccleſiæ maieſtate ita ſuſtinuit, vt ſummum illud dignitatis faſtigium religioſa humilitate decoraret. Legatus à Ferdinando Cæſare ad Vrbanum Papam pro Germanicæ Eccleſiæ emolumentis, in ſui admirationem conuertit Vrbem: tantam oris maieſtatem, tam robuſtam eloquentiæ vim, tam profundam omnis ſapientiæ humanæ ac Diuinæ vbertatem, tam ſingularem prudentiam, excelſum animum, conſtantiam, in agendo ſuauitatem, in vrgendo dexteritatem, abſolutiſſimam denique in vno homine & Principis, & Religioſi formam exhibuit. Societatem noſtram quam matrem ſuam, & agnouit ſemper, & appellauit, benigniſſimè fouit; & beneficijs proſecutus eſt. Poſonienſe Collegium & ſtruxit, & cenſu dotauit. Iaurinenſe adiuuit; in Homonenſe nos pene reſtituit: Tyrnauienſe, & locupletauit priùs, & inſigni Academia, quæ prima vnquam in Hungaria inſtituta eſt, auxit. Collegia educandæ iuuentuti in Cleri Hungarici Seminarium Viennæ & Tyrnauiæ fundauit: & Societati adminiſtranda attribuit, quo vel vno nomine mirum quantum illi debeat vniuerſa, quàm latè patet, Hungaria. Demum cum noua moliretur in dies, ad amplificandam Dei gloriam, & Eccleſiæ Romanæ dignitatem, paucis poſt piiſſimum Cæſarem Ferdinandum II. diebus, cuius obitum incredibili ſenſu exceperat, Poſonij dum Viennam ad nouum Cæſarem Ferdinandum III. conſalutandum maturat, in morbum incidit, quo breui conſumptus eſt die 19. Martij anno ſalutis 1637 Pro defuncto indicta ſunt per totam Societatem nouem Sacra, & totidem coronæ, tamquam fundatore trium Collegiorum. Scripſit Eminentiſſimus Princeps Hungaricè

Libellum Precum in 8 *ſæpiùs recuſum*.

Rationes X. Apodicticas quibus vanitas Lutheranæ hæreſis oſtenditur.

Libellum Anonymum V. Epiſtolarum contra Petrum Alvinczum Prædicantem Caſſouienſem, qui fidei Catholicæ veritatem auſus fuerat coram ſuis oppugnare.

Reſponſionem Chriſtianam, de cultu Sanctorum, & eorum pro nobis interceſſione, aduerſus Nicolaum Gyarmathi Græcij 1607.

Reſponſionem ad librum Petri Alvinczi. 1609.

Conſultationem de fide capeſſenda; ſub nomine Michaelis Vereſmartis Poſonij 1612.

Hodegum, ſeu Ducem ad veritatem in quo oſtenditur varietas Sectarum Catholicæ Fidei aduerſantium. Tom. III. Acceſſit.

Appendix V. Quæſtionum Epiſtolicarum. Poſonij 1613. in folio *contra Fridericum Balduinum* 1627.

Lene medicamentum Ciuitati Varadienſi exhibitum aduerſus morſus luporum cum defenſione Libri de Scriptura Sacra, & Eccleſia, ſcripti ab Archiepiſcopo Strigonienſi ſub nomine Stephani Sallai Poſonij 1630. in 4.

Rationes ob quas meritò nobilis quidam à nouis Sectis ad veram fidem tranſierit. Epiſt. ad Illuſtriſs. Euam Bottyani. Ibidem 1631. in 4.

Concio-

Conciones in Euangelia omnium Dominicarum, & aliquot Feſtorum per annum. Ibidem 1636. in folio.

Thomæ De Kempis, De Imitatione Chriſti. Lib.IV. à ſe conuerſos Poſonij

Hæc Hungaricè; at Latinè ſcripſit

Diatribam Theologicam, De Viſibili Chriſti in Terris Eccleſia, aduerſus poſthumum Guilielmi Vvitakeri contra Cardinalem Bellarminum Græcij Styriæ apud Georgium Vvidmanſtadium 1605. in 4.

Peniculum Papporum Apologiæ Solnenſis Conciliabuli, in quo Prædicantes Iura Eccleſiæ Catholicæ, & dogmata fuerant auſi infringere ſub nomine Ioannis Iemicij Parochi Senquicenſis. Poſonij poſt alteram editionem 1611. in 4. in Aula Archiepiſcopali. Acceſſit

Appendix, qua Anonymi Sicophantæ criminationes in Pontificem Maximum, Rhythmis Pannonicis concepta, iugulantur.

Logos Alogos contra VellicatoresPeniculi papporum: repetito typo Poſonij vnà cum Hodego 1613. in folio.

Vindicias Eccleſiaſticas, aduerſus Decreta Principis Betlen in Clerum Hungariæ edita. Viennæ typis Vvolfgangi Schump. 1620. in 4.

Acta & Decreta Synodi Diæceſanæ Strigonienſis celebratæ Tyrnauiæ die 4. Octobris 1629. Poſonij in Aula Archiepiſcopali 1629. in 4.

Diſſertationem, An vnum aliquid, ex omnibus Lutheranis dogmatibus Romanæ Eccleſiæ aduerſantibus, Scriptura Sacra contineat, Poſonij 1631. in 4.

* PETRVS PELLEPRAT natione Gallus, patria Burdegalenſis adlectus in Societatem anno ſæculi voluentis 23. ætatis ſuæ 17. vota publica ſpiritualium Coadiutorum emiſit. Vir magni zeli, & lucrandarum Deo animarum percupidus, Miſſionem obtinuit ad Inſulas Americæ, ex quibus dein tranſiuit in Continentem ad diſſeminandam ibi Chriſti fidem. Plurimos aggregauit ad Eccleſiam Dei, & multa grauia perpeſſus, ad laborum ſtipendia ex hac vita demigrauit Angelopoli in Regno Mexicano die 21. Aprilis 1667. Scripſit Gallicè

Relationem Miſſionum PP. Societatis Ieſu in Inſulis, & Continente America Meridionalis. Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoiſy 1655. in 8.

Introductionem ad linguam populorum Galibis in Continente Americæ Meridionalis. Ibidem 1655. in 8.

PETRVS PENNEQVIN natione Belga, patria Inſulenſis, Societatem ingreſſus anno 1605. ætatis 17. vota 4. in ea nuncupauit. Docuit humaniores litteras, tum Philoſophiam ac ſubinde creatus Theologiæ Licentiatus, linguam Hebræam, & Scripturam Sacram Duaci. Præfuit Patribus noſtris in tertia probatione degentibus, Præpoſito Prouinciali adiunctus fuit Socius, Prouinciæ Gallobelgicæ calculo Procurator Romam legatus anno 1636. Rexit Collegium Atrebatenſe, & iteratò Montenſe, Prouinciam totâ Vices agens Prouincialis adminiſtrauit per annum, poſtea vti Prouincialis per triennium, & Congregationi Generali nonæ, vt Elector interfuit. Vir fuit inſigni præditus prudentia, & rerum ſpiritualium vſu, vndè hominum quibuſcum agebat animos, incredibili auctoritate quocumque vellet permouebat. Multis auctor fuit, vt abdicatis mundi illecebris, Chriſti ſuaui iugo in Religioſo Ordine colla ſubijcerent. Alijs vt in ſæculo ad ſeuerioris vitæ ſtudium ſe reciperent. Vltimis vitæ ſuæ annis cùm ab aſthmate pertinace frequens ei periculum vitæ obijceretur, quotidie præſtolari mortem inſtituit, ſeque ad eam comparare, ſacrum Chriſti corpus ſumendo inſtar Viatici, & preces ex vſu Eccleſiæ veſperi recitando. Sic perpetuò vigilantem ſubita quidem, ſed non improuiſa mors occupauit die 17. Martij 1663. Edidit

Primum Societatis Ieſu ſæculum B. Virgini Sacrum Elegiarum Lib.III. Atrebati 1640. typis Ioannis Riuerij in 4. Iterum Duaci typis viduæ Telu 1641. in 8. Gallicè ſcripſit

Iſagogen ad amorem Dei, in tres Partes diuiſam. Montibus Hannoniæ typis Ioannis Haccart 1644. in 4. eandem auctam vulgauit Latinè, Antuerpiæ typis viduæ Ioann. Cnobbari 1661. in 4.

De Triplici ſeceſſu interiori. Montibus 1644. in 4.

PETRVS DE LA PORTA natione Belga, patria Antuerpienſis Societatem amplexus eſt Salmanticæ poſt biennium Iuris Ciuilis ſtudio impenſum, anno Domini 1601. ætatis ſuæ 27. & profeſſionem votorum trium emiſit. Vir fuit inſigniter pius, & orationi apprimè deditus. Deſijt inter mortales viuere. Areuali die 7. Iulij 1628. tranſtulit Hiſpanicè libellum

Leonardi Leſsij de Statu vitæ deligendo Valliſoleti 1628. in 8.

PETRVS POSSINVS natione Gallus, patria Narbonenſis, natus anno ſæculi fluentis nono, Deo ſe in Societate dicauit 1624. die 7. Iulij, & votorũ 4. ſacramento ſolemni ſe adſtrinxit 1642. Docuit diſciplinas amæniores quadriennio, Rhetoricam ſexennio, linguam ſanctam, & Sacræ Scripturæ Oracula explicuit annis 12. Poſtea aliquot annis Hiſtoriam Societatis, conſcripſit Romæ, in Domo Profeſſorum. Nunc iterum litteras Diuinitùs traditas interpretatur in Collegio Romano. Vir multæ eruditionis; Græcis, Hæbraicisque litteris inſigniter inſtructus, edidit varia Græcorum Patrum monumenta latinè à ſe reddita, & alia, vt in Catalogo ſequenti

Nicetæ in SS. Archangelos, Michaelem, & Gabrielem, Encomium Græcè cum Latina interpretatione, & Notis. Toloſæ apud Arnoldum Colomerium 1637. in 8.

Polemonis Sophiſtæ Orationes. Græcè cum Latina Paraphraſi, & Notis. Ibidem 1637. in 8.

De Vita Arnaldi Boreti Senatoris Toloſani Lib. V. Pariſiis apud Ioannem Camuſat 1639. in 8.

S. Nili opera quædam non ante edita, nimirum eius S. Abbatis Narrationes, & laudationem Albiani cum latina interpretatione, & Notis. Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoiſy 1639. in 4.

Leonis Auguſti Orationem in laudem S. Nicolai Myrenſis Epiſcopi, Græcè cum interpretatione Latina, & Notis. Toloſæ apud Arnaldum Colomerium 1644. in 4.

Symbolas Græcorum Patrum in Euangelium ſecundum Matthæum Tomis II. quorum Prior Catenam continet ab antiquo anonymo collectam, & à Poſſino Latinè redditam cum ſcholiis. Poſterior Catenam exhibet Nicetæ Epiſcopi Serrarum, deſcriptam ex Codice Bauarico, & latinitate donatam à noſtro Balthaſare Corderio ab eoque miſſam ad Poſſinum priori coniungendam. Toloſæ apud Ioannem Boude, Græcè, & Latinè 1646. & 1647. in folio.

Diallacticon Theogenealogicum, ſiue De Concordia Euangeliſtarum in Genealogia Chriſti. Toloſæ apud eundem 1646. in folio.

Vincentium victum, ſiue Confutationem Libri Petri de Vincentia contra Immaculatam Deiparæ Conceptionem editi. Montalbani 1650. in 8. & iterum Panormi 1660.

Annæ Commenæ Alexiadem, ſiue De rebus ab Alexio ante Imperium, & in Imperio geſtis Græcè & Latinè cum Gloſſario. Pariſijs typis Regijs 1651. in folio.

Theophylacti Inſtitutionem Regiam Græcè & Latinè. Pariſijs typis Regijs 1651. in 4.

Orationes xx. cum diſſertationibus. Toloſæ apud Franciſcum Boudè 1654. in 8.

S. Nili Epiſtolas Græcè & Latinè cum Notis. Pariſijs typis Regijs 1657. in 4.

S. Methodij Epiſcopi, & Martyris Conuiuiū Virginum Græcè & Latinè cum Notis. Pariſijs typis Regiis 1657. in folio.

Epiſtolam de patria Paſchaſij Broëti, vnius ex decem Primis Societatis Ieſu Patribus. Pariſijs apud Edmundum Martinum 1659. in 4.

S. Bernardi Claraualleuſis Abbatis carmen Paræneticum editum ex veteri Codice Bibliothecæ Chiſiæ. Romæ typis Maſcardi 1663. in 12.

S. Franciſci Xauerij Epiſtolas Nouas 18. ex Archetypis Luſitanicis, & Hiſpanicis Latinitate donatas. Romæ apud Vareſium 1661. in 8. recuſas Pariſijs apud Sebaſt. Cramoiſy anno eodem

S. Franciſci Xauerij Nouarum Epiſtolarum Libros ſeptem, quibus priores 18. ſuis locis inſeruntur. Romæ typis Vareſij 1667. in 8. & iterum Pragæ, & alibi.

Hiſtoriæ Societatis Ieſu. Partem V. cum additis ad relicta à Franciſco Sacchino Supplementis. Romæ typis Vareſij 1661. in folio.

Paſſionem SS. Perpetuæ, & Felicitatis MM. cum Notis in eam. Romæ typis Dragondelli anno 1663. in 8. & Pariſijs apud Carolum Saureux 1663.

Nicephori Cæſaris Bryenij Commentarios de rebus Byzantinis. Græcè & Latinè cum Notis. Pariſijs typis Regijs anno 1661. in folio.

Georgij Pachimeris Michaelem Palæologum ſiue De rebus à Michaele Palæologo ante & in Imperio geſtis. Libros ſex. Græcè & Latinè. Romæ typis Barberinis 1666. in folio.

Obſeruationum Libros tres ad eoſdem libros Pachimeris. Ibidem.

Georgij Pachimeris Andronicum Palæologum, ſiue Hiſtoriam rerum ab Andronico geſtarum. Libros VII. Græcè & Latinè. Romæ typis Barberinis 1669. in folio.

Obſeruationum libros tres in eandem Hiſtoriam. Ibidem.

Specimen Sapientiæ Indorum Veterum, ex lingua Indica in Perſicam, ex illa in Arabicam, ex iſta in Græcam, ex hac in Latinam translatum. Romæ eiſdem typis & anno.

Vitam S. Eudociæ Martyris ex vetuſtiſſimo Codice Vaticano Latinè redditam, & inſertam Actis Sanctorum Menſis Martij to. I. Antuerpiæ apud Meurſium 1668. in folio.

Orationem S. Ioannis Damaſceni in laudem S. Ioannis Chryſoſtomi ex antiquo Codice Græco Latinè vertit, miſitque ad D. Aubertum editionem operum S. Damaſceni meditantem. Pariſijs.

Iſidorianas collationes, quibus S. Iſidori Peluſiotæ Epiſtolæ omnes hactenus editæ cum multis antiquis M. ſs. Codicibus comparantur, ſupplentur, & emendantur. Romæ typis Fabij de Falco 1670. in 8.

Catenam Græcorum Patrum in S. Marcum ex variarum Bibliothecarum Græcis Codicibus collectam, & latinitate donatam cum ſpicilegio Commentarij ad loca ſelecta quatuor Euangeliorum. Romæ typis Barberinis anno 1673. in folio.

Catalecta variorum Carminum Libris tribus cum Mantiſſa Miſcella. Romæ typis Vareſij 1674. in 8.

Habet præterea parata prælo, & à Cenſoribus pridem approbata.

Hiſtoriam de P. Ignatio Azeuedo cum 39. Socijs occiſis in odium fidei ab Hæreticis in itinere verſus Braſiliam. Et alia.

* PETRVS PYRARD natione Gallus, patria Lauallenſis in diœceſi Cenomanenſi Societati ſe tradidit anno à partu Virginis 1602. ætatis ſuæ 21. & vota in ea 4. nuncupauit. Philoſophiam annos complures profeſſus eſt, & Theologiam Moralem. Gubernauit Collegia Palenſe, & Lemouicenſe iteratò, & Socius laborum, & curarum variorum Prouincialium fuit. Electus à ſua Prouincia interfuit Romæ Con-

Congregationi Generali nonæ, ſuauitate morum, & accurata obſeruantia Inſtituti regularis apprime ſpectabilis. Produxit ætatem vſque ad annum 87. quo multa fruge bonorum operum cumulatus deceſſit Pali die 3. Aprilis 1007. Edidit Gallicè

Reſponſum ad Iarnacenſem Miniſtrum Caluinianum. Burdigalæ apud Iacobum Mercan 1616. in 8.

PETRVS REBOVL natione Gallus, patria Aruernus anno 1619. ætatis 17 Societati adſcriptus eſt, & in ea docuit Humaniores litteras, & Theologiam Moralem. Vir acri ingenio, & tenerrimæ in Diuina omnia pietatis, vtilis in vinea Domini futurus operarius, niſi iugis eum peripneumonia præmaturè confeciſſet. Multis itaque magna conſtantia toleratis ex hac ægritudine cruciatibus naturæ conceſſit Aureliani die vltimo exeuntis anni 1633. Occaſione miraculorum, quæ per Iconem B. Virginis Aſpricollenſis in noſtro ſacello Turnoni fiebant, Gallicam fecit, additis aliquot miraculis

Iuſti Lipſij Diuam Sichemienſem, ſiue Aſpricollis.

* PETRVS REDANVS natione Hibernus, patria Medenſis ex Seminario Hibernorum Salmanticæ in Societatem adſcitus, anno ſalutis 1628. ætatis 21. votorum 4. ſacramento ſeadſtrinxit. Quinquennio in ea docuit Humaniores litteras, quadriennio quæſtiones Controuerſas de Fide; Sacram Scripturam in Salmanticenſi Collegio aliquandiù interpretatus eſt, & Collegium Hibernorum ibidem gubernauit. Fuit linguarum Græcæ, & Hebraicæ inſigniter peritus, virtutis verò eximiæ, & cultui Beatiſſimæ Virginis addictiſſimus. Immaturo funere præreptus mortales deſeruit, Salmanticæ Calendis Auguſti 1651. Edidit

Commentariorum in Machabæorum Libros Tomum I. Lugduni ſumptibus Philippi Bordè 1651. in folio. Tomus II. paratus prælo in Bibliotheca Collegij Salmanticenſis manuſcriptus aſſeruatur.

PETRVS RIBADENEIRA natione Hiſpanus, patria Toletanus, omnium totius Societatis minimus, atque indigniſſimus filius anno 1540. die 18. menſis Septembris ad Societatem noſtram tunc naſcentem, & nondum à Sede Apoſtolica confirmatam, Romæ ſingulari Dei beneficio puer adductus ſum, & à S.P.N. Ignatio admiſſus, & multis, ac magnis perfunctus laboribus, ſcripſi hactenus ad hunc vſque annum 1605.

De Vita S.P.N. Ignatij Societatis Auctoris, tum Latinè, tum Hiſpanicè Lib. V.

Alteram item eiuſdem S. P. Vitam breuiorem, ſed multis, ac nouis miraculis illuſtratam.

De Vita P. Iacobi Laynez Secundi Præpoſiti Generalis. Lib. III. Hiſpanicè

Huic adiuncta eſt.

Vita Alphonſi Salmeronis Societatis Ieſu.

De Vita B. P. Franciſci Borgiæ Tertij Præpoſiti Generalis. Lib. IV. Item Hiſpanicè

De Schiſmate Anglicano. Lib. III.

De Tribulatione priuata, & publica. Lib. II.

De Principe Chriſtiano, aduerſus Macchiauellum, & Politicos. Lib. II.

De Vitis Sanctorum omnium, qui per totum annum ab Eccleſia Romana celebrantur, quorumque in Breuiario fit Commemoratio. Tom. II.

De Vitis Sanctorum extra Ordinem Breuiarij, quos propterea Extrauagantes appellant. To. I. Item

Officia propria Sanctorum Eccleſiæ Toletanæ,

De Inſtituto Societatis Ieſu. Lib. I. Item

Manuale Orationum in vſum piè precandi collectum.

Libellum aureum Alberti Magni, De Virtutibus, qui Paradiſus animæ inſcribitur ex Latino Hiſpanicum feci, & Orationibus ad ſingulas virtutes petendas locupletaui.

Confeſſionum, Meditationum, Soliloquiorum, & Manualis D. Auguſtini libros, meæ linguæ hominibus dedi. Denique hunc ipſum

De Scriptoribus noſtræ Societatis tractatum ad finem Dei gratia aſpirante perduxi hoc ipſo die, quo lætiſſimæ omnium Sanctorum feriæ celebrantur, quique mihi vitæ initium fuit, & 79. annis exactis 80. ætatis ingredior. Quem tametſi imperfectum eſſe ſcio (ſemper enim acceſſio fieri poterit) vtilem tamen fore exiſtimo, magnoque alijs incitamento, vt augeant inchoata, liment rudia, impolita perpoliant; & nouis acceſſionibus ſuppleant, quæ à me prætermiſſa, vel minùs comperta ſunt, meus enim hic labor nouis Scriptoribus Societatis quotidie erumpentibus, nouiſque libris prodeuntibus facilè ſcilicet locupletari poterit. Præter ea quæ typis excuſa ſunt, alia etiam ſcripſi, quæ lucem nondum aſpexerunt. In ijs ſunt

Dominæ Mariæ de Mendoza clariſſimæ, atque ſpectatiſſimæ fœminæ, Collegij noſtri Complutenſis Fundatricis *Vita.* Item

Dominæ Stephaniæ Manrique, & Caſtellæ, quæ inſigni Sanctitatis opinione Toleti floruit, & cum D. Petro Manrique germano fratre noſtram Profeſſorum Domum Toletanam fundauit, & Collegij redditus auxit. Ad hæc

Tres Dialogi multa, & rara exempla continentes eorum, qui à Religione deficientes, ſeuerè à Deo puniti ſunt. Nunc verò habeo præ manibus

Hiſtoriam Hiſpanicam Societatis Indicam, & Sardicam, hoc eſt, Narrationem eorum, quæ ab confirmata ab Apoſtolica Sede Societate Noſtri geſſerunt in Prouincijs Hiſpaniæ, Toletana, Caſtellana, Aragonica, & Bætica; præterea Mexicana, Peruana, Paraquaij, & Philippinarum (quæ quatuor Prouinciæ Indiarum ſunt Occidentalium) quibus accedit Prouincia etiam Sardicenſis, quoniam

niam nouem iſtę omnes Prouincię vni eidemque Aſſiſtenti Hiſpaniæ ſubſunt, quemadmodum Luſitania, & reliquæ Indiæ Orientalis Prouinciæ ſuum habent peculiarem Aſſiſtentem, & ſuum etiam habebunt proprium Scriptorem. Hoc autem opus quod molior, vel potius hoc onus, quod à P. N. Generali meis humeris impoſitum eſt, ſupra 84. annorum, quos vixi ætatem, ſupra vires meas eſſe quis non videt? Sed religioſo viro obedientia mordicus retinenda eſt, & ad extremum vſque ſpiritum obtemperandum: atque (vt ille ait) in magnis, & voluiſſe ſat eſt. Denique ſiue viuimus, Domino viuimus, ſiue morimur Domino morimur; Itaque ſiue viuimus, ſiue morimur, Domini ſumus. Vtinam fideles in illo inueniamur. Deo Opt. Max. omnium bonorum auctori eiuſque Matri Beatæ Virgini Mariæ, & Sanctis, atque Cælitibus cunctis, ſit laus, honor, gratiarum actio, & iubilatio in ſæcula ſæculorum. Amen.

Cænotaphium à P. Ioanne Mariana Amico poſitum.

DEO OPT. MAX. S.

PETRVS RIBADENEIRA

E SOCIETATE IESV.
CVI SE PVER ADIVNXIT ROMÆ
ANTEQVAM SEDI APOSTOLICAE
IS ORDO PROBATVS ESSET
MORVM FACILITATE, INGENIO ARDENTI, EGREGIA INDOLE
TRIBVS PRAEPOSITIS GENERALIBVS,
B. IGNATIO, LAINIO, ET FRANCISCO BORGIAE
GRATVS INPRIMIS EXTITIT.
IVNIOR MVLTAS NATIONES OBIVIT
DE REBVS MAGNIS LEGATVS,
DEINDE VARIIS INTER SVOS MVNERIBVS EST PERFVNCTVS
IN TVSCIA, ET SICILIA PROVINCIALIS,
COMMISSARIVS IN SICILIA,
IN INSVBRIBVS VISITATOR,
AETATE MAIOR TOLETVM REDIIT
SI NATIVO CAELO AFFLICTAM VALETVDINEM RECREARET.
IN EO SECESSV, ET MADRITI
VBI VITAE RELIQVVM EXEGIT
MVLTOS LIBROS PVBLICAVIT ERVDITOS, ET PIOS
IN VTRAQVE LINGVA PAR.
PRINCIPIBVS GRATVS, SVIS CARVS,
EXTERIS COMMODVS,
PRVDENTIAE, LAVDE INSIGNIS
ANNOS LXXXIV. VIXIT,
IN SOCIETATE AVTEM LXXI.
OBIIT MADRITI
ANNO MDCXI. X. KAL. OCTOB.

Atque

Atque hæc quidem de Petro Ribadeneira viro præſtantiſſimo fuerunt in manibus hactenus. Interim vero dum publici Iuris fiat, Vitæ rerumque ab eo geſtarum narratio, quæ iam contexitur, congeram quæ ſparſim de ipſo ab alijs prodita comperi. Igitur cum paucis ante confirmatam Societatem diebus ad Sanctum Ignatium ſeſe etiam tum puer applicuiſſet, Lutetiam ſtudiorum cauſa anno 1542. miſſus eſt, quod iter pedes paupere cultu, mendicorum more corroganda paſſim ſtipe, perquirendoque publico aliquo Hoſpitio confecit. Anno 1545. Patauium Autumno profectus eſt, & anno 1549. Panormi conſtitutus Oratoriæ facultatis Præceptor, luculenta ad Proreges, Magiſtratus, primamque nobilitatem oratione ſtudijs proluſit. Inde Romam triennio lapſo regreſſus, naſcenti Collegio Germanico dedit exordium ad præſtantiſſimam Cardinalium, Præſulumque coronam inſtituti rationibus explicatis. Anni qui ſecutus eſt ſupremis menſibus apud Argentarios in Vrbe loco percelebri, ſingulis hebdomadis certo die conciones habere cœpit ipſa in via, vt quempiam qui compitales damnabat dictiones, ipſo facto refutaret. Anno 1555. miſſus à Sancto Ignatio in Belgium, vt & Noſtris ibi Conſtitutiones explanaret, & Philippo II. Regi ſupplex eſſet, vt per eum Societati liceret, certas ſibi in Belgio ſedes quærere. Res difficultate non caruit, nec priùs confecta eſt, quàm Ignatius cælo receptus, opem inde ſubmitteret. Interea Ribadeneira Latinis concionibus non plauſum tantùm Louanij, ſed admirationem etiam, & fructum tulit vberrimum, cuius vel luculentum pignus eſt Iacobus Ledeſma Societati quæſitus, quem Romam ſecum anno 1558. adduxit. Verum haud licuit diu moram in Vrbe facere Ribadeneiræ, ſed extremo eodem anno in Belgium remeare coactus eſt, vt rebus proſperè cœptis finem imponeret, & calumnias depelleret, quas ibi decretum à Sorbonicis quibuſdam Doctoribus in Societatem procuſum excitabat. Inde rurſum anno 1559. reuocatus Germanico Collegio, dum tantiſper quieſcit, ac ſtudia Theologiæ abſoluit præeſſe ſuperintendens eſt iuſſus. At anni ſequentis lapſu cum 3. nonas Nouembris ſolemnia 4. vota profeſſus eſſet; Prouinciæ Hetruriæ tum primum deſignatæ Præpoſitus eſt, tenuitque eum Magiſtratum vſque ad annum 1563. quo in Siciliam abijt cum munere Commiſſarij. Magnos ibi, vti & alibi quocumque veniebat, motus fecit in Noſtris animorum, cùm quædam de Obedientiæ virtute præcepta proponeret, quæ quoniam extrema dictarat S. Ignatius, Sancti viri teſtamentum appellabat. Ad hæc Lombardiam obeundo luſtrauit, biſque Aſſiſtentis officio functus eſt, quo tempore Generalis Lainius abijt in Gallias primùm, iterum cùm in Hiſpanias proficiſceretur Generalis Franciſcus Borgia anno 1571. Ad ſecundam Congregationem Generalem venit pro Sicilia, ad tertiam pro Romana Prouincia: ac ſubinde domicilijs Romanis omnibus Superintendens fuit, quibus in laboribus annos 30. vires ac valetudinem non mediocriter labefactauit: cui reparandæ in Hiſpaniam anno 1574. redijt, ibique reliquum ætatis ſcribendo, alijſque rationibus Dei gloriam procurando tranſegit, omnibus virtutibus conſpicuus, & Sociis ad omnem perfectionem incitamentum. Singulari fuit in S.P.N. Ignatium reuerentia, cuius ſe promeritis negabat ab ſe poſſe ex æquo reſponderi, ſi vel membratim eius cauſa diſtraheretur. Societatem tam tenere diligebat, vt ab ipſo partu in eam, ſi fieri poſſet optaret fuiſſe effuſus. Linguæ moderatione excelluit, & grati in eos animi à quibus beneficium, imò & à quibus acceperat maleficium, ſignificatione. Nunquam ille de quoquam minùs honeſtè loqui, nunquàm ferre loquentes, quam etiam modeſtiam expreſſit in ſcriptis. Humilitas in eo, atque obedientia ex æquo propè fuere conſpicuæ. Admirationem habuit, & laudem quando ab Illuſtriſs. D. Ioanne Vdalrico Barone ab Ecchemberg Archiducis Ferdinandi Legato (qui Princeps, & Dux Crumlouij ab eodem poſtea Ferdinando II. Imperatore factus eſt) reditum parante in Germaniam rogatus, vt ſibi benediceret, non ante aſſenſus eſt, quàm Collegij Rector, qui aderat imperaret, tum verò ſe proſternens in genua, duxit manu crucem, & addidit, Deus vtrique noſtrum benedicat. In ſupremo morbo nihil in eo moroſum, nihil auſterum fuit; verborum dumtaxat parſimonia, vt liberaliùs vacaret Deo. Cum Prouincialis, ac Socij ab agente animam, vt ſe totamque Societatem benedictione donaret, expeterent, quia loqui non poterat, digitum in S. Ignatij intendit imaginem, à quo ſcilicet oporteret eam expectare. Decedebat, lætus & gaudij plenus, quod Ignatio Beatorum honores iam vidiſſet decretos. Funus eius multi Proceres, multi Religioſi celebrarunt, & manibus eius oſcula, reuerentiæ cauſa fixerunt. Tantà certè fuit virtutis eius exiſtimatio, vt Fr. Franciſcus Tamaius, vir grauiſſimus ex familia S. Franciſci de Paula Sacræ Inquiſitionis Qualificator de illo, quod olim de S. Bonauentura S. Thomas vſurparet; Sinamus Sanctum laborare pro Sancto, cum ſcilicet approbaret, quam poſtremo Ribadeneira conſcripſit,

Narrationem geſtorum in negotio Canonizationis Sancti Ignatij vſque ad eius Beatificationẽ. Hiſpanicè

Pleraque eius opera in varias linguas tranſlata ſunt. Ea eſſe Principibus in pretio, totique Hiſpaniæ non tantùm propter ornatum maieſtatemque ſtyli, ſed etiam ob vbertatem conceptuum, auctor mihi eſt Sylueſter Maurolycus lib. 5. Oceani Religion. Denique vt hoc etiam addam anno 1633. caput eius inuentum eſt tàm integrum, atque ſincerum, ac ſi tum primùm obijſſet, vt qui eum dum in viuis erat

co-

cognouerant iam etiam ex vultu agnoſcerent; ea propter decentiorem in locum ſublatum eſt. Ambroſius Machon Archiepiſcopus Calaritanus in Appendice defenſionis Sanctitatis B. Luciferi, vocat Petrum Ribadeneiram, *Sanctitate conſpicuum, celeberrimum Hiſtoriographum, & in Hiſtoria Eccleſiaſtica, & conſcribendis Sanctorum geſtis nulli ſecundum, ac de tota Chriſtiana Religione optimè meritum.*

PETRVS ROBILLART natione Belga, patria Atrebas, Societati adſcriptus anno Domini 1582. ætatis 28. in Spiritualium Coadiutorum album relatus, egit Pœnitentiarium Summi Pontificis ad Baſilicam Vaticanam annis amplius 24. & Romæ mortalitatem exuit in Domo Profeſſorum die 24. Februarij 1630. Edidit Gallicè

Documenta à S. Ludouico Rege Galliæ filio ſuo Philippo data cum adiuncto exercitio Chriſtiani hominis. Romæ apud Bartholomæum Zannettum 1612. in 24. Item

Symbolum Apoſtolorum varijs nationum linguis expreſſum. Ibidem 1614. in 8.

PETRVS ROESTIVS natione Belga, patria Nouiomagenſis Societatem anno 1586. ætatis 24. ingreſſus; Philoſophiam, Theologiam Moralem, & Scholaſticam, & Sacras litteras varijs in Vniuerſitatibus Herbipolenſi, Moguntina, Molshemienſi, & Colonienſi 44. circiter annos docuit. Obijt Coloniæ valde grandæuus annos 80. natus die 17. April. 1642. ab emiſſa votorum 4. profeſſione 36 Scripſit

Theſes varias, quibus Vniuerſam Philoſophiam luculenter explicauit.

De Sacrarum Imaginum, & Reliquiarum Cultu, Conradi Volſtij Caluiniani 44. nouitates diſputationi propoſuit. Herbipoli 1608. in 4.

De Communione ſub vtraque ſpecie.

De Iuſtificatione pro auguſtiſſimo Miſſæ Sacrificio Diſputationem paraſceuaticam.

Pſeudo-Iubilæum anno 1617. à Lutheranis celebratum. Molshemii 1618.

Hallucinationes duorum Lutheranorum, De Reſurrectione mortuorum, ſeu contra ſyllogiſmum Lutheranum.

Apologiam pro Domo Lauretana contra Matthiam Berneggerum Argentoratenſem. Treuiris typis Immerdorff 1625.

Apologiam pro Iure Canonico contra Profeſſorem Argentinenſem Doctorem V. I.

Diſputationem Paradiſianam, ſeu De Paradiſo Terreſtri, & Adamo bono, & malo.

Pium libellum in duos primos verſiculos Pſalmi 14. Item

Pium libellum De ſignis Prædeſtinationis.

PETRVS ROVERIVS natione Gallus, patria Auenionenſis, ſuſceptus in Societatem anno Domini 1592. ætatis 19. Philoſophiam Auenione docuit, & profeſſionem votorum 4. edidit, Theologiam ſexennio, Sacras litteras ſeptennio expoſuit, & ſtudijs præfuit Pariſijs annis 25. Vir antiquæ pietatis, & eximiæ virtutis, ex medijs ſtudiorum, & Confeſſionum in quibus audiendis erat aſſiduus la[illegible], ad cæleſte præmium euocatus eſt. Pa[illegible] 28. Iulij 1649. Edidit

Henrico IV. Franciæ, & Nauarræ Regi Auguſtiſſimo in inſtauratione Godrani Soc[illegible]tis Ieſu Collegij, Panegyricum Diuione d[illegible] additis notis, ac Primigenis, [illegible] tunæ Characteribus. Pariſijs apud Claudium Chappelet 1604. in 4. & Antuerpiæ [illegible] tinianis Moreti 1610 in 8.

Harmoniam 4. Librorum Moyſis, Exodi, Leuitici, Numeri, Deuteronomij in 8. Partes diuiſam, cum Commentarijs in eandem Harmoniam, quibus ritus omnes accuratè explicantur.

Reomaum, ſeu Hiſtoriam Monaſterij Sancti Ioannis Reomaënſis in tractu Lingouenſi. Pariſijs apud Sebaſt. Cramoiſy 1637. in 4.

Vitam P. Petri Cottoni Societatis Ieſu. Lugduni typis Poſthumis Matthæi Liberal 1660. in 8.

Vitam Franciſci Cardinalis Rupefucaldij. Pariſijs apud Sebaſt. Cramoiſy 1645. in 8.

PETRVS DE SALAS natione Hiſpanus, patria Matritenſis in Societatem ingreſſus eſt Valliſoleti anno ſalutis 1602. ætatis 18. & profeſſionem votorum trium emiſit. Vir eximiæ virtutis, & de litteris humanioribus optimè meritus, quas quadraginta, & octo annorum ſpatio, & ex his Valliſoleti 34. annis mira conſtantia docuit, ſummo iuuentutis fructu, quam non litteris ſolùm, ſed & bonis moribus informauit adeò vt ex ipſius gymnaſio prodierint ferè innumeri litteris, ac probitate præſtantes viri, fueritque illud veluti Seminarium cunctarum per Hiſpaniam Religionum. Vacationum porrò à Scholis tempore, ipſe ſe Miſſionibus obeundis impendebat, & per quadraginta annos trans pontem Vrbis Pincianæ Dominicis Quadrageſimæ ſub veſperam conciones habuit confluentibus certatim incolis, in quibus Chriſtiana ſua eloquentia, & ardentiſſimo zelo miros excitabat animorum motus; diebus feſtis affigebat ſe Confeſſionibus excipiendis, quibus, & colloquiis ſpiritualibus (quæ inter domeſticos quoque opportunè ſerebat) complures ad eminentem perfectionis gradum eleuauit. Quando Scholarum Magiſterio defunctus eſt, totum ſe ſaluti proximorum paocurandæ per Miſſiones addixit. Domi ſe præſtitit religioſæ diſciplinæ abſolutiſſimũ exemplar, vt nunquam viſus ſit, vel leuiſſimam regulam violaſſe. Deiparæ Virgini, quam perdulci matris nomine ſemper appellabat, addictiſſimus exſtitit, & hanc deuotionem ſuis quoque diſcipulis inſtillabat. Demum confectum ſenio, & maturum cælo mors velut militem in acie, ſic illum verſantem in Miſſione occupauit. Repentino ſiquidem dolore lateris ictus confeſſionem inſtituit generalem, qua etiam ante diſceſſum ex Collegio, (vti mos illi erat) ſe præparauerat. Tum humili curru vna cum Socio Sacerdote reuectus ad Collegium, poſtquam veſpertinas preces ex

vſu

vſu Eccleſiæ recitaſſet, deliquium animi paſſus in Socij ſui brachijs expirauit, vitam finiens (prout optauerat) in Apoſtolico munere Miſſionum. Contigit id Valliſoleti die 13. Septembris anno 1664. Eius in funere corpus à multis cultum tamquam alicuius Sancti, quo nomine paſſim iam diu audiebat. Edidit optimus Pater librum vtiliſſimum Scholaſticis

De Arte Poëtica & Rhetorica. Valliſoleti 1619. in 8. & iterum Lugduni 1653. Item

Affectus Diuinos cum Emblematibus Sacris. Valliſoleti apud Gregorium de Beloza 1638. in 16.

Orationem Funebrem Salmanticæ dictam in Exequijs Sereniſſimæ Margaritæ Auſtriacæ Hiſpaniarum Reginæ Salmanticenſis Collegij fundatricis.

Hermanni Hugonis pia deſideria Hiſpanico verſu expreſſit. Valliſoleti 1638.

Theſaurum Hiſpano-Latinum. Valliſoleti 1654.

Compendium Latino Hiſpanum, vtriuſque linguæ veluti lumen. Valliſoleti apud Bartholomæum de Portolas, & Torre 1671. in 4.

Promptuarium Verbi Diuini Tomis II. Lugduni ſumptibus Stephani Machaelet.

* PETRVS SALERNVS natione Siculus, patria Panormitanus parentibus opulentis, natus anno ſalutis 1598. caduca omnia Cruci Chriſti poſtponens, Societatem illius amplexus eſt 1613. & tribus inſuper fratribus, ac duabus Sororibus, vt & ipſi quoque ſpretis mundi illecebris, religioſos ingrederentur Ordines, exemplo perſuaſit ſuo. In Societate adhuc Tiro, ſatis oſtendit qualis eſſet futurus miles veteranus, nam cùm ex lapſu grauiſſimè læſiſſet crura, itaut mortis periculum ſubierit, accurrens Genitor rogat impensè, vt ſe ſinat tantiſper reduci ad paternam domum, commodiùs ibi exquiſita diligentia Matris & famulorum curandum. At ille nec precibus paternis, nec vitæ diſcrimine commotus, reſpondit malle ſe in Societate Ieſu ſtatim emori, quàm in paterna domo vitam producere. Demortuo poſtea parente, non abſimile certamen habuit, cum matre, quæ viduitatem, ac ſolitudinem ſuam deflens, inuitabat vrgebatque, vt ad paternas ædes, in quibus omnium bonorum eſſet futurus hæres, reuerteret. Verùm nec blanditijs matris expugnari potuit inuicta Tironis conſtantia, dicendo hæc omnia ſibi ſatis perſpecta fuiſſe, & perpenſa, priuſquam Religioſæ militiæ nomen daret. Perrexit itaque alacriter in ſuſcepto vitæ religioſæ inſtituto, in quo emenſis feliciter ſtudiorum ſpatijs, qua valuit vi ingenij; Philoſophiam annis quinque, & totidem Ethicam profeſſus eſt. Votorum 4. Sacramentum dixit, Theologiam Scholaſticam pariter quinquennio, Moralem nouennio explicuit, & annis aliquot ſtudiorum præfecturam geſſit. Panormitanum Collegium iteratò moderatus eſt, & à Prouinciæ comitijs electus, interfuit Romæ Congregationi generali vndecimæ. Hinc ſumma doctrinæ & prudentiæ æſtimatione cùm apud omnes Panormi eſſet, ab omnibus paſſim conſulebatur, & quotidie quà legendo quà ſcribendo diſtinebatur, vt Proregis, Archiepiſcopi, aliorumque virorum Principum quæſitis ſatisfaceret. Interim Paupertatis religioſæ adeo amans fuit, vt omnibus admirationi eſſet. Supellex eius vniuerſa præter libros litterarum laboribus neceſſarios, imago vna papyracea, & ex ampliſſimo patrimonio, quod Collegio Panormitano donauit, ne vel teruncium ſuos in vſus conuerti paſſus eſt. Quin & ſui negligens, quantumuis ſubinde feſſus, curru non ſe permiſit vehi, licet vrgeretur vt admitteret, neque diſcrimine ciborum vel potus, gratine palato eſſent, vel ingrati, mouebatur. Cùm ex diuturna ſtudiorum contentione, ſanguinis reiectione laboraret nihil ad ſedandam tuſſim ex ſaccaro poſcere, aut penes ſe voluit habere. Demum attritis diuturno ex labore viribus, & annis grauis, cùm mortem ſibi ex medicis imminere cognouiſſet gratias illis ex animo egit, & viaticum poſcens poſtremamque inunctionem, religioſiſſimæ vitæ curriculum abſoluit in Collegio Panormitano die 12. Maij 1666. Edidit tacito ſuo nomine Italicè

Digreſſiones tres hiſtoricas ad vitam & hiſtoriam de S. Roſalia conſcriptam à noſtro Iordano Caſcini. Panormi apud Cyrillos 1651. in folio.

Vitas SS. Siculorum ex antiquis Græcis, Latiniſque monumentis collectas à noſtro Octauio Caietano, perfecit multiſque additis notis, & ſuo nomine appoſito vulgauit. Panormi typis ijſdem in duobus Tomis 1657. in folio

PETRVS A SANCTO IOANNE, natione Gallus, patria Carcaſſonenſis Societatem inijt anno ſalutis 1609. ætatis 25. Rhetoricam, & litteras humaniores docuit; præfuit ſtudijs. Rexit Collegium Carcaſſonenſe. Conciones habuit per annos 16. Spiritualibus Coadiutoribus adſcriptus. Demum Cadurcenſibus peſtifera lue laborantibus datus in obſequium, & Sacramentorum adminiſtrum, vir animæ magnæ prodigus, miniſterio illi cupiebat immori & contraxit quidem ibi peſtilens vlcus, ſed reſeruatus à Deo ad labores alios, demum ad requiem commigrauit (vti ſperare fas eſt) Beatorum Albiæ die 24. Iulij 1654. Edidit Gallicè

Orationes II. Funebres.

PETRVS SANCTIVS natione Hiſpanus, patria ex Oppido S. Martini de Valdeygleſias Diœceſis Toletanæ, natus eſt parentibus honeſtæ inter colonos conditionis anno ſalutis 1526. Compluti Philoſophicis ac Theologicis diſciplinis imbutus eſt tanta ingenij proſperitate, vt & in Theologorum Academiæ Col-

legio, qui Maiores dicuntur locum obtinuerit, & Doctoralem Theologiæ lauream adeptus, Academiæ Rector, qui ſummus eſt ibi honoris gradus, fuerit, & publicæ interpres Philoſophiæ. In Concionibus etiam non mediocrem aſſecutus nominis claritatem. Quæ animi egregia bona, proceri corporis honeſta & venerabilis ſpecies decorabat. Hic dum miſſas ex India legit Patrum Noſtrorum litteras, animaduertere cæpit quantum in vltimis terris ij viri pro Dei cauſa laborum ſumerent, quàm ſegnis ipſe deſideret. Hinc noua o. ſ.s conſilia animo volutare, ad æmulandum decus, atque ad ærumnarum ingentem cupiditatem accenditur. Tum vero etiam ſtimulis quibuſdam internis incitari acrius & tamquam cæleſti voce articulate expreſſa ad Societatem Ieſu impelli. Ergo Rectorem Collegij adit, atque vt ſe recipiat exorat. Vbi cum eo conuenit, Auditores ſuos in gymnaſio alloquitur, & conſilio, quod de ſpernendis rebus fluxis inierat explicato, veniam petit. His deinde certatim, duobuſque è Doctorum Collegio præcipuis magiſtris proſequentibus, ſalutatum Academiæ Rectorem pergit, atque ad eius repente prouolutus pedes, fauſtam precationem per quam liceat ad Societatem tranſire, petit. Rectori ludus principio videbatur. Vt autem animaduertit ſerio agi, Petri feruore, comitum prope illacrymantium conſpectu, tam vberem in fletum ſoluitur, vt formare vocem in verba non valeret. Tandem millies bene precatus dimiſit. Petrus eodem comitatu rectà ad Collegium tendit, & Rectore foras euocato, in oculis omnium ſe ſubmittit in genua, perque Dei amorem obteſtatur, vt ſe licet immerentem recipere in famulorum Chriſti numerum velit. Rector admonitis qui aderant haud nunc primum id negotij ſecum à Doctore agi, complectitur, gratulatumque Deo ducit in Templum. In digreſſu humi ſe abijciens, cum lacrymis veniam à comitibus petit, qui certatim quoque prouoluti, ſe ſe illi ſuaque commendabant. Hæc ad diem 12. anni 1558. geſta ſunt. His principijs exorſus Sanctius, vt in ſui contemptu animum obfirmaret, vouit quantum in ſe eſſet totam vitam domeſtico vel obſonatori, vel coquo famulaturum. Porrò quoad Philoſophicum curſum, cuius non longe diſtabat à meta, abſolueret, iuſſus eſt continuare in Academia publicum docendi laborem, cum in Septimancenſi Tirocinio breuia feciſſet, ſed illuſtria magnæ virtutis experimenta, & Sacris fuiſſet ordinibus initiatus. Studio illo confecto Valliſoletum translatus eſt, & primus ibi de Societate Theologiæ lectiones explicuit. Inde Salmanticæ Rectorem egit; ſed tanta ſui abiectione, vt in ædificium cæmentarias Sportulas ipſe comportaret. Collegium Complutenſe poſtea gubernandum ſuſcepit anno 1569. vbi virtutum eius magnitudo magis inclaruit. Summa lenitas & in agendo benignitas, contra quàm ſpecies exterior maieſtatis plena ſponderet; amor in ſuos tenerrimus, in Deum robuſtus, vnde inconcuſſa fiducia, & animi tanta excelſitas, vt non ambigeret ſe, quidquid poſtulaſſet relaturum. Et in vnius atque alterius Sociorum vita per preces retinenda, quam medici deploratam habebant, oſtendit haud inani ſe fiducia niti, cum etiam certò prænunciaret illo tempore neutiquam morituros. Inter hæc cùm inuſitatis quibuſdam ardoribus ad ardua quæque in remotiſſimis ſubeunda regionibus impelli ſe perſentiſceret, ſuſpicatus id quod erat, Deum de ſe noui quidpiam moliri, totum ſe Diuinæ voluntati noua deliberatione tranſcripſit. Et ecce adferuntur illi ex opinato B. Franciſci Borgiæ Præpoſiti Generalis imperia, quibus coloniam ducere Sociorum in Mexicanas oras, primus ibi Prouincialis futurus, iubetur. Ille continuò Deum veneratus, accepit imperium, & cum XII. Socijs nauigauit haud infeliciter anno ſalutis 1572. Perhonorificè à Prorege exceptus, Scholas primùm regias collapſas inſtaurat; noſtras aperit, terna inſtituit Seminaria; aliquot Collegiorum fundamenta locat. Per Dominicos, & feſtos dies conciones pomeridianas totis 25. annis habuit. Proregi, ac Cenſoribus fidei ſemper fuit gratus, ſemper à conſilijs. Interim vel in ſumma ſenecta ſtatis vſus eſt flagellationibus matutinis, cibo parco & communi, aqua ad potum, niſi morbus aliud popoſciſſet, indumento vili, & ſola virtute conſpicuo. Diuinarum rerum commentationi ita inſueuit, vt ne per quietem quidem aliud tractaret; Angelum Cuſtodem conſiliorum ſuorum omnium interpretem adhibuit. Itaque ſincerè & familiariter Noſtris eſt ſolitus dicere, ſe facile ſanctos, ſi obuios haberet, de facie agniturum. Virtutes pleraſque omnes excellenter habuit. Ita Superioribus manifeſtus, vt prope quotidie rationem illis conſcientiæ daret. Accepto mortis nuncio, ſupellectilem omnem cubicularem Superioribus remiſit, vnicà retenta imagine papyracea, vt nudum in morte Chriſtum nudus ſequeretur. Inuiſit ægrum Prorex, cui, cum poſt officia vltrò citroque delata, ingereret de Republica quidpiam, reſpondit, tempus ſibi breue eſſe, quo non oporteret abuti, daret ſibi veniam huiuſmodi ſermonum; ſic impertitum benedictione quam enixe poſtulabat, Deoque breui prece commendatum ab ſe dimiſit: & ipſe poſt paulò expirauit Mexici die 16. Iulij anno ſalutis 1609. ætatis 83. Religionis 51. profeſſionis 4. votorum 42. magna opinione ſanctitatis, & tamquam parens quidam & Apoſtolus illius gentis conditus eſt, in Mexicana Societatis Ieſu Profeſſorum Domo. Obitum ſecutæ gratulationes cum lacrymis, ingens in omnibus ipſius deſiderium, pompa funebris, veſtium à pia plebe direptio. Proregi poſtulanti datus pileolus lineus, & icon S. Bernardi, qua Pater vti conſuerat. Scripſit Hiſpanice volumen

De Regno Dei Libris VIII. in quibus omnium

nium pene virtutum Sanctorum adducit exempla, ex Eccleſiaſtica hiſtoria deprompta, vt doceat virtutis cuiuſque obiectum, modum, finem, & quibuſdam quaſi calcaribus admotis legentium animos per Sanctorum exempla magis accendat ad pietatem. Madriti apud Luiſium Sanchez 1599. in 4. & 1616. in 4.

PETRVS SCARGA natione Polonus, patria ex Oppido Maſouiæ Grodziec nobilibus parentibus anno ſalutis 1536. natus, cognomine Paueski, vir tota Polonia celeberrimus, ante aditam Societatem egerat Præpoſitum Eccleſiæ Rohatinenſis, & Canonicum Leopolienſem, ſed cùm videret à Præpoſitura ſibi aliquod eſſe impedimentum, ne concionibus ad populum habendis totus, vti inſtituerat, vacaret, ea ſe dignitate abdicauit, & ex integro mortalium ſaluti procurandæ ſe impendit; quo tempore complures ab Hæreſi, & Schiſmate etiam ex Magnatibus ad Catholicam fidem pertraxit. Verùm arbitratus haud ſatis efficaciter hominibus fluxarum rerum poſſe perſuaderi contemptum ab eo Concionatore, qui non præiret exemplo; ſtatuit ijs ipſe nuncium remittere, & ſe recipere in Societatem Ieſu. Romam ergo Septembri menſe anno ſalutis 1568. contendit, ibique die Purificatæ Virgini dicato, vertente anno in Societatem adſcriptus eſt. Deinde ad Inſtituti noſtri normam expolitus in patriam redijt anno 1571. & Pultouiæ, Iaroslauiæ, concionandi munus repetiuit. Hic 4. votorum nexu ſe aſtrinxit Calen. Auguſti anno 1575. & in Liuoniam ac Ruſſiam conatus ſuos conuertit. Stephanum Regem diu ſecutus eſt, eumque ſuis concionibus & priuata conſuetudine ad omnem pietatis laudem prouexit. Rector interim fuit Vilnenſis Collegij; & Prouinciæ totius ſemel iterùmque ViceProuincialis, & Regis munificentia Collegijs Rigenſi, Derpatenſi, Polocenſi firmamentum comparauit. Anno 1588. ad Sereniſſimi Sigiſmundi III. Regis aulam euocatus, mox ab eius inauguratione totos 24. annos Concionatoris ordinarij partes apud illum egit, tanta modeſtia, humilitate, atque erga Superiores ſuos obedientia, vt in Curia Religioſam diſciplinam ad vnguem obſeruaret, & de ſtudio conatuque procedendi in virtutibus, nihil omnino remitteret; quo etiam nomine & Regi gratiſſimus, & omnibus Principibus fuit. Omni ope apud Regem egit, atque impetrauit, vt nulli Hæretico, Senatoriam dignitatem conferret, quo modo plurimos primæ notæ viros ad Orthodoxam fidem perduxit, innumeros vero alios ſcribendis libris conuertit. Aulicam tamen vitam ſemper pertæſus, ſpecioſum exilium vocabat; ad vitam priuatam, & Sociorum ſuorum conſuetudinem aſpirabat. Miſſionem cum annis compluribus à Rege poſtulaſſet non priùs obtinuit, quàm cùm ſolito ardentiùs, tamquam ſuæ mortis præſagus efflagitauit, eo ipſo anno quo vita functus eſt. Cracouiam ergo delatus, ita omnes actiones ſermoneſque inſtituit, vt nihil vnquam cogitaſſe aliud quàm Deum, ac Diuina videretur. Quoad per vires potuit, ſacris operatus eſt religioſiſſimè, deinde verò quotidie aliena manu Sacram ſumpſit Hoſtiam, ipſo etiam die illo, quo deceſſit. Vetus illi erat conſuetudo contentionem animi, quam orando, legendo, ſcribendo, adhibebat, interpoſito corporis, aut manuum labore aliquo temperare. Socijs candelas, atramentum, fibulas librarias, thecas ſcriptorias parare, ſtrophiola etiam, & induſia ſibi alijſque conſuere. Ergo paucis ante obitum diebus album conflauit cereum, quem B. Virgini Czeſtochouienſi donum mitteret. Is miſſus illicò accenſus eſt, & quando ille ardendi, Pater viuendi finem fecit, ad diem 27. Septembris anno 1612. ætatis 77. Religionis 44. Elatus eſt magno nobilitatis cæterorumque ordinum concurſu, ac mœrore, ambientibus primarijs quibuſque feretrum ſubire humeris. Demortui virtutes publica laudatione celebrauit R. P. Fabianus Bircouius, ex Ordine Prædicatorum vir grauis, & doctus. Eius effigies æri ad memoriam inciſa eſt, ſimul & ad venerationem, quam ei magnæ virtutes, & non pauca ſupra naturæ ordinem patrari viſa conciliarunt. Sendomirienſes ciues, apud quos poſtremum fuerat concionatus, tanto honore memoriam eius proſecuti ſunt, vt ſolemni eum officio mortuali, & diſerta panegyri, quam Gaſpar Cichocius, vir egregie doctus ipſorum Parochus habuit, celebrarint. Multa ſcripſit Petrus Scarga tum latinè tum Polonicè, quæ ſeorſim priùs edita, demum 4. Tomis comprehenſa prodierunt. Continet autem Tomus

I. *Selectas Sanctorum Vitas, in ſingulos annis dies digeſtas* additis *Documentis ad mores formandos idoneis.* Hic Tomus ipſo ſuperſtite octies recuſus eſt, cui poſtremo addidit. *Vitas Sanctorum Beatorum & Martyrum Societatis Ieſu.*

II. *Annalium Eccleſiaſticorum Cæſaris Cardinalis Baronij. Tomos 12. in compendium,* Polonice contraxit.

III. *Poſtillas ſeu Conciones in ſingulos dies Dominicos & feſtos totius anni.*

IV. *Conciones de Sanctis, & de rebus varijs, & alia, opuſcula minora.* Et hæc fere Polonice ſcripſit. Latinè vero ſeorſum prodiere.

Septem Columnæ in quibus fundatur Catholica fides de Sacramento Altaris, qui liber Polonicè deinde translatus in IV. Tomum inſertus eſt.

Pro Sanctiſſima Eucharistia contra Hæreſim Zuinglianam & Andream Volanum lib. III. Vilnæ 1576. in 8.

Artes 12. Sacramentariorum ſeu Zuinglio-Caluiniſtarum quibus oppugnant, & totidem arma Catholicorum, quibus propugnant, præſentiam corporis D.N. Ieſu Chriſti in Euchariſtia, contra Andream Volanum. Ibidem 1582. in 4.

Vita B.Ioannis Cantij,& Caſimiri.

Contra Threnos, & lamentationem Theologi Orthologi ad Ruthenos Græcæ Religionis cautela.

Inuitatio ad Pœnitentiam incolarum Regni Poloniæ,& Lithuaniæ. Edidit præterea Polonicè idem Scarga.

Concionem magnam de miſericordia proConfraternitate Miſericordiæ additis *lectionibus prælegendis eidem Confraternitati ſingulis Dominicis per annum* 1584.

Conciones de VII. Sacramentis Eccleſiæ 1600.

*Militarem Deuotionem ſeu Orationes, & exempla militari ſtatui conuenientia.*1606.

Reſponſionem pro Societate Ieſu contra Articulum Sendomirienſem 1606.

Probationem Societatis Ieſu contra eundem articulum 1607.

Triplicem confuſionem Arianorum,contra Hieronymum Moſkorzeuium 1608.

Meſſiam nouorum Arianorum ſecundum Alcoranum Turcicum contra eundem 1612.

Areopagum ſeu Expoſitionem verborum S. Pauli, qui Iudicibus Areopagitis agnitionem vnius veri Dei perſuadebat.

Vertit etiam Polonicè.

Franciſci Coſteri Libellum de IV. Nouiſſimis 1606.

* PETRVS DE SESMAISONS natione Gallus, patria Nannetenſis Societati adſcriptus anno ſæculi labentis 7. ætatis 19. votorum 4 profeſſionem edidit. Philoſophiam nouennio, Theologiam Moralem ſeptennio explanauit. Operarius multis annis, & Præfectus rerum Spiritualium in Domo Profeſſa Pariſienſi, inde ad Religioſæ vitæ mercedem emigrauit die 3. Octobris 1648. Scripſit Gallicè tractatum paruum

An melius ſit communicare frequenter, quam raro? Hoc opuſculum nondum typis editum, conatus eſt refutare Antonius Arnaldus in opere de frequenti communione, & membratim ſectum ſuo libro inſeruit,vt faciliùs refelleret.

PETRVS SILVIVS natione Belga, natus in Houtem S. Læuini prope Aloſtum, ad Societatem aggregatus eſt Louanij anno ſalutis 1551. & prout ferebant primordia naſcentis Societatis in alia ex alijs loca translatus, primum Louanij, tum Romæ, Florentiæ, Tibure, Pragæ, Ingolſtadij ac poſtremo in Rhenana Prouincia Coloniæ, Treuiris, Moguntiæ, linguarum, ac diſciplinarum multiplice cognitione præditus, Grammaticam, Rhetoricam, Philoſophiam, ac Theologiam Scholaſticam profeſſus eſt, Simulque ſtudiorum moderator, Confeſſarius Domeſticorum, atque externorum, vbique laborioſus, ac induſtrius, vnus multiplex multis gentibus auxilium miniſtrauit. Demum Moguntiæ emiſſa paulo ante profeſſione votorum 4. ad laborum præmia ex hac vita euolauit, die x. Iulij 1571. Hæc fere Sacchinus in Hiſtoria Societatis ad annum 1571. Scripſit Petrus

Diſputationes de Deo, ac de Sacramento Pœnitentiæ.

PETRVS SPIGA natione Sardus, patria Calaritanus, natus eſt honeſtis parentibus, anno ſalutis 1525. Is cum Valentiæ fuiſſet excultus Philoſophicis diſciplinis, ad Theologica ſtudia primum Pariſios, mox Louanium conceſſit, vbi ad Societatem animum adiecit. Placebat adoleſcentis vigor omnibus, & artes bonæ, ſed corporis erat puſillitate tanta, vt conſulendum Patres duxerint S. Ignatium, qui adhuc erat in viuis, numquid ea obſtaret, miſſa ad eum ſimul longitudinis dimenſione, vnde poſſet facere æſtimationem. Illo annuente votis Petri, nihil hic cunctatus, nomen extemplo dedit anno 1551. tanto ſpiritus ardore ad virtutem accenſus, vt plane conſtaret illum ad ſumma quæque Diuinitus vocari. Tirocinio ſtudijſque confectis, & Sacris initiatus ordinibus, Hiſpanorum ſe ſaluti, qui frequenter ibi verſabantur, ita ſe impendit per omnia caritatis officia, vt omnium patronus ac parens haberetur, eoque proceſſit ſanctitatis eius iam tum exiſtimatio, vt Archiepiſcopatum illi Oriſtanenſem Cæſaris familiares deferrent, niſi conſtanter ille, nec ſine faſtidio reieciſſet. His laboribus, multoque etiam magis Aquilonari per hyemem algore fatigatus, atque in vitæ diſcrimen adductus anno 1557. profectus è Belgio in patriam eſt, eò Societatem, ſi poſſet, inducturus. Iter pedes inſtituit, & victu precario, per incommoda atque ærumnas plurimas, & quaqua tranſibat virtutum ſuarum odorem diffundebat. Calari rectà ad Domum hoſpitalem tetendit, nullis ſeſe precibus vinci paſſus, vt ad ſuorum aliquem diuerteret. Hic verò cùm ſe videret vnicum tanta in Inſula, miſeris modis angebatur, quòd non poſſet omnibus præſto eſſe, cupiens vel in fruſta diſcerpi, ſpargique, ſi quid id tantæ ſolitudini conferret. Tamen vltra & valetudinem, & vires enitens, idem ægrotis in Noſocomio adeſſe, idem vinctis in carcere, idem per Vrbem languentibus, idem inopi turbæ, nec deeſſe reliquæ Ciuitati. Vinctorum fami, ſiti, nuditati, cauſis etiam, quoad æquitas ferret, conſulebat, Fœdore ac ſordibus fœdos amantiſſimè amplectebatur, oſculabatur, flexis genibus conſolabatur, quamuis deterrerent circumſtantes, ne & ipſe fœdis beſtiolis, vt fiebat, oppleretur. Emendicabat per Vrbem, vnde neceſſitates egentium leuarentur. Nemo fere tota Vrbe in diſcrimen moriendi veniebat, qui eum non accerſeret. Dabat ſe in [illegible] flagitioſorum in gratiam, & multos ad frugem retraxit. Plurima ſuſtulit grauia, & publica ſcelera. Sanctimonialium Cœnobium ad infamiam diſſolutum correxit. Eo breui ſanctitatis nomen increuit, vt Prorex eiuſque coniunx, Aulici, & Ciuium primi quique animis ſuis regendis eum adhiberent, quorum poſtu-

poſtulatione totam Noſocomij adminiſtrationem accepit, hoc vno lætus, quod dies noctesque vitam eſſet in Noſocomio exacturus. Omnibus interim litteris vrgebat Iacobum Laynez Generalem, vt aliquos in tam paratam meſſem Socios auxiliares mitteret, illis ſe oſtiatim neceſſaria emendicaturum. Miſſi ex Hiſpania primùm duo ſunt anno 1559. quos Spiga lætiſſimus cum ſumma demiſſione excepit. Mox abdicata Noſocomii adminiſtratione, tamquam Inſtitutis noſtris parùm conſentanea, totum ſe ad vſitatiora Societatis miniſteria, conuertit, nihilque eorum omiſit, quæ decerent Apoſtolicum pectus, vt incredibile videatur quot modis, quàm indefeſsè, quanta caritate, quàm ingenioſa ſedulitate pauperum conſuleret ſaluti, quorum indigentiæ leuandæ, nunquam illi pia liberalitas defuit eorum, qui viri virtutem admirabantur: ipſe quoque Deus Serui ſui caritatem non raró miraculis approbabat. Arcam pane vacuam repentè compleuit in vſum egenorum: inſtructam ad vnius vſuram diei, toto fecit quatriduo ſufficere; ſubmiſit aliàs inopinato quando maximè deſiderabat; contracta debita, piorum hominum liberalitate diſſoluit. Sæpe bullire deprehenſus eſt lebes, igne diu ante ſubducto, quo priuatorum in ædibus cibos inopum temperabat. Multis infirmis ſua precatione reddidit incolumitatem, peſtem diſcuſſit à multis vnguento à ſe parato velut certo amuleto. Nullæ illum ſordes, nulla nauſea retardabat. Paupertatem non minùs amauit quàm pauperes. Nihil deliciarum, ne cum langueret quidem admiſit, cibos de communi menſa capiebat, cubiculo tam arcto ſemper eſt vſus, vt ægrè menſam Sedem & lectulum caperet. Truncus erat illi pro ceruicali. Veſtes omnes attritæ, laceræue. Eodem vno thorace lineo annos 24. eſt vſus. Induſia quæ pauperibus hiſpidiori ſtamine coëmebat, ipſe priùs geſtando molliebat. In ſupremo morbo perſuaderi ſibi paſſus non eſt, vt capiti ceruical ad capiendam quietem ſubſterneret, ſe id vnum agere dicens ne caput quieſceret. Ad menſam veſcebatur libenter aliorum reliquijs, & lautioribus edulijs ſaporem aqua vel aceto, nec raró etiam aſperſo cinere caſtigabat. Nunquam ad ſuæ leuamentum indigentiæ quidquam poſtulabat, nec admittebat, ſi quid offerretur, quod in aliorum vſu non fuiſſet. Ad Epiſtolas ampliorem chartam quàm exigeret ſcriptio, non adhibebat, vt non ſemel in palmari plagula viris etiam primarijs ſcripſerit, quos eius ſeueritatis cæpit admiratio, cum laude virtutis. Obedientiam coluit impensè, nec à Præſidum ſuorum nutu latum crinem receſſit; ſolitus vel minimis in rebus, quaſi ab oraculo reſponſum ab eis repetere. Nihil ſuo permitti volebat arbitrio; nihil lenius, caſtigatiuſue imperari. Coram Superioribus aperto ſemper capite, depreſſis ſtabat oculis. Celeberrimam aliquando Concionem improuisò abrupit, monitis auditoribus, ſignificari ſibi lapſam eſſe ſemihoram, quam vetitus erat excedere. Caſtitati tuendæ nunquam fœminas intuitus eſt. Neptes ſuas quas crebrò confitentes audierat, inter ſe diſtinguere neſciebat, ad illas ſi domi ſolæ eſſent, non poterat induci vt intraret, quanticumque momenti negotio vrgeretur. Opinio conſtans fuit virginitatis illi decus vſque ad extremum conſtitiſſe. Sepiuerat illam ceu ſpinis, humilitate præcipua, & honorum contemptu tam conſtanti, vt ſicut Arboreenſes olim infulas, ita Calaritanas poſtmodum fortiter repudiarit. Operoſum ſit huius documenta virtutis, quæ præbuit enumerare, quibus vniuerſa vitæ eius ſeries contexta fuit. Quo die ſolemnia quatuor vota nuncupauit (is fuit VII. Aprilis anni 1583.) iuſſus de Superiore loco verba ad diſcumbentes facere, multis cum lacrymis ſe dignum profeſſus eſt ob ſua commiſſa, qui cætu illo Sanctorum pelleretur; nedum acceptum gradum meruiſſet. Vocatus aliquando ad exhomologeſim pauperis excipiendam, ad ianuam, accurrit propere, barbam vti erat, ſemitonſus, quam ipſe ſibi formando deformare ſolitus erat. Corpus atque animum nullo non modo mortificationis exercuit. Pauperum ægrorum veſtes à vermibus purgabat, ſordes ipſorum ſuo ſtrophio detergebat, atque idem mox ipſe ori ſuo ad omnem vſum admouebat; illos ad naturæ leuamenta ſuſtinebat ſuis manibus, mundabat & in cubile reponebat. Vtebatur per æſtiuos calores accincta lacerna quam ponebat per hyemem; & cauſam tam præpoſteri vſus rogatus reſpondit, veſtes ſibi vt panem alijs eſſe, quem quiſque eo tempore, at modo quo indiget adhibeat. Corpus flagellis, cilicio, ieiunijs, omnis generis maceratione vexatum, & fatigatum incommodis, ad quietem duris aſſeribus veſtitum inſternebat. Multus in orando fuit, & mentem habuit in cæleſtia ſurrectam. Multos orando liberauit à morbis, & certæ morti ſubduxit: vnum etiam fuſis precibus reuocauit ad vitam, inſtruxit, Baptiſmo tinxit: & mox iterum morti permiſit. Multa Diuinitùs vidit occulta, multa poſt futura vaticinatus eſt. Suæ mortis articulum toto prius menſe ſignauit. Is fuit dies VIII. Decembris anno ſalutis 1594. ætatis 74. Religionis 43. in ea ipſa Vrbe in qua primam vitam hauſerat. Mortuus calicem manibus inſertum, vt ad ſepulturam de more præferret, apprehendit, ſtrinxitque ceu viuens. Exequias illi fecit Cathedrale Capitulum magna celebritate. Veſtes, vngues, crines, digitus etiam vnus auulſus eſt ob ſanctimoniæ opinionem. Edidit in vſum popularem Petrus Spiga expanſo in folio

Puncta meditationum, de vita & Paſſione Domini. Item

Puncta Examinis conſcientiæ.

PETRVS STERGLERVS natione Germanus gente Carniolus, domo Lithopolitanus adſci-

adſcitus in Societatem anno Domini 1618. ætatis 23. Humanioribus diſciplinis bene exculcus, ſed ægra vt plurimum valetudine vſus, vegeto tamen ſemper animo, & ſpiritualium Adiutorum albo adſcriptus exceſſit ex hac vita die 8. Auguſti 1642. Edidit tacito ſuo nomine

Aſma Poëticum Litaniarum Lauretanarum in quo nimirum ſingulis Litaniarum titulis ſingula Emblemata cum ſuo carmine reſpondent, Linzij Auſtriæ typis Ioannis Paltauff 1636. in 12.

PETRVS TAFFINVS natione Belga, patria Audomarenſis, vicennis in Societatem cooptatus anno 1618. litteras humaniores varijs in locis, Philoſophiam Moguntiæ, Sacras Controuerſias, ac Theologiam Moralem Montibus Hannoniæ profeſſus eſt, votis 4. nuncupatis. Demum apoplexia tactus, ſed Sacramentis Eccleſię rite præmunitus deceſſit Inſulis, die 8. Maij 1650. Edidit librum

De veterum Romanorum anno ſæculari cum ludorum ſæcularium noua Chronologia. Tornaci apud Adrianum Quinque 1640. in 4.

Parauerat ad typos

Hiſtoriam Pelagianæ Hæreſis, & Chronologiam vitæ Ieſu Chriſti per dies & annos diſtributam. Sed mors hæc impediuit.

* PETRVS TALBOTTVS natione Hibernus, ſed origine ducta ex nobiliſſima familia Illuſtriſſimorum Comitum Salopienſium in Anglia, exinde propagata in Hiberniam, vbi illius Maiores in Equeſtri ordine varijs prærogatiuis, priuilegijs atque honorificis muneribus claruerunt, & in fide Catholica imprimis conſtantiam ſemper inter Heterodoxos tenuerunt. Adoleſcens Societati noſtræ nomen dedit in Luſitania, vbi litteris operam dabat, anno ſalutis 1635. ætatis ſuæ 15. atque in ea diſciplinas Humaniores triennio docuit; Philoſophiæ & Theologiæ ſtudia inſigni profectu emenſus eſt, partim in Luſitania, partim Romæ, vbi Sacris etiam Ordinibus eſt initiatus. Inde reuerſus in Luſitaniam, & paulò poſt progreſſus in Belgium, Theologiam Moralem anno vno Antuerpiæ explicuit, & profectus poſtmodum in Angliam, ibi iuſtis de cauſis, abſolutus à votis, & ſui iuris factus aliquot poſt annos à Summo Pontifice Clemente IX. Archiepiſcopus Dublinenſis creatus eſt, atque ex eo tempore, commiſſum ſibi in Hibernia gregem vigilanter curat. Scripſit dum in Societate eſſet, libros aliquos idiomate Anglicano, quos pro ſingulari ſua beneuolentia, qua Ordinem noſtrum etiamnum conſtanter proſequitur, huic noſtræ Bibliothecæ inſeri tanquam Noſtros cupit, adiunctis etiam alijs quos Præſul dein Infulatus elucubrauit, licet tacito pleroſque nomine ſuo, vti plurimi ſolent, qui inter Acatholicos degunt, vt ſecurius lateant, & pluribus ad vitam æternam proſint. Librorum porro editorum ſyllabus eſt qui ſequitur.

Tractatus de Natura Fidei & Hæreſis. Antuerpiæ 1657. in 8.

Politicorum Catechiſmus, ad hos inſtruendos Diuina fide, & Morali honeſtate. Ibidem 1658. in 4.

De Nullitate Eccleſiæ Anglicanæ Proteſtanticæ, eiuſque Cleri. Bruxellis. 1658. in 8. Et hos quidem ille in Societate elaborauit; poſtea ab Illuſtriſſima Dominatione ſua editi ſunt.

Tractatus de Religione & Regimine, magno volumine Gandaui 1670. in 4.

Confutatio Principiorum Sectæ Proteſtantium à quodam Doctore Stillingfleto propugnatorum. Londini 1672. in 4.

Epiſtola Paſtoralis ad Catholicos in Hibernia, de Officio & Solatio patientium ſubditorum. Pariſijs 1674. in 8.

De Efficace remedio contra Atheiſmum & Hæreſim, & ſpecialim contra grauem errorem Thomæ Albij, ſeu Blacloi, in libro de Statera morum, damnato à S. Inquiſitione Romana anno 1661. requirentis pluſquam moralem euidentiam ad aſſenſum Fidei Diuinæ, ideoque reijcientis neceſſitatem Piæ affectionis in voluntate ad illum. Pariſijs 1674. in 8.

Hiſtoria Iconoclaſtarum. Pariſijs 1674. in 8.

Hiſtoriam Manichæiſmi & Pelagianiſmi in qua oſtenditur ſupra memoratum Albium ſeu Blacloum, eiuſque Aſſeclas has Hæreſes reſuſcitare. Pariſijs 1674. in 8.

Latinè edidit Illuſtriſſimus Dominus

De Primatu Dublinienſis Archiepiſcopatus, ſeu Reſponſum ad Ius Primatiale Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Armacani. 1673. in 8.

Prælo paratam nunc habet

Pugnam Fidei & Rationis, cum Renaſcente Pelagianiſmo & Manichæiſmo. in 4.

PETRVS THYRÆVS natione Germanus, patria Noueſienſis in Diœceſi Colonienſi, dignus Hermanni Thyræi frater, vir omni litterarum genere cumulatus, & in Academijs Treuirenſi, Moguntina, Herbipolenſi per 27. annos continuos Profeſſor & concionator, quique Religionem Catholicam ingenij ſui monumentis illuſtrare, & pro virili ſubleuare dum viueret non ceſſauit, rude Scholaſtica donatus, laborum ſuorum præmia percepturus nouem menſium tabe in cælum euocatus eſt; Herbipoli die 3. Decembris anno ſalutis 1601. ætatis 55. initæ Societatis 40. emiſſæ profeſſionis 4. votorum 18. Magnum ſui deſiderium apud multos reliquit, quibus operam confitentibus dabat, honorificentiſſimèque funus ipſius proſecuti ſunt, campanis per primaria Templa ſonantibus, ſcripſit præclaros libros his titulis

Loca infeſta, hoc eſt, de infeſtis ob moleſtantes Dæmoniorum, & defunctorum hominum ſpiritus, locis Lib. I. in quo ſpirituum infeſtantium genera, conditiones, vires, diſcrimina, opera, mala, quæ viuentibus adferunt; rationes item quibus partim cognoſcuntur, partim

tim proſcribuntur. Modi denique quibus loca ab illorum moleſtia liberantur, iiſque ſimilia diſcutiuntur, & explicantur. Acceſſit

Libellus de Terriculamentis nocturnis, quæ hominum mortem ſolent portendere. Coloniæ apud Maternum Cholinum 1598. in 4.

Dæmoniaci, hoc eſt, de obſeſſis à Spiritibus Dæmoniorum., hominibus Lib. I. in quo Dæmonum obſidentium conditio, obſeſſorum hominum ſtatus, rationes & modi quibus ab obſeſſis Dæmones exiguntur, & ijs ſimilia explicantur. Secunda editione auctiùs, & correctiùs. Ibidem eodem anno in 4.

De Approbationibus Spirituum tractatus duos quorum prior agit.

De Apparitionibus omnis generis Spirituum, Dei, Angelorum, Dæmonum, Animarum humanarum, Lib. I. cum duplici Appendice de ſpirituum imaginibus, & cultu, deque Purgatorij veritate.

Poſterior continet. *Diuinarum, ſeu Dei in vetere Teſtamento Apparitionum, & locutionum tam externarum, quàm internarum Lib. IV.* Ibidem 1600. in 4.

Diuinarum noui Teſtamenti ſiue Chriſti Filij Dei noui Teſtamenti. Mediatoris Apparitionum Lib. III. Quorum I. Illam qua in particulari iudicio omnibus dicitur apparere: II. Sacramentales, quibus ſub peregrinis ſpeciebus aliquando conſpicitur. III. Imperſonales in quibus ſub alienis perſonis exhibetur, explicat. Coloniæ apud Goſvvinum Cholinum 1625. in 4.

Et hæc quidem ipſius iuſtis voluminibus prodierunt; Scripſerat vero priùs *Diſputationes varias* nempe

De Apparitionibus Spirituum. Moguntiæ 1582.

De feſto Corporis Chriſti, & Deo in Sacramento Euchariſtiæ adorando. Ibidem 1585.

De Sacramentali Confeſſione. Ibidem eodem anno.

De Poteſtate Eccleſiaſtica. Ibidem 1586.

De vera fide duplicem. Ibidem 1587.

De Iure vocationis, & Miſſionis Miniſtrorum in Pſeudo-Euangelicorum Eccleſijs. Ibidem eodem anno.

Examen Apologeticum Theſium Danielis Toſſoni Caluiniani Theologi in Academia Heydelbergenſi pro Diſputatione Moguntina de Iure vocationis, & Miſſionis Miniſtrorum verbi apud Euangelicos. Ibidem 1588.

Rurſum de Iure vocationis contra Euangelicos Miniſtros, & Apologiam Danielis Toſſani pro iiſdem Miniſtris. Ibidem eodem anno.

De Clandeſtinorum Matrimoniorum Iuſtitia. Ibidem eodem anno.

De Libertate Chriſtianæ Fidei, & Religionis. Ibidem 1590.

De Sanctorũ inuocatione. Vvirceburgi 1596

De legitimo Sanctorum cultu, deque Imaginum conſecratione.

De multiplicibus ſuffragijs, quibus pie Defunctorum ſpiritus à viuentibus iuuantur.

De Sacrorum hominum continentia.

De nouo & falſo Antichriſto.

Apodixim præſumptæ neceſſitatis vtriuſque ſpeciei in Sacramentali Communione, Vvirceburgi 1597.

PETRVS VARGAS natione Hiſpanus, patria Cordubenſis, adlectus in Societatem anno ſalutis 1577. ætatis 15. profeſſionem emiſit 4. votorum Cordubę 27. Iulij 1594. Theologiam Moralem docuit annis tribus, & totidem Scholaſticam. Rexit Collegium Montelianum, Cordubenſe, & Domum Profeſſam Hiſpalenſem, & ex ea demum migrauit ad vitam mortis neſciam, die 18. Aprilis 1631. Hunc omnino exiſtimamus auctorem fuiſſe librorum, quorum meminit P. Ribadeneria in ſuis Catalogis editis 1602. & 1606.

De Conſcribendis Epiſtolis, &

Progymnaſmata Rhetorica. Nam quod affirmat clariſſimus D. Nicolaus Antonius in ſua Bibliotheca Hiſpana legiſſe ſe Auctorem horum fuiſſe patria Matritenſem, non videtur vero affine, quia nullus eo nomine nuncupatus viuebat per ea tempora de Societate in Hiſpania, præterquam in Bætica, vti conſtat ex Catalogis Prouinciarum Toletanæ, Caſtellanæ, & Aragoniæ, qui in tabulario Domus Profeſſæ Romanæ aſſeruantur.

PETRVS DE VRTEAGA, natione Hiſpanus, editus in lucem Hiſpali, ſed ex Cantabria ducens originem, adhuc puer totum ſe pietati, ac rebus Diuinis tradidit, & frequens ventitabat Domum noſtram, tum ad conciones ſingulis feſtis, tum ad diuerberationes ſui ipſius ter per hebdomadam, in cætibus Parthenijs. Delectabatur lectione piorum librorum, frequentabat Sacramenta, geſtabat cilicia ſetoſa, & alia cruciandi corpuſculi inſtrumenta vſurpabat. Cum 19. iam eſſet annorum, magno ardore à Prouinciali efflagitauit admitti in Societatem. Tunc Prouincialis, vt probaret conſtantiam, Tu ne puer, inquit, ſcis quid ſit Religio? quid obedientia? Age, per iſtos gradus te præcipita; ille nihil cunctatus, illicò procubuit, & ſe deuoluere per gradus cæpit. Delectatus Prouincialis tam prompta adoleſcentuli indole, eum ad Societatem continuò aggregauit. His exordijs conſimiles fuerunt per reliquam vitam progreſſus. Rigidiſſimè ſe tractabat; ſumma pietate colebat Sacram Euchariſtiam, & Beatiſſimam Virginem Deiparam, & inter medios plauſus, atque honores, quos exhibebant illi viri Principes, Prælati, & Cardinales, abiectio ſui, atque humilitas fuit profundiſſima. Primam concionem habuit Gadibus, in qua tam excellens dicendi talentum patefecit, vt Epiſcopus Vrbis, poſtea Cardinalis, D. Antonius Zapata caſu illum audiens, obſtupuerit, monueritque Superiores ne ad alia miniſteria, quàm ad Concionandum applicarent. Exinde Eccleſiaſten per annos quin-

quinquaginta egit, & vt plurimum Hiſpali ingente plauſu atque fructu, & non exigua Societatis commendatione. Eminuit etiam peritia gubernandi; vnde rexit Collegia Marcenenſe, Malacenſe, Granatenſe, & iteratò Domum Profeſſam Hiſpalenſem, atque electus à Prouincia miſſus eſt Procurator Romam. Vbique Serui fidelis & prudentis partes ſuper familiam Domini expleuit, vt mirum non ſit Deum quoque de ſubſidijs rei familiaris, miris modis illi quandoque ſubueniſſe. Nam Marcenæ dum præeſſet, deficiente frumento ad victum neceſſario, poſt fuſas ab illo preces, bis in granario inuentum eſt triticum, vbi antea viſum non fuerat; & Hiſpali cùm ſupplicationẽ Catecheticam Noſtrorum inſtituiſſet dubio cælo, & lutulentis vijs, vnus ſpectatorum exemplo virtutis permotus, ſtatim tria nummum regalium milliа, quæ ei Domus debebat, liberaliter condonauit. Coniunctiſſimus ſemper cum Deo per orationem vixit: & extremo biennio, cum per Paralyſim Sacrum ei facere non liceret, quotidie cæleſti pane refici ſe curauit. Demum multarum virtutum meritis cumulatus, ſuſceptis rite Sacramentis, ſicut ſanctè vixerat ita & obijt Hiſpali die penultimo anni 1644. votorum 4. pridem profeſſus. Vitam eius fuſius conſcripſit noſter Nierembergius tom. 4. Edidit optimus Pater Hiſpanicè quam Hiſpali habuit

Concionem in exequijs Philippi III. Regis Catholici. Hiſpali apud Alphonſum Rodriguez Gamarra 1631. in 4.

PETRVS VVADINGVS natione Hibernus, patria Vvaterfordienſis, Vir in omni ſcientiarum genere præſtans, natus anno ſalutis 1580. Societatem inijt Tornaci ſæculi fluentis primo, & vota 4. nuncupauit. Docuit Poeſim, & Rhetoricam quadriennio, Philoſophiam ſexennio, Theologiam partim Louanij, partim Pragæ annis 16. & Cancellarius Pragæ annis XIII. ſtudijs præfuit, vtriuſque facultatis Doctor. Primus in Vniuerſitate Græcenſi Sacros Canones explicuit. Academiæ Pragenſis Ferdinandeæ iura aduerſus Carolinæ diuturnas oppugnationes conſtanter defendit, nixus iuſtitia cauſæ, & Deo cum quo familiariter agere per orationem conſueuerat. Vſque ad extremum, magnæ auſteritatis in ſe, obedientiæ erga Superiores, & depreſſionis ſui ipſius exemplo præluxit. Efficaciam verbis ſuauitatemque miſcebat, & quos in priuatis cum Deo ſeceſſibus hauſerat affectus, in alios inter colloquendum transfundebat. Diuturna & acri pedum exulceratione afflictus, dolores acerbos non tantùm infracta patientia ſuſtinuit, ſed etiam cum voluptate; communi omnium ſenſu æque ſanctus ac doctus habitus, ad vitam tranſiuit ſempiternam. Græcij die XIII. Septembris 1644 Edidit ſub alieno nomine

Carmina varia, & alia ſpectantia ad diſciplinas humaniores. Item

Tractatus aliquos contra Hæreticos.

Sub ſuo autem nomine

Breuem refutationem calumniarum, quas Collegio Societatis Ieſu Pragenſi, impegit Scriptor famoſi libelli, cui titulus flagellum Ieſuiticum, præſertim in negotio Academiæ Pragenſis. Niſſæ apud Ioannem Schubarth 1634. in 4.

Tractatum de Incarnatione. Antuerpiæ apud Martinum Nutium 1634. in 4.

Orationem Pragæ dictam in Ferdinandi III. Ratisbonenſibus Comitijs in Cæſarem electi inauguratione.

Tractatum de Contractibus. Græcij 1644. in 4.

* PETRVS VVITFELDT natione Germanus, patria Coesfeldienſis in Vveſtphalia in Societatem cooptatus anno ſalutis 1607. ætatis 20. poſt auditam Coloniæ Philoſophiam: in ea votis 4. ſe obligauit, Latinè, Græcèque ſupra mediocritatem doctus, litteraturam omnem inſigni ſuo aliorumque profectu tradidit. Theologiam Monaſterij Vveſtphaliæ, & Paderbonæ cum laude docuit. Studiorum compluribus annis Præfectus fuit, & politiorum litterarum promotor aſſiduus; Sacros etiam Canones, & Controuerſias de fide accuratè explicuit, nec ſcriptis modò, ſed & factis domi foriſque claruit, Regularum omnium votorumque obſeruantiſſimus, ante agonem vltimum Sacris munitus, petita cordatè à noſtris circumfuſis offenſarum venia, piam efflauit animam Monaſterij Vveſtphaliæ die v. Aprilis 1657. Edidit Latinè

Theologiam Catecheticam. Monaſterij Vveſtphaliæ typis Bernardi Raesfeldt 1656. in 8.

Placita Iuridica de immunitate Eccleſiaſtica. Ibidem typis iiſdem 1640. in 4. Germanicè vulgauit

Polemica varia pro D. Barone Vander Reck conuerſo ad fidem Catholicam, contra Sectarios Tremoniæ, & alibi. Ibidem in 8.

* PETRVS VVOESTVVINCKEL natione Belga, patria Brugenſis, natus anno ſæculi euoluti 95. in Societatem ſe recepit voluentis 13. & votorum 4 profeſſionem emiſit. Septennio docuit diſciplinas amœniores, octennio præfuit ſcholis, Eccleſiaſten egit aliquamdiu; Directorem Sodalitatum B Virginis annis 24 In ſenectute bona naturæ conceſſit. Cortraci die 22. Martij 1672. edidit latinè ſuppreſſo ſuo nomine libellum hoc titulo

Deipara Mater Miſericordiæ, ſua excellentia, & miſericordia admirabilis Marianis cultoribus compendio expoſita. Inſulis apud Ignatium, & Nicolaum de Rache 1658. in 12.

PETRVS XIMENEZ natione Hiſpanus, patria Toletanus, Romæ Societatem vicennis complexus eſt, anno ſalutis 1574. & ibidem confectis ſtudijs, ac Sacerdotio initiatus, Viennam Auſtriæ miſſus eſt anno 1582. & mox ibi Scholaſticam Theologiam docuit, & Italicum egit Concionatorem. Paucos poſt annos ad nouam Academiam Græcij inſtitutam tranſlatus, primus illius naſcentis Cancellarius eſt

eſt renunciatus, & Diuinas ſimul ſcientias profeſſus. Ibi ſæpiùs cum Hæreſeos anteſignanis, Balthaſare Fiſchero inprimis, omnium primipilo, qua pollebat vi maxima concurrit, eoſque ad infantiam plane redegit, vt neminem magis quàm Hiſpanum hunc hominem, ſe perhorreſcere oſtenderent, & Ieſuitarum patronum eum nuncuparent. Exinde noſtris quoque ſæpe cum laude præfuit; Clagenfurti, Olomucij, Pragæ, Græcij Rector fuit, vbique ſui ſimilis, omnibus venerabilis. Vir fuit excellentis ingenij, atque prudentiæ, ſed animi tanti, vt adeo nullis labefactaretur aduerſis, quin etiam acueretur eò magis, quò grauiùs quidquam incubuiſſet. Sereniſſimo Archiduci Auſtriæ Carolo, non eſt veritus Academiæ conceſſa ab illo priuilegia repræſentare, remittereque, niſi vellet eadem in cauſa grauiſſima, quæ cum ipſo Principe tum intercedebat, ſarta tecta tueri. Olomucij anno 1619. cùm perduellium Hæreticorum Commiſſarij, ad Collegium veniſſent, & proſcriptionis Patrum cauſas expoſuiſſent, claues Templi atque Collegij ſibi iuſſiſſent exhiberi; demum, vt abirent Patres, niſi vellent extrema experiri, præciperent; Petrus, qui tum ibi Rector erat, reſpondit coram vniuerſa multitudine, primò quidem oculis & manibus in cælum eleuatis, cauſas proſcriptionis haud eſſe cum veritate coniunctas, coram Deo, coram Angelis & Hominibus, ſemel iterumque ſe proteſtari, alta & contenta voce exclamauit. Ad alterum de clauibus ſic ait: *Templi claues tradere nequeo, quia neque Domum Dei tradere queo: & ſi pro ea re moriendum ſit, id ego in beneficio ponam; imò ne in hoc fruſtra laboretis, notum vobis facio, me claues iam tradidiſſe magiſtratui Eccleſiaſtico: ad eum enim, non ad vos eas pertinere intelligo. Claues vero Collegij fruſtra petitis cum Collegium ipſum iam teneatis. Verùm de huiuſmodi clauibus difficultas nulla eſt.* Ad vltimum: *Patres*, inquit, *parebunt neceſſitati, excuſſo etiam puluere, iuxta præſcriptum Chriſti, omne namque ſolum illis patria erit, vbicumque Diuinæ gloriæ ſeruire licebit.* In hanc ſententiam cum pluſcula addidiſſet mira conſtantia, Commiſſarij rurſus inſtitere, vt claues Templi traderentur, vel is penes quem eſſent proderetur. Rector vtrumque negare, primum quia claues in ſua poteſtate non habebat: alterum quia ſecretum non poſſet cum alterius detrimento reuelare. Hæc ille, fortiter cum Hæreticis. Verùm pro tuenda Societatis dignitate, Iuribuſque nihil ſe dubitauit murum obijcere, vel Principibus Purpuratis. Cæterùm hanc animi magnitudinem ita religioſa humilitate temperabat, vt omnibus eſſet percarus. Nihil in eius verbis arrogans nihil in moribus inſolens, vel in habitu corporis eximium, aut à cæteris ſingulare. Delatam certè quatuor votorum profeſſionem non priùs admiſit, quàm qui ſe præibant ætate, eo quoque honore præceſſiſſent. Magnatum conſuetudinem quoad illi fas erat, ſtudioſè declinabat, & mirabantur, qui iam ad id animum aduerterant, quoties ad Societatis Domicilium Principes diuertebant, ſemper abeſſe Ximenium. Puritatis cultor, prope dixerim, nimius fuit, ſi quid eo in genere poteſt nimium eſſe. Non ferebat coram ſe vel in ſcena quidquam exhiberi, quod mollitudinem quoquo modo redoleret. Omnino Virginalis, vel in cano capite verecundia refulgebat. Viennæ viderat in Templo nonnullos, per iuuenilem licentiam fœminis connictantes; non ſe tenuit, quin prehenſos de brachio educeret, dicens locum illum orationi, non amoribus eſſe ſacrum. Nunquam vel in extrema ſenectute manus auxiliares ad veſtes ponendas, ſumendaſque admiſit. In cibo temperans fuit, & ex appoſitis viliora fere ſumebat, nec in communi menſa quidquam admiſit eximium donec imbecillitati corporis iuſſus eſt aliquid indulgere. Paupertatis & obedientiæ fuit perſtudioſus, quam cum etiam à ſubditis exigeret accuratiſſimam, omnium tamen neceſſitatibus ſe facilem exhibebat. Nihil ſuis patiebatur deeſſe. Omnes tenerrima beneuolentia complectebatur. Peccantes arguebat paterna ſeueritate, & in minima quæque errata animaduertebat, quò grauioribus aditum prohiberet. Humanas rationes ſimplici ſinceràque veritate retundebat. In rebus gerendis nihil adoriebatur tametſi leue videri poſſet, non præmeditatum. Incredibili zelo feruebat Diuini honoris tuendi, & augendæ in Societate perfectionis Religioſæ, vt tabeſcere videretur, ſi quid agi cerneret, tolerarique, quod illi officeret: & quanto poterat opere connitebatur ad corrigendum. Vt erat facilis in morigeros, ita ſerius erat & auſterior in parùm ſinceros, & candidos. Sæpiùs ingeminabat parum ſe eſſe de ſua morte ſollicitum, verùm impensè optare, vt Societas vniuerſa hauſtum ab Sancto ſuo fundatore ſpiritum ſanctimoniæ, poſt obitum quoque ſuum porrò retineret. Diuinarum rerum ſtudio impenſiſſimè tenebatur, & in abditiſſimos illarum receſſus penitiſſimè intrabat. Hinc illi, copia multa exquiſitiſſimorum ſenſuum in priuatis publiciſque colloquijs, multa in exhortando efficacitas, cùm mira ſuauitate coniuncta: tenerrimus pietatis ſenſus, & facilitas lacrymarum. Multum quotidie temporis contemplationi dabat, præſertim annis poſtremis, tanta mentis cum Deo coniunctione, vt à ſenſuum vſu crederetur alienus. Ibi concipiebat ardorem qui poſt in ſuſpiria, atque exclamationes magno impetu ſoluebantur. Sæpe debuit præ Diuinarum conſolationum vehementia, in Sacrificio Miſſæ ſubſiſtere, nec à ſacro faciendo abſtinuit, vel in ætate fractiſſima, quamdiu ſe potuit in Altari ad populum de more conuertere. Ea porro pietate litabat, vt ſemel conſpectum fundatrix Nouodomenſis Collegij Heroina pietatis ac prudentiæ laude conſpicua, virum magna præditum ſanctimonia iudicarit. Duobus poſt ſe ſacrificantibus ſolebat adeſſe, ad

Digitized by Google

gratias Deo referendas. Omnino frequens erat & ſedulus in Venerabili Euchariſtia colenda. Diuinis in Templo Officijs, quoad poterat aſſiſtebat, quando per hyemis inclementiam nequibat, eadem in ſuo peragens cubiculo, cum publicis hora certè, & ſpiritu, ſi non loco coniungebat. Muſicis modis Eccleſiaſticis mirum in modum afficiebatur, vt ſæpe in lacrymas, ſæpe velut in exſtaſim raperetur. Vanum tamen leuemque cantum, & notarum artificium, aut verba Templo, rebuſque ſacris minime accommodata vehementer deteſtabatur. Crebros miſcebat de Deo ſermones, & ex compoſito ſecedebat non rarò ad eos cum quibus liberiùs talibus colloquijs perfrueretur. Magnis motibus exultabat ad cælum, aiebatque ſe facile ijs omnibus, quæ in Societate vnquam geſſerat, mercaturum externæ huius cæli pulchritudinis aſpectum, nedum teneretur deſiderio formæ interioris ſpectandæ. Hæc cùm varijs regendi curis diſtractus egerit, facilis coniectura eſt quantò inflammatiùs in ea incubuerit cùm tertiæ probationis curam Societatis more ſuſtineret. Acutiſſimè diſcernebat quantum ab ea quæ Societatis propria & peculiaris eſt ſanctimonia, diſtet Religioſorum etiam noſtrorum vulgaris, & in eam Noſtris quaſi digitum, in ſcopum intendebat. Seceſſerat viribus animi, corporiſque recreandis aliquantiſper Græcio Milleſtadium; quod in extrema Carinthia Monaſterium eſt iuris Græcenſium. Ibi leuis illum principiò febricula lecto affixit, ſed ætate laboribuſque fatigatum breui confecit. In morbo nihil queritari; ſemper de rebus Diuinis quoad potuit loqui, aqua ſe ſacra identidem luſtrare, frontem, os, pectus, cruce ſignare, ac demum extremis Sacramentis ſe ad iter æternitatis inſtruxit. Poſtremo triduo, cum iam vox illum deficeret, nutibus Sacros aliorum ſermones proſequebatur. Et his intentus, placidè tandem conquieuit, Vir ſi quis alius ingenio, doctrina, prudentia, ac Societatis propria ſanctitate magnus, die 29. Nouembris anno ſalutis *1633.* ætatis 81. ex quibus 59. Societati conſecrauit, ante 43. annos quatuor ſolemnia vota profeſſus. Scripſit Ximenius

Orationem quam dixit Græcij in funere Sereniſſimi Archiducis Auſtriæ anno 1590. eſt ea prima trium, quæ de hoc argumento coniunctim ſunt editæ à Collegio Græcenſi.

Diſputationem habitam cum Balthaſare Fiſchero Lutherano, de Fide iuſtificante in Collegio Græcenſi anno 1592. Græcij typis Vvidmanſtadij.

Edidit præterea adſcripto ſolum titulo cuiuſdam è Societate in Prouincia Auſtriaca.

Compendium, ſeu Breuiarium abſolutiſſimum omnium Meditationum, de præcipuis fidei noſtræ myſterijs vitæ, & Paſſionis Domini Noſtri Ieſu Chriſti, & B. Mariæ, &c. è ſex Partibus Meditationum P. Ludouici de Ponte collectum. Coloniæ apud Ioannem Kinckium *1623.* & rurſum *1629.* in 8. & Romæ per Franciſcum Corbelletum *1637.* in 8. illud autem Italicè tranſtulit, & Petri Ximenez nomen præfixit Aloyſius Dulcebenius noſter.

PHILIBERTVS MONETVS, natione Allobrox ſeu Gallo-Sabaudus, Societatem anno 1590. ætatis 24. ingreſſus eſt, & vota ſpiritualium Coadiutorum nuncupauit. Vir latinitatis intelligentiſſimus, quinquennio humaniores litteras docuit, & 22. annis præfuit ſcholis. Theologiam etiam Moralem triennio explicuit, ac demum religiosè quieuit, Lugduni die vltima Martij *1643.* Edidit

Annuas litteras Societatis Ieſu annorum 1612. & duorum ſequentium. Lugduni apud Claudium Cayne 1618. in 8.

Delectum latinitatis rudiore exemplo propoſitum, accuratiùs poſtea edendum, editum ſeptimò Duaci *1625.*

Abacum Romanarum rationum, ſeu de re Nummaria Romana & Græca. Lugduni apud Ioannem Didier 1612. in 8.

Rupeculam Captam, Cracinam ſeruatam à Ludouico XIII. Rege Chriſtianiſſimo. Lugduni typis Pilchotte 1630. in 12.

Originem & praxim Gentilitiæ Teſſeræ Gallicæ, Latinè, & Gallicè. Lugduni apud Claudium Landry 1631. in 4.

Geographiam Galliæ veteris, ac recentis. Lugduni apud Antonium Pilehotte *1634.* in 12

Parallelum vtriuſque linguæ Gallicæ, & Latinæ. Lugduni apud Muguet 1630. in 4.

Copulas partium Orationis vtriuſque Linguæ. Lugduni apud Abrahamum Cloquemin *1629.* in 12.

Inuentarium earundem duarum Linguarum. Lugduni apud Rigault 1635. in folio

Nomenclaturam Geographicam Galliarum. Pariſijs apud Claudium le Beau *1643.* in 12.

Sub nomine ſimulato Vilbonij edidit

Grammaticam Latinam.

Parauerat prælo.

Formularum Artium, conflatum ex ſcutarijs Symbolis, aucupiaria, venatoria, equeſtri domitoria, pictoria, ſculptoria, re nummaria, nautica, forenſi, Architectonica, equeſtri, pedeſtri, militia, tormentaria, munitoria, agricultura, fabrilibus, lignaria, lapidaria, Aeraria, &c. ſed mors calamum ſtitit.

* PHILIPPVS ALEGAMBE, ſecundus huius operis poſt Ribadeneiram Auctor cùm nullam de ſe ipſo faciat mentionem, æquum eſt vt Continuator id pro virili ſuppleat. Natione Belga, patria Bruxellenſis, editus in lucem anno ſæculi tranſacti 92. die 22. Ianuarij, & poſt nauatam ibidem litteris humanioribus operam adoleſcens profectus in Hiſpaniam adiunxit ſe Aulæ Ducis de Oſſuna, illumque deinde Proregem Siciliæ creatum, eò ſecutus eſt. Ibi vocanti Deo ad perfectioris vitæ genus obſecundans, nuntium remiſit mundo, & poſthabitis Cruci Chriſti honoribus ac emolumentis, quæ fauore Proregis conſequi poterat, Societatem amplexus eſt Panormi die 7. Septembris *1613.* Abſoluto

luto Tirocinio, Philoſophiæ ibidem operam dedit, Theologiæ in Collegio Romano. Inde miſſus à Præpoſito Generali in Auſtriam ad prælegendum in Academia Græcenſi Philoſophiam, magna laude id præſtitit, & emenſo diſciplinæ illius curriculo. Theologiæ Scholaſticæ docendæ eſt admotus, eaque de cauſa facultatis illius Doctor inauguratus, emiſſa profeſſione 4. votorum 1629. Verùm cum per id temporis à Principe Eggembergico, (qui primas gratiæ tenebat in Aula Cæſaris Ferdinandi II.) poſtularetur ex Societate Vir prudens, ac doctus, qui filium ipſius ad varias Europæ regiones luſtrandas profecturum, tamquam Confeſſarius comitaretur, delectus eſt ad id muneris P. Philippus, qui iuniorem Principem per Germaniam, Galliam, Hiſpaniam, Luſitaniam, Italiam quinquennio deduxit, non paucis vbique qua tranſiuit religioſæ ſuæ prudentiæ relictis documentis. Redux tandem Græcium, Theologiam Moralem profeſſus eſt, & ſimul numeroſæ noſtræ iuuentutis Pater Spiritualis ibidem fuit. Verùm cum Princeps Eggembergius iunior ab Imperatore Ferdinando III. deſtinaretur Romam ad præſtandam ſuo nomine Vrbano VIII. Pont. Max. obedientiam anno 1638. iterum ab eodem Principe adſcitus eſt P. Philippus in Comitem Legationis, & arbitrum ſuæ conſcientiæ. Defunctus eo munere retentus eſt Romæ à Præpoſito Generali, vt ſibi à ſecretis eſſet in conſcribendis latinis Epiſtolis ad Prouincias Aſſiſtentiæ Germanicæ. Quadriennium exegit laudatiſſimè eo in officio, donec caligantibus ex aſſiduitate ſcribendi oculis, coactus eſt abſiſtere, & factus Præfectus rerum Spiritualium in Domo Profeſſa, atque Confeſſarius in templo, mirificè omnibus in ijs munijs ſatisfecit, ob amabilem morum ſuauitatem; inſignem prudentiam, doctrinam eximiam, & accuratam diſciplinæ religioſæ obſeruantiam. Demum correptus morbo aquæ intercutis, & ſuſceptis magna cum pietate Eccleſiæ Sacramentis ad laborum præmia ex hac vita emigrauit. Ibidem die 6. Septembris 1652. Dum in Auſtria eſſet collegit vndique labore improbo, quæ potuit de Scriptoribus noſtræ Societatis, & Catalogum à P. Petro Ribadeneira compoſitum ad citeriora tempora produxit, & Romæ deinde expoliuit, permiſitque inſcribi.

Bibliothecam Scriptorum Societatis Ieſu. Antuerpiæ typis Ioannis Meurſij 1643. in folio Edidit etiam

Vitam P. Ioannis Cardim Luſitani ex Societate Ieſu. Romæ apud Franciſcum Caballum 1649. in 12.

Heroas, & Victimas caritatis, Societatis Ieſu. Romæ typis poſthumis Vareſij 1658. in 4.

Mortes Illuſtres, & geſta eorum de Societate Ieſu, qui in odium fidei ab Hæreticis, vel alijs occiſi ſunt. Romę typis Vareſii 1657. in fol.

PHILIPPVS BEBIVS natione Belga, patria Orepienſis in Diœceſi Leodienſi Societatem anno 1589. complexus Coloniæ, in ea fructuosè ad ſenectam vſque laborauit: propè 20. annis Sodalitium Marianum rexit Coloniæ, & editis propè quotannis pro Xenio Sodalibus, pijs libellis, multum illis profuit. Demum 16. Februarij Coloniæ deceſſit anno 1637. ab inita Societate 48. ætatis 68. & votorum 4. nuncupatione 23. Eius libelli ſunt typis Kinckianis editi, ſed tacito ipſius nomine his titulis, & annis.

Porta Cæli vna cum Scala Iacob, ideſt, Teſſera ſalutis, prædeſtinationis, ac mortis felicis cultus Virginis Deiparæ 1616.

Scala virtutum cum nonnullis exercitijs ad Sodalitatem ipſam, & B. Virginis cultum ſpectantibus 1618.

Diæta ſalutis ex P. Ioannis Polanci piè viuendi induſtrijs excerpta.

Antidotum ſpirituale contra peſtem 1622.

Scala virtutum, & Porta Cæli vna cum Scala Iacob ſelecta ex opere Mariano P. Delrio, & Franciſci Ariæ de præſentia Dei, & vtilitate frequentis Confeſſionis, & Communionis 1621.

Flores Meditationum ex S. Ignatio, P. Bruno P. Buſæo, & alijs collecti. Hi præcipuam quandam habent commendationem, & ideo recuſi ſunt. Coloniæ typis Gualteri in 12. anno 1623.

Thronus Iuſtitiæ, ſiue De examine Triplici Conſcientiæ, generali, diurno, particulari ex 4. PP. Societatis concinnatus 1624.

Schola affectuum, ſiue de moderandis paſſionibus collecta ex aliquot Aſceticis Scriptoribus Societatis Ieſu. Edidit vero ſub nomine Alberti Malberg 1625.

Triuium Cæleſte, ſiue Tractatus de Triplici via, Purgatiua, Illuminatiua, & Vnitiua ex 4. PP. Societatis collectus.

Antidotum generale contra omnes animi morbos, ideſt, Tractatus Spiritualis, De præſentia Dei ex P. Fran. Arias, Ant. Gaudier 1626.

Ars Vitæ Sanctioris, ſiue Scientia Myſtica Spiritualis ex varijs PP. Collecta 1627.

Euthanaſia, ſiue Præparatio ad felicem mortem, ex Bellarmino, Aluarez, & de Ponte anno 1628.

Phœnix rediuiuus, ſiue De renouatione interiori Sodalis Mariani ex P. Iacobo Aluarez, & Sodali Parthenio P. Gaſparis Lechneri.

Item ſuccincta Chronologia ex Bellarmino, & Baronio ab initio mundi vſque ad annũ 1628. in 8. apud Hermannum Mylium præfixa eſt Hiſtoriæ, ſeu Chronico Turſellini, quæ à perſpicua breuitate commendatur.

S. Bernardi Abbatis Libellus De interiore Domo, ſeu De Conſcientia 1629.

Commentarius in tres partes Carminum ſelectorum Latinorum ex diuerſis Scholiaſtis concinnatus. Editus Coloniæ 1629. apud Hermannum Mylium in 4. Iuſto volumine

Gymnaſium virtutum, ſiue De officio hominis

nis Chriſtiani,& pij Sodalis ex S. Ambroſio lib.1. Officiorum

Tractatus Aſceticus De Militia Spirituali anno 1630.

Gymnaſij virtutum Pars II.ex S. Ambroſio Lib.II. Officiorum. Item

Tractatus Aſceticus De Peregrinatione Vitæ humanæ, ac filiorum Dei excerptus ex 40. manſionibus filiorum Iſrael, quæ moraliter explicantur 1631.

Præter Aſcetica iſta, etiam edidit Philologica, Vir vti pius, ita litteratus imprimis

Commentarium in Lyrica Horatij expurgata ex Veteribus, ac Recentioribus Scholiaſtis, Actone, Porphyrione, Chabetio, Lambino, Torrentio,& Ceruto excerptum,editũ Coloniæ apud Hermannum Mylium in folio.

Flori Sanctorum P. Ribadeneiræ Coloniæ excuſo inſeruit Vitam, & Paſſionem S.Vrſulæ, vt alia fabuloſa exemplaris Hiſpani eximeretur.

Eandem Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Belgij, Belgicè ſcriptæ inſeruit Heribertus Roſvveydus adſcriptis P.B.initialibus litteris.

His adiunge.

*Manuale continens Pſalteriolum B.Virginis Mariæ,& aliqua exercitia.*Coloniæ apud Gualterium 1615.

Quadrigam Pietatis. Coloniæ anno 1616, in 12.

Portam Cæli, Scalam Virtutum, Praxim bonarum intentionum è Gallico Latinè redditus Coloniæ 1619.

Diatam ſalutis,& eandem auctiorem 1620.

Modum piè viuendi. Coloniæ 1620.

Vindicias Vrſulanas,quas noſter Hermannus Crombach, ſuppleuit, & edidit vtriuſque nomine præfixo. Coloniæ apud Hermannum Mylium 1647. in folio.

PHILIPPVS DE BERLAYMONT natione Belga,patria Huenſis natus anno 1576. Societati nomen dedit 1590. in qua varia munia exercuit cum approbatione. Emicuit in eo ſingulare ſtudium in iuuentute ad omnem virtutem efformanda. Hinc factum eſt,vt etiam extrema ætate doctrinam Catechiſticam lubens pueris traderet; hinc ab eo editus

Paradiſus Puerorum, in quo primæuæ honeſtatis, totiuſque pueritiæ rectè informatæ exempla continentur certo ordine diſtributa. Duaci typis Ioannis Bogardi 1618.in 8.moxq; ibidem & alibi recuſus. Idem poſtmodum in Gallicum conuerſus eſt à N. Rochette noſtro. Obijt Hui 11.die Septembris 1637.in ſpiritualium Coadiutorum numerum pridem antea relatus, & prælo paratam reliquit

Bibliothecam Moralem in quinque Claſſes diuiſam, in qua ad ordinem Catechiſmi præcipuę de Chriſtiani hominis officijs quæſtiones reuocantur, illuſtranturque exemplis, figuris, ac ſimilitudinibus ex hiſtoria tàm ſacra, quàm prophana petitis cum triplicę Indice.

PHILIPPVS BOVCHY natione Belga, patria Hanno-Seruius natus anno 157[illegible]. in Societatem ingreſſus 16[illegible]. iam tum Sacerdos, atque in ea ob inſignem Humanioris litteraturæ peritiam, profeſſionem votorum trium ſolemnium emiſit. Leodij Scholarum præfecturam geſſit decennio, & Sodalitium B.Virginis magna omnium approbatione direxit. Gratia vſuque valuit, ad formandas in ſacro Pœnitentiæ Tribunali hominum mentes, quas ad omnem virtutem, & potiſſimum ad amorem Deiparæ, exemplo ſuo non minus quam conſilio permouebat. Senio fatiſcens, corporis vinculis ſolutus eſt die 9. Febru.1657. Edidit Gallicè

Lacrymas Parthenophili areſactas,ſeu Conſolationẽ animarum B.Virgini Deuotarum. Leodii 1636.

Conſilium Status, ſiue Directionem ad dignoſcendum ſtatum in quo Deus vult vnumquemque noſtrum ſaluare. Ibidem 1637.

Solatium animarum deſolatarum, per modũ Collationis ſpiritualis. Ibidem 1637.

Tractatum de Fraterna Charitate. Ibidem 1638.

Artem bene moriendi. ibidem 1639.

Amicum fidelem vſque ad mortem, ſeu modum diſponendi ægros ad bene moriendum. Ibidem 1639. hic liber latinè prodijt. Ibidem typis Balduini Bronchart 1642.in 8.

Hiſtoriam, & miracula Sacræ Imaginis B.Virginis apud Tungros Hannoniæ, Typis iiſdem 1652.in 4. Item

Hiſtoriam alterius Imaginis apud Cernienſes. Typis iiſdem 1654. in 4.

* PHILIPPVS BRIET natione Gallus, patria Abbauillæus, diœceſis Ambianenſis natus anno ſæculi præterfluentis primo, Deo ſe in Societate ſacrauit 19. & votorum 4. ſacramento ſolemni ſe adſtrinxit. Litteras amæniores ſeptennio tradidit; Rhetoricam annis ſeptemdecim; præfuit Scholis, & Sacræ Scripturæ oracula aliquamdiu explicuit. Vir candidi ingenii, magnæ demiſſionis animi, promptæ obedientiæ, ſtrenuæ laborioſæque diligentiæ, & in formandis ad virtutem iuuenum animis incredibilis ardoris; in Chronologicis Geographicíſque diſciplinis fuit verſatiſſimus, vndè magnam illius morte res litteraria paſſa eſt iacturam. Patientia in feroce morbo æquanimiter perferendo eximia fuit, ſuccubuit tamen & ſuſceptis ritè Sacramentis piam efflauit animam. Pariſiis die 9.Decembris 1668. Edidit in lucem

Parallela Geographiæ Veteris,ac nouæ,To.1. Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoiſy 1648. in 4.

De Eadem Geographia Tom.II. Typis iiſdem 1649. in 4.

Appendicem ad Tomum II. De Italia Vetere, ac noua. Iiſdem typis & anno

Cronologiam ab orbe condito ad annũ 1663. Pariſijs apud Franciſcum Muguet ſeptem voluminibus in 12.

Acutè dicta Poetarum Veterum. Typis iiſdem 1664. in 12.

Xenia Collegij Rothomagenſis oblata Delphino 1639. in 4. magna ex parte compoſuit

Odas, & *Elogia* varia in aliorum libris impreſſa confecit.

* PHILIPPVS CHAHV natione Gallus, patria Turonenſis natus anno ſæculi voluentis ſecundo, Societatem amplexus eſt vigeſimo, & votorum quatuor nuncupatione ſe obſtrinxit. Docuit diſciplinas amæniores triennio, Philoſophiam ſexennio; Theologiam quadriennio. Rexit Collegium Turonenſe Domum probationis Rothomagenſem,& Collegium Pariſienſe, nunc in idem in Profeſſorum Domo nauat operam culturæ animarum. Edidit idiomate Gallico

Manuale Deuotionis. Rothomagi 1646. in 12.

Modum diſponendi ſe ad bonam mortem. Ibidem 1648. in 24.

Prægustationem Paradiſi, ſiue modum agendi familiariter cum Chriſto poſt Sacram Communionem. Pariſijs 1653. in 24.

Scientiam ſalutis. Pariſiis apud Sebaſtianum Cramoiſy 1655. in 4.

De excellentia Orationis mentalis. Ibidem 1655. in 24.

Secretum Prædeſtinationis. Typis iiſdem 1659. in 4.

Speculum Bonæ mortis. Pariſiis apud Dionyſium Bechet 1659. in 4.

De ſimplicitate Chriſtiana, & alia Opera Spiritualia Sauanarolæ Gallicè reddita. Pariſijs apud Cramoiſy 1672. in 12.

PHILIPPVS FEHNLE natione Germanus, patria Spirenſis, Societatem inijt anno ſalutis 1624. ætatis 18. Rhetoricam, & Humaniores litteras ſeptennio profeſſus eſt. Vir ingenio ſagax, iudicio maturus, ad negotia agenda dexter, ideoque varijs Principibus mirè carus. Collegij Badenſis primus & Rhetor,& Rector fuit. Principum Badenſium Genealogiam feliciter cæperat conſcribere, ſed morte ſuperueniente nequiuit abſoluere. Spiritualium Adiutorum gradum obtinuit, & inter mortales viuere deſijt Moguntiæ die 5. Octobris 1660. cùm prius inter acerbiſſimos morbi dolores fortitudinem heroicam oſtendiſſet. Edidit eleganti verſu

Claues honori Epiſcopi Vvormatienſis.

Calathiſcum Roſarum Gentilitiarum Franciſco Hatzfeldio Epiſcopo Bambergenſi, & Herbipolenſi.

* PHILIPPVS FRANCISCVS TAISNE natione Belga, patria Bruxellenſis natus anno ſæculi labentis 26. in Societatem ſe recepit 1643. & vota 4. ſolemnia nuncupauit. Poſt ſexennium litteris Humanioribus tradendis impenſum, in Miſſionibus militaribus terra marique perutilem nauauit operam per complures annos, & Sacras Conciones habuit. Edidit hactenus lingua vernacula tacito ſuo nomine

Compendium Vitæ, & miraculorum Sancti Franciſci Xauerij. Bruxellis 1660. in 12.

Sanctum Xauerium Patronum contra Peſtem aſſumptum à Ciuitate Brugenſi. Brugis 1666. in 8. & eodem anno recuſum

Appoſito ſuo nomine vulgauit

Vitam Apoſtolicas virtutes, & continua miracula S. Xauerij. Antuerpiæ typis Cnobbartii 1663. in 8.

Diuam Virginem refugium Peccatorum, quæ colitur Brugis, miraculis claram. Brugis typis Clouet 1663 in 8.

Diuam Virginem Conſolatricem Afflictorum, quæ colitur Brugis miraculis claram. Brugis iiſdem typis anno & forma

Vitam Sancti Franciſci Borgiæ. Antuerpiæ typis Cnobbartij 1671. in 8.

PHILIPPVS HANNOTEL natione Belga, patria Heſdinienſis vicennis Societatem inijt anno 1620. obijt 1637. peſtilenti morbo correptus, ipſo die quo tertium Philoſophiæ curſum Duaci docendo emenſus, ſolemni ritu de more, in gratiarum actionem ſacrum fecerat. Emicuit perpetuò in eo ſingularis in Chriſtum Patientem affectus, quem vt latè propagaret, edidit

Meditationes varias, & piorum affectuum formulas folijs expanſis, addita ſingulis ſingulorum myſteriorum icone. Duaci typis Viduæ Petri Telu. Item librum cui titulus

Exercitium Amoris pro nobis Crucifixi in 16. Ibidem item

Praxim meditandi Paſſionem Chriſti, in 12. Ibidem

De alio argumento edidit

Mundi ſtultitiam, compendio demonſtratam in 16. Ibidem 1633.

* PHILIPPVS KISELIVS natione Germanus, gente Bucho, patria Fuldenſis natus anno ſæculi fluentis 10. tyrocinium Religioſæ vitæ in Societate poſuit 1627. & votorum 4. profeſſionem edidit. Philoſophiam audiuit in Gallia; Theologiam in Hiſpania; redux in Prouinciam ſuam, Humaniores litteras, & Philoſophiam profeſſus eſt, & hanc dum prælegeret, ſimul Eminentiſſimi Principis Electoris Moguntini Concionator fuit. Exinde per annos multos in Metropolitanis, & Cathedralibus Eccleſijs Moguntiæ, Herbipoli, Spiræ, Vvormatiæ, & in Imperiali Bambergenſi, ad populum magno concurſu,& fructu dixit, & in Academia ibidem ſacras litteras interpretatus eſt. Nunc dum hæc ſcribo anno 1674. Collegium Vvormatienſe moderatur. Edidit latinè

Nilum myſticum ſeptem effuſionibus pretioſi Sanguinis Chriſti ſacrum in ſeptem alueos, ſeu Tomos Concionum in omnes Dominicas, & Feſta per annum, cum varijs Appendicibus exhortationum diſtributum. Horum

1. *Tomus cum exhortationibus agoniæ excuſus eſt*. Francofurti 1666. in 4.

2. *Cum Appendice centum, & viginti* pre-

pretioſarum cogitationum ex meditatione Paſſionis. Ibidem 1668. in 4.

3. *Cum Appendice Igneæ ſpeculæ amantium, ardentium, Crucifixum.* Ibidem 1669. in 4.

4. *Cum Appendice 12. articulorum Teſtamenti Ieſu Crucifixi.* Ibidem 1670. in 4.

5. *Cum Appendice Ignei, & Sanguinei Zodiaci Amoris Ieſu Crucifixi.* Ibidem 1670. in 4.

6. *Cum Appendice 12. Roſarum Menſtruarum.* Ibidem 1671. in 4.

7. *Cum Appendice 12. Margaritarum.* Ibidem 1672. in 4.

His acceſſit

Incrementum 1. Nili, ſeu Tomus viij. Concionum cum Appendice Faui diſtillantis. Francofurti 1672. in 4. Edidit præterea

Concionem funebrem, ſeu Mortem pretioſam D. Philippi Valentini Epiſcopi Bambergenſis. Germanicè, Bambergæ, & Norimbergæ 1672. in 4. Item

Libellum myrrhæ Bambergenſis, Germanicè cum Imaginibus Paſſionis, tacito ſuo nomine 1672. in 12.

* PHILIPPVS LABBE natione Gallus, patria Biturix, natus Auarici Biturigum, anno ſæculi præterlabentis 7. Societati ſe adſcripſit 1623. & votorum 4. ſacramentum ſolemne dixit. Docuit diſciplinas amæniores, Rhetoricam, Philoſophiam, & quinquennio Theologiam magiſtram morum. Præcellenti doctrinæ eximiam religionem raro fœdere ſic coniunxit, vt perfectam hominis de Societate imaginem in ſe expreſſerit, ſic totus in libris peruoluendis fuit, vt vix dici poſſit quam multa legerit, ſcripſerit, dederitque in lucem. Rurſus ſic totus ad religioſæ diſciplinæ leges exactus extitit, vt nulli deeſſe viſus fuerit. Tam tenero ad res Diuinas omnes animo, pietatiſque ſenſu ferebatur; vt in Sacris præſertim myſterijs, lacrymas tenere ſæpiſſimè non potuerit. Sanctiſſimam Euchariſtiam, & Beatiſſimam Virginem ſumma colebat veneratione, & in poſtremo morbo cum ex æſtu febrili mentis compos non eſſet, nonniſi de rebus Diuinis loquebatur. Incredibili fuit ſuauitate morum, & innocentia vitæ, ac tanta animi demiſſione, vt ſibi nihil tribuerit, deſcenderitque lubens ad infima officia. Si quæ dabatur occaſio Diuini obſequij promouendi: apud Scholaſticos (quorum plurimi ſuam illi poſt Deum debuerunt vocationem ad Societatem) ita ſe dabat facilem, præſertim in audiendis illorum Confeſſionibus, vt in tanto ſtudiorum ſuorum negotio, propè otioſus videretur. Incumbentem in curas ingentes edendorum iterum Conciliorum omnium in lucem, quæ tum ingente acceſſione nouarum rerum, tum animaduerſionibus eruditiſſimis illuſtrabat, vehementiſſima febris inuaſit, & poſt longum per dies 58. patientiæ exercitium confecit, magno eius relicto deſiderio, Quieuit in Domino Pariſijs in Collegio die 17. Martij 1667. Edidit quàm plurima, quorum indicem ſubijciemus eo ordine quo typis mandatus eſt ab Amico, dum ipſe in viuis eſſet

De Byſantinæ Hiſtoriæ Scriptoribus protrepticon. Pariſijs ex typographia Regia 1648. in folio.

Notitia Dignitatum omnium Imperij Romani in partibus Orientis, & Occidentis. Pariſijs ex typographia Regia 1651. in 12.

Chronici Technici, ſiue Concordiæ Hiſtoriæ Chriſtianæ Pars 1. & 2. duobus Tomis. Pariſijs typis ijſdem 1656. in folio.

Concordia Sacræ, & Prophanæ Chronologiæ. Pariſijs apud Ioannem Camuſat 1638. in 12. duabus partibus cum auctario. Idem Gallicè

Regia Epitome Hiſtoriæ ſacræ, & Prophanæ. Pariſijs apud Gaſparum Meturas 1653. & 54. in 12. Eadem verſibus Technicis ibidem.

Polypthicum Regium, hoc eſt, Epiſcopatuum, & Beneficiorum ſpectantium ad Collationem Regis Chriſtianiſſimi collectio. Pariſijs apud Geruaſium Albret 1648. in 4.

Conciliorum Synodorumque Galliæ breuis, & accurata Hiſtoria. Pariſijs apud Mathurinũ, & Ioan. Henault 1646. in folio.

Hagiologium Franco-Galliæ. Pariſijs, typis iiſdem 1643. in 4.

Chronicon Dolenſis Cænobij in Bituricum Prouincia incerto auctore cum Notis adiectis. Pariſijs apud Gaſparem Meturas 1651. in 4.

Appendices ad Elogium Bituricenſe. Ibidem 1643. in 12.

Hiſtoriæ Sacræ Prodromus in tres Partes diuiſus. Pariſiis apud Mathurinum, & Io: Henault 1646. in folio.

Pharus antiquæ Galliæ ex Cæſare, & Antiquis Anctoribus. Molinis ex officinis Petri Vernoy 1644. in 12.

Duci Anguiano De Expugnata Dunkerca Epigrammata. Pariſiis 1647.

In mortem Nicolai Cauſſini, Iacobi Sirmundi, & Dionyſij Petauij Epigrammata. Pariſiis 1652. in 4.

Heroicæ Poëſeos delicia ex Recentioribus collectæ. Pariſiis 1646. in 12.

Sacrarum Elegiarum deliciæ. Ibidem 1648. in 12.

Selectorum Epitaphiorum Theſaurus, ſæpiùs excuſus; nouiſſimè Pariſiis apud Simeonem Bernard 1666. in 8.

Elenchus Proſodiacus Latino-Græcus. Pariſiis 1639. in 12.

Lector Sacræ Scripturæ ad vectam pronunciationis amuſſim eruditus. Pariſiis 1639. & iterum 1646. in 8.

Proſodia Ioannis Deſpanterij illuſtrata, & emendata. Pariſiis 1652. in 8.

Eruditæ pronuntiationis Catholici Indices. Pariſiis 1645. in 8.

Enchiridion Proſodicum. Pariſiis 1648. in 12. & 1661.

Gra-

Græca Proſodia Pariſijs 1653. editio III. in 8.

Radices linguæ Græcæ. Pariſijs 1648. & 1661 in 12.

Theſaurus Proſodicus Græcolatinus. Ibidem 1654. in 8.

Regulæ Accentuum, & Spirituum Græcorum editione trigeſima. Pariſijs 1655. in 8.

Clenardi Grammatica recognita. Pariſijs 1656. Illi tribuitur.

Triumphus Catholicæ veritatis aduerſus Nouatores, ſiue, Ianſenius damnatus. Pariſijs 1651 in 8. Item illi attribuitur.

Bibliotheca Anti-Ianſeniana. Pariſijs 1654. in 4.

Euchologium Scholaſticum, ſiue Chriſtiani adoleſcentis quotidianum exercitium. Pariſijs 1654. in 12.

Verba vitæ æternæ Chriſti ore prolata. Ibidem 1656. in 12.

Conſpectus nouæ editionis operum S. Ioannis Damaſceni. Pariſijs apud Cramoiſios 1652. in 4.

Ariſtotelis & Platonis interpretum Græcorum breuis conſpectus. Pariſijs ex Officina Cramoiſiana 1657. in 4.

Specimen nouæ Bibliothecæ M. S. Librorum. Pariſijs 1653. in 4.

Nouæ Bibliothecæ Librorum M. S. Pars I. Chronologica & Hiſtorica. Pariſijs apud Cramoiſios duobus Tomis 1657. in folio.

Parabat tres alios Tomos, ſed mors interceſſit.

De Scriptoribus Eccleſiaſticis, quos attigit Cardinalis Bellarminus. Pariſijs 1660. in 8.

Sanctorum Patrum Theologorum Scriptorumque vtriuſque Teſtamenti Bibliotheca Chronologica, cum Pinacotheca Scriptorum Societatis Ieſu. Pariſijs 1659. in 8.

Michaelis Glycæ Annales Græcè & Latinè cum Notis. Pariſijs ex Typographia Regia 1660. in folio.

Conciliorum omnium Hiſtorica Synopſis. Pariſijs 1661. in 4.

Galeni Medicorum Principis Vita. Ibidem 1660. in 8. Item

Eiuſdem Galeni Chronologicum Elogium. Ibidem 1660. in 8.

Emendatæ pronunciationis Bibliotheca Proſodica. Ibidem 1660. in 8.

Geographicæ Epiſcopalis breuiarium. Ibidem 1661. in 12.

De anno, menſe, die, Paſſionis, & Natiuitatis Chriſti Demonſtratio, ſæpius edita nouiſſimè 1661. in 4.

Bibliographia PP. Societatis Ieſu Regni Franciæ annorum 1661. & 1662. Pariſijs 1662. in 4.

Sexdecim Librorum initia, inſtar ſpeciminis editioni præmiſſa. Pariſijs 1662. in 4. ex quibus duos tantum abſoluit nempe

Bibliothecam Bibliothecarum. Pariſijs 1664. in 8. &

Chronologia Sacro-Prophana Gallicè quinque voluminibus. Ibidem 1666.

Conciliorum omnium collectio maxima Tomis 17. quorum x. priores, & 4. poſteriores ipſe ante obitum ediderat. Reliquos elaborauit noſter Gabriel Coſſartius, & Appendices ad ſingulos adiecit. Opus palmare & tantis viris dignum. Pariſijs typis Societatis Typographicæ 1670. in folio.

Gallicè vero edidit

Compendium Chronologiæ Sacro-prophanæ. Pariſijs 1651. in 4.

Elogia Hiſtorica omnium Regum Franciæ. Ibidem 1651. in 4.

Hiſtoricam Diſſertationem de matrimonio Ansberti Senatoris & Blitildis filiæ Regis Clotarij. Ibidem 1647. in 4.

Tabulas Genealogicas Regum Franciæ. Ibidem 1652. in 12.

Scuta Gentilitia Regum Franciæ & Principum. Ibidem 1652 in 12.

Bituricenſis Prouinciæ Hiſtoriam. Ibidem 1647. in 12.

Indicem Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Abbatum Primatui Bituricenſi Subditorum. Pariſijs 1648. in 4.

Methodum facilem ad Chronologiam addiſcendam. Ibidem 1649. in 12.

Geographiam Regiam. Pariſijs, Lugduni, Gratianopoli & alibi ſæpius, poſtremo Pariſijs 1662. in 12.

Rationem Sphæræ addiſcendæ. Ibidem 1647. in 12.

Martyrologium Romanum Gallicè à ſe redditum. Pariſijs 1644. in 4. & 1662. cum vitis Sanctorum in folio

Annum Sacrum. Pariſijs 1650. in 8.

Etymologiam variarum vocum Gallicarum. Pariſijs 1670. in 12.

Conſpectum Vrbium & Prouinciarum Franciæ. Ibidem 1672. in 12.

Dictionarium Latino-Gallicum Vrbium, Prouinciarum, Montium, & Fluminum Franciæ. Pariſijs 1672. in 12.

* PHILIPPVS MASSARIA natione Siculus, patria Panormitanus, natus anno ſæculi præter lapſi 92. Chriſto in ſua Societate ſe dedicauit labentis 8. & votorum 4. ſolemni ſacramento ſe adſtrinxit. Philoſophiam & Theologiam de moribus Panormi docuit. Rexit Collegia Netinum, Melitenſe, Drepanitanum. Panormi rerum ſpiritualium præfecturam diu geſſit, & feruidos noſtræ Iuuentutis aliorumque animos ſuis adhortationibus frequenter fouebat, & exemplo vitæ Religioſæ inflammabat. Demum in patrio ſolo denatus eſt Panormi, die 18. Decembris 1655. Edidit latinè librum hoc titulo

Deus homo, hoc eſt, *Vita Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti è libro Pſalmorum excerpta.* Panormi typis Iacobi Biſagnij 1656. in 4.

* PHILIPPVS MILLER natione Germanus, gente Styrus, patria Græcenſis editus

in

in lucem anno ſæculi fluentis 13. Deo ſe in Societate conſecrauit 1629. die 7. Octobris, & votorum 4. nuncupatione ſe adſtrinxit. Philoſophiam in ea docuit ſexennio, Matheſim triennio, Theologiam Scholaſticam quinquennio, Moralem ſeſquianno, & Sereniſſimum Leopoldum Ignatium tunc Adoleſcentem, nunc Auguſtiſſimum Cæſarem, varijs Diſciplinis Philoſophiæ, Mathematicæ, & Legum inſtruxit, & iam Suæ Maieſtati amplius 20. annis eſt à Sacris Confeſſionibus. Edidit olim dum Profeſſor Philoſophiæ eſſet

Aſſertiones ex vniuerſa Philoſophia ſuis rationibus & explicationibus munitas. Græcij typis Vvidmanſtadianis 1648. in 16.

PHILIPPVS MONCÆVS natione Gallus, patria Pariſienſis Sacræ Theologiæ Doctor, quam Myſſiponti, Flexiæ, ac Lutetiæ, ſingulari omnium admiratione ad vltimam vſque ſenectutem profeſſus eſt. Societatem vndeuicennis ingreſſus fuerat anno ſalutis 1588. & votorum 4. profeſſionem emiſit 1608. Philoſophiam quadriennio docuit. Fuit illi profunda vis ingenij, acris iudicij vigor, & conſummata in rebus Theologicis peritia. Propoſuerat vniuerſam Theologiam ſuis ſcriptis complecti, ſed mors interceſſit, quæ Pariſijs illum anno 1619. die 22. Octobris triennali ſanguinis è naribus profluuio, & conſecuto hydrope ſuſtulit. Editum eſt poſthumum eius opus in ſpecimen eius ingenij, & doctrinæ quod continet

Diſputationes Theologicas in aliquot ſelectas D. Thomæ quæſtiones. Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoiſy 1622. in 4.

* PHILIPPVS NVTIVS, natione Belga, patria Antuerpienſis, natus anno à partu Virginis 1597. Societati ſe addixit ſæculi vertentis 13. & vota 4. nuncupauit. Abſolutis ſtudijs Pragam miſſus eſt, vt Mathematicas ſcientias ibi traderet, ſed paulò poſt inde reuocatus, Matritum eandem ob cauſam iuſſus eſt petere. Redux in Belgium, Theologiam morum Magiſtram, & Sacras litteras Antuerpiæ explanauit. Subinde à Sacris Confeſſionibus fuit Comiti de Feria Regij Exercitus Duci, & multa militiæ incommoda varijs in locis animo generoſo ſubijt. Miſſus etiam in Sueciam eſt, vt qua pollebat dexteritate, & doctrina rerum de fide controuerſarum, cum Sereniſſima Regina, iam tum meditante receptum ad Eccleſiam Catholicam, ageret. Maximam verò vitæ partem habendis ad populum concionibus impendit, dixitque in primarijs Belgij Cathedris inſigni commendatione doctrinæ & claritatis. Inter hæc præcipua illi ſemper cura rerum ſpiritualium fuit, & hoc ſtudium cæteris omnibus negotijs anteferebat. Exercitiorum Spiritualium per annos amplius triginta obitorum, ſucceſſuum, ſingularumque meditationum fructus deſcriptos habebat, & horum lectitatione ſe ipſum excitabat, præcipuè cùm per trimeſtrem ægritudinem, ad iter æternitatis ſe comparauit, ad quam magna animi tranquillitate commigrauit. Mechliniæ die 17. Aprilis 1661. Edidit Belgicè tacito ſuo nomine

Demonſtrationem errorum Triglandij de Pontificatu. Antuerpiæ typis Ioannis Cnobbari 1634. Item

Refutationem errorum eiuſdem. Typis ijſdem 1635. Item

Triglandium in Sacco. Ibidem ijſdem typis & anno

PHILIPPVS D'OVTREMAN, patria Valentianus, Societatem amplexus eſt, anno 1607. ætatis 22. & profeſſionem votorum trium ſolemnium emiſit. Præcipuum ei munus Oratoris Chriſtiani fuit, quod ipſos 26. annos exercuit, Diuini honoris perquam ſtudioſus, & prodeſſe animis ſatagebat magis, quàm verborum pompa hominibus placere. Fuit vitæ religioſæ imprimis amans; Diuorum cultor egregius, quorum complures quotidie inuocabat. Noſtrorum res geſtas legebat aſſiduè, & domeſticis exemplis non ſolùm ſe, ſed & alios in familiari congreſſu ad virtutem incitabat. Demum ex Vrbe natali ad patriam cæleſtem (vt ſperare fas eſt) emigrauit die 16. Maij 1652. Edidit Gallicè

Verum Chriſtianum Catholicum. Audomari typis Caroli Baſcardi 1622. vbi etiam Anglicè prodijt 1625.

Pædagogum Chriſtianum, cuius primus Tomus *de fuga peccati & bonorum operum exercitio,* ſelectis hiſtorijs illuſtratus, varijs in Prouincijs editus, demum plurimùm auctus, & vario idiomate donatus pluſquam quadrageſies prodijt, incredibili Chriſtianæ Reipublicæ bono. Excuſus eſt montibus Hannoniæ duodecimùm apud Vvaudræum 1641. in 8. Flandricè typis Ioannis Cnobbaert Antuerpiæ 1637. Latinè Luxemburgi Interprete Iacobo Broquart noſtro 1629.

Tomus II. de Remedijs malorum omnium, quo proponuntur, rationes efficaciſſimæ ad diluendas quarumuis ærumnarum amaritudines Montibus apud eundem 1645.

Meditabatur *Tertium eiuſdem Pædagogi Tomum, quo ſuggerebat argumenta Concionum ſingulis Dominicarum dierum Euangelijs conuenientia.* Item *quartum in feſta.* Sed mors abrupit.

* PHILIPPVS REINDELIVS natione Germanus, patria Monachienſis, natus anno ſæculi euoluti 96. ad Societatem ſe adiunxit voluentis 12. & in ea docuit cum laude Humaniores litteras, & ad populum pluribus in locis fructuosè dixit. Vir ſua ſinceritate omnibus amabilis, Spiritualium Coadiutorum albo adſcriptus, mortalitatem exuit in natali ſolo Monachij die 14. Maij 1658. Edidit Latinè, & Germanicè

Gladium Iſraël, ſiue de ſeptem peccatis Capitalibus. Ingolſtadij typis Gregorij Hænlini 1649. in 12.

PHI-

* PHILIPPVS SCHOVVILLE natione Belga, patria Luxemburgenſis, natus anno ſæculi præter fluentis 22. Societati ſe aggregauit 47. & votorum 4. ſacramento ſe adſtrinxit. Docuit varijs in locis amœniores litteras, nunc à multis annis agit Miſſionarium in Ducatu Luxemburgenſi magno zelo & fructu. Edidit Germanicè

Directorium Confraternitatis Chriſtianæ Doctrinæ ſub titulo Ieſu, Mariæ, & S. Franciſci Xauerij. Treuiris apud Chriſtophorum Reulandt 1667. in 8.

Sancta Sanctorum rectè tractandi, ſeu religioſe Sacrificandi Methodum. Leodij typis Matthæi Houij 1668. in 12.

Compendium vitæ Apoſtolicæ, & centum miracula S. Franciſci Xauerij. Treuiris apud Reulandt 1670. in 12.

PHILIPPVS SVEVEZELIVS natione Belga, patria Brugenſis nobili proſapia ortus, linguæ vtriuſque Græcæ ac Latinæ, quas annos plurimos in Societate docuit, apprime doctus, & omnis reconditæ eruditionis theſaurus. Societatem ingreſſus eſt, anno ſalutis 1588. ætatis ſuæ 19. Obijt Cortaci die 15. Iulij 1613. Vertit è Græco acceptam ab Andrea Schotto cui prolixam nauauit operam in edenda Photij Bibliotheca

Anaſtaſij Sinaitæ in Pſalmum 6. Dauidis explanationem, quæ extat tomo III. Antiquarum lectionum Henrici Caniſij I.C.

Patrio vero ſermone ſuppreſſo ſuo nomine edidit

Rectam viam ad pietatem. Antuerpiæ 1605.

Scripſit quoque ad Antonium Sanderum, qui eo gloriatur in Græcis Magiſtro. *Epiſtolam de rectè inſtituendo Græcæ linguæ ſtudio*, quam recitat idem Sanderus lib. III. de ſcriptoribus Gandauenſibus.

PHILIPPVS TAONIVS vide ſupra in CLAVDIO PHILIPPO TAONIO.

PHILIPPVS DV TRIEV natione Belga, patria Haureanus Hanno, Sacræ Theologiæ Doctor, & eiuſdem complures annos ſingulari profundæ doctrinæ laude Duaci Profeſſor, vbi etiam ſtudiorum in Collegio noſtro Præfecturam diu geſſit, Louanij Philoſophiam audijt, expletoque curſu in ſolemni ad Magiſterium promotione omnium omnino examinatorum calculis renunciatus eſt primus. Paulò poſt cum ibidem trium ſupra viginti annorum adoleſcens Philoſophiam profiteretur, Societatem anno 1603. complexus eſt, in qua primùm Humaniores litteras docuit, tum Philoſophiam ter repetito curriculo, ac deinde Scotorum in eadem Academia Seminarium rexit. Sacram Theologiam nouennio explicuit; & multis annis præfecturam ſtudiorum Duaci geſſit. Excellentes in eo fecerunt ingenij dotes, & omnibus ſpectatiſſimæ, vt propterea Epiſcopi complures, atque Iudices, eum ſæpe conſulere non tantùm doctrinæ, ſed & conſilij cauſa minimè dubitauerint. Ad eximiam eruditionem accedebat par vitæ integritas, atque in Deum amor quo ſubinde ita accendebatur, vt nec loqui de rebus Diuinis nec facere ad aras ſine lacrymis poſſet. His alijſque ornamentis conſpicuum, apoplexia Duaci corripuit, & acutis doloribus, per nouem menſes afflixit, intra quos repetita bis totius vitæ confeſſione petitàque à Collegis erratorum venia placidiſſimè Deo ſpiritum reddidit. Duaci die 25. Auguſti 1645. ab emiſſa profeſſione 4. votorum 26. Edidit

Manuductionem ad Logicam. Duaci typis Belleri 1614. & alibi ſæpe, quæ in Scholis legitur in diuerſis Prouincijs.

Parauerat varia in Philoſophiam, ac Theologiam, ſed mors interceſſit.

PLACIDVS SAMPERVS natione Siculus, patria Mamertinus, Societati cùm ex ephebis exceſſiſſet, nomen dedit anno ſalutis 1609. & vota tria ſolemnia in ea nuncupauit. Rhetoricam, & amœniores litteras octennium in ea profeſſus eſt, & ſalutis animarum ſtudio totum ſe Sacris Confeſſionibus excipiendis in Domo Profeſſa Meſſanenſi annos plurimos impendit. Demum ibidem religiosè denatus eſt die 28. Auguſti 1654. Edidit Italicè

Iconologiam de Imaginibus B. Virginis, quæ Meſſanæ coluntur miraculis celebres. Meſſanæ typis Iacobi Matthæi 1644. in folio. Item tacito ſuo nomine

Diſcurſum Academicum in laudem Portus Meſſanenſis. Meſſanæ apud Ioannem Franciſcum Blancum 1628. in 4.

* PLACIDVS SPATAFORA natione Siculus, patria Panormitanus, natus anno ſæculi fluentis 28. Chriſto ſua in Societate ſe dedicauit 1644. & ſolemne votorum 4. ſacramentum dixit. Humaniores litteras, & Rhetoricam docuit Exteros ſexennio, Noſtros Iuniores annis 12. vna cum Græcis litteris, quarum eſt inſigniter peritus. Edidit hactenus

Patronymica Græca & Latina. Panormi apud Auguſtinum Boſſium 1668. in 4. Habet præ manibus.

Proſodiam Italicam, & Dictionarium Siculum atque Hetruſcum, &c.

* POMPEIVS SAVAZZINVS natione Italus, patria Mantuanus, natus anno ſæculi elapſi 98. ad Societatem acceſſit labentis 22. & vota 4. in ea nuncupauit. Docuit Humaniores litteras, & Theologiam Moralem. Rexit Collegia Caſtilionenſe iteratò, Lauretanum, & Veronenſe. Vir magni zeli, pietatis, & religioſæ obſeruantiæ, ad laborum præmia euocatus à Deo eſt, Caſtilione die 6. Februarij 1674. Edidit

Compendium Vitæ & Virtutum religioſarum D. Olympiæ Gonzagæ, vnius ex tribus fundatricis Collegij Virginum Caſtilione. Bononiæ per Iacobum Monti 1649. in 12.

POSNANIENSE COLLEGIVM in Prouincia Poloniæ, & Occidentali Regni parte, quæ Maior Polonia appellatur, & cuius caput eſt Poſnania, à venerandæ memoriæ Adamo Conaſcio à Cabolino, loci Antiſtite fundatum anno ſalutis 1571. tanta Ciuium, Senatus, & Canonicorum gratulatione inchoatum eſt, vt hi ſolemni ritu Hymnum Te Deum Laudamus, conuocato ad gratias agendas populo, cum feſtiuo Campanarum ſono, decantari curauerint. Adoleuit porrò maximam in meſſem, fructus, ex ea inſtitutione exortus; & ex vicinis Hæreticorum ſenticetis, maximè in Pomerania, Marchia, Brandeburgia, & alijs locis magna lucra animarum illata ſunt in Eccleſiam Dei per Miſſiones ex hoc Collegio inſtitutas, præſertim in feſtis Paſchalibus & Natalitijs Domini in quibus ad viginti Sociorum paria excurrere ſæpe ſolent ad accolas vicinos. Scholæ etiam ſunt hic florentiſſimæ à numeroſa, & Nobili Iuuentute, & docentur in ijs Scientiæ omnes, quas ſolet Societas profiteri. Edidit Collegium ſuo nomine Polonicè

Dialyſim Aſſertionum Iacobi Niemerevvskí contra Ieſuitas Poſnanienſes. Poſnaniæ 1580. in 8.

Veram Relationem de Colloquio eiuſdem Iacobi cum Franciſco Toleto Societatis Ieſu in Comitijs Regni, &

Tractatum continentem Reſponſiones ad argumenta eiuſdem Iacobi. Ibidem eodem anno

Latinè vero edidit

Explicationes aliquot præcipuarum Controuerſiarum varijs temporibus in publicis Diſputationibus propoſitas. Coloniæ apud Maternum Cholinum 1585. in 8. Item

Elogia & Panegyricas Orationes varias, diuerſis in locis, & temporibus habitas.

PRAGENSE COLLEGIVM in Bohemiæ Regno, Moldauæ amni impoſitum, exordium habuit anno ſalutis 1556. accito illuc Petro Caniſio ab Rege Bohemiæ Ferdinando I. gloriosæ mem. poſtea Imperatore, & miſſis Roma à S.P.N. Ignatio Socijs 12. qui ludos ibi litterarios aperirent. Fundatum eſt poſtea ab eodem Ferdinando 1560. munificentia Regia, qui etiam Vniuerſitatem nouam eo in Collegio erexit, cum Iuribus cæterarum per Europam Academiarum, quam & à ſuo nomine voluit Ferdinandæam appellari. Poſtea Ferdinandus II. Imperator profligatis Rebellibus in Bohemia, antiquam Carolinam Academiam quam olim Carolus IV. Imperator, & Rex Bohemiæ inſtituerat, & Hæretici Rebelles occupauerant, huic Ferdinandææ coniunxit, ſed cùm ea de cauſa graues Societas pateretur oppoſitiones ab Aduerſarijs, curam Carolinæ à ſe dimiſit, donec Parenti ſuccedens Ferdinandus III. Imperator, ſuperatis omnibus obicibus, eam iterum ſub certis legibus copulauit, ita vt modò Carolo-Ferdinandæa nuncupetur. In hac Vniuerſitate docentur à Noſtris Theologia Speculatiua, & Moralis; explicantur Oracula Sacrarum Scripturarum, Controuerſiæ de fide, lingua Hebraica, Philoſophia, Mathematica, & Scientiæ amœniores in ſeptem claſſes diſtributæ, quæ ſuos ſingulæ è Societate habent Profeſſores. At verò Iuriſprudentia, & Artes Medicæ traduntur à Doctoribus externis. Numeroſiſſima ad hoc Emporium ſcientiarum, concurrere ſolet iuuentus, bonis litteris, ac pietate imbuenda & Socios, vt plurimum ad centum & ſeptuaginta numerat Collegium. Edidit ſuo nomine

Gratulationem Ferdinando III. cùm hæreditariam Regni Bohemiæ coronam adiret hoc titulo

Bohemia exoriens, Gentilis, Chriſtiana, Pia, Bellicoſa, Regnans, Imperans, Auſtriaca, Ferdinando III. concinnata. Pragæ typis Pauli Seſſij 1627 in folio.

Conſtantinum Tragœdiam, Scriptore noſtro Iulio Solimanno. 1627.

Octodecim Heroum Chriſtianorum ſpectacula in Amphitheatrum Honoris & gloriæ Sereniſſimi Regis Ferdinandi IV. Pragæ typis Cæſareo-Academicis 1653. in folio.

Vitam S. Vvenceslai lingua Bohemica. Pragæ typis Vniuerſitatis 1669. in 8.

Libellos complures in promotionibus Baccalaureorum, & Neomagiſtrorum. Varijs annis in 4 & in folio.

* PROSPER INTORCETTA natione Siculus, patria Platienſis, natus anno ſæculi præterlabentis 25. cùm eſſet annorum 16. miſſus à parentibus Catanam, vt ſtudijs legum nauaret ibi operam, poſt aliquot menſes inde aufugit Meſſanam, ſpe admiſſionis in Societatem, & vt poſtea ad miſſiones Indicas (quas iam tum ſuſpirabat animo) deſtinaretur. Ibi demum, accedente conſenſu Parentum, admiſſus eſt inter Tirones anno 1642. & poſt decurſa Theologica ſtudia, comes ad Sinas datus eſt P. Martino Martinio, qui cum alijs 16. laborioſiſſimæ illius miſſionis candidatis profectus eò eſt, anno 1656. Multa cum Socijs in longa illa, & periculoſa nauigatione paſſus, tandem appulit Macaum vbi votorum 4. profeſſionem emiſit, & ingreſſus interiorem Sinam, Eccleſiam Kiencianenſem in Prouincia Kiamſi orbam paſtore ab annis ampliùs viginti ſuſcepit adminiſtrandam. Ibi induſtria ſua, & Neophytorum auxilio nouum erexit pro Chriſtianis Templum, & intra biennium ad duo millia Chriſto adiunxit. Hinc inſimulatus eſt à Prætore Vrbis apud Proregem tamquam caput & Coryphæus latronum, qui tunc ad quingentos per illam Prouinciam graſſabantur, iuſſitque Prorex, & dirui templum, & ducem latronum catenis vinctum tranſmitti ad ſe. Verùm contentus Prætor deiectione Templi deſtitit ab vlteriore executione mandati, male ſibi metuens à pœna talionis propter impoſitum crimen falſi. Cæterùm non mul-

multò poſt cùm ingens perſecutio exorta eſſet in omnes præcones Euangelij anno 1664. in carcerem coniectus eſt P. Proſper in Ciuitate Metropoli illius Prouinciæ, & inde cum cuſtodia militari abductus Pekinum, ſiſtere ſe debuit Iudicibus, qui iam antea eum cum maiori parte Sociorum condemnauerant ad quingentas plagas, & ſi ab illis viuus euaſiſſet ad exilium in Tartariam deſertam. Verùm hic Deus miris portentis (de quibus aliqua diximus in Elogio Ioannis Adami Schall.) terruit Iudices, coëgitque mutare ſententiam, relegando fere omnes ad Auſtralem Vrbem Cantoniam. Itaque eò deducti Miſſionarii 25. inter quos P. Proſper, compacti ſunt omnes in vnam Domum excubante ad oſtium illius milite. Hic Patres noſtri congregato cœtu ad eligendum Procuratorem mittendum in Europam, coniecerunt ſuffragia in P. Proſperum, & euocato in eius locum altero Socio ex vicina vrbe Macaënſi, vt de numero ſaltem Cuſtodibus conſtaret, electum à ſe in Europam dimiſerunt. Ad iter tam longum, & difficile non ampliùs quam 20. nummos aureos ab afflicta ſua Vice-Prouincia accepit, nixus Deo, qui Adiutor in opportunitatibus eſſe ſolet. Romam tandem appulſus 1671. poſtulauit à Præpoſito Generali Socios ſubſidiarios ad 40. qui reddita Eccleſię Sinenſi tranquillitate seneſcentibus ibi paulatim vineæ illius operarijs ſuccenturiarentur. In reditu fauſtiſſimum accepit nuntium, de liberatione ſuorum concaptiuorum è cuſtodia Cantonienſi, & libertate rurſus conceſſa omnibus ex benignitate Regis Sinenſis, prædicandi vbiuis fidem Chriſti. Dum in Sinis eſſet ſcripſit interpretationem Latinam vnius ex opuſculis Confucij Principis Philoſophorum Sinenſium, quàm accuratè examinarunt, & approbarunt 12. ex noſtris Patribus linguæ Sinenſis peritis, & tres Vice-Prouinciales cuius eſt titulus,

Sinarum Scientia Politico-Moralis cum Characteribus Sinenſibus & Latinis. Recognita & edita Goæ 1669. Primum librum eiuſdem Confucij antea ediderat in Sinis, & Romæ cùm eſſet, reliquit totam Paraphraſim integri textus Confucij typis dandam.

Edidit etiam Italicè

Narrationem breuem de Miſſione Chinenſi ab anno 1581. vſque ad 1669. dedicatam. S. Congregationi de Propaganda Fide, Romæ typis Franciſci Tizzoni 1671. in 8.

PROSPER MALAVOLTA, natione Italus, patria Ferrarienſis, adoleſcentulus à S. P. N. Ignatio in noſtrum Ordinem admiſſus eſt Romæ, anno ſalutis 1555. & profeſſionem votorum 4. emiſit 1571. Rhetoricam in ea docuit quinquennio, & Concionibus addictus Italiam percurrit, & tricies Quadrageſimæ ieiunium quotidianis concionibus in primarijs Templis emenſus eſt. Rexit varia Collegia, Domum Profeſſam Mediolanenſem, & iteratò illam prouinciam. Seuerus in ſe, paupertatis, & communis boni ſemper amantiſſimus; plenus laborum, ac meritorum obijt Genuæ die 4. Decembris anno ſalutis 1604. ætatis 66. Religionis 50. Scripſit Italicè pium libellum cui titulus eſt

Pia Exercitia ſuper Coronam XII. virtutum B. Mariæ, & modus eam quotidie ſpiritualiter coronandi. Editæ ſunt præterea Italicè per Proſperi amicum Bartholemæum Zucchium, tacito eius nomine

Conciones VII. Mediolani 1604. Plures dediſſet, quas habebat iam paratas ſi vita ſuppeditaſſet.

* RAPHAEL DE BONAFE natione Hiſpanus, patria Balearis, natus in Inſula Maiorica, anno ſæculi fluentis 6. Deo ſe in Societate conſecrauit 1622. & votorum 4. profeſſione obſtrinxit. Impulſus ſtudio lucrandarum Deo animarum in Indiis, nauigauit ad Inſulas Philippinas anno 1631. ibique prælegit Humaniores litteras, Philoſophiam, & ſexennio Theologiam. Rexit Collegium S. Ioſephi in Vrbe Manilana iteratò, Reſidentiam Silanenſem, poſtea Collegium Manilanum, & totam Prouinciam. Sacro Tribunali S. Inquiſitionis fuit à Cenſuris ſeu Qualificator. Vir multæ prudentiæ, doctrinæ, & zeli ad præmia laborum ex hac vita emigrauit Manilæ die 27. Septembris 1668. Edidit Hiſpanicè librum plenum eruditionis, ac pietatis

De Titulis excellentiæ, & Officijs pietatis erga S. Archangelum Raphaëlem. Matriti 1659. in 4.

* RAPHAEL CASTELLVS natione Italus, patria Bononienſis, adoleſcens Societati ſe addixit anno ſalutis 1605. ætatis 14. & in ea votorum 4. profeſſionem emiſit. Docuit Rhetoricam, & Theologiam morum Magiſtram. Rexit Collegium Buxetanum, Mutinenſe, Rauennatenſe. Apud varios Epiſcopos, & Cardinales functus eſt munere Theologi in Curia Epiſcopali, & Antiſtiti Mutinenſi inſuper fuit à Sacris Confeſſionibus annos 12. & ibidem Conſultor S. Inquiſitionis. Demum diuturno morbo conſumptus religiosè deceſſit Ferrariæ die 5. Aprilis 1656. Edidit ſub alieno nomine

De Donatione Conſtantini Lib. V.

Synodum Mutinenſem habitam anno 1637.

Deciſiones Mutinenſes Libris XI. diſpertitas.

Conſultationem de præſentia proprij Parochi in Sacramento Matrimonij, ſub nomine Cæſaris Cantelli.

RAPHAEL OLLER natione Hiſpanus, patria Maioricenſis. Is ab Venerabili Fratre noſtro Alphonſo Rodriguez à puero ſæpius ad virtutis ſtudium incitatus, ſæpius etiam in curſu relanguit, & Societatem nunc prenſabat, nunc denuò negligebat. Orauit Alphonſus Deum, vt illius curam ageret peculiarem, idque ſe Dominus facturum ſpopondit, cuius tandem beneficio cum in Societatem veniſſet, Alphonſi interpellatoris ſui vixit vſque memor à quo melioris vitæ rudimenta acceperat. Rhetoricam, Philoſophiam, ac Theologiam cum laude docuit. Sed virtute & zelo Diuini honoris amplificandi, ac mortales ad ſalutis ſuæ amorem inflammandi, longè ſuperauit omnia doctrinæ ornamenta. Concionibus habendis audiendiſque confeſſionibus nunquam ſatiabatur, tantumque valuit tractandis animis, vt qui ſe illi ſemel commiſerat non facile ad alium tranſiret. Prudens erat, & maturus in ſuſcipiendis, conſtans in proſequendis, quæ ſuſceperat negotiis, cum Dei gloria & hominum bono coniunctis. Omnium opinio fuit eum tot, tantaque ſolum præſtitiſſe, vt tribus haud inertibus operariis ſatis eſſe poſſent. Carceres, Noſocomia, conuerſarum mulierum habitacula adibat. Nullam corpori relaxationem dabat, otium nullum. Sæpe Deum rogauit, vt ſe dignaretur eo honore, vt in miſſione aliqua concionando, & ſalutis miniſteria hominibus diſpenſando, vitam poneret. Nec voto illum ſuo Deus fruſtratus eſt. Excurrerat Minoricam alteram Balearium Inſularum anno 1621. vbi dum ſtrenue ad officium Apoſtolicum incumbit, morbo correptus eſt, & Sacramentis magna pietate perceptis inter repetenda ſalutaria Ieſu, & Mariæ nomina ſanctè expirauit die 19. Februarii ætatis ſuæ anno 55. cum 36. vixiſſet in Societate, & in ea 4. votorum profeſſionem ante annos 14. ſuſcepiſſet. Magna illi celebritate parentatum eſt, magno affluxu populus, ad Sacrarum manuum oſculum acceſſit, & roſaria corpori admouit, reliquiarum vice. Plena eum voce Sanctum atque Apoſtolum appellabant, ac deinceps perrexerunt eius tumulo ſupplices accedere, atque in vota pios eius manes vocare. Enimuerò id eius innocentia & bonæ artes cæteræ promeruiſſe videri poſſent. Nam virginitati illibatæ, & ſanctitati in Baptiſmo acceptæ, ſemperque ſeruatæ, addidit humilitatem profundam, obedientiam, paupertatem eximiam, diſciplinæ regularis accuratam cuſtodiam, mortificationem perpetuam, corporis per multam inediam, aliosque modos vexationum, prolixam orationem, cui faciebat otium ſomni parcitate quaternis horis definiti; zelum animarum, vt dierum XIII. ſpatio decies ſepties aliquando fuerit concionatus maximis excitatis motibus animarum. Et coronabat hæc decora ſingularis quidam pietatis affectus in venerabile myſterium Euchariſtiæ, & in D. Virginem Dei Matrem, cuius illibatam Conceptionem præcipua deuotione colebat. Huius præclari viri nulla quod ſciam exſtat iuſta lucubratio.

Edidit tamen

Repertorium in 7. Tomos Hiſtoriæ Hieronymi Zuritæ, quo totam Hiſtoriam non parum illuſtrauit.

RAPHAEL RIERA natione Hiſpanus, patria Barcinonenſis. Vir doctus iuxta, ac pius, ſub ipſa pene Societatis initia ad eam ſe adiunxit, & anno 1548. Meſſanam vnus ex x. primis, quos ad fundandum ea in Vrbe Collegium S.P.N. Ignatius deſtinauit, profectus eſt. Aliquantò poſt inde reuocatus, Laureti expiandis pœnitentium animis diu operam dedit. Aderat ipſe in turba cùm anno 1555. vno è noſtris in Æde Lauretana concionante, luce palam ignes quidam haud obſcuri cælo delapſi, Sacroſanctum Sacellum inſedere, moxque inde diffuſi circumire concionem, denique cunctis rei miraculo ſtupentibus recepere ſe in cælum. Raphaël nouitate attonitus repente humi procubuit venerabundus, Deo ac Deiparæ gratias agens à quibus tali eſſet dignatus ſpectaculo. Tantum vero cæleſtis gaudii copiam in præſentia hauſit, vt complures deinceps durauerit dies, pectore Dei caritate, & B. Mariæ religione ſemel accenſo. Demum ibidem poſt pios multorum annorum labores migrauit ad Dominum Calendis Ianuarii 1582. tria vota ſolemnia pridem antea profeſſus. Scripſit latinè

Hiſtoriam de Anno Iubilæi 1575. *ſub Gregorio XIII.* quæ Gallicè verſa Lugduni; Italicè verſa à Ioanne Tellier prodiit, Maceratæ per Sebaſtianum Marcellinum 1580. in 8.

De Miraculis B. Mariæ Virginis Lauretanæ. Maceratæ 1575.

RATISBONENSE COLLEGIVM in Bauaria ſitum ad Ripam Danubii in Prouincia Germaniæ Superioris, & Vrbe ditionis Imperialis, inchoatum anno ſalutis 1586. quando deſignatus fuit illius loci Epiſcopus Sereniſſimus Philippus Guilielmi Bauariæ Ducis filius, tunc ſiquidem Sereniſſimus Parens ſummæ pietatis, ac zeli, in amplificando cultu Diuino Princeps, dum pro filio adoleſcente adminiſtrandas in ſe ſuſcepit res Epiſcopatus, ad erigendum ea in ciuitate (quam doctrina Lutheri magnam partem infecerat) Collegium Societatis animum adiecit. Eum in finem à Romano Pontifice antiquum Cœnobium prope inane Virginum ad S. Paulum impetrari curauit, & exſtructis deinde ſcholis ad eruditionem Iuuentutis, accommodatoque Monaſterio ad formam Collegii Societati rite tradidit. Docentur in eo nunc Humaniores litteræ in ſex claſſibus, & præterea Dialectica, & Theologia directrix morum, & confluit ad eas Iuuentus numeroſa. Edidit

Gratulationem Sereniſſimo Philippo Bauaro Epiſcopo Ratisbonenſi de adepta Purpura Cardinalitia. Ingolſtadii typis Vvolfgangi Ederi 1597. in 4.

Templum Honoris à Romanis conditum, apertum virtute Ferdinandi III. nunc eidem Regi Roma-

Romanorum coronato deſcriptum dicatumque. Ingolſtadii typis Gregorii Hænlini 1637.in 4.

* RAYMVNDVS A SANCTO MARTINO natione Gallus,patria Baſſanenſis apud Vaſcones,natus anno ſæculari 1600.Societatem Theologicis inſtructus ſtudiis, & Sacerdotio, amplexus eſt 1625. & in ea votorum 4. profeſſionem edidit. Philoſophiam explicuit ſeptennio, Theologiam Moralem triennio, & ſtudiis aliquot annos præfuit. Concionatorem etiam diu egit.Edidit

*De Diuinis Reliquijs pretioſi Sanguinis,quæ Billomi in Aruernia aſſeruabantur.*1635.in 12. Gallicè contra Sectarios.

Confeſſionem fidei,quam Religionarij prætenſæ Reformationis ſtruxerunt, ſe ipſa deſtructam. Montalbani 1658.in 4.

*Demonſtrationem ad eoſdem de vnione cum Eccleſia Romana.*Ibidem 1658.in 4.

Conſilium momenti maximi eiſdem datum ſuper diſtinctione Articulorum Fidei fundamentalium,& non fundamentalium. Montalbani 1660. in 4.

RENATVS CERISERIVS natione Gallus, patria Nannetenſis, natus anno 1603. Societatem ingreſſus eſt 1622. in Prouincia Campaniæ,& votorum quatuor profeſſionem in ea emiſit Docuit in ea Humaniores litteras, & Philoſophiam,& dum inter nos ageret. Scripſit Gallicè

Hiſtoriam B.Virginis Exhilaratricis, quæ vulgò *de Lieſſe* dicitur.Item

Innocentiæ agnitæ Hiſtoriam. Pariſiis 1643. in 12. quæ Italicè translata à Ludouico Cadamoſto prodiit.Bononiæ 1617.in 12.

RENATVS CHESNEAV, natione Gallus,patria Aurelianenſis, ex viduo & Oeconomo Comitis S.Pauli poſt ſtudia liberalium artium,ac Philoſophiæ, Duaci in virili ætate inchoata,& perfecta,factus Societatis, Tornaci anno 1605.cum valeret gratia dicendi, celebris in ea Concionator euaſit. Obiit magno ſui relicto deſiderio Montibus Hannoniæ anno 1617. quinquagenario maior.Edidit Gallicè

HiſtoriamTranslationis Sacri Corporis Henrici Martyris Romà Montes Hannoniæ aduecti. Montibus 1616.

Tranſtulit ex Latino Gallicè

*Ioannis Crombecij deStudio Perfectionis Lib. II.*Audomari apup Boſchart

Roberti Cardinalis Bellarmini de Aſcenſu mentis in Deum. Duaci apud Balthaſarem Bellerum 1616.

*Iacobi Aluarez de Paz Tractatum de mortificatione externa.*Apud eundem 1617.

* RENATVS RAPIN natione Gallus, patria Turonenſis, natus ſæculi voluentis anno primo ſupra vigeſimum, Chriſto in ſua Societate ſe dedicauit anno 1639. & ſolemni votorum 4. Sacramento ſe adſtrinxit. Diſciplinas amœniores nouennio profeſſus eſt. Nunc degit in Collegio Pariſienſi. Edidit hactenus

*Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ Trophæum ob debellatum Turcam, & reſtitutam Societatem Ieſu.*Pariſiis exTypographia Regia 1657.in fol.

*Trophæum famæ Eminentiſſimo Cardinali Mazarino.*Typis iiſdem 1657.in fol.

*Lacrymas in tumulum Alphonſi ManciniNepotis eiuſdem Cardinalis.*Typis iiſdem 1658.in folio

*Pacis Triumphalia ad Em.CardinalemMazarinum.*Typis iiſdem 1659.in folio

Pacem Themidis cum Mutis. Pariſiis apud Sebaſtianum Cramoiſy 1659.in folio

*Eclogas Sacras,& Diſſertationem de Carmine Paſtorali.*Pariſiis typis iiſdem 1659.in 4.

Hortorum Libros IV.quibus addita eſt Diſputatio de Vniuerſa Hortenſis culturæ diſciplina. Pariſiis ex Typographia Regia 1661.in 4.recuſam ibidem 1666.in 12.

Diſſertationem de Noua doctrina,ſeu Euangelium Ianſeniſtarum. Pariſiis apud Ioannem Henault 1658.in 8.

Elogium Franciſci Foucquet defuncti. Pariſiis 1669.

Obſeruationes in Poemata Homeri,& Virgilij. Pariſiis apud Dionyſium Thiierry 1669. in 12.Gallicè

*Comparationem Eloquentiæ Demoſthenis & Ciceronis.*Gallicè Ibidem 1670.in 8.

*Comparationem Platonis, & Ariſtotelis cum ſententijs SS.PP.de eiſdem.*Gallicè Ibidem 1671 in 8.

Reflexiones ſupra vſum Eloquentiæ huius temporis. Pariſiis apud Claudium Barbin 1671. in 12.

Spiritum Chriſtianiſmi. Pariſiis apud Sebaſtianum Cramoiſy 1672.in 12.

De Perfectione Chriſtianæ Religionis. Pariſiis typis iiſdem 1673.in 12.

*Chriſtum Patientem carmine Heroico.*Pariſiis 1674.in 12.

RHEDONENSE COLLEGIVM in Britannia Armorica ſpectans ad Prouinciam Franciæ, Henrici Magni Regis beneuolentia Societati datum eſt, & Ciuitatis Rhedonenſis eximia munificentia conſtructum dotatumque anno ſalutis 1604. cum Templo ſua Architectura conſpicuo.Scholę huius Collegii ſunt frequentiſſimæ, & numero diſcipulorum ſuperant quoduis toto Orbe Societatis Collegium; numerat quippe plerumque ſupra bis mille & quingentos, & aliquando vltra tria millia recenſuit,in varias claſſes diſtributos. Complectitur de Societate ordinariè viginti ſex; & præter litteras Humaniores, docentur in eo Philoſophia, Mathematica,Theologia tam Speculatiua, quàm Moralis magno gentis Armoricæ bono

Edidit ſuo nomine

Orationes quibus pompam exequiarum, atque funus Henrici Magni Galliæ, & Nauarræ Chriſtianiſſimi Regis mœrens cohoneſtauit. Rhedonis apud Titum Hurenæum 1611.in 8.

RHEMENSE COLLEGIVM in Gallia in Ciuitate Archiepiſcopali pertinens ad Prouin-

uinciam Campaniæ, cùm aliquamdiu exiguum receptaculum ſeu Reſidentia fuiſſet, aſſurgere cœpit ad formam Collegij anno ſalutis 1608. inſigni pietate nonnullorum,ſed præcipuè Reuerendiſſimi D.Abbatis Brularti fratris ſummi tunc temporis Cancellarij Franciæ,cuius munificentia coëmptæ ſunt primum Noſtris ædes, exſtructæ ſcholæ,& addita dos non exigua in prouentibus annuis,ita vt apertæ eo anno ſcholæ diſcipulos illico ad quingentos exceperint. Aucta deinde dos progreſſu temporis, & adiectæ gymnaſio lectiones aliæ de Philoſophia, Mathematica,Theologia Morali,& Scholaſtica, necnon de Scriptura Sacra, adeo vt Collegium hodie numeret ordinariè Profeſſores 13.& Socios circiter 40.Emiſit in lucem

*Parentalia Henrici Magni Regis Galliarum in anniuerſario obitus illius die.*Rhemis apud Simonem de Foignij 1611.in 8.

*Panegyricum Ludouico XIII. Regi in eius inauguratione dictum.*Rhemis 1610.in 8.

Academica Parentalia Reuerendiſſimo Domino Franciſco Brulartio Abbati Vallis Regiæ Collegij Rhemenſis fundatori. Rhemis apud Nicolaum Conſtant 1631.in 4.

* RICHARDVS ARCHDEKIN natione Hibernus,patria Kilkennienſis,admiſſus Mechliniæ in Societatem anno ſæculi labentis 42. ætatis ſuæ 23.vota in ea 4.nuncupauit.Sexennio docuit humaniores litteras,quinquennio Philoſophiam, Theologiam Moralem, & Scripturæ Sacræ Oracula annis circiter 14.explicuit partim Louanij, partim Antuerpiæ, vbi nunc Præfectum ſtudiorum altiorum agere pergit.Edidit idiomate Anglicano & Hibernico.

Tractatum de Miraculis vna cum Nouis Miraculis, & beneficijs obtentis per Sacras Reliquias S. Franciſci Xauerij expoſitas in Templo Societatis Ieſu Mechlinienſi. Louanij typis Andreæ Bouet 1667.in 8.Item latinè

Theologiam Polemicam,practicam,Sacram; Louanij typis HæredumBernardiniMaſij 1671 in 8.Item

*Epitomen vitæ & Miraculorum S. Patritij Hiberniæ Apoſtoli.*Ibidem.

Prælo paratam habet *Theologiam Apoſtolicam.*

* RICHARDVS ASHBÆVS aliàs THIMBELBÆVS, natione Anglus, patria Lincolnienſis. Deo ſe in Societate mancipauit anno à partu Virginis 1631. ætatis ſuæ 17. & votorum 4. Sacramento ſolemni ſe adſtrinxit. Docuit Philoſophiam,& Theologiam Polemicam de controuerſijs fidei Leodij. Multos dein annos operarius in vinea Anglicana laborauit, & Superior ibidem præfuit aliquamdiu Noſtris. Fuit Rector & Magiſter Nouitiorum in Tirocinio Vvatenenſi,& modò dum hæc ſcribo anno Domini 1674. Collegium Anglicanum Audomari gubernat.Edidit Anglicè Tractatum

*De felice & infelice ſtatu animarum inPurgatorio,& modo eas iuuandi.*Londini 1663.in 8. Item

Obſeruationes generales in Librum Doctoris Stillingfleti, cum vindicatione S.Ignatij & Sociorum eius, à fœdis maculis quibus eos ille aſpergit. Londini 1672.in 4.

RICHARDVS ESIVS natione Belga, patria Vltraiectinus, Vir linguæ Græcæ peritiſſimus,ad Societatem ſe adiunxit in Italia anno ſalutis 1588.ætatis ſuæ 41.vixitque totos 42. annos in Prouincia Veneta, quorum bonam partem litteris humanioribus tradendis impendit.Obijt demum Placentiæ die 19.Nouembris anno 1630. ætatis 83. emiſſis olim tribus votis Spiritualium Coadiutorum.Scripſit

Inſtructiones Grammaticæ Latinæ.

Inſtructiones Linguæ Græcæ.

Compendium Linguæ Græcæ ex Nicolao Clenardo.

Compendium Linguæ Latinæ ex Emmanuele Aluaro.

De quantitate Syllabarum.

Simmiæ Rhodij Bipennem,quæ Theocrito adiconſueuit è Græco latinè reddidit. Eam recitat Ioſephus Blancanus in locis Mathematicis Ariſtotelis ad quæſtiones Mechanicas cap.19.

*Proſodiæ Rudimenta ex Emmanuele Aluaro,illuſtrata.*Parmæ,typis Anthæi Viothi 1624. in 16.

RICHARDVS GIBBONVS natione Anglus, patria Vvellenſis, natus anno Domini 1549.poſt nauatam ſtudijs Humanioribus operam in patria, Philoſophiam partim Louanij, partim Romæ in Collegio Germanico audiuit, & ibidem Societati ſe addixit CalendisSeptembris 1572. & votorum 4. profeſſionem poſtea emiſit. Vir egregiè doctus. Mathematicam profeſſus eſt annis 17.Philoſophiam decem,Theologiam Scholaſticam triennio, litteras Sacras & linguam Hebræam aliquamdiu explicuit, & hæc in Italia, Hiſpania, Luſitania, Turnoni, & Toloſæ in Gallia, Duaci, & Louanij in Belgio, vbi etiam Præfectum egit ſtudiorum,ac tandem tribus annis octogenario maior obiit Duaci die 11.Iunii anno ſalutis 1632.Societatis 61.Edidit

Decachordum Chriſtianum Marci Cardinalis Vigerij.

Opera Diui Aelredi Rhieuallenſis Abbatis in Anglia,Ciſtercienſis, ex M.S.producta, exſtant Tomo III.Bibliothecæ magnæ Patrum,& ſeorſim excuſa Duaci typis Gerardi Pinchon 1631. in 4.& iterum Pariſiis 1654.in 4.

*Diui Amedei Epiſcopi Lauſannæ de Maria Virgine Matre Homilias VIII.*cum SyllaboAuctorum,qui Homilias de B.Virgine ſcripſerunt. Quem Colonienſes perperam Ioanni Molano tribuerunt. Audomaropoli apud Antonium Crabbe 1613.in 12.

Nicolai Harpsfeldij Hiſtoriam Anglicanam Eccleſiaſticam cum adiuncta narratione Diuortij Henrici VIII. Regis Angliæ, ab inclyto Chriſti Martyre Edmundo Campiano ſcripta. Duaci 1622.in folio

Vitam S. Goſvvini Abbatis Aquicinctenſis Ordinis S.Benedicti è vetere M.S.Aquicinctino, cui ſuas notas adiecit. *Sum-*

Summam Caſuum Conſcientiæ, ſeu Inſtructionem Sacerdotum Franciſci Cardinalis Toleti, cum Auctario Martini Fornarij recenſuit, & recudit.

Franciſci Riberæ Commentarios in 12. Prophetas à mendis purgatos recudit. Duaci per Balthaſarem Bellerum 1612.

Ludouici de Ponte Meditationum de Vita & Paſſione Chriſti Lib. II. ex Hiſpanico fecit Latinos. Præterea

Anglice vertit ex Hiſpanico & tacito ſuo nomine vulgauit

Regulam bene viuendi Ludouici Granatenſis 1599. in 8. Item

Meditationes Ludouici de Ponte. appoſito ſuo nomine 1610. in 8. Ex Latino vertit.

Compendium Meditationum Vincentij Bruni 1614. in 16. &

Doctrinam Chriſtianam Cardinalis Bellarmini 1623. ex Italico.

RICHARDVS HALLER, natione Germanus, patria Norimbergenſis Societatem amplexus anno ſalutis 1569. ætatis 19. vota in ea 4. profeſſus eſt. Philoſophiam ſexennio docuit. Dilinganum Collegium, & Academiam gubernauit quadriennio, Ingolſtadienſe Collegium octennio. Poſtea anno 1598. Margaretam Auſtriacam ſecutus in Hiſpaniam, à Confeſſionibus Reginæ illi dum vixit, conſtanter adfuit. Vir fuit longè modeſtiſſimus, & qui in ſumma rerum omnium affluentia, Religioſam paupertatem exactè coluit, in ſummis honoribus vltrò ſæpe delatis demiſſiſſimè ſe geſſit. Infulas, & Purpuras oblatas non ſemel reſpuit, & tanto cum ſtomacho, vt eas offerentibus omnem deinceps cogitationem earum excuteret. Honorificas compellationes, ex Aulæ more vſurpatas, pro munere quod gerebat ne ad aures quidem admittebat. Præter illa negotia, quæ in proximorum bono procurando quotidie naſcebantur, à pijs libellis commentandis, & vulgandis nunquam erat otioſus. Obiit Matriti anno ſalutis 1612. die 22. Ianuarii ætatis anno 72. quadragenario maior in Societate, quatuor in ea votorum profeſſus. Funus ipſius, Rege iubente, Sacelli Regii Curiones, & Symphoniaci ſuo cantu celebrarunt; ſolemnem exequiarum pompam omnes Religioſorum familiæ ſunt proſecutæ. Eius induſtriæ monumentum eſt vtilis

Commentatiuncula de Contritionis actibus crebrò eliciendis, quam vario Idiomate omnibus propemodum Europæ Regionibus, & magna Indiæ parte fructuoſe diſſeminauit.

* RICHARDVS LYNCÆVS natione Hibernus, patria Galuienſis, natus anno ſæculi præter fluentis vndecimo, Parentibus apprime Catholicis, adoleſcens ſtudiorum cauſa Hiſpaniam petiit, & cooptatus primo in Compoſtellanum ſuæ gentis Seminarium, poſtea Societati ſe adiunxit anno 1630. & votorum 4. profeſſione ſe adſtrinxit. Triennio docuit litteras humaniores, ſexennio Philoſophiam, Sacras litteras annum vnum eſt interpretatus, ſed Scholaſticam Theologiam annis 25. Valliſoleti, & Salmanticæ explicauit, & modo ſtudiis Salmanticæ præeſt. Vir in diſputando acer, ac dexter, vt non raro acclamationibus adſtantium ad differendum prouoceiur. Inter tres primos de Societate, Doctorali Theologiæ laurea Salmanticæ inſignitos, is vnus fuit. Edidit hactenus

Curſum Philoſophicum tribus voluminibus. Lugduni ſumptibus Philippi Borde, & Sociorum 1654. in folio

De Deo Vltimo fine Tomos II. Salmanticæ typis Antonii de Coſſio 1671.

Conciones varias Hiſpanicè. Salmanticæ typis iiſdem 1670.

* RICHARDVS MERCIER natione Gallus, patria Burdigalenſis, natus anno ſæculi elapſi 88. ad Societatem ſe aggregauit labentis VII. & votorum 4. nexu ſe obſtrinxit. Quadriennio in ea docuit, politiores litteras; quinquennio Philoſophiam; quindecim annis Eccleſiaſten egit. Rexit Collegia Cadurcenſe, Ruthenenſe, Toloſanum, Monſpelienſe, Domum Profeſſam Toloſanam, & denique totam illam Prouinciam. Reliquum vitæ tempus in Confeſſionibus excipiendis & aliis Societatis miniſteriis, magno zelo, & fructu conſumpſit. Ad extremum grauis annis, & multis magniſque meritis cumulatus ad Dominum migrauit. Toloſæ die 2. Nouembris 1664. vir acri ingenio, & ad euincendos Hæreticos peridoneo. Edidit Gallicè

Examen deprauationum, quæ in Libris Euſtachij Miniſtri Caluiniani continentur. Toloſæ apud Ioannem Boude 1649. in 8.

Animaduerſiones in Librum cui titulus Reſponſio ad Librum D. Richardi Mercier de Euchariſtia. Monſpelii typis Danielis Pech 1651. in 8.

Centum falſa pugnantia, aut abſurda contenta in folijs quinquaginta libelli cui titulus Collatio inter Dauidem Euſtachium, &c. Monſpelii typis iiſdem 1650. in 8.

Manſionem Eccleſiæ Reformationis prætenſæ in Inſulis imaginarijs. Monſpelii typis iiſdem 1652. in 8.

RICHARDVS RICHARDI natione Italus. Scripſit

Compendium Grammaticæ. Emmanuelis Aluarez.

* RICHARDVS STRANGIVS, natione Anglus, patria Northumbrienſis, educatus à puero in Seminario Anglorum Audomarenſi, atque ibi Latinis Græciſque litteris apprimè inſtructus, Societatem amplexus eſt Vvatenis die 7. Septembris anno ſalutis humanæ 1631. ætatis ſuæ 21. & votorum 4. deinde Profeſſionem emiſit. Philoſophiæ & Theologiæ ſtudia feliciter emenſus, Humaniores diſciplinas docuit triennio, vbi eas prius hauſerat Audomaropoli, atque inde miſſus in Vineam Anglicanam, multos annos multorum bono & ſolatio eam coluit in variis Miſſionibus; & adlectus in Socium Præpoſiti Prouincialis, duobus ſucceſſiuè in eo munere Prouincialibus gratam operam præſtitit. Rexit Domum Tertiæ Probationis Gandauenſem, & ſimul Inſtructorem egit Pa-

trum

rum Tertianorum triennio: Nunc clauum Prouinciæ Anglicanæ moderatur. Edidit Anglicè eleganti ſtylo, ſuppreſſo ſuo nomine

De Vita & Geſtis S. Thomæ de Cantilupo Epiſcopi Herefordienſis, & Summi quondam Angliæ Cancellarij. Ex Actis Canonizationis, & Scriptoribus fide dignis. Gandaui typis Roberti Vvalkeri 1674. in 8. Scripſit etiam Anglicè

Tractatum De ſeptem gladijs, ſeu Doloribus B. Virginis, & alia contra Hæreticos, ſed nondum in lucem prodierunt.

RICHARDVS VANDER STERREN natione Belga, patria Eyndouienſis natus anno huius ſæculi ſecundo, Societati adſcriptus 18. Spiritualium Coadiutorum gradum obtinuit. Rexit Collegia Aloſtanum, & Aldenardenſe, multis annis præfuit Sodalitiis Parthenijs, & multis ad populum de loco ſuperiori dixit. Verſatus etiam aliquamdiu in Miſſione Hollandica, in die ſui Religioſi Iubilæi cum ægro adeſſet confitenti, in opere illo caritatis, contraxit morbum, vnde breui ex cuſtodia corporis in Cæleſtem patriam (vt fas eſt credere) euolauit Cortraci die vltimo Octobris 1607. Edidit lingua Belgica ſuppreſſo ſuo nomine libellum cui titulus eſt

Vſus & Vtilitas Suffragiorum, quæ laudabili conſuetudine in multis Congregationibus quot menſibus diſtribuuntur. Antuerpiæ apud Henricum Aertſens 1638. in 16.

RICHARDVS VVALPOLVS natione Anglus, patria Norfolcienſis, Henrici, & aliorum duorum in Societate frater, egregius Theologus, & inter doctiſſimos nationis Anglicanæ hac ætate viros reponendus. Ex Romano Anglorum Collegio, Societatis Religioſus factus anno ſalutis 1593. tum Romæ, tum Valliſoleti, tum Hiſpali Præfectum ſtudiorum in Anglicanis Collegijs egit, & Controuerſias de fide aliquot annos explicuit; Profeſſionem 4. votorum emiſit Romæ, & immatura morte abreptus deceſſit Valliſoleti anno ſalutis 1607. ætatis 42. Scripſit Anglice

Reſponſum ad Prouocationem Matthæi Salliſſi Miniſtri Caluiniſtici, Antuerpiæ anno 1605. in 8.

Breuem & claram confutationem, nouæ, & vanæ prouocationis factæ ab O. E. Miniſtello &c. præfixis litteris ſui nominis inuerſo ordine VV. R. 1603. in 8.

ROBERTVS BELLARMINVS S.R.E. Cardinalis natione Italus, patria Politianus, Marcelli II. Pontificis Maximi ſororis Cynthiæ Ceruinæ filius, adoleſcentulus ſe Deo in noſtra Societate conſecrauit die 20. Septembris anno ſalutis 1560. ætatis ſuæ 18. atque excellenti ingenio, magno iudicio, improbo & pertinaci ſtudio liberales artes didicit, docuit, & profeſſus eſt. Valuit ſacra eloquentia plurimùm, & ſumma cum admiratione omnium, atque inſigni fructu celeberrimis in locis concionatus eſt, priuſquàm per ætatem Sacerdos eſſe poſſet. Eo ſacro ordine Gandaui à Cornelio Ianſenio illius Vrbis Antiſtite inauguratus eſt anno 1569. & poſtero ſacram doctrinam Louanij explicare exorſus eſt, primus qui de Societate id ea in Vrbe præſtitit, fauſto principio, etiamſi quæſtiones adhuc non ita multas ex Prima tantùm, Tertiaque Parte S. Thomæ audiuiſſet. Rumor autem quem excitauit in tradenda Theologia auditus eſt adeò latè, vt ferè fidem excedat, vndè & primos in Academia honores obtinuit, habitus ſemper ab omnibus magiſter. Hanc tantam ſapientiæ laudem cum ornaret paribus incrementis virtutum, iuſſus eſt die 6. Iulij anni 1572. quartum Societatis ſolemne votum tribus alijs addere, quæ ex Pij V. decreto in Sacerdotij ſuſceptione prius ediderat. Pòſt ſeptennium, quàm in Belgium venerat, repetiuit Italiam, & Romæ primus Sociorum prælectionem de Controuerſijs fidei ſuſcepit anno 1576. tantâ præſtantiâ, vt famam per ſe celeberrimam longè etiam ſuperarit. Anno 1590. miſſus à Sixto V. Pont. Max. in Gallias eſt cum Henrico Cardinali Caietano Legato, vt ſi quid de rebus ad fidem ſpectantibus, tractari oporteret, ipſe eſſet in promptu. Indè poſt 10. menſes redux, iubente Gregor. XIV. Sacra Biblia vnus è paucis ad id deſignatis, liberauit erratis, quæ prima Editione à Sixto imperata irrepſerant, & Præfationem ipſe compoſuit, quæ impreſſa hodieque prælegitur, & caſtigauerat antea iam Biblia Regia imperante Gregorio XIII. quorum Chaldæa Paraphraſis Rabbinicis ſcatebat erroribus. Anno 1592. Romani Collegij Rector, & nondum circumacto triennio Neapolitanæ Prouinciæ Præpoſitus eſt appellatus. Vtramque Præfecturam incredibili Sociorum bono adminiſtrauit; donec vita functo Franciſco Cardinali Toleto à Clemente VIII. Pont. Maximo anno ineunte 1597. Romam accitus eſt, vt eius locum impleret. Adſcriptus pauló poſt inter eos eſt, qui Sacræ Inquiſitioni ſunt à Conſilijs, examini Epiſcoporum præpoſitus. Cumque Rector in Pœnitentiario Collegio factus eſſet, vix lapſo bimeſtri die 3. Martij anno 1599. ab eodem Clemente Cardinalis nominatus eſt, cum hoc elogio. *Hunc elegimus, quia non habet parem Eccleſia Dei, quoad doctrinam, & quia eſt nepos optimi, & Sanctiſſimi Pontificis*. Cum autem ſe ſubtrahere moliretur, ſub anathemate vetitus eſt repugnare; ſic publicæ vtilitati ſeruiendo inducta ſunt Cardinalis inſignia lacrymanti. Hinc factum vt quamuis eſſet Sacra Purpura donatus, nihil tamen de priſtina modeſtia mutauerit, ſuique omnino ſimilis, & pauper Societatis Ieſu presbyter, & Eccleſiæ Romanæ Princeps idem ſemper fuerit, in vnum Religioſæ vitæ, & ſacræ dignitatis munia coniungens. Triennio poſt acceptam Purpuram, Eccleſiæ Capuanæ Archiepiſcopus ab ipſo Clemente Pont. die 21. Aprilis anno 1602. inauguratus eſt, acclamante

Sacro

Sacro Collegio (vti teſtatur Card. Baronius ad annum Chriſti 968. *Dignus Digna.* Qualis fuerit eius adminiſtratio in ea Eccleſia, tum maximè patuit cum per obitum Clementis VIII. Anno 1605. ad noua Comitia Romam abire debuit. Cum enim populo de ſuggeſtu valediceret, ominareturque ſe minimè reuerſurum, lacrymæ omnibus obortæ ſunt, quas clamor excepit, & luctus publicus, cum dicerent vniuerſi: *Ne derelinquas nos Paſtor bone ne deſeras nos, nos orphanos, ſub te, quæ peccauimus, Pater, filij, emendabimus.* Poſtridie adfuit mæſta Ciuitas, & cùm primùm Cardinalis in conſpectu fuit, repentè cùm fletu clamor exortus eſt, Paſtorem, Parentem, Tutorem, confuſis vocibus appellantium, ſuamque orbitatem lamentantium: veſtis laciniam exoſculabantur nonnulli; alii roſariis piè contingebant, omnes benedictionem flagitabant. Nouus Pontifex Paulus V. mox vt electus eſt, vetuit Bellarminum abire ab ſuo latere, cuius vellet conſiliis plurimùm vti. Ea cauſa ipſi fuit Eccleſiæ Capuanæ renunciandi, quod nollet gregi præeſſe, cui non ſe poſſet exhibere præſentem. Procurauit tamen caritatis officio Politianam tantiſper Eccleſiam, dum abeſt, in Gallias, Legatus Antiſtes eius Vbaldinus, & Cæleſtini Ordinis, ac Monaſterii S. Marthæ, Germanicique Collegii patrocinium admiſit. Vixit in purpura Robertus, Summis Eccleſiæ negotiis admotus, vſque ad annum ſalutis 1621. quo propter ingraueſcentem annis, & ægritudinibus ætatem, impetrata ab occupationibus publicis miſſione die 16. Auguſti ex Vaticano ſeceſſit in Domum noſtram Probationis S. Andreæ, & pauló pòſt febri tentari cœpit, quo tempore mortem ſibi ominatus, canere auditus eſt: *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace.* Exprimi non poteſt, quàm fuerit illi iucunda cogitatio propinquæ mortis. Omnino in hoc argumento multus erat, vt oſtenderet viuendi faſtidiū, & incredibilem ſitim æternitatis. Inuiſit eum decumbentem Gregorius XV. Pont. Max. ac bis peramanter amplexus, ſacrum ſe pro eius valetudine facturum promiſit. Ipſe Chriſti Vicarium obſequioſiſſimè reueritus, vſurpauit illud Centurionis; *Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum.* Poſtquam Sacramentis munitus eſt, mandauit P. Andreæ Eudæmonioanni intimo ſuo, vt teſtaretur litteris ſe per Dei miſericordiam, in Eccleſia Catholica, atque in fide decedere, quam ad eam diem & ſincerè coluiſſet animo, & ſuis voluminibus defendiſſet, ac ne de Diuinis quidem auxiliis aliter morientem ſentire, vel vnquam ſenſiſſe, quàm in Controuerſiarum libris docuiſſet. Vbi imminere feliciſſimi tranſitus horam ſenſit, Apoſtolicum ſymbolum, Pſalmū 50. Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam ſæpiùs recitauit, interponens ſubinde ſuauiſſima Ieſu, ac Mariæ nomina, tum ſacram Chriſti cruci affixi effigiem, detracto ſibi pileolo, capiti venerabundus impoſuit, & reductis brachiis ad pectus ſtrinxit, ac demum inter noſtrorum preces leniter anhelans ſpiritum Conditori ſuo placidiſſimè tradidit die 17. Septembris anno ſalutis 1621. & 79. ætatis. Funus illi iubente Pontifice, comparatum eſt eo ſplendore, quo Cardinalibus fieri conſueuit, ſed aduerſus vndam populi concurſantis ad oſculum, tactumque ſacri pignoris, adhibere oportuit Helueticos è Stipatoribus Pontificijs. Decimo poſt die parentauit illi Societas, Tarquinio Galluccio perorante. Quidquid rerum in vſu habuit, raptum diſtractumque in poſtulantes eſt ad venerationem. Anno vertente, in vacuum S. Ignatii Parentis noſtri tumulum corpus eius illatum eſt, cui honorarium è lapidibus verſicoloribus, ac ſtatuis diſpoſitis monumentum Odoardus Cardinalis Farneſius addidit cum hac Inſcriptione.

ROBERTO
CARDINALI BELLARMINO
POLITIANO E SOCIETATE IESV
MARCELLI II. P. M.
SORORIS FILIO
ODOARDVS
CARDINALIS FARNESIVS
SVI ERGA VIRVM, QVEM
PATRIS LOCO SEMPER COLVIT
AMORIS NVNQVAM MORITVRI
MONVMENTVM POS.
OBDORMIVIT IN DOMINO
ANNO SAL. MDCXXI.
AETATIS SVAE LXXIX.

Yyyy De

De Religione porrò Roberti Bellarmini, pietate, demiſſione animi, modeſtia, cæteriſque virtutibus, de miraculis etiam, & Propheticis prædictionibus, aliiſque ornamentis, tacere meliùs puto, vt ille de Carthagine ait, quàm pauca dicere: omnia verò complecti voluminis iuſti eſt opus; eſt in manibus eius vita luculenter deſcripta, quæ ſitim poſſit extinguere, minutiùs eius decora cognoſcere cupientis. Ego ſatis habuero, pauca de ipſo clariſſimorum hominum ſuffragia repræſentare.

Maphæus Barberinus Cardinalis, qui iam Vrbanus VIII. eſt, dicebat Bellarminum etiam tum viuentem ab ſe tam æſtimari Sanctum, atque alios, qui antiquitatis etiam adiuncta commendatione publicam habent venerationem, nec dubitauit illum in quodam carmine S. Carolo Borromæo virtute geminum facere.

Cardinalis à Monte, Deum aiebat commodare vſibus Eccleſiæ exemplar hoc perfectiſſimum voluiſſe, vt Sacer Senatus, ac ſæculum noſtrum ab illo, vti ſuperiùs ſæculum à S. Carolo illuſtraretur.

Cardinalis Bandinus adſimilem ducit Sanctis Eccleſiæ Doctoribus, tum in doctrina, tum in moribus; ſemper verò viſum exemplar excogitatiſſimum Præſulum Eccleſiaſticorum, & Sacri Collegij ſingulare lumen.

Cardinalis Eſtenſis vocat ſingulare exemplar noſtrorum temporum, quem non honoraret, vt Cardinalem, ſed adoraret vt Sanctum, in cuius obitu magnum acceperit damnum Eccleſia Dei.

Cardinalis Verallus ipſum ait ita vixiſſe, vt exemplar, vnde ſumere virtutem Cardinales poſſent, & Eccleſiaſtici omnes; ita ſcripſiſſe, vt alter noſtri ſæculi Auguſtinus haberi poſſit.

Cardinalis Cobellutius ait excedente illo, cecidiſſe coronam capitis Sacro Senatui, qui fuerit Eccleſiæ Sanctæ lumen grande.

Cardinalis Vbaldinus exiſtimat hoc ſæculo neminem fuiſſe illo potiorem Sanctæ Fidei defenſorem, vt meritò poſſit appellari Athanaſius, atque Auguſtinus ætatis noſtræ; denique doctrina Sanctis Eccleſiæ Doctoribus parem, virtute ſpeculum ſanctimoniæ, Purpura formam fuiſſe Eccleſiaſticorum.

Cardinalis Centinus appellat Hæreticorum malleum, Sanctæ Eccleſiæ propugnaculum, Chriſtianæ fidei columen, Catholicæ veritatis aſſertorem, & vindicem.

Cardinalis Valerius ait ſe haud reperiſſe tot virtutes in multis, quos nouerat viris laudatiſſimis ſimul omnibus, quot repererat gradu quodam excellente in vno hoc magno Chriſti Athleta, in hoc magno Apoſtolo ſæculi noſtri.

Cardinalis Vrſinus celebrat in eo caſtitatem etiam in florenti æuo, perinde atque in Ioſepho, paupertatem inter diuitias, ſicut in Dauide; liberalitatem in egeſtate; vti in Tobia; ſolitudinem interiorem inter aulæ occupationes, tamquam in Gregorio; humilem opinionem de ſe in conferta multitudine virtutum excellentiſſimarum vti in Paulo; denique liberam vocem erga Dominantes, vt in Ioanne Baptiſta.

Cardinalis à Sabaudia eum in honore à ſe habitum ait, propter doctrinæ miraculum, qua Hæreticos religionis propugnator afflixit, atque adeo propter integritatis, ſanctimoniæque eius laudem.

Cardinalis de Sourdis vocat ſidus, malleum Hæreticorum, verticem Theologorum huius ſæculi.

Atque vt velut per ſaturam colligam ex cæteris aliqua, dictus eſt Vitæ cæleſtis, ac perfectæ Magiſter, & Dux, qui intra limites æui ſui neminem habuerit maiorem ſe, validus Eccleſiæ Dei coloſſus; piiſſimus fidei Athleta, & Hæreticorum hoſtis acerrimus; nouus Antoninus in ſubleuandis pauperibus; in vitæ perfectione Baſilius, in confutandis Hæreticis Irenæus à diuina prouidentia deſtinatus; nunquam ſatis laudatus noſtro ſæculo, & poſterioribus ſemper laudandus: Tutor, Præſes, Conſiliarius, Senator Chriſtianæ Reipub. magnus: magnum Eccleſiæ columen: lucerna lucens in caliginoſo loco, tenebraſque omnes diſcutiens; rerum diuinarum conſultiſſimus; Ampliſſimi Ordinis, ſuique ſæculi ornamentum: hæreſum debellator, nouus Alcides Aquilonis; eximium pietatis Chriſtianæ, & eruditionis omnimodæ noſtri æui ſidus, Romanæ Sacræ Purpuræ decus immortale; in medio Eccleſię à Deo poſitus, tamquam lucerna lucens, & ardens; Sacræ militię Princeps, ingens gloria temporum ſuorum, & ſexcenta in hanc ſententiam elogia, quæ breuitati condono. Hinc continuata ſemper per annos amplius 50. atque etiam aucta de ſanctitate huius celebratiſſimi Cardinalis fama, iuſſu Sanctiſſimi D. N. Clementis X denuò inſtitutus eſt hoc anno 1674. à S. Congregatione Rituum proceſſus, de Vita, & miraculis eiuſdem, vt in Beatorum album, ſi legitimè de requiſitis ad id conſtiterit, referatur. Scripſit porrò Robertus Bellarminus

De Controuerſijs Chriſtianæ fidei aduerſus ſui temporis Hæreticos. Opus ſpiſſum ſanè, atque operoſum, & omnibus numeris abſolutum in Tomos III. diſtinctum, & 64. libris comprehenſum, cuius Tomus I. primum prodiit anno 1581. Tomus II. anno 1583. Tomus III. anno 1592. Sed exinde in ſolo Septentrione vigeſimam habuit editionem: & quanti ſit factum in Eccleſia Dei, declarant Scriptores celeberrimi. Cardinalis Perronius pluris aſſerit à ſe illud fieri, quam vllum opus aliud, quod vel ab annis mille ſit editum pro Eccleſiæ defenſione. Cardinalis Baronius cenſet eſſe propugnaculum, & Turrim Dauid, ex qua mille Clypei pendent, & omnis armatura fortium, vt Hieruſalem noſtra aduerſus oppugnatio-

gnationes hoſtium defenſa ſit. Vocarunt alij contra huius ſæculi hæreſes primarium antidotum, murumque & antemurale Domus Dei. Nec ipſi hoſtes auſi ſunt diffiteri ex quibus Theodorus Beza, vnus hic liber, aiebat, nos omnes humi proturbat. Igitur in Angliæ Academia Cantabrigienſi primum, mox etiam in Oxonienſi noua prælectio inſtituta eſt, ad Controuerſias Bellarmini, ſi poſſent refellendas. Huius autem operis generalis diuiſio hęc eſt.

Tomus I. in ſeptem generales controuerſias diuiſus

De Verbo Dei ſcripto, & non ſcripto. Lib.4.

De Chriſto capite totius Eccleſiæ. Lib.5.

De Summo Pontifice capite militantis Eccleſiæ. Lib.5.

De Eccleſia tum in Concilijs congregata, tum ſparſa toto Orbe terrarum. Lib.4.

De membris Eccleſiæ militantis, Clericis Monachis, & Laicis. Lib.3.

De Eccleſia, quæ eſt in Purgatorio. Lib.2.

De Eccleſia, quæ triumphat in Cælis. Lib.3.

Eſt autem hic Tomus in editione Colonienſi ab Gymico, & Hierato facta anno 1615. ex recenſione Auctoris, diuiſus in duos Tomos, itaut prior contineat tres primas controuerſias, poſterior reliquas quatuor cum additamento 7. Opuſculorum, quæ ſunt iſta

Appendix ab libros de Summo Pontifice.

De Translatione Romani Imperij. Lib.3.

Appendix ad Diſputationem, De Cultu imaginum.

De Indulgentijs. Lib.2.

Iudicium De Concordia Lutheranorum.

Apologia breuis pro eodem libello.

Recognitio Auctoris omnium ſuorum Librorum.

Tomus II. ſeu iuxta aliam editionem 3. in 4. Controuerſias generales.

De Sacramentis in genere. Lib.2.

De Baptiſmo, & Confirmatione. Lib.1.

De Euchariſtia, & Sacrificio Miſſæ. Lib.6.

De Pœnitentia. Lib.IV.

De Extrema Vnctione, Ordine, & Matrimonio. Lib.3.

Tomus 3. vel ex alia editione 4. in tres Controuerſias generales.

De gratia primi hominis, & ſtatu innocentiæ Lib.1.

De Gratiæ amiſſione. Lib.6.

De Gratiæ reparatione, & Statu Iuſtificatorum per Chriſtum. Lib.14.

Controuerſiarum autem Epitomen ediderunt Antuerpiæ *Balduinus* Iunius Ordinis Minorum, & Fr. Ioannes Baptiſta des Bois Gallus Ordinis Minorum, Pariſiis apud Calderium 1602. & nouiſſimè *Andreas* Coppeſtain Ordinis Prædicatorum. Eas autem Gallicè reddidit iuſſu Cardinalis Perronij *Chiaſtillonius* eiuſdem Cardinalis Secretarius. Scripſit etiam Bellarminus alia, quæ Coloniæ prodierunt typis Bernardi Gualteri 1617. Tomis 3. comprehenſa poſt alias editiones, quibus ea ſeorſim vulgata ſunt, ea ſunt Tomo 4. ſeu malis 5.

Explanatio in Pſalmos. Tomo 5. ſeu 6.

Conciones Sacræ. Tomo 6. ſeu 7.

Opuſcula 18. *varij argumenti*. Nimirum præter ſex priora, quæ ſupra Tomo I. & II. recenſui.

De Scriptoribus Eccleſiaſticis Lib. 1. cum breui Chronologia ab orbe condito vſque ad annum Domini 1612. & poſtea vſque ad annum 1622. Coloniæ 1622. in 8.

Reſponſio ad librum inſcriptum, Triplici nodo, triplex cuneus *aduerſus Iacobum Regem Angliæ*. Prodiit primo ſub nomine Matthæi Toſti Presbyteri, & Theologi Papienſis.

Apologia pro eadem reſponſione in qua eiuſdem Regis Præfatio monitoria refutatur.

De Poteſtate Summi Pontificis in Temporalibus contra Guilielmum Barclaium. Lib.1.

Reſponſio ad duos libros in fauorem Reip. Venetæ conſcriptos aduerſus interdictum Pauli V. Pont. Max.

Reſponſio ad Tractatum ſeptem Theologorum pro cauſa eiuſdem Reip.

Reſponſio ad oppoſitiones F. Pauli Seruitæ, necnon Ioannis Marſilij Neapolitani.

Explicatio Symboli Apoſtolici, &

Chriſtianæ doctrinæ pro ijs, qui erudiunt alios copioſior explicatio. Hæc duo Ital.cè conſcripta fuerunt.

De Aſcenſione mentis in Deum. Lib,1.

De Aeterna felicitate Sanctorum. Lib.5.

De gemitu columbæ, ſiue de bono lacrymarum. Lib.3.

Acceſſit huic poſtremo Tomo ſupplemētum typis eiuſdem Gualteri anno 1619. in quo ſunt

De Septem Verbis Domini in cruce prolatis. Lib.2

De Officio Principis Chriſtiani. Lib.3.

Admonitio ad Nepotem Epiſc. Theanenſem De Officio Epiſcopi.

Inſtitutiones linguæ Hebraicæ.

De Arte bene moriendi. Lib.2.

Denique vt nullum tanti Doctoris, quamuis exiguum fragmentum omittam eius eſt:

Hymnus De Spiritu Sancto, hoc initio Spiritus celſi, dominator axis, qui tacito eius nomine exſtat inter ſelecta carmina Virorum Illuſtrium. Item

Hymnus de S. Maria Magdalena breuiſſimus, qui à Clemente VIII. Pont. Max. poſitus eſt in Breuiario Romano, & incipit *Pater ſuperni luminis.*

Liturgia Apoſtolica

In Hæreticum carptorem fulminis Sixti V.

Correctorium Errorum, qui Typographorum negligentia in Libros Roberti Bellarmini S.R.E. Card. Editionis Venetæ irrepſerunt. Prodierunt demū ex ipſius Bibliotheca deprompta

Noua declarationes S.R.E.Cardinalium ad Decreta Sac.Concilij Tridentini. Lugduni per Laurentium Durand 1634.

Concio quam de B.Aloyſio Gonzaga ad Socios habuit Italicè anno 1608. relata ad calcem eiuſdem B. Vitæ à Virgilio Cepario recuſæ anno 1629. Prodiit demum eius

Oratio De Paſſione Domini habita ad Gregorium XIII. anno 1577. cum alijs eiuſdem argumenti.

Recognitio librorum omnium Card. Bellarmini ab ipſo Auctore edita, in folio.

Epiſtolas varias Bellarmini collegit in vnū volumen, & typis vulgauit noſter Iacobus Fuligattus. Romæ apud Manelphum anno 1650. in 12.

Decora Roberti Cardinalis Bellarmini, collegit, & edidit Sebaſtianus Badus, Genuæ typis Antonii Georgii Franchelli 1671.in 4.

* ROBERTVS GVYART natione Gallus, patria Campanus natus anno sæculi euoluti 91. acceſſit ad Societatem voluentis 8. & vota in ea 4. nuncupauit. Septennio Rhetoricam, & litteras politiores profeſſus eſt, triennio Sacros Codices explicuit; Conciones ad populum annis 25.habuit. Vir apprimè eruditus multa parabat prælo, quæ mors ſuppreſſit, Flexiæ die 16.Martij 1663.Edidit lingua Gallica

De Eloquentia Sacra aduerſus prophanam Politicorum Eloquentiam. Flexiæ apud Georgium Grineau 1638. in 8.

ROBERTS IENISONVS alio nomine Freuillus, natione Anglus, patria Dunelmenſis natus anno ſalutis 1590. in Societatem 27. ætatis ingreſſus poſthabito Cruci Chriſti patrimonio non contemnendo, votis 4.ſe illigauit. Rexit Domum probationis Gandaui,& Superior Noſtrorum aliquamdiù fuit in Vinea Anglicana, quàm triginta circiter annorum ſpatio impigrè excoluit. Accuratus fuit diſciplinæ Religioſæ cuſtos, tàm in ſe ipſo, quàm in aliis, quos moderabatur. Spiritualibus rebus apprimè deditus, multa inſignis patientiæ exempla præbuit inter acutiſſimos, quos patiebatur calculi dolores,& quibus demum confectus ad cæleſtem, vt ſperamus, patriam commigrauit in Anglia die 10. Octobris 1656. Scripſit Anglicè

Ocularia, iuſtum volumen de variis fidei capitibus controuerſis contra *Viam tutā Humfredi Lyndi*. Rothomagi 1631.in 8.

* ROBERTVS MIRABELLVS natione Italus, patria Scillianenſis in Calabria citeriori, grandis natu, & annorum 43. iamque Sacerdos, & I.V. Doctor acceſſit ad Societatem Romæ anno ſalutis 1633. & vota ſpiritualium Coadiutorum in ea emiſit. Vir candidiſſimæ naturæ, confeſſionibus excipiendis addictus, & Noſtris Superior pręfuit in Reſidentia Paulana. Demum religioſè deceſſit Amantheæ die 27.Ianuarii 1656. Edidit ſub nomine cognati ſui Laurentij

Sermones varios. Romæ apud Hæredes Corbelletti 1652. in 4.

* ROBERTVS NOBILIVS, SEV DE NOBILIBVS natione Italus, patria Politianus, ſingulare Societatis decus, & Apoſtolico ſpiritu in India clarus. Ortus illuſtri ſtirpe anno ſalutis 1577. menſe Septembris, cum adulta ætate ſenſiſſet ſe impelli ad perfectioris vitæ in Societate genus, metueretque obſtacula ſibi à parentibus interponenda, aufugit è paterna domo, & vicennis Neapoli Societatem ingreſſus eſt menſe Iunio 1597. In ipſo tirocinio prædictum illi eſt à Magiſtro Nouitiorum Nicolao Orlandino, fore vt in India, multa ad gloriam Dei ageret. Abſolutis partim Neapoli, partim Romæ ſtudijs, magno ardore Indiam à Superioribus efflagitauit, & cum vehementer obſiſterent Parentes, vtpotè collocatum in ipſo, quem tenerrimè diligebant, habentes vitæ ſolatium, ille perſuadere eis nitebatur, hanc eſſe voluntatem Dei, cui refragari fas non eſt, atque ita tametſi lacrymantes expugnauit. Appulſus in Indiam Orientalem, & applicatus miſſioni Madurenſi, vt vberiorem in ea fructum colligeret,tres linguas, quibus Regnorum illorum Incolæ vtuntur, nempè Tamulicam, Badagicam, & Grandonicam exquiſitè condidicit, itaut eleganter admodum cum ſtupore indigenarum ijs, & loqueretur, & ſcriberet. Deinde quia Brachmanni Saniaſſij (qui eſt Supremus Brachmannorum in Regionibus illis ordo) non admittunt ſuam ad familiaritatem vllos de populo, imò piaculo ſibi ducunt à plebeis tangi, vt horum in conſuetudinem ſe facilius inſinuaret, aſſumpſit habitum Brachmannorum eiuſcemodi, & auſteriſſimam illorum viuendi rationem amplexus eſt. Vndè cum ipſi nunquam in publico veſcerentur carnibus, aut piſcibus, ſed ſolis herbis, leguminibus, lacticinijs, & oriza, hanc auſteritatem amore Chriſti pro ſalute animarum in ſe ſuſcepit, tenuitque rigidiſſimè quandiù vixit; imò de licentia Superiorum voto ſe obſtrinxit ad hanc auſteritatem;& poſtremis vitæ ſuæ annis,etiam auxit, interdictis ſibi etiam oriza, & lacticinijs. His ille artibus ſanctis plurimos Brachmannorum ad ouile Chriſti perduxit, & fructuoſiſſimæ illius Miſſionis Parens, atque Inſtitutor extitit. Et quamuis principio incredibiles paſſus fuerit in eo oppoſitiones à viris doctiſſimis, etiam de Societate, atque adeò ab ipſo Cardinali Bellarmino fa. me. qui ipſum conſanguinitate attingebat, & ſcriptis ad eum litteris grauiter dehortatus eſt ab eo vitę genere, tamquam illicito Chriſtianis, prout fuerat informatus, ita vt paſſim audiret Robertus tamquam apoſtata à fide, & Gentilis; tamen cum eſſet ille non leuiter Theologia tinctus, ſcriptum confecit, quo probauit ſuum viuendi modum non ſolùm Archiepiſcopo Angamalenſi,ſeu Cranganorenſi in cuius diœceſi vitam agebat, ſed etiam Archiepiſcopo, & Quæſitori-

ſitoribus Fidei Goæ, qui omnes priùs in contrariam ſententiam iuerant, adeo vt examinata re poſtmodum accuratiſſimè Romæ, ipſe Pontifex Gregorius XV. dato ſuper eo diplomate Breui, declarauit licere Brachmannis conuerſis ad fidem geſtare certas lineas, & Curumbynum, aliaque agere, quæ priùs ſuperſtitionem olere permultis videbantur, eò quod illæ eſſent nobilitatis inſignia, ſuperſtitionibus reſectis. Hunc in modum cum Robertus ipſos 45. annos conſtanter exegiſſet, continuis laboribus & incommodis debilitata acie oculorum itaut à cæcitate propiùs abeſſet, cùm dolore auulſus eſt à grege quem tamdiu pauerat, & à Superioribus translatus ad Collegium Iafanapatenſe, poſtea ad Meliaporenſe in quo maior valetudinis tanti viri cura haberetur. Quinquennium poſtremum vitæ ſuæ in his Collegijs exegit, ſemper ſcribendo lingua Tamulica, & alijs libros, vt ſic ſaltem poſteris prodeſſe poſſet. Fuit porrò Robertus per omnem vitam ſuam humillimus, ſuique deſpicientiſſimus, Orationi impensè deditus, cultui Deiparæ ſingulariter addictus, & in vltima ſenectute quando Sacris operari amplius non poterat, cæleſti pane ſe quotidie reficiebat. Quam verò fuerit ſalutis animarum ſitiens, ſatis demonſtrat rigidiſſima vitæ tot annorum ſeries, quam ſolùm, vt Chriſto plures lucrifaceret, conſtantiſſimè tolerauit. Hinc Pater Sanctus, vbique appellabatur, & demum octogenarius atque maturus cælo, longàque præparatione ad mortem ritè diſpoſitus, ſumma animi ſerenitate ſolutus vinculis corporis ad laborum præmia euolauit Meliaporæ die 16. Ianuarij 1656. & à ſuſcepta votorum 4. profeſſione 45. Expoſita eſt Romæ eius effigies ad Portam Domus Profeſſæ Societatis cum hac hypographe: *Robertus de Nobilibus, Politianus Societatis Ieſu genere, pietate, ac doctrina æquè nobilis, 45. annis in Madurenſium Ethnicorum conuerſione, oriza, oleribuſque conſtanter victitans, exactis, Meliapore ſanctè obijt 16. Ianuarij 1656.* Compoſuit varios libros, tribus linguis ſupramemoratis ad vſum, & in inſtructionem fidelium, videlicet

Catechiſmum ad Gentilium conuerſionem in partes V. diuiſum.

Librum inſcriptum Scientia animæ, in quo præter Catholicæ Fidei veritates ad animam pertinentes, omnes Orientis errores, circa fatum, & transmigrationem animarum confutantur.

Apologiam contra probra, quæ aduerſus legem Dei ab Ethnicis obijciuntur, vbi eadem obiecta in eorum Sectas aptè retorquentur.

Librum de Signis veræ legis vtiliſſimum.

Lucernam Spiritualem.

Dialogum de Vita æterna.

Dialogum de Fide pro inſtituendis pueris.

Compendium Catechiſmi pro eiſdem.

Dialogum in quo Transmigratio animarum impugnatur.

Varia opuſcula in vnum volumen redacta.

Regulas perfectionis.

Conciones varias.

Vitam B.V. Mariæ verſu Tamulico, quæ in omnibus locis, & ab omni hominum genere cantari ſolet, pro conſolatione animarum ſuarum.

ROBERTVS PERSONIVS, natione Anglus, patria Someſetenſis, in Societatem Romæ die 4. Iulij anno 1575. admiſſus, agens 28. ætatis, ibidem 4. vota profeſſus die 1. Maij anno 1587. vir non magis doctrina quam prudentia, & integritate vitæ laudabilis, qui in Anglia multos à Catholicæ Fidei veritate aberrantes ad viam ſalutis reduxit; plurimos Catholicos confirmauit; incredibiles labores pertulit, vitæ diſcrimina ſæpenumero adiuit. Perquiſitus ad necem, & omnibus indicijs atque indagine exploratus, veſtigijs deprehenſus, fraudibus circumuentus, ac pene ab Hæreticis captus, diuinæ protectionis beneficio ſæpe liberatus eſt, vt non ſemel tantùm, ſed per totam vitam quodammodo Martyr fieret, multorumque Martyrum pater, collabantemque tota Anglia Religionem Catholicam fulciret, & ſuis quodammodo humeris ſuſtineret. Seminaria Catholicorum Adoleſcentum Anglorum Romæ, ac Rhemis priùs inſtituta, ne vel Hæreticorum impetu, atque inſidijs labefactata conciderent, vel rerum inopia tabeſcerent, multùm laborauit, & alia Seminaria Hiſpali, & Pinciæ in Hiſpanijs, & apud S. Audomarum in inferiore Germania, Philippi II. Hiſpaniarum Regis Catholici liberalitate excitari curauit. Quibus in Seminarijs Nobiles adoleſcentes ex tota Anglia lectiſſimi ad Catholicæ Religionis regulam informantur & litteris expoliuntur, vt ætate confirmati, Sacris initiati, ſpiritu robuſti in patriam redeant, & acre cum Hæreticis bellum gerant, futuri quocumque euentu victores. Quæ quidem Seminaria Refugia ſunt Catholicorum Anglorum, naufragantium portus, ipſorum adoleſcentum Salus, Hæreticorum exitium, Apoſtolicæ Sedis propugnaculum, auitæ Religionis præſidium. Quapropter vel vno hoc opere peregregiè de Anglis meritis eſt Perſonius: qui præterea tradidit ſæpe animam ſuam pro nomine Domini Noſtri Ieſu Chriſti, & Fidei Catholicæ in Anglia adiumento, qui verbo ſcriptoque publicè teſtatus eſt, eo ſe eſſe in ſuos Anglos, atque in Angliam animo, & affectu, vt de ſe dici poſſet, quod S.Paulus de S. Epaphrodito Philippenſium Apoſtolo ſcribit: *Quod propter opus Chriſti in ipſis vſque ad mortem acceſſit*, & veriſſimè quoque propriſſimeque, quod idem Dei Seruus, de ſuo erga Corinthiorum ſalutem zelo teſtatum reliquit: *Quod libentiſſimè impenderetur & ſuperintenderetur ipſe pro animabus ipſorum, licet plus eos diligens, minus diligeretur.* Fuit autem Robertus, tamquam clariſſimæ olim Inſulæ ſaluti deſtinatus à Deo, omnibus ad tantum opus inſtructus, ſeu diuinis,

nis, ſeu humanis ornamentis. Amor in Deum & proximum illi flagrans, & actuoſus. Animi excelſitas incredibilis, quæ nihil de Chriſtiana humilitate decerperet. Prudentia non animorum modò tractandorum, ſed flectendarum etiam voluntatum admiranda, quam tamen ſimplicitas in domeſtica conſuetudine prorſus amabilis condiebat. Ingenio ad imperandum facto nec quiſquam tamen libentius, alacriuſque paruit. Bonis in litteris ſtrenue verſatus, eam tamen earum partem apprimè coluit, quæ controuerſos cum Hæreticis locos ad normam Diuini Verbi, Patrumque regulam exigit. Hæreſis oſor acerrimus, quam conſiſtere nullo loco paſſus, tam acutè, eloquenter, feſtiuè, multis exagitauit libris, vt doctrinæ gratia, & elegantia ab ipſis etiam hoſtibus lectitatus, ſalutarem pleriſque aculeum exuendæ impietatis infixerit. Aderat etiam digna tanto animo ſpecies corporis, quæ ad fallendum ſæpe in Anglia ſatellitem, ad terrendum nonnunquam valuit. Accedebat propria quædam orationis ad quidlibet perſuadendum efficacitas, vt ſuadæ medullam populares eum ſui olim dixerint. Denique vir fuit, quo ſi fingi ad huiuſmodi ſacra bella melior animo & cogitatione facile queat, fieri re ipſa, & exiſtere difficulter queat. His ornamentis ad gratiam Chriſtianorum Regum, & Principum haud ægre ſibi aditum aperuit, quorum auxilijs ſacram aduerſus impietatem patriæ, ac peccata, expeditionem, quamprimus è Societate, vnà cum Edmundo Campiano Chriſti teſte clariſſimo cui præfuit, ſuſceperat coram anno ſalutis 1580. abſens conſilijs, auctoritate imperij (nam Præfectus eius operis à Generali Præpoſito Societatis Claudio Aquauiua, ſumma cum poteſtate dictus eſt) pecunijs etiam, annis plus xxx. ſuſtentauit. Nihil interim ad ſe priuatim ex tanta Regum beneuolentia deriuabat, aut affines: vt ne epiſtola quidem fratrem ſuum germanum Philippo II. Hiſpaniarum Regi, cui virtutum merito carus erat, cuique frater militare conſtituerat, commendare ſuſtinuerit. Sacram Romani Senatus purpuram ad quam ſe ab eodem Rege vocari compererat, antequam Pontifici Regis poſtulatum innoteſceret grauiſſima oratione veriſſimiſque lacrymis deprecatus à Clemente VIII. eſt, multùm mirante Pontifice, qui ſe ea de re ne cogitaſſe quidem diceret. Quod Perſonij factum humanitus prudentes exagitent licet, quippe qui tempeſtiuitatem exſpectandam fuiſſe dicant, ne ſe vel obruliſſe ipſe Pontifici, vel Regis de ſe iudicium præcoci ambitione iactare voluiſſe videretur: certa tamen cæleſtis prudentiæ ratione nixum ſatis conſtat. Prouidebat enim vir ſagax & ſimilibus experimentis doctus, niſi præpropera hac diligentia gratiæ aditum præcluſiſſet, fruſtra maturis iam rebus, confectiſque, occupatas poſtulatis Regijs Pontificis aures, ſerum deprecatorem pulſaturum. Huic veræ Chriſtiani animi magnitudini reliqua ad extremum omnia reſpondere. Caritas in vniuerſos ad vltimum ſpiritum indefeſſa. Intenta in omnes partes vigilantia; muta rebus in aduerſis, ſed hilaris patientia. Pietatis ſtudium & religionis vſu ipſo pie religioſeque viuendi in dies ardentius. Quibus vitę, & præſentis ſolatijs, & futuræ pignoribus cariſſimus noſtris, Hæreticis inuiſus, maior ſexagenario Romæ feliciter emigrauit, exemplum omnibus, qui in Hæreſim Anglicam, vel coràm vel per ſcripta bellum cient. In templo Collegij Anglicani depoſitus eſt, & tumulo marmor additum cum hac inſcriptione

D. O. M.
PATRI ROBERTO PERSONIO
ANGLO SOMERSETANO
Societatis Ieſu
Sacerdoti integerrimo, atque doctiſſimo
& huiuſce Collegij optimo Moderatori
Qui ad animi cultum, & ſtudium pietatis
Ad Angliæ conuerſionem Collegiorum
Domicilijs, ac diuerſorijs per opportuna loca
quà per illum ex integro conſtitutis,
quà collocupletatis
ab ipſo, magnæ ſpei conuocauit, magnis
laboribus inſtituit iuuentutem, Hiſpali
Valliſoleti, Gadibus, Vlyſſipone, Duaci,
Audomari, Romæ.
Quo Duce & Socio Pater
EDMVNDVS CAMPIANVS
Catholicæ Reipublicæ
Propugnator acerrimus
In Angliam primus ex Societate traiecit:
Quoque vindice
& patrono veritatis, Hoſtium paſſim exagitata
temeritas, libris, ſcriptis, ſermonibuſq; litteris,
exemplis defenſa religio, recreata ſanctitas,
cum inter hæc ipſe nullam caperet partem
conceſſæ quietis, nullum à ſuo capite recuſaret
diſcrimen honeſtiſſimæ defenſionis,
ſemper paratus, ſemper erectus,
ſemper mediam flammam periculoſiſſimæ
concertationis, irrumpens, animæ magnæ
prodigus omnino vir,
LXIV. expleuit annos,
ex queis ſex & triginta in Societate Ieſu,
per omnia virtutis
exempla tranſegit
Obijt xv. Aprilis. MDCX.

Scripſit Robertus Perſonius Latinè

Epiſtolam de Perſecutione Anglicana, Romæ, & Ingolſtadij apud Vvolfgangum Ederum 1582. ſub nomine Collegij Anglicani Romani: mox etiam in concertatione Eccleſiæ Catholicæ in Anglia, poſt x. rationes Edmundi Campiani Treuiris 1584. & 1589. in 4.

Reſponſionem ad edictum Reginæ Angliæ ſub nomine Andreæ Philopatri. Romæ typis Zannetianis 1593. in 8. & Pariſijs.

De Sacris alienis non adeundis quæſtiones duas ad vſum praximque Angliæ breuiter expli-

plicatas. Audomari. 1607.

Anglicè verò ſcripſit,& pleraque ſuppreſſo nomine

Rationes cur Catholici recuſent adire Eccleſias Hæreticorum, Londini 1580. ſub nomine Ioannis Hauleti.

*Detectionem Ioannis Nicolai Cambrobritanni,qui ſe Ieſuitam ſimulabat,paratum renunciare Eccleſiæ,Lib.I.*Louanij 1592.

Cauſam aduentus ſui in meſſem Anglicanam, & certamen per diſputationes proteſtantibus oblatum.

Cenſuram in Libros Charcki, & Hanmeri Miniſtrorum contra præcedens ſcriptum editos. Londini 1581.

*Defenſionem dictæ cenſuræ.*Ibidem 1582.

Directorium hominis Chriſtiani vulgò dictum *Reſolutionem*; quo nihil vidit lingua Anglicana ad excitandam pietatem aptius, aut quoad ſtylum ornatius,Louanij,Duaci,Audomari 1585.

Contra Librum Franciſci Haſtingi Equitis Aurati Antuerpiæ 1599.

Modeſtam admonitionem ad eundem Haſtingum Equitem. Antuerpiæ 1600.in 8.

*De Peregrinatione Lib.I.*in 12.

De Tribus Angliæ Conuerſionibus Lib. I. Audomari 1603.

*Contra primam partem Calendarij Ioannis Foxij Lib.I.*Audomari 1604.in 8.

*Contra ſecundam partem Calendarij Foxiani.*Audomari 1604.in 8.

*Relationem colloquij habiti inter Epiſcopum Ebroicenſem, & Philippum Pleſſæum,coram Rege Galliæ.*Audomari 1604.in 8.

De 10. Diſputationibus publicis Oxonij ſub Edoardo VI.Rege Angliæ habitis.Audomari 1604 in 8.quæ duo opera prodierunt annexa duabus partibus Calendarij Foxiani.

*Apologiam pro Archipresbytero, ſeu Hierarchia Eccleſiaſtica per Clementem VIII. in Anglia inſtituta.*Audomari 1601.

Manifeſtationem diuerſorum ſpirituum.

*Contra Edoardum Coquum Aduocatum Regium in Anglia.*Audomari 1606.

*Tractatum deMitigatione erga Catholicos in Anglia, contra Mortonum Miniſtrum Caluinianum Lib.III.*1607 in 4.

Defenſionem eiuſdem tractatus contra Mortonum. Audomari 1609.in 4.

*Iudicium cuiuſdam viri de Apologia Iacobi Regis Angliæ pro Iuramento fidelitatis.*Audomari 1608.in 4.

*Contra Barloum Pſeudo-Epiſcopum Lincolnienſem circa Iuramentum fidelitatis.*Prodijt poſthumus Audomari 1612.

Scripſit ad hæc Hiſpanicè ex Anglico

Relationem de Aliquibus Martyribus in Anglia. Madridij 1590. in 8. apud Petrum Madrigal.

ROBERTVS SOVTHVVELLVS natione Anglus, patria Norfolcienſis, loco nobili natus,è patria fidei Catholicæ cauſa profugus, Romam venit, vbi Societatem noſtram ingreſſus anno ſalutis 1578. die 19. Octobris ætatis ſuæ 18. Præfectum poſtea ſtudiorum in Anglicano Collegio egit anno 1585. Redux in patriam ſtrenuè deſudauit in amplificanda, tuendàque re Catholica aduerſus Elizabethæ Reginæ furorem, donec Iulio menſe anno ſalutis 1592. ſexto nimirum poſtquam in Angliam redierat, Midleſij captus eſt. Apparitor qui ex indicio eum cepit, in ſuam ſecum domum abduxit: ibi eum manibus ſublimem ſuſpendit, alijſque atque alijs cruciatibus fatigauit, vt diceret num eſſet Ieſuita; num res tractaret in Anglia Romani Pontificis, aut Catholici Regis. Sed hominem Robertus nullo reſponſo dignatus eſt,ne ad importunas quæſtiones viam illi aperiret. Ergo pendulum relinquens egreditur domo res familiares curatum, donec monitus à famulo videri Robertum fatiſcere, præſtarèque ſeruari eum ad acerbiora tormenta, laxauit vincula & in arctiſſimum, diriſſimumque carcerem eum detruſit. In eo ternos prope annos delituit, omni Catholicorum alloquio prohibitus, ſæpiùs interea quæſtioni ſubiectus, & dirioribus modis, quàm adhuc conſueuerat Sectariorum barbarus furor in aliorum pœnas adhibere excarnificatus: vt ipſe ſit faſſus poſtmodum, decies ſe tormentis, equuleo, atque ipſa etiam morte grauioribus fuiſſe affectum. Hæc tamen vna vox illi extorta eſt tot cruciatibus: *Sum Sacerdos, & (verbis abſit iactantia) Religioſus è Societate Ieſu: traieci in Angliam, vt meis ciuibus, quam veritatem Catholicam in Romano fonte Religionis hauſi, verbo explicarem, teſtarer ſanguine: Si titulum mortis quæritis, hoc ſatis ſit cauſa ad extremum ſupplicium: proferte ferrum, ſatisfiet votis veſtris, atque meis: mortem intendetis, Martyrium referam: non deerit tanto animo illa corona*. Hæc inuictus Chriſti pugil: qui tandem cum omni mortalium auxilio, & ſolatio deſtitutus eſſet, productus eſt in publicum, vt ſcilicet conſtaret omnibus, quanto præſentior ſit virtus in Dei ſubſidio, quàm in humano collocata. Itaque tam conſtanti, pacato, tranquilloque animo proceſſit ad ſupplicium, vt videretur ex ſanctiſſimorum hominum conſuetudine ad liquidiſſimas voluptates tranſire. E Turri Londinenſi ad Portam nouam facinoroſorum hominum translatus, triduo detentus fuit in loco, qui meritò, fœditatis Limbus appellatur. Altera Martij die, in Tribunal abreptus, capitis ſententiam excepit, reus Maieſtatis, quia Sacerdos, quia Ieſuita eſſet. Poſtridie ſub diei ortum admonitus eſt paucas ſupereſſe horas vitæ; cuius nuncij lætitiam, amplexu, & nocturno pileolo, quem vnum habebat reliquum, remuneratus eſt. Sub patibulo conſiſtens in curru, ligatis vti erat manibus Sacra ſe Cruce ſignauit dixitque: *Siue viuimus, ſiue morimur Domini ſumus*. Ecce huc adductus ſum, vt vltimam calamitoſæ huius vitæ ſcenam agam. Rogo itaque Dominum

num

num Noſtrum Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum de cuius pretioſiſſimo ſanguine, & morte mihi ſalutem polliceor, vt animæ meæ miſereatur. Confiteor, atque proteſtor me eſſe Sacerdotem Catholicum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Religioſum de Societate Ieſu, pro quibus in me beneficijs immortales gratias & laudes reddo Deo ac Domino meo: tunc Cruce denuo formata, ſublatis in cælum oculis ſpiritum ſuum Deo commendans, ſubmoto curru, ſuſpenſus eſt. Carnifex qui de more ſpirantem adhuc voluit reciſo fune deponere, à Magiſtratu ac populo prohibitus eſt. Vita demum functi cadauer depoſitum, & conciſum ad publica compita ſuffixum eſt, multis vel ex ipſis Hæreticis ſibi, ſuiſque tam beatam æternitatis partem, quam illum credebant adijſſe, apprecantibus. Geſta ſunt hæc Londini die 3. Martij anno ſalutis 1595. Inter alia Roberti decora, illud poſtremum non fuit, tanti habitum fuiſſe à lectiſſima & pijſſima primariæ Nobilitatis fœmina Anna Hovvarda Comitiſſa Arundeliæ, vt non obſtantibus ſæuiſſimis legibus latis tunc contra Catholicos in Anglia, recipientes vel fouentes in ſuis ædibus Sacerdotes Catholicos, & nominatim Ieſuitas, tamen ſex annorum ſpatio, Illa tenuerit, ſuſtentaueritque occulte in Palatio ſuo P. Robertum, eoque vſa fuerit, vt Patre Spirituali, & Conſcientiæ ſuæ Arbitro. Fuit autem Anna coniux inclyti Herois Philippi Hovvardi Comitis Arundeliæ, qui cum primogenitus eſſet Thomæ Ducis Norfolciæ, ob profeſſionem Fidei Catholicæ ſub Elizabetha Regina, carceri primùm mancipatus eſt, deinde capitis iniquiſſimè damnatus, poſt vitam innocentiſſimam in arcta cuſtodia per decem annos & ſex menſes incredibili animi fortitudine toleratam, ibidem demum mortem ſanctiſſimè oppetijt, meruitque glorioſis Confeſſoribus Chriſti recenſeri, vel vt alij ſentiunt, etiam Martyribus, eò quod vitam pro Chriſto verè profuderit. Eximiam pietatem horum Nobiliſſimorum Coniugum honorare videtur voluiſſe Deus hoc noſtro tempore, in tam ſanctæ radicis digna propagine, Eminentiſſimo ſcilicet Cardinali Norfolciæ Philippo Thoma Hovvardo, ipſorum pronepote, qui cum eſſet ex Illuſtriſſimo Ordine Prædicatorum, & Sereniſſimæ Reginæ Angliæ Summus Eleemoſynarius, religionis cauſa eiectus eſt in exilium, vnà cum alijs Presbyteris à ſacello Sereniſſimæ Reginæ, ſed à Sanctiſſimo Domino Noſtro Clemente X. ob inſignia promerita in Eccleſia Dei, Vaticana Purpura decoratus eſt, & ad diem 27. Maij anno Iubilæi 1675. in Sacrum Senatum Cardinalium, plaudente Roma, cooptatus. Scripſit porro Robertus Southvvellus materna lingua; cuius elegantiam tum proſa tum verſu mirificè aſſecutus eſt, pleraque ſi non omnia, ſuppreſſo ſuo nomine.

Solatium Catholicorum in vinculis pro Chriſti fide exiſtentium. Londini, Audomari, & alibi.

Supplicationem ad Elizabetham Reginam pro Catholicis. Londini 1593.

Regulas bonæ vitæ cum Epiſtola ad Patrem ſuum. Audomari, Duaci ſæpius.

Querimoniam S. Petri. Verſu eleganti, Londini, Audomari & alibi.

Lacrymas S. Mariæ Magdalenæ ad ſepulchrum Chriſti: oratione ſoluta, ſed terſa. Londini, Duaci.

Triumphum mortis oratione ſoluta ad Illuſtriſſimam Sæuildianam Familiam.

Poëmata varia, de myſterijs vitæ Chriſti, & alijs.

Duas Epiſtolas ipſius refert Didacus Yepes de perſecutione Anglicana lib. 5. cap. 6.

RODERICVS DE ARRIAGA natione Hiſpanus, patria Lucronienſis nobili genere natus anno Domini 1592. die 17. Ianuarij, dum puerulus triennis eſſet, à matre commendatus eſt S. Ioanni Euangeliſtæ, vt dilectus ſemper eſſet Ieſu, & doctus orationem quæ incipit: *O Intemerata, &c.* quotidie eum de genibus inuocabat per totam vitam, ſub cuius exitum Confeſſario ſuo ingenue faſſus eſt, ſe poſt Deum, & B. Virginem, vni huic Sancto omnem, ſi qua in eo eſſet, à peccatis immunitatem acceptam referre. Societatem deinde ingreſſus eſt anno 1606. die 17. Septembris, & ſolida vitæ religioſæ fundamenta Tiro iecit. Philoſophiam magno plauſu Valliſoleti docuit, & Theologiam Salmanticæ exorſus, cum Præpoſitus Generalis Mutius Vitelleſcus litteris ſignificaſſet gratum ſibi, & ex Dei gloria maiore fore, ſi qui ex Patribus Hiſpanis, altioribus ſtudijs ſuppetias ferre vellent Prouinciæ Bohemiæ, recenter ab Auſtriaca ſeparatæ, & paulo antea hoſtiliter deuaſtatæ, non obſtantibus itineris longi difficultatibus, Rodericus vota 4. tum profeſſus, promptè ſe ad illud obtulit, & anno 1624. ſe in viam dedit. Gratam Diuinæ Maieſtati fuiſſe hanc ſui oblationem affirmauit tunc D. Marina de Eſcobar, virgo inclyta ſanctitate, cum illi valediceret, prædixitque incolumem in Bohemiam peruenturum. Peruenit itaque Deo ducente, & Theologiam Scholaſticam tredecim annis Pragæ in Collegio S. Clementis profeſſus eſt; duodecim annis Cancellarius illius Vniuerſitatis fuit, & viginti Generalis ſtudiorum Præfecti munere functus eſt, magna doctrinæ, ac nominis claritudine, & Sacræ Theologiæ laurea Doctorali inſignitus. Ter electus eſt à Prouincia Bohemiæ, vt Romam adiret ad Congregationes generales octauam, decimam, & vndecimam; & quamuis ibi ſæpiùs inuitatus à Patribus Hiſpanis ad reditum in Hiſpaniam, & natale ſolum, ſemper conſtanter abnuit. Sed non minor ei laus à virtutibus Religioſis, quàm à doctrina fuit. Orationis fuit apprimè amans, & complures per diem horas ei ſanctè impendit, etiam in itineribus in quibus antecedens ſæpe comites, parandi prætextu hoſpitij in hoc vbi angulum aptum reperiſſet, prouolutus

tus in genua complures horas Deo vacabat, domi vero nunquam fere viſus eſt aliud agere, quàm vel ſtudere, vel orare. Paupertatis ſanctæ quàm fuerit ſtudioſus, monſtrat eius tenuiſſima ſupellex, vnicam namque interulam per annos 26. ſæpiùs reſarcitam circumtulit; pectorali goſſipino ex Hiſpania diſcedens annis amplius quinquaginta vſus eſt. Lectiones in Scholis prælegendas, & annotationes alias, vt plurimùm in rudi aut reiectanea charta, deſcribebat. Nihil vel minimum dare, aut accipere ſine expreſſa Superiorum licentia præſumebat. In maxima æſtimatione, & pretio cùm eſſet ob eminentem doctrinam apud duos Summos Pontifices, Vrbanum VIII. & Innocentium X. apud Ferdinandum III. Imperatorem, & apud omnes Europæ Vniuerſitates, ipſe tamen humiliter de ſe ſentiebat, & cum domeſticis, Scholaſticis, & Adiutoribus temporalibus, quaſi vnus ex ipſis recreationem inſtituebat, & rudioris ſortis confeſſiones libenter excipiebat. His & alijs virtutibus ornatus doctiſſimus Pater, à Deo ad laborum præmia euocatus eſt Pragæ in Collegio ad S. Clementem, die 7. Iunij 1667. Vir omnium iudicio ob ſubtilitatem ingenij, doctrinæ præſtantiam, & virtutis commendationem inter prima Societatis lumina meritò collocandus. Edidit

Curſum Philoſophicum. Antuerpiæ ex Officina Plantiniana Moreti 1632. in folio. *Auctum, & recuſum*. Lugduni 1669. in folio.

Curſum Theologicum Tomis VIII. diſtinctum, quorum

I. *Eſt de Deo vno, & Trino*. Antuerpiæ apud Balthaſarem Moretum 1643. in folio.

II. *De Angelis, Opere ſex dierum, & vltimo fine hominis*. Ibidem, iiſdem typis, & anno in fol.

III. *De Actibus humanis, Paſſionibus animæ, Vitijs, & Peccatis*. Ibidem 1644. in folio.

IV. *De Legibus, Diuina gratia, Iuſtificatione, & Merito*. Ibidem eodem anno, & forma.

V. *De Virtutibus Theologicis, Fide, Spe, & Charitate, & IV. Cardinalibus*. Ibidem 1649. in folio.

VI. *De Incarnatione Verbi Diuini*. Ibidem 1650. in folio.

VII. *De Sacramentis in genere, Baptiſmo, Confirmatione, & Euchariſtia*. Ibidem 1655. in folio.

VIII. *De Sacramentis Pœnitentiæ, Extremæ Vnctionis, & Ordinis*. Ibidem 1655. in folio.

Reſtabat IX. *De Iure & Iuſtitia*, quem dum in Chartulis, per particulas componit, mercede cæleſti donandus obijt.

RODERICVS DE CABREDO natione Hiſpanus, patria Lucronienſis, natus anno ſalutis 1560. adoleſcens dum Salmanticæ ſtudio Iuriſprudentiæ operam nauat, in Societatem ſe recepit anno 1577. quo ſolo anno, & per Quadrageſimam illius anni, viginti, & octo adoleſcentes ſelectiſſimi ex eadem Academia Inſtitutum Societatis ſunt amplexati. Romæ Theologiam audiuit, Valliſoleti Philoſophiam docuit, & votorum 4. profeſſionem emiſit. Poſtea magnis perfunctus in Societate muneribus, Prouincialis ac Viſitator in Peruana, ac Mexicana Prouincijs, experientia inſigni, ſingulari prudentia, exquiſita virtute emicuit. Cum iam grandis natu atque affectis viribus è Peruuio Romam Procurator iret, & ſummo deſiderio teneretur conueniendi P. Generalem, Camberij in Allobrogibus viæ, & vitæ terminum inuenit die 28. Iulij 1618. Nuncium mortis excepit vti rem ſibi familiariſſimam, cuius in cogitatione ſemper eſſet defixus, & quam ſibi multorum annorum expeditiones ærumnoſiſſimæ oculis ſemper ſubiecíſſent. Præter luculentiſſima inuſitatæ pietatis argumenta, incomparabilem animi demiſſionem præ ſe tulit, cuius vel hoc vnum exemplum ſufficiat, quod cum Sacramentis procuratus diceret, nullius ſe quidem angi noxæ conſcientia, ſublatis tamen in Cælum oculis inquiebat, O ſi noſſem vel vnicum gradum in tam longinquis meis peregrinationibus, Deo meo, cui operas omnes dicaui, acceptum fuiſſe. Edita ſunt ipſius

Concio quam habuit in translatione oſſium P. Balthaſaris Alnarez e Societate Ieſu, exſtat ad calcem vitæ P. eiuſdem Balthaſaris, quam Ludouicus de Ponte ſcripſit.

Hiſtoria inſignis miraculi, quod Deus innocatione S. Ignatij Patriarchæ noſtri patrauit Limæ die 8. Nouembris anno 1607. in religioſo quodam ex Ordine S. Dominici. Exſtat in Annuis litteris Peruanis illius anni, & ſeorſim Græcij typis Vvidmanſtadij 1609.

* RODERICVS DE FIGVEYREDO natione Luſitanus, ex Oppido Coruche, diœceſis Eborenſis Societatem ingreſſus eſt Eboræ à partu Virginis 1608. ætatis ſuæ 14. & exacto Tirocinio enixè ſlagitauit à Superioribus ad quæſtum animarum mitti in Indiam. Sed cum ob inſignia talenta quibus præditus erat, perutilis videretur futurus Luſitaniæ, Romam deſtinatus eſt à Superioribus ad ſtudia Theologiæ. Gauiſus ille ea opportunitate, Romæ à Præpoſito Generali Mutio Vitelleſco tanto ardore, & toties Miſſionem Indicam efflagitauit, vt demum eam obtinuerit. Compos voti nauigauit in Indiam anno 1618. & Goæ abſoluit curriculum Theologiæ; Sinas deinde ingreſſus anno 1622. vineam illam viginti annorum ſpatio impigrè coluit, & votorum 4. profeſſionem ibidem edidit. Primos ſuos labores excolendis Chriſtianis in Ciuitate Hamcheu fructu magno impendit, poſtea miſſus in Prouinciam Honan, Reſidentiæ illi præfuit annis 12. vbi occaſione bellorum in ijs partibus graſſantium multa perpeſſu aſpera tolerauit amore Chriſti, & demum ſancto fine quieuit, ibidem die

 9. Octo-

9. Octobris 1642. Viguit in eo ſemper iam inde à tirocinio ſtudium ardens perfectionis, & adoleſcens horam matutinæ Orationis ſingulis diebus flexis genibus, iunctis & eleuatis ante pectus manibus, nullo fulcro innixus in medio cubiculi tranſigebat. Quadraginta horarum orationem fere totam in genua prouolutus coram Sanctiſſimo Sacramento cum ſtupore adſtantium ſubinde traduxit. Humilitate etiam mirabili purgabat cubicula aliorum, & in culina ollas, & cacabos mundabat. Modeſtia ſingulari fuit & aſpectu Angelum referente. Edidit Characteribus Sinenſibus

Tomos duos variarum Precum,& Deuotionum. Item

Explicationem totius Fidei Chriſtianæ Lib. IV. præfixo nomine cuiuſdam Chriſtiani Chu-ſoze viri grauiſſimi,& ſanguinis Regij. Item

Libros Ariſtotelis de Cælo tranſtulit inSinenſem linguam 1625.

ROLANDVS OVERSTRATIVS natione Belga, patria Bruxellenſis, natus anno 1568. Societati ſe adiunxit 1585. Theologiæ operam Compluti dedit, & redditus Belgio humaniores litteras, & Philoſophiam biennio Duaci docuit, aliaque Societatis munia laudabiliter exercuit, & quatuor vota nuncupauit. Fuit omnium in amoribus ob eximiam doctrinam, vitæ innocentiam, candidos mores, & in tractandis conſcientijs peritiam. Demum ætate grauis finem viuendi inter mortales fecit Bruxellis die 27. Nouembris 1634. Edidit tranſlatam à ſe Belgicè ex Hiſpanico

Vitam S. Matris Tereſiæ. Bruxellæ apud Velpium 1619.& auctius Antuerpiæ apud Aertſens 1634.

ROMANVM COLLEGIVM Caput, & norma omnium per vniuerſam Societatem Collegiorum, omnium nationum educationi inſtitutum, primordia ſua habuit à S.P.N.Ignatio die 18. Februarij 1551. quando conductis ædibus anguſtis ad radices Capitolij ex Domo Profeſſa XIII. Socij ſub Rectore Ioanne Pelletario Gallo, ad aperiendas ibi Scholas commigrarunt. Nec aliæ principio tradebantur Artes, præter Sermonis Latini, Græci, & Hebraici diſciplinas, alebaturque domicilium ſubſidijs pecuniarijs à Duce tunc Gandiæ, S. Franciſco Borgia, cùm Roma diſcederet, relictis. Verùm creſcente mox numero tùm diſcipulorum, tùm Noſtrorum, ex illis anguſtijs tranſlata eſt Collegij ſedes in laxiorem domum Marij Cappocij Nobilis Romani in vico, quà ex area ante Domum Profeſſorum Societatis, flectitur ad Mineruæ, poſt Templum S.Stephani in Cacco nuncupatum. Quinquennio ſubſtitum ibi fuit, donec aucta magis magiſque in dies multitudine Auditorum, iterum commigratum eſt anno 1556. (quo in cælum S. P. Ignatius abijt) in ampliſſimam Domum Ioannis Baptiſtæ Saluiati vbi conſtabilitum demum eſt Collegium, & poſtea à Gregorio XIII. Pont. Max. annuis vectigalibus ad alendos omnium nationum Socios dotatum, anno 1581. conſtructo inſuper magnificè ſuis ſumptibus quod hodie viſitur gymnaſio. Docentur in eo ſcientiæ omnes, quæ à Societate tradi ſolent, iuxta ipſius Inſtitutum ab infima Grammatices vſque ad ſupremam omnium ac Reginam Theologiam, idque à Prælectoribus viginti quatuor, concurſu maximo florentiſſimæ iuuentutis, ex varijs orbis Regionibus, ad duo circiter millia Auditorum, & vnà cum litteris, inſeruntur ſenſim animis frequentantium, Chriſtianæ ſemina pietatis. Hauſerunt in hoc lycæo prima ſapientiæ ſuæ lumina, Quinque Pontifices Romani Gregorius XV. Vrbanus VIII. Innocentius X. Clemens IX. & qui nunc in Cathedra S. Petri ſedet (quemque Deus diutiſſimè conſeruet) Clemens X. præter quàmplurimos S.R.E.Cardinales, aliquot S.R.I.Electores, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Principes Sæculares pene innumeros, qui poſtea Eccleſiæ Dei per Italiam, Germaniam, Galliam, Hiſpaniam,aliaſque Regiones præclarè inſeruierunt. Edidit Collegium

De vtraque Copia verborum,& Rerum præcepta vnà cum exemplis dilucido breuique carmine comprehenſa. Antuerpiæ typis Plantinianis in 8.

Compoſitiones Italicas,& Latinas in tranſlatione SS.Domnini Merentiani & Soc.Martyrum.

Emblemata Sacra affixa intercolumnijs Templi S.Stephani in Monte Cælio.

Apparatum Epiſtola breui deſcriptum, quo Ludouicus Ludouiſius S.R.E. Cardinalis primum lapidem iecit,in fundamenta Templi S.Ignatij Societatis Ieſu Fundatoris. Romæ apud Hæredem Bartholomæi Zannetti 1626 Italice. Latinè verò Leodij apud Ioan.Ouruverx 1627.in 4. Item

Orationes de Chriſti Domini morte habitas in die Sancto Paraſceues à PP. Societatis Ieſu in Pontificio Sacello. Romæ apud Vitalem Maſcardum 1641.in 12.

Gregorianam Thaumaturgiam, ſiue Naturæ, & Artis Admiranda Chiſiæ Gentis laudibus illuſtrata cùm Em. Card. Flauius Chiſius Romanum Collegium inuiſeret. Romæ typis Corbelletti 1657.

Sacræ,prophanæque Romæ obſequia Clementi IX. Romæ 1669.

RVDOLPHVS MATMAN natione Germanus, gente Heluetius, patria Lucernenſis, tria vota in Societate profeſſus, in qua vixit annos XXX. ingreſſus adoleſcens annorum 18. anno ſalutis 1586. Totos XX. annos docuit Eloquentiæ præcepta, in eaque mirificè excelluit, quam & ornarunt ſingularis religioſarum virtutum cura, accurata modeſtia, circumſpecta ſermonis cautio, indoles manſuetiſſima. Spaſmis primò longioribus, dein morbo comitiali, ac denique fœda paralyſi correptus cum omnium dolore extinctus eſt. Monachij die 18. Septembris anni 1612. Scripſit

De

De Tribus Capellis contra Ioſephum Scaligerum. Plura parantem mors occupauit.

SABBATINVS DE VRSIS natione Italus, patria Lupienſis, quæ Ciuitas eſt in extremo Regno Neapolitano, adlectus in Societatem anno ſalutis 1597. ætatis ſuæ 22. ab ineunte ætatis ſalutis hominum fuit cupientiſſimus, vt cùm in Collegio Romano nauaret operam litteris, iam tum illum adhiberent Patres noſtri magnæ auctoritatis, ad æquales eius adiuuandos. Eo ſpiritu ad Societatem pellectus in extremum Orientem ab eodem prouectus eſt. In Sinas circa annum 1608. ingreſſus, toto decennio Pekini multa, & tulit, & fecit, vt Sinarum conuerſionem promoueret, & faſtos illorum emendare aggreſſus eſt. Præfuit aliquamdiu Noſtris Pekini, à Patre Matthæo Riccio ante obitum nominatus Superior ipſius loco, & machinis quibuſdam Hydraulicis ad trahendas aquas toti aulæ admirationem mouit. Magnus commodorum ſuorum contemptor fuit; commodorum vero publicorum amator promotorque; Præſidum ſuorum voluntatibus apprimè morigerus, multis annis febri hectica laborauit; ſed ea non potuit efficere, vt à laborando ceſſaret. Excitata in Noſtros graui tempeſtate ab Aduerſarijs quibuſdam Chriſtiani nominis, ipſe vnus è quatuor fuit, qui proſcripti Macaum deportati ſunt. Hic præter priuata ſua ſtudia Philoſophiam Noſtros docere aggreſſus, pueros etiam elementis Sinicæ linguæ imbuebat, erudiebatque alios Noſtros in grauioribus Sinenſium librorum arcanis, & hæc quidem tam varia, quamuis fracta valetudine, & crebrò afflictus ad lectum, cùm accuratiſſimè gereret, tam conſtanter etiam geſſit, vt non dimiſerit, niſi ad moriendum. Grauiſſimos dolores & diu morbum ignotum ſuſtinuit, ac tandem Sacramentis inſtructus abijt ad operum ſuorum præmia, Macai anno ſalutis 1620. ætatis ſuæ 46. & ab emiſſa votorum 4. profeſſione Macai tertio. Scripſit

Commentariolum de Sinenſium faſtorum erroribus, qui è Luſitano in Latinum Sermonem translatus, inſertus annuis litteris Sinenſibus anni 1611. circumfertur. Præterea rogatu Doctoris Pauli compoſuit Librum lingua Sinenſi.

De Machinis Hydraulicis, cum varijs diſcurſibus pertinentibus ad Elementum aquæ. Item:

Duos alios Mathematicos de Gnomonica, & Analemmate.

SABINVS CHAMBERS natione Anglus, patria Leceſtrienſis, Societatem anno ſalutis 1588. ætatis 28. ingreſſus Pariſijs, cùm prius Oxonij Magiſter in Artibus Philoſophiam ibidem docuiſſet, in Societate Theologiam Moralem, & Linguam Sanctam profeſſus eſt, multoſque annos in Prouincia Rhenana docendo, & alia miniſteria obeundo, exegit. Miſſus in Vineam Anglicanam anno 1609. votorum 4. nexu ibi ſe obſtrinxit, & magno zelo in cultura animarum 25. annis fructuoſe laborauit. Demum affixus lecto, cùm mortem ſibi imminere præſentiſceret Confeſſarium poſtulat, ſeſe ritè expiat, Sanctam Euchariſtiam reuerenter ſumit, & placidiſſime in Domino obdormiuit in Anglia die x. Martij 1633. Scripſit Anglicè, præfixis litteris S. C. Societatis Ieſu

Hortum B. Virginis Mariæ, ſeu modum deuotum ſeruiendi illi in ſuo Roſario. Audomari 1619 in 8.

SALMANTICENSE COLLEGIVM in Hiſpania ad amnem Tormeſium, ſitum in Prouincia Caſtellana, tenuiſſimis auſpicijs inchoatum in conducta domuncula prope Monaſterium Auguſtinianum à Michaele Turriano illuc miſſo cum paucis Socijs à S.P.N. Ignatio anno reparatæ ſalutis 1548. & quidem tanta rei familiaris inopia, vt ad ſacellum ornandum non alia quàm papyracea imago ſuppetierit. Poſtea facta migratione in aliud æque humile domicilium è regione S. Blaſij, demum ab Auguſtiſſima Regina Hiſpaniarum Margareta Auſtriaca Philippi III. Regis Catholici coniuge piјſſima, in nobiliſſimum ſitum totius Ciuitatis translatum, tanta magnificentia & elegantia modò eſt exædificatum, vt nullum ſplendidius tota Societate eſſe cenſeatur. Nimirum voluit Diuina prouidentia, quæ ſolet in ignominia fundare ſuorum Seruorum gloriam, vt vbi Sanctus Fundator Societatis Ignatius carcerem, catenas, & vexationes grauiſſimas (prout legere eſt in illius vita) perpeſſus fuerat, inde eius Ordo poſtea quam maximè inclareſceret. Et diu quidem fundatorem nullum habuit hoc Collegium, ſed cùm vitæ exemplo, & ſoliditate doctrinæ plurimum publico prodeſſent illic Noſtri, complurium benefactorum pietate, & beneficentia eſt ſuſtentatum. Suſcepit tandem id curæ etiam in ſe memorata Regina Margareta, & pro incomparabili ſua erga Societatem beneuolentia, ampliſſimis vectigalibus id dotauit. Coronidem huic Regiæ munificentiæ adiecit, Quæ nunc dum hæc ſcribo anno 1674. Regnum Hiſpaniæ adminiſtrat, *Auguſtiſſima Maria Anna de Auſtria Regina, quæ in ipſa* Academia Salmanticenſi toto orbe celeberrima binas erexit Cathedras, ex quibus duo de Societate Sacram Theologiam publicè profiterentur, cum iiſdem planè iuribus ac priuilegijs, quibus gaudent ibidem alij Profeſſores, qui Cathedras primi Ordinis obtinent. Alit Collegium (licet nondum abſoluta fabrica) ordinariè ad *66.* complexurum poſtea, fauente Deo, multò plures. Prodierunt olim ex hoc Collegio, vbi prima

ſuæ doctrinæ poſuerunt rudimenta, illuſtres Societatis Doctores, ac Magiſtri, Cardinalis Toletus, Cardinalis de Lugo, Franciſcus Suarez, Gregorius de Valentia, Ioannes Maldonatus, Ioannes de Salas, Franciſcus Ribera, Ludouicus de Ponte, Valentinus de Herice, Ioannes Martinez de Ripalda, Rodericus de Arriaga, Antonius Perez, Ioan. Anton. Velaſquez, & vt de viuentibus ſileamus, complures alij, qui Societatem & varias Europæ nobiles Academias, eruditionis ſuæ luce mirificè illuſtrarunt. Edidit Hiſpanicè

Feſtos Apparatus, quibus Beatificationem S.P.N. Ignatij celebrauit. Salmanticæ apud viduam Arthaſij Tabernichij 1610. in 4.

SALVATOR DE LEON natione Hiſpanus, patria Murcianus Compluti Philoſophica laurea donatus venit ad Societatem, atque in Prouincia Bætica poſuit religioſæ vitæ Tirocinium, anno ſæculari 1600. ætatis ſuæ 21. atque in eadem profeſſionem votorum 4. emiſit. Eccleſiaſten egit annis 26. & ſeptuagenarius religioſè in Domino conquieuit. Hiſpali Calendis Iunij 1649. Edidit

Expoſitionem & illuſtrationem in XIII. capita prima Eccleſiaſtici. Antuerpiæ apud Petrum Bellerum 1640. in folio

Exſtat in Tabulario Societatis Romæ eiuſdem alter Tomus M.S.

In octo poſteriora capita Eccleſiaſtici.

SALVATOR VARO natione Italus, gente Calaber, Quinquefrondenſis, in Societatem anno 1612. ætatis 20. ingreſſus, vota 4 in ea nuncupauit, & humaniores litteras, Philoſophiam, Theologiam Scholaſticam, ac Moralem profeſſus eſt. Excelluit litteratura politiori, qua Noſtros Iuniores multis annis inſtituit. Demum ad laborum mercedem migrauit ex Collegio Barolitano die 5. Ianuarij anno 1648. Edidit

Hiſtoria Incendij Veſuuiani anni 1631. libros III. Neapoli apud Franciſcum Sanium.

Parabat prælo opus egregium cui titulum faciebat

Quatuor Sedes felicitatis Auſtriacæ. Item

Exemplorum ab hominibus Societatis Ieſu editorum ordine Alphabetico Libros aliquot, ſed morte præoccupatus non emiſit.

* SAMSON DV RIEV, natione Gallus, gente Vaſco Diœceſis Conuenenſis Societati aggregatus, anno ſalutis 1612. ætatis 23. ſeptennio docuit litteras amœniores Philoſophiam biennio, & multis annis conciones habuit, miſſioneſque vtiliter obiuit, emiſſis votis Spiritualium Adiutorum. Rexit etiam Collegium Ruthenenſe, & naturæ debitum perſoluit, Auſci die 9. Maij 1652. Edidit Gallicè

Tractatum de Occaſionibus peccatorum. Toloſæ apud Petrum Boute 1651. in 8.

* SAMVEL LABERHITTEL, natione Germanus, gente Morauus, domo Olomucenſis, natus anno ſæculi fluentis 20. Societati nomen dedit Romæ 1639. & in ea Humaniores litteras ſeptennio profeſſus eſt. Miſſiones varias ſexennio obiuit, concionatorem egit annis 17. Rexit Collegium Nouodomenſe, & iam ab annis amplius 15. Pœnitentiarium Summi Pontificis partim Laureti, partim Romæ egit, agitque in præſentiarum. Edidit Latinè Librum de vſu Meditandi Spiritualiter, ſub titulo

Scientia Salutis, ſeu Conſiderationes piæ. Pragæ typis Vrbani Goliath 1659. in 12. & quia placuit recuſus eſt Ingolſtadij 1660.

* SCIPIO PAVLVTIVS natione Italus, patria Neapolitanus Deo ſe in Societate dicauit, anno à partu Virginis 1625. ætatis ſuæ 15. & votis 4. ſolemnibus in ea nuncupatis, laudate vixit vſque ad 27. Aprilis 1665. Amœniores litteras quadriennio profeſſus eſt. Philoſophiam quinquennio, Theologiam octennio, Scripturam Sacram biennio eſt interpretatus, & annis aliquot Eccleſiaſten egit. Magna in eo ingenio acrimonia, morum ſuauitas, memoriæ vis, eruditionis copia. Conſulebatur frequenter à magnis doctiſque viris etiam in rebus, ad prudentiam Iuris ſpectantibus, & in arduis conſcientiæ decernendis perſæpe eſt arbiter conſtitutus. Religioſè deceſſit Neapoli (dum ibi Theologiam doctè, atque ſubtiliter explicaret) die 27. Aprilis 1665. Edidit Italicè.

Panegyrum Decades tres. Primam Neapoli apud Iacobum Goffarum 1649. Reliquas Venetijs apud Stortum 1662. & 1663. in 12.

Miſſiones Sociorum in Regno Neapolitano. Neapoli typis Seruadini Roncaglioni 1651. in 4.

Enneadem Sacram, ſiue ſuſpiria Mundi præſtolantis Aduentum Seruatoris. Neapoli apud Goffarum 1655. in 12.

Aſceticum Principem, ſiue Vitam S. Apollinaris ſub nomine Pauli Piccinini. Venetijs apud Gueriglium 1653.

S. Franciſci Xauerij Prodigium in P. Marcello Maſtrillo momento temporis curato. Neapoli apud Lazzarum Scorigium 1634. in 8.

Vitam Venerandæ Virginis Beatricis de Taſo ſub nomine Pauli Piccinini. Neapoli apud Iacobum Goffarum 1655. Italicè reddidit

Hortulum Marianum, ſeu Praxes colendi Deiparam ex Latino P. Franciſco de la Croix. Neapoli apud Franciſcum Sanium anno 1642. in 12.

SCIPIO SGAMBATVS natione Italus, patria Neapolitanus. Vir excellenti ingenio, vaſtiſſima capacitate memoriæ, & in omni litterarum genere verſatiſſimus, admiſſus in Societatem anno ſalutis 1611. ætatis ſuæ 16. profeſſionem votorum 4. emiſit in Academia Viennenſi, Sacras litteras, & Scholaſticam Theologiam explicuit, eiuſdem facultatis Doctoratu ornatus, & Conciones tum Academicas Latinas, tum Aulicas Italicè habuit incredibili omnium plauſu & approbatione. Ecce autem, quę humanarum rerum eſt inconſtantia, in tanta ſummarum laudum, vel expectatione, vel conſecutione, an ſtudiorum contentione defatigatus, an qua alia cauſa incertum, mentis alienationem

per-

perpeſſus eſt, in eaque diù permanſit,& quamuis aliquantum ad ſe redierit nunquam tamen priſtinam mentis ſanitatem perfectè recuperauit. Sacramenta nihilominus frequentabat, iiſque munitus religiosè obijt Neapoli die 5. Februarii 1652. Edidit Italicè ſuppreſſo ſuo nomine

Compendium Vitæ B.Franciſci Borgiæ Ducis Gandiæ poſtea Religioſi Societatis Ieſu,eiuſque Præpoſiti Generalis 3. Neapoli apud Lazzarum Scorriggium 1624. in 8. Recuſum cum auctario miraculorum ex proceſſibus pro Canonizatione excerptorum,& appoſitoAuctoris nomine Romæ apud Vareſium 1671.in 12.

Elogium Inuicto Chriſti Duci Chriſtianæ Fidei defenſori, & propagatori S. Ignatio Loiolæ Societatis Ieſu Fundatori. Neapoli adud Lazzarum Scorriggium 1630. deinde recuſum Mediolani, Anconæ, Viennæ etiam Italicè, & Latinè apud Michaelem Riccium 1635. in 16.

Elogium S.Apoſtolo Orientis Franciſco Xauerio Societatis Ieſu. Neapoli apud Scorriggium 1630. in expanſo folio.

Elogium P.Ioſephi Anchietæ Societatis Ieſu, qui cum opinione vniuerſali Sanctitatis, & miraculorum, obijt in Braſilia die 9. Iulij 1597. poſt expenſos illic 44.annos in Prædicatione Sanctæ Fidei. Neapoli apud Scorriggium 1631. in expanſo folio. Recuſum Anconæ

Latinè verò ſuo nomine edidit

Orationem habitam Neapoli anno 1620. in ſtudiorum inſtauratione cuius inſcriptio eſt *Gratulatio Sæcularis.* Neapoli apud hæredes Tarquinii Longi 1620. in 4.

Orationem funebrem habitam Viennæ in Exequijs Melchioris Card.Kleſſelij.

Orationem de B.Virgine Lauretana Nikelſgurgenſi in Morauia

Exercitationem Theologicam. Antuerpiæ ex officina Plantiniana 1631.in folio.

Hæc ſanus edidit, prodierunt poſtquam deſijt ſanus eſſe.

Inſtitutio Vitæ ad exemplar Paſſionis Domini, & Saluatoris Noſtri liber planè aureus, Viennæ typis Matthæi Formicæ 1637. in 8. Recuſus Duaci typis Iacobi Maireſſe 1643. in 12.

Vita Sororis Mariæ Magdalenæ Caraſæ Matris P.Vincentij Caraſæ Societatis Ieſu Generalis. Romæ apud Maſcardum anno 1655. in 12. Italicè

Parabat prælo *Res geſtas auſpicijs Ferdinandi II. Imperatoris Auguſti.*

De Scriptoribus Hebraicis Tomis 3.

Catenam triplicem ex Scriptoribus Hebraicis in primum verſum Geneſeos.

Leuiathan, ſeu Expoſitionem Iob, De Leuiathan agentis.

Epigrammatum Heroicorum ad B. Virginem Lauretanam corollas 3.

De Societate Ieſu opus vaſtum

Antonini Pij libellum ad ſe ipſum ex Græco Latinum à ſe factum. Hæc habebat partim affecta, partim perfecta, niſi morbus interceſſiſſet.

* SEBASTIANVS DE ABREV natione Luſitanus, patria Cratenſis, aggregatus ad Societatem anno ſalutis 1610. ætatis ſuæ 16. votorum 4. profeſſionem edidit. Docuit humaniores litteras annis 4. Philoſophiam totidem, Theologiam annis 15. Romæ fuit Cenſor librorum à Societate edendorum,& Theologus Præpoſiti Generalis annis 8. Rexit Collegium Purificationis B. Virginis in Ciuitate Eborenſi,& multis annis functus munere Cancellarij in illa Academia, deſijt inter mortales viuere ibidem die 18.Octob.1674. Edidit

De Inſtitutione Parochi. Eboræ typis Academicis 1665. in folio. Item

Vitam P.Ioannis Cardim Societatis Ieſu, Luſitanicè typis iiſdem 1649. in 4.

SEBASTIANVS BARRADAS natione Luſitanus, patria Vlyſſiponenſis, nobilibus ortus parentibus,& ad omnem virtutis laudem iam inde à prima ætate tàm diligenter educatus, vt in Religionis ingreſſu diceretur, non mores priſtinos, ſed domum, ac veſtes permutaſſe.In Collegio Conimbricenſi vix ephebus, & 15. tantum agens annum, Societati nomen dedit, Septembris die 27. anni ſalutis 1558. A Deo in Societatem vocatus. B.Virgine, vt putatur, interprete, quam aiebant adoleſcentulo in æde S. Dominici ad aram ſuam ab ſcala dictam, oranti, Religionem hanc ſingillatim imperaſſe. Tota deinceps vita medullitus fuit in eam propenſus, & publicis priuatiſque ſermonibus nitebatur, vti poterat eius amorem, ac cultum omnibus ingenerare. Ab ipſo ſtatim tirocinio ſummam apud omnes ſuæ virtutis excitauit exiſtimationem, vt iam tum digito monſtraretur,& ventitarent plurimi ad Societatis gymnaſium admirabundi, vt illius tamquam emeriti in Sanctitate Magiſtri, aſpectu ad modeſtiam,& virtutis amorem erudirentur; Tempore verò ſic adoleuit ea opinio, vt tota Luſitania conſummatæ ſanctitatis elogio celebraretur, & vndique ad illum ſpectandum plurimi confluerent, egregium itineris, ac laboris fructum arbitrati,ſi poſſent fimbriam veſtimenti eius, vel capillos à tonſore impetrare, cuius quodlibet pignus non minoris ſibi eſſe ſignificabant, quàm ſint eorum qui ſunt iam in Eccleſiæ faſtos relati. Rhetoricam atque Philoſophicas facultates profeſſus eſt, Sacras litteras tum Conimbricæ, tum Eboræ magna Auditorum celebritate eſt interpretatus; ſemperque illi nomen ſanctimoniæ ſtetit. At poſtquam Concionatoris partes aggreſſus eſt agere, eò increuit apud omnes viri reuerentia, vt iam apud Luſitanos non communi nobis nomine Apoſtolus duntaxat, ſed Paulus appellaretur. At ipſe de ſe ita ſentiebat, vt ſe primum eſſe peccatorum hominum poſtremum ex animo diceret. Laudes ſibi forte ab aliis ingeſtas, commendatione

ne concionum, aut publicatorum typis librorum, aut feſtiuè detorquebat, aut ſi id non poterat apertè retundebat: In corporis ſui afflictione fuit prorſus inclemens. Sæpè intempeſta nocte deprehenſus eſt valida ſe verberatione conterere, quàm tertiò nonnunquam eadem nocte repetebat, interpoſita horæ vnius oratione inter ſingulas verberationes. Lectum vrticis aliquando inſtrauit, ad vexationem, nec eum à fœdiſſimis animalculis purgari patiebatur. Cibi potuſque parciſſimus erat ſemper ex appoſitis viliora ſumens, eaque tàm feruida, vt ſibi os adureret, aut tam frigida, vt conditura ſapor omnis aboleretur. Humilitatis ſtudium attrita veſte fouebat, nihil noui admittebat indumenti, niſi Præſidum auctoritas coegiſſet. Subductum ſibi clam à veſtiario thoracem lineum, & perticæ alligatum ad colligendos, è furno cineres, ipſe cum lacrymis repertum theſaurum, vt aiebat, ſuum corpori rurſus adaptauit. Vnis calceis octennio eſt vſus, tibialibus aliquando tàm diſſutis, ac diſciſſis, vt vix paucis filis cohærerent: Vniuerſa quàm moriens reliquit ſupellex, tàm vilis fuit, & lacera, vt nullus mendicorum pluribus centonibus infarcinatus eſſe potuerit. Nimirum erat ipſe ſolitus dicere, decere nos non vocabulo ſolum, & Pontificio diplomate mendicantes eſſe, ſed re quoque ipſa, & vſu rerum. Nullum diù habuit librum ad manum, niſi diuinas litteras, & earum Concordantias, reliquos in Bibliotheca communi, tum per algores hyemis, tum per ardores æſtatis verſabat: vt mirum omnino ſit potuiſſe illum lucubrare, quæ edidit in tanta ſtudij incommoditate. Commentationes nec paucæ, nec exiguæ poſt ipſius obitum inuentæ ſunt in chartarum Epiſtolicarum tergo deſcriptæ. Ardentiſſimo flagrabat deſiderio miſſiones obeundi, in quibus variis incommodis conflictaretur. Perpetua erat illius oratio: Quæ nos hic vincula fratres detinent? Cur non cum pera & baculo pedeſtres oppidatim diſcurrimus? Ad Indiam tantò anhelabat ſtudio, vt dixerit aliquando ſi ſibi dum viribus, & ætate florens erat perſuaſum fuiſſet ſe minimè in Indiam miſſum iri, futurum fuiſſe vt intercluſo præ dolore ſpiritu, animam exhalaret. Multas ipſe fructuoſaſque inſtituit per Luſitaniam expeditiones in quibus & Sancti, & Apoſtoli, & Prophetæ nomen cælo etiam nonnunquam ſuffragante comparauit. Ad concionandum à Deo egregia naturæ præſidia accepit, ſtatus corporis excellens, & erectus, auguſta facies, & canitie venerabilis, vox canora, inſitus quidam lepor quem natura non induſtria commendabat. De caducarum rerum contemptu tanta contentione dicebat, vt vno anno fama ſit ſexaginta, & in ijs nobiliſſimos iuuenes, & doctiſſimos Cathedrarum candidatos, Franciſcanorum dumtaxat ordinem ambiuiſſe. Addebat voci gratiam, & efficaciam oratio, in qua extremis vitæ annis certum eſt duodenas eum horas quotidie collocaſſe, tanta collectione virium animi, vt à ſenſibus non raro externaretur. Hic æſtus fere ſolito maior inter ſacra tractanda myſteria exundabat, in quibus ipſe ſibi quoque liberaliùs indulgebat. Canonicum officium ſumma quoque, & lentiſſima attentione recitabat. Medico ſubmonenti, vt propter ægritudinem, euoluendi Breuiarij curam deponeret, ſubridens dixit: Non iubeor ad ſanitatem hominum colloquia ſubterfugere, nemo mihi perſuadeat me non poſſe cum Deo familiarem tenere ſermonem. Tot clarus virtutibus Sebaſtianus, deuexa iam ætate cœpit æternitatis aditum morbo prænuncio propiùs aſpectare. Ergo tempeſtiuè Sacramentis recreatus felicem egit animam die 14. Aprilis anno ſalutis 1615. ætatis 73. ab ingreſſu in Societatem 57. à profeſſione votorum quatuor 32. Funus tanto omnium Ordinum concurſu procuratum eſt, vt inter oſculantes ſacrum cadauer, & veſtes, capillos, vngues, & quidquid ipſius erat vellicantes, ægrè potuerit officium perſolui: Sed demum diſtractis propè omnibus indumentis, inter lamenta dolentium iacturam ſuã, & ſanctum inclamantium ligneo conditorio immiſſus eſt, addita plumbi lamina, quæ ipſius olim indicium daret. Luculento encomio illum celebrat Georgius Cardoſus in ſuo *Agiologio* ad diem 14. Aprilis, & Fr. Elias à S. Tereſia in Legatione Eccleſiæ Triumphantis lib. 2. cap. 31. Scripſit Barradas:

Commentariorum in Concordiam, & Hiſtoriam Euangelicam Tom. 4. quorum vnus excuſus primùm eſt Conimbricæ apud Antoniũ de Maris 1599. ac deinceps ſequentibus annis reliqui recuſi ſæpiùs Lugduni, Moguntiæ, Coloniæ, Venetiis.

Itinerarium filiorum Iſrael ex Aegypto in Terram repromiſſionis. Lib. 10. prodiit poſthumum Antuerpiæ apud Petrum, & Ioannem Galleros 1621. & Moguntiæ per Hermannum Mylium 1627.

SEBASTIANVS BARRETVS natione Luſitanus, patria Aueirenſis diœceſis Conimbricenſis adlectus in Societatem anno Domini 1584. ætatis 17. vota 4. profeſſus eſt. Miſſus in Indiam Orientalem, in Goana Prouincia diù vixit, fuitque operarius variis in locis, & Collegium Dienſe Rector gubernauit. Ad laborum præmia migrauit ex hac vita Goę anno 1625. Scripſit

Annuas litteras Goæ anni 1624.

SEBASTIANVS BERETTARIVS natione Italus, patria Florentinus, adſcriptus Societati anno ſalutis 1565. ætatis ſuæ 22. Humaniores litteras annos plurimos profeſſus eſt, & gradum ſpiritualium Coadiutorum obtinuit. Obijt decrepitus Romæ die 22. Iulij anno 1622. Scripſit diſertè

Litteras annuas Societatis Ieſu annor. 1594. & 1595. Neapoli apud Tarquinium Longum 1604. in 8. Item anni 1596. Neapoli apud eundem 1605.

Vitam P. [illegible] è Societate Ieſu. [illegible]. 1617. in 8. Lugduni apud Horatium Cardon, & Coloniæ apud Kinkium in 12.

Et ſub nomine Iacobi à Foſſa

Efflationem pulueris aduerſus Emmanuelis Aluarez Grammaticas Inſtitutiones, Veronæ excitati ab Orlando Peſcetto. Monachii typis Bergianis 1616. in 8. Reliquit etiam

Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ab Orbe condito vſque ad Apoſtolorum tempora. Tom. 1. iuſtæ molis, qui in Romano Collegio ſeruatur.

* SEBASTIANVS DE COMITIBVS, VEL CONTI natione Italus, patria Piſtorienſis natus anno ſæculi præterlabentis 23. Societati nomen dedit 1640. & votorum 4. vinculis ſe Deo adſtrinxit Rhetoricam ſex annis profeſſus eſt, totidem Philoſophiam,& totidem Theologiam Moralem; Rexit Collegia Spoletanum, & Piſtorienſe, & modò Senis vacat miniſteriis Societatis. Edidit latinè ſuppreſſo ſuo nomine

Faſtos Senenſes, Ab Academia Intronatorum editos, & dedicatos Alexandro VII. Pont. Max. in folio.

Italicè verò & appoſito ſuo nomine

Narrationem de Miraculis B. Virginis de Præſepio. Senis 1668. in 12.

SEBASTIANVS COVTVS natione Luſitanus, patria ex Oppido Oliuenza diœceſis Eluenſis, admiſſus in Societatem Eboræ, anno Domini 1582. ætatis 15. in Conimbricenſi Academia Philoſophicas diſciplinas tradidit, & in noſtro Collegio Sacram Theologiam, quam etiam in Eborenſi Academia creatus Doctor multis annis profeſſus eſt. Oraculum ſui temporis dicebatur, ad docendum natus, & ad difficillimas quaſque Quæſtiones facillimè enodandas. Valuit etiam talento ad concionandum, & gratiſſimus extitit Dynaſtis ſæcularibus, præſertim Sereniſſimo Duci Brigantiæ, poſtea Regi Ioanni IV. Archiepiſcopi, & Epiſcopi doctrinam illius ſuſpiciebant. Rexit Collegium Bracharenſe, rara tolerantia in aduerſis, & magnanimus in arduis. Demum vita functus eſt in prædio Collegii Eborenſis die 21. Nouembris 1639. ab emiſſa 4. votorum profeſſione 36. Scripſit

Logicam, quæ cum curſu Conimbricenſi excuſa eſt. Item

Sermonem, quem habuit in Theatro Inquiſitionum contra Iudaicam perfidiam, & hæreticam prauitatem. Vlyſſipone.

SEBASTIANVS GONZALEZ natione Luſitanus, patria Ponte de Lima diœceſis Bracharenſis Societatem amplexus anno ſalutis 1574. ætatis 17. votorum 4. profeſſionem emiſit. Fuit per annos aliquot Rector Tirocinij, & Præpoſitis Prouincialibus pro Socio. Magiſter Nouitiorum Eboræ, & Præpoſitus Domus Profeſſorum Goæ. Vir fuit præclaris virtutibus ornatus, quas candidiſſimæ mentis ſinceritas coronabat. Eximia caritate,& facilitate cum omnibus ſummis æquè atque imis agebat, nulli grauis, aut moroſus, omnibus auxilio, & ſolatio. Neminem vnquam deſpicere, aut verbo lædere, in omnibus quod prædicaret inuenire. Errata ſubditorum ſuauiter corrigebat, emendata obliuione ſempiterna delebat. Tanta erat in Deum fiducia, vt cum Domui Profeſſæ præeſſet, quò magis egebat neceſſariis, eo ſibi prolixius omnia polliceretur. Nec verò ea illum ſpes vnquam fefellit. Humilitatem & obedientiam impensè coluit, quarum ſtudio ſæpè inſtitit, vt à gubernandi munere ſolueretur. Solitudinis & cubiculi erat amantiſſimus, nullum viſebat, & à nemine viſebatur. Inuitatus in ſupremo morbo ad Collegium vt ibi commodius ad valetudinem haberetur, & auræ vitium, quo Tirocinij domus laborauit, euitaret, negauit decere ſe Paſtorem eos deſerere in periculo, quorum præerat audiendis Confeſſionibus, & à quibus amari ſe ſtudiosè non neſciret. Sufficere ſibi eam ſalutis curam, quæ minimo cuique adhiberi conſueuit. Inter ſuorum ergo lacrymas, & vota, magno ſui relicto deſiderio piè deceſſit in Domo probationis Goæ anno ſalutis 1619. ætatis 63. ab inita Societate 45. ab emiſſa votorum 4. profeſſione 16. Scripſit

Hiſtoriam Virorum illuſtrium, qui in Religioſis per Indiam Orientalem familijs vita ſanctimonia, & litteris floruerunt, & eorum potiſſimum, qui Societatem Ieſu Martyrij laurea coronarunt.

De præclarè à Societate Ieſu in India Oriẽtali geſtis Tomos tres.

SEBASTIANVS HEISSIVS natione Germanus, patria Auguſtanus adſcitus in Societatem iam vicennis anno ſalutis 1591. Vir ſingulari ingenio, doctrina eximia, nec his dotibus impari virtute. Vix vllum erat Scriptorum genus, quod non diligenter voluiſſet: ſi quid non meminiſſet id omninò non legerat. Hæreſes ſui temporis luculentis diſputationibus editis exagitauit; eruditorum approbatione ſingulari. In tanto ſtudendi ardore aſſiduus tamen aderat publicis priuatiſque precibus, & omni officio obeundo, vt crederes illum, ne oculos quidem ad libros adijcere. Quo certè tempore Apologeticum pro Eccleſia eſt commentatus, omnibus ſacris in ara maxima celebratis quotidie interfuit, ſaltem per id tempus, quo Sacra Euchariſtia (quam ipſe ſemper impensè veneratus eſt) adoranda eleuabatur. Per ægrotationem tametſi infirmis ad alia omnia pedibus, quotidie ſacrificabat, & de genibus mox alteri ſacrificanti aſſiſtebat, donec lecto ad mortem vſque affixus fuit. Obijt Ingolſtadij die 20. Iunii anno 1614. ætatis 43. Religionis 23. quatuor votorum profeſſus, & Controuerſiarum cum Hæreticis diſputationum Profeſſor celeberrimus. Scripſit

De vera Chriſti in Terris Eccleſia deque proprietatibus, ac notis, quibus ab omnibus falſis Hæreticorum Eccleſijs internoſcatur. Ingolſtadii typis Adami Sartorii 1610. In 8.

De

De Triumphante in Cælis Eccleſia.

De Cultu & Inuocatione Sanctorum, & venera ione Sacrarum Reliquiarum, atque Imaginum.

Dialogos de S. Euchariſtia.

Aphoriſmorum doctrinæ Ieſuiticæ, aliorumque Pontificiorum declarationem Apologeticam. Ingolſtadii typis Adami Sartorii 1609. in 8.

Volumen Acatholicum 20. Articulorum Confeſſionis Auguſtanæ editum à Iacobo Heibbrunner compendio recognitum, & caſtigatum. Dilingæ typis Ioannis Mayer 1608. in 8.

Purgatorium Lutheranorum. Ingolſtadii typis Sartorii 1610. in 8.

De Sacra Scriptura in genere.

De Sacra Scriptura in particulari.

* SEBASTIANVS IZQVIERDO natione Hiſpanus, patria Alcaracenſis, diœceſis Toletanæ natus anno ſæculi voluentis primo, poſt adeptum Compluti gradum Licentiati in Philoſophia, & biennium inceptum in ſtudio Theologiæ, Chriſto in Societate ſua ſe dicauit, anno à partu Virginis 1623. die 17. Nouembris, & ſolemnem 4. votorum profeſſionem emiſit. Philoſophiæ curſum Compluti docuit; Theologiam Scholaſticam nouennio explicuit Murciæ, & Compluti; Moralem biennio profeſſus eſt in Regiis ſtudiis Matriti. Rexit Collegium Murcianum, & Complutenſe iteratò à quo auulſus eſt, vt Eminentiſs. Card. de Sandoual Archiepiſcopo Toletano à Sacris Confeſſionibus ſeruiret. Supremi Senatus Sacræ Inquiſitionis in Hiſpania eſt Conſultor, & Electus à Comitiis Prouinciæ, vt Romam ad Congregationem generalem vndecimam proficiſceretur, ab hac creatus eſt Aſſiſtens Præpoſiti Generalis pro Hiſpania, & Indiis Occidentalibus, atque eo munere in præſentiarum iam ab annis 14. magna doctrinæ, & virtutis commendatione fungitur. Edidit latinè

Pharum ſcientiarum. Vbi quidquid ad humanam ſcientiam homanitùs acquiſibilem pertinet, pertractatur. Lugduni ſumptibus Claudij Bourg, & Soc. 1659. in fol.

Opus Theologicum iuxta, atque Philoſophicum, De Deo Vno. Romæ typis Vareſii 1664. in folio.

Eiuſdem Operis &c. Tom. II. typis iiſdem 1670. in folio. Hiſpanicè ſcripſit

Praxim Exercitiorum Spiritualium. Romæ typis Vareſij 1665. in 8. Quam Italicè redditam excudit idem Vareſius anno 1665. in 8. Item

Conſiderationes De Quatuor Nouiſſimis Morte, Iudicio, Inferno, Gloria, Romæ 1672. in 12. typis Vareſij & Italice iiſdem typis anno 1673. in 12.

De Medijs neceſſarijs ad ſalutem æternam. Romæ typis Vareſij 1674. in 12. & Italicè iiſdem typis eodem anno.

SEBASTIANVS MATIENZVS natione Hiſpanus, patria Burgenſis admiſſus in Societatem anno Domini 1605. ætatis 17. litteris humanioribus egregiè excultus, quas raro exemplo annos amplius 30. magna laude Noſtros, Externoſque docuit. Vir vitæ integerrimæ, & eruditionis exquiſitiſſimæ, ac trium votorum ſolemnium profeſſus, naturæ conceſſit Pompeiopoli die 20. Martii 1644. Edidit ſub nomine Sebaſtiani Burgenſis

Rhetoricam. Pompeiopoli apud Carolum de la Baen 1618. in 8. Item ſub nomine alieno Hiſpanicè, & eruditè

Commentaria in Epiſtolam 1. Ouidij. Pompeiopoli 1630. in 4. Poſt obitum & appoſito illius nomine editę ſunt

Commentationes ſelectæ Ethicæ, Politicæ, in Virgilij Aeneidem. Lugduni ſumptibus Horatij Boiſſat, & Soc. 1662. in 4.

Vertit Hiſpanicè

Hortulum Marianum Noſtri Franciſci de la Croix, ſæpiùs excuſum Salmanticæ 1655.

SEBASTIANVS MORALES, VEL DE MORAES natione ex Inſula Materia, patria Funchalenſis aggregatus Societati anno ſalutis 1551. ætatis 16. Conimbricæ, profeſſionem votorum 4. emiſit Brixiæ 1569. Vir robuſtæ virtutis, & doctrinæ præſtantis. Is Mariam Luſitaniæ Principem, quæ Alexandro Farneſio Parmenſium Principi nupſit, in Belgium atque in Italiam anno 1565. ſecutus, à Sacris Confeſſionibus, & Concionibus illi fuit. Rexit aliquot annis Collegium Parmenſe, Viſitator quoque Prouinciarum Romanæ, & Mediolanenſis fuit. Sublata è viuis Maria Principe anno 1577. reuerſus eſt in Luſitaniam, vbi cum Prouinciam annum iam quintū, ſextumue Præpoſitus Prouincialis adminiſtraret, volente Philippo II. Rege Catholico, iubente Sixto V. Pont. Max. anno 1587. Primus Iaponiæ Epiſcopus deſignatus eſt, eodemque anno Vlyſſipone conſecratus, ſoluit in Indiam. Verùm cùm morbis in nauigio graſſantibus ipſe per incredibilem ſui contemptum, excelſumque animi ardorem, languentibus omne obſequij genus præſtaret, labore victus propè Mozambicum in ipſa naui magno Iaponiæ incommodo exceſſit è viuis menſe Auguſto anno 1588. Scripſit Italicè

Vitam, & Mortem Sereniſſimæ Mariæ Luſitaniæ Principis Parmæ, & Placentiæ, quàm deinde à ſe verſam Hiſpanicè recudit adſcripto ſuo nomine, Franciſcus Aluarado, Romę typis Blandiis 1580. in 12.

Scripſit etiam latinè

Tractatum de Cenſuris 1575. in 8. qui Romæ in Tabulario generali inter M. ſs. aſſeruatur.

* SEBASTIANVS DE NOVAES natione Luſitanus, patria Bracharenſis cooptatus in Societatem anno ſæculi labentis 32. ætatis ſuæ 15. vota 4. nuncupauit. Septennio docuit Rhetoricam, & amæniores litteras; Theologiam Moralem nouennio, Scholaſticam ſexennio; Eccleſiaſten etiam egit in Domo Profeſſorum Vlyſſipone, & modo Collegii Scabilitani

tani habenas tenet. Edidit latinè opus elegans (vt id appellat D. Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hiſpana) hoc titulo

Lilium inter Spinas, ſiue Conceptum Dei Genitricis incontaminatum. Conimbricæ formis Didaci Gomez 1648. in 16.

SEBASTIANVS SALELLES natione Hiſpanus, patria Gandienſis, in Societatem anno 1590. ætatis ſuæ 15. ingreſſus, vota 4. profeſſus eſt, & Theologiam Moralem annis duodeuiginti cum laude docuit. Equitibus Hiſpanis Melitæ, & alijs vtilem compluribus annis nauauit operam, & ibidem Tribunalis S. Inquiſitionis per 40. annos Conſultor aſſiduus fuit, & demum plenus dierum, ac bonorum operum nonagenario maior illic migrauit ad Dominum die 18. Ianuarii 1666. Illum Alexander VII. Pont. Max. cum Melitæ Inquiſitoris munere fungeretur, inter caros amicos habuit, & vt talem nobili carmine in ſuis Muſis iuuenilibus celebrauit. Edidit

De Materijs Tribunalium Sac. Inquiſitionis. Romæ typis Ioannis Petri Collinij anno 1651. in folio.

SEBASTIANVS SCIPIO natione Bohemus, patria Pilſnenſis in Societatem admiſſus anno 1584. ætatis 17. votorum 4. profeſſionem emiſit. Vir præſtanti ingenio, nec modica doctrina Philoſophiam, Matheſim, Controuerſias de fide annos aliquot docuit, & dum inter nos ageret. Scripſit Bohemicè

De Cælibatu Sacerdotum.

Poſtillam à ſe collectam.

Varia opuſcula ex varijs linguis translata.

SEBASTIANVS VIEIRA natione Luſitanus, patria ex Caſtro d'Airo diœceſis Lamecenſis, Societatem ingreſſus anno ſalutis 1586. ætatis 16. ad animarum quæſtum, Indiam Orientis petiit anno 1602. & 4. votis in Iaponia ſe illigauit. Ibi cum diù magno zelo atque ardore fidem Chriſti proſeminaſſet, à Daifuſama Imperatore Manilam relegatus eſt. Inde regreſſus in Iaponiam magno fidelibus auxilio fuit, donec à ſuis Moderatoribus Macaum vocatus, inde Romam Procurator miſſus eſt. Ex Vrbe redux, in Iaponiam ſeſe mutato rurſum ſchemate inſinuauit, per incredibilia vitæ pericula, quæ magis etiam ſunt aucta, cùm aureorum aliquot millium præmio veſtigatori ptopoſito quæſitus eſt. Demum cum eſſet Vice-Prouincialis, & adminiſtrator Epiſcopatus, haud Ozaca procul eſt comprehenſus, cum nec latebram inueniret, nec opportuna vitæ alimenta. Nangaſachum abductus, atque in carcerem compactus, Deo reuelante cognouit, prædixitque cuſtodibus ſuis poſtridie adfuturum ab Imperatore Xoguno, qui ſe Yendum accerſeret. Iuſſus ab illo Chriſto renunciare, reſpondit, ſe totos iam 63. annos aſſiduis ab eo cumulari beneficijs, cùm contra à Xoguno carceres, inediam, ærumnas, nec aliud accepiſſet, cur illum præ ipſo deſereret? Intentata tormenta promptum ſe excipere, promptum ſe quoque ipſos fidem docere. Cum vinci, frangiue conſtantia minis non poſſet, ſuſpenſum pedibus, manibus à tergo reiunctum genuum tenus, demerſum in ſcrobem tabulis obtectam, ne quid cernere loquiuè, nec poſſet liberum ducere ſpiritum, tertiò demum die ſuppoſito igne confecerunt, in doctrina Chriſti confitenda conſtantem Yendi die 6. Iunii anno 1634. Inſigne encomium illius Georgius Cardoſus, ſuo intexuit Agiologio ad diem 6. Iunij. Scripſit Sebaſtianus

Annuas litteras ex Iaponia anni 1613.

SERVATIVS SACRE natione Belga, patria Leodienſis Societatem duodeuicenarius anno 1621. complexus, in ea Latinas, Græcaſque litteras annos 12. cum laude profeſſus eſt. Miſſiones obiuit annis 8. Præfectus Scholarum & Director Sodalitatum Parthenicarum annis compluribus, modo in Leodienſi Collegio Operarius, edidit ſuppreſſo ſuo nomine

Enchiridion Grammaticæ Græcæ. Typis Petri Bogardi, Duaci anno 1632. in 8.

SEVERINVS KARVAT VVOKICIEVVICZ natione Polonus, ætatis annum agens 16. Societatem ingreſſus anno ſalutis 1621. in ea diſciplinis omnibus probè excultus & vota 4. profeſſus vtilem Societati, ac Reip. operam tum alibi, tum potiſſimum ad Aulam Sereniſſimi Ioannis Caſimiri Poloniæ, ac Sueciæ Regis, cui à Sacris Concionibus diù fuit, nauauit. Accuratus fuit diſciplinæ religioſæ obſeruator, & in Aula aulicis negotijs non eſt paſſus ſe implicari. Tandem poſtulata à Rege, & obtenta miſſione ab Aula, vt in receſſu ſibi & Deo ſoli vacaret, Cracouiæ in Collegio Sanctorum Petri, & Pauli, ærumnoſam hanc vitam cum meliori (vti confidimus) commutauit die 6. Iulii 1658. Edidit nomine Collegii Cracouienſis

Lacrymas vectigales magnis manibus magni Sigiſmundi III. Poloniæ Sueciæque Regis inter Parentalia Sacra perſolutas anno 1633.

Siradiam trabeatam dum Illuſtriſſimus D. Stanislaus à Koniecpole Koniecpolski Supremus Exercituum Dux, Cracouienſem Caſtellanatum adiret propoſitam ſub auſpicijs Procerum Siradianæ gentis luminum, anno Domini 1633. ſuo verò nomine, edidit.

Elogia 12. Cæſarum proſa oratione, nam duo priora carmine Heroico ſcripta ſunt.

SFORTIA PALLAVICINVS S. R. E. Cardinalis, Purpuratorum Patrum Senatus, & Societatis noſtræ decus eximium, natus Romæ die 28. Nouembris anno ſalutis 1607. ex Nobiliſſima proſapia Marchionum Status Pallauicini inter Parmam, & Placentiam olim Principum, parentes habuit Alexandrum Marchionem Pallauicinum, & Franciſcam Sfortiam Ducis Signiæ ſororem. Ab ineunte ætate pietati, ac ſtudiis litterarum impendio deditus, quàm eminentem euaſurus in virum eſſet, adoleſcens luculenter oſtendit, quando nondum euoluto

decimo octauo ætatis anno, Philoſophiæ theſes publicè in Collegio Romano magna laude ſuſtinuit, & fluente adhuc anno 21. Theologiæ laurea doctorali inſignitus, Aſſerta libris nouem ex vniuerſa Theologia per integrum triduum inuitatis doctiſſimis quibuſque Theologis variorum Ordinum Religioſorum, ad oppugnandum ingente plauſu, ac fama doctrinæ propugnauit. Et quamuis Parentes ipſum, vt ſtirpis ſuæ primogenitum, ad coniugalem ſtatum capeſſendum enixè & crebrò cohortati fuerint, maluit tamen Eccleſiaſticum amplecti, atque ita ſub Vrbano Octauo Pont. Max. (cui peracceptus fuit) Prælatorum vtriuſque Signaturæ numero adſcriptus eſt, & Congregationibus de bono Regimine, necnon de Immunitate Eccleſiaſtica inſertus, poſtea Gubernator Ciuitatum Aeſinæ, Vrbeuetanæ, Camerinenſis, ad ſupremas dignitates magnis paſſibus progrediebatur, quando vocanti Chriſto ad Religioſum ſtatum in Societate ſua, relictis omnibus obſequi decreuit. Et quamuis eiuſcemodi conſilio vehementer ſe oppoſuerint Parentes, & non defuerint primi nominis in Vrbe Theologi, qui conſiderato familiæ inclinatæ ſtatu, ipſum ad gerendum ea in re morem parentibus in conſcientia teneri iudicarint, tamen adhibitis ad deliberationem, alijs pariter inſignibus Theologis, ex horum ſententia abrupit moras, & poſthabitis cruci Chriſti illecebris mundi, in Societatem illius conuolauit die ſacro cultui B. Aloyſij Gonzagæ 21. iunii anno 1637. In tirocinio porrò egregia multarum virtutum ſpecimina dedit, mouitque admirationem multis in Vrbe, quando paulo ante primæ nobilitatis Præſulem, vili lacerna indutum, & oſtiatim per compita (vti Tirones Societatis ſolent) mendicantem conſpexerunt, aut ad portam Domus Probationis ſimul cum aliquot mendicabulis, reliquias menſarum, ſeu analecta comedentem. Abſoluto Nouitiatus biennio, applicatus eſt ſtatim ſub finem anni 1639. ad tradendam Philoſophiam in Collegio Romano, tum Ethicam, & votorum 4. profeſſione ſe adſtrinxit 1641. Theologiam Scholaſticam octennio ibidem explanauit, & mox Præfecturam Generalem ſtudiorum quadriennio geſſit. Interea loci opus illud inſigne de Hiſtoria Concilij Tridentini elucubrauit, aduerſus calumnias Petri Suauij, quod omnium deinde rectè ſentientium plauſum tenuit. A S. Congregatione S. Officij adlectus eſt in Qualificatorem; ab Innocentio X. deputatus eſt vnus ex Theologis ad examinandam doctrinam Cornelij Ianſenij conſtituris; ab Alexandro VII. in Examinatorem Epiſcoporum coram Sua Sanctitate aſſumptus; & cùm tanti ab omnibus fieret, non tamen de ſeueritate religioſæ diſciplinæ in ſe quidquam remiſit. Regularum omnibus communium adeo obſeruans fuit; vt non nemo ex Collegis non vulgaris prudentiæ & doctrinæ, eum ſibi tamquam ideam religioſæ perfectionis imitandum propoſuerit; Paupertatis ſanctæ peramans, nihil ſpecioſi in cubiculo admittebat, nihil in victu ſingulare. Superiorum placita etiam contra ſenſum ſuum priuatum, coram alijs mordicùs defendebat, & non rarò etiam aliorum ſententijs in Philoſophia, & Theologia notatus eſt relicta opinione propria, adhæſiſſe. Ad hæc cum quotidianum fermè acceſſum haberet ad colloquium cum Alexandro VII. quem in minoribus conſtitutum, ſingulari amicitia ſibi deuinxerat, nunquam tamen gratia illa vſus eſt apud Suam Sanctitatem, vel ad ſua commoda, vel ad cunſanguineorum ſuorum emolumenta. His igitur & alijs doctrinæ, & virtutum ornamentis in Religioſo Statu reſplendentem, iudicauit idem Alexander Sacra Purpura decorandum, atque ita Cardinalem creauit die 19. Aprilis 1657. vna cum Nepote ſuo ex fratre Eminentiſſ. Card. Chiſio, ſed non declarauit publicè niſi ad diem 10. Nouembris 1659. Hanc promotionem ſui ſubodoratus bonus Pater de ea agi, deprecatus eſt ipſe enixe, prout teſtatus eſt Præpoſitus Generalis Goſvvinus Nickel in ſuis ad Societatem de ea litteris Encyclicis, & ipſo die quo promulgatio facta eſt nuntium ad ſe delatum de Purpura ſibi in Conſiſtorio decreta, admittere non voluit antequam præcepto Pontificio in virtute S. Obedientiæ adactus ad id fuiſſet. Renunciatus Cardinalis Congregationibus varijs adhibitus fuit, videlicet Concilij Tridentini, De Immunitate Eccleſiaſtica, Examinis Epiſcoporum, Viſitationis Apoſtolicæ, & Sacræ Inquiſitionis. Octennium & menſes aliquot ea in dignitate exegit, quando placuit vitæ noſtræ mortiſque arbitro Deo, eum ad ſe (vti ſperare iuſtum eſt) euocare. Inſtitutum Societatis maximi ſemper fecit, & morti proximus palàm coram multis de familia ſua, aliſque teſtibus gratias egit Deo, quod vitam traduxiſſet in Societate Ieſu; & ſi denuò quaſi à capite vitæ curſum inſtituere deberet, profitebatur ſe inter omnes ſtatus, qui ſunt in Eccleſia Dei, delecturum Societatem, proiecturumque ſeſe ad pedes Præpoſiti Generalis, & pro ſumma gratia habiturum admiſſionem, ad viuendum in illa, & moriendum. Tum domeſticos ſuos alloquendo hortatus eſt, vt quamuis audirent in mundo alios aliter loqui de Societate, tamen fidem haberent ipſi, qui & diu in illa vixerat, & moribundus teſtabatur hanc Religionem eſſe ſanctam. Hinc condito teſtamento, ſcripſit Hæredem exigui peculij, quod ei Deus in Cardinalatu donauerat, non fratrem ſuum cariſſimum Marchionem Alphonſum, cui de iure debebatur hæreditas, ſi ab inteſtato deceſſiſſet, ſed Domum probationis Quirinalem, in qua religioſæ vitæ poſuerat tirocinium, & in cuius templo voluit tumulari. Paulo pòſt obitum Alexandri VII. vacante adhuc Sede Apoſtolica ad extremam vitæ metam vi morbi deductus, muniri petijt ſupremis

mis Eccleſiæ Sacramentis a Præpoſito Generali Societatis Ioanne Paulo Oliua à quo Sacrum Viaticum ſuſcepit, atque ita inter Noſtrorum, & aliorum circumſiſtentium preces, piam efflauit animam, die 4.Iunij 1667.Epitomen inſignem vitæ Cardinalis ab ipſomet recognitam videre poterit Lector apud Michaelem Iuſtinianum Abbatem libro Memorabilium Epiſtolarum Parte I.num.2. Defuncti tumulo appoſitum eſt Epitaphium breue à Domo Probationis in hunc modum

D. O. M.

SFORTIAE PALLAVICINO

E SOCIETATE IESV

S.R.E. PRESBYTERO CARDINALI TIT: S. SALVATORIS IN LAVRO

DOMVS HÆC PROBATIONIS HÆRES M. P.

OBIIT NONIS IVNII ANNO REP: SALVT: CIƆ IƆC LXVII.

ÆTATIS SVÆ LX.

Magna vbique exiſtimatio fuit de illius, & ſublimitate ingenij, & excellentia doctrinæ. Vtrumque luculenter demonſtrauit tum alijs in operibus, tum maximè in Hiſtoria Concilij Tridentini, quam ſummis laudibus proſecuti ſunt ſupremi aliqui Principes, & primarii Regum Miniſtri. Satis mihi ſit vnius Eminentiſſimi Cardinalis Rapacciolij de ea iudicium hic verbatim referre, qui in familiari Epiſtola ſcripta die 12.Auguſti 1656.ad Eminentiſſimum Cardinalem Facchenettum, tum Roma abſentem (& cum cuius bona venia hæc interſcribo) cùm ille liber primò prodiret, ita loquitur: *Multum progreſſus iam ſum in lectione Hiſtoriæ Concilij à P.Sfortia Pallauicino conſcripta. Dici ſatis non poteſt pretium huius operis, nec obligatio, quam pro illo profiteri Auctori debeat, cum tota Eccleſia Dei, quilibet bonus Eccleſiaſticus. Tenuit ille viam, quæ ſola potuit & debuit teneri, ad detrahendam omnem fidem Fr. Paulo. Sed cum quanta dignitate? quali doctrina? quali eruditione? quali eloquentia? qualibus notitijs? quanta perſpicacitate ingenij? quanta profunditate & maieſtate iudicij? quanto candore veritatis ad obligandum ſibi legentium intellectum? quanta cum honeſtate? vtilitate? & iucunditate ad deuinciendam voluntatem? Non poterit vnquam vllus eſſe qui iuſtè renuat condemnare Soauium tamquam mendacem, Impoſtorem, Impium, Atheum; quia nullus erit, qui non debeat agnoſcere illum de his omnibus conuictum. In debellando tam atroce hoſte Eccleſiæ Romanæ ſuperauit ſe ipſum P.Sfortia, quamuis in omni genere ſit perfectiſſimus, nec aliud mali in hoc opere inuenio, quàm quod Fr.Paulus à nimis magno, & inſigni antagoniſta profligetur.* Hæc ille Sapientiſſimus Cardinalis & alia his affinia, quæ breuitatis ſtudio prætermitto. Edidit Cardinalis Pallauicinus Italicè

Hiſtoriam Concilij Tridentini, confutando falſam Hiſtoriam eiuſdem Concilij publicatam ſub nomine Petri Soauij Polani. Romæ typis Angeli Bernabò 1656.& 57.duobus Tomis in folio. Recognita poſtea eſt ab Auctore, & recuſa Romæ 1665. tribus voluminibus in 4.Latinè verſa eſt à Noſtro Ioanne Baptiſta Giattino,& excuſa Antuerpiæ 1672. tribus voluminibus in 4. In Epitomen redacta à Reuerendiſſimo P.Caliſto Puccinelli Seruitarum Generali.

De Bono Lib. 4. Romæ typis Corbelletti 1644.in 4. qui Tractatus latinè redditus prodijt Coloniæ *ſub titulo Philoſophiæ Moralis P. I.* apud Ioannem Kinchium 1646.in 4.

De Stylo & Dialogo. Romæ typis Corbelletti 1646. in 12. Recuſus tertiò, cum auctario ibidem typis Maſcardi 1662.in 12.

Artem perfectionis Chriſtianæ in tres libros diſtinctam. Romæ apud Iacobum Anton.Celſum 1665.in 8. tacito ſuo nomine edi permiſit à ſe compoſitam.

Hermenigildum Tragædiam in Seminario Romano recitatam. Romæ apud Hæredes Corbelletti 1644.in 12.

Faſtos Sacros Carmine Hetruſco edebat ante aditam Societatem ſed abrupit ingreſſurus.

Epiſtolas varias Cardinalis collegit, & vno volumine vulgauit. Ioan.Bapt.Galli Pauarelli Romæ apud Angelum Bernabò 1668.in 8.

Latinè ante ingreſſum in Societatem edidit

Aſſerta de Vniuerſa Philoſophia defenſa à ſe in Collegio Romano. Romæ 1625. in folio. Compoſita à P.Vincentio Aranea ſuo Præceptore.

De Vniuerſa Theologia poſt Theologicam lauream, publicè à ſe aſſerta in Collegio Romano Libros IX. Romæ typis Franciſci Corbelletti 1628 infolio.

Poſt ingreſſum in Societatem vulgauit

Vindicationes Societatis Ieſu, quibus multorum accuſationes in eius Inſtitutum refelluntur. Romæ typis Manelphi 1649.in 4.

Aſſertionum Theologicarum Libros VIII. in V.volumina diſtributos. Romæ typis hæredum

Corbelletti annis 1649. & tribus ſequentibus in 12.

Diſputationum in Primam Secundæ S.Thomæ Tom.I. Lugduni ſumptibus Philippi Borde, & Soc. 1653. in folio.

SIDRONIVS HOSSCHIVS natione Belga, patria Markemienſis Diœceſeos Iprenſis natus anno ſæculi ſuperioris 96. Societati ſe adiunxit vertentis 16. & vota 4. nuncupauit. Humanioribus diſciplinis inſigniter eruditus, quinquennio eas in Scholis publicè profeſſus eſt, & 13. annis imbuit eis Noſtros Iuniores, & biennio Ephebos Sereniſſimi Archiducis Leopoldi Guilielmi Gubernatoris Belgij. Conciones etiam habuit annos aliquot. Vir profundiſſimæ demiſſionis & contemptus ſui, humile & paſtoritium genus, quo ortus fuit, iucunde ſolebat domi foriſque commemorare, non ſecus, ac familiæ ſuæ decora, ac ſtirpis ſplendorem. In Tirocinio cùm perpetuo corporis languore afnigeretur, videreturque non ſatis aptus ad Societatis munia, ideoque ad ſuos remittendus, ſummopere contendit, vt in domeſticorum Adiutorum ordinem potiùs adſciſceretur, quàm à Societate amandaretur. Retentus itaque eſt magno ſuo ac Societatis bono. Moderatoribus ſuis ad nutum fuit ſemper obſequentiſſimus, & ad quoſuis labores diurnos iuxta, ac nocturnos promptus. In obeundis pietatis exercitationibus ſedulus, ac conſtans, nocturnæ eripiebat quieti, ſi quid ad eas temporis interdiu defuiſſet. Chriſti patientis myſteria, in horas ſingulas deſcripta ſecum commentando reuoluebat. Ad ſolemnes Sacerdotum preces adiungebat quotidie illas de illibato Conceptu Deiparæ Virginis, de cuius laudibus & cultu frequens fuit illi ſermo. Hinc fiducia quoque in illam plane eximia. Depoſitus erat, & extremis Sacris rite munitus, quando vouit carmen Deiparæ, ſi ſanitatem redderet. Reddidit illa, & promiſſum carmen (quod typis etiam excuſum eſt) ad Seruatricis aram venerabundus appendit. Religioſæ paupertatis ſtudio itinera bene longa ſemper conficiebat pedes, ſæpe etiam ieiunus. Egenorum, ac pupillorum fautor, ac pater; ex merito habebatur. Demum Tungris dum præeſſet Noſtris mortalitatem exuit die 4. Septembris 1653. Elegantiam carminum eius maximi fecere doctiſſimi quique, ſed præcipue Alexander VII. Pont. Max. dum Nuncij Apoſtolici munus ad Rhenum obiret. Ideòque defuncti funus, à Palatinis diuerſis domeſticis ſuis carmine (quod impreſſum quoque eſt) iuſſit celebrari. Scripſit Sidronius

Elegias IV. quibus Gandam inducit Excellentiſſimo Franciſco de Moncada Aytonæ Marchioni loquentem, Antuerpiæ typis Plantinianis 1635. in 4.

Elegiam I. ad Sereniſſimum Ferdinandum Cardinalem Infantem Gratulatoriam, quæ exſtat in Triumpho Guilielmi Becani.

Poemation aliud in laudem Matthiæ Caſimiri Sarbieuij, quod exſtat in Epicithariſmate à Belgis Poëtis ipſius Lyricis adiuto.

Elegiarum Libros VI. De curſu Vitæ humanæ; De Chriſto patiente; De lacrymis S. Petri; Sereniſſimo Leopoldo vota; & alijs de argumentis. Antuerpiæ ex Officina Plantiniana 1656. in 8. & 1657. in 12.

SIGISMVNDVS ERNHOFFER natione Germanus, patria Monachienſis. Vix ex Ephebis exierat, cùm noſtrum Inſtitutum arripuit Monachij anno Domini 1562. & in Auſtriam miſſus, ibi tirocinium abſoluit, & in varijs miniſterijs laudate perſeuerauit, votorum 4. profeſſus, vſque ad mortem quam Græcij obijt die 28. Maij 1597. Scripſit opuſcula aliquot Germanicè contra Hæreticos nempe

Protheum Lutheranum. Ingolſtadij 1587. in 8.

Minorem Catechiſmum cum figuris ex Lutheri ſcriptis. Vvittembergæ excuſis eductum. Ibidem 1587. in 8.

Defenſionem minoris Catechiſmi contra Guilielmum Zammerman, & Iacobum Herbrandum Prædicantes. Ibidem 1588. in 8.

Conſiderationes ſuper Poſtilla Danidis Donners Prædicantis in Styria.

* SIGISMVNDVS LAVXMIN natione Polonus, patria ex Samogitia, vndeuicennis Societatem amplexus eſt anno ſalutis 1616. & 4. in ea vota nuncupauit. Docuit diſciplinas manſuetiores, & Rhetoricam ſeptennio, & Præfecturam ſtudiorum geſſit quadriennio, magna ſemper cum laude, & vtilitate auditorum. Gubernauit Collegia Polocenſe, Plocenſe, Crozenſe, & Viceprouincialis totam Prouinciam Lithuaniæ. Electus à Prouincia bis adijt Romam ad Congregationes Generales decimam, & vndecimam. Vir eximiè humilis cùm in magna auctoritate apud omnes eſſet ob munia geſta, & doctrinam, non dubitauit demittere ſe ad docendos pueros Cantum Gregorianum, & ad infima officia Caritatis. Tandem maturus cælo, & 4 annis ſeptuagenario maior quieuit in Domino. Vilnæ die xi. Septembris 1670. Edidit latine

Demonſtrationem Catholicæ Eccleſiæ ex certis à prima ſui origine notis. Vilnæ typis Academicis 1645. in 12.

Praxim Oratoriam & præcepta artis Rhetoricæ. Braunſbergæ 1618. in 12.

Epitomen Inſtitutionum linguæ Græcæ. Vilnæ typis Academiæ 1655. in 12.

Artem & praxim Muſicam. Typis iiſdem 1667. in 4.

Orationem de S. Caſimiro Regni Poloniæ, & Lithuaniæ Patrono. Vilnæ typis Academicis 1635. in 4.

Polonicè edidit

Orationem à ſe habitam in funere Staniſlai Dzievvoltovvski Dapiferi Caunenſis. Vilnæ 1653.

* SILVESTER MAVRVS natione Italus, patria Spoletinus, natus anno ſæculi fluentis

tis 19. Societati nomen dedit 1636. & ſolemni votorum 4. Sacramento ſe adſtrinxit. Poſt tractatas diſciplinas humaniores, Philoſophiam partim Maceratæ, partim Anconæ ſexennio profeſſus eſt. Ethicam annis aliquot, Theologiam Scholaſticam iam ab annis 17. in Romano Collegio docet magna doctrinæ commendatione. Edidit hactenus

Quæſtionum Philoſophicarum Libros V. in totidem diſtinctis voluminibus. Romæ 1658. & iterum cum auctario typis Michaelis Herculis 1670. in 8.

Ariſtotelis Opera omnia cum Paraphraſi & Indice copioſiſſimo Tomis VI. in 4. Romæ typis Angeli Bernabo 1668.

SILVESTER NORITIVS natione Anglus, patria Somerſetenſis, cùm in Collegio Anglicano Romæ dediſſet operam Theologiæ circa annum Domini 1590. & poſtmodum lauream Doctoralem cepiſſet, Societatem anno 1606. ætatis 35. Romæ ingreſſus eſt, & in ea votorum 4. profeſſionem emiſit, Londini 1618. Theologiam docuit, Sacras litteras explicuit, ſtudijs præfuit, Conciones habuit, & miſſus in Vineam Anglicanam per 20. annos cultor illius inſignis fuit, religioſeque ibidem deceſſit die 16. Martij 1630. Edidit Anglicè præſcriptis ſui nominis litteris initialibus S.N.

Antidotum Controuerſiarum contra Sectarios, Opus perutile & eruditum. Audomari 1618. & 1621.

Appendicem dicti Antidoti de ſucceſſione in Eccleſia Catholica. Londini 1621. in 4.

Ducem fidei contra Sectarios. Londini 1621 in 4.

Pſeudo-Scripturiſtam Partibus II. 1623. in 4.

Veram Narrationem priuati colloquij habiti inter M. Smithæum ſeu Noritium, & M. Valkerum 1624. in 4. ſine vllo indicio ſui nominis.

SILVESTER PETRASANCTA natione Italus, patria Romanus, natus exeunte anno 1590. Vir omni genere litterarum tum mitiorum, tum ſeueriorum inſtructus, & vt Erycius Puteanus in vindicijs Circuli Vrbaniani cum ſalutat, *caleſtis ingenij, æternæque eruditionis vir*, ab ineunte ætate Deo ſeruire cupiens, & ſæculi ſyrtes deuitare, in Societatem tamquam in portum ſe recepit reluctantibus licet parentibus diu, & ſpe honorum filium auertere conantibus; ſed fruſtra; ipſos tandem in ſua vota pertraxit, atque ita admiſſus in Tirocinium eſt die vltimo anni 1608. Humaniores litteras docuit triennio; Philoſophiam explicuit Firmi in Piceno, vbi Illuſtriſſimus Petrus Aloyſius Carafa, tunc Vrbis illius Pro-Gubernator, poſtea S.R.E. Cardinalis, ſuauitate morum, & doctrina illectus, ipſum ſibi Confeſſarium, & Comitem itineris ſuſcipiendi Coloniam ad munus Nuncij Apoſtolici poſtulauit, detinuitque penes ſe toto tempore quo ijs in Regionibus eſt commoratus. Profeſſionem votorum 4. emiſit in manibus eiuſdem Nuncij anno 1626. & demum redux in Italiam Collegium Lauretanum gubernauit. Romæ Sodalitium Nobilium in Domo Profeſſorum ita adminiſtrauit, vt Illuſtriſſimorum illorum Sodalium animos ſibi mirificè deuinxerit. Quinquennio ante obitum cœpit acerbis calculi doloribus torqueri, quos tamen ſingulari animi fortitudine tolerauit, ſemper inter eos aut legens, aut ſcribens, aut aliquid vtiliter operans, donec ex Medicorum conſilio ſecta veſica, extracti ſunt ei lapides grandiuſculi ſex, ſinguli magnitudinis oui columbini, cum ſtupore omnium. Ipſo die inciſionis P. Silueſter incruentum Deo obtulit Sacrificium, atque in eo ſeipſum, ſiue ad mortem ſiue ad vitam longiorem, æqualiter paratum. Sed placuit Deo maturum iam cælo, euocare ad ſe atque ita ſuperueniente ſectioni febriculà, & Sacramentis ritè communitus ærumnoſam hanc vitam felice morte concluſit. Romæ die 8. Maij 1647. Vir mitiſſimi ingenii, mire affabilis, ſemper præſto omnibus, varia eruditione excellens, ſui tamen negligens, nec quidquam ab vllo poſtulans; Præclarum de eo texuit Elogium Ianus Nicius Erythræus in Pinacotheca III. de Viris illuſtribus capite 23. quem, qui plura de eo cupit, conſulere poterit. Edidit

Vitam Roberti Cardinalis Bellarmini è Societate Ieſu ex Italico Iacobi Fuligatti, cultiſſimo ſtylo latinè expreſſam; cum aliquo auctario. Leodij typis Ioannis Ovverx 1626. in 4. & correctius Antuerpiæ ex Officina Plantiniana Balthaſaris Moreti 1631. in 8.

Sacras Bibliorum Metaphoras, & ex ijs documenta morum Centuriam I. Coloniæ per Ioannem Kinchium 1631. in 4.

Opera Omnia P. Edmundi Campiani è Societate Ieſu adiunctis quibuſdam nunquam antea excuſis. Antuerpiæ typis Plantinianis Moreti 1631 in 8.

Notas in Epiſtolam impiam, & Hæreticam Petri Molinæi Miniſtri inter Hugonotos Galliæ non infimi. Antuerpię typis Plantinianis Moreti 1634 in 8.

Apologiam pro dictis Notis aduerſus Andream Riuetum Miniſtrum in Hollandia, qui eas carpſit, cui titulus *Caluinianus Verbero,* & in eum *Vindiciæ vapulares Laureti.* Typis Pauli Seraphini 1639. in 4.

Teſſeras Gentilitias, ex legibus Fetialium deſcriptas. Romæ typis Corbelletti 1638. in folio

De Symbolis Heroicis Lib. IX. adiunctis iconibus æri inciſis. Antuerpiæ typis Plantinianis Balthaſ. Moreti 1634. in 4.

Thaumaſia veræ Religionis contra perfidiam Sectarum Tom. I. De Miraculis comparatis veteris, ac noui Teſtamenti. Romæ apud tres Pilas aureas 1643. in 4.

Tom. II. De Ritibus Eccleſiæ per Miracula confirmatis. Romæ typis Maſcardi 1646. in 4.

Tom.

Tom. III. De Miraculis perpetuis Eccleſiæ Catholicæ. Romæ typis poſthumis Maſcardi 1655.in 4.

Vitam Gregorij X. Pont.Max.ex Italico Latinè redditam, Typis iiſdem 1655.in 4.

Explicationem breuem Litaniarum B.Virginis. Italice Romæ ad tres Pilas aureas 1643. in 12.

Inter hæc molienda edidit

Orationem Funebrem habitam ad Vrbanum VIII. Pont. Max. dum Iuſta exequiarum Ferdinando II. Auſtriaco Electo Imperatori perſoluerentur. Romæ typis Franciſci Corbelletti 1637. in 4. Eam ipſe vna nocte coactus eſt parare.

Et tacito ſuo nomine, dedicante Lælio Seruilio.

Iter Fuldenſe, ad Viſitationem eius Cænobij, &

Iter Moguntinum Petri Aloyſij Caraſæ Nuncij Apoſtolici ad Electionem Archiepiſcopi Moguntini. Leodij typis Ioan. Ovverx, hoc 1629. in 4. illud 1627. in 4.

Parauerat prælo *Romam Piam*, & *Triumphum Religionis Catholicæ aduerſus Sectarios*, ſed morte præoccupatus non emiſit.

SIMON BERENT natione Prutenus in Societatem anno Chriſti 1600. ætatis 15. ingreſſus, quatuor in ea vota profeſſus eſt, & facultates propemodum omnes docuit, Humaniora, Philoſophiam, Matheſim, linguam Sanctam, Theologiam Moralem, Controuerſiam, Scholaſticam; Sereniſſimo Principi Poloniæ Alexandro Sigiſmundi III. Regis filio, fuit à Sacris Confeſſionibus, cumque ad exteras nationes Germaniæ, & Italiæ eſt comitatus. Conciones ad populum multis annis habuit; Seminario Pontificio Brunsbergæ ſexennio præfuit. Paupertatis Religioſæ apprimè amans fuit. Demum ex longa hydropiſis infirmitate, multis meritis cumulatus migrauit ad Dominum Brunsbergæ die 16. Maij 1649. Muſices inſigniter peritus edidit tacito ſuo nomine.

Opera duo Muſicalia in 8. Litaniarum de Nomine Ieſu, & Lauretanarum de B.Virgine Maria. 1638. & 1639.

* SIMON LE BOSSV natione Gallus, patria Pariſinus, Societatem amplexus anno ſæculi voluentis 24. ætatis ſuæ 18. votorum 4. profeſſionem edidit. Rhetoricam, & amœniores diſciplinas ſexennium docuit, & multis annis Eccleſiaſten vtiliter egit. Exceſſit ex hac vita vir apprimè religioſus, Pariſijs die 3. Martij 1665. Edidit Gallicè

De Vſu Gratiæ volumina tria. Pariſijs apud Florentinum Lambert 1659. in 4.

Horarias preces ſæpiſſimè excuſas.

Latinè vulgauit

Xenia Delphino, nomine Vrbis Pariſienſis. Pariſijs apud Fredericum Leonardum 1662. in 4.

Orationem Funebrem de D. Pomponio Bellieuræo Galliarum Senatus Principe. Gallice Pariſijs typis Cramoiſianis 1657. in 4.

SIMON FELIX, natione Germanus, patria Monachienſis. Vir magno ingenio & doctrina anno ætatis 17. reparatæ ſalutis 1600. ingreſſus in Societatem, poſt traditas humaniores litteras, Philoſophiam docuit Ingolſtadij triennio, Theologiam Moralem ſexennio, Polemicam ſeptennio, Scholaſticam annis 17. Conciones habuit magna facundia annis 13. In omni genere litteraturæ ita verſatus eſt, vt quodcumque tractaret, præter eximiam claritatem, doctrinam afferret neruo, & rationum momentis plenam. Eius calamum formidabant Hæretici, ab eo ſæpiùs impugnati; modeſtiam ſuſpiciebant Catholici, qua factum, vt pauca prælo commiſerit, nihili æſtimans ſua. Fuit conſcientiæ teneræ, animi ſinceri, in omnes comis, nihil eximium affectans, ad nutum Superiorum factus, & præcipuis Societatis viris accenſendus; religioſè denatus eſt in patria, Monachij die 26. Februarij 1656. Edidit

Metamorphoſim Iacobi Reihingi Catholico-Lutherani. Dilingæ apud Vdalricum Rem 1622. in 8.

Muſcas morientes inanium Cauillorum Iacobi Reihingi Apoſtatæ Tubingenſis exſufflatas. Friburgi Briſgoiæ 1624. in 4.

Vulpeculam Tubingenſem demolientem Vineam Eccleſiæ Chriſti captam. Dilingæ 1622. in 8.

SIMON GVRSKIVS vel GOSSIVS, natione Polonus, patria Maſouita admiſſus in Societatem anno Domini 1589. ætatis ſuæ 21. vota 4. emiſit. Docuit Rhetoricam, Philoſophiā, & ſeptennio Theologiam Scholaſticam; Naturę conceſſit. Varſauię die 19. Ianuarij 1616. Scripſit Polonicè pro P. Petro Scarga

Manifeſtationem impudentiæ Arianorum. Cracouiæ 1608. in 4.

SIMON NICOVIVS natione Polonus, patria ex Oppido Lobzencin in Polonia Maiore, Philoſophicis diſciplinis inſtitutus, atque laurea Magiſtrali donatus anno ſalutis 1575. ætatis 20. Societatem noſtram amplexus eſt Romæ. Vir raræ virtutis, candidus, humiliſque; Superior fuit in Miſſione Suecica, & Catherinæ Iagelloniæ Reginæ Sueciæ à Concionibus quadriennio, poſt cuius mortem è Suecia redux, idem concionandi munus diu exercuit. Migrauit ex hac vita Cracouiæ die 11. Septembris 1591. Vertit in linguam Polonicam

Martyrologium Romanum Gregorij XIII. iuſſu editum, & Sanctorum vitas, quæ extant in Breuiario Romano.

* SIMON DE VASCONCELLOS natione Luſitanus, patria Portugalenſis, adſcriptus Societati, Bahyæ in Braſilia anno ſalutis 1616. ætatis 19. votorum 4. profeſſionem emiſit. Docuit ibidem Humaniores litteras, Philoſophiam, Theologiam Scholaſticam, & Moralem.

lem. Fuit Magiſter Nouitiorum, Rector Collegij Bahienſis, & totius illius Prouinciæ moderator. A Congregatione Prouinciali electus Procurator Romam profectus eſt. Vir apprime religioſus, & diſciplinæ regularis, vt in ſe obſeruans, ita ab alijs diligenter exigens. Demum ſeptuagenario maior, dum Collegium Fluminis Ianuarij moderaretur vitam hanc caducam cum æterna commutauit anno 1670. Edidit Idiomate Luſitanico

Vitam P. Ioannis de Almeyda Societatis Ieſu Prouinciæ Braſiliæ. Vlyſſipone typis Craesbechianis 1658. in folio

Chronicon Societatis Ieſu in Prouincia Braſiliæ. Vlyſſipone, typis Henrici Valentis 1663. in folio

Vitam P. Ioſephi Anchietæ, Luſitanicè, Vlyſſipone, typis Ioannis de Coſta 1672. in folio.

* SIMON VGNIEVVSKI natione Polonus, ex Maſouia, nobili genere natus, Societati ſe addixit vicennis anno ſalutis 1604. & votorum 4. nuncupatione ſe obligauit. Docuit Oratoriam, & linguam Sacram. Rexit Collegia Pultouienſe iteratò, Pinſcenſe, & Vilnenſe; Concionatorem diu egit, & a Comitijs Prouinciæ electus Procurator Romam adijt. Pollebat prudentia ſingulari in regimine iuuentutis, & demum poſt diuturnos dolores à podagra magna æquanimitate fortiter toleratos, quieuit in Domino Vilnæ die 11. Octobris 1647. Dum doceret Rhetoricam, vulgauerunt diſcipuli lucubrationem ab ipſo ſcriptam ſoluta & vincta Oratione, hoc titulo

Mors Ieſu Chriſti, à Rhetoricæ Auditoribus in Academia Vilnenſi Societatis Ieſu deplorata. Vilnæ typis Ioſephi Karkan 1615. in 4.

Edidit Polonicè collectum à ſe ex antiquis monumentis

Vitam S. Ladiſlai Regis Hungariæ 1630. Recuſam Vilnæ typis Academicis 1664. in 4. Præterea

Gratulatorias Orationes, & Carmina varia.

* SIMON VVANGNERECKIVS, natione Germanus, patria Monachienſis, natus anno ſæculi fluentis v. Societatem inijt xx. & Spiritualium Adiutorum vota emiſit. Eloquentiam nouennio profeſſus eſt, Græcis Latiniſque litteris inſigniter excultus. Numiſmatum etiam antiquorum peritia excelluit, & priſcorum Romanorum nummos inter Cimelia Sereniſſimi Electoris Bauariæ reconditos commentario illuſtrauit. Hinc ad ſimilem operam præſtandam in gaza Cæſarea euocatus ab Auguſtiſſimo Imperatore Ferdinando III. peritiæ ſuæ præſtantiam argumentis multis comprobauit, & ad colloquium de litteris cum ſua Cæſarea Maieſtate non rarò eſt accerſitus. Tandem fracta varijs morbis valetudine, & multis tolerantiæ exemplis ad imitationem relictis, piè in Domino conquieuit. Viennæ die 16. Martij 1657. Edidit

Pietatem Marianam Græcorum, ex duodecim Tomis Menæorum, & ſeptem reliquis Græcæ Eccleſiæ voluminibus, depromptam. Part. I. Monachij typis Lucæ Straub 1647. in 12.

SIMON VVYSOCKI natione Roxolanus, ſeu Rhutenus in Pocucia, in pago Kurzang nobilibus parentibus natus, anno 1542. à matre vidua ad omnem pietatem educatus eſt. Religioſam vitam præter ſuorum voluntatem, iam tum adoleſcens adamauit, quibus vt ſpem omnem præcideret ad militiam, quod cogitabant, eum diſtrahendi, ſacro Diaconatus ordine ſe clam ipſis annos natus 22. curauit initiari. Dubius quam in familiam Religioſorum ſe daret, Petrum Scargam Canonicum etiam tum Leopolienſem, quo vtebatur Confeſſario adijt, conſulturus. Is Numine per preces implorato, iuuenem inuitat, vt vnà ſecum Romam, atque ad Societatem Ieſu, quam nondum audierat, vadat. Rebus compoſitis dant ſe in viam, & anno ſalutis 1569. à S. Franciſco Borgia Præpoſito Generali, vterque ad Tirocinium admiſſus eſt. Eo exacto, & Theologia Morali & controuerſa inſtitutus Simon, remiſſus eſt in patriam, Sacerdotio antea initiatus, vbi Concionibus habendis, & audiendis Confeſſionibus, indefeſſam operam maximo fructu multis in locis impendit; nam incenſa dictione ſua multorum animos ad fidem Catholicam, & ad pietatem colendam inflammauit. Pluribus locis Noſocomia pauperibus excipiendis curauit excitari, ex quo Patris Pauperum appellationem ſortitus eſt. Exſtant ea hodieque Poſnaniæ, Vilnæ, Lublini, magno multorum bono. In Sueciam ſecutus eſt Sereniſſimam Catharinam Ioanni Regi deſponſam, eiuſque aulam octo annos pietatis officijs excoluit; nec pars fuit minima continendi in Catholica Fide Sigiſmundi Principis, qui Poloniæ Rex III. eius nominis demum fuit, ſemper pius, ſemper felix: nec veritus eſt conſtantiſſimo vultu Reginam aliquando grauiùs verbis caſtigare, quòd viſa eſſet in gratiam Regis mariti indulgentiùs ſe habuiſſe cum Principe, ſolemni Comitiorum die, paſſa vt adiret Parentem à quo accerſebatur, quo tempore Concioni Hæreticæ dabat operam. Romæ aliquantò poſt Pœnitentiarium egit, & plurimis libris Polonicè translatis multùm ſuæ genti profuit. Biennio calculi, & ſtranguriæ doloribus exercitus quos patientiſſimè tolerauit, tandem quod Deum ſæpe rogauerat, poſt S. P. N. Ignatij Canonizationem, & breuem quinque dierum decubationem, Sacramentis rite munitus exceſſit è vita Cracouiæ die 12. Iunij anno ſalutis 1622. ætatis 79. ex quibus tranſegerat 55. in Societate & profeſſus trium votorum, quæ concepit quando Sacerdos factus eſt. Ingens concurſus ad funus ipſius fuit, & magna comploratio, ſtudiumque aliquid pro reliquijs, vel de floribus more gentis cadaueri inſperſis decerpendi. Reddidit Simon Vvyſocki Polonicè

Hieronymi Plati de Bono Status Religioſi Lib.

Lib. III. Caliſij 1606. in 4.

Domitij Plati diſcurſus de Paſſione Domini, quos inſcripſit *Mare rubrum*. Cracouiæ 1615. in 8.

Lucæ Pinelli de Perfectione Religioſa Lib. IV Cracouiæ 1607.

Eiuſdem de Sacra Euchariſtia, quem inſcripſit. Arcam Monſtrantiam 1601. in 12.

Franciſci Arias de Imitatione B. Virginis, Roſarium, & de præſentia Dei.

Iacobi Aluarez de Paz de Vita Religioſè inſtituenda.

Fuluij Androtij Meditationes de Paſſione Domini.

Ioannis Buſæi Enchiridion Meditationum, quod inſcripſit *Nouum Paradiſum animæ.* Cracouiæ 1608. in 8.

Ioannis Maioris Speculum magnum Exemplorum, quod cum primo prodijſſet in 4. poſtea coniunxit cum

Antonij Dauroultij Catechiſmo Hiſtoriali, ediditque in folio Cracouiæ.

Thomæ de Kempis de Imitatione Chriſti Libros IV.

Franciſci Auila, Exercitatorium Animæ. Cracouiæ 1608. in 8.

Ludouici Granatenſis ſpeculum hominis Chriſtiani.

Theſaurum Spiritualem, ſeu Repoſitorium Theſauri.

Baſilij Gradi Epiſcopi Stagnenſis Palmam Virginum, ſeu Tractatum de Statu Virginum. Caliſſij 1607. in 8.

Portam Cæli.

De Statu Viduali.

Hortulum Spiritualem Animæ cum 30. doctrinis, & XII. priuilegijs piorum hominum.

Methodum Confitendi pro his, qui frequenter Sacramenta vſurpant.

Concionem de Purgatorio in funere Ducis Slucenſis.

Vitam S.P.N. Ignatij ex poſtrema Petri Ribadeneira.

Vitam B. Aloyſij Gonzagæ è Soc. Ieſu.

Vitam S. Catharinæ Senenſis.

Vitam Catharinæ Vvapovvski piæ memoriæ. Caliſſij 1606. in 8.

De ſex Martyribus Iaponicis.

Hiſtoriam Sinenſem duorum annorum.

Vitam Ioannis Caluini Hæreſiarchæ ex Hieronymo Bolſeto.

Tabulas præterea varias diſperſit perutiles, nimirum

Speculum Religioſorum.

Puncta Paſſionis Dominicæ.

Alphabetum Spirituale.

Doctrinam de Aqua Benedicta.

SOCIETAS IESV *in Prouincijs S.C. Maieſtatis conſtituta,* in eas primo aduocata eſt à glo: mem. Ferdinando Primo Romanorum Rege, viuente S.P.N. Ignatio, & erecto Collegio Viennæ Auſtriæ, anno reparatæ ſalutis 1551. poſtmodum altero fundato Pragæ ab eodem Ferdinando anno 1555. progreſſu temporis, & incomparabili pietate Cæſarum illius Succeſſorum, in eam prouecta eſt amplitudinem, vt nuſpiam toto orbe terrarum fuerit magis dilatata. Nam ſola Prouincia Auſtriæ numerat hoc anno 1674. dum hæc ſcribo Socios ſupra mille centum & quadraginta, in Collegia, & Reſidentias quadraginta, & octo diſtributos, & Prouincia Bohemiæ ad mille & viginti quatuor in Collegijs & domicilijs triginta quinque præter Collegia, quæ Societas habet ſub Sua Maieſtate Cæſarea in Comitatu Tirolenſi, in Alſatia & Briſgoia. Edidit Societas in his Prouincijs

Neceſia D. Maximiliano II. Rom. Imper. S.A. Viennæ 1577. Edidit ſeparatim Prouincia Bohemiæ tacito ſuo nomine

Heroum Chriſtianorum 18. Spectacula in Amphitheatrum Honoris Ferdinandi Regis Hungariæ, Bohemiæ, & Romanorum IV. Pragæ, typis Academicis 1653. in folio

SPIRENSE COLLEGIVM in Prouincia Rhenana Superiori, in Vrbe Imperiali, & celebri à ſupremo Dicaſterio S.R. Imp. exordia ſua, & fundationem debet eximiæ pietati, Reuerendiſſimi Capituli, & Canonicorum, qui anno 1567. Concionatores de Societate, & Magiſtros, qui iuuentutem bonis litteris, ac pietate imbuerent acceſſiuerunt, & poſtea contra varias Heterodoxorum impugnationes, & calumnias, mira conſtantia tutati ſunt, & demum vna cum Celſiſſimo Epiſcopo, Scholas & Collegium exædificarunt. Docentur in eo quinque Claſſes Humaniorum litterarum cum Dialectica, & Theologia Morali, & frequente concurſu Auditorum. Edidit

Gratulationes Reuerendiſſimo & Illuſtriſſimo Principi, Philippo Chriſtophoro, electo Spirenſi Epiſcopo. Moguntiæ typis Ioannis Albini 1611. in 4.

Lunam Regalis Sacerdotij, oblatam Reuerendiſſimo D. Cathedralis Spirenſis Decano. Spiræ typis Georgii Bavvmeiſter 1628. in 4.

Spirenſis Infulæ gloriam, ſiue Dotes X. Spiritus Principalis oblatas Illuſtriſſimo Lothario Friderico electo Epiſcopo Spirenſi. Spiræ 1652 in 4.

Sacra inaugurationis inſignia oblata eidem Illuſtriſſimo Epiſcopo, in die inaugurationis. Moguntiæ typis Nicolai Heyll 1656. in 4.

STANISLAVS GRODICIVS ſeu GRODZICKI natione Polonus, patria Poſnanienſis, nobili gente ortus, poſt nauatam Philoſophiæ operam, mercaturæ ſe totum ſeptennium impendit. Inde rurſus ad ſtudia atque ad certas vitæ rationes ineundas, cogitatione conuerſa, Romam profectus eſt, quo tempore cum B. Stanislai funeri adfuiſſet, Societatis ineundæ conſilium ſuſcepit. Igitur accepta prius de Superiorum voluntate, Theologici Doctoris laurea, in Tirocinium admiſſus eſt pridie Calendas Aprilis anno 1571. ætatis 29. Iam

Iam tum in Tirocinio iis virtutibus claruit, quæ illum ad opinionem proueherent multæ olim ſanctitatis; quo nomine Claudius Aquauiua, tum etiam Tiro, poſtea verò Præpoſitus Generalis, ſingulari cum beneuolentia complexus eſt, & in magnis viris ſemper habuit. Roma venit in patriam, quo tempore Lithuania propè vniuerſa præceps ruebat in Hæreſim, ſtudio nouitatis, quam illi ſub ſpecie Euangelii proponebant Sectarii. Eos vbi de periculo P. Stanislaus admonuit, & ſingulari eloquentia, eximia eruditione, vitæ probitate conciones inſtituit, ad eum audiendum magna animorum conuerſio facta eſt. Tunc enimuero facile illi fuit aduerſa conuellere, legitima firmare, tantùmque dicendo, & ſcribendo effecit, vt vulgò Lithuaniæ Apoſtolus audiret. Vilnę complures annos Theologiam docuit, magno ingenii eruditioniſque præconio, & quam concionando fidem aſſeruerat, ſcriptis pro re nata Commentariis defendit. Incomparabili ſedulitate Diuinis muneribus excipiendis ſe comparabat. Singulare Sacerdotibus beneficium quotidiani Sacrificii nunquam ſatis demirabatur, ideoque poſt Sacrum horam ipſe ſolidam in gratiarum actione ponebat. Summum fuit in eo ſtudium demiſſionis. Domi cum fratribus Coadiutoribus erat omnis fere ei conſuetudo. Multis precibus, ac lacrymis inſtitit apud Superiores, ne cogeretur Noſtris præeſſe, & quando id vitare non potuit, nam Pultouiæ, Iaroslauiæ, Poſnaniæ, Cracouiæ, ipſos annos 18. Rector, aut Superior fuit, inſtitit ſemper, vt eo onere leuaretur. Contumelias, & iniurias in Chriſti cauſa, vti auidiſſime appetebat, ita oblatas accipiebat alacriter. Publica vrbis via tranſeunti hæreticus puer os fœdiſſime conſputauit, quod ille æquo animo, placidòque vultu tulit; & matronam Catholicam, quæ iniuriam vltum ibat, & concurrente vicinia tumultuandi fere cauſa fuerat, ſupplex rogauit, vt ſui, ac honoris Diuini cauſa deſiſtat, cum ſibi nihil honorificentius eſſe poſſit, quam pro Chriſto qualem qualem iniuriam tolerare; qua denuntiatione, & mulierem compoſuit, & tumultum. His ſimilibuſque ſtudiis ad maxima quæque decora ſe prouehentem, mors excepit Sacramentis & accuratiſſima præparatione munitum Poſnanię die 4. Martii anno ſalutis 1613. ætatis 72. Religionis 43. ab emiſſa profeſſione 4. votorum 27. Scripſit Grodicius Polonicè

Conciones VI. de Vſu Sacramenti Euchariſtiæ ſub vtraque ſpecie.

De emendatione Calendarij Gregoriani Conciones duas.

Regulas Fidei Hæreticorum: quibus demonſtrat Hæreſiarchas non Sacram Scripturam, ſed ſui cerebri ſomnia pro regulis habere.

Conciones duas de Purgatorio, quas habuit Vilnæ in duorum Principum exequiis.

Trutinam Pſychoſophiæ contra Miniſtrum Caluinianum pro ſuis Concionibus de Purgatorio 1592.

Euangelium, ſeu Dialogos duos, quibus probat ex ipſorum principijs, Hæreticos non eſſe Euangelicos. Latinè vero ſcripſit

Concionum Tomos VIII. pro Dominicis, & feſtis totius anni quadripartitos pro ſingulis conciones adferens. Craconiæ, Ingolſtadii, Coloniæ ab anno 1605. & deinceps prodierunt in 8.

Conciones de probandis ſpiritibus per Miſſionem Ordinariam. Cracouiæ typis Nicolai Lob. 1607. in 8.

STANISLAVS KIZYNOKOLSKI natione Polonus, patria Cracouienſis priuſquam veniret ad Societatem publicè in Academia Cracouienſi Rhetoricam, Mathematicam, Coſmographiam, & Philoſophiam propè adoleſcens profeſſus eſt. Tædio demum humanarum rerum, animum ad Societatem applicuit anno ſalutis 1587. ætatis 27. Sacerdotio iam tum initiatus. Rigæ, & Cracouiæ, Nouitiorum inſtitutioni præfuit octennio; hic etiam Præpoſitum egit Profeſſæ Domus, & Iaroslauiæ Patrum in tertia Probatione Inſtructorem. Vir fuit modeſtia ſingulari, placidis moribus, orationi & mentis cum Deo coniunctioni perquàm addictus. In ſupremo morbo multa dedit patientiæ, humilitatis & voluntatis cum Diuina compoſitæ argumenta. Obiit Cracouiæ die 6. Decembris anno ſalutis 1633. ætatis 72. Religionis 46. Profeſſionis 4. votorum 31. Edidit tum Latinè, tum Polonicè nonnulla

Spiritualia opuſcula ex aliјs collecta, nempe,

Compendium Vitæ Spiritualis.

De Præparatione ad mortem.

De Via Vitæ æternæ.

De Modo Meditandi.

* STANISLAVS KOSINSKI natione Polonus, patria Maſouita, trium aliorum de Societate germanus frater, Deo in Societate ſe dicauit anno ſalutis 1602. ætatis 15. vir grauis, zeloſus, ſerius; Spiritualis Coadiutor, gubernauit Collegia Derpatenſe in Liuonia, & Polocenſe in Alba Ruſſia; Tempore peſtis Vilnæ ſponte manſit ibidem, ad iuuandos proximos, ſed Diuina ope ad vlteriora merita ſeruatus religioſè deceſſit Reſſelii in Pruſſia die 22. Aprilis 1657. Scripſit Polonicè

Vitam & Martyrium B. Ioſaphat Archiepiſcopi Polocenſis. Vilnæ typis poſthumis Academiæ 1665.

* STANISLAVS KVKLINSKI natione Polonus, patria Maſouita, vicennis religioſæ vitæ tirocinium in Societate poſuit anno à partu Virginis 1616. & votorum 4. ſolemni Sacramento ſe adſtrinxit. Poſt traditas humaniores litteras docuit Philoſophiam, & ſeptennio Theologiam Moralem. Rexit domicilium Mariæburgi, Collegia Lublinenſe, & Cracouienſe, necnon domum Profeſſorum ibidem, in qua ſuperſtes vacat miniſteriis Societatis. Scripſit,

pſit,& expoſuit imitationi fidelium

Vitam & virtutes Thomæ Oborski Epiſcopi Laodicenſis ſuffraganei, & Canonici Cracouienſis. Cracouiæ 1664.in 4.

* STANISLAVS SOLSKI natione Polonus, ex ea parte Regni, quæ maior Polonia nuncupatur, Societati ſe adiunxit anno ſæculi voluentis 38.ætatis ſuæ 21.& in ea humaniores litteras & Matheſim aliquot annis profeſſus eſt. Miſſionarium Conſtantinopoli egit per octennium, miniſtrando Sacramenta captiuis ſuæ gentis alioſque adiuuando.Superſtes in Collegio Cracouienſi edidit Tractatum

*De machina exhibendo motui perpetuo artificiali idonea Mathematicis ad examinandum propoſita,*1663.in 4.

*De vſu frequenti Sanctiſſimi Sacramenti Polonicè.*Cracouiæ typis Schedelianis 1672.in 8

STANISLAVS VVARZAVVICIVS natione Polonus, cùm nobilitate Senatoria,ingenio, doctrina, auctoritate, in ſæculo floreret, & ad honores ampliſſimos vocaretur,iamque eſſet Regiæ Cancellariæ Regens,& Eccleſiæ Gneſnenſis (quæ Primatum eius Regni obtinet) Scholaſticus, oblatum à Sigiſmundo Auguſto Rege Epiſcopatum repudiauit, & omnibus mundi illecebris vanitatibuſque reiectis anno ſalutis 1567. ætatis vero propemodum 40. Romam ad Chriſti vexillum conuolauit, cruciſque ignominiam Aulæ ſplendori in Societate prætulit, dignus qui magnis illis nominibus acceńſeretur, quæ tirocinium Romanum eo tempore decorabant, Claudio, & Rudolpho Aquauiuis, B.Stanislao Koſtka, & Franciſco Turriano. Exiſtenti autem in Profeſſorum domo Varſeuitio obitus B.Stanislai in tirocinio diuinitùs ſignificatus eſt, eiuſque vitam primus ipſe conſcripſit. Vir fuit verè religioſus, ac maxime pius, orationis apprimè ſtudioſus, in qua ſic ſemper erat defixus, vt cum oraret extra ſe poſitus videretur. Elucebat præterea in Stanislao rara prudentia, cuius ſpecimen edidit in Collegio Vilnenſi, & Lublinenſi gubernandis vtrobique per octennium, & in Sueciæ Miſſione dirigenda, cui ſexennio præfuit. Honoris Diuini ſalutiſque proximorum zelo admirabili feruebat,Hæreticos ab erroribus, peccatores à vitijs, non ſolùm incenſis concionibus, ſed ſcriptis etiam libris, reuocare diligentiſſimè ſtuduit. Religioſæ humilitatis, ſuique abiectionis fuit amantiſſimus. P. Antonium Poſſeuinum in Suecia adegit, vt ſibi traderet exercitia Spiritualia, idque à P.Ioanne Paulo Campano Poloniæ Prouinciali, poſtea iterum expreſſit, quorum monita non ſecus quam ſi Tyro fuiſſet,ſcripto excipiebat. Demum cùm redux ex Vrbe, quò fuerat a Prouincia miſſus Procurator, Cracouiam ſe recepiſſet,Socijs pleriſque alio diſperſis ob gliſcentem luem,ipſe obtinuit à Superioribus, vt ad ſpirituale proximorum auxilium ſibi liceret in Ciuitate conſiſtere. Haud diu ſuperſtes fuit; die 3.Octobris peſte extinctus eſt, cùm vnius diei noctiſque decurſu continua lucta ab humani generis hoſte de fide tentatus glorioſam victoriam reportaſſet, anno ſalutis 1591.ætatis 64.religionis 24. profeſſionis 4.votorum 17. Cum ianno ſalutis 1606. Petrus Scarga Varſauiæ febri laboraret, & vnum adhuc annum vitæ ſibi dari Deum rogaret, videndum ſe illi præbuit Stanislaus Varſeuitius. Et cur inquit P.Scarga non petis annos x.ſed vnum dumtaxat, & in dicto euanuit, Tertio die Scarga ſurrexit incolumis,& nouem poſt annos mortuus eſt. Scripſit Stanislaus, ſeu potius latinitate donauit ex Græco

Hiſtoriæ Æthiopiæ Libros X. eoſque Sigiſmundo Auguſto Poloniæ Regi dicauit, priuſquam eſſet in Societate. In Societate verò exiſtens tranſtulit in Polonicam linguam

Aureum atque elegantiſſimum P.Ludouici Granatenſis Dominicani librum qui Hiſpanicè inſcribitur.

Guia de Peccadores,ideſt dux Peccatorum.

* STEPHANVS AGVILARIVS natione Mexicanus,patria Guadalaxarenſis vndevicennis Deo ſe in Societate conſecrauit anno ſalutis 1624.& votorum 4.nuncupatione ſe adſtrinxit.Concionator eximius,& Miſſionarius ad Indos multis annis.Religioſæ diſciplinæ apprimè obſeruans ad laborum ſtipendia ex hac vita emigrauit Mexici in Domo Profeſſorum anno 1668.Edidit typis

Conciones varias,quæ ob ſtyli grauitatem,& dictionis proprietatem magno in pretio habentur. Mexici.

Carmen Panegyricum Hexametrum Latinè quo exceptus fuit Prorex Marchio de Villena. Mexici 1640.

Carmina Hiſpanica complura,in quibus pangendis fuit oppidò felix. Mexici.

STEPHANVS ARATOR ſiue SZANTO natione Hungarus diœceſis Iauarinenſis, admiſſus in Societatem Romæ,ex Collegio Germanico, & Hungarico in quo fuerat alumnus Pontificius anno Domini 1561.ætatis 20.& ibidem ſtudia Theologiæ abſoluit. Philoſophiæ curriculum docendo bis emenſus eſt Græcij in Styria, & Romæ quinquennio Pœnitentiarij munere functus eſt ad Baſilicam Vaticanam. Vir fuit omnibus diſciplinis apprimè inſtructus Græcè, Hebraiceque perdoctus. Ad hæc virtutum multarum vſu inſignis, quibus & Societati decus addidit, & fidem Catholicam vbicumque verſatus eſt magnopere dicendo ſcribendoque promouit.Congreſſus frequentiſſimè cum Hæreticorum Principibus ſemel 40. Prædicantibus vi diſputationis os obſtruxit, omneſque falſitatis coarguit. Iterum Varaſdini CCC. prouocauit, & de iis in Synodo glorioſè triumphauit,Innumeros ad Eccleſiam perduxit. Summa libertate in Hæreticos, & in publica vitia dicebat, eumque aduerſus improborum odia, innocentia, & eruditio, quam vel hoſtes ſuſpiciebant, tuebantur. Proceribus Hungaris fuit carus, quibus tamen ipſe non condonabat, quin coràm vel per litteras redarguebat,ſi quid pec-

peccaſſent.Stephano Bathoreo Polonorum Regi cuius famam, & in fide conſtantiam apud Pontificem,& Cardinales aduerſus calumniatores egregia Oratione defenderat, vſus eſt ſemper beneuolentiſſimo. Sanguinis pro fide fundendi cupidiſſimus, cùm ſemper fuiſſet, nec res tamen ex voto caderet,hac ſe cogitatione ſolabatur,quando efflaturus eſſet animam,quod exul ſaltem pro eadem fide obiret. Olomucij anno ſalutis 1612.ætatis 70. Religionis 50.in qua ante annos 20.quatuor vota nûcupauerat. Concinnauit Hungaricè

Catechiſmum inſtar Romani multis controuerſiarum fidei capitibus locupletatum. Item

Teſtamentum vetus ex collatione Hebraici, Græci, Latinique textus Hungaricè interpretatus eſt. Hæ tamen illius lucubrationes hactenus non viderunt lucem.

STEPHANVS AVDEBERTVS natione Gallus,patria Bellacenſis in Diœceſi Lemouicenſi in Societatem anno 1613. ætatis 21.ingreſſus,vota 4.profeſſus eſt.Philoſophiam quinquennio docuit, linguam Sanctam triennio, Theologiam Moralem biennio,Scholaſticam octennio,& cum concionandi arte plurimum valeret, Rupellæ, & in Inſula Retenſi alijſque locis Hæreticos egregiè refutauit. Demum naturæ conceſſit Pali die 30.Iulij 1647.Scripſit

Opuſcula varia contra Hæreticos.

Tractatum de Angelo Cuſtode.

Explicationes quorumdam locorum S. Auguſtini circa SS. Eucharistiam. Rupellæ apud Ludouicum Cheſneau 1630.in 12.

Theodoretum explicatum, vna cum Gelaſij libro de duabus naturis. Laſcani apud Ioan.Delphinum 1639.in 8.

Triumphum veritatis de Tranſubſtantiatione,& Purgatorio. Orthesij apud Iacobum Rouier 1638.in 8.

Declarationem decreti Concilij Conſtantienſis Seſſ.19.

STEPHANVS DE AVILA natione Hiſpanus,patria Abulenſis in eo Hiſpaniæ Regno,quod vulgo Caſtella vetus dicitur,Societatem noſtram vicennis ingreſſus eſt Salmanticæ anno ſalutis 1569. Poſt abſolutum ſpiritualis tirocinij tempus, Theologicis ſtudijs applicuit animum tam felice ingenio,vt nihil ſuprà. Vix diſcipulus eſſe deſijt cùm aliorum Magiſter, & doctor renunciatus eſt.Miraculo fuit adoleſcentis ſapientia ſumma, eruditio ſingularis. Hæc Præpoſitos mouit,vt eum ad Peruani Regni incolas olim tranſmitterent. Excepit America tantum virum,vt par erat, cumque tacente ipſo quantus eſſet prædicaret fama, Theologiam in Academia Limenſi profiteri publicè iuſſus eſt. Credi vix poteſt quàm plauſibilis omnibus eius dicendi ratio; admirationi erat acumen ingenij in indagandis rebus ſolertia,in tradendis exquiſitiſſima methodus, in euoluendis Auctoribus indefeſſum ſtudium, præſertim in re morali. Hæc ſic Stephanum commendarunt, omnibus vt Doctor Doctorum vulgo diceretur. Illum totius Regni Proceres, Tribunalia ſumma, vt abſolutiſſimum Theologum, & vtriuſque Iuris peritiſſimum conſulebant. Omnes hominum ſtatus Ciuitates & Prouinciæ,quod Auila dixiſſet,verum,certum,ſecurum, quod reticuiſſet incertum,ſuſpectum,periculoſum iudicabant. Reſpondebat doctrinæ egregia probitas morum. Vir fuit incredibili ſui deſpicientia, honoris perpetuus contemptor,abiectionis cupidiſſimus, quique cum in ore omnium eſſet,ſolus ſe ipſum ignorabat,Obijt Limæ die 14.Aprilis 1601.vota 4 dudum profeſſus, poſt illuſtratas fere omnes 4. ſummæ Theologicæ Angelici Doctoris partes, cuius acerrimus ſemper defenſor fuit; daturuſque forſan fuiſſet in lucem quàmplurima,niſi ſatis immatura mors pios conatus hominis vna cum vita abſtuliſſet. Quod ex omnibus ſuis lucubrationibus,quæ certè multæ ſunt, abſolutum magis nobis reliquit,eſt

De Cenſuris Eccleſiaſticis Tractatus,poſthumus Filius Patri. Lugduni apud Horatium Cardon 1608.in 4.

Edidit præterea compendium Summæ, ſeu Manualis Doctoris Nauarri in ordinem Alphabeticum redactum. Lugduni apud Cardon 1609. & Pariſijs apud Iacobum Queſnel 1620. in 16.

STEPHANVS BAVNY natione Gallus, patria Campanus, Meſomenſis, in diœceſi Rhemenſi Societatem anno 1593. ætatis 28.ingreſſus eſt,& vota 4.nuncupauit Rhetoricam,& amœniores litteras annis xi.docuit,& Theologiam Moralem annis omnino 16. Vir antiquæ probitatis & ſingularis circa quæſtiones omnes de conſcientia eruditionis; dum in ſenili ætate operam nauaret Epiſcopo Leonenſi in Aremorica,correptus morbo inter pias Patrum Carmelitarum manus religioſiſſimè animam Deo reddidit die 4. Decembris 1649. Edidit

TheologiamMoralem IV. Tomis comprehenſam,quorum.

I. *Eſt de Sacramentis ac perſonis Sacris, earumque dignitate,& obligationibus.* Pariſijs apud Michaëlem Soly 1640.in folio

II. *De Cenſuris Eccleſiaſticis.* Ibidem & iiſdem typis 1642.in folio

III. *De Contractibus.* Typis iiſdem 1645.in folio

IV. *De Beneficijs.* Ibidem 1647.in folio

Summam Caſuum Conſcientiæ,ſeu Manuale Confeſſorum in gratiam eorum quibus animarum cura incumbit. Pariſijs apud Michaëlem Soly 1631.in 8.

STEPHANVS BINETVS natione Gallus,patria Diuionenſis,pijs ac honeſtis parentibus natus,adoleſcens ad Societatem acceſſit anno ſalutis 1590.ætatis 21. Nouellariæ in Prouincia Veneta,& ex Italia reuerſus in Galliam, quando ab Henrico IV. Rege Societas in Regnum poſtliminio reſtituta eſt, totis pene 40. annis præfuit noſtris Rothomagi,Pariſijs, Prouincijs,Campaniæ,Lugduni,Franciæ magno,& accenſo ſtudio animarum. Eluxit in eo ſenſus erga Deum ſingularis, mira in rebus omnibus

animi præſentia & æqualitas, ſagacitas,& ſolertia in momentis rerum indagandis, perpetuatis, animique ſerenitas, cum ſuaui argutoque verborum lepore coniuncta, integritas morum eximia,& conſtantiſſima innocentiæ fama. Profeſſus eſt ſub vitæ extremum nihil ſe vnquam egiſſe in tot adminiſtrationibus ſtudio cuiquam nocendi, ſed vt ex cuiuſque vtilitate ſecundum Dei gloriam faciendum iudicarat. Nulli fuit vnquam iniurius, nulli violentus, aſper, contumelioſus. Nunquam de gradu tranquillitatis deiici ſe paſſus eſt,nunquam ſuam patientiam irritari. Pietatem aluit in multis Regni primoribus,quibus eius vita candorque placebat. In Concionibus, quas aſſiduè habuit feſtiuus quidem erat, ſed nunquam ſine aculeo pietatis. Nullum pene per annos 40. Pariſijs, & in vniuerſa Gallia bonum opus fuit,cuius ille vel particeps, vel ſuaſor, vel inuentor non exſtiterit. Laborioſus apprimè,apprimè miſericors in pauperes. Magnus Præſulum, & Magiſtratuum obſeruator. Mortis nuncium tam integre,tranquilleque accepit ac ſi de alio ageretur. Obijt Pariſijs die 4. Iulij anno 1639. ætatis 71. Societatis 49 Profeſſionis 4. votorum 28.& in plumbeo loculo ſepultus eſt. Edidit materna lingua vitas multorum Sanctorum,nempe

Sanctorum Patrum, qui Religioſorum Ordinum Auctores fuerunt.

Sanctorum Ignatij, Franciſci Xauerij, Beatorum Aloyſij Gonzage, Stanislai Koſtka. Pariſijs apud Sebaſtianum Chappellet 1622.

S. Elzearij Comitis Ariani,eiuſque Coniugis. Ibidem eodem anno.

S. Dionyſij Areopagitæ. Ibidem 1624.

Sanctorum Gomberti,& Bertha. Muſſiponti apud Cramoiſy 1625.

S. Aldegundæ. Pariſijs apud eundem 1626.

S. Bathildis Francorum Reginæ, S. Amedei 1629.

S. Sauiniani,& Sociorum. Apud Chappellet 1629.

Flores Pſalmorum,Tom. II. & Sanctos affectus animæ deuotæ cum medijs viuendi in gratia Dei. Rothomagi apud Richardum Alemanum 1619. in 12. Subiectis dedicationi initialibus ſui nominis litteris.

Teſſeram ſalutis eſſe cultum B. Virginis latinè reddidit Chriſtophorus Holtzbeutnerus noſter,& edidit Auguſtę apud Mangiū 1620. in 12.

Conſolatoriam ægrorum Scholam. Hanc latinam fecit & edidit Coloniæ typis Henningij 1619. in 12. Iacobus Malbranque;Italicam Antonius Antoniottus Mediolanenſis,ambo Noſtri

Orationem in funere Henrici IV. Regis dictam 1611.

Compendium perfectionis.

Epiſtolam Abbatis ad Religioſum Apoſtatam.

An omnes in ſua Religione ſaluari poſſint. Hi Tractatus omnes primum ſeorſim,tum ſimul recuſi ſunt. Rothomagi 1620.& 1636.

Motiua excitantia ad Opera Miſericordiæ. Pariſijs apud Sebaſt. Cramoiſy 1624.

Afflictarum animarum Conſolationem. Ibidem 1625. quam Italicè reddidit noſter Ioſephus Fotius. Romæ 1635.

Ineffabilem Dei Miſericordiam in bonum Latronem. Ibidem 1626. quam Italicè tranſtulit Idem Fotius. Romæ 1638.

Efficacia remedia contra peſtem & mortem ſubitaneam. Pariſijs apud Chappellet. Italicè vertit idem Fotius. Romæ 1658.

De Efficaciſſimis amoris Ieſu Chriſti illecebris apud Cramoiſy 1631. reddidit latinè Henricus Lamormaini noſter; Italicè idem Fotius Romæ 1643. in 12.

Felicitatem,& infelicitatem exiſtentium in Purgatorio. Pariſijs apud Cramoiſy 1625.

Quæſtiones II. De ſalute Origenis,& an plerumque illuſtriora ingenia ſint peruerſiora. Apud Cramoiſy 1631.

Praxim ſolidam Diuini amoris. Apud Chappellet 1631.

Principium operum Dei, ſeu de Excellentia B. Virginis. Apud Chappellet 1635.

Excellentias S. Ioſephi. Proborum Antiſtitum Ideam.

Auream ad Cælos Ianuam eſſe Eleemoſynam.

Meditationes in Vitam B. Virginis Mariæ vnà cum figuris. Antuerpię apud Martinum Nutium 1632. in 12.

Latinè edidit

Soliloquia Sancta ſeu *Præparationes ad Miſſam,& Communionem.* Apud Cramoiſy 1627.

Edidit ad hæc ſub nomine Renati Franciſci

Naturæ nobiliſſimorumque artificiorum ſpecimen. Rothomagi 1621.& Pariſijs non ſemel.

Et ſub nomine Franciſci Fontani.

Reſponſionem ad Poſtulata magni Prælati de Hierarchia Eccleſiaſtica. Nancæi apud Iacobum Garnich 1625. Eam latinè reddidit Henricus Lamormaini noſter,Italicè noſter Ioſephus Fotius ſub nomine Ioſephi de Nigris Florentiæ 1638. in 8.

STEPHANVS BVBALVS DE CANCELLARIIS natione Italus, patria Romanus de quo Andreas Victorellus ſic ſcribit: *Romanæ Nobilitatis ornamentum, magni nominis Philoſophus Theologuſque, Romæ iuuenis Philoſophiam docens,adoleſcentes,qui modo fulgent in purpura diſcipulos habuit. Patauij Romæque in Romano Collegio Sacræ Theologiæ arcana præſtanti Auditorum concioni eximia cum laude aperuit.* Idem alibi vocat virum ingenio, pietate, religione, prudentia, eloquentia, ingenuarum artium cognitione,& generis nobilitate clariſſimum. Cooptatus in Societatem anno ſalutis 1583. ætatis 21 vota 4. nuncupauit & docuit multis annis Philoſophiam & Theologiam;aliquot etiam annis præfuit ſtudijs vniuerſis in Collegio Romano, ex quo munere translatus eſt ad Sacram Pœnitentiariam Vaticanam, cuius Collegium noſtrum Rector gubernauit,& Sacræ Pœnitentiariæ Theologus fuit Inde poſt aliquot annos ad Præfecturam Collegij Romani reuerſus,demum ætate grauis obiit ibidem die 28. Aprilis anno

ſalu-

ſalutis 1634. multa parabat typo, quæ recenſet Leo Allatius, ſed nihil edidit præter

Commentationum Angelicarum, in vniuerſam Angelici Doctoris Tractationem De Angelis. Tom.1. Lugduni apud Iacobum Cardon, & Petrum Cauellat 1622. in 8.

Prodijt poſteà cum alijs aliorum eiuſdem argumenti.

Oratio de Paſſione Domini, quam habuit ad Clementem VIII. anno 1597. Romæ typis Maſcardi 1551. in 12.

STEPHANVS DE CASTRO natione Luſitanus, patria Vlyſſiponenſis ingreſſus in Societatem anno 1593. ætatis 20. Humaniores litteras docuit octennio. Procuratorem egit Prouinciarum Indiæ, & tria vota ſolemnia profeſſus eſt. Grauis annis, & paralyſi afflictus, migrauit ad Dominum in Collegio Portuenſi menſe Auguſti 1639. Edidit Luſitanicè

Methodum adiuuandi moribundos. Vlyſſipone per Ioannem Rodriguez 1621. in 16.

* STEPHANVS CRVCIVS, SEV DE CRVCE natione Gallus, patria ex oppido S. Petri de Bogerat diœceſis Ebroicenſis, Societatem amplexus anno ſalutis 1599. ætatis 20. ſtudio lucrandarum Deo animarum nauigauit in Indiam Orientis Solis anno 1602. & emenſis Goæ Philoſophiæ, & Theologiæ ſtudijs 23. annos in procuranda Indorum ſalute in Salſetis impigritate magna collocauit. Hic profeſſionem votorum 4. emiſit; bis fuit Magiſter Nouitiorum, bis Rector Collegij Salſetani, ſeu Racholenſis, ſemel rexit Collegium Goæ, & Domum Profeſſorum ibidem. Feliciter laborauit in illa vinea, vt inter Indicæ Societatis primarios operarios meritò habeatur. Duas linguas Canarinam, & Maraſtam ita callebat, vt indigenas ipſos in earum lepore antecelleret. Multa ſcripſit vtraque lingua, inter quę celebratur Poëma de Paſſione Chriſti, quod ab indigenis Chriſtianis cani ſolet, ſub veſperam Quadrageſimalis cuiuſque ſextæ feriæ in Templo Salſetano, quodque tanto feruore fiebat, dum P. Stephanus in viuis eſſet, vt ad multa millia ex Vrbe Goana, & adiacentibus locis in Salſetas confluerent. Erat ea in opinione ſanctitatis apud noſtros, & Exteros, vt pro Apoſtolo haberetur. Ardebat quippè zelo animarum, & diuinæ gloriæ dilatandæ, & munia omnia tàm domi, quàm foris ſibi commiſſa cum laude adminiſtrabat. Tandem plenus dierum, ac bonorum operum ad omnium mercedem à Deo euocatus eſt Goæ die 24. Septembris 1643. Edidit lingua Bramanica Maraſta, quæ ibi dogmatica eſt, & litteratorum, verſu rhythmico

Diſcurſus varios ſuper vita S. Petri Apoſtoli contra errores Gentilium Orientalium. Tomis duobus, Goæ typis Domus Profeſſæ Societatis Ieſu 1634. in folio.

* STEPHANVS DECHAMPS natione Gallus, patria Bituricus natus anno ſæculi fluentis 13. Deo ſe in Societate conſecrauit 1630. & ſolemne votorum 4. ſacramentum dixit. Docuit in ea politiores litteras Rhetoricam, Philoſophiam, & quinquennio Theologiam. Sacras conciones multis annis ad populum habuit. Rexit Collegia Rhedonenſe, & Pariſienſe, & electus à Comitijs Prouinciæ in Procuratorem triennalem, Romam ad Congregationem Procuratorum adijt. Gubernauit deinde Prouinciam Franciæ, & Lugdunenſem, & nunc ſecundò illam Franciæ adminiſtrat, pari vbique laude prudentiæ, & caritatis. Edidit ſub nomine Antonij Richardi.

Defenſionem Cenſuræ S. Facultatis Theologicæ Pariſienſis latæ die 27. Iulij 1660. ſeu Diſputationem Theologicam de libero arbitrio. Pariſijs typis Sebaſtiani Cramoiſy editione tertia auctiorem 1646. in 4.

Reſponſionem ad obiectiones Vincentianas, qua Vincentij Lenis (hoc eſt Liberti Fromondi) *Theriacam, præſentiſſimum venenum eſſe demonſtratur.* Pariſiis typis iiſdem 1648. in 4. Recuſum vtrumque opus ſimul & cum auctario Coloniæ 1650.

De Hæreſi Ianſeniana à Sede Apoſtolica merito proſcripta libros tres. Pariſiis typis eiſdem 1654. in folio.

Orationem de S. Auguſtino Theologorum Ariſtotele, ſiue Doctrina S. Auguſtini in rebus Theologicis auctoritate habitam. Pariſijs typis ijſdem 1656. in 4.

Quæſtionem facti de ſententia Theologorum Societatis circa opiniones probabiles. Ibid. 1659. in 4. Gallicè edidit

Arcana Ianſeniſmi 1651.

STEPHANVS FAGVNDEZ natione Luſitanus, patria Vianenſis diœceſeos Bracharenſis ingreſſus in Societatem anno 1594. ætatis 17. votorum 4. profeſſionem edidit. Moralem Theologiam decennio profeſſus eſt, & in Collegio Vlyſſiponenſi Gymnaſiarcha diu fuit. Affecta ætate ex hac vita migrauit ad æternam Vlyſſipone in Domo Profeſſorum die 13. Ianuarii 1645. Edidit

Quæſtiones de Chriſtianis Officijs, & caſibus Conſcientiæ in 5. præcepta Eccleſiæ. Moguntiæ per Hermannum Mylium Birckmannum 1628. in folio, poſt editionem Lugdunenſem 1626.

Apologeticum Tractatum pro ſuo libro in 5. præcepta Eccleſiæ ad quæſtionem de lacticiniorum ouorumque eſu tempore Quadrageſimæ. Lugduni per Iacobum Cardon 1631. in 8.

In decem Præcepta Decalogi Tomos II. Item

De Iuſtitia. Tom. I. Lugduni per Aniſſon, & Boiſſat 1640. in folio. Item

De Iuſtitia, & Contractibus, & De Acquiſitione, & Translatione Dominij. Ibidem per eoſdem 1641. in folio.

* STEPHANVS LE GRAND natione Gallus, patria Caſtilionenſis ad Sequanum, natus anno ſæculari 1600. Societati ſe addixit

1618

1518. & votorum 4 profeſſionem emiſit. Prælegit Rhetoricam, & Philoſophiam, & annis amplius 25. Sacras Conciones habuit. Gubernauit Collegia Lingonenſe, Metenſe, Auguſtodunenſe, & à Prouincia legatus eſt Procurator Romam. Edidit Gallicè

Hiſtoriam Sacram Vrbis Caſtilionenſis ad Sequanam. Auguſtoduni typis Blaſij Simonet 1651. in 8.

STEPHANVS GVERRY natione Gallus, patria Pariſienſis Societatem amplexus anno ſalutis 1593. ætatis 14. votis 4. ſe obſtrinxit. Vir religioſis virtutibus inſignis, litteras humaniores, Philoſophiam, & Moralem Theologiam in ea profeſſus eſt. Rector etiam Bituricenſe Collegium gubernauit, & multis defunctus laboribus, ardentis zeli monumenta vbique reliquit. Cultui B. Virginis, vti mirum in modum addictus fuit, ita ad eundem incitabat omnes. Pontiſaræ, vbi poſtremos 17. vitæ annos, magno loci illius commodo tranſegit, auctor fuit Primarijs viris, dum graſſaretur lues, vt ad Deiparæ præſidium recurrerent, & ſtatim lues ceſſauit. Inter eiuſcemodi caritatis opera plenus dierum, ac meritorum migrauit ad Beatorum (vt ſperare æquum eſt) conſortium, Pontiſaræ die 17. Septembris 1649. Scripſit Gallicè

Exercitium animæ Deuotæ complectens Theſaurum interceſſionis Sanctorum per ſingulos anni, & Natalium dies. Pariſiis apud Sebaſtianum Cramoiſy 1628. Item

Sigillum Prædeſtinationis noſtræ. Pariſiis apud Petrum de Breche 1648. in 8

Theſaurum pietatis Marianæ. Ibidem apud Gaſpardum Maturas 1648. in 12.

STEPHANVS GVYONIVS natione Gallus, patria Dolanus in Burgundia, Societatis Ieſu Tirocinium ingreſſus Billomi anno 1585. ætatis 18. ibique Humaniores litteras, ſicut & Auenione, & Anicij eloquentiam profeſſus, vota 4. ſolemnia concepit. Præfuit Collegiis Dolano ſecundùm, Auenionenſi, Carpentoractenſi, & Veſuntionenſi annis 22. Tandem ſeptuagenario maior vinculis corporis exſolutus eſt Salinis die 17. Octobris 1638. Edidit perelegantes

Orationes 2. alteram de veteri Anicienſium pietate, & doctrina, Alteram *De priſca Conſulatus Anicienſis Dignitate*. Lugduni apud Ioannem Pilehotte 1613. in 8.

STEPHANVS LVZVIC natione Gallus, patria Aruernus, diœceſis Claromontanæ in Societatem anno 1584. ætatis 17. ingreſsus, gradum ſpiritualium Coadiutorum in ea obtinuit, & Conciones ad populum annis 35. habuit. Vir apprimè religioſus, & multis bonorum operum meritis cumulatus, mortalitatem exuit Aurelijs die 7. Septemb. 1640. Scripſit vtiliſſima opuſcula Gallicè

Fel pœnitentiæ, & colloquium Diuini amoris. Pariſiis apud Sebaſt. Cromoiſy 1621.

Cor deuotum, Ieſu Chriſti Regnum, pacifici Salomonis thronum, apud eundem 1626.

STEPHANVS MOQVOTVS natione Gallus, patria Niuernenſis, Latinè & Græce doctiſſimus, omnibus tum domeſticis, tum externis cariſſimus ob ſingularem animi demiſſionem, candidiſſimam animi ſimplicitatem, inuictam patientiam, & tolerantiam laborum, quos docendo, ſcribendoque ſuſcepit. Hæreticorum fuit impugnator acerrimus, gradum in Societate obtinuit ſpiritualis Coadiutoris. Obiit Burdegalæ die 6. Nouembris anno ſalutis 1628. ætatis 57. ab inita Societate 32. Edidit Gallicè

Examen Doctrinæ Hæreticorum. Tom. 3.

Miniſtrorum diuerſarum Sectarum inter ſe Bellum. Pictauii apud Ioannem Mayn 1619. in 8.

Vitam S. Radegundis pietate, & doctrina refertam.

Grammaticam Græcam Nicolai Clenardi in meliorem formam redegit, quæ iam tota ferè Gallia in vſu eſt, & ſæpius excuſa.

Luciani Dialogos aliquot caſtigatos, ad praxim ſuæ Grammaticæ accommodatos, & gloſſa interlineari ad verbum expoſitos.

Cenſuram Bibliorum Hugonottorum, duobus voluminibus. Pariſiis apud Ioannem Meſmier 1617. in 8.

Compendium Examinis, & Cenſuræ Bibliorum. Burdegalæ apud Iacobum Millanges 1644. in 8.

* STEPHANVS NATALIS natione Gallus, patria Baſſinienſis diœceſis Tullenſis natus anno ſæculi ſuperioris 81. ad Societatem ſe aggregauit 1599. & vota 4. nuncupauit. Poſt traditas humaniores litteras, Philoſophiam docuit octennio, Theologiam quinquennio, & totidem annos ſtudia moderatus eſt. Gubernauit Collegia Augenſe, Flexienſe, Pariſienſe, & Vices Prouincialis in adminiſtranda Prouincia diu geſſit. Virtutibus omnibus excelluit, ſed præcipuè obedientia erga Superiores, humilitate in infimis miniſteriis obeundis, patientia in doloribus aduerſæ valetudinis perferendis; denique pietate in Deum, ac morum ſuauitate. Maturus cœlo, caducam hanc vitam cum immortali commutauit Flexiæ die 16. Octobris 1659. Edidit Latinè

De Grauitate comparata, ſeu Comparationem grauitatis æris cum grauitate hydrargyri. Pariſiis apud Cramoiſios 1648. in 8.

Phyſicam veterem, ac nouam. Ibidem, eodem anno

Plenum experimentis nouis confirmatum Iiſdem typis & anno

Aphoriſmos Phyſicos, ſeu Phyſicæ Peripateticæ principia breuiter, & dilucidè propoſita. Flexiæ apud Georgium Grineau 1646. in 8.

Solem flammam, ſiue Tractatum De Sole, vt flamma eſt, eiuſque pabulo. Item eodem volumine

Aphoriſmos Analogicos parui mundi ad magnum, & magni ad paruum. Pariſiis apud Cra-

Cramoiſios 1646. & iterum 1647.

Interpretem naturæ, ſiue Arcana Phyſica ſeptem libris comprehenſa. Flexiæ apud Georgium Griueau 1653. in 8.

Examen Logicorum, Flexiæ typis Laboicis 1658. in 16.

Librum de mundo magno, & paruo, ſupero, & infero, quem Deus tradidit hominum Diſputationi, ideſt Examini Phyſicorum. Flexiæ iiſdem typis 1659. Gallicè ſcripſit

Plenum in apparente vacuo. Pariſijs apud Ioannem de Brait 1648. in 8.

STEPHANVS DE PALMA natione Hiſpanus, patria Toletanus, Societati adſcriptus anno ſalutis 1585. ætatis 19. votorum 4. profeſſionem emiſit, Philoſophiam docuit ſexennio; rexit Collegia Talabricenſe, & Toletanum, & multis annis egit Eccleſiaſten. Obiit Toleti die 11. Maii 1636. Edidit Hiſpanicè

Memoriale obligationum, quas habet homo Chriſtianus in extrema infirmitate, quòd Italicè reddidit noſter Franciſcus Rainaldus. Romæ 1632. in 24. & Neapoli 1635.

STEPHANVS PARISOT natione Gallus, Campanus, Villarienſis, Societatem ingreſſus 1604. ætatis 17. Rhetoricam in ea profeſſus eſt annis aliquot, & Concionibus ad populum nauauit operam. Rector fuit Collegii Roanenſis, & ſpiritualium Coadiutorum gradum capeſſiuit. Religioſè deceſſit Lugduni die 6. Iunii 1637. Edidit pium libellum

De Cultu adorandæ Trinitatis.

De Amore Dei, & proximi. Lugduni apud Franciſcum de la Boutiere anno 1631. in 8.

STEPHANVS DE PATERNINA, ſeu PERALTA natione Hiſpanus, patria Lucronienſis, Salmanticæ admiſſus in Societatem anno ſæculi labentis 4. ætatis ſuæ 15. profeſſionem in ea votorum 4. emiſit, & Philoſophiam, atque Theologiam Salmanticæ, & Vallisoleti explicuit. Dum inter nos eſſet Tranſtulit Hiſpanicè variatis nonnullis

Vitam P. Ioſephi Anchietæ Societatis Ieſu. Salmanticæ apud Antonium Ramirez 1618. in 8.

STEPHANVS PETIOT natione Gallus, patria Lemouicenſis, Societatem anno 1619. ætatis 17. ingreſſus eſt, & votorum 4. ſacramento ſe obſtrinxit. Eloquentiam & amæniores diſciplinas decennio profeſſus eſt. Controuerſias de fide quadriennio, Sacras litteras ſeptennio eſt interpretatus, & linguam ſanctam annis aliquot explicuit; Concionandi talento inſigni pollebat, & ampliùs 20. annis ad populum cum fructu dixit. Demum plenus dierum, atque bonorum operum ex Collegio Metenſi, in quo vitam diù tranſegerat, migrauit ad Dominum die 12. Februarii hoc anno Iubilæi 1675. Edidit

Panegyricum Burdegalæ dictum Ludouico XIII. Regi Chriſtianiſſimo poſt debellatos in Gallia Sectarios. Burdegalæ apud Petrum de la Court anno 1628. in 8.

Panegyricum nato Delphino.

Vitam exemplarem D. Bardonij de Brun Sacerdotis Lemouicenſis. Burdigalæ apud Guilielmum Millangium 1630. in 3.

Orationem funebrem in Exequijs Abbatiſſæ Regij Monaſterij Pictauienſis. Pictauii 1640.

STEPHANVS RVIDIVS natione Germanus, Andernaco ad Rhenum oriundus, Societatem amplexus anno ſalutis 1502. ætatis 21. vota 4. profeſſus. Docuit Philoſophiam & variis officijs præclarè functus eſt. Collegia Spirenſe, & Moguntinum rexit, & Sacerdotes noſtros in probatione tertia excoluit. Septuagenario maior religioſè in Domino quieuit Moguntiæ die 16. Iunij anno 1643. In promulgatione Molshemienſis Academiæ, Sacræ Theologiæ Doctor renunciatus luculentam dixit, ediditque Orationem

De Auguſta Sacræ Scripturæ Maieſtate vulgò non obuia. Euulgata eſt cum Panegyrico eiuſdem Academiæ in 4.

STEPHANVS STAPEL natione Belga, patria Herkenrodius, natus ineunte anno 1573. Societati ſe adiunxit Tornaci 1592. & votis ſpiritualium Coadiutorum ſe obſtrinxit. Vndecim annis Humaniores litteras profeſſus eſt: Concionatorem quinquennio egit; Miſſionarium octennio, & in Collegio Cortracenſi inter Vrbis illius Ciues, & Territorij accolas, ampliùs 50. annos nauauit operam admodum fructuoſam. Ciuium fuit verè Pater, multoſque verbo, & exemplo à perdita vita ad ſanctiorem reuocauit. Demum ſex annis maior octogenario, ad piorum laborum præmia euolauit. Cortraci die 22. Martii 1659. Publicauit idiomate Flandrico

Artem bene viuendi, & moriendi, adiecta varia virtutum praxi. Cortraci apud Bouuet anno 1926. in 8.

Exercitia Meditationum praxi expreſſarum anno 1635. & iterum Antuerpiæ typis Aertſens 1645.

Vertit Flandricè ex Gallico Ioannis Carthenij Ordinis Carmelitani:

Iter Equitis Errantis per deſerta vanitatum mundi, & in viam quæ ad æternam vitam ducit, reſtituti. Gandaui typis Vandenkerkchoue 1649.

STEPHANVS TVCCIVS natione Siculus, patria ex Oppido Monfort diœceſis Meſſanenſis, natus anno Domini 1540. ad Societatem admodum adoleſcens acceſſit anno 1558. Multa illi ad gratiam conciliandam aduerſabantur, ætas inconſtans, generis humilitas, aſpectus horridior, conſuetudo, moreſque penè ſubruſtici, ſermo ab eo quo natus eſt loco, non abhorrens: acris tamen indoles, multa obruta duritia: tamquam ex fumo lumen erumpens, naturæ impedimenta ſuperauit. Ita ſumma ipſius lætitia in Societatem admiſſus, præmatura virtute in infirma ætate magnæ de ſe excitatæ expectationi ſatisfecit. Floruit

ruit multis annis inter nobilia ſuæ ætatis ingenia, magno ſemper ſinceræ probitatis exemplo, & multis ingenij doctrinæque laudibus. Solidis imprimis virtutibus ornatus, patientia præcipuè, & abiectione ſui, nulla vnquam ſuorum commodorum habita ratione, totum ſe ad Societatis obſequia, & Præſidum præſcriptum, ſemper impendit. Humanitatis ſtudiis, præſertim adoleſcens, & arte Oratoria multùm claruit, & locum ſibi comparauit inter primos, & totos 16. continenter annos iuuentutem hiſce litteris inſtituit, quo tempore omnes Philoſophiæ, Theologiæque locos proprio ſtudio laboreque cognouit. Peritiam verò tantam rerum antiquarum, tum ſacrarum, tum prophanarum ſibi comparauit, vt clarum illud doctrinæ lumen, & noſtræ Societatis ornamentum P. Alphonſus Salmeron, cum per litteras de multis, velut oraculum conſuleret. Romam eo conſilio venit per cauſam quidem Theologiæ diſcendæ, verùm re ipſa, vt quàm maximam iuris ad Conſcientiam pertinentis cognitionem acquireret, quo ſe ſtudio maximè teneri dicebat; Cathedræ verò, alioſque Scholarum plauſus, non magnoperè admirari. Romæ duobus annis Theologiæ Scholas frequentauit, & cùm ne vna quidem littera dictata exciperet, ſola attentione priuatimque inſpiciendis Auctoribus, qui indicabantur ita proficiebat, vt iam tunc Magiſter potiùs quàm diſcipulus videri poſſet. Sic exacto curriculo idoneus habitus eſt, qui Patauii Theologiam explicaret, doctiſſimiſque viris ſuccederet, cuius de Trinitate commentationes quas dictauerat, cum typis ipſo inſcio quiſpiam mandaſſet, magni partus ingenij viſæ ſunt. Poſt annos aliquot, Conſcientiæ quæſtionibus præfuit Laureti, ac ſubinde Romæ ſtudiorum præfecturam geſſit, & Theologiam cum plauſu docuit, Franciſci Suarij Collega. Multi Magnates, & Romanæ Curiæ Antiſtites, & Purpurati, ipſe etiam Romanus Pontifex Clemens VIII. illius & opera & doctrina ad difficiles quæſtiones multum vſi ſunt. Sæpe Congregationibus Cardinalium iuſſus eſt intereſſe, & Examinator Epiſcoporum coram Summo Pontifice anno 1592. eſt conſtitutus. Rector etiam præfuit Collegio noſtro Pœnitentiariæ, quo in munere omnes optimi Præſidis numeros abſoluit. In tanto rerum geſtarum ſplendore, quanta fuerit animi demiſſione haud facile poteſt explicari. Omninò ſe iudicabat indignum, quem bonitas Diuina reſpiceret, quamuis interim firma fiducia ſperaret ſalutem ſe diuina miſericordia conſecuturum, Porrò edomandi corporis animique rebellantes motus comprimendi, fuit impensè ſtudioſus. Aiebat malle ſe mori, quam ſiniſtri quidquam in conſilio ſuarum rerum admiſcere. Multis annis indumenta nunquam exuit, niſi corporis verberandi cauſa; nudis aſſeribus vna inuolutus lodice cubauit ad quietem. Victum communem menſura ſemper eadem moderatus, cùm ſemel in die tantùm cibum ſumeret, noctu tamen quandam ſurbeniunculam ex vili, & inſcito olere decocto, cum vini hauſtu ad cõciliandum ſomnum accipiebat. Noctibus ſingulis acriter ſe verberabat, & ab humeris ad pedes deſcendendo, rurſumque à pedibus ad humeros aſcendendo, nouum ſemper locum ictibus quærebat. Cilicinum Thoracem cum aliquamdiù febri laboraret ne in ipſa quidem exuit morbi contentione. Somnum non plus horis quinis capiebat. Totidem quotidie horas Diuinæ precationi tribuebat, ſemper de genibus in medio cubiculi, nullo ſubnixus fulcro, neque vlla vnquam animi ſenſuumue ſterilitate, a propoſito ſibi orandi ſpatio defecit. Quinque fere priùs annis quàm decederet e vita, rerum pertæſus humanarum facta a Summo Pontifice copia, receptui cecinit, atque in Tuſculanam quietem conceſſit, in quo ſeceſſu latentem quæſiuit Clemens VIII. & perhumaniter inuiſit, reuertitque plenus admiratione, & documento virtutis. Demum continenti diuturnaque mentis contentione ita ſe labefecit, vt ipſe vrbano ioco, ſemi ſe cadauer appellaret. Subinde circa ceruices, informis illi natta ſuccreuit, quæ minus quinquennio ſua mole capitis magnitudinem exæquauit; Puluillis, ligneiſque ac ferreis *fulcillis variè* ſubinde excogitatis, atque inter humerum in*ſer*tis, enorme illud pondus ſuſtentabatur, eratque impedimentum inter cætera ad quietem cum ſitus aptus nullus inueniretur acclinando corpori, quin eo pondere contracti nerui fauces comprimerent ſuffocarentque. Igitur aut nixus genibus, lecto incumbens, aut pronus è tranſuerſo lecto in ſellulæ ad id paratæ brachia, porrectus vtcumque conquieſcebat. Tandem vbi humores verti cœperunt in putredinem, neruos, ac muſculos infecerunt, nerui cerebrum vitiarunt, quod eo malo irritatum contrahebatur ſimulque neruos, qui *circa* collum tenduntur contrahebant, ex quo aſpaſma cum intolerando cruciatu excitabatur, quod gulam contrahens reſpirandi difficultatem faciebat. Eo res ad extremum deuenit, vt os deducere nequiret, aut quidquam mandere, & epiglottide ab radice contracta, ne liquoribus quidem infuſis ali poſſet, ſine certo ſuffocationis periculo. Ideo ad vitam eius quoad fieri poſſet retinendam calidorum odore panum, & coctarum carnium, ſpiritus eius tenuiter recreandi fuerant. Ergo certus erat in oculis interitus, quem tamen etiam anteuertit compreſſione faucium, ſemper ſe magis intendens neruorum contractio, extinxitque virum inter tot tantaque mala admirabili æquitate animi ſui ſemper compotem, & Ieſum, ac Mariam ingeminantem, victo cæterum diſſimulatoque dolore Romæ die 27. Ianuarij anno ſalutis 1597. ætatis 57. religionis 40. ſub Euerardo Præpoſito Generali quatuor olim vota profeſſum. In funere factus eſt impetus ad viri Sancti reliquias vellicandas; capillus omnis,

nis, & barba reſciſſa, amiculus lineus, & bona pars togæ lacerata, carnem etiam non nemo furtim decerpſit. Omnium vna vox erat, beatum illud deprædicantium, quibus grauiſſimum addidit auctoritatis ſuffragium Clemens Octauus Summus Pontifex, qui vbi eum intellexiſſet mortem oppetiiſſe: *Ergo* (inquit) *demum mortuus eſt Sanctus*. Expreſſa coloribus poſt mortem eius effigies eſt, & virtutes ij ſius publica oratione laudatæ. Voluminis iuſti res eſſet, quæ patientiæ, fortitudinis, æquanimitatis, amoris in Deum, & duriora in dies patiendi documenta dederit, referre. Sed erit de his alias dicendi locus. Scripſit Stephanus Tuccius

Chronicon ab Orbe condito ad Chriſti Natiuitatem.

Orationes plurimas, & Dramata, & Actiones Sacras Heroico carmine compoſitas inter quas obtinet principatum

Chriſtus Iudex, Tragædia; ſæpius cum admiratione ſpectata, & nuper edita à noſtro Ioanne Laurentio Luccheſino. Romæ typis Tinaſſij 1673. in 12.

Diſputationes varias de Theologicis, Philoſophiciſque rebus, quæ in Controuerſia verſantur.

Ingens volumen Diſputationum aduerſus noſtri temporis Atheiſtas. Sed hæc per mortem limare Stephanus non potuit. Editæ ſunt tamen ipſius

Orationes iij. vna ad Gregorium XIII. Pont. Max. cum inuiſit Collegium Romanum.

Altera in funere eiuſdem Gregorij XIII. quæ propter elegantiam typis ſæpè euulgata eſt. Tertia

De Chriſti Cruciatibus in die Paraſceues habita ad Gregorium XIII. anno 1583. Quæque cum alia eiuſdem argumenti ab eodem habita ad Sixtum V. anno 1586. recuſa eſt Romæ typis Vitalis Maſcardi 1641. in 16. Prodijt etiam ipſo inſcio

Tractatus de Trinitate, quem Pataulj olim dictauit in ſcholis tulitque magnam commendationem.

Extant in Archiuio Domus Profeſſæ Romanæ Tractatus eiuſdem varij M.ſs. vt

De Delectu Opinionum pro Profeſſoribus. in 4.

De Propoſitionibus definitis in Libro Studiorum. in 4.

De Propoſitionibus liberis Catalogi. in 4.

De Incarnatione, quæ dictauit in Schola. in 4.

T

TANCREDVS COTTHO, vel COTTONVS natione Italus, patria Senenſis Societati adſcriptus anno ſalutis 1589. ætatis ſuæ 19. votorum 4. profeſſionem in ea emiſit. Docuit Humaniores litteras, & multis annis vixit in Collegio Romano Confeſſarius Academię illius iuuentutis. Demum octogenario maior, ex illo in Cælum (vt fas eſt ſperare) emigrauit die 16. Septembris 1653. Illius meminerunt inter viros illuſtres Leo Allatius in Apibus Vrbanis, & Iſidorus Vgurgierus Azzolinus in Pompis Senenſibus tit. 8. num. 104. Edidit Italicè ſub nomine Academici occulti

Tragædias V. nempè 1. Olaum. 2. Eduinum. 3. Sidrach, Miſach, & Abdenagum. 4. Dauidem. 5. Præcipitium falſorum Numinum in Verbi Incarnatione. Romæ apud Guilielmum Facciottum 1628. in 12.

Reddidit etiam Italicè librum

Roberti Cardinalis Bellarmini de Gemitu Columbæ. Romæ apud Zannettum anno 1617. in 12.

TARQVINIVS GALLVTIVS natione Italus, patria Sabinus, natus anno ſæculi tranſacti 74. Societati nomen dedit eiuſdem 90. & votorum 4. ſacramento ſolemni ſe adſtrinxit. Diu in Romana luce Rhetoricam exquiſitè docuit, magni Oratoris munus in nobiliſſima Patrum corona, frequentique eruditorum hominum conuentu, non ſemel exercuit. *Hunc multiplicis doctrinæ virum editis voluminibus nobilem Europa ſuſpicit, Romana Iuuentus auidè & hilarè audit.* Verba hæc ſunt Andreæ Victorelli apud Leonem Allatium in Apibus Vrbanis. Nimirum Eloquentiam decennio Romæ profeſſus eſt; Ethicam quadriennio; Græcorum Collegium in Vrbe annis duodeuiginti magna prudentiæ laude, & virtutis moderatus eſt, & in eo demum mortalitatem exuit die 28. Iulii 1649. Edidit Gallutius

Carminum Libros III. Romæ apud Maſcardum 1611. in 12. & apud Zannettum 1616. in 12. cum auctario

Orationum Tomos II. Romæ apud Zannettum 1617. in 12. Coloniæ apud Ioannem Chrithium 1618. in 12.

Virgilianas vindicationes, & Commentarios 3. De Tragædia, De Comœdia, De Elegia. Romæ typis Alexandri Zannetti anno 1621. in 4.

Orationem in funere Roberti Cardinalis Bellarmini habitam. Romæ iiſdem typis, & anno in 4.

Orationes duas de Chriſti Paſſione habitas co-

coram Paulo V. annis 1615. *&* 1619. quæ cum aliis aliorum eo de argumento prodierunt. Romæ typis Maſcardi 1641. in 12.

Orationem de Chriſti funere babitam coram Vrbano VIII. in Paraſceue anno 1625. iiſdem typis & anno in 4. & poſtea cum aliis 1641. in 12.

In Ariſtotelis Libros 5. *priores Moralium ad Nicomachum, Nouam interpretationem, Commentarios, & Quæſtiones.* Pariſijs per Sebaſt. Cramoiſy 1632. in folio.

In Ariſtotelis Libros 5. *Poſteriores Moralium.* Pariſiis eiſdem typis 1645. in folio.

Italicè præterea edidit

Renouationem antiquæ Tragœdiæ, & Defenſionem Criſpi. Romæ typis Vaticanis 1633. in 4.

Ex his operibus varia recuſa ſunt in Parnaſſo Societatis Francofurti 1654. in 4.

TERENTIVS ALCIATVS natione Italus, patria Romanus, origine Mediolanenſis, & nobili ſtirpe natus anno ſalutis 1570. poſt quinquennium impenſum ſtudio legum vicennis ſe adiunxit Societati 9. Martii 1591. & vota 4. ſolemni ritu concepit. Philoſophiam quinquennio, Theologiam annis 17. in Collegio Romano profeſſus eſt, ſtudioſiſſimus ſemper doctrinæ D. Thomæ, & ſtudiorum Præfecturam ibidem annis 13. geſſit. Poſtea Vaticanæ Pœnitentiariæ Rector, & Domus Profeſſorum Vice-Præpoſitus fuit, & electus à Comitijs Prouinciæ Congregationi generali nonæ interfuit. Magni valdè à Cardinalibus, & Præſulibus ob eminentem doctrinam habitus, à S. Congregatione S. Officii in Cenſorem ſeu Qualificatorem adſcitus eſt, à S. Congregatione Rituum in Conſultorem, iiſque muneribus annos complures eſt perfunctus. Denuum dum Vices etiam Prouincialis Romani obiret in adminiſtranda Prouincia, & dirigendo Conuentu Prouinciali, ictus apoplexia, ſed vltimis Eccleſiæ præſidiis rite communitus ad laborum præmia emigrauit Romæ die 12. Nouembris 1651. Vir fuit ſummæ modeſtiæ, amabiliſſimæ naturæ, perquam obſeruans religioſæ diſciplinæ, eruditionis exquiſitæ in omni genere, vt non immeritò Laurus in Orcheſtra apud Leonem Allatium in Apibus Vrbanis eum appellet: *Eruditorum vrbaniſſimum cuius amabile ingenium, & in tradendis ſanctioris Philoſophiæ præceptis induſtriam pluſquam fraternè exoſculeris.* Edidit Italicè ſub nomine Emmii Taciti

Vitam P. Petri Fabri primi Sociorum S. P. N. Ignatij, ex latinè ſcripta à Nicolao Orlandino. Romæ apud hæredem Bartholomæi Zannetti 1629. in 8. Prodijt cum aliis eiuſdem argumenti

Oratio de Paſſione Domini, quam babuit ad Clementem VIII. anno 1602. Romæ typis Vitalis Maſcardi 1641. in 12.

Parabat auctoritate Vrbani VIII.

Acta Concilij Tridentini aduerſus hoſtes veritatis, & nominatim contra mendaciſſimam Hiſtoriam Petri Suauij Polani, multaque longo ſtudio ad id pertinentia collegerat, quando mors manum de tabula tollere coegit, & ſpartam illam nobiliſſimo Scriptori P. Sfortiæ Pallauicino poſtea S. R. E. Cardinali ornandam relinquere.

* THADÆVS VVERINGA natione Belga, patria Groninganus, natus anno ſæculi ineuntis 1. Societati ſe inſeruit 1620. & ſpiritualium Coadiutorum vota nuncupauit. Strenuum per annos 24. egit in vinea Domini apud Hollandos Operarium, & ad mercedem laborum ex natali ſolo migrauit ad cœleſtem patriam (vt fas eſt credere) die 5. Nouembris 1670. Edidit Belgicè

Viam Cæli. Antuerpiæ 1664.

THEOBALDVS STOZIVS (ſic enim vocabatur, quem Petrus Ribadeneira, & Philippus Alegambe Theobaldum N. nominant) natione Germanus, gente Sueuus diœceſis Auguſtanæ, Societati adſcriptus anno ſalutis 1559. ætatis ſuæ 24. vota tria ſolemnia profeſſus eſt 1570. Docuit aliquandiù litteras Græcas, & annos multos functus eſt munere Confeſſarij in Collegio Auguſtano. Religioſè obiit die 11. Nouembris 1594. Tranſtulit ex lingua Latina in Germanicam

De Vita S. P. Ignatij Societatis Ieſu inſtitutoris Lib. V. à P. Petro Ribadeneira conſcriptos. Item

Varias Epiſtolas Annuas Iaponicas.

THEODORICVS BAECK natione Germanus, patria Vberlinganus ad Lacum Acronianum, natus anno ſæculi elapſi penultimo Societati nomen dedit labentis 18. & votorum 4. nuncupatione ſe obſtrinxit. Matheſim quinquennio partim in Friburgo-Briſgoiana Academia, partim Lucernæ Heluetiorum profeſſus eſt, & Theologiam Moralem aliquamdiù docuit. Sed maximam longè vitæ partem exegit in obſequiis ſpiritualibus Sereniſſimi Landtgrauij Haſſiæ Frederici nunc Eminentiſſimi S. R. E. Cardinalis, cui ab annis amplius 30. fuit à Sacris Confeſſionibus, eaque de cauſa Romæ in Domo Profeſſorum aliquot annis commoratus, tandem longa attritus infirmitate, & conſuetis Eccleſiæ præſidiis munitus, ibidem ſpiritum Deo reddidit, die 9. Martii 1676. Edidit olim

Tubum Optico-Geometricum nouum Diſputationi propoſitum. Friburgi anno 1632. Item

Architectonicam Militarem defenſiuam, & oppugnatam, ac defenſam. Lucernæ typis Ioannis Hederle 1635.

THEODORICVS KRALLIVS natione Bohemus, patria Cadanenſis, adlectus in Societatem anno Domini 1581. ætatis 20. ſuauitate morum, grauitate religioſa, ac modeſtia temperata illuſtris; in rerum agendarum ratione æquè ſimplex, ac prudens, iuuandi ſtudio æquabilis in omnes, quo nomine gratus cunctis

ctis fuit. Incredibili ſemper arſit alienæ ſalutis ſtudio, omnibuſque incedebat lætitijs, ſi quem à perfidia abduxiſſet. Annis 26. egit Eccleſiaſten, indefeſſus omnino ad extremum vſque ſpiritum operarius, Confeſſionibus audiendis intentum mors offendit, & rheumate tam celeriter oppreſſit, vt ei de reliquis viæ præſidijs (nam ſacrum paulò ante fecerat) deliberandi tempus ademerit. Gradum habuit in Societate Coadiutoris Spiritualis, annos in ea 53. vitæ 72. Obijt Græcij pridie nonas Aprilis anno ſalutis 1633. Edidit Germanicè ad captum plebis

Notas veræ Catholicæ Fidei per breues interrogationes, & Reſponſiones explicatas. Græcij typis Vvidmandſtadij 1629. Item

Bicipitem Lutherum in negotio Communionis ſub vtraque ſpecie. Græcij apud Vvidmanſtadium 1631. nomen vero ſuum expreſſit in calce Præfationis vel tractatus.

* THEODORVS DVLMAN natione Germanus, patria Colonienſis, natus anno ſæculi euoluti 98. Societati ſe applicuit voluentis 15. & votorum 4. ſolemni ſacramento ſe adſtrinxit. Poſt traditas litteras manſuetiores, & Matheſim annis aliquot, latinè dixit ad Academicos Vbios, poſtea vernaculè in ſumma Aede Metropolitana Coloniæ, Treuiris, & Confluentiæ inſigni zelo, atque fructu. Rexit Collegium Aquiſgranenſe, & à Præpoſito Prouinciali adlectus in ſocium itinerum, ac curarum, magno ei adiumento fuit. Enimuerò ſui ſemper ſimilis exſtitit, ſerius, recti tenax, Inſtituti ac religioſæ diſciplinæ amans, orationi perquam addictus, cui vltra matutinam omnibus communem adijciebat alteram poſt meridiem. Poſtremis annis cum ob tumorem manuum, aliàque corporis fatiſcentis incommoda ad aram amplius facere non poſſet, quotidiana tamen expiatione & Sacra Synaxi id compenſare ſtuduit. Demum ſeptuagenarius leui febricula, & ſtomachi deiectione correptus, magna in Deum fiducia ad illa verba: *Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies*, placidè exſpirauit, Coloniæ die 8. Ianuarij 1668. Edidit Latinè

Oratorem Chriſtianum. Coloniæ typis Freiſſem 1646. in 12.

Peregrinum Chriſtianum, & Amuſſim vitæ Spiritualis. Coloniæ apud Hermannum Mylium 1646. in 8.

Commentationes de Amore Dei ſuper omnia, latinè. Coloniæ apud Freiſſem 1664. in folio.

THEODORVS KIEVIT, natione Belga, patria Roterodamenſis cooptatus in Societatem anno ſalutis 1618 ætatis 20. Spiritualium Coadiutorum gradu donatus, multis annis in Hollandica Vinea gnauum atque vtilem egit operarium. Demum Antuerpiæ religioſè deceſſit die 7. Septembris 1652. Edidit ſub nomine Anagrammatico Turiani Vekiti verſum à ſe Flandricè

Compendium Meditationum P. Ludouici de Ponte. Antuerpiæ 1638.

THEODORVS MORETVS natione Belga, patria Antuerpienſis, natus anno ſæculi prætcrlabentis ſecundo, Societati ſe addixit eiuſdem 18. & votorum 4. ſacramento ſolemni ſe obſtrinxit. Abſoluto ſtudiorum curriculo miſſus in Bohemiam ſubſidiarius, ibi Magiſter Artium liberalium & Philoſophiæ, docuit Ethicam triennio, Philoſophiam ſexennio, Theologiam Moralem quadriennio, Polemicam biennio, & Sacras litteras quadriennio eſt interpretatus. Matheſim Pragæ & Vratislauiæ 14. annis profeſſus eſt, & ſtudijs altioribus aliquamdiu præfuit. Vir in omni genere Scientiarum bene verſatus; ſed non minor ei à virtutibus laus; nam religioſæ diſciplinæ fuit obſeruator accuratus; de profectu ſuo ſpirituali valde ſollicitus, ad quem promouendum adhibebat diligenter examina tum particulare, tum generale, conferendo inter ſe incrementa, & decrementa, prout ex eiuſdem aduerſarijs poſt mortem compertum eſt. Orationi multum vacabat, faſſuſque aliquando eſt nullam meditationem in Societate à ſe fuiſſe prætermiſſam. Quin & ab illuſtri viro confeſſionis cauſa ad ipſum accedente in cubiculo, deprehenſus eſt defixis in cælum oculis quaſi abreptus à ſe, & inhærens Deo. Clatouiæ Rector dum eſſet, ſuis ipſe manibus diſtribuebat egenis iuſculum ad portam Collegij, & neminem ſine ſtipe ſinebat abire, tametſi ſæpius ijdem reuerterent. Demum annis grauis, & Sacramentis omnibus ritè præmunitus piè vti vixit, obijt Vvratislauiæ die 6. Nouembris 1667. Edidit

Propoſitiones Mathematicas de Celeri & Tardo, Natura & Armorum. Pragæ 1635. in 4.

Mathematicos Tractatus de Fontibus Artificialibus. Pragæ 1641. in 4.

Axiomata Chriſtianæ Philoſophiæ. Pragæ 1646. in 12.

Vitas Sanctorum qui peculiari officio coluntur in Regno Bohemiæ. Pragæ 1649. in 4.

Allegorias & Soliloquia in Pſalmos. Antuerpiæ 1658. in 8.

Affectuoſa Solatia morientium. Coloniæ 1662. in 12.

Philaletham Marianum, contra calumnias cuiuſdam Prædicantis in B. Virginem. Vvratislauiæ 1661. in 4.

Catechiſmum Lutheri Germanico Idiomate, ex ipſis verbis Lutheri Catholicè loquentibus. Brigæ 1666. in 12. & alibi.

De Principatu B. Virginis. Antuerpiæ typis Moreti 1670. in folio, & Coloniæ 1671.

De Raro & Denſo, & de Tubo Optico intra Aquam. Vvratislauiæ 1660.

De Imagine Viſionis, & de admirando ſpeculo Concauo metallino tricubitali confecto ab ipſo. Vvratislauiæ 1661. in 4.

De Ponderum grauitatione. Ibidem 1663. in 4.

De magnitudine Soni. Ibidem 1664. in 4.

De Aeſtu maris Tractatum. Antuerpię apud Iacobum Meurſium 1665. in 4.

De Aeſtu maris propoſitiones Mathematicas, quaſi Synopſim tractatus præcedentis. Vvratiſlauiæ 1665. in 4.

De Luna Paſchali & Solis motu. Vvratiſlauiæ 1666. in 4.

Theſes Hydroſtaticas de prima ſuppoſitione Archimedis de innatantibus humido Pragæ 1667 in 4.

Orationem S. Sabbæ Abbatis è Græco Latinè redditam. Vvratiſlauiæ 1662. in 8.

THEODORVS PELTANVS natione Belga, ex Peltæ ditionis Leodienſis pago, Vir fuit Græce Latineque doctiſſimus, & in alijs ſcientijs probe verſatus cuius hic elogium adſcribere placet, e Sacræ Theologiæ Profeſſoribus Academiæ Ingolſtadienſis Auctore Ioanne Engerdo, Valentini Rotmari continuatore.

Theodorus Antonius Peltanus ex Inferioris Germaniæ Pelta pago oriundus, Societatis Ieſu Theologus, anno Domini 1556. cum aliis quibuſdam Patribus de Societate Ieſu, Thoma Lentulo Nouiomagenſi, Ioanne Cuuillonio Inſulenſi, & Hermanno Tyræo Noueſſenſi, Doctoribus Theologis, menſe Auguſto ad Ingolſtadienſem accedit Academiam, & Græcæ Hebraicæque litteraturæ Profeſſor ordinarius conſtituitur. In Theologia omnes gradus, tam Baccalaureatus, quam ſupremos eſt adeptus. Anno Domini 1562. menſe Aprilis Doctoratus recipit inſignia, & in lectione Theologica D. Cuuillonio qui ad Concilium Tridentinum proficiſcebatur, ſuccedit. Si quis vel propter ingenii candorem, & acumen vel in diſputando, tam in Philoſophica, quam Theologica arena, ſubtilitatem & promptitudinem meretur laudem, certè ille ampliſſimis dignus eſt encomiis; vt interim linguarum cognitionem, quam publicis ſcriptis & verſionibus & aptiſſimis, & ornatiſſimis toti Eccleſiæ iam teſtatum reliquit, ſilentio præteream. Docuit Theologiam ab anno 62. vſque ad 74. frequentibus in materia Theologica diſputationibus habitis. Seceſſit poſtea Auguſtam Vindelicorum, vt ſe quieti ſenex traderet, quæ etiamnum eiuſmodi fuit, vt cum ſumma totius Eccleſiæ Catholicæ, & Religionis vtilitate coniuncta eſſet. Hæc ibi. Cæterùm in Auguſtano Collegio ſuperſtes fuit ad annum vſque 1584. quo quieuit in Domino ad diem 6. Nonas Maii, cùm 32. in Societate annos tranſegiſſet, & profeſſionem votorum 4. anno 1570. emiſiſſet. Epitaphium illi poſuit in ſua ſchola facultas Theologica Ingolſtadii huiuſmodi. Theodorus Peltanus Societatis Ieſu Sacerdos, Theologiæ Doctor, vnus ex primis illis Patribus fuit, vir omniſcius (ſi quis noſtra memoria) in hac Academia floruit. Poſt multum ſudorem, & algorem in re Dei, Academiæ, Religionis conſumptum, Ingolſtadii, poſt litteras Græcas, Hebraicas, Theologicas publice explicatas, Auguſtæ Vindelicorum ſcribit ſua, conuertit aliena, tanta felicitate & fructu, vt merito ei poſſit illud poni Ambroſianum. *Vixit Eccleſiæ, mortuus eſt Deo*. Moritur Auguſtæ anno Domini 1584. 2. Maii. Nunc de ſcriptis videamus.

Theſes plurimas de diuerſis Controuerſiis, & publicè Peltanus diſputauit frementibus Hæreticis, & typis, vt ad alios quoque emanaret vtilitas, euulgauit. Sunt in manibus.

Propoſitiones de Purgatorio igne; De animarum ſedibus. De Vita functorum Suffragijs; De Chriſtianorum ſepulturis, exequijs & anniuerſarijs. Ingolſtadii 1569.

Tractatus Theologicus in XV. Capita diſtinctus de tertia, & poſtrema ſatisfactionis parte. De Eleemoſynarum vi, vſu, neceſſitate, partibus, & periſtaſibus ex occaſione grauis annonæ ſcriptus & diſputatus. Ingolſtadii ex Officina Vveiſſenhorniana 1572.

De Chriſti ſatisfactione, & Maieſtate, itemque de noſtra ſatisfactione & Purgatorio Lib. III. Coloniæ apud Geruinum Calenium & Hæredes Quenſelii 1576.

De Matrimonio. De Peccato Origenis Tractatus 18.

De Maieſtate Corporis Chriſti.

De Sanctorum Origine, Canonizatione, cultu & inuocatione, Reliquijs & Imaginibus.

De Tribus bonorum Operum generibus, Eleemoſyna, Ieiunio, & Oratione Lib. III. Ingolſtadii apud Dauidem Sartorium 1580. in 4. vtiliſſimum opus, vernis Quadrageſimæ aptum ieiuniis.

Scripſit præterea

Theologiam Naturalem, & Theologiam Myſticam.

Quæ verò de Græcis latina fecit, hæc Ingolſtadii, & alibi excuſa

Andreæ Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopi Commentarij in Apocalypſim Ingolſtadii 1574.

Synodi Epheſinæ Primæ acta Lib. IV. latina primus Ciuitate donauit, & Periochis illuſtrauit, ac Notis. Ingolſtadii apud Dauidem Sartorium 1576. & typis Commelianis 1604. in folio & emendatius Romæ.

Septemdecim Græcorum Patrum Homilias in præcipua Chriſti Saluatoris feſta. Latinè reddidit & vno volumine euulgauit iiſdem typis 1579. in 8. Item.

Victorem Antiochenum in Marci Euangelium, &

Titum Boſtrorum Epiſcopum in Lucam conuertit, qui extant Tomo IV. Bibliothecę magnæ Patrum.

Reliquit etiam poſthumum partum

Catenam Græcorum Patrum in Prouerbia Salomonis, latinè factam, in eadem Prouerbia

Com-

Commentarios, ac Paraphraſim, docta, pia, laborioſa Verbi Dei Eccleſiaſtis perutilia, ne dicam neceſſaria. Hæc quidem typis edita ſunt Antuerpiæ apud Verduſſium 1606. in 4. & apud Gaſparem Bellerum 1607. Catena vero prodiit Antuerpiæ typis Verduſſij 1604. in 8. Denique Edidit

Metaphraſim B. Gregorij Thaumaturgi in Eccleſiaſtem cum Notis ſuis.

* THEODORVS RHAY natione Germanus, patria Reſenſis in Cluuia, natus anno ſæculi præterfluentis tertio, Societati ſe aggregauit 1622. & tria vota ſolemnia profeſſus eſt; Collegio Marcodurano octennium præfuit, Reſidentiæ Sultzbacenſi quadriennium; Iuniorum Principum Neoburgi & Iuliæ Inſtructor aliquot annis fuit. Vir conſilio promptus, in executione ſtrenuus, in conuerſatione affabilis, in miſcendis de Deo colloquiis eloquens. Principibus, ſummiſque viris mirificè gratus, pietatis erga S. Annam Chriſti Auiam, & Tutelarem Vrbis Marcoduranæ perquàm ſtudioſus. Dum ſecundò regeret Marcoduri Collegium inter acerbiſſimos febrium dolores, & crebra ad Deum, & Cælites ſuſpiria religiosè obiit die x. Martii 1671. Edidit

Deſcriptionem Regni Thibet Latinè. Paderbonæ typis Henrici Pontani 1658. in 4.

Relationem rerum Mirabilium Regni Mogor, Latinè Neoburgi 1663. in 4.

Arcam alteram Noë pro Tironibus Latinè. Coloniæ 1665. in 12.

Amicam litem de præcipuis controuerſijs Fidei Germanicè. Coloniæ apud Freiſſem 1665. in 12.

Confuſam Confeſſionem Quackerorum. Germanicè. Coloniæ typis iiſdem, & anno in 12.

THEODORVS ROSMER, natione Belga, patria Traiectenſis, natus nona Ianuarii anno 1575. ad Societatem acceſſit 1599. & votorum 4. profeſſionem emiſit. Quinquennio docuit manſuetiores litteras, triennio Theologiam Moralem. Operarius indefeſſus Galliam, Italiam, Germaniam, Hiſpaniam peragrauit Confeſſarius, quà Marchionis Spinolæ Archiſtrategi Belgici, quà Sereniſſimi Ducis Neoburgici, apud quos gratia & auctoritate valebat plurimùm; ſicut & apud omnes ferme proceres, atque adeo apud ipſam Sereniſſimam Iſabellam Belgii Gubernatricem. Duarum pulcherrimarum Miſſionum æque, ac difficillimarum Caſtrenſis, & Naualis Superior fuit, & quidem poſterioris primus. Seruiuit etiam peſte infectis, & partes omnes expleuit Apoſtolici viri. Ex corporis ergaſtulo ad laborum præmia euolauit Mechliniæ die 5. Nouembris 1645. Edidit conuerſas à ſe in linguam vernaculam

Meditationes de B. Virgine Maria à Thoma Villacaſtin noſtro compoſitas. Antuerpiæ apud Ioannem Cnobbaert

Habebat ſub manibus ſed morte præuentus non edidit

Paſtorem animas Curantem, ſeu inſtructionem ad Paſtores.

THEOPHILVS BERNARDINVS natione Gallus, patria Sedanenſis, admiſſus Tornaci in Societatem, anno ſalutis 1593. ætatis 24. vota 4. nuncupauit. Vir multis in Societate muneribus cum laude functus, rerum Spiritualium ſcientiſſimus, ad quas nouem annis Noſtros inſtruxit; ſeorſim etiam ſexennio Patres in Tertia Probatione. Diu Caſus conſcientiæ & controuerſias docuit, multa erat illi cum Deo familiaritas, magna cum omnibus comitas, & ſermonis affabilitas. Obiit Atrebati tertia fere à ſuſcepto illius Collegii regimine hebdomada, die 15. Auguſti anno ſalutis 1625. ætatis 56. Religionis 32. Edidit Gallicè

Cynoſuram Chriſtianam ſeu Methodum ad rectè inſtituendam deliberationem de Statu vitæ deligendo. Leodii apud Ioannem Ovverx 1616. in 12.

De virtutum acquiſitione accommodata ad omnium ſtatuum genera. Tornaci apud Carolum Martin 1615. in 12.

Item tacito ſuo nomine

Praxim bonarum intentionum, quæ ab Engelberto Desbois Præpoſito Eccleſiæ Inſulenſis, poſtea Epiſcopo Namurcenſi latinè reddita prodiit tum alibi, tum Viennæ Auſtriæ apud Gregorium Gelbhaar 1620. in 12. Italicè. Item ſub Auguſtino Fornelli Romæ typis Cameræ Apoſtolicæ 1627. Latinè edidit

De Religioſæ perſeuerantiæ Præſidijs Libros XI. Antuerpiæ apud Martinum Nutium 1622. in 4. & 1628. ſub titulo ſpeculi perfectionis Religioſæ in 8.

Inſtitutionem vitæ ſiue de Optimo vitæ Statu certam deliberandi viam. Antuerpiæ ex Officina Plantiniana, editione ſecunda, auctius & emendatius 1624. in 8.

THEOPHILVS CHRISTECVS natione Polonus, patria Bieczenſis, cùm in Prouincia Auſtriæ fuiſſet ad Societatem admiſſus anno Domini 1585. ætatis ſuæ 25. omnibuſque diſciplinis excultus, non parùm diu humaniora ſtudia tractaſſet, tandem etiam & alibi quinquennio, & Pragæ ſexennio Rector Collegio præfuiſſet, in Poloniam migrauit ſub annum 1617. & Cracouiæ, Gedani, Mariæburgi, Croſnæ animarum lucris ſe diligenter impendit, vſque ad mortem quam Croſnæ oppetiit die 3. Nouembris 1622. Edidit ſuppreſſo nomine

Librum Carminum quo Diui Tutelaris Diœceſis Cracouienſis gratulantur ingreſſum in Sedem ſuam Illuſtriſſimo Domino Martino Szyskovvski Epiſcopo Cracouienſi. Cracouiæ apud Andream Petricouium 1617. in folio

THEOPHILVS RAYNAVDVS natione Gallus, an potiùs Italus? patria Ceſpitellenſis in Comitatu Niceenſi, ingreſſus in Societatem anno 1592. ætatis 16. Auenione, votorum 4. profeſſionem emiſit. Vir præſtanti ingenio, acri iudicio, prompta facundia, & omni

ſcientiarum genere excellens. Andreas Sauſſaius Epiſcopus Tullenſis cap. 20. Appar. ad Martyrol. Gallicanum eum vocat præſtantiſſimum Theologum, nitore eloquii, & conſummatæ eruditionis copia plenum. Illuſtriſſimus D. Ioſephus Maria Suareſius Epiſcopus Vaſionenſis eum appellat Virum inexhauſtæ lectionis, alium Calchenterum, ob laborem ſtudiorum. Ioannes Balſetus in Defenſione Miſſæ lib. 1. cap. 11. ita de illo loquitur: R. P. Theophilus Raynaudus vnus ex maioribus, & doctioribus Theologis, qui nunc in Eccleſia Dei fulgent laude ſapientiæ. Eminentiſſimus Cardin. Bona in opere de Harmonia Eccleſiæ, ait eum eſſe omni doctrina & eruditione refertum, & multitudine librorum quos ſcripſit, omnibus notum. Doctrinam tantam ornarunt non mediocria virtutum decora. Nam regularum inprimis fuit obſeruantiſſimus, adeòut ad ſignum campanæ vocantis, ſtatim omnibus viſus ſit adeſſe inter primos ad omnia religionis munia exequen ia. In victu valde abſtinens, paucis & communibus ſemper vſus cibis, vix amplius vno quadrante dabat menſæ. Puritatis amator ſummus, mulierum colloquia cum erant neceſſaria, etiam ſenex paucis verbis definiebat. Vocationis ſuæ religioſæ tenaciſſimus, quamuis, & vtilia & honorifica extra Societatem ei promitterentur à Primoribus; ſi hanc inter aſpera, quæ ſubinde patiebatur, deſerere vellet, nunquam eos auſcultare voluit. Sanctæ Sedi Apoſtolicæ in paucis addictus, hanc contra Hæreticos & Nouatores, calamo, & ſermone pugnaciſſimè defendit. Denique octogenario maior, & multis clarus virtutibus, ictus apoplexia migrauit ad Dominum Lugduni die vltimo Octobris 1663. Scripſit doctiſſimus Pater opera plurima, variis locis & formis excuſa, quæ deinde longo labore ab Auctore aucta, & limata, & in 19. tomos in folio digeſta. Lugduni ſumptibus Horatii Boiſſat, & Georgii Remeus anno 1665. edita ſunt, quorum ſyllabus eſt, qui ſequitur

Tomus I. *De Chriſto Deo & Homine.*

Tomus II. *De Attributis Chriſti*

III. *De Morali Diſciplina.*

IV. *De Virtutibus, & Vitijs.*

V. *De Theologia Naturali, & Scalis à viſibili Creatura ad Deum.*

VI. *Euchariſtica* in quo I. *De Candelabro Sancto Septiluſtri*, II. *De Apparitionibus Sacramentalibus*. III. *De Exuuijs Panis & Vini.* IV. *De Sacro Chriſtiano Achatiſto.* V. *De Prima Miſſa, & Chriſtiana Pentecoſte.* VI. *De Communione pro Mortuis.*

VII. *Marialia* in quo I. *Dyptica Mariana*. II. *Scapulare Marianum illuſtratum, & defenſum*. III. *De retinendo Titulo Immaculatæ Conceptionis*. IV. *Nomenclator Marianus è Titulis B. Virginis contextus cum gloſſario*. V. *De O. paraſceuaſtico Septiduanis Antiphonis præfixo*.

VIII. *Hagiologium Lugdunenſe*, in quo I. Diſſertatio de Primatu Lugdunenſi. II. Indiculus Sanctorum Lugdunenſium, III. De S. Ambroſii natali ſolo. IV. De S. Benedicto Paſtore, & Pontifice Auenionenſi, V. De S. Ioanne Euangeliſta. VI. De pietate Lugdunenſi erga B. Virginem Immaculatè Conceptam. VII. De S. Gregorio Perſonali, & Symbolico. VIII. De Symbolis Antonianis. IX. De dictione triplice, de S. Ignatio Loyola. X. De Titulis pietatis ſpecialis erga vnum aliquem Sanctum. XI. Epimetra duo de Martyribus, & officio Eccleſiaſtico Lugdunenſi.

IX. *Hagiologium Exoticum* in quo I. De Trinitate Patriarcharum S. Brunonis, S. Franciſci de Paula, S. Ignatii de Loyola. II. De Triade Fortium Dauid, B. Roberto de Arbriſſello, S. Bernardo, Ven. P. Cæſare de Bus. III. De S. Maria Ægyptiaca cum Epimetro de SS. Pœnitentibus. IV. De Sancto Latrone. V. De Iuda Proditore. VI. De Angelo Cuſtode, eique Antiſtropho malo genio.

X. *Pontificia*, in quo primo De Corona aurea ſupra Mithram Romani Pontificis. II. De Bicipite Eccleſiæ ſub SS. Petro, & Paulo. III. De Agnis Cereis Pontificia benedictione conſecratis, IV. De Roſa Mediana à Pontifice Principibus Dono Miſſa, & Ritu Sacro Dominicæ quartæ in Quadrageſima. V. De Gladio, & Pileo à Pontifice benedicto in nocte Natalis Domini.

XI. *Critica Sacra* in quo I. De minutalibus Sacris. II. De Cogitationibus prioribus, & poſterioribus cum faculis ad Raymundum Iordani, vulgò Idiotam, III. De Syntaxi Operum S. Anſelmi, IV. De Valeriano Camelienſi Epiſcopo. V. De Cenſura inofficioſæ Cenſuræ libri de Prædeſtinatione, & Gratia. VI. De Confiteor Reformato; de Paternitatis titulo religioſis non abrogando. VII. De iuſta, & iniuſta confixione librorum. VIII. Threnodia rei litterariæ. IX. De Breuiarij Chronologiæ Chriſtianæ partibus duabus Sacra & Humana.

XII. *Miſcella Sacra* in quo I. Mala è bonis Eccleſiæ malè ſiue captatis ſiuè diſpenſatis. II. De Sobria alterius ſexus frequentatione per Sanctos Homines. III. De Hoplotheca contra ictum calumniæ.

XIII. *Philologica* In quo I. De Incorruptione Cadauerum. II. De Stigmatiſmo Sacro, & prophano. III. De vitæ ac mortis humanæ terminalibus. IV. De bono regimine SS. Cætuum. V. De laude breuitatis. VI. De Anagnoſte ad religioſam menſam. VII. De Bibliotheca noua Homiliarum. VIII. De pileo cæteriſque capitis tegminibus.

XIV. *Opuſcula moralia* in quo I. De honore Iudicis, an eum eximat ab obligatione retractandi. II. Gemitus Columbæ de Iudicijs ſæculi, ſeu damnatione inauditi. III. De Æquiuocatione, & mentali reſtrictione. IV. De Ortu infantium contra naturam, per ſectionem Cæſaream. V. De Monitorijs Eccleſiaſticis, & timore Excommunicationis. VI. De triplice

Eunu-

Eunuchiſmo, An ob muſicam exſectio puerorum licita?

XV. *Heteroclita Spiritualia* & Anomala pietatis cæleſtium, & infernorum in quo I. Quæ circa Deum, Chriſtum & Sanctos eius. II. Quæ circa vita functos fideles, iure non facto cælites.

XVI. *Heteroclita Spiritualia*, & Anomala pietatis Terreſtrium in quo I. Circa media ſalutis noſtræ Sacramenta, & Sacramentalia. II. Quę circa verbum Dei, & virtutes noſtrates.

XVII. *Aſcetica*, in quo I. Iudæ poſteri, Apoſtatæ à Religioſis ordinibus. II. Religioſus Loricatus, quatenus liceat viris Sacris arma tractare. III. Maleuoli erga Religioſos Maledicti, beneuoli Benedicti. IV. De Amore nationis, & cognitionis temperando. V. Pratum Spirituale, de varia Christiana Hiſtoria huius ætatis, Centuria vnica. VI. De Excellentia, & pretioſitate voti.

XVIII. *Polemica*, in quo I. Noua libertas Gibieufiana diſcuſſa. II. Non cauſa vt cauſa, contra Guilielmum Camerarium. III. Clemens Scotus Virbius, Apoſtata Societatis exagitatus. IV. Arnoldus de Brixia rediuiuus in Arnoldo de Lutetia. V. Vulpes paruula capta & corio nudata; de ſenſu compoſito & diuiſo. VI. Miſſi Euangelici ad Sinas defenſi contra Thomam Hurtado. VII De Exſolutione à votis Religioſis; Apologia pro S. Ignatio. VIII. Ioannes Lanoyus, Hercules Commodianus repulſus. IX De Martyrio per peſtem, à Sacra Congregatione Indicis recudi permiſſus.

XIX. *Indices in hæc opera ſeptemdecim*, I. Biblicus locorum Sacræ Scripturæ explicatorum. II. Theologicus Quæſtionum Scholaſticarum. III. Polemicus Controuerſiarum Fidei. IV. Caſuiſticus Quæſtionum Moralium. V. Philoſophicus Quæſtionum Philoſophicarum. VI. Concionatorius omnium ampliſſimus. VII. Hiſtoricus Exemplorum ad Catecheſes. VIII. Catechiſticus ad Doctrinam Christianam. IX. Philologicus Antiquitatum, Rituum, Criticeſ. X. Aſceticus Totius vitæ Spiritualis, & Chriſtianæ perfectionis. XI. Medicus. XII. Bibliographicus, Auctorum ſingularium & variorum à Theophilo adductorum. XIII. Onomaſticus vocum obſcuriorum, & peregrinarum. XIV. Canonicus. XV. Iuridicus. XVI. Oratorius continens Flores Patrum. XVII. Vniuerſalis ſeu ſylua omnium materiarum.

Tomum XX quem *Apopompæum* vocant, ediderunt alij poſt obitum Theophili, ſine approbatione Superiorum Societatis, vnde hæc illum tamquam partum legitimum non agnoſcit.

Præterea aduertendum, recenſeri in hoc Elencho opuſcula tria olim à Sacra Congregatione Indicis prohibita vel ſuſpenſa, ſcilicet *De Martyrio per peſtem*, *De Communione pro mortuis*, *& de Confixione Librorum*. Verùm poſtea ab Auctore emendata, ab eadem Sacra Congregatione anno 1659. recudi permiſſa ſunt, & liberè diſtrahi. Deinde opuſculum *De Exſolutione à votis* in Tomo 18. non fuit legitimè recognitum, & approbatum à Superioribus Societatis, & cùm nonnulla contineat de S.P.N. Ignatio non omnino veritati conſentanea, hunc quoque libellum Societas pro ſuo non agnoſcit. Denique obſeruandum etiam in Opuſculo *Contra Clementem Scotum Virbium* in eodem Tomo 18. numero 3., vnum tradi per errorem à P. Theophilo circa Declarationes in Conſtitutiones S. P. N. Ignatij, ſcilicet earum auctorem non fuiſſe S. Ignatium, ſed Patrem Iacobum Laynez cùm tamen certiſſimè conſtet Declarationes quoque compoſitas fuiſſe ab ipſo S.P.N. Ignatio prout aſſeuerantiſſime declarauit P. Claudius Aquauiua Præpoſitus Generalis litteris patentibus datis 1. Ianuarij 1588. vt ſuperiùs agendo de S. Ignatio fuſiùs expoſuimus.

* THOMAS AVRIEMMA natione Italus, patria Neapolitanus, Societatem amplexus anno ſæculi fluentis 32. ætatis ſuæ 18. vota 4. profeſſus eſt. Docuit litteras amœniores, & Theologiam Moralem, tum ſaluti proximorum procurandæ totum ſe impendit, informando ad pietatem populum Neapolitanum, erudiendo agreſtes crebris expeditionibus ad ſuburbanos vicos, & conſcribendo libellos pios vt prodeſſet quoque longè diſſitis. Demum multis religioſæ vitæ meritis cumulatus, & paupertatis Sanctæ amore conſpicuus, è patrio ſolo ad cæleſtem patriam (vt fas eſt credere) euolauit. Neapoli die 26. Nouembris 1671. Edidit Italicè

Animæ in vulneribus Chriſti domicilium. duabus Partibus Neapoli apud Robertum Mollum 1652. in 12. Recuſum Bononiæ 1658. Et iterum Neapoli 1667. in 8.

Chriſti Seruatoris Gratias hominibus collatas. Neapoli 1652. & 1657. in 8.

Mutuos Deiparam inter, ſuoſque Clientes affectus duobus Tomis. Neapoli 1657. in 8. Recuſum Panormi, & Bononiæ 1667.

Hiſtoriam Panegyricam S. Annæ. Neapoli 1665. in 4.

Vitam S. Annæ, & gratias ab ipſa collatas. Ibidem 1668. in 8.

Meditationes pias. Ibidem 1666 recuſa Bononiæ 1669.

Flammas & Sagittas amoroſas, erga Mariam Matrem amabilem. Neapoli per Ioſephum Paſſarum 1662. in 8.

Memoriam perpetuam B. Virginis in quotidianis actionibus. Neapoli per Roncagliolum 1670.

De Septem feſtis B. Virginis Mariæ. Neapoli per Hieronymum Faſolum 1661. in 8.

Memoriale Clericorum. Ibidem apud Nouellum de Bonis 1672.

THOMAS BACONVS qui SOVTHVVELLVS etiam adſcititio nomine dictus eſt, natione Anglus, patria Norfolcienſis, poſt emenſa Philoſophiæ ſtudia in Collegio Anglicano Romæ, ingreſſus ibidem in Socie-

cietatem eſt, anno ſalutis 1613. ætatis 21. in qua tantum profecit ingenio, atque induſtria, vt cum eſſet omni ſcientia inſtructiſſimus, ſumma cum laude Theologiam, Louanij & Leodij in Collegio Anglicano, annos XII. docuerit. Virtutibus egregiè claruit, quibus omnium ſibi animos facile deuinxit. Hoc tamen habuit eximium, quod in plurimis animi ornamentis, nihil præ ſe ferret eximium, adeo ſua decora ſtudioſe celabat. Inſtituti Societatis ſcientiſſimus iuxta atque obſeruantiſſimus fuit; ſilentij tam amans, vt nunquam illud ſolueret niſi ex lege. Ardenti in proximos caritate flagrabat, & influxu mirabili labebatur in animos mœſtorum, eiſque aptiſſima remedia adhibebat. Nihil patiebatur domi eſſe diſſidiorum, quod non componere ſtuderet illico, idque vel ſuæ exiſtimationis diſpendio, ſi res ita ferret. Ægros atque languentes, vti miſerebatur impensè ita ſolabatur ſedulo, & omni ope ſubueniebat. Magna molientem mors intempeſtiua intercepit. Vvatenis die XI. Decembris anno 1637. ætatis 45. Profeſſionis IV. votorum XI. Edidit in lucem

Regulam viuam, ſeu Analyſim fidei in Dei per Eccleſiam nos docentis Auctoritatem. Antuerpiæ apud Ioannem Meurſium 1638. in 4.

Reliquit paratum prælo *Tomum I. in Primam Partem Summæ S. Thomæ*.

THOMAS DE BARROS natione Luſitanus, patria Conimbricenſis, annos natus vndeuiginti Societati ſe adiunxit Goæ anno ſalutis 1610. & votorum 4. profeſſionem emiſit. Docuit Humaniores litteras, Philoſophiam, Theologiam ſpeculatiuam ſexennio, Moralem biennio. Rexit Miſſionem Mogorenſem & Thibetenſem, Collegia Damanenſe, Bazainenſe, Goanum, & demum totam illam Prouinciam, & ſatis vbique fecit. Præter reliquas virtutes patientia in illo ſummopere enituit, quam præcipuè captus à Malabaribus & ab iiſdem peſſime in captiuitate tractatus, exercuit. Eiuſdem virtutis meritum auxit valde, in præcipite ſenectute plurimis morbis & doloribus vexatus; quibus iam cælo maturus animam Deo reddidit in Collegio Racholenſi die 13. Aprilis 1658. Scripſit

Annuas litteras ex Æthiopia anni 1621.

THOMAS BISDOMINI natione Italus, patria Aretinus, admiſſus Romæ in Societatem anno ſalutis 1596. ætatis 14. Mediolani bis Philoſophiam ac ſubinde tum ibi, tum Genuæ, tum etiam Romæ Theologiam Moralem per annos 21. profeſſus eſt. Obijt Tuſculi die 19. Octobris anno 1633. ab emiſſa profeſſione IV. votorum 22. Edidit tacito ſuo nomine vir non minus comi pietate, quam doctrina commendabilis

Theoremata mille ex vniuerſa Philoſophia. Mediolani typis Ioannis Bapt. Piccalei 1610. in 4. Reliquit

De Caſibus Conſcientiæ Tomos aliquot.

THOMAS LE BLANC natione Gallus, patria Victoriacenſis in Diœceſi Catalaunenſi Societati ſe addixit anno 1617. iam vicennis, & votorum 4. ſacramento ſolemni ſe obſtrinxit. Rhetoricam & amœniores litteras docuit nouennio, linguam Hebraicam annis aliquot, & Sacram Scripturam ſexennio eſt interpretatus. Gubernauit Collegia Catalaunenſe, Virdunenſe, Muſſipontanum, Altiſiodorenſe, Diuionenſe, & Rhemenſe. Adminiſtrauit etiam Prouinciam Campaniæ, & duabus Congregationibus generalibus Romæ nempe Decimæ, & vndecimæ; interfuit. Vir fuit ex omni parte perfectus, & cum ſcientia virtutem ita coniunxit, vt difficile dictu ſit vtra magis excelluit. Sermo illius fere non niſi de Deo, vel Diuinis. Regularum omnium & maxime ſilentij fuit obſeruantiſſimus. Continuam omnibus in rebus mortificationem viſus eſt in ſe complecti; ita vt nemo vel cibis abſtinentior, vel loquendo parcior, vel ignoſcendo facilior. Nemini detrahi coram ſe patiebatur; vnde dictus communiter, abſentium omnium Patronus. Indefeſſus in eo aut precandi, aut ſtudendi labor, nihil pene medium admittebat. Paternum in ægros ſtudium, cura, ſollicitudo, ne quid illis deeſſet fuere maxima. In omnes beneficus, ſed in pauperes quodammodo profuſus fuit, dicere ſolitus centuplum in hac vita nos accepturos à Deo, ſi ipſius pauperes ſubleuare niteremur, id quod reipſa ſubinde expertus eſt. Æquitas tanta animi in eo eluxit, vt eodem ſemper vultu aduerſa & proſpera tulerit, nimirum, ita voluntatem ſuam ad Diuinam finxerat, vt hanc vnicam habuerit actuum ſuorum regulam. In vltimo vitæ diſcrimine poſitus, quamuis conclamatum de ſua vita sciret, ſi medicis in venæ inciſione morem gereret, paruit tamen dicendo: *Moriamur quando ita Deo viſum eſt*, atque ita ſuſceptis paulo poſt Eccleſiæ Sacramentis, ſicut vixerat, ſanctè obijt, Rhemis die 25. Auguſti anno 1669. Scripſit præclarum Commentarium in Pſalmos omnes Dauidicos ſex Tomis quorum v. iam ſunt editi ſextus ſub prælo ſudat. Illorum inſcriptio eſt quæ ſequitur

Pſalmorum Dauidicorum Analyſis cum commentario ampliſſimo.

Tomus I. in XV. primos Pſalmos. Lugduni ſumptibus Antonij Cellier 1665. in folio.

Tomus II. continens explanationem Pſalmorum à XVI. vſque ad XXXIII. Ibidem & iiſdem typis & anno

Tomus III. in Pſalmos à XXXIV. vſque ad LIX. Iiſdem typis 1669. in folio

Tomus IV. à Pſalmo LX. vſque ad XC. Ibidem 1673. in folio.

Tomus V. à Pſalmo XCI. vſque ad CXVII Iiſdem typis & anno in folio

Ediderat multo ante ſeparatim

Commentarium in Pſalmum 22. ſub hoc titulo; Ieſu Paſtor, oues proprio ſanguine paſcens

ſcens *Diuione* 1659. in 12. Item

Præſentationem Academicam ; ad licentiatum Theologicum R. P. Fr. Friderici Payen, Ordinis Præmonſtratenſis,& eiuſdem Ordinis Panegyricum. Muſſiponti apud Philippum Vincentium 1630.

Gallicè edidit

Ideam perfectam Religioſorum, ſeu Sanctum laborem manuum. Lugduni 1661.in 4.

Bonum Diuitem,& Bonum Pauperem. Diuione 1662.in 12.

Chriſtianum in Eccleſia, ſeu Methodum impetrandi omnia, quæ petuntur à Deo. Diuione 1658. in 12. & Rhemis 1669. Italicè reddidit noſter Ioſephus Anturinus Romæ 1662.

Directionem, & Conſolationem Coniugatorum, ſeu modum quo ex infortunato Matrimonio fortunatum fieri poſſit. Pariſijs 1664. in 12.

Directionem & Conſolationem viduarum. Diuione 1662.in 12.

Militem glorioſum. Muſſiponti 1655. in 12.

Deum vindicem Blaſphemiarum,& Maledictionum. Muſſiponti 1660.in 12.

Bonum Vinitorem, Bonum Agricolam, Bonum Opificem. Diuione 1661.in 12.

Bonum Scholaſticum pro Iuuentute ſtudijs addicta. Pariſijs 1664.in 12.

Bonum Seruum,& Bonam Ancillam. Muſſiponti 1660.in 12.

Hominem feſtiuæ ſocietatis. Muſſiponti & Diuione 1658.in 12.

Ex Italico noſtri Danielis Bartoli Gallicè vertit *Vitam P.Vincentij Carafæ.* Lugduni 1653. in 8.

Paupertatem contentam. Muſſiponti 1650. in 12.

Hominem litteratum. Muſſiponti 1651. in 8.

Parauerat *Commentarios in omnes Orationes Ciceronis Tom.IV.in folio.* Item

Commentarios in Libros eiuſdem de Amicitia, Senectute, & Epiſtolas familiares. Denique

De Excellentia,& Caritate Angelorum Cuſtodum, ſed mors interceſſit.

* THOMAS CARVELLVS, vero nomine THOROLDVS, natione Anglus, patria Lincolnienſis, confectis Romæ Philoſophiæ, ac Theologiæ ſtudijs in Collegio Anglicano, Societatem ibidem amplexus eſt, Sacris initiatus anno ſalutis 1633. ætatis ſuæ 27. & votorum 4. profeſſionem emiſit. Philoſophiam ac Theologiam Moralem in Collegio Anglorum Leodienſi annis aliquot prælegit; reliquum vitæ in cultura vineæ Anglicanæ operarius impiger tranſegit. Rexit Collegium Londinenſe cum laude caritatis, & prudentiæ, excelluitque fiducia in Deum, zelo animarum & vita exemplari. Qui ægrotanti, & morienti adſtitit, teſtatus eſt fuiſſe ideam ſingularis patientiæ, perfectæ reſignationis, amoris Diuini, & contemptus rerum terrenarum. Abſoluit dies peregrinationis vitæ huius Londini nona Auguſti 1664. Edidit Anglicè inſignem librum contra Pſeudo-Archiepiſcopum Cantuarienſem Laudum, hoc titulo:

Labyrinthum Cantuarienſem. Pariſijs 1658. in folio.

THOMAS CLAGIVS, natione Prutenus, ingreſſus in Societatem anno 1618. ætatis 20. vota in ea quatuor nuncupauit. Docuit Rhetoricam, Matheſim, Theologiam Moralem, & Controuerſiam, Sacraſque litteras eſt interpretatus. Rexit Collegia Neſuiſienſe, Bransbergenſe, & Seminarium Bransburgæ, Reſidentiam Reſſelij, & Patres in probatione tertia inſtruxit. Demum doloribus ex calculo diu ad incrementum meritorum exercitus, religioſè obijt. Reſſelij die 19. Iunij 1664. Edidit ſub nomine Didymi Hermannouillani

Anticyras Prædicanticas. Nicopoli (ideſt Braunsbergæ) 1650.in 8.

Ariſtarchum contra Prædicantes alioſque inſulſos Hæreticorum poetaſtros. Coloniæ apud Henricum Krafft 1643.in 8.

Diſquiſitiones Vbiquiſticas de Chriſto contra Vbiquiſtas. Auguſtæ Gediminiæ 1644. in 8.

Prodromum Mercurij Eligio-Boruſſi contra Prædicantes Lutheranos. Germanice Vilnæ 1651 in 8.

Iaſonis Eulimenitez fabulam, Dramatica Poëſi in funere Epiſcopi Varmienſi. Vilnæ typis Academicis 1633.in 4.

* THOMAS COMPTONVS CARLETON, natione Anglus, patria Cantabrigienſis, Chriſto in ſua Societate ſe dicauit, anno ſalutis 1617.ætatis 24. & votorum 4. Sacramento ſe adſtrinxit. Rhetoricam & amœniores litteras docuit in Collegio Anglicano Audomari, Philoſophiam, & Theologiam multis annis Leodij, vbi etiam Præfecturam ſtudiorum diu geſſit. Vir fuit magni ingenij, & doctrinæ, & in explicando ſcribendoque claritate excelluit. Diſciplinæ religioſæ admodum obſeruans, ſæpe in triclinio quaſi tranſgreſſionis reus publicè ſolebat pœnitentiam ſubire. Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium ſumma pietate celebrabat, tum ſe ſubducens pone Altare, alterum immobilis de genibus audiebat. Similem in horis Canonicis reuerenter recitandis diligentiam adhibebat. Obediens Superioribus, & inter primos ſemper ſignum æris campani, quocumque vocaretur, obſeruabat. Demum ſeptuagenario maior ad ſuperos, vt ſperare fas eſt, abijt. Leodij die 24. Martij 1666. Edidit

Prometheum Chriſtianum, ſeu librum Moralium in quo Philoſophiæ Moralis finis aperitur Antuerpiæ apud Iacobum Meurſium 1652. in 8.

De Philoſophia Vniuerſa. Antuerpiæ apud Meurſium 1649 in folio.

Theologiæ Scholaſticæ Tomum priorem reſpondentem Primæ Parti, & Primæ Secundæ Doctoris Angelici. Leodij apud Ioannem Matthiam Houium 1659. in folio

Theologiæ Scholaſticæ Tomum poſteriorem reſpondentem Secundæ Secundæ, & Tertiæ parti Angelici Doctoris. Leodij typis iiſdem 1664. in folio.

* THOMAS DE LEON, ſiue DILLON, natione Hibernus, à teneris annis in Hiſpania educatus, Societati nomen in Prouincia Bœtica dedit, anno ſalutis 1627. ætatis ſuæ 14. & votorum quatuor ſacramentum ſolemne dixit. Philoſophiam explicuit ſexennio; Theologiam cùm Scholaſticam tum Moralem Granatæ & Hiſpali annis duodeuiginti, & à Comitijs Prouinciæ miſſus eſt Romam ad Congregationem Vndecimam Generalem cum iure ſuffragij. Superſtes etiamnum in Collegio Granatenſi, ſed afflictæ valetudinis. Hunc ob vitam in Hiſpania à pueritia traductam, Hiſpanis adnumerat clariſſimus D. Nicolaus Antonius in ſua Bibliotheca, & laudatum impensè ab inſigni eruditione, nec non à peritia linguarum Græcæ, Hebraicæ, & Arabicæ, Scriptoribus accenſet, quia cùm Gadibus doceret litteras Humaniores edidit

Lectionem Sacram habitam in Collegio Gaditano, De anno Centeſimo ſeu ſæculari Societatis Ieſu. Hiſpali apud Lyram 1640. in 4.

Meditabatur complura alia, ſed hactenus obſtitit inualetudo, & caligantium præſertim infirmitas oculorum.

THOMAS EVERARDVS natione Anglus, patria Suffolcienſis, conſtans pietatis ſtudium hauſit ex Spiritualibus exercitijs ſub P. Ioanne Tomſono in Anglia. Traiecto deinde oceano cum ſtuduiſſet Rhemis in Gallia, Societatem circa annum Domini 1593. ætatis 33. ingreſſus eſt. In ea ſemper pius, admodum manſuetus, humilis & induſtrius fuit, totoque ore, atque habitu Sanctum præ ſe ferebat. Nec deerat cum proximo agenti candor quidam, atque iucunditas omnibus grata. Societatem veluti matrem amabat tenerè, paupertatis præſertim tenaciſſimus. Pedes Apoſtolico more obibat ædes Catholicorum, nec adduci potuit etiam ſenio ac morbis debilitatus, vt equo vteretur. Captus in Anglia bis, & annos aliquot in cuſtodia detentus: cuius altera comprehenſio ſub Iacobo Rege in diſtrictu Suffolcienſi, magno pretio conſtitit hoſpiti, è cuius latebra fuit abductus. Poſterioribus annis, cum crurum, brachiorum, oculorum debilitate vix legere poſſet, aut ingredi, nec domi haberet quibus cum verſaretur, ſolitudinem ſuam perpetua Roſarii aliarumque precum tum voce tum mente, ac potiſſimum Pſalterii Ieſu, quod à puero ſemper vſurpauit, repetitione ſolabatur. Piè admodum conſenuit, Spiritualis Coadiutor anno 1604. formatus, obiitque Londini die 16. Maii 1633. Tranſtulit ex Latino in Anglicum

Fuluij Androtij Meditationes de Communione, & de Paſſione Chriſti. Audomari 1606. 1614. & 1618.

Alberti Magni Paradiſum animi, &

Eiuſdem Tractatum de Adhærendo Deo. Ibidem & eodem anno.

Lucæ Pinelli Gerſonem, ſeu de Perfectione Religioſa Lib. IV. 1618. Ibidem

Eiuſdem Meditationes de Euchariſtia. Ibidem 1622.

B. Franciſci Borgiæ Speculum Operum Chriſtiani hominis. Ibidem 1620.

Tractatum de modo bene viuendi. Ibidem 1620.

Petri Caniſij Manuale Peccatorum. Ibidem 1622.

Ludouici de Ponte Meditationum Compendium. Ibidem 1623.

Ex Gallico autem tranſtulit Anglicè

Ignatij Balſami Methodum Meditandi ſub nomine Ioannis Heigham. Ibidem 1618.

Dialogum de Contritione, & Attritione iam quater recuſum. Ibidem

Ex Hiſpanico reddidit Anglicè librum

Petri Ribadeneiræ de Principe Chriſtiano. Ibidem 1624.

Ex latino quoque tranſtulit Anglicè

Roberti Cardinalis Bellarmini Librum de Æterna felicitate Sanctorum. Ibidem 1638. in 12.

THOMAS FITZHERBERTVS natione Anglus, patria Staffordienſis, claro genere natus, anno ſalutis 1552. dominante tunc hæreſi in Anglia, ſed à parentibus Catholicis pie educatus, quo tempore Robertus Perſonius, & Edmundus Campianus primi de Societate in Angliam venerunt, ipſe opibus, & nobilitate ſua fretus, eos Londini inter primos excepit, cùmque claritudini ſuæ litterarum etiam ſplendorem adiunxiſſet, rogatus à Perſonio, allata à Campiano loca è Scriptura, & Patribus in ſuis X. Rationibus, cum Autographis vt conferret, edendi eius operis extitit extimulator præcipuus. At cum anno 1581. compactus eſſet in carcerem ob prætermiſſas leges de adeundis Hæreticorum Templis; atque ob Principatus Pontificii Confeſſionem, vbi liber emiſſus eſt, ea palma illuſtris conceſſit anno 1582. primùm in Aulam Gallicam, inde in Hiſpaniam, demum Romam & tranſactis ibi compluribus annis, compoſita iam pridem in Gallia vxore, Sacris initiatus anno 1614 in Societatem noſtram adſcitus eſt, Chriſti paupertate & religioſa humilitate contentiſſimus. Geſſit in ea aliquamdiu Præfecturam totius Miſſionis Anglicanæ, donec hæc erigeretur in Vice-Prouinciam, rexit verò Collegium Anglorum, Romæ ſingularis laude prudentia viginti,

ginti, ac duobus annis, ibique demum piiſſimè obijt die 17. Auguſti anno 1640. ætatis ſuæ 88. Profeſſionis 4. votorum 22. Scripſit latinè

Contra Macchiauellum. An ſit vtilitas in ſcelere. Romæ apud Guilielmum Facciottum 1610. in 8.

Anglicè quoque edidit

Defenſionem Cauſæ Catholicæ, cum Apologia pro ſe ipſo, contra fictiones cuiuſdam Eduardi Squiri. Audomari 1602. in 4.

De Politica, & Religione Tractatum Tomis II. valde eruditum, & vtilem Duaci 1606. & 1610. in 4.

Supplementum diſcuſſionis P. Roberti Perſonij contra Barlowm præfixis litteris ſui nominis T.F. Audomari 1613. in 4.

Additamentum ad ſupplementum eiuſdem Diſcuſſionis. Audomari 1613. in 4.

De Iuramento Fidelitatis, contra Lancelottum Andream Pſeudo-Epiſcopum Elienſem. Audomari 1613. in 4.

De eodem Iuramento contra Diſputationem Theologicam Rogeri VVidringtoni. Audomari 1614. in 4.

Defenſionem Apologiæ Cardinalis Bellarmini, contra Collinum Prædicantem Caluinianum, inſcriptam Obmuteſce. Ibid. 1621. in 8.

* THOMAS GONZALEZ natione Hiſpanus, patria Villafranchenſis, Diœceſeos Abulenſis, Societatem inijt anno reparatæ ſalutis 1609. ætatis 16. & nondum ſacris initiatus, ſtudio lucrandarum Deo animarum nauigauit in Indiam Occidentis Solis, & Mexici emiſit votorum 4. profeſſionem. Vir apprimè Religioſus, quique magnam ætatis partem in Iuuentute Mexicana bonis artibus, ac pietate imbuenda 27. annorum ſpatio illuſtri exemplo conſumpſit. Demum annis, & laboribus confectus ad horum brauium euolauit Mexici die 17. Nouembris 1659. Edidit in gratiam Iuuentutis Mexicanæ, quam erudiebat

Explicationem regularum pro Carminibus Latinis componendis. Mexici 8.

Explicationem Rhetorices. Ibidem in 8.

Theſaurum Poëtarum. Ibidem in 8.

THOMAS DE ITVREN natione Hiſpanus, gente Nauarrus, patria Iturenſis, Diœceſeos Pampilonenſis, adoleſcens 20. agens annum in Societatem adſcriptus anno ſalutis 1577. profeſſione votorum 4. ſe adſtrinxit, euaſitque vir doctiſſimus. Philoſophiam docuit, & aliquamdiù, Theologiam Moralem, tum annis duodeuiginti Scholaſticam; fuitque & Noſtris, & Externis non doctrinæ dumtaxat, ſed virtutis etiam gratia apprimè carus, & in pretio habitus, verè pauperum pater, calamitoſorum perfugium, & commune dubitantibus oraculum. Virginale decus, quod naſcens acceperat, illibatum intulit in ſepulchrum. Obijt in Domo Profeſſa Toletana, cui Præpoſitus præerat, die 19. Aprilis, anno 1630. ætatis 75. Edidit ſub nomine Thomæ Pij

Commentarios in Primam Partem S. Thomæ. Madriti 1619. in folio

THOMAS KERN, natione Germanus, gente Boius, patria Burghuſianus, natus anno Domini 1570. Societati ſe applicuit 1588. & Spiritualium Coadiutorum vota nuncupauit. Concionatoris, & Confeſſarij muneribus religioſè, & vtiliter diu perfunctus, naturæ conceſſit Ingolſtadij pridie Calendas Februarij 1633. Tranſtulit è Latino Germanicè

Hieremiæ Drexelij Zodiacum Chriſtianum. Monachij typis Cornelij Leiſſerij 1630. in 12.

THOMAS MASCAMBRVNVS, natione Italus, patria Beneuentanus, in Societatem anno 1598. ætatis 15. ingreſſus, votis 4. ſe illigauit. Philoſophiam quinquennio, Theologiam octennio docuit. Vir inſigni pietate, & prudentia, diſciplinam religioſam in Collegio Neapolitano rebus Spiritualibus præfectus ipſos 30. annos fortiter ſuauiterque verbo, & exemplo promouit. Sermones pios in congreſſibus opportunè intermiſcebat. Rarò extra cubiculum, perraro extra domum conſpectus. Tandem plenus dierum, & piorum operum in eodem Collegio ex hac vita ceſſit die 17 Ianuarij 1662 Tranſtulit ex Hiſpanico Italicè & tacito nomine edidit,

Manuale Exercitiorum Spiritualium ad Orationem Mentalem compoſitam à P. Thoma Villacaſtin. Neapoli 1633.

THOMAS MASSVTIVS natione Italus, patria Recinetenſis, Societati adiunctus anno ſalutis 1587. ætatis 17. vota 4. ſolemni ritu concepit. Vir verè pius, verè doctus, & miſſus in Poloniam, Philoſophiam ibi, & octennio Theologiam profeſſus eſt. Inde reuerſus in Italiam, diu in Collegio Romano Præfecturam geſſit rerum ſpiritualium, haud ſegniùs exemplo ad perfectionis faſtigium, quàm verbo promouens. Obijt in eo munere, ineunte Martio anni 1636. Edidit duo pietatis ſuæ, ac doctrinæ monumenta

De Cæleſti conuerſatione per internam Orationem, & Exercitia ſpiritus Libris VIII. Romæ per Hæredes Bartholomæi Zannetti 1622. in 4.

Paulum Apoſtolum, ſeu vitam S. Pauli Apoſtoli Hiſtoricè & dogmaticè explicatam Libris XV. Lugduni per Horatium Cardon 1633. in 4.

* THOMAS MLODZIANOVVSKI natione Polonus, Mazouita, Deo ſe in Societate dicauit anno ſæculi fluentis 37. ætatis 15. & votorum 4. ſacramentum ſolemne dixit. Fuit Miſſionarius in Perſia annis quinque. Redux in Poloniam, Theologiam Scholaſticam profeſſus eſt octennio, & ſtudijs præfuit ſeptennio. Inſtruxit etiam Patres in tertia probatione, & Concionatorem egit pluribus annis in varijs Vrbibus. Edidit

Prælectiones Theologicas de Deo & SS. Trinitate. Dantiſci ex Bibliopolio Foreſtiano 1666. in folio.

De Angelis & Actibus humanis. Ibidem 1667. in folio.

De Iure, & Iuſtitia. Leopoli typis Societatis 1667. in folio.

De Pœnitentiæ virtute & Sacramento. Cracouiæ apud Albertum Sickolovvic 1670. in fol.

De Peccatis, & Gratia, & Ente ſupernaturali. Cracouiæ apud Hæredes Chriſtophori Schedel 1671. in folio

Prælectiones Metaphyſicas & Logicas, Gedani apud Fridericum Rhetium 1671. in folio

Prælectiones Philoſophicas in 8. lib. Phyſicorum. Leſnæ 1671. in folio

Conciones aliquot Polonicè. Poſnaniæ 1671.

THOMAS MORVS, natione Anglus, patria Cantabrigienſis, Henrici noſtri frater germanus, & conſanguineus magni Martyris Thomæ Mori Angliæ olim Cancellarij, educatus in Collegio Anglorum Romæ, & anno Domini 1610. inde miſſus in Angliam ibi Societati nomen dedit, anno ſubſequenti, & per aliquot annos ſtrenuè ibidem laborauit commodo Catholicorum præſertim tenuiorum, & pedes regionem obibat, donec tandem comprehenſus, carcere primùm, poſt etiam exilio mulctatus eſt; in quo Gandaui dum tertiam probationem ſubiret, poſtridie Calendas Ianuarij anno ſalutis 1623. ætatis 37. Religionis 12. piè deceſſit. Tranſtulit ex Anglico Latinè

Guilielmi Vvarfordi Inſtitutionem Breuem de præcipuis fidei noſtræ Myſterijs. Audomari 1617. Item

Ioannis Floydi Dialogum inſcriptum Deus, & Rex. Coloniæ 1620.

THOMAS ODOENVS natione Anglus, patria Hamptonienſis, Vir quem Paulus V. Pont. Max. inſigniter prudentem & religioſum fuiſſe teſtatus eſt. Adoleſcens ſtuduit litteris Humanioribus Duaci, Legibus Lutetiæ Pariſiorum; Societatem ingreſſus eſt Lugduni anno ſalutis 1579. ætatis 22. & in ea docuit Rhetoricam, & bis Philoſophiam Turnoni, ſtudijſque ibidem, & ſpirituali Noſtrorum directioni præfuit. Demum Romam vocatus, ibi priùs in Anglorum Collegio Confeſſarium, tum Miniſtrum, poſt hęc Rectorem, & Anglicanæ Miſſionis Præfectum per multos annos egit atque his poſtremis muneribus immortuus eſt, die 6. Decembris anno 1618. ætatis 62. Religionis 40. emiſſæ profeſſionis 4. votorum 16. Reddidit e Gallico Anglicè tacito ſuo nomine

Defenſionem PP. Societatis Ieſu ſuper corde Henrici IV. Regis Galliæ. Audomari 1610.

Reſponſionem ad Anticottonum. Ibid. 1611.

Epiſtolam Cardinalis Perronij ad Iſaacum Caſaubonum. Audomari 1612.

THOMAS POLITIVS natione Italus, patria Anconitanus, ſed origine Cretenſis, ſuſceptus in Societatem anno ſæculi 1600. ætatis 17. vota 4. in ea nuncupauit. Prælegit litteras politiores & Philoſophiam. Rector fuit Collegij Goritienſis, & electus à Comitijs Prouinciæ Auſtriæ, interfuit Congregationi Procuratorum Romæ. Concionatorem multis annis cum fructu egit, & aliquamdiu in Aula Imperatricis Eleonoræ, quo munere dum fungeretur à terrena curia ad cæleſtem (vti fas eſt ſperare) à Deo euocatus eſt, Viennæ Auſtriæ die 28. Februarij 1645. Permiſit imprimi Italicè tacito ſuo nomine (quamuis id expreſſerit in ſua dedicatione is qui excudi curauit)

Concionem funebrem habitam in Parochiali Templo Goritienſi in Exequijs Ferdinandi II. Imperatoris.

Concionem funebrem alteram habitam in Exequijs eidem Ferdinando II. Goritiæ inſtitutis à PP. Societatis Ieſu.

Concionem habitam in Parochia Goritienſi pro Electione & Coronatione Ferdinandi III. in Regem Romanorum. Omnes impreſſit Tergeſti Antonius Turini 1637.

THOMAS PORZECKI natione Lithuanus, Societati nomen dedit, anno ſæculi præterlabentis 26. ætatis ſuæ 17. & votorum 4. profeſſione ſe adſtrinxit. Rhetoricam, Philoſophiam, Theologiam explicuit in ſcholis, & ſtudijs præfuit. Rexit Collegium Pultouienſe magna prudentiæ & charitatis commendatione eoque in munere exorta lue in ciuitate dimiſſis ad loca tutiora ſocijs ipſe remanſit, tamquam victima ſuccedanea, ſi quid Patri, qui infectis per Vrbem inſeruiebat, humanitùs eueniſſet. Intereà loci, famulo Collegij quem peſte contigit afflari aſſiduus adhæſit, atque in eo curando Patris ſimul, ac ſerui functus officijs, in heroicæ Charitatis obſequijs occubuit Pultouiæ die 9. Iulij 1653. Edidit ſoluta & ligata oratione

Elogia Iagellorum Poloniæ, Hungariæ, Bohemiæ Regum. Vilnæ typis Academicis 1639.

Elogia Auſtriacorum Imperatorum carmine. Vilnæ typis Academicis 1639. in folio

Florilegium in quo Heroica, & Lyrica Poëſi celebrantur decora familiæ Chodkievvicio-rum & Paciorum. Ibidem 1636. in folio

Spem alteram Ruſſiæ, ſeu Panegyres Raphaëlis Korſack Archiepiſcopi Metropolitani totius Ruſſiæ ſoluta & vincta oratione. Vilnæ typis Academicis 1637. in folio. Parabat prælo

Summam Annalium Eccleſiaſticorum. Polonicè, incipiendo ab anno quo deſijt Baronius, ſed morte præoccupatus non edidit.

THOMAS PRICIVS natione Anglus, gente Cambro-Britannus, ingreſſus eſt in Societatem anno ſæculari 1600. ætatis ſuæ 30. Miſſus in Angliam, ibique comprehenſus, eiectus eſt in exilium, ſed eò iterum clàm reuerſus, ſtrenuum diu egit operarium in gradu Spiritualis Coadiutoris, vſque ad annum 1625. quo Londini piè obijt die 23. Iulij. Tranſtulit ex latino Anglicè ſubſcriptis Dedicatoriæ litteris T.P.

Horatij Turſellini Hiſtoriam Lauretanam. Audomari 1608. in 8.

THOMAS REINA natione Italus, patria Me-

Mediolanenſis, natus annos duodeuiginti, Societati nomen dedit, anno ſæculi tranſacti 95. & votorum 4. profeſſione ſe adſtrinxit, Rhetoricam triennio, Matheſim quadriennio profeſſus eſt, & Sacras litteras aliquamdiu interpretatus. Sed cum talento ad Conciones excelleret, his applicatus à Superioribus primarias Vrbes Italię concionando luſtrauit triginta & vnius annorum ſpatio, magna vbique frequentia Auditorum & fructu. Regimini in ætate decliui admotus, gubernauit Collegium Mediolanenſe, & Vice-Prouincialis totam illam Prouinciam, ſubinde etiam Sicilienſem Prouinciam Præpoſitus adminiſtrauit; è qua cum ad Congregationem Generalem octauam perueniſſet Romam, ab illa in Aſſiſtentem Præpoſiti Generalis pro Italia adlectus eſt. Eo defunctus officio, creatus eſt Viſitator Prouinciæ Venetæ à P. Franciſco Piccolomineo Præpoſito Generali, eoque è viuis ſublato cum ad electionem noui Generalis Romam rediјſſet ad Congregationem decimam, atque in hac multa ſuæ ſapientiæ, zeli, experientiæ, peritiæ Inſtituti, atque regularis obſeruantiæ ſpecimina præbuiſſet, ad mercedem laborum & Congregationem Iuſtorum (vt fas eſt credere) in Cælo euocatus eſt à Deo, Romæ die 16. Aprilis 1653. Fuit ſiquidem religioſæ diſciplinę in ſe accuratè obſeruans, & ab alijs dum præeſſet exigens. Signo æris campanæ relictis infectis quibuſcumque negotijs, confeſtim obtemperabat. Horas Canonicas de genu perſoluebat, & his quotidie coronam (quam vocant) B. Virginis reuerenter adijciebat. Etiam in itineribus, diebus ſingulis Deo litabat, nec orationis vel examinum Conſcientiæ tempora vnquam prætermittebat. Corpus ſuum aſperè tractabat, quotidiano flagello, frequentibus cilicijs, catenulis acuminatis, & ieiunijs. Superior cum eſſet, Prouincialis etiam, aut Viſitator, nihil ſingulare admittebat in victu, veſtitu, vel munuſculis dari ſolitis, cultor egregius religioſę paupertatis. In ſupremo morbo per dies 23. inter grauiſſimas dyſenteriæ moleſtias inuictæ patientiæ permulta præbuit argumenta. Edidit Italicè

Orationem habitam Genuæ in Coronatione Sereniſſimi eius Reipublicæ Ducis Durazzi.

Conciones Quadrageſimales, duabus Partibus. Romæ typis Corbelletti 1649. in 4. eas latinè reddidit R. P. Iacobus Emans S. Theologiæ Doctor Venerabilis Ordinis Carmelitarum Antuerpiæ 1654. in 4. Item

Conciones Quadrageſimales Poſthumas Partibus duabus diuerſas à prioribus. Mediolani apud Hæredes Philippi Guiſolphi 1671. in 4.

THOMAS SAILLIVS natione Belga, patria Bruxellenſis cum Furnenſi Canonicatu iuuenis eſſet auctus, moxque etiam Atrebatenſi donatus, Duaci noſtrorum perſpecta modeſtia, atque inſigni patientia, quam inter rebellium vexationes exhibebant, ad Societatem amplectédam vehementer incitatus eſt. Ergo abdicatis omnibus Romam contendit, & iam tum Sacerdos, Chriſti ſe iugo inter Socios ſubiecit Kal. Maij anno 1580. Poſt Tirocinium deſtinatus cum Antonio Poſſeuino in Moſcouiam, grauia ex obedientiæ nutu inter rudes illos populos pertulit, ſæpe per inacceſſas horridaſque ſyluas, feris, & latronibus infames, noctu peregrinandum fuit; hyeme ſubinde dormitandum in niuibus, vndenis aliquando menſibus continenter veſtis ſine mutatione retinenda, quibus laboribus exhauſtus, Medicorum imperio redijt in Belgicum ad valetudinem procurandam. Ibi ab Alexandro Parmenſium Duce ad ſuas Confeſſiones adhibitus, & omnium expeditionum illius comes indiuiduus, quæ quantaque ſuſtinuerit, facilius eſt cogitando exprimere, quàm narrando. Burgrichij, haud procul Vveſalia, dum ægros milites indefeſſus luſtrat, peſtem contraxit à qua voto ad B. Virginem concepto ſanatus eſt. Vbi conualuit in caſtra reuerſus eſt, & Miſſioni Caſtrenſi dedit initium anno 1590. cùm laboranti Lutetiæ Dux ferret ſuppetias. Querceti dyſenteria tentatus inter mendicos, & milites iacuit in Noſocomio. Anno 1592. die 21. Nouembris, Duce iam functo vita 4. vota Atrebati nuncupauit. Anno 1595. ad Cameracum à Buquoio Comite inuitatus, ſolo tectus clypeo inter medias glandes, euaſit in locum, vbi ſauciorum militum confeſſionibus operam daret. Anno inſequente admirantium Aragoniæ in Germaniam ad Cæſarem, Ferdinandumque Styriæ Archiducem, atque in Poloniam ad Sigiſmundum Regem comitatus eſt, virtutum ſuarum veſtigijs paſſim impreſſis. Biennio poſt Bruxellenſis Superior factus, miſſionem ſimul Caſtrenſem vſque ad annum 1603 gubernauit. Anno 1606. miſſus eſt in Vrbem à Prouincia Procurator; ipſo biennio cum ingentem ſanguinis vim rupta vena exſpuiſſet, à Medicis habitus inter deploratos, voto Aſpricollenſi Virgini concepto, viſus eſt illam ſibi videre præſentem, ſtipantibus S. Barbara, alijſque Virginibus, & audire Chriſto filio ſuo dicentem: Sine noſtrum hunc ſeruulum etiamnum pauliſper viuere: Vixit verè ſupra ſpem Medicorum, multo etiam quàm ante ſanior, plane vt nulla illi fuerit opus inpoſterum medicina, quin etiam quæ grauior illi olere ſolebat anima, iam ſuaue neſcio quid ſpirabat. Anno 1611. Collegij Bruxellenſis Rector eſt factus ad quinquennium. Anno 1620. cum Marchione Ambroſio Spinola venit in Palatinatum Caſtrenſis iterum Miſſionis moderator. Vita denique tot laboribus, itineribus, incommodis fracta, cæpit curſus ſui metam è propinquo quaſi præſentire Proximo ante mortem die, cum in Aulici Gynæcæi ſacellum, more ſolito, confeſſionum audiendarum cauſa veniſſet, Socio quem habebat Sacerdotem ipſo in loco (quod nunquam ab eo aliàs factum) priùs eſt confeſſus, quàm ad Sacrum faciendum accederet. Sumptis in ſacro Sacramentis, paralyſi membra luxari præſentiſcens, Socium admonuit, à quo ſubſtratæ humi culcitræ raptim impoſitus eſt. Domum paulo poſt relatus ſacro popoſcit oleo inungi, atque inter illuſtria pietatis & humilitatis argumenta, ſanctam egit animam Bruxellis

die

die 8. Martij annò ſalutis 1623. ætatis 70. Religionis 43. Accurrere frequentes viri Principes, & vnius malo tota Ciuitas perculſa videbatur. Et verò cuius fama fuerat in vita omnino magna, poſt mortem euaſit longè maxima, & ad funus celebrandum tantus eſt hominum omnium Ordinum factus conuentus, roſaria vultui admouentium, reliquias eius expetentium, vt ſatis omnibus fieri vix potuerit. Nec ea mortalium opinio ex vano fuit; nam in eo virtutes omnes tamquam in illuſtri loco poſitæ mirificè ſplenduerunt, quas percenſere ſingillatim voluminis iuſti ſit opus: ſed ſuus erit alibi huic operi locus. Pietas illi quæ in corde ardebat lucebat in vultu, erumpebat in voces deuotionis amentatas. Chriſti Seruatoris in Euchariſtia, & Matris eius Sanctiſſimæ cultor eximius fuit, vt ſi quid videri poſſet in hac re nimium, nimius videri poſſet. Submiſſione animi tanta fuit, vt minimum ſe hominum, & peccatorum primum, vel in ipſo mortis articulo ſeriò agnoſceret, diceretque ſuas ſibi laudes etiam poſt mortem diſplicituras, nedum placerent viuenti. Antonio Poſſeuino nullum non genus vilillimi obſequii iam tum Sacerdos in Moſcouia præſtitit auidiſſime, conſtantiſſimèque, & crebras obiurgationès ea vultus atque animi ſerenitate pertulit, vt tam incredibili ſubmiſſi animi tolerantia perculſus Antonius ad pedes ſe Thomæ aduolueret, & ſuam deprecatus auſteritatem, vltrò ſe illi regendum daret in poſterum. Pollebat ille quidem inſigni prudentia, ſed quam conabatur ſimplicitate candidiſſima obruere. Erat in ſe rigidus, & aſper, & in alios mollis, & ſuauis. Multa ſe inedia macerabat, algore, humi cubatione, dira flagellatione, hirto cilicio. Sed pium ſimul atque ingenioſum tormentum fuit. Crux ſeſquipalmaris tota ſuperficie præacutis munita ſtimulis, quinque cuſpidibus altius in Chriſti vulnerum reuerentiam exſtantibus nudo pectori applicata, quam pugno impacto cum deteſtatione ſuorum peccatorum, ſibi imprimebat identidem, magno cum dolore nec ſine ſanguinis effuſione. Obedientiam ſummis in amoribus habuit, & omnes Superiorum nutus tamquam Diuina imperia excipiebat, tamque exactè regulas omnes obſeruabat, vt nullam ſe vnquam ex deliberata voluntate meminiſſet eſſe tranſgreſſum. Paupertatis ſtudium tum aliis in rebus, tum verò in veſtitu trito, lacero, abiecto, præſeferebat. Illibatam caſtimoniam ad vſque extremum vitæ ſeruaſſe certa propemodum opinio eſt. Sed vide nouum caritatis ſimul, & alienæ pudicitiæ cuſtoditæ prodigium. Dorlentium Picardiç Vrbs, vi expugnata dabatur militi in prædam. Militari licentiæ fœminarum ſic eripuit pudicitiam Pater: funes oblongos per plateas vrbis principes mandauit extendi, quorum extremas oras cingulo ſuo in Orbem alligauit dein libera voce mulieres omnes inuitauit, vt quæ pudori ſuo vellent conſultum funem contingerent, ſeque raptantem cuneos fœminarum per medias militum furias ſponte ſequerentur. Dictum, factum, & per media ora, manus, oculos militum, memorando in omnem poſteritatem fœminarum raptu, frendentibus quidem, attamen præ viri Sanctitatis maieſtate, & auctoritate pleni reuerentia prædam tam paratam attingere non audentibus, in Vrbe victa victoribus ad tutam ſtationem illæſas omnes illibataſque ſubduxit. Cum domi militiæque vitæ ſuæ tempora tam copioſè tamque fructuosè ad ſalutem animarum promouendam P. Thomas Saillius poſuerit mirum eſt, vnde tam multas bonas horas ſubducere ad ſcribendum, inter agendum potuerit. Vulgauit autem libros trigemino Idiomate. Gallicè

Inſtructionem & praxim militis Chriſtiani in gratiam exercitus Catholici Hiſpaniarum Regis. Antuerpiæ typis Plantinianis 1590 in 12.

Teſtamentariam diſpoſitionem, & Codicillos in gratiam eiuſdem exercitus. Louanii typis Haſterii 1922 in 8.

Flandricè vertit tractatum

Iulij Fatij De Mortificatione humanorum affectuum. Antuerpiæ typis Trognæſianis 1600.

Leonardi Leſsij Conſultationem, Quæ fides & religio Capeſſenda? Antuerpiæ ex Officina Plantiniana 1611. & 1613.

Controuerſias fidei ex Gallico, cum auctario

Tractatum S. Bernardi De interiori Domo.

Compoſuit item de ſuo Flandricè

Catholicum veridicum. Antuerpiæ typis Hieronymi Verduſſii 1611. & auctius atque ornatius Bruxellæ apud Hubertum Antonii 1616

Reſponſum ad quæſtiones controuerſas inter Catholicos & Hæreticos. Antuerpiæ apud Verduſſium 1611.

Excitatorium è ſomno ad Hæreticos. Louanii typis Flauii 1612 in 8.

Anatomium, ſeu Apologiam pro excitatorio aduerſus Abrahamum Coſterum miniſtrum Hæreticum ſub nomine Adriani Vanloo. Louanii typis Haſtenii 1619. in 4.

Domum Conſcientiæ de modis, & remedus rectè viuendi & moriendi. Bruxellæ typis Huberti Antonii 1620.

Latinè in lucem emiſit

Litanias Vitæ & Paſſionis Domini cum officio de Paſſione ex Sacra Scriptura pro exercitu Catholico. Antuerpiæ typis Plantini 1588.

Narrationem expeditionis Belgicæ Sereniſſimi Archiducis Alberti ad Ambianum. Bruxellæ 1597.

Epiſtolam narratoriam ad Sereniſſimum Raynutium Parmæ, & Placentiæ Ducem de Morte Patris ſui Alexandri Farneſij. Coloniæ typis Arnoldi Mylii 1598. & prius Mediolani 1595.

Collectas à ſe variorum funebres laudationes in obitum Alexandri Farneſij Ducis Parmæ, & Placentiæ, & Belgici Exercitus Ductoris atque Gubernatoris. Coloniæ typis Arnoldi Mylii.

Narrationem itineris Illuſtriſſimi D. Franciſci de Mendoza Almirantij Aragonis in Legatione ſua ad S. Cæſaream Maieſtatem, Sereniſſimum Poloniæ Regem, Sereniſſimum Archiducem Ferdinandum & alios. Bruxellæ 1608.

Theſaurum precum, Meditationum, Litaniarum cum Apologia pro Litanijs, cum imaginibus. Bruxellæ apud Velpium 1598. Ibidem typis Huberti Antonii 1608. & 1609. in 8. Antuerpiæ typis Plantinianis 1609.

THOMAS SANCHEZ natione Hiſpanus, patria Cordubenſis; natus eſt loco nobili, & ad omnem probitatem à prima pueritia inſtitutus; Fama eſt eum quo tempore Societatem noſtram ambiebat ſæpe à Superioribus repulſam paſſum, quod impeditioris eſſet linguæ, Cordubæ in Templum Sanctiſſimæ Virginis Mariæ, quod à fonte Sancto nomen habet confugiſſe, & multis ſuſpirijs, lacrymiſque à Deipara Virgine flagitaſſe impedimentum illud vt auferret, quo in Societatem admitteretur, atque etiam profeſſum ſe Domum ſuam non reuerſurum, niſi quod petebat impetraſſet. Quid multa? Impetrauit, & ſublato impedimento ad Societatem aggregatus eſt anno ſalutis 1567. cum 16. haberet annum ætatis. In ea mox altiſſimos ſibi propoſuit virtutum fines, ad quos toto pectore incumberet eoſque in ephemeridem relatas, non minore, quam contenderat, aſſecutus eſt laude. Nimirum ſeduli more mercatoris negotiationem ſpiritualem cum ſummo vitiorum odio virtutiſque amore ſingulari, ſic coluit ſemper, atque exercuit, vt omnem dicendi docendique rationem exceſſerit. Quotidie quæ negotiationi ſubijciebat, proponebat mane, & in libellum ſecretiorem referebat, diei decurſu exercebat quæ conſtituerat, certis denique temporibus à ſe rationem exigebat incredibili lucro, atque eo profectu, qui ei ſanctitatis famam, ac venerationem peperit. Totis 43. annis, quibus in Societate vixit, nihil in hoc negotiationis ſtudio remiſit, vt qui eum diligentiùs obſeruarunt, vehementer ſint admirati, incredibilem eius in ſuſcepta vitæ ratione conſtantiam, perpetuumque tenorem nullis ſtudiorum occupationibus, aut grauiſſimorum virorum interuentu violatum. Nulla virtutum non ab ipſo in ſummo faſtigio tenebatur. De ſeueritate qua in ſe ipſum fuit, quidquid dixeris infra rem ipſam videri poteſt; homo vitæ puriſſimæ, innocentiſſiméque actæ, & nulla vnquam grauiori labe taminatæ, tenuiſſima valetudine, decem quotidie, duodecimue horas contentè, & ieiunus quidem ad ſtudia incumbebat, & ad extremum ſimul ſpiritum in rigidiſſima carnis maceratione, in victu, cultuque imprimis horrido, & aſpero, in vigilantiſſima ſui cuſtodia, in abnegatione ſenſuum incredibili, in egregia denique exhauſti corpuſculi victoria; conſtantiſſimè perdurauit. Semel in die ſub noctem capiebat cibum, eumque vilem, & parabilem; quater in hebdomade pane tantum, & oleribus vitam tolerabat. Tota Quadrageſima & Aduentu ad panem nihil præter ſegumina, & fructus aridos adhibebat. Peruigilijs Chriſti Domini, & B. Virginis pane dumtaxat, & aqua ieiunabat, ſalem, piper, acorem, & cætera ciborum condimenta omnino reſpuebat, ne ipſa quidem elixa olera ſatis ex ſe inſipida, oleo, aut aceto condiebat. Menſæ verò accumbebat alternis ſemper pedibus à terra ſublatis, ne quid otij ſibi daret à vexatione. Paupertatis illi, atque obedientiæ cura præcipua; caſtimoniæ tantum decus, vt virginitatis florem in tumulum intulerit. Et tot animi bona tuebatur, aſſiduo rerum diuinarum vſu, & familiari conſuetudine contemplandi, quam vnicam habebat curam præter ſtudium litterarũ. Propenſiſſimus erat animo in Sanctiſſimum Sacramentum, in Ieſum Crucifixum, & in Mariam Virginem, hos habebat ternos amores, hæc in omnem hoſtem præſidia. His alijſque virtutum ornamentis dignus cælo factus pleuritide primum tentatus, mox ſymptomate lethargico oppreſſus, breui confectus die 19. Maij anno ſalutis 1610. ætatis 60. ineunte, ab inita Societate 44. ab emiſſa votorum quatuor profeſſione 23. Granatæ expirauit. Ad communis Parentis funus (ſic eum vocabant) aduenit Illuſtriſſimus Archiepiſcopus, Grauiſſimuſque Senatus Regius, conduxere Sacrorum Ordinum viri Religioſi, Vrbis vniuerſa nobilitas, & promiſcuæ plebis innumera multitudo, qui defuncti corpus floribus conſperſum, & eximia quadam ſpecie, ac virginali nitore micans, certatim conabantur, vel Roſarijs contingere, vel oſculis ſuppliciter venerari. Porrò quod ad doctrinæ eius, atque ſapientiæ attinet æſtimationem, vel è remotiſſimis orbis partibus à Præſulibus, viriſque Principibus, conſulebatur per litteras, tamquam abſolutiſſimus Theologus & Iuris vtriuſque peritiſſimus; paſſim à Scriptoribus appellabatur ipſe Scriptor grauiſſimus, eruditiſſimus, illuſtriſſimus, Moralium Scriptorum Princeps, ſplendidiſſimum Moralis Theologiæ lumen; tantæ auctoritatis, & æſtimationis auctor, vt apud Tribunalia, & Iuriſperitos ſine alio adminiculo, vel auctorum cenſu, lumen adferat veritati, deciſionem cauſis, terminum litigijs. Denique Clemens VIII. Pont. Max. vt fama conſtans obtinuit, cum forte grauiſſima quæſtio Romæ agitaretur, quam fuſe & grauiter Pater decidebat, ipſiuſque liber inſpiciendus oblatus eſſet Pontifici totam illam quæſtionem (vt erat ipſe doctiſſimus) per otiũ perlegit, & vehementer admiratus eſt, ſubtile hominis acumen, peracre iudicium, raram perſpicuitatem, ſingularem & exquiſitam in rebus indagandis ſolertiam, in tradendis facillimam methodum, in euoluendis, citandiſque Auctoribus exactiſſimum & planè indefeſſum ſtudium, ſerióque pronunciauit, nullum vnquam Scriptorem extitiſſe, qui dubias de Matrimonio controuerſias vberiùs, & accuratiùs enodaſſet. Scripſit Thomas Sanchez

De Sacramento Matrimonij Tom. III. Genuæ 1592. ac deinceps alibi varijs locis recuſos ſæpiùs. Eſtque hoc opus à pluribus in compen-

pendium contractum, tum ordine Alphabetico, tum ordine Auctoris ſeruato.

Prodierunt etiam poſt mortem ipſius.

Operis Moralis in Præcepta Decalogi. To. I. qui Libris 4. explicat principia generalia ad omnia præcepta, & duo prima præcepta. Venetiis apud Iuntas 1614. in folio.

Operis Moralis in Præcepta Decalogi. To. II. in quo Lib. III. De Religioſo Statu, ac profeſſione, deque tribus ſolemnibus Caſtitatis, Obedientiæ, & Paupertatis votis accuratè diſſeritur. Antuerpiæ apud Martinum Nutium 1622. in folio.

Conſilia, ſeu Opuſcula Moralia Tom. II. in quorum priore agit Lib. III. De Iure, & Iuſtitia Commutatiua; De Iure, & Iuſtitia Diſtributiua, De Iure, & Iuſtitia Iudicatiua, atque Ordine Iudiciario. In Poſteriore Lib. 4. De Vltimis Voluntatibus, vbi de illegitimis. De ieiunio, & Obſeruatione feſtorum. De Iudicibus aliiſque Iudicialibus, De Ordinibus. Lugduni per Iacobum & Petrum Proſt 1634. 1635. in folio.

THOMAS STEPHANVS DE BVSTEN natione Anglus, diœceſis Salisburienſis, vir ſpiritu Apoſtolico plenus, cum, ab hero ſuo Thoma Poundo, Romam miſſus eſſet, vt Societatem tum ſibi, tum hero impetraret. In eam ingreſſus ibi eſt anno 1575. ætatis 26. Abſolutis illic Philoſophiæ ſtudiis peculiari quadam Diuinæ vocationis modo, videtur ad Indorum ſalutem fuiſſe deſtinatus, nam per quietem exhibitum eſt illi domicilium quoddam, ad cuius inuitabatur procurationem, quod cum omnibus ritè partibus contemplatus eſſet, profectus poſtmodum in Indiam anno 1578. deprehendit illud ipſum fuiſſe domicilium Salſetanum noſtrum, quod primò illi incolendum, poſt etiam toto quinquennio regendum eſt datum. Salſetanam ille vineam totos quadraginta annos excoluit tanto ſuo ſolatio, Chriſtianorum proceſſu, Neophytorum exemplo, vt nec ipſe tentauerit inde abſcedere, nec eum alio transferre Superiores ſint auſi. Primus Canarinum idioma in regulas ordinemque digeſſit. Indoſtanum etiam quo nobiliores vtuntur, perfectè calluit. Magna manſuetudinis, humilitatis, atque imprimis obedientiæ laude floruit. Eius vitam ardentiſſimis votis à Deo petebant Salſetani, qui eum vt amantiſſimum parentem diligebant, vt Sanctiſſimum Apoſtolum (ſic illi vocabant) venerabantur. Obijt Goæ anno ſalutis 1619. ætatis 70. formatus iam olim ab anno 1589. Coadiutor Spiritualis ſcripſit

Grammaticam Linguæ Canarinæ, cuius in India Orientali vſus eſt, & quæ aucta à noſtro Didaco de Ribeiro prodiit Racholij 1640. in 4.

Doctrinam Chriſtianam, Indica etiam lingua

Opus magnum, cui *Purana* titulus eſt idiomate Indoſtrano *in quo præcipua Fidei myſteria metro exponit*, quod tanto plauſu exceptum fuit, vt Dominicis feſtiſque diebus in Templis à Sacro prælegatur, magnâ omnium approbatione & voluptate.

THOMAS STEPHENSONVS natione Anglus, patria Dunelmenſis, ex Rhemenſi Seminario in Angliam Sacerdos anno 1583. regreſſus, decimo quàm appulerat menſe Londini, proditus à quodam quem in Sacro miniſtrum adhibuerat, comprehenſus, atque in Regiam abreptus, Chriſtiana prorſus libertate ad ſtuporem vſque quæſitorum, reſpondit ad omnia quæ Conſiliarijs collibitum fuit ſciſcitari. Inde in Turrim Londinenſem coniectus, poſt maledicta, atque conuitia ab Præfecto Turris in ipſum temerè contorta, detruſus eſt in cameram vetuſtate fatiſcentem, mucore, ſitu, ſqualore, vermiculis, etiam in magno frigore & afflantis foricæ fœtore grauiſſimo terram, & compedibus, ac vinculis ferreis conſtrictus, totos 27. dies humi ſuper putrida, mucidaque ſtorea decubuit. Inde cùm anno vertente macie, totque malis, & articulorum, ac dentium dolore ſemeſtri propemodum eſſet confectus, mente vegetus, corpore debiliſſimo, inuitus ac renitens Regno eiectus atque in exilium deportatus eſt die 21. Iunij anno 1585. Conceperat iam tum in cuſtodia cùm mortem per tormenta pro fide expectaret, incundæ Societatis deſiderium, quapropter cùm primùm exſcendit in Gallia, P. Roberto Perſonio ſe coram ſtitit, à quo ſummâ caritate recreatus, Spiram ad P. Oliuerium Manaræum, ab hoc autem acceptis litteris ad Henricum Blyſſemium Auſtriæ Prouincialem miſſus eſt, à quo Brunæ admiſſus ad Tirocinium eſt die 11. Decembris anno 1585. & nondum lapſo biennio ad diem 5. Iunii tria vota Scholaſticorum profeſſus eſt. Poſt annos complures, quos in ea Prouincia docendo exegit tria vota ſolemnia Pragæ ad diem 3. Iunii anno 1597. nuncupauit, ac demum Romam euocatus eſt, & operam ibi P. Perſonio neſcio quæ commentanti dedit. Demum in Angliam remiſſus ad annos ferè 20. in ea meſſe laborauit. Poſtea in continentem regreſſus, dum in extrema ſenectute, otij, inertiæque oſor, operam, induſtriamque exacuit ad ſacras lucubrationes, occupatus morte eſt Vvatenis die 23. Martij anno ſalutis 1624. ætatis 72. Vir fuit variæ, nec vulgaris litteraturæ, ingenio præſenti, & acri, tenaciſſima memoria, candore animi, & ardore inſigni, omninò qui in quibuſdam dici poſſit, haud dubiè communem virtutis modum tranſuectus. Scripſit Anglicè

Catechiſmum pro inſtructione rudium. Audomari 1622. Reliquit vno alteroue Tomo ingenti

Hiſtoriam Sacram ab Orbe condito vſque ad Chriſti Saluatoris aduentum. Tranſtulit præterea latinè

Libros bene multos Roberti Perſonij.

* THOMAS STROZZA natione Italus, patria Neapolitanus, annos natus 17. Societati no-

nomen dedit anno ſalutis 1648. atque in ea vota 4. ſolemnia nuncupauit. Rhetoricam & amæniores diſciplinas quinquennio docuit, & Sacris Concionibus ad populum primarias Vrbes per Italiam iam annis tredecim cum facundiæ laude luſtrauit. Edidit hactenus Italicè

Orationem funebrem habitam in Exequijs Philippi IV. Regis Catholici. Lycij typis Petri Michaëlis 1666. in 4.

Orationem de Libertate ſuper Euangelio De filio Prodigo, habitam Lucæ ibique excuſam 1674. in 4.

Orationem in iuſtis exequiarum Cardinalis Franciſci Mariæ Brancaccij habitam Neapoli. Et ibidem prælo impreſſam 1675. in 4.

Parat typis

Hiſtoriam De Schiſmate inchoato ſub Vrbano VI. Item

De Myſterijs Chriſtianæ Religionis. Item

Concionum & Panegyricorum Tomos plures.

THOMAS TALBOTTVS natione Anglus, patria Lancaſtrenſis [illegible] in Collegio Anglorũ educatus Societati [illegible] ibidem dedit iam Sacerdos anno 1598. ætatis 26. Primus fuit Anglicani Nouitiatus Louanii in Belgio Magiſter, & Rector, & vota 4. Ibidem nuncupauit. Miſſus deinde in Vineam Anglicanam multorum annorum ſpatio eam nauiter & fructuoſe excoluit. Fuit vir grauis, pius, ſpiritualibus rebus addictus, & diſciplinam religioſam in ſe egregiè obſeruauit, atque in alijs exemplo, & auctoritate plurimum promouit. Demum octogenarius ad laborum mercedem circa annum [illegible] in Anglia emigrauit. Tranſtulit ex Italico Anglice

Ioannis Alberti Buronzi Methodum Orationis Mentalis à Noſtro Nicolao Berzetto conſcriptam.

* THOMAS TAMBVRINVS natione Siculus, patria Caltaniſſettenſis, natus die 6. Martii, anno ſalutis 1591. Societatem noſtram amplexus eſt 1606. die 25. Septembris, & in ea votorum 4. ſacramentum ſolemne dixit. Rhetoricam noſtros biennio docuit, Philoſophiam quadriennio. Theologiam Scholaſticam ſeptennio profeſſus eſt, Moralem annis 17. magna doctrinæ commendatione, & diu ſupremæ rei litterariæ Præfectum egit. Rexit Collegia Caltaniſſettenſe, Montis Regalis, Mamertinum, & Panormitanum. In Sancto Inquiſitorum Concilio, Cenſoris, & Conſultoris munere functus eſt, & electus à Comitijs Prouinciæ Sicilienſis, interfuit Congregationi Generali vndecimæ, Romæ. Nec minora fuerunt in eo virtutum decora. Egregiam ingenii indolem ad normam innocentiæ compoſitam, adeo Religioſæ vitæ ſtudio excoluit, vt omnibus morum ſanctiſſimorum exemplar ſe præbuerit. Diuinarum rerum meditationes, ac preces, quamuis maximis diſtractus curis nunquam prætermiſit. Integerrimæ conſcientiæ cultus, ac candor præcipuum ei negotium fuit, adeò vt Sacræ Confeſſionis Auditor (quod poſt illius obitum eſt teſtatus) ad explorandos culpæ reatus abſolutione dignos, nõ ſemel deſudarit. Grauiſſimus in Religioſis præſcriptionibus ad amuſſim ſeruandis Cenſor ſui, & exactor acerrimus fuit. Nihil abſque Moderatorum nutu aggrediebatur, & in illius ſchedulis exarata, inuenta eſt facultas abſtinendi à dulciarijs, à ſuis Superioribus obtenta. Nunquam de re qualibet licet aduerſa conqueri auditus eſt, & cum Scriptor quidam Nouitius nonnulla in eius libris temerè carpſiſſet, ne verbum quidem illi, quod Religioſæ officeret modeſtiæ repoſuit. Apologiam quam Moderatorum imperio contexuit, in lucem edidit vt doctrinæ ſoliditatem defenderet, non vt par pari referret. Ex ipſius vultu, oculis, ſermone candor eximius emicabat. Hanc ingenitam animi lenitatem auxit ſumma erga Deũ pietas, ad cuius arbitrium omnia ſua, ſumma voluntatis contentione accommodabat. Extremo decumbens morbo, cùm quidam ſpem ſe habere dixiſſet, fore vt breui conualeſceret, reſpondit: ſiue viuimus, ſiue morimur, Domini ſumus, atque ita octogenario maior migrauit ad Dominum Panormi die 10. Octobris hoc anno Iubilæi 1675.

Scripſit doctiſſimus Pater opuſcula varia, variis in locis impreſſa, quæ ſimul collecta prodierunt hoc titulo:

Opuſcula tria De Confeſſione, Communione, & Sacrificio Miſſæ. Panormi apud Petrum Coppulam 1649. in folio. Recuſa Lugduni 1669. in folio, ex quibus

Methodum expeditæ Confeſſionis, vidit Auctor vicies recuſam.

Expeditæ Decalogi explicationes Libris 10. digeſtæ. Partibus 2. Venetiis apud Turrinum 1654. in folio. & Lugduni 1669.

Iuris Diuini, Naturalis, & Eccleſiaſtici Morales Expoſitiones, De Sacramentis, Contractibus, Cenſuris, & Irregularitate, Panormi apud Didacum Buam 1661. in folio. Duaci 1663. Lugduni 1669.

De Bulla Cruciata cum Additionibus ad omnia Opera Auctoris. Panormi apud Andreã Bolicchiam 1663. in 4.

Germana Doctrina Thomæ Tamburini, edita à R.D. Lucio Sanmario Vicario Caltaneſſetenſi. Panormi typis Auguſtini Boſſij anno 1666. in 4.

Tranſtulit ex Latino Italicè

De Conſolatione Philoſophiæ Anicij Manlij Boetij Libros quinque. Panormi per Ioſephum Biſagnum 1657. in 12. Item tacito ſuo nomine

Hiſtorias Iconum B. Virginis celebriorum in Sicilia hoc titulo:

Nuncius Imaginum Sanctiſſimæ Virginis in Sicilia celebriorum, opus poſthumum P. Octauij Caietani Societatis Ieſu. Panormi apud Andream Colicchiam 1664. in 4.

Relinquit moriens propediem edendum opus poſthumum

De Præceptis Eccleſiæ, & De Iubilæo.

THOMAS DE VILLACASTIN natione Hiſpanus, patria Valliſoletanus, natus anno 1570. ingreſſus in Societatem 1590. in ea ſolemnia tria vota profeſſus eſt. Vir precationi plurimum deditus, cui vt diutiùs vacaret, ad minimum horam vnam ante alios per multos annos hyeme, & æſtate de ſtrato mane ſurgebat. Erga proximos fuit caritatis indefeſſæ, tum in carceribus, tum Noſocomijs frequentandis, tum in Confeſſionibus ab aurorà vſque ad meridiem in templo excipiendis. Inſigniter humilis, paupertatis ſanctæ amans, commodorum ſuorum negligens, regularum obſeruantiſſimus. Demum plenus dierum, atque bonorum operum, & ferè octogenarius Valliſoleti in Collegio S.Ignatij migrauit ad Dominum die 15.Maij 1649. Edidit Hiſpanico ſermone, quod Italicè reddidit noſter Iacobus Graſſettus, Anglicè noſter Hen. Morus.

Enchiridion Conſiderationum, ac Spiritualium Exercitiorum in orando Deum. Cæſarauguſtæ apud Ioannem de Lanoya anno 1613. in 16.

Manuale De Vita, & Virtutibus B.Virginis. Valentiæ apud Ioannem Godinez 1614. in 8.Belgicè redditum à noſtro Theodoro Roſmer Antuerpiæ

Apoſtolicam vitam, & virtutes S. Franciſci Xauerij. Valliſoleti apud Franciſcum Fernandum 1602. in 8. Recuſam cum auctario Barcinone 1622. in 16.

Artem iuuandi ad bene moriendum.

* THOMAS VVHITFELDIVS natione Anglus, patria Dunelmenſis, natus anno ſæculi præterlabentis 12. ſub annum ſuæ ætatis 13. mirabili inſpiratione vocatus à Deo ad fidem Catholicam, & aliquot poſt annis ad Societatem, hanc ingreſſus eſt Vvatenis in Belgio anno 1639. & poſtea remiſſus in Vineam Anglicanam iam à 25. annis nauus operarius illam excolit. Fuit Superior noſtrorum in Reſidentia B. Stanislai, & Diſtrictu Deuonienſi, iuſſus à Superioribus ſcribere librum de motiuis credibilitatis fidei Catholicæ, id egregiè præſtitit Anglicana lingua, & approbatum à multis edidit hoc titulo

Meditationes de ſignis veræ Eccleſiæ Chriſti. Londini 1655. in 8.

THOMAS VVORTHINGTONVS natione Anglus, patria Lancaſtrenſis, perantiquæ nobilitatis, natus Blenſcoiæ haud procul Vvigamio, Parens eius fuit quidem ille Catholicus, ſed metu, ac temporum impetu, templa Hæreticorum ex Reginæ mandato frequentabat. Educatus honeſte filius in litterarum ſtudijs, vbi adoleuit prauorum dogmatum odio Oxonienſis pertæſus Academiæ, migrauit Duacum, ac deinde Rhemos. Hic laurea ſuperioris ſapientiæ donatus, ſacroque auctus Sacerdotio, Moderatorum iuſſu rediuit in patriam. Suboluit parenti reditus, qui ne quid inde ob atrocia Reginæ edicta caperet detrimenti, filium peruestigauit, eo conſilio, vt deprehenſum in manus traderet Iuſtitiæ Præfecto. Illum interim cura peruigil, cælitumque tutela ſeruauit, vt in conciliandis Deo mortalibus vtilem operam collocaret. P. Edmundum Campianum ad varias Catholicorum ædes ſibi familiares deduxit. Eo ſublato biennium ijſdem in locis commoratus, quatuor ingenuos iuuenes nepotes ſuos maturabat educere in Galliam, cùm multiplex ei mora à nequiſſimis hominibus interiecta eſt. Intercepti primùm adoleſcentes, qui tamen poſt multas vexationes demum elapſi ſunt. Ipſe bis defunctus captiuitatis periculo; demum à iuuene perfido cui bene multa fecerat, proditus Islingtoniæ tentus eſt propè Londinum anno 1584. Hinc ad Turrim Londinenſem deductus vincitur, & veluti inſignis cuiuſdam maleficij reus grauiſſima inter incommoda in Lacu (vt vocant) ad menſes duos, ac tres dies ab hominum conſortio ſecluſus detinetur; Poſt menſes ſex vnà cum P.Gaſpare Hayvvodo Societatis Ieſu alijſque circiter 20. Inuictis Chriſti Confeſſoribus deportatus in littus Normannicum, exilium religionis cauſa conſtanter tulit, & in patriæ laborantis ſubſidium conuertit. Etenim anno 1588. Treuiris S. Theologiæ Doctor renunciatus, non multo poſt Rhemis Theologiam poſitiuam tradidit, magna doctrinæ commendatione. Ab Cardinali Alano datus eſt D. Guilielmo Stanleio Colonello in exercitu Regis Catholici Sacellanus maior, quo in munere omnes Sacerdotis integerrimi, ac militum amantiſſimi partes expleuit; quod ſupererat temporis legendo ſcribendoque conterebat. Poſt hæc Duacenſi Collegio Anglorum Præſes Doctori Barreto ſubrogatus eſt. Subinde Romam contendit; vnde non multò poſt redijt Prothonotarius Apoſtolicus, annua penſione vtcumque auctus, & in Aſſiſtentem Archipresbyteri Angliæ cooptatus eſt. Demum ætate iam grandæuus ad Societatem adiecit animum multiſque precibus, vt admitteretur obtinuit, obijtque ſexto circiter Tirocinij ſui menſe in Anglia in Comitatu Derbienſi circa annum 1626. Multa piè & erudite ſcripſit inter quæ numerantur hæc

Epiſtola docta, & affectu plena ad ſuum fratrem.

Opuſculum de Myſterijs Roſarij.

Catalogus Martyrum in Anglia ab anno 1570. vſque ad annum 1612. cum Narratione de origine Seminariorum Anglorum.

Motiua Doctoris Richardi Briſtoi 1606. Anglicè verò

Anchoram Doctrinæ Chriſtianæ. Tom.II.

Annotationes ad vetus Teſtamentum.To.II. Duaci 1609.& alibi.

Contra Doctorem Vvhytum Caluiniſtam Tra-

Tractatum quo Corruptiones SS. Patrum in eiuſdem libro deteguntur 1615. in 4.

TOBIAS ARNOLDVS natione Germanus, patria Schombergenſis, Morauus, in Societatem adlectus anno Domini 1618. ætatis 21. votorum 4. profeſſionem emiſit. Operarius inſignis, vir comis, diſcretus, zelo animarum feruens, ſiue de ſuggeſtu diceret, ſiue de plano tractaret, Catholicis æquè atque Acatholicis pergratus. Finem viuendi inter mortales fecit Glacii die 12. Decembris 1645. Tranſtulit Germanicè, ediditque, additis ſolum initialibus litteris nominis ſui T. A. poſt præfationem

Martini de Roa, De Statu animarum in Purgatorio. Znoimæ 1635. in 16.

* TOBIAS LOHNER natione Germanus, gente Boius, patria Neo-Oetinganus, diœceſeos Salisburgenſis, natus anno ſæculi voluentis 19. Societatem amplexus eſt 1637. & votorum 4. ſolemni ſacramento ſe adſtrinxit. Poſt traditas amæniores litteras Philoſophiam explicuit ſeptennio, Theologiam ſpeculatiuam quadriennio, Moralem aliquandiu, & Rector Collegium Lucernenſe gubernauit. Modo in Collegio Dilingano, commiſit typis

Inſtructionem practicam de SS. Miſſæ Sacrificio, Editione ſecunda cum auctario. Dilingæ formis Academicis 1670. in 12. & iterum cum auctario Ingolſtadij 1674. in 8.

Inſtructionem practicam, De officio Diuino iuxta Ritum Breuiarij Romani recitando. Ibidem ijſdem typis 1670. in 12.

Scholam vniuerſalem Cæleſtis Sapientiæ, ſeu ſolidam inſtructionem qua quiuis Chriſtianus docetur vitam vocationi ſuæ congruam inſtituere. Lucernæ typis Godefridi de Nautt. 1666. in 12. vernaculè.

Felicem annum nouum, ſeu inſtructionem, qua ratione nouus annus, imò tota reliqua vita in pace, & gaudio tranſigi queat. Germanicè, Lucernæ typis ijſdem 1666. in 12.

Myrothecion ſpirituale, ſeu Salutares Doctrinas, ex Paſſione Chriſti collectas. Germanicè Lucernæ ijſdem typis 1660. in 12.

Faſciculum Maialem, ſeu Salutares cogitationes ex varijs ſepulchrorum Epitaphijs collectas. Lucernæ typis ijſdem 1666. & 1669. & iterum Dilingæ formis Academicis anno 1670. in 12.

Marianam Maternitatem, ſeu Salutares regulas pro inſtructione eorum, qui B. V. velut Matrem filiali affectu colere deſiderant. Germanicè Lucernæ typis Godefridi Nautt editio altera 1668. in 12.

Salutarem recreationem piſcandi animas, ſeu fuſam ſolidamque inſtructionem de animabus Purgatorij liberandis. Lucernæ typis ijſdem 1668. in 12.

Plura alia præ manibus habet, quæ vita comite, in lucem daturus eſt.

TOLOSANVM COLLEGIVM in Gallia ſitum ad amnem Garumnam in Vrbe Metropoli Occitaniæ inchoatum anno ſalutis 1562. auctore præcipue Georgio Card. Armeniaco Archiepiſcopo Toloſano inclytæ memoriæ, ex tenuibus exordijs, ſumma benignitate Illuſtriſſimi Senatus. & Ciuium contra impugnationes varias hæreticorum nos acriter defendentium, in eam paulatim excreuit amplitudiné, vt hodie alat ordinariè ad ſeptuaginta Socios, & in his 15. Prælectores, qui ſcientias omnes, quæ à Societate tradi ſolent explicent bis mille circiter diſcipulis. Edidit Gallicè

Thêatrum Regium Perſei Gallicani apertum, dum Rex Collegium inuiſeret. Toloſæ typis Iacobi Colomiez 1622. in 8.

TORQVATVS DE CVPPIS natione Italus, patria Romanus, nobili genere, adſcriptus in Societatem Nouellariæ in Æmilia anno ſalutis 1597. ætatis 20. Tirocinium abſoluit Romæ, & votorum 4. profeſſionem edidit. Philoſophiam ſexennio in Collegio Romano, magna ingenij fama prælegit, Theologiam moralem annis 16. Examinatoris Epiſcoporum munus coram ſumm. Pont. cum laude ſuſtinuit annis 28. Octogenarius fermè mortalitatem exuit in Collegio Romano die 21. Auguſti 1657. Habuit anno 16. ad Paulum V.

Orationem de Paſſione Domini in Paraſceue, quæ poſtea impreſſa eſt cum alijs eiuſdem argumenti. Romæ typis Vitalis Maſcardi 1641. in 12.

TOVSSANVS BRIDOVL natione Belga, patria Inſulenſis ingreſſus eſt in Societatem anno 1618. ætatis 23. & Spiritualis Coadiutoris gradum in ea obtinuit. Vir apprimè pius, otij fugiens, in tribunali Sacro Confeſſionum aſſiduus. Nihil vnquam negabat, quod in honorem B. Virginis (cuius cultui impensè addictus fuit) peteretur. Demum ſeptuagenario maior ſeptennio, æternæ felicitatis cupidus, & eſſe cum Chriſto deſiderans in patrio ſolo Inſulis religioſè denatus eſt die 28. Iulii 1672. Scripſit Gallicè

Gloriam mirabilium Deiparæ per ſingulos anni dies recurrentium. Inſulis apud Petrum de Rache 1640. in 8. Item

Vitam Franciſci Caietani Societatis Ieſu ex Italico P. Alphonſi Caietani. Ibidem 1641. in 8.

Triumphum annuum Chriſti per ſingulos anni dies. Inſulis 1659. in 8.

Miracula, & beneficia à S. Franciſco Xauerio patrata Potami in Calabria. Gallicè reddita Inſulis 1661.

Itinerarium pro futura vita ex Italico. R. P. Vincentii Carafæ. Inſulis apud le Clerque 1663.

Officinam Sacram Piorum Artificum. Inſulis apud Nicolaum de Rache 1650. in 12.

Illuſtre Noſocomium piorum Cæcorum. Inſulis 1670.

Infernum clauſum per Conſiderationem pœnarum Damnatorum. Inſulis apud Ioannem

Crame anno 1671. in 12.

Paradiſum apertum per pietatem erga Beatam Virginem. Ibidem apud eundem 1671. in 12.

Scholam Euchariſticam ſtabilitam ſuper veneratione à Brutis animalibus exhibita Sanctiſſimo Sacramento. Inſulis apud Nicolaum de Rache 1672. in 8.

TOVSSANVS ROVSSELIVS natione Gallus, patria Metenſis, & ex Canonico Metenſi Societatis noſtræ Sacerdos anno ſalutis 1571. ætatis 29. vota in ea 4. profeſſus eſt. Theologiam Moralem, & Sacras litteras explicuit. Rexit Collegia Burdegalenſe, & Billomenſe,& diem clauſit extremum Muſſiponti die 17. Aprilis 1597. Tranſtulit olim priuſquã Societati ſe adiunxiſſet circa annũ ſalutis 1570. ex Latino Gallicè.

Vitam S. Serenæ Virginis,& Martyris,quam refert Renatus Benedictus Doctor Sorbonicus in hiſtoria ſua Sanctorum ad diem 30. Ianuarii.

TVRNONENSE COLLEGIVM in Gallia ſitum ad Rhodanum Fluuium magnificè conſtructum ab inclytæ memoriæ Franciſco Cardinali Turnonio, & Societati ab eodem traditum in die Epiphaniarũ anno ſalutis 1561. non paucos viros litteris, & virtutibus præſtantes Eccleſiæ Dei ſuppeditauit. Et quamuis furore Hugonottorum per Galliam eo tempore immaniter graſſantium coacti fuerint noſtri anno 1562. ea Vrbe cedere, tamen mira Dei illuxit prouidentia,& cura in tuendo illo Collegio, quia licet vrbe potiti ſint Hæretici, & alia loca complura deuaſtarint, Collegium tamen eiuſque ſupellectilia fere intacta reliquerunt. Numerat hoc Collegium Ordinariè ſupra 50. Socios, & in his Profeſſores 14. qui facultates in Societate doceri ſolitas tradunt, & copioſam iuuentutem ad gymnaſium confluentem bonis artibus, ac pietate informant. Edidit Collegium recenſitas à ſe notiſque illuſtratas

Odas Græco-Latinas Sineſij,& Gregorij Nazianzeni Epiſcoporum. Item

Theſaurum rerum, & verborum Virgilij. Turnoni apud Claudium Michaelem 1588. in 8.

Virgilium ad communes locos redactum opera Michaelis Coyſſardi de quo ſupra ſuo loco.

TVRRIANVS LE FEBVRE natione Belga, patria Duacenſis, natus anno 1608. Societatem iniit 1626. & votis 4. ſe illigauit. Annos aliquot pro concione dixit ſummo cũ plauſu, ſed ſuggeſtui impar, per venæ fracturam, domeſticæ diſciplinæ curam geſſit; Sodalitia Parthenia direxit, Confeſſionibus excipiendis vacauit; & pijs libris conſcribendis reliquum vitæ tempus tranſegit. Præſagiſſe videtur mortem dando pœnitentibus monita poſt obitum ſuum quaſi imminentem, illis profutura. Vir igneæ caritatis non dubitauit viros nobiles, & cæteroqui formidabiles, intrepidè, ac ſuauiter monere, vt memores eſſent Dei præſentis in Templo, ne id fabulis prophanarent. Sanctæ Paupertatis cultor egregius; ſedicula, menſaque inornata tota eius ſupellex; lectulum ſine linteaminibus ſubibat ſemper indutus; domi temperatiſſimus, foris adduci nunquam potuit, etiam à Viris primarijs, & ſibi propinquis, vt vel modicè ſe reficeret. Sui deſpicientia, animi candore, ſilentij obſeruatione, temporis parſimonia fuit omninò eximius. Ad mortem accinctum apoplexia ſtratis egredientem oppreſſit, indulto dumtaxat ſpatio ad expiationem peccatorum generalem, qua pijſſimè peracta obmutuit; Sacro dein oleo perunctus abijt ad vitam (vt ſperamus) beatiorem Duaci die 28. Iunii 1672. Edidit Gallicè

Elogia Sanctorum in ſingulos anni dies diſtributa. Duaci typis Viduæ Marci Vvion, & Bartholomæi Bardou 1639. in 8.

Opuſcula varia Tomis duobus. Duaci apud Viduam Iacobi Mairеſſe 1667. in 4.

Vitam Cæſaris Cardinalis Baronij. Duaci apud Balthaſſarem Bellerum 1668. in 8.

Vitam P. Bernardi Colnago de Societate Ieſu ex Latina noſtri Ioannis Paulini. Duaci apud Bellerum 1665. in 8.

Metamorphoſim veteris hominis, & noui Geneſim ex Latino Noſtri Guilel. Stanihurſtij. Duaci apud Viduam Ioannis Serurier 1666.

Hiſtoriam Dei Immortalis in corpore patientis, ex Latino eiuſdem Stanihurſtij. Ibidem.

Vitam S. Franciſci de Borgia olim Ducis Gandiæ. Duaci 1671. in 12.

TYRNAVIENSE COLLEGIVM in Hũgaria haud procul ab amne Vago poſitum, inchoatum quidem anno ſalutis 1551. ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo Strigonienſi Nicolao Olaho Paſtore peruigili, & æterna memoria digno, qui vt haberet adiutores in paſcendo ſuo grege, lupis ſpiritualibus Hæreticis vndique circumcincto, aliquot de Societate eò acceſſiuerat. Verùm paucis poſt annis deficientibus neceſſarijs ad vitam tolerandam alimentis, ex Turcarum incurſione, direptionibus Hæreticorum, & conflagratione Aedium Collegij in communi incendio Ciuitatis, ſolutum eſt Collegium à S. Franciſco Borgia, tunc Præpoſito Generali, auctoritate illi tributa à Congregatione 2 Generali anno 1567. Sed poſtea rurſus erectum eſt aſſignatis Societati ædibus alijs auctoritate Cæſaris Matthiæ Regis Hungariæ, & Pauli V. Pont. Max. procurantibus in primis, & promouentibus ſollicitè erectionem tum Eminentiſſimo Cardinali Forgachio Archiepiſcopo Strigonienſi, tum illius in Archiepiſcopatu Succeſſore Petro Pazmanno, qui etiam poſtea ad Purpuram Cardinalatus eſt euectus, & vt in Hungaria Collegium eſſet veluti propugnaculum contra circumfuſas vndique Hæreſes, ibidem Academiam om-

omnium ſcientiarum; quæ doceri in Societate ſolent, idem Card. Pazmannus congruis prouentibus ſtabiliuit. Complectitur hodie ordinariè hoc Collegium ſuo in ſinu, & in annexis illi Reſidentijs ſupra octoginta Socios, qui & iuuentutem Hungaricam varijs ſcientijs erudire, & fidem Catholicam per Regiones illas Hæreticorum dogmatibus, & Mahumetiſmo Turcarum fœde contaminatas, connituntur propagare. Edidit Collegium

Apparatum Regium Symbolis explicatum Ferdinando II. Hungariæ, ac Bohemiæ Regi. Viennæ apud Gregorium Gelbhaar 1618. in folio.

* VALENTINVS BIATOVVICZ natione Lithuanus, Artium & Philoſophiæ Magiſter creatus Olomucij in Morauia, Societatem amplexus eſt Vilnæ anno ſalutis 1661. ætatis ſuæ 24. Docuitque Humaniores litteras aliquot annis, & varia poëmata edidit felice vena, ſed ſuppreſſo ſuo nomine nempe

Epinicion dum Sacrum corpus B. Ioſaphat Archiepiſcopi, & Martyris Vilnam ab exilio inueheretur. Vilnæ typis Academicis 1667.

Parodiam genialem de Immaculata Conceptione B. Virginis Mariæ. Vilnæ typis iiſdem 1606.

Oden longiuſculam de B. Stanislao Koſtka. Ibidem 1667.

Cynthia Hlebouuciana decora. Ibidem 1668.

Lilium D. Caſimiri natali carmine celebratum. Ibidem 1669. in folio

Soli, Polique Decus Sagitta Vvolovvviciana pro funere Ladislai Vvolovvicz Palatini Viteſpſcenſis, &c. Ibidem 1669.

Agni Iunoſiani aureum vellus. Ibidem 1670 in folio

Aetatem liliatam Chrapovvviciorum. Ibidem 1671.

Odas varias in Coronatione Sereniſſimi Regis Michaelis adiunctas ad Problemata noſtri Caſimiri Koialovvicz. Ibidem 1669.

VALENTINVS BISSCHOP, natione Belga, patria Brugenſis, natus anno ſalutis 1586. Societati ſe applicuit 1610. Conciones ad populum multis annis habuit, & ſtrenue in Hollandica Miſſione per ſeptennium Spiritualis Coadiutor formatus, verſatus eſt. Demum Cortraci in obſequijs peſte infectorum victima caritatis ſpiritum Deo reddidit die 14. Maij 1636 Edidit lingua Flandrica

Encomium Virginitatis, & Inſtructionem Virginum Deo dicatarum ad vitam cum pietate inſtituendam Lib. III. Antuerpiæ apud Hieronymum Verduſſen 1625. in 8. & rurſum apud Ioannem Cnobbaert 1626. & 1627.

VALENTINVS CARVALLIVS natione Luſitanus, patria Vlyſſiponenſis Societati adiunctus anno Domini 1578. ætatis ſuæ 18. ſeptennium docuit humaniores litteras, triennium Philoſophiam Vlyſſipone, & cùm ſe ad multiplicis ac variæ eruditionis theſes defendendas comparaſſet, eaſque iam typis expreſſiſſet, ſubito lectus Iaponicæ profectionis comes, Reuerendiſſimo P. Ludouico Cerqueiræ Epiſcopo, eius Inſulæ deſignato, ſub ipſum nauium diſceſſum repentè impedimenta omnia & retinacula præcidit, vix tantulo ſpatio conceſſo ad conſcendendum, ad nouas Vrbes, Scholas nouas, nouas exercitationes, noua conſilia, in vltimis terris quærenda, intrepido animo, non quidem nouo, ſed raro exemplo repente ſe conuertit. Vlyſſipone conſcendit anno Domini 1594. & haud improſpera nauigatione Macaum delatus ob excitatam à Taicoſama Iaponiæ Tyranno perſecutionem ibi ſubſiſtere compulſus eſt, vbi & votorum 4. vinculis ſe Deo adſtrinxit, & Theologiam Scholaſticam per quadriennium explicuit. Poſtea Macaenſis Collegii Rector factus, per octennium id gubernauit. Subinde ſexennio totam Prouinciam Iaponiæ, quo tempore illa primum ſui Iuris Prouincia, cum iuſta appellatione facta eſt. In magna rerum varietate ſapientiſſimè illam moderatus eſt, obtinebatque illam tum cùm Ludouico Antiſtite vita functo anno 1614. Vicarii Generalis munus, Sede vacante ſubire debuit, quod & ab Archiepiſcopo Goano Indiæ Primate primùm, & poſtea à Summo Pontifice approbatum fuit, firmatumque diplomate, vt in poſterum moriente Epiſcopo Iaponiæ, Superior ex Societate pro tempore ibidem, Epiſcopatus illius Vicarius, & adminiſtrator eſſet. Obiit demum in Goana Prouincia anno ſalutis 1631. Scripſit

Supplementum litterarum annuarum ex Iaponia anni 1600. Italicè editum Romæ apud Zannettum 1603. in 8. Item

Annuas litteras ex Sinis anni 1601.

VALENTINVS FABRICIVS, natione Polonus, patria Roxolanus admiſſus in Societatem Iaroslauiæ anno ſalutis 1580. ætatis 17. Profeſſionem in ea 4. votorum edidit. Rhetoricam, & Humaniores litteras docuit octennio, Philoſophiam triennio, Theologiam quinquennio. Vir doctiſſimus, & celeberrimus Sigiſmundi III. Poloniæ, & Sueciæ Regis per annos circiter 18. concionator, etiam cum oculis captus nihil legere poſſet, dicebat tamen pro concione cum plauſu, & ab Auditore frequenti cum admiratione auſcultabatur. Cætera vir humillimus, deprimendi ſui ipſius occaſiones paſſim captabat, & natalium ſuorum ob-

obſcuram conditionem, non ſolum non diſſimulabat, ſed vltro propalabat, & ſubinde exaggerabat. Demum ad multorum annorum ſtipendia ex hac vita euolauit. Varſauiæ die 22. Februarii 1626. Edidit Polonicè

Concionem celebrem quam vocauit *Strenam*.

Vertit præterea ex Latino Polonicè

Roberti Bellarmini Opuſculum De Gemitu Columbæ. 1621.

VALENTINVS GERARDVS, natione Gallus, patria Ebredunenſis in Societatem receptus anno 1562. ætatis 21. vota 4. in ea profeſſus eſt. Turnone Rector, & ibidem atque in Italia Theologiæ profeſſor, inſigni probitate vir, qui aut concionando aut Confitentibus aures præbendo, aut Hæreticos ſcriptis impugnando ad extremam vſque ætatem ſtrenue laborauit. Obiit in Monte Regali Galliæ Ciſalpinæ die 3. Nouembris anno ſalutis 1616. ſeptuagenario maior. Scripſit Gallice

Triumphum glorioſæ Virginis Mariæ contra calumnias Simeonis Codury. Lugduni per Abrahamum Cloquemin 1607. in 4.

VALENTINVS DE HERICE natione Hiſpanus, gente Nauarrus, patria Pampilonenſis nobili loco natus, in Societatem Salmanticæ ingreſſus die 15. Aprilis anni 1591. ætatis 20. vixit in ea magno virtutis ad omnem legum noſtrarum amuſſim exemplo, magni ingenii, & ſapientiæ laude. Bis Philoſophiam docuit & ſupra 20. annos Theologiam tum Valliſoleti, tum Salmanticæ, vbi cùm Præfecturam exerceret ſtudiorum, ad Pampilonenſis Collegii gubernacula admotus eſt; quæ triennio pari laude tractauit, donec die 20. Iunii vitam ibidem concluſit anno ſalutis 1626. ætatis 55. profeſſus iam olim die 6. Auguſti 1607. ſolemnia 4. vota. Grauem ſpiritalemque modum agendi ſeruabat cum omnibus, Magiſter, & Rector zelabat vehementer religioſam diſciplinam & incrementa litterarum. Cautus exſtitit ſi quis alius in colloquendo cum fœminis, & poſtremis vitæ ſuæ annis cum afflictæ eſſet valetudinis, non vulgaria dedit patientiæ ſpecimina. Libet adſcribere quæ de ipſo, ac de opere ipſius præfixit in ſua cenſura Doctor D. Martinus Argayz Antillon Prior Eccleſiæ Pompeiopolitanæ: *In eius Tractatibus*, inquit, *iudicij firmitas, profunditas ſcientiæ, vires ingenij, eruditio ſingularis, Philoſophorum, SS. Patrum, Conciliorum cognitio, & altitudo doctrinæ, virum admirabilem efficiunt & in eodem morum integritas cum pietate, & religione coniuncta ſplendet. Hac de cauſa Chriſtianum, clariſſimum & antiquiſſimum Nauarræ Regnum, florentiſſima Salmanticenſis Academia, Sacra Societatis religio, propter filium ita celebrem ab ipſis genitum, nutritum, atque educatum, gloriam incomparabilem aſſequuntur. Eius ingenij ſuauitas, facilitas & perſpicacia, vbertas doctrinæ cum breuitate in varijs opinionibus obſcuris, & difficillimis quæſtionibus explicandis, diſponendis, probandis, fortiſſimis argumentis ſoluendis, omnium amorem, & admirationem ſibi conciliat. Et vno verbo concludam: Valentini opus, ſicut partus ſingularis doctiſſimæ Societatis eſt venerandum. Denique eximius a me deſcriptus Doctor inter clariſſimos, & primos illos viros, Molinas, Suarios, Vaſquios, Bellarminos, Theologiæ lumina, Chriſtianæ Religionis columnas firmiſſimas eſt ſuſcipiendus.* Hactenus ille. Scripſit Valentinus.

Quatuor Tractatus in I. Partem S. Thomæ diſtinctos diſputationibus 52. Sunt autem Tractatus.

I. *De Scientia Dei.*

II. *De Voluntate Dei.*

III. *De Prouidentia, Prædeſtinatione, & Reprobatione.*

IV. *De Viſione Dei.* Pampilonæ ex Officina Caroli Labaien 1622. in folio.

VALENTINVS MANGIONIVS natione Italus, patria Peruſinus, natus anno ſuperioris ſæculi 73. Societati ſe addixit 5. Octobris 1589. & votorum 4. ſacramento ſolemni ſe adſtrinxit. Vir omni litteratura egregiè excultus, Sacroſanctæ Theologiæ Doctor, & in Signatura Sacræ Pœnitentiariæ S. D. N. Papæ Conſultor Theologus, Theologiam Moralem annis 12. cum laude explicuit. Gubernauit Collegia Firmanum, Lauretanum, & Mediolanenſe, & in hoc, graſſante per Vrbem peſte dimiſiſque ad tutiora loca Sociis, permanſit ille in ſtatione periculoſa, vt infectis Sacramenta adminiſtraret. Hinc quamuis tactus lue quoque ipſe fuerit, tamen diſponente ſic Diuina prouidentia paulo poſt conualuit. Sub hæc ab Eminentiſſimo Cardinali Ginnetto Summi Pontificis Vrbani VIII. Legato à Latere, proficiſcente in Germaniam in comitem itineris, & Theologum eſt adlectus. Redux Romam præfuit Domui Profeſſorum, & poſt obitum Vrbani VIII. à Sacro Collegio Cardinalium in Confeſſarium durante conclaui eſt cooptatus. Congregationi Octauæ Societatis, vt Elector interfuit, atque in ea in numerum Definitorum eſt adſcitus. Soluta Congregatione conſtitutus eſt Viſitator Prouinciæ Romanæ; poſtea Admonitor Præpoſiti Generalis à Congregatione Decima creatus, demum in Aſſiſtentem pro Italia à Præpoſito Generali P. Goſvvino Nickel in locum defuncti eſt ſubrogatus. Eo munere dum magna prudentiæ, & regularis obſeruantiæ laude fungeretur, correptus febri, & petitis mature Eccleſiæ Sacramentis, pientiſſimeque ſuſceptis, migrauit ad Societatem Ciuium Supernorum (vti iuſtum eſt credere) ex domo profeſſa Romæ die 11. Februarii 1660. ætatis 87. Vir fuit inſignitè pius, paupertatis Sanctæ cultor egregius, adeo vt toto tempore quo Sacræ Pœnitentiariæ Theologus fuit, hoc eſt annis amplius viginti quinque, quamuis ex Indulto ſpeciali Sedis Apoſtolicæ diſponere potuerit pro ſuo arbitratu, de penſione annua officio illi annexa, nunquam tamen

tamen vel nummum ex illa in ſuum priuatum commodum conuertit. Fuit præterea Inſtituti Societatis peritiſſimus, vnde præclaram illius epitomen labore improbo compoſuit, inſcripſitque Syntagma Iuris vniuerſi Societatis Ieſu, quod inter M.S. in pinacotheca Generali Societatis aſſeruatur. Edidit typis

Conſultationem de vi voti ſimplicis Paupertatis, emitti ſoliti in Religione Societatis Ieſu, peracto Nouitiatu. Coloniæ in Officina Birckmannica 1637. in 4.

Apologiam pro Bonifacio VIII. & Gregorio XIII. Romanis Pontificibus, aſſerentibus voti ſolemnitatem, ſola Eccleſiæ conſtitutione inuentam eſſe; nec non pro Cenſura propoſitionis oppoſita. Typis & anno iiſdem. Acceſſit

Auctarium Apologiæ pro votorum ſolemnitate, quo Epopſis Conſultationis Mangionianæ euertitur. Prodierunt hæc opuſcula cum auctario ſic inſcripta.

De religioſa Paupertate non excludente rerum dominium, nec ius teſtandi, Opuſculum quinquepartitum. Ibidem 1639 in 8. Edidit Ibidem

Theoricas Aſtri inextincti à Fr. Romano Haij. Scripti 1639. in 4. typis iiſdem

Prodiit etiam cum aliis eiuſdem argumenti, eius

Oratio de Paſſione Domini in Paraſceue habita ad Paulum V. Romæ typis Vitalis Maſcardi 1642. in 12.

Edidit quoque tacito ſuo nomine libellum pietatis plenum

Enchiridion ad cruciatus Chriſti Domini pie recolendos. Peruſiæ 1609. recuſum Romæ typis Corbelletti 1645. in 24.

* VALENTINVS STANSEL natione Germanus, gente Morauus, patria Iulio-montanus Societati adſcriptus in Prouincia Bohemiæ anno ſalutis 1637. ætatis 16. docuit in ea Rhetoricam, & Matheſim Olomucii & Pragæ & vota 4. profeſſus eſt. Poſtulata & impetrata miſſione Indica, in Luſitaniam profectus eſt, vbi etiam Mathematicas diſciplinas annis aliquot explicuit. Inde impedito itinere Indico Braſiliam petiit, vbi Theologiam Moralem aliquamdiu explanauit, & adhuc ſuperſtes operarium agit. Edidit lingua Luſitanica

Orbem Alphonſinum, ſiue Horoſcopium vniuerſale, in quo per Extremitatum vmbræ inuerſæ cognoſcitur, Quæ hora ſit in quouis Mundi loco, &c. Eboræ typis Vniuerſitatis 1658. in 12.

Scripſit & miſit ad typos in Europam

Mercurium Braſilicum ſiue Cœli, & Soli Braſilienſis œconomiam in 4.

Phænomena Cœleſtia ſiue Diſſertationem Aſtronomicam de tribus cometis, qui proximis annis in cœlo apparuerunt 1668. in 4. exſtat in Tabulario generali Societatis Romæ.

* VALERIVS PIQVER natione Hiſpanus, patria Villarluengenſis in Aragonia, Societati vicennis nomen dedit anno ſalutis 1603 & vota 4. ſolemni ritu concepit, Humanioribus litteris apprimè inſtructus, eas in ſcholis quinquennio docuit, & Noſtros Iuniores priuatim octennio. Concionatorem etiam egit, & Confeſſarium in Templo multis annis Cæſarauguſtæ, vbi tandem viuere inter mortales deſiit die 7. Ianuarij 1654. Eum Scriptoribus adnumerat in ſua Bibliotheca Hiſpana clariſſimus D. Nicolaus Antonius, quia donauit lingua Hiſpanica cum ſuis additionibus

Ephemeridem ſeu Calendarium Sanctiſſimæ Virginis Mariæ ex Latino noſtri Antonij de Balinghem. Cæſarauguſtæ apud Michaelem de Luna 1654.

VALERIVS REGINALDVS natione Burgundo-Sequanus, patria Vſienſis, qui pagus eſt Diœceſis Biſuntinæ, natus eſt anno 1543. obſcuris parentibus, terræ colonis, à quibus tamen litteris deſtinatus eſt. Pariſijs audiuit Ioannem Maldonatum, & Ioannem Marianum præſtantiſſimos eius ætatis Theologos, eximio fructu, ibidemque in Societate admiſſus eſt. Paucos poſt menſes Burdegalam miſſus eſt, vt Philoſophiam publicè profiteretur, id quod in ſumma librorum, ac rerum omnium penuria, tanta cum laude fecit, vt Profeſſorem Aquitanici Collegij inſolentiùs prouocantem valide compreſſerit. Muſſiponti deinceps, ac Pariſijs gnauiter Philoſophiæ ſpatia emenſus eſt. Pariſijs deinceps aliquamdiu ac ſubinde totis 20. annis Dolæ Moralem Theologiam docuit, cum ſumma nominis celebritate. Vir fuit ſingulari animi demiſſione. Volumen illud ſuum ingens de moribus tam vile putauit, vt alienum illi nomen cogitaret præfigere, ne qua labes Societatis Scriptoribus adhæreſceret, ſi cuius ex illa nomen præferret. Laudes ſuas magno ſtudio declinabat; ſub mortis horam cùm à quopiam laudis aliquid ſuggereretur, mixtis cum gemitu ſuſpirijs dicebat. Ne quæſo veſtris blanditiis mulcere me pergatis, nec viuus laudari cupio, neç mortuus; id agite potiùs, vt veſtris precibus vberes mihi à Deo lacrymas impetretis, quibus eluam peccata mea. Memorabat ſæpe omni ſe loco, & honore indignum eſſe, quoniam de poſt fœtantes, aſſumptus eſt. Timorem Dei altiſſimè combiberat, quem animo, & verbis aſſidue verſabat, & in eos quibuſcum agebat deriuabat. Tenerrima fuit pietate in Chriſtum patientem; de ipſius doloribus commentationes ſcripſerat quibus ſe identidem exercebat. Toto extremi morbi tempore Chriſti ſui Paſſionem prælegi curauit, cui vt compateretur, ne floſculos quidem animi recreandi gratia à fratre quodam oblatos admiſit. Nunquam à ianua quò crebrò vocabatur, ad ſuum cubiculum regrediebatur, niſi ſalutata Venerabili Euchariſtia, negans decere famulum quoquam, ſine Domini ſui venia digredi. Hominum ſalutem ardente zelo procurabat, multus in Confeſſioni-

bus

bus tenuiorum præſertim excipiendis, pollebatque eximia quadam efficacitate verborum, ad exprimendas vel grauiſſimis peccatoribus lacrymas, & ardorem contritionis. Inſtituti ſui erat non magis amator, quàm egregius obſeruator; agebatque Deo gratias magno affectu, quod ſe in Societatem vocaſſet, ſeruaſſetque vſque ad mortem. Bis terue in hebdomada fidiculis in ſe ſæuiebat, vſque ad decrepitam ætatem. Nunquam verbo quemquam offendit; quod ſi quid imprudenti excidiſſet aſperius, mox humili deprecatione, & Confeſſione abſtergebat. Nuncium mortis cum gáudio excepit, & vita vniuerſa per exhomologeſim recognita, diuinoque Epulo refectus piè conquieuit Dolæ 14. Martii anno ſalutis 1623. ætatis 80. Religionis 50. ex quo ſolemnem votorum 4. profeſſionem admiſerat 32. Magna frequentia illi parentatum eſt, multique primarii, & Religioſi viri, eos ſibi motus in animis factos eſſe teſtabantur, vt ſe illi magis quàm illum Deo commendarent, opinione ſanctitatis, qua etiam excitus populus certatim oſcula manibus eius figere, roſariis contingere, depoſcere reliquias ad venerationem. Scripſit Valerius Reginaldus

Praxim fori Pœnitentialis ad directionem Confeſſarij in vſu ſacri ſui muneris Tom. II. Poſt Lugdunenſem editionem auctius, & emendatius Coloniæ apud Bernardum Gualterum & Petrum Henningium 1622. in folio.

De Prudentia & cæteris in Confeſſario requiſitis ad ritè fructuoſéque Diuini Miniſterij ſui munera obeunda. Lugduni primum, tum Coloniæ apud Ioannem Chrithium & Petrum Henningium 1611. in 12.

Tractatum de Officio Pœnitentis in vſu Sacramenti Pœnitentiæ. Moguntiæ typis Ioannis Vvolmari 1619. in 12.

Compendiariam praxim difficiliorum Caſuum Conſcientiæ in tres partes diſtinctam. Moguntiæ typis Ioannis Vvolmari 1619. in 12.

Inſtructionem breuem ad vſum Sacramenti Pœnitentiæ.

* VASCVS PIREZ natione Luſitanus, patria Eluenſis, in lucem editus, anno reparatæ ſalutis 1546. vix exceſſerat ex ephebis, quando Societati nomen dedit, Conimbricæ 1560. & iam inde ab ipſo tirocinio, religioſiſſimæ vitæ, & magnarum olim virtutum ſpecimen præbuit. Linguas Græcam & Hebræam, dum Humanioribus diſciplinis nauaret operam, ſtudio contento perdidicit, eaſque ſubinde publice in ſcholis Conimbricæ quadriennio profeſſus eſt. Emicantibus dein in dies vitæ ſanctioris ſcintillis, Tironibus Noſtris formandis præfectus eſt, eoque munere annis 12. eſt perfunctus ſumma omnium comprobatione, & ſingulari in primis profectu Nouitiorum, quibus veluti norma & ſpeculum omnium virtutum, quas imitarentur, fuit. Mira quippe fuit innocentia vitæ, coniunctiſſimus per orationem quaſi continuam cum Deo, nec niſi de Deo ſermones miſcebat cum aliis, & hos inſigni etiam dexteritate interſerebat in congreſſibus, ſi forte de rebus aliis fierent colloquia. Singulis horis examinabat conſcientiam ſuam, & ſubinde ab oratione ſurgebat vultu inflammato. Humilitatis, & mortificationis fuit cultor eximius, & erga ſanctam Paupertatem tenerè afficiebatur. Nihil momenti ſuo aſſeruabat in cubiculo; & cùm proficiſcendum eſſet ex Collegio Portuenſi Vlyſſiponem ad Congregationem Prouincialem, pedes illud iter emetiri voluit, & emendicatis oſtiatim cibariis victitare; cùmque ex longitudine itineris diſrupti eſſent calcei, eos faſciis ex panno detrito circumligauit, atque ita Vrbem Vlyſſiponenſem ingreſſus eſt. Viliora & deteriora ex rebus domeſticis optauit ſemper ſibi dari, & ex amore Humilitatis enixiſſimè deprecatus eſt, ne Rector fieret Collegii Vlyſſiponenſis, aut etiam Vice-Prouincialis. Cum eſſet Magiſter Nouitiorum frequenter obibat infima in culina Miniſteria; ſæpe etiam exibat foras cum fratre Coadiutore emptore, ſine pallio, ac ſi eſſet illius famulus, & quæ in foro vel in officinis emebantur, vt carnes, piſces, olera, & id genus alia, domum aſportabat, atque hæc etiam ſenex magna virtutis commendatione factitabat. Erga Beatiſſimam Virginem Deiparam tenerrimo ferebatur pietatis ſenſu, eiuſque cultum omnibus conabatur inſtillare. Ab illa viciſſim non paucis cumulatus gratiis, faſſus eſt aliquando ingenuè cuidam Patri, ſe quotannis in feſto die Natiuitatis Deiparæ, ſingulari aliquo cæleſti fauore ab ipſa ſolere affici. Multa de ipſo narrantur admiranda, vt quod ſecretas cordium cogitationes in aliis cognouerit; quod complura ſpiritu Prophetico prædixerit; quód ſplendore cæleſti illuſtratum fuerit eius cubiculum, ſpectabilem ſe illi præbente Beatiſſima Virgine, & his affinia, quæ videri poſſunt in ipſius vita ſcripta pridem à Noſtro Emmanuele de Vega, ſi forte typis mandabitur prout expetunt plurimi. Tandem maturus cælo, & cupiens diſſolui atque eſſe cum Chriſto cui fideliſſimè tot annis deſeruierat, ſuſceptis priùs omnibus Eccleſiæ Sacramentis, migrauit ad Dominum Vlyſſipone in Domo probationis die 21. Septembris 1590. ab emiſſa Profeſſione 4. votorum anno 14. Defuncti cadauer vna cũ veſtimentis, poſt ſex annos, cum apertum fuiſſet ſepulchrum, planè integrum ac ſine vllo malo odore repertum eſt, quamuis terra cui ingeſtum fuerat, breuiſſimo tempore conſumere ſoleat corpora in illa humatorum. Compoſuit olim noſter Vaſcus, dum Magiſtri Nouitiorum officio fungeretur pro ſingulari venerationis affectu quo ferebatur in Myſterium Natiuitatis Chriſti Domini, Lectionem quandam Spiritualem pro ſuis Tironibus, ſeu Diſcurſum pium de Ieſu Infante, & iacente in præſepi Bethlemitico, quæ quia maximi fit in tota Prouincia Luſitaniæ, legique ſolet publicè

in

in Sacellis domeſticis Collegiorum, conuenientibus ad lectionem illam omnibus ibi degentibus, viſum eſt Superioribus ob eminentem viri virtutem, faciendam hoc loco memoriam eſſe illius opuſculi licet mole exigui, cùm nuper editum Romæ ſit Luſitanicè, ſub hac Epigraphe:

Lectio Spiritualis de Natiuitate Chriſti Domini Noſtri, pro nocte Natalis Chriſti. Ex Officina Iacobi Vareſii 1675. in 4.

VBALDINVS BARTOLINI natione Italus, patria Senenſis, Societati aggregatus anno Domini 1582. ætatis 34. iam tum Iuris vtriuſque Doctor. Multos annos Romæ in Domo Profeſſorum, & in conſcribendis litteris Præpoſiti Generalis Claudii Aquauiuæ tranſegit, & varia poſtmodum miniſteria Religionis obiuit, Spiritualium Coadiutorum numero adſcriptus. Naturæ conceſſit, Senis die 18. Ianuarii 1608. ex Hiſpanico fecit Italicas

Annuas Litteras Iaponicas annorum 1591. *&* 1592.

* VDALRICVS GROSCHAN natione Germanus, gente Alſata, patria Maſopolitanus diœceſis Baſileenſis, natus anno ſæculi voluentis 6. Societati ſe adiunxit 1628. & Spiritualibus Coadiutoribus adſcriptus eſt. Poſt doctas aliquamdiu Humaniores litteras, Miſſiones obiuit, & variis muneribus religioſè functus eſt. Sed ægra plerumque & afflicta valetudine, podagra, & arthritide annis vndeuiginti miſere conflictatus, non tamen vnquam auditus eſt, de doloribus queri, ſed ſe ſolabatur memoria Crucifixi, & in audiendis pœnitentibus in Sacro Tribunali erat aſſiduus; donec anno 1656. die 14. Maii, Conſtantiæ Sacris omnibus rite procuratus migrauit ad Dominum. Tranſtulit ex Gallico idiomate in Germanicum

Aulæ Sanctæ Tomos III. in 4 à Noſtro Nicolao Cauſſino compoſitos. Monachii typis Ioannis Iachlini 1656.

VICTORIANVS PREMOLVS natione Italus, patria Cremenſis, Societatem amplexus anno ſalutis 1588. ætatis 18. votorum in ea 4. profeſſionem edidit. Vir egregie doctus, Philoſophiam, Theologiam Scholaſticam, Quæſtiones de Conſcientia, complures annos profeſſus, Patauii, Romæ, Mutinæ, & Bononiæ. Et ob hæc quidem carus in primus fuit, Eminentiſſimo Cardinali Alexandro Ludouiſio Bononienſis Vrbis Archiepiſcopo, qui ad Pontificatum aſſumptus Gregorii XV. nomen accepit, iſque eius opera multis in rebus eſt vſus. Demum cum anno ſalutis 1630. fœda peſtilitas Italiam latè vaſtaret, Victorianus ardore caritatis ſuccenſus, in lue contactorum obſequia ſe promptus impendit Caſtilione, vbi etiam naturæ conceſſit, in Septembri anno 1630. Edidit ſuppreſſo ſuo nomine auctoritate Alexandri Cardinalis Ludouiſii Archiepiſcopi Bononienſis

Memoriale Sciendorum à Clericis cum Appendice de alijs Sciendis à Confeſſarijs, & præſertim de C. Caſibus obligantibus ad reſtitutionem. Bononiæ, Cremonæ, Mediolani atque alibi ſæpiùs recuſum. Poſtea etiam appoſito, veri auctoris nomine rurſus editum, Bononiæ typis Ioannis Recaldini 1670. in 12.

VIENNENSIS VNIVERSITAS, SEV COLLEGIVM in Germania ad Danubium ſitum ad Auſtriæ Prouinciam pertinens, fundatum, auctum, ſtabilitum, & ornatum à V. Auguſtiſſimis Imperatoribus glo: mem. ex Auſtriaca Auguſtiſſima Domo. Primus Societatem eò aduocauit Ferdinandus Romanorum Rex, poſtea Imperator eius nominis primus datis ad S.P.N. Ignatium litteris die XI. Decembris anno 1550. quibus mitti, eò Socios aliquot ad Collegium inchoandum poſtulauit. Graſſabatur tunc enim latè Hæreſis per Germaniam, & in Prouincijs Regiæ Suæ Maieſtati ſubditis, vix decima pars, vel (vt alij ſentiebant) vix vigeſima à contagione prauæ doctrinæ immunis erat. Miſſi itaque deni Roma anno ſubſequente cum paucis aliis, arma Scholaſtica contra Hæreſes mouere cæperunt, tam proſpero ſucceſſu, vt ſtatim plures acceſſiri, & omnia neceſſaria ex ærario ſuo piiſſimus Rex munificè curauerit ſuppeditari. Auxit fundationem Auguſtiſſimi Parentis, Maximilianus II. adiectis illi bonis auctoritate Apoſtolica Cœnobii cuiuſdam S. Annæ, & vtriuſque donationi robur, ac firmitatem addidit Rodulphus II. Verùm cum ſitus ille Collegii in vmbilico Vrbis, videretur aptior muneribus Domus Profeſſorum, eo Domus vſibus relicto, Ferdinandus II. Imperator nouum à fundamentis Collegium alio in Vrbis loco, vnà cum magnifica Baſilica magnis ſumptibus excitare cæpit, vniuitque Vniuerſitati, itaut Societas iuxta ſui Inſtituti rationem doceret humaniora omnia, & Philoſophiam atque Theologiam. Sed huic ædificio cùm ſupremam coronidem morte præuentus, ille imponere non potuerit, impoſuit Auguſtiſſimus eiuſdem Filius & Succeſſor in Imperio Ferdinandus III. adiecitque magnis impendiis ſcholas ampliſſimas. Eſt igitur hoc Collegium eximiæ pietatis V. Imperatorum luculentum monumentum, quod ordinariè complectitur Socios ad 90. & in his Profeſſores 18. qui numeroſam iuuentutem ad gymnaſia noſtra concurrentem pietate ac bonis artibus informant. Edidit ſuo nomine

Purpuræ Romanæ Melchiori Kleſelio delatæ gratulationem. Viennæ 1616. in folio

Quadrigam famæ Regiæ Ferdinando III. Rege Hungariæ coronato. Viennæ 1625. in folio

Thalaſſium Ferdinando III. Hungariæ, & Bohemiæ Regi, ac Mariæ Auſtriacæ Hiſpaniarum Infanti in eorum nuptijs oblatum. Viennæ 1631. in folio

Imperialem XII. Auſtriacorum Cæſarum Zodiacum illuſtratum nouo Sole, nouo Cæſare

Ferdinando III. ipſi oblatum, cùm in Ratisbonenſibus Comitijs Romanorum Imperator electus, coronatus eſt. Viennæ typis Gregorii Gelbhaar 1637 in folio

Cunas Cæſarum pro Deo & Populo, ſiue Theodoſium Magnum, Pium, & Iuſtum Imperatorem Ferdinando IV. oblatum. Viennæ 1644. in folio

Cenotaphium pijs manibus Ferdinandi III. Romanorum Imperatoris, Cæſareis virtutibus, & Symbolis adornatum. Ibidem 1657. in 4.

Imperium Romano-Germanicum, ſiue Elogia 50. Germaniæ Regum & Imperatorum Leopoldo I. oblata. Viennæ 1658. in folio.

Pietatem Victricem, ſiue Flauium Conſtantinum Magnum de Maxentio Victorem, Leopoldo electo & coronato Romanorum Imperatori dedicatum. Ibidem 1659. in folio.

Fidem Coniugalem, ſiue Ansbertam ſui coniugis Bertulfi è dura captiuitate Liberatricem, datam ludis nuptialibus Auguſtiſſimorum Cæſarum Leopoldi & Margaritæ. Viennæ 1667. in 4.

Aſſertiones Philoſophicas, Mathematicas, Theologicas, Trium linguarum & ex Sacris Biblijs. Viennæ Auſtriæ in Ædibus Collegii Cæſarei Societatis Ieſu 1560. in 4.

VILNENSIS ACADEMIA SEV COLLEGIVM in Lithuania, & Vrbe Principe magni illius Ducatus ſitum, fundatorem habuit inclytæ memoriæ Valerianum Epiſcopum Vilnenſem ſummi zeli & pietatis Antiſtitem, qui circum frementibus vndique Hæreticis, ad tutelam ſui gregis, & inſtitutionem rectam iuuentutis in ſua diœceſi anno ſalutis 1568. datis ad Cardinalem Hoſium Epiſcopum tunc Varmienſem litteris, & ad Superiores Societatis Brunsbergæ in eodem Regno, flagitauit enixè mitti ad ſe aliquos de Societate ad incolendum Collegium quod erecturus erat. Inchoatum itaque eſt anno ſubſequente Collegium, & quidem tanto ipſis in primordiis fructu, vt aucta deinde fundatione Academiam, ſeu Vniuerſitatem pòſt paulò inſtituerit, & hanc omnibus aliarum Vniuerſitatum per Europam priuilegiis auctoritate Apoſtolica à Gregorio XIII. Pont. Max. annò 1579. communiri curauerit. Alit nunc ordinariè hoc Collegium ſupra 70. Socios, & ex his 15. Prælectores ſeueriorum, & humaniorum diſciplinarum, à quibus magno nationis illius bono copioſa iuuentus eruditur. Edidit ſuo nomine

Capitolium perennitatis Illuſtriſſimo D. Leoni Sapieha Palatino Vilnenſi. 1623. in 4.

Panegyricum Sereniſſimo Regi Vladislao IV. Vilnam ingredienti.

Laureas Academicas eidem dicatas.

Theatrum gloriæ eidem anno 1636. erectum.

Iconem votorum in eiuſdem nuptijs 1637.

Aeternitatem Regum ſtirpis Iagellonicæ in Vladislao IV. orbi expreſſam, eidem dedicatam cum Vilnam anno 1639. ingrederetur. Quæ omnia ſimul recuſa ſunt. Romæ typis Corbelletti 1639. in 4. in manipulo Orationum à Polonis ſcriptarum.

Epicedia in funebres Exequias fundatoris ſui Valeriani Epiſcopi Vilnenſis. Vilnæ 1580. in 4.

Gratulationes Sigiſmundo III. Vilnam primùm ingreſſo 1588. in 4.

Threnos in Exequijs Lazari Kmita Czanobilski. Vilnæ 1594. in 4.

Enthroniſmum Præſularem Euſtachio Vvolovvicz Epiſcopo ſoluta & vincta oratione. Vilnæ 1615. in 4.

Poëma heroicum inſcriptum nouo Palatino Vilnenſi Carolo Chodkievvicz. 1617. in 4.

Mauſolæum defuncto Epiſcopo Vilnenſi Euſtachio Vvolovvicz. Ibidem.

Echo-Lyricam Abrahamo Vvoyna Epiſcopo Vilnenſi capeſſenti Epiſcopatum. Vilnæ typis Academicis 1631. in folio.

Bellaria Academica pro Nuptijs Sereniſſimi Principis Neoburgici cum Sereniſſima Principe Poloniæ. Vilnæ 1642. in folio.

Pompam Nuptialem Alberto Vladislao Radziuil. S. R. Imp. Principi. Vilnæ typis Academicis 1628. in folio.

Primas Lacrymas ſeu Elogia Sereniſſimæ Reginæ Ceciliæ Renatæ. Vilnæ 1644. in folio.

Ver Lukiſzkanum varijs linguis Sereniſſimo Ladislao IV. Regi. Vilnæ 1648.

Polum Tarnouianum, ſeu Panegyricum in funere Theodoræ de Tarnovv. Vilnæ 1652. in folio.

Gratias Sæculares anno ſæculari Societatis ſoluta Oratione. Vilnæ typis Academicis 1640. in 4.

VINCENTIVS ARANEA natione Italus, patria Aquilanus, Societatem complexus Romæ anno ſalutis 1609. ætatis ſuæ 21. profeſſionem edidit 4. votorum. Philoſophiam prælegit nouennio, Theologiam de moribus decennio in Collegio Romano. Rexit Collegia Florentinum, Peruſinum, & Germanicum Romæ magna laude prudentiæ & integritatis; & in Romano Collegio, ſolutus corporis vinculis, ad ſuperos (vt fas eſt ſperare) abiit. Die 13. Auguſti anni 1653. Edidit tacito ſuo nomine

Aſſerta de Vniuerſa Philoſophia Libris III. à Marchione Sfortia Pallauicino tunc diſcipulo ſuo. Poſtea Societatis Ieſu, & S. R. E. Cardinali in Collegio Romano publice defenſa, anno 1625. in folio. Romæ typis Franciſci Corbelletti eodem anno.

* VINCENTIVS BALESTRIERIVS natione Italus, patria Neapolitanus cooptatus in Societatem anno à partu Virginis 1612. ætatis 17. vota 4. in eadem nuncupauit. Conciones multis annis habuit cum laude eloquentiæ

tiæ & pietatis. Rexit olim Collegium Theatinum, & demum annis grauis naturæ debitum exſoluit Nolæ die 20. Maij 1671. Edidit Italicè

Panegyricos Sermones Sacros Tom. I. Neapoli per Hiacynthum Paſſarum anno 1662. in 4.

Conciones per Aduentum, & Panegyricos alios Tom. II. Neapoli typis ijſdem 1665. in 4.

VINCENTIVS BRVNVS natione Italus, patria Ariminenſis, cùm medici officio fungeretur, curandiſque ægrotis operam daret, noſtram ingreſſus eſt Societatem anno 1558. Cum enim ab adoleſcentia prima vitæ ſeuerioris cupidus, ſe voto obſtrinxiſſet, Ordinem FranciſcanorumObſeruantium ſecuturum, vbi in cognitionem Societatis venit pro ingenij, & modicæ ſuæ valetudinis ratione, interpretatus gratius in ea Diuinæ Maieſtati ſeruiturum, ad eam ſe priore vinculo ritè ſolutus, recepit. In ea Diuinis litteris eruditus omnique virtutum genere excultus, eò euaſit exiſtimationis, vt cum primis illis primitiuæ Societatis PP. comparari poſſit, & iure dubites qua potiſſimum virtute fuerit eximius, cùm in omnibus æque excelluerit: continenti cum Deo coniunctione, manſuetudine, ſui abiectione, tum animi tranquillitate tanta, vt ne vnus quidem in eo, vllo tempore vllum vel minimum commoti animi ſignum deprehenderit. Modeſtia vero morum, viuida in ſermone lenitas, totius interni tum externi hominis compoſitio in eo vulgaria fuere ornamenta. Caritas in eo erga fratres, ægrotos præſertim, & valetudinarios fuit inſignis, & accurata diligentia. Spiritualium rerum peritia, tanta, vt omnium diutiſſimè in Romano Collegio ei ſtudio præfuerit. Collegium Lauretanum, & Romanum Clericorum Seminarium cum laude adminiſtrauit. In Domo Romana Profeſſorum multis annis Miniſtrum egit. Collegium Romanum annis circiter ſex duobus temporibus ex interuallo rexit, vt meritò ab omnibus Collegij Romani Pater diceretur. Fuit ægra ſemper, & imbecilla valetudine, tenuiſſimo victu eoque vulgari & vili, & minimo quoque momento, è venis pectoris illi ſanguis erumpebat. Sæpius eius rei cauſa venit ad extrema, ſed patientia incredibili, & abſtinentia morbi ſæuitiam ſuperauit. Diem tandem clauſit extremum Romæ Idibus Auguſti anno ſalutis 1594. ætatis vero 63. cum 36. egiſſet in Societate trium votorum profeſſus. Scripſit Brunus præclare materna lingua, quæ latine à Moguntinis Socijs conuerſa, Coloniæ Agrippinæ exierunt ex Officina Birckmannica 1599. & Gallicè ab Antonio Gazæo ex parte verſa ſunt

Meditationes de præcipuis Myſterijs, Vitæ & Paſſionis Domini Noſtri Ieſu Chriſti Par. III. Venetijs apud Nicolaum Miſſerinum 1606 in 12.

Meditationes in VII. Præcipua feſta B. Virginis. Item commune Sanctorum, Ibidem 1606. in 12.

Meditationes in Euangelia, quæ Dominicis diebus leguntur in Miſſa.

De Sacramento Pœnitentiæ cum examine ad Confeſſionem Generalem. Romæ per Franciſcum Zannettum 1586. in 12. & ex Italico Latine Coloniæ per Mylium anno 1598. in 12.

VINCENTIVS BISSE, natione Hiſpanus, patria Alzirenſis in Regno Valentiæ. Societati aggregatus anno Domini 1612. ætatis 15 votorum 4. profeſſionem edidit. Cócionibus habendis ad populum multis annis perutilem nauauit operam, & ex hac vita migrauit (vt fas eſt credere) ad cæleſtem Dertuſæ die 4. Auguſti 1646. Edidit

Concionem quandam ſuam. Valentiæ.

VINCENTIVS CARAFA natione Italus, patria Neapolitanus ex Principe ſtirpe nobiliſſimæ familiæ Carafarum, patre Fabritio Duce Andriæ, Matre Maria Carafa eximiæ probitatis Heroina, natus eſt anno reparatæ ſalutis 1585. menſe Maio. Ab ipſa infantia præuentus in benedictionibus à Deo per ſemitas magnorum Sanctorum ad ſublimem ſanctitatis gradum eſt deductus. Nam puer à puerilibus ludis ſe abſtinuit, totus in rebus pietatis; puritatis vero adeo amans, vt iam tum Angelus carne veſtitus appellaretur. Orationis donum ab ipſa pueritia videtur illi diuinitùs inditum; dum enim adhuc grammaticæ daret operam, in paterna domo quotidie à ſchola ad Sacellum domeſticum ſe conferebat, ibique tres, & ſubinde quatuor horas orando tranſigebat. Cultui Deiparæ Virginis ſpeciatim addictus, eius officium paruum, & quam vocant coronam aſſiduè recitabat, eidem acceptum referens donum Caſtitatis. Ieiunijs per hebdomadam ter affligebat corpuſculum, nimirum ferijs quarta, ſexta, & Sabbato. Inſuper ſolo pane & frigida reficiebat ſe Sabbato in honorem B. Virginis. In egenos & mendicos miſeratione tanta ferebatur, vt quidquid pecuniolæ habere poterat à parentibus in illos ſtatim effunderet, & vt haberet lacrymis perſæpe à matre piè extorſit. Adultum ad dignitates Eccleſiaſticas deſignarunt conſanguinei, demortuo iam Patre, oblatis prouentibus peramplis, vt cum ſplendore in Romana Curia ſe ſuſtentare valeret, verùm ille plenus Deo, & ad Cæleſtia aſpirans, poſthabitis omnibus, Chriſto ſua in Societate conſecrauit ſe die 4. Octobris anno 1604. ætatis ſuæ 19. In Tirocinio porrò, atque ſtudijs omni virtutum genere excelluit, contemptu mundi, deſpicientia ſui, paupertatis amore, obedientia erga Superiores, regularum etiam minimarum obſeruantia, adeò vt alter Aloyſius Gonzaga paſſim haberetur; & à quibuſdam, qui vtrùmque nouerant, Aloyſio etiam in amabili quadam gratia exteriori anteferre-

 tur.

tur. Dum ſtuderet Theologiæ, quamuis præſtanti eſſet ingenio, & nulli ex condiſcipulis inferior iudicio Magiſtri, tamen ex amore demiſſionis ſui, enixe petijt à ſtudijs abſtrahi, & Adiutoribus Laicis aggregari. Philoſophiam bis cum laude docuit Neapoli, & vota 4. ſolemnia emiſit Kalen. Maij 1619. Magiſter Nouitiorum quinquennio fuit, poſtea Rector Collegij maximi, & Præpoſitus Domus Profeſſæ, tum Prouinciam Neapolitanam adminiſtrauit, & ad alias quoque Prouincias regendas fuiſſet adhibitus, niſi amotionem illius Neapoli, Optimates conſanguinei propter inſignem fructum, quem ex ipſius conſuetudine capiebant, à P. Mutio tunc Præpoſito Generali ſtudioſe fuiſſent deprecati. Sublato deinde è viuis P. Mutio miſſus à ſua Prouincia cum Iure ſuffragij ad Comitia Generalia Societatis Romæ habita, in ijs primo ſcrutinio, & multo maiore numero ſuffragiorum, quàm fuerat neceſſarium, electus eſt in Præpoſitum Generalem anno ſalutis 1646. die 7. Ianuarij prout reuelatum diuinitus fuerat paulo antea in Decembri cuidam Venerabili Sacerdoti in Calabria, & ſub idem tempus præſignificatum quoque à Beatiſſima Virgine cuidam grauiſſimo de Societate Presbytero. In gubernanda Societate amuſſis illi erant, Conſtitutiones S. P. N. Ignatij, & Inſtitutum, nec ab illis vllo metu, vel ſpe ſinebat ſe dimoueri. Seueritati in exigenda diſciplina admiſcebat opportunè ſuauitatem, ſed quæ Patris magis, quàm Matris erat, fiducia in Deum erat ſingulari, & frequenter confugiebat ad Orationem petiturus à Deo lumen & auxilium, atque hinc proſpere ſupra omnem ſpem permulta euenerunt. Zelo animarum tenebatur maximo, atque in omnibus, quæ geſſit officijs ad proximum iuuandum perattentus ſemper fuit. Hinc cùm Philoſophiam in ſcholis traderet, ſexaginta ex diſcipulis permouit ad amplexum crucis, in varijs Ordinibus Religionis. Poſtea cùm Congregationis Nobilium curam gereret in Domo Profeſſorum, incredibile dictu eſt, quantopere nobiles illos Equeſtri genere natos & ex ijs complures Regni proceres, ad omnem virtutem inflammarit, ducendo ad carceres, ad Noſocomia, & ad alia pietatis opera inſtigando. Præpoſitus Generalis Miſſionum ſtudium per omnes Prouincias, litteris ſuis Encyclicis excitauit, & Præfectum qui earum ſpecialem curam gereret conſtituit. Cum verò Romam anno Domini 1649. ſumma premeret caritas annonæ, ita vt morerentur per compita mendici, ipſe corrogatis magna induſtria eleemoſynis millenos quotidie ad portam domus Profeſſorum ordinatim diſpoſitos pauit; necnon ſalutaribus monitis inſtruxit, & præcinctus linteo ſumma vultus hilaritate ijſdem cum alijs Patribus miniſtrauit. Tenuit ea res duos circiter menſes, magna Vrbis approbatione, donec translatis mendicis iuſſu Pontificis ad Palatium Lateranenſe, plenus caritate optimus Pater eoſdem ibi ſæpiùs inuiſens, & ſubinde ſuis manibus vtroque cibo corporali ſcilicet & ſpirituali Sacræ Euchariſtiæ reficiens, contraxit febrim, & ardentius ſuſpirans cælum, quo ſemper tendebant eius deſideria, poſt paucos dies in Corona filiorum circum gementium, Eccleſiæ Sacramentis, & Benedictione Pontificia, Innocentij X. inſtructus, migrauit ad Dominum die 8. Iunij anno 1649. ætatis ſuæ 65. & ſupremæ Præfecturæ in Societate 4. Defuncti Lipſana certatim carpſit populus, præſertim in exequijs, ex opinione quam habebant de illius ſanctitudine, & meritò. Fuit enim vir omnino talis qualem requirunt Conſtitutiones Societatis ad Officium Præpoſiti Generalis. Coniunctiſſimus cum Deo per orationem, exemplo regens magis quam verbo, affectionibus animi penitus edomitis, prudens, rectus, manſuetus, fortis, conſtans, & ad mortem pro bono Societatis in obſequium Dei ſubeundam paratiſſimus. Præterea tantæ auſteritatis, & odij ſancti erga corpus ſuum, vt toto tempore, quo in Societate vixit, flagris, cilicijs, catenulis ferreis, ieiunijs mirum in modum id cruciarit, nec in victu aut veſtitu quidpiam eximium, etiam cum Prouincialis, & Generalis eſſet, vnquam admiſerit. Innocentia porro vitæ tam rara extitit, vt teſtati ſint complures, qui diu cum ipſo vixere, & attentè opera eius obſeruarunt, nunquam vidiſſe ſe in illo quod vel venialis culpæ argui poſſet. Has & alias Vincentij virtutes videtur Deus illuſtrare voluiſſe miris aliquot oſtentis ſupra naturæ vires. Adoleſcens quippe adhuc conſpectus eſt vultu Angelico, & cæleſti luce circumfuſus à P. Iulio Mancinelli, dum porrigeret illi S. Euchariſtiam in ſacello domeſtico, vti fuſiùs narrat noſter Daniel Bartolus in *illius* vita. Nouitius dum per Vrbem *Neapolitanam* mendicando cum alijs incederet, viſus eſt illius vultus à Nobili viro Equeſtris Ordinis coruſcare radijs, quocumque pergeret, & cùm ignoraret vir ille quiſnam eſſet, profectus ad tirocinium Societatis enarrauit Rectori, quæ conſpexiſſet. Rector cum eſſet & Prouincialis obſeruatus eſt perſæpe à diuerſis inter orandum in cubiculo multa luce fulgere, & aliquando etiam ad duos palmos à terra eleuatus eſſe. Conſtans fama eſt D. Ieſum ſpecie infantis ſe illi ſpectabilem præbuiſſe, & ex ipſomet reſcitum eſt, Beatam Virginem ægrotanti apparuiſſe, optionemque feciſſe vitæ, vel mortis, ipſum verò æqualiter ad vtrumuis ſe habuiſſe. Denique cum Generalis eſſet complures infirmi fama de illius ſanctitate permoti commendarunt ſe illius abſentis precibus, adſcripſerunt que illi ſanitatem ſibi ex ſententia mirabiliter reſtitutam. Hæc & plura id genus refert noſter Bartolus in vita ſuperiùs memorata, quibus alia mira adiungi poſſent, quæ poſt illius obitum per applicationem Reliquiarum eiuſdem in Belgio contigerunt, & ex authenticis documentis recenſet noſter Iacobus Hautinus in vita eiuſdem lati-

latinè conſcripta. Scripſit Pater religioſiſſimus Italicè ante impoſitum ei onus Præfecturæ Generalis Societatis ſub nomine Aloyſij Siderei

Faſciculum myrrhæ, ſiue Conſiderationes varias de Plagis Chriſti. Prodit hic libellus primum Romæ ſub nomine Aloyſii Siderei per Corbellettum 1635. poſtmodum vero ſub vero Auctoris nomine Viennæ Auſtriæ apud Gregorium Gelbhaar 1638. in 12. Item

Iter Cæli, ſeu Praxes Spirituales Part. 4. Neapoli apud Iacobum Gaffarum 1641. 1642. & 1643. in 12.

Itinerarium ad alteram vitam. Ibid. 1643. in 12.

Ciuem Cæli, ſeu Cæleſtem conuerſationem, typis iiſdem & anno in 12.

Peregrinum Terræ, ſeu Præparationem ad mortem Part. III. Ibidem 1645. in 12.

Ideam Chriſtiani hominis, ſeu Directionem ad Chriſtiane viuendum. Neapoli apud Dominicum Maccaranum 1645. in 12.

Seraphinum, ſeu Scholam Sancti Amoris Par. II. Neapoli apud Honuphrium Sauium anno 1616. in 12.

Præpoſitus Generalis Societatis. Scripſit Italicè

Epiſtolam Encyclicam de medijs conſeruandi primæuum ſpiritum Societatis. Romæ apud Manelphum Manelphi 1646. in 8. & Antuerpiæ apud Iacobum Meurſium anno 1645. in 8. Latinè.

VINCENTIVS CASTAGNOLA natione Græcus, patria Chius, è militia ſeculari in qua vni triremi, & non exiguæ Militum manui præfuerat, tranſijt ad Societatem poſt Naupacteam Ioannis Auſtriaci victoriam, admiſſus Romæ anno Domini 1584. ætatis ſuæ 47. quæ illi conuerſio iam dudum fuerat à nonnemine prænuntiata. Inter primos de Societate miſſu Clementis VIII. Pont. Max. Chium nauigauit, & anno ſalutis humanæ 1595. ibidem cum alijs ſedem fixit. Inſignem ibi & vbicumque deinceps vixit operam Societati in ſalutem animarum nauauit. Sedebat plures quotidie horas in Templo præſtolans, qui confiteri vellent, vſus exemplo mercatorum, qui emptores in Taberna, vel otioſi expectant. Fuit legum noſtrarum diligentiſſimus obſeruator, moribus facillimis, ſuauiſſima oratione, quæ facile quoſuis ad obſequium Dei impellebat. Morti proximus cum eſſet, mirificè deprædicabat illud in ſe Dei beneficium, quod ad Societatem vocatus, & admiſſus, in ea demum moreretur, quo vno rebatur in tuto iam eſſe poſitam ſuam ſalutem. Obijt trium votorum profeſſus Meſſanæ die 13. Decembris anno ſalutis 1604. ætatis 68. Societatis 20. Tranſtulit in Græcum ſermonem vernaculum

Catechiſmum à P. Iacobo Ledeſma Hiſpanicè conſcriptum. Romæ apud Aloyſium Zannettum 1594.

VINCENTIVS DONVS natione Italus, patria Peruſinus natus anno ſæculi prælabentis ſecundo, Societati nomen dedit anno 1618. & ſacramento votorum 4. ſe obligauit. Docuit in ea politiores litteras quadriennio, Philoſophiam ſexennio, Theologiam Scholaſticam ſeptennio, Moralem decennio, & pro Concione ad populum ſæpè dixit. Rexit Collegium Peruſinum, & Romæ in Domo Profeſſorum Operarium ſedulum, ac gnauum aliquot annis egit. Demum in patrio ſolo religioſè denatus eſt die 16. Nouembris 1663. Edidit

Orationem in funere Illuſtriſs. & Excellentiſs. Principis Caroli Barberini Generalis S. Eccleſiæ Ducis, & S. D. N. Vrbani VIII. Fratris habitam Romæ, ibidemque excuſam typis Franciſci Corbelletti 1630. in 4.

VINCENTIVS FASSARVS natione Siculus, patria Panormitanus, natus anno ſæculi euoluti 99. Societatem ingreſſus eſt voluentis 14. & vota 4. in ea nuncupauit. Ab ipſa pueritia Orationi deditus, obſcuriores intimorum cubiculorum angulos quærens, in ijs plures horas, & non raro quinque, cæleſtibus meditationibus ſe exercebat. In Societate quidquid ab imperatis ſtudijs laboribuſque ſuperfuit temporis, totum Diuinarum rerum commentationi tribuebat. Docuit Humaniores litteras, Philoſophiam, Theologiam Moralem, & Sacrarum litterarum oracula eſt interpretatus. Rexit Collegium Salernitanum. Fixus in eius corde purus in Deum amor fecit, vt voto ſe obſtrinxerit nihil amandi præter Deum, ad eiuſque maiorem gloriam, dictis factiſque ſingulis collimandi. Ad Dei Hominis memoriam, Infantis, Morientis, & in Euchariſtia latitantis totus colliqueſcebat, & Deiparæ cultui addictiſſimus fuit. Mortis nuntium magna lætitia excepit, Diuina tutus beneuolentia, in quam per 50. ferè annos in Societate traductos, non ſolùm non grauiter, ſed nec leuiter data opera, vel deliberatè creditur offendiſſe. Obijt igitur ſanctè, vti vixerat, Panormi die 29. Iulij 1663. Edidit Latinè

Diſputationes Philoſophicas de Quantitate, eiuſque compoſitione Eſſentia &c. Panormi apud Petrum Scaglionum 1644. in folio.

De Immaculata Conceptione B. Virginis, opus Poſthumum. Lugduni ſumptibus Horatij Boiſſat 1666.

Italicè edidit

Meditationes de Infantia, Pueritia, & ætate prouecta Chriſti in quinque partes diuiſas, quarum 1. eſt *De Incarnatione Verbi æterni*. 2. *De prima Mora Chriſti in vtero Matris*. 3. *De ſecunda Mora in vtero Matris*. 4. *De quinque vulneribus Chriſti*. 5. *De Sanctiſſimo Euchariſtia Sacramento*. Panormi per Buam, Portanouam, & Coppulam anno 1640. 1648. & ſequentibus in 12.

VIN-

Digitized by Google

VINCENTIVS FILLIVCIVS natione Italus, patria Senenſis natus anno ſalutis 1566. Societati ſe adiunxit 1584. & votorũ 4. profeſſioné emiſit. Hic poſtquam Philoſophiã & Mathematicam docuiſſet, & Senenſe rexiſſet Collegium, ac ſubinde toto decennio Quæſtiones de moribus in Romano noſtro Collegio tractaſſet, Pœnitentiarius S.D.N.Papæ ad S.Petrum conſtitutus eſt, & Reſponſor ad Quæſtiones Conſcientiæ, donec extremum diem Romæ 5.Aprilis obijt anno 1622. die 5. Aprilis. Scripſit

Moralium Quæſtionum de Chriſtianis officijs, & Caſibus Conſcientiæ ad formam curſus, qui prælegi ſolet in Societatis Ieſu Collegio Romano Tomis II. Vrſellis per Antonium Hieratum 1625. in folio acceſſit

Appendix Poſthuma De Statu Clericorum complectens quinque Tractatus, qui in prima editione deſiderantur.

De Beneficijs, De Penſionibus, De Spolijs Clericorum, De Alienatione rerum Eccleſiaſticarum. De Simonia. Sed tres intermedij tractatus lucubratio ſunt *Ioannis Hieronymi de Sopranis* Theologi noſtri, qui appendicem hanc concinnauit. Coloniæ per Antonium Hieratum 1626. in folio. Recuſi ibidem vno volumine omnes tres Tomi ijſdem typis 1629. in folio. Edidit præterea Filliucius

Compendium ſuarum Moralium Quæſtionum

Denique rurſus edita eſt eius

Inſtructio pro Confeſſionibus excipiendis, Rauensburgi 1626. in 4.

Et ſub nomine Flaminij Filliucij

Carmen Italicum de Nouis Stellis, & miraculis Solis cum declaratione. Romæ typis Maſcardi 1615. in 4.

VINCENTIVS GVINISIVS natione Italus, patria Lucenſis, nobili familia ortus Societati nomen dedit anno ſalutis 1601. ætatis ſuæ 13. & votorum 4. ſacramentum dixit. Vir fuit omnibus quidem litteris excultus, ſed in amænioribus ſtudijs in quibus diutiùs verſatus eſt, inſigniter doctus, & Humaniores litteras quadriennio, Rhetoricam Romæ octennio cum laude explicuit. Deputatus fuerat ad Hiſtoriam Societatis conſcribendam poſt Sacchinum, ſed ab eo munere poſt paulo eſt abſtractus à P. Mutio Præpoſito Generali, vt Secretarij Societatis officio fungeretur. Et geſſit illud annis 12. ſumma fide, integritate, ſedulitate, attentione, atque in extrema ætate P.Mutij, pondus ſupremæ gubernationis magna ex parte ſuis humeris ſuſtinuit. Fuit placido ingenio, præſtanti iudicio, ſuauiſſimis moribus, diſciplinæ religioſæ perquàm obſeruans, verè humilis, manſuetus, pius, & muneri cuicumque in Societate par, iudicio ipſius P. Mutij, etiam Supremo, niſi grauitas auditus qua laborabat, obſtitiſſet. Hanc ob cauſam petita & obtenta tandem miſſione ab officio Secretarij, annos æternos in mente frequentiùs habere cœpit, & ad patriam cæleſtem aſpirare. In extremo morbo tempeſtiuè Sacramenta expetiuit, & Sanctiſſimum Viaticum flexis humi genibus, reuerentiſſimè ſuſcepit. Tandem inter preces aſſiſtentium, deficientibus viribus, placidiſſimè ſpiritum Deo reddidit. Romæ die 4. Martij 1653. Scripſit

Allocutiones Gymnaſticas. Romæ typis Franciſci Corbelletti 1626. in 8. Antuerpiæ apud Ioannem Cnobbaert 1633. in 24. & typis Plantinianis Moreti 1638. in 12. additis quinque Allocutionibus.

Poeſim vario Carminum genere. Romæ ijſdem typis 1627. in 8. Antuerpiæ apud Ioannem Cnobbaert 1633. in 24. cum auctario, & typis Plantinianis, addito *Dramate de Sancto Ignatio* 1638. in 12. *& ſine illo*, Pariſijs apud Ioannem Camuſat 1639. in 12.

Orationem habitam in Paraſceue coram S.D.N. Vrbano VIII. in Sacello Vaticano. Romæ typis Alexandri Zannetti 1624. in 4. quæ cum alijs nonnullis inſerta eſt Allocutionibus editionis Plantinianæ, & recuſa cum alijs eiuſdem argumenti, Romæ typis Maſcardi anno 1641. in 12.

* VINCENTIVS HVBY natione Gallus, patria Henebontenſis, Diœceſeos Venetenſis in Britannia minore, natus anno ſæculi voluentis VIII. Societati ſe applicuit 1625. & vota quatuor emiſit. Diſciplinas Humaniores ſexennio prælegit, Theologiam Moralem quadriennio, rexit Collegium Corſopitenſe, & multos annos verſatus eſt in Miſſionibus Aremoricis. Adhuc ſuperſtes edidit Gallico ſermone

Praxim Diuini Amoris. Veneti primùm, poſtea Pariſijs apud Stephanum Michallet anno 1672. in 12.

VINCENTIVS LEOTAVDVS natione Gallus, patria Valloyſienſis in Delphinatu, diœceſeos Ebredunenſis. Societatem anno 1613. ætatis 18. complexus profeſſionem edidit quatuor votorum, & Matheſi addictus, 14. annorum ſpatio eam publicè profeſſus eſt, tanta nominis claritudine, vt paucos tota Europa habuerit ſibi ſuo æuo in ea facultate pares. Demum annis grauis mortalitati ceſſit Ebreduni die 13. Iunij anno 1672. Edidit

Geometriæ Practicæ Elementa, vbi de Sectionibus Conicis habet quædam inſignia. Dolæ anno 1631. apud Antonium Binart in 16.

Etymon Quadraturæ Circuli hactenus editorum celeberrimæ, quam Gregorius à S.Vincentio expoſuit. Lugduni 1654.

Inſtitutionum Arithmeticarum Libros IV. Lugduni apud Guilielmũ Barcier anno 1660. in 4.

Ciclometriæ Libros tres. Lugduni ſumptibus Benedicti Coral 1663. in 4.

Magnetologiam ſiue Nouam de Magneticis

cis Philoſophiam. Lugduni ſumptibus Laurentij Aniſſon 1668. in 4.

Parata typis moriens reliquit

Analemmata, ſeu Planiſphæria multiplicia, & alia.

VINCENTIVS MASTAREVS natione Italus, patria Aquilanus, natus anno ſalutis 1581. Societatem inijt anno ſæculari 1600. & vota quatuor nuncupauit. Theologiam Moralem profeſſus eſt octennio; gubernauit Collegia Tropeenſe, Amanteanum, & Bouinenſe. Obijt Neapoli die 27. Iunij anno ſalutis 1619. Scripſit Italicè

Vitas Sanctorum Petri Celeſtini, Bernardini Senenſis, & Equitij Abbatis, quos habet Aquila Patronos. Neapoli apud Aegidium Longum 1628. in 4.

VINCENTIVS NAVARRO natione Hiſpanus, patria Valentinus in Societatem ingreſſus anno Domini 1592. ætatis 16. votis quatuor ſe Deo adſtrinxit, & Philoſophiam Valentiæ, Theologiam ſeptennio Barcinone docuit, Fidei Cenſor, & Sacræ Theologiæ Doctor. Rexit etiam Collegium Turiaſonenſe, & plenus dierum atque bonorum operum deceſſit Barcinone die 17. Februarij 1649. Edidit

Panegyricam Orationem de Sancta Tereſia in eius Beatificatione dictam Barcinone. Parauerat prælo

Theologiam Marianam, ſiue De Laudibus B. Virginis Tomum grandem, ſed mortis interuentu non eſt editus.

VINCENTIVS REGIVS natione Siculus, patria Panormitanus, Caroli frater Societatem anno 1559. ingreſſus, in ea Collegia Montis Regalis, Meſſanæ, Panormi, & hic etiam Profeſſorum Domum gubernauit. Vir egregiè doctus, & qui aliquando Viennæ Auſtriæ in Cæſareo Societatis Ieſu Collegio, Meſſanæ quoque Theologiam cum laude profeſſus eſt. Inde Panormi ſubinde ſtudijs præfuit. Verùm non ſanctimonia minùs quam doctrina claruit. Candor animi eximius, ſincera in omnes caritas, inſignis ſui deſpicientia, cæterarum exempla virtutum auctoritatem illi apud omnes, & ſanctimoniæ opinionem conciliarunt. Ad regularum noſtrarum normam exactiſſimè vitam ſuam omnem componebat. Nullo verbo vnquam alterum violauit. Dulciſſimo pietatis ſenſu, & præcipuè tenerrimi in Beatiſſimam Virginem amore, quaſi exundans, facillimè aliorum quoque animos eodem igne inflammabat. Modeſtus totius corporis, & oris habitus, his virtutibus decus addebat. Nimirum cum illi aliquando exhiberetur tabula in qua ſoror ipſius ſanctimonialis erat expreſſa, rogatus ecquam bene eam referret, reſpondit fruſtra ſe ea de re conſuli, qui ſororem ſuam nunquam ſit intuitus. Cum vltimum vitæ ſuæ tempus imminere conſpiceret Chriſti Crucifixi, & Beatæ Virginis effigies manibus acceptas tota die, quà precibus, quà oſculis complexus eſt. Opinio eſt Sanctum Patrem Noſtrum Ignatium illi in articulo vltimo adfuiſſe. Obijt Panormi die 16. Decembris anno ſalutis 1614. ætatis 70. Religionis 56. Profeſſionis 4. votorum 31. Edidit

Theſes de Sanctiſſima Trinitate. Viennæ propoſitas diſputationi. Viennæ typis Leonardi Naſſinger 1580. in 4.

Euangelicarum dilucidationum libros VIII. Tomis III. Coloniæ per Bernardum Gualterum 1615. in folio.

Enchiridion Euangelicorum Libris VIII. quod opuſculum ſuum ſæpè in illo priori memorat.

* VINCENTIVS TANCREDVS natione Siculus, patria Panormitanus quindennis Societatem amplexus eſt anno ſalutis 1624. & ſolemni votorum quatuor ſacramento ſe adſtrinxit. Philoſophiam, & Theologiam tàm Moralem, quàm Scholaſticam profeſſus eſt. Vir ſolidæ virtutis in extremo morbo eam maximè patefecit, quando inter acerbiſſimos dolores, cum fruſtula pellis linteis adhærerent, licet naturæ igneæ eſſet, perpetua tamen eos ſuſtinuit patientia, vt omnibus admirationi eſſet. Plura moliens litteris conſignare, vinculis corporis ſolutus eſt Panormi die 29. Octobris 1659. Edidit in lucem

De Sancto Matrimonij Sacramento Tomos duos in quibus explicatur, & vindicatur Doctrina noſtri Thomæ Sanchez. Panormi apud Decium Cyrillum 1648. in folio.

De Virtute Religionis. Monteregali apud Petrum Coppolam 1651.

Quæſtionum Moralium Tomos duos. Panormi apud Ioſephum Biſagnium 1654. & 1659. in folio.

VIRGILIVS CEPARIVS natione Italus, patria ex Oppido Panicale diœceſis Peruſinæ, ſuſceptus in Societatem anno ſalutis 1582. ætatis ſuæ 18. votorum quatuor profeſſionem emiſit. Diſertus Concionator, Scholaſticæ Theologiæ, Sacrorum Bibliorum, & Patrum peritus; Iuris quoque ſcientia inſtructus, cui iuuenis operam dedit priuſquam ad Societatem accederet. Rexit Collegium Florentinum, & Romanum. Obijt demum Romæ maturus æuo die 14. Martij anno 1631. Scripſit Italicè

De Vera & Honeſta Amicitia

Vitam Beati Aloyſij Gonzagæ. Romæ apud Aloyſium Zannettum 1606. in 4. & alibi. Eam Latinam fecit Ioannes Horrion; Gallicam Antonius de Balinghem; Hiſpanicam Ioannes de Lugo poſtea Cardinalis, omnes Noſtri

Compendium Vitæ Beati Franciſci Borgiæ Societatis Ieſu Præpoſiti Generalis Tertij. Romæ 1614. in 8. & Neapoli apud Aegidium Lon-

Longum 1626. in 16. Latinè reddidit Andreas Scottus

Vitam Ioannis Berchmans Societatis Ieſu. Romæ apud Hæredes Bartholomæi Zannetti anno 1626. in 4. Eam Hermannus Hugo Noſter Latinè vertit, & alius Gallicè.

Exercitium Præſentiæ Dei. Par. II. Romæ anno 1621. in 12. Typis Zannetti. Reliquit moriens ſcriptam

Vitam Sanctæ Franciſcæ Romanæ, quæ Poſthumis typis edita eſt Romæ apud Corbellettum 1640. & iterum anno 1645. in 4. Item

Vitam Beatæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis, quam ex Actis Authenticis *Canonizationis auctam à ſe, edidit noſter Ioſephus Fottus*. Romæ apud Angelum Bernabò anno 1669. in 4. Item

De Canonizatione Sanctorum Tractatum.

VITALIS THERONVS natione Gallus, patria Limoſenſis in diœceſi Narbonenſi. Societatem ingreſſus eſt anno 1587. ætatis 15. in qua Rhetoricam, Philoſophiam, ac Theologiam Moralem, & quatuor vota profeſſus eſt. Concionibus habendis ad populum magnam partem impendit ætatis, & per quinquaginta annos in præcipuis totius Galliæ Vrbibus id munus exercuit. Rexit Collegium Montalbanenſe, & ſubinde totam Prouinciam Toloſanam. Emicuerunt in eo pulcherrima multarum virtutum exempla. In primis obſeruantia planè religioſa, qua Superiores omnes colebat, ac ſi in eis præſens numen agnoſceret. Elucebat demiſſio animi admirabilis, qua licet abundantis doctrinæ, ac limatiſſimi iudicij eſſet, tamen in rebus ſuis aliorum iudicium paſſim exquirebat, & mira facilitate amplectebatur. Amore in Societatem tanto fuit, vt nihil iniquius ferret, quam ſi quid in noſtris obſeruaſſet, quaſi peregrinum, aut à regulis noſtris alienum. Pietate in Beatiſſimam Virginem ſingulari ferebatur, eique velut ſuæ matri ſe filium iam inde ab octauo ætatis ſuæ anno conſecrauerat. Denique poſt ſeptuaginta annos in Societate religioſiſſimè exactos plenus dierum, ac meritorum migrauit (vt fas eſt ſperare) ad ſedes Beatorum Toloſæ die 25. Februarij anno 1657. Edidit ſub nomine Collegij Toloſani gratulationis ergò ad Delphinum Galliæ Regis filium, libellum excuſum, deinde appoſito Auctoris nomine, nempè

Delphinum Coronatum Carmine Lyrico, Latinè & Gallicè, Turnoni apud Claudium Michel 1612. in 12. Item

Calendas Ianuarias anni 1608. Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoiſy anno 1608. in 8.

Rupellæ deditionem verſu Heroico

Carmen Regi, & alterum Cardinali Richelio capta Rupella, quorum illud exſtat in *Palmis Regijs*, hoc in *Epinicijs Muſarum*

Edidit etiam carmine heroico

Chriſtum Infantem, ſilentem, operantem, docentem, patientem, &c. Part. I. Toloſæ typis Ioannis Borde 1655. in folio.

Chriſtum in Vetere Teſtamento per antiquos Patres præſignatum, & in Euangelio per Parabolas locutum. Ibidem ijſdem typis & anno.

Iordanem Captiuum, & Delphino ſupplicem. Pariſijs apud Sebaſtianum Cramoiſy 1639. in 4.

Sereniſſimæ Principi Chriſtinæ Suecorum Reginæ votum Lauretanum. Toloſæ apud Ioannem Boude 1655. in 4.

Reliquias Poëtices Vitalis Theroni diſperſas collegit, & prælo dedit eiuſdem ex fratre nepos. Toloſæ apud Ioannem Boude 1648. in 16.

* VITVS EBERMAN natione Germanus, patria Rentvveiſdorffenſis in diœceſi Bambergenſi, natus anno ſæculi euoluti 97. Deo ſe in Societate dicauit voluentis 20. & votorum quatuor ſacramento ſolemni ſe adſtrinxit. Poſt traditas quinquennio humaniores litteras, Philoſophiam explicuit triennio, Theologiam Scholaſticam annis 16. partim Moguntiæ, partim Herbipoli, Moralem quinque, triennio Polemicam de Controuerſijs. Rexit Seminarium Pontificium Fuldæ ſeptennio, vir omni litteratura inſigniter inſtructus, & Hæreticorum hoc tempore malleus; Ad laborum præmia ex loco peregrinationis ſuæ euolauit Moguntiæ die 8. Aprilis hoc anno 1675. Edidit

Vindicias contra Georgium Calixtum pro Eccleſiæ Tribunali in cauſis fidei infallibili, Moguntiæ typis Nicolai Heyl anno 1644. in 4.

Irenicon Catholicum contra eundem Calixtum oppoſitum eius Indifferentiſmo in Religione. Ibidem typis ijſdem anno 1645. in 4.

Irenici Partem alteram pro Sedis Apoſtolicæ infallibilitate. Ibidem anno 1646. in 4.

Interrogationes Apologeticas oppoſitas libello Hermanni Conringij De Concuſſo Fundamento Fidei Pontificiæ. Herbipoli typis Eliæ Michaelis Zinck 1644. in 4.

Examen Examinis Conringiani De infallibilitate Cathedræ Apoſtolicæ. Herbipoli typis ijſdem 1655. in 4.

Alexandri VII. Papæ Electionem, & Auctoritatem à Cauillis Conringij vindicatam. Moguntiæ typis Nicolai Heyl anno 1657. in 4.

Antimuſæi Partem I. ſeu Parallelum Eccleſiæ veræ, & falſæ contra Ioannem Muſæum Lutheranum. Herbipoli typis Zinchij 1659. in 4.

Anti-Muſæi Part. II. De Biblijs vernacula lingua corruptis à Lutheranis, &

Ana-

Analyſi Diuinæ Fidei. Typis iiſdem 1661. in 4.

Neruos ſine mole, ſiue, Bellarmini Controuerſias vindicatas contra varios. Herbipoli typis Chriſtophori Kuckleri 1661. in 4.

Iuſtam expoſtulationem cum Lutheranis Doctoribus de Anti-Chriſtianiſmo affićto Romanæ Eccleſiæ. Herbipoli typis iiſdem 1663. in 4.

Trophæa Romana. Typis iiſdem 1672. in 4.

Claram probationem: Ienenſes Doctores, & Andream Vvigandum Apoſtatam, perperam interpretari Biblia. Germanicè, Herbipoli typis iiſdem 1672. in 4.

* VRATISLAVIENSE COLLEGIVM in Sileſiæ Metropoli, pertinens ad Prouinciam Bohemiæ, ex modica Reſidentia erectum ad formam iuſti Collegij à glo: mem. Ferdinando III. Imperatore Auguſtiſſimo ſub annum ſalutis 1646. Eos, Deo bene ſecundante, progreſſus iam fecit in Vrbe maximam partem prauis Hæreticorum dogmatibus imbuta, vt in ea doceantur modo publicè ſcientiæ omnes, quæ in alijs Academijs Societatis tradi ſolent, à ſeptemdecim Profeſſoribus, maximo iuuentutis Sileſiticæ bono, & non exiguo Religionis Catholicæ in medio Heterodoxorum, incremento. Edidit nomine Cæſarei Regijque Collegij

Famam poſthumam virtutis, & Honoris Epiſcoporum Vratislauienſium à Godefrido I. Epiſcopo vſque ad 48. Sebaſtianum tunc viuentem cum hic ſolemni ritu in Antiſlitem Sileſiæ conſecraretur. Vratislauiæ typis Baumannianis anno 1665. in folio

W

* WENCESLAVS EICKER natione Bohemus, patria Capplicenſis, natus anno ſæculi præterfluentis 30. Chriſto in ſua Societate ſe dedicauit 1649. & votorum 4. ſolemni ſacramento ſe obſtrinxit. Poſt traditas litteras manſuetiores, docuit Philoſophiam, Ethicam, Controuerſias de rebus Fidei, & Diuinæ Scripturæ Oracula interpretatus eſt. Ad Populum pro Concione aliquot annis dixit, & nunc Vratislauiæ miniſterijs Societatis operam nauat. Edidit

Diurnum quotidianæ virtutis. Pragæ 1659. in 16.

VVENCESLAVS PANTALEO KIRVVITZER natione Bohemus, patria Cadanenſis, admiſſus Brunæ in Societatem anno ſalutis 1606. ætatis ſuæ 18. è Prouincia Auſtriaca profectus eſt cum P. Nicolao Trigaultio ad Sinas, tum alijs Diſciplinis, tum verò Mathematicis bene inſtructus. Obijt Macai die 22. Maij anno 1626. Scripſit

Obſeruationes Cometarum anni 1618 factas à noſtris in India Orientali. Aſchaffemburgi typis Balthaſaris Lippij 1620. in 4.

Litteras de Martyrio P, Ioannis Baptiſtæ Machadi Societatis Ieſu, qui anno 1617. in Iaponia paſſus eſt. Antuerpiæ 1622.

Annuas litteras è Sinis datas Macao 28. Nouembris 1620. & alteras datas 27. Octobris 1625.

* VVENCESLAVS SCHVVERTFER, natione Germanus, gente Sileſita, patria Roſemburgenſis Societati adſcriptus, anno reparatæ ſalutis 1635. ætatis 18. quinquennio docuit Humaniores litteras. Rexit Seminarium Brunenſe, Pragenſe, Olomucenſe, & Collegium Clatouienſe, & modo, dum hæc ſcribo, anno 1674. Rector præeſt Collegio Oppolienſi. Edidit complures libellos aſceticos, & alios Latinè

Indicem venæ Poeticæ ſeu Notitiam Poetarum. Pragæ typis Academicis 1652. in 12.

Adhortationes ad amorem & imitationem Crucifixi. Pragæ iiſdem typis 1657. in 12. & Ingolſtadij ſub titulo Ieſus Crucifixus typis Georgij Henelij 1660.

Fructus Belli contra Deum ſuſcepti. Ingolſtadij typis iiſdem 1660. in 12.

Doctrinas Morales ex Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eiuſque ſpeciebus collectas cum Iconibus. Monachij typis Ioannis Vvilhelmi Schiell. 1661. in 8.

Illecebras doloris, ſeu Inuitationem ad Matrem doloroſam. Pragæ typis Vrbani Goliaſch: 1663. in 12.

Semitas vitæ anhelantibus ad Aeternæ Salutis terminum. Pragæ typis Vniuerſitatis 1663. in 12.

Regnum animæ. Pragæ typis iiſdem 1660. in 12.

Adiumenta Sanctitatis. Ibidem typis iiſdem 1664. in 12.

Dilectum proſpicientem per Cancellos. Ibidem 1665. in 12.

Diarium Chriſtianum. Ibidem typis Archiepiſcopi 1667. in 12.

Commentationem Aſceticam de Duobus Vexillis. Pragæ typis Vrbani Goliaſch: 1667. in 12.

Ad maiorem Dei gloriam. Pragæ typis Vniuerſitatis 1668. in 4.

Paraphraſim ſuper Pſalmum Miſerere libellum paruum, ſed valde vtilem varijs linguis.

Vitam P. Martini Stredonij Societatis Ieſu: Pragæ typis Vniuerſitatis 1673. in 4.

VVENCESLAVS STVRMIVS natione Bohemus, patria Tinenſis à S. P. N. Igna-

tio in Societatem admiſſus,anno Domini 1555. ætatis 22. Amore Inſtituti, & obſeruatione inſignis fuit. Græcas & Latinas litteras docuit, & diu multumque concionatus in Miſſionibus eſt, quarum incommoda multa alacri animo tolerabat. Paupertatis amator, qui vel affecta jam ætate, & morbis graui, nihil quamuis minimum abſque Superioris facultate ſibi arrogaret. Obedientiæ apprimè cultor, Proximorum ſalutis ſtudioſiſſimus, zelo Dei plenus, ac de fide Catholica per Bohemiam aduerſus Hæreticos Picardos optimè meritus. Collegiorum Pragenſis, & Crumlouienſis Rector fuit. Interfuit bis Congregationi Generali IV. & V. profeſſus 4.vota die 12.Martij anno 1570.Tandem plenus annorum & bonorum operum cum per hebdomadam Sanctam diu pœnitentibus operam dediſſet, feria V. ſub veſperam apoplexia correptus, nona demum die ad laborum præmium percipiendum, è vita migrauit Olomucij die 27.Aprilis anno ſalutis 1601. pene ſeptuagenarius. Primus fuit qui Bohemico idiomate contra Picardos ſcripſit, videlicet

Concordiam Fidei.

Apologiam contra Siluium Huberinum, *& contra Concionale Picardicum*, & alteram

Apologiam defenſionis Concionalis.

* VVIBERTVS DIETRICH natione Germanus, patria Conſtantienſis, natus anno ſæculi præterlabentis primo, Societatem amplexus eſt 1619.& in ea Rhetoricam & Humaniores litteras annis 13.profeſſus eſt. Conciones Sacras annis amplius 30. habuit. Rexit Collegia Oenipontanum, & Eyſtadienſe. Scripſit

Rationale Pontificium in Inauguratione Epiſcopi Baſileenſis pro Collegio Bruntrutano. Bruntruti 1629.in 4.

Panegyricum Funebrem Sereniſſimæ Archiduci Claudiæ Oenipontanæ Germanicè. Oeniponti 1649.

* VVILHELMVS NAKATENVS natione Germanus, gente Iuliacenſis ex Oppido Gladbach, natus anno ſæculi voluentis 17. Societati nomen dedit 1636. & votorum 4.profeſſionem edidit. Docuit litteras Humaniores & Philoſophiam, & ſtudijs præfuit. Concionatorem modo agit in Aede Metropolitana Coloniæ amplius à decennio. Edidit præter minutiora Rythmica, & Hymnica paſſim grata ob ſuauitatem, vernaculè

Palmetum vel hortulum Palmarum, ſeu Selectorum per annum Exercitiorum, excuſum 1660 *in* 12.*& iterum*. Coloniæ apud Freiſſem 1664. in 8.& latinè apud eundem 1668.in 12.itaut ad 14. millia exemplorum fuerint impreſſa & diſtracta omnia.

Tranſtulit etiam Germanicè

Supplementum ad Tomum IV.meditationum noſtri Ioannis Suffreni pro menſe Nouembris à die 7.vſque ad Aduentum.

* VVOLFGANGVS HEIN natione Germanus, patria Gamundianus diœceſis Auguſtanæ, admiſſus in Societatem anno Domini 1603. ætatis ſuæ 21. Spiritualis Coadiutoris gradum obtinuit. Vir miti ingenio, moribus ſuauis, in Officio Sedulus, in omnibus accuratus, Sacrorum Rituum, & Iuris Bauarici apprimè gnarus, œconomiam aliquorum Collegiorum magna vtilitate adminiſtrauit. Superioribus obſequentiſſimus, ab illorum iudicio diſcrepantes ſenſus non habebat, annis grauis, ac Sacris rite præmunitus, placidiſſimè in Domino conquieuit Monachij die 12. Ianuarij 1649. Edidit

Libellum Arithmeticum. Monachij qui minimùm duodecies prælum ſubijt.

Reddidit Germanicè tres libellos noſtri Hieremiæ Drexelij ſcilicet

Noë, Danielem, & Ioſephum.

* VVOLFGANGVS HERMAN natione Germanus, gente Franco, diœceſis Bambergenſis, vicennis ad Societatem ſe aggregauit anno ſalutis 1619.& vota 4.nuncupauit. Docuit Humaniora; Miſſiones obiuit; Concionatorem egit ſingulari dicendi gratia. Rexit Collegium Bambergenſe, & Seminario Molshemienſi præfuit, Deiparam Virginem ſpontaneo ieiunio diebus Sabbatinis per plurimos annos coluit, atque ita in die Sabbati, Deo ſic diſponente, præclaris in ſupremo morbo virtutum editis argumentis, migrauit ad Dominum Spiræ die 8. Ianuarij 1659. Edidit Germanicè

Anti-Mullerum ſeu Reſponſum contra errores Mulleri Præconis Lutherani Spirenſis, & alterius Argentinenſis. Moguntiæ typis Nicolai Heyl 1649.in 8.

Vitam B.Virginis Mariæ ex teſtimonijs SS. Patrum, & probatorum Hiſtoricorum. Auguſtæ apud Andream Arſperger 1652.in 4.

Corollam Honoris Beatiſſimæ Virginis.

Libellum Confraternitatis Agoniæ Chriſti erectæ Bambergæ.

Concionem Funebrem in obitu Melchioris Ottonis Epiſcopi Bambergenſis in 4.

Medullam Religionis Catholicæ in 4.

VVOLFGANGVS SCHONSLEDERVS natione Germanus, patria Monacenſis admiſſus in Societatem anno 1590. iuuenis annos 20. natus, in ea Spiritualis Coadiutor formatus eſt. Vir ab Humaniore litteratura Græca Latinaque bene doctus, Muſices etiam non mediocriter peritus, Rhetoricam annis vndeuiginti docuit; & in miſſionibus obeundis decennium exegit. Tenerrimo erga Religioſam paupertatem affectu fuit, rigida & perpetua erga Inſtituti ſanctitatem obſeruantia, quam etiam in vltimo ſenio in temporibus ſurgendi, orandi, & conſimilibus ſtudioſiſſimè retinuit. Demum octogenario maior mortalitatem exuit. Halæ die 17. Decembris 1651. Scripſit

Prom-

Promptuarium Germanico-Latinum. Auguſtæ 1618. in 8. quod Monachij tertiam editionem habuit 1622.

OnomaſticumGræco-Latinum,& Latino Græcum.Dilingæ 1624.in 8.

Apparatum Eloquentiæ.Monachij apud Nicolaum Henricum 1630.in 8.

Vertit ex Italico Latinè ſuppreſſo ſuo nomine

De Exercitijs Spiritualibus ad Confeſſionem. & Communionem rite obeundis Tractatus VI. quorum primus exijt inſcriptus.

Sacra Tempe,ſeu de Sacro Exercitiorum Seceſſu exempla. Ingolſtadij typis Georgij Hænlini 1622.in 12.

Edidit præterea ſub alieno nomine

De modo Muſicè componendi.

Et ſub nomine Volupij Decori Muſagetis

Architectonicen Muſices Vniuerſalem.

* VVOLFGANGVS SPETH natione Germanus, patria Bambergenſis, natus anno ſæculi præterlabentis 4. Societati vicennis ſe adſcripſit, & profeſſionem 4.votorum emiſit, Docuit Diſciplinas humaniores Philoſophiam, & Theologiam Scholaſticam. Gubernauit Collegium Bambergenſe,vir facili ingenio,morum amœnitate, ac candore omnibus tam domeſticis,quam externis gratus. Demum hydrope confectus viuere deſijt in hoc ſæculo,magno ſui relicto deſiderio Herbipoli die 20.Ianuari 1660.Edidit Germanicè

Paraphraſim in Pſalmos,& Cantica. 1658. in 8.

* ZACCHARIAS IGNATIVS TRINKELLIVS ex Germanis parentibus natus Poſonij in Hungaria, anno altero ſæculi voluentis, Deo ſe in Societate deuouit 1617. & votorum 4. ſolemni ſacramento ſe obſtrinxit. Vir magnis naturæ & gratiæ donis excellens, poſtquàm Ethicam, Philoſophiam, ac Theologiam in vniuerſitate Græcenſi laudate docuiſſet, ob ſingulare talentum quo pollebat gubernandi, à Scholis abſtractus eidem Collegio præeſſe iuſſus eſt, poſtea etiam Collegij Tyrnauienſis, nec non domus Profeſſæ Viennenſis, ac demum totius Prouinciæ Auſtriacæ habenas capeſſere. Patres qui in tertia Probatione verſantur, magno emolumento ſpirituali per quinquennium inſtruxit. Bis in Comitijs Prouinciæ electus eſt, vt Romam adiret Congregationibus Generalibus Nonæ & Decimæ interiuturus. Multa, & ardua pro Dei gloria, & bono Societatis (quæ vnicè ſpectabat) ſuſcepit,perfecitque. Fuit ſiquidem ingenio perſpicace, prudentia ſingulari, conſilio prompto, in tractandis negotijs animo erecto atque imperterrito, itaut primarijs vbique viris, qui illius conſilio frequenter vtebantur, fuerit perquàm acceptus; ſed quanto apud alios in pretio exſtitit, tantò magis ſuæ depreſſioni ſtuduit. Vnde poſt traditam in Academia Græcenſi cum plauſu Philoſophiam, per repetitas ſæpiùs preces à Superioribus expreſſit, vt ad infimam elementariam Scholam anno ſequenti eodem in loco docendam fuerit applicatus. Nec minor fuit illius in aduerſis tolerantia, præſertim in præacutis podagræ & ſtomachi doloribus perferendis, cum quibus triginta propemodum annorum ſpatio, viuaciſſima mente, & imperturbata animi ſerenitate conflixit. Sed & his ſpontaneas quoque adijciebat corporis ſui afflictationes, eaſque fermè quotidianas. Cum ſæpe morbis arceretur à litando, nunquam tamen interdici ſibi voluit, quo minus cæleſti pane Euchariſtiæ ſe reficeret. Deiparæ Virginis cultui à teneris annis addictus fuit,eiuſque ſine macula originis Conceptæ celebritatem apud Auguſtiſſimum Imperatorem Ferdinandum III.magnopere promouit. Demum maturus cælo,licet cum multorum Optimatum dolore ad laborum præmia ex hac vita emigrauit. Poſonij die 18.Septembris 1665. Edidit librum Aſceticum ſub titulo

Maior Dei Gloria, Finis vnicus Societati propoſitus per Exercitia Spiritualia S. Ignatij. Viennæ Auſtriæ apud Matthæum Colmerouium 1656. in 4. Auctus deinde & recuſus. Ibidem typis Ioannis Iacobi Kurneri 1660. in fol. Iterum ibidem 1663.

ZACCHARIAS ROTZ natione Belga, gente Flander, patria Canegenſis Territorij Gandenſis, natus anno ſalutis 1552. Societatem vicennis amplexus eſt 1572. Treuiris, ſed ob aduerſam valetudinem ex illa egreſſus, Parochum egit annis XI. recuperataque ſanitate iterum ad Societatem redijt anno 1586. & profeſſionem 4. votorum in ea emiſit. Concionator diligens, & copioſus, zeloque promouendæ Diuinæ pietatis ardens; cui Maſera vrbs ad Moſam, vt de alijs ſit ſilentium, ſalutis ſuæ caput præcipuè debet. Eam enim oppreſſam erroribus, in fidei libertatem vindicauit. Cum autem ſemper aliàs celer, pernixque fuerit ad curam proximorum, tamen in extrema vita quaſi brauium præſagiret, neſcio quo pacto, velociùs longe habiliùſque cucurrit. Sic oppida, pagos, Noſocomia, cuſtodias publicas, & vbi demum cumque ſeſe ſeges aliqua laboris aperiret promptus alacerque aduolabat. Cùm Lingam Oppidum Friſiæ, Marchio Spinola occupaſſet, totus mox in purganda Aede, exſtruendis aris, re Sacra procuranda Chriſtianum Machabæum re-

repræſentare : Hic ergo cum Illuſtriſſimi Marchionis rogatu ad tantos fructus ſubſiſteret , Deus maturum cælo inueniens eius labores quiete longa commutauit Nouembri menſe 1605. Scripſit in Eburonum Agro

Catechiſmi Lectiones XII. cùm Gallicè , tùm Belgicè Leodij apud Ioannem Voes 1598. Item

Doctrinæ Chriſtianæ Libros IX, iiſdem Linguis,ibidem euulgauit.

* ZDISLAVS BERCKA natione Bohemus , patria Reichſtadienſis , admiſſus Pragæ in Societatem anno ſæculi labentis x. ætatis ſuæ 17. profeſſionem in ea votorum 4. emiſit Calendis Ianuarij 1630. Docuit in ea Humaniores litteras ferme quinquennio , Philoſophiam quadriennio , & Sacram Scripturam interpretatus eſt quinquennio. Concionatus eſt ad populum aliquot annis,& dum inter nos verſaretur,edidit librum Panegyricum ſoluta & vincta Oratione atque Emblematum Lemnatiſmis refertum

De Laudibus S. Franciſci Xauerij , & Duorum Imperatorum Ferdinandi II. & Ferdinandi III. Olomucij typis Nicolai Hradezki 1629.

INDEX COGNOMINVM SCRIPTORVM SOCIETATIS IESV

QVIBVS PRÆNOMINA POSTPONVNTVR:

A

A Barca, Petrus.
Abrahamus, Nicolaus.
Abreu, Sebaſtianus.
Academia { Braidenſis. / Eborenſis. / Ingolſtadien. / Moſtheimien. / Vilnenſis.
Acerbus, Franciſcus.
Acoſta { Balthaſar. / Emanuel. / Ioſephus.
A cuña, Chriſtophorus.
Adami, Annibal.
Adamus, Ioannes.
Adornus, Franciſcus.
Adriani, Adrianus.
Ægidianus, Andreas.
Ægidius, { Chriſtophorus. / Petrus.
Agazarius, Alphonſus.
Agnellus, Ioſephus.
Aguadus, Franciſcus.
Aguero, Ioannes.
Aguilera, Ferdinandus.
Aguillarius, Ioſephus.
Aguilonius, Franciſcus.
Aigenler, Adamus.
Alagona, Petrus.
Alamannus, { Coſmus. / Ioſephus.
Alandus, Ioannes.
Alarcon, Didacus.
Alberti, Nicolaus.
Albertinus, Franciſcus.
Albertis, Albertus.
Albertus, { Iacobus. / Ioannes Andreas.
Alberus, Ferdinandus.
Albi, Henricus.
Albinianus, Paulus.
Albinus, Ioannes.
Albritius, Ludouicus.
Alcazar, Ludouicus.
Alciatus, Terentius.
Aldegunde, Ægidius.
Alderetus, { Bernardus. / Ioſephus.
Alegambe, Philippus.
Alenius, Iulius.
Alfordus, Michael.
Alemay, Leonardus.
Allard, Claudius.
Allian, Franciſcus.
Alloza, Ioannes.
Almeida { Antonius. / Emanuel. / Ludouicus. / Michael.
Alois, Petrus.
Alphonſus, Franciſcus.
Altheer, Egolphus.
Aluarez { Balthaſar. / Didacus. / Emanuel. / Gabriel. / Ludouicus.
Aluarez de Paz, Iacobus.
Alucius, Cæſar.
Amaraldus, Franciſcus.
Amatis, Franciſcus Maria.
Amende, Georgius.
Amicus { Bartholomæus. / Franciſcus.
Anaſco, Petrus.
Anchieta, Ioſephus.
Andertonus { Laurentius. / Patricius.
Andrada, Alphonſus.
Andradius, Antonius.
Andres, Ioſephus.
Andreanus, Ioannes Baptiſta.
Andries, Iodocus.
Androſius, Fuluius.
Angelis, { Alexander. / Franciſcus Antonius. / Hieronymus. / Mutius.
Angelus, Arnoldus.
Angelucius, Ignatius.
Anna, Leonardus.

An-

Annatus, Franciſcus.
Antonius, Franciſcus.
Antunnes, Didacus.
Anturinus, Ioſephus.
Aquauiua, Claudius.
Aquapontanus, Ioannes.
Aragona, Alphonſus.
Araldus, Ioannes Franciſcus.
Arana, Antonius.
Aranea, Vincentius.
Aranha Franciſcus.
Arator, Stephanus.
Arauio, Antonius.
Arbieto, Ignatius.
Arcamonius, Ignatius.
Archdekin, Ricardus.
Areda, Didacus.
Areda, Didacus.
Arganantius, Dominicus.
Argentus, Ioannes.
Arias, { Aluarus. Franciſcus.
Armandus, Ignatius.
Armenta, Ioannes.
Arnaya, Nicolaus.
Arnbruſterus, Ioannes.
Arnoldus, Tobias.
Arnoux, Ioannes.
Arriaga, { Paulus Ioſephus. Rodericus.
Arrubal, Petrus.
Artal, Ioannes.
Arturus, Laurentius.
Arzet, Andreas.
Ashbæus, Richardus.
Aſſchendorff, Guilielmus.
Aſtetius, Gaſpar.
Atienza, { Andreas. Ioannes.
Auancinus, Nicolaus.
Aubertus, Ioannes Henricus.
Audebertus, Stephanus.
Audeënus, Ioannes Hugo.
Auendaño, { Didacus. Michaël.
Auer, Lambertus.
Augerius, Dionyſius.
Augerius, Emondus.
Auguſtinus, Marcellus.
Auguſtinus, Ioſephus.
Auellaneda, Didacus.
Auila, { Ægidius Gonzalus. Alphonſus. Stephanus.
Auiles, Petrus.
Auriemma, Thomas.
Aylevvorthus, Guilielmus.
Aynſcom, Franciſcus Xauerius.
Ayres, Franciſcus.
Azeuedo, Ludouicus.
Azor, Ioannes.

B

Bachin, Leonardus.
Baconus, Thomas.
Baëza, Didacus.
Bagnus, Leonardus.
Bagotius, Ioannes.
Baile, Guilielmus.
Bailly, Nicolaus.
Baiole, Andreas.
Baiolius, { Ioannes. Ioannes Hieronymus.
Balde, { Iacobus. Henricus.
Baldellus, Nicolaus.
Baldinottus, Iulianus.
Balduinus, Guglielmus.
Baleſtrerius, Vincentius.
Balingem, Antonius.
Balleſter, Ludouicus.
Balſamon, Ignatius.
Bans, Iacobus.
Baratta, Marius Clemens.
Barba, Ioannes.
Bardus, Franciſcus.
Bargioccus, Ioannes Baptiſta.
Barnabas, Antonius.
Barnaudus, Petrus.
Barradius, Sebaſtianus.
Barretus, { Emanuel. Franciſcus. Sebaſtianus.
Barros, Thomas.
Barry, Paulus.
Bartholinus, Vbaldinus.
Bartilius, Laurentius.
Bartolus, Daniel.
Bartſeius, Fridericus.
Barzæus, Gaſpar.
Barzena, Alphonſus.
Baſſolius, Antonius.
Baſtida, Ferdinandus.
Baſellus, Franciſcus.
Bathæus, Guilielmus.
Bauarius, Ægidius.
Bauhuſius, Bernardus.
Bauman, Chriſtianus.
Bauny, Stephanus.
Beatillus, Antonius.
Beatus, Gabriel.
Beau, Ioannes Baptiſta.
Beaufez, Iacobus.
Bebius, Philippus.
Becanus, { Guilielmus. Martinus.
Beck, Theodoricus.
Behm, Georgius.
Belbonus, Archangelus.
Belhomus, Gotardus.
Bellarminus, Robertus.
Bellinus, Iulius.
Bellius, Paulus.
Bembus, Matthæus.

Ben-

Benaus, Franciſcus.
Benedit, Petrus.
Benignus, Franciſcus.
Bercka, Zladislaus.
Berent, Simon.
Berlaymont, Philippus.
Bernal, Auguſtinus.
Bernardinus, Theophilus.
Bernard, Iacobus.
Berettarius, Sebaſtianus.
Bertholdus, Ioannes.
Bertolottus, Ioannes.
Berton, Leonardus.
Bertonius, Ludouicus.
Berzettus, Nicolaus.
Beſſanus, Ioſephus.
Beſſonus, Ioannes.
Bettinus, Marius.
Betzcouuius, Iacobus.
Biard, Petrus.
Biatovvicz, Valentinus.
Bidermannus, Iacobus.
Biegeiſen, { Georgius. Ioannes.
Bienuille, Oliuarius.
Bilancettus, Claudius.
Billus, Iacobus.
Bilſtein, Ioannes.
Binetus, Stephanus.
Biſciola, { Ioannes Gabriel. Lælius.
Biſdomini, Thomas.
Biſe, Vincentius.
Biſſchop, Valentinus.
Biſſelius, Ioannes.
Biuerus, Petrus.
Blanc, Thomas.
Blancanus, Ioſephus.
Blanchenfort, Ioannes.
Blanchettus, Antonius.
Blandonius, Arias.
Blondus, Ioſephus.
Blyſſemius, Henricus.
Bobadilla, Nicolaus.
Bobynet, Petrus.
Bocanegra, Matthias.
Boëcop, Arnoldus.
Boeye, Andreas.
Bohemus, Balthaſar.
Boierus, Laurentius.
Boireau, Iacobus.
Bolbinus, Bohuslaus.
Bollandus, Ioannes.
Bollus, Didacus de Torres.
Bolthe, Ioannes.
Bombinus, Paulus.
Bomplanus, Ignatius.
Bonafè, Raphaël.
Bonaldus, Franciſcus.
Bonauentura, Franciſcus.
Bonefoy, Benedictus.
Bonellus, Ioannes Franciſcus.
Bonfrerius, Iacobus.
Bonifacius, Ioannes.
Bonetus, Ioannes.
Bonnefons, Amabilis.
Bonniers, Marcus.
Bonuoiſin, Petrus.
Boonartius, { Nicolaus. Oliuerius.
Borcier, Claudius.
Bordes, Ioannes Baptiſta.
Bordier, Iacobus.
Bordoy, Ioannes.
Borgia, S. Franciſcus.
Boroa, Didacus.
Borrus, Chriſtophorus.
Borrul, Mathias.
Boſendorf, Hermannus.
Boſſu, Simon.
Bouchy, Philippus.
Bouclerus, Iulianus.
Boucher, Antonius.
Bouchorſtius Florentius.
Bouillus, Petrus.
Bouius, Carolus.
Bouhours, Dominicus.
Boulogne, Adrianus.
Bourdin, Petrus.
Bourg, Moyſes.
Bourgheſius, Ioannes.
Boutonus, Iacobus.
Boutonus, Franciſcus.
Boyman, Iacobus.
Boym, Benedic. Paulus.
Braëm, Antonius.
Brandanus, Arias.
Brandis, Gaſpar.
Brantus, Ioannes.
Brauus, Bartholomæus.
Brebeuf, Ioannes.
Breſſanus, Franciſcus Ioſephus.
Breſſerus, Martinus.
Breton Carolus.
Briantus, Alexander.
Bridelius, Fridericus.
Bridoul, Toſſanus.
Briet, Philippus.
Brignole, Antonius Iulius.
Brilmakerus, Petrus Michael.
Briſacier, Ioannes.
Briſſelius, Ioannes.
Britius, Fabricius.
Briuius, Franciſcus.
Brochæus, Guilielmus.
Broquard, Iacobus.
Broſſardus, Ioannes.
Brouart, Ludouicus.
Broue, Carolus.
Brouerus, Chriſtophorus.
Brueil, Ioannes.
Brun, { Laurentius. Petrus I. Petrus II.
Brunellus, Hieronymus.
Brunnerus, Andreas.

Bru-

Brunus, Adrianus.
Brunus, { Bartholomæus.
Ignatius.
Vincentius.
Bruxelius, Petrus.
Bubalis, Stephanus.
Bucellenus, Ioannes.
Bruccius, Guilielmus.
Bucherius, Ægidius.
Bugis, Petrus.
Bulingerus, Iulius Cæſar.
Burenus, Nicolaus.
Burghaber, Adamus.
Burgheſius, Gerardus.
Burgundus, Petrus.
Burtonus, Eduardus.
Bus, Balthaſar.
Buſæus, { Ioannes.
Petrus.
Buſſey, Claudius.
Buſſonius, Georgius.
Buſſus, Ludouicus.
Buzelinus, Ioannes.

C

CAbeus, Nicolaus.
Cabillauius, Balduinus.
Cabredo, Rodericus.
Cabrera, Chriſtophorus.
Cachetus, Ioannes.
Cachupin, Franciſcus.
Cæſius, Bernardus.
Caietanus, { Alphonſus.
Octauius.
Caillet, Ioannes.
Calaueronus, Ioannes Gulielmus.
Caldeira, Ludouicus.
Camachius, Ioannes.
Camerota, Ioannes.
Campianus, { Edmundus.
Guilielmus.
Campori, Ioannes Maria.
Canæus, Ioannes.
Canalis, Annibal.
Cancellariis, Stephanus Bubalius.
Cancellottus, Ioannes Baptiſta.
Candela, Ioannes Dominicus.
Caniſius, { Iacobus.
Ioannes.
Petrus.
Cano, Alphonſus.
Canus, Auguſtinus.
Capecius, Marcus Antonius.
Capralis, Franciſcus.
Caprara, Alexander.
Caprinus, Ioannes Antonius.
Capua, Ferdinandus.
Caracciolius, Metellus.
Carafa, Vincentius.
Cardanæus, Michael.
Cardenas, Ioannes.
Cardim, Antonius Franciſcus.
Cardoſus, Gaſpar.
Cardulus, Fuluius.
Carettonius, Ioannes Franciſcus.
Carlier, Ægidius.
Carnolius, Aloyſius.
Carochi, Horatius.
Carrera, Franciſcus.
Carta, Gauinus.
Carualius, { Antonius.
Valentinus.
Caruellus, Thomas.
Caſalicchius, Carolus.
Caſatus, Paulus.
Caſiſius, { Antonius.
Ioannes Baptiſta.
Caſſini, Iordanus.
Caſſius, Bartholomæus.
Caſtagnola, Vincentius.
Caſtellus, Raphael.
Caſtilla, { Gabriel.
Franciſcus Perez.
Lopius.
Caſtillen, Andreas.
Caſtorius, Bernardinus.
Caſtrillus, Ferdinandus.
Caſtro, { Alphonſus.
Auguſtinus.
Chriſtophorus.
Ferdinandus.
Franciſcus.
Melchior.
Stephanus.
Cataneus, { Hieronymus.
Lazarus.
Caterus, Iacobus.
Cathius, Arnoldus.
Cauaignac, Antonius.
Cauchie, Antonius.
Cauſſinus, Nicolaus.
Cazræus, Petrus.
Cecottus, Ioannes Baptiſta.
Celada, Didacus.
Celi, Marcus.
Celleſius, Iacobus.
Callieres, Laurentius.
Cellotius, Ludouicus.
Ceparius, Virgilius.
Cepeda, Franciſcus.
Cerda, { Ioannes Ludouicus.
Melchior.
Ceriſerius, Renatus.
Cerqueira, Ludouicus.
Chabron, Guilielmus.
Chahu, Philippus.
Chales, Claudius Franc.
Chambers, Sabinus.
Champeils, Leonardus.
Champneuſs, Petrus.
Chaneuille, Iacobus.
Chanovvski, Albertus.
Chanut, Antonius.
Gaſpar Paez, in Miſſione Æthiopica annos 11. fructu maximo tranſegit, & multos Æthiopes ad Romanæ Eccleſiæ gremium reduxit. Indè proſcriptus, ſed occultè latitans, & captus glorioſam pro Chriſto mortem ſubijt.

Gaſpar Quartemont, in Belgio annis amplius 12. etiã in ſenili ætate per omnes aëris iniurias, excurrebat ad pagos, vt ſemel iterumque concionaretur ad Ruſticos, idque fructu vberrimo.

Gaſpar Ruiz, in Peruuio ternas linguas gentis addidicit vt pluribus prodeſſet; labores maximos in Miſſione ad S. Crucem in Montanis pro ſalute Indorum exantlauit, annis pluribus quoad vixit.

Gaſpar de Vilela, in Iaponia adeptus Linguæ peritiam, factiſque varijs excurſionibus in fame & frigore, multos ad Chriſtum perduxit & per 26. annos impigerrimè in Vinea illa laborauit.

Godefridus Franckenius, Miſſiones Varias inter Hæreticos obiuit, in Hollandia, Dania, Suecia, & demum in Africa ad lucrandas Deo Animas in Regno Combenſi.

Gonſaluus Rodericius, Operarius Inſignis, magnum Diuini honoris & ſalutis animarum zelum oſtendit Armuſiæ, in ſinu Perſico, poſtea in Æthiopia, demum in India, vbi multis annis rem Chriſtianam promouit.

Henricus Henriquez, In India totis 53. annis per oram Piſcariæ conuerſioni illius gentis aſſiduam nauauit operam fructu maximo, vt vulgò ApoſtolusComorinenſium fuerit vocitatus.

Hieronymus de Angelis, in Iaponia ad 22.annos per varia illius Regna primus Chriſti fidem diſſeminauit, neglecto capitis periculo,& demum glorioſa morte labores Apoſtolicos concluſit.In Regnis Cami vix mille repererat Chriſtianos, & ipſe breui ſupra 10. millia ſua manu per lauacrum ſalutis regenerauit.

Hieronymus Grauina, in Sinis ad 27.Annos Vineam illam Domini impigrè excoluit,& moriens ad 20. millia Neophytorum quos ipſe Chriſto aut genuerat aut educauerat, reliquit.

Hieronymus Lallemant, in Canada per 20.annos Miſſiones varias ad Regionis illius Barbaros inſtituit miro zelo, caritate, atque fructu.

Hieronymus Lopez, Granatenſis, animarum zelo flagrans quamuis parùm firmæ eſſet valetudinis, non minus cupidè ibat ad Miſſiones, quàm ſolent Mercatores ad nundinas, & multis, ad ſalutem animæ auxilio fuit.

Hieronymus Lopez alter, Miſſiones per totam fermè Hiſpaniam annis 19.obiuit, ita vt pagos, oppida, Vrbes, ſupra 1300. Apoſtolico ſpiritu,concionabundus, fructu copioſiſſimo, luſtrarit.

Hieronymus Maiorica, in Regno Tunchinenſi pagatim per montes & ſaltus ibat, proſeminando fidem Chriſti, tam vbere prouentu, vt alicubi ſpatio quinquemeſtri ſupra bis mille quingentos, & ſeptuaginta, Chriſto aggregarit.

Hieronymus Xauerius, in India 36.Annos magno zelo traduxit & ex his 23.in RegnoMogorenſi, in quod ferè primus fidem Chriſti inuexit, & per varia ſui capitis pericula propagauit.

Horatius Carochi, ad lucra animarum profectus in Regnum Mexicanum, amplius 50. annorum ſpatio in eo laborauit, miſſiones varias obiuit & 30. Annis Indorum Operarius,vt ibi vocant,fuit.

Iacobus Rhò, in Sinas delatus per varias ibi Prouincias circumtulit Euangelium, & iuſſus à Rege ſubſiſtere Pekini ad emendandum Calendarium Sinicum, vſus bene ea occaſione eſt, ad promouendam rem Chriſtianam, probauit quidem Regi operam ſuam,ſed delatos propterea honores repudiauit. Sexdecim annis Vineam illam, magno emolumento Religionis Chriſtianæ ad obitum vſque coluit.

Ioannes Adamus Sciall, Miſſionem Sinenſem etiam ipſe expetiuit atque in ea, 44. annos inter proſpera, & aduerſa exegit. Plurimos perduxit ad caulam Chriſti. In emendatione Calendarij Sinici Socius Iacobo Rhò fuit & tribus Imperatoribus Sinenſibus magno in pretio; poſt quorum mortem coniectus in vincula, damnatus morti,multa pro Chriſto conſtanter pertulit.

Ioannes Aguero, in Philippinis viginti & quinque annorum ſpatio Indorum ſaluti ſe impendit,magno zelo,& fructu.

Ioannes Baptiſta Montius, in Iaponia Chriſti fidem annis 25. prædicauit vberem meſſem collegit, duos Regulos inter alios plurimos Chriſto adiunxit; ſæpe ludibria, lapidationes & alia aſpera conſtanter ſuſtinuit.

Ioannes Baptiſta Zola,etiam in Iaponia per omnia viri Apoſtolici officia, annis circiter 20. verſatus, & demum ſæuiente perſecutione comprehenſus, quod vnicè diu in votis habuerat, ad rogum damnatus, & pro Chriſto concrematus eſt.

Ioannes Bordeſius, Canadenſem Miſſionem à Chriſtianiſſimo Rege curauit inſtitui, ipſe alias expeditiones admodum laborioſas, & ærumnoſas inter Hæreticos, in ipſa Gallia per decennium obiuit.

Ioannes de Brebeuf, in Canadenſi miſſione, labores Apoſtolicos 20. circiter annorum, glorioſa Morte pro Chriſto, per horrenda & inaudita tormenta coronauit.

Ioannes Falco,in Germania,ardens zelo Diuini honoris tuendi,proferendique, ſæpe excurrebat in pagos, ſolo pane & caſeo ad victum inſtructus,& feruentiſſimo ſpiritu,exhortationes, catechiſmos, conciones pro captu auditoris habebat.

Ioannes Fernandez,in Iaponia Socius itinerum S.Franciſci Xauerij, laborum quoque ipſe ſitiens & ærumnarum, acquiſita vernaculæ illius linguæ notitia,multos verbo & exemplo ſanctæ vitæ, per annos 18.ad Chriſtum perduxit.

Ioannes Froës, in Sinis feruentiſſimus Operarius, Agrum illum Domini ſpatio 14. annorum vſque ad obitum nauiter coluit, ab ipſis Ethnicis titulo Sancti Patris honoratus.

Ioannes Gondinus, Toletanam Prouinciam vniuerſam peruagatus, ſacris eam expeditionibus annis 16.excoluit. In Vrbibus ibat ad cuſtodias, ad Noſocomia, ad ludos elementariorum, & omnibus ſuam operam ad ſalutem ingerebat.Exibat in oppida circumpoſita, & nullo frigoris,æſtuſue diſcrimine, diſcurrebat.

Ioannes Monteirus, poſt aliquot annos in Goana Prouincia vtiliſſimè expenſos, translatus ad Sinas, magno rei Chriſtianæ incremento per 12. annos, multorum ſaluti operam nauauit.

Ioannes à Roccia, in Miſſione Sinenſi, magno animarum zelo annos 25. traduxit, plurimos Chriſto genuit, & optimis vitæ exemplis inſtruxit.

Ioannes Soërius, Sinenſis Vineæ cultor quoque ipſe inſignis, duodecim annos vſque ad obitum in ea exegit, tam raro virtutis exemplo, vt ab omnibus vulgò æſtimaretur vti Sanctus; Rem Chriſtianam mirificè promouerit, & multos Chriſto aggregarit.

Ioannes Terrentius, Sinenſi Miſſioni ipſe pariter ſe dicauerat, & per decennium, operam ſuam fructuosè admodum ibi collocauit; multa & magna expectabantur ab illo Aſthonomię perito, nec non Artis Medicæ, & primus ex Europæis Noſtris, deſignabatur à Rege Sinarum ad emendationem Calendarij, ſed mors interceſſit.

Ioſephus Anchieta, in Braſilia per 44. annos aſſiduè Chriſtum prædicauit, longa itinera conficiendo, ſæpe nudis pedibus per ſaxa, per cœnum, cum fame & ſiti, & mille incommodis, ſed fructu maximo, ita vt vulgò Apoſtolus & Thaumaturgus Braſiliæ ſit appellatus.

Iulius Alenius, totos 36. Annos in cultura vineæ Sinenſis expendit labore improbo, ſed fructu maximo; Primus in Prouinciam Xeñ ſi Chriſti fidem intulit, & in Fuchiem aliquot millia per Baptiſmum Chriſto regenerauit.

Iulius Mancinellus, Miſſiones plurimas multis annis obiuit ſpiritu Apoſtolico, in Italia, in Dalmatia, Conſtantinopoli, in Vvalachia, Moldauia, Boſnia, Ruſſia, Polonia, Sileſia, & alijs locis, vt in Bibliotheca.

Laurentius Maſonius, miſſus in Indiam, incredibiles labores in Amboino, & alijs Inſulis, adminiſtrando illarum Eccleſias, totis 30. annis exhauſit, vt ab indigenis vulgò Sanctus Laurentius fuerit appellatus.

Lazarus Cataneus, Operarius inconfuſibilis, per infamiam & bonam famam, calumnijs ſæpe & opprobrijs appetitus per 40. Annos in Sinenſi Regno Chriſti fidem conſtanter prædicauit, & Idololatras plurimos ad Chriſti cultum perduxit.

Ludouicus de Azeuedo, in Æthiopia 29. annorum ſpatio, ſtrenuiſſimum ſe geſſit Operarium, vt ægrè numerari poſſint multa millia animarum, quæ partim ex hæreſi, partim ex Ethnicis ſuperſtitionibus ad Chriſti Eccleſiam pertraxit.

Ludouicus Bertonius, in Peruana Prouincia, annos circiter 44. in Indorum ſalute procuranda, laborioſiſſimè exegit, tanta virtutum opinione, vt vulgò Sanctus Ludouicus, ſit nominatus.

Ludouicus Cardeira, poſt annos 12. in Goana Prouincia religiosè expenſos, miſſus in Æthiopiam, ibi per alios 17. Dei Gloriam conſtanter promouit, Abiſſinos plurimos ab erroribus ad Romanam Eccleſiam traduxit & demum glorioſam pro Chriſto mortem ibidem ſubijt.

Ludouicus Figueira, in Braſilia annis 37. Operarius, obiuit miſſiones per multa incommoda ad Tapuios, vbi occiſo à Barbaris Socio in odium fidei, reuerſus, iterum ad loca illis finitima redijt. Rem ibi Chriſti egregiè promouit, & demum ab alijs Barbaris in odium fidei eſt interfectus.

Ludouicus Froës, in Iaponia indigenarum ſalutem totos annos 34. impenſiſſimè promouit, verſatus frequenter in mortibus, in Exilijs, in ruinis incendiorum, ærumniſque plurimis; donatus à Deo eximia cognitione linguæ Iaponicæ, & præterea gratia curationum, vt multos reſtituerit ſanitati.

Martinus Martinius, Sinenſem Miſſionem nouennio, vtiliter obierat, quando lectus in Procuratorem, & miſſus in Europam, ſuppetias Sociorum collegit, redijt, & in dilatando cultu Chriſti, varijs in locis vitæ curriculum abſoluit.

Matthæus de Couros, in Iaponia ſæpe quæſitus ad necem, & in ſpeluncis coactus deliteſcere, per 42. annos fructuoſiſſimè Vineam illam coluit; in qua etiam Adminiſtrator Épiſcopatus illius, nouennio fuit.

Matthæus Maurach, in Hungaria annos 15. circiter magno fructu ſacris expeditionibus impendit, vt ſupra mille & quingentos ab Hæreſi ad Eccleſiæ Catholicæ Caſtra traduxerit.

Matthæus Riccius, inter primos qui Sinarum imperuia eo vſque Clauſtra, penetrauit, & omnino primus, qui in varijs ibi Prouincijs Chriſtum prædicauit, atque in Regia Vrbe ſedem cum bona Imperatoris gratia fixit, plurimos Chriſto adiunxit, & ſpatio annorum 25. fructuoſiſſime Vineam illam coluit.

Matthias Hainal, in Hungaria, Miſſiones varias annis 29. magno ſpiritu atque fructu obiuit.

Melchior Figueredus, poſt diſſeminationem Euangelij in Inſulis Molucis multorum Brachmanorum conuerſione *inclytam*, miſſus in Iaponiam totis 37. annis *in ſalutem* Animarum cum locupletiſſimo quæſtu Procerum, Bonziorum, & aliorum incubuit.

Michaël Ruggerius, miſſus in Indiam poſt labores in ora Piſcariæ in ſalutem Animarum ali-

aliquamdiu impenſos, applicatus Miſſioni Sinenſi nondum inchoatæ, eamSocijs primus aperuit, & ſedem in Vrbe Scianquino obtinuit. Poſtea ad eandem amplificandam Legatus in Europam per magna diſcrimina, ibi diem obijt.

Nicolaus Bobadilla, per Italiam, Siciliam, Germaniam, Illyricum, & Vallem Tellinam, miſſiones plurimas, annis multis ſpiritu Apoſtolico inſtituit, Conciones habuit in 77. Archiepiſcopatibus & Epiſcopatibus; in locis verò diuerſis 158. intra eoſdem.

Nicolaus Cuſanus, 33. Annorum ſpatio Miſſionarium egit per pagos & Oppida, Ducatus Luxenburgenſis, & alibi, perſæpe in frigore, fame atque ſiti, ſed fructu ſpirituali vberrimo.

Nicolaus Longobardus, Magnus in Sinenſi Chriſti vinea Operarius, quam quinquaginta & octo fere annorum ſpatio, quà ſubditus, quà Superior continenter excoluit, & in qua plurimos Chriſto lucrifecit, nullum laborem, nullum periculum, animarum cauſa recuſans.

Nicolaus Trigaultius, de Sinenſi Miſſione ipſe quoque præclarè meritus, poſt operam ibi per annos aliquot egregiè nauatam in ſalutem animarum, Procurator in Europam ablegatus eſt, ad conquirenda noua Sociorum auxilia, cum quibus reuerſus, poſt multa mari terraque pericula emenſa, in Sinam, multas eius Regni prouincias peruagatus eſt, Neophytis inuiſendis & nouis etiam expeditionibus tentandis intentus.

Petrus de Anaſco, in Tucumania annis 15. Miſſionarium egit, & vt plures iuuare poſſet, nouem Idiomata Regionum illarum perdidicit, quibus multa hominum millia Chriſti imperio adiecit.

Petrus Anellus Perſicus, in Regno Neapolitano multas Vrbes, pagoſque Apoſtolicis expeditionibus luſtrauit, pedes plerumque itinera obibat, cibo emendicato viuebat, & Congregationes pias varias inſtituit.

Petrus Biardus, in Canadenſi Miſſione palmas multas primus Sociorum in Conuerſione Barbaræ illius gentis legit; extrema ibi omnia paſſus annis aliquot; ſed captus deinde ab Hæreticis, & in Angliam abductus, tandem in Galliam eſt remiſſus.

Petrus Gomez, In Iaponia ad 20. Annos multa tempore perſecutionis, tolerata aſpera perpeſſus eſt, multos etiam Proceres, Chriſto per Baptiſmum ſubiugauit.

Petrus Maſcarenia, in India, primò Salſetani agri ſtrenuus cultor, poſtea in Amboino, deinde in Regno Celebum, multos ad Chriſtum pertraxit & ipſum Regem Inſulæ cum Regina, varijſque Proceribus Sacro fonte luſtrauit.

Petrus de Moreion, in Iaponia amplius 50. annos in Culturam animarum impigrè incubuit; multa pro Chriſto egit & pertulit, etiam Carceres & Exilium, & allegatus Romam à Prouincia quamuis Senex, & inuitatus à Conſanguineis ad remanendum in Hiſpania, eodem renauigauit.

Petrus Paez, poſt ſeptennem ſeruitutem duriſſimam, ſub Turcis toleratam in itinere ſuo verſus Æthiopam, demum in hanc penetrauit, pedes iter inſtituens per confragoſos montes, inter perpetua latronum, leonum, aliarumque ferarum pericula, & in eadem, Societatis miniſteria, annis 19. mira conſtantia & ſanctimonia exercuit.

Petrus Paulus Nauarrus, in Iaponia poſt multos labores & ærumnas ſæuiente perſecutione, & ſpatio annorum 37. exhauſtas, tandem comprehenſus, igne gratiſſimum Domino holocauſtum, conſumptus eſt.

Petrus Pazmani, in Hungaria Miſſionibus inter Hæreticos ſe ſtrenuè impendit, per decennium ante Cardinalitiam dignitatem, fructu vberrimo.

Robertus Nobilius, in Malabarica, aſſumpto habitu Brachmanorum, vt hos facilius alliceret ad fidem Chriſti, 45. annis illum retinuit, quibus nec carnibus, nec piſcibus, paſtus eſt, & plurimos ad Chriſti Caſtra pertraxit.

Rodericus de Figueyredo, in Sinis 20. Annorum ſpatio in Culturam illius Vineæ impigre incubuit, & multa ibi incommoda occaſione bellorum tunc graſſantium Chriſti amore condiuit.

Sabbatinus de Vrſis, pariter in Sinis, & in Vrbe Regia, toto decennio rem Chriſtianam ſeduló procurauit. Sed proſcriptus demum cum alijs, & Macaum amandatus, ibidem piè deceſſit.

Sebaſtianus Barradas, in Luſitania, multas & fructuoſas admodum expeditiones inſtituit, quibus nomen & Sancti & Apoſtoli & Prophetæ ſibi comparauit.

Sebaſtianus de Vieyra, in Iaponia, cùm diu magno zelo atque ardore fidem Chriſti profeminaſſet, ab Imperatore expulſus, ſed mutato ſchemate iterum in Iaponiam reuerſus magno fidelibus auxilio fuit. Poſtea à Superioribus Legatus Romam, & inde redux, tertiò penetrauit ſecretò in Iaponiam, ſed tandem comprehenſus, glorioſam pro Chriſto mortem oppetijt.

Stephanus Crucius, in India Orientali 23. annos ſe ſe in promouenda ſalute Indorum in Salſetis, impigrè impendit, vt ab exteris paſſim pro Apoſtolo haberetur.

Thomas Stephani, in India pariter & Salſetana Vinea, quadraginta annos exegit, tanta applicatione, & ſuo ſolatio, atque Neophytorum in virtute progreſſu, vt nec ipſe vnquam inde abſcedere tentauerit, nec Superiores auſi

ſi ſint aliò transferre, ne Neophytos affligerent.
Vvenceslaus Sturmius, in Bohemia diu multumque Miſſiones obiuit, & earum incommoda permulta alacri animo tolerauit.
Vvolfgangus Schonslederus, in Germania, in Miſſionibus varijs magno zelo decennium expleuit.
Zacharias Rotz, in Belgio, multis Annis per Pagos & Oppida promptus alacerque, proſeminando Verbum Dei diſcurrebat, & in extrema ætate, feruorem auxit.

§. IV.

Charitas in obſequijs peſte infectorum.

Adamus Aigenler, inter nauigandum in Indiam prolixè ſe impendit laborantibus lue contagioſa in naui, & illa afflatus obijt.
Adrianus Crucius, Antuerpiæ, ſeruiendo infectis peſtilentia magna Caritate, in illorum obſequijs vitam poſuit.
Albertus Theobolcius, in Polonia, afflatos peſte conuocabat tintinnabulo, per plateas, & confitentes expiabat.
Antonius la Cauchie, Duaci inſeruiendo contactis peſte, afflatus eadem, mortem oppetijt.
Antonius Colazus, Eboræ peſte laborantibus miniſtrauit.
Antonius Fernandez de Corduba, in Bætica, opera peſte afflatis impenſa valdè commendabilis.
Antonius de Quintanaduenas, graſſante per Bæticam peſtilentia, infectis Sacramenta miniſtrauit & peſtem ipſe contraxit.
Arnoldus Cathius, in Friſia dum lue contagioſa laborantibus deſeruijt, ea ipſe tactus eſt.
Bartholomæus Rogatus, in Regno Neapolitano, graſſante peſte dum ſuam operam infectis nauat, afflatus obijt.
Carolus à Kreitz, Dantiſci dum Peſte & fame affligerentur Ciues, magna ſedulitate inſeruiuit infectis.
Carolus Vverpæus, Dionanti ſæuiente lue peſtifera, ad ſeruiendum afflatis ſe expoſuit.
Chriſtophorus de Vega, ſerpente Valentiæ & in vicinis Oppidis peſtilentia, contactorum obſequijs ſe impendit.
Elzearius d'Oraiſon, in Gallia deſeruiendo affectis peſte, Deo obtulit ſe in hoſtiam, & afflatus occubuit.
Franciſcus Boutonus, Lugduni, in obſequio lue infectorum correptus ipſe mortem ſubijt.
Franciſcus Mileman, in Belgio annum conſumpſit in obſequijs peſte laborantium.
Franciſcus Perandreu, Alonæ graſſante lue contagioſa, afflatorum obſequijs ſe expoſuit.
Franciſcus Remundus, Mantuæ, audiendo confeſſiones peſte laborantium, eam ipſe contraxit.
Franciſcus Roſiens, in Inſula Eubœa, dum Chriſtianis vinctis, & lue afflatis, ſuam operam nauat, ex lue obijt.
Franciſcus de Salazar, Legione, ſeruiens infectis peſte, victima charitatis piè occubuit.
Franciſcus Stadiera, Bononiæ dum Noſtris lue infectis Sacramenta miniſtrat, contactus obijt.
Franciſcus Zuccaronus, in Vrbe Barolitana, graſſante peſte, affectis inſeruiens, mortem oppetijt.
Gaſpar de Zamora, in Caſtella, bis operam peſte laborantibus ſuam impendit.
Georgius Holshaius, in Germania, ſexagenario maior, magno animo expoſuit ſe obſequijs lue attactorum.
Georgius Sturmius, Treuiris inſeruiens laboranti peſte, hanc contraxit & piè obijt.
Guilielmus Pfeffer, in Palatinatu, contactos peſte complures, vltimis Sacris procurauit.
Gilielmus Staniburſtius, in Belgio, obtinuit multis precibus, vt peſte afflatis ſeruire poſſet; & ſanus reualuit, ſed iterum ad eandem Spartam ſeſe obnixè obtulit.
Henricus Fitzſimon, in Belgio operam ſuam anno vno, peſte laborantibus præſtitit, & ea ipſe correptus eſt.
Hermannus Hugo, in Belgio militibus contagioſa lue afflictis inſeruiens, morbum contraxit, & occubuit.
Iacobus Caniſius, Monachij peſtilentia afflatis addixit ſua obſequia, & ſuperſtes Lauretum petiuit pedes, exſoluturus votum quod S.P.Q. Monachienſis Sopitracici Virgini conceperat.
Ioannes Antonius Xarque, bis ſe obtulit Victimam charitatis Deo, in obſequio Peſte infectorum & ſemel ea afflatus eſt.
Ioannes Franciſcus, in Gallia peſte infectis inſeruiuit,
Ioannes Gaillotius, Lugduni ſuam lue laborantibus Operam addixit.
Ioannes Tſandeck, Græcij graſſante peſte, Confeſſiones promiſcuè audiendo, illam contraxit, & obijt.
Ioannes Vvalterius, Viringus in Belgio gliſcentibus contagijs inter milites, dum his ſuam impendit operam, hauſit luem, & occubuit.
Iulius Mancinellus, in obſequia afflatorum lue, non ſemel ſe tradidit.
Iulius Pallauicinus, Genuæ cùm ſe expoſuiſſet excipiendis Confeſſionibus peſte affectorum, correptus ipſe occubuit.
Ludouicus Conart, In Inſula Americæ Meridionalis, dum vacat obſequijs peſte laborantium,

tium, Victima Charitatis obijt.

Ludouicus de Ponte, Villagarziæ expoſuit ſe ſeruitijs peſte correptorum, & magna ſedulitate eo munere functus eſt.

Martinus Laſcius, in Polonia, gliſcente peſte, ſubditis dimiſſis ad tutiora loca, ipſe ſe diſcrimini obiecit.

Paulus Guldin, Viennæ Auſtriæ, afflatorum peſte obſequijs ſe impendit.

Petrus Dagonellus, Nancæi bis peſte infectis ſuam operam nauauit.

Petrus Iuſtinellus, Caſtilione in obſequio peſte afflictorum eam ipſe contraxit, & occubuit.

Stanislaus Vvarzauicius, Cracouiæ gliſcente lue peſtifera, demiſſis ad tutiora Socijs, remanſit ad auxilium infectorum, & peſte contracta, obijt.

Theodorus Roſmer, in Belgio ſeruiuit afflatis peſte.

Thomas Porzecki, in Polonia, graſſante lue Pultouiæ, dimiſſis ad tutiora ſubditis, remanſit, & peſte affectus mortem ſubijt.

Thomas Saillius, in Belgio ſeruiens militibus ægrotantibus ex Peſte, eam ipſe contraxit, ſed inuocata ope B. Virginis conualuit.

Valentinus Biſſchop, in Belgio, in obſequijs lue infectorum, eam ipſe contraxit, & ſuccubuit.

Valentinus Mangionius, Mediolanum dum lues peſtifera popularetur, dimiſſis ſubditis ad tutiora loca, remanſit ipſe, & miniſtrauit infectis.

Valerianus Premolus, Caſtillione, ſeruiens affectis peſte, animam pro fratribus glorioſe poſuit.

§. V.

Charitas in Subleuandis Mendicis & Pauperibus.

S. Ignatius, pro Orphanis, Catechumenis, malè Nuptis, & Puellis miſerabilibus, domicilia Romæ extruenda curauit, & plebe periclitante ex graui fame, centenis aliquot quotidie per hyemem de annona ex eleemoſynis proſpexit, quibus ordinatim diſpoſitis in ampla cœnatione, ipſe cum Socijs linteatis miniſtrauit.

Albertus Theobolcus, in Polonia ad ſexies mille ſexcentos & ſexaginta aureos corrogauit, ad fundandum Noſocomium pro Pauperibus.

Balthaſar Etzelius, in Germania Pauperes Adoleſcentes ſtudioſos corrogatis in eorum ſubſidium eleemoſynis pro virili adiuuabat.

Claudius Aquauiua, Generalis Societatis, Romæ tempore difficilioris annonæ, liberales eleemoſynas diſtribui iubebat à ſuis, & peculiarem agrum conſeri à Collegio Romano, in vſus pauperum.

Franciſcus Alphonſus, Compluti pro tenuioris fortunæ Scholaſticis procurabat, & libros, & victum, & alia ad ſtudendum neceſſaria.

Franciſcus Perez de Naiera, Valliſoleti inſtituit cætum puerorum vagorum, quibus de Spirituali & Corporali cibo ipſe proſpiciebat.

Gaſpar Vilela, in India, pro duobus Noſocomijs, quæ curabat Malacæ, vitæ neceſſaria comparabat.

Honoratus Niquetus, Rothomagi pro pauperibus ſubleuandis inſtituit inter Ciues, Sodalitatem Miſericordiæ.

Iacobus Bordier, in Gallia oppreſſos non vnos Populos lethali fame ad Ligerim, emendicata hinc inde ſtipe, quaſi è tumulo reuocauit.

Iacobus de la Fuente, in Hiſpania inſtituit Congregationes, vnam Cæcorum, aliam Æthiopum, aliam Grammatiſtarum; Egenos cogebat in vnum aliquoties per Annum, & expiatos corrogante ſtipe donabat, quod etiam vinctis præſtabat, vt Pater Pauperum vulgò fuerit appellatus.

Ioannes Derienes, in Gallo Belgica, in conquirendis eleemoſynis pro egentioribus Scholaſticis valde ſedulus.

Ioannes Domeneccus, in Sicilia, vinctos in Carcere ab leue æs alienum comparato lytro curauit eximi; alios alijs modis adiuuit, vt poterat.

Ioannes Ledeſma, Mexici tempore eluuionis & peſtis pro Indis mendicis conquirebat, & cibaria & Medicamenta.

Ioannes de Lugo, dum Cardinalis eſſet, verè Pater Pauperum fuit, & in eos, ex facultatibus non ampliſſimis, quas tunc habebat, ſupra mille aureos quotannis erogabat.

Ioannes Tellerus, Romæ in ſubſidium Pauperum & vinctorum, ſuaſor fuit, vt Archiconfraternitas Charitatis inſtitueretur.

Marcus de Bonnieres, in Gallobelgica, in ſquallidis Pauperum tuguriolis aſſiduus, egeſtatem illorum corrogata vndique ſtipe quaſi ex officio, ſubleuandam ſuſcepit.

Martinus Laſcius, in Polonia multarum Virginum in lubrico verſantium ſaluti conſuluit, inſtituta pro illis Arca S. Nicolai, apud Sodales Miſericordiæ.

Petrus Fonſeca, in Luſitania procurauit pro Catechumenis Domum; pro Puellis periclitantibus de pudicitia domicilium, pro Orphanis perfugium; pro pauperibus vagantibus ſubſidium, & alia id genus plura.

Petrus Spica, in Sardinia emendicabat per Vrbem pro egenis & vinctis in Carcere, multis modis, indefeſſa caritate, & ſubinde non ſine miraculo.

Simon Vviſoꝫki in Polonia pluribus in locis curauit pro pauperibus noſocomia excitari, ob quæ Patris pauperum appellationem ſortitus eſt.

Vincentius Caraſa Generalis Societatis, Romæ in magna Annonæ caritate corrogauit eleemoſynas, quibus mille circiter pauperibus quotidie ad portam Domus profeſſæ, alimenta ipſe inter alios miniſtrabat. Et adhuc puer in paterna Domo lacrymis ſolebat à matre eleemoſynas exorare pro pauperibus.

§. VI.

Orandi Studium, & aſſiduitas, etiam vltra tempora in regulis præſcripta.

S. Ignatius, quàm deditus orationi fuerit luculenter oſtendit in admirabili libello Exercitiorum Spiritualium, in quo veluti exercitatiſſimus Magiſter varios orandi modos docet alios. Poſtea etiam dum Præpoſitus Generalis eſſet, quotidie erepto è ſummis occupationibus otio, in ſuperiori ædium parte contemplationi vacabat, & profluentibus vbertim lacrymis (quarum donum inſigne habebat) Diuini luminis radios excipiebat, ſingulis horis examen conſcientiæ inſtituebat, nec vllum maioris momenti negotium aggrediebatur, niſi conſulto prius, & propitiato per orationem Deo.

Alexander Caprara, ſomnum ad orationem abrumpebat, & horæ omnibus communi alteram mane adiungebat, veſpere quoque longas moras in precibus ducebat.

Alexander Gottifredus, binas horas quotidie orationi impendebat, & aliquando quinas, & Stellarium in honorem Conceptionis Immaculatæ Virginis quotidie recitabat.

Alexander Simoneta, ad binas ferè horas orationi mentali vacabat quotidie, & vocali horarum canonicarum adiungebat tria officia parua de B. Virgine, de Spiritu Sancto, & de Cruce.

Alphonſus Barzena, ſingulis noctibus ad orandum ſurgebat, quamuis, id illi ſtudium, Diabolus duodecim annis conatus ſit, ſed fruſtra, excutere.

Alphonſus Rodriguez, Sacerdos quaternas horas tribuebat quotidie orationi poſtremis annis quibus à negotijs miſſionem habuit.

Alphonſus Rodriguez, Coadiutor temporalis quotidie procul ab arbitris, plures horas dabat oratoni, totas alioqui dies, vel inter diſtractiones, ſemper in Deum mente intentus.

Auguſtinus Canus, orationi multum nocturni temporis, diurni quantùm poterat procumbens in templo, tribuebat; Deum vbique habebat præſentem.

Benedictus Herbeſtus, duabus horis ſurgebat ante Socios ad producendam orationem.

Chriſtophorus Mayer, poſt horam omnibus communem manè, duas alias orabat, tum vibratorijs ſuſpirijs per diem actiones omnes illuſtrabat. Ad horas Canonicas quotidie adiungebat Pſalmos Pœnitentiales, Graduales, Officium Defunctorum, & Coronam B. Virginis.

Chriſtophorus de Vega, orationi plures horas interdiu vacabat, nec vllum opus aggrediebatur, niſi præuia oratione.

Claudius Aquauiua, Generalis nulla maioris momenti negotia definiebat, niſi præmiſſa oratione. Et inter orandum tanti erant ſenſus, & impetus pij, vt non rarò exclamationibus, & lacrymis cogeretur eos mitigare.

Didacus Gonzalez Holguinus, ternas quotidie horas meditationi rerum Diuinarum, impendebat.

Didacus Monterus, quotidie conſuetæ precationi manè addebat duas ternaſue horas priuſquam reliqui ſurgerent, & dies ſæpè ſolidos coram S. Euchariſtia orando ducebat.

Didacus de Torres Rubius, Orationi mentali quaternas quotidie horas conſtanter inſumebat, ad Vocalem etiam multus fuit.

Franciſcus Aguadus, quaternas, vel quinas horas contemplationi quotidie dabat, & binas horas ante alios ſurgebat è ſtrato, vt diutiùs oraret.

S. Franciſcus Borgia, quotidie octo horas, orationi impendebat, & ſubinde integras noctes.

Franciſcus Colin, Orationi mirificè addictus, ſingulis annis exercitia ſpiritualia S. Ignatij ad 10. dies producebat.

Franciſcus de Enzinas, totas propè noctes in templo exigebat contemplando Cæleſtia, vt vix binas horas ſomno, idque ad crepidinem Altaris, humi tribueret.

Franciſcus Ribera, orationem diurnis, nocturniſque horis vſurpabat, eamque ad Sacræ Scripturæ intelligentiam adhibebat.

Franciſcus Suarez, dicebat malle ſe amittere quæſitam per tot annos ſcientiam, quàm ſolitam in Societate orandi horam, cui mane addebat ſemihoram, veſperi horam integram.

S. Franciſcus Xauerius, tanto ſpiritus feruore in oratione perſeuerabat, vt noctes integras in ea tranſigeret, & inter ſacrificandum ſæpenumerò, à ſenſibus abalienaretur, & alia, vt in Bulla Canonizationis.

Gaſpar de la Figuera, non contentus tempore orationis omnibus præſcripto; quotidie horam

ram alteram eidem tribuebat poſt Sacrum ſuum, licet multis implicaretur negotijs.

Gaſpar Loarte, quaternas horas quot diebus in contemplatione rerum Diuinarum ponebat.

Goſvvinus Niekel, vt quietiùs vacaret Orationi, ſurgere ſolebat multis annis ante alios, etiam cum Generalis Societatis eſſet, & examen quod vocamus particulare, quamdiù ferè vixit in Societate, numquam omiſit.

Gualterus Paullus, adhuc Nouitius, voto ſe obligauit ad impendendam quotidie horam vnam orationi mentali per totam vitam, & mediam examinibus conſcientiæ, iuxta Regulam, nec niſi ſenio, & morbis fractus, voto ſolui petijt.

Guilielmus à Metternich, ex continuo orationis vſu, nec in ſacro celebrando, vel audiendo nec ſæpè in menſa dum pium aliquid prælegeretur, potuit ſibi à lacrymis temperare.

Guilielmus Schiebel, omne propè tempus, quod ei à negotijs ſupererat, vel in cubiculo, vel in Templo orationi tribuebat.

Hieronymus Domeneccus, noctes crebrò ducebat orando, etiam cum ex itineribus in diuerſorijs ſubſiſteret.

Hieronymus Lallemant, ſurgebat vna hora ante alios, vt orationi diutius vacaret, & Eccleſiaſticum officiũ quotidie de genibus etiam ſenex perſoluebat.

Hyacinthus Manara, ſurgere ſolitus noctu, etiã per hyemem ad orandum, horis canonicis adiungebat officium de S. Antonio Patauino quem ſpeciali cultu proſequebatur.

Iacobus Aluarez de Paz, Annis amplius 25. tam arcta mentis coniunctione cum Deo vixit, vt nullis negotijs contingeret illam, vel minimum intercipi.

Iacobus Gordonus Huntleus, hora integra præueniebat Socios ad Orationem quotidie, & in itineribus plurimis, quæ obiuit per Scotiam, Hiberniam, Daniam, Germaniam, Galliam, vix vnquam creditur examen conſcientiæ, manè aut veſperi prætermiſiſſe.

Iacobus Granadus, nunquam non præmittebat Sacro ſeſquihoram orationis, & prolixè à Sacro agebat gratias; Examen particulare vſque ad penultimum vitæ diem, accuratè obiuit, aliaque ſimilia complura ſemper Deo coniunctus, præſtitit.

Iacobus Miro, magnam noctis partem inuigilabat Orationi, & Lectioni noui Teſtamenti quod intermixtis lacrymis verſabat. Omnis eius voluptas in rerum ſacrarum tractatione erat.

Iacobus Saleſius, tam tenero fuit pietatis ſenſu, vt inter meditandum, vel ſacrificandum, nullas vnquam pateretur mentis euagationes.

Ignatius Balſamus, præter horam orationis mane omnibus communem, alteram veſperi adiungebat, & aliquot annis ante obitum, etiam tertiam, imò tota eius vita iugis oratio videbatur.

Ignatius Martinez, obſeruatus ſingulis diebus, atque noctibus quinas in meditando poſuiſſe horas, flexis genibus, & immobili corporis firmitate.

Ioannes Auguſtinus Confalonerius, per 60. annos nunquam matutinam orationem conſuetam; aut neglexit, aut contraxit, & veſperi etiam ſemihoram adiecit, vſque ad extremam ætatem.

Ioannes Baptiſta Ceccottus, vix vllum tempus abſque oratione traducebat, & in matutino Officio duas omnino reponebat horas, & quaſi perpetuo lacrymas fundebat.

Ioannes Baptiſta Vvvens, communem omnibus orationem mane hora integra præuertebat.

Ioannes Bucellenus, per 30. annos quotidie præueniebat tempus ſurgendi, vt plus vacaret orationi, & vt plurimum proſtratus humi recitabat horas Canonicas coram Sanctiſſimo Sacramento.

Ioannes Euſebius Nieremberg, quaternas quotidie horas, dum Scholaſticus eſſet, poſtea etiam ſeptenas orationi dabat, ſurgebatque noctu vt liberiùs illi vacaret.

Ioannes Raphael Cobenzel, præter penſum Canonicum commune omnibus, quotidie legebat duo alia officia, de S. Euchariſtia, vel de Spiritu Sancto, & de S. Barbara, quam ſpeciali veneratione colebat.

Ioannes de Ribera, ſæpè noctes in oratione, & lacrymis ducebat, & cum eas haberet inſomnes per morbi moleſtias, conſueta tamen hora cum cæteris ad orandum ſurgebat.

Ioannes Roſenthal, quotidie ſenas, & quandoque octonas horas vacabat rerum diuinarum meditationi.

Ioannes Sebaſtianus Patricius, orabat per diem horas minimum 12. Nunquam præſentem Deum, de memoria deponebat. Exercitia ſpiritus ter quot annis obibat; poſtremoque anno per 40. dies ijs vacauit.

Ioſephus Anchieta, diuidebat ex æquo diei noctiſque ſpatia, ad precationem, & ad laborem, quiete breuiſſima humi carpta, & duro ligno, vel veprium faſce, Capiti ſuppoſito.

Iulius Mancinellus, multas orando horas traducebat genuflexus, & magna diligentia ſe ad id comparabat, ſed in ſacro ſi vſpiam alibi Diuina patiebatur.

Laurentius Muſonius, multus omninò in orando fuit, & extra operandi neceſſitatem, propemodum totus.

Leonardus Leſſius, nocte media ſolebat è ſtrato ſurge-

ſurgere, mox vnam, alteramue horam orando ducere.

Ludouicus Guzman, horas minimum duodenas, quotidie impendebat orationi, & omnia ſua conſilia cum Deo communicabat.

Ludouicus de Ponte, inflammatiſſima caritate ferebatur in Deum, multamque cum eo familiaritatem contraxit, quam diuturna oratione fouebat.

Maginus Pageſius, vnam horam quotidie antequam alij ſurgerent, orationi dabat.

Nicolaus Arnaya. noctis multas horas, & non rarò totam noctem orationi impendebat.

Paulus Hoffæus, mane ſurgens hora ante alios, per tres deinde horas meditationem ducebat.

Paulus Ioſephus de Arriaga, Deum ac cælites animo præſentes ſemper habebat, ac ſingulis horis eos venerabatur. Dies noctesque orabat nunquam otioſus.

Petrus de Anaſco, Somni parum capiebat, vt oraret prolixiùs, nec preces aliter, quàm ſtans, aut genibus flexis fundebat.

Petrus Iuſtinellus, in oratione tam potens ſui erat, vt nullis cogitationibus alienis diſtraheretur, & ex aſſidua conſuetudine cum Deo, nitebatur ex quouis obiecto in eius amorem ferri.

Petrus Ximenez, multum temporis quotidie contemplationi dabat, præſertim poſtremis vitæ annis, tanta mentis cum Deo coniunctione, vt ab vſu ſenſuum crederetur alienus.

Raphael Oller, vt orationi otium faceret, quaternis horis ſomnum definiebat.

Sebaſtianus Barradas, in oratione, extremis vitæ ſuæ annis, certum eſt duodenas horas, quotidie collocaſſe, tanta contentione animi vt non raro à ſenſibus externaretur.

Stephanus Tuccius, quinas horas quotidie precibus tribuebat, ſemper de genibus, in medio cubiculi, nullo ſubnixus fulcro.

Thomas Villacaſtin, vt diutius orationi vacaret, ad minimum horam vnam ſurgebat ante alios, etiam hyeme, per multos annos.

Vincentius Carafa, adhuc puer, in Paterna Domo, tres vel quatuor horas in ſacello domeſtico impendebat orationi, & in Societate dum Rector vel Prouincialis eſſet, viſus eſt ſæpè in cubiculo inter orandum multa luce fulgere, & aliquando à terra duos palmos eleuari.

Vincentius Faſſarus, à pueritia orationi deditus, Domi non rarò, quinque horas illi dabat, & in Societate quidquid temporis ſupererat, occupationibus ab obedientia impoſitis, orationi tribuebat.

§. VII.

Afflictatio, ſeu Caſtigatio Corporis Voluntaria.

S. Ignatius indutus ſacco, emendicato pane, & aqua victitans, aſpera catena, cilicioque carnem domabat, humi cubabat, & ferreis ſe flagellis Manreſæ per annum cruentabat. Poſtea etiam Generalis corpus aſperè tractabat; Somnum quaternis horis definiebat, cibi potuſque adeo parcus erat; vt guſtatum funditus perdidiſſe videretur.

Alexander Caprara, multus in orando, multus in ſe diuexando fuit, vt coercere oportuerit eius ardorem, ne cilicijs, & flagellis ſæuiret in ſe præter modum; Aeſtatem tolerabat in habitatione æſtuoſa, hyeme procul ab igni &c.

Alphonſus Rodriguez Sacerdos, quidquid ſenſibus aliquam afferebat voluptatem ſibi interdixit, & in victu, ſi quid guſtui ſuauius apponebatur, ita diluebat, vt ſaporem perderet, fructibus ad annos aliquot omnino abſtineret.

Alphonſus Rodriguez, Coadiutor corpus inedia, cilicio, verberibus, omnique pœnarum genere, impensè afflictauit. Eoque multa mortificatione adduxit ſe, vt quidquid corpori leuamen afferebat id ſibi moleſtiam parere affirmaret.

Alphonſus Sancius, Stoream humi abiectam pro lecto habuit, ſomnum breuiſſimum, cibum nonniſi ſemel in die, ſed contemplationem rerum cæleſtium propè iugem.

Antonius Ruiz de Montoya, in America immitiſſimè tractabat corpus ſuum perpetuis cilicijs, catenis, flagellationibus atrocibus, & aliquando per 40. dies, ſolo pane, & aqua victitauit.

Antonius Torres ad Conciones ſolebat acri diuerberatione corporis ſe comparare, & ſum cilicio indutus ſuggeſtum conſcendere.

Arnoldus Cathius bis quotidie ſæuiebat in ſe flagellis catenatis, nodo, aculeo, & radio ſæpè contextis, quibus frequens acceſſit ieiunium.

Bernardus Colnagus, catenis, cilicijs, flagellis, nocturnis vigilijs, longa inedia, mirum in modum ſe macerabat; Cineres etiam cibis inſpergebat, vepres tribuloſque contrectabat.

Conſtantinus Pulcherellus, longa, & moleſta phthyſi laborans, nullum tamen pene aſperitatis genus in ſe prætermittebat, ieiunando, humi cubando, informe lignum capiti ſupponendo, orationem producendo, & ſimilia.

Didacus de Torres Rubius, in Peruana, nunquam ad ſomnum culcitram, vel ſindones vſurpauit, niſi poſtremis diebus in morbo iuſſu Superiorum; quotidie cilicium induebat, & ſe ad ſanguinem plerumque flagellabat; vſque ad decrepitum ſenium, bis hebdomadatim ieiunabat, & ſimilia.

Dionyſius Petauius, adeo flagris in corpus ſæuiebat, vt ad vulnerum medelam adhiberi oportuerit Chirurgorum peritiam.

Elzearius d'Oraiſon, ſemper veſtitus dormiebat, nec vnquam ad ſomnum ſe componebat, quin priùs acriter ſe flagellaret.

Emanuel Almeida in cibo, & potu adeò parcus fuit, vt tota eius vita ieiunium continuum dici potuerit, quia præparcè prandebat, veſpere verò aut nihil, aut ad ſummum duos ficus ſumebat.

Emanuel Martins aſſumpto habitu Brachmanum Saniaſiorum in India Orientali, nunquam per annos 31. carnes, aut piſces comedit, etiam ex voto de licentia ſuperiorum nuncupato; nunquam veſtes exuit ad nocturnam quietem; Itinera faciebat pedes,& noctu ſæpiſſimè dormiebat humi, & perſi milia multa, ad obitum vſque tolerauit.

Engelbertus d'Hollanderus, inclementer corpus ſuum habuit, ſomnum non rarò in Tabula, vel pauimento captabat; cibi potuſque præparcus, ſæpè etiam extra ordinem, nullius fuit.

Ferdinandus de Mendoza, bis quotidie cædebat ſe flagellis, bis in hebdomada ieiunabat; Somno horas ſubducebat, vt orationi diutiùs vacaret.

Franciſcus Aguadus, flagris aculeatis ſemel atque iterum quotidie in ſe ſæuiebat; In lectulo aſſerem occultabat; Cilicia horrida, cingula acuminata, corpori applicabat,& id genus alia.

Franciſcus Arias mortificationem docuit, moribus magis quàm verbis, verè ſpeculum pœnitentiæ, & ſeuerus caſtigator corporis ſui.

S. Franciſcus Borgia, ad 20. annos geſtauit cilicium, flagellauit ſe ſæpe octingentis ictibus; cubabat diu ſper nudos aſſeres, edulijs abſcynthium, & amara admiſcebat, & his conſimilia.

Franciſcus Boutonus, per annos 12. paleas tantùm ad ſtratum adhibuit, ſolo pane,& hauſto ſemel in die iuris demenſo, victitauit.

Franciſcus Colin, in Inſula Mindorum famem, ſitim, vigilias multas per triennium tolerauit; lectus illi crates viminea; Somnus breuis; Victus diurnus pugillus orizæ, pura aqua coctus; & ſubinde piſcis, ſine vllo pane, aut vino.

Franciſcus Coſterus in ſe adeo ſeuerus, vt perpetuo cilicio, creberrimiſque flagris corpus attereret.

Franciſcus de Enzinas vexator inclemens ſui, ferreis ſetoſiſque cilicijs, cruentis flagellationibus, deſæuiebat in corpus; Ciborum delicias procul arcebat, ſola contentus oriza.

Franciſcus Folianus, præter cilicia & flagella latè ſonantia, vrticas nudo corpori applicabat; inambulabat ad Solem æſtate, aperto capite ad plures horas; & hyeme ſæuiente Aquilone, ſub dio, nudo capite conſiſtebat, imbres niueſque excipiebat.

Franciſcus de Mendoza, cibi ſomnique parciſſimus, vix cœnabat; nemo dum valuit, cubantem vidit. Quotidie flagris ſe concidebat, nec concionabatur niſi cilicio indutus, & morbus catena vinctum occupauit.

Franciſcus Suarez, Tres per hebdomadam dies ſeuerè inediam tolerabat, & quotidie dici poſſet ieiunaſſe, tàm parcè comedebat; ſingulis diebus immaniter flagris in ſe ſæuiebat æreo filo intextis, & lecto vtebatur duriore ad ſomnum.

S. Franciſcus Xauerius, Corpus ſuum ferreis flagellis adeo diuerberabat, vt ſæpè ſanguis copioſus efflueret; frequenter biduo triduoque ab omni prorſus cibo ſe abſtinebat, & ſomnum breuiſſimum carpebat humi, & his affinia alia multa.

Gaſpar Druzbicki, flagris, & cilicijs adeò inclementer tractabat corpus, vt in extremo morbo carnes miſerandum in modum laceræ apparuerint.

Hieronymus Lopez Granatenſis, pœnitentiæ operibus impensè deditus, vix comedebat, vix dormiebat, & breuicula tunica coloris fuſci, vix carnes nudas tegebat, vt admirandus, magis in ijs fuerit quàm imitandus.

Iacobus Aluarez de Paz, victu tam tenui fuit, vt quotidie dici poſſit ieiunaſſe; flagra, & cilicia etiam in affecta ætate, & valetudine frequens vſurpabat.

Iacobus Miro inediam ſæpè biduo triduoque extrahebat, ſæpè pane ſolo, & frigida definiebat. Cilicium geſtabat nodis hirtis intextum, aut ferri laminam cuſpidatam, & alia id genus plura vſurpabat.

Ignatius Balſamus, ieiunio bidui quauis hebdomada, præter abſtinentiam ſextæ feriæ ſe macerabat, & ad ſomnum veſtitus, incumbebat, præter alia his conſimilia.

Ignatius Martinez, quotidie ſe cædebat, vt aſſuetudine cilicij, & flagellorum corpus illi occalluerit.

Ioannes Argentus non veſcebatur, niſi ſemel in die; & pro lecto vrſi tergore vtebatur, egregius contemptor honoris, commodorum, Mundi, & ſui.

Ioannes Baptiſta Ceccottus, annos amplius quadraginta, vnico in die paſtu contentus fuit.

Ioannes Bucellenus macerabat ſe quotidianis flagris, chameunijs, abſtinentijs frequentibus, & ieiunijs; nulla manuum munimenta admittebat contra frigus hyeme, & ſedens non reclinabat corpus per 30. annos, etiam in minimis quærens ſuam mortificationem.

Ioannes Euſebius Nieremberg, aculeatis flagris cedebat ſe vſque ad ſanguinem, ſæpè totum corpus cilicio veſtiebat, & miris alijs modis ſeipſum cruciabat.

Ioannes Falco frequente cilicio vexabat ſe & flagellatione, quam ſemper concioni præmittebat; Voto ſe adſtrinxit nunquam ſe ſuo ſenſui obſecuturum in cibo & potu, ſed ſoli neceſſitati.

Ioannes Ferdinandus ſex totos annos humi decubuit, & ſingulis noctibus ſe verberabat; binas ternaſque horas in oratione conſumebat.

Ioannes Ledeſma, Mexici tam inclementer ſe flagellabat, vt omnia circumcirca ſanguine aſpergeret. Cilicio ferrato, & pectus, & tergum circumdabat, duris aſſeribus ad ſomnum incubabat, & his ſimilia.

Ioannes de Parijs, quotidie flagellis ſæuiebat in ſe præter armillas, cilicia, cingula cuſpidata, & alia id genus pœnitentiæ inſtrumenta.

Ioannes Rebellus, vſque ad extremum vitæ in ſingulos dies flagellatione vſus eſt; & interdum cruenta adeo, vt ſubducenda illi fuerint flagra aculeata, quibus carnem vlcerabat.

Ioannes Renaudianus, dum Prouincialis eſſet, Prouinciam obibat pedes, & ſæpè cilicio indutus; quotidie flagris ſe cædebat, ſomnum in palea vel nudo aſſere carpebat, & his affinia vſurpabat.

Ioannes Sebaſtianus Parricius, quotidie vtebatur cilicio, & ſolemnioribus diebus quadruplice, per annos 30. dormiebat humi, flagellabat ſe quotidie, & non rarò iterum ac tertiò.

Ioannes Suffren, adeo ſeuerus caſtigator ſui fuit, vt data fuerit poteſtas Socio Coadiutori temporali, moderandi eius nimiam auſteritatem.

Iodocus Andries prolixis flagellationibus dilacerabat ſuam carnem ad ſanguinem, & induſia cruore tincta, ſtudioſè lauabat, ne linteario id innoteſceret. Horrido ſemper vtebatur cilicio, vel cingulo aculeato, quibus etiam accinctus exibat foras ad aliquot milliaria, ad concionandum.

Iulianus Hayneufue, in alios clemens, durus & immiſericors ſibi totos 50. annos foco abſtinuit, quamuis ſæpè per hyemem prorſus obrigeſceret.

Iulius Mancinellus in ſe ipſo diuexando per flagella, per cilicia, catenas, per liquatam ceram guttatim in ſua membra ſtillantem, planè nimius, niſi Diuino Spiritu ductus in ijs fuerit.

Leonardus Leſſius, grauiſſimis cruciatibus morborum colicæ, calculi, herniæ, languentis ſtomachi, quibus torquebatur, flagellationes etiam voluntarias adijciebat, & crebra ieiunia, licet tota eius vita mera inedia appellari poſſit.

Ludouicus de Ponte, corpus ſuum omni genere ſeueritatis ita confecit, vt totos 36. annos, cum grauiſſimis morbis, & cruciatibus ſit conflictatus.

Michael de Eſpinoſa, ſibi vni inclementer rigidus, aſpero cilicio domabat corpus, dormiebat ſuper aſſerem, calceis lapillos ingerebat, tres dies per hebdomadam ieiunabat, & ſimilia.

Nicolaus Cuſanus in Miſſionibus totos crebrò menſes ſola frigida, & pulte auenacea, aut atri panis offula, vel caſei inſulſi fruſto, vitam traduxit. Somnum in ſtramine capiebat, & plerumque in horreo; chirothecis hyeme, contra frigus, nunquam per annos 32. vſus eſt.

Nicolaus Longobardus in Sinis quotidie etiam ſenex, flagellis ſe cædebat, nullo vnquam condimento in menſa vtebatur, nec ad ſomnum vlla culcitra.

Octauius Caietanus afflictationi corporis apprimè deditus, nudis aſſeribus ad ſomnum incubabat, quando ſui quodammodo iuris erat, & longa ſæpe flagellatione ſe cruentabat.

Paulus Ioſephus de Arriaga in Peruana, quotidie cilicio, & flagello ſe excruciabat, & à cibo ſubinde biduo, vel triduo prorſus abſtinebat.

Petrus de Anaſco, in Peruuio quotidie flagris in ſe ſæuiebat, in Miſſionibus Indorum vlcera curabat, ſaniem & vermes abſtergebat & ſubinde vt reluctantem naturam comprimeret, plenis patellis id genus ſordium hauriebat.

Petrus Antonius Spinellus, flagellis, & cilicio quotidie ſe afflictabat, quater per hebdomadam ieiunabat, & præterea per Aduentum, & in peruigilijs B. Virginis; Somnum vix quaternas horas capiebat, ſæpè humi, vel ſuper aſſere nudo.

Petrus Cottonus, bis per hebdomam ieiunabat, & præterea per Quadrageſimam licèt quotidianas haberet, & ſenex, Conciones.

Petrus Halloix, Cilicium per decennium, non amouit à corpore, poſtea iuſſus, commutauit id, cum cingulo cilicino per multos annos; ſub mediam noctem ſurgebat ad orandum, & ſe flagellandum, & ſomnum carpebat humi.

Petrus Sancius, vel in ſumma ſenectute, ſtatis vſus eſt flagellationibus matutinis, cibo parco, aqua ad potum, niſi morbus aliud poſce-

ſcebat, indumento vili.

Petrus Spiga in Sardinia corpus flagellis, cilicio, ieiunijs, omniſque generis maceratione vexabat, & fatigatum incommodis ad ſomnum duris aſſeribus veſtitum inſternebat.

Robertus Nobilius in India per 45. annos abſtinuit ab omni eſu carnium, vel piſcium, & ſolis herbis, leguminibus, lacticinijs, & oriza victitauit, vt ſic facilius Brachmannos ad Chriſti caulas adduceret, imo poſtremis vitæ annis etiam ab oriza, & lacticinijs abſtinuit.

Sebaſtianus Barradius ſæpè intempeſta nocte ſe flagellabat & quidem tertiò interpoſita oratione vnius horæ inter ſingulas diuerberationes. Lectum vrticis aliquando inſtrauit, cibi potuſque parciſſimus erat, & ex appoſitis viliora ſumebat.

Stephanus Tuccius multis annis indumenta nunquam exuit, niſi corporis diuerberandi cauſa; nudis aſſeribus vna inuolutus ſindone cubabat ad quietem; noctibus ſingulis acriter ſe verberabat, ab humeris vſque ad pedes; cilicinum thoracem geſtabat, & ſomno horas tantum quinas dabat.

Thomas Saillius, multa inedia ſe macerabat, præterea algore, humi cubatione, dira flagellatione, hirto cilicio, & cruce quinque cuſpidibus acutis aſperata, quàm continenter nudo pectori applicitam geſtabat.

Thomas Sanchez, ſemel in die ſub noctem capiebat cibum, quater in hebdomade, pane tantùm & oleribus vitam tolerabat. Tota Quadrageſima & Aduentu ad panem, nihil præter legumina, & fructus aridos adhibebat. In peruigilijs Chriſti, & B. Virginis, pane duntaxat & aqua ieiunabat, & his ſimilia alia.

Vincentius Carafa, adhuc puer in Paterna Domo, ter per hebdomadam ieiunabat,& ſabbata ſolo pane,& aqua tranſigebat. In Societate flagris, cilicijs, catenulis ferreis, & alijs id genus pœnitentiæ inſtrumentis mirum in modum ſe cruciabat.

§. VIII.

Cultus Sanctiſs. Euchariſtiæ.

S. Ignatius, Manreſæ in tirocinio vitæ perfectioris, cum ſacrificio Miſſæ intereſſet,& de more attolleretur à Sacerdote Hoſtia Sacroſancta, vidit apertiſſimè ſub illa ſpecie Chriſtum Deum verum, & Hominem verè contineri. Poſtea per totam vitam magno pietatis ardore proſecutus eſt Sac. Euchariſtiam, eiuſque frequentem vſum, & debitum cultum per ſe & Socios ſuos, vbique terrarum conatus eſt propagare.

Alphonſus Rodriquez Sacerdos, per biennium infirmus ante obitum, cum ſacrificare non poſſet, quotidie tamen cæleſti dape refici ſe curauit.

Antonius Almeida, antequam ſacris initiaretur, quoties permittebatur à Moderatoribus, Diuino Pane veſcebatur, & pro delicijs illi erat miniſtrare Sacrificanti,& Miſſæ quam creberrimè intereſſe.

Auguſtinus Canus Mexici, quotidie ſæpè interuiſebat S.Euchariſtiam, & binis terniſue Sacerdotibus litantibus, inſeruiebat.

Bernardinus Zanonius pane Angelorum ſe reficiebat quotidie, quoties ad aram facere per valetudinem ipſe non potuit.

Chriſtianus Mayer, mane è ſtrato ſtatim S. Euchariſtiam venerabundus adibat, tum quinquies vel ſepties interdiù reuiſebat.

Chriſtophorus Steborius, ægrotus cum ſacrum facere ipſe nequiret, quotidie Diuinum Cibum in Euchariſtia capeſſebat.

Didacus de Torres Bollus, tribus annis graui paralyſi laborans, quotidiana Epuli Diuini ſumptione dolores ſuos mitigabat.

Franciſcus Ayres, cum ob cæcitatem celebrare ampliùs non poſſet, quotidie cæleſti alimento animum paſcebat.

S. Franciſcus de Borgia, S.Euchariſtiam ſepties quotidie interuiſebat, nec vllum prætermiſit ſiue ſanus, ſiue æger diem, per multos annos, quin illam ſumeret. Ingrediens etiam in Eccleſiam, Diuino lumine internoſcebat ſtatim vbinam Euchariſtia eſſet.

Franciſcus Pauonus, ſumma veneratione proſequebatur Chriſtum in Sacra Hoſtia,& prohibitus morbo celebrare, quotidie Diuino pane Vires animi inſtaurabat.

Franciſcus Perez de Naiera, cum eſſet centum, & amplius annorum, nec Sacris operari poſſet, quotidie per aliquot annos ante obitum deſcendit in Templum, Sacrum audiuit, & S.Communionem ſumpſit,vſque ad ipſum diem, qua ſanctè obijt.

Gaſpar Tauſch in Bohemia cum per proſtratas vires rem Diuinam facere non poſſet, quotidie Cæleſti Epulo nutriri ſe curauit.

Goſuvinus Nickel,Generalis Societatis, aliquot annis ante obitum deſtitutus vſu pedum, quotidie deuehi ſe curauit ad Sacellum, vbi & Sacro interfuit, & Diuino Pane animum paſcebat.

Guilielmus de Vvael, primus in Belgium induxit vſum Communionis generalis,qualis vigebat tunc vigetque in Italia, magno Prouinciarum illarum bono.

Honoratus Niquet, Sacro quotidie ſolebat intereſſe, priuſquam ipſe celebraret, & poſt celebrationem ſuam,etiam alteri.

Iacobus Granadus Cultor eximius S.Euchariſtiæ varias ſolemnitates in eius honorem induxit Hiſpali.

Ioan-

Joannes Baptiſta Poſarellus, poſt Sacrificium à ſe oblatum, ternis alijs ſolebat intereſſe.

Joannes Deckerius, magno ardore venerationis ferebatur in Sacram Euchariſtiam, & quando ipſe per morbum litare non poterat, quotidie cæleſti alimento ſe ſuſtentabat.

Joannes Iacobus Curtzius, afflictus podagra, per aliquot annos, nec valens ſacrificare, ſacra Synaxi ſingulis diebus ſe reficiebat.

Joannes Raphaël Cobenzl, poſt Rem Diuinam à ſe peractam, duobus alijs Sacrificantibus intererat.

Iulius Mancinellus, Hoſtiam Conſecratam ab ægrotante regeſtam, conſtanter cum toto reiectamento reſorbuit, atque exinde in Sacro Diuinis conſolationibus redundabat.

Iuſtus Rabus, fractis viribus cùm ampliùs Sacris operari non poſſet, quotidie Diuina dape vires fulciebat.

Leonardus Leſſius, inter maximos morborum cruciatus, ſacrificabat quotidie, vel certè alteri Sacrificanti aderat, & Cæleſti epulo communicabat; nec vllum admittebat negotium, ante ſuum ſacrum, & poſt illud ſemi hora gratias agebat, & ſæpiùs interdiu vel æger, S. Euchariſtiam inuiſebat.

Lubertus Middendorff, pedum vſu priuatus, cum Sacram Hoſtiam litare nequiret, cæleſti epulo vires inſtaurabat.

Ludouicus de Ponte, erga S. Euchariſtiam tanto ferebatur affectu, vt integras ſæpe noctes inſomnes coram ea tranſigeret humi prouolutus; & interdiu frequentiſſimè ſalutaret.

Melchior Knab, in Germania quotidiè præter Sacrum quod celebrabat tria alia genibus connixus, audiuit.

Nonius da Cunha, menſibus aliquot ante obitum, quotidie Sacra Euchariſtia de manu Sacerdotis ſe reficiebat, quando languore virium prohibebatur ſacris operari.

Petrus Cottonus, Seſquihoraria Oratione comparabat ſe ad Diuinam Hoſtiam immolandam, & poſt illam gratias per ſemihoram agebat.

Petrus Scarga, quoad per Vires licuit, Sacris religioſiſſimè operatus eſt, æger quotidiè Sacra Synaxi ſe ſuſtentabat.

Petrus de Vrteaga, extremo biennio cùm per paralyſim litare non poſſet, aliena manu panem Angelorum quotidie manducabat.

Petrus Ximenez, inter ſacrificandum ſæpe debuit ſubſiſtere, præ abundantia Conſolationum Diuinarum, & poſt Sacrum ſuum duobus alijs ſolebat adeſſe, ad referendas Deo gratias.

Stanislaus Grodicius, beneficium conceſſum Sacerdotibus immolandi Deo Sacram Hoſtiam quotidie, nunquam ſatis admirabatur, & poſt Miſſam ſuam, in gratiarum actione horam ſolidam ponere ſolebat.

Theodorus Dulman, poſtremis vitæ ſuæ annis, cùm ad aram facere ampliùs non poſſet, quotidiana Synaxi vires ſuffulciebat.

Zacharias Trinkellius, cùm propter podagram aliaſque infirmitates prohiberetur ſæpiùs Rem Diuinam facere, nunquam tamen Cæleſti pano, vllo Die permiſit ſe priuari.

§. IX.

Cultus B. Virginis Mariæ.

S. Ignatius, in ipſo exordio ſuæ Conuerſionis, poſtquam Beatiſſima Virgo eximio fulgore nitens, cum filio IESV in vlnis, ſpectandam ſe illi aliquamdiu præbuiſſet, votum concepit perpetuæ Caſtitatis, obtulitque Deiparæ, atque ex eo die vſque ad extremum ſpiritum, intaminatæ mentis, & corporis donum habuit. Poſtea ad Deiparæ etiam aram, ſuſpenſis armis terrenæ militiæ, in ſpirituali ſub illius auſpicijs tirocinium poſuit, & per totam vitam ſpeciali eam veneratione coluit.

Ægidius Schondonchus, Cælites omnes, ſed imprimis B. Virginem, ſingulari affectu venerabatur. Illius Cultum modis omnibus promouebat, & ſingulis horis eam Salutatione Angelica venerabatur, audito horæ ſigno, &c.

Alexander Gottifredus, Cultui Beatæ Virginis à pueritia impensè addictus, Stellarium inter alia quotidie, ideſt, duodecies duodecim Salutationes Angelicas in eius honorem recitabat.

B. Aloyſius Gonzaga, Deiparæ monitu Societatem ſibi inter alias Religiones delegit, eamque ſpeciali ſemper Veneratione proſecutus eſt.

Alphonſus Rodriguez, Coadiutor, IESVM & MARIAM ſuos Amores nominabat; magna cum illis erat ei familiaritas, vt ei ſe ſpectabiles exhibere ſæpe dignati ambo fuerint.

Ambroſius de Pennaloſa, peculiari ſtudio B. Virginem colebat, & ter quotidie roſarium illius reuerenter percurrebat.

Andreas Pintus Ramirez, puer ſexennis, Votum Caſtitatis emiſit & B. Virgini dedicauit; eamque vt Matrem ſuam, nouis in dies obſequijs, per totam vitam colere non deſtitit.

Antonius Cordeſes, ſingulari cultu proſecutus Beatiſſimam Virginem, à qua viciſſim magnis beneficijs auctus eſt.

Antonius de Eſcobar & Mendoza, quotidiè prolixas

lixas preces fundebat de genibus, in honorem B. V. & in Sabbatis ac peruigilijs feſtorum illius ieiunabat.

Arnoldus Cathius, magno affectu in magnam Matrem fuit; in eius Laudes apprimè diſertus; ad eius Cultum paſſim omnes hortabatur; quotidie roſarium pertexebat & ſimilia.

Auguſtinus Canus, B.V. pro Matre ſua habebat, & in omni ſermone publico, vel priuato, ardore tanto celebrabat, vt eadem pietate alios accenderet.

Benedictus Fernandius, quàm fuerit ſtudioſus cultus B. Virginis ſatis teſtantur eius ſcripta, quæ omnia illi dicauit, nec vllam prætериuit lectionem quam eius encomijs non ornarit.

Blaſius Plozzynius, qua pietate flagrauerit in B. V. luculenter oſtendunt nuncupatio libelli, & libellus ipſe inſcriptus: Aureum monile, ſeu Manuale Marianum de modo piè colendi B. V. Mariam, &c.

Chriſtianus Mayer, B. Virginem quot horis Angelica Salutatione venerabatur, eius cultum, amorem, imitationem, omnibus impensè commendabat tanquam omnis perfectionis ideam.

Chriſtopborus de Vega, ardentiſſimo pietatis ſenſu ferebatur erga B. Virginem id quod abundè teſtantur libri ab illo editi.

Chriſtophorus Vvratislavv, eximius cultor B. V. omnibus conabatur pietatem erga ipſam inſtillare.

Claudius Aquauiua Generalis, B. Virginem, vt filius impensè colebat, ad illius opem in omnibus, nec fruſtra, confugiebat. Illi Societatem Filij ſui vnice commendabat, & ſimilia.

Cornelius Cornely à Lapide, B. Virgini ſe ſuaque omnia debere ſe profitebatur, à qua fuiſſet ad Societatem Filij vocatus, & in ea miro modo directus, adiutus, inſtructus; per eam Martyrij fieri compos poſtulabat.

Franciſcus Alphonſus, cultor inſignis B. Virginis per totam vitam; in vigilijs feſtorum illius, & diebus Sabbatinis ieiunabat, & in triclinio publice flagro ſe cædebat.

Franciſcus Coſterus, Deiparæ ſe dicebat infantulum à Parentibus fuiſſe conſecratum; in eius peruigilijs accuſabat ſe in publica cænatione Sociorum, pœnamque aliquam à ſe repetebat; Sodalitates eius honori primus erexit in Prouincijs, quibus præfuit; iiſque leges condidit, aliaque perſimilia multa præſtitit.

Franciſcus de Enzinas, Cultui B. Virginis impensè deditus, ieiunabat omnibus Sabbatis per annum, & in peruigilijs feſtorum illius arido pane & frigida ſe ſuſtentabat; ſæpe etiam nouendialia ad illam colendam inſtituebat & alia his affinia.

Franciſcus Sparacinus, ita addictus Venerationi Deiparæ, vt ad eam promouendam natus quodammodo videretur. Omnis eius cogitatio, cura, & ſermo, eò ſpectabant.

Franciſcus Suarez, in B. Virginem ardentiſſimo flagrabat affectu, eique ſuos in literis ſucceſſus referebat acceptos. Primus de cumulatiſſima illius gratia & gloria ſupra omnes Cælites collectim ſumptos, vulgauit ſententiam, quam plurimi poſtea ſecuti ſunt.

Franciſcus Toletus Cardinalis, ſtudioſiſſimus cultor Reginæ Cæli, Sabbato, pane & aqua etiam in purpura, victum ſuum definiebat; è Vaticano ad Ædem illius Eſquilinam pedes itabat quocunque tempore, ibique ſacrum faciebat; denique Dei Genitricem exigui ſui cenſus ſcripſit hæredem.

Franciſcus Turrianus, cultui Deiparæ impensè addictus, feſtum Præſentationis eius à B. Pio V. tanquam minus antiquum, ex Breuiario expunctum, eruditiſſimis ſuis ſcriptis curauit reſtitui, quam eius pietatem, Beatiſſima Virgo gratam habuit, atque vt in eo ipſo feſto die, ad beatiorem vitam tranſiret (vt par eſt credere) ſuis precibus impetrauit.

Gaſpar Savvicki, in B. Virginem eximiè pius, nullis negotijs patiebatur ſe quotidie ab ea ſalutanda Roſarij recitatione impediri; eiuſque honori promouendo, Sodalitium inſtituit, ex Iuuentute Academica Cracouiæ, euentu ſupra ſpem fortunato.

Guilielmus de Pretere, promouendo honori B. V. omnem induſtriam adhibuit; ad eius laudes decantandas, eiuſque Officium quotidie, recitandum, præter cætera obſequia, voti ſe religione obſtrinxit.

Guilielmus de Vvael, cultum Deiparæ conatus eſt varijs in Vrbibus Belgij propagare, inſtituta in Collegijs ſolemnitate publica peculiari ſub titulo Matris Miſericordiæ.

Hieronymus Florentia, Beatiſſimam Virginem veneratione præcipua colebat, eamque habuit ſeu Matrem. De illius laudibus magna voluptate dicebat, deditque in lucem Conciones de Excellentijs B. Virg. duobus Tomis.

Iacobus Granadus, B. Virginem impensè venerabatur, eiuſque in recitatione Roſarij ita ab ſe rapiebatur interdum, vt nec ad fores cubiculi pulſantem audierit.

Iacobus Rem, cultui Deiparæ Virginis ſingulariter addictus, eum multis modis conatus eſt dilatare.

Ioannes Antonius Velaſquez, religione præcipua colebat Auguſtam Dei Matrem, atque inter alia eius Roſarium quotidie per horam in Templo de genibus recitabat, nec ab eius laudi-

laudibus fere voce, libris, alijſque operibus, ceſſabat.

Ioannes Baptiſta Cancellottus, addictus admodum cultui B. Virginis, eius vitam & eius res geſtas, magno labore digeſſit in Annales, edidítque typis.

Ioannes Baptiſta Poſarel, tenerrimè erga B. Virginem affectus quotidie certas preces, & per hebdomadam abſtinentias, in eius honorem vſurpabat, atque alijs perſuadebat.

Ioannes Euſebius Nieremberg, in peruigilijs feſtorum B. Virginis ſolo pane & aqua ſe reficiebat, & de Excellentijs Deiparæ varia opera edidit.

Ioannes Fernandus, puer ſupplex fuit B. Virgine à Patre abſtraheretur à ſtudijs ad mercaturam, & obtinuit; prædixit inſuper Beata Virgo ipſum futurum de Societate, vnde Deiparæ ſtatim vouit perpetuam virginitatem.

Ioannes Paulus Fons, in B. Virginem ſingulari ſtudio ferebatur, ſeque voto pijſſimo obligauit, eius pietatis in homines propagandæ atque omni ope propugnandæ.

Ioſephus Scamacca, addictiſſimus B. Virgini nunquam ſuauiùs aut copioſiùs quàm de illa concionabatur. Arcuit illa aliquando Dæmonem ab acceſſu ad illum, cùm pridie quam de laudibus Virginis dicturus erat, cum Dæmon per noctem verberibus erat affecturus, niſi Virginis imperio prohibitus fuiſſet.

Leonardus Leſſius, cenſebat deuotionem in B. Virginem, & in Angelum Cuſtodem, ad perſeuerandum in Vocatione plurimùm valere, ideóque Litanias Virgineas quotidie recitabat, vt in Societate perduraret.

Paulus Ioſephus de Arriaga, conſcriptis tabulis B. Virgini ſe mancipauit, eiuſque Officium ſemper orabat, atque in peruigilijs feſtorum eius, & Sabbatis, adeò rigidè ieiunabat, vt per 40. horas nihil guſtaret.

Petrus de Anaſco, à puero ad B. Virginem in omnibus confugere ſolebat, iamque adultior, iuſſus ab ipſa eſt Societatem ingredi, vnde addictiſſimus illi tota vita fuit.

Petrus Antonius Spinellus, octennis è lecto, nudus ſe proripiebat, etiam hyeme, vt Officium B. V. perlegeret, eamque per totam vitam impenſiſſime coluit. Septies adiuit eius Ædem Lauretanam, aliquando pedes, & victu emendicato.

Sebaſtianus Barradas, propenſus medullitùs per totam ætatem fuit in B. Virginem, à qua putabatur monitus, vt iniret Societatem. Hinc eius cultum publicis, priuatiſque ſermonibus, conatus eſt omnibus ingenerare.

Touſſanus Bridoul, nihil vnquam negabat, quod ab eo poſtulabatur in honorem B. V. quam ſtudioſiſſime venerabatur.

Vincentius Caraſa, adhuc puer Sabbata omnia in honorem B. Virginis pane & frigida tranſigebat; eamque in Societate impenſiſſimè ſemper coluit.

Vitalis Theronus, octennis ſe B. Virgini tanquam Matri filium dedicauit, eiuſque cultui deditus ſummopere tota vita fuit.

§. X.

Pietas erga Defunctos in Purgatorio detentos.

S. Ignatius, impetrauit Priuilegium pro Societate à Summo Pontifice Iulio III. liberandi Animam è Purgatorio, offerendo pro illa Miſſæ Sacrificium.

Albertus Theobolcius, cum iunior didiciſſet, nullas preces, aut Deo gratiores, aut nobis eſſe ſalubriores iis, quæ fierent pro Defunctis, firmiter conſuetudinem orando pro illis toto deinde vitæ curſu, per annos circiter 40. retinuit.

Andreas Brunner, pro Animabus in Purgatorio multum orare ſolitus, ſi quid à Deo impetratum vellet, plerumque illarum ſuffragijs rem peragebat.

Chriſtophorus de Vega, nullum fere inchoabat opus, quin Animarum in Purgatorio inuocaret opem; & non rarò cecidit illi res fermè prodigioſè ex ſententia.

Iacobus Kellerus, Defunctorum animabus, qua poterat pietate ſuffragabatur, eaſque ſpectabiles habuiſſe fama eſt.

Iacobus Mumfordus, ſingulari pietate conabatur opitulari Animabus in Purgatorio, & omnium ſuorum bonorum operum partem ſatisfactoriam illis applicabat; & de Miſericordia ipſis à viuentibus exhibenda librum inſignem edidit.

Ioannes Rebellus, Animarum in Purgatorio aſſiduus auxiliator, vbicunque degebat populos pro concione, & aliàs hortabatur, vt ſuis precibus, ieiunijs, eleemoſynis, alijſque pijs operibus eis opem ferrent.

Ioannes Tellerus, oblato ea de re libello ſupplice Summo Pontifici Gregorio XIII. ſubſcripto ab omnibus Parochis Vrbis Romæ, auctor fuit, vt veſperi daretur ſignum per Vrbem orandi pro Defunctis.

Otho Zylius, quotidie conceptis Verbis Deo offerebat merita Chriſti & Sanctorum, & quæ ipſe eo die operaturus eſſet, in refrigerium Animarum Purgatorij.

§. XI.

§. XI.

Innocentia Vitæ, & Virginalis Caſtitas ad mortem vſque conſeruata.

In S. Ignatio, ſaltem à ſua Conuerſione nullum deprehenſum eſt dictum factumue quod cenſeri poſſet peccatum mortale, vti dicitur in Bulla Canonizationis; & omni plane ſenſu libidinis caruit.

B. Aloyſius Gonzaga, ab Ipſa pueritia perfectionem virtutis adeptus, eam perpetuis auxit incrementis, & à puritate paſſim Iuuenis Angelicus eſt appellatus.

Alphonſus de Aragonia, in Paraquaria operarius, virginitatem vſque ad mortem creditur ſeruaſſe illibatam.

Alphonſus Mendez, Patriarcha Æthiopiæ virginitatis decus ad ſepulchrum putatur intactum detuliſſe.

Antonium Cordeſes, magnæ ſanctitatis virum, conſtans opinio fuit baptiſmi gratiam nunquam deperdidiſſe.

Antonius Perez, cum prima ſtola gratiæ in baptiſmo acceptæ ex hac vita creditur migraſſe.

Bartholomæus Petraccius, cuſtoditæ virginitatis ad extremum vſque ſpiritum gloria nobilis.

Bernardus de Alderete, tantæ innocentiæ, vt lethalem noxam nunquam exiſtimetur admiſiſſe.

Bernardus Colnagus, Baptiſmi primam gratiam detuliſſe putatur ad ſepulchrum.

Chriſtiano Mayer, Virginalis caſtimoniæ flos, ad extremum ſpiritum ſteriſſe creditur illibatus.

Chriſtophorus Gillius, acceptam in baptiſmo gratiam cuſtodiuiſſe creditur vſque ad obitum.

Conſtantinus Syrvvid, innocentiam baptiſmatis, & florem virginitatis putatur nunquam amiſiſſe.

Didacus Gonzalez Holguinus, virginitatem, ad extremum ſeruaſſe creditur intaminatam.

Didacus de Samaniego, innocentiſſimæ fuit, & virginalis vitæ, quam nulla vnquam labes mortalis maculauit.

Fabius Ambroſius Spinola, primam gratiæ ſtolam in baptiſmo acceptam, tuliſſe putatur ad Tumulum.

Franciſcus Alphonſus, innocentiam baptiſmi, nulla mortali macula, exiſtimatur vnquam contaminaſſe.

Franciſcus Boutonus, Virginitatis puriſſimæ donum, à Deo creditur habuiſſe.

Franciſcus Coſterus, Virginitatem nulla vnquam cogitatione, aut indecoro motu oppugnatam, ipſe faſſus eſt aliquando ſe ſeruauiſſe.

Franciſcus de Mendoza, gemina aureola Virginis & Doctoris, decorus obijt.

Franciſcus Piccolomineus Generalis, lilium virginitatis creditur ſepulchro intuliſſe.

Franciſcus Scorſus, primum animi nitorem, in Baptiſmo acceptum ad mortem vſque putatur cuſtodiuiſſe.

Franciſcus de Smidt, Virginitatis decus ad extremum ſpiritum ſeruauit illæſum.

Gaſpar Ruiz, illibatam perpetuò coluit virginitatem.

Gaſpar Sanctius, innocentia vitæ, & virginali laurea, clarus.

Georgius Iuſtinianus, Virginitatis florem ad mortem creditur ſeruaſſe illæſum.

Georgius Scherer, Virginea pudicitia per totam vitam inſignis.

Guilielmus Schichel, Angelicam puritatem ad obitum vſque ſeruauit incontaminatam.

Guilielmus Staniburſtius, Virgineum candorem mentis, ad vitæ vſque exitum creditur cuſtodiuiſſe.

Hieronymus Germanus, Virginitatem ad mortem vſque fouiſſe exiſtimatur.

Iacobus Aluarez de Paz, Virginitatis florem ab omni vel minùs cautæ cogitationis næuo ſeruauit indemnem.

Iacobus Granadus, Baptiſmi ſtolam nullo vnquam grauiori crimine fœdatam excellentibus virtutibus exòrnauit.

Iacobus Rhem, innocentiæ & Virginitatis decus, detulit ad ſepulchrum.

Ioannes Baptiſta Ceccottus, nunquam prudens Deum vel veniali offendit noxa.

Ioannes Chevalier, Virginitatis lilium, ope B. Virginis ad mortem creditur ſeruaſſe illæſum.

Ioannes Deckerius, Virginitatis gloriam ad vitæ exitum ſeruauit illibatam.

Ioannes Pineda, Virginitatis decus multa Corporis maceratione cuſtodiuit integrum.

Ioannes Rhò, Virginem ſe, & ab omni grauiori labe purum à Baptiſmo creditur conſeruaſſe.

Ioannes de Ribera, Angelicam caſtitatem vſque ad mortem, tenuit.

Iodocus Andries, Virgo ad obitum vſque permanſit.

Ioſephi Anchieta, innocentia Baptiſmalis, varijs prodigijs confirmata.

Ioſephus Seamacca, hauſtam in Baptiſmo ſanctitatem nullo lethali crimine maculauit; nec virginitatis nitorem vlla corporis afflauit commotio.

Iulius Mancinellus, tam inſigni fuit innocentia, vt eam nulla vnquam grauiore culpa funeſtarit.

Leonardus Perinus, tanta fuit puritate vitæ, vt ne venia-

venialem quidem noxam paulo grauiorem deliberatè vnquam admiſerit.

Ludouicus de la Palma, quam accepit in Baptiſmo ſanctitatem nunquam prodegit.

Ludouicus de Ponte, nullum vnquam crimen lethale ſibi conſciuiſſe in comperto eſt, nec virginitatis decus contaminaſſe.

Martinus à Coenuelt, Virginitatis donum ad mortem ſeruauit integrum.

Paulus Ioſephus de Arriaga, Innocentiam acceptam in Baptiſmo, & Virginitatis florem, ad obitum vſque cuſtodiuit illæſa.

Petrus Antonius Spinellus, ſeptennis Deo Virginitatem vouit, eamque vſque ad exitum vitæ incontaminatam ſeruauit.

Petrus Cottonus, Virginitatis lilium ad extremum vſque ſpiritum ſeruauit illibatum.

Petro Spiga, ad mortem vſque Virginitatis decus ſtetiſſe creditur intaminatum.

Raphael Oller, acceptam in Baptiſmo primam gratiam acceſſionibus nouis vſque ad obitum auxit.

Thomas de Icuren, Virginale decus, quod naſcens acceperat, intuliſſe creditur in ſepulchrum.

Thomas Sanchez, Vitæ puriſſimæ, innocentiſſimeque actæ fuit, & nulla vnquam grauiori labe contaminatæ.

Vincentius Carafa, à puero tanta puritate & innocentia vitæ fuit, vt iam tum Angelus in carne & in Societate alter Aloyſius Gonzaga appellaretur.

§. XII.

Paupertatis Religioſæ Amor eximius.

S. Ignatius, quàm tenerè amauerit ſanctam Paupertatem vel inde liquet quòd illam præſcripſerit diligendam eſſe ab omnibus Suis tanquam Matrem, & cuſtodiendam tanquam murum firmum & propugnaculum Religionis. Præterea ſanxit, vt non ſolum Domus Profeſſæ nullos poſſent habere reditus, ſed nec earum Sacriſtiæ, & vt non ſolum eſſent incapaces omnis hæreditariæ ſucceſſionis Profeſſi omnes, & Coadiutores formati, ſed nec illorum ratione vlla Collegia ſiue Domus, quæ tamen non ſunt prohibita in alijs pleriſque Ordinibus Religioſis.

Alexander Faya, in America, Tam exactæ ad religioſam paupertatem contentionis fuit, vt idem thorax illi ad vicennium, colobium etiam ad tricennium ſuffecerit.

Alexander Gottifredus, in cubiculo & veſtitu fugiebat quidquid ſplendoris aliquid habebat; & obſoletis veſtibus libenter vtebatur.

Alexander Simoneta, ex amore paupertatis, in chartis reiectaneis ſcribebat ſuas lucubrationes; & in menſa analectis, fruſtiſque panis relictis ab alijs, communiter veſcebatur.

Alphonſus de Aragona, radicibus ferè & leguminibus diu victitauit, veſtiebatque ſe amictu lacero, & tota ſupellex erant pauculæ è papyro imagines, ad pietatem Neophytorum fouendam, opportunæ.

Alphonſus de Sandoual, quamuis Superior, vel Procurator, per 40. annos in eodem Collegio, vilibus pannis tectus, nullum ornamentum admittebat in Cubiculum, in quo aliud nihil habebat præter ligneam Crucem, breuiarium & librum Spiritualem, & libros quos ipſe elucubrabat.

Auguſtinus de Quiros, Paupertatem, ſuas delicias, appellabat; attrita veſte fere vtebatur, nec vllum habuit pallium, ſuis vſibus aſſignatum, etiam cum Prouincialis Mexici eſſet, ſed paſſim obuium aſſumebat, & nauigaturus ex Hiſpania Mexicum, non admiſit pallium quod dabatur.

Claudius Iaius, in vſu frequenti Magnatum detrito vilique cultu comparebat, nec quidquam admittebat etiamſi multa offerrentur, ne paupertatis ſuæ decora minueret.

Didacus Monterus, ſine pallio per Vrbem ſubinde ſequebatur obſonatorem, & ad aliorum Religioſorum domos inter mendicos capiebat cibum.

Didacus de Samaniego, Paupertatis tam amans fuit, vt nihil vnquam vel in ſumma neceſſitate poſtulauerit, atque vna veſte totis annis 33. vſus fuerit.

Emanuel Almeida, Viſitator in India, & Æthiopia, viliſſimis veſtibus induebatur, nec vnquam admittebat munera pretioſa.

Emanuel Martins, paupertatem extremam in delicijs habuit. Apud morientem in India nihil repertum, niſi Crux lignea, Imaguncula B. Virginis, & Breuiarium attritum.

Euerardus Mercurianus, paupertatis amator tantus, vt lacrymari viſus ſit, quando iubebatur nouum amictum induere; Prouinciam ſemper, cum Prouincialis eſſet, obibat pedes, & ad diuerſoria tenuiſſima declinabat.

S. Franciſcus Borgia, pauperum more, humi vel ſuper aſſeres ſæpè dormiebat; pane & aqua tantùm crebrò ſe ſuſtentabat; nouas veſtes non admittebat, & laceras ſua manu non rarò reficiebat.

Franciſcus Sacchinus, ſtudio paupertatis in reiectaneis chartis ſcribebat multa; toto ſeptennio quo Secretarius Societatis fuit, vnis calceis, gemino vſus eſt calamo.

S. Franciſcus Xauerius, veſtibus adeo pannoſis

ſis vtebatur, vt quandoque pueris deridiculo fuerit; & iturus in Indiam quamuis Prætor Regius plurima pro viatico, & in ſubſidium tam longi itineris parauerat, nunquam adduci potuit, vt quidquam præter centonem viliſſimum admitteret; & in naui, ſuper funem nauticum dormiebat, atque emendicato viuebat.

Georgius Tyskieuicius, amore paupertatis, victu tenui, ſupellectile exigua, veſte ſemper curta & vili vtebatur.

Ignatius Balſamus, in amictu & ſtrato, obſoletiora ſectabatur, & correptus aliquando, quod in accipienda noua veſte fuiſſet in mora, precibus impetrauit, vt vetus ipſi relinqueretur.

Ioannes Antonius Xarque, paupertatis cultor inſignis, aliam ſupellectilem in cubiculo habere noluit, præter effigiem chartaceam Chriſti Crucifixi.

Ioannes Ferdinandus, veſtibus non niſi depoſitis ab alijs vtebatur; interulæ verò eius ita laceræ erant, vt ne mendicis quidem veſtiendis aptæ eſſent.

Ioannes à Gouda, nihil ornamenti admittebat in ſuum cubiculum, & calamo vno vſus eſt toto decennio.

Ioannes Pineda, paupertatem impenſè coluit, & veſtitu tam attrito & vili ſe amiciebat, vt ne tironi quidem aptus fuerit is, quem poſtremum geſſit.

Ioannes Suffrenus, cum Regi Galliæ à Sacris Confeſſionibus eſſet, nunquam attingere voluit penſionem, quam Rex iubebat ex ærario ſuo in eius ſuſtentationem quotannis ſolui.

Iodocus Andries, ſtudio paupertatis diſſuaſit Nobili Matronæ offerenti ſe ad fundandum cenſum annuum ſcutorum centum, qui ipſum ſequeretur de Collegio in Collegium, quocunque migraret, & non admiſit.

Laurentius Maſonius, deteriora cæteris omnibus, ſibi ad vſum depoſcebat, veſtes obſoletas, & reſartas ambiebat, nouas refugiebat & ſimilia.

Ludouicus Bertonius, tam amans paupertatis fuit, vt totos 40. Annos vno pallio vſus ſit, quod ex Europa ſecum detulerat in Peruuium.

Ludouicus Guzman, quoties cubiculum iubebatur mutare, ne imaginem quidem vllam ſecum efferre voluit.

Ludouicus Molina, quamuis ſenex, & laboribus conſumptus, ex amore paupertatis, nunquam paſſus eſt ſibi quidquam vltra communem victum, veſtitumque dari, nec in cubiculo habuit quidquam præ quolibet fratrum præter Imaginem depictam, & libros.

Ludouicus de Schildere, in rebus humanæ vitæ neceſſarijs, nihil admittebat ſplendidum, aut ſuperfluum.

Michaël de Eſpinoſa, lauta & elegantia recuſabat; & in demortui cubiculo nihil repertum præter pauculas icunculas, ad breuiarij diſcrimina datas.

Paulus Ioſephus Arriaga, quamuis Rector in Collegio bene inſtructo, patiebatur ſibi ſæpe deeſſe neceſſaria, geſtabat detrita, reſarta, & calceos ab alijs depoſitos; Nauigaturus ex Peruuio in Europam, non admiſit lectum in Nauim, ſed tormento bellico, ſomnum capturus, ſe applicabat, & his conſimilia.

Petrus Ægydius, recuſauit ſequi in Siciliam, Proregem, cui fuerat à confeſſionibus, niſi liceret ſibi ſuas laceras veſtes retinere. Totis 30. annis detritum palliolum in itineribus per Hiſpaniam, Italiam, Galliam, geſtauit, & galerum à ſe ſæpius reſartum, & Rector ſubditorum exuuijs, ſe tegebat.

Petrus Antonius Spinellus, paupertatis cultor egregius, ſemper attritis reſartiſque veſtibus vtebatur, veſtem vnam internam totos 18. annos ſæpius refectam geſtauit: calceos vnos totum quinquennium.

Petrus Dagonellus, Paupertatem vt Matrem diligebat, & in ſupellectile defuncti, nihil repertum præter vilia conſpicilia, & breuiarium, commodatò acceptum.

Petrus Salernus, ex ampliſſimo patrimonio, quod donauit Collegio Panormitano, nec obolum paſſus eſt conuerti in vſus ſuos, & tota ſupellex in cubiculo præter libros ſtudijs neceſſarios, fuit vna imago papyracea.

Petrus Spiga, etiam ægrotus nihil deliciarum admiſit. Truncus illi pro ceruicali erat, neque in ſupremo morbo ceruicali alio vti voluit, veſtes eius omnes attritæ, & eundem thoracem lineum, annis 24. geſtauit.

Rodericus de Arriaga, inter amatores Paupertatis non poſtremus, geſtauit vnam interulam annis 26.; pectorale goſſipinum annis 50. lectiones in Scholis dictandas ſcribebat in chartis reiectaneis.

Sebaſtianus Barradas, nihil noui indumenti admittebat, niſi iuſſus à Superioribus; tota quam moriens reliquit ſupellex, tam lacera, & vilis fuit vt nullus mendicorum, pluribus centonibus infarcinatus eſſe potuerit.

Turriani le Febure, morientis Supellex tota erat, ſedicula, menſa inornata, lectulus, ſine vllis linteaminibus, quem ſemper ſubibat indutus.

Valentinus Mangionius, Theologus Sacræ Pœnitentiariæ cùm ex indulto Pontificio diſponere poſſet per annos 25. de penſione annexa illi officio, nunquam vel teruncium in ſuum commodum expendit.

§. XIII.

Obedientiæ Alacritas, & Vis.

S. Ignatius, alacritatem Obedientiæ, etiam cæcæ plurimum commendat Suis in aurea ſua Epiſtola de Obedientia, & cùm ille nullum haberet in Societatem Superiorem cui obtemperaret, præter Summos Pontifices, ad horum nutum paratus erat, ſine vllo Viatico, innixus bacillo pergere quocunque iuberetur etiam ad Indos, & male cohærenti nauigio, velis remiſque nudo, ſe committere. Extant præterea mira Illius etiam erga Medicum Corporalem in ſuis morbis obſequij exempla.

Alphonſus Rodriguez, Coadiutor temporalis, iuſſus à Superiore experimenti cauſa, proficiſci in Indiam, ſtatim ne pallio quidem aſſumpto, contendit ad ianuam Collegij, vt ſe in viam daret.

Idem Alphonſus, tempore concionis Rectori ſuo interuenienti aſſurgens, iuſſuſque vrbanitatis cauſa ne ſe loco moueret, ibi ſedit immotus, etiam tempore prandij, donec perquiſitus, inde auocaretur.

Gaſpar Tauſch, quàm obediens eſſet, oſtendit in morbo, oblatam ſibi medicinam à qua vehementer natura abhorrebat, non vno tractu, ſed vt magis ſeipſum vinceret, ſorbillando paulatim exhauſit.

Ignatius Balſamus, ad quemlibet Obedientiæ nutum omnia abrumpebat, & ſumma animi æquitate, quocunque vocabatur accurrebat.

Ioannes Franciſcus Araldus, potum frigidæ, quem ſui corporis ſaluti obfuturum metuebat, ſumpſit alacriter ex obedientia, ſenſitque dein ſibi profuiſſe ad ſanitatem.

Ioannes Vvaels, Superiores ſuos, vt mortales Angelos venerabatur, eorumque nutus ſollicitè aucupabatur, ſæpeque præueniebat, & poſtrema vitæ periodo nunquam ſe ad quietem componebat, quin prius benedictionem à Superiore impetraſſet.

Petrus Ægidius, ad primos Ianitoris vel Æditui nutus paratus, quocunque vocaretur conferebat ſe, occupationum etiam grauiſſimarum filo abrupto.

Petrus de Anaſco, tria ſibi habebat præ cæteris in commentarijs ſuis commendata, videlicet, Obedientiam, Orationem, & ſui ipſius Contemptum.

Petrus de Vrteaga, adhuc candidatus Societatis, iuſſus à Prouinciali ad oſtendendum ſpecimen ſuæ obedientiæ, præcipitem ſe per ſcalas deuoluere, ſtatim procubuit humi & ſe deuoluiſſet, niſi inhibitus fuiſſet.

Thomas le Blanc, in vltimo diſcrimine vitæ poſitus, quamuis perſuaſum haberet moriendum ſibi eſſe, ſi Medicis in ſectione venæ morem gereret, tamen alacriter paruit dicendo: *Moriamur quando Deo ita viſum eſt*, atque ita vita excedens, præclaro illam concluſit obedientiæ erga Medicos exemplo.

§. XIV.

Vota Varia Priuata, ſponte de licentia Superiorum emiſſa.

Bartholomæus Mocantus, inter cætera pietatis præſidia, voto ſe obligauit, nullos legendi libros, niſi pios.

Didacus Aloyſius Sanuitores, in graui morbo de licentia Superioris, vouit ſe Reliquum vitæ quam Deus daturus eſſet, in Miniſterio Miſſionum inter Infideles, vel Fideles, pro vt placeret Superioribus, expenſurum, idque conceptis verbis coram Sanctiſſimo Sacramento. Poſtea inter Infideles mortem pro Chriſto ſubijt.

Emanuel Martins, de licentia Superiorum in India, voto ſe obſtrinxit nunquam comedendi carnes, vel piſces more Brachmanorum in India, vt hos facilius ad Chriſtum pertraheret.

Gualterus Paullus, adhuc nouitius voto ſe obligauit ad Orationem mentalem per horam, & ad Examina per ſemihoram quotidie, iuxta regulam, per totam vitam, nec vnquam abſolui petijt ab hoc voto, niſi fractus doloribus in extrema ætate.

Guilielmus de Pretere, voto ſe obſtrinxit ad officium B. Virginis quotidie recitandum, præter alia obſequia.

Hermannus Hugo, vouit Deo ita ſe velle exercere caritatem in proximum, vt nulli ſubtraheret officia, quæ ipſe præſtare poſſet.

Ioannes Falco, voto ſpopondit Deo nunquam ſe ſuo ſenſui, in cibo & potu, obſecuturum, ſed ſoli neceſſitati.

Ioannes le Peſſier, voto conceptis verbis ſe obſtrinxit, nihil ſe acturum vnquam, quod Diuinæ Gloriæ repugnaret; imò acturum ſemper quidquid ex maiore Dei gloria futurum iudicaret.

Ludouicus de Ponte, vigeſimo ante obitum anno votum concepit, nullum ſe animo deliberato peccatum quantumuis leue, admiſſurum. Et ex eo tempore nihil in ipſo notari potuit, quod conſtaret eſſe capax reprehenſionis.

Martinus Couureur, votum concepit impendendi ſe totum, quantum per obedientiam liceret, in Miſſiones, Catechiſmos, & in ægrorum, afflictorum, agonizantium, maximè pauperum, curam, ſubſidium & ſolatium.

Paulus Ioſephus de Arriaga, voto ſe obſtrinxit ad docendas literas humaniores per totam vitam, ſi per Superiores liceret.

Petrus Dagonellus, ſeptimo ante obitum anno votum emiſit, impendendi ſe quamdiu liceret per Superiores, Miſſionibus per agros obeundis, vinctis in Carcere viſitandis, ægrotis in Noſocomio conſolandis, & præſtitit accuratè.

Petrus Sanctius, vouit ſe, quantum in ipſo erat, per totam vitam obſonatori, vel coquo in Societate famulaturum.

Robertus Nobilius, de licentia Superiorum voto ſe adſtrinxit ad auſteritatem vitæ, nunquam comedendi carnes, vel piſces, more Brachmanorum in India, vt hos facilius ad Chriſti fidem alliceret.

§. XV.

Humilitatis ſanctæ, & ſuimet depreſſionis Studium.

S. Ignatius, ex amore humilitatis in exordio Societatis recuſauit quoad potuit acerrimè Generalatum, & coactus ſubire, poſt multos annos geſti Magiſtratus conatus eſt illo omnibus viribus ſe abdicare; ſed fruſtra. Dum Generalis eſſet, ita demiſſe atque humiliter de rebus ſuis ſentiebat, vt ſe omnium mortalium infimum, & opis Diuinæ maximè egentem reputaret. Quin & in ipſa morte non conuocatis ad ſe filijs quibus extremam benedictionem impertiret, inſigne humilitatis exemplum iiſdem reliquit.

Andreas Ouiedus, quamuis Epiſcopus iam conſecratus, ſtetit tamen in ordine inſtar aliorum; in triclinio cibos accumbentibus apponebat vt reliqui; coquinæ officia obibat, ſternebat ægrotis lectum; verrebat domum; peregre aduenientibus pedes abluebat; viſitauit loco Epiſcopi, diœceſim Eborenſem in Luſitania, ſed pedeſter, atque ipſe ſibi Miniſter, & famulus.

Antonius de Padilla, ex Magnatibus Hiſpaniæ, Nouitius Societatis, viliſſima indutus lacerna ibat cum obſonatore ad forum, vt carnes in humeris, exta referret in manibus, & ſic excultus, ad faſtigium euaſit humilitatis.

Auguſtinus de Quiros, quoties Collegium aliquod Prouincialis viſitabat, in triclinio, & culina, miniſtrabat, coram Socijs; de culpis ſe accuſabat; victum ab accumbentibus emendicabat, & his perſimilia.

Bernardus Colnagus, amore humilitatis, iumentorum ſtabula purgare, gallinarij curam gerere, ſe peccatorem ac pecudem ſæpe vocare atque ex animo cenſere, ſolebat.

Blaſius Plozzinius, quo tempore Philoſophiam vel Theologiam profitebatur in Polonia, Coadiutorum Temporalium officia ſedulò obibat.

Chriſtophorus Gillius, cùm Theologiam doceret Conimbricæ, ſui deprimendi gratia, mendicis in pulla veſte ſe inſeruit, atque cum ijs ſtipem ad ianuam accepit, comedit, & bibit.

Engelbertus D'Hollanderus, oblatum ſibi gradum Profeſſionis 4. votorum, ex humilitate obnixè detrectauit, & Coadiutoribus Spiritualibus adſcriptus eſt.

Franciſcus Folianus, viliſſima Laicorum officia obibat alacriter, purgabat foricas, culinaria ſeruitia præſtabat, & his conſimilia.

S. Franciſcus Xauerius, etſi eſſet Nuntius Apoſtolicus in India, ſtudioſè tamen dignitatem occultauit; nec niſi ſemel & coactus, poteſtate illa vſus eſt, ſed ad infima quæque ſe demittens tam in Nauibus, quam in Noſocomijs, indefeſſa caritate ægrotis in viliſſimis miniſterijs noctu diuque inſeruiebat.

Guilielmus à Metternich, Sacerdos, & Nouitius, cùm propter continuos dolores capitis, dubitaretur an ſtudijs in Societate futurus eſſet idoneus, petiuit infimis Coadiutorum temporalium officijs, in Societate addici potius, quam ab illa dimitti.

Hieronymus Domeneccus, tanta animi ſubmiſſione erat, vt infeſtos è corporibus ſpiritus exturbaret, vociferantes reniti ſe non poſſe ipſius manſuetudini.

Hieronymus Florentia, inuitatus ſæpe à Rege Catholico Philippo III. vt aliquid è ſe peteret, hoc vnum & præterea nihil flagitauit, vt Societati ſuum præſidium præſtaret.

Ioannes Antonius Velaſquez, iuſſus à Philippo III. Rege Hiſpaniarum (cui pergratus erat) ſingulis hebdomadis confidenter ad ſe accedere, ſtudio humilitatis ſe excuſauit.

Ioannes Arnoux, munus Concionatoris & Confeſſarij Regis Chriſtianiſſimi Ludouici XIII. ea lege admiſit, vt liceret ſibi ſtatim ab aula recedere, ſi qua mentis fieret, de ipſo ad Infulas aliquas euehendo.

Ioannes Grothaus, degens in aula Epiſcopi, & Principis Paderbornenſis, cui erat à Sacris Confeſſionibus, humilitatis amore ad infima aulæ ſeruitia ſe demittebat vltrò; ſcopis purgando immunda loca, ligna comportando ad hypocauſtum, & his affinia complura.

Ludouicus Richeomus, octogenarius, & pedum vſu deſtitutus, tamen curabat ſe deferri in culinam ad abſtergendas digitis quantumuis trementibus patinas, ollas, & ſimilia.

Martinus de Cygne, poſt traditam Rhetoricam decen-

decennio, & Præfecturam geſtam ſtudiorum, petiuit enixè docere iterum Rudimentarios, animo impendendi ſe illi miniſterio vſque ad mortem. Et obtinuit donec morbo abſiſtere coactus eſt.

Nicolaus Cichonius, ſub initium vitæ Religioſæ petiuit adſcribi Coadiutoribus temporalibus, & triennio functus eſt officio Ianitoris; poſtea, cum laude docuit Philoſophiam, & Theologiam, & varia typis dedit.

Paulus Ioſephus de Arriaga, oblatum ſibi gradum inter Profeſſos IV. votorum amore humilitatis, recuſauit, & dum Rector eſſet Coadiutorum temporalium officia, identidem obibat.

Petrus Ægidius, cùm Prouincialis eſſet Aragoniæ, non minùs diligenter catecheſi tradendæ, & Confeſſionibus audiendis vacabat, quam ſi illud vnum ex officio ageret; & vniuerſim libenter obibat munera in quibus demiſſionis, & laborum ditior ſeges eſſet.

Petrus de Anaſco, inter alia quæ curanda ſibi ſcripto annotauerat, fuit, Annihilatio & contemptio ſui ipſius, quò omnes eius exercitationes & cogitationes, coniunctæ cum rigida corporis caſtigatione, dirigendæ erant.

Petrus Antonius Spinellus, ex Ducibus Seminaræ, tyro in Societate, exibat foras per Vrbem, ſine pallio, onuſtus cophino & obſonatorem ſequens, domum baiulabat, quæ ille coëmiſſet; & cùm Rector eſſet Neapoli, ter per hebdomadam fæcem plebis, & pueros, conuocabat, catecheſi à ſe inſtituendos.

Petrus Dagonellus, poſt traditam Philoſophiam, & ſexagenario maior, obtinuit à Superioribus munus docendi Grammaticam per triennium, & Officium Ianitoris tempore vacationum.

Sebaſtianus Morales, conſecratus iam Epiſcopus Iaponiæ, dum eò tenderet, ægrotis in naui qua vehebatur, per incredibilem contemptum ſui, ſumma caritate & humilitate, omne genus obſequij præſtabat; donec labore victus occumberet.

Valerius Reginaldus, humili loco natus, ſæpe in ore habebat, ſe poſt fœtantes acceptum eſſe; vt ſe omni honoris ſpecie indignum ſignificaret.

Vincentius Carafa, dum Theologiæ ſtuderet quamuis præſtanti eſſet ingenio, tamen ex amore humilitatis enixè petiuit à Superioribus abſtrahi à ſtudijs, & Coadiutoribus temporalibus aggregari.

Zacharias Trinkellius, poſt Philoſophiam in Græcenſi Academia cum plauſu traditam, obtinuit à Superioribus, vt ibidem ad infimam Scholam Grammaticæ docendam, applicaretur.

§. XVI.

Perpeſſio Carcerum, vel grauium Incommodorum, aut etiam Mortis pro Chriſto.

S. Ignatius, ante inſtitutam Societatem, bis carcerem innocenter paſſus, ſemel ad publicum Virgarum ſupplicium ſine cauſa damnatus, ſæpius grauiſſimis de criminibus etiam poſt initam Societatem per calumniam accuſatus, omnia æquo animo ad exemplum Seruatoris ſedatiſſimè ſuſtinuit.

Alexander Briantus, captus ab Hæreticis in Anglia & in carcerem compactus, infixas manibus pedibuſque aciculas, & equuleum, ter paſſus, pro Tortoribus Deum orauit, & mortem pro fide Catholica conſtanter ſubijt.

Alexander Georgius, per calumniam de Regis nece in Gallia detruſus in ergaſtulum, & aſperrima fortiter paſſus, ipſos ſuos oppugnatores reddidit ſalutis ſuæ vindices.

Alphonſus Mendez, Patriarcha Æthiopiæ, comprehenſus à Turcis, & in vincula coniectus, multas ærumnas per annum perpeſſus eſt.

Alphonſus Vagnonius, & Aluarus Semedus, in Sinis ignominioſè raptati in carcerem, & baculis crudeliter cæſi, tum incluſi arctis caueis portatilibus, à lictoribus longiſſimo tractu per octo menſes deportati ſunt Macaum vſque in exilium.

Ambroſius Vveltherus, comprehenſus à Suecis Hæreticis in Liuonia, carcerem, inediam, & ſexcenta incommoda, per quinquennium ſuſtinuit.

Andreas Brunner, ſub Suecis in Bauaria, inter obſides pacis per triennium, multa incommoda conſtanter tolerauit.

Andreas Gualdanius, ex Æthiopia miſſus in Indiam & captus à Turcis, horrendum in modum, in odium fidei ab his eſt trucidatus.

Andreas Ouiedus, Patriarcha Æthiopiæ, ſub duobus Regibus Schiſmaticis, plurimas ærumnas, & exilium conſtantia admirabili tolerauit.

Andreas Vitus, comprehenſus in Marilandia ab Hæreticis, & abductus in Angliam, ibi carcerem, & alia incommoda plurima perpeſſus.

Balthaſar Gagus, in Iaponia captus ab hoſtibus fidei, exutus veſtibus, & nudus in obſcurum carcerem detruſus, multa duriſſima pro Chriſto ſuſtinuit.

Blaſius

Blaſius Vayllo à Turcis abductus in ſeruitutem cum nouem Socijs ; multa in illa captiuitate præclarè egit, & repræſentato lytro, aliquamdiù vltrò permanſit, vt alium detentum à Barbaris in libertatem aſſereret.

Camillus Conſtantius in Iaponia, carcerem, inediam & alia duriſſima paſſus, tandem alligatus ad palum in odium fidei, igne crematus eſt.

Chriſtophorus Pflaumer ab Hæreticis interceptus, Norimbergæ ſex menſibus carcere, & ærumnis varijs vexatus.

Chriſtophorus à Sacroboſco, comprehenſus ab Hæreticis in Anglia, carcerem & alia plurima incommoda, conſtanter ſuſtinuit.

Chriſtophorus Steborius, abductus in captiuitatem à Suecis in Germania, ludibria, carceres, calumnias, & his affinia permulta hilari animo tolerauit.

Didacus Aloyſius de San Vitores, dum Chriſti fidem prædicaret in Inſulis Marianis transfixus lancea, glorioſam pro Chriſto mortem ſubijt.

Didacus de Pantoia in Sinis, multa & grauia tolerauit, verberibus male exceptus, & tandem Regno proſcriptus eſt.

Edmundus Campianus in Anglia, ab Hæreticis, tormentis dilaniatus, ad patibulum raptatus, ſuſpenſus, & ſemiuiuus in partes diſſectus, in odium fidei Catholicæ, glorioſo agone vitam terminauit.

Edmundus Neuillus in Anglia interceptus ab hoſtibus fidei, vincula, famem, & multa perpeſſu aſpera, tamquam ſuſpectus de Sacerdotio, fortiter tolerauit.

Emanuel Martins in India Orientali, ab Infidelibus quater in carcerem detruſus, bis atrociter cæſus, & alia permulta pro Chriſto ſuſtinuit.

Franciſcus Bontonus Conſtantinopoli, in tetrum carcerem cum Socijs compactus, vt hos liberaret, ipſe pignoris loco remanere ibidem ſuo periculo voluit. & ad multos menſes in cuſtodia retentus eſt.

Franciſcus de Enzinar incidens in manus Hæreticorum, duriſſimam apud illos ſeruiuit ſeruitutem.

Franciſcus Fernandius in India, malè ab Infidelibus, verberibus mulctatus, & raptatus in ſquallidum carcerem, ſpiritum Deo reddit.

Franciſcus Ioſephus Breſſanus, compehenſus in Canada à Barbaris, nudatus, cæſus, vſtulatus, mutilatus, & multis alijs tormentis pro Chriſto affectus.

S. Franciſcus Xauerius per Indiam, & Iaponiam, incredibilia pro Chriſto ſuſtinuit, contumelijs, ſæpè, & verberibus affectus, lapidibus appetitus, ſæpè naufragus, ſæpè famem, ſitimque ac nuditatem paſſus.

Franciſcus Yongus in Anglia, coniectus in cuſtodiam ab Hæreticis, & malè habitus, tandem in exilium pulſus eſt.

Fridericus Spe in Saxonia percuſſus ab Hæreticis, dum iter ageret, & varijs vulneribus affectus, ob conuerſam Vrbem quandam ad fidem Catholicam, nihilominus perrexit alacriter, & concionem habuit in pago, quem petebat vſque ad defectum virium.

Gaſpar de la Figuera incidens in naues hæreticorum, ab his abductus eſt in Hollandiam, vbi multas pro Chriſto ærumnas exhauſit.

Gaſpar Paez ex Æthiopia à Rege proſcriptus, ſed in latebris ad iuuandos fideles perſiſtens ac tandem deprehenſus, carcerem, & glorioſam pro Chriſto mortem, fortiter ſuſtinuit.

Gaſpar Vilela in Iaponia, per annos 16. plurimas vexationes, calumnias, conuicia, & id genus alia varijs in locis pro Chriſto tolerauit.

Gerardus Gonthi captus ab Hæreticis Molshemij, & ſtrictis gladijs ſæpe appetitus, quamuis paralyſi laborans, morti ſe generoſe pro Chriſto obtulit.

Gerardus Othonis carcerem tenebricoſum, & ſquallidum in Hollandia, tertiò pro Chriſto ſubijt.

Godefridus Frankenius, etiam vincula in Hollandia Religionis cauſa ſuſtinuit.

Guilielmus Aſchendorff in Germania, detruſus in carcerem ab Hæreticis, nunquam conſentire voluit, vt pro ſua liberatione, daretur lytrum magni pretij, & religioſo Viro indecorum.

Guilielmus Balduinus ab Hæreticis in Germania interceptus, & in Angliam multis onuſtus vinculis abductus, ibique in Turrim Londinenſem compactus, nec ſemel quæſtioni ſubiectus, poſt octennium captiuitatis fortiter toleratæ, in exilium pulſus eſt.

Guilielmus Vvrightus, carcerem in Anglia, & præſentiſſimum vitæ diſcrimen ex peſte, ibidem perpeſſus.

Henricus Fitzimon in Hibernia, carcerem pro fide quinquennio ſuſtinuit, inde eiectus in exilium, ſed poſtea redux, in ſyluis & paludibus per totam hyemem multas ærumnas exhauſit.

Henricus Garnetus comprehenſus ab Hæreticis in Anglia, & per ſummam iniuriam poſtulatus reus læſæ Maieſtatis, carcerem, & mortem prodigioſa ſpica illuſtrem, conſtanter ſubijt.

Henricus Henriquez in India, ab Infidelibus comprehenſus, ferro oneratus, neci crudeliſſimæ deſtinatus, & horrendis modis cruciatus, trimeſtri ſpatio, omnia pro Chriſto conſtantiſſimè tolerauit.

Henricus Sommalius, in Hollandia, deprehenſus ab Hæreticis, multa & grauia Religionis cauſa pertulit.

Hen-

Henricus Vvalpolus in Anglia decies & quater diriſſima tormenta paſſus, demum in odium Religionis, ab Hæreticis ſuſpenſus, & in partes varias diſſectus eſt.

Hieronymus de Angelis in Iaponia poſt 22. annos Apoſtolicè conſumptos, ſtitit ſe vltrò Miniſtris Regijs profeſſus ſe Chriſtianum, & Sacerdotem de Societate eſſe, atque ita viuus incendio concrematus eſt.

Iacobus Mumfordus in Anglia captus, & per ludibrium in habitu Sacerdotali per Vrbem circumductus, tum detruſus in carcerem, multa incommoda pro Religione cum gaudio ſuſtinuit.

Iacobus Saleſius interceptus ab Hæreticis in Gallia multiſque contumelijs, & maledictis vexatus, tandem globo ab ijſdem in odium fidei traiectus eſt.

Iacobus Sharpe in Anglia à Parentibus opulentis Hæreticis (quorum hæres erat, & quos adierat vt Chriſto lucrifaceret) primò promiſſis ingentibus allectus, vt rediret ad ipſorum ſectam, mox variè vexatus, & incluſus domi, tum traditus Magiſtratui, & ab hoc coniectus in carcerem, & demum pulſus in exilium, omnia pro Chriſto heroicè ſuſtinuit.

Ioannes Adamus Sciall in Sinis, poſt mortem Imperatoris (apud quem in ſumma gratia fuerat) accuſatus de lege Chriſtiana, quaſi praua per Sinam diſſeminata, in carcerem compactus, nouem catenis oneratus ad Tribunalia per ſex menſes, cum tribus Socijs raptatus, etiam ad mortem crudeliſſimam eſt condemnatus, licet ea ſententia poſtmodum ſit reſciſſa.

Ioannes Baptiſta Montius in Iaponia, ludibria, lapidationes & alia multa religionis cauſa fortiter perpeſſus.

Ioannes Baptiſta Romanus Memphi, & alibi, multa grauia conſtanter pertulit à Iudæis, à quorum perfidia ad Chriſti fidem conuerſus fuerat.

Ioannes Baptiſta Zola in Iaponia, carceres, & ærumnas varias per ſex menſes, fortiter paſſus, igne demum ſe ſe in holocauſtum Deo obtulit.

Ioannes de Brebeuf in Canada, à Barbaris membratim cæſus, tum abſciſſæ manus, vſtulata lingua, pellis capiti detracta, truncati pedes, diſſectum pectus, omnia pro Chriſto generosè tolerauit vna cum P. Gabriele Lallemant.

Ioannes Floydus in Anglia, captus ab Hæreticis, & in vincula coniectus, multa pro religione aſpera pertulit.

Ioannes Fernandez cum S. Xauerio in Iaponiam profectus, opprobria, irriſiones, conſputationes, & alia per multa, Chriſti cauſa magno animi robore ſuſtinuit.

Ioannes Gerardi Tomſonus, comprehenſus in Anglia, & in varios carceres compactus, ter immanibus tormentis ſubiectus, multa conſtanter pro fide Catholica perpeſſus.

Ioannes Ogilbeus in Scotia, multis modis vexatus ab Hæreticis, ſæpius etiam immaniter tortus, mortem tandem Chriſti cauſa glorioſam ſubijt.

Ioannes Perſeus in Anglia captus, & in carcerem ab Hæreticis detruſus, tormentis horrendum in modum cruciatus eſt; Poſtea liberatus, iterum tertiò, quartò, & quintò in cuſtodiam compactus permulta religionis cauſa fortiter tolerauit.

Ioannes Vvalterius Viringus in Hollandia, comprehenſus ab Hæreticis ferrea vincula, & alia incommoda per ſex menſes pro Deo generosè ſuſtinuit.

Laurentius Iapon Socius & particeps ærumnarum, opprobriorum, lapidationum, & aliorum incommodorum, quæ complures ex noſtris Chriſti cauſa pertulerunt in Iaponia.

Laurentius Maſonius in Amboino, & vicinis Inſulis, vincula, opprobria, terra marique pericula quamplurima, prædicando Euangelium perpeſſus.

Laurentius Vvorthingtonus in Anglia captus, carceres, & incommoda per annum multa tolerauit, & demum in exilium Religionis cauſa eiectus eſt.

Ludouicus Cardeira in Aethiopia carcerem, incommoda varia, & demum mortem pro Chriſto glorioſè ſubijt.

Ludouicus Figueira in Braſilia, adeundo gentem efferam Tapoiorum multa aſpera paſſus, demum ab Aroanſijs in odium fidei, crudeliter mactatus eſt,

Ludouicus Froës in Iaponia, annis 34. ærumnas quamplurimas, fortiter exhauſit; in cauernis & ſpeluncis terræ, coactus ſæpè deliteſcere.

Marcellus Franciſcus Maſtrillus in Iaponia, captus, & tormentis horrendis cruciatus pro Chriſto, agonem tandem gladio conſummauit.

Martinus Laterna in Mari Baltico, captus ab Hæreticis, & multis modis diuexatus, demum in Mare ab ijſdem, religionis cauſa præcipitatus eſt.

Matthæus de Couros in Iaponia, diu quæſitus ad necem, in latibulis, & ſpeluncis plurima, & aſperrima pro Chriſto pertulit.

Matthæus Riccius in Sinis, iniurias, opprobria, calumnias, & alia id genus multa in promulgatione Euangelij initio perpeſſus.

Melchior Figueredus in Iaponia, per 37. annos plurimas contumelias, percuſſiones, & alia incommoda ab infidelibus & latronibus religionis cauſa generosè ſubijt.

S. Paulus Miki in Iaponia, pro fide Chriſti in crucem actus, & lancea pectus tranſuerberatus,

ratus, glorioſo martyrio coronatus eſt.
Petrus Biardus in Canada, captus ab Hæreticis, & abductus in Angliam, carcerem, & multa ibi incommoda, religionis ergò ſuſtinuit.
Petrus Mailart in Hollandia, comprehenſus, duros ibi carceres pro Chriſto tolerauit.
Petrus Maſcarenia in Inſulis Orientis poſt multos conuerſos ad fidem Chriſti, & multas ærumnas fortiter toleratas, veneno tandem ab Ethnicis eſt ſublatus.
Petrus de Moreion in Iaponia, quam annis 50. pijs laboribus excoluit, multa aſpera, carceres etiam, & exilium pro Chriſto ſubijt.
Petrus Paez captus à Turcis in adeunda Aethiopia, carceres, compedes, catenas, famem, & ærumnas plurimas, in ſeptenni captiuitate apud eos Chriſti cauſa eſt perpeſſus.
Petrus Paulus Nauarrus in Iaponia, poſt ingentes ærumnas captus, incluſus carcere, & palo alligatus, igni demum pro Chriſto conſumptus eſt.
Robertus Perſonius in Anglia ad mortem ab Hæreticis ſæpiùs perquiſitus, multa incommoda in latibulis generoſè tolerauit.
Robertus Southvvellus in Anglia comprehenſus, & decies tormentis equuleo grauioribus, ſubiectus, demum poſt triennalem carcerem pro religione, ſuſpenſus, & ſectus eſt.
Sebaſtinnus Vieira in Iaponia poſt multos labores Chriſti cauſa exantlatos, captus, ſuſpenſus pedibus, & poſt triduum igni ſuppoſito holocauſtum Deo gratiſſimum arſit.
Thomas de Barros in India, captus à Malabaribus Ethnicis peſſime ab ijs in captiuitate tractatus eſt.
Thomas Euerardus bis comprehenſus in Anglia ab Hæreticis, carcerum incommoda, forti animo annis aliquot tolerauit.
Thomas Fitzherbertus in Anglia, carceris ſquallorem ob fidem Catholicam, conſtanter ſuſtinuit.
Thomas Morus in Anglia, carceri religionis cauſa mancipatus, poſtea in exilium pulſus eſt.
Thomas Pricius captus ab Hæreticis in Anglia, & malè mulctatus, poſtea in exilium eiectus eſt.
Thomas Saillius in Moſcouia, per ſyluas horridas, iter faciendo, & dormitando ſubinde in niuibus, nec veſtem per menſes vndecim mutando, per multa ibi aſpera, Chriſti cauſa perpeſſus eſt.
Thomas Stephenſonus in Anglia, ob fidem Catholicam vincula, & alia multa paſſus, in exilium demum pulſus eſt.
Thomas Vvorthiagtenus, carcerem & alia grauiſſima in Anglia, ob fidem paſſus per ſex menſes, Regno exeſſe coactus eſt.

§. XVII.

Concionandi labores per multos annos conſtanter continuati.

Adrianus Iungius in Polonia, annos 22. Sacris Concionibus impendit.
Adrianus Van Lyere in Belgio annis 30. eodem in templo Bruxellis, Eccleſiaſten egit.
Adrianus Poirtres item in Belgio, annos amplius 30. Concionandi munus exercuit.
Alexnder Fichetus in Gallia, varijs in Vrbibus annis 30. Concionatoris munere functus eſt.
Aloyſius Albritius per Italiam, & in Sacello Pontificio, coram Sanctiſſimo, per annos 42. Sacras Conciones habuit.
Aloyſius Lanuzza in Sicilia annis 30. ad populum dixit.
Alphonſus Auila in Caſtellana, Euangelicum concionandi munus, plus annis 30. obiuit.
Andreas Metſch in Bohemia, & Sileſia, annis 36. Concionatorem egit, tanto prouentu, vt ſupra 10. mil. Hæreticorum ad Eccleſiæ gremium dicatur reduxiſſe, atque in his Apoſtatas à fide 109. & corrupti verbi Seminatores 9.
Antonius Beatillus per Italiam, Conciones Quadrageſimales habuit annis 16. lectiones Sacras, in templo Domus Profeſſæ Neapoli annis 18.
Antonius Deslions in Belgio Concionatoris munere annis 25. functus eſt.
Antonius de Eſcobar, & Mendoza in Caſtellana, raro exemplo 50. annis per Quadrageſimam Conciones habuit, & ſæpè bis in die, nunquam relaxato in ſe rigore ieiunij Eccleſiaſtici, niſi poſtremo vitæ ſuæ anno propter infirmitatem.
Antonius Michaelis per Galliam annis 33. Concionatoris munus exercuit.
Auguſtinus de Caſtro in Hiſpania Concionatorem ſui temporis multorum opinione princeps, per annos 45. Eccleſiaſten egit, & per plures ex ijs in Sacello Regio.
Balthaſar Chauaſſius per Galliam annis 40. ad populum Sacras Conciones habuit.
Bartholomæus Mocantus in Italia, ſalutem proximorum per Conciones annis fermè 50. procurauit.
Bartholomæus Paprocki in Polonia, annis propè 20. ad populum è ſuggeſtu verba fecit.
Bernardus Galtier in Gallia ampliùs 30. annis officio Eccleſiaſtæ perfunctus eſt.
Bernardus Neuhauſer in Germania annis 24. populum Concionibus ad pietatem accendit.
Carolus à Kreitz in Lithuania 26. annis magno pro-

proventu animarum ad populum dixit.
Carolus Regius per Italiam, vſque ad effætam ætatem annos ampliùs 40. Concionatoris munus exercuit.
Claudius de Lingendes per Galliam 36. annis Eccleſiaſten egit.
Coſmas Salhauſer per Germaniam concionandi munere annis propè 40. claruit.
Didacus Filippazzius in Sicilia & Italia 24. annos concionando tranſegit.
Franciſcus Benignus in Gallia, annis 20. Sacrum Oratorem egit.
Franciſcus de Soto in Bœtica, Conciones annis circiter 40. habuit, & totidem ſimul Miſſiones ſpiritu Apoſtolico obiuit, & fructu inexplicabili.
Franciſcus Sparacinus in Sicilia ad populum verba ſalutis fecit, annis amplius 30. vtilitate maxima.
Gaſpar Hickmannus in Auſtria, annis amplius 20. Concionatorem egit, eoque in munere Carolo Archiduci Auſtriæ inſeruiuit.
Gaſpar Sanchez Granatenſis, annos ampliùs 30. magno fructu Eccleſiaſten egit.
Gaſpar Seguiran per Galliam Chriſtiani oratoris partes omnes per annos 40. impleuit.
Gaſpar de Zamora in Caſtella 20. annis Concionatoris munus exercuit.
Georgius Ferus in Bohemia annis ampliùs 20. animos populorum Concionibus ſuis mirificè accendit.
Georgius Vvitvveiler in Germania Superiore, annis 43. præcipuas Cathedras Prouinciæ concionando obiuit.
Gilbertus Preuoſt in Belgio, annis amplius 40. ad populum dixit, & ex his ad 20. Montibus Hannoniæ, vbique ardore magno, & fructu.
Gilbertus Rouſſeau in Aquitania annis etiam 40. Concionibus ſuis populos inflammauit.
Godefridus Vvandelman in Belgio, annis 20. Concionatoris optimi munus geſſit.
Gregorius Roſeffius in Germania vltra 50. annos in Cathedrali Eccleſia Auguſtæ Vindelicorum dixit, tanto fructu vt conſtantia Vrbis illius in fide, à multis, ipſius Concionibus tribuatur.
Guilielmus Bailius in Aquitania ad 28. annos Concionibus magno zelo habendis ſe impendit.
Guilielmus Gumppenberg 32. annos in Germania concionando exegit.
Guilielmus Staniburſtius in Belgio, Præconem Diuini Verbi Flandricè & Anglicè annis 25. egit, & Sodalitatem latinam B. Virginis Louanij annis 30. adminiſtrauit.
Hieremias Drexelius, totis annis 22. Sereniſſimo Duci Electori Bauariæ, à Sacris Concionibus fuit.
Hieronymus Florentia, per 30. annos Madriti, Concionatoris munere perfunctus eſt, & vt plurimùm in Sacello Regis.
Hieronymus Lopez, Gandienſis in Hiſpania, amplius 40. annos populum ſuis Concionibus ad pietatem excitauir.
Iacobus Colens in Bohemia, annis circiter 40. Conciones habuit, & multos ab Hæreſi ad Eccleſiæ Catholicæ complexum reduxit.
Iacobus Georgius in Gallia, annis 35. Concionatorem egit.
Ioannes de Armenta in Bœtica, annis amplius 40. ſuis Concionibus populum ad pietatem accendit.
Ioannes Baptiſta Ragon per Galliam, annis 42. dixit ad populum magno zelo, etiam cum Superioris munere fungeretur.
Ioannes Erardus Fullonius, annis 33. in Belgio Sacri Oratoris partes impleuit.
Ioannes Gans, Conciones Sacras habuit Græcij, & Viennæ annis 21. poſtea in Aula Cæſaris, cui etiam à Sacris Confeſſionibus fuit, annis 22.
Ioannis à Gouda in Belgio, totos annos 25 Verbo Dei prædicando impendit.
Ioannes de Parijs in Belgio, Concionatoris munus annos 40. magno zelo exercuit.
Ioannes Rhò per Italiam annis 37. Oratoris Sacri munere egregiè perfunctus eſt.
Ioannes Suffrenus Chriſtianiſſimæ Reginæ Galliarum 26. annis à Sacris Concionibus, & Confeſſionibus fuit, & ad populum etiam ſæpiſſimè dixit.
Ioannes Vvazin in Germania, & Bohemia 30. annis Eccleſiaſten egit.
Iodocus Andries in Belgio, annis circiter 40. Conciones habuit ſæpe bis in die, & aliquando tertiò.
Ioſephus Scamacca in Sicilia quadragies curriculum Quadrageſimale, concionando confecit.
Iulius Mazarinus per Italiam totis 40. annis, ad populum pro concione dixit, concurſu maximo.
Laurentius Chryſogonus in Auſtriæ Prouincia, annis 25. Concionatoris munere perfunctus eſt.
Leopoldus Mancinus in Germania annis 22. Eccleſiaſten egit, & Sereniſſimo Duci Electori Bauariæ annis 12. à Sacris Concionibus, & Confeſſionibus fuit.
Lucas Zaluski in Lithuania annos 28. Diuini Verbi præconem egit.
Marcus Vanden Tympel in Belgio annis 30. Chriſtiani Oratoris partes impleuit.
Martinus Laſcius in Polonia ad annos 20. populum ſuis Concionibus accendit.
Matthæus Varſauienſis item in Polonia, annis ampliùs 20. Concionatoris munus egregiè expleuit.
Michael Griſius in Belgio pluſquam vigeſies per Quadrageſimam dixit.
Paulus Zebentner in Auſtria annis 30. Concionato-

natoris Officium apud Imperatricem,& alibi, obiuit.
Petrus Anellus Perſicus in Italia annis 25. per Quadrageſimam Eccleſiaſten egit.
Petrus Cottonus per Galliam 35. annis Quadrageſimalem curſum Concionum abſoluit, & coram Rege Chriſtianiſſimo ſæpiſſimè dixit.
Petrus Hugo in Germania 36. annis ad populum è ſuggeſtu verba fecit.
Petrus Miraillict in Gallia per 30. annos Concionatorem egit.
Petrus Sanctius Mexici 25. annos, Conciones habuit.
Petrus de Salas in Hiſpania, annis 40. Pinciæ verba ad populum fecit.
Petrus Scarga in Polonia, annis amplius 40. Eccleſiaſten egit, & Sigiſmundo III. Regi, annis 24. à Sacris Concionibus fuit.
Petrus de Urteaga in Bætica, annis 50. populum ad pietatem ſuis Concionibus accendit, & plerumque Hiſpali.
Philippus d'Outreman in Belgio Chriſtiani Oratoris munus per annos 26. exercuit.
Proſper Malauolta per Italiam tricies Quadrageſimale curriculum Concionibus ſuis emenſus eſt.
Saluator de Leon in Bœtica annis 26. Eccleſiaſten egit.
Stephanus Luzuic in Gallia annis 35. Conciones Sacras ad populum habuit.
Theodoricus Krallius in Bohemia 36. annis Concionatoris partes ſuſtinuit.
Thomas Reina per Italiam annis 31. Verbi Diuini Præconem egit.
Vitalis Theronus per Galliam, annis 50. munus Concionatorium magno zelo exercuit.

§. XVIII.

Munus docendi Theologiam, vel facultates ſuperiores, multis annis obitum.

Adamus Tanner, Theologiam Scholaſticam, & Moralem in Germania, annis 22. prælegit.
Ægidius de Coninck Louanii, Theologiam explicauit, & ſtudijs præfuit annis 28.
Alphonſus Deza nulli Theologorum ſuo ſeculo ſecundus, in Complutenſi Academia, annos amplius 20. Theologiam profeſſus eſt.
Alphonſus Piſanus, Theologiam & Sacras litteras in Germania & Polonia, annis 34. explanauit.
Andreas Lucas de Arcones,, Granatæ 30. annis, Sacram Scripturam eſt interpretatus.
Andreas Roſenvvaldt in Lithuania, Theologiam, & Sacras Literas 25. annis profeſſus eſt.
Antonius Carnallius in Luſitania 20. annos Theologiam docuit.
Antonius la Lounera, Theologiam, & ſuperiores facultates annos amplius 30. in Prouincia Toloſana prælegit.
Bernardus de Alderete, Theologiam Salmanticæ annis 24. tradidit.
Chriſtophorus Gillius in docenda Theologia Conimbricæ, & Eboræ, annos amplius 20. tranſegit.
Chriſtophorus Mayer totis 30. annis, Philoſophiam, & Theologiam Patauij, Brixiæ, Græcij, & Viennæ tractauit.
Cornelius à Lapide, Sacras Litteras Romæ, & Louanij explicauit annis 30. & Linguam Sanctam, annis 20.
Didacus de Celada Compluti, & Madriti Sacram Scripturam annos amplius 20. eſt interpretatus, & Theologiam annis aliquot profeſſus.
Didacus Martinez, Hiſpali 20. annis Sacras Literas explicauit.
Didacus Ruiz de Montoya, Cordubæ,& Hiſpali Theologiam annis 20. eſt profeſſus.
Dionyſius Petauius, Pariſijs Sacra Biblia annis 24. eſt interpretatus.
Emanuel Pardus in Toletana, Theologiam annis 30. prælegit.
Ferdinandus de Mendoza, Aſtigi, Cordubæ, Hiſpali, Madriti, annis 26. Theologiam explicauit.
Franciſcus Amicus in Italia, & Auſtria Theologiam annis 24. docuit.
Franciſcus Iras in Aquitania, Theologiam, & Philoſophiam annis 25. explicauit.
Franciſcus Pinherus in Luſitania Theologiam, & Philoſophiam annis 23. profeſſus.
Franciſcus Scorſus Panormi 24. annis, Sacram Scripturam, & linguam Hebræam prælegit.
Franciſcus Suarez Theologiam 40. annis, Pinciæ, Romæ, Compluti, Salmanticæ, Conimbricæ, explanauit.
Franciſcus Vander Veken, Coloniæ 30. annis Theologiam profeſſus eſt.
Gabriel Vaſquez 29. annos in Theologia, & Philoſophia Compluti, & Romæ tradendis conſumpſit.
Gaſpar Hurtadus, amplius 30. annos in Theologia prælegenda Murciæ, Compluti, & Madriti exegit.
Georgius Turnebulus, Muſſiponti annis circiter 30. Profeſſor Theologiæ fuit, vel Cancellarius Vniuerſitatis.
Gregorius de Valentia Dilingæ, Ingolſtadij, Romæ, annos circiter 23. Theologiam docendo traduxit.
Iacobus Franciſcus, Theologiam & ſuperiores facultates Muſſiponti annis 28. explicauit.

Iaco-

Iacobus Granadus in Bœtica, Philoſophiam, & Theologiam annis 30. docuit.
Iacobus Graſſettus, Parmæ, & Arimini 20. annos in Theologia Morali enucleanda tranſegit.
Ioannes Baptiſta Ferrarius Romæ Linguam Sanctam annos circiter 29. explicauit.
Ioannes Baptiſta Giattinus, etiam Romæ, Theologiam, & ſuperiores facultates 25. annis prælegit.
Ioannes Baptiſta Roſſi, Theologiam, & ſeueriores diſciplinas in Mediolanenſi Prouincia, annis 21. profeſſus eſt.
Ioannes Baptiſta Trotta, Neapoli annis 35. docuit Theologiam, Philoſophiam, & Matheſim.
Ioannes Buſæus in Germania, annis circiter 22. Theologiam, & Sacros Codices Scripturarum, explicauit.
Ioannes Doriſy in Gallia annos 23. Theologiam, & Philoſophiam tradidit.
Ioannes de Iongbe in Belgio, annos 24. docendo Theologiam, & Philoſophiam emenſus eſt.
Ioannes de Lugo Cardinalis, annos 25. Romæ, & Valliſoleti, in Theologia prælegenda conſtanter exegit.
Ioannes Maldonatus primus ex Societate in Academia Pariſienſi contra hæreſes, tunc graſſantes claſſicum cecinit, & poſt traditam ibi Philoſophiam ingenti eruditionis fama Theologiam annis 10. profeſſus eſt.
Ioannes Mendez, Hiſpali Theologiam annis 20. explicauit.
Ioannes Pelecyus in Germania docendo Philoſophiam, & Theologiam, annos 24. conſumpſit.
Ioſephus Auguſtinus, Theologiam, & Philoſophiam in Sicilia, & alibi ad 20. annos prælegit.
Ioſephus Blancanus 20. annis Profeſſor Mathematicus Parmæ.
Ioſephus Giballinus Lugduni annis 24. Theologiam, & Philoſophiam docuit.
Iulius Priſcianenſis in Germania, Theologiam annis 20. profeſſus.
Iuſtus Rabus in Polonia, & alibi, Theologiam & Scripturam Sacram 20. circiter annos explicauit.
Leo Sanctius, Romæ Theologiam, Philoſophiam, & Matheſim, per annos 24. tradidit.
Leonardus Leſſius Duaci, & Louanij, annis 22. Philoſophiam, & Theologiam explicauit, & annis 17. ſtudiis deinde præfuit.
Ludouicus de Alcaſſar Cordubæ, & Hiſpali, Sacras Literas annos amplius 20. eſt interpretatus.
Luiſius Turrianus annos 40. docendo Philoſophiam, & Theologiam exegit, & primam Cathedram Compluti annis 30. rexit.
Maginus Pageſius in Aragonia, Theologiam annis 22. profeſſus.
Martinus Becanus annis 26. Philoſophiam, & Theologiam Herbipoli, Moguntiæ, & Viennæ Auſtriæ, explanauit.
Martinus Fornarius annis 24. Theologiam Moralem Patauij, Neapoli, Romæ docuit.
Melchior de Caſtro in Bœtica 20. annos Theologiæ &c. explicandæ impendit.
Melchior Cornæus Philoſophiam, & Theologiam in Gallia, & Germania, annis 22. profeſſus eſt.
Melchior Treuinnius in Bohemia, annos circiter 20. Philoſophiam, & Theologiam enodando conſumpſit.
Michael Eiſelinus Philoſophiam, & Theologiam Dilingæ, & Ingolſtadij annos 24. tradendo exegit.
Michael Seneſchallus Duaci, annis 22. Theologiam, & ſeueriores ſcientias explanauit.
Nicolaus Serarius Herbipoli, & Moguntiæ, Sacra Biblia per annos 20. interpretatus eſt.
Nicolaus Vvyſing in Germania Superiore 24. annis Theologiam, & facultates Superiores explicauit.
Petrus Aegidius Barcinone, Theologiam 20. annis explicuit præter Philoſophiam, quam ante ingreſſum in Societatem publicè profeſſus fuerat.
Petrus Alois Neapoli, Philoſophiam & Sacras Literas annis 28. docuit.
Petrus de Arrubal Theologiam Compluti, Salmanticæ, Romæ plurimis annis ſumma cum laude profeſſus eſt.
Petrus de Auiles Cordubæ, & Hiſpali, in tradenda Theologia annos 20. emenſus eſt.
Petrus Bobinet in Prouincia Franciæ, Theologiam Moralem annis 21. explanauit.
Petrus Hurtadus de Mendoza, annos 30. Theologiæ docendæ Valliſoleti, & Salmanticæ impendit.
Petrus Ludouicus Philoſophiam, & Theologiam 29. annis in Eborenſi fere Academia profeſſus eſt.
Petrus Oiea, Philoſophiam, & Theologiam per annos 23. Cæſarauguſtæ, prælegit.
Petrus Thyreus Treuiris, Moguntiæ, Herbipoli, annos 26. continenter in Theologia tradenda exegit.
Sebaſtianus Coutus 10. annos docendo Theologiam Conimbricæ, & Eboræ conſumpſit.
Simon Felix Ingolſtadij Theologiam Scholaſticam Moralem, & Polemicam annis 30. explicuit.
Terentius Alciatus Romæ, annos 22. in Theologia, & Philoſophia explicanda tranſegit.
Theodorus Moretus in Bohemia, Theologiam Moralem, Polemicam, & alias facultates Superiores, annis amplius 30. profeſſus.
Thomas Biſdomini, Theologiam Moralem Ro-

Romæ, & Genuæ annis 21 docuit.

Thomas de Ituren in Caſtellana Prouincia, Theologiam Moralem annos 20. explicuit.

Torquatus de Cuppis Romæ annos 22. tradendæ Philoſophiæ, & Theologiæ Morali impendit.

Valentinus de Herice Theologiam annos amplius 20. Valliſoleti, & Salmanticæ, tradidit.

Valerius Reginaldus in Gallia annis 32. Philoſophiam, & Theologiam profeſſus.

§. XIX.

Munus docendi Scholas inferiores, vel tradendi Catechiſmum pueris, aut rudibus per multos annos exercitum.

Albertus Croiſſant in Belgio annos 24. docuit humaniores Literas, & ex his 16. Rhetoricam.

Albertus Theobolcius in Polonia annis 20. in tradendis Literis manſuetioribus impendit poſtea docuit Hebraicas, Theologiam Moralem &c.

Amabilis Bonnefons, Pariſijs 20. annis catechiſten egit, in erudiendis pueris, & pauperibus, inſigni conſtantia.

Andreas Perſiuales in Sicilia, annos propè 40. conſumpſit erudiendo noſtros Iuniores, Literis Græcis & Latinis.

Andreas Schottus in Belgio, in decrepita ætate enixè petiuit munus docendi noſtros Iuniores Literas Græcas, & obtinuit, licet pauló pòſt labori ſuccubuerit.

Angelus Galluccius Romæ in diſciplinis politioribus tradendis annos 28. traduxit, & ex his 24. docuit Rhetoricam.

Auguſtinus de Quiros in Bœtica ſummis precibus contendit, vt totam vitam liceret, ſibi in docendis pueris grammaticam, contexere. Obtinuit pro Exteris, & noſtris ad decennium circiter, poſtea factus Prouincialis Bœticæ & Mexici.

Bartholomæus Brauus in Caſtellana totum ſe erudiendæ iuuentuti bonis literis dicauit, & Sholas inferiores ad 27. annos tenuit.

Bernardinus de Llanos, Mexici, Iuniores noſtros annis 40. Literis Humanioribus conſtanter imbuit.

Franciſcus de Caſtro in Bœtica, enixè rogauit vt per totam vitam erudiendæ iuuentuti, in Scholis inferioribus, addiceretur, impetrauitque ad annos 22.

Franciſcus Rodriguez in Caſtellana, annos 28. in docendis adoleſcentibus literas, ac pietatem, conſtanter conſumpſit.

Gaſpar Sanchez in Caſtellana totam fere vitam Religioſam, hoc eſt, annos circiter 42. in pueris pietate, & doctrina informandis perſeueranter expendit.

Gaſpar Sanctius in Toletana 30. annis docuit Exteros, & Noſtros Humaniores literas, & poſtea oracula Sacrarum Scripturarum annos 19. interpretatus eſt.

Guilielmus Marci in Belgio 30. annis tenuit Scholam ad quam catecheſeos cauſa conueniebant pueri.

Guilielmus Vvrightus in Anglia poſt Philoſophiam, Matheſim, & Theologiam multis annis traditas Viennæ, & Græcij in Auſtria, miſſus in Angliam multorum ibi annorum ſpatio docuit prima rudimenta pueros filios Catholicorum.

Hieronymus Petruccius in Romana Prouincia politiores literas annis 20. profeſſus eſt, & ex his 16. Rhetoricam Romæ docuit.

Horatius Turſellinus Romæ annos 22 in Humanarum literarum palæſtra exegit.

Iacobus Pontanus in Germania, annos 27. tradendis literis humanioribus conſtanter impendit.

Ignatius Martinez in Luſitania, totos 16 annos in pueris, pauperibus, rudibus, ſeruis, militibus, Chriſtiana doctrina imbuendis conſumpſit.

Ioannes Bonifacius in Caſtellana, annis amplius 40. magna conſtantia pueris erudiendis ad mortem vſque ſe addixit; tanto diſcipulorum profectu etiam in pietate, vt ex illis ſupra 1200. ad Religioſos Ordines [illegible] rint.

Ioannes Ludouicus de la Cerda, in Toletana Profeſſor Poeſeos, & Rhetorices mirabili conſtantia annis 50. fuit.

Leonardus Creder, in Germania poſt habitas multis annis Conciones in decliui ætate obtulit ſe ad docendas Scholas inferiores, & impetrauit ad ſexennium donec vires vtcunque ſuppeterent.

Matthæus Raderus in Germania, annis 22. diſciplinas Humaniores profeſſus eſt.

Melchior de la Cerda in Bœtica, annos 41. iuuentuti erudiendæ bonis literis, ac pietate, mira conſtantia inſumpſit.

Paulus Ioſephus de Arriaga, in Peruana poſt traditas annis aliquot literas Humaniores, dum Rector eſſet pro Magiſtris ægrotantibus, Scholas paſſim adibat, votumque concepit ſe illi muneri per totam vitam, ſi per Superiores liceret, vacaturum.

Petrus Muſſonius in Gallia 24. annos Rhetoricam explicuit.

Petrus de Salas in Caſtellana per annos 48. literas Humaniores mira conſtantia profeſſus eſt.

Sebaſtianus Matienzus etiam in Caſtellana iuuen-

iuuentuti erudiendæ bonis literis, ac pietate, annos amplius 30. impendit.

Sidronius Hoſſchius in Belgio, Exteros, Noſtroſque iuniores, per annos 20. Humanioribus imbuit diſciplinis.

Thomas Gonzalez Mexici 27. annorum ſpatio, iuuentutem illam pietate, ac literis informauit.

Vuolfgangus Schonslederus in Germania annis 21. manſuetiores literas profeſſus eſt.

§. XX.

Patientia exemplaris in morbis, & Præparatio ad mortem.

S. Ignatius, in grauiſſimo morbo ex nimio hepatis calore, adeò audientem dicto ſe præbuit Medico, quamuis iuueni, nec admodum perito, vt contra præſcripta ab illo remedia, tametſi grauia ſenſui, nec ægritudini accommodata (vti poſtea patuit) nihil vnquam effatus ſit. Ardebat ſiti, nec leuamentum poſcebat; diſcruciabatur doloribus acerbiſſimis, nec vocem edebat; linquebatur animo interdum, nec ſignificabat, atque ita ad mortem (quæ tamen tunc ſubſecuta non eſt) vir Sanctus ſeſe placidè comparabat, & amotis alijs cum ſolo Deo tempus tranſigebat.

[illegible] Gagliardus in diuturno morbo octodecim [illegible]menſium, quamuis deſtitutus eſſet memoria, atque viſu, multus tamen in Laude Dei, & gratiarum actione fuit.

Adamus Contzen, licet duobus calculis acerbiſſimè torqueretur, nullum tamen dedit doloris ſignum, ſed Chriſto omnia obtulit in memoriam paſſionis.

Adrianus Cools, longo ac permoleſto afflictus morbo, ſingulari diligentia remotis arbitris ſe diſpoſuit ad mortem.

Alexander Georgius acutiſſimos ex calculo dolores, mira patientia ſuſtinuit.

Alphonſus de Sandoual varias fiſtulas in corpore ſuſtinens, atque vlcera fœdam eijcientia ſaniem, omnia diſſimulauit patienter, donec coactus ea manifeſtare Chirurgis, mirati ſint quomodo cum illis potuerit vitam protrahere.

Andreas Caſtillon dolores ex calculo & exſectionem illius, inſigni fortitudine tolerauit.

Annibal Codrettus, in moleſtiſſima ſtranguria, illuſtria patientiæ documenta etiam ſenex dedit.

Antonius Sanctarellus, captus oculis, cæcitatem ſuam ſumma animi tranquillitate tulit,

Bartholomæus de Eſcobar, in morbo triennali perſimili lepræ ex venenata punctione viroſi culicis, multa inſignis patientiæ argumenta edidit.

Chriſtophorus de Vega quatuor annis ante obitum, ex morbo decumbens, præclara dedit tolerantiæ exempla, & nuntium mortis cum lætitia excepit.

Didacus Ruiz de Montoya acutiſſimos ex calculo cruciatus, toto quatriduo cum ſtupore Medicorum, ſine gemitu ſuſtinuit.

Ferdinandus Crendelius, cùm ex hydropiſi; & ſtranguria vndecim diebus acerbiſſime torqueretur, nec voce, nec vultu vllum cruciatus ſignum edidit.

Franciſcus Annatus vt ſe pararet ad mortem miſſionem ab Aula petijt à Chriſtianiſſimo Rege, cui erat à Sacris Cófeſſionibus, & quarto poſt menſe pijſſimè obijt.

Franciſcus Aguilonius, in extrema ætate cùm grauiſſimis doloribus cruciaretur aiebat; Habeo Cruces, quas ſæpè optaui, atque a Deo poſtulaui.

Franciſcus Colin, vt ſe accuratiùs diſponeret ad mortem, ſub finem vitæ ſeceſſit in Domum probationis, vbi totus orationi, & mortificationi vacauit.

Franciſcus Montmorencius, annos 20. morbo iſchiadis laborans, atque intra anguſtias cubiculi ſe continere coactus, plurima dedit patientiæ exempla, & ad mortem accuratè ſe diſpoſuit.

Franciſcus Oniedus præmonitus à Medico, conſiderata corporis habitudine, fore vt repente aliquando occumberet, toto anno ante obitum malè tractauit corpus ſuum varijs pœnitentiæ operibus, & flagellationibus tam atrocibus, vt admoneri debuerit de moderatione ne mortem ſibi acceleraret.

Franciſcus Piccolomineus Generalis poſtremis 14. diebus vitæ, ob dolores acutiſſimos ex calculo, viſus eſt perpetuo equuleo torqueri, ſed admirabili patientia, gratias ſemper agendo Deo, omnes ſuſtinuit.

Georgius Holzhaius, continuis ex ſtranguria doloribus, cùm cruciaretur, eos magna animi conſtantia ſic tegebat, vt vix ægrotum quis agnoſceret.

Goſuvinus Nickel Generalis in extrema ætate captus pedibus, per annos aliquot, illuſtria ſuæ patientiæ exempla multa edidit.

Gulielmus de Landisheere poſt varios labores tactus apoplexia, biennio toto ſpeculum fuit inſignis patientiæ, & infirmitatis humanæ.

Guilielmus Vvrightus poſtremo vitæ ſuæ decennio, varijs afflictus ægritudinibus inſignia dedit argumenta coniunctionis voluntatis ſuæ cum Diuina.

Hieronymus Domenecus ita viuebat in diem, vt nũquam niſi comparatus ad ſeriam mortem, incumberet ad quietem.

Hieronymus Lallemant in extremo morbo per vigin-

viginti dies heroicæ patientiæ ſigna multa præbuit, petijtque à Superiore vt loco pœnitentiæ pro peccatis ſuis, iuberetur mori, & cum gaudio id obtinuit, atque obijt.

Iacobus Boutonus maximos dolores diù patienter celauit, donec coactus ijs cedere, ſuccubuit.

Ignatius Balſamus cùm octodecim varijs ægritudinibus afficeretur, ipſe eas inuicta animi fortitudine pertulit, & pio ioco, Benedictiones vocitabat.

Ioannes Antonius Vſon infirmus nullos alios ſermones per menſem ante mortem, audire voluit quàm de vita æterna.

Ioannes de Arras miro animi robore ferrum & ignem ſibi paſſus eſt in morbo adhiberi, ſine vllo doloris indicio.

Ioannes Baptiſta Lanzauecchia ſupremum morbum per annum magna laude patientię pertulit, nullo alio quæſito ſolatio, niſi ab oratione, & familiaritate cum Deo.

Ioannes Baptiſta Peſarel per 44. annos, quibus fuit in Societate, non præteriuit facile diē, quo per aliquam illius partem ſpeciali mortis recordatione, ſe non diſponeret ad vltimum agonem.

Ioannes Bollandus calculo, hernia, aſthmate, & alijs doloribus afflictus, vt ſæpius noctu quinies vel ſexies è lecto ſurgere debuerit, omnia tamen inuicta animi fortitudine tolerauit.

Ioannes Cheualier per biennium ante obitum totus fuit in ſeria conſideratione mortis, & præparatione ad illam.

Ioannes Lippai cum varijs morbis affligeretur, hydrope, tympanite, calculo, arena, podagra, palpitatione cordis, omnes ſuſtinuit cum ſolatio ex impleta in ſe Diuina voluntate.

Ioannes de Lugo Cardinalis, in deuexa ætate acutiſſimos cruciatus ex calculo mira patientia tolerauit.

Ioannes Maldonatus vt ad mortem ſe pararet eam quinquies quotidie ponebat ſibi ob oculos diſquirendo numquid eſſet, quod ſuā conſcientiam grauaret.

Ioannes le Feſſier in extremo morbo, ſexagies ante meridiem obtulit ſeholocauſtum Diuinæ gloriæ, adeo coniunctus tunc cum Deo fuit.

Ioannes Plaza tres annos ante mortem, iacuit affixus lecto ex articulorum doloribus, quos tamen ille æquiſſimo animo tolerauit, nec propterea omiſit horas canonicas, vel alia Eccleſiæ præcepta.

Ioannes Raphael Cobenzl in morbis acutiſſimis nihil permittebat ſibi apponi, à communi menſa Sociorum alienum.

Ioannes Rebellus in extremo morbo herpetis, cruciamenta ferri, & flammarum ſuſtinuit, cum Crucifixo in manu, à quo ſolo petebat ſolatia dolorum.

Ioannes de Ribera ſub extremum vitæ totus erat vlcus & plaga tumens, vt nuſquam quieſcere poſſet. Semper tamen gratias agebat Deo.

Ioannes Suffren ob cruciatus grauiſſimos ex calculo, coactus ſubire ſectionem, non eſt auditus edere gemitum.

Laurentius Maſonius afflictus calculo, dyſuria, tuſſi, rheumate, plagis ex diuturna cubatione, & alijs doloribus, nunquam auditus eſt queri, ſed interrogatus, qui haberet, reſpondebat, Gratiæ ſint Deo, ſatis ægrè. Idem vt ad mortem ſe compararet, bis quotidie mane & veſpere exhomologeſi ſe expiabat.

Lazarus Cataneus per biennium affixus lecto, ex doloribus acutiſſimis; ſereno vultu, & mira animi tranquillitate eos tolerabat.

Leo Sanctius ex calculo grandi, grauiſſimè laborans, in ſectione non eſt auditus, vel gemitu leuare cruciatum.

Ludouicus Balleſter ex vlceribus totiſque artubus dolens, adeo patienter tulit, vt valens vegetuſque videretur.

Nicolaus Burenus annis 12. cum dolore laterum, nauſea ciborum, torminibus viſcerum, conflictatus, ſemper tamen conatus eſt aſſiduus eſſe in excipiendis confeſſionibus, in viſendis ægrotis, & ſimilibus.

Nicolaus Lancitius in exulceratis tibijs diù carnificinam ſcatentium vermium mira conſtantia diſſimulauit.

Nicolaus Romanus exſectionem atrocem calculi conſtanter paſſus, dicebat nolle ſe ſuum calculum, cum omnibus adamantibus Orientis commutare.

Nicolaus Zucchius mirificè patiens dolorum, quos à podagra, chiragra, calculo, dyſuria, & pedum vſu amiſſo tolerauit.

Paulus Zebentner varijs pijs modis ſe diſpoſuit ad mortē, quam ſibi præſenſit imminere.

Petrus Antonius Spinellus præſagiens mortem propiùs abeſſe, omni pietatis exercitatione, ſe ad illam diſpoſuit, colloquijs frequentibus cum Deo, B. Virgine, Angelis.

Petrus Pennequin vltimis vitæ ſuæ annis, mortem quotidie præſtolabatur, & congruis modis ſe ad illam comparabat.

Robertus Bellarminus Cardinalis, propter ingraueſcentem ætatem, ſeceſſit in Domum probationis Romæ, vt ſe ad mortem diſponeret, quam cum rariſſimis exemplis virtutum obiuit.

Silueſter Petraſancta dolores calculi quinquennio & demum exſectionem ſex lapillorum inſigni animi robore tolerauit.

Stephanus Tuccius informem nattam circa ceruices æqualis fere magnitudinis, cum capite, quinquennio circiter mira conſtantia ſuſtinuit.

Thomas Reina in grauiſſimo dyſenteriæ morbo illuſtria patientiæ exempla præbuit.

Prote-

PROTESTATIO AVCTORIS

Iuxta Decreta Vrbani VIII. Pont. Max.

LECTOR aduerte in Elogijs Virorum Illuſtrium quos hoc libro complexus ſum, nonnulla me obiter attingere, quæ Sanctitatem ipſis videantur adſcribere: perſtringo nonnunquam aliqua ab ijs geſta, quæ cùm vires humanas ſuperent, miracula videri poſſunt: præſagia futurorum, Arcanorum manifeſtationes, reuelationes, illuſtrationes, & ſi quæ ſunt alia huiuſmodi: beneficia item in miſeros mortales eorum interceſſione diuinitùs; demum nonnullis ſanctimoniæ, vel Martyrij videor appellationem tribuere. Verùm hæc omnia ità meis Lectoribus propono, vt nolim ab illis accipi, tanquàm ab Apoſtolica Sede examinata, atque approbata, ſed tanquam quæ à ſola ſuorum Auctorum fide, pondus obtineant; atque adeò non alitèr, quam humanam hiſtoriam. Proindè Apoſtolicum S. Congregationis S. R. & Vniuerſalis Inquiſitionis Decretum, Anno 1625. editum, & Anno 1634. confirmatum integrè, atque inuiolatè, iuxtà declarationem eiuſdem Decreti à Sanctiſs. D. N. D. Vrbano Papa VIII. Anno 1631. factam, ſeruarià me omnes intelligant, nec velle me, vel cultum, aut venerationem aliquam per has meas narrationes, vlli arrogare, vel famam, & opinionem Sanctitatis, aut Martyrij inducere, ſeu augere nec quicquam eius exiſtimationi adiungere, nullumque gradum facere ad futuram aliquando vllius Beatificationem, vel Canonizationem, aut miraculi comprobationem, ſed omnia in eo ſtatu à me relinqui, quem, ſecluſa hac mea lucubratione obtinerent, non obſtante quocunque longiſſimi temporis curſu. Hoc tàm ſanctè profiteor, quàm decet eum, qui Sanctæ Sedis Apoſtolicæ obedientiſſimus, haberi filius cupit, & ab ea in omni ſua inſcriptione, & actione dirigi.

Ego Nathanael Sotuellus Societatis Ieſu.

Erra-

Errata Corrigenda.

Irrepſerunt inter excudendum hoc opus typis errata quamplurima. Sed ne multitudine Lectori nauſeam pariamus, prætermiſſis leuioribus, quæ facilè ex ſe patebunt, aliquot ex præcipuis hic ſubyciemus. Reliqua beneuolus Lector pro ſua benignitate, aut corrigat, ſi libuerit, aut condonet.

Pag.	*Col.*	*Lin.*	*Corrigendum.*	
1.	1.	11.	conſirmauit	confirmauit.
		27.	exercitta	exercitia.
	2.	13.	e-tca	extra.
4.	1.	33.	Meteologiam	Meteorologiam.
13.	1.	14.	Theologiam	Theologicam.
16.	1.	17.	ex in	& in
17.	2.	11.	1657.	1637.
18.	2.	60.	Comirijs	Comitijs.
22.	1.	26.	Poutifex	Pontifex.
24.	1.	23.	totum	totus
36.	2.	41.	ex ac	ex hac
44.	1.	10.	Prouinciarum	Prouinciam.
46.	2.	29.	Comibus	cornibus.
53.	1.	55.	ſonem	nouem.
57.	1.	47.	cyſuria	dyſuria.
62.	2.	35.	1681.	1581.
80.	1.	1[illegible].	Auditor	Adiutor.
	2.	17.	commiſiſſet	commouiſſet.
95.	2.	19.	profeſſus	profectus.
98.	1.	51.	libris	adde quatuor.
111.	2.	36.	delibuto	delibutus.
137.	1.	62.	ſuſpitia	ſuſpiria.
13[illegible]	1.	24.	externioris	externi oris.
146.	1.	22.	1005.	1605.
147.	1.	29.	Ximenſes	Ximenes.
148.	1.	6.	forneſta	forenſia.
150.	1.	56.	Nouoprenſis	Nouocaſtrenſis.
151.	1.	11.	litterarum	litteraturam.
152.	2.	36.	ac ipſius	ad ipſius.
	2.	59.	explorandum	explicandum.
155.	2.	41.	obalatum	oblatum.
158.	2.	37.	perfecerim	profecerim.
180.	1.	6.	anno 1663.	1563.
183.	1.	23.	1673.	1573.
192.	2.	27.	Apoſtaſiæ	Apoſtatæ.
198.	1.	38.	tantùm	tantus.
209.	1.	35.	quintas	quinas.
214.	2.	47.	1553.	1653.
217.	1.	38.	29.Aprilis	12.Aprilis.
223.	1.	51.	ætatis 11.	ætatis 15.
234.	2.	40.	1678.	1673.
236.	1.	52.	alieno 1600.	alieno M.C.
239.	1.	26.	Plantiniana	Patteniana.
240.	2.	13.	obtineretur	obniteretur.
	2.	47.	viroſque	vicoſque.
245.	1.	12.	Ibidem 1645.	1655.
247.	1.	27.	adiutu	adiutus.
254.	1.	15.	Tito	Tiro.
258.	1.	4.	nonum	nouum.
260.	2.	41.	adminiſtrationem	admirationem.
261.	2.	51.	1æ78.	1578.

Pag.	*Col.*	*Lin.*	*Corrigendum.*	
262.	1.	44.	1554.	1584.
266.	1.	45.	Parte	Patre
304.	1.	55.	prætermiſſe	prætermiſiſſe
308.	2.	57.	Theorata	Theoremata.
319.	1.	1.	verbis	Vrbis.
347.	2.	23.	fructus	fractns.
350.	2.	7.	1639.	1669.
366.	2.	60.	1561.	1651.
381.	2.	62.	1674.	1673.
382.	1.	58.	1609.	1599.
383.	2.	63.	Inlice	Indice.
390.	2.	35.	queBaronem	quem ad Baronem.
405.	1.	30.	hauit	habuit.
407.	1.	23.	1699.	1609.
410.	2.	60.	Veſatilem	Verſatilem.
414.	2.	45.	vt animi	Vi animi.
424.	1.	26.	ab aliquot	ad aliquot Noſtrorũ.
		27.	deeſt	ſuſtentationem
436.	2.	20.	Extinctioriũ	Extinctorium.
448.	2.	7.	octauas	Octonas.
451.	1.	48.	1698.	1598.
454.	2.	44.	dementis	de mentis.
455.	2.	6.	168.	1608.
466.	1.	21.	Alexan.VIII.	Alexander VII.
491.	2.	61.	cætum	cælum.
504.	1.	10.	anno nam	annonam.
505.	2.	49.	compoſito	compoſitio.
506.	1.	37.	1615.	1651.
520.	1.	22.	Vaſconcallos	Vaſconcellos.
536.	1.	36.	Plauſum	Planctum.
568.	1.	31.	ac S.Vvinoci	ad S.Vvinoci.
597.	2.	14.	iamque	tamque
630.	1.	10.	conſuetos	in conſuetas.
652.	2.	17.	1021.	1621.
684.	1.	17.	Iudæ	Iudæo.
725.	2.	47.	meritis eſt,	meritus eſt.
	2.	59.	ſuperintende-retur	ſuperimpenderetur.
736.	1.	42.	homanitus	humanitùs.
745.	1.	63.	Pſychoſophię	Pſychotopiæ.
749.	2.	16.	1660.	1560.
795.	2.	20.	deeſt	Ferrerius Ludouicus.
803.	1.	3.	deeſt	Plantedius Fráciſcus
807.	2.	63.	deeſt	Vvodvvardus Humfredus.
817.	2.	60.	deeſt	Petrus Talbottus.
906.	2.	50.	Io:Guillenij	Ioan.Grillotij.
922.	1.	2.	Ferdin.XIII.	Ferdin.III.
947.	1.	3.	Geor.Roſeſſij	Gregorij Roſeſſij.
971.	1.	9.	inSocietatem	in Societate.
972.	2.	47.	mentis	mentio.

IN PRINCIPIO OPERIS.

Pag. XI. lin. 28.	quod Auctor	quam Auctor.
XIII. lin. 8.	quod in hac	quid in hac.
XVI. in Oda lin. 16.	ſub aſce	ſubaxe.
XVII. lin. 26.	Koirtres	Poirtres.
XX. lin. 77.	Padela	Padilla.
Pag. XXI. 10.	Monereul	Montereul.
XXVIII. col. 2. l. 39.	Billandus	Bollandus.
XXXII. col. 2. l. 12.	Finerus	Pinerus.
l. 30.	MarcusAnt.	deeſt in varijs.
l. 50.	Clacre	Claire.

Digitized by Google

C

Digitized by Google